NOUA EUANGELICAE LEGIS MISTICO-SACRA GALAXIA

Innocenzio Pencini, Josè Maria Fonseca de Evora

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
30 N
10

NOVA
EVANGELICAE
LEGIS
MISTICO-SACRA GALAXIA.

facit concordiam
in sublimibus suis. Job 25
Quatuor facies uni, et
quatuor pennæ uni. Ezech. 1
נביא מקרב
אקים אחיהם
להם כמוך:
Cantemus Domino, gloriose enim
magnificatus est. Ex. 15
Spiritu Sancto inspirati locuti sunt. 2. Petri
idem autem spiritus. 1. Cor. 12
I. PARAL. XXVIIII. ET QVÆ DE MANV TVA ACCEPIMVS, DEDIMVS TIBI.
Soror Elisabeth Pelina S. Claræ

NOVA
EVANGELICÆ LEGIS,
Post editam legis Mosaicæ Lacteam,
MYSTICO-SACRA GALAXIA.
HOC EST,
Candescens, largè & hic irradiante
A QVINATE SOLE,
IN QVATVOR EVANGELISTAS EXPOSITIO.
Detectis generali Syntaxi & Harmonia.
QVIBVS
Vniuscuiusque diuini Euangelistæ deprehenso scopo, indeque arcana allegoriæ comperta serie, visæ aliàs diaphoniæ non vltra locus est.
TOMVS PRIMVS IN MATTHÆVM.
AVCTORE FRATRE
INNOCENTIO PENCINI VENETO,
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistro.
Ad Illustrissimum & Reuerendissimum
D. D. PETRVM LIONVM
CENETENSIS DIOECESIS ANTISTITEM, TARZII COMITEM,
Mæcenatem humanissimum.

VENETIIS, Typis Bartholomæi Tramontini. M. DC. LXXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE AC PATRONE.

HVmanus animus, qui ad immortalis Numinis imaginem & ſimilitudinem factus eſt, quemadmodum perennitatem innato præſentit pondere, ita pro ſua virili cum morte pugnat; memor quòd *Deus mortem non fecit*, ſed immo *fecit Deus hominem inexterminabilem*. Vnde quia nequit inexorabilis ſemperque inſidiatricis falcem effugere, confugit ad vnum quod ſibi supereſt præſidium, vt viuat in poſteris, & *quaſi non ſit mortuus*, viuat in filijs. Exſtimulatus hiſce naturæ votis, quæ ceu deſideria naturæ, fruſtrari nequeunt; quoniam quandoque fraudatur, æquè periclitante quotidie liberorum ſobole, libros, in quibus nunquam moriatur, in lucem edere ſtudet. Profectò & librorum editio parturitio quædam eſt, dum inter calgographiæ gemitus eos parens enititur. Sed heu, eandem ſubit aleam, *quod vento rapitur folium*, dum plerunque *de vtero transfertur ad tumulum*; & in ipſo lucis crepundio, cùm oritur occidit. Vel enim Herodiana ſæuitia, tenella proles per inuidos & æmulatores extinguitur, vel deſtituta ſpiritibus ſenſim elanguet primo in limine vitæ, tanquam non maturuerit, miſero abortu. Interdum etſi puераſcant nati atque adoleſcant, longæuos ſortiti annos in Bibliothecis, blattis non Mundo viuunt, puluere conſepulti, nemini noti. Tot quippe librorum farragines promiſcuo vulgi, velut coaceruo turmantur; vt Xerſis vincant militiam confuſo numero innumeri, ac militiam Cœli; iamque ſoli Deo, qui arenam numerat maris, queant eſſe conſpicui. Id infortunij quotidie libris euenit, quod & in nundinis: vbi enim qui emant ſint pauci, merxque ſit plurima, non tam officinis reconditur, quàm tumulatur. Quamuis veruntamen ſit hocce cuiuſuis litteraturæ diſcrimen, negligi & deſpici; cùm de ſacris lucubrationibus agitur, lacrymabile eſt. Hominum cordatorum ſolertia tanto occurrere excidio, laborum anteuertere iacturam, immortaleque reddere nomen ſuum conata eſt. Ijs nimirum Heroibus ſe iungere; qui proſapiæ illuſtrioris faſtis, egregijs familiæ ſplendoribus, glorioſiſque geſtorum monu-

mentis ad Elysios translati, rediuiuis semper famæ præconijs, forent mori nescij. Percupiunt sic impræscripto tempore, cum suis perennare Mæcenatibus, qui eis labores suos nuncupant. Porrò an quod intendunt obtineant, vt inde perenniter, per omnium volitent ora, & adspiratis Patronorum auris, intermoriantur nusquam, ipsi norint. Sic suum quisque sibi fingit Iouem quem colat, fisus Iouis fieri ales, posseque Phœnicis æmulari sortem, aquilina crasi. At aquila, quanquam ferant, singulis annis decem, se ad sphœram ignis sustollere; inde ad mare demitti nimio ex calore, depilatamque crescentibus alijs pennis, renouari ac iuuenescere: centesimo nihilominus, cùm more consueto in mare delabitur, moritur. Porro instar aquilæ demus Auctores viuere, quid nisi momentum est Sæculum æternitati? Ipse, æternitatis specimen sortiri sperans, non aliti quæ superuiuat centenos, sed generoso ferarum Principi, qui millenos excedat annos, me voueo & sacro. Patieris igitur, auita tibi, quæ leonibus, & sic LIONIS innata est, clementia, vt labor qualiscunque meus venerabundus LIONAM adeat familiam tuam, colatque exiguo munusculo, tributo potiùs animi obsequentissimi, quo in terris perennitatem assequar, egregium (Reipublicæ inuictissimæ huic aliàs in symbolum regium) cognomentum. Viuat diutissimè Leo necesse est; quando Parentem eius leænam vnum duntaxat procreare catulum nouimus. LIONA in sobole apprimè id magis compertum sit, dum terque quaterque excurrerunt Sæcula, ex quo nobilissimam Venetiarum Patriam decorat, illustrat, ac magnificat Leo iste. Reor proinde meritò conspicuæ adeo Domus Maiores, vltra memoriam, præclarum huiusmodi nomen, non à terreno, sed ob nusquam interituram, gloriosèque victuram progeniem à cœlesti Leone consultò traxisse. De superis cantatis Heroibus huc vos demissos asseuerare fas sit; quandoquidem nobili in stemmate, minimè quadrupes graditur; sed, vt esset quoque longè latèque quasi ditionem circumspiciens in Marchionatus (quod fertur) insigne, stat in sublime bipes, erecto ad sydera vultu Leo vester: & qua præcingitur fascia, sic conuolutas cœlestes obijcit zonas: nisi Magistratuum insignia, & quæ regiminis decora subierit augusta stirps longæuo circulo per fasces aureas antiqui monumenti ænigmatibus consignetur. Quæ domi forisque, salo & solo, toga & sago, bello & pace, gens vestra summo plausu gesserit, quot eximia felici euentu patrarit facinora, angusta nuncupatoriæ pagella, nisi in interminam degeneret historiam, annalium suffurando iura, nec tangere potis est. Nequit præterea incomptus calamus, nisi assentatoris incurrat notam, excursu orationis digredi, vbi vos immo & emeritam gloriam, & promeritas laudes, modestissimis animis, certatim non tam contegitis quàm contemnitis. Te igitur vnum suspicio, atauos mitto Heroas, Illustrissime ac Reuerendissime Præsul; tibique, qui tuus omnino est,

Mat-

Matthæum reddo. Tu enim, vt facro huic liberiùs insudarem studio, opportunum donasti & fecisti ocium. Castrum profectò incœnosæ Cenedæ, cui præsides Pastor & Prætor prudenti sapientia, immarcescibilibus, semper verè nouo, halantibus suauissimè, in gentilitio Leone ROSIS, mihi in *collem thuris* euasit; in quo alta sancti Euangelij mysteria, legemque Euangelicam, quemadmodum & Moyses in Sina Arabiæ monte, olfacta largiente Domino acciperem. Neque enim in Vrbis frequentia poterant diuina eloquia percipi tradique fidelibus. *Ducam*, inquit, *eam in solitudinem & loquar ad cor eius*. Contestabatur mellifluus Doctor, inter syluarum vmbras, inhospitosque lucorum recessus, magis quàm in Scriptorum tritorum penu, cœlestia eloquia *dulciora super mel ori suo*, tanquam de abstrusis fauorum cellis delibasse ac decerpsisse. Descendens itaque de monte, postquam ibi iussu tuo Clerum morali theologia institui, Matthæum gestans in pectore, duas dixerim tabulas, ope tua dolatas mecum porto; & alteram, hoc est legem nouam, promiscuè inuulgo; tuoque nomini PETRO, quod voluit Dominus referret Ecclesiæ suæ fundamentum, meritò inscribo. Nec arguat me quispiam, quia Marcus LIONÆ familiæ potiùs foret dicandus; quando & Matthæus vultum Leonis exhibet; siquidem Ezechiele teste, *quatuor facies vni*, proinde & Matthæo Leonis. Sacris hisce lucubrationibus exoptari debuit Leo in custodiam; quippe de quo canitur:

Est vigil, est custos, oculis dum dormit apertis:
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Augustinus in ps. 21. mihi adfuerit: *ne Domum inuadat aliquis, ponunt homines titulum Potentis; & frontem Domus suæ sic muniunt*. Propterea tuæ clientelæ præsidium delegi. At quoniam, *non est*, ex Martyre Cantuariensi, *Ecclesia defendenda castrorum more*; id mihi in animo est, certaque in spe, vt in tutamen meum, omnigena eruditio tua prostet. Iuris enim sacri peritia, Scripturis ac Theologiæ peraffinis, quorum à primis annis, post humanioribus litteris nauatam operam, post ingenuarum quarumcunque artium adeptionem, post Academiæ flores, studium te totum cepit, sacrę quam hìc expono doctrinę, ne fortè impetita nutet, manus dabit. Potis es quippe polilogia exercitatus, immo & effœtus, & controuersias, & dogmata, & quasque pias Patrum glossas, feliciter dirimere ac propugnare. Hoc vnum mihi fuit in votis, vt LEONIS tui obtectus exuuijs inuidorum absterrerem insultus, & æmulatorum spicula iacula retorquerem. Pessum eant exufflati longè à tuis ROSIS crabrones; conuolent apes. Eia igitur generosissima, quæ Leonis est, indole, altæ protectionis tuæ sinu vagientem torcularibus excipe natum: illice, blandis oculorum obtutibus; amabili æquè ac venerabili foue oris tui dignitate; dulcedine humanitatis ceu lacte nutri; quemadmodum cumulare mihi fauores patrocinia gratias nunquam desistis. At me

nedum,

nedum, Dominicanos omnes propensiùs prosequi benignissimè appetis. Quis scit, ignoto non fuerit auito stimulo, & proauorum, qui ROSEVM sibi erexerunt stemma, Rosarij Prædicatorij emblema; & iterum hæreditaria quasi prædilectione, quando qui primus Lionus diuitijs opibusque superbis onusta naue, hanc ad Serenissimam Vrbem appulit, *Dominicus*; planè quòd Ordinem Parentes pijssimi tunc etiam propensiùs fouerent & colerent; atq; teneritudine quadam *Dominichinus* blandè vocatus est. De almifico Patriarcha Ecclesia:

Nouus Athleta Domini
Collaudetur Dominicus,
Qui rem conformat nomini
Vir factus Euangelicus.

Tu ergo Dominici illius soboles, vbi me aggrediantur maledici hostes, sacro eos feriturus pedo, Alcides inuictissimus esto: ipse enim, si stylum, si pugillarem demas, inermis sum, omnique destituor clypeo, Tuæ nisi tutelæ. Sic fiet, vt Pastoris vigilantissimi nedum munia compleas, sed Dauid instar, Goliath quemcunque in typos meos frementem, tuos ante pedes, quos osculari de Throno det *Leo*, qui *vicit de tribu Iuda*, terrifico ictu prosternas.

Dominat. Tuæ Illustriss. ac Reuerendiss.

Humillimus; addictissimus, obaratissimus Seruus
Fr. Innocentius Pencini.

PIO AC INTELLIGENTI LECTORI.

PRAEFATIO.

Emo potest in valle consistere, atque de Cælo loqui, aiebat Chrysostomus. Euocamur itaque lector mi ad sublimia, monito Apostoli, *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Non quòd naturalia & moralia, contemptis Aristotele, & Socrate, ignorari præcipiat; sed ne his fortè plùs quàm par sit, hæreamus. Quandoquidem eò recta collimare debet eorum, qui Deum colunt, intentio; *vt ex ijs, quæ animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit: quatenus exemplo visibilium, se ad inuisibilia rapiat; vt per hoc quòd scit notum diligere, discat & incognita amare*. Hinc Augustinus; *in consideratione creaturarum, non est vana & peritura curiositas exercenda; sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus*. Cæterùm postquam diuina nostro pro modulo attigimus, minimè ibi sistendum; sed cor excolendum est, vt quò inhiabat Augustinus item, perueniamus; *fac me sentire per affectum, quod sentio per intellectum; gustare per amorem quod gusto per cognitionem*. Philosophi, vt docet in 1. Cantic. Angelicus, finem contemplationis ponunt in sapere: contemplatio, vt de ea loquuntur Theologi, magis consistit in sapore quàm in sapere; & magis consistit in dilectione & dulcedine, quàm in sermone: in quantùm per huiusmodi studium manuducimur in amorem Dei. Si quis autem ad hoc studet, vt sciat; non vt ædificet, & in dilectione Dei proficiat; cognoscat se viuere vita contemplatiua secundùm Philosophos, non secundùm Theologos. Quod si commonefieri sic condecet fideles omnes, ne sanarum disciplinarum studium ad ima detorqueant; quando potius debuerant ad astra tolli: quid de Christo addictioribus dicendum, qui *temerè in ijs laborant*, prout dolebat AEschyles, *quæ nihil iuuant?* Propheticè potiùs, quàm suo de sæculo exaggerabat Hieronymus: *Sacerdotes dimissis Euangelijs & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare*. Sed fuerit tolerabile malum: detestabilior est eorum defectio, qui terrenæ animalis, ac diabolicæ sapientiæ tumido ac refractario incessu, impio & claudicanti pede, aberrant. Sunt porrò hæretici, qui vbi Scripturas adierint exponendas, nec Patrum legunt Commentarios, nec pias ad Deum preces adhibent. Vnde temerario ausu, de magnis difficultatibus, & de obscurissimis locis pronunciant, & imprudenter proferunt, quæ non intelligunt. Mediocri linguarum cognitione instructi, ita Scripturas legunt, ac si Liuium & Ciceronem legerent. Nullum subindè in ipsorum scriptis pietatis vestigium; quin potius, quæcumque vomunt, amaro calamo exarant. Pulchrè ad rem Clemens Alexandrinus, Strom. *lib. 5. de Deo quærere, si non ad litem, sed ad inuentionem tendat, est salutar. Deus est dilectio; qui cognosci potest ab ijs, qui diligunt: sicut Deus est fidelis, qui fidelibus traditur per disciplinam. Et oportet nos effici ei coniunctos ac familiares per diuinam dilectionem; vt simile simili contemplemur, purè & citra fraudem verbum audientes veritatis. Hoc autem erat, quod tacitè significabat, quicunque is fuerit, qui scripsit in adytu Templi in Epidauro: esse decet castum, sancti qui limina Templi ingreditur*. Et subdit Clemens; *non ostendentur mysteria ijs, qui temerè & impudenter accedunt, sed cum quibusdam expiationibus & prææddictionibus*. Animaduertit benè Augustinus 18. de Ciuit. cap. 52. *quandoque exquisitè & ingeniosè dici; non tamen prophetico spiritu, sed coniectura mentis humanæ; quæ aliquando peruenit, aliquando fallitur*. Concinit illud Petri in secunda c. 1. *omnis Prophetia Scriptura propria interpretatione non fit*. Vbi glossa. *Sicut Prophetæ non sua, sed Dei verba scribebant, ita lector non sua interpretatione, vel propria expositione vti debet, ne à fide exorbitet*. Cordatè idem Augustinus, *de Cons. Euang.* lib. 3. c. 12. *non sententiam meam, sed Euangelij diligo veritatem*. Hanc autem de sursum nobis illucere orandum est. Sic quippe aiebat c. 1. de Diuinis nominibus Dionysius; *indicibilia autem casto silentio venerantes, ad illucentes nobis in sanctis eloquijs splendores extendemur*. Vnde & Gregorius in clausula 1. Regũ: *orandus est summus atque omnipotens Spiritus; vt qui verba per quem voluit, protulit, tam scribenti, quàm legenti tribuat affectum virtutis. Disposuit autem diuina prouidentia salubriter*, quod adnotat Augustinus pariter lib. 12. contra Faustum, *plura in Scripturis per allegorias & ænigmata, partim verbis solis insinuari, partim etiam facta narrari, propter exercitationem quærentis, & dilectionem inuenientis; non intellectum Scripturarum nobis quasi hostiliter inuidens, sed exercens medicinaliter cor nostrum*; vt lib. 3. de doctrina Christiana cap. 34. adhuc dicit: & Epistola 80. ad Hesychium: *Scripturæ scrutandæ sunt; nec earum superficie debemus esse contenti, quæ ad exercitationem nostram ita modificatæ sunt, vt altiùs se penetrari velint*. Sic aiebat & Basilius Oratione 6.

Sacra-

Sacrarum litterarum obscuritas ad nostra excolenda ingenia, pro parte instituta est. Sic quippe in Ps. 118. *in mandatis tuis exercebor*, & iterum, *exercebor in mirabilibus tuis.* Dixit meritò Sophocles apud Clementem lib. 5. Strom. *quod quaeritur capi potest: quod negligitur verò, effugit.* Itaque labor assumendus est, diuino praeimplorato auxilio: iuxta quod Angelicus nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. Et Psalmi eiusdē repetita id praecipit auctoritas: *da mihi intellectum, & discam mandata tua: da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua:* & rursùs, *iuxta eloquium tuum, da mihi intellectum:* & priùs, *reuela oculos meos; & considerabo mirabilia de lege tua.* At *beati qui scrutantur testimonia eius*; praemisso, *Beati immaculati in via*: quandoquidem *super senes*, inquit, *intellexi; quia mandata tua quaesiui. Tanta* autem *est*, inquit ipsemet August. Epist. 3. *Christianarum profunditas litterarum, vt eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.*

Quae cum ita sint; nemo laborem meum, quasi actum egerim, carpat aut despiciat. Scio, antiquos tacēs, Alphonsum Tostatum in vnius Matthaei Euangelium tomos quatuor: Salmeronem in quatuor Euangelia & Acta, tomos duodecim edidisse. Sed mihi est in tutamen Hieronymus; qui in Praefat. Epist. ad Ephesios sic habet; *nunquid aut Tertullianus beatum martyrem Cyprianum; Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à scribendo? Nisi & parua fuerint, magna eminere non possunt.* Praegnans est adeo diuinis sensis sacra pagina, vt nec syllaba nec iota, immo nec apex vnus vacet mysterio. Vnde quantamcumque intelligentiam multiplicem tot Patres hauserint: quoniam ab infinita Dei sapientia dictata est, semper hauriendum superest. Et quicquid potis est homo aut Angelus capere, dummodo sanam redoleat doctrinam, piè credendum est, à Spiritu Sancto intendi: quinimmo vlteriora & supra quàm queat excogitari, sublimia recondi. Diuus Gregorius Prologo in 1. Regum, *Sacra Scriptura*, inquit, *quia diuinitus inspirata, tanto sublimiùs etiam praeclara hominum ingenia superat, quanto ipsi praeclari homines Deo inferiores sunt; & nihil in illa spiritali sublimitate conspiciunt, nisi quod eius ipsius diuinae dignationis bonitate reuelatur. Nemo igitur in eius scientia ita perfectus est, vt proficere vltra non possit; quia inferior est omnis profectus hominis Diuinitatis altitudine eam inspirantis.* Et rursus; *Scriptura Sacra tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est; vt etsi simpliciter videatur exposita, non desint tamen ei secreta, quibus seruet occulta; quia fere nunquam sic exponitur, vt ei non plura remaneant, quae quotidie exponantur: & dum semper recentia intimat, suauiùs delectat.* Dionysius de diuinis nominibus c. 1. de Scriptura locutus, eam dicit *omnisapientem, & vetustissimam Theologiam.* Et Nazianzenus Monodia in Basilij Magni vitam: *Igitur omni studio & opera ad resistendum haereticis paratus, nihil potius habuit, quàm sacrorum voluminum arcana fibrasque omnes vestigare.*

Quòd si ad Euangelia flectamus, ad fidele in ipsa obsequium praeeat lib. 3. Saluianus; *humana omnia argumentis & testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* De ipsismet Origenes lib. aduersùs haereses, referente Eusebio lib. 6. Historiae c. 18. *ex traditione didici de quatuor Euangelijs, quòd hac absque vlla contradictione suscipi debeant ab omnibus, quae sub Coelo sunt Dei Ecclesiis; ita enim tradiderunt Patres.* Quocirca Tertullianus lib. 4. contra Marcionem acri ingenio inquit; *in summa, si constat verius quod priùs; id priùs quod & ab initio; ab initio quod ab Apostolis: pariter vtique constabit, id esse ab Apostolis traditum; quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacro sanctum.* Porro, quia de Euangeliorum puritate contra Faustum Augustinus lib. 32. & 33. studium nostrum praeoccupauit, adsit ad ipsorum encomia Saluianus, qui & rectè sentit, & altè pronunciat, Euangelicorum Voluminū plenam omnis perfectionis genere constare doctrinam. Et sanè cùm de catechizandis rudibus ex Augustino, *in nouo Testamento sit veteris manifestatio*; ditissimus ac feracissimus oportet sit ager, qui Noualis veteris foecūdatus seminibus, omnia poma noua, & vetera profert. Sed dum legimus *diligenter exerce agrum tuum*, ne perfunctoriè aut oscitanter diuina tractemus eloquia, satis monemur; quippe quae & salutares animarum fructus, & spiritalis oblectamenti flores suauissimè halantes lectori exhibent. In ardua scio inciditur, si nedum quae grandia latent, verùm & minutula quaeque solerti studeat quis examine quaerere. Cauit id, sed fortè plùs quàm par sit Tertullianus, dicens de pudicitia; *nec valde laboramus omnia in expositione torquere.* Vnde quòd mulieris euangelicae perhibeantur decem drachmae, non multi facit subdens; *qui vnius peccatoris salutem gratissimam Deo volebat exprimere, aliquam numeri quantitatem nominaret necesse erat.* Cui videtur suffragari Hieronymus haec in verba; *non opus est omnia, quae in historia referuntur, minutatim ad allegoriam deducere; sed solùm ea, quae explicandae allegoriae sufficiunt; ne multa frigidè & ineptè interpretari cogamur:* itemque Augustinus de Serm. Domini in Monte l. 2. c. 23. *ista documenta non sic allegoricè discutienda sunt, vt quaeramus quid significent aues Coeli, aut lilia agri: posita sunt enim, vt de rebus minoribus maiora persuaderentur.* Quo circa & de Ciuitate Dei l. 16. *non sanè omnia quae gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea quae nihil significant attexuerunt. Solo enim vomere terra proscinditur; sed vt hoc fieri possit, etiam caetera aratri membra necessaria sunt; & soli nerui in cytharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed vt aptari possint, insunt & caete-*

ra

ra in compaginibus organorum; quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur & aliqua quæ nihil significant; sed quibus adhæreant quæ significant, & quodammodo religentur. Ex quibus profecto quispiam me carpendum putauerit, quòd hoc in opere, quandoque anxiè subtiliterque nimis, singula ad Syntaxin trahere tentauerim. Cæterùm censuræ huic subiaceat, qui vt notat Clemens Papa X. Recognit. *Scripturæ verba ad suum sensum sponte præsumit pertrahere.* Non sic, qui ex Scripturis alijs, sanisque doctrinis Theologicis, quam piè scrutatur intelligentiam, deducit. Aiebat in Epistola ad Titum Dionysius de sacra littera; *non enim historiam nudam, sed vitalem perfectionem continet & omnis & vbique oratio*.

Contentio fuit isthæc mea & conatus; & dum arrideret expositio fidei potissimùm dogmatibus, deinde Christianis moribus, scitisque Theologicis, nihil veritus sum; quanquam sigillatim, & ad amussim nec voculam sine interpretatione præterierim. Et sanè idem Augustinus 3. *de doctrina christiana* adiecit animos: *quid*, inquit, *in diuinis eloquijs largiùs & vberiùs potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis?* & 12. Confessionum: *mira profunditas eloquiorum tuorum! horror est, intendere in eam: horror honoris, & tremor amoris*. Adstipulatur etiam huiusmodi quasi solicito nimis scrupulosoque studio Angelicus; qui in p. 2. q. 102. a. 2. ad 3. quoad multas particulares in cæremonialibus veteris legis determinationes, sentit etsi non habeant causam litteralem, subesse figuralem. Haud ergo lectorem fugiat, quod identidem scribit in primam ad Corinth. lect. 4. ibi, *nolite pueri effici sensibus*: excludere videtur Apostolus excusationis aliquorum pallium; qui ideo docent quædam rudia & superficialia, quasi ostendant se velle viuere in simplicitate, neque curare de subtilitatibus, ad quas secundùm rei veritatem non attingunt. *Melius est*, aiebat Saluianus, *plùs probare aliquid quàm necesse sit, quàm minus forsitan, quàm negocio debeatur*. Ad hæc Gregorius vbi supra; *diuina eloquia non idcirco sunt vilipendenda, quia non subtiliter considerantur, nec celsa & venerabilia ideo, quia facundè & subtiliter exponuntur*. Et Origenes, ibi, *fidelis seruus & prudens*, ait; *prudens etiam, ne eis, qui possunt acutiùs audire, pigeat exponere altiora; ne humiliora contemnantur ab ijs, qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem sæcularis sapientiæ acuti*.

Sufficit autem, quo simus in tuto, *si*, ex Tertulliano vbi supra; *non ex parabolis materias commentemur; sed ex materijs parabolas interpretemur*. Materia autem, cui interpretatio præsens superuenit, vbi peregrina videatur, semper solida doctrinalis catholica est. Neque enim quicquam in hisce Commentarijs ad tropologiam, ad allegoriam, ad anagogiam expendimus, quod aliunde litteraliter compertum non sit: nec ausus sum proprio Marte, arbitrarijs excogitatis, humano ex penu ingeniola promere: conatus fui potiùs, *quæ ad nostram doctrinam scripta sunt* Rom. 15. præsumptis orthodoxæ fidei sanctionibus edisserere, & quasi è fauorum cellis mella exculpere. Et quidem magno Gregorio innixus, qui 20. Moralium c. 1. aurea inquit sententia; *sacra Scriptura vno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.* Et huc mirè facit quod attigit aliàs Chrysostomus; quia *si tantùm propter illos scripta fuissent, scripta non essent: nunc autem dicta quidem sunt propter illos, scripta verò sunt propter nos. Verba enim Scripturæ non solùm præsentibus, sed futuris loquuntur*; iuxta illud Marci 13. *quod vobis dico, omnibus dico*. Docet autem Angelicus in p. p. q. 1. a. 10. ad 1. nihil sub spirituali sensu contineri, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat. Qua quidem attentione vbique incedere fuit in animo; vt quamcumque aucupari daretur intelligentiam, compertis ad litteram minimè discordaret, sed canone ceu lydio lapide comprobaretur. Ducem vbilibet, ne latum vnguem à veritatis semita aberrarem, conquisiui Doctorem Angelicum, qui plerumque me suis præit glossis; vel saltem doctrinarum tot diues, quæ adordinarem, affatim suppeditauit.

Planum clarum celsum appositissimum imitari pro modulo meo studui stylum, subinde inaniloquentiam veneresq; dicendi consilio posthabui ac neglexi: neque Titum aut Tulliũ æmulari fuit mihi in votis. Quandoquidem etsi humaniores callerem litteras, sciui expediens nõ esse, *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* luxuriari; ne item lectori contingeret plùs sæculi eruditionem, quam *scientiam sanctorum*, & eloquiorũ Dei altitudinem demirari. Passus est hac de causa & Apostolus 2. Cor. 11. dici *imperitum sermone*: quando contestatus fuerat in 1. c. 2. se loqui *in ostensione* duntaxat *spiritus & virtutis*. Hieronymus, quanquam excultissimus esset, quod exploratum est, sensit inter Christianos verborum colores contemni solere. Propterea Iulius 1. orientales Arianos monuit in rebus Ecclesiasticis, non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolicos requiri. Et Basilius magnus, cuidam respondens ait; *quid dixerimus ad adeo atticissantem linguam; præterquam quòd, Piscatorum discipulus sum?* offendet fortasse aliunde incomptus calamus meus. Veruntamen ab Augustino *in lib. de catechizandi rudibus*, libet dicere; *& mihi prope semper sermo meus displicet: melioris enim auidus sum. At mihi indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, vt videtur mihi*. Porrò sugillabit me fortè quispiam gregalis lector, quòd parum sim facilis nimisque quandoque excurram, & veluti per transennam doctrinas tangam. Fateor nouitijs & paruulis graue id futurum; at contra

tyro-

tyrocinium egressis ac exercitatis. Cæterùm cum Gregorio, *diuina vt possumus balbutiendo resonamus*. Scio Prouerb. 14. *prudentium doctrinam facilem*: quia tamen *sapientibus & insipientibus* debitorem me instar Apostoli noui, lateg. cum eodem Gregorio, vt *expositio sic fieret nescientibus cognita, vt tamen scientibus non esset onerosa*. Vltra materiæ sublimitatem, difficilis minùsque clarus fuerim; quia cecinit ille; *dum breuis esse volo, obscurus fio*. Breuitatem attamen probat sacra pagina; nam Hebræorum 13. dicit & Paulus; *perpaucis scripsi vobis*: vbi Angelicus Lect. 3. sermones breues valde accepti sunt; quia si sunt boni, inde auidiùs audiuntur; si verò mali, parum grauant: Ecclesiastes 5. *sint pauci sermones tui*. Et ad illud Cant. 1. *fauus distillans labia tua*, Ephes. 3. Lect. 1. inquit; labium breue quid est: & sic labia Doctoris sunt fauus distillans, quando breuibus multa & magna inserunt. Sed vt dicit Augustinus, *debet intendere hoc Doctor, vt intelligatur; & quandiu ad hoc laborat, verba sua non sunt superflua; sed si postquam intelligitur, eis immoratur, superfluunt eius verba*. Aliàs, in excusationem dixerim; non aliter dictare potuisse, quam mentis complexu digesseram: nec licuit properanti stylo, exarata semel in tabulis reformare, aut pro tenellis infantibus in lac recoquere. Aiebat Epist. 114. Augustinus; *plerumque etiam calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur*.

Dum ergo ex ore Domini, *sufficit diei malitia sua*, videat prudens lector, an se omnibus singulisque attemperare, lituris cuncta in melius renouare, collimare dolare complanare scriptori vacauerit. Quod si a scriptis hisce torquendis abreptus dicacitatis libidine nolit adhuc Zoilus quisquam desistere; in eum stat pro me Hieronymus, qui ad Domnionem & Rogatianum iam scripsit; *vitetis eorum supercilium, qui iudicare tantùm de alijs; & ipsi facere nihil nouerunt*: & Prophanus etiam, qui ait; *carpere vel noli nostra, vel ede tua*.

Quoad materiæ argumentum, postquam Magisterio infallibili Ecclesiæ ex corde straui mea omnia, contestor, quod lib. 2. *de doctrina christiana* item edicit Augustinus, vniuersa, *sine præiudicio alterius aut paris aut melioris intelligentiæ*, me scripsisse. Fert Saluianus ex Mimo Publiano; *aliena nobis; nostra plus alijs placent*. Et quia opus hoc impolitum & rude fassus sum, sit cuique liberum, cui suppetat exacta peritia, quod perfectum decies non castigaui ad vnguem, corrigere: censoriæ siquidem doctiorum virgæ me sponte subijcio. Absuit limæ labor, nec moram traxi scribendo; veruntamen nonnisi annorum plurium curriculo, nonnisi iugi diutinaque meditatione ac studio hucusque perueni. Millies adiri oportuit Angelicum; vt indeficiens allegationum series ostendit; centies Augustinum, Chrysostomum, aliosque Patres. Non ergo diei vnius fuit iter. Quod terret magisque perterret est, quæ grandis mihi restat via, si Marcum, Lucam, Iohannem, consequente syntaxi & harmonia pergam exponere: quando vbi desideria inardescunt, deficiunt vires. Longitudinis dierum opus est, dum æternitati, vt aiebat Zeuxis, pingitur. Quod profectò si Scriptoribus quibuslibet fas fuit exoptare, me magis addecet; quippe qui Euangelium versare debui, dictum in Apocalypsi *Euangelium æternum*. Huic æternitati obsequens meritò, sicuti Pentateuchum, cœlestem inscripsi Galaxiam, ita Matthæi Commentaria, subinde & in Euangelistas alios, Galaxiæ titulo, quando sunt Cœli ad perennitatem *quasi ære fusi*, consignauerim. Faxit diuina clementia, vt inter eos qui *ad iustitiam erudiunt multos*, fulgeam & ipse Dei dono, tanquam vel vltimæ magnitudinis stellula, coram iustitiæ Sole, qui est *Saluator omnium maximèque fidelium, in perpetuas æternitates*.

Pa-

FACVLTAS ET APPROBATIO IMPRIMENDI

NOs Fr. Io: Thomas de Rocaberti Sacræ Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & seruus.

Harum serie nostrique Authoritate Officij, facultatem concedimus tibi R. A. Patri Sacræ Theologiæ Magistro Fratri Innocentio Pencini, Prouinciæ nostræ S. Dominici Venetiarum, vt typis mandare possis Opus super Euangelium Matthæi, à te compositum, iam reuisum & approbatum, à duobus Theologis Ordinis nostri: seruatis tamen de iure seruandis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti: Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum Romæ 6. Februarij 1677.

Fr. Io: Thomas de Rocaberti Magister Ordinis.

Registr. fol. 271.

(Locus sigilli)

Fr. Aloysius de Philippis Magister & socius.

IVssu Reuerendissimi Patris Magistri Generalis Ordinis, Fratris Io: Thomæ de Rocaberti lustraui, summa certè animi voluptate, ego infrascriptus, admodum Reu. Patris Magistri Fratris Innocentij Pencini Galaxiam, seu Commentaria in Matthæum. Et præterquam omnia & singula, Religionem & pietatem, morum fideique magisterium referre vidi, deprehendi quoque eximium egregiumque huiusmodi opus, sic glossarum selectiorum radiare luminibus, sic Patrum aureis vbique locuples esse sententijs, Scripturarum sic illustratum auctoritatibus; vt mereatur omnino, neutiquam latere *sub modio*, sed *super candelabrum* locari. Quo nimirum laudetur Dei potentia, sapientia & bonitas; qui nunquam *operarios* desistit *mittere in vineam suam*. Eruditis ac erudiendis, cùm ad literam tum mysticè, vix fortè quoad Euangelistam hunc attinet, supererit desiderandum. Hocce votum meum est. *Qui legit intelligat:* & nouerit an sobriè an nimis de tanta lucubratione locutus sim.

Fr. Santi Ponticoluo Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Magister,
qui supra, manu propria.

OPus planè egregium R. A. P. Sac. Thelog. Magistri fratris Innocentij Pencini, cui titulus (*Noua Euangelicæ Legis Mystico-Sacra Galaxia, siue Commentaria in Matthæum*) speciali ex mandato præfati Reuerendiss. Patris Magistri Generalis Ordinis, Ego infrascriptus lubens attentè legi; totumque orthodoxam nedum veritatem ac morum honestatem vsquequaque redolens comperi: sed *nouam* verè *Galaxiam* non sine ingenti animi gaudio legendo excurri. Vbi ex Sacrorum Doctorum, Aquinatis præcipuè, aptatissimæ doctrinæ fulgoribus; ex Patrum opportunè ad rem sententiarum elucidarijs; ex scripturarum ad Scripturas luminosis illustrationibus, nil sanè non candicans, non splendidum, non radiosum occurrit. Opus, ex quo Catholicæ Religioni decus & decor, ipsi Euangelico textui veneratio, Ordini tandem nostro gloria peculiaris adcrescit. Prodeat igitur in lucem: quinimmò candicantis huius Galaxiæ claro perfundatur lumine Mundus fidelis; viam enim sternit sydeream ad eum planiùs cognoscendũ pleniùsq; diligendum, qui est *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. Ita humiliter censeo, ac veraciter sentio.

Ego Fr. Io. Benedictus Perazzo Venetus Sac. Theol.
Magister Ord. Præd. manu propria.

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, Noua Euangelicæ Legis Mistico-Sacra Galaxia, in quatuor Euangelistas, del Padre Innocenzo Peccini Domenicano, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Catolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza à Bortolo Tramontin di poterlo stampare, osseruando gl'ordini, &c.

Dat. li 12. Gennaro 1676.

Aluise Priuli Proc. Refor.

Aluise Mocenigo Refor.

Gio: Battista Nicolosi Segretario.

I N-

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

Chri-

D

E

Eccle-

F

Gab-

Hæ-

I

L

M

P

Per-

Populus

Pro-

Q

R

e Re-

S

T

Tet-

Z

FINIS.

ERRATA CORRIGE;

Cap. 9. n. 13. in fine,	*rodet;*	lege,	*reddit.*
Synt. c. 11. n. 7. in fine,	*follere;*	lege,	*fallere.*
Synt. c. 15. n. 7. ad finem,	*olea;*	lege,	*olera.*
Synt. c. 15. n. 13.	*Angelis;*	lege,	*aliis.*
Cap. 18. n. 23. pag. 419. col. 1. linea. 1.	*emendate;*	lege,	*emendare.*
Synt. c. 22. n. 11.	*quod Hispaniar;*	lege,	*quoad Hispaniar.*
Synt. c. 22. n. 13.	*pulchra,&c.*	adde,	*significatio.*
Cap. 24. n. 48.	*collictio;*	lege,	*collectio.*
Cap. 26. n. 26.	*facti sunt rami;*	lege,	*fracti sunt rami.*
Synt. c. 26. n. 28.	*Iohann. c. 1.*	lege,	c. 18.
Cap. 27. n. 2. ad finem;	*mysterij;*	lege,	*mysteriis.*



ISA-



I S A G O G E
AD EVANGELIORVM
SYNTAXIN ET HARMONIAM.

Visquis sacro-sanctum, non modò legat, sed perlegat attentè Euangelium, non potest primo in occursu non obstupescere, de prætermissis in ipso, passim ab vnoquoque Euangelistarum; itemque de ordine narratorum non admirari. Nec enim seruant eandem, aut aliquo pacto consimilem rerum seriem; sed vario prorsus gradu ac tramite incedunt. Vnde origo est disparilitatis nedum & hysterologiæ sæpè, sed dissensus ac dissonantiæ nonnulla species. At, *qui quærit legem*, Ecclesiast. 32. *replebitur ab ea: & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea*. Quantum igitur attinet ad omissa, hæc erudiendus accipiat. Quandoquidem Sancti Patres id planè animaduerterunt; & causas tanti discriminis pro suo singuli studio scrutati sunt. Considerat Augustinus *de consensu Euangelistarum* ad Matthæi cap. 2. qualiter, *omnia, quæ sunt ab adoratione Magorum & deinceps, Lucas tacet*. Sic & in Marco, qui cap. 1. referens prædicationem Domini in Galilæa, non commemorauit Sermonem in monte. Et cap. 9. ibi; *habete in vobis sal*, inquit; *Marcus aliqua posuit, quæ nullus alius Euangelistarum posuit*. Tù recole sudorem sanguineum in horto solummodo referri à Luca; & à solo Ioanne primum signum cap. 2. de aqua conuersa in vinum; atque etiam cum Dominum comprehensuri *ceciderunt* ad vnam vocem, *ego sum, retrorsum*; Augustinus itidem ad illud Lucæ 20. *& factum est in vna dierum; nam tacet quòd exibat in Bethaniam, & regrediebatur in Ciuitatem; & quid de ficulnea factum est; & quòd mirantibus discipulis, de fidei virtute, responsum est*. Ab vngue discamus leonem: nam alibi sæpissimè variant, vt in processu Domino largiente videbimus. Chrysostomus multifariam occurrit. Super illud Ioan. 1. *& adduxit eum* (Andreas Simonem) *ad Iesum* habet: *conueniens est, & fratrem diligentius ei dixisse hoc, & per longa verba; sed Euangelistæ vbique multa intermittunt breuiloquij causa*. Et ad caput 4. ibi; *multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius*; quærens, cur id alij Euangelistæ non referant? inquit; *vt discas, quoniam multa magnorum transcurrerunt; à fine verò totum ostenderunt; suasit enim toti Ciuitati, per ea quæ dicta sunt*. Ad cap. 6. in initio; *vide qualiter in anno integro nihil plùs Euangelista nos docuit de signis Christi, quàm quòd paralyticum sanauit, & filium Reguli: non enim studuit vniuersa nunciare, sed ex multis magna & pauca*. Et cap. 7. *hic Scenopegiæ meminit: & in quinque intermedijs mensibus*, (à Paschate) *nihil aliud nobis enarrauit, nisi miraculum panum, & allocutionem factam ad eos, qui comederant: quia enim indeficienter signa faciebat & disputabat, non poterant Euangelistæ omnia enumerare; sed illa præcipuè studuerunt dicere, pro quibus aut quærela aut contradictio quædam à Iudæis subsequebatur*. Et de omnibus simul idem Chrysostomus relatus Ioann. 1. *partiti sunt sibi Euangelistæ tempora narrationis: Matthæus enim ea quæ antequam ligaretur Baptista præteriens, festinat ad ea, quæ deinceps sunt tempora. Sed Ioannes his maximè immoratur, quæ scilicet ante incarcerationem Ioannis fuerunt*. Quod ipsum idem Beda ad illud Ioann. 3. *nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem*, sentit: *ecce apertè notat facta Christi ante Ioannem incarceratum: quæ alij præterierunt, incipientes ab ijs, quæ post missum Ioannem in carcerem, facta sunt*. Quocirca & Augustinus in Euang. secundùm Ioann. *legerat*, inquit, *Euangelium trium Euangelistarum, & approbauerat fidem eorum & veritatem: in quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, & ea maximè quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, antequam Ioannes clauderetur in carcere*. Et sic obseruat Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*: & quidem ex Eusebio in Ecclesiastica historia. Theophylactus ad cap. 21. Lucæ ibi; *erat autem diebus docens in templo: tacuerunt Euangelistæ pleraque documen orum Christi; qui cum per triennium ferè prædicauerit; documenta eius, quæ conscripserunt, dicet aliquis vix ad vnius diei sermonem sufficere. Ex pluribus ergo pauca describentes, dederunt nobis quendam gustum dulcedinis doctrinæ eius*. Ad hæc iterum Beda; (super Lucam fertur cap. 7.) *Beato Lucæ moris est, quæ plenè viderat ab alijs Euangelistis exposita, abbreuiare, vel etiam de industria præterire; quæ verò ab eis omissa, vel breuiter cognouerat tacta, dilucidare solertiùs*. Sed altiùs elati cum eodem ad caput 2. Lucæ ibi; *& vt perfecerunt omnia secundum legem Domini*, dicamus; *prætermittit hoc loco Lucas quæ à Matthæo satis exposita nouerat; Dominum videlicet post hoc, ne ab Herode necandus inueniretur, in Ægyptum à Parentibus esse delatum; defuncto Herode, sic demum in Galilæam reuersum, Nazareth Ciuitatem suam inhabitare cœpisse. Solent enim Euan-*

gelistæ singuli (nota lector) *sic omittere quædam, quæ vel ab alijs commemorasse viderunt, vel ab alijs commemoranda in spiritu præuiderunt: vt continuata suæ narrationis serie, quasi nulla prætermisisse videantur. Quæ tamen alterius Euangelistæ considerata Scriptura, quo loco transita fuerint, diligens lector inueniat.* Hoc ipsum ex Ecclesiastica Historia, quæ fertur in Catena Prooemio Ioannis: *de ipso legimus, à Theologia, & ab ipsa Diuinitate sumpsisse exordium. Quæ pars sine dubio ipsi veluti eximio per Spiritum-Sanctum reseruata est.* Augustinus etiam de consensu Euangelistarum lib. 1. cap. 2. ait, *scripsisse* Euangelistas, *sicut vnicuique inspiratum est.* Et Diuus Thomas Matthæi cap. 1. in fine, & capit. 8. §. *& cum venisset Iesus*, inquit; *voluit Spiritus-Sanctus, vt quæ vnus dixit, alius taceat,* Suis ergo in narrationibus, Spiritus-Sancti instinctu præscriptam sibi partem exegerunt.

Quoad enarratorum ordinem, non minor emergit implexio; neque enim extat in singulis Euangeliorum capitibus, aut capitulorum serie, omnino tenor idem: multò-minus in exordijs, si conferantur ad inuicem. Augustinus ad 4. Matthæi de tentatione in deserto: *Lucas has tentationes, non eodem ordine prosecutus est: vnde incertum est, quid priùs factum sit: vtrum Regna terræ priùs demonstrata sint; & postea in pinnam Templi leuatus sit: nihil tamen ad rem; dum omnia facta esse manifestum sit.* De Socru Petri Matthæi 8. cum diuerso ab alijs incessisse notasset ordine, subdit; *quid autem interest, quis quo loco ponat, siue quod ex ordine inserit, siue quod omissum recolit, siue quod postea factum, ante præoccupat; dum tamen non aduersetur, eadem alio narrante, nec sibi nec alteri?* Matthæi 13. ad finem post parabolas Saluatoris, animaduertit ex Marco & Luca, attento gestorum ordine, subijciendum fuisse de naui in qua dormiebat Iesus, & de miraculo expulsorum dæmoniorum: quæ tamen Matthæus superius (ante parabolarum sermonem) præposuerat. Et cap. 14. ad initium: *Lucas eum ordinem tenens, quem & Marcus, non cogit credi rerum gestarum ordinem eundem fuisse.* Lucæ 9. idipsum legimus, vbi de Herode. Et Lucæ 11. vbi de viris Niniuitis, ait; *hoc autem Lucas narrat eo loco quidem quo Matthæus, sed aliquantò dispari ordine.* Et adijcit; *quis autem non videat superfluè quæri, quo illa ordine Dominus dixerit? cum & hoc discere debeamus, per excellentissimam Euangelistarum auctoritatem, non esse mendacium, si quisque non hoc ordine cuiusquam sermonem digesserit, quo ille, à quo processit; cum ipsius ordinis nihil intersit ad rem, siue ita sit, siue ita.* Item de consensu Euangelistarum alibi; *nullo modo ei laborandum, qui prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias cognoscendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ; & ideo non debemus arbitrari, mentiri quemquam, si pluribus reminiscentibus rem quam audierunt vel viderunt, non eodem modo, ac alijs verbis fuerit indicata.* Hinc Angelicus 2. 2. quæst. 70. a. 2. ad 2. docet, aliquam discordiam in aliquibus circumstantijs non pertinentibus ad substantiam facti, iure communi efficere testimonium credibilius, vt Chrysostomus dicit super Matthæum; quia si in omnibus concordarent testes, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre. Quod tamen prudentiæ Iudicis relinquitur discernendum. Sic 2. 2. quæst. 110. a. 3. ad 1. in hoc, inquit, quòd in Euangelio & alijs Scripturis Sacris verba aliquorum diuersimodè recitentur, non est mendacium. Sic Matthæi 3. Augustinus, ibi, *non sum dignus calceamenta portare*, scribit; omnem falsitatem abesse ab Euangelistis decere: *non solùm eam, quæ mentiendo promitur, sed etiam eam, quæ obliuiscendo*: sentitque discrepantia aliquali veritatem firmari. Tenet autem pluriesque exprimit, ex diuersa Euangelistarum recordatione, varietates huiusmodi euenisse. Sed Matthæi 8. vltra pergens ait; *quia enim nullius in potestate est res opportunè cognitas, quo quisque ordine recordetur; satis probabile est, quòd vnusquisque Euangelistarum, eo ordine credidit se debuisse narrare, quo voluisset Deus, ea quæ narrabat, eius recordationi suggerere.* Innuit ergo satis, non fuisse Euangelistas solicitos ad amussim omnia sub eodem ordine castigare, ratos sic afflante Deo disponi. Et subdit Matthæi 3. *quisquis autem dicit Euangelistis per Spiritus-Sancti potentiam potuisse concedi, vt nec in genere verborum nec in ordine, nec in numero discreparent, non intelligit, quantò amplius Euangelistarum excellit auctoritas, tantò magis per eos fuisse firmandam cæterorum hominum vera loquentium securitatem.* Nam, vt dictum est, tali dissonanti concordia, firmatur humanis quoque in iudicijs prolata veritas.

Verum liceat, si Augustinus det veniam, quam humiliter imploremus, huiusmodi obliuionem sic examinare. Fuitne condescensu quodam ad humanæ memoriæ imbecillitatem; vel potiùs de sursum ad eos deriuata est? Primum in simili videretur probari, ita vt accidisset in Euangelistis, non secus ac in Prophetis; quorum præcedenti etiam minùs idonea naturæ conditione, Spiritus-Sancti Numen vti dignatum est. Audiamus Hieronymum Ieremiæ præfatione: *Ieremias*, inquit, *apud Hebræos Isaia & Osee, & quibusdam alijs Prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est.* Et de Ezechiele; *sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed in vtroque medie temperatus.* Et in Comment. ad 1. caput Amos: *naturale est, vt omnes qui volunt rem rei comparare, ex eis rebus sumant comparationes, quas sunt experti, & in rebus, quibus sunt nutriti: verbi gratia; Nautæ suos inimicos ventis, damnum naufragio comparant: sic & Amos, qui fuit Pastor pecorum, timorem Dei, rugitui leonis adsimilat.* Quod expenditur ab Angelico 2. 2. quæst. 172. 3. Sed isthæc accommodari ægrè possunt Euangelistis: quorum labilitas memoriæ tanta fuisse gratis astrueretur. Quonam pacto primi in Cana Galilææ signi tres potuit capere Euangelistas obliuio, vt solus reminisceretur Ioannes? Quomodo factum esse sudorem eius in Horto, *sicut guttæ sanguinis* vnus recoluit Lucas? Quomodo Ioannes *scissum Templi velum* oblitus est? Quando tot alia effatu difficilia retulerunt; eaque, fidelissima recordatione. Quòd si naturalis obliuio locum non habuit, cur dicemus obliuiosos miraculosè? At demus id diuinitus factum esse: quærendum adhuc remanet, qua de causa quo fine, hæc aut illa excidisse memoria permissum, immo interdum data opera sit? Cur non potiùs credendum Spiritus-Sancti consilio, eiusdemque diuino ductu ac dispensatione, quæcumque ad minimum apicem conscripsere, ac prætermisere, studiosè ordine vario exarata fuisse? Etsi ergo dixerit Augustinus, de consensu Euangelistarum, vt fertur in Catena capit. 1. Marcus *omnino non commemorauit Sermonem Domini in monte, nec aliquid simile ei dixit; nisi quasdam sententias non contextim, sed sparsim repetiuit, quas Dominus alijs in locis, dixit.* Etsi Hieronymus in Prooemio Comment. in Matthæum scripserit; *Marcus ea quæ audierat Magistrum* (Petrum) *prædicantem, iuxta fidem magis gestorum narrauit, quam ordinem.* Etsi asseruerit Ambrosius; (fertur Prooemio Lucæ in Catena) *gestorum ordinem tenuisse Lucam*: altiorem sublatere in singulis ordinem, mihi pro certo semper visum est. Sanè pro me stat Hieronymus qui ait; (fertur Marci 1. in Catena, ibi; *ingrediuntur Capharnaum*) *Marcus dicta Euangelij in se ipso disponens, ordinem historiæ non secutus, mysteriorum ordinem seruat.* Ordo ergo arcanus subest vnicuique; & quidem rationabiliter, quoniam ex Roman. 13. *quæ à Deo sunt, ordinata sunt.*

Et si

Et si tam mirus in natura diuinæ prouidentiæ emicat ordo, quis ire potest inficias, mirabiliorem esse in sacris
literis? in quibus nec syllaba nec apex, tanquam Spiritus-Sancti dictata, otiosè papyrum occupant. Dixit
Poeta; *est ordo summa limes sapientis in arte*. Haymo in Psalm. 1. tradit Esdram diuino admonitum instinctu
in hunc ordinem Psalmos composuisse; subditque; *ordinis verò rationem, quam tamen eum habuisse credi-*
mus, in pluribus ignoramus. Hieronymus etiam relatus in Catena Matthæi 12. ibi; *sic erit generationi huic*
pessimæ; vult, *vt contextus loci non passiuus & vagus in incertum fluctuet, atque insipientium more turpetur;*
sed hærens sibi, vel ad priora vel ad posteriora respondeat. Ordinem autem exactissimum fuisse ab Euangelistis
intentum, vel ex eo constat, quod præhabet ipse Lucas dicens: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare*
narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum, &c. & mox; *visum est & mihi assecuto omnia à principio,*
diligenter ex ordine, tibi scribere optime Theophile. Accuratissimè verò exarasse narrationem suam Matthæus
etiam dignoscitur, quia vt notat Beda, (fertur Lucæ 6.) *à cæteris Euangelistis prælatus, compari suo Tho-*
mæ, humilitatis causa se supponit. De Luca conceptis verbis in exordio patet. Quidni & de Ioanne id dicen-
dum, qui comparatus Aquilæ faciem habet desuper ipsorum quatuor? non potuit autem non ordinatissimè in-
cedere, quando ab omnis ordinis rerum Auctore sumpsit exordium. Tandem diuersi ordinis studiosa ac ordina-
tissima Euangelistarum ex eo constat ratio, quòd Matthæus vltimam ponit tentationem cupiditatis in Monte,
mediam inanis gloriæ in Templo: Lucas autem ordinat è conuerso: quod D. Thomas 3. p. q. 41. a. 4. ad 5. ideo
ait esse factum, quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque è conuerso.

Quod magnum facessit negotium, est illud diligenter perpendere, vndenam rimari queat quis & deprehende-
re singulorum Euangelistarum prætensum ordinem & connexionem: præsertim cum primo conspectu videatur
eorum textus dissutus. Porrò difficilis valde res; nec plenè fortè adhuc reperta. Iuuat in illud Iob 38. erumpe-
re: *nunquid nosti ordinem Cæli?* Et Sapientiæ 9. *sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam?* nam Iob 32.
inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Georgius Ederus in sua Bibliorum studiosissima OEconomia, scru-
tatus est ipsorum ordinem Euangeliorum ex cuiusque Euangelistæ scopo. Optima certè, imò vna inueniendi
ordinis via: finis siquidem tanquam potissima causarum, est quò veluti lineæ ad centrum collimant omnia.
Ait itaque; *Matthæus in Euangelio suo potissimum versatur in eo, vt ostendat Messiam illum, in tota serie*
Scripturarum veteris Testamenti toties promissum, iam tum aduenisse: & hunc esse reuera hominem illum Ie-
sum, qui dicitur Christus. Sic Petrus Aureolus. Quoad Marcum subdit: *Hominem Iesum, quem Matthæus*
demonstrauit esse Christum à lege promissum, Marcus ostendit etiam Regem, ac Dominum omnium esse supre-
mum; idque probat ex summa eius authoritate, ac potestate incomparabili: cuius ipse viginti enumerat quasi
species, nisi officia & effectus dicere malis, seu potius argumenta. De Luca sic: *Christum medicinam & salu-*
tem huic Mundo non attulisse tantùm, sed ipsa etiam præstitisse: id planissimum facit Diuus Euangelista Lu-
cas, ab ipsius Christi salutari. Ita ex Petro Aureolo. Ad Ioannem denique accedens, inquit: *Summa huius*
historiæ Euangelicæ consistit in eo, quòd Author eius Diuus Ioannes demonstret hominem illum Iesum, verè
fuisse filium Dei. Huiusmodi de scopo Euangelistarum ideas accuratè certè versat Ederus. Verùm an omne
tulerit punctum, & rem plenè attigerit, videat qui legerit. Excogitato hoc ex fine, fas est vtique aliqualem
intueri enarratorum connexionem, ordinem aliquem etiam rerum præcipuarum, at singulorum omnium non
ita. Quapropter absque vllo ordine; *de se ipso*, ait, *quædam Euangelistam Ioannem commemorare*, (nempe
ad finem sui Euangelij) *tanquam eorum quæ scripsit, teste certissimo, & ipsi Christo præcipuè charo*, &c. Præte-
rea, non foret difficile, scopum quem præscribit Marco ac Lucæ, Matthæo, alterutrò addicere, vt liquet le-
genti: fermè enim eadem denarrant. Et vnde, quo scopo, quo fine, tanta texturæ varietas? vnde præoccupari
aliqua, postponi aliquando, omitti? Iuuat hic Augustini referre sententiam Serm. 44. de verbis Domini: *Do-*
minus noster Iesus Christus ea, quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi: neque enim tan-
tùm miracula propter miracula faciebat; sed vt mira essent videntibus, vera intelligentibus. Ex huiusmodi
intelligentia, & scopus vniuscuiusque Euangelistæ, & ordo deprehendetur. Sic & Gregorius l. 20. mor. cap. 1.
Sacra Scriptura, vno eodemque sermone, dum narrat factum, prodit mysterium.

Nicolaus Eymericus, fortè quamprimum typis in lucem dandus, versans ad amussim quatuor Euangelia,
colligit singula; vt Matthæus præsertim tractet de Christi Domini humanitate, & de ijs, quæ humanitatem
eius concernunt: Marcus de Christi resurrectione, & de concernentibus eandem: Lucas de Sacerdotio ipsius,
& de concernentibus item: Ioannes de Diuinitate, &c. At neque hoc ductu potest plenè ordo dignosci tot ca-
pitum, tot rerum descriptarum, vt clarè patet. Quamuis autem arduum sit valdè quem hucusque non compe-
rere Authores, assequi ordinem; non idcirco impossibile. Pro eo autem exquirendo, præmitti oportet quod ait
Hieronymus in lib. 1. in Epist. ad Galatas: *ne putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu;*
non in superficie, sed in medulla; non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Quandoquidem vt ait Raba-
nus (ad cap. 13. Matthæi in Catena ab initio) *non solùm verba & facta Domini, verùm etiam itinera ac loca,*
in quibus virtutes operatur & prædicat, cælestibus sunt plena Sacramentis. Igitur latent multa, inter quæ la-
tuit hactenus forsan, quis genuinus fuerit singulorum scopus: ex quo illustretur pia fides de exactissimo nexu
dictorum, de causa prætermissionis, aut à tribus interdum factæ eiusdem narrationis. Itemque de varia protero-
logia erudiamur. Existimo autem fere, vt à longè id olfactum, liceat propius accipere, si Ezechielis visionem;
atque Ioannis in Apocalypsi animalia inuisamus. Constans quippe est Sanctorum Patrum sententia, vt quatuor
illis Cherubim, quorum vnus similis erat homini, alius leoni, alius vitulo, alius aquilæ, quorum animalium
specimen fert etiam Apocalypsis, quatuor signati fuerint Euangelistæ: tametsi non omnino conueniant in
addictione. Diuus Athanasius *in Synopsi diuinæ Scripturæ circa finem*, dat faciem hominis Matthæo, vituli
Marco, leonis Lucæ, aquilæ Ioanni. Glossa Matthæum in homine intelligit, Marcum in leone, Lucam in vitu-
lo, Ioannem in aquila. Sic Ambrosius super Lucam, ac Gregorius super Ezechielem. Diuus Augustinus de
Consensu Euangelistarum l. 1. c. 6. vt arrideat Matthæo leonis facies, Marco facies hominis, vitulus Lucæ, aquila
Ioanni: fertque alios qui hominem Matthæo, aquilam Marco, bouem Lucæ, leonem Ioanni tribuerunt. De-
prehenso tamen quem possit monere scopum vnumquoque animal, excurso deinde vniuscuiusque Euangelio, fiet
notius, quem potiùs quàm alium Euangelistam visio portenderit.

Prænotandum est autem, vt ad initium Matthæi dicetur, *Euangelium* nihil aliud ex vi vocis importare,
quàm *Nuncium bonum*; quæ vox deindè appropriata est annunciationi ipsius Saluatoris: proinde narratores ori-
ginis, dictorum, factorum, passionum Domini nostri Iesu Christi, propriè dicti sunt Euangelistæ: ex Augu-
stino lib. 2. capit. 2. contra Faustum. Bellè quidem, nam ipse factus est nobis Author largitorque bonorum

omnium. Porrò si percontetur quis; *& quæ bona annunciata fuere*? Respondeo; ex aduerso ad mala, in quæ incideramus. Recole ex Sancto Beda, qualiter quatuor sunt animæ vulnera ex peccato: in quantum ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in quantum voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ: in quantum irascibilis destituitur ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantum denique concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus infirmitatis. Vide Diuum Thomam pr. 2. quæst. 85. art. 3. Ad hæc sananda de Cœlo venit Medicus Saluator: & hæc est *bona* nobis facta per Sanctos Euangelistas *annunciatio*. Censeo ergo Matthæum, dum iustificationis nostræ processum scribit, ostendere sanationem voluntatis ex malitiæ vulnere sauciæ. Marcus, dum tandem immortalis resurrectionis metam suo eloquio attingit, quid nisi irascibili antea corruptæ ac infirmatæ medetur? irascibilis munus est aduersariorum ictus retundere: atqui homo post peccatum mortalis, nequibat quantumuis armata irascibili, immortalis mortis aggressui pectus obijcere, fortis nunquam, vbique infirmus. *Christus venit auferre infirmitates, referre sanitates*, vt ait Chrysologus: restauranda erat enim per ipsum, omnis mortalitatis nostræ corruptio; in quam nequibant infirmæ nostræ fortitudinis reliquiæ languidæ & flaccidæ. Exinde fas fuit insultare morti; *vbi est mors victoria tua*? primæ Corinth. 15. *vbi est mors stimulus tuus*? Lucas nuncia fert læta, de sanatione tertij vulneris, concupiscentiæ; dum enim innouationem legis, in veteris impletione manifestat, ostendit concupiscentiam non remanere effrænem, vt antea: quippe quæ vt edometur tot non indiget cæremoniarum ac præceptorum vinculis; quando abbreuiatum factum est verbum, *& in duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ*. Data fuerat antiqua lex ad domandam concupiscentiam populi lasciuientis; vt fatigati cæremonijs neque ad idololatriam, neque ad lasciuiam declinarent: ita ex p. 2. quæst. 101. a. 3. ad Galat. 3. lect. 7. quamuis, *perfectis fuerit in signum, & pueris in Pædagogum* ex Augustino, vt fertur in 4. sentent. dist. 1. q. 1. a. 5. q. 2. ad 3. Ioannis Euangelio facile habetur, mederi ignorantiæ vulneri, sublimata mente vsque ad Dei trini in personis cognitionem: atque etiam in spe ad claram, in Beatitudinis gloria, felici prædestinatorum sorte, visionem. Cordis ergo humani, hoc est humanæ voluntatis salutem præfefert Matthæus in facie hominis: reparatam fortitudinem, quæ in irascibili aduersus mortis impetus, postquam *mors & vita duello conflixere mirando*, ostendit leo Marci, *fortissimus* (Prouerbiorum 5.) *bestiarum*. Edomitum vitulum Lucas habet correctæ concupiscentiæ typum: Ieremiæ 31. *eruditus sum quasi iuuenculus indomitus*: Threnorum 3. *bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua*. Dum consummatam impletamque comminiscitur Lucas legem, de qua Actorum 15. Petrus; *quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque Patres nostri, nec nos portare potuimus*? quid aliud est nisi illud suadere medicamen leuius; *tollite iugum meum super vos* &c. *iugum enim meum suaue est*, (Matthæi 11.) *& onus meum leue*? vitulus certè graue non subit iugum. Quamuis autem in Ezechiele cap. 1. legamus *facies autem bouis*; Apocalypsis 4. dicitur fuisse *simile vitulo*. Veruntamen discrimen non extat; quia *Par* hebræa vox significat tam iuuenem quàm senem bouem. Et quamuis Ezechielis 1. alia vox vsurpetur, nempe *Sor* facies *Bouis* seu *Tauri*; nihilominus psal. 106. vbi recolitur lapsus idololatriæ Exodi 32. dicitur in similitudinem *Sor*; qui *Sor* paulo ante dictus est *gneghel* idest *vitulus*. Igitur siue bouem dicamus siue vitulum, rectè dicimus: quoniam non vitulum tenerum, qui dici solet in Scripturis *ben bachar*, puta *filius vaccæ* aut *bouis*, sed vitulum qui adoleuerit, intelligimus; quasi vt in psalmo 68. *cornua producentem & vngulas*. Signanter autem hac duplici intelligentia etiam in Ezechiele, dum præmissum fuerat, *quasi planta pedis vituli*, fertur insigne Lucæ; quia iugum Christi suaue, & leue quidem, vitulum decet: at qui vitulus perhibetur mysticè, bos etiam appellari potest; quando *grauia & immania* suffert: quæ tamen, vt ait Augustinus, *leuia & quasi nulla facit amor*. Aquila palam facit Ioannem, qui aciem intellectus, humanæque mentis oculos erigit ad superna. Dum ad Cœlestia tollimur, Ioannis relatu, cernitur qui sedebat *similis aspectui lapidis iaspidis, & sardinis*. Sardis, docet Angelicus ibi cap. 4. in solito Commentario, est lapis pretiosus rubri coloris; vnde signat humanitatem Christi, rubricatam sanguine passionis, Isaiæ 63. *quare rubrum est vestimentum tuum*? Iaspis lapis est pretiosus viridis coloris, qui super omnes alios colores delectat, & confortat visum: vnde signat Diuinitatem Christi: glossa; *Diuinitas viret*, &c. Ibidem *quartum animal simile Aquilæ volanti*: fit aquilinus per Ioannem obtutus noster, sentitque intellectus saucius medelam. In his duobus consistit hominis Beatitudo. Hanc tandem tangit Ioannes c. 21.

Euangelistarum singulorum assumptio.

Posset autem fortè planius, dum læta nuncia sanctum fert Euangelium, ad trinam referri faustissimam nouitatem, quam Orbi terrarum attulerit Matthæus Marcus Lucas. Quod ergo primum nunciatur est, *ANIMÆ INNOVATIO A CVLPÆ VETVSTATE, SIVE ETIAM REPARATIO AC REGENERATIO*: ita vt scopus Matthæi fuerit, non tam Iesu Christi genealogiam, quàm eiusdem suis in membris mysticum ortum per animæ lauacrum, eiusdemque per euangelicæ vitæ profectum, augmentum spiritale insinuare. Si quod ait Sanctus Beda in Catena Lucæ 19. *omnis scripturæ sermo vitæ cælestis perfectionem suggerit*; à fortiori Euangelij prima nunciatio. Animæ itaque nostræ percurrit immutationem. Et quia secundum Philosophum 9. Ethicorum cap. 4. illud potissimum videtur esse vnumquodque, quod est principale in ipso; sicut quod facit Rector Ciuitatis, videtur Ciuitas facere: & hoc modo, quod est principale in homine, puta pars intellectiua, dicitur homo; Roman. 7. *condelector legi Dei, secundùm interiorem hominem*; & 2. ad Corinthios cap. 4. *licèt is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem*. 1. Petri 3. *qui absconditus est cordis homo*. (de hoc 1. p. 75. art. 4.) propter hoc Matthæus, vendicat sibi similitudinem hominis. Quod secundò annunciandum erat, veluti consectarium, fuit *corporis innouatio ac reparatio; secundùm naturæ virium RESTAVRATIONEM, AC IMMORTALEM NOSTRAM ALIQVANDO RESVRRECTIONEM*: de quo Ecclesia; *venit ad baptismum, vt naturam, quæ corrupta erat, per aquam recuperaret incorruptibili veste circumamictans nos*: ad quod, connexione quadam, nedum virium inferiorum coercitio, sed mortis omnis, hoc est cuiusque in vita præsenti pœnalitatis ereptio futura erat: psalm. 106. *eripuit eos de interitionibus eorum*; 2. Corinth. 11. *in mortibus frequenter*: de quo Diuus Thomas Prologo quarti sententiarum: Et quoad vires inferiores ad Galat. 4. l. 2. *misit Deus filium suum*, commemorato psalmo; *misit Verbum suum & sanauit eos*; ait, misit ad sanandum deuiationem concupiscibilis, & ad liberandum à potestate Dœmonis, contra infirmitatem irascibilis. Basilius Magnus, homil. de humana Christi generatione; *carnem suscepit Deus, quoniam execrabilem contaminatamque, hanc purgatam sanctamque reddi oportuit; infirmam ac debilem corroborari à Deo*. Marcus autem isthæc exequitur, vt Deo dante constabit: ideoque illi adscribitur Leo. De Leone ferunt quòd dormiat apertis oculis: quòd recèns natus catulus eius triduo stet clausis oculis, quos statim aperit, veluti experrectus

Scopus Matthæi.

Scopus Marci.

rectus è somno: idque euenire Parentis opportuno rugitu. Hæc sanè ad resurrectionem maximè faciunt. Reparanda autem in melius per Christum nostra mortalitas, virium etiam desiderabat sanationem, & sic malorum quæ miserè in mortem vrgent, liberationem. Vno verbo Matthæus Originale peccatum secundùm sui formale, quod est carentia originalis iustitiæ: Marcus secundùm sui materiale, quod est infectio virium seu concupiscentia, pertractat. De quibus p. 2. q. 82. a. 3. Tertium auspicatò annunciandum extitit *INNOVATIO LEGIS, IN VETERIS NIMIRVM IMPLETIONE*. Et quoniam vt in processu clarebit, Sacerdotij & Sacrificij lex est cognata, de his ac de legalibus Sanctus Lucas. Qui meritò vitulum præfert; eoquòd de vitulo priusquam de alijs iussit Deus sacrificium; & quidem ad Ægyptiorum idololatriam detestandam, qui vt alibi dictum est, Boues colebant, habentes inter res diuinas agriculturam. Hinc Ieremiæ septimo, manifeste legimus, *quia non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum*. Et Moyses Exodi 8. *abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quòd si mactauerimus ea, quæ colunt Ægypti*; &c. Forte ob hanc triplicem nouam annunciationem ter inuenimus exordientes, psalmos; *Cantate Domino Canticum nouum*; nonagesimum septimum, qui pro animarum salute & reparatione; *saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius*: centesimum quadragesimum nonum, pro vltima resurrectione; *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*; & nonagesimum quintum pro gentium vocatione, *annunciate de die in diem salutare eius*; *idest* (Haymo) *de veteri Testamento, in nouum*. Certè asciscendæ non erant Gentes (*annunciate inter Gentes*) eam in legem, quæ solis Iudæis, non Gentibus data fuerat. *SVPERERAT QVARTA INNOVATIO ANNVNCIANDA, PER TRANSFORMATIONEM IN DEVM, COGNITVM SVB ÆNIGMATE PRIVS, DEIN CLARE VISVM*. 1. Ioannis 3. *cum autem apparuerit, similes ei erimus*: 2. Corinth. 3. *nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, tanquam à Domini spiritu*. Vbi Diuus Thomas; *speculantes* non sumitur hic à specula, sed à speculo, idest ipsum Deum gloriosum cognoscentes, per speculum rationis, in qua est quædam imago ipsius: & hunc speculamur, quando homo, ex consideratione sui ipsius assurgit in cognitionem aliquam de Deo, & transformatur. Cum enim omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, oportet quòd qui vident, aliquo modo transformentur in Deum. Et si quidem perfectè vident, perfectè transformantur, sicut Beati in Patria, per fruitionis vnionem: si verò imperfectè, imperfectè; sicut hic per fidem. *A claritate in claritatem*: in quo distinguit triplicem gradum cognitionis: primus est à claritate cognitionis naturalis, in claritatem cognitionis fidei: secundus est à claritate cognitionis veteris Testamenti, in claritatem cognitionis gratiæ noui Testamenti: tertius à claritate cognitionis temporalis, veteris, & noui Testamenti, in claritatem visionis æternæ. Hæc D. Thomas: & reuocans hæc omnia ad quoddam genus renouationis, allegat, quod sequitur in 4. capite; *licèt is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem*. Dum autem subdit Apostolus: *tanquam à Domini spiritu*: addit; *non ex littera legis*. Sed vlteriùs in p. 2. q. 106. a. 2. inquit, etiam litera Euangelij occideret, nisi adesset interiùs gratia fidei sanans. Vnde & a. 1. ad 1. habet, in scriptura Euangelij non continentur nisi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritus-Sancti. Quare tractans Apostolus de hac transformatione ac renouatione cognoscitiua, videtur in ly *tanquam à Domini spiritu*, Euangelium innuere: præsertim autem Ioannis: & claret, quia ibidem ad 1. Quantum ad dispositionem spectat intellectus, disponitur in Euangelio per fidem, per quam datur Spiritus-Sancti gratia; quatenus Euangelium continet ea, quæ pertinent ad manifestandam Diuinitatem, vel humanitatem Christi. Modò, quis Euangelistarum pressè magis Diuinitatem, ac humanitatem edisserit, quàm Ioannes? dicens, *& Verbum caro factum est*: si ergo *à Domini spiritu*, ab Euangelio Ioannis qui hæc versat. *Gloriam Domini speculantes*: *vidimus gloriam eius*: *de claritate in claritatem* etiam gratiæ: ecce; *plenum gratiæ & veritatis*: *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*: *lex per Moysen data est*: ecce alium gradum cognitionis: denique adest gradus tertius visionis æternæ, de qua cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*. Quàm appositè comparetur Ioannes Aquilæ, quæ irreuerberata acie solis suffert micatus, quæ etiam in renouationis exemplum inducitur: *renouabitur, vt Aquilæ, iuuentus tua* ps. 102. clarè patet. *De longè oculi eius* (Aquilæ) *prospiciunt*.

Scopus Lucæ.

Scopus Ioannis.

Si quadruplex huiusmodi innouatio pensetur diuque meditatione voluatur, reor, (idque Dei gratia in decursu fiet palam) minimè fore arduum, Syntaxin, hoc est coagmentationem siue structuram, in singulis Euangelistis deprehendere; ita vt accuratissimo studio, cuncta digesserint, atque vt par erat, ad suum collimando scopum, cuncta ordinauerint. Nullibi textus erit diffusus: comprobabitur immò quod ait D. Thomas, in Procemio Canticorum expositionis denuo retectæ: nimirum in sacra pagina sensum litteralem semper esse continuum, quamuis mysticum non oporteat eiusmodi esse. Elucescet etiam cur aliquando Euangelista vnus prætermiserit hoc & illud; quia videlicet ad scopum sibi præscriptum non faciebant: nàm quemadmodum Apostolis *apparuerunt dispertitæ linguæ*: sic ideas in scribendo Euangelium sortiti sunt Euangelistæ diuersas & varias, filo tamen orationis infecto apud vnunquemque. Porrò non sic secerno vnius ab alterius Euangelistæ scopum, vt exempli gratia, Ioannes ieiunus omnino ab aliorum fuerit fine, & sic alij ab Ioannis Instituto extranei seu alieni: absit: Ezechielis 1. *iunctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum*: Item; *quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni*; *& facies & pennas per quatuor partes habebant*: quamuis *vnumquodque ante faciem suam gradiebatur*. Matthæus vel per transennam faciem habet Leonis Vituli & Aquilæ, excurrens interdum tangensque ipsorum ideas: idem dic de alijs: quoniam generalis quædam aliàs fuit singulis meta, fideles vndequaque instruere, instituere, ac formare. Quædam tamen, quæ ex instituto recolit vnus, alius quoque non per accessum, vel annexione, sed directè intendit referre: quia rei vnius enarratio scopo subseruiebat vtrique, immò omnium intererat eandem commemorare. Non secus ac Philosophus naturalis nec non Astrologus idem versant theorema: puta, *terra est rotunda*; atqui non eodem medio vt loquuntur Scolæ; (ex 2. Physicorum, t. 17. de quo & p. 2. q. 54. a. 2. ad 2. D. Thomas.) prior, quia partes grauitantes ad centrum conglobari nituntur; secundus, ex terræ ipsius vmbra ad Lunæ Eclypsim. Hæc ex mira, misericorditer Dei dono, deuotæ menti immissa cogitatione innotescet, quàm alto nutu voluerit Dominus, *insignes Euangelij Prædicatores animalium cœlestium admirabili figura præsignare: his namque cœleste munus collatum gloriosis indicijs est dignatus ostendere*. Dixi Numeri 2. capite, perrexisse Israelitas sub quatuor labaris seu vexillis, quæ distincta erant certis figuris: nimirum vexillum Iudæ signo leonis; Ruben, hominis; vexillum Ephraim signo bouis; Dan, aquilæ. De leone in vexillo Iudæ mentionem facit Paulus quoque Burgensis à Sancta Maria in suo Scrutinio, addens etiam *in Sanctis Sanctorum*, eiusmodi notas fuisse. Figuræ hominis leonis, bouis & Aquilæ, fuerunt etiam, vt notant in hebraicis dictionarijs verbo *charaa* depictæ in cortinis

tinis Tabernaculi. Et Cherubim dicuntur: licet primò sint imagines hominis alatæ. Ezechieli præludebatur. Emicante autem arcano hoc ordine in singulis deprehenso Euangelistis, radix erit defossa peregrinæ secretioris concordantiæ eorundem, atque consensus: *obstruetur que os loquentium iniqua*; *commanducabunt linguas suas* vt dicitur Apocalypsis 16. Porphyrius & Faustus. Quoniam *qui Dei spiritu aguntur*, neque mentiri, neque errare queunt. Animalium autem typo, ob hoc signantur; eoquòd, vt docet Angelicus, cœlestes spiritus, apprimè per seniores significantur & animalia, quæ potius aguntur, quàm agant, ex vehementi irradiatione diuina. In Opusc. 20. lib. 2. c. 16. Quocirca Augustinus tandem de Consensu Euang. relatus in Procemio Catenæ: *quamuis autem singuli eorum suum quippe narrandi ordinem tenuisse videantur; non tamen vnusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere, reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius inuenitur, sed sicut vnicuique inspiratum est, non superfluam comparationem sui laboris adiunxit*. Arbitror ergo singulos Diuina illustratione plenissimè nouisse promptiorique memoria diuinitùs tenuisse, quæ alius nedum scripsisset, sed antequam scriberet, quæ scripturus erat: & ita sibi ad munus subeundum veluti successores, vbi vnus explicere debebat, alterum atque alterum exorsum fuisse. Sic de Isaia Euangelista potiùs quàm Propheta; Ecclesiastici 48. *spiritu magno vidit vltima*. Esto Exemplum: Matthæus innouationem hominis, hoc est animæ regenerationem percurrens; in baptismo, qui est Sacramentum regenerationis, explicit; *baptizantes eos in nomine Patris & filij & Spiritus-Sancti*. Marcus hinc exorditur, transfertque se ad carnis regenerationem, hoc est ad resurrectionem potissimùm de qua Dominus; *in regeneratione cum sederit filius hominis*: sic de animalibus viribus, & de adnexis. Marcus ipse ibi explet; *Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*. Lucas post faciem hominis & leonis à dextris, (Chrysostomus Sermone de Ascensione Tom. 3. *cognoscamus quis est ille, qui audiuit, sede ad dexteram meam: quæ natura est, cui Deus dixit; esto meæ particeps sedis: illa natura est, quæ audiuit; terra es, & in terram ibis*: Matthæus & Marcus hæc versant: ideo à dextris.) à sinistris est ipsorum quatuor. *Quid per dexteram*, aiebat Gregorius, nisi *perpetua vita designatur?* quæ quidem quoque præfertur, in vtraque animæ & corporis regeneratione, seu resurrectione de qua Apocalypsis 20. *beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima*: scilicet in resurrectione a peccatis, vt ibi D. Thomas: & ex Glossa, *ad differentiam secundæ, quæ erit resurrectio generalis corporum*. Si roges quid per sinistram? Respondet Hieronymus Ezechielis 1. *à sinistris animalium erat facies vituli, quia signabatur cessaturum esse sacerdotium vetus, & in nouum transiturum*. Per sinistram ex eodem Gregorio *vita præsens*, vtique transitoria, *designatur*. Postquam ergo de resurrectione à morte, & ab alijs interitionibus consequenter, texuit Euangelium Marcus, ad signa se recipit: *serpentes tollent, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent & benè habebunt*. Pulchra finalis resurrectionis ad vitam præludia. Ex inde fas est Diuo Lucæ ad Iudæos transferri; quandoquidem *Iudæi signa petunt*: 1. Corinth. 1. erant enim Iudæi consueti diuinitus instrui: (eo loci lect. 3.) quæ quidem doctrina cum esset à Deo per multa mirabilia manifestata; psal. *fecit mirabilia in terra Ægypti*: ideo ab offerentibus quamcumque doctrinam, signa quærebant; secundum illud Matthæi 12. *Magister volumus à te signum videre*: & in psal. *signa nostra non vidimus*.

Mirum est autem quomodo hunc eundem pergendi tenorem seruet & Petrus, qui Actorum 3. priùs resurrectionem perdocuit, deinde signo stabiliuit, dicens *claudo ab vtero Matris suæ; surge & ambula*. De qua doctrina dolentes Sadducæi, fuere Petro occasioni, vt signum patratum examinans, repletus spiritu contestaretur: *in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni &c. quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus*. Exinde veluti euictis Iudæis ex miraculo, *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Comminabantur nihilominus eis, *dissecabantur & cogitabant interficere illos*, (ibi c. 4. & 5.) Cæterùm habet Angelicus ad Galat. 6. lect. 3. si Apostoli simul cum Cruce Christi prædicassent debere seruari legalia, nullam persecutionem Iudæi Apostolis intulissent. Quod prius eruditè c. 5. l. 2. Postquam ergo per Marcum Christi resurrectionem à morte prædicantem, in quo nostram astruit, scandalum Iudæorum abstulerat: *nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum*; 1. Corinth. 1. quid aliud supererat, nisi legem legaliaque impetere tanquam implenda aliquando, & per Christi aduentum, vitam, mortemque impleta? Hoc est quod intendit Lucas cum vitulo, sacrificij prisci, proinde sacerdotis & legis antiquæ symbolo. Hoc potissimùm Lucas declarat: vnde statim de Sacerdote, nomine Zacharia, euangelizare exorditur. Notauit hoc Remigius dicens; *Lucas circa templum & sacerdotium versatus est*. Hebræorum 7. *translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat*. Vbi D. Thomas lect. 3. facit, inquit, mentionem de sacerdotio, vt transferat se ad legem. Et sic veterem aio ipse indicat consummatam, excitans ad legem amoris dicendo, *optime Theophile*; atque etiam vt transeat de sinistra ad dextram: quoniam *in dextera eius ignea lex* Deuteronomij 33. *Dominus legifer noster*; Isaiæ 33. Vidè quam mirè, postquam Petrus Actor. 4. de resurrectione dixit instar Marci, de Christo qui *factus lapis in caput anguli* subdit: quod planè inuoluit legis amotionem veteris, quæ Ephesiorum 2. erat veluti *paries materiæ*, secludens à Iudæis Gentes, ne fierent populus vnus Christi lege iuncti: & in hoc, vno verbo, consecutione recondita, instituto præludit Lucæ: qui ad idem suo Euangelio collimat. Conscius erat Lucas tanti ordinis Acta describens. Explicit autem Lucas dicens, quomodo, *reuersi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant semper in Templo, laudantes & benedicentes Deum*. Si *in Templo semper*: non ergo vltra synagogam visuri. Ecce iterum antiquatos veteris legis mores inniti: eoquòd successerit militanti in Ecclesia Templum, in locum Templi prioris & Synagogæ. Definit etiam Lucas, vbi incipit Ioannes, in Deo qui *Alpha & Omega, principium & finis: benedicentes & laudantes Deum*. Hoc apprimè *Christum* suggerit *Dominum nostrum: per quem Maiestatem Dei laudant Angeli &c.* Hinc Ioannes de Deo attexit sermonem: *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Nos benedicimus Deum, inquit Angelicus ps. 40. lit. h recognoscendo bonitatem eius: *benedicite Deum Cæli, &c. quia fecit nobiscum misericordiam suam*. Ait autem Damascenus in principio libri tertij, de fide orthodoxa; per incarnationis mysterium, primo in loco *monstrari Dei bonitatem; quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem*: vnde idem Ioannes: *& Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Benedicentes ergo & propter misericordiam, quam *fecit nobiscum*: iuxta illud: *per viscera misericordiæ Dei nostri; in quibus visitauit nos oriens ex alto*. Hinc, *Samaritanus iter faciens, venit secus saucium, & videns eum misericordia motus est*: non ita Sacerdos & Leuita. Isthæc omnia Incarnationis tangunt mysterium, quod præ alijs Ioannes prædicat: qui, quoniam Diuinitatis ipsius ostensionem in Euangelio suo exequitur, vitæque æternæ per hoc adeptionem, vt patet ex Augustino c. 21. ibi *sic eum volo manere*: & clariùs per rete piscium ad littus, seu in terram, tractum, reuersionem nostram in Cœlestem Ierusalem, de qua Lucas, tangit. Ibi perpetua nostra erit mansio *in templo* gloriæ; ideo, quasi præcinens Lucas dicendis à Ioan-

à Ioanne ait, *erant semper in Templo*: & adijcit *cum gaudio magno*: iuxta quod dicitur; *intra in gaudium Domini tui*: vnde Isaias capite 51. *gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis*; ad verbum, Lucæ cum clausula.

Itaque Euangelista alter alteri præfert veluti facem; antiphonam quasi inchoat, quo alter psallat: Et sic videtur exponi posse illud Ezechielis, *pennæ eorum rectæ alterius ad alterum*. Quod, & de Ioanne fas fuerit dicere: ipse enim etiam, quasi ad Matthæum conuertitur; vt sic Euangelicæ doctrinæ habeatur perfectio, regressu quodam ad vnde cœperat sermo, *iunctæque* etiam sint *pennæ eorum*. Sanè ita claudit Ioannes; *sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum, capere posse eos qui scribendi sunt, libros*. Librorum mentionem facit, quorum infinitam veluti multitudinem nec ipse Mundus caperet: & non inconuenit, ad initium Matthæi respexisse; dicentis: *Liber generationis Iesu Christi*: neque enim plurale aut singulare in Scripturis vim facit, vt alibi dictum est & dicetur. Nota ex Procemio super Danielem §. *septimus gradus*: quod finis prophetiæ ostendit interdum mentem, & intellectum Prophetæ, secundum Hieronymum: quia semper in fine cuiuslibet Prophetiæ subnectuntur aliqua in quibus declaratur intentio prophetalis. Ego in Euangelistis sic meditatus sum, & nuper excurri, connectendo initia cum clausulis sanctorum Euangeliorum. Est ergo sensus: explicit hic historia Euangelica Matthæi Marci Lucæ, ac mei ipsius: non audeat quis huic addere; postquam isthæc conflatur ex selectioribus. Qui omnia intentaret colligere, *quæ fecit Iesus*; atque *per singula* scribere, inani id optaret conatu: cum enim fuerint *theanthricæ*, hoc est *diuinæ humanæ*, seu *Dei viriles* Christi operationes, immensitatem prout diuinæ habent; prout verò hominis Dei sunt, quandam pariter habent infinitatem: (sic de Virgine D. Thomas, ex hoc quod est Mater Dei, habet dignitatem quandam infinitam) ex quo ait *nec ipsum arbitror Mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros*: non tam hyberbolicè, vt exponunt, sed propriè, quia quod habet dignitatem infinitam, nunquam satis enucleatum, à finito capi nequit. Hinc propter excellentiam doctrinæ Christi, quæ litteris comprendi non potest, sentit (in 3. parte quæst. 42. a. 4.) hoc esse dictum. Vnde tacitus nos admonet Euangelista, quanquam Matthæus scripserit; *Liber generationis* &c. non propterea intendisse, per singula generationem scribere: quia & secundum generationem carnis, altissimum est mysterium: sicut ait Chrysostomus in homilia; *nec tamen parua æstimes te audire, hanc audiens generationem; est enim valde ineffabile, quòd Deus ex muliere nasci dignatus est, & habere progenitores David & Abraham*. Ecce itaque quam bellè dixerit Augustinus; *in quatuor Euangelijs; siue potius in quatuor vnius Euangelij libris*: vnum sanè est Euangelium, possetque etiam ex ordine & vnitate vnus dici *liber*: non secus ac Sacra Scriptura Apocalypsis 5. *liber* appellata est. Sic & Hieronymus in Ezechielis capit. 1. *Hæc tamen quatuor vnum tantum sunt Euangelium, quia vnum nobis decantant Deum. Iuncta enim sibi sunt Euangelia, hærentque mutuò*. Cæterùm quatenus liber est, dic insipientibus inuolutum; siquidem *sapientes* huius sæculi *stulti sunt* apud Deum, Roman. 1. & Isaiæ 29. *peribit sapientia à sapientibus eius. Abscondit* autem *Deus hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelauit ea paruulis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Sapientiam* itaque *loquimur inter perfectos*. 1. Corinth. 2. vbi de Euangelio fit sermo. Et præterea claret, quia Hebræor. 7. *nihil ad perfectum adduxit lex*: de quo etiam p. 2. q. 102. a. 2.

Quòd si sapientiam præfert Euangelium, altam proculdubio deposcit cognitionem. *Virtus Euangelij*, inquit Chrysostomus, *est in intellectu sensuum*: ita Homilia 43. in Matthæum. Quemadmodum & Tertullianus ait de præscrip. aduer. Lucif. c. 9. in fine; *scripturæ non in legendo consistunt sed in intelligendo*. Cumque ex Philosopho 1. Metaph. *sapientis sit ordinare*, necesse est ordinatissimè scribi Euangelium. Et hoc speciali etiam quadam ratione ostendi potest; quoniam si præcepta Decalogi conuenienti adeo ordine ex p. 2. q. 100. a. 6. disposita sunt; cur non Euangelia, in quibus ex q. 106. a. 2. extant documenta nedum fidei; sed & præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus? Huc autem facit quod ait Augustinus apud Sanctum Doctorem Ioan. 10. lect. 2. *cum verba Euangelij audiunt pius & impius, & ambo non intelligunt: pius dicit; verum est & bonum quod dicit, sed nos non intelligimus; & hic quidem iam pulsat, cui dignum est aperiri sed si persistat: impius dicit; nihil dixit; malum est quod ait*. Facit iterum illud Ecclesiastici 32. *qui quærit legem, replebitur ab ea; & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea*. Quemadmodum ait Apostolus 1. Cor. 1. *verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; ijs autem qui salui fiunt, idest nobis, Dei virtus est*. Idemmet Augustinus: *palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis: & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis*. Itaque suapte natura, per doctrinam Christi in Euangelio (3. p. q. 83. 5.) fit perfecta instructio fidelium: nam in eo, secundum Hieronymum (fertur Quodlib. 4. a. 24. argum. 7.) *quatuor sunt, præcepta, mandata, testimonia, exempla; in præceptis iustitia, in mandatis charitas, in testimonijs fides, in exemplis perfectio*: sed *animalis homo non percipit quæ Dei sunt*. Suapte natura comparatur *grano sinapis* Matthæi 13. quod iam creuit, *maiusque est omnibus oleribus, & fit arbor*: sed minimè pijs videtur adhuc *minimum omnibus seminibus*: præsertim verò attento eloquentiæ splendore: quo pacto nondum raptus Augustinus *indignam sacram reputauit Scripturam*, (cap. 5. libri 3. Confess.) *quam Tullianæ dignitati compararet, irridebatque illam*. At benè ex Quintiliano; *vim rebus aliquando ipsa verborum humilitas affert. Non in sublimitate sermonis, nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*. 1. Cor. 2. Quocirca idem ad Volusianum *ea verò quæ mysterijs occultat*, (de Scriptura loquitur) *nec ipsa eloquio superbo, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem; sed inuitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate*. Suapte natura, est euangelica doctrina thesaurus, Matthæi 13. Hinc Moyses, ex Apostolo ad Hebræos 11. *maiores diuitias æstimabat thesauro Ægyptiorum improperium Christi*: *at sapientia abscondita, & thesaurus inuisus*, (Eccles. 41.) *quæ vtilitas? abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*, Matthæi 11. Hinc eademmet meritò similatur lacti: & ita per vbera Christi (Cant. 1. D. Thomas) dulcedo Euangelij intelligitur, quia veluti lacte nutritur infantia credentium: at lingua cholerico infecta humore lac non sentit; & *sincerum est nisi vas*, ex Poeta, *quodcumque infundis acescit*. Dicebat aut Psaltes; *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* quod promens & Augustinus Serm. 12. de tempore ait, *sacræ Scripturæ lectio, diuina pars est, & præcognitio non parua beatitudinis, quæ ad superna gaudia cor legentis instigat*: additque; *cum oramus ipsi cum Deo loquimur; cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur*. Dic tandem cum Hieronymo ad illud Matthæi 5. *erant autem qui manducauerant quatuor millia hominum. Hic numerus semper in laudibus ponitur, & quadrangulus lapis non fluctuat, non est instabilis; & ob hanc causam, etiam Euangelia in hoc numero consecrata sunt*.

Priusquam igitur hic mecum miserrimo hebetudinem, obtusionem, aggrauationemque passo loquatur Deus, iuuet, me pedibus eius prouolutum ipsum orare; Deut. 33. *& qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina*

ctrina

ctrina illius. Ausim cum D. Th. ante studium, ad rem vtique cum de sapientia ac de thesauro præhabitus est sermo, deprecari. *Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ, tres Angelorum Hierarchias adnotasti, & eas super Cœlum Empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissimè partes Vniuersi distribuisti: tu inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplicem, in qua natus sum, à me remouens noctem; peccatum scilicet & ignorantiam, tu qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas: da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam: ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas; Per Christum Dominum nostrum*, Claudatque Augustinus in Confession. *Misericordia tua Deus exaudiat desiderium meum; vt sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ: tibi seruiat quicquid puer vtile didici: tibi seruiat quod loquor, quod scribo, quod lego, quod numero. Amen*. O vtinam fas sit mihi, quod de Sancto illo Ierotheo, *obscura illustrante diuina* contestatur Dionysius c.2. *de diuinis nominibus*, Domini largitate, ex parte æmulari. Tradit ad altam peruenisse intelligentiam *perscrutatione per multam luctationem & contritionem, siue ex quadam doctum diuiniore inspiratione*: quod exponens ibi lect.4. Diuus Thomas ait, quòd ipse proprio studio inspexit ea, (*obscura diuina*) ex sapienti & subtili discussione Sanctarum Scripturarum: quæ quidem subtilis discussio in duobus consistit, scilicet in *luctatione*, in quo assiduitas studij designatur; tunc enim aliquis multùm luctatur cum Scriptura, quando inspecta difficultate Scripturæ, nititur ad vincendam difficultatem: item *contritione*; in quo designatur diligens scripturæ expositio; quod enim conteritur, vsque ad minima diuiditur. Tunc ergo aliquis Scripturam sacram conterit; quando subtiles sensus, in ea latentes exquirit. Quoad *inspirationem*; monet eum accipere diuinitus rectum iudicium de rebus diuinis, qui afficitur ad diuina ipsis ex dilectione coniunctus, & fidei vnitione. Augustinus Serm.14. de verbis Domini: *quando possumus de diuinis operibus, quæ leguntur, intellectum alicuius mysticæ significationis exculpere, quasi de abstrusis fauorum cellis, mella producimus; vel Christi discipulos imitantes, spicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perueniamus*. 12. Confessionum, *mira profunditas eloquiorum tuorum*! & lib.3. de doctrina Christiana; *quid in diuinis eloquijs largiùs & vberius potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis?* 1. Cor. 14. *nolite pueri effici sensibus*: reprehenduntur illi, qui docent quædam rudia, & superficialia, quasi ostendant se volentes viuere in simplicitate; & ideo non curare de subtilitatibus, ad quas secundum rei veritatem non attingunt: ibi lect. 4. Diuus Thomas, cum quo ad rem satis.



FRA-

FRATRIS INNOCENTII PENCINI VENETI

Ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis collectoris ac interpretis, in Matthæum

PROLOGVS.

Itulus, qui in græcis etiam & syriacis exemplaribus extat, (quamuis in græco habea- 1.
tur duntaxat, *Euangelium secundùm Matthæum*) non ab ipso Matthæo, sed ab Eccle-
sia *Dei viui*, quæ 1. Timoth. 3. *columna & firmamentum est veritatis*, appositus est.
Satis id liquet, dum idem omnino præponitur etiam alijs. Cur autem nomen suum
non præmiserint Euangelistæ, aperit Angelicus Doctor A dicens; idcirco id factum, A Apoc. 1. com. 2.
quia fuere Scriptores tantum Euangelij, non verò Auctores; nec ipsorum indigebat
auctoritate Euangelium, quod à Domino prædicatum fuerat, & arctius altiusque veluti
auctorizatum. Sanè speciale quid vt dignitatis, sic & auctoritatis habet præ alijs do-
ctrina Christi, (quam propterea, non decuit B traderet Dominus ipse scripto; ne nihil B s.p.42. 4.
altius de illa homines æstimarent, quàm quod Scriptura contineret) non secus ac dica-
tur de Apostolis, Romn. 8. *nos ipsi primitias spiritus habentes*: eoquòd immediatè ab ipso Christo acceperint,
quæ traderent ad salutem C. Quo igitur hoc deprehenderet pia fides, diuina factum est prouidentia, vt quod C Romanor. 8. lect. 5.
conscripsere Euangelium, minimè suo nomine prænotarent. Quamquàm autem nihil veritatis Euangelicæ de-
periret, dato etiam ignoraretur Scriptoris persona; siquidem D dum constat, librum esse à Spiritu-Sancto, (id à D Canticor. Proœmio.
definitione pendet Ecclesiæ) non est magna cura quærendum de instrumentali causa, qualis est Scriba; nihilo-
minùs apud orthodoxos omnes in confesso est, Matthæi esse Opus: quicquid in contrarium effutiant Marcion &
Manichæus apud Epiphanium hæresi 42.; & Augustinum lib. 3. & 7. contra Faustum, latè cum alijs hæreticis ab
Episcopo Vrgellensi Domino Antonio Perez recèns expugnati.

Porrò quid sit Euangelium, *nomine* atque *re ipsa*, expendendum est. Ex græco certè idiomate tracta est vox: 2.
ab *eu*, quod *benè*; & ab *Angelos*, quod *nuncium* significat, efformata. Vnde, bonum faustumque nuncium vi
sua importat; ideoque meritò pro annunciatione diuinæ gratiæ, per Christum mortalium generi exhibitæ, vsur-
patur. Ponitur etiam in Lexicis *Euangelium* pro præmio solito dari afferentibus læta nuncia: itemque pro sacri-
ficio, post rei feliciter gestæ narrationem. Sic Cic. ad Attic. *O suaues duas epistolas, quibus Euangelia deberi
fateor*. Ecclesiæ fideliumque vsus secundùm primam accipit significationem. Et sic Augustinus lib. 1. contrà
Faustum; *propriè hoc vocabulum, (Euangelium) obtinuit annunciatio salutaris*. Ad id Eusebius lib. 1. cap. 1.
Euangelium dicitur, quòd æternorum atque incorruptibilium bonorum cunctis hominibus adeptionem annunciat.
Sic D. Thomas, E Euangelium idem est, quod bona nunciatio. Verùm si ad hebraicam vertamur linguam, E Rom. 1. lect. 1.
bisèr dicunt *annunciauit, euangelizauit*: inde *meuasèr* dicitur *annunciator, euangelista*: *besorah, nuncius*. Ho-
rum omnium prima radix, *basar* est; & in constructione *besar, caro*: masculini generis: pariterque *caron*, pro-
pinquus. Quæ quidem aptari possent mysterio, quatenus *Verbum caro factum est*, Ioan. 1. *factus ei ex semine Da-
uid secundùm carnem*, Roman. 1. Pepigit autem Deus fœdus in carne; Genes. 17. *eritque pactum meum in carne
vestra, in fœdus æternum*. Stat *besar* pro genitiua etiam carne Ezechielis 16. v. 26. & c. 23. v. 20. Doctrina autem
Christi (ait D. Thomas) dicitur nouum Testamentum; quia facta est ibi noua pactio inter nos & Deum de Re-
gno Cœlorum. Factus etiam est nobis *propinquus*: non solum quasi propinquitate loci, quia venit ad nos; sed
veluti sanguinis cognatione: iuxta quòd aiebat Baruch c. 3. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuer-
satus est*; & Chrysologus; *Creator omnium rerum Deus, postquam se propter nos nostra angustauit in carne,
cœpit habere humanam Patriam, cœpit Ciuitatis iudaicæ esse ciuis, parentes habere cœpit parentum omnium
ipse Parens*.

Quod si pressius, *quid rei* etiam sit Euangelium, scire cupiamus; *eloquiorum veritas est*. (sic D. Dionysius de 3.
diuinis nominibus cap. 4. ferens illud Matthæi 7. *non potest arbor bona malos fructus facere*.) Deinde ex Apostolo
Roman. 1. *Virtus Dei est in salutem omni credenti*. Virtus decalogi F per libros quatuor Sancti Euangelij imple- F 2.2.147 5.
tur. In doctrina Euangelica est doctrina G perfectionis. Virtus Euangelij autem est in intellectu sensuum, G 2.2.56. 1. 2. & 3.
H non in figuris literarum. In Scriptura Euangelij non continentur nisi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritus-
Sancti, vel sicut dispositiua, I vel sicut ordinatiua ad vsum huius gratiæ. Sicut dispositiua quidem, quantum p. 83. 5.
ad intellectum per fidem, per quam datur Spiritus-Sancti gratia, continentur in Euangelio ea, quæ pertinent ad H 2.2.96. 4.
manifestandam Diuinitatem vel humanitatem Christi; secundum affectum verò continentur in Euangelio ea,
quæ pertinent ad contemptum Mundi; per quem contemptum homo fit capax gratiæ Spiritus-Sancti; Mundus I p.2.106. 1. 1.
enim, (id est amatores Mundi) non potest capere Spiritum-Sanctum: vsus verò spiritualis gratiæ est in operibus
virtutum, ad quæ multipliciter Scriptura noui Testamenti homines exhortatur. Hæc D. Thomas. Item nouum
Testamentum habet promissa L spiritualia & æterna, quæ principaliter expectantur: vetus autem Testamentum L p.2.107 2.
habuit promissa temporalia. Quæ tamen, vt pluries alibi tradit, fuerunt spiritualium figura. Hinc Eusebius qui
supra; *annunciat Euangelium, non cæcas caducasque huius sæculi diuitias, nec breuem hanc calamitosamque
vitam, nec instabilia corporis commoda; sed animarum summam propriamque felicitatem*. Hinc Apocalypsis
14. *Vidi alterum Angelum volantem per medium Cœli, habentem Euangelium æternum*: *quia* M *promittit* M Apoc. 14. com. 2.
æterna, vt dicit glossa. Vbi D. Thomas recolens Augustinum dicentem 1. contra Faustum, *Euangelium semper*

nuncupari posse, cum aliquid boni annunciatur, trifariam posse accipi docet; propriè, communiter, & concessiuè: propriè quidem Euangelium dicenda est doctrina siue nunciatio ipsius Saluatoris; quod & ait Augustinus (toties perhibetur & commemoratur Dominus *euangelizans*.) alibi, nempe 18. de Ciuitate Dei; *Angelus nuncius est: Christus Iesus dictus est Angelus propter Euangelium, quod nunciauit hominibus*. Communiter Euangelium appellatur tam doctrina Christi quàm Prædicatorum noui Testamenti, qui expressiùs & plenius annunciauerunt ea, quæ sunt salutis; & sic accipitur *Roman. vltimo, & Apocalyps. loco præfato*. Concessiuè dicitur Euangelium doctrina quorumcumque salubria annunciantium, siue in veteri Testamento siue in nouo. Itaque potes mi lector sacrum textum, Euangelium propriè dicere: quo imbuti Sancti Euangelistæ prædicando euangelizare secundo modo videbantur: vnde Ecclesia in Euangelistarum antiphona; *tu insignes Euangelij Prædicatores animalium cœlestium admirabili figura præsignasti*; & in collecta Missæ Sancti Matthæi, *magnificis eius prædicationibus*, dicitur *erudiri*. Complexus autem acceptiones omnes, fert de cunctis Sacræ paginæ auctoritatem Angelicus N dicens; annunciatur in Euangelio coniunctio hominis ad Deum, quæ est bonum hominis Ps. 72. *mihi autem adhærere Deo, bonum est*: triplex autem; prima quidem per gratiam vnionis, secundum illud Io. 1. *Verbum caro factum est*: secunda per gratiam adoptionis; prout inducitur in Ps. 81. *ego dixi, dij estis, & filij Excelsi, omnes*: tertia per gloriam fruitionis; Io. 17. *hæc est vita æterna*. Isaiæ 52. *quàm pulchri super montes pedes annunciantis*; Isaiæ 21. *quæ audiui à Domino exercituum Deo Israel annunciaui vobis*.

N Rom. 3, lect. 1.

4. Quo idiomate scripserit Matthæus, si quis roget; Respondeo communem esse Patrum ac interpretum sententiam, hebræo (forte syriaco, tunc hebræis vsitato) sermone. Ita expressè S. Doctor O in Apocalypsi, *scripsit*, inquit, *Matthæus hebraicè*. Sic & Hieronymus *in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum*; aitque sibi datam à Nazaræis, qui in Berrhoea Vrbe Syriæ eo vtebantur, describendi facultatem. Congruenter autem id fecisse suadetur; tum quia (quod asserit Chrysostomus relatus Lucæ 3. in Catena) *Iudæis scribebat; vnde nihil statuit vlterius scribere, nisi quod ab Abraham & Dauid Christus processerat; hoc enim maximè placabat Iudæos*: tum quia in Iudæa scripsit: vt animaduertit P S. Doctor, quemadmodum Marcus in Italia, Lucas in Achaia, Ioannes in Asia. Perperam igitur Caietanus pressus argumento, quod fieri consueuit de nominum hebræorum interpretatione, (quæ sub eadem lingua superfluere videretur) confugit ad græcum idioma, dicens; ideo expositum esse *ly Emmanuel*, *in nobiscum Deus*. Non est nouum in quocunque idiomate voces quasdam abstrusas aliquantulum, præsertim cum magni sunt ponderis, quasi periphrasi declarari; maximè verò in compositis: quale est *ly Emmanuel*, ait D. Thomas: Q subditque; *vel dicendum, quod ille, qui primo transtulit de hebræo, interpretatus est*. Ad hæc similiter Remigius in Catena; *Quærendum autem est*, inquit, *quis est interpretatus hoc nomen* (Emmanuel) *Propheta, Euangelista, aut aliquis translator? Sed sciendum, quod Propheta non est interpretatus: Sancto autem Euangelistæ quid necesse fuerat interpretari, cum scriberet hebræo sermone? fortassis, quia hoc nomen obscurum erat apud Hebræos; idcirco dignum erat interpretatione. Sed magis credendum est, quod aliquis translator sit interpretatus; ne haberetur hoc nomen obscurum apud latinos. Quis autem in græcum transtulerit*, ait Sanctus Hieronymus nuper relatus, *non satis certum est*: fuerit Ioannes Euangelista, vel alius, ex Perez. Quis autem de græco in latinum verterit, multò magis ignoratur; sicuti ignotus est Auctor Vulgatæ totius translationis, annos post bis centum & quindecim circiter, vt fertur, Hierosolymis repertæ.

O Apoc. 9. com. 3.

P Proœmio in Matthæū.

Q Matthæi 1.

5. Quidnam sit de originaria, ac primæua Euangelij Sancti Matthæi Scriptura, Deus nouerit. Barnabam secum illius exemplum in Cyprum detulisse scribit Historia; sicque tanquam charissimum archetypum in pretio deuotionis habuisse, vt vna secum pectori superpositum sepeliendum voluerit: refosso enim Barnabæ corpore, inuentum est: Zenonem autem Imperatorem in Palatio suo reseruasse. Videatur Baronius ad annum 41. num. 18. D. Antoninus 1. par. hist. tit. 6. cap. 18. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ adnot. 102. & ante ipsos D. Thomas Rom. 1. lect. 6. Referunt suprà infirmos à Barnaba positum, restituisse mirè saluti. Et meritò quidem, quoniam ex Gregorio Nazianzeno, Tract. de Episc. *Matthæus publicanus erat; non tamen vt publicanus, sed vt Spiritu plenus Euangelium scripsit*. D. Hieronymus in Catal. Script. *ipsum*, inquit, *hebraicum habetur vsque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissimè confecit*. Eiusdem Matthæi quoque exemplum detulit ad Indos Bartholomæus Apostolus; quod reperisse Pantænum inibi, tradit Eusebius Historiæ lib. 5. cap. 10. Iam nunc deprehenditur Autographum hebræum intercidisse: nam quod nuper Munsterus & Ioannes Tillius (ait Iacobus Tirinus) nobis obtrusere, spurium olet; & Syriacum adhuc exstans longè recentius est sæculo S. Matthæi. Euangelium quo vtuntur Nazaræi & Ebionitæ, etsi vt fert Hieronymus, vocetur *Matthæi authenticum*: absit, tale esse, dum illud non probat Ecclesia. S. Beda relatus in Catena Lucæ in Proœmio; *Matthæus quoque & Ioannes in multis quæ scriberent, ab his qui infantiam, pueritiam, genealogiamque eius scire, & gestis interesse potuerant, audire opus habebant*. At addi potest cum Petro in Epist. 2. c. 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; illudque Pauli ad Galat. c. 1. *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per reuelationem Iesu Christi*. Ex Chrysostomo autem Lucas in suo Proœmio dicens; *quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes; &c. sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt*; innuit de Matthæo & Marco. Vnde claret ab alijs etiam Euangelistas accepisse: postea quippe loquitur in singulari; *visum est & mihi*, &c. Colligitur etiam scripsisse ante Lucam duos alios: & Matthæum quidem prius tempore cunctis: ex quo primus collocatur in ordine. Quo autem certè anno non constat. Exploratum est post Domini ascensionem, etsi non quot annis, octo, quindecim aut pluribus, vt apud Auctores; ex Eusebio, Nicephoro, & Irenæo. Baronius putat octauo anno, à Christi morte. Ipsum cum alijs tribus comparat Hieronymus tetragono dicens: *Quadrangulus lapis non fluctuat, non est instabilis: & ob hanc causam etiam Euangelia in hoc numero consecrata sunt*. Ita ad illud Matthæi 15. *erant autem qui manducauerant, quatuor millia hominum: qui numerus*, inquit, *semper in laudibus ponitur*.

SAN-

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPVT PRIMVM.

1 LIBER generationis *Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* 2 *Abra-* Luc.3. e. 31.
ham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iu- Gen. 21. a.3.
dam, & fratres eius. 3 *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de* Gen. 25.
Thamar. Phares autem genuit Hesron. Hesron autem genuit Aram. d.26.
4 *Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson.* Gen. 29. d.35.
Naasson autem genuit Salmon. 5 *Salmon autem genuit Booz de Ra-* Gen. 38.
hab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. g.29. 1. Par.2.
Iesse autem genuit Dauid regem. 6 *Dauid autem rex genuit Salomonem* a.5.
ex ea quæ fuit Vriæ. 7 *Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias* Ruth. 4. d.18.
autem genuit Asa. 8 *Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem* Num. 7. b.12.
genuit Oziam. 9 *Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem* 1.Reg.16
genuit Ezechiam. 10 *Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon* Ruth 4. d.18.
autem genuit Iosiam. 11 *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Ba-* 2.Reg.12
bylonis. 12 *Et post transmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem ge-* f.24. 3.Reg.11
nuit Zorobabel. 13 *Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim au-* g.43.
tem genuit Azor. 14 *Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem* 3.Reg.14 g.31.
genuit Eliud. 15 *Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem* 3.Reg.15 b.9.
genuit Iacob. 16 *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur* 2. Paral.
Christus. 17 *Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim:* 26.d.23.
& à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à transmigra- 2.Par.27. d.9.
tione Babylonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim. 18 *Christi autem generatio sic* 2.Par.28. d.27.
erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero 2.Par.32.
habens de Spiritu Sancto. 19 *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere:* g.33. 2.Par.33.
voluit occultè dimittere eam. 20 *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in som-* d.20. &
nis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea 25. 2.Par.36.
natum est, de Spiritu-Sancto est. 21 *Pariet autem filium: & vocabis nomen eius IESVM:* a.1.2.
ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 22 *Hoc autem totum factum est, vt* Luc. 7. e. 27.
adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem. 23 *Ecce virgo in vtero habe-* Luc. 1. e.
bit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. 31. Acto4.b.
24 *Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem* 12.
suam. 25 *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen* Isa.7.c.14
eius Iesum.

VERS. I. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.*

Priusquam sacrorum contextuum, eo vnius talenti, seu potius minuti æris studio, quod largiri dignabitur Dominus, aggrediar, operæ-pretium est, præmittere cum Apostolo 1. Cor. 2. quod ait ipse de sua prædicatione & sermone, itidem de Scriptura tota, atque de Euangelio subindè, non insudare nos scilicet *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; vt fides non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Matthæi 13. parabola est Saluatoris assimilantis *Regnum Cælorum grano sinapis; quod minimum quidem est omnibus seminibus.* Hieronymus lib. 2. Comm. in caput illud; *Prædicatio Euangelij minima est omnibus disciplinis: Confer huiusmodi doctrinam dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum; & videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij.* Augustinus lib. 3. confessionum c. 5. raptus ad Scripturæ sacræ lectionem, inquit, *visa est mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem; tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Veruntamen illa erat, quæ cresceret cum paruulis; sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu mihi grandis videbar.* Scitè dixit Quintilianus; *vim rebus aliquando ipsa verborum humilitas affert.* Sed *sermones eius erubescit*, ait Theophylactus, *qui Euangelij ruditatem*

contemnit, Hæc, sanè subiecit Hieronymus, *quæ parua videbatur in principio, crescit in arborem*: & Augustinus; *Ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs*. Hinc Chrysostomus; (sitque pro mei-ipsius humiliatione) *vestimenta alba, euangelica sunt & apostolica scripta, omnium clarissima; quibus similia nullus expositorum facere potest*. Quamuis aciem figere non omnibus detur; quod de se idem Augustinus aiebat,

2. Prætereà præmonendum in vestibulo duxi, non esse quidem contemnendas, sed neque anxiè quærendas varias sacri textus lectiones, quas studiosè nimis iere quidam venatum. Hæreticorum subdolas exufflet fides; sanas aliunde præsertim Catholicorum reuerenter, & quatenus subseruiant, suscipiat: atqui primas obtineat Vulgatæ veritas, quam Sancta semper ex Cathedra probauit Ecclesia. Itaque nedum sensa, voces nedum; sed syllabas, literas, apices, tanquam non vacantes mysterijs, colat pius animus; & desuper illuminatus miretur oculus. Esto in audaculos ob innouationem vel exiguam, increpationis exemplum: idque ex libro 1. Historiæ, quam vocant tripartitam cap. 10. Cum enim, vt ibi dicitur, multi conuenissent Episcopi; vnusque illorum ad concionandum populo fuisset delectus, eloquio & sapientia praecellens, accidit vt locum illum versaret; *tolle lectum tuum*; Matth. 9. diceretque pro *lecto, cubile*: tunc Spiridion Cypriorum Episcopus Sanctissimus de Cathedra surgens, acriter eum increpans ait illi; *tu melior es eo, qui lectum dixit; quia eius verbis vti confunderis?* Ex quo, fas est deprehendere, quanta in æstimatione, Scripturæ sacræ iota etiam & apex sit habendum; quoniam, (quod prompsit Dominus,) Matthæi 5. *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*. Quod vt in praxi innotescat, iuuat vel vnum in vnoquoque Euangelistarum delibare mysterium, simplici in vocula latens: vnde, quod aiunt, *ab vngue cognoscatur Leo*. In Matthæo expendendum est monitum Archangeli Gabrielis dicentis Ioseph c. 1. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Ecce quomodo *filium Dauid* appellat. Certè eo intuitu, vt reuocet ipsius ad memoriam, Dauid fuisse factam Messiæ promissionem. Quis ambigat idcirco dictum ab Angelo? idcirco ab Euangelista relatum? Atqui vlterius mirum occulitur. Diuinissimus idem Gabriel ex Dionysio 4. capite cœlestis Hierarchiæ, Zachariam adit, nunciatque illi; *& vxor tua Elisabeth pariet tibi filium*: ita Lucæ 1. Similiter & Ioseph in somnis; *noli timere* &c. *pariet autem filium*. Vna solum est discrepantia: Ioseph allocutus Angelus abstinet ab ea vocula *tibi*, quam prius Zachariæ expresserat. Nunquid gratis etiam Matthæus omisit? absit: arcana enim subest intelligentia. Audi Angelicum; R non dicit *tibi*, quia ipse puerum non genuit. Fuit autem meditatio Chrysostomi in hæc verba; *non dixit, pariet tibi filium, sicut ad Zachariam; quia mulier, quæ ex viro concipit, marito suo filium parit, quia magis ex illo est, quàm de ipsa; hæc autem, quæ non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodo*.

R Matthæi 1.

3. In Marco etiam & alijs profunda eiusmodi eruuntur mirificè ad lucem. Capite quippe 14. orationem in horto memorans, *Abba* inquit, *Pater*. Porrò si quis Sanctorum Euangelistarum ly *Abba* debuit referre, Matthæi sine dubio fuit, qui hebraicè scripsit, non Marci, qui latinè. Præterquam cum idem sit *Abba* quod *Pater*, superfluere videbitur. At neutiquam id putandum: siquidem, vt Dominus diuina sapientia, vtramque vsurpauit vocem, sic & Marcus studuit referre. Paulus etiam ad Galatas c. 4. *clamantem Abba, Pater*: S Idem autem est in significatione, *Abba* quod est hebræum, & *Pater* quod est latinum, & *Pater*, quod est græcum; & vtrumque ponit, vt ostendat, quod gratia Spiritus-Sancti, communiter se habet ad vtrumque populum, quantum est ex se. Sic Romanorum 8. *in quo clamamus Abba, Pater: Abba* T quod est hebræum, & *Pater* quod est latinum vel græcum; vt ostendat, hoc ad vtrumque populum pertinere. Signanter ergo Marcus, qui latinis & græcis scripsit, nedum hebræam posuit vocem *Abba* pro Israelitis, *quorum adoptio est filiorum* Roman. 9. Sed & latinam seu græcam pro Gentibus, quas itidem *vocauit*, & in Prophetis vocandas prædixit; vt ibidem Apostolus; & prius c. 3. *an Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium*.

S Galat. 4. lect. 3.

T Rom. 8. lect. 3.

4. In Luca deligo de arbore fici similitudinem, vbi cultori vineæ dixit Dominus, vt succideret illam, ob non inuentos, cursu trium annorum, fructus, *At ille respondens dixit illi; Domine dimitte illam & hoc anno* &c. *& si quidem fecerit fructum; benè; sin autem; in futurum succides eam*, ita cap. 13. Hic certè minùs pius impinget, ratus turpi pleonasmo redundare Euangelium, addito ly *in futurum*; cum satis, in verbo *succides*, clareat futuri temporis expectatio. Sed cum, vt fertur ex græco Expositore, V Rhetoricæ ac Poesis professor, etiam leporem dicendi assecutus fuerit Diuus Lucas, iniuria creditur lapsus nugatione, vt ly *in futurum* addiderit sinè mysterio. Igitur vel longanimitatem innuit in Deo ad puniendum: vel ad finale respicit vltionem: iuxta quod Augustinus *de verbis Domini; in futurum*, inquit, *succides, quando scilicet in Iudicio venies iudicare viuos & mortuos: interim modo pascitur*. Sic apud Ioannem c. 14. subtiliter; vbi illud habetur, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*, blasphemat Sabellius: *quid est hoc, nisi quia idem ipse sit Pater & Filius?* At X altè occurrit Hilarius; *si hoc ita esset, Dominus dixisset, qui videt me, videt Patrem, nulla coniunctione apposita; sed quia coniunctionem addidit (videt & Patrem) distinctionem ostendit*. Eccè quomodo copulatiua monosyllaba nostram roborat fidem: argumento irrefragabili, summa excipiendos textus veneratione, nec audacter licere, vel in minula, à Scripturis in canone, cuiusmodi quatuor sunt Euangelia, declinare: Quod est Vulgatam editionem cunctis præferre.

V Proœmio Catenæ aureæ in Lucam.

X Ioan. 14. lect. 3.

Vno verbo, collimat inductiuncula hæc mea eum in finem, vt cordi fideli insigatur arctius quod Tridentinum sanxit Concilium sess. 4. *Sacra Synodus considerans, non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex multis latinis Editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & decreuit, vt hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum vsu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro authentica habeatur; & quòd eam nemo reijcere, quouis prætextu audeat vel præsumat*. 5.

Quocirca, quamuis fidelis quisque exoculata obedientia fidei, adgeniculare debeat Spiritui-Sancto, qui Sacris præest Concilijs: nihilominus haud desunt rationes, eæque validissimæ, quibus permota credenda est Sancta Synodus ad id decernendum; quibusque confirmari potest animus ad credendum. Ab alto quidem duæ potissimum repetuntur principio. Altera ab Ecclesia Sanctæ Dei firmitate: quam nefas nimium est vel cogitare, stabilijsse, & vsque ad consummationem Sæculi permansuram prænunciasse, Dominum, absque veraci sacræ paginæ basi: 6.

vnde

vnde absurda emergerent maxima; vt ad ipsam se gessisset improuidè; & semper fluctuans fuisset in omnem doctrinæ ventum facta instabilis. Altera trahitur ratio ab Ecclesiæ eiusdem conditione, quæ tandem in latinam, triumphali ab erroribus cunctis præseruatione, exstruenda erat. Quam ad rem ex Titelmanno Canus de locis lib. 2. cap. 13. *Dum prouidam Dei dispensationem aduertimus, facilè videmus, quemadmodum cum fidei rectitudine, connexa semper fuerit Scripturæ veritas, & cum illa solita fuerit emigrare. Donec enim apud Iudæos solos firmitas prostitit rectæ fidei, apud eos quoque solos Scripturarum veritatem cognoscimus lauitasse. Postquam autem veritas à Iudæis repulsa, à Gentibus suscepta est, digna Ecclesia Gentium est habita, quæ proprio suo idiomate idest græco, quod & vulgatissimum erat, inter eos, qui ex Gentibus crediderant, & latissimè cognitum, Scripturam noui Testamenti acciperet, in stabilimentum fidei salutaris. Porrò autem, cum ad Latinos deuolui iam fidei veritas cœpit, Græcis maxima ex parte, vel ob innatam leuitatem, vel ob contentionis studium, ab Ecclesiæ corpore disiunctis, certè dignam aliquam diuino munere Scripturæ stabilitatem, Latinos accepisse consequens est.* Sanè per græcum, omnem gen-
A Rom. 1. lect. 6. tilem intelligi firmatur A ex illo Apostoli, *Iudæo primum & Græco*; eo quòd à Græcis Gentilium sapientia est exorta. Titulus Regni superpositus Cruci, *literis græcis, latinis & hebraicis* à D. Luca descriptus, obijcit in medio fortè ideo latinas; quia effecta post dies multos vera Ecclesia latina, ex conuersis vtrinque conflanda erat. Huc facit quod do-
B 3.p.35. a.1. cemur de sede Romana: B si quidem Dominus vt suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma quæ caput Mundi erat, etiam caput Ecclesiæ suæ statuit, in signum perfectæ victoriæ: vt exinde fides deriuaretur ad vniuersum mundum secundùm illud Isaiæ 26. *Ciuitatem sublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis*, scilicet Christi; *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri & Pauli. In Epistola, quam ad Romanos misit sanctissimus Martyr Ignatius nobile Romanæ Ecclesiæ defert testimonium, ipsam appellans *sanctificatam, illuminatam, Deo dignam, castissimam, beatificandam, Spiritu-Sancto plenam*. Et Marcellus Papa item Martyr scripsit epistolam ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ, de primatu Romanæ Ecclesiæ, quam *caput Ecclesiarum* appellandam demonstrat.

7. Ad rem facit quod alibi pluries C edicitur; Ro-
C 4.sent. 3.1.2.1. opusc. 6. & Matth. 16. mana Ecclesia nunquam à vera fide declinauit: sola Ecclesia Petri, in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad prædicandum, firma fuit: & cum in alijs partibus, vel nulla fides sit, vel sit commista multis erroribus, Ecclesia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus munda est. Quamuis aliæ Ecclesiæ vituperari possint, Ecclesia tamen Romana, non fuit hæreticis deprauata: vnde in Constantinopoli fuerunt hæretici; & labor discipulorum amissus est: sola Ecclesia Petri inuiolata permansit, iuxtà illud Lucæ 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: & hoc non solùm refertur ad Ecclesiam, sed ad fidem Petri. Promeruit id quoque Roma, quia plurimo Martyrum sanguine fuit fœcundata, eorundemque agone sanctificata & firmata. Trecenta quippe millia Martyrum in ipsa testimonium fidei dedisse, refert Maluenda de Antichristo lib. 4. c. 10. idemque, ab antiquis hæreticis, catholicos consueuisse appellitari Romanos. Macedonius Constantinopolim temerauit Salutis anno trecentesimo quinquagesimo nono. Georgius Cappadox Alexandrinam concussit Ecclesiam anno sexagesimo suprà trecentos. A Paulo Samosateno infecta fuit Antiochia, anno bis centesimo septuagesimo tertio. Denique si anteriùs Ierosolymam petamus, eam quoque sub impio Patriarcha Ioanne secundo reperimus fœdatam; idque sub annum trecentesimum octuagesimum tertium. Intacta sola perstitit Romana Ecclesia: seu historias seu traditiones scrutemur. Quæ cuncta idcirco dicta, idcirco excursa voluerim, vt omni firmitate firmius inconcussumque sit, latinitate donatam, Vulgatam Euangeliorum seriem, tanquam veriorem versionibus & lectionibus varijs quibuscunque, à me & à fidelibus omnibus semper habendam, vtpotè à Spiritu-Sancto, velut fideli Deposito custoditam. Iam ergo ad sacrum reuersi textum exordiamur: & quidem humili accessu, Domino cogitationem & calamum committentes: quoniam ex Hieronymo ad Galatas c. 1. *grande periculum est in Ecclesia loqui; ne fortè interpretatione peruersa, de Euangelio Christi, hominis fiat Euangelium, aut quod peius est, Diaboli.* Sit itaque iterum

VERS. I. *Liber generationis Iesu Christi, &c.*

Elucidabit primo in limine adijciendi syntagmatis exquisitio, hemistichij huius sequentiumque 8.
contextuum intelligentiam. Præeat interim sua face Hieronymus qui ait; *non putemus Euangelistam Prophetæ esse contrarium, vt quod ille impossibile dixit effatu, (generationem eius quis enarrabit?* Isaias cap. 53.) *hic narrare incipiat; nam ibi de generatione Diuinitatis, hic de Incarnatione est dictum.* Ambrosius lib. 3. super Lucam; *qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi; qui in Senatu, & reliquis Curijs Ciuitatum, generis astruit dignitatem.* Posset autem quis non plenè eruditus mirari, quòd virorum tot genealogiam Iesu Christo præmittat Euangelista; cum hi omnes, sicut & Ioseph qui *putabatur* Pater eius, proaui putatiui habeantur: sed facilè imperitiæ fit satis, si animaduertitur, D non esse consuetudinis Scripturarum, vt D 4.sent. 30.2.1.& 3.p.28. 1.2.
mulierum in generationibus ordo texatur: id quod idemmet Ambrosius firmat dicens; *consuetudo nos instruit Scripturarum, quæ semper viri originem quærit.* Qua ex notitia pessum it etiam Cherinti Hebionitarum ac Iudæorum insultus in Matris Sanctæ Deiparæ virginitatem, non enim ideo ad Ioseph vsque perducitur, quasi ex Ioseph semine Christus sit natus: sed quoniam per Ioseph generationem, origo Mariæ demonstratur, & contra Manichæum Christus ex semine Dauid euincitur. Maria siquidem & ipsa ex huiusmodi genealogiæ serie, dignoscitur de Dauid cognatione: vt enim dicit Hieronymus super Matthæum; *ex vna tribu fuit Ioseph & Maria; vnde ex lege eam accipere cogebatur vt propinquam: propter quod & simul censentur in Bethleem, quasi de vna stirpe generati.* De quo D. Th. E Hinc Epiphanius de laudibus Deiparæ; *de radice Iesse ortus est Rex Dauid; & de tribu Regis Dauid Sancta Virgo.* Et quidem non solùm per lineam E 3.p.31. a.2.
maternam, quod ad minus tuetur Augustinus apud D. Thomam ibidem, sed & per paternam, vt asseruit Ambrosius l. 3. in Lucam, Damascenus l. 4. c. 15. Bernardus Hom. 2. de Beata Virgine, Petrus Damianus serm. 3. de Mariæ Natiuitate. D. Th. in 4. nuper allato; Sanctus Paulus Rom. 1. *factum*, inquit, *ex semine Dauid secundùm carnem*; qui & Hebræor. 7. absolutè & simpliciter Christum dicit *de tribu Iuda*. Hac de causa, iterum Angelicus; F F Matthæi 1.
consuetum est apud Iudæos vsque hodie accipere vxorem de tribu sua: vnde Numeri 36. *nubant quibus volunt; tantùm, vt suæ tribus hominibus, ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione sua &c.* Quamuis interdum secus acciderit, vt Numeri eo vltimo capite, & c. 49. Genesis retuli. Quomodo autem, adhuc per lineam mater-

nam per Nathan descendente Virgine, ex Dauid, esset cognata Elisabeth, affinitatis necessitudine, habes 3. p. 31. a. 2. 2. Rectè canit Ecclesia Mariam *ex semine Abrahæ, ortam de tribu Iudæ, claraque ex stirpe Dauid*; mysticè enim propterea significata est per *virgam Iesse*, Isaiæ 11. ac etiam per *virgam de Israel* Numeri 24. vt docuere Epiphanius in Anchorato, & Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 1.

9. Quomodo autem & cur Matthæus Euangelium suum sic sit exorsus *Liber generationis* &c. cum minima eius pars, caput scilicet hoc primum duntaxat generationis seriem exhibeat, reuocant in quæstionem Interpretes, huc illuc forti studio excurrentes pro arcto eiusmodi titulo honestando. Calumniatus est Faustus Manichæus, non esse hæc verba propriè Euangelij totius titulum. At quid inde? detur esse Procemiolum quoddam, quo Euangelista significet, vnde statuerit Euangelium auspicari. Sed & aliàs compertum est Inscriptiones Librorum congruentissimè fieri à principaliori à digniori: non secùs ac Genesis 5. dicatur; *Hic est liber generationis Adam*; tametsi plurima, post Adæ generationem, in eo tradantur. Quare cum humana Christi generatio, origo sit ac principium omnium, pulchrè notauit Chrysostomus, meritò ab illa nomen accipere Librum; quemadmodum à fonte & capite flumina, quantumcunque postea in longum protracta & crescentia. Non incongruè pariter *ly generationis* capi potest atque extendi ad Christi acta, mores, gesta, atque ad processum & discursum vitæ: sicuti Genes. 6. de Noe dicitur, *perfectus in generationibus suis*, quasi in operibus suis; & de Iacob c. 37. *hæ sunt generationes eius*; cum tamen facta illius inibi referantur, non verò filiorum procreatio. Diuiditur autem ex D. Thoma G Euangelium Matthæi in tres præcipuè partes; primò enim agitur de Christi humanitatis in Mundum ingressu: secundò de eius processu: tertiò de ejus egressu. Prima pars complectitur duo prima capita, in quibus generatio ipsius, & manifestatio. Secunda incipit à capite tertio; ibi (*in diebus autem illis*.) Tertia c. 21. *& cum appropinquasset Ierosolymis*. Certè dor & dar hebraica vox generationem, ætatem, durationem, commorationem potest significare; sicuti *medora* mansionem & incolatum, ab eadem radice: cur ergo non stet & *ly generationis* pro eiusmodi? quo sensu, in hymno Angelicus; *sui moras incolatus miro clausit ordine*. Non absimiliter apud Nostrates, *Vita* accipitur non solùm prout morti opposita; sed pro instituto & ratione viuendi, ac etiam pro moribus: quo pacto Terentius in Adelpho; *inspicere tanquam in speculo vitas hominum iubeo*.

G Matth. 1. in princ.

10. Post hæc subtilior altiorque alia edisseri potest ratio, ex qua sic cœperit Matthæus suum Euangelium. Pendet autem intellectus rei huius ex fine & scopo quem Petrus Aureolus Euangelistæ Sancto, & quidem non ineptè sentit fuisse: nimirum, vt ostenderet Messiam in tota serie Scripturarum veteris Testamenti toties promissum iam tum aduenisse, & hunc esse reuera hominem illum Iesum, qui dicitur Christus. Christus rectè per generationem venit in Mundum. Idcirco præ alijs respersus est Matthæus veteris paginæ testimonijs atque oraculis, ad id comprobandum: sic, vt quasi notas ac demonstrationes præcipuas duas supra viginti percenseat locupletissimè in Oeconomia Bibliorum lib. 3. Tabula 14. & exinceps Georgius Ederus, notas inquam & demonstrationes aduentus promissi Messię, in Christo completas, & à Matthæo mirificè & concinnè, ex parte productas. Vnam profero aut alteram. Prima nota, fuit Dauidica & Regia propagatio ex semine & radice Iesse, quam futuram prædixerunt Prophetæ; Isaias c. 9. *super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit*. c. 11. *egredietur virga de radice Iesse*; Ieremias c. 23. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex*; Ezechiel 37. *Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, & erunt mihi populus, & seruus meus Dauid erit Rex super eos, & Princeps in perpetuum*; Amos 9. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid*; Aggæus 2. ad Zorobabel qui descendit de semine Dauid; *Ponam te quasi signaculum, quia elegi te*; Zacharias 4. cap. de Zorobabel dicit, quòd *educet lapidem primarium*; hoc est, *Christum*. Hæc impleta probat Euangelista Matthæus in ipso statim Euangelij sui exordio. Secunda nota, est natiuitas ex Virgine, quæ fuit prædicta per Isaiam c. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*. Hæc quoque ceu manifestior à Matthæo expenditur, ac perhibetur. Sic de alijs. Quod quidem insulsè obiecere aliquando hæretici, quasi Matthæus adeo eloquijs veteris legis respersus apothecam potiùs redoleret & scrinium veteris Testamenti, quàm gratiæ ac nouæ legis: cum tamen magis mirandum esset, si tot de Christo vaticinia essent omissa. Cum sic igitur res se habeat, cur non inscribere debuit & potuit totum suum Euangelium hoc titulo, *Liber generationis Iesu Christi*? non enim referri oportet solummodo ad primum caput, sed ad totius Euangelij cursum; in quo elucet Christi generatio; eo sensu mirifico; quo Augustinus serm. 20. de Sanctis de Ioanne scripsit; *Ioannes autem figura fuit veteris Testamenti, & in se prætulit formam legis; & nobis Dominum Deum nostrum de quodam legis vtero proclamauit. Ergo quia Iudæi errauerunt à ventre, idest à lege, quæ Christo grauida erat, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa*. Sic dixerim ego; *Matthæus Christum nobis de quodam legis vtero proclamauit*, de secreto oraculorum & Prophetarum, nobis Christum Messiam prædicauit; qui tunc genitus natusque comprehensiuè agnitus est, cum impleta esse omnia, ostensum est, *quæ in lege Moysi & Prophetis & psalmis*, (*Lucæ* 24.) *de eo fuere scripta*. Quæ quidem ipsum membranæ obuolutum litera, tanquam de Spiritu-Sancto conceptum, talem parturiendum clamabant; qualis tandem cum *venit plenitudo temporis* (Galat. 4.) erat nasciturus. Vnde quia propheticos caracteres, per quos editus innotescit in lucem, tota Sancti Euangelij serie Matthæus animaduertit; quasi accurata obstetrix repromissum exhibens partum, conficere se inquit *librum generationis Iesu Christi*; qua temporaliter ad ortum in terris processit, qui natus à Deo Patre ab æterno, *imago Dei inuisibilis* (Coloss. 1.) *primogenitus omnis creaturæ*, manauit. Et hoc aduersum impietatem Manichæorum, qui vt refert S. Doctor Matthæi 1. ad finem, ausi sunt blasphemare, non inueniri in veteri Testamento Prophetiam de Christo.

Ex consequenti exponi potest alia de causa, cur *librum* appellauerit Matthæus suum Euangelium; 11.
ad indicandam nimirum veteris nouique Testamenti connexionem, seu potius, ratione Auctoris & finis, identitatem; nam vtriusque paginæ conditor Spiritu-Sancti calamus est, vtriusque scriba; *finisque legis Christus est*, Roman. 10. *scriptus intus & foris*; Apocal. 5. *intus*: ex Gregorio, *quantum ad vetus Testamentum, quod occultè agit de redemptione hominis: foris: quantùm ad nouum; vbi apertè*. Sanè quamuis nonnullum sit H discrimen veteris à noua lege; non tamen inter illas diuersitas est speciei. Continetur etiam noua lex in veteri I sicut frumentum in spica. Hinc illud Ezechielis 1. *Rota erat in rota*; sic glossat Gregorius, *idest nouum Testamentum in veteri*: Cum ergo fuerit, quod ait Ambrosius, *veteris legis series typus futuri*; cumque *idem sit motus* ex Philosopho, *in imaginem & ima-*

H p. 2. 107. 1.
I ibidem a. 1.

imaginatum; cum, *vna eademque sit fides antiquorum & modernorum*, vt dicitur in glossa Matth. 12. *habentes autem eundem spiritum fidei*; 2. Cor. 4. quid mirum si hoc intuitu, initium noui Testamenti, eodem inscribatur tenore, ac primum veteris Testamenti propagationis exordium? Vt enim hic *Liber generationis*; ita Genes. 5. *Hic est liber generationis*; nam Adam I fuit vetus homo; & hic de generatione agitur noui hominis, nempe Christi. Primæ Corinth. 15: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de Cœlo cœlestis*. Et prius; *factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem*. Ab eiusmodi mira antithesi, cur non debuerat audiri vox quæ illam innueret, *liber* scilicet *generationis*, vtrobique? Et tamen nonnihil discrepantiæ dignoscitur, quo fortè latet mysterium. Habetur quippe Genes. 5. *Hic est Liber generationis Adam*: in Matthæo autem, duntaxat, *Liber generationis Iesu Christi*. Tangit Quæstionem Angelicus M dicens; ponitur nominatiuus sine verbo: quare videtur oratio imperfecta. Respondet; Matthæum conscripsisse Euangelium Hebræis; ideoque in scribendo Iudæorum morem seruasse. Consuetum est autem apud Hebræos sic loqui: sicut dicitur; *Visio Isaiæ* &c. subauditur, *Hæc est*. Ita in præsenti subauditur, *Hic est*. Literalis & vera solutio. Sed nihilominus, etsi Genesis 5. subaudiatur ly *est*; pronomen *hic* non subauditur, sed expressè cernitur, in ea vocula *zeh*, quæ valet *hic*, vel *iste*. Quare ergo & Matthæus, non cœpit eodem pronomine dicendo *zeh sepher*; *hic liber*? subintellecto *est*. Fortè, aio ego, abstinuit à pronomine *hic*, vt significaret identitatem Legis, vtriusque Testamenti, vt expositum est: vnde ne putaret quis simpliciter nouum Testamentum ponere in numero cum veteri, iterare noluit pronomen. Fortè etiam, quoniam ly *zeh* pronomen est demonstratiuum: ideoque vt deprehenderet pia meditatio, Incarnationis mysterium fide teneri, nec posse demonstratiuè aut sensu humano capi vel ostendi, non illud apposuit. Non eiusmodi fuit Adam generatio quæ naturæ limite claudebatur; & sic absque reuelato lumine enarrari poterat & agnosci. Crediderim vlterius idcirco Genes. 5. ad exprimendum Adæ *generationem* vsurpari verbum *toledot*; eoquòd sit à radice *ialal*, à qua deriuatur *ialad*: *ialal* autem *vlulauit* significat. Vlulatus videtur esse vocis emissio, quæ fit cum cordis dolore: hinc *ialad*, *peperit*, *parturijt*. Quàm bellè Adam soboles per tale verbum subit generationem, quia *in dolore* paritur ac parturitur! Hebræus primus textus Sancti Matthæi, vt dictum est, intercidit. Si sub oculis esset, certe fas est asserere, non fuisse ly *generationis* exprimendum ea voce *toledot*; sed alia nempe *dor*; quod generationem significat quidem, *dorò* Isaiæ 53. *generationem eius*; ast non dolorosam; clamorosam; quia Virgo peperit sine dolore, quæ concepit de Spiritu-Sancto, longè omni extincti fomitis concupiscentia. Quamuis autem ab eadem radice *ialal*, sit *ièled*, scilicet *puer*, & *inllad* scilicet *natus est*; Isaiæque 9. ita legatur de Christo *chi ièled inllàd lànu: paruulus enim natus est nobis*; attamen altiori de causa scriptum attingit fides, non quidem ad doloris indicium in partu, sed quia parientem Matrem, non verò generantem Patrem voces illæ propriè concernunt: vt notant periores. In Ecclesiastica Historia, (cuius Auctor N Eusebius fuit Cęsariensis,) legimus; *ipsi Apostoli & Euangelistæ fuerunt instructi de genealogia Christi à proximis parentibus*; O qui eam partim memoria ex dictis lib. 1. Paralipomenon, partim corde tenebant. Tu adde; speciali Spiritus-Sancti ductu: dicente Dauid Ps. 44. *lingua mea calamus Scribæ, velociter scribentis*; enarrante Ezechiele c. 1. *vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*; & D. Petro in secunda c. 1. *Spiritu-Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*; vt in Prologo dictum est.

I Genes. 5.

M Matthæi 1.

N 1. p. 31. 1. 2.

O Matthæi 1.

Iesu Christi.

Primùm, hoc mirabile nomen, *Saluatorem* sonat. Hinc ad Titum 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri*. Vbi D. Thomas P quia ad hoc venit, & hoc importat nomen eius. Quod sanè præsignatum fuit Genesis 41. quando Pharao *vertit nomen Ioseph, & vocauit eum* lingua Ægyptiaca *Saluatorem mundi*; nam Dominus Q typo Ioseph à Pharaone; idest à Regibus Romanis dictus est tandem *Mundi Saluator*: & etiam Numeri 13. fertur etenim non sine mysterio qualiter Moyses vocauit *Osee* filium Nun, *Iosue*: græcè *Iesun*: de quo Numeri 14. nonnihil dictum est. Quò facit Iacob prædicto Genesis 49. *Salutare tuum expectabo Domine*: Chaldaica interpretatione; *non expecto salutare Gedeon, filij Ioas, quæ est salus temporalis; neque salutare Samson filij Manuè, quæ est salus transitoria; sed expecto redemptionem Christi filij Dauid*. *Iesus* ex Damasceno R significat *Deum humanatum*: necte quod ait Leo Papa; *nisi verus esset Deus, non afferret remedium*: potuere siquidem veteris legis plures insigniri hoc nomine; vnde fuit *Iesus Naue*, *Iesus Syrach*, *Iesus Iosedech*: cæterùm, (relicto, quosdam putasse, non omnino eisdem literis fuisse conscriptum) typi dicti sunt Domini ex Sanctis Patribus; quatenus saluti temporali ab hostibus, à periculis, ab incendio, fame & similibus, populo adfuere; non autem quia animæ salutem attulerint; quemadmodum expressit Euangelista Matth. 2. *ipse enim saluum faciet à peccatis eorum*: 1. Timot. 2. *coram Saluatore nostro Deo*. Et prius Isaias c. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos*: Et prius cap. 12. *ecce Deus Saluator meus*. Ioann. 4. *hic est verè Saluator Mundi*. Et ita ex 3. p. 37. 2. 2. *De hac salute*, inquit Petrus Epist. 1. c. 1. *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ*. Adde ex 2. ad Ephes. l. 3. salus importat liberationem à periculis. Vnde perfecta salus hominis erit in vita æterna, quando ab omnibus periculis immunis erit. Sicut Nauis dicitur esse saluata quando peruenit ad portum. Isaiæ 60. *occupabit salus muros tuos*. Quocirca alia curiosè videri possunt apud Rutilium Benzonium in Canticum Magnificat lib. 2. c. 10. dub. 4. 12.

P Titi 2. l. 1.

Q Genesis 30.

R Opusc. 60. a. 1.

Verum, (quod ait Augustinus relatus in Catena Ioann. 13.) sicut Iesus Saluatorem significat, ita Christus Regem. Alibi Christi nomẽ docet à Chrismate dictum, latinè ab vnctione, loquensque de Iacob; *agnoscitis Chrisma, agnoscite Christum*. Tres in antiqua lege solemnes erant vnctiones; S in Sacerdotem vt Aaron, Leuitici 8. in Regem vt Saul 1. Regum 10. & in Prophetam, vt Eliseus 3. Regum cap. 19. Sacerdos ad sanctitatem, Rex ad potestatem, Propheta ad cognitionem. Vnguntur etiam Reges Christiani T in signum clementiæ. Ideo scripsit Hieronymus; *Christus commune dignitatis est nomen*. Dominus autem futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos. Deut. 18. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*. Ieremiæ 23. *Regnabit Rex*. Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*. Verùm notatur; V non fuisse vnctum oleo visibili, quia *Regnum eius non est de hoc Mundo*. Itemque non est functus Sacerdotio materiali: & ideo non est materiali oleo vnctus, sed oleo Spiritus-Sancti; idcirco *oleo lætitiæ*. Et si roget quis, quidnam excogitari possit causæ, cur venturus Saluator nomen hocce *Christi* præelegerit: ea potest esse, quia præter plurimas conuenientissimè deprehensas olei allegorias; puta, quia lucet, pascit, fouet ignem, lenit, habet ex Hieronymo super Ezechielem c. 16. & Daniel. 10. vt peccatorum 13.

S Rom. 1. l. 1. & Matth. 1.

T opusc. 41. l. 1. 14.

V Ps. 44.

catorum vulnera mitiget atque curet: ex quo stat in symbolum gratiæ: gratia autem semen est gloriæ, vbi inenarrabile erit gaudium & lætitia. Quoniam verò vt dicitur in Psal. 83. *gratiam & gloriam dabit Dominus*, meritò per oleum ipsa Diuinitas est adumbrata: quæ quia est vnita Redemptori, efficit vt specialissimè dicatur vnctus. Psalm. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus*; Actor. 4. *aduersùs sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti*; vt exponitur ad
X Titi 1. 3. Titum x *oleo lætitiæ*. Quocircà Clemens Alexandr. 2. Pædag. 8. *Benè quippè dicitur oleum lætitiæ, quia nullum est verum gaudium, nisi vbi Deus*. Sed vltrà hæc ait Theophylactus, Lucæ 24. in Catena; *Christi nomen continet in se & Patrem, quasi vnctorem, & Spiritum-Sanctum, quasi vnctionem, & filium quasi vnctum, secundum humanam naturam*. Ex his factum est, quod ait Augustinus, vt *Messias*, hebraicè, græcè *Christus*, latinè *vnctus* dicatur. De quo præterea Act. 10. Petrus; *vnxit eum Deus, Spiritu-Sancto, & virtute*. Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eoquòd vnxerit Dominus me*. Clarebit magis Nominis huius significatio, attento, esse *oleum effusum* Cant. 1. in quo tanguntur A misericordia & abundantia: Bernardus; *oleum effusum est, gaudeant ægrotantes*: & iterum; *habes anima mea reconditum electuarium, quod nulli vnquam pesti inuenitur inefficax*. Et Augustinus; *ideo nos vnxit, quia luctatores contra Diabolum fecit*: ac Alcuinus; *vnctio olei fessis, & dolentibus membris solet afferre leuamen*. Cohæret voci illi *effusum*, ly *præ participibus tuis*: dicente item Augustino *participes enim eius sunt, omnes Sancti: sed ille est singulariter sanctus, singulariter vnctus*: & Ioanne c. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*. Cæterùm non tàm oleum, quàm pretiosissimum credendum est balsamum: cuius figura exstiterit Exodi 30. illud, quo Sacerdotes & Reges vngebantur, ex selectissimis succis & aromatibus confectum: quod quidem miraculo sine diminutione perdurasse ad nongentos annos, fert Maluenda noster de Antichristo lib. 11. cap. 10. Canit hanc ad rem Ecclesia: *O quàm felix punctio, quàm beata spina! de qua fluit vnctio, Mundi medicina*. Fluxit fortè ad hoc innuendum teste Nicephoro, Romæ B oleum tribus è locis, ad lenimen, ad curandum, ad saluandum: iuxtà quod prædixerat Psaltes; *Deus in nomine tuo saluum me fac*, Ps. 53.

A Sermone in Circumcisione.

B 5. p. 36. 3. 3.

Filij Dauid, filij Abraham.

14. Secundùm Chrysostomum Matthæus qui Iudæis scribebat, *nihil statuit vlteriùs scribere, nisi quòd ab Abraham & Dauid Christus processerat*. Sanctus Hieronymus, & cum eo item Chrysostomus; *ideo cæteris prætermissis horum filium nuncupauit, quia ad hos tantùm de Christo repromissio facta est. Ad Abraham; in semine, inquit, tuo benedicentur omnes Gentes: quod est Christus. Ad Dauid; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Adde ex 2. Regum 23. *dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob*. Tractat hoc D. Thomas, C & vltra dicta ait; Christus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos. Abraham autem Sacerdos fuit; vt patet ex hoc, quòd Dominus dixit ad eum Genes. 15. *sume tibi vaccam triennem*, &c. Fuit etiam Propheta, secundùm illud quod dicitur Gen. 20. *Propheta est, & orabit pro te*. Dauid autem fuit Rex & Propheta. Alia ratio est: quia in Abraham primò incepit circumcisio; in Dauid autem maximè manifestata est Dei electio; secundùm illud quod dicitur 1. Reg. 13. *quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum*. Et ideò vtriusque filius Christus specialissimè dicitur: vt ostendatur esse in salutem & circumcisioni, & electioni Gentilium. Rupertus Abbas refundit in ipsorum prægrandem humilitatem; excelluerunt enim in ea: & Dominus venturus erat humiliandus *vsque ad mortem, mortemque crucis*, vt dicitur ad Philippenses 2. Abraham primus Domino dixit; *loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis*, Genes. 18. Dauid Rex vnctus, Saul persecutionē dolens 1. Reg. c. 24. ait, *quem persequeris? canem mortuum, & pulicem vnum*. Idcirco ait Zacharias Luc. 1. *& erexit cornu salutis nobis in Domo Dauid pueri sui*. Puer quippe pro humili ponitur, vt D. Basilius, & Haymo exponunt serm. feriæ 6. quatuor Tempor. in aduentu ly *suscepit Israel puerum suum*. Dionysius Carthusianus mysterium expendens præferens virtutibus alijs Virginis humilitatem, hanc astruit proximam tantæ exaltationis dispositionem dicens; *tanta est incarnati Verbi maiestas, vt non nisi ab humillima, & penè incomparabiliter humili puella, decuerit concipi*. Hinc Augustinus; *sine humilitate, audeo dicere, nec Virginitas Mariæ Deo placuisset*. Equidem opportunè omnia: cum primum hominis peccatum, ad quod tollendum potissimè venit *Agnus Dei*, Ioan. 1. videatur fuisse D inobedientia, D Rom. 5. 1. 5. & 22. 16. 1.
secundùm interiorem motum superbiæ: Ecclesiastici 10. *initium omnis peccati superbia*. Augustinus lib. de catechizandis rudibus: *Magna miseria superbus homo, sed maior misericordia humilis Deus; vt magnus tumor noster contraria medicina sanaretur*.

C 3. p. 31. 8.

Filij Dauid, filij Abraham.

Cum tot sæculis ante Dauid præfuerit Abraham; 15.
& huic non minus ac Dauid, facta fuerit Messiæ promissio, iuxta quod ait & Zacharias in Cantico Lucæ 1. *iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis*; & Apostolus ad Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, versant sacri Interpretes quæstionem, cur non potius scripserit Euangelista filij Abraham, filij Dauid? Hieronymus attendens sermonis leporem, stylique venustatem, hoc ipsum assignat pro causa, dicens: *ordo præposterus, sed necessariò commutatus; si enim primò posuisset Abraham & postea Dauid, rursus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis series texeretur*. Intellige repetendum fuisse minùs concinnè, hoc pacto: *filij Abraham, filij Dauid: Abraham genuit Isaac* &c. Quòd si verborum isthæc constructio non adeò dissona videatur, vt pro ea vitanda debuerit inuerti Patrum Christi ordo: dic, Diuum Hieronymum non vim facere in verbis, sed in significato verborum: mens siquidem Matthæi postquam semel prompsisset *Abraham*, perrexissetque *ad Dauid*, rursus reuersura fuisset ad *Abraham*, quem veluti dimiserat, ad Dauid excurrens: vnde ly *repetendus ei fuerat Abraham*, idem sonat ac, *adeundus iterum erat ei Abraham*. Quod quidem in serie sequentium generationum accidit nuspiam. Caietanus & Iansenius, literali hac expositione haud contenti, aliarumque neglectu, putarunt ly *filij Abraham* supponere pro *Dauid*, qui item fuit filius Abrahæ; non verò pro Christo. Gratis & plausibiliter parum; quoniam, nulla apparet ratio, cur Dauid descendere ex Abraham memoraret Matthæus: qui in prosecutione generationum, Dauid filium Iesse erat editurus; & sic satis à proauis & atauis, inter quos præfuerat Abraham, demonstraturus fuisse Dauidem.

Missis plerisque alijs Sanctorum Patrum meditationibus, arridet satis Chrysostomi Euthymij & 16.
Theophilacti discipulorum eius placitum, vt ideo hæc sit apud Matthæum facta inuersio, quia de Messia promissio famosior erat, vulgo etiam notior Dauid, quàm esset Abrahæ: cum esset ista antiquior, illa recentior. Et præterea frequentissimè in Prophetis id cantatissimum erat; vt Isaiæ 9. *super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit*. Ieremiæ 23. *susci-*

suscitabo Dauid germen iustum. Osee 3. *& quærent Dauid Regem suum*. Certè pariter ipsius Dauidis filium, passim, vt patet Matthæi 9. 12. 15. & 20. 21. & 22. vel sponte sua, vel interrogati, *cuius filius* esset, responderunt. Sed tamen profundior necesse est subsit ratio, quando Lucæ 1. ab Angelo legimus; *dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius*: Et Apocalyp. 5. *Leo de tribu Iuda radix Dauid*. Et c. 22. *ego sum radix & genus Dauid*. Ex quo Augustinus, siue potius Auctor alius Tom. 4. 2.p. quæstionum ex nouo Testamento quæst. 3. putat sic decuisse, vt *Rex de Rege* ortum capere in primis diceretur. Et ideo pergens ait, *Iesse autem genuit Dauid Regem; Dauid autem Rex*, &c. quemadmodum idem Ieremias adiecit; & *regnabit Rex*, quemadmodum in psalm. 2. *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanct...m eius*; & sæpissimè; *Dominus regnauit*. Et Lucæ 1. *Regni eius non erit finis*. Sic denique Paulus Roman. 1. *qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*. Vbi D. Thomas E quærens, quare specialiter ab Apostolo dicitur *ex semine Dauid*, & non ex semine Abrahæ, cui promissio facta fuit de Christo, secundum illud Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones?* occurrit, id quoque factum esse; ad commendandam dignitatem Regiam Christi, Romanis Regnum Gentium tenentibus. Fortè ergo & Matthæus hunc in fidem Iudæis Messiam nuncians, quo, vel carnali intelligentia pellicerentur, ad eum excipiendum, Dauidis filium prænominauit. Hæc fidelibus facilius inseruntur animis, quam audiant obstinatiores errabundi tot Iudæorum; quippe qui terrenis mente & corde, vix capiunt Regnum Messiæ spiritualiter accipiendum, quatenus *qui priùs regnabat in Cælo, per fidem credentium regnat in terris*: quo sensu petimus; *adueniat Regnum tuum*, Matthæi 6. Veruntamen ad eorum tundendam durissimam ceruicem, posset nedum ad spirituale, sed ad temporale Regnum detorqueri; vel in quantum dicitur *per me Reges regnant*; Prouerb. 8. *& legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam*; dum tot Dynastæ ac Monarchæ Christo nomen dedere: vel etiam quia ius amplissimum omne Christus Dominus obtinuit in terris Ioan. 13. *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*. Et Matthæi vltimo, *data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra*. De quo, opportuniori loco, aut Matthæi 21. ac Lucæ 19. ibi, *benedictus, qui venit Rex*; cum ingressus est super iumentum Ierusalem, aut cum de passione eius & morte, agi poterit: De quo Antonius Perez Episcopus Vrgellensis capite 42. ex eiusdem Matth. 2. v. 1.

E Rom. 1. l. 1.

17. Post hactenus dicta, rationes aliæ afferri possunt prævalidæ rem ad hanc; animaduertendo scilicet prælationem Dauid, Moysi & alijs Prophetis. Etsi enim Moysi F visio fuerit excellentior, quantùm ad cognitionem Diuinitatis; mysteria tamen incarnationis Christi Dauid pleniùs cognouit & expressit. Hoc pacto fas est præferre ipsum Dauid etiam Abrahæ. Et si vis fiat in ly *expressit*, inuenitur Dauid veluti antesignanus mysterij Christi Magister. Hinc constanter dicitur G in psalmis ferè totam contineri Theologiæ doctrinam: & rursus eruditè tradit, in lege veteri H consuetum fuisse, vt in omnibus suis Sacrificijs, vterentur scripturis Psalmorum. Quod quidem 2. Paralipomenon c. 7. satis claret. Quare si hac de causa Genes. 4. expendens Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel c. 3. post editum natura priùs Cain, de Abel deinde primo loco notauit fieri sermonem; *fuit autem Abel Pastor ouium, & Cain Agricola; quid sibi vult mutatio ordinis, vt priùs iunioris meminerit?* & subiecit; *oues pascere, est instar cuiusdam Doctoris: vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain; vbi disciplinatum fit prædicatio, præcurrat Abel*: & iterum; *vbi exprimitur disciplina viuendi, seniori iunior antefertur*: cur non hoc ipsum aptetur præsenti quæstioni: quando præ Abraham etiam Dauid edocuit? Cohæret quod habetur Isaiæ 7. vbi quamquam adiecerit primò *Dominus loqui ad Achaz; pete tibi signum à Domino Deo tuo*, præeruditæ & præerudiendæ de Virgine stirpi Dauid, inclamatur; *Audite ergo Domus Dauid. Ecce Virgo concipiet*; &c. Et adhuc ex eodem Ambrosio apud D. Thomam Matthæi 1. Dauid præponitur ratione dignitatis: ad Dauid enim facta est repromissio de ipso Capite; ps. 131. *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; ad Abraham de membris, scilicet de Ecclesia; Gen. 22. *in semine tuo benedicentur omnes Gentes*; *benedicentur in te omnes tribus terræ*: vnde *instaurandæ Ecclesiæ*, vt ait Augustinus, *sponsionem primus emeruit*.

F 2. 2. 174. 4. 3.

G Prologo in Epist. Pauli.

H Hebræor. 1. l. 2.

Causa prælationis eiusmodi alia esse potest, aduentus Christi Domini, potissimus finis: qui nimirum secundùm quòd ait Apostolus, *venit* (1. Timot. 1.) *in hunc Mundum peccatores saluos facere*: sicut ipsemmet ait Lucæ 5. *non veni vocare iustos, sed peccatores ad pænitentiam*: & Matth. 9. *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*. Propter hoc idem Apostolus scribens Romanis subiecit de Abraham dicens; *qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*; ad dandam spem I veniæ peccatoribus; quia Dauid peccator fuit, Abraham iustus. Propterea frequentantur in Ecclesia Psalmi Dauid, qui post peccatum veniam obtinuit; vt ex hoc peccatores ad spem erigantur. Consonat Hieronymus in hæc verba: *notendum in genealogia Saluatoris, nullam Sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas Scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret*. *Filij* meritò igitur *Dauid*, deinde *Abraham*.

I Rom. 1. l. 1.

18. Denique prænominationis huius Dauid ante Abraham altius repetenda est causa: pendetque isthæc ab ordine diuinæ dispensationis quoad Messiæ aduentum. Ipse sanè ait Matth. 15. *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel*; iuxta Isaiæ vaticinium c. 42. *non audietur vox eius foris*. Sic Luca 1. de Simeone legimus; *expectabat consolationem Israel*. Vnde & Apostolus Rom. 15. *dico enim, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*. Non quòd in salutem Gentium non venerit; addit quippe; *Gentes super misericordia honorare Deum*; est enim *Saluator omnium*, vt dicitur 1. Timoth. 4. Et vt ait Ioannes c. 11. *Iesus moriturus erat pro Gente; & non tantum pro Gente; sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*: sed quia, vt constanter Actor. 13. Paulus & Barnabas dixerunt Iudæis; *vobis oportebat primum loqui verbum Dei*. Et hoc quidem vt ait idem Paulus Roman. præfato 15. *ad confirmandas promissiones Patrum*: vtpote, *quorum est*, Roman. 9. *adoptio filiorum, & gloria, & testamentum & legislatio, & obsequium & promissa; quorum Patres, & ex quibus est Christus, secundum carnem*. Et idcirco in hoc sensu, inhibuit Dominus discipulis Matthæi 10. *in viam Gentium ne abieritis*: Deinde Ioan. 10. adiecit: *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere*: & Matthæi vltimò *Docete omnes Gentes*. Quibus concinit Simeon; Lucæ 2. *lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Quoniam ergo Iudæi in notitiam mysteriorum Christi, vt recolit S. Doctor L peruenerunt per verba annunciata eis a Prophetis: Primæ Petri 1. *Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt*, debuit Matthæus eis per suum Euangelium annunciaturus Messiæ aduentum, ipsorum primatum, ex quo à Genti-

L Rom. 15. l. 2.

Gentibus seiuncti clarent, innuere: ideoque compellat Iesum Christum, prius *filium Dauid*, deinde *Abraham*: sicut & Paulus Actor. 20. ait; *testificans Iudæis*, deinde *gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*; & hoc ordine loquitur Tridentinum sess. 6. c. 2. dicens, *vt & Iudæos, qui sub lege erant, redimeret, & Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent*. At dices, nunquid ante Dauid Iudæi non erant & Isaelitæ, nempe à genere Iacob descendentes, qui est dictus *Israel* Genesis 32.? Nunquid ab Abraham non sunt Israelitæ? nonne Ioan. 8. dixerunt; *Pater noster Abraham est*. Respondeo iacto Zachariæ auctoritate fundamento, quippe qui Lucæ 1. cecinit: *Benedictus Dominus Deus Israel; quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ: & erexit cornu salutis nobis in Domo Dauid pueri sui*. Ecce quomodo quamuis Israelitæ ab Iacob dicantur; Iacob etiam nepos sit Abrahæ, *in domo Dauid cornu salutis*, erectum prænunciatur. Duæ adsunt potissimè causæ: prima, quia populus Iudæorum primò fuit in deserto M non habens certam mansionem: postmodum verò habuerunt varia bella, cum finitimis Gentibus: vltimo autem tempore Dauid & Salomonis, habuere quietissimum statum; & antequam Regem haberent, non fuit ædificatum eis templum: sic legimus 2. Regum 12. *Ego vnxi te in Regem super Israel, & dedi tibi Domum Domini Dei tui*. Et ideo quia *gloriam plebis Israel* allaturus erat Christus, (quod ait Simeon, Lucæ 2.) primò commemoratur Dauid, sub quo floruerunt. Altera causa est, quoniam etsi Abraham *sit Pater circumcisionis*, est tamen *Pater* etiam *omnium credentium per præputium*, vt ex D. Paulo Roman. 4. docemur N Idcirco sanè cum Abram prius diceretur, addidit illius nomini Dominus, ex quo *Pater multarum Gentium* appellaretur. Quomodo ergo primo loco poni poterat Abraham, si primùm annunciari debuit Israelitis? si primò Iudæis prædicandum fuerat, non æquè primò etiam Gentibus? Aliàs autem, cum Dominus millies *fortis & potens* perhibeatur, *& in manu potenti, & brachio excelso* educturus esset nos de Ægypto, ac de durissimo Pharaonis Imperio, cur non cantaretur in primis *filius Dauid*, qui interpretari solet *manu fortis*? Cum translaturus nos Deus esset *in Regnum filij dilectionis suæ*, Coloss. 1. cur non præmittendum erat *filij Dauid*; qui itidem sonat dilectum? Inaniter etiam nimis gloriabantur de Abraham: vnde ait eis Dominus Matthæi 3. *& ne velitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham. Si filij Abrahæ estis*, Io. 8. *opera Abrahæ facite*. Ne ergo ansam arriperent Cenodoxiæ, decuit posthaberi Abraham; quia vt aiebat Apostolus in illos, Roman. 2. *circumcisio quidem prodest si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est*. Dauid etiam interpretatur *aspectu desiderabilis*, vt hic ait D. Thomas, vel *visu desiderabilis*, vt Cantic. 4. ad ly *sicut Turris Dauid*: Messias autem erat desideratus cunctis Gentibus. Item ps. 2. Dauid dicitur *manu fortis* & Christus Dei virtus; 1. Cor. 1. *David*; *aspectu desiderabilis*: & Christus *splendor gloriæ in quem desiderant Angeli prospicere*; Hebr. 1.

M p. 2. q. 102. a. 2.

N Rom. 4. l. 2.

VERS. II. *Abraham genuit Isaac*.

Notat Sanctus Doctor O per Patres positos in generatione Christi, signari ipsum Christum, ratione vel nominis, vel facti, vel alicuius alterius: & hoc, inquit, per se patere. Sanè spiritualem subesse sensum, refragari non sit qui audeat: vel ex hoc vno, quòd Iacob fertur genuisse *Iudam & fratres eius*: & tamen Iudas non fuit primogenitus, sed quartò; benè verò Ruben, vt claret Genes. 29. Id quod perpendens P Angelicus, vbi primo loco Ioannes scripsit, *ex tribu Iuda duodecim millia signati*, ait; carnalis generatio non est hìc attacta sed spiritualis. Augustinus lib. de Catechizandis rudibus: *Sanctorum qui præcesserunt tempore natiuitatem Domini, non solùm sermo, sed etiam vita & coniugia & filij & facta Prophetia fuit huius temporis, quo per fidem passionis Christi*; &c. Igitur Abraham quoque stare potest pro Christo, qui Q *multos filios in gloriam* Hebr. 2. *adducturus fuerat*, quemadmodum Abraham multarum gentium Pater. Qui præterea præcepto Domini *egrediens de terra sua*, Genes. 12. eidem prælusit Christo Domino, qui ait Ierem. 12. *reliqui Domum meam* &c. Verùm posito Abraham item in Christi Patrem: cui dictum est; *in semine tuo, qui est Christus*, Galat. 3. *benedicentur omnes Gentes*, pulchrè arridet Christi in figuram *Isaac*, qui interpretatur solidè *risus*: quo nimirum sic ab Abraham vocato, dixit Sara mater exultans; *Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit corridebit mihi*. Genes. 21. cui quidem concinebat vterque Parens, quando vterque c. 17. & 18. hac de re risit. Hoc autem per transennam, quasi fuisset sine mysterio, minimè nobis prætereundum est: quando legimus Ecclesiastes 2. *risum reputaui errorem*; & vt fert Dionysius Carthusianus in cap. 11. Ioann. Lazarus post suam suscitationem non ampliùs risit. Docet Angelicus R quantùm ad Abraham, risum eius, cum *cecidit in faciem suam, risitque in corde suo*, non fuisse dubitationis, sed admirationis: vnde Rom. 4. *non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quòd quicquid promisit Deus, potens est & facere*. Et sic non reprehenditur risus eius à Deo, qui corda omnium nouit. Sara autem primò dubitauit in prima promissione: sed quando Angelus recurrit ad potentiam Dei, cum dixit; *nunquid Deo quicquam est difficile?* tunc credidit. Ideo videtur mihi tangere fidem, quæ per auditum, *& ex auditu est*, Rom. 10. tanquam per disciplinam, dicens *omnis qui audierit corridebit mihi*. Huc facit illud Ioann. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est*. Ex quo Ambrosius; *Risus Abrahæ in corde designat gaudium, quo vt Christi videret diem, exultauit*: Et Glossa ordinaria; *risus Saræ spem indicat, quia spes Natiuitate Christi est oborta*. Hæc autem apprimè dicuntur, dùm Isaac apertissimè, mille ab allegorijs, innotescit fuisse in typum Christi. Verùm misso gaudio, quo totus perfundendus erat Orbis in Christi ortu; iuxta quod dixit Angelus Pastoribus; *euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, Lucæ 2. & Magi *videntes stellam gauisi sunt gaudio magno valdè* Matth. 2. quid aliud portendat risus iste, operosiùs quærendum est. Cur enim in Isaac sic præludere, fuit placitum Domino? In promptu est causa, si recolas sterilem ac inter steriles primam fuisse Saram: constantissimum est autem Sanctis Patribus sterilium partus adumbrasse in veteri lege partum virgineum. Sic affirmat Chrysostomus Homilia 99. in Genesin: D. Thomas S in hæc verba; sciendum, quòd omnes conceptus miraculosi, qui fuerunt in veteri Testamento, fuerunt quasi figura illius maximi miraculi, quod fuit in Christi incarnatione: oportuit enim Natiuitatem eius ex Virgine, per aliqua præfigurari, ad præparandos animos ad credendum; & Ambrosius T in Hexameron; *ob hoc multæ steriles præuenerunt, vt partus credatur Virginis*. Et ideo conceptus Elisabeth sterilis (nota, famosam fuisse, dicente Gabriele; *quæ vocatur sterilis*) inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam singulare exemplum. Et ideo ad confirmationem huius exempli, subditur argumentum efficax ex omnipotentia diuina. Mihi autem videtur recurrisse Archangelum ad hoc,

19. O Matthæi 1.

P Apocalypsis 7. Comm. 2

Q Matthæi 1.

R Hebr. 11. l. 3.

S Hebr. 11. lect. 3.

T 3. p. 30. a. 3.

hoc, quia *non est impossibile apud Deum, omne verbum*, vt innueret præcipuam huiusmodi Isaac figuram, quando quid simile, & Angelus prompsit dicens, *nunquid Deo quicquam est difficile?* Itaque quoniam Virgo Deum hominem paritura erat sine dolore, (alias omnibus mulieribus communis ærumna, *in dolore paries*) non dicitur filius Saræ *Ben-oni*, hoc est *filius doloris*; sed *Isaac*, idest, *risus*. Meritò hinc Augustinus Serm. 18. de Sanctis; *Exultat Maria, & Matrem se læta miratur, & de Spiritu-Sancto, se peperisse gaudet; nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exultatione miratur.* Et Serm. 11. de Annunciatione; *Heua luxit, ista exultauit; Heua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit; quia illa peccatorem, ista edidit innocentem.* Notum est autem Philosophiæ qualiter risus partus est gaudij ac lætitiæ; qua affectum cor, in eiusmodi tandem erumpit oris motum. Cæterum quia ad excitandum risum, non satis est offerri rem iucundam, sed nouam oportet esse & insolitam: similiter constat *nouum fecisse Dominum*, Ierem. 31. *super terram, cum mulier circumdedit virum*: quidni ergo risus tanti index gaudij celebretur in Isaac? & cur insoliti partus nouitas non indicetur? Adstipulatur Baptista, qui *natus ex sterili, vt eum indicet* (ait Chrysostomus) *qui nasciturus erat de Virgine; vltra legem nascentium, natiuitatem suam* (subdit Maximus) *lætitiæ exultatione præuenit*. Concinit Tympanistria Virgo dicens, *& exultauit spiritus meus*; & sic *Heuæ planctum*, *Mariæ cantus exclusit*. Mirum est autem, quomodo diuina factum est prouidentia, vt Gentilibus etiam, quibus aliàs Sibyllarum oraculis noluit ignotum esse Christi Mysterium, admirandus risus, fieret in expectationis nouæ præcox argumentum. Idem Sanctus Maximus; *nullus ignorat*, inquit, *omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem, inter ipsa lucis exordia, mœstis concrepare vagitibus*. Testantur Aristoteles Auicenna Plinius, risum ante quadragesimum diem infanti negari. Nihilominus ferunt Historiæ, vt apud Iustinum Epitomes lib. 1. & Solinum quoque, ac Plinium lib. 1. cap. 16. Zoroastrem Bacthrianorum Regem, eadem qua ortus est hora, palam risisse. Quid, hoc portenti in Zoroastre, potius Nini temporibus? At non duntaxat Nini, sed Abrahæ contigit sæculo. Sic plane Eusebius Pamphilus *de præparatione Euangelica* lib. 10. c. 3. *Nini ergo, Zoroastrisque temporibus, Abraham fuisse constat*. Bellè ergo, ait Sapiens, Ecclesiastes 3. *tempus*, prius, *flendi*, postea, *tempus ridendi*.

VERS. II. *Isaac autem genuit Iacob*.

20. Quemadmodum Abraham ipsum Messiam significauit vt dictum est, sic ex glossa adnotari debet nedum historia, sed allegoria, secundùm quam, vnusquisque Patrum Christum præfiguret. Hanc exequitur & percurrit mirifice hic D. Thomas: nec immeritò vi nominum expensa, quando, vt ait Chrysostomus, ex aliqua causa, *secundum prouidentiam Dei, posita horum Patrum eiusmodi nomina credimus*. Adde ex Hieronymo in Procemio Commentariorum Malachiæ, *ex nominibus spiritualem intelligentiam capiendam esse*; sicut Apostolus *Rex Salem* interpretatur *Regem pacis*. Hebr. 7. Cuius profundior causa ea esse potest, quam tangit Sanctus

V Galat. 4. lect. 2. Doctor, V quia scilicet, magnus venturus erat: vnde oportebat & multis indicijs, & multis præparationibus homines ad aduentum eius disponi; Hebræor. 1. *multifariam, multisque modis*. Quare sicut dixit Bernardus Serm. 2. de Pentecoste: fuisse Beatam Virginem *negocium omnium sæculorum, opus æternum*:

X Hebr. 1. l. 1. ita quoniam tam magna erant quæ de Christo X dicebantur, per incrementa temporum, edocebantur. Ad hæc Gregorius; *per successionem temporum, creuit diuinæ cognitionis augmentum*. Et ita euoluto tempore mysterijs Incarnationis & Natiuitatis Christi à Deo præordinato, mystica simul Patrum ipsius excurrente consummataque serie, fas fuit plenitudinem celebrare, prout ait Apostolus Ephes. 1. *in dispensatione plenitudinis temporum*; & ad Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis*.

Regrediendo itaque ad *Iacob*, claret in typum fuisse Christi; ex nomine quidem, nàm secundùm 21.
Remigium, eius interpretatio est *supplantator*; & de Christo dicitur, *supplantasti insurgentes in me, subtus me*. Iuxta D. Thomam A sonat luctatorem: A Matth. 1.
& sic in Sequentia; *transit Iacob hunc Iordanem, Instam gerens non inanem, Crucis vsus baculo*. De quo videat lector quæ scripsi Genes. 32. Commemoratur autem hic ratione facti, B quatenus *supposuit* B Ibidem
lapidem, idest duritiem Crucis capiti suo. Verùm ipse recolens quod ait Augustinus lib. contra mendacium c. 10. *per hædinas pelles peccata, per eum verò qui se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portauit*, velim idcirco potissimùm per Iacob in præsenti Christum significari; quia Iacob benedictus fuit à Patre, qui in exstasin raptus ratam illam habuit dicens Gen. 27. *bene dixique ei, & erit benedictus*. Postquam ergo de Virgine nasciturus indicatus est Christus in Isaac; tanquam *fructus ventris* virginei, *benedictus* præfigurandus erat: iuxta quòd *Elisabeth repleta Spiritu-Sancto*, Lucæ 1. *exclamauit voce magna, & dixit; benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Vnde antonomasticè cum ingrederetur Ierusalem *benedictus* à turbis est decantatus. infra c. 21.

VERS. II. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius*.

Ioannes in Apocalypsi c. 7. signatorum percensens 22.
classes, similiter à Iuda incipit; *ex tribu Iuda duodecim millia signati*. Quare vtrobique oritur Quæstio, quam tangit soluitque Augustinus de Ciuitate Dei, dicens; *nec Iudas primogenitus* &c. Certè vt constat Genesis 29. Ruben fuit primò, Simeon secundò, Leui tertiò, Iudas verò quartò genitus Iacob. Soluit, quòd *eos tenueris in generatione* Sanctus Euangelista, *per quos ad Dauid, atque inde quo intenderet, perueniret*. Vel hoc C fuit vt impleretur C D. Th. hic.
Prophetia Iacob Genes. 49. *non auferetur Sceptrum de Iuda* &c. manifestum est enim, *quod de Iuda ortus est Dominus* Hebræor. 7. & ideo fit magis mentio de ipso, quàm de alijs. Aliam subdit causam in Apocalypsi, quam feram in Syntaxi, proximè adnectenda huic capiti. In Psalmo 77. legimus; *& tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda*. Vbi D. Augustinus; *intelligimus electam tribum Iuda, non pro meritis ipsius Iudæ; quoniam inde extitit Christus secundum carnem*. Et paulo post tractans quod sequitur; *& elegit Dauid seruum suum: tribum ergo Iuda propter Dauid; Dauid autem propter Christum*. Quare videtur sana Theologia refundere hoc totum, in Christi merita, Deique beneplacitum: quamquam consectaria de Regibus tribus Iudæ, de Dei cultu: *notus in Iudæa Deus*, Psal. 75. gratis diuinitus factam præelectionem Iudæ extollant. De quo vide Genes. 49. Non desunt allegoriæ Iudæ ad Christum in Sylua Laureti. Et si expendatur nomen, Chrysostomus super Matthæum exponit, vt *Iudas* dicatur *confessor, quoniam Christi erat imago, qui confessor Patris erat futurus*, dicens; *confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terræ*; infra c. 11. Ipse vt ad Christum referam, opinor alta diuina dispensatione sic in genealogia poni, vt percepto in Isaac & in Iacob, ex Virgine benedictissimum, orturum fuisse Messiam, talem mox edoceremur esse nedum hominem, sed Deum, ita vt fas sit illud subijcere, *talis decet partus Deum*; quod canit Ecclesia.

Iudas

Iudas propriè interpretatur quoque *laudatio:* Nam ficut Genefis 29. eo nato dixit Lia, *modò confitebor Domino; & ob hoc vocauit eum Iudam*: ita c.49. dixit Iacob; *Iuda te laudabunt fratres tui*. Laus autem ac laudatio Deo fimpliciter attribuitur; quatenus ex pfalmo legitur, *tibi filet laus Deus:* fiue; *te decet hymnus Deus*. pfal. 64. Apocalypf. 19. *Vox de throno exiuit dicens; laudem dicite Deo noftro omnes ferui eius; & qui timetis Deum pufilli & magni.* Et auditum eft, *alleluia*; & Tobiæ 13. *per vicos eius alleluia cantabitur*. Per Bedam, *Alleluia* à græco eft, idem quod *laus*. Hieronymus interpretatur, *laudate Dominum*, vel *laudatio Domini*. Glofsa fentit importari ineffabilitatem ipfius laudis, quod non fert *laus* communiter dicta: Ecclefiaftici 43. *benedicentes Dominum quantum poteftis; maior enim eft omni laude*. Hinc D. Thomas in Sequentia: *quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare fufficis*. Deum laudant Angeli atque Archangeli; Cherubim quoque ac Seraphim: te Sanctum Dominum in excelfis laudant omnes Angeli dicentes; *te decet laus, & honor Domine*. Pfalmus; *Laudate Dominum de Cælis &c. laudate eum omnes Angeli eius &c. Cum quibus & noftras voces, vt admitti iubeas deprecamur. Deo* ergo *noftro fit iucunda decoraque laudatio* pf. 146. namque, *laudatio eius, manet in feculum feculi*. Claudamufque in Diuinitatis obfequium, cum Auguftino & Ambrofio: *Te Deum laudamus*. Ecce itaque cur Iudas hic in figuram Chrifti: quia fcilicet, qui natus eft de Virgine Deus eft: quod ab infinita ipfius laudabilitate poteft deprehendi. Vnde veluti fit ipfa in abftracto *laudatio*. Hoc ipfum mirè ex hebraicis literis, quibus conflatur Iudæ nomen, deducitur: pronunciatur quippe *Iehudah*: vbi detracto *Dalet*, quæ quoad numeros ftat pro quatuor, remanent quatuor illæ literæ, quibus confueuit ineffabile magni Dei nomen exarari: quafi moneremur per *Dalet*, quatuor notare literas ad myfterium. Hanc caracterum huiufmodi obferuationem fert Lauretus qui fuprà fua in Sylua. Si quando autem Dominus ad fui laudationem Angelos & homines pertraxit; nufquam fortiùs id præftitit, atque cum nafci & mori pro nobis dignatus eft. Leo Papa, Serm. 1. de Natiuitate: *ab exultantibus Angelis, nafcente Domino, gloria in excelfis Deo canitur:* Chryfoftomufque in Matth. c. 21. *Nunquam fibi adhibuit minifteria iumentorum, nec ad terribilem laudem fuæ Diuinitatis, animos Populi excitauit, nifi modò, cum vt pateretur afcendit*. Quia igitur in præfenti, de generatione & ortu Chrifti, qui eft fructus benedictus in Iacob, ventris virginei in Ifaac, qui ex fterili, agit Euangelifta; & mox ænigmate de redemptione vtriufque populi, vtique per mortem, attexitur fermo, debuit meritò Diuinitatis *laudatio* interferi in *Iuda*.

Et fratres eius.

23. Quæritur cur Fratres memoret, cum Ifmaelis fratris Ifaac, & Efau fratris Iacob, non ante meminerit? Refpondeo D quia fratres Iudæ fub vnius Dei cultu permanferunt: non autem Ifmael & Efau. [D Matth. 1.] Chryfoftomus pergit, aitque *Iacob genuit duodecim Apoftolos in fpiritu, non in carne; verbo, non in fanguine*. Sed vlterius fratres nos omnes intelligi poffumus, Roman. 8. *vt fit ipfe primogenitus in multis fratribus:* habet etenim Chriftus E nos fratres, tum quia nobis fimilitudinem filiationis communicauit, tum quia fimilitudinem noftræ naturæ affumpfit. [E Rom. 8.l.6.] Nedum ergo pro Apoftolis iuxtà illud Ioan. 20. *vade ad fratres meos* F per conformitatem naturæ; Hebræor. 4. *debuit per omnia fratribus affimilari*; fed per adoptionem gratiæ, quia Patris eius funt filij adoptiui, cuius ipfe eft filius naturalis. [F Ioan. 20.l.3.] Hinc Hebræor. 2. *non confunditur fratres eos vocare dicens; narrabo nomen tuum fratribus meis*. Et adiungit, *in medio Ecclefiæ laudabo te:* quafi dicat; G per hoc congregatur tibi magna Ecclefia. [G Hebr. 2.l.1.] Quod quidem ftatim emicat & in Matthæo dicente; *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar*; vt in Syntaxi clarebit: ficuti etiam in ly & *fratres eius* Diuinitatem virginei partus aperit. Et ideo cum in ordine ad fratres dicatur primogenitus, vt primogenitus tanquam Deus adoratur: *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli eius*; Hebræor. 1. *Iudas* ergo, *& fratres*: Chriftus Deus, homo Deus, & fideles: quippe *qui multos filios adducturus erat in gloriam*; Hebr. 2.

VERS. III. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.*

24. Dum pergit Matthæus generationis Iefu Chrifti feriem attexere, non poteft quifpiam non mirari, quare tot fixo numero percenfeat Patres. Quocirca plures excitantur enodanturque Quæftiones 3. Parte à Sancto Doctore. Sed quod magis trahit in ftuporem eft; fuiffe Spiritum-Sanctum folicitum computandi eafdem generationes ac partiendi in tres teffeDecades; dicendo, *omnes itaque generationes; ab Abraham vfque ad Dauid, generationes quatuordecim; & à Dauid vfque ad tranfmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim; & à tranfmigratione Babylonis vfque ad Chriftum generationes quatuordecim*. Facilè quippe fas erat vnicuique legenti, quot effent, affequi: Et cur præterea, non vno verbo dictum eft, *generationes quadraginta duæ*? Sanè alibi, vel negligitur efferri numerus, vt Numeri c. 33. Manfionum Populi, quæ fuerunt quadraginta item duæ: vel fi quandoque pronunciatur, vt Apocalypf. 11. non fubpartitur, fed femel fertur; & *Ciuitatem fanctam calcabunt menfibus quadraginta duobus*. Quare omni procul dubio, fubeffe ænigmatum latebras, fateatur fidelis quifque interpres, neceffe eft. De harum numero exactiùs ad verfum 17. Pro nunc rem iftam fic enucleandam cenfemus; vt iuxta nuper tacta, nomen quodcumque huius genealogiæ, vel Chriftum fonet, vel per attributionem, Chriftum ipfum relatu quodam importet: & quia *gratia & veritas per Iefum Chriftum facta eft*, quemadmodum *lex per Moyfen data eft*, Io. 1. Verbum enim *caro factum eft, plenum gratiæ & veritatis*; ea fumus in fententia, vt prædicente Dauid pf. 118. *omnis confummationis vidi finem*, triplicis in hac ferie confummationis infinuetur proceffus: & quia pariter feptenarius numerus perfectioni arridet; quod Genef. 2. palam docemur: *igitur perfecti funt Cæli & terra, & omnis ornatus eorum; compleuitque Deus die feptimo opus fuum, quod fecerat*; fortiùs id præftet geminatus in quaterdenariũ. Et fic D. Th. Danielis 9. per dualitatem geminatio perfectionis; Matthæi 18. *fi duo ex vobis confenferint fuper terram &c.* vnde dum tot perhibentur generationes, trina intelligenda eft perfectio feu confummatio, qua homines factus homo ad vitam prouexit. Elucefcet hoc, largiente Domino, fingillatim edifferendo Patrum nomina: quod licèt facri præftiterint interpretes, non tamen quo ordine à Deo dipofita fuerint, funt fcrutati. *Quæ à Deo funt*, Roman. 13. *ordinata funt*: Quæ diuinitus fiunt, ordinatiffimè fiunt, affumit Angelicus, de hac loquens re. Igitur per primum quaterdenarium ad eam peruenitur claufulam, qua Chriftus in Cruce protulit; *Confummatum eft*: vnde ipfiufmet Chrifti fic infignia & caracteres delineantur, vt deprehendi liceat, ipfum verè fuiffe, qui *legem non venit foluere fed adimplere*; infra c. 5. eo quòd, *nihil ad perfectum adduxit lex*. Hebræor. 7. Poftquam ergo fatis in Abraham, in Ifaac,

in

in Iacob, in Iuda etiam innotuit quis esset Christus, consectariò in Phares & Zaram exprimitur. *Phares* interpretatur *diuisus*, *separatus*: ipse est autem de quo ait Apostolus Hebræor. 7. *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, *segregatus à peccatoribus*. *Zaram* dicitur *Oriens*. Zacharias c. 3. *adducam seruum meum orientem*. Et c. 6. *ecce vir*, *Oriens nomen eius*. Et sic Lucæ 1. *visitauit nos oriens ex alto*: adcinitque Ecclesia, ò *Oriens splendor lucis æternæ & Sol iustitiæ*, *veni & illumina sedentes in tenebris*, *& vmbra mortis*.

VERS. eodem. *Phares autem genuit Heston*.

25. *Heston* interpretatur *sagitta*. Hac autem similitudine acutè Christus signatur: Isaiæ 49. *& posuit me sicut sagittam electam*. Vbi Haymo; *Christus ex multis millibus*, *vna sagitta electa est*. Declinando autem ad figuram Metonymię, vt Auctor pro opere sumatur, facit ad intelligentiam, quod ait Psaltes,

H Ps. 44. ps. 44. *sagittæ tuæ acutæ*. Verba Christi H dicuntur sagittæ primò, quia suo acumine vsque ad cor penetrant; Hebr. 4. *viuus est sermo Dei & efficax*, *& penetrabilior omni gladio ancipiti*: secundò, quia sagitta velociter mouetur; Sapientiæ 5. *transierunt omnia ista*, *tanquam sagitta emissa in locum destinatum*: ps. 147. *velociter currit sermo eius*: tertiò sagitta ad remota attingit; sic etiam sermo Christi; ps. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum*. Adde quòd instar sagittæ, Actor. 10. *pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo*. Vnde Matthæi 9. *cum transiret inde*, visum Matthæum vulnerauit, *percutiens eum & sanans*, vt de Paulo ait Augustinus. Ad scopum autem semper tetendit, *prædicans & euangelizans Regnum Dei*; Lucæ 8. Eò quippe venit, Ioan. 10. *vt vitam habeant*, *& abundantiùs habeant*: *occidens & viuificans*, quod idem ait Augustinus: factus animarum venator: iuxta illud Genes. 27. *affer mihi de venatione tua*: & Actor. 10. visis tot quadrupedibus & volatilibus;

I Cantic. & *occide & manduca*: ac si diceret I occide ab eo quod sunt, vt desinant esse peccatores; *& manduca*; hoc est, transfer in corpus Ecclesiæ. Sic Eustachius dum ceruum insequitur; mystico petitur iaculo, ad immortalis vitæ prædam raptus. *Sagitta* autem *exultationis*: quoniam Tobiæ 3. *post lacrymationem & fletum*, *exultationem infundit*. Quo sensu ait Chrysostomus; *vbi vehemens imber prorupit*, *fit serenitas*; *sic lacrymis effusis apparet tranquillitas*.

VERS. eodem. *Heston autem genuit Aram*.

26. *Aram* interpretatur *electus*. Ecce quomodo cohærent in Isaia; *& posuit me sicut sagittam electam*. Et c. 42. *electus meus*: prout que legitur in Matthæo c. 12. *ecce puer meus*, *quem elegi*. Electus autem fuit

L Isaiæ 49. item c. 42. inter L omnes, ad salutem generis humani implendam. Et prius; electus, vt sit caput Ecclesiæ. Cantic. 5. *electus ex millibus*: ps. 64. *beatus quem elegisti & assumpsisti*. Adde 1. Petri 2. *Ecce pono in Sion lapidem summum*, *electum*. Et priùs; *ad quem accedentes lapidem viuum*, *ab hominibus quidem reprobatum*, *à Deo autem electum*, *& honorificatum*. Vnde sequitur.

VERS. IV. *Aram autem genuit Aminadab*.

26. Cleophas Lucæ 24. de Iesu loquens inquit; *qui fuit vir Propheta*, *potens in opere & sermone*; & quasi ipsum *sagittam electam* astrueret; nàm *sagittæ* (ait Psaltes ps. 119.) *potentis acutæ*, adiecit; *& quomodo eum tradiderunt Summi Sacerdotes*, *& Principes nostri*, *in damnationem mortis*: *lapidem* ergo *reprobauerunt ædificantes*, ps. 117. Quare etiam Matthæus, alta Dei dispensatione, effectum, progenitorem Christi, recolit *Aminadab*, vt gradum faciat pius Christiani nominis cultor, ad ipsius passionem & mortem, quæ quamuis in Principes & Sacerdotes referri queat, vt nuper dictum; nihilominus indubitanter in populum quoque; quando Matthæi 27. *clamabant*, *crucifigatur*. Hi autem fuere populus: siquidem præmittitur; *per diem solemnem consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum*, *quem voluissent*: sed dixere *omnes*; *crucifigatur*. Ad hos Petrus (cum cucurrisset omnis populus) *quem vos quidem tradidistis*, *& negastis ante faciem Pilati*; Act. 3. & sic Paulus Actor. 13. *qui enim habitabant Ierusalem &c. petierunt à Pilato*, *vt interficerent eum*. Itaque claret, Populum Christi morti specialiùs inhiasse: *exclamauit* enim Lucæ 23. *simul vniuersa turba*; *succlamabant*; *instabant vocibus magnis*, *postulantes*, *vt crucifigeretur*; *& inualescebant voces eorum*. Habemus ergo, cum saluationis nostræ cursum percurrimus, *populum*, proinde *Aminadab*, cuius complexi nominis pars prior significat *populum*. At secunda eiusdem portio *spontaneum* sonat. Videamus ad rem, quomodo dictus sit eiusmodi. Sanè quamuis, vt legimus Matthæi 27. conspirauerit populus in Christi Domini necem, suasu Principum Sacerdotum & Seniorum, tamen cum nulla inueniri posset causa enormis adeo facinoris præter inuidiam, vt ibidem perhibetur sciuisse Pilatum, *odio habuerunt eum gratis*, vt ipsemet Ioann. 15. contestatur: Idcirco minimè obstante seductione, spontaneus dicendus est fuisse populus, sicut & Principes, *qui Dominum* ps. 118. *persecuti sunt gratis*: longè omni reatu, inexcogitabili culpa. Iam ipsa Ecclesia iuxtè in improperia conqueritur Christi vice: *Popule meus quid feci tibi*, *aut quid molestus fui*, *responde mihi?* optimè ergo in Daniele c. 9. prædicitur; *& non erit eius populus*, *qui eum negaturus est*: quemadmodum & in Osee c. 1. *voca nomen eius*, *non populus meus*: *quia vos non populus meus*, *& ego non vester Deus*. Cui adcinitur Isaiæ 52. *quoniam ablatus est populus meus gratis*. *Gratis*, (ibi Haymo) *idest nulla existente causa*, *qua me desereret*. *Quid mihi est hic?* ait Propheta: *idest*, *cum tali populo*, *semper blasphemante & contradicente mihi? Refert quippe Iosephus*, *apertis repente ianuis Templi*, *& sponte reseratis*, *vocem Angelorum loco Sancto præsidentium de adytis Templi exisse dicentem*; *transeamus ad populum gentium*, *scilicet ex his Sedibus*. Hæc præfatus Author. *Spontaneus* tamen exponi etiam potest de Christo, qui ex Rabano *voluntarius venit ad mortem*, iuxta illud, ps. 53. *voluntariè sacrificabo tibi*. Sic Isaiæ 53. *oblatus est*, *quia ipse voluit*: & Ioan. 10. *nemo tollit animam meam à me*, *sed ego pono eam à me ipso*. *Ita tamen*, (quod ait Leo Papa) *vsus est Dominus malitia Iudæorum*, *vt intentione facinoris*, *voluntas sit impleta miserentis*.

VERS. eodem. *Aminadab autem genuit Naasson*.

Naasson, idest *Augurium* (apud eundem Rabanum) *qui nouit præterita præsentia & futura*: vel *serpentinus*: secundùm illud; *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto*. Ioan. 3. Nectè mirificè, quod habetur Ioannis 18. passione ingruente: *Iesus itaque sciens omnia*, *quæ ventura erant super eum*, *processit*, *& dixit eis*; *quem quæritis?* 27.

VERS. eodem. *Naasson autem genuit Salmon*.

Salmon sonat *sensibilem*. Appositissimè; siquidem in Horto, vbi sciuisse dicitur omnia typo Naasson, sensibilium virium laxauit innatum cursum, *cœpitque contristari & mæstus esse*; *tristi* effecta *anima vsque ad mortem*, *factus in agonia*, quando etiam, *factus est sudor eius*, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*: quando præscio Isaia 53. factus est *vir dolorum*, *sciens infirmitatem*, *cum verè languores nostros ipse tulit*, *& dolores nostros ipse portauit*: & ait Ieremias; *ò vos omnes qui transitis per viam*, *attendite & videte*, *si est dolor*, *sicut dolor meus*. D. Thomas M delectatio contemplationis M 3. P. 15. 5. 3.

B sic

sic detinebatur in mente, quòd non deriuabatur ad vires sensibiles, vt per hoc dolor sensibilis excluderetur.

VERS. V. *Salmon autem genuit Booz de Rahab.*

Booz interpretatur *fortis*. Mille extant loca in quibus *fortis & potens in prælio*, ps.23. *fortior forti armato* decantatur. Præcinuit Isaias c.40. *Dominus in fortitudine veniet*, & c.63. *gradiens* dicitur *in multitudine fortitudinis suæ*. Imo vt scripsi Gen.49. in Zabulon significatus est, qui *fortitudinis habitaculum*. Significatus est etiam supra in Iuda, qui profectò, vt habetur 1. Paralipomenon capit.5. *fortissimus inter fratres suos erat*. Verum dum passionis eius nos hora tenet, dicat Augustinus Tract.15. in Ioannem; *inuenimus virtutem Iesum, & inuenimus infirmum Iesum; fortem & infirmum*. Fortitudinem agnoscit in Diuinitate, dicens; *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & sine labore facta sunt*; infirmitatem verò; *quia Verbum caro factum est. Condidit nos fortitudine sua; quæsiuit nos infirmitate sua*. Opportunè autem sequitur de *Booz*; quia in horto Diuinitatis claruit virtus, cùm *ceciderunt retrorsum*, Ioan.18. audito ly *ego sum*. Debuit autem fortitudo memorari, quia tunc emicuit heroicè, quando Hebræor.12. *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta*. In actu enim fortitudinis N communiter, secundùm Philosophum, non requiritur gaudium ad perfectionem virtutis, sicut in alijs virtutibus, sed solum non tristitia: *ipsi* autem, notat & Haymo, *gaudium maximum fuit, quod pro nobis est passus*. Quod si *tristis erat anima eius vsque ad mortem*, vt docent Theologi, fuit tristitia illa propassio, hoc est vice-passio, (non talis vt nobis accidit,) quæ posset superiorem animæ partem perturbare; sed eatenus insurrexit, quatenus, Superioris imperio permissa est: vnde aliàs legimus Ioan.11. *turbauit seipsum*: quo sensu turbatio quæuis in Christo exponenda est: non quòd fortitudini eius quicquam deperierit; quippe in quo requieuit donum omne Spiritus-Sancti, Isaiæ 11. *spiritus sapientiæ &c. spiritus fortitudinis*; & vltrà.

N 1. Corinth. 5. l.2.

VERS. eodem. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.*

28. *Obed* idem valet ac *seruiens*. Prædictum fuit in Isaia c.49. *seruus meus es tu Israel*; & priùs c.42. *ecce seruus meus*. Accinit Apostolus Philippens.2. *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*. Etsi autem id ex operibus Christi pateat, ex quo dixit, quod fert Remigius, Matthæi 20. *filius hominis non venit ministrari sed ministrare*; pressiùs tamen claruit hoc in passione & in morte. Hinc Leo Papa Serm.8. de passione; *sæuienti diabolo per ministeria Iudæorum formam serui, nihil peccati habentis, obiecit*. Ex quo ibi Apostolus; *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*. Quia ergo in passione & in Cruce potius latuit Deitas, ideò qui *fortis* paulo ante dictus est, quo innueretur, vt subdit Leo, *quòd si vellet obniti, nihil impiæ manus possent*, nunc Obed dicitur, siue seruiens; ne quia dictus est *fortis*, per *Booz*, *dominum* ageret in passione, crederetur. Ex Diuo Dionysio *de diuinis nominibus*; *Dominus* etiam fortitudinem ac virtutem importat. Ipse autem quamquam filius ac Dominus, in seruum pro seruo se tradidit: vt *seruum redimeres*, canit Ecclesia, *filium tradidisti*.

VERSV eodem. *Obed autem genuit Iesse.*

29. *Iesse* tanquam Pater Dauid, citra dubium omne, idem est ac *Isai*, qui passim veteri in Testamento tanquam Parens eiusdem Dauidis memoratur. Duplex autem hic oritur quæstio, num apud Hebræos appellaretur vtroque nomine, an potius *Iesse* sit dictus ex translatione? Secunda quæstio ab hac deriuata est, an Matthæus, qui hebraicè scripsit, posuerit *Isai*, an potius *Iesse*? Quoad primam, putauit Haymo Isaiæ 11. fuisse binomium, appellatum scilicet *Iesse* & *Isai*. Cæterum in veteri Testamento, vbique nominatur *Isai*: nisi fortè Ecclesiastici 45. dictus fuisset *Iesse* ab hebræo illius Authore: sed hebræum exemplar iam intercidit; vnde nil certi haberi potest: & dubium æquè emergit de *Iesse* in Ecclesiastico an à translatore pronunciatum græcè ita sit; quemadmodum factum reperimus in translatione aliorum Scripturæ librorum. Quoad secundam, libentissimè credo Matthæum hebraicis caracteribus expressisse *Iesse*, non verò *Isai*. Neque hoc primum Spiritus-Sancti motione in sacris literis contigit: Nam Numeri 13. vocauit Moyses *Osee* filium Nun *Iosue*. Et *Ioachin* filius *Ioakimi*, vt patet 4. Regum 24. & 2. Paralip.c.36. nuncupatur 1.Paralipom.3. *Iechonias*; quemadmodum & Ieremiæ 22. *Iechonias* dicitur. Quocirca ait Hieronymus Prologo 2. in Ieremiam, fuisse ly *Iechonias* cognomentum. Censet autem D. Thomas O qui priùs dicebatur *Ioachin* fuisse nomine diuerso, ab Ieremia dictum *Iechoniam*. Ex quo sic potuit appellari primo Paralipom. allegato c.3. ab Esdra, qui perhibetur Auctor seu Compendiator illorum librorum. Et sic etiam 3. Esdræ c.1. *Iechonias* dicitur. Et hoc ipsum sentit Ambrosius lib.3. in Lucam. Reuertendo igitur ad rem nostram, me iudice, Matthæus Spiritus-Sancti dono linguam callens græcam, transtulit suum in contextum hebraicum græcam vocem, & caracteribus hebræis exarauit ly *Iesse* loco *Isai*, arcano certè mysterio, quod ex significationis discrimine opportunè attendendæ, mox prodam. Neque id omnino gratis dici credatur; nam alterius linguæ voces interserunt sacri Scriptores: Marcus qui græcè scripsit, c.14. retulit, nedum *Pater*, sed *Abba* hebræum: & sic Paulus, Roman.8. & Gal.4. *Abba Pater*: cum tamen in re significata conueniant. *Isai* in calce Bibliorum solet exponi *munus* aut *ens*: sed si radicem, quæ huius vocis *Isai* potest credi fons, consulamus, nempe *Iassis*, flectit ad significandum *esse*: *iess* quippè in hebræo, latinè dicitur *est*; & secundùm quosdam *Iessut*, *existentia*. At addunt, non qualecumque rerum *esse* significari; nam multa existunt, sed deficiunt, & veluti in nihilum redeunt; sed permanentiam in esse, ac perpetuitatem. Nemo est qui non videat, bellè hoc aptari Christo Domino vero Deo: nam, vt ait Damascenus P *principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur nominibus, est*, qui est: *totum enim in se ipso comprehendit, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & indeterminatum*. Sic Exodi 3. *dices eis*; qui est, *misit me ad vos*. Hoc assecuta Ecclesia canit in Sequentia; *Verbum ens Altissimi corporari passum est, carne sumpta; corporari* idest *determinari*; nam Q omne corpus habet aliquam naturam determinatam. Quòd autem *Isai* significet *munus*, non ita ex se id habet, sed potius ex coincidentia cum *Iesse*. *Iesse* itaque exponitur pro *munere* seu *sacrificio*, & pro *incenso*. Patet in Leuitico, vbi sacrificium pluries appellatur *Isse*: præsertim quando sacrificium *Domini*, vel *Domino* commemoratur; c.1. 2. 3. &c. *Incensum* etiam seu *ignitum* dici potest, à radice *es*, nempe *ignis*. Non eo inficias, trahi etiam ly *Iesse* ad significandum *ens*, vel *existens*: sed *Verbum ens Altissimi*, in serie hac prima Patrum, morti tanquam *Deus absconditus* appropinquat, & ideò tanquam *sacrificium* immò holocaustum, quia *incensum* & *ignitum* in *Iesse* intelligitur. Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*. Ephes.5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*. *Obed* ergo genuit *Iesse*: supprimendo in ly *Iesse*, *Isai*. Pulchrè dictis adstipulatur

O Matth. 1.

P 1.p.11. 11.

Q 1.p.75. 2.

pulatur Apostolus dicens Philipp. 2. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; (ecce *Isai* significatio) sed semetipsum exinaniuit formam *serui* accipiens; (ecce *Obed*, idest *seruiens*) *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. Isaiæ 53. *pro eo quòd tradidit in mortem animam suam*; Ecce cur appellitetur *Iesse*; qui *semetipsum* Hebr. 9. *obtulit immaculatum Deo*. Sequitur autem mirè.

VERS. eodem. *Iesse autem genuit Dauid Regem*.

30. *Dauid*, exploratissimum est stare pro Christo. Interpretatur *manu fortis*. Tunc planè apparuit *manu fortis*, cum *exaltatus à terra*, Ioann. 12. *omnia*, inquit, *traham ad me ipsum*. Et cohæret Apostolus ad Philipp. 2. *propter quod & Deus exaltauit illum*; nàm ab exaltatione in Cruce, exaltatus est nomine & gloria. Verùm quo rem funditùs teneamus, erudiri oportet; vndenam Dei filius, factus & filius hominis, dictus sit *manus*. Siquidem, vt nos per manum operamur, sic & *per ipsum*, ab eo, qui item *omnia in sapientia fecit*, ps. 103. *omnia facta sunt*. Eiusmodi manum desiderabat Psaltes ps. 118. *fiat manus tua vt saluet me*: & ps. 147. *emitte manum tuam de alto*. De hoc Exodi 31. nonnihil diximus. *Manu fortis*. *Vis videre*, ait Augustinus, Tract. 15. in Ioannem, *quàm iste filius Dei fortis sit? omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & sine labore facta sunt*. Manus pro opere in Scripturis passim. *Manu* ergo agnoscendus erat, seu opere: Ioan. 4. *vt perficiam opus eius*; & ad Patrem c. 17. *opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam*; denique *operatus est salutem in medio terræ*; ps. 73. Atqui tunc *manu fortis* apparuit, *cum expansis in Cruce manibus, traxit omnia ad se sæcula*. Vbi Chrysostomus; *in Cruce expansis manibus moritur, vt altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus sunt, trahat*. Quàm fortis manu! Io. 10. & *non rapiet eas* (oues) *quisquam de manu mea*. Deuteronomij etiam 32. *leuabo ad Cœlum manum meam*; idest R filium meum. Leuauit Dominus manum ad quatuor S primò ad offerendum sacrificium pro Mundi expiatione; psal. 140. *eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*: secundò ad potentiæ suæ ostensionem; *leuabo ad Cœlum manum meam & dicam, viuo ego in æternum*: tertiò ad malorum percussionem Ecclesiastici 36. *alleua manum tuam super gentes alienas*. S. Augustinus Serm. de Passione; *mortis Principem colligauit; legiones illius perturbauit; portam Inferni, vectes ferreos confregit; captiuos in libertatem reuocauit pristinam*, &c. Et præterea qui nunc *Dauid* seu *manu fortis* perhibetur, significabitur in Zorobabele; de quo Zachariæ 4. *manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam*. *Domum istam*, T scilicet Ecclesiam; nàm manus Christi qui de genere Zorobabel descendit, fundat Ecclesiam in fide, & fidem gloria consummat. Cesset proinde admiratio, cur hic regio donetur titulo Dauid; *Iesse autem genuit Dauid Regem*; & iterum *Dauid autem Rex*: id quod priùs factum non est, dicto solummodo, *filij Dauid, filij Abraham*: nam in passione & in Cruce Rex decantatus est: Matthæi 27. *& genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes. Aue Rex Iudæorum*: *& imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam; Hic est Iesus Rex Iudæorum*. Vbi Athanasius; *quem pro nihilo duxerant ceu vilem, hunc confitebantur Regem. Quamquam enim per contumeliam ista faciebant; tamen ignorabant, quòd etiam nolentes expoliabantur ab eo*. *In nomine* itaque *Iesu, omne genu flectatur* Philipp. 2. quia Regi flecti genu, mos est. Ideo ad Christi Domini encomium, *Dauid autem Rex*, scripsit Matthæus. In Cruce dixit *consummatum est*. Ecce prima tesseradecas completa. *Omnis consummationis vidi finem* psal. 118. *finis legis Christus est*; Rom. 10. lect. 1. Augustinus lib. de Catechizandis rudibus. *Huius Ciuitatis*, (mysticæ Ierusalem) *Rex est Dominus Iesus Christus, Verbum Dei, quo reguntur summi Angeli; & Verbum hominem assumens, vt eo regerentur & homines, qui simul omnes cum illo, in æterna pace regnabunt. Ad huius Regis præfigurationem in Israel maximè emicuit Rex Dauid*.

R ps. 16.

S Serm. de sancto Thoma Apostolo

T Hebr. 12. l. 1.

VERS. VI. *Dauid autem Rex genuit Salomonem, &c.*

Incipit hìc secunda tesseradecas, pariterque secunda consummatio; fidei nimirum; cuius arcanam 31.
seriem in nominibus horum Patrum mirè percurrit, & complectitur Euangelista. Duo consecuta sunt Christi mortem, in qua legis consummatio impleta est; scilicet fides ac iustitia, siue iustificatio fidelis: & insinuantur satis in ly Ioannis 1. *lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est*: ecce legis Moysi tacta extinctio; veritatis fidei, & gratiæ iustificantis annunciatio: *plenum gratiæ & veritatis*. Cohæret illud: Rom. 10. *finis legis Christus est, ad iustitiam omni credenti*. Id Paulus docet, Hebræor. 12. *aspicientes*, inquit, *in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum*. Ipse autem est Auctor fidei dupliciter, V primò eam docendo; Hebræor. 1. *locutus est nobis in filio*; Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*: secundò eam in corde imprimendo; Philipp. 1. *vobis donatum est pro Christo, non solum vt in ipsum credatis*, &c. Item ipse est consummator fidei dupliciter; vno modo ipsam miraculis confirmando, Ioan. 10. *si mihi non vultis credere, operibus credite*; item fidem præmiando; cum enim fides sit imperfecta cognitio, eius præmium consistit in ipsius cognitionis perfectione; Ioan. 14. *ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. Itaque, qui significatus est in *Zara* interpretato *Oriente*, vt supra, tanquam Sol iustitiæ, *exortus est in tenebris* Lucæ 1. verè factus *lux Mundi*. Secunda hæc tesseradecas fidei edisserit cursum: tertia à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, gratiæ ac iustitiæ fidelium exequitur denarrationem. Præmittitur autem de fide, iuxta quod dixit Dominus Matth. vltimo, *docete omnes Gentes, baptizantes eos* &c. vbi Hieronymus; *primùm docent omnes Gentes, deinde doctas intingunt in aqua; non enim potest fieri, vt corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante, anima fidei susceperit veritatem*. Præmittitur etiam Epistola Pauli ad Romanos alijs Epistolis ex Augustino *Epist.* 105. *ad Sixtum*, quia gratiam fidei maximè commendat & inculcat, quæ caput est, & initium Christianismi. *At fides ex auditu* Rom. 10. *auditus autem per verbum Christi. Quomodo autem audient sine prædicante?* Et ecce de Salomone præaccipi Orbis pacem: venit enim Christus Dominus, vt esset *pax nostra* Ephes. 2. *qui fecit vtraque vnum*; & Ecclesia; *in se reconcilians ima summis. Salomon* interpretatur *pacificus*.

V Hebr. 12. l. 1.

VERS. VII. *Salomon autem genuit Roboam*.

Fides disseminata est per Apostolos, de quibus 32.
Psalm. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum*: vnde Apostolus Coloss. 1. de verbo Euangelij habet; *in vniuerso Mundo est, & fructificat, & crescit*. Apostoli autem qui hoc præstiterunt nedum dicuntur *satores fidei* à sanctis Patribus, sed comparantur sagittis: quò facit illud psalm. 126. *sicut sagittæ in manu potentis*: quod de Doctoribus exponens X ibi, *misit sagittas suas, & dissipauit eos*, aperit metaphoræ causam, propter feruorem scilicet Spiritus

X ps. 17.

Sancti; Isaiæ 49. *posuit me quasi sagittam electam*. Hinc de iisdem Apostolis, quibus præceperat Dominus, *euntes docete omnes Gentes*, Matth. vltimo, legitur Isaiæ 27. *qui egredientur impetu à Iacob*: vbi glossa; A ad prædicandum, *implebunt faciem orbis semine*; semine prædicationis. Licet enim Septuaginta transferant, *qui veniunt filij Iacob*, nam radix *Bo venire* etiam significat, nihilominus, sequentis vocis radix *Saras* deflectit etiam ad significandam eradicationem, quasi exilium de Patria; quod *impetu* nostra tangit translatio, arridens rei quam versamus magis, si ferat cum Hieronymo, *qui egrediuntur impetu à Iacob*, quàm si reddat *qui ingrediuntur impetu ad Iacob*; nā Iudæis dixere Paulus & Barnabas Actor. 13. *vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes*: & hoc si *Iacob*, stet pro Iudaico populo: siquidem si pro Gentilibus in Christum credentibus accipiatur, satius legitur; *qui ingrediuntur impetu ad Iacob*, vt habet Vulgata. Roboam *impetum sonat*: qui sanè in Apostolis extitit, quibus *repente de Cælo factus est sonus, tanquam spiritus vehementis*, & de quibus iuxta glossam, & Gregorium *in moralibus*, intelligitur illud Iob 38. *quis dedit vehementissimo imbri cursum*? nimirum prædicationis. Ideo *apparuerunt illis linguæ tanquam ignis*. Ezechielis 1. *vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*. Igni autem constat attribui impetum, Hebræorum 11. *extinxerunt impetum ignis*. Et idcirco Dominus inhibuit Lucæ 10. discipulis; *neminem per viam salutaueritis*, quasi diceret; ita sitis attenti & festini ad iter, & ad salutem animarum, B vt de exteriori salutatione, & aspectu viatorum, quasi non curetis. Id profectò emicuit in Philippo, Actorum 8. accurrente, Angeli monitu spiritusque impulsu, ad Eunuchum.

A opusc. 19. c. 10. & Matth. 3.

B Genes. 18.

Roboam autem genuit Abiam.

Quidnam sic impetu Spiritus-Sancti excitati prædicarint vbique primo in limine Apostoli, satis claret: *euntes*, inquit Dominus, *docete omnes Gentes, baptizantes eos, in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti*. Ephesiorum 2. *& veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem his, qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu, ad Patrem. Euangelizauit*, inquam, non vni Populo tantùm, C sed vobis Gentibus, qui *longè* fuistis; etsi non in persona propria, tamen per Apostolos suos annunciauit pacem. *Ambo*, inquit, idest duo populi, *in vno spiritu*, idest vniti vnione Spiritus-Sancti. Ecce Salomonis Regis pacifici mentio, quæ suprà, alia de causa. Cæterùm dum ait *ad Patrem*, intelligenda est, ex D. Thoma ibi, tota Trinitas; quia propter essentiæ vnitatem in Patre est filius, & Spiritu-Sanctus, & in Spiritu-Sancto Pater & Filius. Dicamus ergo prædicasse Apostolos Patrem, prædicasse Trinitatem. *Roboam genuit Abiam*, qui certè interpretatur *Pater Deus*, Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo*. Nequit concipi Patris relatio, quin filij quoque teneatur Persona. Semper autem intellecto Patre & Filio, intelligitur D Spiritus-Sanctus, cum sit Amor Patris & Filij, nexusque amborum: vnde subiicet Spiritum-Sanctum persæpè Apostolus, idque ad astruendam in mente fidelium essentiæ vnitatem. Quod prædocuit etiam Sanctus Beda, super illud Ioannis 2. *capientes metretas binas, vel ternas: quia nominato Patre & Filio, consequenter & Spiritus-Sanctus est intelligendus*.

C Ephes. 4. l. 5.

D 1. Cor. 1. l. 1. 2. Cor. 1. l. 1. Gal. 1. l. 1. Ephes. 1. l. 1. Thess. 1. l. 1. A d Philemonem Hebræos. 10. l. 5.

Abias autem genuit Asa.

33 Dum Patrem filiumque prædicarunt Apostoli, Trinitatis subinde fidem: potissimùm aliud docuit euangelizari mysterium, filij scilicet incarnationem & mortem: quam sanè, resurrectionis eius testimonio, executi sunt: nam *si Christus non resurrexit, inanis est*, aiebat Apostolus 1. Cor. 15. *prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*. Per resurrectionem quippe confirmata est fides circa Diuinitatem Christi: 2. Corinth. vltimo; *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*; vt notat 3. p. 53. 1. *Resurrexit* autem *à mortuis*. Ita prædicans prædicauit idem Apostolus Actor. 13. Petrus c. 10. cap. 3. & c. 2. *quem Deus suscitauit solutis doloribus Inferni*: vbi mirè edocuit, quomodo nedum resurrexit, sed quoniam *oportebat eum à mortuis resurgere*, cuius necessitatis scripturam, *nondum sciebant* Ioann. 20. cum currerent *duo simul*. Profert autem eam dicens, *iuxtà quod impossibile erat, teneri illum ab eo: Dauid enim dicit in eum; prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me iucunditate cum facie tua*. Huiusmodi Christi resurrectione, exaltatio innotuit eius; nedum eo sensu, quo Leo Papa in Sermone 8. de Passione ait; *intellectus noster gloriam Crucis Cælo terraque radiantem, puro corde suscipiat*; sed quatenus inquit D. Thomas, E ante non erat sic nota Diuinitas Christi: idque per Apostolum Philip. 2. dicentem; *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen*: quemadmodum, & D. Petrus in sua prima c. 1. *qui suscitauit*, inquit, *eum à mortuis, & dedit ei gloriam; vt fides vestra & spes esset in Deo*. Et sic exaltationem, nominisque donationem intellexit Ambrosius, *non quia de nouo factum sit, sed quia manifestum factum est*: etenim non raro in Sacra Scriptura, fieri aliquid dicitur, quando innotescit. Sic Ægeas impius Andream Apostolum Crucis extollentem mysteria diutius ferre nequibat vt tradit Historia. Ecce hactenus dicta, verbo vno innui; quandoquidem *Asa*, quem genuit *Abias* interpretatur *attollens*. Ipsemet ait Ioannis 3. *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*. Quod non solùm de exaltatione in ligno Crucis accipitur: sed quoniam mors Christi F non tam vocanda est mors, quàm exaltatio; iuxtà illud ps. 109. *propterea exaltabit caput*: siquidem de inimicis in ea triumphauit: & alias vt dictum est, fuit Crux causa ipsius exaltationis: ps. 138. *tu cognouisti idest approbasti, sessionem meam, idest humilitatem & passionem; & resurrectionem meam; idest glorificationem in resurrectione*; vt glossa exponit. Cohærenter autem ad exaltationem eiusmodi, donato ex nomine, quod est esse filium Dei G sanè incomprehensibili, *sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis*; vt dicitur c. 7. *excelsior Cælis factus*: quæ cuncta ly *attollens* seu *Asa* ferre videtur.

E Philip. 2. l. 3.

F Ioan. 3. l. 1. & 4. p. 53. 1.

G Hebr. 1. l. 3.

VERS. VIII. *Asa autem genuit Iosaphat*.

Nedum Sacrosanctæ Triadis arcanum, Incarnationis nedum mysterium, sed inter præcipua, finale iussi sunt Apostoli prædicare iudicium: Actor. 10. *Hunc Deus suscitauit tertia die, &c. & præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum*. Sic Act. 17. *in quo iudicaturus est Orbem in æquitate*: & *disputante* Paulo Actor. 24. *de iudicio futuro, tremefactus Felix*, &c. Miro ad Crucis mysterium 34

nexu;

H 1. p. 49. 1. nexu: etenim non solùm H meruit per suam passionem Christus Dominus exaltari quantùm ad resurrectionem gloriosam, nedum quantùm ad ascensionem in Cœlum, nedum quantùm ad consessum paternæ dexteræ, & manifestationem Diuinitatis eius (quæ prædicanda innuuntur in *Asa*, quod *attollens*) sed etiam quantùm ad iudiciariam potestatem; dicitur enim Iob 36. *causa tua quasi impij iudicata est; causam iudiciumque recipies*: id quod pro-

I 3. p. 59. 3. batur, quia I debuit secundùm Dei iustitiam iudex esse, qui pro Dei iustitia pugnauit & vicit, & iniustè iudicatus est. *Iosaphat* autem vt claret, interpretatur *iudicium*. Creditur autem Christus Dominus

L Opusc. 2. c. 144. in 4. dist. 41. 1. 4. 4. quodlib. 10. 2. & Matt. 25. ad iudicium descensurus circa vallem Iosaphat, L iuxta illud Ioel. 3. *congregabo omnes Gentes, & deducam eas in valle Iosaphat, & disceptabo cum eis*.

Iosaphat autem genuit Ioram.

35. *Ioram* interpretatur *habitans in excelsis*. Consecutiuè ad prædicta: vel quia vt in psalmo 109. & Hebræor. 1. *sedet à dextris Domini, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum*; inde enim *venturus est iudicare viuos & mortuos*: iuxta quod canitur in Sequentia de Ascensione; *sedet in altissimis, iudicans ex intimis, iustos, & iniquos; donec suppedaneos, victos vel spontaneos ponat inimicos*. Vel habitare in excelsis iudex commemoratur, quo hominis nedum, sed Dei simul, *qui habitat in Cælis* iudicium formidetur: iudiciaria sanè potestas Chri-

M 3. p. 59. 1. sto M competit etiam propter diuinam personam. Vt nimirum ex hoc vlteriùs recolatur nullam creaturæ cogitationem, Deum iudicem posse latere: quemadmodum aliàs in psalmo 112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cælo & in terra?* in alto quippe existentium amplior est visio: quo pacto scientiam Dei futurorum

N p. p. 14. 13. 3. & opusc. 1. c. 10. contingentium esse astruitur N, eo quòd ipsius intelligere est in æternitate, quæ supra tempus: sicut ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam: non sic ille qui vadit per viam, qui non videt illos, qui post se veniunt. *Habitans etiam in excelsis* perhibetur iudex, nedum quia throni altitudo summi sic insinuatur: iuxta illud; *ego iustitias iudicabo* ps. 74. sed ad literam, quia Christus Dominus, qui iam ascendit in Cœlum, & super Cœlos, non erit deor-

O 4. dist. 48. 1. 4. 4. quodlib. 10. 2. & opusc. 2. c. 244. sum in terra O sed in aere; eminens scilicet, maxima claritate refulgens; ex quo à longinquo inspici possit: & sic electi *obuiam Christo* occurrent in aera sublimati; vt Christo conformentur, non solùm configurati gloriæ claritatis eius, sed loco consociati, secundùm illud 1. Thessal. 4. *rapiemur in nubibus, obuiam Christo in aera*.

Ioram autem genuit Oziam.

36. Mirabiliter sequitur de *Ozia* genito, qui quidem interpretatur *robustus*. In psalmo 7. habemus; *Deus iudex, iustus fortis, & patiens*. *Robustus* hic stet pro *forti*. Iob 9. vbi expressè de Deo iudice, legimus; *si fortitudo quæritur, robustissimus est*: neque enim

P Iob 9. l. 3. P iudex est debilis, qui subditos coercere non possit: *robustissimus*, omne robur excedens. Fortitudo ipsius, Sapientiæ 5. describitur in hæc verba: *accipiet armaturam zelus eius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum: induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea, iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam*. Et cap. 11. *hos quidem tanquam Pater monens probasti; illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti*. Prouerb. 6. *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*: & quia tunc flecti nescius; vt 1. Regum 15. *porrò triumphator in Israel non parcet, neque pœnitudine flectetur*; ideo *robustus*: neque enim tunc *in die iræ; acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*.

VERS. IX. *Ozias autem genuit Ioatham*.

Post Iudicis æterni aduentum, eiusdemque ad iudicandum in Throno sessionem, supprimitur finalis sentententia, sed tamen satis innuitur. Supprimitur; 37.

quoniam Q iuxta Doctrinam Angelici, sententiæ prolatio non erit vocalis sed spiritualis; in quantum per superiores Sanctos, inferiores vel etiam peccatores spirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ & qualia præmia eis debeantur; sicut etiam nunc homines illuminantur ab Angelis; vel etiam inferiores Angeli à superioribus. Innuitur tamen in præsenti, quia *Ioatham* interpretatur *profectus*: Ioannis 5. *& procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*: Matthæi 25. *& ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam*. Notat autem vsurpari vocem illam *procedent* R propter malos, qui vadunt in condemnationem; neque enim dum de malis etiam euntibus agebatur, verbum vitam significans erat promendum, quia vita eorum, potius mors est dicenda. *Profectus* ergo in *Ioatham*, *perfectio* intelligitur, atque adeo in hoc effectu sententia: sicut ait D. Thomas S ad ly *& ibunt hi*, &c. posita sententia ponitur effectus. Q 1. Cor. tinth. 6. l. 1. R Ioann. 5. l. 5. S Matth. 25.

Ioatham autem genuit Achaz.

Euangelium bonæ annunciationis vim habet; idcirco post iudicij discretionem, non multùm deflectendum fuerat ad damnatorum pœnas edisserendas, sed potius ad æternam felicitatem lineandam. D. Chrysostomus Homilia 57. in Matth. *cum igitur de vtrisque disseruerit; Regnum quippe vt oculis cernatur, concedit*; (in transfiguratione) *gehennam autem minimè; quoniam rudioribus, atque ineptioribus illud necessarium fuisset: sed cum illi probi essent, ac perspicaces, satis fuit, eos à melioribus confirmari*. Sic in præsenti *Ioatham genuit Achaz*, qui interpretatur *comprehendens*: eo sensu, quo dixit Apostolus ad Philipp. 3. *sequor autem, si quo modo comprehendam*, scilicet attingendo; T Canticor. vltimo; *tenui eum, nec dimittam*: nam tota gloria est in Dei comprehensione; vt scilicet Deus sit præsens animæ nostræ. Subdit autem Apostolus; *in quo comprehensus sum*: in quo tangitur Christus comprehendens, qui certam vnicuiq; prædestinauit beatitudinis mensuram; vt ibi. 38. T Philip. 3. l. 2. & opusc. 2. p. 2. c. 9. & in 1. dist. 1. 1. 1.

Achaz autem genuit Ezechiam.

Ezechias interpretatur *fortitudo Domini*. Posset simpliciter considerari Domini fortitudo V quantùm ad humanam redemptionem; & sic eius fortitudo multùm in Cruce apparuit, si tunc esset, qui eam cognosceret; quia magna fortitudo fuit, vt per infirmitatem carnis, patiens vinceret fortem diabolum, & hominem liberaret ps. 23. *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*. Sic Apocalypsis 10. dicitur *Angelus fortis*. Ideo etiam quia mortem moriendo destruxit, fortis apparuit, fortior à morte resurgendo, fortissimus Dæmones omnes, cum omni suo corpore mortaliter condemnando. Sic quia tunc electos omnes in corpore gloriosos secum ducet ad Patriam: (vnde aiebat Apostolus, Coloss. 2. *expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter palam* Sanctos ipsos in Cœlum;) potest id quoque repeti Isaiæ 63. *iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, idest ascendens X cum multis fidelibus, quos de Inferis potenter secum duxit. Adhuc tamen, dum fortitudo recolitur Domini, cohærentiùs, ad præfatam comprehensionem, seu gloriæ tentionem, quæ spei respondet, (sicut visio fidei, & fruitio charitati,) exponi potest in pacis æternæ significationem. Nam ibi Isaias adiecit, immo Dominus ipse; *ego qui loquor iustitiam, & pro-* 39. V Apoc. 10. vtroq. Coment. X Opusc. 51. 28.

pugnator sum ad saluandum. Tunc locutus iusti-
tiam finali iudicio, *gradictur in multitudine fortitu-*
dinis suæ: nempe *dum fortis armatus custodit atrium*,
in pace sunt omnia quæ possidet, Lucæ 11. *melior est*
dies vna in atrijs tuis, ps. 83. *super millia*. Mansio-
nes ergo beatitudinis custodit Dominus, & ita in
pace sunt omnia. Beatitudo quippe qua potiemur
A p. 2. 5. 4. quamque nobis promeruit, A amitti nequit. Hinc
Isaiæ 32. legimus; *sedebit populus meus in pulchri-*
B Hebr. 12. lect. 2. *tudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opu-*
lenta: erit enim beatus pacatus B in tranquillitate
conscientiæ, pacatior in susceptione primæ stolæ, &
pacatissimus in susceptione secundæ. Aderit ergo ibi
plena quies, & securitas per immunitatem omnis
mali, Prouerb. 1. *qui me audierit absque terrore re-*
C opusc. 2. part. 2. c. 9. *quiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum*
sublato; C neque enim erit inquietudo desiderij;
propter plenitudinem omnis boni; neque molestia
aliqua exterior, ob absentiam omnis mali: & sic *in*
tabernaculis fiduciæ. Quæ ad amussim expendens
Angelicus, indeficientiam illius status astruit, post
alia ex hoc capite, quia locum non habebit ibi hostis
impugnatio, quia cessabit ibi omnis mali molestia;
Isaiæ 35. *non erit ibi leo*, idest Diabolus impugnans;
& mala bestia; idest, malus homo, *non ascendet per*
eam; nec inuenietur ibi: vnde & Dominus dicit Io:
10. de ouibus suis, quòd, *non peribunt in æternum*;
& quòd *non rapiet eas quisquam de manu sua*. Quæ
cum ita sint, vides quomodo in fortitudinem Domi-
ni sint referenda, Ezechiæ sub nomine, quando ipse-
met, se fortiorem ibi Lucæ 11. perhibet, ad *atrium*
scilicet *custodiendum in pace*; typoque Dauid tan-
quam leo de tribu Iuda, 1. Regum 17. *leonem & vr-*
sum interfecit.

VERSVS X. *Ezechias autem genuit Manassen*.

40. *Manasses* interpretatur *obliuio*. Quo exaggeretur
absentia mali omnis in Patria, & quoniam *absterget*
Deus, vt ait Ioannes, *omnem lacrymam ab oculis*
eorum; & non erit amplius neque luctus, neque cla-
mor; sed nec vllus dolor; iuxta quod & Isaias, *non*
audietur in ea vltra vox fletus, & vox clamoris.
Obliuio fertur secuta; quemadmodum ipsemet Isa-
ias c. 65. inquit; *obliuioni traditæ sunt angustiæ prio-*
res, & quia absconditæ sunt ab oculis meis. Certè
quod è memoria excidit, nec somno torquere potest.
Verum hoc non dicitur, quasi reali defectu cognitio-
D Isaiæ 65. nis, sed ob successum D bonorum, & ob tristitiæ
incapacitatem: qua ex causa docet, quomodo San-
ctis displicebunt quidem peccata præterita, sed sine
E 3. p. 84. 8. omni tristitia; cuius E nimirum, sicut & doloris
non sunt susceptiui.

Manasses autem genuit Amon.

Amon interpretatur *fidelis*, *Sine fide* Hebræor. 11.
impossibile est placere Deo. Qui non credit, tantum
abest, vt queat ad vitam ingredi, quin potius, vt ait
Dominus, *iam iudicatus est*. Neque enim sperare
potest, qui *substantiam* seu fundamentum *speran-*
darum rerum non habet. Sancti nimirum *per fidem*
vicerunt Regna, & adepti sunt repromissiones, vt
idem Apostolus tradit: & Dominus antequam de
mansionibus, præmisit, *creditis in Deum*, (Ioann.
14.) *& in me credite: in domo Patris mei mansiones*
multæ sunt.

Amon autem genuit Iosiam.

41. Consectarium erat, subobscurè tangere, cuius
gratia saluentur fideles, salutisque æternæ felicitatem
F 3. p. 49. 5. sortiti sint. Aperuit autem Christus Dominus F
nobis ianuam Cœli, merito suæ passionis. Cumque
per ipsum Rom. 5. *habeamus accessum per fidem in*
gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe
gloriæ filiorum Dei; *per ipsum* inquam, qui est 1. Ti-
moth. 2. *mediator Dei & hominum*: *& non sit aliud*
nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat,
nos saluos fieri, iure ipsi *salutis* nomen tribuendum
est, vtpote in quo est *salus*, *vita*, *& resurrectio no-*
stra; quod canit Ecclesia. Hinc Isaias c. 56. *iuxta est*
salus mea, vt veniat & sic *propior fuit nostra salus*,
Roman. 13. *quàm cum credidimus*. *Iosias* autem in-
terpretatur *salus Domini*. Benè ergo electi Dei Apo-
calyps. 7. clamant voce magna dicentes; *salus Deo*
nostro, qui sedet super thronum, & agno.

VERS. XI. *Iosias autem genuit Iechoniam*.

Quoniam verò prædestinatorum meta est Cælum:
& Christus Dominus, vt dicitur Rom. 1. *prædesti-*
natus est filius Dei in virtute, ipseq; mensura est no-
stræ prædestinationis; G qui prædestinamur in filia- G Rom. 1. l. 3.
tionem adoptiuam, quæ est quædam participatio &
imago filiationis naturalis: *quos præsciuit*, Rom. 8.
& prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt
sit ipse primogenitus in multis fratribus; sumusque
subinde *hæredes quidem Dei, cohæredes autem*
Christi; nam Ephes. 1. *elegit nos in ipso ante Mundi*
constitutionem: post Christi mentionem sub *Iosiæ*
typo, ad Deum tandem prædestinantem Matthæus
graditur, & sic ad *Iechoniam*, qui interpretatur,
præparatio Domini. Prædestinatio autem est *præpa-*
ratio beneficiorum Dei, ex August. & sub ea cadit H H Rom. 8. l. 6.
omne beneficium salutare, quod est homini ab æter-
no diuinitus præparatum. Et ecce secundæ consum-
mationis finem; completus scilicet prædicandæ fidei
cursus: sicut aiebat Paulus; *cursum consummaui, fi-*
dem seruaui. Lex vetus non dabat I consummatio- I Hebr. 7. l. 3.
nem Patriæ, quia non introducebat in vitam: in cu-
ius signum legislator, non intrauit terram promis-
sionis.

VERS. XII. *Et post transmigrationem Babylo-*
nis, Iechonias genuit Salathiel.

Post fidei promulgationem, gratiæ iustificantis 42.
progressus tangitur, & sic eiusdem gratiæ consum-
matio percurritur in hac tertia tesseradecade. Neque
excluditur ab hoc quaterdenario repetitus *Iechonias*,
seu *præparatio Domini*, quia *hominis est animam*
præparare Prouerb. 16. ad gratiam; quamuis non
sine auxilio Dei mouentis liberum arbitrium, vt
docemur p. 2. 109. a. 6. & q. 112. 2. *præparate corda*
vestra Domino 1. Regum 8. Et quidem post capti-
uitatem, via sic sternitur ad Cœlestem Ierusalem:
quo sensu loquitur Augustinus lib. de *catechizan-*
dis rudibus; aliquantò ante finem. Vbi ait Aposto-
lus; *ad consummationem Sanctorum in opus mini-*
sterij, exponit Angelicus, L *ad consummationem*, L Ephes. 4. l. 4.
idest perfectionem; *Sanctorum*, idest eorum, qui
iam sunt sanctificati per fidem Christi. Hebræor. 6.
ad perfectionem feramur. *Nihil ad perfectum addu-*
xit lex, c. 7. neque enim dabat perfectionem iustitiæ:
Matth. 5. *nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam*
scribarum, &c. Perfectio hæc seu consummatio, at-
tendenda erat tempore isto; iuxta Isaiæ prophetiam.
capite 10. *consummatio abbreuiata inundabit iusti-*
tiam; consummationem enim, & abbreuiationem Do-
minus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ:
de quo Apostolus ad Roman. 9. *verbum*, inquit,
consummans, & abbreuians in æquitate; quia ver-
bum breuiatum faciet Dominus super terram. Inducit
autem Apostolus Roman. 13. qualiter *plenitudo legis*
sit dilectio: & iam prædocuerat Dominus Matthæi
22. *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet &*
Prophetæ. Et sic primæ ad Timot. 1. *finis præcepti*
charitas. Sic ergo *abbreuiatum, consummatumque*
est verbum: Ioan. 15. *hoc est præceptum meum, vt*
diligatis inuicem: vlteriusque fit, vt commemorato
M interdum vno præcepto, aliud intelligatur; quia M Rom. 13. l. 2.
in dilectione proximi, includitur dilectio Dei, sicut
causa includitur in effectu: & è conuerso dilectio
proximi includitur in dilectione Dei, sicut effectus
in causa. Charitatis ergo, nec non gratiæ iustifi-
cantis,

cuntis, quæ ſe ſe indiſpenſabiliter comitantur, conſummationem & perfectionem, vnde habeamus aperte interpretatio *Salathiel*; ſonat enim *petitionem meam*. Christus autem *pernoctans fuit* Luc. 6. *in oratione Dei*, orans impetranſque pro nobis. Ioan. 17. petijt, *Pater ſerua eos in nomine tuo*. Hebræor. 7. *ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*. Et quidem pro cunctis; vnde præfato c. 17. Ioann. *non pro eis autem rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt, per verbum eorum in me; vt omnes vnum ſint; ſicut tu Pater in me, & ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint*. Et paulo poſt. *vt ſint conſummati in vnum*. Oratio autem Christi, eiuſq; petitio, ſecũdum quòd abſoluta voluntate eas fudit atque propoſuit, N ſemper exaudita fuit: petiuit autem hoc modo, & orauit pro his qui erant prædeſtinati; & ſic *exauditus eſt*; Hebræor. 5. *pro ſua reuerentia*. Ecce quomodo, poſt *Iechoniæ* mentionem in quo prædeſtinatio ſeu præparatio; *poſſidete Regnum* Matth. 25. *quod vobis paratum eſt ab origine mundi*, innoteſcit in *Salathiel* beneficij diuini ordo, in Christi ſcilicet *petitione*; per quem, tanquam *plenum gratiæ & veritatis*, *gratia & veritas* Ioann. 1. *facta eſt*.

N 3. p. q. 21. a. 4. & Hebræor. 5 Lect. 1. in fine

Salathiel autem genuit Zorobabel.

43. Christus Dominus, vt nuper relatum eſt Ioann. 17. pro omnibus orauit qui credituri erant in eum. Erant autem credituri & ex Iudæis & ex Gentibus, vt patet: & pro vtriſq; mortuus eſt; Io: 11. *moriturus erat pro Gente; & non tantùm pro Gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*. Sic Ioann. 10. *alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile & vnus Paſtor*: item pro vtriſque orauit; cap. 17. *vt omnes vnum ſint*; pro hac vnitate orat Christus inquit Angelicus ad Galat. 3, l. 9. Iſaiæ 53. *& pro tranſgreſſoribus rogauit*; Lucæ 23. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*: incepit autem paſſio Christi Domini à Iudæis, & per manus Gentilium completa eſt; O & quidem, vt docemur conuenienter; quia in ipſo modo paſſionis, præfiguratus eſt effectus ipſius: nam petitionis eius fructus ad Iudæos & gentiles ſimul peruenit. Hinc Chryſoſtomus; *in Cruce expanſis manibus moritur; vt altera manu veterem populum, altera eos, qui ex Gentibus ſunt, trahat*. Quemadmodum autem pro vtriſque orauit ac mortuus eſt, ita vtriſque gratiam, gloriamque promeruit; *veni*, inquit Ioann. 10. *vt vitam habeant*, ſcilicet P iuſtitiæ ingredientes Eccleſiam militantem per fidem; *& abundantius habeant*; ſcilicet vitam æternam. Id ſanè conſtat quoad Iudæos: quorum plurimi in morte Christi baptizati ſunt Actorum 2. & 4. & c. 21. vbi legimus relatum fuiſſe Paulo, *quot millia* eſſent in Iudæis *qui crediderant*. Gentes autem in fide conueniſſe perſpicuum eſt: Actorum 10. *obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus-Sancti effuſa eſt*: & c. 11. Petro id magis enarrante, tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes; *ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Sic capit. 15. *qui nouit corda Deus*, (Petrus ſurgens dicebat) *teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum-Sanctum ſicut & nobis; & nihil diſcreuit inter nos & illos*. Sic Paulus Rom. 3. *iuſtitia Dei per fidem Ieſu Christi in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum; non enim eſt diſtinctio*: & c. 10. *non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci; nam idem Dominus omnium*. Vbi autem diſtinctio non eſt vel diſcretio, ſancta emergit confuſio. Ad Galat. 3. *Non eſt Iudæus neque Græcus; non eſt ſeruus, neque liber; non eſt maſculus neque fœmina; omnes enim vos vnum eſtis in Christo Ieſu*. Et ad Coloſſ. 3. *Vbi nõ eſt Gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber; ſed omnia & in omnibus Christus*. Huius ſanctæ confuſionis, ex qua, gratia Spiritus-Sancti, (apud quem Romam 2. *non eſt perſonarum acceptio*) effuſa eſt ſuper Gentes, magiſter fuit ipſemet, quem canit Eccleſia *Magiſtrorum Optimum*; ideo *Salathiel* genuit *Zorobabel*; quod eſt interpretatum *Magiſter confuſionis*: confuſionis, hoc eſt indiſtinctionis, quoniam apparuit *gratia Dei omnibus hominibus*; Q non vni ſolummodo populo, vt olim. Et ſic Actor. 2. aderant confuſo quodam conuentu *ex omni natione; & mente multitudo confuſa eſt*. Sonat etiam *Zorobabel ex commiſtione* vel *fluxio poſtpoſita*: Iſaiæ 2. *fluent ad eum omnes Gentes*; prius poſthabitæ.

O 3. p. 47. a. 4.

P Ioan. 10. l. 2.

Q Titi 2. lect. 2.

VERS. XIII. *Zorobabel autem genuit Abiud.*

Abiud interpretatur *Pater meus hic*. Qui ſunt in Collegio Domus R reguntur ab vno, qui vocatur *Paterfamilias*: ſic Rector collegij fidelium Pater eſt. *Pater noſter*. Matth. 6. & Hieremiæ 3. *Patrem vocabis me*: hinc Apoſtolus; *per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem*. Nomen Patris pertinet ad beneuolentiam S in nos & pietatem; quæ ſanè tempore gratiæ elucent: Malachiæ 2. *nunquid nõ Pater vnus omnium noſtrum?* Epheſ. 4. *vnus Deus & Pater omnium*. Per gratiam adoptionis efficimur indiſcriminatim Dei filij. Quemadmodum ergo legitur in Ezechiele cap. 37. *faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael; & Rex vnus erit omnibus imperans; & non erunt vltra duæ Gentes, nec diuidentur ampliùs in duo Regna*; ita vnus eſt Pater, quem vna voce, *habitantes fratres in vnum* pſ. 132. vocitant *Pater meus*, & ſignanter hic; non abſimiliter ac diceret Paulus 1. Cor. 14. *etſi millia pædagogorum habeatis in Christo, ſed non multos Patres*. Exponitur autem pulchrè T quæ ſit ratio Patris: paternitas quippe tantùm eſt in viuentibus & cognoſcentibus; eſt autem duplex vita, vna ſecundùm actum, alia ſecundùm potentiam: vnde non ſolùm qui dat potentiam vitæ (exemplum ſit dormientis, quoad actus externos) eſt Pater eius cui dat, ſed etiam qui dat actum vitæ, Pater dici poteſt. Quicunque ergo ducit aliquem ad aliquem actum vitæ, puta ad benè operandum, intelligendum, volendum, amandum, Pater eius dici poteſt. Eiuſmodi ſine dubio in nobis operatur gratia, qua *filij Dei nominamur & ſumus* Ioann. primæ 3. *videte qualem charitatem dedit nobis Pater*: & ideo poſt Zorobabel, meritò *Pater meus hic*, ſonat *Abiud*. Hanc communicationem dulcedinis Paternæ per gratiam, expreſſit Apoſtolus ad Galatas; ibi *clamantem, Abba Pater*, quamuis enim V idem in ſignificatione ſit *Abba*, quod eſt *hebræum* & *Pater*, quod eſt latinum, vel græcum; vtrumque ponit, vt oſtendat, quòd gratia Spiritus-Sancti quantum eſt ex ſe communiter ſe habet ad vtrumque populum. Et ſic Roman. 8. in quo *clamamus Abba, Pater*; X vt oſtendat hoc ad vtrumque populum pertinere. Quod prædocuiſſe videtur Dominus Marci 14. dicens. *Abba Pater, omnia poſſibilia ſunt tibi*. Dicamus ergo certatim *Abiud Pater meus*, per gratiam, *hic*.

44. R Ephes. 2. lect. 6. post initium.

S Ephes. 4. l. 2.

T Ephes. 3. l. 4.

V Galat. 4. l. 3.

X Rom. 8. l. 3.

Abiud autem genuit Eliacim.

Sequitur *Eliacim*, qui interpretatur *reſurrectio*: opportunè quidem quia per gratiam & charitatem *diffuſam in cordibus noſtris*, reſurgemus à peccato. Apocalypſ. 20. *beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima*: quæ ibi etiam intelligitur ſecundùm exitum à peccato. *Qui non diligit* 1. Ioan. 3. *manet in morte*. Apocalypſ. 3. *nomen habes quod viuas, & mortuus es*. Sanè aiebat Iſidorus, *quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Deus*. Matth. 23. *væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis* A Corpus peccatoris eſt ſepulchrum, quia mortuum continet; quia anima per 45.

A Matth. 23.

pecca-

peccatum moritur. Hinc opera peccatoris mortua appellantur Hebræor. 6. *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*; & c.9. *sanguis Christi emundabit conscientias vestras ab operibus mortuis*. Res B Hebr. 6.l.1. enim dicitur B viua, quando habet officium propriæ virtutis, à quo cum deficit, dicitur mortua: opera enim nostra sunt ordinata ad beatitudinem: & ideo, quando non ducunt nec ordinari possunt, dicuntur mortua: & hæc sunt opera facta in peccato mortali. D. Gregorius Hom. 27. in Euang. *nihil habet viriditatis ramus boni operis, si non procedat à radice charitatis.*

Eliacim autem genuit Azor.

Azor interpretatur *Adiutus*. Perbellè ad rem; & quidem consecutiuè ad immediatè ante dicta, quoad resurrectionem animæ spiritalem. Quærit conceptis verbis Angelicus, *Vtrum homo possit resurgere a peccato sine auxilio gratiæ*, palamque C respondet; C p.1.q. 109.7. & 114.2.7 nullo modo potest homo resurgere à peccato per se ipsum sine auxilio gratiæ. *Adiutus* equidem: nexus est ergo inter Eliacim & Azor; adiutus homo resurgit; nec resurgens est nisi adiutus: cum nec ad gratiæ habitualis susceptionem possit sine auxilio diuino præparari, vt ibi art. 6. Vbi ait Ioan. in Prima c. 3. *translati sumus de morte ad vitam*; notat D D. primę Ioan.3. non dicit *transimus*, quasi virtute nostra; *homo* enim est *spiritus vadens & non rediens*: non potest mortuus suscitare se ipsum. Nullo modo potest quis sibi mereri reparationem post lapsum *ex prima secundæ*.

VERS. XIV. *Azor autem genuit Sadoch.*

Quæstio centesima tertiadecima primæ secundæ est *de iustificatione impij*: quæ est effectus prior gratiæ. Roman. 3. *iustificati gratis per gratiam ipsius*. *Sadoch* interpretatur *Iustus*.

Sadoch autem genuit Achim.

46. *Achim* transfertur vt valeat *frater meus*. Et ecce effectus charitatis, seu actus eius in proximum: sicut dictum est; *translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Ioan. 15. *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. Idem Ioannes; *in hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Reor autem præponi in Achim, de proximi seu fratris dilectione; quoniam *si quis dixerit*; (idem Ioan. c. 4.) *diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: qui enim non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* A signo ergo, seu ab effectu ad causam fit progressus; quia E 2.2.q. 26.2. prius proximus diligendus occurrit E.

Achim autem genuit Eliud.

Eliud idest *Deus meus*: Ecce ad præcipuum charitatis actum, nempe ad Dei dilectionem, amanti cordis expressione, in ly *Deus meus* expressam, transferri mentem: Ratio F diligendi proximum Deus F 1.2.q. 25.1.& q. 26.2. est, ipseque magis, immo maximè, & principaliter, tanquam beatitudinis causa, in qua charitatis amicitia fundatur, est diligendus. Augustinus; *omnia mihi dicunt vt amem te; ita vt sim inexcusabilis.*

VERS. XV. *Eliud autem genuit Eleazar.*

47. *Eleazar* interpretatur *adiutorium Dei*. Supra dictum est de *Azor*, quod *adiutum* significat. Quare videtur indicari duplex Dei adiutorium; quemadmodum Theologis G duplex est gratia; *operans* scilicet G p.2.q. 111.a.2.& 3. & *cooperans*, seu etiā *præueniens* & *subsequens*: & ita, postquam in *Achim* & *Eliud* charitatis in proximum & in Deum facta est mentio; ne fortè laberemur errore, putantes *à nobis quasi ex nobis* esse, vt eiusmodi in actus charitatis erumpamus, & non magis ex Deo, Deique adiutorio, adiectum est de *Eleazar*, siuè de *Dei adiutorio*, iuxta quod ait Dominus Ioann. 15. *sine me nihil potestis facere*. Et 2. Cor. 3. *non quòd sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*: & in ps. 120. *auxilium meum à Domino*.

Eleazar autem genuit Mathan.

Mira consecutio de *Mathan* generatione; nihil enim prodest præcedentium series, nisi adsit & *Mathan* ortus, qui *donum* interpretatur. Et quodnam huiusmodi donum? Certè etsi *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum sit, descendens à Patre luminum*, Iacobi 1. speciali quadam ratione perseuerantia, *doni* promeruit nomen, vtpote quam nullo modo potest quis quantacumque polleat sanctitate, obtinere merito. *De perseuerantiæ munere*, titulus est capitis 13. in Tridentino, Sessione 6. & Canone 16. *si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum, certò se habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit; anathema sit*. Videatur Angelicus, H & ibi legantur Interpretes: & 2.2. H p.2. 109.10.& q. 114.9. & 2.2.q. 137.24. vbi distinguitur de virtute, & de actu perseuerantiæ durante vsque ad mortem.

Mathan autem genuit Iacob.

Iacob interpretationem patitur *luctatoris*; quia *supplantator*: cohærentius nihil. *Caro, Mundus, Dæmonia, diuersa mouent prælia*. Ad Galat. 5. *caro concupiscit aduersùs spiritum; spiritus autem aduersùs carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur*. Ephes. 6. *non est nobis colluctatio* (tantum vel principaliter I) *aduersùs carnem & sanguinem; sed aduersùs Principes & Potestates; aduersus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in Cœlestibus*. I Ephes. 6.l.3. Augustinus; *ideo nos vnxit, quia luctatores contra Diabolum fecit*. Bernardus; *sciat Diabolum soli perseuerantiæ insidiari, quam solam nouit coronari*. Et in Epistolis, *Studeto perseuerantiæ, quæ sola coronatur*. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*. 2. ad Timoth. 2. Adeo autem altè senserunt de perseuerantia quidam, vt crederent, nullum mereri absolutè vitam æternam, nisi per actum finalis gratiæ, sed solùm sub conditione, si perseueret; quos tamen arguit Angelicus. L Debet autem pro continuatione quadam boni vsque ad finem vitæ, is qui præiustificatus à Deo, petere perseuerantiæ donum; vt scilicet custodiatur à malo vsque ad finem vitæ, diuino auxilio ipsum dirigente & protegente contra tentationum insultus; vt proposito perseuerandi, quod habet per habitum infusum virtutis perseuerantiæ, donetur desuper re ipsa perseuerare. Vide D. Thomam M. L p.2.q. 114.7. M p.2. 109.10.

VERS. XVI. *Iacob autem genuit Ioseph.*

Ioseph interpretatur *augmentum*. Augmentum 48. debet intendere quisquis in charitate est. Sanè ignis, qui charitatis est symbolum, augeri semper nititur, altèque ferri; & ideo augmento ipsius non N præfigitur terminus. N 1.2.q. 24.7. Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens proficit, & crescit vsque ad perfectum diem*. In rebus quippe naturalibus, videmus quamlibet O tendere ad suam perfectionem, ad quam nimirum naturale habet desiderium: O 1. Corinth. 13. lect. 2. ideo cuilibet rei datur virtus naturalis, vt ad suam perfectionem possit peruenire. Gratia autem datur homini à Deo, per quam perueniat ad suam vltimam & perfectam consummationem, idest beatitudinem: vnde quando aliquis non tendit ad suam perfectionem, signum est quod non habet satis de gratia. Circumspectè loquitur sanctus Doctor; non negat in eo simpliciter esse gratiam: somniculosè enim fortassè ab exterioribus distractus torpescit: sed ait, non habere *satis* de gratia. Consentit Bernardus almus in hæc verba; *nullum omnino præsentiæ eius certius testimonium, quàm desiderium gratiæ amplioris*. Quoniam autem in lucta spiritali augentur vires. *Iacob* gignit *Ioseph*. Vbi ait Dominus; *si habueritis fidem sicut granum sinapis*, habet Angelicus P granum hoc, antequam conteratur, nullum feruorem habere videtur; P. Math. 17.

cum

cum conteritur, feruere incipit: sic homo fidelis antequam probetur, despectibilis videtur; quando verò atteritur, tunc apparet eius Sanctitas. Ad illud Domini; *virtus in infirmitate perficitur* rogãte Paulo, vt stimulus carnis suæ ab ipso discederet, *Angelus Satanæ*: Sanctus Doctor; Q mirus modus loquendi! ignis in aqua crescit: ex hoc quòd quis magis resistit & pugnat, efficitur exercitatior, & per consequens fortior. Inseruit etiam Dominus hoc ipsum Ethnici, nempe Senecæ cordi, dum scripsit; *multum adiicit sibi lacessita virtus.*

Q 1. Corinth. 12. lec. 3.

Ioseph virum Mariæ; de qua natus est Iesus.

49. D. Hieronymus inter alias causas eam recenset ob quam desponsata fuerit Virgo Ioseph; *vt nimirum per generationem Ioseph, origo Mariæ demonstraretur*: quoniam R consuetum erat, vt vxorem acciperent de tribu sua, de quo Numeri vltimo: immo & de eadem familia; vnde Ioseph Mariam tanquam propinquissimam duxit. Et sic D. Epiphanius intulit; *de radice Iesse ortus est Rex David & de tribu Regis David Sancta Virgo*: de tribu videlicet Iuda: & quidem per familiam David, non solum per lineam maternam, sed etiam per paternam per Nathan: quod communiter asseuerant Sancti Patres cũ Ecclesia canente; *Natiuitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, claræ ex stirpe David*: cum Apostolo dicente ad Hebræos 7. *manifestum est, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster*; & Roman. 1. *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*: de quo supra num. 8.

R Matt. 1. & 3. p. 28. a. 1. 2. & q. 31. a. 2.

VERS. XVII. *Omnes itaque generationes; ab Abraham vsque ad David generationes quatuordecim &c.*

50. Nonnihil supra ad versum 3. dictum est de hoc generationum recollecto numero: sed hic tanquam propria rei grauis in sede tantisper est immorandum. D. Hieronymus fortè pressus vi terni quaterdenarij, censuit generationes, hoc est, personas ascendere ad quadraginta duas: ne deesset mysterium senarij præsentis vitæ, & septenarij pro quiete spiritali futuræ vitæ; ex quibus, si alternatim multiplicentur, emergit quadragenarius secundus. Et ideo putat duos fuisse Iechonias, alterum computari in fine secundi quaterdenarij, alterum vero in principio tertij; cum subiungitur. *Iechonias genuit Salathiel*. Et sic consentit Ambrosius, referente Sancto Doctore *in tertia parte* q. 31. a. 3. ad 3. Et primum Iechoniam esse Eliacim, a Pharaone vocatum Ioakim, secundum Iechoniam esse Ioachin Ioachimi filium. Et hanc ad rem, censent quidam, vt hic Iacobus Tirinus, descriptorum inscitia aut inaduertentia, excidisse in hac Matthæi genealogia Iechoniã vnum: quasi Matthæus in suo originali scripserit; *Iosias autem genuit Iechoniam* (idest Ioakim) *in transmigratione Babylonis; & post transmigrationem Babylonis, Iechonias, genuit Iechoniam* (hoc volunt excidisse) Deinde quod sequitur; *Iechonias genuit Salathiel*: &c. Sed vt candidè loquar, video vtique filium nempe *Ioachinum* fuisse appellatum *Iechoniam*, vt patet 1. Paralipomenon 3. versu 16. & Ieremiæ 22. pluries: atqui non item agnosco vbi nam Pater ipsius nempe *Eliacim* seu *Ioakimus*, (Pharaone sic Ioakimum appellante) vocetur *Iechonias*. Benè quidem noui, Patruum eius, nomine *Sellum*, memoratum 1. Paralipomenon 3. versu 15. & Ieremiæ 22. versu 11. fuisse trinomium, & nominatum etiam *Ioachaz* 4. Regum c. 23. versu 30. atque *Iechoniam* Esdræ 3. cap. 1. versu 34. Alium non reperi. Quare ægrè eo in sententiam, vt *Ioakimus* dictus sit *Iechonias*, sed solum Ioachinus filius eiusdem Ioakimi, & nepos Iosiæ. Ægrè etiam subscribo phantasiæ Tirini, quamquam fuerit Epiphanij lib. 1. vt Matthæus ita scripserit. *Iosias genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Salathiel* &c. Cur non potius dilucidè; *Iosias autem genuit Eliacim*; (sic primò dictum antequam à Pharaone diceretur Ioakim) *Eliacim autem genuit Ioachin; Ioachin autem genuit Salathiel*: Vnde magis arridet Sancti Augustini opinio relata ibidem à D. Thoma, vt sit idem Iechonias, qui ponitur in fine secundi quaterdenarij, & in principio tertij.

51. Neque idcirco garriat Porphirius calumniam struens Ecclesiæ, vt fert Hieronymus Prologo secundo in Ieremiam; quasi lapsus sit Matthæus, non recolens Ioakimum; non inquam garriat: tum quia series generationum, non est de genere subtilium & impenetrabilium quæstionum, in quibus humanitus versandis contingit quosdam errare; sed plana res est: tum quia germana satis responsio in promptu est; non absimiliter ac dicetur, prætermisisse Matthæum studiosè tres alios Reges, sic attexendo, *Ioram autem genuit Oziam*: quandoquidem collegit *Ioakim* seu *Eliacim* maiorum suorum mala; sicut 4. Regum 23. legitur; *& fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant Patres eius*. Cuius execranda flagitia tanguntur Ieremiæ 22. mors infamis, Asinique sepultura prædicitur; vnde ob insignem impietatem crediderim à genealogia Saluatoris exclusum. Et si obijcias; hic Iechonias nepos Iosiæ non habuit fratres, quomodo ergo ait *& fratres eius in transmigratione*? Respondeo; 1. Paralip. c. 3. vnum Sedeciam referri fratrem; sed Matthæum tres genitos Iosiæ, dixisse fratres. De quo infrà n. 55. Præterquam, vt ait Chrysostomus, consentitque Augustinus relatus hic S prætermittitur Ioakim, quia non per diuinam ordinationem regnauit, sed per Pharaonis potentiam, ideoque nomen ei mutauit, quod supremæ in alium potestatis, & plane paternæ auctoritatis est argumento. Interim si requiratur, vndenam Ioachin iste dictus sit Iechonias: Respondeo ex Ambrosio, fuisse T illi impositum à Ieremia c. 22. v. 24. D. Hieronymus ait fuisse cognomentum: ita in præfato Prologo Ieremiæ. Fortè illud assumpsit ad memorandum patruum suum *Sellum*, qui primus post *Iosiam* auum sedit populi inauguratione in throno: *Sellum* autem vt visum est, 3. Esdræ dicitur *Iechonias*. Potuit autem id assumere, quasi ad supprimendum cum Patrui sui alterius, nempe Matthaniæ siue Sedeciæ nomen constituti à Nabuchodonosore in throno, quẽ nedum occupauit annis vndecim 4. Reg. 24. sed forte præaffectarat. Itaque sunt Augustino solummodo generationes quadraginta & vna: & vnus est Christus, propter V mysterium. Sæpè id considerat Augustinus; vel quia vnius veri Dei cultus Deo ipsi est maximè cordi; vel quia vnio facta est naturæ diuinæ ac humanæ vna in hypostasi; vel quia *vnus panis, & vnum corpus multi sumus*. Verum etiamsi, ita accipiamus: non ideo liceat vel concipere Diuum Matthæum non rectè ter quaterdenarios recensuisse; siquidem postremus quaterdenarius integer exstat, capiendo ipsum Iechoniam: ita vt compleat Iechonias secundum quaterdenarium, & tertium inchoet. Propterea fortè noluit Matthæus personas solas exprimere; sed dixit; *vsque ad transmigrationem Babylonis*; & deinde *à transmigratione Babylonis*. Et huius mysticæ excogitata subtiliter est ratio à Diuo Augustino 2. de Consensu Euangelistarum c. 4. tacta ab Angelico. X Augustini hæc sunt verba. *Vnus quippe in illis progenitoribus bis numeratur, idest Iechonias, à quo facta est quædam in extraneas Gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est: vbi autem ordo à rectitudine flectitur, vt eat in diuersum, tanquam angulum facit. Itaque illud quod in angulo est bis numeratur; in fine scilicet prioris ordinis, & in capite ipsius deflexionis. Et hoc ipsum iam præfigurabat Christum à* Circum-

S Matth. 1.

T Matt. 1. & in Catena.

V Matth. 1.

X 3. p. 13. 3. 3.



Circumcisione ad præputium, tanquam ab Hierusalem ad Babyloniam quodammodo migraturum; & hinc atque hinc, vtrisque in se credentibus, tanquam lapidem angularem futurum. Itaque docet Sanctus Pater in vtroque quaterdenario percenseri Iechoniam, (quod non fit in Dauid; terminante quidem primum quaterdenarium, sed non inchoante secundum, quem inchoat Salomon vt generans) quia tunc ad transmigrationem deuenerat series genealogiæ. Et sic facta reflexione Iudæorum in Babyloniam, signataque translatione fidei ad Gentes; Actorum 13. *vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad Gentes*, mystica vnius anguli, in vno Iechonia duorum quaterdenariorum extremo, debuit designatio notari.

52. Quæri solet cum Remigio in Catena, quomodo Iosias dicatur genuisse *Iechoniam & fratres eius, in transmigratione Babylonis*? & respondet; natos quidem filios Iosiæ, antequam fieret transmigratio in Babylonem; sed dici genitos *in transmigratione*, quoniam ad hoc nati erant, vt pro suis & aliorum peccatis, captiui abducerentur: & quia præscius erat Deus, eos sic captiuandos, idcirco Iosias dicatur genuisse eos *in transmigratione Babylonis*. Et ferri potest translatio græca, quæ ait; *sub tempus abductionis Iudæorum in Babyloniam*. Non ergo in transmigratione pressè; A nam Iosias nunquam transmigrauit: sed prope transmigrationem, siue iam imminente transmigratione. Vel dic in transmigratione, quia sub id tempus non recolitur alia generatio: & sic quasi exceptiuè. Quæritur præterea de studioso generationum calculo in tres tesseradecades, atque etiam de numero quadragesimo, vnde & ex quibus consurgat: quæ fuse videri possunt in Catena, nec non 3. Parte q. 31.a. 3. Nunc sufficiat, Censet Angelicus hic cum Remigio, per tres quaterdenarios fidem subinnui Sanctissimæ Trinitatis. Adde primum procedere per Patriarchas terminarique ad Dauid; post quem in secundo quaterdenario proceditur per Reges; Iechonia sterili Rege iuxta Diuinum decretum Ieremiæ 22. *nec erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid*. Ex quo in tertio per personas priuatas. Vel ex glossa; in prima tesseradecade significantur homines ante legem, cuiusmodi fuerunt Abraham Isaac & Iacob: in secunda, qui sub lege: in tertia qui sub gratia, secuta liberatione de mystica captiuitate per Christum gratiæ datorem. Quemadmodum autem ipse exposui seriem singulorum progenitorum, & in tres summo mysterio classes, dic subintelligi, qualiter Christus Io: 14. *est via veritas & vita: via* in primo, *veritas* in secundo, & *vita* in tertio quaterdenario, vt ibi dictum est. De quaterdenario autem dixi, quomodo perfectionem congeminet, ad vers. 3. Subijci potest ex glossa in septenario septiformem Spiritus-Sancti latere gratiam, geminarique, quia & corpori & animæ sit necessaria ad salutem.

A Matt. 1. ad finem § ç

53. Item quæritur de dissonantia, quæ videtur omnino esse inter librum 1. Paralipomenon & Matthæum; siquidem ait Euangelista, *Salathiel autem genuit Zorobabel*, cum in Scriptura veteri c. 3. dicatur à quodam Phadaia Zorobabel ortus. Implexæ huic difficultati variè occurrunt Interpretes, fereque diuinare nituntur. Generalis solutio est ex glossa illa, qua dicitur, multa in Paralipomenon libris, scriptorum vitio esse deprauata: eo vel maximè, quòd Herodes, vt ignobilitati sui generis consuleret, vel vt promissus Iudæis crederetur, genealogias igni tradidit: quod Auctoribus visum retuli Genesis c. 49. in calce Commentarij ad versum 10. Idcirco fortè de *Abiud* ac sequentibus nihil claret in veteri testamento. At etsi intactissimi fuissent Paralipomenon, & quas habent fuissent prosecuti generationes; non tollitur, quin potuerit Matthæus, alijs ex Annalibus, cuiusmodi fuere *Verba dierum*, hausisse Zorobabelis posteros vsque ad Ioseph: quando liber Paralipomenon per Hananiam, relicto Zorobabele, descendit: non secus ac Lucas per Natan, non verò per Salomonem, sicut Matthæus incedit: cum tamen vterq; fuerit filius Regis Dauid. Quamuis autem in præfato Paralipomenon feratur genitus Zorobabel à Phadaia: fortè fuit alius Zorobabel, & quidem credunt fuisse patruelem huius memorati à Mattheo, filijq; Salathielis. Certè pluries in sacris litteris præsertim 1. Esdræ, & in Aggæo ac Luca Euangelista perhibetur Zorobabel filius Salathielis. Zorobabelis autem posteros, eorumque nomina (hoc ait glossa) legisse Ioseph, vel alio quoquo modo retinuisse; vnde Euangelista seriem generationis potuerit scire: dic tu, vel diuinitùs instructum fuisse; sicut aiebat Paulus: *neque enim ego ab homine didici*. Quod si res ita se habuit; non mirum, Esdram, qui creditur Auctor Paralipomenon, vel alium hagiographum prosecutum fuisse generationes alias cuiusdam Zorobabelis famosi minus: cum Zorobabelis filij Salathielis, tanquam Ducis Iuda progenies scripto haud egeret, per omnium gloriosè volitans ora: quamquam in postremis, (vt in Ioseph claret) minùs fuerit clara nobilitas, minusque celebrata ob diuitiarum inopiam; quam in proximis voluit Dominus seruare progenitoribus: quemadmodum ipsum B decuit, pauperem ducere vitam: iuxta quod in Sermone quodam Concilij Ephesini legitur: *omnia paupera & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimis obscura; vt Diuinitas cognosceretur Orbem transformasse terrarum: propterea pauperculam elegit Matrem, pauperiorem Patriam* &c. in eo autem qui voluntariè pauper est, sicut fuit Christus, ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium. Vel aliter. Quis scit, aio ipse, an eiusmodi studio, post Salathielem, in quo defecit solium, non voluerit Dominus, omitti in libro Paralipomenon suorum progenitorum seriem? pauperum haud texi solet genealogia. Quod si Matthæus illam scripsit, id factum est, non tumoris causa neque iactantiæ; sed vt ostenderetur esse Christus ab Abraham de tribu Iuda ex stirpe Dauid. Vno verbo dic, tam crassum errorem concipere in prudenti Scriptore esse irrationabile omnino; cum agatur de re palpabili. Vnde oportet aliò recurri, ne vel minima falsitas obtrudatur.

B 1. p. q. 40 3. c. & ad 2.

Quæritur tandem, cur ab Ioram transeat ad Iosiam, omissis qui intermedij regnarunt, dicens *Ioram genuit Oziam*; omittitur enim Ochozias Ioas & Amasias, vt constat 4. Regum c. 11. & 12. & 2. Paralipomenon cap. 22. & infra. Solutio difficultatis huius fertur à D. Thoma in tribus è regione locis: C & quidem ex Hieronymo, qui refert eiusmodi prætermissionem, in vltionem promeritam statutamque Ioramo; eoquòd contra legem generi se miscuerat alienigeno, ducta vxore gentili & impia, Athalia filia Achab & impijssimæ Iezabelis: ideo in detestationem rei huius, quæ caput esse consueuerat impietatis plurimæ, punitur in tertiam generationem iuxta Exodi sententiam c. 20. *reddam parentum peccatum in filios, in tertiam & quartam generationem*; vt sic in sua sobole à sanctæ Natiuitatis ordine excluderetur. Ex quo Hilarius; *purgata verò labe familiæ gentilis, iam regalis in quarta generationum consequentium origo numeratur*. Cæterùm haud quiescit animus. Etsi enim merito tres isti Reges tanquam lapsi in idololatriam, vt patet 2. Paralipom. c. 22. 24. & 25. excludantur, remanet quæstio cur & ipse non sic explosus Ioram, qui sæuissimus fuit & impius? *ambulauitque in vijs Regum Israel, sicut egerat Domus Achab*: vnde & Dominus acerbè puniuit illum

54. C 1. p. 31. 3. 4. Matt. 1. & in Catena.

lan-

languore pessimo & morte, vt claret ibi c. 21. neque in sepulchro Regum sepultus est. Veruntamen diluere satis potest difficultatem hanc doctrina Augustini dicentis *non immeritò sublati sunt de numero cæterorum Ochozias Ioas & Amasias: sic enim eorum continuauit impietas, vt nullum interuallum haberet*. Itaque reor, Ioram finaliter resipuisse, plaga Domini tactum, qui spatium dedit ei pœnitendi, dicente ibi sacro textu; *cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus*: præsertim quia vxoris vt creditur illecebris inductus, malum fecerat in conspectu Domini. Quid autem de illius salute finali euenerit, subticet sacer textus; ne si id proderet, ansam arriperent impij ad perditos mores, fallaci innixi fiduciæ ex impio Ioram. Verosimile nihilominus est; quando adhuc in genealogia saluatoris locum habet; cum per saltum potuisset Matthæus describere *Iosaphat autem genuit Oziam*, relicto etiam Ioram. Fortè etiam attento summo merito Patris sui Iosaphat, qui vt dicitur 2. Paralipomenon c.22.v.9. *quæsierat Dominum in toto corde*, & saluari & describi potuit. Vel etiam, vt pacti diuini cum Dauid, quoad promissum de illius Domo Messiam, infigeretur memoria, tolerat Dominus poni Ioram in genealogia. Et sic Paralipomenon 2.c.21. v. 7. legitur; *Noluit autem Dominus disperdere Domum Dauid; propter pactum, quod inierat cum eo*. Eluxescet magis in proxima capitis huius, initiali [illegible], [illegible] ex causa, & quidem studiosè sublati sint impij huiusmodi à libro generationis Iesu Christi. De quo etiam dixi Exodi 20. ad versum 5. Modo ad te ex Ludouico Viues in D. Augustinum de [illegible] lib. 11. c.30. secundum Hieronymum adhuc nonnullos progenitores esse in stemmate Christi prætermissos, vt ad numerum omnia congruerent. Hieronymus enim plurimum tribuit Religionis numero. Et Augustin. etiam 11. Conf. *ratio numeri contemnenda non est*.

55. Duo hic supersunt attendenda. Primum, consuetudinem esse sacræ literæ nepotem respectu Aui dici filium: sic nuper relato c.22. secundi Paralipomenon de Ochozia dicitur; *eo quod esset filius Iosaphat*: cum tamen esset filius Ioram, cuius Pater fuit Iosaphat. Sic 4. Regum c.8.n.26. Athalia Ochoziæ Mater dicitur *filia Amri* Regis Israel: cum fuerit neptis Amri: filia verò Achab; Ex quo claret, licuisse supra interpretari Matthæum, cum dixit Iechoniam genitum ab Iosia, de Iechonia notorio eius nepote tanquam de filio genito mediatè; medio scilicet Eliacim; seu Ioakimo suppresso. Quòd si nepos dicitur Aui filius, & sic neptis filia, cur cæteri filij Aui non poterunt dici *fratres*? vt fiat sensus Iosias genuit Iechoniam nepotem, & mediatè; cuius fratres, consectario dicantur, filij ab Iosia immediati, *Iohanan, Sedecias, Sellum*: Vnde fiat satis Barradio, Parte 1. lib. 5. c.18. neganti fieri sermonem de Iechonia filio Ioakimi, quia vnum habuit, non verò in plurali *fratres*. Secundùm quod ostendendum est; caueri oportere in hisce æquiuocationem, de Ioram & de Ioas, & de Ochozia; quoniam huius nominis fuerunt etiam Reges Israel; vt patet 3. & 4. Regum. Series Euangelistæ non deflectit ad Reges Israel, sed rectà pergit per Reges Iuda: quandoquidem *de tribu Iuda* oriturus erat Dominus noster. Sic ex Augustino 15. de Ciuitate Dei c.15. apud Sãctum Thomam D Matthæus relinquit primogenitum, & ponit Isaac, & iterum Iacob non Esau, & ita de alijs; quia illos intendit recolere, per quos ad Dauid, & ad Christum peruentum est.

D Gen. 5.

VERS. XVIII. *Christi autem generatio sic erat.*

56. D. Hieronymus pluresque Sancti Patres antilogiam Isaiæ 53. *generationem eius quis enarrabit*, passim conciliant, quoniam ibi de generatione secundùm Diuinitatem, hic dum assumitur narranda, de incarnatione sit dictum. Veruntamen iuxta glossam, E de vtraque intelligi potest Propheta: quis enim sensu capere, vel verbis explicare queat vnionem naturarum in Christo? Quis enim valeat comprehendere, ait Haymo Isaiæ 53. *quando summus ac viuificator spiritus Deus, in vtero, mortalitatis nostræ carnem assumpsit? aut quis, vt sancta, vt gloriosa fuerit illa conceptio, valeat explicare?* Propterea Apostolus de Melchisedech loquens, qui in typum fuit Christi Domini, *sine Patre*, hoc est nulla facta Patris mentione, illum recolit; ad significandam natiuitatem Christi de Virgine; & *sine Matre*, ad insinuandam generationem æternam: itemque *sine genealogia* ad designandum generationem vtramque esse ineffabilem: quod de vtraque tangit F Sanctus Doctor. Et ideo Matthæus parcè admodum de hoc loquitur secundùm humanitatem, dicens; *Christi autem generatio sic erat*; abstinens ab omni verbo, quod expositionem aut enarrationem posset intendere; & per externa procedit, quæ contigerunt; quemadmodum in superficie Patres percenset; præmittitque *Liber generationis*, subintellige *clausus, signatusque sigillis septem*. quorum primum est conceptio, sine incarnatio; G secundum natiuitas: neque vllatenus intentat exponere incarnationis modum; H quia hoc etiam est ineffabile. Claret autem Euangelistam loqui de generatione temporali; quia inquit, *Christi generatio sic erat*, non autem *Iesu Christi*. *Christi* autem nomen, vt supra in initio dixi ex Damasceno, *humanitatem* præfert, seu *hominem Deificatum*; sicut Iesus importat *Deum humanatum*. At mirè etiamsi de temporali natiuitate ac generatione loquatur, imperfectum verbum ponit, hoc est imperfecti temporis, *erat*, ad designandam etiam æternam (habes doctrinam huiusmodi I apud D. Thomam) quandoquidem & *Christus* est, & *Iesus*: vnde ait Apostolus 1. ad Timot. 1. *Christus Iesus venit in hunc Mundum, peccatores saluos facere?* Verùm quare adiecerit; *qui vocatur Christus*, non verò dixerit; *de qua natus est Iesus Christus*, vt in principio; *Liber generationis Iesu Christi*: item quare dicat; *Christi generatio*; quare ly *erat* apposuerit & non potius *fuit*, ad idæam syntaxis faciet; & mirè quidem: interim supersedeo.

E Apoc. 5. Cum. 1. ibi aperite librum

F Heb. 7. 1. 1.

G Apoc. vbi supra.

H 3. P. 31. 3. 1.

I Ioan. 5. 1. 1.

VERS. XVIII. *Cum esset desponsata Mater eius Maria, Ioseph.*

Vtrum Christus nasci debuerit de Virgine desponsata, fueritque inter Mariam & Ioseph L verum matrimonium, tractatur suis locis. Sacrum Tridentinum Concilium distinguit sess. 24. verum matrimonium ratum à consummato; De vtriusque virginitatis voto Deo largiente, dicetur in Commentario Lucæ: ibi; ad *Virginem desponsatam viro*.

L 3. p. 29. 1. & 2.

VERS. eodem: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu-Sancto.*

57. Heluidius quidam Sacerdos, sed idiota, loquacitatem facundiam æstimans, M accepta materia disputandi, à blasphemijs Matris Dei incepit hunc proferens locum. Etsi autem quandoque ly *antequam* ordinem ad id quod re ipsa futurum est, denotet: tamen aliàs indicat solum id quod secundùm communem cursum speratur futurum: & verè vsurpatur *antequam*, etiamsi quod sperabatur, vel cogitabatur non sequitur. Duo fert exempla; vt si dicatur, *iste antequam haberet viginti annos, mortuus est*: non sequitur postea habuisse: vel *antequam in portu pranderem, nauigaui*; non intelligitur, quod in portu prandeat postquam nauigauit. Adde duo alia exempla ex Isaia: c. 37. *herba exaruit, antequam maturesceret*. & c. 66. *antequam parturiret peperit*. Parturitio siue nisus ad pariendum postquam peperit,

M 3. P. 28. 3. 1. & in 4. dist. 30. q. 2. 3.

rit, non erat ſubſecutura: nec poſtquam exaruit matureſcere debuit herba, ex vi vocis *antequam*. Dicit Hieronymus; *non ſequitur, quod poſtea conuenerint; ſed ſcriptura, quid factum non ſit, oſtendit*. Quòd ſi, vt aliquibus viſum eſt, puta Remigio, ly *antequam conuenirent*, accipiatur de cohabitatione in viri Domo, ruit magis obiectio: in morem enim credunt fuiſſe, N vt deſponſata per aliquot dies nullatenus è propria domo diſcederet; cum verò poſt aliquos dies facta fuiſſet ſolemnis celebratio nuptiarum, tunc ad domum viri tranſibat, eratque ſub viri cuſtodia: *antequam* ergo *conuenirent* domi, inuenta eſt in vtero. Porrò ſi ſtemus Chryſoſtomo, vt eſſet tanquam deſponſata, ab Ioſeph domi habita, æquè benè poſſet intelligi, antequam conuenirent ad publicam ſcilicet & ſolemnem celebrationem nuptiarum: quemadmodum Ioan. 2. *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ*, certè ſolemnes, vt conſtat: ita vt ly *conuenirent* non ſolummodo ad ſponſos referatur, ſed ad cognatos & affines, quorum tanquam plurium, propriè magis eſt, *conuenire*, quàm ſit duorum dumtaxat, ſponſi & ſponſæ. Probatur autem intacta Virgo adhuc ex hoc, quod fertur de Ioanne Euangeliſta, ſcilicet fuiſſe in Cana ſponſum; & nihilominus permanſiſſe, quod certius eſt, virginem: ſignum intactas fuiſſe ſponſas ante nuptiarum & epularis lætitiæ celebrationem, quare ly *conuenirent*, ſine dubio æquiuocum eſt.

N 3. p. 29. 2. 3. & Matth. 1.

Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-Sancto,

58. Quam paucis rem tangit verbis! innuens, timeret quaſi lapſum in tam ſublimi annunciando myſterio creatus calamus. *Inuenta eſt*: non à quo exprimit. Subintelligit Hieronymus *à Ioſeph, qui penè licentia maritali, futuræ Vxoris omnia nouerat*. Non abnuo, ſic exponi poſſe; & tamen nihil omnino depereat vtriuſque puritati & integritati; quando præſcius Iſaias c. 62. effatus eſt; *habitabit Iuuenis cum Virgine*: quod vltra Haymonem, gloſſa, O Nicolaus de Lyra de Sancto Ioſeph ac de Matre Dei interpretantur, ita vt non per horam, ſed perennis fuerit caſtiſſima virginaliſque cohabitatio. Chryſoſtomus; *nota proprietatem* verbi P *propriè enim illud inuentum dicitur, de quo nec ſperabatur nec putabatur: Ioſeph autem tantam habebat opinionem de pudicitia Mariæ, quòd præter eius æſtimationem fuit, inueniſſe grauidam*. Iuuat hìc immorari tantiſper, vt errore lapſum Calepini Auctorem probemus vt *inuenire* ſit ex conſilio, & ad expectationem; caſus autem ſit in repertis. Cum Inachus, Metamorphoſeos, transmutatam Io filiam agnouiſſet:

O Iſaiæ 62.

P Matth. 1.

Me miſerum ingeminat, tu ne quæſita per omnes
Nata mihi terras? tu non inuenta, reperta es.

Arbitratus eſt Ambroſius, vel Auctarius quiſquis fuit, quòd inopinatò filiam deprehenderit, eam negaſſe inuentam. Ita planè, ſi inopinatò; ſed quomodo inopinatò, *ſi per omnes quæſita terras?* ſi anxia fuit inquiſitio? *reperire* eſt quaſi iterum *parere*, quod mente ac deſiderio præconceptum eſt: *inuenire* eſt in quodpiam nulla præhabita cogitatione offendere; ſicut qui terram fodiens theſaurum inuenit, præter ſpem opinionem aut cogitationem. Sic de Maria: & hoc vi græci verbi. Dicit *in vtero habens de Spiritu-Sancto*. Quod quidem iterum in cauſa eſt, vt credam ly *inuenta* non referri ad Ioſeph; qui adhuc nihil nouerat de Spiritu-Sancto; cum poſteà in ſomnis de hoc monuerit eum Angelus. Quare libentèr velim, vt ly *inuenta eſt* ſonet ac ſi diceret, *factum eſt*: vel *inuenta eſt ſibi* habens de Spiritu-Sancto, dum aluus tumuit ipſius. *Aluus tumeſcit Virginis*. Et hoc ipſum communicauerit ipſa Ioſeph; non ſecus ac Cæcilia allocuta eſt Valerianum: *eſt ſecretum Valeriane, quod tibi volo dicere*. Inde Ioſeph tantum pauens myſterium, cum ſuæ humilitati ægrè fieret ſuaſum ſic eſſe, non temerè cogitationibus fluctuabat. Fortè autem ad arctum Euangeliſtæ verbum, Virgo quoque eſt Ioſeph locuta: tantummodo notum ei faciens, ſe habere in vtero de ſurſum; tantummodo miraculoſam conceptionem; non auſa ex Chryſoſtomo, quæ Angelus nunciarat, ei dicere: Virgo verè prudentiſſima, quo inde à Deo votis omnibus edoceri inhiaret, quidnam hoc eſſet arcani: ſibi mirum ex vna parte, concepiſſe Virginem; ex altera neutiquam, quando, vt ſciebat, aliàs pepererant ſteriles. Subticuit ergo Virgo quidnam haberet in vtero conſcia erudiendum ab Angelo: dum & ipſa diuinitùs nouerat ſe *circumdare virum*, Ieremiæ 31. perfectum Q ſcilicet, quia habuit corpus omnibus lineamentis diſtinctum, in inſtanti ſuæ conceptionis; licèt non ſecundùm quantitatem perfectam. Quod, ſicut & quantum ad animæ perfectionem, decuit euenire operatione Spiritus-Sancti. Subinnuit tamen ſublimia, ſi de ſurſum ſe habere in vtero prodidit: ex quo potuit Ioſeph rem mirari & celare ſilentio. Hærebat igitur ſponſus, ſuſpenſoque animo. Hinc ſacer textus

Q Ioan. 1. l. 9. & 3. p. 33. 1.

VERSVS XIX. *Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*

Ly *nollet eam traducere*, quamquam poſſet intelligi de traductione in domum, melius R accipitur, vt idem valeat, atque; *cum nollet eam diffamare in publicum*. Sanctus Auguſtinus in Sermone de Natiuitate: *ſecum æſtuabat diſputans & dicens: quid faciam? prodo, aut taceo? ſi prodiero, adulterio non conſentio, ſed vitium crudelitatis incurro*; (Idem, de verbis Domini; *ſi ſolus noſti, quia aliquis peccauerit in te, & eum vis coram hominibus arguere, non es corrector, ſed proditor. Si tacuero, malo contentio, & cum adulteris portionem meam pono; quoniam ergo, tacere malum eſt adulterium, prodere peius eſt; dimittam eam à coniugio*. Quid eſſet hoc *dimittere illam*, clarebit magis Angeli ex monito. Dum autem audis *voluit*, deprehende in deliberationis actum aliquando erupiſſe; ſed mox iterum in ancipiti anxius erat. Idcirco, miſſis expoſitionibus alijs, reor præmitti ab Euangeliſta, *cum eſſet iuſtus*, quia Sanctorum actiones, magna diſcretione conſiderandæ ſunt, S & tanquam cribro ſubtiliſſimæ conſiderationis euentilandæ, ne quid fortè durum, aut inconueniens exiſtat. Vel, (& adnectitur dictis) *cum eſſet iuſtus*: quaſi diceret, ſibi ſperans à Deo illuſtrationem; quia, *iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens*, Prouerb. 4. *procedit & creſcit, vſque ad perfectam diem*. Quod ſi de alijs poteſt dici hominibus probis; multò magis de *Ioſeph*, qui *apponens*, iuxta Remigium, vel certè *augmentum*, tanquam de iuſto, ly *creſcit vſque ad perfectam diem* immiſſæ illuminationis ſentiendum eſt.

59.

R 3. p. q. 29. 2. 3.

S Cant. 3. ibi, veniens pul. ueris.

VERSVS XX. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens; Ioſeph fili Dauid, noli timere.*

60. D. Dionyſius cap. 4. Cœleſtis Hierarchiæ dicit quòd *cœleſtes eſſentiæ, primò in ſe ipſas redeunt, ideſt* S *recipiunt illuminationes; & in nos per ſe deferunt, quæ ſuper nos manifeſtationes*. Mirum eſt autem quomodo primo in limine, dum Ioſeph perfuſum reddit diuino lumine, ipſum non filium *Iacob*, aut *Heli* (quod neque ſi humana eſſet allocutio, neceſſum erat) ſed *filium Dauid* vocat. Quod ſanè nihil fuit aliud, quàm promiſſi in lege, potiſſimumque repromiſſi Dauidi, ſuggerere expectationem. *Noli timere accipere Mariam*: ideſt non timeas T nuptias eius ſolemniter celebrare. Noli timere: Chryſoſtomus: *ſermo Euangeliſtæ inſuſpicabilis fit, demonſtrans Ioſeph paſſum, quod probabile eſt, virum pati*. Secundum quorundam ſententiam, ignorans

S opuſc. 60. 2. 1.

T 3. p. 29. 2. 3.

finem;

finem; ne tanquam reus haberetur, si celaret, & secum eam teneret. Origenes; *dimittere volebat, quoniam magnum Sacramentum in ea esse cognoscebat, cui approximare se indignum æstimabat*.
V 4. sent. 32. 2. 2.2. ad 5. Non improbat hoc Diuus Thomas V dicens; noluit eam dimittere, quasi aliam ducturus, vel propter aliquam suspicionem; sed quia timebat tantæ sanctitati cohabitare, propter reuerentiam. Verisimile est, vt etiam sibi suadens opinatiuè Mariam Messiæ matrem, cogitaret piè sanctèque horrefactus consultiùs eam non accipere coniugem suam. At Angelus adfuit confortans, eumque prodidit alti consilij coadiutorem fidelissimum, quòd filius memoraretur esse Dauid, cui de Christo facta erat repromissio. Psalm. 131. *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu-Sancto est.

61. Procul abigit omnem suspicionis caliginem, dum tangit vnde conceperit Virgo Mater; quem etiam conceperit, *natum*. *Quod natum* inquit, *in ea est*. Expendit glossa, tacitè diluens obiectionem, quòd nondùm natus esset: *aliud est nasci in ea, aliud ab ea nasci: ab ea; est prodire in lucem; nasci in ea; est idem quod concipi. Vel secundum præscientiam Angeli, quam habet ex Deo, cui futurum quasi præteritum est, natum dicitur*. Adde, si placet, intendere Angelum, ducere Sanctum Ioseph in claram agnitionem facti mysterij; Verbum scilicet carnem factum esse: & quia ab æterno Verbum ex Patre natum est; *quod enim* inquit *natum est* scilicet *ante sæcula*. Non solùm autem fuit conueniens X Deum incarnari; sed conuenientissimum fuit, A vt ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter vniretur. Ideò, vt quænam Persona incarnata erat, Ioseph doceret, *natum* memorat: fortè autem neutro nomine; vel vt Diuinitatem insinuet, in qua sexus discretio locum non habet; vel vt coæqualem moneat æterno Patri; vtique in natura & essentia; quæ teste Diuo Thoma, B per neutrum genus significari solet; sicut masculino suppositum. Adiecit autem *in ea* cœlesti dictamine: qua diuina vocula, explodi videtur nedum Manichæus de Christi corpore, quòd esset phantasticum; sed & Valentinus ratus esse cœleste. Si cœleste fuisset, ita vt portasset Spiritus-Sanctus vnum corpus cœleste, posuissetque in Beata Virgine solum vt in loco, & per eam transisset sicut per aquæductum, seu fistulam, non diceretur *natum in ea*. Confunditur Valentinus Manichæusque à Diuo Thoma pluries. C Et alibi ostendit fideliter de purissimis & castissimis Virginis Matris sanguinibus, D Christi Domini corpus fuisse formatum: sic vt humanitatis materia, hoc est sanguis eius Spiritus-Sancti operatione in vtero Virginis fuerit adunatus, & formatus in prolem. Hoc intendit Angelus subdens; *de Spiritu-Sancto est*. Quod quidem ita exponitur, vt efficientia, toti alias Trinitati communis, iuxtà ipsius Bonitatis, quod maximè elucet, attributum, approprietur Spiritui-Sancto: & sic etiam ex ratione faciendi, quæ item fuit Bonitas. Athanasius de passione & cruce Domini tomo 3. *mirabimur bonitatem, humanitatemque eius. Commotus est humanitate* &c. Certè bonum sui est communicatiuum. Et ly *de* importet consubstantialitatem ad ipsum Spiritum-Sanctum. Quocirca videantur in margine E allegata loca. Huc autem facit quod ait Chrysostomus in Homilia; *ne molestes Euangelistam, interrogando qualiter sit natus ex Virgine: breuiter expediuit se dicens; de Spiritu-Sancto: neque enim Gabriel, neque Matthæus amplius dicere potuerunt*. Caput vnum ex quo conceptus fuit Christus ex Virgine est inquit, F quia fuit conueniens propietati ipsius filij, qui est Verbum Dei: verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quinimmò cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Cum hoc etiam manifestum fit, quod G Verbum Dei est quo omnia constituta sunt, & quo omnia in sua integritate conseruantur, & sic nasci decuit, vt per omnia Matris integritatem seruaret. Sanè haud decebat vt virginitatem H nascendo tolleret, qui ad hoc nascebatur, vt corrupta in integrum reformaret. Præterea postquam alibi I ostendit, quàm verè dicatur *de Spiritu-Sancto*, idipsum probat ampliùs, secundum similitudinem humani verbi & spiritus. Verbum enim humanum in corde existens similitudinem gerit æterni Verbi, secundum quod existit in Patre: sicut autem humanum verbum vocem assumit, vt sensibiliter hominibus innotescat, ita & Verbum Dei carnem assumpsit, vt visibiliter hominibus appareret. Vox autem humana per hominis spiritum formatur. Vnde & caro Verbi Dei per Spiritum Verbi formari debuit. In quibus omnibus dictis fons puritatis conceptionis Virginis astruitur, ex verbi in corde, Verbique diuini in Patre proportione. Quis scit an non ideo Angelus sic absolutè *natum* protulerit, vt ex Verbi æterni natiuitate, æternaque conceptione & generatione, modum conceptionis eius in carne fas esset accipere? Corpus ergo Christi quod ad discipulos ianuis clausis intrauit, potuit eadem potestate de vtero clauso Matris exire.

X 3. p. 1. 1. — A 3. p. q. 3. 8. — B 1. p. 31. 2. 4. — C 3. p. q. 5. 2. opusc. 6. 5. 5. & 4. contra Gentes c. 29. & 30. — D 3. p. 31. 5. 3. — E 3. p. 32. 2. 3. sent. 4. 1. 1. & 4. contra Gentes c. 47. — F 3. p. q. 28. 2. 1. — G 4. cont. Gentes c. 45. — H opusc. 2. c. 225. & 3. p. 28. 2. 2. — I opusc. 2. c. 119.

VERSVS XXI. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.*

Ne putes superuacaneè dici *pariet filium*: non enim solummodo felicius enixuram partum intendit præfari, sed parituram Virginem inuiolato pudoris claustro. *Miretur omne sæculum*, ait Ambrosius in Hymno Natiuitatis, *talis decet partus Deum*. Asseuerat ergo Gabriel, nedum esse Mariam ante partum Virginem, dum *quod in ea natum* deprehensum fuerat, erat de Spiritu-Sancto; sed etiam in partu. Et certè prout competebat proprietati eius, qui nascebatur, qui est Verbum Dei; H nàm Verbum non solùm in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Vnde vt ostenderetur, quòd illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conueniens fuit vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur. *Seipsum, ostendens per hoc, Verbum*, habet Sermo Ephesini Concilij. *Quoniam enim natiuitas & filius apud nos ostentationem præbent passionis; ideo* (Ioannes capit. 1.) *hunc filium appellat & Verbum, impassibilitatem natiuitatis eius nomine isto demonstrans*. Sic fertur in Catena super Ioannem cap. 1. Ex quo claret quàm altè prompserit Angelus; *quod enim in ea natum est*; Neutro illo pronomine *Verbum* indicans. Et ideò ait Augustinus, (quod suprà) *fas non erat, vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta*. Hoc prescius dixit Isaias capit. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Mirum est autem, quare idem Gabriel, de quo Diuus Dionysius capit. 4. cœlestis Hierarchiæ; *diuinissimus*, inquit, *Gabriel Zachariam docuit*, cùm eadem pronunciet Zachariæ verba, addat ly *tibi: vxor tua pariet tibi filium*: nunc autem tantùm exprimat *pariet filium*: At soluit promptè Chrysostomus; *non autem dixit pariet tibi filium sicut*

62.

H 3. p. 28. 2. 1.

 cut

tut ad Zachariam : quia mulier , quæ ex viro concipit , marito suo filium parit , quia magis ex illo est , quàm de ipsa : hæc autem , quæ non de viro conceperat , non viro filium peperit , sed sibi tantummodo. Addit autem Gabriel , *& vocabis nomen eius Iesum* : Quocirca idem Chrysostomus : *quod est proprium Patris , quodque nihil infuscat Virginis dignitatem , hoc tibi facilè concedo , vt scilicet nato nomen imponas*. Introducit etiam, me iudice , de nomine, vt Prophetiam totam commendet Ioseph recordationi : quod in comprobationem asserti arcani cedebat.

63. Et iam sacer textus firmat : *Hoc autem totum factum est , vt adimpleretur , quod dictum est à Domino , per prophetam dicentem : ecce Virgo in vtero habebit* ; &c. Existimo apponi ly *totum* : vt nedum conceptio immaculata , sed & partus virginalis , & nomen ineffabile capiatur : immò , & apparitio ipsius Angeli ad Ioseph ; qui cum esset de domo Dauid , ibi à Domino aduocatur ea in verba . *Audite ergo domus Dauid* : ex quo dixit & Angelus : *Ioseph fili Dauid* . Mirabitur etiam quispiam, cur Matthæus ferens Isaiæ testimonium, quoad nomen eius legat ; *& vocabunt nomen eius* . Vt quid pluraliter ? quod impersonaliter Vulgata , *& vocabitur* ; & singulariter Septuaginta ; *vocabis*. Certè ibi alloquitur Prophetia Domum Dauid , dicens ; *audite ergo Domus Dauid* . Domus collectiuum est nomen : vnde singularis , pluralis , impersonalisque sensus est capax , vt clarè patet . Nunc Matthæus in plurali fert ; quo innuat , Mariæ Virgini quoque id fuisse iniunctum , Lucæ capit. 1. *& vocabis nomen eius Iesum*. Vt nimirum erudirentur fideles , quamquam suapte natura sit virorum imponere filijs nomen , vt constat in Natiuitate Ioannis : vice deriuante ab Adam , qui animalibus nomina imposuit , vxori , & filijs , expresse filio *Seth* Genes. 5. , vt inquam erudirentur credentes , dispensatione diuina Ioseph datum ; atque subinde non esse , sed reputandum fuisse Ioseph Christi Patrem , qui tamen solius esset Matris Virginis filius in terris sine Patre . Idcircò , vt intelligeremus , nedum Ioseph id concessum , sed Matri Virgini præstitum , ait , *vocabunt* : sicuti & Lucas ; *vocatum est nomen eius Iesus* : sed *vocatum ab Angelo priusquam in vtero conciperetur* ; videlicet in Annunciatione , antequàm Ioseph fieret apparitio , denuoque & ipsi imponendum committeretur.

64. At quæstio hinc animum pulsat ; quare Angelus vocandum dixerit *Iesum* , & non potius *Emmanuel*, quemadmodum in confirmationem allatus Isaiæ textus palam eloquitur . Neque enim idem est nomen *Iesus* ac *nobiscum Deus* : aut hebraicè *Ieosuagn* & *gnimanuel* . Dicendum pro solutione *Emmanuel* esse primitiuum ; *Iesum* verò esse deriuatiuum nomen : non quidem quantum ad syllabarum aut literarum sonum , sed quantum ad rem significatam ab vtroque . Ita vt quemadmodum in Ezechiele capit.10. *Rota erat in medio rotæ* : quatenus ex Augustino libro de catechizandis rudibus ; *in veteri Testamento est occultatio noui , & in nouo Testamento est manifestatio veteris* : in nomine *Emmanuel* fuerit occultatio nominis *Iesu* , & in nomine *Iesu* manifestatio sit nominis *Emmanuel* . Quamuis enim pluriès in veteri de *salutari* fiat mentio quod est *Iesugnat* , expressiusque Numeri 13. *Osee* nomen legatur mutatum à Moyse in *Iosue* quod est *Ieosuagn* , quod Septuaginta transtulere *Iesum* , sine dubio à radice *Iasang* salutem importans , nusquam tamen , legitur in veteri Testamento Messiæ , vt illud *Emmanuel* , impositum & appropriatum . Seruabatur ergo annunciandum , & imponendum , quando propter *nostram salutem descendit de Cœlo* : *vocabis nomen eius Iesum* : quando palam fuerat prædicandum Actor. 4. *non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus , in quo oporteat nos saluos fieri* . Quod si egregijs ex facinoribus non illaudati sumpsere sibi nomen & homines , qualiter Scipio ab Africa perdomita dictus est Africanus , cur non ab ea salute , *de qua exquisierunt* 1. Petri 1. *atque scrutati sunt Prophetæ* , ob quam de Cœlis descenderat , non ei donandum erat *nomen super omne nomen* ? Olim prædictum fuerat Isaiæ 35. *ipse veniet & saluabit nos* : *operatus est salutem* psalm.73. idest operabitur , *salutem in medio terræ* : tunc decuit nomen acciperet , cum re ipsa id impletum est . Itaque licèt præconizatum fuerit nomen *Iesu* , *Salutaris* seu *Saluatoris* , immò inuocare illud excitarentur fideles ; Isaiæ 12. *inuocate nomen eius* ; tunc decuit re ipsa declarari impositum , cum re ipsa exordium nostræ salutis obuenerat . Et ecce ab Euangelista id subinnui , dum ait ; vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem ; *ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium* ; *& vocabunt nomen eius Emmanuel* ; *quod est interpretatum , nobiscum Deus* . Leo Papa Serm. 1. de Natiuit. Domini ; *nisi enim esset verus Deus , non afferret remedium* . Isaiæ 12. *ecce Deus Saluator meus* : & cap.43. *ego sum , ego sum Dominus* ; *& non est absque me Saluator* . Osee etiam 13. *& Saluator non est præter me* . De quo sæpius in Scripturis.

Superest magis exponere quomodo in *Emmanuel* nomen Iesu contentum sit , & quomodo deriuetur . 65.
Necti cum Deo , claret in Isaia : qui capit.12. inquit ; *El Iesugnati , Deus Saluator meus* . Claret etiam salutis animarum tum viæ tum Patriæ Deum esse Auctorem , quia psalm.83. *gratiam & gloriam dabit Dominus* . *Domini est salus* psalm.3. & passim in Scripturis . Vnde quia salus , vbi infirmum est humanum genus , per expulsionem fit culpæ ; ait Isaiæ 43. *ego sum , ego sum ipse , qui deleo iniquitates tuas* . Idcircò rectè dicebant Lucæ 5. *quis potest peccata dimittere , nisi solus Deus ?* Etsi autem *El* hoc est *Deus* potuerit I multis alijs modis humanam reparare naturam : quoniam , præ cæteris , I 3.p.q. 1.a.1. cùm nullum habeat Superiorem , sitque ipse supremum & commune bonum totius Vniuersi , dimittere potest peccatum , quod contra ipsum committitur , L absque alterius iniuria ; ex quo aiebat Dauid psalm.50. *tibi soli peccaui* : nihilominus , vt homo facilius & melius suam consequeretur salutem , M necessarium fuit Deum incarnari ; Hoc autem nihil aliud docere est , quàm necessarium fuisse , vt nomen eius esset , nedum *el* , quod est *Deus* , sed *Emmanuel* , quod est *nobiscum Deus* . *Suscipitur* , ergo ait Leo Papa in Sermone de Natiuitate ; *à virtute infirmitas , à maiestate humilitas* : & quidem ex radice in primis satisfactionis Deo debitæ ex iustitia , quia homo purus non poterat , Deus non debebat . Apparuit autem in Christo sanitas ; dum *peccatum non fecit , nec dolus inuentus est in ore eius* ; 1. Petri 2. dum item suo nos , & verbo & exemplo , factus in omni sua actione , nobis instructio , ad salutem prouexit , & *virtute perpeti , infirma nostri corporis , Auctor salutis* iterum recantatus , firmauit ; vt in Hymnis dicitur . Nisi , dic tu , esset *Emmanuel* ; non esset *Iesus* : nisi esset *Iesus* , non agnosceretur *Emmanuel* : hinc D.Th. 3.p.37.2. ad 1. in Emmanuel designatur causa salutis , quæ est vnio diuinæ & humanæ naturæ in persona filij Dei ; nam

L 3.p.46. 1. 3. & 2. 2.67 4.
M 3.p.q. 1.a.1.

nam *Christus Iesus*, 1. Timoth. 1. *venit in hunc Mundum peccatores saluos facere. Ipse enim*, ait Angelus, *saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Populum suum*, singulariter, quia vt aliàs docet, N vtrumque populum, videlicet Iudæorum colentium Deum verum, & Gentilium ab huiusmodi cultura alienatorum coniunxit in vnum. Ezechielis 37. *Rex vnus erit omnibus imperans; Quare Saluator dictus est Mundi, nisi vt saluet Mundum? Saluari non vis ab ipso; ex te iudicaberis*: Augustinus.

N Ephes. 2. 1. 5.

66. Alia non contemnenda est quæstio de vocis illius *Emmanuel* interpretatione, num scilicèt Euangelista, an potius qui Euangelium transtulit illam addiderit. Caietanus, vt in Prologo tetigi, Præfatione in Matthæum eò tractus est, vt crediderit Matthæum græca lingua scripsisse Euangelium, contra communem Doctorum & Patrum: & sic græcè exposuisse etiam vocem illam hebraicam: ratus subinde, admitti non debere, licuisse illam interpretari à translatore. Sed perspectum est ab Interpretibus id pluries factum, quandoquidem in hebræo non extat: sic Genes. 35. *vocauit* (scilicet Rachel) *nomen filij sui, Benoni*; adiecit Interpres; idest, *filius doloris mei. Pater verò appellauit eum Beniamin*, idest *filius dextræ*, ait Interpres. Exodi 16. *Dixerunt ad inuicem; manhu?* quod significat, ait, *quid est hoc?* Iudicum etiam 19. *filij Belial*, interpretationem fert Translator *idest absque iugo*. Quare ergo non ita potuit licuitque fieri, in Matthæo? Id quod probat etiam Diuus Thomas in præsenti. Sed quoniam non respuit potuisse quoque id fecisse Euangelistam, iuuat aperire causam, ne inutiliter factum videatur in eadem lingua, vel minus opportunè; quando æquè notum, per non magis notum frustrà fuisset expositum. Remigius recurrit ad hoc vt *Emmanuel* nomen esset obscurum apud hebræos. Parum arridet; quia vox ipsa non est exotica, vt claret. D. Thomas eò quòd est nomen compositum. Certè quæ sunt eiusmodi, non incongruè interpretationem subeunt, etsi aliàs vix discrepantem. Quod meo sensu, tunc maximè licet, quando nominis alicuius proprij mentio fit. Quamuis non otiosè *magnanimus* interpretari posset *vir magni animi*; *Cœlicola*, qui *Cœlum colit*. Philosophus etiam græcè *Philos sophiæ*; *Amator Sapientiæ*. *Deicola, Deicultor*; *Pater familiar; domus gubernator, & parens*. Complexa quippe nomina, benè ea diuidendo exponuntur. D. Dionysius de diuinis Nominibus cap. 4. docet dictionem aliquando explanari *per alias, & alias æquipollentes & manifestiores dictiones*, probatque exemplis; puta, *quatuor numerum per bis duo significari, & rectilineum per habens rectas lineas, aut maternum solum per Patriam*. Sed vt aiebat, id magis inculpatè fit, cum nomina propria occurrunt: quorum vulgus non attendit originem, sed quam indicent Personam. Et si peritiores vel notent, vel rimentur, gratis id videtur fuisse in obseruationem. Ne ergo pertransiret nomen hoc *Emmanuel*, quasi minus consideratum, neue solummodo, pro solertia ab hominibus quasi accidentariò hæc donaretur expositione, voluit Sanctus Euangelista, à consilio, non casu, illi nomini hanc interpretationem inesse, habereque auctoritatis pondus, & à Spiritu-Sancto fuisse intentam. Quod ab omni calumnia eximit sacrum Interpretem; dum non tam vt interpretaretur, quàm, vt infigeret fidelium cordibus, & omninò animaduertendam, & consultò à Domino intentam interpretationem adiecit; Isaias autem non eam inuexerit sacrum in textum, quia inuolutè locuti sunt alto studio Prophetæ; *nox præcessit dies appropinquauit*; Rom. 13. atque, vt aiebam, ex Augustino, *in veteri Testamento fuit occultatio noui*; quemadmodum, *& in Nouo, veteris manifestatio*. Sic Apostolus Hebræor. 7. loquens de *Melchisedech*, quod facilè vnicuique linguæ haud ignaro fas erat capere, adiecit, (ea reor intentione, qua supra ad excitandum, ad imprimendum ac auctorizandum,) *qui interpretatur Rex iustitiæ*: hebraicè certè & ipsa expressa interpretatione. Facilius detur fuisse Interpretis additamentum, ly *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matthæi 27. Quod quamuis sufficeisset enunciari ab Interpretibus vel græcè vel latinè, voluere in linguæ sanctæ venerationem, referre, *Eli, Eli, lamma sabacthani*: vel alio fine, quo, triplici lingua titulus est conscriptus Crucifixi: quo etiam Paulus aiebat, *clamamus Abba Pater*; & Ecclesia interdum græcæ & hebraicæ linguæ voculas, canit; vt *Kyrie eleison*, & *alleluia*. *Vnum* quippe factum est, velint nolint faces Israel, græcique desertores, *vnum* inquam *ouile, & vnus Pastor*. Io: 10. Sic diuersa præcipuarum nationum idiomata conspirant in vnum.

VERSVS XXV. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum.*

Proteruus Heluidius, etiam si assereret Christum conceptum & natum de Virgine, blasphemauit eam postmodum ex Ioseph alios filios genuisse. Sibi id autem visum est, hoc etiam ex textu; vim faciendo in ly *donec*: hoc enim consueuit, aiebat, determinatum tempus signare; quo impleto, fiat id, quod ante illud tempus non fiebat. Et potest adferri in exemplum Paulus dicens ad Galatas 3. *propter transgressiones lex posita est, donec veniret semen, quod promiserat*. Dans Diuus Hieronymus sermonem fieri de cognitione carnali, sustinet ly *donec* quandoque indicare infinitum tempus: sicut in psal. 113. *oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*: neque enim intelligitur, vt post impetratam misericordiam oculi auertantur à Deo. Vide o suis locis. Multis autem similibus locutionibus possumus Diuo Hieronymo suffragari. Heli 1. Regum 3. *non poterat videre lucernam Domini, donec extingueretur*. Canticor. 2. *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*. Psalm. *non commouebitur donec despiciat inimicos suos*. Primæ Corinth. 15. *oportet autem illum regnare*, (ex Psalmo 109.) *donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*. Apocalyps. 7. *quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*. Item cap. 15. *Et nemo poterat, introire in Templum, donec consummarentur septem plagæ*. Apoc. 20. *cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*. Quam phrasin pluries, & quidem vera intelligentia, accipit & P exponit, vt ly *donec*, vel *quousque* vim habeat inclusiuam; neque enim prout sonare videtur arctat ad exclusionem præcedentis, puta, vt regnet Dominus solum *quousque ponat inimicos scabellum pedum*: & sic de alijs. Vnde ad illud Apostoli ait Angelicus; ly *donec* quandoque determinat tempus, & ponitur pro finito Q sicut si dicerem: non videbo Deum, donec moriar, quia, vsque tunc non videbo, sed postea videbo: quandoque ponitur pro infinito; & adducit hunc textum; *donec peperit* &c. non quòd velit dicere, quòd non cognouit eam, solùm vsque ad partum filij, sed nec etiam posteà vnquam cognouit. Et ibi alijsque locis repetit, hunc modum loquendi consueuisse vsurpari, quando de re aliqua videretur oriri posse dubietas; (puta potuisset verti in dubium, an recens sponsus sponsam cognouisset?) hoc verò quòd post partum non cognouit eam, nulli poterat esse dubium, cum tot

67.

O 3. p. 28. 4. 3. & opusc. 1. c. 225.

P 4. dist. 30 1. 3. Apocal. 7. 16. & 20. Cantic. 2. nouissim. Comm.

Q 1. Cor. 15. lect. 3.

mysteria pueri vidisset; toties in somnis ab Angelo fuisset monitus, adorassent Magi: &c. Hæc Diuus Thomas: quæ quidem, ab obsequendum Hieronymo; & ad confutandum omni ex parte Heluidium cordatè dicuntur. Redibit opportunè sermo infra c.27. v.56.

68. Cæterum mihi arridet magis opinio quam itidem refert 3. Parte: vt non intelligatur Matthæus de cognitione per coitum; sed alio in sensu, vt clarebit. Eneruari autem videtur fundamentum: quoniam non apparet, qua ex causa solicitus fuerit Matthæus de assecurando, non fuisse ante partum Virginem ab Ioseph tactam. Quis debuit hoc suspicari? Quod autem post partum non tetigerit sacrum eum montem, probat idem Angelicus, quia fuisset id iniurium R Spiritui-Sancto, cuius facta fuerat Sacrarium, & habitaculum filij Dei: & ad maximam, inquit, præsumptionem Ioseph imputandum fuisset, si eam quam de Spiritu-Sancto concepisse cognouerat, polluere tentasset. Quòd si rem notam veluti, & indubitabilem perhibet, de non accessu ad illam post partum (qui tamen accessus potuisset honestari procreandæ prolis intentione) cur non amplius notum erit, & indubitabile, non potuisse sine præsumptione tangi, dum erat *habens in vtero de Spiritu-Sancto?* quando nouæ prolis spes adesse non poterat: proinde libidineus Ioseph fuisset accessus ad indulgentiam, & ad remedium, post Adæ lapsum, naturæ infirmæ adhuc donatum? Satis ergo constare poterat, ante partum fuisse Virginem incognitam; quia constabat, *Ioseph, virum esse iustum*, pro talique à Spiritu-Sancto commendatum. Iusti autem commendatio, eximit eum à libidinis passione, ex qua ante partum ad prægnantem coniugem vir accedit, non causa prolis. Constabat iterum intactam Virginem fore; quia prædictum fuerat, quòd nedum Virgo conciperet, sed pareret filium: vtrumque copulando: *ecce Virgo concipiet & pariet*. Si paritura erat Virgo: non erat à quopiam dubitandum, quòd cognosceretur à viro.

R 3. p. 30. a. 2. 3. opusc. 2. c. 225.

69. Verum etsi negari nequeat, in morem habere Scripturas, aliquando eiusmodi cognoscendi verbo, concubitum significare: vnde Genes. 38. dicitur de Iuda ad Thamar; *vltra non cognouit eam*; 3. Regum 1. de Abisag Sunamitide legimus; *Rex verò non cognouit eam*: & Iudith 16. de ipsa; *erat virtuti castitas adiuncta, vt non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius*: attamen animaduerto, cum de coniuge sermo est, passim addi ly *vxorem*. Sic Genesis 4. *Adam verò cognouit vxorem suam*: similiter; *cognouit autem Cain vxorem suam*; sic 1. Regum 1. *cognouit autem Elcana Annam vxorem suam*. Quare, cum Euangelista in præsenti sic loquatur; *& non cognoscebat eam*; abstinendo, à voce *vxoris* vel *coniugis*, argumento est, non debere accipi de vxoria cognitione. Considero, quidem paulò ante, immò immediatè ante, dictum esse, *coniugem suam*: cæterùm, in re tam graui signanter repetijsset; *& non cognoscebat coniugem*: quemadmodum & Ioannes cap. 12. postquam dixit *Iesus ergo ante sex dies Paschæ, venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit*, inquit, *Iesus*: quod satis notum erat, factum ab ipso: præsertim quia textus requirebat ad Iesum referri. Itaque cum sic res tractatur momenti, debet aliquando vox vna repeti. Idcircò dum suppressit nomen *coniugis* solùmque apposuit ly *eam* tacitè edoceri nos voluit, non loqui de coniugali cognitione, sed de cognitione alia; puta secundum Chrysostomum, S quòd *non cognouit eam Ioseph antequam pareret, cuius fuerit dignitatis; sed postquam peperit, tunc cognouit eam; quia per ipsius prolem speciosior & dignior facta fuerat, quàm totus Mundus; quia quem totus Mundus capere non poterat, in angusto cubiculo vteri sui sola suscepit*: aut secundùm alios, notitia visus; sicut enim Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, *vt non possent intendere in eum filii Israel*; sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non poterat à Ioseph, *donec* pareret: post partum autem, à Ioseph agnita inuenitur speciè faciei, non tactu libidinis. Hilarius in Homilia hoc sentit, & facta collatione ad Moysi vultum, ex 2. Corinth. 3. ait, *quantò magis Maria agnoscitiuè intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in vtero habebat*. Sane Stephani vultum quasi immutatum legimus Actor. 6. *& intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli*. Aliàs autem scimus, Moysi locutum in Monte non Deum ipsum in se, sed ministerio Angelorum, iuxtà illud Actor. 7. *accepistis legem in dispositione Angelorum*. Quod si Nuncij claritas tātos in faciem Moysi radios eiaculatur, qualis credenda est fuisse Mariæ irradiatio, quæ ipsum Deum clausit vtero; quæ Apocalyps. 12. perhibita est *amicta Sole?* (ijs veruntamen, qui conscij essent mysterij) *Sole* idest Christo; qui T de se ipso ipsam ornauit, decorauit, totamque fecit luminosam, non suis radijs solùm, sed de se ipso: vnde Virginis claritas in alios redundabat. Hinc Bernardus in quodam Sermone; *Mariæ præsentia totus illustrabatur Orbis: adeo vt ipsa iam cœlestis Patria clariùs rutilet, virgineæ lampadis illustrata fulgere*. Imparem ergo oculorum aciem splendissimo vultui habens Ioseph, *non cognoscebat eam, donec peperit*, &c. Fert Rutilius Benzonus in Canticum Magnificat lib. 2. dub. 3. pagina 158. reuelatum Sanctæ Birgittæ Deiparam dum pareret, solam fuisse in Præsepio; ac Ioseph ob summum splendorem eximiamque claritatem, quæ de facie eius radiabat, ac reuerentiam exinde conceptam, partui Virginis non interfuisse. Postquam ergo peperit, enixa puerpera Regem, qui oriens erat splendor candorque lucis æternæ, datum fuit Ioseph coniugem suam sanctissimam inspicere tenui pupilla, & cognoscere: vlteriusque iuxta Chrysostomum, quantæ sublimitatis esset obsequentissimo Angelorum famulatu deprehendere. *Non cognoscebat eam, donec pareret filium suum primogenitum*: eo quòd aciem figere non valebat.

S 3. p. loc. cit.

T Apoc. 12.

Quæ ne gratis videamur confingere, vim fieri oportet illo in præterito imperfecto, *non cognoscebat*: quamuis enim Syriaca & Diuus Ambrosius legerint, *cognouit*; stando, quæ summæ est auctoritatis, vulgatæ nostræ, *non cognoscebat* pro veriori textu habendum est: Notatu autem dignum extat, discrimen inter vtrumque. Angelicus Doctor expendens illud *erat* cum ait Ioannes; *in principio erat Verbum*, inquit; Quod futurum est V nondum est actu: præsens autem actu est: & per hoc quod est actu præsens, non designatur fuisse: præteritum autem perfectum designat aliquid extitisse, & esse iam determinatum, & iam desuisse: sed præteritum imperfectum significat aliquid fuisse, & non esse adhuc determinatum, nec defuisse, sed adhuc remanere. Hæc Diuus Thomas. Ad rem nostram: si Euangelista intendit de cognitione carnali, cur non enunciat perfecto præterito, dicendo, *& non cognouit?* Iam determinata omninò erat continentia, siue hoc in genere vxorio incognitio (attento præfixo tempore, *donec peperit*) omnino fuerat: negatio etiam illa, nonnihil conf. rt ad perfectum præteritum: vnde ergo est imperfecto tempore dici? Dices fortasse sic imperfecto tempore expressum, 70.

V Ioann. 1. lect. 1.

ſum, quia non defuerat, ſed perdurabat illa incognitio vxoria. Contra hoc eſt obiectio de fruſtranea expreſſione, quòd eſſet continuata, nec adhuc defuiſſet iſthæc vxoria incognitio, vi temporis imperfecti *non cognoſcebat*; quando illam non defuiſſe ſatis ex adiecto illo aduerbio temporis *donec* innoteſcebat. Ly *donec* firmat continuationem ſeu protractionem aſſerti; vt quid protractio eadem ſignificatur per verbum imperfecto tempore poſitum? Dices: actus ipſi externi cognitionis vxoriæ continuitatem quandam ſibi vendicant, vt ſi diceretur de viro mortuo, (cum hac clauſula tamen, dum viueret) *cognoſcebat vxorem ſuam*: quæ phraſis repetitionem actuum poteſt inuoluere: & ſic negatiuè pronunciando *non cognoſcebat*. Reſpondeo, falſum eſſe, in repetitione actuum cognitionis carnalis, adeſſe continuationem, quæ per verbum imperfecti temporis exprimenda veniat, dicendo *cognoſcebat vir vxorem ſuam*: potius enim illud imperfectum tempus ferret continuationem vnius actus nondum tranſacti ac deficientis; ſicut ſi diceretur: cognoſcebat quidam Madianitidem: & *Phinees* (Numeri 25.) *virum & mulierem pugione perfodit*. Idem dico ſi negatiuè enuncietur. Quare ſi vellet quis continuationem actuum huiuſmodi externorum ſignificare, oporteret addi terminum aliquem numeralem, vel aduerbium aliquod ſonans numerum dicendo *ſedulò pluries cognoſcebat*: & cum aduerbium, continuationem ſignaret, fruſtrà eadem continuatio intenderetur per imperfectum verbum: potiuſque ſignificantius diceretur *cognouit* prçterito perfecto *pluries vxorem ſuam*. Breui igitur; dum continuatio, ſiue affirmatiuè ſiue negatiuè, intenditur etiam in verbo ipſo exprimi, imperfecto tempore, (quando nempe, in ly *donec* ſatis continuata res dicitur) neceſſe eſt concipere cõtinuationem aliquam & protractionem in re ſignificata per verbum: & quia ly *cognoſcebat* vxoria cognitione continuationem, vt dixi non fert, ex parte rei per vocem ſignificatæ; benè verò cognitio dignitatis, & agnitio faciei, qui actus ſunt animæ, continuationem patiuntur, interioris nimirum habitus: (nam habitus ſiue cognitionis, ſiue non cognitionis, quemadmodum ignorantiæ ſunt in anima) ideò, dum nedum continuatio notatur ex vi aduerbij *donec*; ſed etiam vi verbi *non cognoſcebat*, dicendum eſt, conſultò ſic in præterito imperfecto ſcripſiſſe Euangeliſtam: quo mens fidelium ferretur ad habitus conſiderationem, proinde ad cognitionem animæ, in qua reſident habitus; neutiquam verò ad cognitionem carnalem. Subtilis hæc videtur interpretatio: at aiebat Angelicus. *Da mihi interpretandi ſubtilitatem*.

71. Vt autem adhuc magis ſuaſum ſit, non fieri ſermonem de vxoria cognitione, notari decet, qualiter incognitam fuiſſe inquit, nedum *donec peperit*; ſed etiam donec *vocauit nomen eius Ieſum*. Colo quippe ſolummodo extat orationis diſtinctio: non puncto aliquo, vt dicitur firmo, ſed duobus punctis: quod ſignum eſt vnam eandemque eſſe orationis periodum duobus membris. Neque dicatur id accidiſſe arbitrio punctantium: nam & orationis tenor id exigit; ſiquidem copulatiua illa *&* connectit ad idem: & ſi velit quis ſecus eſſe, cogetur fateri, puncto diuidi debere orationem: & fuiſſe conuenientius, vt aliter clauderetur enarratio: puta, dicendo ſinè copulatiua particula, *cuius nomen vocauit Ieſum*. Igitur (quod & ſupra expendi) veriſimile non eſt, de hoc fuiſſe Euangeliſtam ſolicitum; cum alias dixiſſet *Ioſeph eſſe virum iuſtum*: ex hoc enim ſatis conſtabat, non tacturum ſiue cogniturum eam cognitione carnali; quando ad immundam accedere vi legis vetitum eſſet Leuitici 15. & pro immunda haberetur iuxta ritum fluxus menſtrui ſeptem diebus, quæ maſculum peperiſſet, Leuitici 12. Quod ſi dicas, vſque ad diem octauum, quo nomen imponebatur, perhibitam fuiſſe hanc Ioſeph continentiam pro ipſius commendatione: obijcietur adhuc, cur non vſque ad ſuam purificationem dicatur *non cognouiſſe?* quando conſentaneum erat legi, licèt non adeo expreſſum, vt vir per quadraginta dies illos, vxorem tanquam immundam non tangeret. Quod quia in Matthæo non legimus, tanto fortius colligitur, verba non fieri de vxoria cognitione. Rationabile autem eſt, vt non cognouerit, hoc eſt intueri agnoſcitiuè nequiuerit eam, *donec peperit*, & donec etiam *vocauit nomen eius Ieſum*; quia, cum octauo die in quo nomen imponebatur, fuerit dies circumciſionis; in qua ſe verum hominem Dominus comprobare voluit, humilitatiſque & obedientiæ præbere exemplum, fas eſt credere, retraxiſſe Dominum Maieſtatis radios, iam fuſo ſanguine, paſſioni Crucis veluti præludendo, in qua fuit, Iſaiæ 53. *abſconditus vultus eius*: (Tunc ſanè primò viſus eſt *in ſimilitudinem carnis peccati*.) Et ſic Beatam Virginem Matrem, tunc primò cum filio attemperaſſe importabilem faciei claritatem: vnde tunc inceperit eam cognoſcere, quam antè diuini conceptus notitiam delibauerat, ſibi deſponſatam Mariam. Cum quo ſtat attamen, vt quemadmodum Diuinitas refulſit in Monte Sancto; ſic effulſerit Deitatis aliquid in Magorum adoratione, in acceſſu ad Templum in vlnis Simeonis, aut alibi; & Beata ipſa Virgo, Dei dono, inſignia Maternitatis Dei, pro diuina diſpenſatione, per modum tranſeuntis aliquando oſtenderit: puta cum ab Eliſabeth ſalutata eſt, alta illa admirationis voce; *& vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me?* non ſecus ac in Annunciatione Gabriel diſceſſit ab ea, *obſtupens*, vt ait Euſebius in Catena, *in virginea forma, & virtutis plenitudine*. Cur autem primogenitum dicatur peperiſſe: quod ſatis innotuerat præallegata ex Prophetia, *ecce Virgo habebit in vtero*, patebit ex proximo primi Capitis huius Syntagmate. An conuenientèr fuerit Chriſto nomen *Ieſus* impoſitum pertractatur ab Angelico quæſt. 37. a. 2. tertiæ Partis.

X 1. P. 37. 4.

SYNTAGMATIS EVANGELII SECVNDVM MATTHÆVM

Exordium ad primum Caput,

1. *Liber generationis Iesu Christi*.

Angelicus Doctor in limine Commentarij, totum Matthæi Euangelium diuidit tres in partes: sic vt in prima agat Euangelista de Christi humanitatis in Mundum ingressu; & hæc complectatur primum cum secundo caput: secunda de ipsius processu, à tertio capite, vsque ad vigesimum: tertia à capite 21. & exinceps de ipsius egressu. D. Chrysostomus Homilia 1. ait, in volumine Matthæi contineri *pœnarum subleuationem, veniam peccatorum, sanctificationem atque iustitiam, redemptionem, adoptionem etiam filiorum, Cœlorum hæreditatem, & cum Dei filio fraternitatem*. Optimè quidem: at mea pro meditatione, illud magis facit quod tangitur de adoptione filiorum, atque cum Dei filio fraternitate: facit etiam, quod ab Angelico dicitur, signari scilicet in genealogia ordinem incipientium ac proficientium, proinde metam etiam perfectorum. Idem autem Chrysostomus ida ali meo viam adhuc sternit dicens, *corpus suæ narrationis ordinauit Matthæus: primò ergo natiuitatem, deinde baptismum, tertiò tentationem, quartò doctrinam, quintò miracula, sextò passionem, septimò resurrectionem, & ascensionem ipsius: non solùm historiam de Christo exponere volens per hoc, verum etiam euangelicæ vitæ statum docere: quoniam nihil est, quod ex parentibus nascimur, nisi iterum per aquam & spiritum renati fuerimus ex Deo*. Ecce quod aio & ipse, atque in Isagoge susius dixi, Matthæi scopum esse spiritalem animarum in *facie hominis* innouationem, siue malimus dicere regenerationem: sic nimirum *vt filij Dei nominemur & simus*; 1. Ioa. 3. quare cum dicit, *liber generationis Iesu Christi*, nedum ipsius, sed & membrorum eius in ipso notat generationem; de qua posteà vberius. *Liber ergo generationis*, &c. totum Matthæi volumen dicitur, quia licèt in solo primo aut secundo capitulo de Domini generatione agatur; quatenus tamen Christus Dominus mysticè caput est, vnumque cum membris, (quoniam est etiam spiritualis generatio, adolescere, & perfici) in toto peragitur opere, de huiusmodi ipsius generatione. Certè vbi Dominus ait Ioann. 12. *omnia traham ad me ipsum*, exponitur ab Augustino tract. 52. in Ioannem, vt per ly *omnia*, intelligantur *omnia prædestinata ad salutem* &c. & addit, *vt sim caput eorum, & illi membra mea*. Quare cum sic moralis isthæc vnitas prædestinationem inuoluat, non fuerit dissonum, vt hìc *Liber* accipiatur pro *libro vitæ*. Arridet autem vox hebræa *Sepher*, quæ deriuatur à radice *Saphar* significante *narrauit, nunciauit, retulit, numerauit*: vnde sentiunt nomen *Sepher* stare posse pro *notitia*, & palam

A p. p. q. 24. 1. pro *numero*. Liber vitæ A nihil aliud est, quàm *præscientia Dei*, siuè *conscriptio ordinatorum in vitam æternam*. *Liber* ergo *numerum* sonat eorum: qui proinde numerus etiam certus haberi potest, quamquam *soli Deo cognitus*, vt dicitur in secreta; quia Christianæ perfectionis tenor hoc in volumine expressus certam facit amplexantium illum vocationem & electionem. Quamquam ordinati aliqui ex gratia, non ex prædestinatione sint *secundùm quid* non simpliciter in libro vitæ: vnde & deleri dicuntur, vt claret loco citato: ps. 68. *deleantur de libro viuentium*.

2. Duo, pro assumpti pleniori planiorique comprobatione, luculentiùs videnda sunt. Primum, quoad Dominum, eiusque mysticum corpus, pro vno accepta. Prima sane regula Tichonij, quam non refutat Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, ad Sacræ Scripturæ intellectum, *de Domino est, ac eius corpore*; ex qua scientes aliquando Capitis & Corporis, idest Christi & Ecclesiæ vnam Personam nobis intimari, non hæsitemus, quando à Capite ad Corpus, vel à Corpore transitur ad Caput; & tamen non receditur ab vna eademque mysticè persona. Fert Augustinus in exemplum ad interpretationem Septuaginta, quod nostra legit Isaiæ 61. *circumdedit me quasi sponsum decoratum corona; & quasi sponsam ornatam monilibus suis*; subijcitque *& tamen quid horum duorum Capiti, quid Corpori; idest quid Christo, quid Ecclesiæ conueniat, vtique intelligendum est*. Figura est dicta *Enallage* generis & suppositi. Aliud etiam considerat, vt ad Galat. 3. *ergo semen Abrahæ estis*: cum sit vnum semen Abrahæ quod est Christus; (supra dixerat Apostolus; *non seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno: & semini tuo; quod est Christus*.) Est autem aptissimè allatum: dicente immediatè ante Apostolo; *omnes enim vos vnum estis, in Christo Iesu*. Sic in Serm. 174. de tempore, de Christi ascensu ad Cœlos: *nam propter vnitatem, qua Caput nostrum est, & nos corpus eius, cum ascendit in Cælum, nos ab illo non separamur*. Sic Gregorius 27. Moralium: *quia enim nos vnum cum illo iam facti sumus; vnde solus venit in se, solus etiam redit in nobis; & is qui in Cœlo semper est, ad Cœlum quotidie ascendit*. Sic idem Augustinus Serm. 14. de verbis Domini: *quamuis & in fine cum venerit, & nos omnes membra sua collegerit, ac leuauerit in Cælum, etiam tunc solus ascendet, quia caput cum corpore suo vnus est Christus*. Sic Athanasius, vbi ait Dominus Lucæ 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, inquit, *commendat Patri per se vniuersos mortales in se viuificatos, nam sumus membra eius, secundùm illud Apostoli ad Galatas; omnes vnum estis in Christo*. Sic iterum Augustinus 15. de Trinitate: *non autem tunc vnctus est Christus Spiritu-Sancto, quando super eum baptizatum, velut columba descendit; tunc enim Corpus suum, scilicet Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum*. Sic Tractatu 28. in Ioannem circa initium; *non enim Christus in Capite & non in Corpore: sed est Christus totus in Capite, & in Corpore* &c. *nam si non ipsi essent membra eius; non diceret Saulo, quid me persequeris? non enim Saulus ipsum, sed membra eius, idest fideles eius in terra persequebatur*. Alibi id ipsum tradit Augustinus: ex quo, fidus sectator eius Angelicus Doctor pluries id probat, & dilectionem Petri cum Ioannis conferens B ait, quidam dicunt, quod Petrus plus dilexit Christum in membris, & sic etiam à Christo plus fuit dilectus: vnde ei Ecclesiam commendauit: Ioannes verò plus dilexit Christum in se ipso. Alibi exponens C quomodo passio Christi causat remissionem peccatorum per modum redemptionis, exemplificat de homine, qui per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se à peccato, quod pedibus committit: sicut enim naturale corpus est vnum ex membrorum diuersitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum Christi

B p. p. 20. 4. 3.

C 3. p. 49. 1.

Christi corpus, computatur quasi vna Persona cum suo Capite, quod est Christus. Sic q. 15. recolens præfatam Tichonij regulã de Domino & eius Corpore, cum scilicet Christi & Ecclesiæ vna persona æstimatur, exponit ps. 21. *verba delictorum meorum*, ex persona membrorum: non quod in ipso Capite, delicta fuerint. Quid plura? Ex professo totam instruxit Quæstionem D de gratia Christi secundum quòd est Caput Ecclesiæ: vbi fert illud Ephes. 1. *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus eius*: mysticum, per similitudinem ad naturale Corpus hominis, quod secundùm diuersa membra diuersos habet actus, vt Apostolus docet Roman. 12. & 1. ad Corinth. 12. Sic in Psalmorum 1. vbi de Christo fit præcipuè sermo, vt autumant ex illo ps. 39. *in capite libri scriptum est de me*; E vel, inquit, in Capite libri Psalmorum, quia primus psalmus scriptus est de Christo. Constat autem, aio ego, de Sanctis etiam membris eius cantari quotidie: ideo, fortè ad hoc innuendum vox *Capitis* vsurpata est: & in comprobationem pluralitatis membrorum cum Capite, ex aduerso inducitur impiorum colluuies; *non sic impij, non sic*; & in fine, *quoniam nouit Dominus viam iustorum*: ergo de ijsdem iustis cœperat dicẽs, *Beatus vir, qui in via peccatorum non stetit*. Sic Zachariæ 2. v. 8. dicit Christus se missum ad Gentes: quod tamen fecit non in se, sed in Apostolis suis: *post gloriam misit me ad Gentes*.

D 1. p. 8. 1. & q. 15. a. 1. 1.

E Ps. 39.

3. Secundum quod videndum occurrit est, generationem spiritualiter dici, cum homines renascuntur per gratiam. Ecclesia hoc passim eloquitur in Collectis; puta Ioannis Baptistæ; *per quem suæ regenerationis cognouit Authorem*. Primæ etiam Petr. 2. *sicut modo geniti infantes*: & Dominus Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu Sancto*. Pressius autem relatu ad præsentem Christi generationem: in Collecta, *Præsta nobis &c. vt natus hodie Saluator Mundi, sicut diuinæ nobis generationis est Author*, &c. In Hymno; *A Patre Vnigenitus ad nos venis per Virginem baptisma Cruce consecrans, cunctos fideles generans*. Chrysostomus ad idem: hom. 2. in Matthæum, *natus est secundum carnem, vt tu nascerere spiritu*: & ex Sancto August. in Catena Marci 13. interrogantibus discipulis, respondit Dominus de aduentu suo per Ecclesiam, in qua vsque ad finem venire non cessat: *in suis enim veniens agnoscitur, dum eius quotidie membra nascuntur*: Chrysostomus etiam in Homilia 78. in Matthæum F Quod autem dixit; *generatio hæc non præteribit; non de ea, quæ tunc erat, dixit; sed de ea, quæ est fidelium: consueuit enim Scriptura generationem non solum à tempore designare, sed à loco, cultu, & conuersatione; sicut cum dicitur; hæc est generatio, quærentium Dominum*: sic rectè illud, *generatio rectorum benedicetur*. Apostolus etiam 1. Corinth. 4. *in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*. Vbi Pauli mens est loqui, in persona Ecclesiæ; iuxta, quod Augustinus ait in lib. de Sancta Virginitate; *oportebat Caput nostrum G insigni miraculo, secundùm Corpus nasci de Virgine; quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundùm Spiritum nascitura*. Hoc fortè arcana animaduertentia, notandum innuit Matthæus; dicens, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*: vt quid enim nos monet vocari Christum, quando: prædixerat; *Liber generationis Iesu Christi*? quin potius nomen eius *Iesus* est, *quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur*. Nihil profectò verius, quando & in Cruce titulus legebatur *Iesus Nazarenus* &c. Sed qui, *Iesus Christus est heri & hodie* Hebræor. 13. *ipse & in sæcula*, præaccipi voluit, quo nomine tandem firmiter & inconcussè vocandus esset in suis, nimirum *Christus*, vnde Christiani dicimur; vt exinde etiam notum fieret *Librum generationis Iesu Christi*, ad ipsos quoque Christianos altè referri. Secundùm Haymonem Isaiæ 62. *vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit; pro Iudæis appellabuntur Christiani: pro Sion & Ierusalem, vocaberis Ecclesia Domini*.

F p. 2. Ioh. 4.

G 3. p. 28. 1.

Quocirca sciendum est, Christi pios sectatores 4.
variè ab initio appellatos fuisse; consuetum enim fuisse Paganis eos Iudæos nuncupare, vel quòd ex Iudæa traxissent originem, vel quòd libris Iudaicis, idest veteris instrumenti vterentur, vel quod Christus Iudæus esset & Apostoli, & Religio ipsa in multis consimilis, in confesso est apud graues Authores, quos fert Maluenda lib. 8. de Antichristo c. 1. impressione prima. Impius Christi desertor & Apostata Iulianus nos Galilæos compellabat: & quidem veluti in contumeliam. Scribunt, horum sectam fuisse sic dictam à Iuda Galilæo. Romanis infensi erant tributa negantes. Theophylactus vocat eos schismaticos, nouaque tentantes: *quorum sanguinem*, Lucæ 13. *miscuit Pilatus cum sacrificijs eorum*. Quoniam autem dicebant Ioann. 7. *nunquid à Galilæa venit Christus*? Certè non à Galilæa, sed ex Bethlehem: sic errore capti fuere, eo quod nouerant in Nazareth nutritum, nec locum natiuitatis, vt notat Alcuinus ibi, attendebant. Vt ergo Messiæ Christo Domino fidem negaret, Christianos Galilæos dicebat; sic & ipsum Christum; in quem ferunt (apud Theodoretum lib. 3. c. 20. de nece Iuliani) dum repente vulneratus rabie fremeret, impleta proprio sanguine manu, in altum proiecisse ac dixisse; *vicisti Galilæe*, periens blasphemus. Non sic oblocutus est Rex Agrippa, qui Act. 26. respondit Paulo: *in modico suades me Christianum fieri*. Ex Chrysostomo etiam priùs Christiani Nazaræi vocabantur, (ita in Homilia, & fertur in Catena in calce secundi capitis) sed apud Antiochiam, mutatum est hoc nomen, & dicti sunt Christiani: Actorum 11. *Ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani*. D. Ambrosius lib. 9. Epist. 77. *Christi donatus nomine, signum corporis nequaquam requirit, quia prærogatiuam diuinæ meruit nuncupationis*. Et quidem satis, quoniam, ex Chrysostomo Ioan. 2. ibi *inuenimus Messiam* interpretatur Messias, Christus: vnde, & Augustinus *Messias*, hebraicè; græcè, *Christus*; latinè, *vnctus* dicitur. Memini certè exponi posse cum D. Thoma ly *qui vocatur Christus* H, quia simpliciter *Christus* est sine additione, ad denotandum, quòd oleo inuisibili vnctus est, non materiali, sicut Reges vel Prophetæ in lege: ps. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: & quia est specialiter vnctus; sed arridet etiam, hanc ad felicem cultorum nomenclaturam indicandam dictum fuisse: eo vel maximè quòd ipsi ratio capitis competit, quatenus habet virtutem influẽdi gratiam I in omnia membra; iuxta quod ait Ioannes; *de plenitudine eius omnes accepimus*. Quod est vnctionem Spiritus-Sancti nobis infundere. Quod est regenerari ac renasci membraque fieri, & vnum cum Christo. Hinc post baptismum signatur homo in cerebro Chrismate vt a Christo Christianus dici possit. 3. p. q. 66. a. 10. 2.

H Math. 1. Ioan. 5. l. 15.

I 3. p. 8. a. 1.

Quod si res ita se habet, quid rogo prohibet, sensu 5.
hoc allegorico ad deprehendendam totius Euangelij ordinatissimam structuram, accipi hoc Matthæi exordium? *Liber generationis Iesu Christi*: hoc est, nedum Iesu Christi in se, verùm etiam, vt est cum fidelibus mysticè vnum. Ait autem Angelicus 3. p. q. 48. a. 2. ad 1. caput & membra sunt vna persona mystica; Hoc præ alijs assecutum fuisse vnum reperit Paulum de Palacio, qui scribens in Matthæum hæc habet. Nota quòd Genesis 5. iuxta Hebræos dicitur, *hic est Liber generationum hominis*. Licet

enim

enim Adam esset vnicus homo: at in Adam recensetur Heua: Ideo enim infertur; *hic est Liber generationum Adam, in die qua creauit Deus hominem: masculum & fœminam creauit eos*. Cum igitur Matthæus Librum generationis Christi scripserit responsalem Libro generationis Adam, fit vt Liber hic, non solùm sit Liber generationis Christi sponsi, sed etiam Ecclesiæ, quam ille accepit sponsam: ergo nato Christo consequens est, vt nascantur Christiani. Subdit deinde hic Auctor: nota quòd sicut generatio Christi secundùm Diuinitatem, licèt in vtero Patris, ante Luciferum perfecta fuerit, adhuc tamen durat, perpetuòque durabit; ps. 2. *ego hodie genui te*: ita & generatio Christi secundum humanitatem, licèt in vtero Matris perfecta fuerit, in vtero tamen Ecclesiæ adhuc durat, durabitque *donec omnes* Ephes. 4. *occurramus in virum perfectum*, interim enim quòd mundus durat *formatur Christus* Gal. 4. *in nobis*. Immo non solùm formatur Christus in Ecclesia, sed & in quauis anima pia, quæ vt Christum per fidem veram concipit, ita & eum per opera sancta perficit. Ergo Liber iste, Liber est generationis Christi non solùm in Maria, sed & in Ecclesia, sed & in anima; quæ si tam felicis partus & gignendi, & formandi fuerit ambitiosa, habet in hoc Libro modum, quo sui compos fiat desiderij. Vide Lector, quomodo hic Author meo adstipulatur Instituto, meamque prælibauerit meditationem: licèt ipse semel attactam, non pergat enucleare: quod nos Deo dante præstabimus. Recolimus etiam Angelicum ps. 21. vbi ait; vna de regulis supra in principio Psalterij positis est, quòd ea quæ pertinent ad membra dicit Christus de se, propter hoc, quia sunt sicut vnum corpus mysticum Christus & Ecclesia; & ideo loquuntur sicut vna Persona; & Christus transformat se in Ecclesiam, & Ecclesia in Christum: Rom. 12. *multi, vnum corpus sumus in Christo*. Igitur quia generatio L est processus ad vitam: homo autem viuit in Christo per fidem; Galatas 2. *quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei*: adde Rom. 1. *iustus ex fide viuit*. Quoniam etiam ait Petrus in prima c. 1. *regenerauit nos in spem viuam* &c. viuentiumque est operari; & fides Galat. 5. *per charitatem operatur*; ecce in primis sic attexi generationem: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*; glossa interlinearis apud D. Thomam M *fides genuit spem, spes verò charitatem*. Hic est generationis terminus, & actualis vnionis cum Capite Christo. Qui subduntur peccatis mortalibus N non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi fortè imperfectè per fidem informem, quæ vnit Christo *secundum quid*, & non *simpliciter*; vt scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ: *fides* enim *sine operibus mortua est*. Iacobi 2. Percipiunt tamen tales à Christo, quendam actum vitæ qui est credere; sicut si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine.

L 1. Cor. 4. lect. 1.

M ps. 2. et 1, 4.

N 3. p. 8. 4. ad 2.

6. Ex hac doctrina sequitur, infideles, vt ibidem docet ad primum, non esse de Ecclesia nisi in potentia; quæ fundatur in virtute Christi sufficiente ad salutem totius humani generis, & secundariò in arbitrij libertate. Actu membra sunt illi, de quibus 1. Corinth. 12. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*. Quid mirum si Matthæus in sua genealogia quosdam percensere omiserit? nempe Ochoziam, Ioas & Amasiam, vt supra notatum est? (Sic & Apocal. 7. non numeratur tribus Ephraim, de qua Ieroboan idololatra 3. Reg. 12. nec tribus Dan, de qua Antichristus. Ita Angelicus) Reor impios fuisse & incredulos: idcirco nullatenus hanc ad mysticè acceptam genealogiam spectabant. Vel dici potest re ipsa hos & alios dimissos; quia quamuis dum viuerent, aliquomodo in potentia, (nunquam tamen reducenda ad actum) essent Christo vniti, ex hoc sæculo recedentes totaliter desierant esse Christi membra, non vltra in potentia, vt Christo vnirentur. Doctrina hæc est D. Thomæ, O perspicuè allegoriam ad nos qui viuimus explicans: ita vt dici queat, exclusos à genealogia intermedios, facilè de damnatorum fuisse numero: & sic laterales Ismael & Esau; excludendosque omnes illorum typo signatos; tanquam non pertinentes ad Christum ceu mystica membra. Vbi ait Psaltes *deleantur de libro viuentium* glossat Angelicus P de damnatis; & refert ad librum prædestinationis, qui est liber vitæ. In hoc Libro, subdit, sunt scripti omnes saluandi: sed per ordinem, quia in capite huius libri scriptus est Saluator, & omnes sunt scripti per eum, Roman. 8. *quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Qua etiam de causa videntur commemorari in genealogia eadem fratres Iudæ ac Iechoniæ: vt ostendat eos, ait Diuus Thomas 3. part. quæst. 31. 3. ad Dei populum pertinere, & innuetur ipsum esse *primogenitum in multis fratribus*, fratresque adoptionem filiorum recepisse: Hebræor. 2. *Qui enim santificat & santificantur, ex vno omnes: propter quam causam, non confunditur fratres eos vocari dicens, nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*. Fratres ergo, aio ego, Ecclesiam conflant; qui ergo fratres ac filij non fuere per adoptionem, qui non perstiterunt finaliter in charitate, qui non fuere prædestinati, eo quòd non sunt membra, eximuntur: neque enim ad librum præsè attinent generationis, in cuius voluminis tota serie, regeneratio spiritualis natiuitasque edisseritur, ad illam consummatiuè ordinata vnionem, qua Christus Dominus primò & principaliter, vt loquitur Sanctus Doctor, Q est caput eorum, qui actu vniuntur sibi per gloriam.

O 3. p. 8. 3.

P ps. 39. lit. d.

Q 3. p. 8. 3.

7. Non sic secreuerim peccatores; nam in generationibus R Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Domino Iesu Christo; in quantùm scilicet per carnis originem, similitudinem carnis peccati assumpsit. Legimus Isaiæ 53. *vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Sic renascuntur peccatores spiritaliter mortui ad illius mortem, *qui mortem nostram moriendo destruxit*: Colossens. 2. *consepulti ei in baptismo*: qui est regenerationis Sacramentum. Peccatores spectant sine dubio ad Christi corpus mysticè: ostensum enim est Petro, vas illud *velut linteum magnum*, in Actis c. 10. *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cœli*, dictumque est ei, *occide & manduca*. Quocirca D. Thomas S gentiles qui prius erant velut bestiæ, sunt per Crucem Christi spiritualiter occisi, & Christi Ecclesiæ incorporati: ac si diceret; T hos quos ad fidem conuertis, *occide* ab eo quod sunt, vt desinant esse peccatores; & *manduca*; hoc est, transfer in corpus Ecclesiæ. Hinc Gregorius, relatus in opusculo; V *Christus per se & per suos, semper studet membra Diaboli præcidere, & suis membris incorporare*: & Augustinus de doctrina Christiana l. 2. c. 6. *Dentes Ecclesiæ sunt Sancti, qui non cessant præcidere homines ab erroribus*. Desinat ergo mirari Chrysostomus, hom. 2. vbi suprà, quod fœminas peccatrices dignatus sit admittere in hac generationum serie: *natus est enim*, vt ipse ait, *secundum carnem, vt peccatores nascerentur spiritu*. Peccator ergo qui renascitur, renascitur velut membrum Christi ceu filius Dauid; qui peccator fuit. Innocens autem ab actuali peccato, dum Christo incorporatur per gratiam, filius dicendus est Abrahæ qui fuit iustus: 2. Paralip. vlt. *Tu Domine Deus iustorum non posuisti pœnitentiam iustis Abraham Isaac & Iacob; ijs qui tibi non peccauerunt*.

R 1. p. 11. 3. 3.

S Gen. 9.

T Cant. 4.

V opusc. 58 14.

Immo

8. Immo & ipse Abraham, ac alij omnes antiqui Sancti Patres, (qui gratiam receperunt X per respectum ad gratiam ipsius Roman. 8. *quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*) pertinebant ad idem A corpus Ecclesiæ ad quod nos pertinemus: in quantum seruando legalia Sacramenta ferebantur in Christum per fidem, & dilectionem eamdem, qua & nos in ipsum ferimur: Et insistebant sacramentis legalibus non tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus & vmbris futurorum. Et sic qui habentes charitatem & gratiam Spiritus-Sancti principaliter expectabant B promissiones spirituales & æternas, pertinebant ad legem nouam: vnde pertinebant ad nouum Testamentum; non enim iustificabantur, nisi per fidem Christi, qui est Actor noui Testamenti: ex quo, de Moyse dicit Apostolus ad Hebræos 11. *quòd maiores diuitias æstimabat thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*. Reor itaque progenitores omnes in genealogia memoratos membra fuisse Christi; nam *finis legis* Roman. 10. *Christus est ad iustitiam omni credenti*. Non secus ac dicat Augustinus in Serm. de Epiphania; *Christus postquam natus est, hominibus renascitur Sacramentis; vt quemadmodum tunc eum miramur incorrupta Matre progenitum, ita nunc suscipiamus illum* (idest nos in illo, ceu membra) *pura vnda submersum*. Quid mirum si Christo sic incorporati filij Dei instar ipsiusmet Christi *nominemur & simus* 1. Ioan. 3. & Euangelij c. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Chrysost. loco præfato; *dubitare iam desine, quòd & tu futurus sis filius Dei, cum audieris, quòd filius Dei, sit filius Dauid & Abrahæ*. Ad hæc Origenes Lucæ 3. *quando baptizatus est, & mysterium secundæ generationis assumpsit, tunc dicitur incepisse (& ipse Iesus erat incipiens) vt tu quoque priorem natiuitatem destruas & in secunda regeneratione nascaris*. Denique Græcus in Catena, ibidem; *ob hoc etiam tricenarius accedit ad baptisma, vt ostendat quòd spiritalis regeneratio viros parit perfectos, secundum spiritalem ætatem*. Hac de causa non dubito claudi seriem generationum in *Ioseph* qui interpretatur *augmentum*, quia *iustorum semita* Prouerb. 4. *crescit & proficit vsque ad perfectum diem*. Igitur vt huiusmodi augmenta processusque ad perfectionem animaduerteret pius lector, vtque continuam perennemque Iesu Christi in suis membris generationem edoceremur, dixit Matthæus in imperfecto, ad significandam tendentiam, *Christi autem generatio sic erat*. *Christi* inquit, non inquit, *Iesu*; quia capiti comparatur C ipse Christus secundum visibilem naturam, quam importat principaliter Christi nomen. Inquit etiam *erat*; non *fuit*; quia præteritum perfectum D designat aliquid extitisse, & iam defuisse; sed imperfectum significat aliquid vtique fuisse, sed non adhuc terminatum, nec defuisse, sed adhuc remanere. *Non præteribit generatio hæc* Matthæi 24. *donec omnia fiant*.

X 3. p. q. 8. a. 3. ad 3.

A 3. p. q. 8. a. 3. ad 3.

B p. 2. 107. a. 1. ad 2. & 3.

C Ephes. 2. l. 8. 3. p. q. 8. a. 1. 3.

D Ioan. 1. l. 1. ibi erat Verbum.

9. Igitur illuc accedamus; *cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph*. Intendit enim Euangelista edisserere modum, quo spiritualiter renascuntur fideles, quod est generationem Christi in suis membris explanare: de qua & Ioannes; *dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Maria quæ eius est Mater ex Diuo Ambrosio super Lucam cap. 1. stat pro Ecclesia, quæ coniuncta est Christo, sed sine macula. D. Thomas Opusc. 19. c. 4. sponsus Ecclesiæ propriè loquendo Christus est, de quo Io: 3. *qui habet sponsam, sponsus est*: ipse enim de Ecclesia suo nomine filios generat: alij autem, qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi, exterius cooperantes ad generationem spiritualem filiorum: qui in tantum dicuntur sponsi, in quantum vicem veri sponsi obtinent. Etsi autem dari gratiam, (per gratiam renascuntur fideles in Christi membra) auctoritatiuè E Christi sit secundum quòd Deus; instrumentaliter Christi sit, secundum quòd homo, in quantum scilicet humanitas instrumentum fuit Diuinitatis eius: attamen ministerialiter etiam alij Sancti dicuntur dare Spiritum-Sanctum. Mulier illa Apocalyps. 12. parturiens idcircò F est in typum Ecclesiæ, quæ spiritualiter quotidie parit fideles, non secus ac corporaliter per Virginem peperit Christum. August. l. 4. de symbolo ad catechum. *Mariam figuram in se Sanctæ Ecclesiæ demonstrauit; vt quomodo filium pariens virgo permansit; ita & hæc omni tempore membra eius pariat & virginitatem non amittat*. Et astruit hoc ex Apocalypsi vt dictum est. Ad Galatas 4. *Ierusalem Mater nostra* &c. D. Thomas ibi lect. 8. vel illa, per quam generamur, quæ est Ecclesia militans; vel illa Mater in cuius filios generamur, quæ est Ecclesia triumphans. Ecclesia autem mysticè sunt ipsi fideles, qui pariunt alios ad fidem. Conuersio G hominis, partus dicitur. Inde Paulus ibi; *Filioli mei, quos iterum parturio*. Semel eos parturiebat in prima conuersione, sed quia auersi erant ab eo qui eos vocauit in aliud Euangelium, indigebant quod iterato parturiret eos. Vbi Matthæi 12. ait Dominus, *quicumque fecerit voluntatem Patris mei; qui in Cælis est, ipse meus frater soror & mater est*; Gregorius in Homilia: *qui ergo frater Domini fieri, ad fidem veniendo potuit, quærendum est etiam quomodo possit esse Mater? Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater vel soror est in credendo, mater efficitur prædicando; quasi enim parit Dominum, quem cordi audientium infundit, & Mater eius efficitur, si per eius vocem, amor Domini in proximi mente generatur*. Sic D. Thomas in Apocalypsi, per virtutem doctrinæ & exemplum vitæ: & Apostolus loco citato, *donec formetur Christus, in vobis*. Verùm Mater quæ sic Christum parturire debet, idest nostras animas ad lucem fidei reducere, oportet desponsata sit Ioseph; idest augmento. D. Augustinus; *charitas non mox vt nascitur perfecta est, nam vt perficiatur, nascitur: cum fuerit nata nutritur; cum fuerit nutrita roboratur; cum fuerit roborata perficitur*. Huc D. Thomas 2. 2. q. 184. a. 3. est alia perfectio charitatis in hac vita, ad quam aliquis per aliquod spirituale augmentum peruenit. Tridentinum sess. 6. cap. 10. de acceptæ iustificationis decernit incremento.

E 3. p. q. 8. 1. ad 1.

F Apoc. 12.

G ad Galatas 4. l. 6.

10. Quamuis autem teneatur vnusquisque H ad hoc, quòd tendat ad perfectionem, nedum Religiosus sed etiam sæcularis, quia omnibus communiter dicitur Ecclesiastici 9. *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*; atque Dominus Matthæi 5. *estote perfecti*: (alias enim, qui non studet ad proficiendum, est in periculo deficiendi: videmus siquidem quòd nisi remiges conentur ascendere, nauis semper descendit) nihilominus non tenetur vnusquisque esse perfectus. Cæterum debet Ecclesia in suis fidelibus, vt alios membra Christi faciat, Christumque sic pariat, esse *desponsata Ioseph* idest *augmento* seu perfectioni se credidisse. D. Thomas I in altera Cantic. expositione: ibi *en Lectulum Salomonis;* &c. *Ferculum fecit sibi* &c. incipientes dicuntur Lectulus, quia in eis quiescit Christus, non tamen sunt Ferculum, quia non ferunt Christum ad alios, generando ipsum in cordibus aliorum: proficientes autem sunt Ferculum, idest Portatorium, quia Christum portant & deferunt vsque ad alios. Per reclinatorium aureum designantur perfecti. Huc facit, quod dicitur Exodi 36. cortinam traxisse

H 2. 2. q. 186. a. 2. & 2. Corinth. 13. l. 3.

I Cant. 3.

cor-

L 1. Cor. 10. lect. 3. & Io. 1. lect. 15. M Cant. 8. Matth. 10. ibi non est discipulus.

cortinam, & Apocalypsis vltimò (vt expendit D. Thomas L) *qui audit, dicat, veni*; sicut *Andreas adduxit Simonem ad Iesum*. Sed mirabilius, item in Canticis ibi; *si murus est*, &c. *si ostium est*. M Notandum, inquit, quòd sicut in esse naturæ, prius aliquis accipit, quòd possit subsistere in forma acquisita, & hoc primò competit ei à principio suæ generationis; & postea accipit, quòd secundùm formam illam possit sibi simile producere, quod ei non competit, nisi quando est iam perfecta: quia vnumquodque tunc est perfectum, quando potest sibi simile generare. Sic in esse spirituali, prius accipit homo, quòd stet in dono sibi cœlitùs infuso: & tunc dicitur *murus*; quia habet quòd stet, non quòd alios adducat: & postea quando est perfectus secundùm donum illud, accipit quòd alios manu ducat ad Christum; & tunc dicitur ostium quia alios ad Christum potest introducere. Et in Matthæum; sicut est in rebus, quod vnumquodque perfectum est, quando potest generare sibi simile, sic est perfectus discipulus &c. Sic itaque accipi fas est desponsationem cum Ioseph, cum augmento, cum perfectione. Proficientes ergo sunt qui habent animam desponsatam Ioseph: perfectorum anima iam cohabitat Ioseph. D. Bernardus Serm. 8. paruo. *Maria gestans Iesum in vtero designat Prædicatores portantes Iesum vt eum alijs, vel potius ei alios pariant*: Apud Lauretum *in Sylua* Verbo; *Maria*. Sic Prophetiæ retorquetur oraculum; *ecce Virgo in vtero habebit*.

11. N 2. 2. q. 182. a. 1. Quoniam verò charitatis augmentum expressius deprehenditur in contemplatiua vita, N quàm in actiua, dubitat Ioseph seu augmentum accipere actiuam animam *coniugem*, timens suimet iacturam: seu decrementum: quod iustos haud quaquam decet: *cum esset iustus*: Prouerbiorum enim 4. *Iustorum semita quasi lux splendens crescit*, &c. vnde fortè vellet dimittere eam, tanquam sibi impedimento; de quo & ibi O. Sanè simpliciter potior est, & ex suo genere maioris meriti contemplatiua, quæ fortè quia augmento inhiat, & suimet puritati priuatim consulit, vellet quæ præconcepit animam dimittere. Sed ecce adest Ioseph siue augmentum perfectionis, in somniato timore cœlestis illustratio, adest velut Angelus cōfortans *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: ac si dicatur, prosopopœia quadam: fieri aliquando potest, P vt aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur, quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ: puta, si propter abundantiam diuini amoris, vt eius voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus separari: sicut Apostolus dicebat ad Romanos 9. *optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*. *Noli timere*; non enim intenditur ab anima quæ spiritaliter *habet in vtero*, posthaberi alijs, neque inuerti ordinem charitatis: qui profectò est, vt diligat vnusquisque primò se ipsum, deinde alios: Q & ante se ipsum, Deum: & sic sibi per contemplatiuam; deinde alijs per actiuam vacet. Denique si quis post actionem R non potest redire ad dulcedinem contemplationis, debet cogitare, quòd fortè in aliquo deliquit; propter quod solitam dulcedinem non sentit. Non ergo (aio ergo) sic actiua per se ipsam causa timoris, sed actiuæ defectus solummodo. Nimirum Ecclesia, quæ per suos concipit, concipiat de Spiritu-Sancto: (*quod enim in ea natum est, de Spiritu-Sancto est*) quod est ex charitate, nam Roman. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis*; *charitas Christi vrget nos*: 2. Cor. 5. & charitas augmento intendit; nam ex Augustino tract. 5. in Ioan. *charitas meretur augeri vt aucta mereatur & perfici*: & iterum, *charitas cum nata fuerit nutitur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata, perficitur*: ideo non est vnde *timeat Ioseph accipere Mariam habentem in vtero*: non est vnde timeat augmentum sui detrimenta, si animam inueniat, nedum concepisse, sed & parere spiritualiter Christum in membris; *noli timere*: *quod enim in ea natum est de Spiritu-Sancto est*; siue de igne diuino, Cant. 8. *lampades eius lampades ignis*, qui nunquam dicit *sufficit* Prouerb. 30. *A scintilla*, immo, *vna augetur ignis*. Nil magis meretur desponderi charitatis augmento, quàm anima: fideles spiritualiter pariens: quin etiam argumento est, esse *duo in carne veluti vna*, cum mystica proles concipitur atque paritur, quia vt dicebamus, vnumquodque perfectum est cum generationi dat operam. Chrysost. relatus in Catena Lucæ 4. in calce; *vna anima recuperata, poterit aliquis mille peccata abolere*.

O 2. 2. q. 182. a. 3.

P 2. 2. q. 182. a. 2.

Q 2. 2. q. 26. a. 3. & 4. & 4. & Cantic. 2. recta exposita.

R Cant. item 3.

Noli timere: tropolicè mihi videtur ad seruum illum posse referri hunc timorem (seruilem quippe sapit) qui Matthæi 25. *timens abijt & abscondit talentum in terra*. Aliqui ait D. Thomas, æstimantes ipsum esse durum extrahunt se à seruitio suo: S vnde aliqui, qui possunt multum proficere, dicunt; si audio confessiones, & facio prædicationes, fortassis malè mihi accideret: isti reputant Deum durum, qui credunt quòd si adhæserint Deo, deficiat eis. Ecclesiastici ad rem cap. 32. *qui confidit in illo non minorabitur*. *Fecit Ioseph exurgens à somno*; (dic, à torpore desidiæ ac inertiæ) *sicut præcepit ei Angelus Domini*; *Et accepit coniugem suam*. Idcircò fortè vsurpat Euangelista verbum illud, *præcepit*; quod non legitur factum ab Angelo dicente; *noli timere* &c. quodque non vsurpatur post sequentes appariitiones, vt moneremur inuolui spiritalem hic sensum, qui Ecclesiastici 17. dicitur, *mandauit illis, vnicuique de proximo suo*. Huiusmodi autem spiritaliter pariens (partus, diximus supra, est conuersio.) non cognoscitur qualis & quanta sit, donec pariat: Matth. 7. *ex fructibus eorum cognoscetis eos*: Lucæ 1. ad hoc fortè innuendum, *benedictus fructus ventris tui*: Roman. 1. *vt aliquem fructum habeam in vobis*: Philipp. 4. *non quæro datum, sed requiro fructum*. Hinc ergo agnoscitur: Iacobi 2. *ostendam tibi ex operibus fidem meam*; *fides per charitatem*, Galat. 5. *operatur*: *sponsabo te mihi in fide*, Osee 2. charitas quoque habet locum, iuxta illud Ieremiæ 2. *recordatus sum charitatem desponsationis tuæ*. 12.

S Matth. 25.

Bene autem sequitur; & *vocauit nomen eius Iesum*; quia isthæc desponsatio aliò non tendit, nisi in proximorum salutem. Isaiæ 26. pulchrè toti allegoriæ huic arridetur; præsertim per interpretes 70. vtque fertur à Sancto Doctore ps. 47. & 3. p. q. 85. a. 5. *sicut quæ concepit cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat, in doloribus suis; sic facti sumus: à timore tuo Domine concepimus & quasi parturimus & peperimus Spiritum salutis*. Gal. 4. *filioli mei quos iterum parturio*, 1. Corint. 4. *in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*: Euangelium autem Roman. 1. *virtus Dei est in salutem omni credenti*: 1. Corinth. 1. *placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*. 1. Timot. 4. *attende lectioni exhortationi & doctrinæ* &c. *vt profectus tuus manifestus sit omnibus*: (ecce de profectu, de augmento, de Ioseph, palam sponso) *hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*. Iacobi 5. *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius*, siue vt alij legunt, *animam suam, à morte* &c. Iesum ergo meritò vocat; & vocauit nomen eius Iesum: & in vniuersum fert etiam expositionem Angelus dicens; *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; qui vtrinque salus 13.

falus habetur, conuertentis nimirum & conuersi, parientis & partus, iuxta superius allata ex D. Thoma.

14 *Primogenitum* autem dicitur peperisse Maria. Quocirca quantùm attinet ad Virginis intemeratæ pudorem, etiam post partum, certum est T primogenitum dici primò natum, etiamsi germani fratres nunquam nascantur: aliàs ius primogenituræ non habuisset, nec debuisset Deo offerri, nisi natis fratribus; vt retuli Exodi 13. num. 1. *Nec Sacerdotibus primogenita deberentur*, ait Hieronymus, *nisi & alij essent procreati*. Quantùm verò spectat ad Christum in membris suis, primogeniti possent mereri & ipsa titulum; quatenus Ecclesia vt dictum est mysticum corpus eius, computatur quasi vna Persona cum illo; nihilominus, & in se ipsis membra primogeniti rationem habent; quod quidem dupliciter ex capite hìc firmari videtur. Primò vt salutem nedum hoc in sæculo, sed æternam quoque in Cœlis nos adipisci per huiusmodi generationem innueret. Quo sensu scripsit Apostolus Petrus c. 1. *regenerauit nos in spem viuam &c. per fidem in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo*. Interserit autem; in *hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem*: quasi diceret, regenerauit nos tanquam primogenitos: secundum enim quod ferunt, primogenitus ante legem inter cætera his potiebatur prærogatiuis, vt primam sessionem potioremque hæreditatem haberet, vt ex Diuo V Thoma adnotaui. Facit huc quod ait Chrysostomus Oratione de Sancto Philogonio: *digressus ab hac Ecclesia ad illam perueris, quæ est primogenitorum descriptorum in Cœlis*. Aliud potissimè fortassis est caput, vt Gentes præoccupasse quod Israeli parabatur, daretur intelligi. Quia enim Christus multos ex Gentibus Ecclesiæ suæ suique ipsius membra facturus erat; quo pacto ait Paulus Roman. 11. *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret*; poterant Iudæi præsumere, sibi adhuc primogenituræ iura seruata, vtpote quibus dictum fuerat Exodi 4. *filius meus primogenitus Israel*. Non ita sanè: nam iusta de causa, primogenita, quæ erant Rubeni, *reputata sunt Ioseph*, vt patet Genes. 49. & 1. Paralipomenon 5. Et Genesis 48. Israel *commutans manus, posuit dexteram super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat*; neque, reclamante Ioseph; *non ita conuenit Pater, quia hic est primogenitus*, pœnituit Sanctum Senem, sed adiecit, *scio fili mi, scio &c. sed frater eius minor maior erit illo*. Ad hoc ipsum astruendum videtur præ alijs causis, omissus Esau, positusque Iacob; & Iudas, qui natura non fuit inter fratres primus: qui tamen primus est Apocalypsis 7. enumeratus, *ex tribu Iuda, duodecim millia signati; ex tribu Ruben*; &c. Et id ipsum perpendit Augustinus de Phares & Zaram dicens; *nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus*. & in ps. 113. *illa vero turba Iudæorum, quæ merito perfidiæ reprobata est, voluptate carnali vendidit primogenita sua, vt non ad Iacob sed ad Esau potius pertineret*. Mysterio dictum est Gen. 25. *maior seruiet minori*.

Margin: T 3. p. 18. 3. 4. & 3. d. 30. q. 2. a. 1. ad 3. — V Genes. 25.

15. Hinc Cyrillus in Catena Lucæ 15. Iudæi non solùm deciderunt à primogenitura, secundum fidem, in quam subintrauerunt Gentes, sed etiam amiserunt rationem spiritualis filiationis, proindeque & ius hæreditatis. Quorum omnium fundamentum est, reuelatio facta Paulo Romanor. 9. nobis significata: *non omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*: & supra c. 2. *si præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est*: e contra autem: *si præputium iustitias legis custodiat, nonnè præputium illius in circumcisionem reputabitur*? planè, Immò & *in filios* (Roman. 9.) *promissionis*. Pulchrè Osee c. 1. ibi ab Apostolo expensus; *vbi dictum est eis, non plebs mea vos; ibi vocabuntur filij Dei viui*. Sic de Zachæo Lucæ 19. *eo quòd est ipse filius sit Abrahæ; non quia* (Beda) *de eius stirpe genitus, sed quia eius est fidem imitatus*. Ad idem Augustinus tract. 17. in Ioannem; *qui sunt intelligendi Iudæi, nisi filij Abrahæ, filij promissionis, qui sunt etiam filij Dei? Gentes erant quibus dicebat*; (Apostolus Galat. 3.) *si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis secundùm promissionem hæredes*. Perspicuè Matthæi 3. *potens est Deus de lapidibus istis suscitare semen Abrahæ. Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham*. Ioan. 8. *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Quos ergo & vocauit* (Rom. 9.) *non solùm ex Iudæis sed etiam ex Gentibus; sicut in Osee dicit, vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam*. Iudæi vocabantur X populus Dei, ratione diuini cultus, quasi ei seruientes, & eius præceptis obedientes; in ps. *nos autem populus eius*: ab huius populi societate Gentiles erant alieni: & non solum non dicebantur filij; quod pertinet ad eos, qui ex amore Dei seruiunt, & spiritu Dei aguntur; sed nec etiam digni erant, vt populi Dei dicerentur; quod pertinere poterat etiam ad eos, qui spiritum seruitutis acceperant in timore: at iam facti sunt filij, (vt suprà) & populus Dei; Titi 2. *vt emundaret sibi populum acceptabilem*. Hæc D. Thomas. Nota ex eodem in ps. 2. Populus est multitudo hominum iuris consensu sociata: & ideo Iudæi dicuntur populus, quia cum lege & sub lege Dei erant: alij dicebantur Gentes, quia non erant sub lege Dei. Hinc Roman. 2. *gentes quæ legem non habent* &c. Dum ergo ait Angelus; *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; claret de quo populo intelligat, si Prophetiam spectemus; relatu quoque ad salutem æternam, de quo Isaias c. 45. *Israel saluatus est in Domino salute æterna. De qua salute*, ait Petrus, in prima c. 1. *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ*; subdens; *sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam*; deinde, *& si Patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat*; &c. denique quam versamus filiationem tangit dicens; *renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui: hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis*.

Margin: X Roman. 9. lect. 5.

Quod certè Matthæi videtur fuisse præsertim Euangelium; quia de renatis ac de regeneratione verba conseruit. Et præterea de Gentium adfiliatione exprese loquitur: tum quia ad Proselytos, qui fuerant gentiles iudaizantes, ex glossa, directa est hæc Epistola; tum quia nuncupat eos filios obedientiæ, quod est Gentibus attributum; iuxta quod ait Apostolus Roman. 1. *ad obediendum fidei in omnibus Gentibus*; & c. 6. *obedistis autem ex corde, in eam formam doctrinæ in quam traditi estis*; & c. 15. *in obedientiam Gentium*: vnde ps. 17. *populus, quem non cognoui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi*: quando Iudæis obijcitur inobedientiæ inflexio, Actor. 7. *dura ceruice, & incircumcisi cordibus & auribus; vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Dum autem obedientiam fidei nescierunt, quis ambigit excidisse à filiatione? Filiorum est Patri obedire, & quidem ex pietate vt docemur 2. 2. q. 104. a. 3. ad 1. Ecclesiastici 7. *qui obedit Patri, refrigerabit Matrem*: ex quo dolet Apostolus Rom. 1. *Parentibus non obedientes*. Facit autem quod ait item Apostolus Rom. 11. *fracti sunt rami, vt ego inserar: tu autem fide stas*. Non permittit autem (nectè cum Diuo Thoma) A Deus aliquos cadere, quin alios erigat; Iob 34. *conteret multos & innumerabiles & stare faciet alios pro eis*. Sic enim in locum 16.

Margin: A P. 13. 6. 1. 9

locum Angelorum cadentium, substituti sunt homines, & in locum Iudæorum, Gentiles. Israel ergo olim filius ac primogenitus, inobediens fidei decidit, statque substitutus Gentilis loco illius. Hanc tandem gentilis populi primogenituram agnoscunt Sancti Patres in miro illo euentu Genesis 38. cum Thamar gemellos peperit Phares & Zaram. Etsi enim Zara *prius protulisset manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens, iste egredietur prior, illo* tamen *retrahente manum, egressus est Phares*, Iudaicus itaque populus cocco circumcisionis notatus, etsi prior dederit manus, etiam secundum quosdam conuersos ad veram fidem viuente Domino, vnde Apostolus Roman. 15. *dico autem Iesum ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum*: nihilominus statim retraxit manum, ex quo Apostoli verterunt se ad Gentes, quæ firmiter adhæsere, & primogenituram præripuerunt. Sic ait Chrysostomus in Matthæum, ibi; *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar*: & ipse explicui in Genesi loco cit. Elucescet id amplius ex Syntaxi ad caput 2. in qua de Magis, qui fuere primitiæ Gentium; ex Aug. Serm. 2. de Epiphan. Tom. 10. In hac Christi suis in membris generatione, inuoluitur etiam ipsiusmet Christi spiritualis conceptio; iuxta quod ait Apostolus Galat. 3. *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*; quæ spiritualis Christi conceptio per fidem est, vt ex D. Thoma. 3. p. q. 30. 1. 3. *Iesu corona Virginum, quem Mater illa concipit*: canit Ecclesia.

CAPVT II.

Luc. 7. e. 27. 1 *CVm ergo natus esset Iesus in Bethelehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab*
oriente venerunt Ierosolymam, 2 dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudeorum? vi-
dimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. 3 Audiens aut Hero-
des rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. 4 Et congregans omnes principes sacerdo-
tum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur: 5 At illi dixerunt ei: In
Mich. 5. a. 2. *Bethlehem Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetam. 6 Et tu Bethlehem terra Iuda nequa-*
Io. 7. f. 42. *quam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. 7*
Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: 8
& mittens illos in Bethlehem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis,
renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. 9 Qui cum audissent regem, abierunt, & ecce
stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer.
10 Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valdè. 11 Et intrantes domum, inuenerunt
puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtu-
Psal 71. b. 10. *lerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. 12 Et responso accepto in somnis ne redirent ad*
Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. 13 Qui cum recessissent, ecce angelus
Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge
in AEgyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat pue-
rum ad perdendum eum. 14 Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in
AEgyptum; 15 & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur, quod dictum est à Do-
Osee 11. a. 1. *mino per Prophetam dicentem: Ex AEgypto vocaui filium meum. 16 Tunc Herodes videns quo-*
niam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros: qui erant in Beth-
lehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundùm tempus, quod exquisierat à Ma-
gis. 17 Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem. 18 Vox in
Ier. 31. d. 15. *Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari,*
quia non sunt. 19 Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in
AEgito, 20 dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: de-
functi sunt enim, qui quærebant animam pueri. 21 Qui consurgens, accepit puerum, & matrem
eius, & venit in terram Israel. 22 Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro He-
rode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. 23 Et ve-
niens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth; vt adimpleretur quod dictum est per Prophe-
tas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

VERSV. I. *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis.*

1. Postquam expectatum aduenisse Messiam per generationum seriem exposuit, (quem sibi scopum præfixerat varijs comprobandum Scripturis, vt ait Ederus) pergit ad ostendendum id ipsum per circumstantias, loci nimirum & temporis. Quoad locum extat Michææ Prophetia capit. 5. *& tu Bethlehem &c. ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel*: & quidem conuenientissimè, cohærenter quoque ad suæ carnis originem: nam B *factus est ei*, Roman. 1. *ex semine David secundùm carnem*, propinquissima Maria Ioseph, qui Lucæ 2. perhibetur *de domo & familia David*: ex quo Dauid facta fuerat specialis de Christo repromissio 2. Regum 23. *David autem natus fuerat in Bethlehem*: vnde & Scribæ ac Sacerdotes Micheæ Prophetiam retulerunt Herodi: & Ioan. 7. palam dixere; *nonne scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem Castello, vbi erat David, venit Christus*. Quoad tempus trahitur sine dubio efficax argumentum, quoniam *natus est in diebus Herodis Regis*; non enim ly *Regis* adiectum est, vt innotesceret solum, satis enim constiterat; sed vt expenderetur solertiùs; quia Christus C Regis alienigenæ

B 3. p. 35. 7.
C 3. p. 35. 8. 2.

nigenæ tempore nasci voluit, vt impleretur Prophetia Iacob dicentis Genes. penultimo; *non auferetur Sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*. Opportunè, vt ait ibi Chrysostomus; *quamdiu enim Iudaica gens sub Iudaicis Regibus, quamuis peccatoribus tenebatur, Prophetæ mittebantur ad remedium eius; nunc autem quando lex Dei sub potestate Regis iniqui tenebatur, nascitur Christus; quia magna & desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quærebat*. De hoc vberiùs dixi suo loco Genesis nimirum 49. & quomodo tunc primò, regimen iusto Dei iudicio Iudæi amisere. Licèt autem triginta annos antequam nasceretur Christus Dominus, regnasset Herodes; nihilominus scribit Euangelista *in diebus Herodis Regis*; vel more Scripturæ, sicuti 3. Regum 2. legimus; *dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt*: nam Ecclesiastici 10. *omnis potentatus breuis vita: sic & Rex hodie est; & cras morietur*: vel vt innuat, (quod ibi dicebam) *in ijs diebus* idest eo solùm anno pacificè regnasse Herodem, quo natus est Christus; quia tunc tædio & malis artibus victi Herodi colla subdiderant, præstito tandem fidelitatis iureiurando. Proximè ante Assamonæi imperauerant, qui quamquam ex tribu Leui, per Matrem tamen ex Regio Iudæ stemmate erant. Et sic etiam non est ablatum sceptrum de Iuda, donec veniret mittendus; Genes. 49. Fuit autem Herodes Philisthæus, de quo Eusebius de Ecclesiastica Historia lib. 1. cap. 4. cuius Pater fuit Antipater Idumæus ex posteris Esau. Hic
D Ps. 2. Herodes dictus est D Ascalonita (ab vrbe olim Ascalone Philisthæa) ad discrimen Herodis Antipæ, qui Pilato consensit, Galilææ Tetrarchæ, & filij Ascalonite: & ad huius discrimen putat Chrysost. in Hom. addi ly *Regis*: nam alter c. 14. vocatur Tetrarcha; & huic Herodi Regi Augustus Cæsar tributi impositione Regnum Iudææ sanxerat.

VERSV eodem. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam*.

2. Opponitur sic; E manifestatio diuinæ veritatis
E 3.p.36. a. 2. & Matth. 2. præcipuè debet fieri ad Dei amicos, secundùm illud Iob 36. *annunciat de ea amico suo*; sed Magi videntur esse Dei inimici; dicitur enim Leuitici 19. *non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini*: non ergo debuit Christi natiuitas Magis manifestari. Respondet ex Augustino; sicut præualet imperitia in rusticitate Pastorum, ita præualet impietas in sacrilegijs Magorum: vtrosque tamen sibi lapis ille angularis applicuit, quippe qui venit stulta eligere, vt confunderet sapientes, & non vocare iustos sed peccatores, vt nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret. Quidam tamen dicunt, quòd isti Magi non fuerunt malefici, sed sapientes Astrologi, qui apud Persas, vel Chaldæos Magi vocantur. Ita etiam Clemens Alexandrinus & Chrysostomus alijque ab eximia siderum & arcanarum rerum cognitione, Magos vocatos. D. Thomas in Serm. Sancti Dionysij ferens illud Isaiæ 46. *vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*, ait, in Oriente, sapientiæ claritas. Scripsit etiam Tertullianus & Epiphanius, ex Magodia, quæ regio est in Arabia, polletque auro thure & myrrha, ortum nomenque duxisse: nam certum est per sacras litteras Abraham ex Cetura vxore Iexam & Madian filios genuisse: ex Iexa verò Saba ortum. Hi Arabiam incolentes Saba Sabæis, Madian verò Madianitis nomen originemque dedere: ps. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Adde, quantumlibet alij velint, verbum esse Persicum, putare peritos deriuari à radice *hagah meditatus sum, disputauit*; hebræo idiomate. Magis ergo (subdit
F 3.p.36. a.5. Angelicus) F assuetis in consideratione cœlestium corporum, manifestata est natiuitas per signum stellæ; quia vt Chrysostomus dicit *per consueta eos Dominus vocare voluit eis condescendens*. Degenerauit tamen huiusmodi nomen in vitij significationem, incantatores maleficos & præstigiatores notans: non secus ac Sophistæ ac Tyranni nomina. Dicuntur autem item ex D. Thoma ibi art. 3. ad 3. *ab Oriente* ad literam venisse, vel quia de vltimis Orientis partibus secundùm quosdam venerunt; vel quia venerunt de aliquibus vicinis partibus Iudææ, quæ tamen sunt Regioni Iudæorum ad Orientem. Primæ opinionis fuere Chrysostomus & Augustinus, G sentiuntque stellam eis apparuisse per biennium ante Christi Natiuitatem: & tunc præmeditantes, & se ad iter præparantes à remotissimis Partibus Orientis peruenerunt ad Christum tertiadecima die à sua Natiuitate. Qui putant de regione propinqua venisse, vnde fuerat Balaam. (Balaam vixit in Moabitide Arabiæ Regione, seu Petrææ seu Sabææ) Scribunt ex Arabia Ierosolymam facilè perueniri posse spatio sex dierum; maximè si Camelis vel Dromedarijs vtaris, vt hos facturos fuisse insinuat Isaias c. 60. v. 6. Ita ex Hieronymo. Refert loco præfato Sanctus Doctor, qui arbitrati sunt, etiam ex extremis partibus Orientis longissimum iter, in tredecim diebus potuisse Magos complere; partim quidem adiutos diuina virtute, partim verò Dromedariorum velocitate. Dromedarius, H animal minus est Camelo, sed velocius. Et ex Durando in Rationali Diuinorum, tantum conficit Dromedarius iter vno die, quantum peragit equus fortior tribus. Scribit Philostratus in vita Apollonij, stadiorum mille, vno die conficere iter. Stadium sunt viginti & quinque passus. Ideo affirmat Aristoteles de Historia animalium capit. vltimo; anteire Nicæis equis. Isaiæ 60. Septuaginta transtulerunt Camelos, vbi Noster ait Dromedarij; quæ græca deriuatione vox est à cursu immo à cursus velocitate. In hebræo ibi Cameli dicuntur *ghemallym*, deinde sequitur; *Bichne* pro Dromedarijs, ne idem sit ac Cameli, recondito planè mysterio, vt in Syntaxi dicetur. Porrò dum Isaiæ locus huc attinet: *Dromedarij*, inquit, *Madian & Epha* sine dubio adnectendum est quoque illud Psal. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent*; siquidem Madian & Epha in Arabia sunt, vel saltem Arabiæ propinquæ, Arabiæ inquam Felici, seu Sabææ, à metropoli Saba, quæ etsi ad meridiem ex parte vergat, respectu tamen Ierosolymæ orientalis est. Hæc, Æthiopia minùs propriè dicitur, *coram illo procident Æthiopes* psal. 71. ad differentiam Æthiopiæ occidentalis in Africa remotiùs vltra Ægyptum porrectæ, quæ est zonæ torridæ subiecta, paretque Presto-Ioanni. De quo vide Iacobum Tirinum 3. Regum 10. Numeri 12. & in præsenti. Illinc ergo aduenisse Magos ab Isaia docemur: proinde, vt dictum est, paucis diebus licuisse iter peragi: & genus consentit munerum, quæ ibidem maxima copia nascuntur; (quæ Salomoni detulit Regina Saba) vt habetur Ezechielis 27. & ex Plinio lib. 12. c. 14. & 17. Quocirca Sanctus Doctor iudicium abstinuit ferre, aliorum solùm tangens placitum, vt essent Persæ aut Chaldæi; art. 3. & 7. Nec obest quod Barradius considerat loqui psalmum 71. & Isaiam vniuersè; vt claret in ly *omnes de Saba venient*: putans non cogere huiusmodi auctoritates. Etsi enim Prophetia attingat futura vlteriora, nihilominus etiam in proximioribus, quando æquè benè fieri potest, exponi debet. Esto igitur omnia Mundi Regna vel sub finem Mundi, Christum Dominum sint adoratura, vel etiam inconstanter fortè adorauerint; iuxtà illud eiusdem psalmi; *& adorabunt eum omnes Reges terræ*; & Isaiæ 62. *videbunt cuncti Reges inclytum tuum*; adhuc, tanquam futurorum horum basim propheticam, re ipsa mox

Marginal notes, right column: G 3.p.36. a.6. 1. & ad 3. — H Isaiæ 60.

D imple-

impletum fuiſſe veraciter, prout ſonant verba, credendum eſt. Sic ait D. Thomas hic, videntur fuiſſe tres Reges, quamuis plures alij in eis repræſentabantur. Quod item gloſſa & Patres plures. Sic ergo fuiſſe Reges, ſeu potius Regulos aut Toparchas, vt Simon Caſſianus ait lib. 1. cap. 12. Etſi Matthæus Magos eos maluerit nuncupare: fortaſſe etiam à Perſis traducto huc illuc nomine: idque ad cœleſtis vocationis indicium, & ex ſtellæ attentione. Vide Barradium Tom. 1. lib. 9. cap. 8. vbi & ex Sancto Beda in Collectaneis hæc habes. *Dicitur fuiſſe Melchior ſenex & canus, barba prolixa, & capillis. Secundus nomine Caſpar iuuenis imberbis rubicundus. Tertius fuſcus integrè barbatus, Balthaſar nomine.* D. Auguſtinus propheticum illud Iſaiæ c. 8. *antequam ſciat puer vocare Patrem ſuum & Matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ*, impletum ſentit in hac adoratione Magorum; nam I *in diuitijs principatus* auro defertur, *& ſic accepit virtutem Damaſci*; (*Damaſcus in diuitijs præſumebat*:) ſpolia verò Samariæ ijdem ipſi erant, qui eam incolebant: (*ponitur pro idololatria, illic enim populus Iſrael auerſus à Domino, ad idola colenda conuerſus eſt.*) Dimiſerunt enim L idololatriam, & munera obtulerunt. Reor autem apprimè ſumi has metaphoras, quia Prouerb. 10. *ſubſtantia diuitis* dicitur *vrbs fortitudinis eius*: & Apoſtolus 1. Corinth. 8. ait; *nihil eſt idolum in Mundo.* Inane certè ſeu vacuum eſt rei ſpolium: vt & Idola inanes Dij dicuntur.

I 3. p. 35. a. 3. ad 1.

L Matth. 6.

VERSV eodem. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?*

3\. Certiſſimè nouiſſe Magos Chriſti ortum conſtat, nedum ex percontationis tenore, ſed ex longo arrepto itinere, muneribus delatis. Vndenam hæc eis certitudo, iuuat diſquirere. Minimè enim naturali ex lumine; tum quia aſtrorum peritia conijcere vix quicquam poteſt in ijs etiam, quæ Cœlo ipſi ſubduntur; puta in agricultura, re medica & nauigatione; tum quia vt Auguſtinus dicit M nulli Aſtrologi ita conſtituerunt naſcentium hominum fata ſub ſtellis, vt nati cauſa, noua aliqua motione, itineris forent indices. Et præterea iuxta Chryſoſtomum; *non eſt hoc Aſtronomiæ opus à ſtellis ſcire eos, qui naſcuntur, ſed potius ab hora natiuitatis futura prædicere. Hi autem tempus natiuitatis non recognouerunt, vt hinc ſumentes initium à ſtellarum motu futura cognoſcerent, ſed è conuerſo.* Præterquamquod ſi quam aucupantur diuinationem, nonniſi ex ſtellis in principio à Deo creatis; hæc autem, cum fuerit N de nouo creata, extiteritque in ætherea regione & terræ vicina, (ſecus non potuiſſet Domum demonſtrare;) nihil Aſtrologiæ naturali ſuffragabatur. Quod ſi aliquid, huiuſmodi in aere mira phænomena demus portendere, non ideo notum aut certum, nec vſquam vnius aut alterius natiuitatem. Denique cum viſa fuerit nedum ab Oriente ſed & in Oriente, non in Iudæa, quamuis præceſſerit Magos vſque in Iudæam, vt ibidem conſentaneè ad textum ſentit Angelicus, non eſt cur alibi natum, & Regem quærerent, & non potius vbi ſtella ipſa eminebat, & alium quempiam. His de cauſis ſine dubio definiendum, de ſurſum Dei munere, quemadmodum fuere ducti, edoctos fuiſſe. At qua via, quanam diſciplina? Refert Chryſoſtomus O in quibuſdam Scripturis apocryphis legi, habuiſſe ſtellam in ſe, quaſi paruuli formam, & ſuper ſe ſimilitudinem Crucis. Alibi hac de re. P Prima quæſtio fuit an ſtella, quæ Magis apparuit haberet figuram Crucis? ſecunda; an haberet figuram hominis? tertia; an haberet figuram Crucifixi? His ſimul, inquit, Reſpondeo; quòd Chryſoſtomus quædam ſimilia narrat ſuper Matthæum, non quaſi aſſerendo, ſed potius quaſi ab alijs dictum recitando. Et quia pro certo non habetur, non reputo prædicandum: præſertim, quia non videtur probabile, quòd ſacri Doctores vt Auguſtinus, Leo Papa, Gregorius, & alij in ſuis Sermonibus tacuiſſent, ſi aliquod robur authoritatis haberet. D. Chryſoſtomus item ſtellæ illius admirator (illius motus, illius ducatus) dicit, Q *hoc non videtur proprium eſſe ſtellæ, ſed virtutis rationalis cuiuſdam: vnde videtur hæc ſtella virtutis inuiſibilis fuiſſe, in talem apparentiam transformata.* Vnde quidam dicunt (ſubijcit Diuus Thomas) quòd ſicut Spiritus-Sanctus deſcendit ſuper baptizatum Dominum in ſpecie columbæ, ita apparuit Magis in ſpecie ſtellæ. Alij verò dicunt, quòd Angelus qui apparuit Paſtoribus in humana ſpecie, apparuit Magis in ſpecie ſtellæ. Verior tamen ſententia eſt, myſterium calluiſſe Magos diuinitus; quatenus R ait Leo Papa, *præter illam ſpeciem quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit*; vel quatenus ex Auguſtino, *ab Angelis aliqua admonitione reuelationis audierunt Magi, quod ſtella Chriſtum natum ſignificaret.* Addit Angelicus; probabile videtur, quod à bonis; quando in Chriſto adorando ſalus eorum iam quærebatur: & ſic ad illuminationem fidei pertinuiſſe. Habuerunt autem ex eodem Auguſtino & Chryſoſtomo talem cognitionem, S vt Chriſtum nedum hominem, ſed Deum quoque, adorarent. Quod cum ita fuerit; quæritur quidnam profuerit ſtellæ apparitio, & vt quid ſtellam ceu magiſterium delegerit? quæ aliàs certiores Magos reddere ægrè poterat, quando Iudæi *per ignorantiam*, Actorum 3. tot poſt miracula Chriſtum tradiderunt; *& ſi cognouiſſent*, (1. Corinth. 2.) *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* His occurritur; haud quaquam fore dubium, potuiſſe expeditius de Chriſti ortu, interius erudiri: & planè per Angelum; non ſecus ac, *reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam, reuerſi ſunt in Regionem ſuam.* Sed Balaam prædictio vberrima quippe de Chriſto, hoc exigebat. Numeri enim 24. ſcripſit ab illo Moyſes, *orietur ſtella ex Iacob.* Hinc dicitur in lib. de Quæſtionibus veteris & noui Teſtamenti Magos traditionem Balaam fuiſſe ſecutos: vnde videntes ſtellam T extra ordinem Mundi, hanc eſſe intellexerunt, quam Balaam, futuram indicem Regis Iudæorum prophetauerat: eo vel maximè quòd ait Leo Papa, *ſtella* V *nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriorque ſideribus, in ſe intuentium oculos animoſque conuerteret, vt confeſtim aduerteretur, non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur.* Imbuti ergo diuina Prouidentia, quæ & Gentibus nunquam defuit, & oraculis Balaam, de quibus dixi ſuo loco, ſuffragium priùs conſulendi, deinde firmiter definiendi myſterium, ex ſtella habuerunt. Cecinerat etiam Erythræa Sibylla lib. 8. Oraculorum; *diuinamque Magi ſtellam coluere recentem: monſtratuſque Dei præcepta ſequentibus infans, eſt in præſepi.* Iuuat autem credere pios fuiſſe, Dei veri cultores, anhelos expectationi, ex quo illuſtratione diuina, ſtellæ illius obiectu, perfuſi ſunt. *Hominis*, quippe, Prouerb. 16. *eſt animam præparare.* Non ſic ſe præparauerunt Iudæi ad Chriſtum agnoſcendum, quem ignorarunt; *qui enim habitabant Ieruſalem* (Actor. 13.) *& Principes eius, hunc ignorantes & voces Prophetarum, quæ per omne ſabbatum leguntur* &c. Quocirca X docemur, Principes Iudæorũ pro certo vtiq; ſciuiſſe ipſum eſſe Chriſtũ promiſſum in lege, quod populus ignorabat; ipſum

M 3. p. 36. 5. 3.

N 3. p. 36. 7.

O 3. p. 36. 5. 4.

P Opuſc. 12.

Q 3. p. 36. 7.

R 3. p. 36. 5. ad 4.

S 3. p. 36. 8. 1. 4. & ex ep. 60. 7.

T 3. p. 36. 5. 4.

V ibi art. 7.

X 3. p. 47. a. 5. & 1. Corint. 2. lect. 2.

ipſum verò eſſe filium Dei, non pro certo ſciebant, etſi aliqualiter coniecturarent: ſed hæc coniecturalis cognitio obſcurabatur in eis ex inuidentia, & ex cupiditate gloriæ, quam per excellentiam Chriſti minui credebant. Cur autem Dominus ſtellæ huiuſmodi typo, voluerit myſterium reſerari, quemadmodum & per Iſaiam c.60. *ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*; mox dicemus.

VERS. II. *Vidimus enim Stellam eius in oriente.*

4. Mitto, quòd aliàs ex Chryſoſtomo, Magis aſſuetis in conſideratione cœleſtium corporum, A per conſueta eos Dominus vocare voluerit: & ex Gregorio, quia quaſi vti ratione neſcientibus, non vox datur ſed ſignum: altiori enim de cauſa id factum eſſe crediderim: nimirum quia Chriſtus egregiè in ſtella ſignificatur, ſiue ratione pulchritudinis naturæ in qua factus eſt homo, ſiue ratione ſcientiæ præcellentiſſimæ ipſius; quæ duo ſtellæ ſimilitudine micant. Dicitur etiam Chriſtus Apocalypſ. 2. *ſtella matutina*; *& dabo illi ſtellam matutinam*, ſcilicet B me ipſum in præmium; (ita Apocalypſ. 22. *ego ſum ſtella ſplendida & matutina*; longè etiam obſcuritate peccati.) Stella matutina (ibi Sanctus Thomas) eſt Lucifer, qui ſuo ortu diem lucere nunciat; & in morem Luciferi ſtellas cæteras ſuperat in ſplendore: vnde reſurgens à mortuis claritatem immortalitatis nobis attulit. Benè autem *vidimus*, inquiunt, *ſtellam in oriente*, C dum Chriſtus reſurrexit circa diluculum illuceſcente die, ad ſignificandum quòd per ſuam reſurrectionem, nos ad lucem gloriæ inducebat. Sentit etiam cum aliquibus D. Thomas, D reſurrectionem futuram eſſe quaſi in crepuſculo, Sole exiſtente in Oriente, quia in tali diſpoſitione creditur factus: & ſic lucem primò E factam in Oriente. Et allegoricè cum dictum eſt *fiat lux*, exponitur ſic; ideſt F naſcatur Chriſtus in Eccleſia. Quòd ſi, vt quibuſdam arriſit Patribus opinari, ipſum quoq; Solem hæc ſtella fulgore præcelluit, non fuerit mirum Chriſto præluſiſſe, qui & *oriens*, & *lux mundi*, & *Sol* dicitur in Scripturis: illuminaſſe proinde Magos in intellectu, inflammaſſe appoſitè in affectu. Deinde ſtellæ luminoſiſſimæ Chriſto competit nomen ſecundùm Diuinitatem, cum dicatur Sapientiæ 7. vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei ſyncera, candor lucis æternæ &c. Hebræorumque 1. *ſplendor gloriæ, ante Luciferum genitus*, pſ. 109. *Vidimus ſtellam eius*: gloſſa, *ideſt propriam, quam creauit ad oſtenſionem ſui*.

A 3. p. 36. 5.

B Apocalypſ. 2. ex vtroque Comm.

C 3. p. 51. a. 1.

D 4 ſent. 43. q. 1. 3. ad 4. Apoc. 22.

E Gen. 1.

F in pſal. 87.

5. Duo fortè curioſus rogabit. Primum quomodo in Oriente vidiſſe ſtellam, atque ab Oriente veniſſe Magos ſolidè defenſare poſſint, qui exiſtimant eos fuiſſe Perſas aut Chaldæos? cum Perſis, ex Chryſoſtomo, apud D. Thomam, quæſtione illa ſæpè relata tertiæ Partis art. 7. ſita ſit ad Septentrionem: vnde ad meridiem Iudææ venerunt: præſertim adhuc teſtante Hieronymo in Ieremiæ caput 25. immò ipſo Ieremia, Chaldæos eſſe ab Aquilonem; *ecce ego mittam, & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis*, ait Dominus, *& Nabuchodonoſor Regem Babylonis* &c. Huic difficultati occurritur, prælibando certiſſimum eſſe, Perſidem (& ſic Chaldæam) ad Orientalem plagam iuxta Coſmographos eſſe: vnde ad auctoritatem Chryſoſtomi, dicendum cum Suarez 3. p. q. 36. diſput. 13. ſect. 3. §. *quæ autem fuerit*, eo in ſenſu admitti poſſe; quatenus non rectâ linea, ſed declinando ad Septentrionalem, iter egerunt. Id quod fortiùs vindicabit ab errore ſcriptum Chryſoſtomi, ſi de Perſide fas fuerit aſſerere, quòd firmat Canus *de locis* lib. 11. c. 5. ad 4. argumentum ſub finem; videlicet (& ſic Ieremiam exponit) Chaldæam inter Aquilonem & Orientem ſitam eſſe: & ideo modò Aquilonaris, modò Orientalis appellatur. Niſi loquatur Ieremias tropologicè, quemadmodum Câticor. 4. *ſurge Aquilo, & veni Auſter*: vel immò notetur diuerſitas cognationum Aquilonis, à Babylone Chaldæa, de qua ibi. In Catena aurea fertur idem Chryſoſtomus; ſed aliter; ſiue veriori ex fonte, ſiue recognitus: loco enim *Septentrionis* extat *Oriens*. Ianſenius, apud eundem Suarez lib. 9. Concordiæ, ratus eſt à Sanctis Patribus, Magos dictos Perſas, dictos Chaldæos; quia aliquando vnum fuit Perſarum, & Chaldæorum Regnum: & ſic pro vna acceperunt regione abſque diſſidio. Ab Oriente item & à Septentrione, verè enunciari poſſe, eos veniſſe; quia inquit Tirinus, primo ab Oriente in Occidentem, deinde (poſt aliquantum itineris ſic rectâ) à Septentrione verſus Bethlehem perrexerunt: Bethlehem ſita eſt inter Orientem & Meridiem: ergo qui ſic ad illam properat, Septentrionem poſt tergum habet. Angelicus Doctor prudenter in re adeò ancipiti, vnde venerint Magi, nihil certi proferre voluit, præterquam ab Oriente veniſſe, ex Euangeliſta. Innuit nihilominus Perſas fuiſſe, tum ferens Chryſoſtomum vbi ſupra, tum art. 3. ex voce illa Magi, quæ Perſarum eſt & Chaldæorum, ſapientes ſignans Aſtrologos: attamen non idcirco aduerſatur mihi, qui ex Arabia decreui; nam Arabia Felix, apud eundem Suarez Perſiæ eſt vicina, ſolo ſeiuncta Perſico ſinu, vnde ſub Perſiæ appellatione etiam comprehenditur. Sic Cyrillus Alexandrinus ſentit Perſiam interdum Arabiam nominari, & è contra. Stat autem optimè ab Oriente Magos veniſſe, & in Oriente ſtellam vidiſſe, dum in Arabia; quoniam vt dixi, etſi Arabia nonnihil ad Auſtrum declinet; (ex quo Matthæi 12. Regina Saba *Regina Auſtri dicitur*.) Orienti tamen vicinior eſt; vnde & Tacitus lib. 5. Hiſtoriæ Iudæam à parte Orientali dicit ſpectare Arabiam. Pro quorum omnium difficultatum euaſione, facit quod animaduertit nouiſſimè Iacobus Tirinus *in Idiotiſmis linguæ hebraicæ & græcæ*, num. 22. dum ait: Oriens Occidens & reliquæ plagæ ſeu climata aſſignantur in Scripturis comparatione vrbis Ieruſalem, vel terræ ſanctæ. Sic Aſſyrij & Chaldæi vocantur Aquilonares; ſcilicet reſpectu Iudææ; Ieremiæ 1. *ab Aquilone*, id eſt è Babylone, *pandetur omne malum*.

Secundum quod quæri poteſt. Quare ſicut Meſſiæ ortum diuinitus didicere Magi, non ita de loco vbi naſciturus erat, edocti ſunt? Auguſtinus Serm. 2. de Epiphania iam fecit ſatis: *poterat enim ſtella, quæ Magos perduxit ad locum, vbi erat cum Matre Virgine Deus infans, eos ad ipſam perducere Ciuitatem; ſe tamen ſubtraxit, nec eis prorſus apparuit; donec de Ciuitate, in qua Chriſtus naſceretur, iidem ipſi interrogarentur Iudæi; & ipſi eam ſecundùm diuinæ Scripturæ teſtimonium nominarent, ipſi dicerent, in Bethlehem Iudæ* &c. Itaque ad exprobrationem Iudæorum id factum eſt, quando Rex Iudæorum perhibetur per Magos natus: (quod vtique ſtellæ fama erat expectatum) & proterua cæcitate turbantur ſectati Herodem. Fortè tamen, locum, vbi natus erat, nouerant Magi diuina ex reuelatione: quod fortiùs probatur, ſi abſque ductu ſtellæ Ieroſolymam petiere; (ſub dubio relinquit Angelicus art. 7.) quod potiùs Euangelio conforme eſt: nam *ſtella quam viderãt Magi in Oriente, antecedebat eos*, &c. *& videntes illam gauiſi ſunt gaudio magno*: inuento quaſi zenith ſancti Præſepis: ſed ad eos exſtimulandos ad fidem, ſeriò interrogant, *vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*? & rurſus cum D. Thoma, (ibi art. 8.) diuino nutu factum eſt, vt aſpectu ſtellæ ſubtracto, Magi humano ſenſu in Ieruſalem irent, quærentes in Ciuitate regia Regem natum; vt in Ieruſalem primò Chriſti natiuitas publicè annunciare- 6.

ciaretur, secundùm illud Isaiæ 2. *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*: & vt etiam studio Magorum de longè venientium, damnaretur Iudæorum pigritia propè existentium. Denique cum Leone Papa; *vt à solis ortu, vsque ad occasum, veri Regis generatio coruscaret, cum rerum fidem, & Regna Orientis per Magos discerent, & Romanum Imperium non lateret.*

VERS. III. *Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.*

7. Non fuerit mirum terrenum Regem turbari. *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt.* 1. Corinth.2. *Hostis Herodes impie, Christum venire quid times? non eripit mortalia, qui Regna dat Cœlestia.* Quare turbatio isthæc vide 3.p.36. 2. 3. Ecclesiastici 10. *secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis est Rector Ciuitatis, tales inhabitantes in ea.* Huc glossa *sæpè populus eis iniustè fauet, quos crudeles sustinet.* D. Bernardus; *caput impium subiectos quoque conformat impietati.* Mira equidem est Magorum audacia, quia vt ait Chrysostomus, *quicumque, Rege viuente, alterum Regem pronunciat, aut adorat, punitur in sanguine: sed dum considerabant Regem futurum, non timebant præsentem. O beati Magi! qui ante conspectum crudelissimi Regis, priusquam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores.* Magi Regem non adierant; fortè quia tumorem fastumque eius exosi, nec agnosci ab illo, neque tractari vt Principes curarunt, quasi priuati proceres iter aggressi: & tamen rumorem audierat de conquisito Rege recenter nato. Altè verò sensisse Magos de tali Rege, etsi deprehendi possit ex eo quòd Magos se perhibebant, non ausi dicere Reges; neque regio aduenerant comitatu, ex ipsa interrogatione perspectum fit. *Vbi est inquiunt, qui natus est Rex Iudæorum?* ac si dicerent; *ipse est Rex Regum* Apocalyps. 19. *& Dominus dominantium*. Pergit Diuus Thomas; G non dicunt vbi est? sed, *vbi est qui natus est Rex?* Rex enim Franciæ natus est, sed non est natus Rex. Christus autem fuit Rex in ipsa natiuitate; immò antequam nasceretur ex Virgine; Psalm.73. *Deus autem Rex noster ante sæcula.*

G Præfatione in Epistolas Canonicas.

8. Iuuat ergo credere, attigisse Magos, quæ & nos fideli mente Dei gratia credimus; nempè illum esse natum Regem, *per quem* Prouerb. 8. *Reges regnant; cuius Regnum*, vt ps.144. canitur, *regnum est omnium sæculorum; cuius Potestas, Potestas æterna*, Daniel. 7. *atque etiam Regnum quod non corrumpetur*; quem etiam *adoraturi essent omnes Reges terræ* psalm.71. *omnes gentes seruient ei*: ideo inquiunt, *& venimus adorare eum*. Et sic præ humilitate, quam ad eum profitebantur, maluerunt Magi, non Reges agnosci & appellari. Secus si foret, vt quid corporali intuitu conquisissent Dominum, seu Regem hunc natum? *sed talem natum*, ait Augustinus in Serm. de Epiphania *didicerant, in quo adorando, salutem, quæ secundùm Deum est, se consecuturos minimè dubitarent: neque enim ætas erat saltem, cui adulatio humana seruiret: non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosa fama præliorum, hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto supplicationis attraxerunt.* Sublimius autem de hoc nato Rege, omni procul dubio loquebantur, quando, & ipse Rex Herodes, fictè protulit; *vt & ego veniens adorem eum. Fictè* inquam, quoniam facinus meditabatur enorme; idcirco sui consilij impietatem timens in suspicionem venire, *clam vocat Magos.* Certè *qui malè agit, odit lucem.* Turbatus ergo cogitationum incursantium turba obstruit exorto lumini cor. Ipse sanè Herodes, quod scribit Eusebius in chronico, nihil ad se pertinentem Iudæam, ab Augusto & Senatu accepit. Ideo turbatur, ait Chrysostomus, audiens Regem natum Iudæis ex genere Iudæorum, cum esset ipse genere Idumæus, ne Regno reuoluto iterum ad Iudæos, ipse à Iudæis expelleretur, & semen eius post ipsum praecideretur à Regno: semper enim grandis Potestas maiori timori subiecta est. Habuisse verò Herodem tyrannicum ante hæc etiam timorem, vel ex eo constat, quòd vt retuli Genes.49. ante Versum 11. omnes genealogiæ Iudæorum memorias comburi fecit. Id quod Auctores multi ferunt, & Eusebius præ alijs lib.1. Historiæ c. 6. non 17. vt ibi irrepsit error, ex Aphricano ad Aristidem in hæc verba: *supradicti viri memoriæ tradiderunt* &c. *Verùm Herodes videns, quòd huiuscemodi generis indicia si permanerent obsfuscationis sibi plurimùm quærerent, ignobilitatis suæ conscientia exagitatus, omnes libros, in quibus conscriptio generis habebatur* (loquitur de Iudæorum generationibus quæ erant in Archiuijs Templi secretioribus) *iussit incendi.*

9. Delirauerat autem Herodes, (crassa Minerua, nisi dolosa incredulitate) se ipsum Messiam quibusdam sensim prætendens: vnde vt plebem, subinde paulatim maiores opinione hac imbueret, scribunt diruto Templo Esdræ, aliud longè magnificentius ædificare cœpisse anno Regni sui 21. De hoc Herodiano Templo Iosephus Antiq. lib.15. c. 14. & lib.6. Belli c.6. Tirinus Ioannis 2. v. 20. qui eo fine qui supra fert ab Herode exstructum. *Turbatus ergo est Herodes* inuulgari audiens Regem, qui recèns esset natus *Rex* Iudæorum: *& omnis Ierosolyma cum illo*. Videntur potius debuisse gaudere: at respondet Angelicus, turbatos H multiplici de causa; vel vt placerent Herodi, sicut dictum est, Ecclesiast. 10. *secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius*; vel quia timebant ne Herodes in eos amplius desæuiret, Ly *cum illo*, ita fuisse subinnuit.

H Matthæi 2.

VERSVS V. *At illi dixerunt in Bethlehem Iudæ; sic enim scriptum est per Prophetam: & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda; &c.*

10. Tangit D. Thomas hic num Herodes fidem habuerit Prophetiæ, vt videtur? secus, vt quid Messiæ ortum scire curauit à Scribis & Sacerdotibus? Respondet credidisse imperfectè; ambitione nihilominus occæcatum, infantium necem fuisse & meditatum & exequutum. Si verè credidisset, nouerat frustrari non posse, quod disposuit Dominus. Vel, aio ipse, nihil prorsus fidei habebat, sed quamquam impius metum aliquem, optasseque illum ponere quasi scrupulum, si fortè alibi quàm in suo Regno Messiam nasciturum loquerentur Scripturæ. Quæ fertur Michææ auctoritas in Euangelio, cum, verborum sono, ac primo in limine, etiam sensu, (& quidem diuerso ab ipso Michææ textu) discrepantiam præseferat, nedum modernos interpretes, sed & antiquos Patres exercuit. Michæas; *& tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel.* Matthæus refert; *sic enim scriptum est per Prophetam; & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Israel.* Valde differunt textus isti, vt clarè patet; *paruulus es; nequaquam minima es.* Augeretur autem difficultas, si ex ore suo Matthæus Michææ prompsisset locum, vt nonnulli credunt: sed pace illorum dixerim, isthæc Prophetiæ allegatio facta est à Principibus Sacerdotum, & à Scribis; quod probant Hieronymus in Matthæum, Diuus Thomas, & Augustinus, qui Sermon. 2. de Epiphania ait; *ipsi dicerent,* (Iudæi) *in Bethlehem Iuda; sic enim scriptum est; & tu Bethlehem terra Iuda non es minima,* &c.

tum

tum quia verisimile non est, congregatos ab Herode, tam parcè respondisse; *in Bethlehem Iudæ*; tùm quia si Euangelistæ esset è penu, integram exatasset authoritatem; saltèmque non tacuisset ly, *& egressus eius à diebus æternitatis*; tum quia nec Ioannes cap. 7. v. 42. fuit solicitus Michæam referre hanc ad rem: tum denique quia ad intelligentiam Herodis, videtur auctoritas inducta, variè ac sit in Propheta; ponendo *Iuda* pro *Ephrata*. Quod ergo illorum Cœtus Herodi protulit, Matthæus fideliter expressit: quemadmodum & verba Herodis, *ite & interrogate diligenter de puero*; nisi enim accuratissimè esset Historiam prosecutus, facilè potuisset referre; *ite & interrogate diligenter de hoc nato Rege*: nam prædictum fuerat, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Veruntamen non propterea eò confugimus, quò alij; vt scilicet lapsi sint errore aut memoria Scribæ ac Principes Sacerdotum: neque enim id verosimile est. Multò minus, Matthæo potest hæc inuri nota, vt visum fuit quibusdam apud Hieronymum lib. 2. in Michæam. Similiter nullatenus intendimus, emendandum fore Vulgatæ textum Michææ: præterquam enim dedecet hoc ipsius canonizationem, esset vna simul Chaldæam paraphrasin & Septuaginta interpretum translationem corrigere, qui teste Hieronymo, ibi negationem non habent: quemadmodum nec cum ea legunt recentiores Iudæi. Quòd si aliqui Græci & Latini Patres allegantes Michæam, neganter ferunt; id fecere potius habito relatu ad Matthæum, quàm hauserint ab exemplaribus græcis ipsius Michææ. Alia ergo via incedendum est; nimirum, in re concordem esse vtriusque loci sensum, etsi primò intuenti videatur contraria phrasis. Latet itaque intelligentiæ consensus, quem necessariò fateri debemus, si sit Matthæi allegatio; quandoquidem constat, diuina illustratione hæc sciuisse; non enim ab Herode aut à Magis acceperat. Si autem fuit Scribarum: prudenter etiam tenendum hoc ipsum est; ne falsarios, aut turpiter simul deceptos gratis dicamus. Variè astruitur desiderata isthæc concordia. D. Ambrosius lib. 5. Epistola 18. habet; *in libro Prophetico inuenimus*; *in paucioribus es*: in Matthæo autem; *& tù Bethlehem Domus Iudæ non es in paucioribus: in quo, verborum discrepantia, non sensuum est*. Allegoricè autem exponit. D. Hieronymus negligentiæ damnat Sacerdotes & Scribas in Prophetiæ intelligentia & allegatione; sicque Matthæum eximit referentem. Ludouicus Viues in Scholijs ad D. Augustinum de Ciuitate Dei lib. 18. c. 30. minus fide firmus de textuum veracitate, consentire nihilominus inquit, quoniam Michæas interrogatione figurata legi debeat: *quid tù Bethlehem exiguus es? Non es certè: quippe ex quo prodibit Princeps recturus populum meum Israel*: subditque; *at à Sacerdotibus & Matthæo narrante omittenda fuit figura; & sensus tantùm reddendus nudus ac simplex*. Probat hoc Rutilius Benzonus in Canticum *Magnificat* lib. 1. c. 1. pag. 5. Suarez autem 3. p. q. 35. a. 8. disput. 13. sect. 3. non existimo, inquit, necessarium, vt legantur in Propheta per interrogationem verba illa; *minimus es in millibus Iuda*; quia neque in hebræo, neque etiam in græco codice est nota interrogationis, neque vllus Patrum illam adhibuit; sentitque Matthæum disertis verbis explicare intendisse dignitatem Bethlehem, & eius amplitudinem ac nobilitatem, ex Messiæ ortu: nam eò collimat Propheta etiam præoccupans de locali exiguitate. Hanc localem exiguitatem mittens Euangelista, consecutam amplitudinem periphrasi eloquitur: vnde cum ait *nequaquam minima es*, elucidat ly *ex te mihi egredietur*; non contradicit ad ly *paruulus es in millibus Iuda*. Hæc est mens Suarez, quam attenta causali *enim* comprobat, quia causalis hæc, quæ in Propheta non extat, ad loci magnitudinem accommodari non potest, vt patet, neque enim est magna loco, quia in ea natus sit Christus; ergo dum ait *nequaquam minima es; ex te enim* &c. negat esse minimam dignitate ac nobilitate: Michæas affirmat paruulam populo, & mœnijs: ideò nulla est contradictio. Hoc attigerunt Benzonius & Viues atque Cano noster de locis lib. 2. c. 14. qui hunc fuisse Hieronymi sensum, ex Commentarijs in Michæam, refert; vt in Matthæum. Optimè ergo dixerit Gregorius Nazianzenus orat. 19. funebri in Patrem suum, *nulla*, inquit, *res prohibet, quo minus Bethlehem, simul, & parua Ciuitas esset, & totius terræ metropolis, vtpote Christi parens, atque nutrix*. Amplectitur huiusmodi Michææ Matthæique intellectum Tirinus etiam in Michæam.

Porrò, quoniam possibile est etiam ab Euangelista, non à Scribis fuisse Michæam allegatum, aliam iuuet audire concordiam, non contemnendam fortè, quam Domino largiente, mihi omnium minimo cogitare datum est. Notum est sanè tropicam in Scripturis locutionem passim haberi; quæ adeò excreuit vt etiam, quod notat Augustinus lib. contra Mendacium cap. 10. *ad eam peruenerit quæ appellatur antiphrasis: vt dicatur abundare, quod non est; dicatur dulce, quod aridum est; lucus, quòd non luceat; parcæ, quòd non parcant*. Est antiphrasis, oppositio aut obiectio, cum contrarium dictionis expressæ intelligitur, vt bellum dictum aiunt, quod minimè bellum sit. D. Thomas 1 ad illa verba; *veni de Libano sponsa mea*: idest, veni de Mundo. Dicitur autem Mundus Libanus, idest candidus per contrarium, quia in eo non est candor: sicut lucus quia caret luce, & piscina quia caret piscibus: sic dicitur Mundus quia caret munditia. Sic vbi de Iob; *ne fortè* 1. *peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*, dat intelligi posse diuisim à contrario sensu, scilicet *maledixerint*. Crimen enim blasphemiæ tam horribile est, vt pia opera ipsum nominare proprio nomine reformident: sed ipsum, per contrarium significent. D. Augustinus vbi suprà fert quod in Iob sequitur c. 2. *si non in faciem benedixerit tibi; quod Diabolus ait Domino de sancto Iob & intelligitur, maledixerit*. Sic 3. Reg. c. 21. intelligitur ly *benedixit Naboth Deum & Regem*. Cur non liceat ergo Michææ verba exponere per antiphrasin? sic vt fiat sensus contrarius: *paruulus es; non es paruulus*: & sic coincidet cum relato ab Euangelista, *nequaquam minima es*. Quemadmodum figura dicta *litotes* tunc opportunè vtimur, cum aliàs vis verborum rei magnitudini non responderet: vnde 1. Æneid. *non ignara mali miseris succurrere disco*: vbi ly *non ignara*, quod tenuiter sine tropo acciperetur, in malis magnopere exercitatam significat. De quo sæpe sunt Sacræ Scripturæ exempla: Sapientiæ 8. *non enim habet amaritudinem conuersatio illius*, (Sapientiæ) *nec tædium conuictus illius*: idest summæ est dulcedinis & delectationis: Ecclesiastes 12. *antequam veniat tempus afflictionis; & appropinquent anni, de quibus dicas non mihi placent*; idest summè displicent 1. Machab. 2. *non est vtile nobis relinquere legem*; idest perniciosissimum est: sic cum magnitudo honoris ac dignitatis, quam Bethlehem exiguum oppidum adepturum erat ex Christi ortu, inexplicabilis esset, satiùs fuit antiphrasi per Prophetam tangi, & obscuritate quadam velari. Postquam autem *nox præcessit diesque appropinquauit*, fas fuit in Euangelio legi, *nequaquam minima es*: quod est antiphrasin Prophetæ iam aperire. Quod vel ex eo claret, quoniam sic notum erat Bethlehem esse exiguam loco & ciuibus, vt superuacaneè videretur assumi nisi lateret figura, vt dictum est.

II.

1 Cantic. 4. Comm. detecto.

I. Iob 1. I. 1.

est. Et quia secundùm Chrysostomum *humanitatem ostendit Vates; egredietur Dux qui regat Populum meum: Diuinitatem quoque; & egressus eius à diebus æternitatis*: humanitatis in primis dogmatizandæ studiosus Matthæus, tacuit de Diuinitate: vel ipsi Scribæ minus id percipientes, aut non ausi Herodi tàm alta pandere, siluerunt. Hinc fortè minimè intellectam habentes hanc Prophetiam, *de egressu eius à diebus æternitatis*, proferre erubescebant Ioann. 7. *Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit*: cum tamen ibidem *de Bethlehem Castello* venturum non ignorarent.

12. Quæres de discrepantia alterius vocis: *Iuda* & *Ephrata*. Notant duas fuisse Bethlehem, vnam de tribu Zabulon, quæ erat in Galilæa, de qua Iosue 19. v. 15. alteram quæ fortè obtigit tribui Iudæ, non procul ab Ierusalem. Dicebatur autem etiam Ephrata, vt patet Genes. 35. *mortua est ergo Rachel & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam: hæc est Bethlehem*: Animaduertit D. Hieronymus hic, librarij vitio, pro *Iudæ*, scriptum fuisse *Iudææ*: vtraque autem, etiam quæ Galilææ, in Iudæa est. Notius autem ducunt extitisse Iudæ nomen, quàm Ephratæ: idcircò in præsenti vsurpari. Præterquàm Iudæ nomen, tribum de qua Christus natus est, potuit monere. Vt ex ipso loco natiuitatis, promissio facta Dauid ibidem nato, M impleta ostenderetur. Denique cum Ephrata (subintellecto *Beth* apud, D. Ambrosium Ep. 18. sonet *Domus furoris videntis*, ne fortè suggestione diabolica ad furendum excitaretur Herodes, subijceri potuit.

M 3. p. 35. 7.

13. Rogabis iterum, cur in Matthæo legamus *in Principibus*; apud Michæam verò *in millibus Iuda*? Respondeo, hebræam vocem in Propheta esse *Bealphe*: sine dubio à radice *Elef*; *mille*. Transfertur autem etiam ad significandos *Tribunos Duces*, proinde & *Principes*: vnde Zachariæ 9. *chealuf, bihudah; quasi Dux in Iuda*; vbi Septuaginta, *vt Tribunus in Iuda*: græcè *Chiliarchos*; *Archon* autem constat sonare & Ducem & Principem. Verum cùm manifestum sit, non poni ly *in millibus* abstractè pro numero, sed pro numero rerum: mox quæritur, quidnam sit subintellectum? Ludouicus Viues loco allegato ad D. Augustinum de Ciuitate Dei lib. 18. c. 30. opinatur supponere pro Oppidis & Pagis: & cùm dicitur in *Principibus*, referri ad Metropoles & Vrbes, quæ sunt alijs Duces & Principes. Sed si hanc Prosopopeiã nolimus; fas est, ad ciues eorumque cœtum deflectere: idcircò per vocem illam *mille & millibus* significatos; accipiendo determinatum numerum pro indeterminato: quia eadem vox *Alphe* pro *familia* stat; quæ extenso vocabulo cognationem totam comprehendit: quæ cum à Domo politica differat, non arctum, sed amplum numerum personarum claudit. Iudicum quippe 6. dixit Gedeon *familia mea* &c. hebraicè *Alpi*; græcè *chilias mu*. *Chilias* autem est numerus mille continens. Sic & Septuaginta in Michæa trastulerunt *chiliastin*; *millibus*. Cur autem traducta sit vox hæc *Alphe* ad significandum Principem, vt legimus in Matthæo *Principibus Iuda*? in promptu est causa; nempe figura Synecdoche; qua locutus est Michæas, exprimendo in toto partem præcipuam; in populo, exempli gratia, Ducem: sicut profanus ponit pro hyeme annum. Et quidem appositè satis, dum millenarij tribuni dicuntur, qui præsunt etiam militibus: & sic *Principes*, seu *Chiliarchæ* dici queunt. Propterea græcè Euangelium habet *egemosin Iuda*: *Principibus Iuda*: *Egemon* autem est *Præses*, *Dux*, *Præfectus*, & *Princeps*.

14. Denique superest ad Prophetiæ cum Euangelistæ expressione consensum, edisserere, cur hic adiectum sit de *Duce qui regat populum?* &c. Et vno verbo dicendum, glossam veluti nouo in Testamento Michææ. Iste scripsit *Mosfel*, scilicet *Dominator*. Indigebat explanatione, ne inique dominaturũ quisquam crederet; quemadmodum Isaiæ legimus cap. 52. *Dominatores eius iniquè agunt*. Non ergo Dominator futurus erat despoticus in seruos, de quo Aristoteles 1. Polit. c. 3. Tunc N aliquis dominatur alicui vt seruo, quando eum cui dominatur, ad propriam vtilitatem sui, scilicet Dominantis refert. Deus *bonorum nostrorum non eget* vt in ps. 15. Vnde quantùm ad hoc, nunquam Dominus tanquàm seruos homines habuit, nisi inutiles; iuxta illud Lucæ 17. *sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus*. Alio ex capite seruis dominabatur Deus, quatenus seruili timore, & pœnarum comminatione lex seruabatur. Ad Galat. 5. *nolite iterum iugo seruitutis contineri*; & prius c. 4. *Hæc enim sunt duo Testamenta; vnum quidem in Monte Sina in seruitutem generans*: Non vltra, regendus erat Populus, *acceptabilis & acquisitionis in virga ferrea: non enim accepistis* Roman. 8. *spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Igitur cum ait Michæas; *qui sit Dominator in Israel*, sit glossa, *Dux, qui regat populum meum Israel*. Supra iam ad calcem Syntaxis cap. 1. dictum est, quis sit verè populus Israel, Et quoniam in psal. habemus; *nos autem populus eius & oues pascuæ eius*; quasi Pastor ad gregem perhibetur. Quod quidem satis ex græco textu intelligitur, in ly *pimani* à verbo *pimæno*; quod significat; *pasco gregem, Pastorum more guberno, & curo gregem*; rego. Planè: quando Ezechielis 37. clarè prædictum est; & *Pastor vnus erit omnium*: clariusque Ioann. 10. *ego sum Pastor bonus: fiet vnum ouile, & vnus Pastor*. Qui regit, rectitudinem præstat: Ecclesiastes 7. *solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum; & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*. Deflexit à rectitudine potissimùm, O qua ratio subdebatur per gratiam Deo: rectificandus erat per Christi gratiam; nàm, *gratia & veritas* Ioann. 1. *per Iesum Christum facta est*. Rectum, est cuius P medium non exit ab extremis: vnde cum actio iusti, à suo principio, quod est Dei voluntas, & fine illi intento, non discrepat, illi conuenienter adscribitur rectitudo. Sic Dux noster, ne exiremus ab extremis ad nos venit. Finis est beatitudo. *Pastor ante eas (oues) vadit*. Michææ 2. *ascendit iter pandens eis*. Atqui sub eadem metaphora, ad pascua sempiterna; Ezechielis 34. *in pascuis vberrimis pascam eas, ego pascam oues meas: ibi requiescent in herbis virentibus*. Et bellè, quia, & ibi; *suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid*; (pro Christo) *ipse pascit eas, & ipse erit eis in Pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum; & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum*. (Et Isaiæ 40. *sicut Pastor gregem suum pascet*.) *Nasi* à primitiuo *Nasà* significat Principem & Ducem. Quod ideò fortè hac voce expressum est, ad innuendam Sacerdotalem dignitatem, quæ ab eadem radice trahitur. Christus autem tanquam figuratus Dauid, vt ille, in Bethlehem natus est: proinde vt ille, Pastor: & tropologicè in *Bethlehem quæ Domus panis*; eo quòd est *Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, & vt talis panem & vinũ obtulit: quæ cuncta diuinitùs illustratus Angelicus Doctor cecinit. *Lauda Siõ Saluatorẽ, lauda Ducem & Pastorem*: in officio mirabilis Sacramenti; Propterea opinor, adiecisse Michæam, *& egressus eius à diebus æternitatis*: nedum ad insinuandam Diuinitatem, (cùm hæc non sit in Matthæo hic tacta, vt dictum est) sed ad ostendendum Christum Sacerdotem, qui Hebræor. 7. *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*,

N p. p. 96. a. 4.

O p. p. 95. a. 1.

P Job 5. l. 1.

dotium. Filium ibi commemorat Apostolus Christum, quia ad ortum eius fortè respexit: natus (ad vmbram veteris moris) Sacerdos, quia primogenitus. *Paruulus enim*, Isaiæ 9. *natus est nobis*, *& filius datus est nobis*. *Factus* autem *est principatus super humerum eius*. *Princeps* autem *Regum terræ Iesus Christus* Apocalypſ. 1. *Rex Regum & Dominus dominantium* c. 19. *qui fecit nos Deo nostro Regnum* c. 5. ouem quam inuenit Lucæ 15. *imponit in humeros*; fas ergo sit dicere, hunc esse *Principatum super humerum eius*: dum deinde ad ouile reductam præit, sicut & aliàs, tanquam *bonus Pastor*, qui *ante eas vadit*; reuersus ad Cœlum, *Crucis vsus baculo*, vt in Sequentia, *turmis cum duabus, Angelis & animabus*: iuxta illud, *à summo Cœlo egressio eius*: (*à diebus æternitatis*, vt ait Michæas) *& occursus eius vsque ad summum eius* ps. 18. Quò tandem, postquam de oue in humeros imposita tactum est, (Isaiæ item 40. *in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit*) subinde de Angelorum gaudio ibidem Lucæ 15. accedat Augustini Soliloquium: *Da igitur da Pater eis semper gaudere de nobis; vt sic seper per eos laudetis in nobis, & nos cum eis in vnum* (ecce etiam in vnum Reges, ecce Pastores) *ad ouile tuum adducamur*. Isaias ibidem, *in brachio suo congregabit agnos*. Cuius quidem Ouilis specimen antrum præfert Bethlehem iterum, dum & Angelorum exercitus erumpit in laudem; concinens; *Gloria in Excelsis, seu in altissimis Deo*. Itaque quoniam ex D. Augustino *Sacræ Scripturæ eodem spiritu quo sunt editæ, sunt expositæ*. Itemque ex Hieronymo, *vbicumque per Apostolos & Euangelistas introducitur aliqua auctoritas veteris Testamenti, non oportet introducere verbum ex verbo semper, sed sicut dedit eis Spiritus-Sanctus, aliquando sensum ex sensu, in vsus nostrum*: siue ab ore Scribarum, siue ab Euangelista, sic fuerit relatus Michæas, sanctè est suscipiendus, & hic, reuerenter; quandoquidem scimus Caipham quoque Pontificem, etsi iniquum prophetasse; *expedit vt vnus moriatur homo pro populo*. Ioan. 11.

VERS. X. *Videntes autem Stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè.*

15. Quod ipsi non expresserunt, exprimit dictante Domino, Matthæus; aliude namq; didicisse nequibat, quid eorum cordi mœroris aut gaudij accidisset. Ne autem imprudenter quis crederet vitiosum esse pleonasmum, ly *gauisi gaudio*, emphasim ferre sine dubio dicendum est. Quod ex adiectis liquet, dum

N Ioan. 3. lect. 5. subditur *magno valde*. Ostenditur ergo N veritas & perfectio gaudij. Huiusmodi gaudium sine dubio fructus deprehenditur esse Spiritus; qui sicut alij,

O Galat. 5. lect. 6. consurgit in anima, O ex spirituali seminatione gratiæ. At non est primus, primus enim, prout etiam percenset eos Apostolus, est charitas, in qua

P p. 2. q. 70. 3. specialiter Spiritus-Sanctus datur, P sicut in propria similitudine cum & ipse sit Amor: ad amorem autem charitatis sequitur ex necessitate gaudium. Igitur dum Magorum gaudium magnificat Euangelista, attestatur perspicue fuisse in charitate. Sed cum dicitur; *gauisi sunt gaudio magno*, atque perfecto, manifestum fit gauisos fuisse de Deo, excitante, quam denuo videbant Stellam. Ratio est quia, nemo perfectè gaudet Q de aliquo, quod sibi non

Q p. 2. 70. 3. sufficit: vnde, vt perfectum sit gaudium requiruntur duo: primo vt res amata sufficiens sit amanti pro-

R Galat. 5. l. 6. pter suam perfectionem; R secundò vt adsit perfecta fruitio rei amatæ. D. Gregorius; *cum omnia sint facta ad quærendum Deum, nihil humanæ menti sufficit, quod non sit Deus*. Augustinus; *tantæ dignitatis est humana conditio, vt nullum bonum præter summum, possit ei sufficere*: & iterum; *si cuncta, quæ fecisti mihi dederis, non sufficis seruo tuo, nisi te ipsum dederis*. Hinc Ioannes; *maior est Deus corde nostro*: vbi D. Thomas. S nihil præter Deum est maius corde humano; & ideò secundum Augu- S primæ Ioan. 3.

stinum animam Dei capacem, nihil minus Deo replere potest. Ex his liceat colligere, quali charitatis amore ferrentur Magi in Christum, qualique prævia luce per signum stellæ, quando vulgatum est *inuisa amare possumus, incognita nequaquam*. Quod itaque aiebat Ignatius de Christo refertur que à D. Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus; *meus amor crucifixus est*: fas fuerit accommodare Magi, vt quisque illorum diceret *meus amor natus est*: & vt ille; *cuius quidem teneor desiderio, & quem insatiabiliter cupio*; resonent amanti Echo & Magi; nam gaudium, idque magnum, nonnisi desiderij magni finis est. Roman. 15. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio*. Hocce gaudium præsignat ly *ecce stella*; est enim nota propinquitatis T & gaudij. T Apoc. 5.

Ardens autem præcurrens desiderium, nedum, celeri ex eorum aduentu, sed & cito ab Herode discessu agnosci potest; legimus enim, *qui cum audissent Regem, abierunt*; vtique incunctanter, & sine mora. Porrò si omnis amans gaudet ex coniunctione amati, vt in prima secundæ vbi supra assumit Diuus Thomas, quomodo adeo poterant adhuc absentes? Est ibidem responsio: charitas semper habet præsentem Deum quem amat; secundum illud 1. Ioan. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*. Subdit; vnde sequela charitatis est gaudium; perfectio autem gaudij est pax. Quam reor Angelos præcinuisse dicentes; *in terra Pax hominibus bonæ voluntatis*. Ideo Apostolus vbi supra adiecit ad ly *omni gaudio* de pace; sicut 2. Esdræ 8. *gaudium Domini est fortitudo nostra*: per quam homo, ait D. Thomas, ibi in se ipso & ad Deum, & ad proximum est pacatus.

VERS. XI. *Et intrantes Domum inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum.*

Introferre pedem exiguam quandam in casulam 16. proceres quosdam præ loci vilitate non ausos, commonuisse fertur Heraclitus dicens; *introite: sunt & hic Dij*. Non sic horrent Christi Tugurium fœlices Magi; quod imnio ingrediuntur tanquam Templum, soli Deo certè sacrum; *intrantes Domum*. Stat planè pro Templo. *Domum*, vrbanis ædibus Augusti Palatio nobiliorem, quæ Cœlum Cœli euaserat æmulatrix. Hærent Interpretes, num in domo aliqua, aut in diuersorij parte vrbaniori Christum reppererint; quasi difficile spelunca *Domus* dicatur. At aio ipse, si Ieremiæ 7. & Matthæi 21. *Domus Dei facta est spelunca latronum*: ad increpationem nostram, spelunca in domum Dei conuersa recolatur. Diuus Maximus in Sermone Natiuitatis V *Si Præ-* V 3. p. 44. 2. 3.

sepe despuis, erige parumper oculos, & nouam in Cœlo Stellam, protestantem Mundo natiuitatem Domini eam contuere. Et Chrysostomus X *quia* X 3. p. 36. 8 4.

cœlestem Regem quærebant; etsi nihil Regalis excellentiæ in eo viderent; tamen solius stellæ testimonio contenti eum adorauerunt. Adoratur à Magis,

A glorificatur ab Angelis, in signum sui Dominij A Opus. 20. l. 3. c. 13. & 14.

vniuersalis. Apparuit etiam in sua infantia plus virtutis & potentiæ prætendentis excellentiam sui Domini, quam in adulta ætate, ad insinuandum suam infirmitatem esse voluntariam, non necessariam. Adde ex Gregorio; *Cœli Rege nato, Rex terræ turbatus est*: *quia* B *nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur*. Et Augusti- B 3. p. 36. 2. 3.

nus; *quid erit tribunal iudicantis, quando superbos Reges* (Herodem intellige) *cuna bula terrebant infantis?* Et Leo Papa; *non tantùm Herodes in se ipso turbabatur, quantum Diabolus in Herode; & vterque Regni sui successorem timebat. Diabolus cœle-*

stem;

ſtem. Herodes terrenum: *At Chriſtus non venerat Regnum in terra habere*. Adde ex Auguſtino Tract. 51. in Ioannem; *non fuit Rex Iſrael Chriſtus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos; ſed Rex Iſrael quòd mentes regat, quòd in æternùm conſultet, quòd credentes, ſperantes, amanteſque perducat ad Cælum.*

VERS. item XI. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum; & apertis theſauris ſuis*, &c.

17. Summariè exequitur Euangeliſta Magorum acceſſum ad Chriſtum; vt ex conſequentibus liquet; adijcit enim mox; *& reſponſo accepto in ſomnis*, &c. Aperit nihilominus eorum mentem, quæ in puerum ferebatur natum Regem, dicens *inuenerunt puerum*, vnicè intentum, vnicè adorandum: ex quo, *procidentes adorauerunt* inquit *eum*: miſſis quæ cuncta vrbanè *intrantes* potuere perficere. *Maria ſalutauit Eliſabeth*. De Magis nihil ſimile, eſſe factum hic, enarratur. Quamquam fortè obſtupeſcentes de alto ſibimet reuelato myſterio, procumbunt adoraturi. Quantus maieſtatis ſplendor oculos eorum peruaſerit, conijcere fas eſt, quia *procidentes*: ſi enim humana duntaxat conſpicati fuiſſent, inſalutato hoſpite abire debuerant. Dixere fortè humillimè *Aue Rex Iudeorum*. Sed quòd ab impijs in paſſione irrisoriè vſurpandum erat, noluit Dominus pio ab ore depromptum hic enarrari. Sanctus Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate Domini habet, *feſtiuitatis hodiernæ verus venerator eſt & pius cultor; qui nec de incarnatione Domini aliquid falſum, nec de Deitate aliquid ſentit indignum. Paris enim periculi malum eſt, ſi illi aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas. In vtraque natura idem eſt Dei filius noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens*. Veros fuiſſe veneratores Magos non eſt qui poſſit ambigere; dum *illuminato fidei oculo*, Duce idcircò Stella, peruenerunt ad Chriſtum. Hoc ſatis Matthæus inſinuat dicens; *inuenerunt puerum cum Maria Matre eius*. Hic iuuet recolere quod refert D. Antoninus 1. p. in ſuis chronicis, in Natalitijs Domini accidiſſe, ad hunc ferè modum. Cum Senatus Romanus Auguſtum pro Deo colere decreuiſſet; euocata in cameram Sibylla eſt: quæ circulum aureum in ſublimi fulgentem, cuius medio Virgo erat puerum complexa, Imperatori oſtendit; auditaque confeſtim vox fuit: *hæc eſt Ara Cæli*. Tunc Imperatorem Sybilla monuit, vt puerum illum adoraret: atque inde prædicta camera Ara Cœli dicta eſt. Vnde Princeps ille panxit.

Fulgentem nitido monſtrauit in Æthere circum
Irideque incluſam parua cum prole Parentem;
Atque manum tendens, vultuque ad ſidera verſo,
Ille puer Deus eſt, inquit

Quis eſt iſte puer? necte cum Ambroſio lib. 2. in Lucam c. 2. *niſi ille de quo dictum eſt; puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis*. Ita Iſaiæ 9. legunt Septuaginta: vbi Noſtra transfert, *paruulus natus eſt nobis*; ſed paruulus eſt, quia *exinaniuit ſemetipſum* Philipp. 2. *puer* etiam, quia *formam ſerui accipiens* &c. Puer enim pro ſeruo etiam ſtat, vt paſſim in Scripturis. *Paruulus* ergo quaſi expoſitoriè. Præſefert, itaque humanitatem, quod ait inuenerunt *puerum, cum Maria* ſubinde *Matre eius*; nam Galat. 4. *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege; quia conceptus ex vtero virginali* (Sanctus Beda lib. 4. c. 49. in Lucæ 11.) *carnem non de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne*. Sed quoniam, Beata Virgo, quæ dicitur Mater Chriſti, mater eſt etiam Dei veraciter, vt patet in 3. Parte. C in præſenti ob natiuitatem temporalem, Mariæ commemoratur Maternitas. *Vt per hominem*, aiebat

C 3.p.35. a.4.& 5.

Hieronymus, *Deum diſcere incipiamus*. Inde *procidentes adorauerunt eum*. Actorum 10. eum Petro obuius venit Cornelius, *procidens ad pedes eius adorauit*. Petrus Lucæ 5. *procidit ad genu Ieſu*. Matth. 26. Chriſtus ipſe *procidit in faciem ſuam*. Hic quomodo prociderint non exprimit. Ratus ſum equidem, vt omnem humiliationis formam ſimul comprehenderet. Vel vt pro principali, pro ſubmiſſiori ſupponeret. Sic etiam ly *adorauerunt eum*, pro adoratione Deo propria. Legimus in Scripturis adorationis nonnullius reuerentiam exhibitam creaturis quandoque, ob earum excellentiam: vnde Nathan D adorauit Dauid, Ioſue adorauit Angelos: & pari ratione docemur debitam ſeruitutem præſtare Dominis, quos veneramur dulia: E *dulia* enim græcè *ſeruitus* dicitur. Porrò ſanctis Magis humanum nihil contuentibus in Præſepio, quod venerationem exposceret; ſiquidem vt ait Leo Papa in Sermone 4. de Epiphania: *Magi viderunt & adorauerunt puerum Ieſum in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilem*: diuinæ ſolùm Maieſtati ſe ſe humillimè ſubiecerint neceſſe eſt; proinde Dulia per excellentiam, ſeu *latria*, Chriſto cultum obſequium & ſeruitutem exhibuiſſe: tanquam habenti plenarium & principale dominium, reſpectu totius & cuiuslibet creaturæ. Doctrinam eiuſmodi tradit Angelicus, quam liceat ſic ad rem commemoraſſe.

D 2.2. q. 84.1.

E 2. 2. 103.1.

Quærit autem in proximo loco; *Vtrum honor importet aliquid corporale*: & aſtruit coram Deo, qui inſpector eſt cordium, teſtimonium conſcientiæ ſufficere ad excellentiam cuiuſpiam teſtificandam; atqui non ita quoad homines: non enim poteſt aliquis teſtimonium ferre, niſi per aliqua ſigna exteriora; vel verborum, puta cum aliquis ore pronunciat excellentiam alicuius; vel factis, ſicut inclinationibus, obuiationibus & alijs huiuſmodi, vel etiam exterioribus rebus; puta in munerum oblatione &c. Vides autem Magos ore celebraſſe Chriſtum Regem natum, obuiatione longi itineris; inclinationibus procidentes; denique *apertis theſauris*, oblatiſque muneribus honoraſſe. Sanctus Doctor 3. p. q. 36. a. 8. credendum eſt, inquit, Magos Spiritu Sancto inſpiratos ſapienter Chriſto reuerentiam exhibuiſſe, & *in ſerm. in Epiph. ex Euangelio*, Creatorem ob potentiam in auro, conſeruatorem in myrrha, reparatorem in thure, quod immolatur, aliáſque Sapientes, lepidè dicit, & numero munerum, Trinitatem indicaſſe. Secundo pariter loco Quærit; *Vtrum adoratio importet actum corporalem*. Vtique. Ratio eſt, quia cùm ex D. Damaſceno ibi, ex duplici natura compoſiti ſimus, intellectuali ſcilicet, & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis deuotione; & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione: Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exterius refertur ad id quod eſt interius, ſicut ad principalius; ipſa exterior adoratio fit propter interiorem: vt videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubijciendum ſe Deo, quia connaturale eſt nobis, vt per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus. Item ad 1. adoratio principaliter in interiori Dei reuerentia conſiſtit; ſecundariò autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis: ſicut genuflectimus, noſtram infirmitatem deſignantes; proſternimus autem nos, quaſi profitentes, nos nihil eſſe ex nobis. Poteſt ex his vnuſquiſque, Magorum pietatem ac deuotionem, atque etiam humilitatem agnoſcere: potiſſimùm verò fidem, qua, nihil vltra quærentes, niſi *vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*, intrantes Domum, (fortè diuerſorium) acti Dei Spiritu, tramite recto Speluncam petunt, & iàm diu deſideratum cunctis Gentibus ſine Patre in

Mundo

Mundo natum cum Maria Matre inueniunt ac adorant. *Vetus fuit consuetudo* inquit Haymo Matthæi 2. *vt nullus intraret ad Regem sine muneribus.* Conuerterunt hanc Magi diuinum in ritum. Offerunt
F 1.p.36. 14. autem munera F dignitati Christi congruentia; aurum quidem, quasi Regi magno; thus, quod in Dei Sacrificio ponitur, immolatur vt Deo: myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur, præbetur, tanquam pro salute omnium morituro. Hic Remigius; *non singuli singula obtulerunt, sed singuli tria: & singuli cum suis muneribus Regem, Deum, &*
G 2.2.85. 1. *Hominem prædicauerunt.* Quærens Angelicus G *an offerre sacrificium Deo sit de lege naturæ;* idque firmans, ait; est modus conueniens homini vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit: & ideò ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam sensibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis & honoris: secundùm similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem Dominij. Quadrat doctrina hæc Magis, meritò Magis ideo nuncupatis siue sapientibus; dum procidentes muneraque offerentes se Christo subijciunt. Ait autem ad hæc Augustinus Serm. 2. *Cum tam multi Reges Iudæorum iam nati atque defuncti essent, nunquid quemquam eorum adorandum Magi quæsierunt? non: quia nec quenquam eorum Cælo loquente didicerunt. Obtulerunt* autem perfecto tempore vt de Abel legimus Genes. 4. *obtulit de primogenitis:* non sic de Cain, quia *factum est, vt offerret.*

18. Quemadmodum autem de Virgine dixit Augustinus *stantem lego flentem non lego:* ita de Magorum oblatione dixerim ipse; obtulisse lego, acceptata non lego. Tanquam Deus, bonorum nostrorum non eget: immo idcirco tanquam Deus agnoscitur, *dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonum meorum*
H 3.p.40. a 3. *non eges:* vt homo, pauperem decuit H in hoc mundo vitam duceret. Claret sanè quod ait Paulus 2. Corinth. 8. *quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues.* Hoc expendens Origenes Hom. 8. in Leuiticum; *ideo,* inquit, *& Matrem de qua nasceretur elegit pauperem.* Præterea Matthæi 10. *nolite possidere aurum, neque argentum:* & c. 19. *si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* Hinc Chrysost. hom. 67. in Matth. *regulas nobis præbuit, ne maiora, quàm necessarius vsus exigat, requiramus. Itaque quando nascebatur, non magnificas ædes, non locupletem Matrem, sed pauperrimam, & fabro desponsatam elegit:* Igitur nisi dicamus Virginem filio oblatum aurum, vt alijs placet, pauperibus erogasse; credendum est, respexisse quidem Dominum ad Magos, atque ad illorum munera, vt ad Abel; cæterum recusasse accipere. In cuius argumentum Virgo in purificatione ad indultum se gessit pauperum, offerentium *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Et sic paupertate haud inglorius dixit Dominus Matth. 8. *filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Oblata non curat Dominus; sed quo corde: vnde *vidua illa pauper* Lucæ 21. quæ *æra minuta duo misit in gazophylacium, plus quàm omnes misit.* Compensauit autem Dominus munera gratanter respecta, responso diuinitus in somnis eorum petitioni donato; *ne redirent ad Herodem.* Non vltra per stellam, neque per Angelum vt Pastores, aut alia apparitione eos admonet: sed iustorum more. Nam viris iustis est familiare & consuetum, interiori Spiritus-Sancti instinctu edoceri, absque signorum sensibilium demonstratione; sicut Simeoni & Annæ manifestata est Christi Natiuitas, per interiorem instinctum Spiritus-Sancti; secundùm illud Lucæ 2. *responsum acceperat Simeon a Spiritu-Sancto,* vt ait I Diuus Thomas. Rursus etiam eos donis auxit, I 3.p.36. 5.
quia vt ex Chrysost. Hom. 16. ex varijs in Matthæum; *aduentu suo Magos ab Oriente vocauit, & Euangelistas, eos ad sua remisit.* Chrysost. item; *cum autem reuersi fuissent, manserunt colentes Deum, magis quàm ante; & prædicantes multos erudierunt: & denique cum Thomas iuisset ad Prouinciam illam, adiuncti sunt ei; & baptizati, facti sunt executores prædicationis ipsius.* Scribit Matthæus Palmerius eorum corpora olim è Persarum regione Mediolanum translata, à Rodolpho Coloniensium Archiepiscopo Coloniam Agrippinam deportata anno Domini 1168.

VERS. XIII. *Ecce Angelus Domini &c. Accipe puerum &c. & fuge in Ægyptum.*

Quoniam de his quę ad Christum L pertinebant, 19.
circa ipsum gerenda, alij per Angelos instruebantur, L 3. dist.
dixit D. Dionysius cap. 4. cœlestis Hierarchiæ; *per* 14. q. 1. a.
Angelos videmus eum, sub paternis legibus ordina- 3. 6. 1.
tum: sicut Ioseph de fuga in Ægyptum, & de reditu de Ægypto: ipse enim per se in his eos instruere non volebat, vt exterius ab alijs pueris non differret, & vt veritas assumptæ naturæ probaretur. Huc autem iuuat aduocare, quod docemur M de pueris mox M p. p. 101. a. 2. & q. 99. a. 1.
natis, nec etiam in statu innocentiæ habituris perfectum rationis vsum, pendentem quodammodo ex vsu virium sensitiuarum, impeditarum ab nimia cerebri humiditate. Ex quo nec sufficientem habuissent virtutem ad mouendum membra ad quoslibet actus, sed ad actus pueritiæ conuenientes, puta ad sugendum vbera, & ad alia huiusmodi. Quamuis ergo, non solùm cum natus est Dominus, sed etiam in primo instanti N suæ conceptionis, habuerit vsum liberi arbitrij: Quamuis fuerit perfectus comprehensor, N 3. p. 34. a. 2.
O etiam in primo instanti suæ conceptionis: Quamuis per scientiam inditam potuerit intelligere, P O 3. p. 15. a. 10. & q. 34. a. 4.
non conuertendo se ad phantasmata; quę cuncta definit Angelicus: noluit tamen per semetipsum assumpto miraculosè vsu loquelæ, Iosephum aut Magos alloqui, sed infantilibus membris infans agnosci gestijt & puer. Hinc *Angelus ad Pastores; inuenietis infantem;* & Magi *inuenerunt puerum:* nam *debuit* Hebræor. 2. *per omnia fratribus similari.* P 3. p. q. 11. a. 2.

VERS. XV. *Vt impleretur, quod dictum est à Domino, per Prophetam dicentem, ex Ægypto vocaui filium meum.*

Huiusmodi Prophetæ Oseæ auctoritas, vt aliæ quoque in Euangelio allegatæ, Hieronymi tempore 20.
in Septuaginta Interpretibus non legebatur. Id pluries asseuerat, præsertim *Præfatione in Pentateuchum ad Desiderium.* Nunc, exemplaribus græcis recognitis, extat, licèt aliqualiter discrepans; nempe, *ex Ægypto vocaui filios eius.* Hebraicus fons Euangelio ad verbum respondet. Subdit Hieronymus. *Iudæi, prudenti factum dicunt consilio; ne Ptolemæus vnius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem Diuinitatem deprehenderet. Quod maximè idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur.* (Nota apud Platonicos Q nonnihil de Q p. p. 32. a. 1. 1.
verbo dictum esse, tanquam tamen de ratione idæali per quas Deus omnia condidit) *Denique vbicumque Sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio, & Spiritu-Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt.* Certè hodie adhuc Isaiæ 6. vbi iuxta hebræam translatum est: *quem mittam; & quis ibit nobis?* græca non habent ly *nobis:* quod ad Personarum pluralitatem, non est dubium referri. Porrò dum versant Sancti Patres hunc locum conueniunt sensu literali, intelligi de populo Israelitico.

Et ex contextu colligitur; eoquòd, vt animaduer- 21.
tit Angelicus R præmissum est, *puer Israel & dile-* R Matth. 2.
xi eum: & sic loqui videtur de vocatione Israel de Ægypto.

Ægypto. Hinc Iansenius apud Barradium Tomo 1. lib. 10. c. 9. audacter docuit testimonium hoc per accommodationem quandam vsurpatum esse ab Euangelista: quasi non hoc intentum ab Osee fuerit; sed congruentia quadam, tanquam facto arridens fuisse inductum. Erroneum hoc est Iansenij figmentum; palam edicente Matthæo; *vt adimpleretur quod dictum est* (non ab homine) *à Domino, per Prophetam* &c. Prophetatus fuit ergo reditus Christi Iesu de Ægypto. Neque mirum fuerit, quoniam, vt ait Apostolus; 1. Corinth. 10. *omnia in figura contingebant illis.* Vno verbo allegoriæ causam patefacit hic D. Thomas dicens: Isti non fuerunt filij Israel, nisi inquantùm similitudinem gesserunt, veri filij Vnigeniti: & Chrisost. *Christus natura Dei filius est, & sic in eo verè prophetia impletur.* Interpretes hic requirunt, cur Dominus in Ægyptum potius, quàm aliò migrauerit. Missis plurimis, eam præcipuè probo causam, quam Isaias cap. 19. prætetigit: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem; & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra à facie eius.* Per *nubem*, S inter alia, significatur assumpta caro; *nubem leuem* ob eminentiam dignitatis: vel *leuem* sine peccati onere, à terrenis eleuatam; vnde pluuia gratiæ ac refrigerium. Constat autem venisse Christum, ad idololatriæ extinctionem, proinde ad euertenda Simulacra Ægypti, vbi turpiter colebantur. Isaiæ 2. *& idola penitus conterentur:* Sophoniæ 2. *attenuabit omnes Deos terræ.* Sic ad illa verba Habacuc c. 2. *apparebit in finem:* T secunda apparitio fuit in fine idololatriæ: *commouebuntur simulacra* &c. Et exponi potest ly *super nubem leuem,* de Virgine Matre, V leui propter virginitatis puritatem. Et iterum ex Ambrosio de institutione ad Virgines, atque ex Hieronymo super Isaiam *leuem,* quia virili semine non pregrauatam. Huc autem facit, quod Nicephorus Sozomenus & Procopius apud Suarez 3. p. q. 37. a. 4. disp. 17. sect. 1. ferunt: corruisse de facto ad Christi Domini accessum Ægypti idola: quamquàm hoc humanæ certitudinis sit Historia. Porrò incredibile non est: quoniam *non est conuentio lucis ad tenebras.* Hilarius in c. 7. Matthæi *Dæmonia Christi nomen exagitat.* Hoc pacto de stella loquens; X credibile inquit est, etiam in alijs partibus Mundi, aliqua indicia Natiuitatis Christi apparuisse: sicut Romæ fluxit oleum; & in Hispania apparuerunt tres Soles, paulatim in vnum coeuntes. Verùm etsi materialiter hoc non acciderit: idololatria, per Christi fidem citra dubium exscindenda ibidem fuerat. Et vlteriùs cum Haymone ibidem dicendum, (an corruerint, an obmutuerint idola vbique incertum linquendo) Ægyptum significare hunc Mundum: id quod, & A Angelicus. Interpretatur *Ægyptus, tenebræ* siue *mæror.* Mundus autem tenebris infidelitatis opertus erat. Plenius in Syntaxi elucescet, cur ex Ægypto potiùs, quàm de Samaria, quæ item pro idololatria stat Isaiæ 8. *fortitudo Damasci* B *& spolia Samariæ,* eo quòd illic Populus Israel auersus à Domino ad Idola colenda conuersus est. Chrysost. *quasi medicus descendit in Ægyptum, vt visitaret eam languentem erroribus; non vt remaneret in ea.*

S Ps. 28. & Isaiæ 19. ac Apoc. 14.

T Prologo Isaiæ.

V Isaiæ 19.

X 3. p. 36. 3. 1.

A Apoc. 10. & 19. Comm. 1.

B 3. p. 35. 4. 1.

VES. XVI. *Tunc Herodes videns, quòd delusus esset* &c.

22. Hic primò audiendus est C Diuus Thomas, qui terminum illum *à bimatu* accipi posse tradit iuxta diuersas opiniones, vel secundùm præcursam apparitionem stellæ biennio ante Christi Natiuitatem; vel secundùm recessum Magorum: quia interim accusatus Romam ierit, fortèq; periculorum terroribus agitatus à cæde illa supersederit. Veruntamen quomodocumque fuerit, certum videtur addubitasse illusum se fuisse etiam à Magis, quoad tempus apparitionis: nam aliàs, cum *didicisset,* (non solùm interrogasset) *diligenter ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis,* fixè licebat ei computare, quot mensium, ætatula nati esset. Itaque anceps de veritate relati ab eis temporis, ne fugeret suspectus sibi Rex manus eius, nedum bimos, sed & infra, paruulos crudelissimè occidit. Oportet igitur certus esset, non excessisse biennium, incertus an esset anniculus atque circiter, iuxta *quod exquisierat à Magis;* certus nihilominus etiam, trimestrem exempli gratia non esse: nam si de tam tenellis hæsisset, non de bimis stragem facturus erat. Quare si Romam profectus aut aliunde distractus distulit puerorum excidium, intermedijs natis mortem non intulisse deprehenditur. Et si ly *& infrà* non simpliciter accipiendum est, quasi bimos, vsque ad nudiustertius natos occiderit; sed *infra secundùm tempus,* ad calculum, *quod exquisierat à Magis;* quodque subinde poterat decurrisse. Porro relictis recenter natis; quibus pepercerit, magno fuere numero trucidati. Canit Ecclesia; *Caterua Matrum personat, collisa deflens pignora, quorum Tyrannus millia, Christo sacrauit Victimas.* In Missa Æthiopum, ait Tirinus, recensentur occisi tum supra 14. millia puerorum. Et inter hos secundùm quosdam, fuit Herodis filius, quem in nutricis sinu, nutricis rati filium inconsultò & per errorem, interfecerunt.

C 3. p. 36. 3. 1.

Iuuet psalmum recolere *Magnus Dominus* &c. in quo per Cassiodorum D designatur totum tempus incarnationis Christi. *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam:* idest humanam naturam in vnitatem Personæ: Isaiæ 52. *propter hoc sciet Populus meum Nomen meum. Et quare? quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum.* Reges, scilicet Principes Iudæorum, & Scribæ Populi congregati sunt ab Herode sciscitante ab eis vbi Christus nasceretur. *Et conuenerunt in vnum,* scilicet, quòd nasciturus erat in Bethlehem: Et *videntes sic;* (sicut Prophetæ dixerunt) *admirati sunt, commoti sunt:* quia *Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et commoti sunt:* aliqui ad fidem. Et tantus fuit pauor, vt corpus tremeret: *tremor apprehendit eos: & ibi* fuerunt, *dolores vt parturientis:* propter necem infantium occisorum ab Herode. Et *in spiritu vehementi;* quia in furore, *mittens occidit omnes pueros, à bimatu & infra;* idest à duobus annis, & infra: & in furore fecit comburi, omnes *Naues Tharsis;* idest in Tharso Ciliciæ, quas credebat Magos per aliam viam reuertentes portasse in Patriam suam. Propterea dicit *in spiritu vehementi.* Cilicia est Prouincia, cuius Metropolis Tharsis, vbi natus est Paulus; & ex illa Ciuitate tota Regio nominatur Tharsis. Præterea *Naues Tharsis,* vniuersaliter dicuntur Naues Maris, vt ibidem tangit D. Thomas; & fusius Tirinus 2. Paralipomenon c. 9. 23.

D Ps. 47.

VERS. XVII. *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Prophetam* &c.

Dum Prophetia Ieremiæ inducitur de Innocentum cæde; argumento est magni momenti fuisse coram Domino, vtpote quam dignatus est, tot ante sæculis præmonere; tacitèque innuitur fuisse Martyres Christi. *Absit,* dicit Augustinus, E *vt ad liberandos homines Christus veniens, de illorum præmio qui pro eo interficiuntur, nihil egerit; qui pendens in ligno, pro eis à quibus interficiebatur orauit.* Et Hilarius de eisdem Canone 1. in Matthæum; *in æternitatis profectum per martyrij gloriam efferebantur.* Verùm quoniam difficultas ingeritur de virtute Martyrij, operosiùs discutienda res est. Dixere quidam, vt illorum astruerent meritum, F acceleratum miraculosè eis arbitrij vsum, sicut & in Ioanne Baptista; & sic voluntariè Domino sacrificasse. 24.

E 3. p. 36. 2. 1.

F 2. 2. 124. 1. ad. 1. & 4. sent. 49. q. 5. a. 3. q. 2. ad. 12.

cassè. At quia hoc, per auctoritatem Scripturæ non comprobatur; melius, inquit dicendum est, quòd Martyrij gloriam quam in alijs propria voluntas meretur, illi paruuli occisi per gratiam sunt assecuti (& consequenter aureolam saltem in quantum gaudent se in obsequium Christi occisos esse.) Sentitque effusionem sanguinis propter Christum, vicem gessisse baptismatis. Et hoc exponens à pari, subdit; sicut in pueris baptizatis operatur meritum Christi per gratiam baptismalem, ad gloriam obtinendam; ita in occisis propter Christum operatur meritum martyrij Christi, ad palmam martyrij consequendam. Vnde Augustinus in quodam Serm. de Epiphania, quasi eos alloquens; *ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam paruulis, baptismum prodesse non æstimat Christi. Non habebatis ætatem, qua in passurum Christum crederetis; sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.* Hoc vt funditus percipiatur, compendiosè docemur, G tria notari in Martyrio, causam, iustam voluntatem, & pœnam. D. Hieronymus dixit, quòd Christus homicidij pœnam, in illo latrone, fecit esse martyrium: at etsi habuerit pœnam & iustam voluntatem, aliquid defecit ad martyrium, scilicet causa. In Innocentibus defuit iusta voluntas, sed fuit, inquit, pœna & causa. Alibi autem in art. ad quæstiunculam tertiam declarans efficaciam baptismi, esse docet à passione Christi, quam baptismus sacramẽtaliter repræsentat. Id quod etiam alibi H iuxta illud Roman. 6. *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Operaturque passio Christi in baptismo aquæ, per quandam figuralem repræsentationem (ibi a.12.) Vnde & baptizati, qui per mortem Christi I moriuntur peccato, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secundùm illud Roman. 6. *consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem.* Sicut enim ille qui sepelitur ponitur sub terra, L ita ille qui baptizatur immergitur sub aqua; & fit trina immersio ad repræsentandum triduum sepulturæ Christi. August. de Temp. Serm. 127. *Baptismus igitur Christi, nobis est sepultura; in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur; & veteris hominis conscientia resoluta, in alteram natiuitatem rediuiua infantia, reparamur: ibi perdidimus quod ante viximus, & denuo accipimus, vt viuamus.* Baptismus sanguinis conformat M passioni & morti Christi realiter, non sacramentaliter. Præcellit idcirco baptismus sanguinis, vt patet 3. p. q. 66. a. 12. flaminis baptismum & fluminis. Et ad hæc docens N flaminis & sanguinis non habere vim, nisi referantur ad primum, nempe ad aquæ baptismum, oportere inquit hunc esse in proposito, vel contrarium non teneri in mente; sicut patet, ait, in Innocentibus, qui non erant in opposita dispositione. Ecce quomodo per negationem contrarij, (sic Deo disponente) astruit in illis in voto baptismum fluminis. Quamuis tunc longè abesset O obligatio ad ipsum: immo & institutio. Stat autem pro Sanctis Innocentibus, quod canit Ecclesia, *Christo sacrauit victimas.* Item quod magnificat Augustinus dicens; *causa non pœna facit Martyrem.*

G 4. sent. d. 3. q. 2. a. 3. q. 1. ad 1. (?)
H 3. p. q. 66. a. 10. 1.
I 3. p. q. 51. a. 1.
L 3. p. 66. a. 8. & 10.
M 4. dist. ... & ad Hebr. 6. l. 1.
N Hebr. l. c.
O 3. p. 66. 2.

25. Prophetia Ieremiæ in hæc verba fertur; *Vox in Rama audita est: ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt.* Ita ex Ieremia c. 31. Notat hic D. Thomas ex Hieronymo; vt vbicumque per Apostolos & Euangelistas introducitur aliqua auctoritas veteris Testamenti, nõ oporteat introduci verbum ex verbo, sed sicut dedit eis Spiritus-Sanctus, sensum ex sensu. Obijcit autem Hieronymus; *De Rachel natus est Beniamin; in cuius tribu non est Bethlehem.* Quomodo ergo plorat? Respondet primò; *Rachelem fuisse sepultam iuxta Bethlehem in Ephrata:* (patet Genes. 35.) *& ex materno corpusculi hospitio, matris nomen promeruisse*, respectu filiorum sororis Liæ. Secundo, *quoniam Iuda & Beniamin erant tribus iunctæ ad inuicem: Herodes autem præceperat occidi pueros, nedum in Bethlehem, sed & in omnibus finibus eius. Vox in Rama.* Rama Vrbs est in finibus Tribus Beniamin, (Iosue 18.) duodecim millibus passuum à Bethlehem. Inibi etiam occisos tunc pueros tradit Origenes. Erat autem loco excelso sita: & sic matrum etiam in Bethlehem eiulantium vox dicitur vel per exaggerationem illuc ascendisse. Hinc rursus Rachel ipsa, & suos & alienos ceu proprios filios plorat. Addi potest, tribum Beniamin aliquando, eoquòd minima esset, inter alias numerosissimas, vix nomen suum seiunctim retinuisse, tribuique Iuda, tanquam illi vicinam & implexam constanter adhæsisse: & ideo in nomen tribus Iuda quasi transijt, & sub illa, perpetuò comprehensa fuit. Ita ex Tirino 3. Regum c. 11. super illa verba Domini ad Salomonem, *tribum vnam dabo filio tuo.* Profectò Roboamo adhæsit tribus Iuda & Beniamin, vt patet ibi c. 12. cum tamen ibidem paulo ante legamus: *nec secutus est quisquam Domum Dauid, præter Tribum Iuda solam.*

Si roges autem cur plorans inducatur Rachel, non ita Lia Iudæ Mater, quæ Bethlehemitico in districtu potior erat. Respondeo, in primis, quia Rachel præ Lia amantissima filij Ioseph ac Beniamin, si post partum Genesis 35. superuixisset, præsumitur: vnde *filium doloris mei*, siue *Benoni* appellauit pariens; quem Pater deinde vocauit *Beniamin*. Quamuis autem moritura pareret, obstetrix iam solata est: *noli timere, quia & hunc habebis filium.* Nunc autem ex sacro textu, *noluit consolari quia non sunt. Non sunt*; quia si cunctis dictum est Sap. 5. *sic & nos nati continuo desiuimus esse*: fortiùs, desiuisse esse, (*non sunt*) de ijs fuit dicendum; qui in primo nascendi limine, in incipientis vitæ primordijs, dirè necantur. Deinde, Rachelem dico commemorari, vt pro Matrum vlulantium supponat caterua; quoniam facta, quæ huius figura essent, præfuerunt; potissimè abductio in captiuitatem Assyriacam & Medorum, tribuum Israel seu Ephraim, cuius fuit Auia Rachel: Ieroboam autem primus illarum separatim Rex, fuit de tribu Ephraim. Quæ abductio moraliter loquendo, vt ploraret fuit in causa, inconsolabiliter Rachel, vt ait Ieremias. Præterquam ipsæmet tribus Israel (ait hic D. Thomas) quando in captiuitatem ducebantur, dicuntur in via iuxta Bethlehem plorasse. Inducitur autem merito de Rachele in typum Matrum, quia ex Philosopho. 9. Ethic. c. 7. Mater plusquam Pater, diligit filium. 26.

Rogabis iterum, quid captiuitatis sub Chaldæis, cum infanticidio sub Herode; vt Ieremias intelligatur allusisse Herodianæ huic stragi puerorum? Respondeo in huiusmodi lamentabili prædictione Populi & Vrbis Ierosolymæ deuastandæ, sine dubio primum occupare locum apud ipsum Ieremiam Bethlehemitarum excidium. Vnde ibi c. 6. *confortamini*, inquit, *filij Beniamin in medio Ierusalem.* Ratio sit, quia erant Ieremiæ conciues; cum ipse ex Anathoth esset, Vico Beniamin, vt clare c. 1. v. 1. Præterea etsi adultos maioresque, omni furore ad mortem ad captiuitatem impetendos, pro filijs deflere dici queat Ieremias in typum lactentium occisorum ab impio Herode; adhuc puerorum internecio in Ierusalem præludit Herodiani neci expressius. Patet Ierem. 9. *quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, dispergere paruulos deforis*: nempe etiã ad paruulos iugulandos. Quia inquit Angelicus P non contenti Chaldæi intrare per ostia, per tecta & fenestras conscendebant. Threnor. 1. idcirco 27.

P Ierem. 9.

Q Tren. 1. circo Q plangit captiuitatem minorum; *paruuli eius ducti sunt in captiuitatem*. Quapropter sicut dum deplorat in Threnis vastitatem & desolationem Ierosolymæ, nunquam consummatè secutam, nisi sub Tito, quod ex Hieronymo & à Lapide, notat in Prologo ibi Tirinus, ita prædicens *Vox in excelso audita est*, &c. (Rama excelsum locum significat) re procul vidit, & edocuit futuram hanc Innocentium lanienam, fortè ob parentum scelera, tam hic, quàm sub Chaldæis à Deo permissam; de quo Exodi 20. *visitans peccata Patrum in filios*: quamuis, vt ait Sanctus Beda, *in hac morte puerorum, omnium Christi Martyrum pretiosa est mors designata*. Ad hæc Dominus Lucæ 23. *flete super filios vestros, filiæ Ierusalem*. Sanctus Doctor in Matthæum R

R Hic c. 2. aliò quoque deflecti hanc Ieremiæ Prophetiam dicens; consideranda est Historia, quæ legitur Iudicum 20. vbi propter peccatum commissum contra vxorem Leuitæ ferè tota tribus Beniamin extincta est. Itaque dicitur, magnum fuisse tunc planctum: ita vt fuerit auditus de Galaa vsque in Rama longè à Bethlehem per duodecim milliaria. Hoc dicitur Rachel plorare, quia Mater fuit Beniamin; & est locutio figuratiua: scilicet ad exprimendum magnitudinem doloris. Eo etiam modo, quo locus dicitur plorare mala, quæ in ipso accidunt. Quantùm ad hoc ait, prophetasse Ieremiam de præterito, detexit enim Beniaminæ tribus acerbitatem doloris: & de ijs qui euaserant, qui fuere solum sexcenti, dici poterat, *quia non sunt*: tam pauci superfuerant.

VERS. XX. *Surge & accipe puerum & Matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*.

28. Barradius Tomo 1. lib. 10. c. 9. ad calcem, sentit Deiparam in Ægypto annos circiter quinque vel sex egisse. Alij, non nisi sesquianno in Ægypto Christum hesisse; puta à Iulio circiter anni sui primi, vsque ad 7. Ianuarij anni 3. Pendet veritas ab anno Regni, quo mortuus sit Herodes: item à stellæ præapparitione & Magorum accessu. Ex Iosepho lib. 2. de bello c. 1. & lib. 17. Antiquitatum c. 11. mortuus est Herodes ante tempus Paschale, circa mensem Martium: Anno 6. Domini, scribit Eusebius in Chronico, morbo intercutis, scatentibus toto corpore vermibus. Iosephus in 17. libro Antiquitatum; *Herodes*, inquit, *porrò amarior in dies morbus vrgebat, supplicia commissi paulo ante sceleris expetens: lento namque igne extrinsecùs in superficie corporis vrebatur; intrinsecùs verò vastum condebatur intendium. Auiditas inexplibilis semper inerat, intestina intrinsecus vlceribus obsepta, doloribus quoque coli, quammaxime cruciabatur. Humor liquidus & luridus erga pedes tumidos oberrabat; & ab interioribus partibus pubetenus tumore distentus erat. Sed & verenda, ipsa putredine corrupta scatere vermibus cœperunt. Spiritus quoque incredibilis inflatio, & tentigo obscœna satis & exetranda, fœtor dirior, vel ex membrorum putredine, vel ex respiratione anhelitus reddebatur*. Similiter descripserat libro 2. addens, *crebra suspiria conuulsis admodum producta visceribus*: & priùs; *febris lenta vexabat: ita vt diceretur à vatibus, non morbi corporis hæc, sed diuinæ vltionis esse supplicia*. Fert hoc Eusebius Tomo 3. lib. 1. c. 8. Defuncto Herode, pluraliter Angelus loquitur, *defuncti sunt enim* &c.

S Matth. 2. vel S alij quoque cum Herode conspirantes è viuis sublati fuerant; vel quia mos est Sacræ Scripturæ; plurale pro singulari accipere. Hoc dic, maximè fieri posse, cum vniuersaliter plurium vices gerit vnus. Sic Cæsar quòd Magistratus ad se ipsum traxisset; *nos* de se ipso aiebat, pluraliter loquens. Sic plurale

T Ioan. 12.l.1. pro singulari vsurpasse docet T eundem Matthæum cum cap. 26. ait *videntes autem discipuli indignati sunt*: & tamen Ioannes c. 12. nominatim ait Iudam Ischariotem dixisse: *quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs?* Sic exponit illud ps. 50. V *& in peccatis concepit me Mater mea*: nam peccatum originale, in vno homine, vnum est tantùm. Facit ad rem quam ibi secundò inducit ratio; quia originale est quodammodo causa sequentium peccatorum; & ita virtute continet in se multa peccata. Et tandem vbi Apostolus ait; *obturauerunt* X *ora leonum*; cum Daniel id solum præstiterit, capit similiter. Animaduerte, non dixisse Angelum A *vade in terram Iudæ*, vel *in Ierusalem*, sed vniuersaliter, *vade in terram Israel*, sub quo etiam Galilæa potest comprehendi: & ipsam quippe Galilæam populus Israel incolebat. Ita ex D. Augustino, qui, quoniam Iudæa primitus potuit intelligi *terra Israel*, ad eam declinasse inquit Iosephum. Verùm

V De malo q. 8. ad 1. & p. 2. 82. 2. 1.

X Hebr. 11. 17.

A Matth. 2.

VERS. XXII. *Audiens quod Archelaus regnaret in Iudæa* &c.

Timuit inquit Sacer Textus, *illò ire*. (Ecclesi. 26. *à tribus timuit Cor meum, delaturam ciuitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem*.) Iacob valde timuit Esau properantem, quamuis Deum sibi nosset protectorem: eo quòd spes non necessario excludit B timorem sensualem, vel naturalem, aut humana ratione conceptum: (adde tu, ex quo ad Deum recurritur.) sic Ioseph & Christi Mater timuerunt in Iudæam cum Christo venire, quamquam certi essent Christum contra suum beneplacitum non posse aliquid pati. Rationabiliter autem timuit quia *regnaret Archelaus* nedum, sed *pro Herode Patre suo*, proinde paternæ malitiæ facilè & hæres. Hinc paternos imitato mores, memoratur, C deferentibus ad Cæsarem Augustum Iudæis, querimoniam, ademptum fuisse illi Regium nomen, medietate Regni, inter duos suos fratres diuisa; Deinde cum nec sic à tyrannide cōpesceretur, à Tiberio Cæsare relegatus est in exilium, apud Lugdunum, (Eusebius in Chronico dicit apud Viennam Galliæ Ciuitatem quæ abest à Lugduno 5. leucis.) Galliæ Ciuitatem. *Et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ*, Galilæam populus etiam Israel incolebat: vnde stat adimpleri præceptum Angeli. Cæterùm quis, facilè quæret cur non ab initio determinatè ab Angelo commonetur. Dixerim ego; (mittendo pro nunc quo mysterio, vt in Syntaxi clarebit) quoniam gauisurus erat puerulus Iesus de Iosephi timore, amoris indice. Deinde, quia dum *timor facit* ex Philosopho, *consiliatiuos*; & Ecclesiastici 6. *consiliarius sit tibi vnus de mille*, Spiritus-Sanctus eloquitur, factum fuerit sine dubio, vt *cogitatum suum iactitaret* Ioseph *in Dominum*. Qui sibi fortè speciali de loco eum admonere seruauit; (*admonitus*, inquit, *in somnis*, non dicit, *ab Angelo*) quia secessus huiusmodi in partes remotiores à Bethlehem suspecta Herodi defuncto, humana ratione poterat deligi, cum adiutorio tamen diuini luminis: (Hoc docet D. Thomas D de Hagiographis) Vnde non necesse erat, apparere ei Angelum, sed sine Angeli ministerio, ipse qui erat *lux Mundi* excitatis congruis phantasticis similitudinibus, Iosephum admonuit. Nihilominus opus erat, vt dixi, diuinum lumen, quoniam cum Galilææ præesset Herodes Antipas Archelai frater; de ipso etiam prudenter timendum erat. De illo quippe dicturus erat Dominus Lucæ 13. vulpem esse; *dicite vulpi illi*, idest fraudulento insidiatori. Igitur ad astruendum sibi Nazaræi nomen, cauendo vna simul ab insidijs, id factum est.

29.

B Genes. 32.

C Opusc. 20. l. 1 c. 6.

D 2. 2. 174. a. 2. ad 1.

Pro huiusmodi in somnis illustrationibus recolendum est E homines per abstractionem à sensibus corporis aptiores reddi ad diuina quædam capienda. Iob 33. *per somnium visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lecto suo; tunc* 30.

E In opusc. compendio Theol. c. 167.

tunc aperit aures virorum: & Numeri 12. *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Verum cum somnus huiusmodi, non sit naturalis, viget F in eo vsus liberi arbitrij. Nihilominus ex imaginaria isthac apparitione, non sequitur tanta intellectorum certitudo, G quanta sequitur, cum visio sit Angelica corporalis; sicut Beatæ Virgini dispensatum est: & ita Iosepho apparitio non fuit tam excellens. Diuinitus autem credendum est, fuisse admonitum Ioseph de Iudæorum, qui in Ierusalem erant, liuore; quia vt perpenditur, H *erant Scribæ & Pharisæi ibi corrupti, & præ inuidia cruciabantur*, vt ait Chrysostomus. Consulto ergo *secessit in partes Galilææ*.

F De veri. q. 12. 9. & q 23 3. 6. & p. 2. 113.3.
G 3. p. 30. 2. 3.
H 3. p. 36. 2. 3. ad 4.

VERSVS XXIII. *Veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth; vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas; &c.*

31. Prophetia hic allegata est, *quoniam Nazaræus vocabitur*. Quoniam hebraicus Matthæi textus sublatus est, sublatet etiam qua litera media scripserit Nazareth, ac Nazaræus. Hebræi duplicant, etsi varia non eadem pronunciatione, quam Latini & Græci simplicem habent literam zeta, vel zita. Hebræis est *zain*, & *zzàdik*; Ingruit autem illico difficultas, quia si Nazareth, & sic Nazaræus est per Zzàdik deriuaturque à radice *nazzar*, & *nezzer*, potest significare *surculum, virgultum, ramusculum, plantulam*; immo *florem ac germen*: si per *zain* ab altera est radice nimirum à *nazar*; *abstraxit seu separauit, recessit, consecrauit se, alienauit se*; à profanis vsibus, *sanctificatus est*. Et sic Nazaræus separatus erat à vino, à frequentia populi, quo maiori polleret sanctitate. Lege Numeri 6. Sub vtraque significatione conuenit quadratque Christo; qui *Sanctus* antonomasticè dicitur, *quod nascetur ex te sanctum*, ait Gabriel Mariæ: & Apostolus Hebræorum 7. *talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*: & prætereà Isaiæ 11. *venèzer* & *flos* de radice eius ascendet: Cantic. 2. *ego flos campi*. D. Hieronymus in Matthæum vtramque probat opinionem, quamuis in Epistola ad Pammachium, *de optimo genere interpretandi*; de prima erudiat. D. Thomas ambas similiter probat, I allegans ly etiam Danielis 9. *donec vngatur sanctus*. Alibi autem primam solummodo probat L dicens non equidem natum in Nazareth, benè verò in ea educatum & nutritum, quia florere voluit, secundùm virtuosam conuersationem, non secundum carnis originem. Quamuis ibi obiectio de hoc solùm requireret, cur non natus in Nazareth? Et in ps. 21. florere videbantur in Christo ante passionem tria; operatio miraculorum, facundia doctrinæ, fama & gloria Populorum Ioann. 6. *multitudo magna sequebatur eum, quia videbant* &c. *Erat docens tanquam potestatem habens*; Matthæi 7. De tertio; *plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via*, &c.

I Matth. 2.
L 3. p. 35. a. 7. 2. in ps. 21. lit. m.

32. Ipse hac in re, secundùm vtrumque sensum Christum Dominum Nazaræum dici posse censeo; & vtrumque ipsi ex Scripturis conuenire. Nazaræum per *zain* videtur comprobare Apostolus loco citato, ad Hebræos; nam illæ erant Nazaræorum conditiones: & huiusmodi Nazaræatum professi sunt Samson, vt patet Iudicum 13. Samuel 1. Regum 1. Ioseph etiam Genes. 49. & Deuteronomij 33. vbi Chaldæa idcirco periphrasis appellat eum *virum, qui segregatus fuit à fratribus suis*, &, *virum dedicatum inter fratres suos*. Sic Eusebius lib. 7. de demonstratione Euangelica capit. 1. *cum Christus*, inquit, *suaptè natura, & reuera Nazaræus esset, idest sanctus, intactus, segregatus; oportebat illum ab hominibus hac appellatione vocari; & obtinuit hanc appellationem à loco Nazareth*. Sed hic est quæstio, quia ritus erat Nazaræorum, vt vino abstinerent: sicut de Baptista Ioanne dictum est Lucæ 1. *vinum & siceram non bibet*. Id quod & Hegesippus (ex Hieronymo) in 5. Commentariorum libro, de Iacobo enarrat minore, dicens; *hic de vtero Matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit*, &c. Et prætereà vt legitur Numeri 6. *omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur*. Christus autem Dominus Matth. 11. de se inquit, *venit filius hominis manducans & bibens*. Quod vt constat, comparatione ad Ioannem dixit. Notum est etiam, à mortuis non se elongasse, quos immò resuscitauit. Quoad capillos etiam seu comam, etsi communi Ecclesiæ sensu e picturis deprehenso, prolixiores consueuisse ferre perspectum sit, attamen non fuisse aliquando tonsum, hoc est, non rescidisse, non ita constat. Tradit Nicephorus lib. 1. c. 4. nouaculam super caput eius non ascendisse: hoc libenter demus. Mollis, nisi lasciuientis animi, ea cura est. His ergo de causis dicendum est; quoad ea, quæ perfectionem concernunt, Nazaræum super omnes fuisse, quemadmodum docet Angelicus, quomodo M in sua conuersatione exemplum perfectionis dedit in omnibus, quæ per se spectant ad salutem. Abstinentia à vino, eiusmodi non est; *non enim est Regnum Dei* Roman. 14. *esca & potus*. Isthæc doctrina habetur citato proximè loco, vbi quærit, *an Christus austeram vitam in hoc Mundo ducere debuerit?* Decernit autem non conuenisse; quia immo decuit ad consequendum incarnationis finem, vt inter homines conuersaretur; (quod ibi articulo 1.) Baruch 3. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Et in Hymno; *in Mundo conuersatus sparso verbi semine*. Qui autem cum aliquibus conuersatur, conuenientissimum est, vt se eis in conuersatione conformet, secundùm illud Apostoli 1. ad Corinth. 9. *omnibus omnia factus sum*. *Cur eos*, ait Sanctus Beda, *declinaret, quos abstinentibus poterat reddere puriores?* Quoad mortuorum deuitationem, in promptu est Sanctus Doctor pertractans; *vtrum lex noua legem veterem impleat?* N Ad tertium dicendum, quòd tactus leprosi erat prohibitus in lege veteri, quia ex hoc incurrebat homo quandam irregularitatis immunditiam; sicut & ex tactu mortui, vt supra dictum est: sed Dominus, qui erat mundator leprosi, immunditiam incurrere non poterat. Sic erat (adde) mortuorum resuscitator. Quoad cæsariem iam dictum est: atque ex Commentario in librum Numeri cap. 6. liquet causas, quæ ibi, siue seruandi, siue ponendi illam, in Christo, perfectionis aliàs omnis archetypo, locum non habuisse. Ex quo videtur dicendus Nazaræus, non legalis, sed eminentior. Sanctus Hieronymus; *Nazaræus Sanctus* interpretatur: *Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat*. Ita *per Prophetas* pluraliter *dictum*, ait hic Matthæus.

M 3. p. 40. 2.
N p. 2. 107. 2. ad 3.

Si per *tsade* siue *zzadik* legatur, (nescio qua dixerit imaginatione Pagninus apud Barradium tom. 1. lib. 10. capit. 11. & similiter Tirinus hic, titulo Crucis ita scriptum fuisse, cum qui adseruatur Romæ vix lineam exhibeat hebraicam, deletis vetustate caracteribus, lignoque maiori ex parte consumpto; vt ipse vidi,) quod ferunt extare in Syriaco Euangelio; quoque etiam modo Rabbi Elias in Lexico Nazareth scribit, apprimè de Christo dicitur *Nazaræus*: nedum quia flos seu floridus; qui O habuit candorem lilij in natiuitate; Cantic. 2. *& lilium conuallium*; liuorem violæ in flagellatione; Isaiæ 53. *liuore eius sanati sumus*; ruborem rosæ in passione; Ecclesiastici 24. *plantatio rosæ in Ie-* 33.

O Apoc. 3. com. 1. ibi *nomen meum nouum*.

richo, ideſt in defectu mortis: tunc viſus eſt cadere: flos eius: ſed refloruit in reſurrectione pſalm.27. *& refloruit caro mea*. Nedum ſubinde eſt flos; in quo P eſt pulchritudo ſanctitatis, odor benignitatis, medicina ſanitatis: ſed eſt *flos campi*, quod ad incarnationem Q refertur; ideſt filius Virginis, non ruris ſed campi; quia virgineæ carnis fructus eſt, ſecundum vaticinium Iſaiæ 11. Campus non aratur, non ſcinditur, nec vllo vomere proſulcatur. Ad hæc Bernardus Sermon. 2. de aduentu Domini: *flos campi & non horti; campus enim, ſine humano flores adminiculo; non ſeminatus ab aliquo, non defoſſus ſarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, ſic Virginis aluus floruit; ſic inuiolata integra & caſta Mariæ viſcera, tanquam paſcua, æterni viroris florem protulere*. Vlteriùs floris nomen rationque illi conuenit, in ordine ad fructum beatæ vitæ. Sicut in flore eſt ſpes fructus, ita ex operibus virtutum R habetur ſpes vitæ æternæ. Opera noſtra, in quantum ſunt effectus quidam Spiritus-Sancti, S habent rationem fructus; ſed in quantum ordinant ad finem vitæ æternæ, ſic magis habent rationem florum. Hunc æternæ vitæ fructum peperit nobis Chriſtus Dominus: meritò igitur Nazaræus vocatur floridus, flos; quia ſicuti per florem duntaxat fructum ſperamus; ſic, *non eſt aliud nomen* Actor.4. *in quo oporteat nos ſaluos fieri*. Et vide, quomodo Petrus eo in loco de claudo quem ſanauerat loquens, inquit, *notum ſit*, &c. *quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni*, &c. & ſic ſignum faciens, nedum dixit *in nomine Ieſu Chriſti*, ſed addidit *Nazareni*, indicans, vt aiebam, in ſanctiſſimo huiuſmodi flore, ſpem omnem vitæ. Et quia *Nazzar* ex lexicis ſonat etiam *cuſtodiuit, ſeruauit*, non fuerit mirum, ſi aſſumpſit tale nomen Seruator noſter. Auguſtinus (in Catena) Ioannis 8. ad ea *Samaritanus es tù, & dæmonium habes*; notat: non dixit non ſum Samaritanus: *Samaritanus* enim interpretatur *cuſtos*: nouerat autem ille ſe noſtrum eſſe cuſtodem; non enim pertinuit ad eum, vt redimeremur, & non pertinuit, vt ſeruemur.

P Sermone de Annunciat.
Q Cant. 2.

R Gal.5. l.6.
S p.1.70. a.1.

Denique ipſe eſt Samaritanus, qui acceſſit ad ſaucium, & miſericordiam impendit. Ante Diuum Hieronymum fermè ignorabatur quanam ex Scriptura ſumptum id eſſet nomen. Ipſe primus palam profeſſus eſt, *Præfatione in Pentateuchum ad Deſiderium* rimatum ſe Matthæi elogium in Iſaia, ibi *& flos de radice eius aſcendet*. legendo *& Nazaræus de radice eius aſcendet*: ibique eruditos ait hebræos ſecum ſenſiſſe. Diuus Thomas Ioann.7. l. 5. prædixit Scriptura quòd Nazareth proceſſurus eſſet, Iſaiæ 11. vbi in hebræo habetur: *Nazaræus de radice eius aſcendet*. Et cap.1. l.16. non quia in ea natus eſſet, immò in Bethlehem. Tù dic, ad innuendum arcanam eſſe Chriſti natiuitatem. Quòd ſi vox eſt prægnans ſeruatorem ſignificandi, & cuſtodem, non eſt dubium, profundè dixiſſe Euangeliſtam pluraliter *per Prophetas*, nam venturum Chriſtum Dominum, paſſim Saluatorem, & Cuſtodem noſtrum prænunciarunt. Stando autem vi primæua vocis Iſaiæ ſoli, plurale dic pro ſingulare apponi, vſitato more, vt de illo, *defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*: & quidem rationabili cauſa, quoniam vnius prophetice loquentis Auctoritas æquipollet pluribus; tùm quia Chriſtum Dominum omnes locuti ſunt Prophetæ: iuxta quod ait Petrus Actorum 10. præmittendo, *Ieſum à Nazareth: huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum*. Et hoc ergo dictum eſt per Prophetas, *quoniam Nazaræus vocabitur*. Idcirco *miſſus eſt Angelus à Deo, in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*; quod ſignanter indicatur diſpoſuiſſe Deum: ſecùs expeditius fuerat dicere, *miſſus eſt Angelus à Deo in Nazareth; ſiue in Ciuitatem Nazareth*: ſatis enim innoteſcebat, tale illi ineſſe nomen, etiamſi non exprimeretur reflexè: ſed factum eſt, vt attentè audiendo, ſublatere myſterium, ex Ieſu Chriſti patronymico erudiremur. Auguſtinus inhæſitanter in Ioann. tract. 31. de cap. 7. *Sacræ Scripturæ dixerunt de Chriſto, quoniam Nazaræus vocabitur*.

SYNTAXIS

Ad Caput Secundum.

VERSVS I. *Cum ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ*.

1. In Syntaxi ad caput 1. ſatis dictum eſt, de Chriſti in nobis tanquam membris eius generatione. Addo pro vberiori doctrina illud Eccleſiaſtici 24. *à generationibus meis implemini*: eſt enim quadruplex generatio; prima quidem generatio A diuinæ Perſonæ, qua filius à Patre ab æterno genitus eſt; ſecunda eſt generatio creaturæ, quæ temporaliter à Deo procedit; tertia eſt generatio naturæ aſſumptæ, qua filius Dei de Virgine temporaliter natus eſt; quarta eſt regeneratio nouæ creaturæ, qua in filios Dei regeneramur &c. quæ quidem regeneratio valet ad hæreditatem gloriæ capeſſendam; 1. Petri 1. *regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem* &c. In præſenti, vt claret, de Natiuitate ac generatione filij Dei ſecundum carnem Matthæus eloquitur: at id repetens cum illa connexiua illatione, *cum ergo natus eſſet Ieſus*, patefacit ad Magorum aduentum correferri, ac proinde ad nouæ creaturæ natiuitatem. Hanc ſortiuntur peccatores

A Prologo ſup.1 Sentent. ad Hannibaldũ.

tranſlati de morte ad vitam. Et quoniam *habet*, ex Ambroſio, *editio iuſtorum, lætitiam plurimorum*; ad innuendum etiam *gaudium, quod eſt Angelis ſuper vno peccatore pænitentiam agente*: (*gaudet Chorus cœleſtium*, ait Hymnus) ſtatim præmittitur aduerbium *Ecce* quod vt ſupra dictum eſt, (profaniſque eſt in vſu) nota eſt lætitiæ. Quoniam verò regeneramur per fidem: *filios Dei fieri* Ioan. 1. *qui credunt in nomine eius*; *& cunctos fideles generans* ait Eccleſia: adeſt cœleſtis generationis ſignum, noua in Cœlo genita ſtella: quæ prætereà eſt in typum fidei, vtpote *in Oriente*; ex quo inquit Chryſoſtomus; *vnde dies naſcitur, inde initium fidei proceſſit; quia fides lumen eſt animarum*. Ita ex 3.p. B vbi tractat cur *in Oriente*, &c. Item ex Remigio, quia, *omnes qui ad Dominum veniunt, ab ipſo, & per ipſum veniunt: ipſe eſt enim Oriens: ſecundùm illud; Ecce vir, Oriens nomen eius*. Et ex D. Thoma Roman. 13. l.3. eis qui de peccatis pœnitere incipiunt, dies gratiæ appropinquat. Adde, quòd cum ex Auguſtino in Serm. Epiphaniæ *Abrahæ innumerabilis fuerit*

B 3.p.36 a.3.

rit promissa successio, non carnis semine, sed fidei fœcunditate generandæ: vnde & stellarum multitudini C *est comparata, vt cœlestis progenies speraretur*; ideò opportuna est stellæ apparitio. Bellè Sanctus Beda (in Catena Lucæ 2.) *Sed & vsque ad consummationem sæculi Dominus in Nazareth concipi, in Bethlehem nasci non desinit; cum quilibet audientium, verbi flore,* (alludit Nazareth) *Domum in se æterni panis* (Bethlehem Domus panis) *efficit quotidie in vtero virginali; hoc est in animo credentium per fidem concipitur, per baptismum gignitur*. Est autem ly *ecce* nota quoque propinquitatis. Et sic peccatoribus renatis illud accinit Ephes. 2. *vos qui eratis longè, facti estis prope*. Psal. *longè à peccatoribus salus*. Quoniam autem ex Sancto Doctore homo D participando donum sapientiæ ad Dei filiationem pertingit; meritò Magi idest sapientes dicuntur venisse ab Oriente. Et quoniam perhibentur hi Magi Reges, liceat ad rem accommodare quod prædicitur per Ioannem *siccauit aquam eius* (Euphratis) *vt præpararetur via Regibus ab ortu Solis*. Pro *Euphrate* ibi E diuites, ac diuitiæ intelliguntur mundanorum: *Regibus*, idest fidelibus Christianis, qui in Reges inuncti sunt in Baptismo, & se ipsos benè regere norunt. Ambrosius lib. de initiandis, *omnes in Regnum Dei, & sacerdotium vngimur gratia spiritali*. Sed ex qua parte est, siue præparatur hæc via? *Ab ortu solis*; idest ex eo quod Christus orietur magis ac magis in cordibus ipsorum, per gratiam: qui est Sol irradians super sequentes se. Alibi & aliunde non est, vel præparatur via, qua perueniatur ad salutem, nisi Christus per gratiam ortus sit iam, vel oriatur in mente, & sua luminositate ducat ipse per viam. Ioann. 8. *ego sum lux Mundi*. Item *Regibus*, idest Christianis, qui Regis caracterem in baptismo susceperunt, & adoptati sunt per gratiam baptismalem, & per prædestinationem ad Regnum æternum: *ab ortu solis*; per hoc quod *Sol iustitiæ orietur* in cordibus eorum, qui ipsos illuminabit. Hæc D. Thomas. Siccari Euphratem, non renuere Magi, quando *cum muneribus* venerunt, & *apertis thesauris*, generosè Domino sua obtulerunt.

C 3. p. 36. 5.

D 2. 2. 45. a. 6.

E Apoc. 16. Com. 2.

2. Quoniam verò peccatores per gratiæ donum regenerantur ac renascuntur: Lucæ 15. de prodigo; *mortuus erat, & reuixit*: & *Christus Iesus* (1. Timoth. 1.) *venit in hunc Mundum peccatores saluos facere*: hanc spiritalem natiuitatem accipi de Gentibus decet; quas iuxta intellectum Sancti Doctoris F appellat Apostolus *peccatores*. Gentilium typus fuere Magi; qui ab Augustino Serm. 2. de Epiphania dicuntur *primitiæ Gentium*. Huc glossa (in Catena) censet fortè plures fuisse, vel saltem plures habuisse pro comitatu, sed tres tacitè innui à tribus muneribus; vt per eos Gentes, quæ ex tribus filijs Noè natæ sunt, præfigurarentur. Ideo reor ipse haud quaquam missum ad eos Angelum, qui Scripturæ testimonium inducat; (quod Pastoribus factum est) quoniam Gentes, scripturæ quam ignorabant, non acquiescebant; sed stella in testem apparet. Hinc mirè, hebraica vox Isaiæ 60. *Bichrè* scilicet *Dromedarij*, à radice *Bicher*: quæ sonat *primitiuum genuit*, vel *primitias obtulit*. Vnde *Bechor* est *primogenitus*. Et hisce Dromedarijs, ait ibi Haymo, *rectissimè Gentiles intelligimus, multò citiùs, quàm Iudæos, ad doctrinam fidei conuolantes*. Ibi autem expressè de vocatione Gentium: vnde præmittitur, *fortitudo Gentium venerit tibi*. Et ad Magos refertur illud eiusdem cap. 60. *filij tui de longè venient*, si ad literam, longum emensi sint iter: vel ad fideles potius deinde conuersos; de quibus Apostolus; Ephes. 2. *pacem vobis, qui longè fuistis*: *de longè* Haymo; *idest de cultura idololatriæ*. De longè etiam G quia electi de peccatis pœnitentiam agent. Quod si tanquam Reges, Magi præluserint: ecce inquit Haymo, Constantinus, Heraclius, Theodosius; seu illi, quibus non regnat peccatum in mortali corpore. Vel quia H quotquot seruiunt ei sunt Reges: quandoquidem, *Deo seruire regnare est*, secundum Gregorium.

F Galat. 3. L. 4.

G Opusc. 58. 31.

H Præfat. Canonicatum.

3. Verùm duo quæstionem ingerunt. Primum, cur primitias dederimus Magos, quando, potiùs Pastoribus primatus cedendus erat. Nam Pastores ante Magorum aduentum, eadem moniti nocte per Angelum Luc. 2. venerunt festinantes. Id quod animaduertens Angelicus I astruit, Pastores fuisse primitias Iudæorum. Secundum est, cur ad Gentiles declinet duntaxat nostra expositio: curque nihil Matthæus interserat de Pastoribus; cum immò pro Iudæis venerit Dominus. Matthæi 15. *non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt Domus Israel*. Rom. 15. *dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*. Et cap. 10. *in viam Gentium ne abieritis; sed potius ite ad oues; quæ perierunt domus Israel*. Vnde Act. 11. de discipulis legimus; *nemini loquentes verbum nisi solis Iudæis*. Pro primi dilucidatione adeamus eundem Angelicum, L qui sine vlla tergiuersatione, sustinet Magos fuisse primitias Gentium; sed non ideo primitias credentium; qui enim primo crediderunt Domino Apostoli, alijque ex Iudæis, præfigurati sunt in Pastoribus, primitijs Iudæorum. Cæterum quia *plenitudo Gentium*, vt constat, Iudæorum finalem præuenit multitudinem, ideo plenitudinis primitiæ fuere Magi. Postquam autem Magis innotuit, manifestata est Christi Natiuitas iustis in Templo, in signum perfectæ plenitudinis Iudæorum in fine. Hinc Apostolus Roman. 9. *Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ, in iustitiam non peruenit*. Huc facit mysterium Genes. 38. quando in partu Thamar prior apparuit Zara, in cuius manu obstetrix ligauit filum coccineum, dicens *iste egredietur prior, sed retrahente ipso manum, egressus est Phares*. Est Zara figura Iudæorum coccineo filo adumbrans circumcisionem. Nisi Iudæi retraxissent manum, primitiæ fuissent plenitudinis: pauci paruoque tempore Christo dedere manus: propterea ad Gentes deflexit, earum plenitudinem capiens Actor. 13. *constanter Paulus & Barnabas dixerunt*; (Iudæis) *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*, &c. Nota ly *primùm*. Mirabile etiam huius rei vestigium Iudicum 6. ostendit Deus Gedeoni: primò vellus solum rore maduit, terra nihil roris excepit; deinde verò versa vice terram ros perfudit, & vellus est exsiccatum. Eundem in modum Iudaicus populus, primum, velleris instar Euangelij rorem ebibit; postea verò arida Gentium terra, diuino imbre est recreata. Ita lepidè Augustinus Tom. 8. in psal. 71. vbi præmittit de auctoritatibus quæ supra de missione primò facta Iudæis, & significatum fuisse sentit, in toto Orbe terrarum, tanquam in area siccum vellus, priorem populum Israel: ex quo in omnibus Gentibus Christiana gratia plenis nubibus compluit. Alibi sæpè refert eiusmodi factum, ad veteris legis statum, pro quo fuit ros in vellere: sed nunc super omnem terram factus est ros.

I 3. p. 36. 3. 1.

L 3. p. 36. 6.

4. Pro secundi intelligentia, non excludimus plurimorum accessum Iudæorum ad Ecclesiam Gentium; nam Actorum 19. legimus; *in Asia audiebant verbum Domini Iudæi atque Gentiles*. Nihilominus in Gentes, quarum fuerunt Magi primitiæ, referenda potius est gloria laudis, ad Dei gloriam: quia persecutionem mouente Synagoga, Gentiles

Christum in Apostolos susceperunt, dum *in propria venit, & sui eum non receperunt*. In ipsis ergo vocatis vult Matthæus intelligi & Iudæos, *non enim est distinctio*, Roman. 3. & 10. *Iudæi & Græci*. Galat. 6. *in Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura*. Quamuis ergo, (quod ait Augustinus Sermone 4.) vtrique, scilicet *Israelitæ Pastores, Magi gentiles, illi propè, isti longè, ad angularem lapidem cucurrerint*; ipse enim ex Apostolo Ephes. 2. *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*; attamen noluit Euangelista Matthæus de Pastoribus vel verbum facere, quia *nihil distreuit inter nos & illos*, vt dicitur Actor. 15. Rom. 9. *quos & vocauit nos, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*. Ideo *Magi* dicuntur, sed non dicuntur *Gentiles*; quoniam prædictum fuerat Deuteronomij 32. Iudæis; *ego ad æmulationem, vos adducam, in non gentem, in gentem insipientem. Si in gentem insipientem*, quomodo *in non gentem*? Respondet & explanat Angelicus; M in non gentem, idest non gentiliter viuentem. *Insipientes* autem dici possunt secundùm opinionem infidelium; sed coram Deo, *sapientes* 1. Cor. 3. *si quis inter vos sapiens videtur esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens*; Magi Sapientes erant vt suprà dictum est. Si velimus verò Gentes in tertio, vt Logici inquiunt, modo dicendi, accipere, quò finis Matthæi respondeat, *docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. Iudæi ipsi Gentes dicendi sunt; (quod aliàs in Psalmo 105.) *commisti sunt inter Gentes*. Non absimiliter Ezechielis capit. 5. *Ierusalem contempsit iudicia mea, vt plùs esset impia, quam Gentes*. Et cap. 16. Ierusalem appellatur Amorrhæorum filia: *Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Cethæa*, ob morum scilicet corruptorum similitudinem. Romanorum etiam 2. *si præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est*; & capit. 9. *non omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ*. Et si obijcias, requisisse Magos *Regem Iudæorum*: itemque dictum esse, *qui regat populum meum Israel*. Occurritur, id fuisse expressum, ad indicandum, tam in Prophetis prænunciatum, quàm eisdem & in lege promissum Iudæis venturum Messiam. Promissus quippe fuerat ex eis secundùm carnem; iuxta quod idem Apostolus Roman. 9. ait, *qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum & gloria, & testamentum, & legislatio, & promissa*; & cap. 15. *ad confirmandas promissiones Patrum*. Gentibus, vt notatur ibi N non erant promissiones factæ. Prædictiones de earum etiam salute recole plurimas, quæ ex Prophetis eo loci commemorat Paulus. Et regrediendo repeto de Magorum vocatione specialius à Matthæo fieri mentionem, iuxta quod præfati sumus *ego ad æmulationem vos adducam*; & Roman. 11. *vt illos æmulentur; quia potens est Deus de lapidibus*; vt mox capit. 3. *suscitare semen Abrahæ*. Sub titulo ergo Gentium, vniuersalis vocatio, Iudæorum quoque hisce de causis astruitur per Matthæum. Ideo in *Bethlehem*, quæ *domus panis*, vt dicemus sub finem Syntaxis capit. 15. Prætermittit autem de monito Pastoribus facto per Angelum; quoniam Iudæis secundùm carnem, quales erant Pastores, reseruabatur Lucæ Euangelium, quo translationem legalium, legis immutationem, transitumque carnalis Iudææ in spiritualem edisserere intenturus erat.

M Rom. 10. l. 3.

N Rom. 15. l. 1.

VERSV eodem. *Cum ergo natus esset Iesus* &c. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam quærentes*, &c.

5. Vix nato Iesu secundùm carnem, renascitur suis in membris per Magos, quod est renasci spiritu fideles, seu Christum formari in nobis: dum enim renascimur spiritu, ipsemet in nobis renascitur; secundùm illud, *Iesu corona Virginum, quem Mater illa concipit*, &c. Debuit ergo mox adolescere eodem mystico sensu; quod est proficere. Non secus ac dic Augustinus Serm. 74. in Ioannem, *restat ergo, vt intelligamus Spiritum Sanctum habere, qui diligit, & habendo mereri, vt plus habendo, plùs diligat*: perenni quadam participatione æternæ generationis, de qua in psal. *ego hodie genui te*: vt natus adhuc nascatur, seu mauis, semper adolescat, & incrementa suscipiat Christus in nobis, & nos ceu membra in illo: quemadmodum reciprocè dicitur, *qui manet in me & ego in eo*, Ioan. 15. *hic fert fructum multum*. Sic Sacrum Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 10. *de acceptæ iustificationis incremento*, inquit; *iustificati & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renouantur*, vt ait Apostolus (2. Cor. 4.) *de die in diem* &c. *crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est*, (Apocalyps. vlt.) *qui iustus est, iustificetur adhuc*. Ex quo Can. 24. decernit augmenti huiusmodi in causa esse bona opera. Et ecce cum vsurpat ly *euntes*, ac deinde bona opera recolit, Magorum iter subinnui; nàm de hoc profectu per opera certè habet Paulus Ephes. 2. *creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Adstipulatur autem Isaias, eadem figura cap. 60. dicens, *& ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*. (Reges hi, vt dictum est, primitiæ Gentium.) Hac mystica ambulatione frequentissimè loquitur veteris nouique Testamenti Scriptura: & iam ibi O Diuus Thomas; signanter ait Apostolus, *ambulemus*, vt designet boni operis profectum. *Per fidem* veruntamen, 2. Corinth. 5. *ambulamus, & non per speciem*. Augustinus in Serm. de Epiphania; *annunciant, & interrogant; credunt, & quærunt, tanquam significantes eos, qui ambulant per fidem, & desiderant speciem*; Certè appositissimè Magis, stella duce, quæ fidei, vt supra typum gerit. Et quia nox aliquando fidem insinuat, quoniam, vt ait Gregorius Homilia 25. in Euangelium, *adhuc oculus caligat*: (fides Theologis habet obscuritatem) stella, me iudice apparet; quia *fecit Deus luminare minus, vt præesset nocti, & stellas*. Quærunt ergo nocte fidei, Christum, iuxta illud Canticorum, *per noctem quæsiui quem diligit anima mea*; & sponsæ in morem, *in lectulo* quærunt; *aliquantula requie*, (etiam inter labores itineris) vt exponit idem Gregorius, quia dulcissima P quies est, quærere Christum. Quoniam verò Ierusalem, allegorico sensu, vt patet, Ecclesiam significat militantem, mirandum est, quomodo Apocalypsis 21. eodem tenore legitur, *& ambulabunt gentes quæ saluatæ fuerunt, in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriam suam, in illam*. Qui locus, quamquam ad triumphantem magis secundùm literam referatur, non ineptè de ingressu ad Q præsentem Ecclesiam est intellectus. Et nihilominus vtroque modo arridet Syntaxi, dum fideles in Magis Christum tandem sic requirunt, vt teneant nec dimittant cœlesti in Patria. *Venerunt Ierosolymam*. Vbi Ieremiæ 51. v. 50. dicitur, *venite, nolite stare, recordamini procul Domini, & Ierusalem ascendat super cor vestrum*, etsi ad literam Iudæis sit directum, Gentilibus R aptat (futuri erant Gentiles, Iudæi spiritaliter,) qui habuerunt aliquam Dei cognitionem, obliti deinde propter peccata; sed per Apostolos reducti fuerunt ad reminiscentiam naturalis cognitionis. Cur hoc Magis non etiam arrideat? pro quibus Psalmus *Venite* tanquam Gentium primitijs, quotidie canitur: quique Ierosolymam Christum Regem quærentes, corde habuerunt? iam non procul dum venerunt Ierosolymam, sed propè. Duplex est, inquit alibi, S propinquitas, vna quidem secundùm tempus, quia viri Sancti in operibus iustitiæ pron-

O Ephes. 2. l. 3.

P Cant. 3.

Q Psal. 21. lit. z. & Isaiæ 60.

R ps. 21. lit. z.

S Rom. 13. lect. 3.

proficientes, magis appropinquant ad terminum vitæ huius, in quo mercedem accipiunt: alia verò est propinquitas dispositionis, vel præparationis; quia per augmentum charitatis & operationem iustitiæ homo præparatur ad illam salutem. Nihil ad rem nostram pulchrius, ex Magis ad fideles reuocandum. Hoc animæ ad Deum progressu, eximuntur pij ab illorum numero, qui (Titi 1.) *confitentes se nosse Deum, factis negant:* & dum veniunt *adorare eum*, eos sicut & Herodem vituperant, *qui genuflexo* (Matthæi 27.) *illudebant ei dicentes, Aue Rex Iudæorum*. Illusit Herodes cum dixit, *renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum*. Reciprocè certè meruit illudi: *videns quòd illusus esset à Magis*. Sapientiæ 11. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Isaiæ 33. *væ qui spernis, nonnè & ipse sperneris?*

VERSVS III. *Audiens autem Herodes Rex turbatus est.*

6. Diuus Leo Papa in Serm. de Epiphania. *Herodes diaboli personam gerit; cuius sicut tunc fuit incensor, ita nunc quoque est indefessus imitator; cruciatur enim vocatione Gentium, & quotidiana potestatis suæ destructione torquetur*. Et D. Chrysostomus super Matthæum; *vterque zelo proprio turbatur, & sui Regni successorem timebat: Herodes terrenum, Diabolus autem cœlestem*. Remigius etiam; (in Catena) *stella significat gratiam Dei, Herodes diabolum*. Diabolus Iob 41. asseueratur *Rex super vniuersos filios superbiæ*. Regit autem malos omnes,
T 3. p. 8. 7. T in quantum est caput eorum. Pertinet autem ad Gubernatorem, vt eos quos gubernat ad suum finem adducat: finis autem diaboli, est auersio creaturæ rationalis à Deo sub specie libertatis, secundùm illud Ieremiæ 2. *à sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam*. Ecce quomodo in Herodem cadit doctrina isthæc, qui audiens de Rege Iudæorum recèns nato, sine dubio, timuit se Regno spoliandum ac seruiturum. Ioannis 12. *nunc Princeps Mundi huius eÿcietur foras*. Regnat autem Diabolus, per peccatum, *non regnet peccatum* Roman. 6. *in vestro mortali corpore*: & prius, *vt vltra non seruiamus peccato*. Ioannis 8. *qui facit peccatum, seruus est peccati*. Benè ergo adiectum est; *& omnis Ierosolyma cum illo*. Adhærescentia malorum Diabolo ipsorum capiti sic notatur; *cum illo*. Non est ergo turbata omnis Ierosolyma, simpliciter, sed omnis Ierosolyma illi adhærens. 2. Timot. 2. *vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*. Turbatur autem omnis Ierosolyma cum illo, *quia* (ex Chrysostomo) *de aduentu iusti, non poterant gaudere iniqui*.

VERSVS IV. *Sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.*

7. Vnus Remigius (in Catena) obseruat, *quia non dixit vbi Christus natus est, sed vbi nasceretur*. Videtur sine dubio, satiùs fuisse dicere, vbi nasciturus est. Subdit autem; *callidè interrogauit eos*, (Principes Sacerdotum, & Scribas Populi) *vt posset agnoscere si de Rege nato lætarentur*. Facilè gestientis animi motu, respondere poterant: sciscitaris vbi nasceretur: scias perhiberi natum: aut, nasciturus est in Bethlehem. Nihil aliud dixerunt; nisi, *in Bethlehem Iudæ*, &c. Vnde etsi extimulari insulsa interrogatione, quidnam de illius promisso, ac annunciato à Magis ortu, sentirent, celauerunt. At ipse altiùs vsum fuisse reor Dominum Herodis malitia, non secus ac Asina Balaam, & Caipha Pontifice. Permisit ita imperfecto tempore subdolè ab Herode requiri de Christi ortu (id quod in omni alia Euangelij translatione inuariatum extat, quando aliàs multa est lectionum varietas) ad innuendum, existimem, continuam suis in membris Christi Natiuitatem. Animaduertimus hoc ipsum suprà, quoad conceptionem, seu generationem mysticam ad illa verba, item imperfectum sonantia; *Christi autem generatio sic erat*.

VERSVS V. *At illi dixerunt, in Bethlehem Iudæ.*

Nedum caput, sed & membra cum spiritali procreantur generatione, nascuntur in Bethlehem. Bethlehem, ex glossa ordinaria super Michæam cap. 5. repræsentat Ecclesiam. Meritò; quia interpretata est *Domus panis*; cuiusmodi certè est Ecclesia *Domus panis*: Aiebat Augustinus relatus 3. p. q. 82. a. 7. in primo arg. *extra Ecclesiam Catholicam, non est verum sacrificium*. Et idem Sanctus Antistes Epist. 50. *vnus panis Sacramentum est vnitatis; quoniam sicut Apostolus dicit; vnus panis, vnum corpus multi sumus*: proinde Ecclesia Catholica sola Corpus est Christi, cuius ille caput est & Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus-Sanctus. Huc facit ex D. Thom. V quòd res huius Sacramenti, est vnitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam: sicut nec in diluuio absque Arca Noè, quæ significat Ecclesiam, vt habetur 1. Petri 3. Vide ergo, dum de Christo incorporatis procedit Syntagma, quàm signanter dicatur nasci in Bethlehem. Quomodo autem nunc Christo incorporentur fideles, docemur X animaduertendo, nunquam homines potuisse saluari, etiam ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi, quia vt dicitur Act. 4. *non est aliud nomen datum hominibus, in quo, oporteat nos saluos fieri*. Sed ante aduentum Christi, homines incorporabantur per fidem futuri aduentus, cuius fidei signaculum erat circumcisio, vt Apostolus dicit, Rom. 4. antequam verò circumcisio institueretur, *sola fide*, vt Gregorius dicit, *cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur*. Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur, secundùm illud Ephes. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Ecce quomodo, quod supra consideratum est de ly *nasceretur*, mirè omnia tempora nectit: præteritum præsens & futurum, & quidem vi imperfecti temporis, quia semper homines Christo sunt incorporati. Quoniam verò incorporationis per fidem Iesu Christi iam præsentis (*iustitia Dei per fidem Iesu Christi* Rom. 3.) signum est, baptismi Sacramentum: (de hoc, loco allegato proximè & q. 68. a. 8.) ecce in Magis nedum fidei symbolum in apparitione stellæ ac oblatis, seu offerendis muneribus, sed inter hæc etiam baptismi specimen in myrrha sepulturæ eius, dicente Chrysostomo apud D. Thomam A *myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur, præbetur tanquam pro salute omnium morituro*. Hoc (aio ipse) quid aliud est, nisi voto velle baptismum? dicente Apostolo Rom. 6. *consepulti sumus Christo, per baptismum in morte; vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Ecce *ambulasse* Magos iuxta Isaiæ vaticinium, *ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*; & eadem metaphora in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 24. & 74. *baptizatis tantùm iter salutis esse credimus*. Magi iter salutis emensi sunt; igitur voto baptizati. Baptismus sine dubio ianua est Sacramentorum, Eucharistia omnium Sacramentorum B finis: Baptismus principium spiritualis vitæ, Eucharistia consummatio: cur nasci turis Magis, per eosque significatis fidelibus spiritualiter in Christo regenerandis, ac in eo incorporandis, specimen etiam incorporationis huiusmodi non elucescat? Et vbi? *in Bethlehem*, quæ *Domus panis*. Audi D. Thomam C baptismus est Sa-

8.

V 3. p. 73. a. 3.

X 3. p. 68. a. 1.

A 3. p. 16. a. 4.

B 3. p. 73. a. 3.

C ibidem ad 3.

cramentum mortis & passionis Christi, prout homo regeneratur virtute passionis eius: sed Eucharistia est Sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in vnione ad Christum passum. Tunc *cum natus est* cœpit passus fieri Saluator; nam D asperitatem hyemis elegit, vt ex tunc carnis afflictionem pateretur pro nobis. *In Bethlehem* verò *Iudæ*; eoquòd, vt Roman. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: & *Iudas* interpretatur *confessio*. Obiectio est Diui Thom. E stultum est viuente Rege aliquo, extraneum Regem annunciare; sed in Regno Iudææ regnabat Herodes, ergo stultè fecerunt Magi, alterius Regis natiuitatem annunciantes. Respondet; per illam annunciationem præsignabatur constantia Gentium Christum vsque ad mortem confitentium. Et ibi Chrysostomus; *adhuc non viderant Christum; & iam parati erant pro eo mori*. Ergo bellè *in Bethlehem Iudæ* nascitur suis in membris Christus.

D 3. p. 35. a. 3.

E 3. p. 38. a. 2.

9. Christus etiam suis in membris nascitur, in Bethlehem quæ *minima est* localiter, & numero exiguo, (dicente quoque Augustino lib. de Catechizandis rudibus ad finem, *inter omnes Iudææ Ciuitates, ita erat exigua, vt hodieque villa appelletur*) ad humilitatis indicium; & sic ad stabulum oppiduli illius sunt Magi perducti, quia fidei lumen subobscurum comitatur humilitas. Ipsum credere, ait D. Thomas, F est primus actus iustitiæ, quam Deus in homine operatur; ex eo enim quòd credit in Deum iustificantem, iustificationi eius subijcit se. Subiectio isthæc sine dubio humiliationem ostendit: qua item Apostolus 2. Corinth. 10. captiuos monet fieri credentes; *in captiuitatem*, inquit, *redigentes, omnem intellectum in obsequium Christi*; iuxta illud, *iniyce pedem tuum* (Ecclesiastici 6.) *in compedes illius*; idest G in documenta fidei. Et quænam maior humiliatio, quando *procidentes adorauerunt eum*? Ecclesiastici 3. *quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*. Et post alia disciplinæ excitamenta ad fidem conuertitur dicens; *plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi*. Congruè autem in primitias fidelium vocantur Magi, hoc est Sapientes; quia cum gratia H non tollat naturam, sed perficiat; oportet quòd naturalis ratio subseruiat fidei, sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati: *captiuantes omnem intellectum*, &c.

F Rom. 4. l. 1. & 1. p. 85. a. 5. & p. 2. 113. 4.

G 2. Cor. 10. lect. 1.

H 1. p. q. 1. a. 8. 2.

10. D. Ambrosius in Epistola 18. vbi Prophetiam expendit Michææ, sentit ab eo tangi lapsæ animæ conuersionem; quatenus incipit anima concipere, & formari in ea Christus. Nascitur, vt dixi, Christus in nobis, cum nos tanquam membra eius spiritali generatione ad vitam renascimur. *Omnis*, inquit, *anima, quæ recipit panem illum descendentem de cœlo, domus panis est: omnis anima fidelis Bethlehem est*. Dum autem Ephrata interpretatur *furorem videns*, vt ibidem tradit, claret ex eodem animam nostram fuisse *domum* (in ly *Beth*) *furorem videntis*. *Eramus*, ait Apostolus, *natura filij iræ*; natura I scilicet vitiata, *filij*, vindictæ pœnæ, & gehennæ. Certè *Deus vltionum* psal. 93. cogebatur veluti esse Dominus, quia seruus contumax euaserat, qui debuerat esse filius. *Mea est vltio*, Deuteronomij 32. de qua sæpè Prophetæ. Nascitur Christus, formatur in anima digna furore. Ieremiæ 25. *facta est terra eorum in desolatione à facie iræ columbæ, à facie iræ furoris Domini*. Nec sine multiplici mysterio, adeò opposita, nempe *columbæ ira*, & *ira furoris* nectuntur. Reor, alijs præ causis, vt innotescat domum *furorem videntis*, euasuram domum panis. Hoc Ambrosius præfata Epistola. Percurrens Angelicus L columbæ proprietates, tradit columbam meliora grana eligere. Vbi ergo *domus Ephrata* idest *furoris*, *domus lehem* idest *panis*: vbi *facies furoris Domini*; *facies iræ columbæ*. *Vbi crudelitas*, adijcit Ambrosius, *ibi pietas*: & mox; *in domo ergo furoris generatus est Christus; & ideo iam non domus furoris, sed domus panis; quia panem recepit eum, qui descendit de Cœlo*. Sic de Niniue D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 21. c. 24. *Peccatores Deus non solùm iratus, verùm etiam miseratus euertit: euertuntur enim peccatores duobus modis: aut sicut Sodomitæ, vt pro peccatis suis homines puniantur; aut sicut Niniuitæ, vt ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Euersa est Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat; stantibus enim mœnibus, atque domibus, euersa est Ciuitas in perditis moribus*. Vide ergò qua sortè altissima de causa, non dicatur à Matthæo; seu non dictum fuerit à Scribis, *Domus Ephrata*, sed *Domus panis*, ac *Iudæ*; *& tu Bethlehem Iudæ*. Cum enim vt dictum est, *Iudas* interpretetur *confitens*, à radice *Iudah*, pulchrè ortus huiusmodi spiritalis in Bethlehem Iudæ occurrit; iuxta illud psal. 31. *dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei*. Necesse est autem, vt renascatur anima in Iudæ Bethlehem; quia sine virtute pœnitentiæ (3. p. q. 86. 2.) impossibile est peccata remitti: & in iustificatione impij (3. p. 85. 6. ex prima 2.) simul est motus liberi arbitrij in Deum, (qui est actus fidei per charitatem formatus) & motus liberi arbitrij in peccatum; qui est actus pœnitentiæ. *Iudas* autem etiam interpretatur *laudatio*. Quidni reuiuiscens peccator per gratiam ad panem vitæ, erumpat in laudem? Isaiæ 54. *decanta laudem, & hinni*. Cumque apud ipsum S. Ambrosium *Ephrata*, alia interpretatione, dicatur *fœcundata*, vel *repleta fructibus*; non fuerit mirum, si Iudææ oppidum nouo in Testamento Ephratæ amittat nomen; quando 1. Regum 2. *quæ multos habebat filios, infirmata est*: laudat autem *sterilis* quæ non pariebat (Isaiæ loco citato) idest *Gentilitas* secundum glossam, *quæ multos filios congregauit*. Addit Ambrosius de aliorum traditionibus, (loquitur de Bethlehem &c.) *propter perfidiam iudaicam, ne ipsi se redarguerent, vel ab ipsis præteritum putamus, vel sublatum ab alijs*: ly Ephrata.

I Ephes. 2. l. 1.

L 1. p. 39. 6. 4.

Qui regat populum meum Israel.

Ibidem Ambrosius *Israeliticam* appellat animam. Et paulo ante attendens, prophetare cœpisse Michæam in diebus Ioathan, & Achaz, & Ezechiæ Regum, *significari*, docet, *eo ordine, visionis profectum; à malis enim Regibus, ad boni Regis peruenit tempora. Et ideo quoniam anima afflicta sub malis ante laborabat Regibus, quem processum conuersionis suæ habeat*, inquit; *considerandum est*. Et paulo post. *Nunquid Rex non erat tibi?* (alloquitur animam Michæas cap. 4.) *Hoc est; habebas Regem, qui te regeret & tueretur: deuiare à iustitiæ tramite non debuisti* &c. Quoniam verò ad græcam translationem, quam fert idem Ambrosius in Michæa, legitur; *& tu Bethlehem Ephrata in paucioribus es*; refert propheticum dictum ad proficientes, quia pauci sunt, qui intrant in domum panis per angustam viam: qua intelligentia, ab opposito consecuto, exponit negatiuam Matthæi *non es in paucioribus*, arguendo eos qui Christum non agnouerunt: liceat & mihi, in ly *qui regat*, siue in ly *Dux* primo in loco prouectiores in Christo renatos accipere, Apostolos præsertim, deinde Apostolicos viros; quandoquidem D. Dionysius cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ eosdem Sanctos Apostolos, vocat *Duces nostros*. Facit huc quod canit Ecclesia; *gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias; vt iisdem Rectoribus* 11.

tibus gubernetur, quos operis tui Vicarios, eidem contulisti præesse Pastores. De quo & Act. 20. *attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quam acquisiuit sanguine suo*: primæ etiam Corinth. 12. *& quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia; primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*, &c. Quemadmodum autem ait Augustinus super Psalm. 86. *cum dicuntur duodecim portæ Ierusalem: & vna porta Christus, & duodecim portæ Christus; quia in duodecim portis Christus*; ita renatis spiritualiter membris eius, fas est, natum perhiberi Christum; quia in renatis, qui nascũtur in Christo, nascitur Christus; *qui regit populum Israel*.

12. Quocirca pro populo Israel, ne putes omne accipi semen Abrahæ, aut eos dumtaxat; *non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, neque qui filij carnis, hi filij Dei*; Roman. 9. D. Thomas in ps. 36. semen est ille qui imitatur: discipuli qui imitantur Magistrum, sunt semen spirituale, immò ad Israel dicit (ibi c. 10.) *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*; nam vt prædictum est Danielis 9. *non erit eius populus, qui eum negaturus est*. Reget ergo populum suum; ex aduerso ad populum perduellem: de quo Osee 1. *voca nomen eius; non populus meus; quia vos non populus meus*. Cum quo stat, vt qui promissum receperunt Christum, qui *in propria venit, & sui eum non receperunt*, prærogatiuam populi eius cum Christiano populo seruent, vinculo charitatis iuncti suaui sub iugo, quatenus veram populi vnius gerunt speciem; quando ex Tullio apud Augustinum 2. de Ciuit. Dei c. 21. *Populus est cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus*: iuxta quod Ezechielis 37. prædictum est. *Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ Gentes, nec diuidentur amplius in duo Regna*. Ecce autem hanc tangi communionem in psalmo 116. *Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius*. Vbi postquam excitantur Gentes & Populi ad laudandum Dominum, communionem tangit in ly, *super nos*; factum est enim *vnum ouile* Ioan. 10. *& vnus Pastor*. Et ad insinuandam carnalium Iudæorum derelictionem, (si non omnes eos rexit, eorum est accusatio, ait Chrysostomus) perhibetur in prophetis, ab Isaia præsertim *recturus Gentes luxque earum*; Actorum 10. *posui te in lucem Gentium*, & Roman. 15. *qui exurget regere Gentes*. Ad hoc ergo dispensatione diuina credi fas est primò vocatos Magos, qui & Reges, vocati a Chrysost. in Homilia, *Ecclesiæ Progenitores*. Hanc etiam Matthæus pergit astruere, quam intendit per maiores, mysticam minorum spiritaliter generationem; vnde, de obtinenda perfectione solicitat verbo Domini c. 5. *estote ergo perfecti*, atque de alijs illuminandis & condiendis. c. 15. *vos estis sal terræ; vos estis lux mundi*. Ideo qua de causa Bethlehem venerint Ioseph & Maria, aperire consultò prætermittit; itemque diem purificationis (hæc alias notarunt Augustinus & Rabanus) quoniam ad institutum suum, quod erat regenerationis hominis, non faciebant; benè verò Lucæ.

VERS. VII. *Tunc Herodes clam vocatis Magis* &c.

13. Nusquam excidat memoria, ad rem Syntaxis totius opportunum, quod scripsit Hieronymus super Osee; nimirum, *in Prophetis mysteria sic prænunciari, vt radix historiæ non penitus deseratur*. Recolatur etiam, quod supra, Herodem ex Chrysostomo & Remigio, in typum esse Diaboli. De Diabolo aiebat Gregorius; *clanculum subrepit, vt postmodum violenter rapiat*: clam ergo vocat Magos. Non absimiliter in ps. 36. *considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum*. N scilicet insidiose, quomodo possit nocere; ps. 21. *ipsi vero considerauerunt, & inspexerunt me*. Idem Gregorius; *eos acrioribus pulsat insidijs, quos à peccatis, nouerit magis abstinere*. Cum autem, vt supra dictum est, per stellam fidei illuminatio signetur; non fuerit mirum, si Herodes in typum Diaboli, nedum interrogat, sed discere studet ac diligenter de stellæ tempore. Machinamenta ergo meditatur crudelia aduersus animam; quæ vt opere compleat, de conuersionis nostræ circumstantijs, quarum præcipua tempus est, instrui contendit: hinc & infra, expressit Euangelista affectatum Herodis studium, dicens, *secundum tempus, quod exquisierat à Magis*. Certè *exquirere*, accuratè quærere est. Et diabolus interiorem hominis conditionem ignorans, O tentat explorando solerter, vt de illo vitio tentet ad quod homo magis pronus est. De Diabolo dicitur Iob 39. *procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus*; vbi Gregorius; P *benè duces exhortari dicti sunt, exercitus vlulare, quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se ingerunt; sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt*. Liquet quàm subdolè Magos conetur decipere, sub quadam deuoti cultus ratione, *vt & ego veniens adorem eum*. Chrysostomus super Matthæum; *nec etiam erat*, inquit, *possibile, vt qui ab Herode ad Christum venissent, redirent ad Herodem: qui enim relicto Christo ad Diabolum transeunt per peccatum, per pœnitentiam reuertuntur ad Christum. Qui relicto Diabolo venit ad Christum, difficilè redit ad Diabolum; quia dum gaudet in bonis, quæ inuenit, & recordatur mala, quæ euasit, difficile redit ad malum*. Tu in increpationem irrisorum potius quàm pœnitentium sęculi huius hæc accipe. Sanè super illud Psalm. 130. *sicut ablactatus est super matre sua*, dicit glossa, quam optimè expendit Angelicus Q quoad conuersos de nouo ad fidem: *sicut quinque tempora notantur in carnali procreatione, & alitione; ita & in spirituali; prius enim concipimur in vtero, deinde ibidem alimur, donec in lucem edamur; deinde manibus Matris gestamur, & lacte nutrimur, quousque ablactati, ad mẽsam Patris accedamus. Hæc quinque tempora sancta seruat Ecclesia; in quarta enim feria quartæ hebdomadæ quasi Ecclesiæ infantia concipitur; tunc enim per exorcismum & catechismum rudimentis Christianitatis imbuuntur; deinde quasi in vtero Ecclesiæ aluntur, vsque ad sabbatum sanctum, in quo per baptismum ad lucem generantur; deinde quasi manibus Ecclesiæ gestantur, & lacte nutriuntur, vsque ad Pentecosten; quo tempore nulla difficilia indicuntur; non media nocte surgitur, non ieiunatur; postea spiritu Paraclito confirmati, quasi ablactati incipiunt ieiunare, & alia difficilia seruare*. Ex mirabili hac eruditione claret, cur tam diligenter exquirat Herodes de tempore, quia nimirum serpens *callidior est cunctis; variæque sunt*, quod ait Cyrillus, *Diaboli ad decipiendum insidiæ*. Vbi ait Ioannes R de Dracone in mulierem; *vt cum peperisset filium eius, deuoraret*, glossatur; *quia quanto quis fortior & sanctior est, tanto Diabolus magis eum extinguere nititur, aut à principio intentionem peruertendo, aut in fine, vana suggerendo*. Exodi 1. dixit Pharao obstetricibus Hebræorum; *quando tempus aduenit pariendi; si masculus fuerit, interficite*. Et alibi S cum per spiritum concipit aliquis salubre propositum; magna crudelitas est, extinguere conceptum ipsius. Herodiana malitia est, paruulos natos extinguere. Herodianam verò malitiam videntur excedere, qui ante natiuitatem, spiritualem conceptum in hominibus suffocát.

N ps. 36.

O 1. p. 114. a. 1. 2.

P 3. p. 41. a. 4.

Q opusc. 17. ex c. 2. cap. 7.

R Apoc. comm. 1. cap. 12.

S Opusc. 41. lib. 5. c. 30.

Sic

T opusc. 17. c. 2. Sic vt deducit Angelicus T retrahentes astutè à Religionis ingressu, pueris inexercitatis ad præcepta, peccatoribus item & nouiter conuersis ad fidem, præcludunt arripiendæ perfectionis viam. Hoc aio ipse; Herodes pro Diabolo, occisis lactentibus pueris, incipientium instar, Magorum sanctas primitias extinguere nititur. Quod (vtinam non esset) in multis assequitur, de quibus Petrus in secunda cap. 2. *melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem, retrorsum conuerti*: dicente ideo Paulo 1. Thessal. 5. *spiritum nolite extinguere*. Idcirco idem animaduertens Ioannes in prima c. 2. *scribo vobis*, inquit, *infantes*; & priùs, *scribo vobis filioli*. Et Petrus in secunda cap. 2. *quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite; vt in eo crescatis in salutem*. Diabolus indirectè saltem V est causa omnium peccatorum; quia instigauit primum hominem ad peccandum; ex cuius peccato consecuta est in toto genere humano, quædam pronitas ad omnia peccata. Item Diabolus vtitur X carne & mundo ad tentandum: quamuis adhuc nullum genus peccati sit, A quod non interdum ex dæmonum suggestione proueniat. Ideo in Herode, sic Christum recens ortum, pueros Magosque insectante, spiritalis omnis persecutio intelligitur. Ecclesiastici 2. *fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore; & præpara animam tuam ad tentationem*. Benè ait Diuus Thomas B cum glossa; *quàm cito Christus in Mundo apparuit*, incepit in eum persecutio; quæ præfigurat persecutionem Sanctorum.

V 1. p. 114. a. 3. & p. 2. q. 80. 4.

X ibi art. 2.

A ibi a. 3. ad 3.

B opusc. 19. 21.

VERS. IX. *Qui cum audissent Regem, abierunt; & ecce stella*, &c.

14. Iob 41. Diabolus dicitur *Rex*; sed *super vniuersos filios superbiæ*. Hunc *Regem cum audissent* Magi; (dum pulsat tentatio renatos, auditur Rex, quia Ecclesiastici 10. *initium omnis peccati superbia*) abierunt. *Cum audissent, abierunt*: non dicit cum recessissent à Rege; sed *cum audissent*; vt fiat sensus, me iudice, profundus huiusmodi; statim ac pulsat tentatio, abeundum est. *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus*, ait Augustinus. Peccata statim C vt attigerunt animam, respui debent, ex Augustino 12. de Trinit. c. 12. Dæmones in omnibus mortaliter peccant D propter intentionem finis: quia quæ videntur venialia procurant, vt homines ad suam familiaritatem attrahant, & sic deducant eos in peccatum mortale. Vbi Iob 41. dicitur; *quis reuelabit faciem indumenti eius*, glossat Angelicus; quia astutias Diaboli E nullus homo sufficit aperire. Memini monuisse Vegetium, *hostium consilia, etsi videantur bona, esse repudianda*. *Hostis Herodes impie*; canit Ecclesia. Suspicari licuit Magis latere anguem sub herba. Sic ab omni Diaboli suggestione auertendus animus; vt nimirum appareat iterum stella menti denuò illustrandæ, immineatque cordi gaudium spiritale quasi in præmium dissensus: eoquòd consensus F attribuitur voluntati & rationi. *Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos: gauisi sunt gaudio magno valde*. Gratia Dei præuenit nos & sequitur, vt in Collecta, ac bonis operibus præstat esse intentos. Cæterùm, sursum opus est suspiciat; auxilium Dei (*ecce stella*) imploret qui tentatur. Habeat ad Deum recursum, dicatque *Domine, vim patior*.

C p. 2. 74. 6. ad 3.

D p. 2. 89. 4. ad 3. & 2. Petri c. 2.

E Iob 41.

F p. 2. 74. 7. ad 1.

VERS. XI. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius: & procidentes adorauerunt eum; & apertis thesauris* &c.

15. Non inuenit fidelis Christum, nisi intret Domum; Domum, aio ipse, idest Ecclesiam, quæ *Domus orationis* ex Propheta *vocabitur*. In hoc vt Gregorius dicit G instruimur, vt nato Regi aurum, per quod significatur sapientia, offeramus; in conspectu eius, sapientiæ lumine splendentes. Thus, per quod exprimitur Orationis deuotio, offerimus Deo, si per orationum studia Deo redolere valeamus. Myrrham autem, quæ significat mortificationem carnis, offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificemus. Thesauros aperimus, ex glossa, *dum fidem cordis, per confessionem ostendimus; offerimusque tria munera; hoc est, fidem fatemur Sanctæ Trinitatis*. Non miror addidisse *cum Maria Matre eius*; siquidem *Maria Virgo*, vt assumit Ecclesia, *cunctas hæreses interemit*, proinde fidem seruauit credentium in Mundo Vniuerso. Hoc planè iacto fundamento *Maria Virgo Mater*: (hic de Patre reputato Ioseph nulla fit mentio, ad Virginitatem puerperæ designandam) surgit totum fidei ædificium, vt sit Christus verus Deus. Dei filius & homo, nam *talis decet partus Deum*. Confunditur Photini hæresis blasphemantis Christum purum hominem; quia frustra genuisset peperissetque purum hominem Mater Virgo. Confunditur Manichæus; quia si non veram sed apparentem habuisset humanitatem; non vera esset eius Mater Maria. Confunditur Iudæus Hebion commistionem virilem somnians; vbi puer cum Matre, non verò cum Patre aliquo inuenitur. Matrem eius inueniunt; Patrem in terris nemo inuenire potest. Confunditur Valentinus; quia si corpus fuisset Cœleste Christi Corpus; & quasi fistula vel aquæductus, ipsum pariens Maria, Mater eius non esset. Confunduntur Arius ac Apollinaris, vt animam non habuerit; sed loco animæ Diuinitatem; quoniam puer non esset, nec inter pueros posset percenseri, qui nihil puerile valeret obijcere; nec Matrem haberet puer, qui puer non esset. Confunditur Eutiches naturas confundens, quia vbi confusa esset cum humanitate Diuinitas, nihil esset in quo veraciter pueritiæ locus esset. Nestorius tandem confunditur, quia si Diuinitas filij solùm per inhabitationem esset in Christo; gratis natus esset de Virgine, inuentusque dumtaxat *cum Maria Matre*. Hæreses has plures explodit Sanctus Doctor alijs rationibus; compendiosè in Opusculo. H

G 3. p. 36. 7. 4.

H Opusc. 6. 5. qui conceptus est de Spiritu Sancto

VERS. XII. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem*.

16. Responsum datur sine dubio rogantibus, & interrogantibus. Quemadmodum pseudoApostoli, quod ait Paulus 2. Corinth. 11. *sunt operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi; ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*. Quod ad literam egit Herodes, spiritaliter complet Diabolus: sub specie Herodes pietatis ac Religionis; non absimiliter Diabolus. Quare necessaria est discretio spirituum; & recurrendum est, inquit Angelicus, I ad adiutorium diuinum; quia valde difficile est, quòd homo caueat sibi. 2. Paralipom. 20. *Deus noster; cum ignoremus quid agere debeamus; hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*. Prouerb. 14. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima illius ducunt ad mortem*. Glossa; *fit autem hæc responsio per ipsum Dominum; quia nullus alius viam reuersionis instituit; nisi ille qui dicit; ego sum via*. Gregorius; *Magnum vero nobis aliquid Magi innuunt; quòd in Regionem suam per aliam viam reuertuntur. Regio quippe nostra Paradisus est; ad quam Iesu cognito, redire per viam, qua venimus, prohibemur; à regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eum necesse est, vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus*. Absit reuertatur conuersus, ad Diabolum: quod ex Chrysostomo suprà dictum est.

I 2. Cor. 11. 1. 3.

VERS. XV. *Surge, & accipe puerum & Matrem eius & fuge*, &c.

Christus fugit in exemplum nostræ infirmitatis: perti-

I Genes. 42. 1 pertinet enim ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non *tentare Dominum Deum suum*; vnde Paulus *submissus est per murum*; & Christus docuit discipulos suos fugere. Beda; *Quod enim Dominus à Parentibus sublatus est in Ægyptum, significat electos sæpius malorum improbitate suis effugandos ex sedibus, vel etiam exilio damnandos*. Hic summopere animaduertendum, quomodo diuertunt Magi, declinat puer, puerique exponuntur. In quo quidem videtur multiformis Ecclesiæ in persecutione praxis studiosè obijci. Facit autem ad hæc

M 3. p. 72. 5. ad. 1. quòd alibi docet; M (præmisso quòd pugna Spiritualis contra hostes inuisibiles omnibus competit) nimirum contra hostes visibiles, idest contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publicè confitendo, esse confirmatorum, qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem; secundùm quod, dicitur 1. Ioannis 2. *scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum*: & ideo character confirmationis est signum distinctiuum, non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter prouectorum ab ijs quibus dicitur: *sicut modo geniti infantes*. Horum in typum sint Magi abeuntes à facie Herodis, reuersique timore quodam *per aliam viam*. Fugam & ipse maturat puer, qui *debuit per omnia fratribus adsimilari*. Pulchrè Augustinus Tract. 28. in Ioann. ibi c. 7. *non enim volebat in Iudæam ambulare; quia quærebant, eum Iudæi interficere. Quoniam futura erant membra eius, idest fideles eius, qui non haberent illam potestatem, quam habebat ipse Deus noster; quòd latebat; quòd se, tanquam ne occideretur, occultabat, hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus vtique membris ipse erat; non enim Christus in Capite, & non in corpore; sed est Christus totus in Capite, & in corpore. Quod ergo membra eius, ipse, quod autem ipse, non continuò membra eius. Saule Saule, quid me persequeris; noluit dicere sanctos meos, seruos meos, postremò honorabiliùs fratres meos, sed me; hoc est membra mea, quibus ego sum Caput.* Hoc videtur mihi mirè insinuari in hac relatiua coniunctione ad Magorum recessum: *qui cum recessissent: ecce Angelus Domini &c. accipe puerum & Matrem eius, & fuge, & secessit in Ægyptum*. Nequeunt seiungi: vbi timent membra, fugam maturat & caput. Sic Tract. 29. *ille qui latebat, docebat; & palam loquebatur, & non tenebatur: illud enim vt lateret, erat causa exempli, hoc potestatis*. Idem veruntamen Tract. 15. aperit Innocentum typo, Ecclesiæ membrorum è regione robur atque constantiam. *Inuenimus* inquit, *Virtutem Iesum, & inuenimus infirmum Iesum, fortem & infirmum. Quid illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Et post aliqua; *nutrit ergo ipse infirmus infirmos, tanquam gallina pullos suos: huic enim se similem fecit*. Sic in præsenti illud impletur; *infirma Mundi eligit, vt fortia quæque confundat: non enim viæ suæ, viæ nostræ*; quia (Isaiæ 55.) *sicut exaltantur Cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ*, inquit, *meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris*. Perorabat aliàs Damianus in Serm. 2. in Natali Virg. *quanto fragilior sexus, quanto infirmius vasculum, quod reportat ex hoste triumphum; tanto maiori Diabolus opprobrio confusionis induitur; tanto mirabilior Deus in Sanctis agnoscitur; tanto etiam Rex Martyrum Christus in propugnatricibus suis iucundiùs delectatur*. Et deinde; *nam cum esset* (Virgo) *in certamine constituta, lorica fidei præmunita, & armis inuictæ patientiæ ac geminæ charitatis accincta* &c. Innocentibus mox hæc arrideant. Remanentibus autem pueris ad necem, fugiente Christo, Magisque iter variantibus, claret quandoque licere quibusdam, quandoque non licere, fugam arripere. De quo vberiùs Deo dante infra c. 9. ad v. 23.

VERS. XV. *Et erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, ex Ægypto vocaui filium meum.*

Primo aspectu videtur fuisse huiusmodi prophe- 17.
tiam allegandam, quando debuit recedere de Ægypto, non modò cum secedit in Ægyptum. Aliàs etiam, quid latet in hoc mysterij, vt fuerit Dominus per Prophetam solicitus de monendo potiùs recessu, quàm accessu ad Ægyptum? Si Saluatoris iter præsignandum erat, cum eadem sit via *de Thebis ad Athenas, & de Athenis ad Thebas*, vtrumque vel neutrum erat prædicendum: & si alterum, potius accessus ad Ægyptum recessusque ab Iudæa, vbi cœpit persecutio desæuire. Respondeo ita planè esse; prædicitur recessus ab Iudæa ab Ierusalem: illinc vocatur Christus; & hoc est vocari ex Ægypto; quia Iudæa Ægyptus, immò Ægypto peior euaserat. Obmutescat Osiander apud Canum lib. 7. de locis c. 1. vbi omnem ridet allegoriam loci huius ad Christum; dicens, *quoquò te vertas, nihil simile videtur esse, præterquam, quòd sicut Israel, Christus fuit in Ægypto*. Non deest allegoriæ locus, vt iam subijciam: & iam innui pro Ægypto sub Herodiano Pharaone stetisse Iudæam. Augustinus mirè in Psal. 113. *In exitu Israel de Ægypto. Ægyptus*, inquit, *quoniam interpretatur afflictio, vel affligens, vel comprimens, sæpe in imaginem ponitur huius sæculi, à quo spiritualiter recedendum est; & sicut olim Populus non inde discessit, nisi diuino liberatus auxilio; sic nemo corde ab hoc sæculo auertitur, nisi diuinæ misericordiæ munere adiutus*. Et deinde, *cognoscite vos exijsse ab Ægypto, qui huic sæculo renunciastis*. Hoc ipsum Ioannes in Apocalypsi, conceptis edocet verbis dicens de Henoch & Elia; *& corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis Magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est*. Nouus Pharao Pharaone crudelior erat Herodes: cum ab Herode declinat Dominus, ex Ægypto vocatur. Diuus Hieronymus Iudæam astruit etiam Ægyptum ex tenebris: *quando tulit puerum & Matrem eius, nocte tulit, & in tenebris: quia noctem ignorantiæ ijs à quibus ipse recessit, reliquit incredulis: Quando vero reuertitur in Iudæam, nec nox, nec tenebræ in Euangelio ponuntur*. Animaduerto ipse, reuocari Ioseph; *vade*, (non ait vt supra cum discederet *fuge*) *in terram Israel*; Quæ desierat esse spiritualiter Ægyptus, facta erat (*defunctis qui quærebant animam pueri*) terra Israel. Beda in homilia, *in Iudæa*, inquit, *Ecclesiæ cœpit origo*. Augustinus in ps. 79. *Inde Apostoli, inde primi credentes & pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponentes*. Cur non illud hic accinat eiusdem psalmi, *vineam de Ægypto transtulisti?* quando denuò Iudæa persecutionem commouit in Apostolos, vt patet in Actis: vnde translata est Ecclesia ad Gentes: Actor. 13. *sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes*. c. vltimo, *notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc Salutare Dei*. Idem Sanctus Beda; *Quod in Bethlehem & in omnibus finibus eius occisi sunt paruuli, ostendit vbique per orbem persecutionem sæuituram: Qui bimi occisi sunt, doctrina & operatione perfectos; qui vero infra*, *simplices* signant. Certè aiebat Apostolus 1. Corinth. 14. *malitia paruuli estote*. Beda etiam in homilia; *Quòd autem occisis pro Domino pueris Herodes non longè post obijt, & Ioseph Dominum cum Matre ad terram Israel reduxit, significat omnes persecutiones, quæ contra Ecclesiam erant mouendæ, persecutorum morte vindicandas; & pacem Ecclesiæ denuò*

red-

reddendam; *& Sanctos qui latuerant, ad sua loca reuerfuros*. Quis scit, aio ipse, non ideo scriptum sit, *& erat ibi vsque ad obitum Herodis?* cum nisi huc spectasset, Mattheo propriùs in præterito fuisset dicendum, *& fuit ibi* &c. de quo supra c. 1. n. 70. Sed nondum illa fuga Christi suis in membris, illa ad Gentes conuersio typicè erat expleta. Veruntamen, siue fugati siue perempti sint fideles in Christo fugiente, & ad necem quæsito, necique in pueris tradito, *Rachel* altè plorat, *in Rama*, idest *in excelso*. Ieremiæ 31. *filios suos*; *Rachel*, inquit Ambrosius Epistola 18. *typus fuit Ecclesiæ*; Siue interfecti fuerint siue fugati fideles, potuit vlulare *non sunt*. Vides igitur quomodo Christi membra, vel martyrio probanda, vel relicta Mundi Ægypto, (*de fuga sæculi* plura Ambrosius, suo in libro, sic inscripto,) ad Christi confessionem vocanda, finaliter *in terram Israel* itura; dum viriliter egerunt visura Deum; *Israel* enim exponi solet, *vir videns Deum*.

VERSVS XXI. *Qui consurgens accepit puerum* &c. *& venit in terram Israel*.

18 Quærit statim deuota piaque curiositas; cur definitiuè non monuerit Ioseph Angelus; *vade in Nazareth*; quando in hoc adimplenda erat Prophetia; *quoniam Nazaræus vocabitur*. Item cur, si accedens ad Iudæam sibique consulens Ioseph, *habitauit in Nazareth*, solicitus fuit Euangelista præscribere, *venisse in partes Galilææ*: satis quippe innotescebat in Galilæa esse Nazareth: cur etiam Angelus iterum, dum timet, eum monuit? Certè omnia alto Dei fuere consilio; & ad Syntagmatis faciunt exstructionem. Postquam enim pius Dei cultor à Diabolo sub Herodis nomine se in tuto posuit, sæuientem proinde persecutionem passus primò fuit; vel aufugit; deindeque quietis præsentit nuncia, *defuncti*, *qui quærebant animam pueri*; restat, vt quæ cuncta nuper tacta sunt, mysticè in se ipso exequatur; restat, vt in *terram vadat Israel*, per finalis gloriæ intentionem, sed secedendo, in *partes Galilææ*, habitandoque *in Nazareth*. Pulchrè tropologiam hanc insinuant Galilææ ac Nazareth nomina. *Galilæa* interpretatur *trasmigratio*: Diuus Augustinus in calce 3. libri de consensu Euangelistarum; *ipsa erit*, inquit, *beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, vt ad eius dexteram segregari mereamur*. Constat autem operibus compleri præcepta: Deuteronomij 6. *ligabis ea in manu tua*. Cantic. 5. *manus eius tornatiles plenæ hyacinthis*. Hyacinthus N lapis est aerei coloris; vnde cœleste desiderium innuit. (Ideo fortè tunc cum Christus ascendit in Cœlum, quòd stabant Apostoli aspicientes, dicuntur *Galilæi*.) Transmigrent ergo oportet opera nostra, iuxtà illud, *omnia in gloriam Dei* (1. Corinth. 10.) *facite*. Porrò vt in Galilææ nomine, isthæc operum eleuatio, & de terris ad Cœlum, per intentionis gressum, operum transmigratio, sic sedula eorundem bonorum operum patratio *in Ciuitate Nazareth* ostensa est. Signanter legimus sic vocari; *in Ciuitate*, inquit, *quæ vocatur Nazareth*: idque prophetico vaticinio, *quoniam Nazaræus vocabitur*. *Nazareth*, *flos*; *flos* immò *virtutum* Rabano interpretatur. Opera quippe virtutum, quæ fructus sunt; quia, ex Ambrosio in libro de Paradiso, O *suos possessores sancta & syncera delectatione reficiunt*, sunt etiam flores; Ecclesiastici 24. *& flores mei fructus honoris & honestatis*: Opera nostra in quantum sunt effectus quidam Spiritus-Sancti in nobis operantis, habent rationem fructus; sed in quantum ordinant ad finem vitæ æternæ, sic magis habent rationem florum. Sicut in flore P est spes fructus; ita ex operibus virtutum habetur spes vitæ æternæ: sicut ex flore fructus prouenit; Q ita ex ipsis fructus beatæ vitæ percipitur: Apostolus; *gauisus sum in Domino vehementèr; quoniam tandem aliquando refloruistis*. Nihil prohibet R in temporalibus & in spiritualibus, quin illud quod est fructus respectu præcedentium, sit etiam semen respectu sequentium. Habitandum est ergo Christi membris *in Ciuitate Nazareth*; quia diu est bonis operibus insistendum. De ratione Ciuitatis est, vt habeat sufficientiam per se; in vico enim non inueniuntur omnia necessaria vitæ humanæ, sanis & infirmis; sed in Ciuitate oportet inueniri omnia necessaria ad vitam. S Hæc D. Thomas: ex quibus fas est accipere, virtutum omnium vbertatem in Nazareth, quæ mysticè Ciuitas est, desiderari; 1. Cor. 1. *ita vt nihil vobis desit in vlla gratia*. Et præterea ibidem, quia Ciuitas, non quæuis est multitudo sed liberorum; doceri possumus plausibilia Deo esse opera libera: sicuti ex aduerso Augustinus; *non bene facitis, si bonum quod facitis, inuiti facitis*. Denique *Ciuitas* ibidem, quasi *ciuium vnitas*. Vniuntur autem nedum tanquam membra capiti, Christo fideles: subinde inter se se; verùm omnis eorum virtutum operatio hanc exposcit vnionem; quoniam, vt ipse ait, *ego sum vitis, vos palmites*. (Ioannis 15.) *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum*: nec tamen receditur ita à ratione florum, & ab eorundem pergrato odore: Ecclesiastici 24. *ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*; Genes. 27. *Ecce odor filij mei, quasi odor agri pleni*, & quia sine illo neque florere possumus nec fructum ferre; ibidem Ioan. 15. contestatur; *sine me nihil potestis facere*: idcirco antonomasticè *Nazaræus vocabitur*. Quare, si odor bonus euasimus; *Christi* (2. Corint. 2.) *bonus odor sumus*; Isaiæ 26. *omnia opera nostra, operatus est nobis*. Cæterum quia nostra requiritur etiam cooperatio; eoquòd aiebat Augustinus; *qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*; ad hanc innuendam, crediderim ab Angelo sic indefinite moneri; *vade in terram Israel*, vt arbitrio locus daretur: signanter etiam in ly *vade* adumbrabili: & quoniam nobiscum etiam, dum cooperamur, Deus operatur, nostræque toti cooperationi dat manus; ecce iterum admoneri Ioseph in somnis, cum *secessit in partes Galilææ*. Ad idem spectat quòd timet; Prouerb. 14. *sapiens timet, & declinat à malo; stultus transilit & confidit*. Psalmus id ipsum mandat; *declina à malo, & fac bonum*. Cohærenter quidem, atque reciprocè. *Audiens quòd regnaret Archelaus in Iudæa*: & regnaret, *pro Herode Patre suo, timuit illò ire*. Herodes qui supra pro *Diabolus*, nunc Patris sibi nomen vendicat; quemadmodum & ipse Diabolus Ioannis 8. *vos ex Patre Diabolo estis: ille homicida erat ab initio*: sic Herodes impius infanticida. 1. Ioannis 3. *qui facit peccatum ex Diabolo est; quoniam ab initio Diabolus peccat*. Dum hic Archelaus pro Patre suo regnat, stet pro peccato: nam Roman. 5. *regnauit peccatum in mortem*. Qui expauit Herodem, timeat Archelaum: qui fugit Diabolum, ne appropiet peccato: *à facie colubri* (Ecclesiastici 21.) *fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonum dentes eius, interficientes animas hominum*. Sic roborati ex fuga diabolicæ persecutionis fideles ab bene fortiterque operandum reflorescendo in Nazareth, illud implent Apostoli Petri; 2. capite primo; *magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Ecce auerti à Regno peccati. Quo certè nihil opportunius, quando in Magis, de Gentium electione ac vocatione Matthæus eloquitur. Sic pergitur ad *terram Israel*, ad Dei visionem, vi nominis: seceditur in partes *Galilææ*, quæ & reuelatio; Apost. Hebræor. 6. *vsque ad interiora velaminis*: habitatur in *Nazareth*; ps. 27. *refloruit caro mea*. 2. Corin. 5. *ædificationem ex Deo*

N Cantic. 5.
O p. 2. 70. 1. 1.
P Galat. 5. 1. 6.
Q Philip. 4. 1. 2.
R Ioan. 4. 1. 4.
S ps. 45.

Deo habemus; si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, scilicet corpus incorruptibile per glossam. Roman. 8. ibi *gemimus, adoptionem filiorum Dei*, quæ consummatur per ipsius corporis glorificationem, vt ait D. Thom. lect. 5. Illuc generatio & natiuitas nostra mystica terminabitur. Hæc autem optimè per Ioseph executioni mandantur: ex quo intelligatur inhiandum esse Christi membris augmento; quod sonat *Ioseph*, & ly *magis satagite* satis indicat. Reor autem graphicè in hisce Saluatoris itineribus, quomodo Christus in membris suis adolescat, crescat, ac perficiatur, delineari: & idcirco hoc dumtaxat intendens Euangelista, prætermittit naturæ augmentum in Christo, prout homo est describere, transiens in tertio sequenti proximo capite ad ipsius ætatem grandæuam, cum baptizatus est.

CAPVT III.

1 *IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, 2 & dicens:*
Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. 3 Hic est enim, qui dictus est Mar. 1. a. 4
per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: re- Luc 3. a. 5
ctas facite semitas eius. 4 Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zo- Isa. 40. a. 3.
nam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre. 5 Tunc exibat Mar. 1 a. 3.
ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, 6 & baptizabantur ab eo
in Iordane, confitentes peccata sua. 7 Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum ve- Luc. 3. a. 4.
nientes ad baptismum suum, dixit eis; Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à
ventura ira? 8 Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9 Et ne velitis dicere intra vos: Pa-
trem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare fi- Io. 8. e 39.
lios Abrahæ. 10 Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non
facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 11 Ego quidem baptizo vos in aqua in Mar. 1. a. 8.
pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta Luc. 3. d. 10.
portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 12 Cuius ventilabrum in manu sua: &
permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni Ioan. 1. d. 20.
inextinguibili. 13 Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Act. 1. b. 5
14 Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? 15 Mar. 1. b. 9.
Respondens autem Iesus, dixit ei, Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Luc. 3. c 21.
Tunc dimisit eum. 16 Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt Luc. 9. c. 15.
ei cæli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. 17 Et ecce 2. Pet. 1.
vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. d. 17.

1\. VERS. I. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista. &c.*

Tempus prædicationis Baptistæ Lucas per terrenas Potestates expressit, cum dixit; (cap. 3.) *anno quintodecimo*; &c. Hoc considerat Augustinus; & subdit: intelligere debemus Matthæum cum diceret; *In diebus illis*, in multo maiori spatio accipi voluisse; mox enim vt narrauit regressum de Ægypto Christum, hoc adiecit; quod vtique tempore pueritiæ vel infantiæ factum est, vt possit stare, quod Lucas de illo *cum duodecim esset annorum*, narrauit. Certè plures excurrerant anni, cum esset Baptista prouectior: vnde sentit A Diuus Thomas fuisse triginta annorum, qua ætate Dauid etiam factus est Rex; & Ioseph gubernacula Regni Ægypti suscepit. Non debet ergo, inquit, referri ad dies, de quibus facta est mentio, scilicet ad tempus infantiæ; non enim est intelligendum, hoc fuisse *in diebus illis*, in quibus reuersus est de Ægypto; sed quia Christus habitauit continuè in Nazareth. Et ideo alibi B docet, accipi debere ly *in diebus illis*, pro tempore confuso. Reor autem ipse; ly *in diebus illis*, referri ad tempus ab alio Euangelista, à Luca nimirum describendum; neque enim, Spiritus-Sancti tactus illustratione, ignorauit Matthæus, accuratius rem hanc à Luca tractandam fuisse; cui etiam plura, quæ Ioanne prædicante occurrerant, denarranda capite illo tertio reliquit, ea contentus percurrere, quæ ad scopum faciebant suum: id quod in Syntaxi clarebit; vbi etiam cur *in diebus illis*, dictum sit, profundiori sensu explicabitur. Referri etiam fas sit ly *in diebus illis*, ad longum pœnitentiæ spatium, quod Deus Iudæis dedit post Christi passionem, nempe quadraginta annorum, quo tamen conuersi non sunt, sed addebant peccata peccatis, ait D. Thomas. C

A Matt. 3.

B Matt. 24. lit. c.

C 1. Thes. 2 lect. 2.

VERS. II. *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim Regnum Cœlorum.*

2\. Etiam Christus Dominus, vt patet cap. 4. v. 17. cœpit prædicare & dicere *pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum*. Quot modis dicatur *Regnum Cœlorum* mirè hic D. Thomas. Ad pœnitentiam homines D prouocantur, per hoc quòd appropinquat Regnum Cœlorum: sed non solum intelligitur aduentus Regis præmiantis, sed etiam punientis: sic dicebat infra; *progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* *Regnum* ergo *Cœlorum*, idest Regis E Cœlestis iudicium iustum. Nota Pauli Act. 17. ipsissimam Ioannis prædicationem: *nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant; eo quòd statuit diem in quo iudicaturus est Orbem in æquitate, in viro*, &c. Regnum Cœlorum in præmium, appropinquat F per gratiæ infusionem, & gloriæ præparationem. Ioannes prædicauit vt præco Regis; G Christus vt legifer. Prædicator debet tuba canere; idest terribiliter & dulciter; (ibi H *tuba cecinit*) terror in tuba, dulcedo prædicationis significatur in cantu. Sic fuit Ioannes Baptista, primò dixit, *agite pœnitentiam, appropinquauit enim Regnum Cœlorum*; deinde adiunxit; *iam securis ad radicem posita est*. Vita etiam spiritualis fidelium Regnum Cœlorum vocatur; quia differt in viuendo à Regno mundano; & quia ad verum Regnum ordinatur æternum; non ad temporale dominium tantum. Et tandem Regnum Cœlorum dicitur vita æterna: Coloss. 1. lect. 3.

D 3. p. 85. 5. 2.

E Opus. 58. 2.

F Iacob. 2.

G 4. d. 21. q. 2. 3. a 1 3.

H Apoc. 8. com. 1.

lect.3. & fit baptiſmi prælusio; quia Io.3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.*

VERSVS III. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.*

3. D. Auguſtinus Serm. 36. de Sanctis. *Ego vox &c. hoc eſt dicere, non ſum ego Verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, ſed vox potius, ideſt miniſter ſum Verbi; vt per me ad auditus hominum, ſenſuſque perueniat.* Maximus Hom. 2. de Sancto Ioanne Baptiſta: *clamauit, vt vociferante Salutis præcone, obturatas diu aures mortalium, prædicatio cæleſtis aperiret.* Beda; *Hic ſolus eſt vox, quia per eum præſens Verbum oſtenditur, quod alij longè nunciauerunt.* Quoad ly *clamantis*, reddunt, quem ſonat ſenſum, loca alia plurima. De Chananæa,
I Matth. 15. quæ *clamabat* ait; clamor magnum I affectum deſignat. Vbi Seraphim Iſaiæ 6. *clamabant*: per
L Ioan. 1. l.9. quod inquit L internior ardor mentis exprimitur. Et alibi, M intentio cordis propter ſui magnitudi-
M Rom. 8. l.3. nem clamor dicitur; ſicut & ad Moyſen tacentem Exodi 14. dicitur, *quid clamas ad me?* ſcilicet intentione cordis. De Elia dicitur Eccleſ. 20. *ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Infra autem c. 11. ait Dominus de Ioanne; *ipſe eſt Elias.* Quamuis autem poſſit intelligi, vt ipſemet Ioannes ſit clamans; nihilominus
N Ioan. 1. in Catena & D. Tho. hic. Origenes N habet; *dicit autem Ioannes ſe eſſe vocem non clamantem in deſerto, ſed clamantis, eius ſcilicet qui ſtabat & clamabat; ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat:* 2. ad Corinth. 14. *an experimentum quæritis, eius qui in me loquitur Chriſtus?* Ita etiam clamauit in omnibus Prophetis; vnde ſemper dicitur, factum eſt Verbum Domini ad Iſaiam, Ieremiam &c. *In deſerto* autem clamat ex Gregorio (hoc & de Ieruſalem quidam, in qua putant etiam Diabolum tentaſſe Chriſtum 3.p. 41. a.2. ad 3.) *quia derelictæ ac deſtitutæ Iudææ ſolatium redemptionis annunciat. Parate viam Domini.* Inter multas expoſitiones arridet ad literam, quam fert Haymo Iſaiæ 40. *via Domini ad cor humanum tunc paratur, cum ſermo veritatis humiliter auditur.* Gregorius Hom. 17. in Euang. ad illud Lucæ 10. *miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Ciuitatem & locum, quò erat ipſe venturus; Prædicatores ſuos Dominus ſequitur, quia prædicatio præuenit; & tunc ad mentis noſtræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, ac per hoc veritas in mente ſuſcipitur.* Lucæ 1. (*præibis ante faciem Domini parare vias eius.*) Et locum præſentem ex Iſaia commemorat. *Rectas facite ſemitas.* Via *vna* & *ſemitæ* rectificantur, ad eum ſenſum, quo Sapientiæ 7. dicitur in ſapientia diuina eſſe *ſpiritus intelligentiæ, vnicus & multiplex*, ſcilicet vnus
O 1.Cor. 12.l.1. in ſubſtantia O multiplex in gratijs, vel multiplex
P Epheſ. 3. l. 3. in effectibus, P vnus in Eſſentia. Libenter autem
Cantic. c. 1. recta expoſit. velim per *viam* animæ præparationem; per *ſemitas*, vtique anguſtiores, ſenſuum, virium ac potentiarum animæ, intelligi rectificationem. Prouerb. 22. *noli eſſe amicus homini iracundo, & ne ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius.* Ieremiæ 6. *interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea.* Iob 23. *viam eius cuſtodiui, & non declinaui ab ea.* Ex Dionyſio c.4. de diuinis nominibus; licet Deus vno modo ſe habeat ad omnia, non tamen ſe habent omnia vniformiter ad ipſum; quia eadem influentia diuerſimode recipitur in creaturis. Hæc, quæ etſi compendio hîc tangantur, vberiùs Prologi loco explicaſſe Baptiſtam veroſimile eſt. Lucæ 3. *multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.* Profundiùs, ſi ad Syntagma tollamur, ſunt expendenda.

VERS. IV. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum &c.*

Marci 1. *Erat Ioannes veſtitus pilis cameli.* Pœ- 4.
nitentes certè vti debent P vilibus veſtimentis. Pa- P 2. 2. 169. 1. 2. & q. 187. 6.
tet Ionæ 3. de Rege, qui indutus eſt ſacco. Claret etiam Sanctorum Patrum in eremo, vt Beati Hilarionis & Arſenij communi more. Id quod expendens D. Thomas, & declinans ad verbi Dei prædicatores, addit auctoritatem gloſſæ Q dicentis, *conueniens veſtis Prædicatori*, monetque ſic conſueuiſſe Q opuſc. 19. c.8.
Prophetas, de quibus Hebræorum 11. *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis*; gloſſa; *vt Elias & alij. Melos*, ex eadem ibi gloſſa, *eſt animal, quod eſt Taxus*; cuius pellis *melota* dicitur: *vel melota eſt veſtis de pilis camelorum.* Apoc. 11. *dabo duobus teſtibus meis: & prophetabunt diebus mille ducentis amicti ſaccis*; gloſſa; *prædicantes pœnitentiam, & exemplo oſtendentes.* Et iterum, vt fertur in ſecunda ſecundæ; qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit: ad aliorum exemplum, vt ibi D. Thomas. Alij ergo de lana; R Ioannes de R D.Th. hic.
pilis; reputabat enim veſtimentum de lana mollitiem, quæ non conuenit prædicatori. Item *Zona pellicea.* Hieronymus dicit; tunc temporis Iudæos habuiſſe cingulum de lana; ſed Ioannes reputans mollitiem, accepit de pellibus, imitans Eliam; vt patet 4. Regum 1. Agnoſcitur nimirum ibi Elias, eoquòd eſſet *vir piloſus*, & *Zona pellicea accinctus.* Lucæ 7. *quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtimentis indutum?* Rabanus inquit ſumpſiſſe Ioannem pelles crudas non paratas, vſumque eis, vt refrenaret libidinem. Certè de Ioanne Lucæ 1. dixit Angelus; *ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Hæc ad vitæ auſteritatem, nam ſegregatus à communi conſortio, victus abſtinentiam indixit: vnde *eſca eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre.* Sunt locuſtæ animalia quædam comeſtibilia; S & S D.Th. hic.
mel ſylueſtre propriè dicitur illud, quod non reconditur in alueis artificioſè factis, ſed inuenitur in ſyluis, in quibuſdam arboribus. Alij dicunt, eſſe cannam mellis, intuſque dulce quid ferre. *Locuſtæ*, vt ex Hieronymo apud Tirinum & alijs, pauperiorum fere ac ruſticorum cibus erant; & vel crudæ comedebantur (vt nunc conchilia & limaces) vel elixæ, vel toſtæ, (aſſæ) vel fumo & ſale duratæ.

Myſticè Apocalypſ. 9. *exierunt locuſtæ in terram*; 5.
ideſt exibunt falſi Prædicatores in Eccleſiam terrena amantes, & quærentes: & iſti comparantur locuſtis,
T quia ſalient in altum per ſuperbiam, cadent in ter- T Apoc. 9. Com.1.
ram per auaritiam; plus diligent terrena, quàm cæleſtia; quod ſignant crura locuſtarum, quæ retrò ſunt longiora, Nahum 3. *cuſtodes tui quaſi locuſtæ; & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum*: Ioel 1. *reſiduum erucæ comedit locuſta*, per erucam ſignatur humana corruptio, quæ mores deprauat: qui non corrumpitur malis moribus, decipitur à falſis Prædicatoribus. In huius rei ſignificationem ſcilicet deſtruendam falſam doctrinam, Ioannes Baptiſta comedebat locuſtas, & virga Moyſi virgas Magorum deuorauit. Præterea ad Hæreticos V & pſeudo præ- V ibidem Com.2.
dicatores Antichriſti tempore fertur, qui nec volant per contemplationem, vel ſalubrem cogitationem; nec in vno ſtant loco, inſtabiles, reciduntque in peius: Exodi 10. *aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Ægypti*: bonos, & bona aliorum ſpiritualia corrodent detrahendo, & impediendo. Certè à Diuo Auguſtino denunciatur *locuſta animal dente noxium.* Ad eundem ſenſum, cum legamus Prouerb. 16. *fauus mellis verba compoſita*, in execrationem perſuaſibilium humanæ ſapientiæ verborum, mel huiuſmodi comediſſe dicatur. *Non ergo* (quod ait Auguſt. lib.2. Com. in caput 13. Matthæi) *in ſplendore eloquentiæ, in compoſitione verborum, prædicaturus*

caturus veniebat Ioannes; *sed* vt ait Apostolus 1. Corinth. 2. *in ostensione spiritus & virtutis*; *vt fides vestra non sit in sapientia hominum*, *sed in virtute Dei*. *Sylua infructuosa* fuit ex Ambrosio Epist. 18. *congregatio Gentium*. Potest nihilominus retorqueri in bonum, vt nimirum Diuus Prædicator, mel- le, hoc est diuinæ doctrinæ sapientia enutritus, ad pœnitentiam perditos reuocaret. Augustinus in psal. 80. sub finem; *mel sapientia est primatum dulcoris tenens in estis cordis*: *sapientia*, inquit, *Christi*, *in cognitione Sacramentorum*, *solutione parabolarum*. Et in psalm. 118. ibi, *quàm dulcia faucibus meis* &c. *melli est similis aperta doctrina sapientiæ*; *fauo occultæ*, *quæ de abstrusioribus sacramentis*, *tanquam de cellis cereis ore edisserentis*, *velut mandentis exprimitur*. Verùm ori cordis, non carnis est dulcis. Sic Apostolus, *non veni in sublimitate sermonis aut sapientiæ*. Hoc est esse mel sylvestre.

X Ps. 18. Ad illud; *& dulciora super mel & fauum*, X fauus vetus testamentum, in quo est mel in fauo, veritas in figura; mel, nouum, vbi est veritas manifesta. Certè Luc. 16. *lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*: ex eo Regnum Dei Euangelizatur: Ioannis 1. *hic venit vt testimonium perhiberet de lumine*: Ecce mel de quo supra. Sic etiam quòd cibetur locustis. Diuus Thomas exponens de cibis olim vetitis vel

A p. 2. 102. a. 6. 1. concessis A ad illud Leuitici 11. versu 21. *quicquid autem ambulat quidem super quatuor pedes*, *sed habet longiora retro crura*, *per quæ salit super terram*, *comedere debetis*: & inter hæc per censetur locusta, ait; circa volatilia, & quadrupedia, illa sola conceduntur eis, quæ posteriora crura habent longiora, vt salire possint; quia illi qui abutuntur doctrina Euangelistarum, vt per eam in altum non subleuentur, immundi reputantur. Ioannes ergo, aio ipse, ex quo, vt supra, Regnum Dei euangelizatur, dum ad emundandum cor, per baptismum accire non destitit, locustarum edulio, de terra subleuandos edocet pœnitentes. In huiusmodi tropologiam eò feror libentius, quò, ad literam, (vt in Catena aurea relatum est) coqui in oleo consuetum erat locustas; quod occupationi fuisset infestæ Sancto Ioanni: item aliàs alio victitare potuisset vili cibo, puta olerum radicumque alimento. Et denique vt ibidem narratur, lata folia & rotunda lactei coloris, & melliti saporis, mel syluestre intelligunt: quæ mellis non omnino sibi vendicassent nomen, nisi lateret mysterium, quo Euangelici Prædicatoris Prototypon linearetur.

6. VERSVS VI. *Baptizabantur* &c. *confitentes* &c.

B 3. p. q. 38. a. 2. Illa confessio peccatorum B non fiebat ad remissionem peccatorum statim per baptismum Ioannis exhibendam, sed consequendam per pœnitentiam consequentem, & per baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat. Itaque baptismus Ioan-

C 3. p. 70. a. 3. nis fuit C præparatorius ad baptismum Christi quantùm ad exercitium actus, sicut circumcisio, quantùm ad professionem fidei. Ideo Ioannes non obser-

D in 4. d. 2. q. 2. a. 4. & 3. p. q. 38. a. 6. ad 2. & 3. uabat formam D baptismi Christi, nec iterum erat in eo efficacia sicut in baptismo Christi: vnde cum non esset forma debita in baptismo Ioannis, oportebat reiterari baptismum: & ita ibi expresse ab Augustino. Quare & Apostolos, qui baptismo Ioannis creduntur baptizati, vt ex Act. 1. colligitur, baptismum suscepisse Christi docemur; vt dicitur in glossa Ioan. 13. ibi *qui lotus est*. Ita expresse: & per Christum seu à Christo 3. part. 84. a. 7. ad 4. ex August. Hinc Act. 19. *in quo ergo baptizati estis? qui dixerunt*, *in Ioannis baptismate*. *Dixit autem Paulus*; *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum*, *dicens*; *in eum qui venturus esset post ipsum*, *vt crederent*, *hoc est*, *in Iesum*. *His auditis*, *baptizati sunt in nomine Iesu*; eo vel maximè quòd & ipsi alios baptizabant, vt patet Ioann. 4. & secundum Chrysostomum Baptista postea baptizatus est à Christo; ibi, *sine modò*: (quod & alij Patres) vt membra fierent Ecclesiæ Christi; cuius ianua est Baptismus. Quocirca lege infra ad v. 16. Si tamen, inquit, Christus, qui virtutem suam Sacramentis non alligauit, & qui potestatem habuit remittendi peccata, eos sine baptismo, ex priuilegio quodam sanctificare voluisset, non esset ad consequentiam trahendum. In baptismo præterea Ioannis ex glossa exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata,

E & promittendi meliora: quod nos facimus in baptismo, generali quadam ratione, secundùm ritum Ecclesiæ, abrenunciando Satanæ & omnibus pompis eius. In baptismo tamen Ioannis (supra tactum est) non remittebantur peccata, sed erat baptismus pœnitentiæ, vt secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur. Et iterum, in hoc quòd Ioanni confitebantur, fuit præfiguratum præceptum de confessione. F Quamuis expressa huius institutio non legatur, sed solum promulgatum sit à Iacobo c. 5. qui pœnitentiæ ita modum expressit. Sic cum leprosos ad Sacerdotes misit; in quibus noui Testamenti Sacerdotium significabatur. Lucæ 17. Sacramentum tamen pœnitentiæ expresse institutum habemus, vt capite sequenti ad v. 17. Quando autem sit institutus baptismus, infra hoc in cap. ad v. 13.

E 3. p. 68. 6. c. & ad 1. & Matth. 5.

F 4. dist. 17. 3. a. 1. ad 5.

VERSVS VII. *Progenies viperarum*, *quis demonstrauit vobis*, &c.

Secundum Diuum Chrysostomum, sonat ly *progenies viperarum* in increpationem; tùm quia, vt vipera nascendo mortem infert parenti, occiderant Prophetas; vtque illa pulchra est exteriùs, intrà seruans venenum, ita & ipsi: infrà c. 25. *quem Prophetarum non occidistis? similes estis sepulchris dealbatis*. Acriter iuuat accipi locutum Baptistam, dum potissimùm in Pharisæos, & Sadducæos verba isthæc promens inuehitur. Qui fortè effugia plura falsò sibi pollicebantur (Prou. 12. *via stulti recta in oculis eius*) ab ira Dei, sceleribus suis imminente. Vnde Augustinus Serm. 2. infra octauas Epiphaniæ: *erant aliquorum tam scelerati actus*, *vita tam perdita*, *vt venerabilis Baptista viperino semini compararet*. Attamen etiam ad turbas sermo eius dirigebatur, vt patet Lucæ 3. Quamuis Act. 6. legimus *multa etiam turba Sacerdotum*, &c. Lucæ 7. de Ioanne dicebant; *dæmonium habet*. Nam vt infra Matthæus cap. 21. *Principes Sacerdotum*, *& Seniores Populi non crediderunt Ioanni*. Minatur Baptista iudicium; *ira* enim *ventura* Gregorio, *animaduersio est vltionis extremæ*, *quam frustra peccator tentat effugere*, *qui ad pœnitentiæ lamenta non recurrit*. Ab ira Dei G nunc est effugere ad eius misericordiam; tunc tempus non erit misericordiæ sed iustitiæ. *Qui dissoluit pactum*, Ezechielis 17. *nunquid effugiet?* Iob 11. *effugium fugiet ab eis*. Et ps. 10. *pluet super peccatores laqueos*. Chrysostomus; *nec resistendi virtus*, *nec fugiendi facultas*, *nec pœnitentiæ locus*, *nec satisfactionis tunc tempus erit*. Commentitium est effugium omne, quando ait Psaltes, *quò ibo*, psal. 138. *à spiritu tuo*; *& quò à facie tua fugiam? si ascendero in Cœlum*, *tu illic es*; *si descendero in infernum*, *ades*, &c. Excludit ergo prætextum quemcumque alium dempta pœnitentia: *facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Actorum 2. legimus; *pœnitentiam agite*, *& baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*. Item c. 3. *pœnitemini igitur*, &c. *vt cum venerint tempora*, *& miserit eum*, *qui prædicatus est vobis*, *Iesum Christum* &c. Ecce quomodo Petrus pœnitentiæ adnectit baptismum, atque iudicium Christi Iesu: quæ duo Ioannes satis exprimit recolens; & iram venturam, & in Spiritu-Sancto Christi baptismum. Huc solum ergo est effugere, ac iram

7.

G primo Thess. 5. 1. 1.

F fugere:

fugere: 1. Theſſ. 1. *Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura*. Ab hac ira nullus H poteſt liberare, niſi Chriſtus; ſicut à cauſa pœnæ, ſcilicet à peccato liberamur per Chriſtum. Apocal. 6. *abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni:* Ecce de throno fieri mentionem, *appropinquauit enim Regnum* Regis etiam punientis: Quoniam *ipſe eſt*, Act. 10. *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum & mortuorum:* ſtatimque adiunctum eſt, de pœnitentia; *huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum*. Mirus vbique claret diuinæ elocutionis conſenſus, *Iuſtificati*, Rom. 5. *in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum*. Epheſ. 2. *eramus natura filij iræ*, *Ab ira tua libera nos Domine*.

H 1. Theſ. 1. l. 1.

VERS. VIII. *Facite ergo fructum dignũ pœnitẽtiæ*.

8. Magiſter in 4. ſentent. diſt. 22. ſatisfactio à Ioanne
præcipitur, vbi ait; *facite*, &c. ſcilicet, vt ſecundùm qualitatem, & quantitatem culpæ, ſit qualitas & quantitas pœnæ: vbi D. Thomas; non quòd Ioannes fuerit I actor præcepti ſed denunciator: Chriſtus autem Sacramenti inſtitutor & partium eius. Apoc. 2. ibi, *age pœnitentiam*: non ſolùm L ſuſcipe, multi enim ſuſcipiunt, ſed minimè faciunt; boni promiſſores ſed mali redditores. Ex eodem Chryſoſtomo; natura eſt viperæ, cum momordit aliquem, ad aquam confugere, ne moriatur. Fortè, aio ipſe, viperinæ indolis eos coarguit; quia fructum non ſint facturi dignum pœnitentiæ, ſed inſtar viperæ iterum venena concepturi, poſt baptiſmum. Ex Iſidoro; *irriſor eſt, & non pœnitens, qui iterum agit quod pœnitet*. Ex Auguſt. Ser. 15. de verbis Apoſtoli Tom. 10. *Phariſæi primarij erant, & quaſi ad nobilitatem iudaicam ſegregati, non commiſti plebi: quomodo in latina lingua egregius dicitur quaſi à grege ſeparatus*.

I 4. ſent. exp. 1.

L Apoc. 2 Com. 1.

VERS. IX. *Et ne velitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham*.

Poterant credere, quantumcumque peccarent, remiſſurum Dominum propter Abraham M. Certè ad Moyſi preces Exodi 32. cum orauit Dominum dicens; *quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui: recordare Abraham Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum, placatus eſt, ne faceret malum* &c. Non hoc intendit Ioannes excludere: Bonus quippe eſt Dominus, qui aliorum merito, alijs ignoſcit errata: ſed docens, *ne velitis dicere intra vos*, &c. coarguit de confidentia ad peccandum: (plaudit Chryſoſt.) inde liberiori arrepta licentia, vnde potius cohiberi debuerant, & imitationis & gratitudinis ergo. Quis ita eis *demonſtrauit fugere à ventura ira?* Huc faciat, quod ait Apoſtolus, & in eos: *an diuitias bonitatis eius* (Roman. 2.) *& patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei*. Stultus eſt, qui quòd Patronos habeat, patrare auſit vltrò citroque delicta: & quoniam præſto ſit alexipharmacum, haurit venenum. Chimæra eſt non clementia, quæ creditur vitiorum fomes. Miſericordia N virtus eſt: virtus eſt etiam O clementia. Abſit vt ad repetenda ſcelera, præſtent virtutes calcaria. *Ne ergo velitis dicere*: tangit affectatæ fiduciæ ſtudium; *ne velitis dicere intra vos* effutiendo, voluentes & reuoluentes id animo, ad malitiæ aſylum. Quo autem longiùs exufflet inanem ſpem, ſubdit; quoniam *potens eſt Deus de lapidibus iſtis, ſuſcitare filios Abrahæ*: vt ſit Pater non ſolùm circumciſorum, P ſed etiam credentium in præputio; ideſt, qui ſunt in ſtatu præputij. *De lapidibus iſtis*; ideſt Q de Gentibus ſuſcitare *filios Abrahæ*: in quantum ſcilicet facit eos credentes; filios Abrahæ, imitatione, & inſtructione. Lucæ 19. de Zachæo, *hodie huic Domui ſalus à Deo facta eſt, eo quòd & ipſe ſit filius Abrahæ*. Sic Matthæi 8. *multi venient ab Oriente & Occidente* &c. Gentiles dicti ſunt lapides R propter duo, & quia lapides adorabant, & propter duritiem. Licèt autem duri ſint, diu ſeruant impreſſionem, licètque ædificium ex eis tardius fiat, durabilius eſt. Adde ex Hymno; *tunſionibus preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptantur locis per manus artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificijs*. Non ægrè ſuaderi debuerant, id poſſe Deum, ſi impotenti Abrahæ, ſterilique Saræ donauit ſemen. Hinc Hieronymus; *ex lapidibus autem generari homines, ſimile eſt ei, quòd ex Sara poſſit Iſaac*: vnde & Propheta dicit; *aſpicite ad Petram, vnde excisi eſtis*.

M D. Th. hic.

N 2. 2. q. 30. 3.

O 2. 2. q. 157. 2.

P Rom. 4. l. 2.

Q Galat. 3. l. 3.

R hic ex Rab. & Chryſoſt.

VERS. X. *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*.

Dum tali metaphora, arboris nimirum vtitur, ad 9.
cuius radicem iacet ſecuris, vel malas arbores, quæ malos faciunt fructus, vel quæ faciunt fructus nullos, Matthæi 7. indicat; *omnis arbor quæ non facit fructus bonos excidetur*. Ad Gal. 5. enumerat Apoſtolus decem & ſeptem fructus malæ arboris: *manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt; fornicatio immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ contentiones æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia ebrietates comeſſationes, & his ſimilia*. Tria genera ſunt arborum, quæ faciunt fructus nullos; prima eſt, quæ facit frondes ſine floribus: hi ſunt, qui habent verba ſine operibus. Sic areſacta eſt Chriſti animaduerſione ficulnea Matth. 21. quæ non habuit niſi folia. Secunda eſt, quæ facit flores ſine fructibus: hi ſunt, qui faciunt in apparentia opera, ſed non verè. 2. Tim. 3. *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. Iob 8. *cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit: ſic viæ hominum, qui obliuiſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit*. Tertia eſt, quæ facit fructus, ſed inutiles penitus Sap. 4. *fructus eorum acerbi & inutiles ad manducandum*. De talibus arboribus dicitur in Canonica Iudæ; *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ*. Hæc ex D. Thoma S. Vno ergo verbo Sanctiſſimus Præco Præcurſor, plurima eis obijcit ſcelera; quorum aliqua in Euangelio notantur; puta; *omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite; ſecundùm opera verò eorum nolite facere: væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ* Matthæi 23. *Qui talia agunt Regnum Dei non conſequentur*, ait Apoſtolus ad Galat. ſupra. Quid prodeſt appropinquaſſe Regnum Cœlorum? D. Chryſoſtomus; *ſed ſi poſita eſt ſecuris, quare non præcidit? vt videntes ad radicem poſitam eſſe ſecurim, timeant & faciant fructum. Ergo denunciatio iræ eſt ſecuris poſitio*. Luc. 13. *Arborem fici habebat quis plantatam in vinea ſua, dixitq; ad cultorem vineæ: ecce anni tres ſunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio; ſuccide ergo illam. Et reſpondens dixit; Domine, dimitte illam, & hoc anno; & ſi quidem fecerit fructum, benè; ſin autem, in futurum ſuccides eam*. Ibi Baſilius; *proprium eſt diuinæ propitiationis non ſilenter pœnas infligere, ſed præmittere minas*. Non *ſilenter* certè, quando adeſt *vox clamantis*. Theophylactus; *cultor Chriſtus, qui ficum amputari ſterilem non permittit*. Et ecce proximè id inſinuari à Baptiſta, dum ſubdit; *ipſe vos baptizabit in Spiritu-Sancto, & igni*.

S Serm. Dom. 8. ex Euãg.

VERS. XI. *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam*.

Pulchra triplex eſt ratio; primò, vt præueniret 10.
Chriſtum baptizando; Lucæ 1. *præibis ante faciem Domini parare vias eius*. Secundò, vt congregatis hominibus, haberet opportunitatem T prædicandi de Chriſto; Ioann. 1. *vt manifeſtaretur in Iſrael*, pro-

T Matth. 3. & 3. p. 38. 1. & 3.

propterea veni ego in aqua baptizans. Tertiò ad baptismum Christi præpararet. Et planè hoc haberi videtur manifestè, ex eo quòd Ioannis 1. respondit Baptista dicentibus, *quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? ego baptizo vos in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*, &c. Præparabat autem tripliciter: vno quidem modo per doctrinam inducentem homines ad fidem Christi; alio modo assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi; tertiò per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi. *In pœnitentiam* autem inquit, vt dictum est, ad vers. 6. non quasi illa confessio peccatorum esset ad remissionem, statim per baptismum Ioannis exhibendam; sed consequendam per pœnitentiam consequentem, & per Christi baptismum.
V 3.p.38. 4.1. Itaque à Baptismo Ioannis V gratiam non recipiebant, sed solùm pœnitentiæ signum. Cæterùm quia
X 3.p.38. a.4. 3. ps. 28. pueris non conuenit pœnitentia; X baptismo Ioannis pueri non baptizabantur. Tunc impletum est, *vox Domini super aquas*, baptismi scilicet: vnde ex tempore, quo Christus baptizatus est, psalmus ille cantatur.

VERSV eodem. *Fortior me est*.

II. Fusè quare Christus, fortioris ac robustissimi sibi vni epitheta vendicet, dictum est Genesis 49. ad v. 13. & 14. itemque Deuteronomij 31. ad v. 14. *si fortitudo quæritur, robustissimus est* Iob 9. quoad Diuinitatis virtutem. Quoad humanitatem etiam dono Spiritus-Sancti, excellenti & heroico, Isaiæ 11. Nunc inquirendum breui superest, quo sensu fortiorem dicat eum Ioannes. Videturq; id capiendum quoad humanitatem sanctissimam, morali intelligentia; quoniam si ad Diuinitatis spectasset fortitudinem, omnis silenda fuerat comparatio, quando *finiti ad infinitum nulla est proportio*, quando *omnes Gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo*; Isaiæ 40. Verùm operosiùs inquiri oportet, quare potius *fortior me* dixerit: non verò *sanctior*, vel saltem *iustior*: non enim absque alta intelligentia id prompsisse credendum est; quoniam studioso relatu id ipsum ab alijs accipimus Euangelistis. Potest autem loquendo de Christi Domini fortitudine, ad ossa in typum eiusdem conuerti: ac si dicatur: humanitatis assumptæ mysterium imperscrutabile est, quemadmodum durum os infrangibile; *os non comminuetis ex eo*, Ioa. 19. Temerè niteretur creatæ locutionis malleolo, ictibusque humani discursus ad penitiora pertingere. Hoc monuit Magister Sententiarum in 3. distinct. 22. qui vt parcè tractanda huiusmodi arcana innueret inquit; *ne ossa Regis Idumææ consumantur vsque*
A 3.sent. d. 22. in expositi. *in cinerem*: id quod exponens Sanctus A Doctor ait; Idumæa sanguinea interpretatur: (Christus Hebræor. 2. *communicauit carni & sanguini*) ossa eius, sunt fortiora & difficiliora ad intelligendum de mysterijs humanitatis eius, quæ non sunt igne curiosi studij, vsque ad minima inquirenda; (quod est, ossa in puluerem redigere) sed sunt silentio honoranda, quasi intellectum excedentia: & sumitur de Amos secundo. Ibi certè legimus; *eoquòd incenderit ossa Regis Idumææ vsque ad cinerem*. Sic ad Hannibal-
B Ad Hannib. ibi. dum; B *ossa Regis Idumææ*; fortes seu difficiles, & interiores proprietates eius. *Vsque ad cinerem consumantur*: ad vltimam perscrutationem, quæ fit per modum resolutionis. Addo; sicuti in cinerem resoluuntur combusta: ita scientia posteriore analysi hoc modo incedit. Cæterùm etsi hæc verè dicantur, ipsiusque fortitudo possit etiam, ad ineuitabilem de malis vltionem referri, atque ad Diaboli expulsionem aptari: ex quo ibidem ait Amos, (cap. 2.) *ego*
C opusc. 58.c.18. *exterminaui Amorrhæum*: (idest C amarum inimicum pro Diabolo) *fortis ipse quasi quercus*: & in psalm. 28. *vox Domini confringentis cedros*. Cedri sunt D homines magni, & significant Amorrhæos, D in psal. 28.
qui erant magni & fortes: at Lucæ 11. *cum fortis armatus custodit atrium suum*, &c. *si autem fortior eo superueniens vicerit eum*: vnde Amos eo loco; *fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam*, &c. *& robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die*: Nihilominus, cohærentiùs videtur mihi accipiendum de Christi morali fortitudine; quæ quoniam expers & incapax peccati omnis fuit, in ipso mirè eluxit. Forte quippe & infirmum contrariè dicuntur; vnde Apostolus 1. Cor. 1. *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*; & c. 4. *nos infirmi, vos autem fortes*. Mysticè infirmus dicitur quis ex peccato; ps. 4. *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. Quis hominum non fuit infirmus? Isaiæ 1. *à planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas*. 1. Ioan. 1. *si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum*. Roman. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc Mundum*; & cap. 3. *omnes peccauerunt*; & 3. Reg. 8. ac 2. Paralip. 6. *non est homo, qui semper faciat bonum, & non peccet*. Itaque, quamuis Ioannes Baptista videretur fortis, dum de illo canit Ecclesia; *ne leui saltem maculare vitam famine posses*; attamen suam fassus infirmitatem ait, *fortior me est*; quasi diceret; ipse Dei largitate non ita graui premor infirmitate, fortis quodammodo videor: at *fortior me est*, qui (1. Petri 2.) *peccatum non fecit; nec dolus inuentus est in ore eius*. Ipse poterit vobis salutem impertiri, quam ego baptizans vos in aqua in pœnitentiam, præsigno. Non erat Baptista ex ijs, quibus improperatur à Domino Ezechielis 34. *quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis*: Sed tamen Ecclesiastici 34. *ab immundo quid mundabitur?* Hebræor. 5. *omnis namque Pontifex, ex hominibus assumptus* &c. *& ipse circumdatus est infirmitate; & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*; & cap. 7. *lex constituit homines Sacerdotes infirmitatem habentes*. Benè ergo ait, *fortior me est*. Ipse solus emundare potest immundos. Iob 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* & Isaiæ 61. *vt mederer contritis corde, eo quòd vnxerit Dominus me*, &c. Cuius auctoritate mederi deinde poterunt alij ministri eius. Sicuti infra Matthæi 9. postquam dixit Dominus; *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*; (vtique infirmitatis figura) *tunc ait Paralytico: surge, tolle lectum tuum*, &c. *videntes turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus*. Ideo *fortior* Ioanne est; quia absque omni peccato debuit esse, qui tolleret peccata Mundi. Nos etiam dimissis peccatis infirmi sumus; vel quia ex peccato originali remanent vulnera naturæ, infirmitas, ignorantia, E malitia & concupiscentia: (& quidem infirmitas in irascibili, quæ E p.1.85. a.1.
subiectum est humanæ etiam fortitudinis) vel quia dimissis actualibus, vel etiam originali peccato, F homo adhuc spiritualiter infirmus aliqualiter remanet; sic vt anima non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ: & hoc nihil aliud est quàm quędam debilitas & ineptitudo, quam quidam dicunt peccati reliquias. Quod est nonnihil remanere ex parte inordinatæ conuersionis, licèt nihil remaneat ex parte auersionis; G quod est remanere reliquias peccati, debilitatas tamen & diminutas, ita quòd homini non dominentur: & sic remanet fomes post baptismum. Quid mirum ergo solida hac attenta Theologia, se debilem ac infirmum protestetur Baptista? eo studio, vt anxiè ad illum recurrant
F in 4. d. 2.2.1. ad quartam, & dist. 23. q. 1. 2.
G 3. p. 86. 5.

qui *fortior est, qui dat lasso* (Isaiæ 40.) *virtutem*; hoc est ex glossa in opusculo H *fidei & operis*, & *his qui lassi non sunt, fortitudinem & robur multiplicat*. Bellè David est *manu fortis*, in typum Domini. Alia in Syntagmate.

H opusc. 60. a. 14.

VERSV eodem. *Cuius non sum dignus calceamenta portare.*

12. D. Chrysostomus; *quia fortior me est, ne æstimes secundum comparationem me hoc dicere; neque enim inter seruos illius ordinari sum dignus, vt vilissimam ministerij susciperem particulam.* Sic ad humilitatem, cordatè quidem hoc refert Hieronymus. Veruntamen quid sub hoc humilitatis themate lateat, laborant Sancti Patres exponere. Ex Diuo Thoma, I calceamentum est humanitas tegens pedem, scilicet Verbum, quo quasi omnia portantur, Hebræorum 2. *portansque omnia Verbo virtutis suæ*. Rursus: L pes occultatus significat Deitatem, calceamentum exteriùs apparens significat humanitatem. Cæterùm, quoniam 1. Corinth. 11. habemus; *caput verò Christi Deus*: & in psalm. 131. *adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*: docemur subinde M per pedes intelligi Mysterium humanitatis, per caput verò Diuinitatem; (probè quidem, dum per humanitatem ad nos venit) non quiescit animus, cur ita inuertatur in præsenti significatio. Secundùm Hylarium calceamentum portant nunciatores humanitatis Christi per Mundum: Chrysostomus super Matthæum itidem huc Apostolos vocat. Vnde Baptista se reputat ministerij Apostolici indignum; Isaiæ 52. *quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem!* At qui semetipsum vocem clamantis in deserto dixerat, cur ad humilitatis studium, se è regione in angulum colligit? neque enim humilitati vt insisteret, phrases aliæ tropique defuerant; puta in morem Abrahæ, *sum puluis & cinis*. Humiliationis igitur reor quidem iecisse in his fundamenta, sed nexu sui sermonis ad ministerium; ac si diceret, nonnihil ago, dum *baptizo vos aqua*; at actio mea baptizandi, quæ dignitatem ex munere, vestraque ex subiectione sibi aliàs vendicat, minoratur adeo, si comparetur vel infimæ Christi Domini, vt ad illum conferri dignus non sim. Profunda isthæc interpretatio elicitur ex consideratione calceamenti, quod exterius quid est, estque operimentum pedis coriaceum. Corium nihil est aliud, quàm animalium pellis: de pelle ita disponit Dominus Leuitici 7. v. 8. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem*: Per pellem, vt ibidem retuli, N exterior Christi actio significatur; (Ephes. 5. *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*; Hebræor. 9. *per hostiam suam apparuit* &c. *semel oblatus est*; *Victimæ Paschali laudes*, canit Ecclesia) quam debet præ alijs Sacerdos vita sua contestari: 1. Corinth. 4. & 11. *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Diuus Thomas; O homo fieri voluit, vt hominibus humanum exemplar præberet indeficiens sanctitatis. Imitabatur Christum Apostolus in deuotione, in subditorum solicitudine, in passionum tolerantia potissimum.

I in 3. dist. 22. exposit. text.

L ad Hānibal. ibi.

M Ioan. 11. l. 2. & 20. l. 2.

N p. 2. q. 102. 5. ad 5.

O 1. Cor. 11. l. 1.

13. Igitur quemadmodum humilitatis studio dixerat Baptista, *fortior me est* (quo sensu & Paulus 1. Corinth. 4. *nos infirmi, vos fortes* P) ita eiusdem virtutis altioris profundo cultu ait; *non sum dignus calceamenta portare*: hoc est nulli quantumcumque exteriori, vel minimæ actioni Christi, meretur operatio quæuis mea comparari. Qui quidquam portat, id exhibet: Ioannes sua vita, etsi austeritate conspicua esset ac solitudine, se nec minimam referre posse actionum Christi imaginem seriò assueverat, nec nimirum calceamenta portare, in vestigij deficientem similitudinem. Omnis Christi actio pellis est Victimæ: *si calceamenta* (pellis vniuersæ assumpta in partem) *portare non sum dignus*, numquid dignus ero, cætera portare mysticè accepta indumenta? nunquid comparari poterit actio aliqua mea, oculo ipsius, quando respiciet Petrum? videbit in Telonio Matthæum? voci eius, cum impios sternet in horto, cum Lazarum excitabit? digitis eius, cum mittet eos in auriculam, dum scribet in terra? sputo eius, cum expuet in terram, linguamque liniet muti & oculos cæci? cum sederit lassus ab itinere mulierem conuersurus de Samaria? cum prædicabit *potestatem habens*? absit, absit à me; *non sum dignus portare calceamenta eius*. Rectè Ecclesiastes, idest Concionator, (qualis erat Baptista) capit. 2. *transiui ad contemplandam sapientiam, erroresque ac stultitiam* (*quid est, inquam, homo vt sequi possit Regem factorem suum?*) *& vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris*. Huius sublimis acceptionis intelligentiam traxit Ioannes contemplatus Christum Dominum, Deum & hominem; quippe qui vt ait Dionysius in Epistola ad Caium (fertur in tertia Parte. Q) *super hominem operabatur ea quæ sunt hominis; non secundùm Deum diuina faciens, non humana secundùm hominem, sed Deo homine facto, noua quadam Dei & hominis operatione*. Operatio isthæc in græco dicitur *theanthrica*, idest *Dei-virilis*, siue *diuina-virilis*, vel *diuina-humana*, vt ibi in primo argumento; & fertur in exemplum ex eodem Dionysio, Virgo supernaturaliter concipiens; & aqua instabilis, terrenorum pedum sustinens grauitatem. Huiusmodi spectans suspiciens immo Ioannes operationem, (etsi maximam, vt cæteras omnes more humano, quasi infimam, quia externam, pellis typo seu calceamenti, vel corij significatam) non esse se dignum referre, vel vmbratili similitudine contestatur; *non sum dignus portare calceamenta*. Dumque imitari studet Christum, (Iob 23. *vestigia eius secutus est pes meus*; Ioannis 10. *& sequuntur me*) ingenti ex humilitate, nec esse dignum imitatione seipsum fassus, ait, *non sum dignus portare calceamenta eius*. Quod eò collimat, vt astruat audientium corde, verum Deum, nedum hominem esse Christum. Vnde Chrysostomus planiori periphrasi legit; *incomparabiliter me dignior est; ita vt ei officium non debeam exhibere*. Ideo Marci 1. additur humilitatis expressior nota; *cuius*, inquit, *non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius*.

P 1. Cor. 4. l. 1.

Q 3. p. q. 19. 1.

Sed hic de dissonantia inter Euāgelistas scrupulus oritur; non enim idem omnino videtur *soluere corrigiam calceamentorum*, atque *calceamenta portare*. Solutio multiplex est ex Augustino; primò, si tanquam diuersa quis constanter accipiat, vtrumque dixisse Ioannem, siue confestim, siue alio tempore: secundò, vnum idemque varijs verbis dici ac significari; nimirum Christi excellentiam suique humilitatem: quæ duo æquè habentur, siue se indignum *soluere* siue *portare* dixerit calceamentum. Certum sit ergo (Augustini ad mentem) ad pedes Christi, & animo & voce sermonem suum conuertisse, humilitatis id studio; non secus ac corpore, mulier peccatrix accessit, diciturque Deuteronomij 33. *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*: & hoc tenuisse memoria Euangelistas, hac vel illa forma enarrandum. Poetæ rem vnam sic variè describunt. *Quisquis autem* (subde cum Augustino) *dicit Euangelistis per Spiritus Sancti potentiā, hoc potuisse concedi, vt nec in genere verborum, nec in ordine,* 14.

nec

ret in numero discreparent; non intelligit, quanto amplius eorundem excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam cæterorum hominum vera loquentium securitatem: vt in Isagoge iam retuli. Hieronymus perpendens Matthæum, & alios ait, *hic humilitas, in alijs ministerium demonstratur*. Hoc ipse libentissimè probo, adijciens interpretationi meæ consentaneum, vt *portare* calceamentum, humilitatem personæ referat; *corrigiam* verò *soluere* distantiam sui ministerij ad tantum Dominum. Et ita vtrumque veriùs arbitror dixisse Ioannem; sed Matthæi scopo, ministerij ratio veluti materialiter se habebat, nonnullum autem de Christi Deitate documentum (vt in Syntaxi elucescet) maximè conferebat. Distinctio ministerij & Personæ aliàs fertur à D. Thoma 2. Corinth. 3. l. 2.

VERSV eodem XI. *Ipse vos baptizabit Spiritu-Sancto, & igni.*

15. [R D. Th. hic.] Multi libri habent, *& ignis*; R sed loquuntur more Græcorum qui carent ablatiuo. Sic Romanorum 2. ibi; *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium*; [S Rom. 2. l. 3.] idest S accusantibus, vel defendentibus; more Græcorum, qui genitiuis loco ablatiuorum vtuntur. Glossa; *spiritu in præsenti abluit*; [T de malo q. 7. a. 11.] T *post, si qua macula surrexerit, igne purgatorio ad purum exurit*. Aliquando dicitur Deus V ignis inflammans, & condemnans, sed hìc [V Isaiæ 33.] intelligitur purgans. Hilarius dicit super Matth. 10. [X 3. p. q. 66. 3. 1. & hic.] X *baptizatis in Spiritu Sancto, reliquum est, consummari igne iudicij*. Item potest ex Chrysostomo A intelligi tribulatio; quia peccata purgat, & [A ibidem] concupiscentiam diminuit. Denique per ignem, ex Hieronymo, (ibidem) intelligi potest Spiritus-Sanctus, qui super discipulos in igneis linguis apparuit, vt patet Act. 2. Ex Dionysio autem in fine Cœlestis Hierarchiæ, peregrina huiusce similitudinis ratio [B in 4. dist. 3. q. 1. a. 3. q. 3. ad 1.] enucleatur; B Ignis enim maximè Deiformationem significat, quia habet lucem ex se, & calorem, qui est qualitas actiua; & quia Spiritus-Sanctus est primum agens Deiformitatem in baptismo, & primum illuminans; sed baptismus est quædam instrumentalis causa; ideo Spiritui-Sancto competit figurari per ignem; sed baptismo per aquam, qua mediante transfunditur à Spiritu-Sancto lumen in anima; sicut per diaphanum lumen corporale ad sensum. Ad hæc Diuus Petrus Act. 11. *recordatus sum autem verbi Domini; sicut dicebat*: (Actor. 1.) *Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu-Sancto*. Nota aliunde, adoptionem filiorum C Dei, esse per quandam conformitatem ima- [C 3. p. 45. a. 4.] ginis ad filium Dei naturalem; certè per gratiam. Diuinus ergo ignis meritò huiusmodi conformitatem, seu Deificationem, vt dictum est, agit. Non autem dicit Baptista, dabit vobis Spiritum-Sanctum, sed *baptizabit vos Spiritu-Sancto*, ex Chrysostomo in Homilia, *copiam gratiæ metaphoricè ostendens.*

VERSVS XII. *Cuius ventilabrum in manu sua, &c.*

[D 1. Petri c. 1. ibi. vocationem &c. & hic.] Ventilabrum D est iudiciaria sententia, quæ modò est in ore, idest in prædicatione, sed tunc erit in manu, idest in executione. *Quantus tremor est futurus!* Sic Rabanus in Catena, discretio iusti examinis designatur; quod habet Dominus in manu, idest in potestate; quia Pater omne iudicium dedit filio, Ioann. 5. recolit Diuus Thomas, & Actor. 10. ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum: & Chrysostomus super Matth. Area, idest Ecclesia; horreum verò Regnum cœleste; ager autem hic Mundus. Adnecte illud Lucæ 10. rogate ergo Dominum Messis, vt mittat operarios in Messem suam: illud etiam Matthæi 13. Messis, consummatio sæculi est; Messores autem Angeli sunt: mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis. Allegoriæ huius proprietates congruentissimè ponderant Patres: cur autem Christi diuinus Præco hanc inter tot, quæ Ecclesiæ quadrare poterant, delegerit, nimirum Aream, ad Syntaxin sustine. Interim quoniam de Baptismo præhabuerat verba, de paleis meminit, neutiquam de zizanijs; quia ex Rabano, paleæ non alio, quàm triticorum semine prodeunt, zizania verò de diuerso: paleæ ergo, inquit, sunt qui fidei Sacramentis imbuuntur, sed solidi non sunt; zizania verò qui & opere & professione secernuntur à bonorum sorte. Sic Hilarius; triticum, perfectos credentium, paleas verò infructuosorum hominum inanitatem: & Augustinus lib. quæst. Euang. in Matth. c. 11. illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quàm zizania reputantur; quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento radicemque communem. Ieremiæ 23. *quid paleis ad triticum, dicit Dominus?*

VERSVS XIII. *Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem.*

Plura in Syntaxi dicentur de hoc textu: prælibandum, notari sine dubio arcanam intelligentiam in 16.
aduerbio illo *tunc*; quod præmittitur etiam v. 5. *tunc exibat, &c.* item v. 16. *tunc* dimisit eum: non enim, tanquam aduerbium temporis, sed tanquam relatiuum ad rem prænarratam accipi debet. *Venit* itaque *Iesus vt baptizaretur*. Docemur E vim regeneratiuam accepisse aquam, ex tactu carnis Saluatoris; [E 4 sent. d. 3 exp. t.] vnde aiebat Chrysostomus; (refertur de Consecratione, dist. 4. c. 10.) *nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi* F *tactu dominici corporis sanctificatæ fuissent*. [F 3. p. 72. 3.] Id ipsum quoque ex eodem Chrysostomo, G & ex Ambrosio, ex professo. [G 3. p. 39. a 1.] Vnde quia tunc videtur aliquod Sacramentum institui, H quando accipit virtutem producendi suum effectum, [H 3. p. 66. 2. 2.] verè institutus fuit ad baptismum Christi: & quidem quantum ad materiam, I figurata etiam aliquo modo forma: [I in 4. d. 3 q 1. s. a 1 secundam.] (vt ad versum 16. & 17.) Necessitas fuit declarata Ioan. 3. *nisi quis renatus* &c. Vsus fuit inchoatus, quando misit discipulos ad prædicandum & baptizandum, vt patet Matthæi 10. sed efficaciam habuit ex passione Christi, quantùm ad vltimum effectum, qui est apertio ianuæ: sed diuulgatio eius quantùm ad omnes nationes præcepta fuit Matthæi vltimo, vbi dixit; *euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*. Licèt igitur quantùm ad documentum L & exercitium præuenta sit Christi passio: [L 4. dist. 2. q 1. 4. 3.] necessitas vtendi Baptismo non fuit indicta, nisi M post passionem & resurrectionem; [M 3. p. 66. 2. 2.] vt ibi ostendit. Ante passionem Christi currebant simul N lex, & Euangelium; quia mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum. [N 4 dist. 1. 1. 4. 3. p. 2 q. 103. 1. 2.] *Baptizatus est autem Christus*, (quod ait Chrysostomus) *vt confirmaret* O *prædicationem & baptismum Ioannis, & vt testimonium acciperet à Ioanne*. [O 3. p. q. 39. 1. 4.] *Venit Iesus ad Ioannem*; (Remigius) *Dominus ad seruum, Rex ad militem, lux ad lucernam*. Baptizatus est autem in Iordane: quia fluuius Iordanis fuit P per quem filij Israel in terram promissionis intrauerunt: [P 3. p. q. 39. 4.] Regnum autem Dei per terram promissionis significatur. De ly *à Galilæa*; in Syntaxi.

VERSVS XIV. *Ioannes autem prohibebat eum dicens; ego à te, &c.*

Potest intelligi, quatenus Q constat, Ioannem à Christo fuisse certò in spiritu baptizandum. [Q 3. p. 36. a. 6. 3.] Sed tamen quoniam glossa, *ego à te debeo baptizari*, exponit R à peccato originali mundari, de baptismo etiam Christi accipiendum est; [R in 4. dist. 1. q. 2. 2. 4. q. 2.] quia Ioannes fructum perfectæ liberationis à peccato (originali) cu-

iuſmodi eſt Cœli ianuam ſibi aperiri, nequibat conſequi, niſi Chriſti baptiſmo.

VERS. XV. *Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.*

17. In ly *ſine modo*, vt ſupra dictum eſt, futurus baptiſmo Chriſti lauandus Ioannes accipitur. Ly *omnem iuſtitiam* paſſim pro humilitate exponunt ex glosſa, quæ fuit Rabani, S ſiue omnem gradum T humilitatis: ſiue ſupremum gradum V humilitatis. Hinc Bernardus; *ſic planè, ſic decet, vt vincat humilitate, quem vincebat* X *ſublimitate*. Et Auguſtinus Serm. 2. Dominicæ infra Octauas Epiphaniæ; *ſine modò; ideſt, quid nunc iſta commemoras? propoſitum ſuſcepi humilitatis: implendum eſt.* Qua in re, clarè video humilitatis pompam in Chriſti deſcenſu ſub aquas, quando Iordanis interpretatur deſcenſus: ſed cur non expreſsè de humilitate fiat mentio torquetur animus; dum aliàs vocis proprietate conſueuit Dominus eloqui hac de virtute: *mitis ſum & humilis corde: qui ſe humiliat exaltabitur*. Pro cuius rei luce, primò conſideranda eſt baptiſmi allegoria. Sanè eſt ad Chriſti mortem, vnde Apoſtolus Rom. 6. *quicumque baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus*: & ideo A ſolemnis baptiſmus agitur in Eccleſia in vigilia Paſchæ, quando fit commemoratio Dominicæ ſepulturæ: habet enim efficaciam ex eius paſſione; Apocalypſis 1. *lauit nos à peccatis* B *noſtris*; vnde de latere Chriſti pendentis in Cruce poſt mortem, fluxit ſanguis & aqua. Et ideo in baptiſmo C fit trina immerſio, non ſolum propter fidem Trinitatis, ſed etiam ad repræſentandum triduum ſepulturæ Chriſti: ſicut enim ille qui ſepelitur ponitur ſub terra, ita ille qui baptizatur immergitur ſub aqua. Hinc Dominus Lucæ 12. paſſionem & mortem ſuam D dixit baptiſmum; *baptiſmo habeo baptizari; & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur!* Quoniam ergo paſſionem & mortem ſuam præferebat baptiſmus, *decet nos*, inquit, *ſic implere omnem iuſtitiam*. Dicit quippe Damaſcenus E per incarnationis myſterium inter alia Dei attributa, monſtrari iuſtitiam, *quoniam homine victo, non alio quam homine, fecit vinci tyrannum*. Et præterea operatus eſt Dominus noſtram ſalutem per F modum ſatisfactionis; paſſio enim eius non ſolum fuit perfectè ſufficiens, ſed & ſuperabundans pro peccatis humani generis, ſecundum illud 1. Ioan. 1. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi*. Ecce quomodo, baptizatus ac moriens, (in ſymbolo prius, deinde re) omnem impleuit iuſtitiam. Dicit autem *decet* non autem *neceſſe eſt*; quia exactio iſthæc iuſtitiæ dependet ex voluntate diuina: (alta intelligentia hoc accipitur) nam ſi voluiſſet G abſque omni ſatisfactione, hominem à peccato liberare, contra iuſtitiam non feciſſet: Vnde Auguſtinus 13. de Trinitate; *iſtum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, Deus liberare dignatur, aſſerimus bonum & diuinæ congruum dignitati: verum, etiam oſtendamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent.* Conueniens etiam fuit 3. p. q. 1. a. 1. Deum incarnari. Sic etiam conſectario ad præmiſſa, ly *nos*: *decet nos*, (quod ingerit quæſtionem, cum ſoleat, vt notat Angelicus in Apocalypſin H ſingulariter loqui) bellè vſurpatur à Domino; quia caput & membra, ſunt quaſi vna perſona myſtica; & ideo ſatisfactio Chriſti ad omnes fideles pertinet, I ſicut ad ſua membra. In quantum etiam duo homines ſunt vnum in charitate, vnus pro alio ſatisfacere poteſt; quia ſatisfactio conſiſtit in actu exteriori, ad quem aſſumi poſſunt inſtrumenta, inter quæ computantur etiam amici. Præconfunditur Lutherana perfidia aſſumens; ſi ſatisfactio Chriſti fuit ſufficientiſſima, quomodo alia ſatisfactio expoſtulatur? nos enim ex illo, & cum illo facimus ſatis: *adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*: Coloſſ. 1. Quoniam verò conueniens, ſeu decens fuit, vt hoc L per paſſionem & mortem Chriſti impleretur: & mors eius obedientiæ nedum ſed & ſummæ humilitatis monſtrauit meritum; nam Philip. 2. *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem*, mortuus M ex obedientia; non fuerit mirum, ſi hanc *iuſtitiam*, *humilitatem* gloſſa interpretata eſt. Gloſſa alia ad Philip. *humiliauit ſe vſque ad incarnationem, vſque ad Diaboli tentationem, vſque ad Populi irriſionem, vſque ad vincula, vſque ad flagella, vſque ad ſputa, vſque ad alapas, vſque ad mortem: & ſi parum eſt hoc; vſque ad mortem crucis*: iterum ergo, de humilitate accipitur ly *omnem iuſtitiam*. Quòd alto item Theologico deducitur diſcurſu, quia baptiſmum mortis imaginem, principaliter docemur N dari contra originale peccatum: Chriſtus etiam principaliùs O venit ad idem tollendum peccatum originale: peccatum autem quod ex primo Parente traducitur in poſteros per originem P eſt Adæ primum; nam alia eius peccata, vel etiam aliorum hominum in filios non traducuntur: cumque primum hominis peccatum fuiſſe videatur Q inobedientia per interiorem motum ſuperbiæ, Eccleſiaſt. 10. *initium omnis peccati ſuperbia*; fit, vt per humilitatem decuerit compenſari: iuxta quod ait Auguſtinus 13. de Trinitat. cap. 17. *ſuperbia hominis, quæ maximè impedimento eſt, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem, redargui poteſt, atque ſanari*. Idcirco in huiuſmodi humilitatis ſpecimen, ſi baptiſmus fiat per ablutionem, ex præcepto R caput abluendum eſt. *Humiliate capita veſtra Deo*. Reprehenduntur ex aduerſo in Scriptura duræ ceruicis, velut ſuperbi. Iob 15. *cucurrit aduersùs eum erecto collo*; & Iſaiæ 3. *pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo*.

Porrò, cum, vt ait gloſſa, vera ſit humilitas, quam non deſerit obedientia: & in paſſione ac morte Chriſti ſummè enituerit: vnde mortuus eſt S ex obedientia; Rom. 5. *ſicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſumus multi; ita & per obedientiam vnius hominis, iuſti conſtituuntur multi*: Ioann. 14. *vt cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*: adde; in huius obedientiæ filialis ſignum, T *inclinato capite* tradidiſſe ſpiritum: quare ait Bernardus; *ne perderet obedientiam, perdidit vitam*: & Angelicus; abſque obedientia, non fuiſſet eius paſſio ita commendabilis: debuit & hæc in baptiſmo mortis imagine, per Ioannem Chriſti capitis membrum exerceri; & ſic Ioannes obediens *dimiſit eum*. Poſſet ergo exponi ly *ſic decet nos implere omnem iuſtitiam*, ideſt implendam in morte mea oſtendere: quod ego humilitate, tu comite humilitatis obedientia, præſtamus. 18.

VERS. XVI. *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua.*

Bellè obijcitur contra ritum aduocandi Anadochum, ſiue Patrinum, qui puerum ſuſcipiat: baptiſmus noſter V per baptiſmum Chriſti conſecratur & ei conformatur; ſed Chriſtus baptizatus non eſt ab aliquo, de fonte ſuſceptus; confeſtim enim aſcendit, ergo videtur, quòd nec in aliorum baptiſmo, requiratur aliquis, qui baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiat. Reſpondet: Chriſtus non eſt baptizatus, vt ipſe regeneraretur, ſed vt alios regeneraret; & ideo poſt baptiſmum non indiguit pædagogo tanquam paruulus; (mitto ly *confeſtim aſcendit*, exponi poſſe quia 2. ad Corinth. vlt. *crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute*; itemque propria virtute aſcen- 19.

S 2. 2. q. 161. a. 4. T Apoc. 3. § 1. V Apoc. 21. X opuſc. 41. l. 3. c. 6. A 3. p. 66. a. 10. B Rom. 6. l. 1. C loc. cit. & 3. p. 66. a. 8. D Matth. 3. & Apocalypſ. 8 Comm 2. ibi, ante a lare. E 3. p. q. 1. a. 1. F 3. p. q. 1. a. 2. & q. 48. a. 2. & 4. G 3. p. 46. a. 2. H Apoc. 3. § 1. Com. 1. I 3. p. 48. a. 1.

L 3. p. 46. 3. M 3. p. 47. 2. N 3. p. 66. 9. O 3. p. q. 1. 4. P Rom. 5. l. 3. Q Rom. 5. l. 5. & 22. q. 163. 1. & prius q. 104. 2. 3. R 3. p. 66. a. 7. S 3. p. 47. a. 2. T opuſc. 41. l. 5. c. 36. & Ioa. 19. V 3. p. 67. a. 7.

ascendit in Cœlum; de quibus 3. par. q. 43. a. 1. & quæst. 47. art. 3.) Sed mirum est quàm altè scripserit Matthæus; *ascendit de aqua*. Baptizatus certè

X 3. p. 66. 7. 2. aquæ supponitur, x sicut Corpus Christi sub terra fuit positum. Ecce ergo, cur non dicit, *exiuit emersit*, sed *ascendit de aqua*: cur etiam de Christo id sit solicitus enarrare, quod de alijs tot baptizatis non curat; quia, vt docet Apostolus Ephes. 4. *quòd autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* (*Iordanis* tamen dictum est interpretatur *descensus*). Hoc ad humi-

A Ephes. 4. l. 3. litatis trahit documentum Angelicus A dicens; notatur, quòd humiles qui voluntariè descendunt, spiritualiter Deo sublimante ascendunt. Sed fortè rogas, cur addiderit ly *confestim*? satis enim intelligi poterat, post præstitum consummatumque baptismum ascendisse, quid vltra in Iordane morari? & præterea; quia non *confestim* è mortuis surrexit, sed tertia die, & ad Cœlos non nisi post quadraginta. Facilè occurritur; quia merito *confestim* conuenit præmium; Augustinus qui fertur de effectu

B 3. p. 48. 1. passionis Christi B *humilitas passionis, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.*

19. Quæritur alibi, C *Vtrum Christus per suam pas-*

C 3. p. 49. 6. *sionem meruerit exaltari*. Planè; Philip. 2. *factus est obediens, vsque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltauit illum* &c. Christus autem in sua passione, (sic tanquam typo in baptismate) se ipsum humiliauit infra suam dignitatem, quantùm ad quatuor: primò quantùm, ad passionem & mortem: secundò quantùm ad locum, quia corpus eius positum est in sepulchro, & anima in inferno: tertiò quantùm ad confusionem & opprobria, quæ sustinuit: quartò quantùm ad hoc; quod est traditus humanæ potestati: Ioan. 19. *non haberes in me potestatem* &c. meruit autem exaltari quantùm ad hæc quatuor: quæ percurrit Diuus Thomas ibidem. Et quamuis ascendisse proprius dicatur ad Cœlos: tamen omnis exaltatio est ascensus: & quia confestim huiusmodi exaltationem promeruit, *confestim* dicitur ascendisse; statim enim ac passus & mortuus est, debita fuit illi exaltatio; vnde *confestim ascendit de aqua*. Videtur autem quadripartita isthæc exaltatio tangi in litera, quam aliàs eo in articulo expendit Sanctus Doctor: in hoc enim, quòd *ascendit*, nedum ascensus ad Cœlos *qui ei aperti* hic *sunt*; sed & resurrectio à mortuis, quando vt dicitur in ps. 67. *ascendit super occasum*, vt interpretatur Gregorius, innuitur: item exaltatio post opprobria, dum filius Dei declaratur *dilectus*. Quod si ly *complacui mihi*, Remigio subauditur *placitum meum constituere, vt per eum agerem, quæ agenda sunt*: cui præiuit Beda ex August. de consensu l. 2. c. 14. dicens; *in te placitum mihi constitutum, idest, hoc per te gerere quod mihi placet*; cur non ad quartam exaltationem queat referri: iudiciariæ scilicet potestatis? Ioannis quippe 3. postquam de exaltatione Crucis (propter quam etiam exaltatus est; donato ille nomine, *quod est super omne nomen*,) dictum est, statim ad iudicium declinat sermo: *qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est*: & deinde; *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*: vnde c. 5. *potestatem dedit ei iudicium facere*: præmisso supra itidem *Pater diligit filium*.

VERSV eodem XVI. *Et ecce aperti sunt ei Cœli.*

20. Aperiuntur Cœli, D vt doceamur qualiter de

D 3. p. 39. a. 5. cætero cœlestis virtus baptismum sanctificat; item quia baptismus est Sacramentum fidei; per fidem autem inspicimus cœlestia, quę sensum & rationem humanam excedunt. Præterea quia per peccatum præclusus erat aditus Regni cœlestis. Veruntamen quoniam ait Apostolus Hebræor. 10. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet Cœlestium, *in sanguine ipsius*: ex quo tradit Angelicus E per passio- E 3. p. 49. a. 5.

nem Christi apertam esse nobis ianuam Cœli, intelligendum est, aperiri quidem Cœlum baptizatis, sed hanc habet efficaciam baptismus ex Christi passione, vt ibi ad 3. Baptismus enim est id, per quod efficimur F participes passionis Chisti: & plenariè F 3. sent. 18. 1. 6. 3.

in baptismo G passio operatur: Et sic baptismus G 3. sent. 12. 3. 1. 4.

quasi causa H instrumentalis aperit ianuam Regni Cœlestis. Quare aditus Regni Cœlestis aperitur H 4. sent. 4. 2. 2. ad 6.

tripliciter: vno modo quantùm ad gloriam animæ, & sic in passione apertus est: vnde dictum est latroni, *hodie mecum eris in Paradiso*; alio modo quantùm ad gloriam corporis; & sic apertum est in resurrectione: alio modo quantùm ad locum gloriæ congruentem, & sic apertus est in ascensione: & his tribus modis baptimus instrumentaliter aperit Paradisum: agit autem in virtute passionis & resurrectionis, & ascensionis, in quantùm homo configuratur Christo passo per immersionem; qua quodammodo Christo consepelitur; & ei resurgenti, quantùm ad nitorem, qui resultat ex aqua; & ascendenti, quantùm ad eleuationem baptizati de Sacro Fonte, conformatur. Dicit autem Hieronymus; *aperti sunt ei Cœli; non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis*; sicut & Ezechiel in principio voluminis sic apertos esse commemorat. Et Chrysostomus super Matthæum; *si enim ipsa creatura rupta fuisset, non dixisset, aperti sũt ei, quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum*. Et hoc Christo secundùm dispensationem humanam, I ex Chrysostomo; secundùm enim naturam diuinam, semper erat in Cœlis. Glossa; *vel tantus splendor circum fulsit Christum in Baptismo, vt Empyreum videretur Cœlum reseratum esse*. Diuus Thomas hìc ait, aper- I 3. p. 39. 5. 1.

tos ei Cœlos, L imaginaria visione. Sic cùm Petrus Actor. 10. *vidit Cœlum apertum*; M docet fuisset pariter imaginaria visione. Si hoc ita fuerit, non mirùm addat Matthæus ly *ei, aperti sunt ei*; Marcusque c. 1. expressius; *& statim ascendens de aqua, vidit Cœlos apertos*. Absolutè Lucas c. 3. *Iesu baptizato & orante, apertum est Cœlum*. Concordia si præter dicenda in Syntagmate; *ei* in re, nobis & absolutè apertum fide, fuisse. L D. Th. hìc M 2. 2. 173. 3.

VERSV eodem XVI. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.*

Inconcussum sit, fuisse veram columbam, quæ re- 21.

pente extitit & postea cessauit, N sicut flamma quæ N 3. p. 39. 6. & opusc. 60. a. 9.

in rubo apparuit Moysi. Dicit autem Chrysostomus super Matthæum; *in diluuio apparuit hoc animal ramum ferens oliuæ, & communem Orbis terrarum tranquillitatem annuncians: & nunc etiam columba apparet in baptismo, liberatorem nobis demonstrans. Cum oporteret delictis ignoscere*, (quod fit in baptismo) *mansuetudo necessaria erat, quæ demonstratur in columba*. Item ait Diuus Thomas, propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio ad Deum; columba enim est animal mansuetum. Ad Hannibaldum, O propendet contrariam in opinionem, vt verum nõ O Ad Hann. 1. d. 16. q. 1 a. 1.

fuerit animal; non ideo tamen vllam admittit fictionem; quoniam similitudo non fuisset ad manifestandam veritatem in ipsa columba, sed ad manifestandam inuisibilem missionem, plenitudinis gratiæ in alios redundantis, quam perfectè repræsentat fœcunditate. Adde ex 3. parte, rectè significasse Spiritum-Sanctum, quia est animal simplex, astutia & dolo carens, ne quis ad baptismum fictus accedat; nam Sap. 1. *Spiritus-Sanctus disciplinæ effugiet fictum*: & iterum ex suis proprietatibus septem, quibus septem Spiritus-Sancti dona mirè adumbrantur: quæ, ibi. Alia in Syntagmate. *Descendentem*. Hic animaduerte alias in Scripturis, dici dona Dei & ipsum Spiritum-

ritum-Sanctum cadere: Ezechielis 8. *cecidit super me manus Domini*; & Actor. 10. *adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus-Sanctus*; nam diuina P dignatio appellatur casus, quia condescensio est. In præsenti Spiritum-Sanctum videt Dominus *descendentem sicut columbam & venientem super se*: non ergo cadit, etsi in columbæ specie descendat, sed venit super eum; quia nimirum dignitate personæ æquatur Christus Dominus Spiritui-Sancto.

P Apoc. 7. ibi ceciderunt in facies suas.

VERS. XVII. *Et ecce vox de Cœlis dicens: hic est filius meus*; &c.

Cum subiectum filiationis non sit Q natura aut pars naturæ, sed solùm Persona vel Hypostatis; & in Christo persona sit æterna, claret hac ex doctrina de filiatione æterna esse vocem Patris. Eo vel maximè quòd illud demonstratiuum *hic* R ad suppositum refertur. Ex quo contra Sabellium concludit Angelicus ibidem, Filium secundùm suppositum, alium esse à Patre. Nam hic est filius dilectus: idem autem supposito nequeunt esse Pater & filius. Nihilominus quoniam, vt supra in tertia Parte, secundùm duas natiuitates; æternam scilicet & temporalem, duas agnoscimus filiationes; vox Patris non incongruè ad filiationem ratione natiuitatis secundùm carnem referri potest: & tunc *dilectus* dicitur Christus in humana natura singulariter S ob gratiam vnionis, quæ gratissimum Deo facit: vel etiam quantum ad gratiam habitualem, quo pacto exponit illud, T *complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum*: Vnde & hic subditur; *in quo mihi complacui*. Cæterum licèt eiusmodi verissimè dicantur, altiùs rem expendi oportere monet nos Euangelistarum differens enarratio: *In primis* Marcus & Lucas tanquam allocutionem Patris ad filium referunt factam: *tù es*, inquiunt, *filius meus dilectus, in te complacui*: quod Matthæus non facit. Secundò Marcus silet ly *mihi*. *Denique* in transfiguratione Matthæus, vocem de nube intonuisse scribit; *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: cur hic ly *benè* non est auditum? Quoad hoc vltimum video responderi posse, omisisse ly *benè* etiam Petrum in secunda c. 1. sed non omisit quoad sensum, immò periphrasi exaggerauit: dicens *accepisse à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria*. Hanc amplificationem non legimus in baptismo, quæ suppleat seu compenset ly *benè*. Sentio ergo, verba in baptismo relata, esse de complacentia *ad extra*; in transfiguratione de complacentia *ad intra*: vnde ly *dilectus* glossat Hilarius pro *consubstantiali*: & Leo Papa; *hic est filius meus, non adoptiuus sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis*. Certè, *cum nemo bonus*, (Lucæ 18.) *nisi solus Deus*; non potuit nisi benè sibi complacere in bono filio bonus Pater. Athanasius de passione & cruce Domini; *nam boni Patris bonus est sermo*. Quod quia subintelligitur satis, exprimere non fuere soliciti Marcus & Lucas in transfiguratione, conscij vel illustratione diuina, id præstitisse Matthæum. In baptismo, vt dixi, de complacentia relatu quodam *ad extra* sermo est, siue ad humanitatem assumptam, in qua *tradidit* (Ephes. 2.) *semetipsum pro nobis hostiam Deo in odorem suauitatis*: (Et ly *complacuit* etiam designat, quòd dona hominis Christi non erant ex facto seu meritis, vt dicit Photinus, sed ex diuinæ voluntatis complacentia, assumentis hunc hominem in vnitatem Personæ. Coloss. 1. lect. 5.) quando è contra (Hebræor. 10.) *ingrediens mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt*; &c. *nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur*. Hoc ad Syntaxin exequitur Lucas dicens, *in quo mihi complacui*. Siue relatio est ad carnis viriumque reparationem nostrarum; & ad hæc Marcus solùm exprimit, *in quo complacui* scilicet hominibus; quod vt posset accipi, abstinet à ly *mihi* (hinc satis ad secundum.) Aiebat Apostolus, omnium in persona Rom. 7. *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & c. 8. *ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*. In Christo filio suo, nobis *complacuit* ad votum. Tertio referendo se ad membra, quorum mysticè caput Christus; in quo, seu mauis dicere in quibus, capitis gratia, se Deus *complacuit*: & sic Matthæus. Et ecce cur narratiuè exequatur factum: quamuis enim ad filium per modum allocutionis credendum sit auditam fuisse vocem; sicut & in transfiguratione, de qua Petrus ait *voce delapsa ad eum*; attamen ne ad Personam duntaxat intelligeretur directa, exclusis membris, noluit tanquam ad Christum factam Matthæus illam referre: à scopo enim principali, quem Syntaxis contendit, deflexisset. Diuus Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 2. cap. 14. admittit intelligi posse etiam placuisse hominibus; sentit item varietate hac ditari intelligentiam, *ne vno modo dictum, minùs intelligatur*; denique *ad vna sententiam, verborum trahi varietatem*; vt supra visum est. Syntaxi veruntamen prætacta peritiùs res edisseritur. Fert etiam nonnullos codices secundùm Lucam habere illa voce sonuisse, quod in Psalmo scriptum est; *filius meus es tù, ego hodie genui te; quamquam in antiquioribus* (quod inquit) *codicibus græcis non inueniri perhibeatur*; clauditq; *tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit, quid aliud, quàm vtrumque intelligendum est de Cœlo sonuisse?* quolibet verborum ordine. Cæterum quid ad amussim scripserint Euangelistæ, vsque ad minimum apicem Ecclesia iam sanxit.

Q 22. 3. p. 35. 5.

R 4. contra Gent. c. 5. sub finem.

S Opusc. 2. c. 214.

T Isaiæ 42. & 3. p. 7. 1.

S Y N T A X I S

Ad Caput Tertium.

1. REgenerari nos spiritualiter nascique, satis in Syntaxi præcedentium duorum capitum vidimus. Præsens caput, quomodo id contingat, profundè colligit; immo quomodo adolescamus mystico augmento coindicat. Certè Sacramentis; quibus; si placet, dicas, renascitur Christus: vnde Augustinus conceptis verbis (fertur hic in catena) *Christus*, inquit, *postquam natus est hominibus, renascitur Sacramentis*. Hoc potissimum obtinet baptismus; qui est A spiritualis generatio: imò dicitur B prima regeneratio; ad differentiam secundæ, quæ claruit in transfiguratione. Est autem regeneratio prout scilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit nouam vitam agere 3. p. 66. 9. Augustinus lib. 6. contra Iulianum Pelagianum, acriter eum meritò carpit quòd *perfundi* nos dixerit: *potuisti enim dicere, quod renascitur; potuisti, quod regeneratur; potuisti postremò quod baptizatur*. Infensus erat baptismi Sacramento ipsiusque effectui. Sed tamen claret Ioan. 3. *nisi quis renatus*

A 1. p. 72. 2. 1.

B 3. p. 45. 4. 2.

fuerit

fuerit &c. Ex Augustino vt fertur 3. p. 67. a. 3. arg. 2. qui baptizat locum Patris obtinet, locum matris aqua baptismi. Vnde D. Th. in 4. dist. 3. q. 1. a. 2. ad 2. Christus in baptismo vim regeneratiuam aquis contulit. Ad hoc quippe baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, C tanquam membra eius, vt Augustinus dicit de Baptismo paruulorum. Et sic homines renascuntur D in filios Dei adoptiuos: & per eundem aggregantur E congregationi fidelium: dicitur enim baptismus *Sacramentum fidei*. Postquam autem spiritualiter in Christo nati sumus, seu renati, in augmentum proficimus. Hinc Melchiades Papa F *Spiritus-Sanctus in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur*. Ideo ibi *in corpore*; vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem homo accipit quasi quandam perfectam ætatem Spiritualis vitæ; vt perfectas actiones agere possit 1. Corinth. 13. *cum autem factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli*. Lego ad hæc Apostolum Ephes. 4. *veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus*. Duo hæc potissimè præsens complectitur caput, qua via recenter nascamur, qua via crescamus; & quia sine interuallo temporum, potest quis perfectam spiritualem attingere ætatem; non mirum si hoc altissimè Matthæus intelligens, postquam vix puerum Christum exposuit natum, ac in Nazareth post ex Ægypto regressionem commoratum, transit immediatè ad adultam ætatem ipsius, quemadmodum & Baptistæ: quam tamen quia temporaliter haud considerabat, minimè retulit, sed suppressit; relinquens id Sancto Lucæ, ipsiusque Instituto. Græcus in Catena Lucæ 3. ab hoc Christus tricenarius accedit ad baptisma, vt ostendat quòd spiritualis regeneratio viros parit perfectos secundùm perfectam ætatem. Et Dionysius 2. c. Eccles. Hierarch. dicit baptismum, *nostræ sacræ & diuinissimæ regenerationis traditionem*. Non mirum etiam, si confusè adeò dixit; *in diebus illis*, &c. quia ætas nulla fixè vel tempus ad rem istam præoccupatur. Anima (accipe ex Diuo Thoma) G ad quam pertinet spiritualis natiuitas, & spiritualis ætatis perfectio, potest sicut tempore senectutis spiritualem natiuitatem consequi, ita tempore iuuentutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, de qua dicitur Sap. 4. *senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata*. Et inde est, quòd multi in puerili ætate propter robur Spiritus-Sancti perceptum, vsque ad sanguinem fortiter certauerunt pro Christo. Ex quo Chrysostomus in Homilia de Machabæis; *in mundanis agonibus, ætatis ac formæ generisque dignitas requiritur; & ideo seruis ac mulieribus & senibus ac pueris ad eos aditus denegatur: in cælestibus autem omni personæ & ætati ac sexui indiscreta facultate aditus patet*. Benè ergo ac studiosè Matthæus, indiscreto quodam temporis relatu, ait; *In diebus illis*. Quamuis dum intonat, *appropinquauit Regnum Cælorum* Ioannis ab ore; dumque ait Dominus Matthæi 18. *nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum*, appositissimè post commemoratum paruulum in Nazareth, ad hæc transit: vt innuat, quod scripsit Apostolus 1. Corinth. 14. *malitia paruuli estote*. O quam sapidè Hilarius in Matth. *nonnisi reuersos in naturam puerorum introire Regnum Cælorum Dominus docet; idest per simplicitatem puerilem, vitia corporum nostrorum, animæque reuocanda: pueros autem credentes omnes per audientiæ fidem nuncupauit*. In diebus ergo illis, aio ego, scilicet pueri seu paruuli Iesu *nati nobis* Isaiæ 9. vt nos cum illo paruuli nascamur, seu renascamur. Et fortè sic paruulo Iesu in Nazareth; statim de baptismo, vt contra Pelagianam hæresim, paruulos etiam doceat baptizandos: proinde originali peccato fœdos: de quo Augustinus fusè lib. 6. contra Iulianum D. Th. 3. p. 68. 1. & Trident. sess. 7. Can. 12. Nihilominus robur vnà simul exigitur spirituale, quia Matth. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: & vide quomodo præmittit ibi Dominus, quando cœperit violentia isthæc; *à diebus*, inquit, *Ioannis Baptistæ*: idest H à prædicatione Ioannis Baptistæ: in raptu violentia est, & quidam conatus: vnde oportet, vt peccator possit venire ad Regnum Cælorum, assurgat ad spiritualia, & conetur multùm, oportet quippe studio I labore ac solicitudine Regnum Dei acquiri. En quomodo ad puerilem innocentiam, roburque spirituale præparat primo in limine Ioannes Concionem; idcirco indeterminatè orsus est. *In diebus illis*. Quæ cuncta vt paulatim digerantur sit.

C 3. p. 68. 5. 1.
D 3. p. 32. 8. 3.
E 3. p. 70. 4. 1.
F 3. p. 65. a. 1. 3. p. 72. 1.
G 3. p. 72. 2. 8.
H Matth. 11.
I Hebr. 1. l. 6.

VERSVS I. *In diebus illis, venit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ*, &c.

Ad baptismum Christi profectò intelligitur disponi debere fideles per pœnitentiam; iuxta quod Act. 2. dicitur; *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*. Generali quadam ratione id fit, vt dictum est supra, L abrenunciando Satanæ &c. Veruntamen præparandi erant fideles, per sanctam prædicationem euangelicamque doctrinam, non secus ac catechumenis fiat. Remigius in Catena; *baptismus Ioannis figuram gerebat catechumenorum; nam sicut modo catechizantur pueri, vt digni fiant Sacramento baptismatis, ita Ioannes baptizabat, vt baptizati ab eo, postea deuotè viuendo digni fierent accedere ad Christi baptismum*. Hinc D. Thomas; M consuetudo est in Ecclesia, vt priùs catechumeni fiant, qui baptizari debent, scilicet vt fiat quædam præparatio, & accipiant quod : dam signaculum; per quod idonei reputantur: & hoc est quod dicit; *ego baptizo*; vt scilicet sciatis vos aptos esse, qui à Christo baptizari intenditis. Et Beda; N quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantùm profuit baptisma Ioannis ante baptisma Christi; quia sicut ille prædicabat pœnitentiam, & baptismum Christi prænunciabat, & in cognitionem veritatis, quæ Mundo apparuit, attrahebat; sic ministri Ecclesiæ primò erudiunt; post, peccata eorum redarguunt; demum in baptismo Christi remissionem peccatorum promittunt. Spiritualis generatio; quæ fit per baptismum, O assimilatur quodammodo generationi carnali; vnde dicitur 1. Petri 2. *sicut modò geniti infantes, rationabiles & sine dolo lac concupiscite*. In generatione autem carnali, paruulus nuper natus indiget nutrice & pædagogo; vnde & in spirituali generatione baptismi, requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando & instruendo eum, quasi nouitium in fide de his quæ pertinent ad fidem, & vitam christianam. At ibidem P, ad facilem inquit partum & educationem pueri conuenientem requiritur obstetrix, & nutrix & pædagogus; quorum vices implet in baptismo, qui puerum de sacro fonte leuat. Huiusmodi personas gerit Ioannes, quia si susceptor ibidem à Dionysio dicitur *Dux, doctus pædagogus*, (*pædagogus* etiam *dux pueri*) & *Pater*: doctus agnoscitur Ioannes, qui Spiritu-Sancto repletus est adhuc ex vtero Matris suæ; item dux, quoniam *præiuit ante faciem Domini parare vias eius*. Lucæ 1. sed quia aiebat Apostolus 1. Corinth. 4. *si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres*; adhuc Patris munia per Ioannem exercita debent animaduerti, quia vt

2.
L 3. p. 68. 6.
M hic
N 3. p. 38. a. 1.
O 3. p. 67. a. 7.
P ibi ad 2.

Paulus,

Paulus, Ioannes potuit proferre, *in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*: ex eo enim Lucæ 16. *Regnum Dei euangelizatur*. Quòd si Pater, vt ibi con-
Q 1. Cor. 4. l. 3. sideratur Q est qui primò generat, pædagogus autem, qui iam natum nutrit & erudit, hoc sibi præ alijs vendicat Ioannes encomium; ex quo, Regnum Dei euangelizatum est: sed & nutricis promeretur cum illo titulum 1. Thess. 2. *tanquam si nutrix foueat filios suos*: ex vna parte condescendendo infanti balbutiendo, eique loquens vt puer loqui discat:
R primo Thess. 2. l. 1. (hunc expendit nutricis morem. R) Ideo fortè appellatur vnà simul *puer* (quasi condescensu) & *Propheta* quoque, Luc. 1. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*: vt discerent Iudæi pronunciare, *cuius non sum dignus calceamenta portare*; vtque dediscerent iactare, *Patrem habemus Abraham*, altera ex parte tanquam filios corrigendo, Prou. 13. qui parcit virgæ odit filium; nam c. 22. quando *stultitia colligata est in corde pueri; virga disciplinæ fugabit eam*. Et ecce intonat, *genimina viperarum; securis iam ad radicem posita est*: quemadmodum ad proborum allicium; *appropinquauit Regnum Cœlorum*. Quoniam ergo dicturus erat Dominus, (Matth. vltimo) *docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. vbi Gregorius *priùs docent, deinde doctas intingunt aqua, quia non potest anima baptismi recipere Sacramentum, nisi ante fidei susceperit veritatem*, Ioannes in Doctorum ac Prædicatorum typum prædicat, in de-
S opusc. 41. l. 2. c. 5. & serm. Dom. de Euangelio 4. Epiphaniæ. T Rom. 10. l. 2. serto Iudææ. Desertum S stat pro Mundo. Cantic. 8. *quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Marci 16. *euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium*, &c. Cæterum quia de renascituris instituendis hic loquimur, deinde intingendis, arctatur ad desertum Iudææ, quæ interpretatur T confessio: *corde creditur ad iustitiam* Rom. 10. *ore autem cõfessio fit ad salutem*: ore autem fit confessio diuinæ veritatis; Matthæi 10. *omnis qui confitebitur me coram hominibus* &c. Ideo baptizati liniuntur chrismate in fronte signo crucis, vt ipsum Crucifixum confiteri non erubescant. Rom. 1. *non enim erubesco Euangelium*. Igitur cum *ex eo* (Ioanne) Lucæ 2. *Regnum Dei euangelizatur*; benè *in Iudæa*; siue *in deserto Iudææ*: ad Confirmationis Sacramentum subinnuendum: de quo ad vers. 11. huius capitis. Vel etiam fas sit accipere ly *in deserto* pro gentilitate, quod & pro Iudæa ex Haimone Isaiæ 40. Porrò si *desertum, Gentilitas*, vt & in Allegoriarum Sylua traditur, Iudæa stet propriè; nam ad vtrosque catechismus baptisma & confirmatio cum doctrina Euangelica sine dubio attinent: Ideo fortè Isaias statim inducitur, quòd præ cæteris (vt dixit Ambrosius Augustino) *Euangelij vocationisque Gentium, sit prænunciator apertior*.

VERS. II. *Pœnitentiam agite.*

Antea Ioannes erat in desertis *vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*, vt legimus Lucæ 1. dummodò in Iudææ perhibetur deserto ad prædicandum, signanter id fit, ad illam quoque signandam confessionem Iudææ nomine, quæ est propriæ iniquitatis; secundùm illud Psal. *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino*, vt ibi ad Romanos, quæ etiam est confessio pœnitentis. Legis infra, *confitentes peccata sua*.

VERS. III. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.*

3. In Ps. 24 vbi extat; *vias tuas Domine demonstra*
V ps. 24. lit. d & hic *mihi, & semitas tuas edoce me*: viæ Domini V quibus itur ad Deum, sunt præcepta; Matthæi 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Necte ex ps. 118. *viam iustificationum tuarum instrue me; viam iniquitatis amoue à me; viam veritatis elegi; viam mandatorum tuorum cucurri*. Certè vbi liberè curritur, via recta est. Hic in singulari via dicitur; in dilectione Dei, ex qua proximi, *vniuersa lex pendet*; Rom. 13. *plenitudo legis dilectio*. Per hanc viam dilectionis Dominus ad nos venit; eo loci ex Diuo Thoma, *si quis diligit me, &c. ad eum veniemus*: Sic idem Dominus vtroque loquitur numero; *si quis diligit me, sermonem meum seruabit; qui non diligit me, sermones meos non seruat*. Adde, Spiritum-Sanctum, cuius dona sunt omnia Sap. 7. dici ob multiformem X operationem, *vnicum & multiplicem*. 1. Cor. 12. *diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. De quo fusius supra in expositione Capitis ad versum 3. Cohærenter Apostolus *gressus rectos facite*. Peccatum A est obliquitas quædam & curuitas; rectum enim dicitur, cuius medium non exit ab extremis; idest cuius operatio non recedit ab intentione & fine debito. Item animus per auersionem à fine deordinatur; & huiusmodi deordinationi opponitur rectitudo, qua homo dirigitur in Deum. Ecclesiastes 7. *fecit Deus hominem rectum*. Ad hæc Baptista; *rectas facite semitas Dei nostri*. Quare sicut ibi ait D. Thomas, triplex est obliquitas, in affectu, in operatione, & in intellectu. Ergo *rectas facite*, idest quantum in vobis est, date ad hoc operam: sed propriè rectificare est solius Dei; ps. 16. *dirige gressus meos in semitis tuis*; seu potius perfice gressus meos; Isaiæ 45. *ego suscitaui eum ad iustitiam & omnes vias eius dirigam*. Adde ministerialiter esse Prædicatoris munus siue Doctoris; & ideo Ioannes ipse Lucæ 1. dicitur paraturus has vias; *præibis ante faciem Domini parare vias eius*: & Malachiæ 3. Lucæ 7. *qui præparabit viam ante te*. Meritò autem hic de *via* ac de *semitis* introducitur, quoniam eò collimat oratio, vt ei qui venerat a Patre *ad currendam viam*, quique versu 11. *venturus* perhibetur, fideliter & deuotè obuietur. *Arcta* prætere a est *via quæ nos ducit ad vitam* Matthæi 7. ideo adiectum de *semitis*. Quamquam per *semitas*, B consilia accipi possint; tanquam arctiora & breuiora, atque ad perfectionem quæ intenditur, (Matth. 5. *estote ergo vos perfecti*) certè proficua. Et vtrumque intentum fuisse ab Ioanne claret; quandoquidem præiuit *ad dandam scientiam salutis plebi eius*. Et ad eandem summi Regis plebem erudiendam nostrum omnium antesignanus Baptista, (quoniam *in maleuolam animam* Sap. 1. *non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*,) *prædicat pœnitentiam*.

X 3. ps 72.2.2.
A Hebr. 12. l. 3. ps. 50. lit. f
B ps. 24. lit. d

VERSVS IV. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum*, &c.

Habitum pœnitentiæ gestet etiam externè qui alijs prædicat; cuiusmodi Ioannis fuit, vt dictum est. 4.
Oportet Episcopum (huius vices Prædicator exercet) Timoth. 1. 3. *testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt*. Si secus fiat, illud Ieremiæ impletur cap. 23. *in Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij*. *Iter mendacij* palam cognoscitur, cum vitæ veritas verbis non correspondet: *dicunt enim & non faciunt*, infra c. 23. Ita & adulterium verbi 2. Corinth. 2. *adulterantes verbum Dei*. De Baptista, Ioannis 5. *erat lucerna ardens & lucens*: Bernardus; *lucere tantùm, vanum est; ardere & lucere, perfectum est*: Gregorius; *cum Pastor per abrupta vitiorum graditur; necesse est, vt in præcipitium grex sequatur*. Repete; *parate viam Domini, rectas facite semitas*. Et Hieronymus lib. 2. Epistolarum Epist. 12. *non confundant opera tua sermonem tuum; ne cum in Ecclesia loqueris, tacita sanctimonialis respondeat; cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis?* (nota quomodo Matthæus pressè ait, *ipse autem Ioannes* &c.) *Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent*. Non sic Ioannes Baptista, qui *venit* (Lucæ 7.) *neque manducans panem*,

xim, neque bibens vinum. Idem Hieronymus ad Rusticum Monachum (fertur in 2. 2.) *sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt: vilis tunica contemptum Sæculi probat:* C & ibi Augustinus; *qui in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus, intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur; cæteris eius operibus potest cognosci; vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat*. Certè Ioannes Prædicatorum præcursor synceré docuit, vt claret vitæ ipsius testimonio. 2. Corinth. 2. *ex synceritate sicut ex Deo*; idest illa synceritate, quæ est digna nunciatio Dei 1. Petri 4. *si quis loquitur quasi sermones Dei*. Ideo animaduerte allegasse Isaiam: *parate viam Domini*. Suppressit autem *in solitudine*, quod extat in Isaia, eoquòd, vt reor, solitudinem commonebat satis, eius in deserto incolatus. Ex quo elucet, an Matthæus, an Ioannes hanc auctoritatem protulerit Isaiæ; quocirca fuere velut incerti Interpretes: procul dubio siquidem illam Ioannes attulisse credendus est; studiosè, ne insimularetur quasi suspectus iactantiæ, omittens exprimere ly *in solitudine*, quod fortiùs re ipsa ostendebat.

C 2.2.q. 187.6.

VERS. V. *Tunc exibat ad eum omnis Ierosolyma*, &c.

5. Graphicè delineatur, qui Sanctum Euangelij fructuosè prædicet verbum. Et quidem ex Apostolo 2. ad Timot. 4. instruimur: *argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Ioannis 3. *vt non arguantur opera eius*; & c. 16. *arguet Mundum de peccato*. Dum pœnitentia indicta est, (*pœnitentiam agite*) arguit Prædicator. Obsecrat etiam, dicendo cum Isaia: *parate viam Domini, rectas facite semitas eius*: nec absonum sit obsecrasse, *per viscera misericordiæ Dei nostri*: id quod adiecit Pater eius Lucæ 1. in Cantico; sicuti & Paulus 2. ad Philippenses, exhortatur eos, *per viscera miserationis* ad quod intendit. Increpat etiam; vt dicitur Titi 1. *increpa eos durè*: Prouerb. 6. *via vitæ increpatio*. Prou. 15. *qui increpationes odit morietur*. Increpatio specialiter D ad malos: cum ex malitia non peccant, Galat. 6. *in spiritu lenitatis* instruendi sunt. Cæterùm opportunè importunè instandum docet Apostolus: & ecce

D 1.Tim. 4.l.2.

VERS. VII. *Videns autem multos Pharisæorum & Sadducæorum*.

6. Hi qui Religiosiores videbantur, tanquam maiores fuerant sine dubio causa ruinæ. Eusebius Emissenus Serm. Dominicæ 11. post Pentecosten; *ruina populi maximè ex culpa Sacerdotum fuit*. Hieronymus ad hæc super Epist. Titi c. 2. *vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quàm clericos*. E contra legimus 2. Machabæorum 3. *cum leges etiam adhuc optimè custodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem*. Eiusmodi pestilentibus acriùs loquendum est. Veniebant ad baptismum Ioannis: verùm non lego sicut prius de populo dicitur, *baptizabantur*: immò dum aliàs Lucæ 7. *populus, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis; Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo*. Et palam contestatur Matthæus infra, Principes Sacerdotum, & seniores populi non credidisse Ioannis baptismo: turbis ex aduerso habentibus ipsum sicut Prophetam. Ad talium qui sunt duriores, accessum, durus sit sermo; opportunè quidem, etsi sit importunus. *Progenies viperarum*, &c. Quippe qui tanquam radices malorum Ioanni metaphoram suggerunt: iam etiam, *securis ad radicem posita est*. Subdatur; *in omni patientia, & doctrina*. Ne iratus, inquit, E apparens, & ex ira instruas, sed tranquillè Prou. 19. *doctrina viri per patientiam noscitur*; ps. *bene patientes erunt, vt annuncient*. Aiebat Gregorius; *exhibenda est prauis asperitas in ostensione, sed charitas in corde*. Vbi ait Dominus Marci 9. *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*; Hieronymus; *vt scilicet salsedinem correptionis, amor proximi temperet; & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat*. Quid statim suauius? *facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: & ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham*; &c. Itaque, quia Prouerb. 10. *qui increpationes relinquit, errat*; addit rursus; *iam enim securis ad radicem posita est*. Potest etiam exponi apertiùs ly *in omni patientia* ex aduerso ad discipulos Lucæ 9. dicentes; *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de Cœlo & consumat illos?* de quo, *conuersus* increpauit illos dicens; *nescitis cuius spiritus estis*: vbi glossa quæ fertur in Opusc. F *non semper in eos qui peccant, est vindicandum; quia nonnunquam magis prodest clementia, tibi ad patientiam; lapso ad correctionem*. Comminetur Prædicator instar Baptistæ: non statim imprecetur pœnam: & *in omni patientia*, quia de nullo hac in vita est desperandum. Prouerb. 19. *erudi filium tuum; ne desperes*. Et hoc quoniam ex Augustino; *omnipotenti Medico nullus morbus est insanabilis: quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare semen Abrahæ*: Ezechielis 11. *auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*. Ad rem ergo.

E 2.Tim. 2.l.1.

F Opusc. 19.16.

VERS. IX. *Quoniam potens est Deus*.

7. Inter alias dicti huius causas Doctrinæ erudimentum ijs qui per baptisma nascuntur præcipuum est. *Prima* enim (ex Hieronymo in Catena) *sunt rudimenta fidei Deum posse quicquid voluerit*. (Ante baptismum ex D. Thoma 3. p. q. 71. a. 1. debet præcedere catechismus.) Hinc Exodi 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham Isaac & Iacob in Deo omnipotente*: G quia scilicet præcedentes Patres fuerant instructi in fide de omnipotentia vnius Dei. Alibi lego Apostolum ad potentiam quidem Dei conuerti, quo salutis spem astruat Roman. 11. *potens est enim Deus iterum inserere illos*: at Ioannes paradigmate Abrahæ seminis, quod ait, firmat; eo reor fine, vt promissio Abrahæ facta de semine recoleretur; *In semine tuo benedicentur omnes Gentes terræ*. Gen. 22. atque adeo sensim, ad intelligendum Incarnationis mysterium via sterneretur. Ad potentiam diuinam recurrit, teste eodem Apostolo cap. 4. *Abraham, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere*: præmittitque, *nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluã Saræ*. Dicens etiam *ex lapidibus*, ex Hieronymo in Catena; simile est ei quod ex Sara possit Isaac. Vnde & Propheta dicit; (Isaiæ 51.) *attendite ad petram vnde excisi estis & ad cauernam laci de qua præcisi estis: attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*: vt ostenderet H vtriusque mortificationem & frigiditatem; fas sit, addi sterilitatem, quam præfert petra; nam *semen cecidit super petram, & natum aruit*, Lucæ 8. *quia non habebat humorem*. Dum ergo *semen* Abrahæ memoratur, quid nisi Christum iam venisse docendum docet? & *semini tuo, qui est Christus*; Galat. 3. Per incarnationis quippe mysterium, ex Damasceno I præ alijs attributis diuinis, *diuina monstratur potentia, sine virtus infinita, quia nihil est maius quàm Deum fieri hominem*. Iacitur autem, immò præiacitur hoc fundamentum; quia scimus ex Diuo Thoma, L quòd post peccatum primi parentis, nemo potuit saluari à reatu culpæ originalis, nisi per fidem Mediatoris. (Act. 4. *non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*; Ioan. 14. *nemo venit ad Patrem nisi per me*.) Huiusmodi fides, vt ibidem tradit, à gentilibus ante Christi aduentum saluatis, fuit exercita in quantum credebant Deum esse remuneratorem; quæ remunera-

G 1. 2. 174.6.

H Rom. 4.l.1.

I 3. p. q. 1.a.1.

L Hebr. 11.l.1 & 3. p. 61.a. 1.ad.1.

tio

tio non fit nisi per Christum: vnde implicite tantùm credebant in Mediatorem. Qui fuerunt sub lege explicite magis quàm ante legem, quia in figuris eis repræsentabatur Christus. Quantùm autem ad Dei cognitionem, prout est Pater Vnigeniti, & consubstantialis, quantùmque ad vnitatem Essentiæ ac æternitatem Personarum, in veteri Testamento non fuit explicite creditum, nisi à maioribus. Vide mi lector qualiter Ioannes ad populum sub lege loquens, ad eorum maiores Pharisæos & Sadducæos; item ad Gentilium futuram conuersionem spectans, mirè pro cunctorum idoneitate fit sator, (quem Apostolici imitentur viri) doctrinæ fidei. Figuram promit ijs qui sub lege, in Abrahæ promissis; illam (ne glorientur qui ex semine) retorquet Gentilibus lapidum typo: quod probant Interpretes. Gentilibus eisdem accessuris ad Deum, quos oportet subinde credere, Hebræor. 11. *quia est, & inquirentibus se remunerator sit* per locum à contrario; (Concioni opportunius) quia *omnis arbor, quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, id insinuat. Maioribus sine dubio clariùs de Christo, *cuius non sit dignus portare calceamentum*; deque Spiritu-Sancto, vt patet, verba facit. Iamque remuneratorem apertè pandit subijciens; *congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Quid est hoc rogo, nisi prædoceri omnes Gentes? priusquam pro regeneratione baptizentur *in nomine Patris & filij & Spiritus-Sancti*: quod capite Euangelij huius vltimo iniunctum est.

8. Verùm vt sublimis hæc ab Ioanne disciplina percipiatur, duobus prouocanda est obiectis. Primum, quærendo, cur additum sit ly *& igni*; satis enim de tertia Spiritus-Sancti Persona prædictum palam fuerat; vtquid metaphoricè sermo, cum præiuit proprius? Secundum, instando, quare ad Ecclesiam iudicijque discretionem significandam, assumitur allegoria de Area tritico & palea? Vt quid detineri tropis, cum plebi edisserenda sunt dogmata? cur eiusmodi delecta est metaphora? cur non de gladio vtraque parte acuto, sicut Apocalyps. 1. de Throno librisque apertis, vt cap. 20. facta est mentio? Ad primum planè respondeo, (nec abs re fuerit) adiectum esse ly *& igni*, vt intelligatur (quod Hieronymus dicit) M de Spiritu-Sancto, qui super discipulos in igneis linguis Actorum 2. apparuit. Itaque vno verbo tangitur de Sacramento confirmationis. Hoc instituit Dominus Ioannes 16. non illud N exhibendo, sed promittendo; *si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*. Contulit autem Christus rem huius Sacramenti, idest plenitudinem Spiritus-Sancti, sine Sacramento, potestate excellentiæ. Nihilominus per aliquid conforme materiæ eiusdem Sacramenti, in specie scilicet *ignis*; nam ignis habet vim actiuam, O sicut oleum passiuam. Et sic per ignis visibilis descensum confirmati sunt ab initio ad impositionem manuum Apostolorum fideles; Act. 11. etiam ad prædicationem: *cum cœpissem* (ita Petrus) *loqui, cecidit Spiritus-Sanctus super eos, sicut & in nos in initio*. Quoniam igitur confirmatio, vt ibi docet, aliqualiter est necessaria ad salutem, meritò de illa tangitur in ly *& igni*. Et quia plenitudo hinc est gratiæ; non mirum si vsurpetur vox ea *baptizabit Spiritu-Sancto & igni*; quo verbo ait Chrysostomus in Homilia, *copia gratiæ ostenditur*: subditque *in igne vehementiam gratiæ, quæ vinci non possit, monstrari*. Quod apprimè confirmatorum robori adstipulatur. Quomodo enim ad pugnam fieret cum Diabolo congressus (sequenti capite) nisi præhabito chrismate?

M 3. p. 66. 3. 1.

N 3. p. 72. 1. 1.

O ibi a. 2. ad 1.

9. Ad secundum dico, præmittens Sacramentum Eucharistiæ, quoad rem, quæ est vnitas corporis mystici, esse P de necessitate salutis; quam quidem fidelis recipit, ex voto illud suscipiendi. Per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: vnde & pueri ex hoc ipso quòd baptizantur, ordinantur per Ecclesiam: & ita sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam; & per consequens accipiunt rem ipsius. Baptismus est principium Spiritualis vitæ & ianua Sacramentorum: Eucharistia est quasi consummatio spiritualis vitæ; & omnium Sacramentorum finis. Perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam: perceptio Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam. Baptismus est Sacramentum mortis & passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo, virtute passionis: Eucharistia est Sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in vnione ad Christum passum: vnde sicut baptismus dicitur Sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ; ita Eucharistia dicitur Sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, Colossensium 3. Hæc D. Thomas. Quæ cum ita sint; cum tanta sit vtriusque Sacramenti connexio atque relatio, quis queat ambigere, non debuisse silentio inuolui Eucharistiam, vbi de Baptismo ipso fuerat agendum? Et quomodo Christo nato renati incorporaremur, nisi de Sacramento in quo *vnus panis, & vnum corpus multi sumus*, innueretur? Continet hoc Sacramentum Christum Dominum, in quo vno Ecclesiastica vnitas solidatur: absit, vt ieiunus abeat auditor, (qui audit, vt inde credat) à prædicante. Ecce quare, me iudice, inductum est de *area de tritico & horreo*. Isthæc omnia panis Eucharistici monent mysterium. Non secus ac Ioannis 12. ipsemet Dominus de se ipso ait; *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. In quo ad Eucharistiæ materiam alluditur dicente Augustino, ex 4. sent. Q *cum sint multa grana seminum, nulli se Christus comparat, nisi frumento: ex quo mos cœpit Ecclesiæ de solo hoc grano conficere corpus Christi*.

P 3. p. 73. a. 3. & ad 3.

Q 4. dist. 11. q. 1. in vtroque Comm.

VERS. XIII. *Tunc venit Iesus à Galilæa*. &c.

10. Mirum est solicitum fuisse Matthæum de commemorando loco, vnde Iesus ad Baptismum Ioannis venerat. Quod non curauit referre Lucas. Et quare sic ab ampla Galilææ regione? Scripsisset saltem vt Marcus c. 1. *venit Iesus à Nazareth Galilææ*. Quando præsertim 2. capite tàm accuratè notarat, *secessisse Ioseph in partes Galilææ, & habitasse in Nazareth*. Augetur quæstio, quia si intendit Matthæus Christum venisse Iudæos monere; cum sciret consueuisse illos dicere Ioannis 5. *nunquid à Galilæa venit Christus?* etsi re ipsa illinc ad baptismum venisset, decuit sileri. Quod si pro veritate sic fuerat; rogabit quis, cur Dominus inde, non potius de Bethlehem disposuit ad baptismum accedere? Syntaxis difficultatem omnem euacuat. Habens enim Matthæus præ manibus membrorum Christi per baptismum generationem, maluit *à Galilæa* dicere, quàm *à Nazareth* in speciali; eoquòd quicumque ad baptismum venit, transitum transmigrationemque facit (interpretatur *Galilæa transmigratio*) R de vitijs ad virtutes. Quod ipsum in Ioan. repetit ex illo Ecclesiastici 24. *transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*. Inter quas in Prologo sententiarum, est qua regeneramur in Dei filios. Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit* &c. Quid sunt hæc rogo, nisi Galilææ hoc est transmigrationis regenerationis credentium notæ? Ad hæc Augustinus lib. 6. contra Iulianum Pelagianum, lauacro regenerationis perpenso, allegat Paulum Coloss. 1. agnata *Galilææ* voce dicentem, qui *transtulit nos in Regnum filij dilectionis suæ*. Translatio etiam fit quædam tritici à palea per ventilabrum: & ideo ibidem

R Matth. 4. fine Ioan. 6. l. 1. Prologo sent. ad Hannib.

bem præhabet idem Sanctus Pater, *purgatur à palea triticum, sicut homo à peccato*: Dic tù; Spiritus-Sancti exufflatione; quandoquidem *insufflatur* à Domino, venitque *tanquam sonus spiritus vehementis*. Bellè ergo ad *Ioannem* qui *gratia* interpretatur; quando ad gratiam baptismalem acceditur. Et huc etiam facit, quod ait ibidem Augustinus; *verum*, inquit, *est*, *quod antiquitùs veraci fide catholica prædicatur*, *& creditur per Ecclesiam totam; quòd filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à Principe mortis erueret*. Ecce *ventilabri* signatum. Et ecce vim aduerbij illius *tunc*, quod licet sit temporis, tempus nullum insinuat, de quo prius dictum sit; sed ideo scriptum est, quo animaduertamus rerum enarratarum ordinem; *tunc* scilicet, cùm catechismo Christianæ fidei sunt imbuti fideles: iuxta quod Dominus; *docete*, ait, *omnes Gentes*; inde, *baptizantes*: priùs doceant, postmodum verò *doctos intingant aqua*. Sit ergo.

VERS. XIV. *Ioannes autem prohibebat eum dicens, ego à te*, &c.

VERS. XV. *Respondens autem Iesus, dixit ei; sine modò*.

11. Pugnat cum humilitate humilitas; cùm agitur de sanando superbiæ vulnere, quale fuit primi Parentis, vt supra dictum est, per baptismi susceptionem delendum. Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Lumina: *non suscipit Baptista; contendit Iesus. Ego*, inquit, *opus habeo à te baptizari: lucerna dicit ad Solem; & vox loquitur ad Verbum*. Et Ecclesia; *baptizat miles Regem, seruus Dominum suum, Ioannes Saluatorem*. Quod facessit negocium, est Christi Iesu responsio; *sine modò*. Et quidnam sibi vult tam breuis responsio? Exauditur Ioannis votum, nec ne? Planè arbitror, vt deuoto exerceremur studio, sic Iesum locutum; sed ad hunc sensum, vt Baptistæ desideria complectantur. Ac si diceret, cupis ipse à me baptizari: *sine, modò*: nunc id executioni est mandandum: *sine* ergo me baptizari; nam eo ipso, & tu purificaris sanctificaris. Sanctus Maximus Homilia 1. de Epiphania; *ferunt hodie suscepto à Ioanne baptismate, suum simul purificasse Baptistam*. Nazianzenus; *Ioannes baptizat, & accedit Iesus sanctificans quidem & ipsum qui baptizat*. Quod si res ita est: cur non dicatur exauditus Ioannes? & hoc sonare illa verba; *sine, modo*: quod firmat pluralis ea locutio; *sic decet nos implere omnem iustitiam*: (*Nos*; idest ego *&* tù baptizati ambo: vel ea de causa, quòd vnum sis mecum, ceu membrum meum, cum me capite) ad quod signandum, potestate excellentiæ, magis quàm cum in vtero, sanctificeris. Accessit præterea Iesus ex Nazianzeno, præcipuè *vt & veterem Adam sepeliat in aquis*. Diuus Augustinus Tract. 6. in Ioannem; *Petrus baptizet; hic est qui baptizat: Paulus baptizet; hic est qui baptizat*: addiderim ego; *Ioannes baptizet; hic est qui baptizat*. Christus ergo etiam in Ioannis ministerio princeps erat baptizans; cui & ipse poterat ac debebat Ioannes subijci. 2. Corinth. 2. *nam & ego donaui &c. in Persona Christi*. Benè ergo, dictum est; *sine, modò*: postquam baptizari à me sentis; *sine, modò*: ipso tuo ministerio te baptizo. Si enim idem Nazianzenus adiecit; *secum quodammodo, educens & eleuans Mundum*, cur non & ad Ioannem retorqueatur dicendo; *secum quodammodo, educens & eleuans Ioannem*? iuxtà quod præoptauerat baptizari. Et sic facilè capitur; *sic decet nos implere omnem iustitiam*: tu qui de Mundo immundo vnus es, sis totius vice; ego qui *in Mundo eram, possumque si volo mundare*, iustitiam omnem implemus; tù passus, ego actor. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, quia quotquot iustificabuntur, hac ex dispensatione, id assequentur: Ecclesia eiusmodi canit, dicens; *veterem hominem renouans Saluator, venit ad baptismum: caput Draconis Saluator contriuit in Iordanis flumine, & ab eius potestate omnes eripuit: Magnum mysterium declaratur hodie; quia Creator omnium in Iordane, expurgat nostra facinora*. Nazianzenus; *simul & nos descendamus, vt cum ipso pariter ascendamus*. Sequitur,

VERS. XVI. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei Cœli*.

Baptismum, cum Christus baptizatus est, fuisse institutum, S ne excidat recordatione. Quid mirum si confestim ascendatur deposito peccati onere? Hebræor. 12. *deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum*. Colossens. 3. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*. Augustinus Sermon. 174. de tempore; *facilè corpus leuabitur in alta Cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum*. Subditur ad Colossenses; *& induentes nouum eum, qui renouatur* &c. Tridentinum Sess. 5. de peccato originali sententiam illam Roman. 8. *nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*, (de damnatione debita peccato originali, intelligit etiam Diuus Thomas in p. 2. 89. 5. ad 1.) accumulat in hæc verba; *ijs qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundùm carnem ambulant*, & adnectit; *sed veterem hominem exuentes*, &c. Omnia certè peccata per baptismum T tolluntur. Vlterius; per baptismum consequitur homo gratiam nedum, V sed & virtutes; eoquòd valet baptismus, vt baptizati Christo incorporentur, vt membra eius; à Capite autem Christo in omnia membra eius, gratiæ & virtutis plenitudo deriuatur, secundum illud Ioan. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*. Hinc glossa ad Titum cap. 3. ibi, *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, (idest per baptismum) *& renouationis Spiritus-Sancti, quem effudit in nos abundè*; ait, *ad remissionem peccatorum & copiam virtutum*. Hanc virtutum omnium infusionem existimo *omnem iustitiam* à Domino vocari: quoniam per Diuum Thomam, & Philosophum 5. Ethicorum; omnis virtus quodammodo X est iustitia; in quantùm per rationem ordinatur ad obediendum legi. Et ob hanc participationem plenitudinis eius, fortè etiam assumpsit verbum illud; *implere omnem iustitiam*. Hinc audi Tridentinum Sess. 6. capit. 16. *iustificatis hominibus proponenda sunt Apostoli verba; abundate in omni opere bono*: (2. Corinth. 9.) *Cum enim* (pergit Concilium) *ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minùs plenè diuinæ legi satisfecisse, & vitam æternam verè promeruisse censeantur*. Benè ergo dictum sit; *implere omnem iustitiam*. Subdit etiam Sacra Synodus. *Itaque neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria, statuitur; neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei: quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quæ à Deo nobis infunditur per Christi meritum*. Ecce adhuc, hoc duplici respectu, rectè dixisse Dominum, *decet nos implere omnem iustitiam*. Alta sapientia dictum sit *nos*, ac ly *omnem*.

13. Sic ergo *aperti sunt ei Cœli*, ex merito, vt præceptum est, vitæ æternæ, per gratiam baptismi. Aperiuntur Cœli dum ascendit de aqua: dic, quia A *super omnes Cœlos* ascensurus erat. Verùm, qui ascendit ad Cœlos, non deserit, vt ait Leo Papa, adoptatos. Christus enim ascendens in Cœlum, adeptus est sibi B & nobis in perpetuum ius & dignitatem

12. | S 3.p.66. a.2. | T 3.p.69. a.1. | V 3.p.69. a.4. | X De malo q.8.a.3.arg.19 | A 3.p.57. a.4. | B 3.p.57. a.ad 3.

tatem mansionis cœlestis: deditque nobis per hoc C ibi a. 1. ad 3. c spem illuc perueniendi. Itaque per suam ascensionem nos quasi in possessionem D 3. p. 49. a. 5. & ad 4. 3. p. 39. a. 5. & q. 59. 7. D cœlestis Regni introduxit, cuius introitum meruit per passionem: vnde & dicitur aperuisse nobis ianuam Cœli, quia baptizatis patet via in Cœlum, & vi baptismi. Vide quam opportunè dum de baptismo Christi mortis symbolo attexendus fuerat sermo, & de ascensu de aqua; orsus fuit Ioannes, dicens *appropinquauit enim Regnum Cœlorum*: tropo quodam dicendi *appropinquat*, dum aditus ad illud iam iam datur. Difficultas potest extundi, ex vocula illa *ei*: non enim solum dicitur *aperti sunt Cœli*, sed *ei* sunt aperti. Respondeo ex Diuo Thoma, E 3. p. q. 49. 5. 1. E Christo baptizato apertos fuisse Cœlos, non propter ipsum Christum, cui semper Cœlum patuit, sed ad significandum, quod Cœlum aperitur baptizatis baptismo Christi, qui habet efficaciam ex passione eius. F 3. p. 39. 5. Signanter ergo dicitur F quòd aperti sunt ei Cœli, idest omnibus propter eum; sicut si Imperator alicui petenti dicat; *ecce hoc beneficium non illi do, sed tibi; idest propter te, illi*; vt Chrysostomus dicit super Matthæum. Hæc Diuus Thomas: ex quibus fas sit deprehendere intendisse Euangelistam monere de Christo capite, cui, quicquid ad membra deriuetur, referri debet acceptum. Quæ mystica consideratio, cum ad Marci ac Lucæ institutum non faceret, exprimi ly *ei* apertos esse Cœlos, minimè exegit.

VERS. item XVI. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.*

Facta est G missio visibilis ad Christum in ba- G p. p. 43. 7. 6 & in 30. l. 4. & 1. lect. 16. 1. 2. 3. ptismo sub specie columbæ, quod est animal fœcundum, ad ostendendam in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem. Vnde vox Patris intonuit; *hic est filius meus dilectus*: vt ad similitudinem Vnigeniti alij regenerarentur. Nihil ad rem mirabilius. Dum ergo sequitur, *& venientem super se*; intellige, super Christum in suo corpore. Vnde hæc missio visibilis Spiritus-Sancti apprimè per columbam significata, secundùm gratiam & dona, non ad ipsum Christum *plenum gratiæ* directa est, sed ad sua potius H 3. p. 39. a. 6 ad 4. membra. Pro quo Sanctus Doctor: H apparuit Spiritus-Sanctus in specie columbæ super Dominum baptizatum, ad designandum communem effectum baptismi, qui est coniunctio Ecclesiasticæ vnitatis; columba enim est animal amicabile & gregale. Cant. 6. vna est columba mea.

VERS. XVII. *Et ecce vox de Cœlis dicens; hic est filius meus*, &c.

14. In baptismo Christi, vt Hieronymus dicit, I I 3. p. 39. a. 8. q. 45. a. 4. 2. q. 66. a. 6. & in 4. sent. 3. q. 1. a. 5. mysterium Trinitatis demonstratur; Dominus enim in natura humana baptizatur, Spiritus-Sanctus descendit in specie columbæ, Patris vox testimonium filio perhibentis auditur. Demonstrari autem debuit quod in nostro baptismo perficitur. Et præterea, *vt ex iis, quæ consummabantur in Christo, cognosceremus, per aquæ lauacrum* L *& de cœle-* L 3. p. 39. 8. ad 3. *stibus portis* (ita Hilarius) *sanctum in nos Spiritum inuolare; & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri*. Eo quòd vt ait D. Thomas, filij adoptiui instituuntur ad similitudinem filij naturalis. Roman. 8. *quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Et hoc fit dupliciter; M 3. p. 45. 4. primò quidem per gratiam viæ, quæ est M conformitas imperfecta; secundò per gloriam patriæ, quæ est conformitas perfecta, secundùm illud 1. Ioann. 3. *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*. Quoniam autem Deus pra alijs modis dicitur aliquorum Pater N secundùm similitudinem gratiæ, qui etiam N 1. p. 33. a. 3. dicuntur filij adoptiui, secundùm quòd per munus acceptum gratiæ, ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ: *si filij & hæredes*, Roman. 8. aliquorum verò secundùm similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident: Roman. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*: non videatur lectori inconueniens, si vox Patris per Christum ad adoptiuos relata consummatam eam filiationem subinnuat; (Roman. 8. *intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*. Galat. 4. *illa autem quæ sursum est Ierusalem Mater nostra*.) Nam *aperti sunt ei Cœli*: *vt* (quod ait Leo Papa Sermon. 1. de Ascensione) *quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi concorporator Dei filius ad dexteram Patris collocaret*. Dum ergo ascendit Iesus de aqua: *ascendat cum illo, & cor nostrum*; (Augustinus Sermon. 174. de Tempore) eo vel maximè quòd, vt subdit, *propter vnitatem, qua Caput nostrum est, & nos corpus eius, ab illo non separamur*. Ecclesia O habet duplicem statum, scilicet O Colos. 1. l. 5. gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, & est eadem Ecclesia: & Christus est Caput secundùm vtrumque statum, quia primus in gratia, & primus in gloria. Ex hac doctrina ratus sum ad vtrumque spectasse Paternam vocem: *in eo enim sibi complacuit*; quia vt ait Apostolus, *in ipso complacuit, qui est primogenitus ex mortuis, reconciliare omnia in ipsum*. Dicit autem hic *complacui*, non verò *benè complacui*, vt alibi; fortè ad indicandum, cum de Christo, nexu membrorum fit sermo, deesse plenæ diuinæ complacentiæ, ex parte ipsorum; quoniam quidam sine charitate, sola fide imperfectè (quod docuit P Angelicus) sunt Christi membra, P 3. p. q. 8. 3. 2. etsi baptismum receperint. Quo pacto legimus etiam; *omnes in Moyse baptizati sunt*, 1. Corinth. 10. *in nube & in mari*; (nubes Symbolum erat Spiritus, Q mare verò aquæ ex Damasceno) *sed non* Q 1. Cor. 10. lect. 1. *in pluribus eorum beneplacitum est Deo*. In ly autem *complacui*, excludi etiam claret meritum omne spiritualis filiationis per gratiam; vt supra R R Colos. 1. l. 5. de Christi donis dictum est. Roman. 8. *prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Denique Lucæ 12. *complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*: Ephes. 2. *per ipsum habemus accessum ad Patrem*: propterea de eo dicit Pater; *in quo mihi complacui*. Et ita omissio aduerbij illius *benè*, quod aliàs exprimitur infra c. 12. & 17. satis indicat, non tam referri ad Christum, quàm ad nos Christi membra; in quibus etsi aliquantulum complaceat sibi Deus, non ita *benè*. Nam hominibus datur Spiritus-Sanctus S ad mensuram: sed si de S Ioann. 3. lect. 6. Christo loquamur, *non ad mensuram dat Deus spiritum*.

CAPVT IV.

1 *TVnc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* 2 *Et cum ieiu-* Mar. 1.b.
nasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. 3 *Et accedens* 12. Luc. 4. a.
tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. 4 *Qui respondens* 1.
dixit: Scriptum est. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Deut. 8. a.
5 *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi,* 6 3.
& dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim. Quia angelis suis mandauit Psal. 90. c.
de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. 7 *Ait illi Iesus:* 11.
Rursus scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuum. 8 *Iterum assumpsit eum diabolus in* Deut. 6. a.
montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. 9 *& dixit ei:* 14.
Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. 10 *Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana. Scriptum*
est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 11 *Tunc reliquit eum diabolus,* Deut. 6. b.
& ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. 12 *Cum autem audisset Iesus quòd Ioannes tradi-* 13.
tus esset, secessit in Galilæam: 13 *& relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Caphar-* Marc. 1. c.
naum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim, 14 *vt adimpleretur, quod dictum est per Isa-* 14. Luc. 4. c.
iam prophetam. 15 *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ gen-* 14.
tium; 16 *populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vm-* Ioan. 4. f.
bræ mortis, lux orta est eis. 17 *Exinde cæpit Iesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite,* 43. Isa. 9. a. 1.
appropinquauit enim regnum cælorum. 18 *Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos* Mar. 1. b.
fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant 15. Mar. 1. b.
enim piscatores) 19 *& ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* 20 16. Luc. 5. a.
At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. 21 *Et procedens inde, vidit alios duos fratres* 1.
Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua:
& vocauit eos. 22 *Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* 23 *Et circuibat*
Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & sanans om-
nem languorem, & omnem infirmitatem in populo. 24 *Et abijt opinio eius in totam Syriam, &*
obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmo-
nia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos. 25 *Et secutæ sunt eum turbæ multæ* Mar. 3. a. 7.
de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem. Luc. 6. c. 17.

VERSUS I. *Tunc ductus est Iesus in desertum à Spiritu.*

1. A D.Th. hic 3. p. 41. 3.2. Desertum istud erat A inter Ierusalem & Iericho, in quo multi occidebantur. Ex Adrichomio *in descriptione terræ sanctæ*, erat iuxta mare mortuum, supra montem; in cuius cacumine Sacellum est ruinosum, ieiunio & oratione Christi venerabile. Lucæ 10. *homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones.* Marcus c. 1. dicit; *eratque cum bestijs*; quia ex Chrysostomo *erat inuium hominibus, & bestijs plenum.* Populus Israel, post transitum maris Rubri, qui fuit figura baptismi, venit in terram promissionis per desertum. Ambrosius addit, *vt Adam de exilio liberaret, qui de Paradiso in desertum eiectus est. In desertum* etiam, quasi ad singulare certamen. Quidam tentationem omnem (quod tamen dici necessarium non est) factam esse in deserto volunt; B ita vt Ciuitas sancta, idest Ierusalem desertum dicatur, quia derelicta à Deo. Certè Machabæorum 1. cap. 3. legimus; *Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum; non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius, & Sanctum conculcabatur.* In Syntaxi iterum dicemus cur *in desertum.* (B 3. p. 41. a. 3.)

VERS. eodem, *Vt tentaretur à Diabolo.*

Ex Gregorio; *non est indignum Redemptori tentari, qui venerat occidi.* Sequebatur ergo Diabolum ex Origene, ad tentationem *quasi Athleta spontè procedens.* Hebræor. 4. *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* *Agebatur* ergo Christus (ex Ambrosio) *consilio, vt Diabolum prouocaret*; (intellige semper insidijs inhiantem) *nam nisi ille certasset*, idest Diabolus; *non iste mihi vicisset*, idest Christus. Non secus id factum est, ac de morte Christi dicit Leo Papa Serm. 8. de Passione; *sæuienti Diabolo formam serui nihil peccati habentis obiecit; vt per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa.*

VERSU II. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus &c. postea esurijt.*

2. Quadragenarius numerus custoditur C mysterio. Non autem vltra processit ieiunando, ne incredibilis videretur carnis assumptio. Non legitur de Moyse & Elia, quòd esurierint; D sed Christus esurire voluit, vt suam humanitatem demonstraret; quia aliter Diabolus ausus non fuisset accedere ad tentandum eum; ex Hilario præterea; E *neque enim tum, cum esuriuit aut sitiuit, bibisse Dominus, aut manducasse monstratus est; sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est.* Christus enim F Diabolum superauit, ostendendo ei naturam infirmam, & sic exponit illud; *in oculis eius, quasi hamo capiet eum* (elephantem Diaboli typum.) Augustinus subinde docet; G *innotuisse Dæmonibus, quantum voluit, per quædam temporalia suæ virtutis effecta; ex quibus quandam coniecturam habebant Christum esse filium Dei. Sed quia rursus in eo quædam signa humanæ infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eum esse filium Dei.* Hinc Ambrosius; *quid sibi vult talis sermonis exorsus? (si filius Dei es) nisi quia cognouerat Dei filium esse venturum? sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat.*

(C 3. p. 40. a. 1. — D D.Th. hic. — E 3. p. 15. a. 5. — F Iob 40. l. 2. — G 3. p. 41. a. 1. 1.)

VERS. III. *Et accedens tentator* &c.

3. Cognouit Diabolus Christum verè esurire: ideò ad tentandum accessit. Erubescat hic Arius veritatis supra Diabolum osor, negans in Christo H veram animam sensitiuam, esuries enim appetitus est sensitiui. *Dæmones*, ex Augustino I *in multis nobis sunt vtiles; quia nos tentando, nobis coronas fabricant*. Et alibi; *quanto fuit maius* L *periculum in prælio, tanto maius est gaudium in triumpho*. Glossa ad illud 1. Thessal. 3. *ne fortè tentauerit vos is qui tentat; idest Diabolus, cuius officium est tentare*. Tentare est propriè M experimentum sumere de aliquo: sed quia à Diabolo exinde semper malus finis intenditur, proprium dicitur officium eius tentare. Videns ergo Diabolus qualiter caro Christi, concupiscentia appetitus sensitiui, appetebat escam & potum, secundum modum & ordinem rationis, (ratio est, quia gratia & virtutes N in ipso fuerunt secundum perfectissimum gradum) remotissimè O ab omni motu peccati, vel minimo, ausus fuit tentare, si posset præter ordinem rationis præfatam concupiscentiam extimulare. Nescius erat Diabolus, impugnationis interioris exortæ à fomite, P Christum non esse capacem. *Tentari ergo* (Gregorius) *per suggestionem potuit; sed eum peccati delectatio non momordit*. 1. Petri 2. *qui peccatum non fecit*. Hebræor. 4. *per omnia absque peccato*. Vnde sustinuit (ibidem 1.3. & tertia parte) exteriorem dumtaxat impugnationem ex parte Mundi & Diaboli: quos superando victoriæ coronam promeruit. Tentator iste fuit Q Lucifer; qui fortè ideò non tentauit eum de luxuria; quia ab ea, secundum Magistros, R memores aliqui Dæmones antiquæ suæ nobilitatis abhorrent; Tentauit ergo de gula S luxuriæ matre.

H 4. cont. Gent. 32. — I 2.2. 15. 11.1. — L 2. 2. 180.7.2. — M 3. p. 114. 2.2. — N 3. p. 15. 2.2. — O Hebr. 4. 1.3. p. 41.1.3. — P 3. p. 15. 2.3. — Q 2. sent. 6. 1. 5. 2. — R opusc. 41. 1. 5. 51. — S ad Hebræos. supr. & Gen. 19.

VERS. eodem; *Dic, vt lapides isti panes fiant*.

4. Diuus Cyrillus in Ioann. *variæ sunt Diaboli, multiplicesque ad decipiendum insidiæ. Quis reuelabit*, Iob, *faciem indumenti eius?* Astutias Diaboli T nullus homo potest aperire. Igitur aliud intendit Diabolus, præter id quod primo aspectu apparet. Cur lautiores cupedias non offert? Quid lapis famelico? Studiosus fuerat Diabolus solidè coniiciendi, num esset Deus, seu potius an purus esset homo: *non enim est homo iustus in terra*, (Ecclesiastes 7.) *qui faciat bonum, & non peccet*. Notandum tamen, quomodo Dæmones in omnibus V mortaliter peccant, propter intentionem finis. Reputabat ergo Diabolus, quòd X Christus peccaret, si ad subueniendum fami, miracula facere attentaret, si esset purus homo. Est enim inordinatum quòd aliquis, vbi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando, miraculosè sibi cibum quærere velit. Vnde & Dominus filijs Israel miraculosè manna præbuit in deserto, vbi aliunde cibus haberi non poterat; & similiter Christus in deserto turbas pauit miraculosè, vbi aliter cibi haberi non poterant. Sed hic ad subueniendum fami, poterat aliter sibi prouidere, quàm miracula faciendo, sicut Ioannes Baptista fecit, vt legitur supra capit. 3. vel etiam ad loca proxima properando. Hæc Diuus Thomas. Sic miserè decepit Monachum, vt apud Cassianum collatione 2. Abbatis Moysi capit. 6. mortuum fame. Interpretatiuè siquidem Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, ad nihil aliud A vtile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem.

T Iob 41. 3.1. — V p. 4. q. 89. 4.3. — X 3. p. 41. 2.4. — A 2.2. 97. 1.

VERS. IV. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*.

5. Diabolus ad duo nitebatur; in affectum carnalium, B *dic vt lapides isti panes fiant*: & ad præsumptionem; *si filius Dei es*. Dominus vtrumque præcauet. *Non in solo pane viuit homo*: Tu vocas filium Dei, ego hominem nomino; *sed in omni verbo*, &c. quasi dicat, non tantum vita corporalis, quantum spiritualis cupienda est. Glossa; *inferior pars hominis pane sustentatur; altera verò verbo Dei reficitur*. Vel aliter; C *imperio Dei potest homo conseruari sine aliquo cibo*. Dicit autem Chrysostomus super Matthæum; *sicut Diabolus omnes homines excæcabat, sic modò inuisibiliter à Christo est excæcatus: per quadraginta enim dies, non esurientem, non intellexit*. Sed ipse, excæcatum magis arbitror Christi hoc magistrali responso; quo coactus est aliam tentationem astruere, ignorans, allegata eiusmodi sententia, qua vltra insisteret. Triplex Dei Verbum recolitur D. Primum est æternale; Ioann. 1. *in principio erat Verbum*; quod auditur per fidem. Secundum est mentale. Iob 4. *porrò ad me dictum est absconditum verbum*: Psalm. 84. *audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Tertium vocale, quod per prædicationem auditur; Et præsens adducitur locus, Lucæque 8. *qui habet aures audiendi audiat*. In quo inquit alibi, E ineffabilis est consolatio. Confunditur ergo Diabolus; quandoquidem concinit Ieremias capit. 15. *inuenti sunt Sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudio & lætitia cordis mei*. Procedit autem Verbum omne præfatum, vt patet, *de ore Dei*.

B D. Th. hic. — C D. Th. hic. — D Serm. Dom. in Pass. ex Euang. — E Serm. Dom. 7. post Pentecost. ex Euang.

VERS. V. *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatem*.

6. Postquam Diabolus subdolè tentans Christum ad peccatum inducere tentandi Deum inopportuno miraculo, nihil se nouit profecisse, secundum molitur insultum, intendens iterum clam ad peccandum pertrahere, intentato miraculo, nixus auctoritate Scripturæ, postquam Scripturam adduxerat ipse Christus. Sic ergo F ex desiderio cibi conatus est inducere in vanitatem, sine causa miracula faciendi, ex cupiditate gloriæ; conatus est inducere ad tentandum Deum per præcipitium. Hoc planè animaduertit palamque facit Dominus dicens; *non tentabis Dominum Deum tuum*. Huc facit pulchra quam in Opusculo G tradit doctrina. Sunt quædam, inquit, in quibus est impossibile hominem iuuari, nisi à Deo miraculosè operante, & talibus periculis homo se exponens Deum tentaret; sicut si aliquis videns vrsum venientem, arma deponeret, quibus vitam suam poterat tueri; sicut, si aliquis de muro se præcipitaret sub spe diuini auxilij. Nisi fortè à Deo certificatus esset de futuro euentu aliqua inspiratione; sicut Petrus ad iussum Domini se exposuit fluctui maris; sicut etiam Beatus Martinus dixit; *ego signo Crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus*; & sicut Beatus Ioannes Euangelista venenum confidenter bibit; & sicut Beata Agatha, quæ dixit; *medicinam carnalem corpori meo nunquam adhibui*. Dicit autem Diuus Hieronymus; (in Catena) *falsas de Scripturis, Diaboli sagittas, veris Scripturarum frangit clypeis*. Scriptum est; *non tentabis Dominum Deum tuum*. Ecce verus clypeus: falsæ ipsius Diaboli sunt sagittæ. Psalm. 91. loquitur de membris Christi; H *Angelis suis Deus*, &c. qui indigent custodia Angelorum: quod patet, quia subdit, *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Hoc enim non potest dici de Christo, quia non poterat offendere occasione alicuius peccati. Hinc quoniam Christus Dominus imme-

F 3. p. 41. 4.1. — G opusc. 19. initio & ad finem c. 6. — H D. Th. hic.

I 1.p.113. 4.1. I immediatè regebatur à Verbo Dei: & iterum, quia secundum animam erat comprehensor, non debebatur ei Angelus custos. Ex quo reor Diabolum confusiorem Christi responso remansisse; ignorans adhuc an Angelus ei adesset custos: id quod puri hominis fuisset argumento. *Assumpsit*, inquit Sacer textus, *eum in sanctam Ciuitatem*. Qualiter illuc peruenerit discurrunt Interpretes. Miror, quomodo Iacobus Tirinus inhæsitanter dicat, corporaliter Dominum per aera raptatum, eo modo, quo maleficos & sagas in loca dissita transfert, & quo bonus Angelus transtulit Habacuc è Iudæa Babylonem: inducatque præ alijs sibi suffragantibus Diuum Thomam. Ipse quippe in Matthæum habet; L Quæritur quomodo assumpsit? Dicunt, quòd deportauit eum supra se: alij & meliùs, quod exhortando induxit ad hoc quòd iret; & Christus ex dispositione suæ Sapientiæ iuit in Ierusalem. In tertia verò Parte M intelligitur autem à Diabolo assumptus, non quasi ex necessitate, sed quia, vt Origenes dicit super Lucam, (quod nuper attuli) *sequebatur eum ad tentationem, quasi Athleta sponte procedens*. Et deinde non improbat N eos, qui dicunt, quòd Christus ductus est in sanctam Ciuitatem, non realiter, sed secundùm imaginariam visionem. Et sanè suaderi nequeo fuisse Dominum, qui *sedet super Cherubin*, qui *ambulat super pennas ventorum* vt suum sanctissimum corpus contrectaretur à Diabolo, etsi sustinuerit à membris illius crucifigi. Item Diabolum tantò ausum fuisse ei approximare, vt tangeret; quando *Dæmones credunt, & contremiscunt*; Iacobi 2. Præsertim quoniam, sic se apertè prodidisset Dæmonium: cum tamen potius existimandum sit studuisse velari. Vnde apparitio visibilis O fuit, sicut tentatio: quod omnes probant. Et quidem, vt apud Suarez, in specie humana aptiori ad loquendum & audiendum; qui ex Carthus. fert immo fuisse sub habitu sancti viri. Quis scit, non ideo retulerit Matthæus *in Ciuitatem sanctam*, quam Lucas dixit *Ierusalem*, ad innuendam Diaboli hypocrisim, simulatamque pietatem, quam præferebat hostis blandè locutus? Et rursus ad indicandum non fuisse ibi raptum Diaboli, quando de sanctitate fit mentio. Neque verbum *assumpsit* vim facit; quia & Dominus *assumpsit Petrum Iacobum & Ioannem*, cum transfiguratus est, quos tamen secum perrexisse, (consenso cum eis Monte, ait Leo Papa) non est qui dubitet. Lucas ait, *in montem*, & *in Ierusalem*; *duxit illum*. Sic sub specie Eremitæ Diuo meo Ambrosio apparuit Dæmon, eum fallacibus rationibus à Religionis proposito dehortaturus. *Transfigurat quippe se in Angelum lucis*; 2. Corinth. 11.

L D.Th. hic.
M 3. p. 41. 1. 1.
N ibi art. 2. ad 3.
O 3.p.41. 4. 2.

VERS. V. *Supra pinnaculum Templi.*

7. Accuratiùs videndum est, quò ipsum assumpserit, quidque sit hoc pinnaculum siue pinna. Remigius (in Catena) *Pinnaculum*, inquit, *sedes erat Doctorum; seu sedes Magisterij*. Notatque Templum non habuisse culmen erectum, sicut nostræ Domus habent, sed planum erat desuper more Palæstinorum; & in ipso Templo tria tabulata erant. Siue ergo statuerit eum in illo Pinnaculo, quod erat in pauimento, siue in illis, quæ erant in primo, secundo vel tertio tabulato, vndecumque præcipitium esse potuit. Fertur ab Angelico P isthæc glossa; in Palæstina plana desuper erant tecta, & ibi erat sedes Doctorum, vnde Populo loquerentur: vbi multos decepit Diabolus vanagloria, honore Magisterij inflatos. In Matthæum sic lego; Q sciendum est, ex 3. Regum 6. quòd Salomon fecit tria tabulata in Templo cum tecto plano, & quædam pinnacula iuxta Templum, per quæ poterant homines ascendere. Quibus verbis non videtur pro pinnaculis sedes Doctorum accipere; sed veluti scalas quibus ad Tabulata ascenderetur: quæ tabulata per circuitum ducta Templi gradatim habebant quinque, sex, & septem cubitorum latitudinem. Ibi tamen nihil prohibet fuisse sedes docentium tanquam in editiori situ. S. Augustinus libr. de vera Religione *pinnaculum* dicit *fastigium Templi*. Dicebat Hilarius; *Tectum est Domus fastigium*. Quare videretur perrexisse Christum supra Templi tectum. Altus quippe & eminens locus; quando scribit Iosephus libr. 8. Antiquit. c. 2. *Templi structuram, impositis varijs aulis, alijsque cubiculis, paulatim in altum tendendo, ad centum & viginti cubitos elatam fuisse*. Tirinus ait; super pinnaculum Templi, idest super turrim vestibulo Templi inædificatam. Certè legitur 3. Regum 6. ante Templum fuisse Porticum prælongam ad latitudinem Templi, nempe viginti cubitis latam, decem ante faciem Templi. Erat autem altitudinis, vt patet 2. Paralip. 3. centum viginti cubitorum. Vnde inquit ipse, instar Turris attollebatur. Pro resolutione reperio Lexicis in hebraicis Pinnam deriuari à radice *Panah* quod significat *respicere*, seu *faciem ad aliquid vertere*, proinde *angulum* vbi ad diuersa loca potest videri. Et quoniam anguli Domus, sunt illius fortitudo, capitur aliquando *Pinna* pro *firma Turre*. Quare supra altitudinem Templi indubitanter Christus assumptus est; vt inde deorsum se mitteret. Non video autem cur supra suggestum Cathedram aut Sedem conscenderit, cum secum illum assumpsisset Diabolus; nec in sede duo locarentur. Sufficit ergo, pro textus veritate, si ad tabulatum, vt supra, aliquod assumptus sit. Forsitan autem, ex Chrysostomo, Diabolus quantùm ad se sic Christum assumebat in pinnaculum Templi, vt ab omnibus videretur; ipse autem, nesciente Diabolo sic agebat, vt videretur à nemine.

P opusc. 19. c. 2.
Q D.Th. hic.

VERS. VIII. *Iterum assumpsit eum Diabolus in Montem excelsum valde.*

D. Chrysostomus ductus ex eo quòd *excelsus* dicatur Mons iste, *& excelsus valde*, comparatione aliorum omnium accepit; vt inde spatiosior terra videri posset. Nihilominus arridet magis Rabani sensus, vt in deserto ipso Mons iste fuerit: quod ex D. Tho. 3. p. 41. a. 3. ad 3. videtur præsumi. Neque intelligendum est vidisse exinde R ipsa Regna vel Ciuitates eorum, vel populos vel aurum vel argentum, sed partes terræ, in quibus vnumquodque Regnum vel Ciuitas posita est Diabolus Christo digito demonstrabat, & vniuscuiusque Regni honores & statum exponebat. D. Lucas ait; *& ostendit illi omnia Regna Orbis terræ in momento temporis*. Quod puto dici ad denotandum, non longo sermone Christum detinuisse; vt aliàs Orbis terræ demonstratio exegisset. Quis scit non innuat Lucas, quod ait Apostolus *præterit figura Mundi huius*? vel etiam philosophicum theorema, tempus, proinde quæ cuncta tempori subsunt, per instans existere? Ecclesiastici 10. *omnis potentatus breuis vita. Rex hodie est, & cras morietur*. Cur expressio hæc Lucæ fuerit, Deo dante in eius Syntaxi.

R 3.p.41. 4. 7.

VERS. IX. *Et dixit ei, hæc omnia tibi dabo; si cadens, &c.*

8. Diuus Hieronymus; *arrogans & superbus de iactantia loquitur; non enim potest omnia Regna dare; cum sciamus plerosque sanctos Viros à Deo Reges factos. Per me Reges regnant* Prouerb. 8. & Danielis 4. *Dominator excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud*. Mendax igitur, quinimmo mendacij Pater adiecit, vt in Luca, *mihi tradita sunt, & cui volo, do illa*. Nihilominus iuxta Chrysostomum, *ea quæ per iniquitatem fiunt in Mundo, vt puta, per furtum, aut periuria, acquisitas diuitias Diabolus dat*. Adde ex Augustino

ad illud Ioan. 12. *nunc Princeps huius Mundi eÿcietur foras*; tract. 52. *possidebat Diabolus genus humanum, dominabatur in cordibus infidelium*. Ibi in Iob; *Behemoth fœnum quasi Bos comedet*; per quod
S Iob 40. l. 2. signatur s qualiter Satan pascitur idest delectatur in terrenorum dominio; & de hoc hic iactat se. *Si cadens* &c. glossa; *ecce antiqua Diaboli superbia; sicut enim in principio voluit se similem Deo facere; ita nunc volebat diuinum sibi vsurpare cultum*. Et
T opusc. 6. §. 2. & hic. hoc ex malitia, T ipse enim à principio voluit æquiparari Deo; vnde ait Isaiæ 14. *ponam sedem meam ab Aquilone; in Cœlum conscendam, & ero similis Altissimo*. Et hanc voluntatem nondum deposuit; & ideo totus conatus suus in hoc consistit, vt faciat se ab hominibus adorari. Animaduerto fortasse idcircò ad montem excelsum valde conscendisse. In
V D. Th. hic. quo significatur quòd Diabolus V semper ad superbiam erigit. Dæmones enim dicuntur montes X
X 1. Cor. 13. lect. 1. propter superbiam, Ieremiæ 51. *ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram: & tanquam mons magnus igne ardens, missus est in mare*;
A Apoc. 8. Apocalyps. 8. *Mons* idest Diabolus, A *magnus*, propter magnitudinem superbiæ. Legimus Iob 41. *omne sublime videt, ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*.

9. Coniectat hic Caietanus, verisimile esse, Dæmonem longa oratione, studuisse Christum flectere; etsi ab Euangelistis res breui tangatur. Multo magis id ipse mihi suadeo, postrema hac in tentatione. Neque enim Mundi huius Dominum se gratis asseruisse credendus est: sed hoc, Manichæorum præcurrendo conatus, per subdolas quas sibi potuit rationes confingere, effutiisse. Patet; quoniam detectus omnino deprehenditur Christi repulsa: *vade Satana*. Se ergo quis esset prodiderat; ratus Christi mentem obtenebrare, vt Principem Mundi huius agnosceret ac veneraretur. Ioan. 12. recolitur quod sibi ille arrogat; *nunc Princeps Mundi huius eÿcietur foras*. Manichæi rerum originem, B non in
B opusc. 35. c. 16. vnum, sed in duo creationis principia reduxerunt: hi per consequens errauerunt in rerum gubernatione, constituentes omnia, non sub vno Principatu, sed
C opusc. 6. §. 3. sub contrariis. Vno verbo; omnia visibilia C creata esse à Diabolo. Claret, hoc in præsenti astruere tentasse Diabolum, dum Regnis omnibus Mundi ostensis, supremam in eis habere iactat iurisdictionem, cupiens exinde pertrahere Christum ad Dei contemptum per idololatriam; quod ait D. Thomas D.

D 3. p. 41. 3. 3. VERS. X. *Vade Satana. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*.

E quodl. 5. 26. Iniuriam Dei non est E passus Dominus. Quando Diabolus Dei sibi vsurpauit honorem, exasperatus est, & repulit eum; vt nos illius discamus exemplo, F nostras quidem iniurias æquanimiter sustinere, Dei autem iniurias nec vsque ad auditum sufferre.
F 3. p. 41. 4. 6. In signum autem deprehensæ & increpatæ superbiæ dicitur à Domino *Satanas*, scilicet *aduersarius*, vel *contrarius* antonomasticè. Sic de filio perditionis Antichristo 2. Thessal. 2. legimus, *qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Quid perfide adorari affectas, ceu visibilis Mundi somniatus Auctor? *Dominum Deum tuum adorabis*; qui quoniam ibi vnus perhibetur; *Audi Israel*, (Deuteronomij 6.) *Dominus Deus tuus vnus est*; ibique *æmulator* dicitur, & c. 20. *zelotes*: tibi Satana indico, *illi soli seruies*. Quamuis enim in textu Deuteronomij 6. non reperiatur ly *soli*; ne fortè cathegorematicè dictio illa
G 1. p. 31. a. 3. acciperetur; G quo pacto poneret solitudinem in Deo, sequereturque Deum esse solitarium, quod
H ibi art. 2. absit; H ne tollatur consortium Personarum: attamen, ne irreperet fidelium animis, posse creaturam aliquam, in seruitute ac adoratione Deo consociari, prout Satanæ tentabat insultus, addita est. Et quidem opportunius nunquam, quando solitarium non esse Deum, propediem futurum erat notissimum, prædicato Euangelio Regni, & baptismate, *in nomine Patris & Fily, & Spiritus Sancti*. Confunditur Satanas; specialis ratio cultus ac seruitus Deo debetur, quia ipse I omnia fecit, & quia summum in rebus obtinet principatum. Latriæ nomine seruitus isthæc apud Græcos signatur. Quærunt nonnulli, cur varietur allegata sententia; hebraicè namque est; *Dominum Deum tuum timebis*? sed psal. soluitur 5. *adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo*; & quid enim est adorari reuerenter, nisi timeri? quemadmodum vox ipsa *vereri*, vel *reuereri* apertè signat. Ex reuerentia excellentiæ, maiestatique debita, adorationis L est ratio. Cultus respicit Dei excellentiam, cui reuerentia debetur: M seruitus respicit subiectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendam reuerentiam Deo. Adorari instat Satanas, adorationis Deo soli iure inuiolabili debitæ: decuit increpari ac repelli. I 2. 2. 81. 1. ad 3. & 4. L 2. 2. 84. 1. M 2. 2. 81. 3. 2.

VERS. XI. *Tunc reliquit eum Diabolus. Et ecce Angeli* &c.

Quò abierit Diabolus subintelligitur: dicente illi Domino; *vade Satana*, nec exprimitur quò. Claret addictum esse vni loco, nimirum Inferno. Sic Hieronymus (fertur infra in Catena c. 16.) *vt subaudiatur*, inquit, *vade in ignem æternum*. Et D. Thom. hic, vade in Infernum. *Diabolus* quippe interpretatur, *deorsum ruens*; ex Angelico Apoc. 14. ibi *Beati mortui*: Comm. 1. *quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer*. Idcirco ab Euangelista *Diabolus* dicitur, non *Satanas*, vt ex voce Domini vocatus fuerat. Difficultas esse potest de varia Lucæ ac Matthæi enarratione; Lucas enim ait, *consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus*. Ipse existimo ad tentandum Christum Dominum in se ipso non vltra accessisse: *reliquit enim eum*; eo vel maximè, quod ita & respectu hominum sensere aliqui, quos Diuus Thomas non N improbat, *refugit enim*, vt ait Ambrosius, *frequentiùs triumphari*. Iacobi 4. *resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Vnde etsi probabilius ducat in vniuersum reuerti Diabolum ad tentatos; aliàs de Christo, non id docet, nisi quatenus haberi potest ex Diuo Luca. Verùm Sanctum Lucam Domino largiente suo loco exponemus. Et pro nunc dicimus; etiam ex ipso trahi, non accessisse vltra ad Christum in Persona, quando ait *consummata omni tentatione*. Quare ly *vsque ad tempus*, respicit fortè ad Ecclesiæ tentationes, quas nouerat futuras, Iudæorum, Gentium, & Hæreticorum; quibus dum tentata est Ecclesia, tentatus est Christus; quemadmodum & Paulus ait; *persecutus sum Ecclesiam Dei*; Iesus autem, *cur me persequeris*? *Et ecce Angeli accesserunt*. Consuetudo erat apud antiquos, vt Victores venerarentur. O Ita hic celebratur triumphus Christi ab Angelis; qui *accesserunt*: non dicit; *descenderunt*; quia semper cum eo erant, etsi ad horam de eius voluntate recesserunt, ad hoc vt Diabolus tentandi locum haberet. Auctor operis imperfecti homilia 5. in Matthæum putauit; in præsentia boni Angeli, si se à Dæmonibus videri permittat, non audere Dæmones hominem tentare. Angelus certè inferior ordine naturæ P præest Dæmonibus, quamuis ordine naturæ superioribus: vnde arceantur Dæmones Q per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt; defert enim Diabolus Angelo bono, vt ei quem custodit R violentiam corporalem non inferat. Cæterùm Christus Dominus Angelis non est vsus nisi in ministerium; *accesserunt, & ministrabant ei*, S ceu inferiores; Lucæ 22. *quis maior* 10. N 1. p. 114. 4. 3. O D. Th. hic. P 1. p. 109. 4. Q 1. p. 113. 4. 1. R opusc. 41. 1. 4. c. 6. S 1. p. 113. 4. 1.

maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ministrabant autem, ait Chrysostomus, *non propter necessitatem impotentiæ eius, sed propter honorem potestatis ipsius.*

VERS. XII. *Cum autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, &c. & habitauit in Capharnaum.*

11. Capharnaum Ciuitas erat, immo T Metropolis
T D.Th. hic & Io. 2. Galilææ. Erat autem ex Hieronymo super Isaiam sita in littore laci Genesareth, qui lacus efficitur à Iordane influente. Erant etiam ibi aliæ Ciuitates, Tiberias Bethsaida & Corozaim. Duæ autem erant ex Hieronymo Galilææ; quia Salomon Galilææ Prouinciam diuisit, donans Hiram Regi Tyri vrbes viginti Galilææ, vt patet 3. Regum c. 9. hæ dono datæ dictæ sunt *Galilæa Gentium* in tribu Nephthali: V reliqua dicta est Galilæa Iudæorum, in tribu Iuda: Vbi (ait Haymo Isaiæ 9.) Dominus aquas vertit in vinum. Incolebant nihilominus vrbes istas Galilææ Gentium Iudæi; qui idcirco in comparatione ad Tyri & Sidonis populos idololatras infra cap. 11. increpantur, quòd post tanta signa ac virtutes, non egerint pœnitentiam: & hic versu 23. legimus; *docens in Synagogis eorum.* Cur autem illuc declinauerit Dominus? inquit Matthæus, vt Isaiæ Prophetia adimpleretur c. 9. *Terra Zabulon & terra Nephthali.* &c. nam habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephthali: & glossa, quam hic elucidat D. Thomas, quia Rex Assyriorum Theglath-phalassar (4. Regum 15.) primo duxit in captiuitatem illas tribus. Vbi ergo fuit prima legis obliuio, ibi prima Euangelij prædicatio; vbi persecutio, ibi consolatio. Insurgit autem quæstio de dissonantia Ioannis Euangelistæ ab alijs, eo quòd Ioannes tractat de aduentu eius in Galilæam cap. 1. v. 43. *in crastinum voluit exire in Galilæam:* & cap. 2. v. 12. *post hoc descendit Capharnaum:* & cap. 3. versu 24. post hæc & alia scribit; *nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem:* quomodo cohæret quod hic legimus; *cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam & habitauit in Capharnaum?* Responsio est facilis ex Remigio in Catena & Diuo Thoma: X ista secessio in Galilæam &c. non est illa quam ijs locis fert Euangelista Ioannes sed posterior, quæ fuit post incarcerationem Baptistæ; quam tangit tamen c. 4. v. 3. dicens *& abyt iterum in Galilæam.* Incepit Ioannes Euangelista, ex Ecclesiastica Historia, denarrare A quæ alij Euangelistæ prætererant, anni scilicet primi ante incarcerationem Baptistæ, vt constat ex loco vbi supra; *nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem:* Bis ergo Dominus Capharnaum descendit. Quare autem alij Euangelistæ prætermiserint hæc? Respondet Angelicus; quia licet Christus aliqua fecerit primis duobus annis, pauca tamen fuerunt respectu eorum quæ fecit vltimo anno, tertiò scilicet suæ prædicationis. B Alij Euangelistæ in hoc morati sunt. Syntaxis, Deo dante, penitius causam aperiet. Neque enim quiescit animus, cupidus adhuc sciendi, cur descendentem prima vice Dominum in Capharnaum Euangelistæ alij non recoluerint? Non perperam autem notatur ab Euangelista; *cum audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset*, quia ex Chrysost. in Homilia, *non prædicauit Iesus, donec fuit Ioannes in carcere, ne ex hoc multitudo scinderetur.* Monet tacitè id Matthæus dicens; *exinde*; &c.

V D.Th. hic

X D.Th. hic

A Io. 1. 1. & c. 3. 1. 4.

B D.Th. hic

12. VERS. XVII. *Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere; Pœnitentiam agite.*

Lex vetus erat lex timoris; Euangelium, lex amoris ex Augustino contra Adamantium Manichæi discipulum c. 17. Ioannem fuisse in legis typum consentiunt Patres, Hieronymus; *mystice autem Ioanne tradito, Christus incipit prædicare; quia desinente lege, consequenter oritur Euangelium.* Quid mirum, vt obseruat Chrysostomus in hom. *si Iesus nihil graue & onerosum dixit? Ioannes secutim, arborem incidendam & huiusmodi comminatus est.* Iesus *benigna proposuit Regnum euangelizans.* Certe in Isaia c. 42. *non erit tristis, neque turbulentus; donec ponat in terra iudicium,* & c. 61. *vt prædicarem annum placabilem Domino;* vbi Haymo; *annum*; idest *omne tempus à natiuitate, vsque ad diem iudicij: & diem vltionis*; ait Propheta. Fortè huic alluditur, Deuteronomij 24. *cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum; vt vno anno lætetur cum vxore sua.* Ioannis 3. *qui habet sponsam sponsus est.* Ephes. 5. *viri diligite vxores vestras; sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Pœnitentiam agite.* Hoc potissimè palam profitetur Paulus Act. 20. se in Asia prædicasse, *testificans* inquit, *Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam.* Quàm concors autem fuerit Ioannis & Christi prædicatio, insinuatur compendioso ipsissimorum verborum relatu; quæ supra Ioannes prompserat; *pœnitentiam agite; appropinquauit enim Regnum Cœlorum.* Roman. 15. postquam dixit Apostolus; *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, adiecit; *vt vnanimes vno ore honorificetis Deum.* Ad innuendam summam in verbis Dei concordiam; etsi pluraliter dicantur Actorum 13. *voces Prophetarum*; nihilominus vnum omnium illorum perhibetur os; Lucæ 1. canente Zacharia; *sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum eius*; & Act. 3. *Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum* &c. quia *Spiritu Sancto*, qui vnus est, 2. Petri 1. *locuti sunt Sancti Dei homines.* 1. Cor. 1. *obsecro autem vos fratres, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Philipp. 3. *verumtamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Altum autem Christianæ fidei, memorata per Ioannem, & per Iesum pœnitentia, iacitur fundamentum: quia Actorum 10. *aperiens Petrus os suum dixit; huic (Iesu) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Et Lucæ vlt. *oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes.*

Nihilominus in hac vnisona verborum expressione; *pœnitentiam agite* &c. locupletior deprehenditur, dum Christus eam promulgat, sensus. In ijs enim verbis C instituit Dominus Sacramentum pœnitentiæ: licet tunc necessitatem non indixerit, sed ad documentum D & exercitium id cœperit. Matth. 7. *erat docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Indixit autem Dominus E hominibus, vt non solum pœniterent sed etiam pœnitentiam agerent, significans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc Sacramentum. Iacobus autem c. 5. F expressit aliquid de pœnitentiæ modo: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra & orate pro inuicem.* Hæc autem difficultas emergit, quia pœnitentia consequenter se habet ad baptismum: cur ergo Dominus non prædicauit prius baptismum? Respondet Angelicus G sustinetque prædicasse Dominum prius baptismum, in his quæ dixit Nicodemo: (Ioann. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*) & hoc probat, quoniam sermo eiusmodi de baptismo fuit ante incarcerationem Ioannis: (narratam postea in eo capite 3.) Matthæus autem scribit quæ de pœnitentia post incarcerationem Ioannis, vt patet. Si tamen prius ad pœnitentiam induxisset, quàm ad baptismum; hoc ideo esset quia etiam ante baptismum, requiri-

13.

C 4. d. 22. 2. a. 3.

D 4. d. 2. 1 2. 4.

E 3. p. 84. a. 7.

F 4. d. 22. supra.

G 3. p. 84. 7. a. 3.

quiritur quædam pœnitentia; ficut & Petrus dixit Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Docuit in fententijs, H quantùm ad neceſſitatem omnia Sacramenta ſimul in paſſione Chriſti inſtituta fuiſſe. Efficaciam etiam, quantùm ad officium miniſtrorum pœnitentiæ determinauit I Matthæi 16. *tibi dabo claues*; vel Ioann. 20. *quorum remiſeritis peccata*. Quare autem Ioannis Euangeliſtæ fuerit de baptiſmo tangere, dicetur Deo dante in Syntaxi. Matthæus ſatis quo renaſcimur tetigerat Sacramentum, de Chriſti baptiſmate capite præcedenti locutus.

H 4. d. 2. vbi ſup.

I 3 p. vbi ſup. & 4. d. 21. ſup.

Appropinquauit enim Regnum Cœlorum.

14. Remigius hic; *non dicit, appropinquauit Regnum Chananæorum aut Iebuſæorum, ſed Regnum Cœlorum; lex enim promittebat bona temporalia, ſed Dominus bona Cœleſtia*. Ad legem quippe pertinet, vt ordinetur ad bonum commune L ſicut ad finem; quod poteſt eſſe duplex, ſcilicet bonum ſenſibile & terrenum; & ad tale bonum ordinabat directè lex vetus: vnde ſtatim Exodi 13. inuitatur populus ad Regnum terrenum Chananæorum: & iterum, bonum intelligibile & cœleſte; & ad hoc ordinat lex noua; vnde ſtatim Chriſtus ad Regnum Cœlorum in ſuæ prædicationis principio inuitauit. Aio ipſe, ſi hoc eſt bonum finiſque directus legis nouæ, benè *cum audiſſet, quòd Ioannes traditus eſſet*; qui fuit legis veteris typus; Lucæ 16. *lex & Prophetæ vſque ad Ioannem*. Beatitudo Sanctorum Regnum Cœlorum dicitur, non quia eorum remuneratio ſit in corporalibus Cœlis, ſed in contemplatione ſupercœleſtis naturæ: Regnum M ergo quo Deus regnat in Sanctis, & Sancti cum Deo, dicitur Regnum Cœlorum. *Appropinquauit autem Regnum Cœlorum*, cum venit ille qui claues Regni Cœlorum reliquit Petro: *habemus autem fiduciam in introitu Sanctorum*, vt ad Hebræos 10. *in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam*: *nouam*, inquit Angelicus, N quia ante Chriſtum nullus inuenit eam; *nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo*. Apoc. 3. *ſcribam ſuper eum nomen nouum & nomen Ciuitatis nouæ Ieruſalem*; quia ſcilicet de nouo introducuntur. Initiauit autem hanc viam, quia Michææ 2. *aſcendit pandens iter ante eos*: Ioan. 14. *ſi abiero & præparauero vobis locum*. Propter hoc arbitror dici *appropinquaſſe Regnum Cœlorum*: quemadmodum nihil remotius, quàm quò nulla via panditur, qua eatur. Benè fas ſit cum Petro dicere Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Finale hoc Regni Cœlorum bonum O dicitur vita æterna: viſio ſcilicet Diuinitatis. Ioan. 17. *hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*. &c.

L p. 2. q. 91. 2. 5.

M Opuſ. 2. p. 2. c. 9.

N Hebr. 10. l. 2.

O Opuſ. 2. vbi ſup.

VERS. XVIII. *Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galilææ*. &c.

15. Quoniam, vt legitur Ioannis 2. v. 12. *deſcendit Ieſus in Capharnaum*, &c. & *diſcipuli eius*; & quidem ante incarcerationem Ioannis: excitatur quæſtio, quinam ſint illi diſcipuli; quia ſi Petrus & Andreas, aliique recenſiti hic à Matthæo, videtur eſſe contrarietas Euangeliſtarum horum, de tempore vocationis, cum Matthæus ſit in ſerie narrationis rerum ſecutarum poſtquam traditus eſt Ioannes. Diuus Auguſtinus relatus in Ioannem P concordat dupliciter; primò vt Matthæus etſi præmiſerit; *cum audiſſet quòd traditus eſſet Ioannes* narraturus Chriſti prædicationem, poſt illius carcerem; nihilominus recolat aliqua ſecuta ante carcerationem, cuiuſmodi fuerit vocatio diſcipulorum. Et in huius ſignum; abſtinuiſſe Matthæum à poſteri temporis verbo; neque enim dixit; *poſt hoc*, vel, *in diebus illis*: ſed ſic abſolutè, *ambulans Ieſus & vidit duos fratres*. Hæc reſponſio Diuo Thomæ acceptior eſt, quàm ſubiecta; vt diſcipuli quos Ioannes recolit, ſint alij ab Apoſtolis, qui in Chriſtum credentes, eius magiſterio erudirentur. Non eo inficias potuiſſe Matthæum poſtpoſuiſſe, quæ præextiterat, vocationem diſcipulorum: quemadmodum cum ſcripſit; *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis*, per anticipationem volunt eſſe dictum. Supereſt nihilominus humiliter ſcrutari, cur hic & alibi non ſeruauerit, immò poſitiue deflexerit ab ordine hiſtoriæ? Accreſcit autem noua de cauſa difficultas, quia ſecundùm Hieronymum, & fertur a D. Th. Q Dominus Ioannem vocauit de nuptijs. Quomodo ergo vocatus eſt per Matthæum poſt incarcerationem Baptiſtæ? Miſſis autem, quæ ad Syntaxin ſcopumque ſingulorum Euangeliſtarum conferre poſſent: quod præcipuè intenderunt, non attento factorum ordine; dicendum cum eodem Sancto Thoma, R diuerſas fuiſſe vocationes Apoſtolorum; primò enim vocati fuerunt ad familiaritatem Chriſti, ſed vltimo vocati ad diſcipulatum, quando ſcilicet *relictis omnibus ſecuti ſunt Ieſum*. Quod ergo Hieronymus dicit, intelligendum eſt de prima vocatione; quia Ioannes ad familiaritatem Chriſti de nuptijs eſt vocatus. Quod verò Matthæus dicit, intelligendum eſt de vltima vocatione, qua de naui vocauit cum Iacobo fratre ſuo: quando ſcilicet *relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Cur non dicatur, aio ego, hoc ipſum de vocatione Simonis & Andreæ? Acceſſerant ad Chriſtum Ioannis cap. 1. cap. 2. fuerant cum illo in Capharnaum, diſcipuli ex hoc etiam ab Ioanne Euangeliſta nuncupati; & hoc ante incarcerationem Baptiſtæ; de vocatione huiuſmodi Matthæus non loquitur: ſed poſt carcerationem Baptiſtæ, indiſſolubilem Simonis & aliorum Chriſti ſequelam, ac indiuiſum diſcipulorum ſodalitium efficaci Chriſti ex vocatione patefacit. Priùs ergo fuerunt tanquam deuoti bene affecti Chriſto credentes, poſt Ioannis carcerem firmiùs vocati adhæſere: neque enim miraculosè vt Matthæus, ſed humano condeſcendens captui, præparatos antea vt ſcribitur Ioannis 1. ad ſe traxit, ſuauiter vnà ſimul & fortiter Matthæi 4. deinde Lucæ 6. ad munus Apoſtolicum euecturus. Itaque primò ad fidem Ioan. 1. deinde ad ſequelam Matth. 4. tandem ad apoſtolatum aſſumuntur Lucæ 6. Ad alta gradatim ſcanditur: nemo repentè fit ſummus.

P Ioan. 2. l. 2.

Q 4. d. 17. a. 3. 2. & eſt ex Prologo in Ioan.

R In Prologũ Hieronymi in Ioannem.

VERS. XIX. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.*

16. In Ieremia c. 16. legimus; *ecce ego mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos*. Huc fertur S iſthæc auctoritas: per doctrinam ſcilicet & prædicationem. Diuus Auguſtinus Serm. 14. de verbis Domini; *turbulentum mare hoc ſæculum: quod ſe*, ait Gregorius, *vndarum tumultuumque fluctibus illidit*. Ambroſius lib. 4. c. 5. in Lucam; *piſces ſunt qui hanc euanigant vitam*. Sic in pſalm. 8. *piſces maris, qui perambulant* T *ſemitas maris*, ideſt huius mundi. Per *piſces* intelliguntur V cupidi, *qui perambulant ſemitas maris*, ad literam inquit, vel Mundi. Ad literam certè dixit Poeta; *per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa per ignes*. 1. ad Timoth. 6. *radix omnium malorum eſt cupiditas*, 2. item ad Tim. 3. *erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi*, &c. Bene ergo Chryſoſtom. (fertur in Catena Lucæ 4.) inquit, *piſcatores, quia fluctuantes de infimis ad ſuperna transducunt*. Et Nazianzenus relatus Lucæ 5. in Catena; *vt à profundis extrahat piſcem, hominem ſcilicet natantem in mobilibus rebus, & amaris vitæ huius procellis*. Beda etiam Marci 2. & 3. *vt doceat fluctiuagos rerum labentium motus contemnere, ac fidei firmitate ſuperare: & indicet auditores amaros ac inſtabiles*. Ad hæc eodem tropo Lucæ 5. laxatis retibus in capturam *concluſerunt piſcium multitudinem; & Simon Petrus* Ioan. 21. *traxit rete in terram plenum magnis piſcibus*:

S Hie. & Apoc. 21.

T Matth. 13. ad finem.

V pſ. 8. & 1. Cor. 15. lect. 6.

X Ioan. 21.1.2. *piſcibus:* ad ſoliditatem littoris X quia ſtabilitatem æternæ Patriæ fidelibus oſtendit. Piſces autem in hac
A loc. cit. & Matth. 7. vita neceſſariò ſunt, quos piſcantur; quia per piſcem qui latet ſub aquis, fides, quæ eſt A de non apparentibus, ſignificatur. *Sine fide* Hebræor. 11. *impoſſibile eſt placere Deo*, Ioan. 3. *qui non credit, iam*
B 2. Cor. 12.l.5. *iudicatus eſt*. Piſcatores hominum B non pecuniæ. 2. Cor. 12. *non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Philipp. 4. *non quia quæro datum, ſed fructum.* 1. Theſſ. 2. *neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis ſicut ſcitis; neque in occaſione auaritiæ: Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam; neque à vobis, neque ab alijs.* Quàm opportunè relictis retibus ſecuti ſunt eum: immo relictis omnibus, vt infrà c. 19. Petrus reſpondit. Sed ait Auguſtinus Sermone 61. in Euangelium ſecundùm Ioannem; *dimiſit retia piſcator, accepit gratiam piſcator, & factus eſt diuinus orator.* Denique de Ciuitate Dei lib. 22. c. 5. *ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino quantùm ad iſtorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rethorica inflatos, Piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare huius ſæculi pauciſſimos miſit, atque ita ex omni genere tam multos piſces, & tanto mirabiliores quanto rariores ipſos philoſophos cepit. Mundus autem propterea numero exiguo ignobilium infirmorum imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus teſtibus, multo mirabiliùs Diuinitas ſe ipſa perſuaſit:* recole Act. 4. *videntes autem Petri conſtantiam & Iohannis; comperto quòd homines eſſent ſine literis & idiotæ, admirabantur.* Conſidera non dixiſſe faciam vos piſcatores, ſed *faciam vos fieri*; vel, vt paſſuros eo in apoſtolico munere dura, inſinuet. Id quod paſſim legimus de Apoſtolis: ſufficiat illud 1. Corinth. 4. *puto quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos;* &c. 1. Theſſ. 2. *ante paſſi & contumelijs affecti fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Euangelium.* Item ad eum ſenſum quò dicitur Ioan. 1. *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Expo-
C opuſ. 7. nens illud *Fiat voluntas tua*; C non dicit *fac*, nec etiam *faciamus*, ſed *fiat*; quia vult quòd homo cooperetur. Item ly fieri paſſiuitatem illam exprimit, quæ in nomine Apoſtoli clauditur. *Apoſtolus* D D Rom. 1.1.1.
idem eſt, quod *miſſus*. Ieremiæ 23. è contra de pſeudo legimus: *non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant:* & paulo poſt; *cum ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis.* Denique *fieri*; quoniam Rom. 8. *filij Dei, ſpiritu Dei aguntur*, vbi gloſſa Auguſtini; *non quia nihil agant ſed quia impetu gratiæ aguntur.* Infra Matth. 10. *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.*

VERS. XXII. *Illi autem ſtatim relictis retibus & Patre.*

Hic ait Hilarius, de Iacobo & Ioanne; *eis artem & patriam domum relinquentibus, docemur Ieſum ſecuturi, & ſæcularis vitæ ſolicitudine & paternæ domus conſuetudine non teneri.* Quod ſimiliter ait Chryſoſtomus paulo ante de Petro & Andrea: *in medijs operibus exiſtentes audientes iubentem, non diſtulerunt: non dixerunt reuertentes Domum, loquamur amicis, ſed omnia dimittentes ſecuti ſunt eum: ſicut Heliſæus Heliæ fecit.* De quo E in Opuſ- E Opuſc. 17. c. 9. &
culo: *Simon*, interpretatur *obediens*. Mirabilis iſt- 2. 2. 189.
hæc obedientia! hi piſcabãtur; Iacobus & Ioannes re- 10.
ficiebant retia; & continuò ſequuntur Ieſum. Magna vis vocationis! *dedit voci ſuæ vocem virtutis* pſ. 67.

VERS. XXIII. *Sanans omnem languorem.*

Cur ſic ſummariè tangantur Chriſti miracula & virtutes, in Syntaxi dicetur. Quo item compendio
ſubditur, abijſſe *opinionem eius* (famam F) *in to-* F Serm. in Epiph. ex Epiſt.
tam Syriam: Actorum 10. *pertranſit benè faciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo.* Sunt autem *& alia multa, quæ fecit Ieſus*, meritò ait in calce Ioannes.

VERS. XXIV. *Et lunaticos.*

Dæmones ſecundùm certa augmenta lunæ homines vexant propter duo: primò vt infament creatu-
ram Dei G ſcilicet lunam, vt Hieronymus & Chry- G 1. p. 115. 5. ad 1.
ſoſtomus dicunt: ſecundò, quia cum non poſſint operari, niſi mediantibus naturalibus virtutibus; & cerebrum ſit humidiſſimum, proinde maximè ſubiectum operationi lunæ, attendunt cerebri diſpoſitionem, in quo perficiuntur vires animales, vt turbent phantaſiam.

S Y N T A X I S

Ad Caput Quartum.

VERS. I. *Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu.*

Mirabiliter poſtquam de baptiſmo pera-
1. ctum eſt, adnectit Euangeliſta de Chri-
A 3. p. 15. a. 5. ſti tentatione; quia doctrina eſt conſtans, A quòd licèt per baptiſmum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interiùs; & Mundus & Dæmones, qui impugnant exteriùs.
B p. 2. 91. 6. Dici poteſt ex lege fomitis, vt alibi eam declarat, B decidiſſe de dominatu ad legem militarem. Ita Tridentinum Seſſ. 5. decreto de peccato originali, relictum nobis docet fomitem *ad agonem*. Caro Mundus, Dæmonia, diuerſa mouent prælia. Iob 7. *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Gloſſa ſuper illud Roman. 6. *vt vltra non ſeruiamus peccato;* ſic ait; *non hoc præſtatur in baptiſmo, (niſi fortè*
C 3. p. 69. 2. *miraculo Creatoris) vt lex peccati,* C *quæ eſt in membris, prorſus extinguatur.* Et alia Gloſſa; *ſi poſt baptiſmum vixerit homo in carne, habet concupiſcentiam cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo*
D 2. Cor. 12. l. 3. 3. p. 69. a. 3. *ſuperet.* D In cuius figuram dicitur Iudicum 3. *hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi:* Itaque ad ſpirituale exercitium: Ideo ait *tunc*. Et præterea, quia incipientium cura principalior imminet, vt reſiſtant peccatis, quorum impugnatione in-
quietantur. 2. 2. q. 24. 9. 2. Hinc ex Ambroſio, E ba- E 3. p. 66. a. 10. a. 1
ptizandus inungitur oleo Sancto & in pectore & in ſcapulis, ſicut pugiles inungi conſueuerunt. Gloſſa ſuper illud pſ. 22. *ſuper aquas refectionis educauit*
me: F *per augmentum virtutis & bonæ operationis* F 3. p. 69. 4. 3.
educauit in baptiſmo. Cæterùm quamuis, vt Origenes dicit, etiamſi diabolus non eſſet, homines ha-
berent appetitum ciborum & venereorum; G circa G 1. p. 114. 3. ad 1. & p. 2. 80. 4.
quæ multa inordinatio contingit: nihilominus potiſſimè, *non eſt nobis* Epheſ. 6. *colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & Poteſtates, aduerſus Mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Si quæ autem ſunt Diaboli conamina, præſertim in baptizatos. Vbi in Iob c. 40. dicitur de Diabolo ſub typo Behe-
moth; *habet fiduciam quòd influat Iordanis in os* H D. Th. hic & 3. p. 41. a. 1.
eius: exponitur, quia H Diabolus ſanctos aggreditur.

tur. *In sanctificatis enim, ex Hilario in Catena, maximè Diaboli tentamenta grassantur, quia victoria ei est magis optata de sanctis.* *Iordanis* tangitur, I qui est fluuius in terra, in qua olim vera Dei cognitio habebatur. Libens dicerem ipse, quia baptizatis insidiatur ardentiùs. Ratio esse potest, quoniam in baptismo expellitur, expoliaturque ea potestate L quam in hominem habebat, ex hoc ipso quòd subdebatur peccato originali, vel etiam actuali: expellitur autem per exorcismos, quam quidem expulsionem significat exufflatio; & benedictio cùm manus impositione præcludit expulso viam, ne redire possit: sicut olei inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra Dæmones. Vbi autem Iob 7. extat, *militia est vita hominis*; alia litera vt fertur M habet, *tentatio est vita hominis super terram*. Militat ergo in nos Diabolus tentationibus. Propterea *ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo*: præsertim in exemplum; vt scilicet nos instrueret, qualiter Diaboli tentationes vincamus: & ex Augustino; vt ad superandas tentationes eius, mediator esset non solùm per adiutorium, N verùm etiam per exemplum. Petri 2. secundo; *nouit Dominus pios de tentatione eripere.*

I Iob 40. l.1.

L 3.p.71. a.1.

M Apoc. Prologo.

N 3.p.41. a.1.

In desertum à spiritu.

2. Baptismo sanctificati in deserto secundùm Chrysostomum sunt, quantùm ad Diabolum; quia non est ibi iniustitia, in qua Diabolus delectatur. Sed addo ex eodem, quòd non solùm Christus *ductus est in desertum à spiritu*, sed omnes filij Dei habentes Spiritum-Sanctum: non enim sunt contenti sedere otiosi, sed Spiritus-Sanctus vrget eos, aliquod magnum apprehendere opus. O Pulchræ ad rem sunt sententiæ. Ecclesiastici 4. *vsque ad mortem certa pro iustitia.* Sap. 10. *& certamen forte dedit illi, vt vinceret* 1. Corinth. 9. *sic pugno non quasi aerem verberans.* Timot. 2. 2. *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*: & c. 4. *bonum certamen certaui.* Philosophus etiam 1. Ethic. dicit; *quemadmodum in olympiadibus, non optimi & fortissimi coronantur, sed agonizantes.* Quocirca P Angelicus; merces non debetur potestati, vel auctoritati, vel habitui, sed actui; quia solis actibus meremur. Habemus etiam ex Dionysio 2. cap. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* hominem ante baptismum exercere non posse diuinas operationes, quia Q sicut ipse dicit, per Baptismum accipit homo diuinam vitam; oportet autem vnumquodque primùm existere, & deinde operari. Ad stadium ergo ducimur à Spiritu. Hic non puto fieri sermonem de Ecclesia in communi, vt apud Lucam, vbi legimus; *Iesus autem plenus Spiritu-Sancto regressus est à Iordane*; nàm & Actorum 2. *repleuit totam domum*: sed de singulis hominibus Deo regeneratis per baptismum, quos singulos Spiritus-Sanctus, diuidens prout vult, exercet ad pugnam. Et quidem in deserto huius mundi. Diuus Thomas; R moraliter per desertum mundus iste intelligitur; Deuteronomij 8. *ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens*, idest superbia; *scorpio*, idest luxuria; *dypsas*, idest auaritia. Dypsas serpentis genus esse scribitur viperæ simile, à verbo *dypso* græcè, *sitio* latinè: morsu enim humorem omnem consumens, sitim maximam inducit, indeque mortem. Hydropicus ex Sancto Beda, *qui quantò magis abundat humore inordinato* (in Lucæ 14.) *tantò ampliùs sitit, comparatur diuiti auaro; qui quantò est copiosior diuitijs, quibus non bene vtitur, tanto ardentiùs talia concupiscit*: Poeta;

O 3.p.41. a.1.2.

P Opusc. 19.c.7.

Q Opusc. 19.c.2.

R Serm. Dom. 4. Adu. ex Euang.

Interea pleno dum turget sacculus ære,
Crescit amor nummi quantùm ipsa pecunia crescit.

Certè scorpio sapienter accipitur pro luxuria; quando est animal venenosum brachijs amplectens & cauda feriens. De hoc Prouerb. 7. *ecce occurrit mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, quæ procaci vultu blanditur dicens*; (præ alijs) *veni fruamur cupitis amplexibus: blanditijs labiorum protraxit illum, donec transfigat sagitta iecur eius.* *Serpens flatu adurens* palam superbiam insinuat, & cum potissimè *qui est Rex super filios superbiæ*; Iob. 41. *serpens antiquus*, (Apoc. 12.) *qui vocatur Diabolus & Satanas.* Et ecce in præsenti sic vocari. Ad hæc tamen altè Isaias c. 63. in tutamen nostrum intonet; *Spiritus Domini ductor eius fuit*: ad iudicandum scilicet S veraciter & efficaciter ea, quæ agenda sunt. Suggerat ergo, tentet Diabolus; *si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Si Dominus sit *illuminatio mea & salus mea.*

S 2.2.q. 171.a.2.

Vt tentaretur à Diabolo.

Mirabitur quis primo in limine, quomodo tentationibus veluti obuietur. Verùm duplex in primis fit tentatio, vna ex parte hominis, puta cum aliquis se propinquum T facit, occasiones peccandi non euitans; & talis occasio tentationis est vitanda, sicut dictum est Loth Genes. 19. *ne steteris in omni regione circa Sodomam.* Alia tentationis occasio est ex parte Diaboli, qui semper inuidet ad meliora tendentibus, vt Ambrosius dicit; & talis tentationis occasio non est vitanda. Aiebat Chrysostomus super Matthæum Hom. 13. *tunc maximè instat Diabolus ad tentandum, cum viderit solitarios.* Ecce *in deserto.* Nunquid culpandi fuerant Anachoretæ? Est huiusmodi tentatio ab hoste, & quatenus est per exteriorem solam V suggestionem, potest esse sine peccato. Tentatio etiam exterior tribulationum, nedum vitanda non est; sed est suscipienda lætanter. Iacobi 1. *omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis: beatus vir qui suffert tentationem.* Sed tentatio carnis, cum quis, immò *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua*, vt ait idem Sanctus Iacobus; potest esse cum peccato, & sine peccato: cum peccato quidem, quia vt dicit Augustinus lib. 19. de Ciuitate Dei c. 4. X *nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit aduersùs spiritum*, (ad Galat. 5.) quia hoc est carnem concupiscere. Et hoc ex corruptione fomitis, non repressis sensualitatis motibus cum præsentiuntur: *non enim*, aiebat Apostolus, Rom. 7. *quod volo bonum hoc ego, sed quod odi malum, illud facio*; quod exponit A Augustinus de malo concupiscentiæ. Veruntamen hæc concupiscentia potest esse etiam sine vllo peccato, in quantùm B rationabili voluntate reprimitur eiusmodi motus (potest voluntas non velle concupiscere, aut concupiscentiæ non consentire p. 2. q. 10. 3. ad 1. & q. 17. 7. cum resistitur, est meritum coronæ; q. 7. de malo, a. 6. ad 6.) vel potest esse cum solo peccato veniali, leuissimo ex Augustino 12. de Trinitate, eo quòd sit quidem motus inordinatus, sed rationem præueniens C siue iudicium; quo adueniente operatio impeditur: & ideo signanter ait Apostolus; *quod enim operor, non intelligo.* Intelligitur autem hoc esse peccatum veniale, in quantùm erumpit homo in passionem sensibilis appetitus: caro enim dicitur concupiscere ex Augustino, D in quantùm anima secundùm ipsam carnem concupiscit: sicut oculus dicitur videre, cum potiùs anima per oculum videat: nam si de motibus vitiosis (accipio doctrinam hanc, de motibus exteriorum membrorum qui p. 2. q. 17. a. 8. non subiacent imperio rationis) fiat sermo, non omnes motus huiusmodi E semper habent in nobis rationem venialis culpæ, siue reatus: aliàs Sancti Patres in omni opere coniugali necessariò peccassent venialiter, aut sanctimoniales in fœdis violentationibus corporis sui; quibus eorum consensus totis viribus renitebatur. De

3.

T 3.p.41. a.1.

V 3.p.41. 1.3.

X 3.p.41. 1.3. & hebr. 4. l.3.

A p.1. 74. 3.

B ibid a.2.

C ibid 3. & Rom. 7. l. 2. & quodl. 4. a.21.

D Galat. 5. l.4.

E Genes. c.19. ante medium.

his

his q. 7. de malo a. 6. ad 6. & in 2. dist. 24. q. 3. a. 2. in corp. & ad 4.

4. At obiicies, si tentatio interior non est sine peccato, quid nobis gaudendum? quod ait Iacobus. F
F Iacobi 1. Respondetur non in ipsa secundum se, sed in quantùm ei resistitur, est materia exercendæ virtutis, & causa reprimendi superbiam. Certè minima gratia
G 3. p. 62. 6. 3. & q. 70. a. 4. G potest resistere cuilibet concupiscentiæ; minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas *millia auri & argenti*. 1. Corinth. 10. *fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum.* Supra virtutem
H 1. Corint. 1. l. 3. naturalem aliquando H permittit Deus Sanctos tentari, sed non supra virtutem gratiæ. Hebræor. 2. *potens est & eis qui tentantur auxiliari*. Et huc iu-
I 1. 2. q. 1. 5. 1. uat reuocari doctrinam D. Thomæ I ad multa alia teneri hominem, ad quæ non potest sine gratia repa-
L p. 2. 109. 4. 2. rante. Sed id quod possumus L cum auxilio diuino, non est nobis omnino impossibile, secundùm illud Philosophi in 3. Ethic. *quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus*. Quòd si tentatio est à Diabolo, multo magis ei resistendum. Iacobi 4. *resistite Diabolo, & fugiet à vobis: appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Ad illud Ioannis; *nunc Princeps huius Mundi eiicietur foras*, sic instatur: si eiectus esset foras, non ita tentaret. Sed occurritur ex Augustino, tunc tentare homines ab interiori, quandiu regnat in eis per peccatum; Roman. 6. *non re-*
M Ioan. 12. l. 5. & in catena. *gnet peccatum:* M aliàs ab exteriori tantùm, tentare non cessat; sed aliud est intrinsecus regnare, aliud extrinsecùs oppugnare. Maius est auxilium Spiritus-
N 3. p. 41. 2. 2. Sancti, N quàm impugnatio Diaboli inuidentis.
Fit ergo impugnationis Dæmonum recompensatio,
O 1. p. 114. 1. 2. O principaliter quidem per auxilium diuinæ gratiæ, secundariò per custodiam Angelorum. Augustinus;
P 1. Cor. 10. l. 3. *qui dat Diabolo tentandi licentiam*, P *ipse dat tentatis misericordiam; prouentum, inquam, ita vt possitis sustinere, ne deficiatis in lucta, sed vincatis*; quod fit per humilitatem; vt dicit Augustinus; *illi enim non crepant in fornace, qui non habent ventum superbiæ*. Quod si aliquando contingat tentationibus vinci, illud est recolendum Rom. 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: vsque adeo*, ait
Q Rom. 8. l. 6. Glossa, Q *vt si qui eorum deuient aut exorbitent, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum; quia sibi humiliores redeunt, atque doctiores: discunt enim cum tremore, se exultare debere, non quasi arrogando sibi tanquam de sua virtute fiduciam permanendi*. Bonum quippe hominis ex D. Thoma ibi, non solùm consistit in quantitate charitatis, sed præcipuè in ipsius perseuerantia vsque ad mortem. Ex hoc autem quòd iustus cadit, resurgit cautior & humi-
R 3. p. q. 89. 2. lior, etsi non semper maiori in charitate: de quo R Et facit illud, *quod Deus benefacit etiam de malo* alibi. D. August. in ps. 63. *Diabolus tantùm tentare sinitur, quantùm expedit proficientibus; non quantùm potest, non quantùm vult*. Non nobis expedit esse sine tentationibus, nec rogemus Deum, vt non tentemur, sed vt non *inducamur in tentationem*. Hinc Ambrosius Serm. 26. *Dicitur à Domino ei; non tentabis sanctos viros, & famulos Dei*.

VERS. II. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus*, &c.

5. Quadragenarij numeri mysterium habes S ex
S 3. p. 40. 2. 3. Sanctis Patribus. Aiebat præterea Augustinus Tract. 17. in Ioannem; *quadragenarius numerus sacratus nobis in quadam perfectione commendatur*. Sanctus Basilius Serm. 2. de ieiunio; *neque enim Dæmonum insultus ieiunantem impetere audet*. Sed dicet quis: quomodo ergo tentat? Responsio in promptu est; quia postea esurijt. Sed valde animaduertendum, qualiter contingat nos esurire, & qualiter esurierit Christus. Cum enim in Christo Domino non fuerit T fomes, (est fomes inclinatio ad peccatum) T 3. p. 15. 2. 2.
caro eius appetebat quidem concupiscentia appetitus sensitiui naturaliter escam & potum & somnum, & alia, sed prout secundum rectam rationem appetuntur, vt patet per Damascenum in 3. libro ort. fid. c. 14. Nobis etiam appetere, & vti necessarijs ad sustentationem, V non est peccatum gulæ, sed illius V I e. ad 1. & 3. p. 41. 4. 1.
inordinatio præter modum & ordinem rationis; cuiusmodi esset, si pro corpore sustentando, vbi recursus haberi possit ad humana subsidia, miraculosè sibi cibum quis quærere velit. Diabolus nullam inordinationem notans in Christo, hanc tentauit. Sed vt ait Hilarius; *tentare Christum Diabolus non fuisse X ausus, nisi in eo per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis recognosceret*. Sed in ipso haud X 3. p. 41. 1. 1.
quaquam fuit A interior impugnatio ex parte fomitis, neque aliqua rebellio partis inferioris ad superio- A 3. p. 15. 2. 1. &
rem, sed solùm impugnatio ab hoste exterior. Hebr. Hebr. 2. l. 4. sub finem &
4. *tentatum per omnia absque peccato*; idest absque minimo motu peccati 1. Petri 2. *qui peccatum non fecit*. Nos interioris expertes minimè sumus: ideo Hebr. 4. l. 3.
quod in Christum non decuit, immò fuit impossibile, in nos concupiscentiæ interioris stimulos acuit. Tres ergo cum sint peccatorum causæ, B 1. Ioan. 2. B p. 1. 77. 5.
concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbiæ vitæ; vt ibi exponitur, Diabolus has omnes ad nostram eruditionem intentare permittitur: & ideò Lucæ 4. legimus; *consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo*. Ambrosius super Lucam, *non dixisset, consummata omni tentatione, nisi in præmissis esset omnium materia delictorum; quia causæ tentationum causæ sunt cupiditatum; scilicet carnis delectatio, spes gloriæ, & auiditas potentiæ*. De concupiscentia carnis tentauit in quantum de gula, quæ est Mater luxuriæ: de inani gloria; *mitte te deorsum*; de concupiscentia oculorum; *hæc omnia*, &c. Hebr. 4. l. 3. Concupiscentia eorum quibus natura corporis C sustentatur, siue quantùm ad su- C vbi supra
stentationem indiuidui, sicut cibus & potus & alia huiusmodi; siue quantùm ad conseruationem speciei, sicut in venereis, si exorbitet aut inordinata sit, dicitur concupiscentia carnis: aliàs dicitur concupiscentia naturalis. Habent hæc cognationem, quia vt supra & nuper dictum est; *gula est Mater luxuriæ*. Hieronymus; D *venter & genitalia sibimetipsis vicina sunt, vt ex vicinitate membrorum, confœderatio intelligatur vitiorum*. Alibi; *venter mero æstuans, facilè in luxuriam spumat: Vinum fuge, vt venenum; quid enim oleum flammæ addis?* D 2. 2. 151. 3. 3.
Ephes. 5. *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Valerius; *à Cerere & Libero Patre, propinquus est locus ad Venerem*. Osee 4. *comedent & saturabuntur: fornicati sunt & non cessauerunt*. Diluuium inductum est propter peccata luxuriæ, E ex præce- E 2. 2. 148. 3. 1.
denti gula occasionata: Lucæ 17. *edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabant ad nuptias*: Ezechielis 16. *hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis & abundantia*. *Nisi prius refrænetur gula*, F *frustra contra alia vitia*, ex Glossa, *laboratur*: & Glossa alia; *Diabolus victus de gula, non tentat de libidine*. *In ieiunijs*, ait Apostolus, deinde, F Apoc. 16. Com. 1.
& castitate; & Chrysostomus; *magnum scutum aduersus Diabolum, ieiunium*. Tela ignea Diaboli per fidem extinguuntur, G quæ tentationes præsentes & transitorias extinguit per bona spiritualia, & G Ephes. 6. l. 4.
æterna, quæ promittit Sacra Scriptura: vnde Dominus; *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*.

VERS. VI. *Si filius Dei es, mitte te deorsum* &c. 6.

Tentatio isthæc ad *superbiam vitæ* refertur. Ratio est, quoniam Diabolus ad inanem gloriam Christum H inducere conatus est, ex cuius cupiditate H 3. p. 41. 4.
tentaret per præcipitium Deum. Inanis gloria immediate

I 2.2. q. 162. 4. mediate I à superbia oriri deprehenditur. Superbia
L 2.2. 163. 8. 2. inordinatè L excellentiam appetit; inanis gloria appetit excellentiæ manifestationem. In hoc spiritua-
M 3. p. loc. cit. les viri quandoque deficiunt, vt scilicet aliqua M ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Gal. 5. *non efficiamur inanis gloriæ cupidi*. D. Augustinus in psal. 8. ad curiositatis genus trahit hanc tentationem: *mitte te*, inquit, *deorsum*, tentandi gratia, vtrum ab Angelis susciperetur. Sic
N 2. 2. 167. 2. 1. experiendi noscendique libidine ex curiositate N interdum homo sibi grauia subit. Si ita capiatur tentatio, ad concupiscentiam attineret oculorum; quæ item in curiositate consistit, vt ait idem Augusti-
O 1. 2. 77. 5. nus relatus in prima secundæ. O Et oporteret tertij generis tentationem, hoc est superbiam vitæ, in appetitu diuitiarum & honorum statuere; *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Et certè hic ambitio facile inuoluitur: quandoquidem vt ait Am-
P 3. p. 41. 4. 1. brosius, P *habet ambitio domesticum periculum; vt enim dominetur alijs, priùs seruit, & curuatur obsequio, vt honore donetur; & dum vult esse sublimior, fit remissior*. Certè principalis superbiæ filia
Q 1. Cor. 13. lect. 2. Q est ambitio. Sapit ergo superbiam tertia hæc tentatio, etiam quia superbia propriè auertit à Deo; ex
R 2. 2. 162. 6. hoc ipso, R quòd non vult Deo, & eius regulæ subijci: vnde Boetius; *cum omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia se Deo opponit*. Ecce expetiâ Diabolo contra Deum adorationem; *si cadens adoraueris me*. Honores & diuitias Mundi appetere peccatum est,
S 3. p. 41. 4. 3. quando inordinatè appetuntur: hoc autem S, & sic intentauit Diabolus, vt pro illis adipiscendis Christus eum adoraret: quod est maximum scelus & contra Deum. Reuera enim non est propriè superbia,
T 1. Cor. 13. lect. 3. nisi T quando quis appetit excellentiam, non ordinando illam ad Deum. Verùm etsi omnia hæc verè dicantur; adhuc quoniam conspirant simul & superbia & diuitiarum possessio; Sap. 5. *quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis?* libentiùs plaudo; vt tentatio superbiæ fuerit, quæ præcesserat ad inanem gloriam; *mitte te deorsum* &c. Et hæc potiùs superbiam Diaboli prodat; qui in id quod in principio appetijt; *similis ero*
V D. Th. hic. *Altissimo* V, perseuerat: & hæc tertia sit auaritiæ ad diuitias, seu concupiscentiæ oculorum: rerum sci-
X p. 2. 77. a. 5. & q. 108. 3. 4. & a. 4. licet quæ exterius oculis proponuntur: X vt referatur ad cupiditatem. Oculorum; quia ipsi sunt principales in sensibus ad cognoscendum: vnde nomen visus transfertur ad omnes alios sensus, & etiam ad omnes interiores apprehensiones ex Augustino: & visus est excellentior inter omnes alios sensus & ad plura se extendens, vt dicitur in primo Metaphysi-
A loc. cit. & 2. 2. q. 167. 2. ad 2. cæ A. Et sic fortè posset etiam exponi; *ostendit ei omnia Regna Mundi*; quia sensus visus præ alijs plura potest percipere, suntque visu cognoscibilia: etsi per verba etiam de ijs eorumque gloria, studuit Diabolus allicere Christum; Christus per auditum ea vidit, & Diabolus verè dicitur consequenter, ea ostendisse.

7. Quæritur quænam fuerit tentationum series; nam Lucas, illam de pinna templi, quam Matthæus se-
B 3. p. 41. 4. 5. cundò refert, ponit pro tertia. Augustinus dicit B *incertum est, quid priùs factum sit: nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse, manifestum sit*. Videntur autem, subdit Angelicus, Euangelistæ diuersum ordinem tenuisse; quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque è conuerso. Glossa in Catena credit secundùm Historiam potius esse quod scripsit Lucas: Matthæum verò retulisse tentationes, secundùm hoc quòd in Adam factæ sunt. Ipse existimo iuxta Matthæum fuisse insultuum ordinem; tùm quia fortior tentatio est diuitiarum, quam ad vltimos conatus seruauit: primæ Timothei 6. *radix omnium malorum cupiditas*. Poeta etiam. *Iuppiter aduertens nihil esse potentiùs auro, corruptæ pretium virginis ipse fuit*. Sic 2. Machab. 7. Antiochus supremo illi fratrum *cum iuramento affirmabat, se diuitem & beatum facturum*. Visus est Antiocho fortior diuitiarum aries quàm fuissent acerbissimæ neces. Et de Antichristo ait Hieronymus, *quos terroribus nequibit subiugabit auaritia*. Et sic dicitur ab Apostolo ibi tentatio antonomasticè; *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem*. Ecclesiastici 31. *qui aurum diligit, non iustificabitur*: Matth. 19. *faciliùs est per foramen acus camelum intrare, quam diuitem in Regnum Cœlorum*; & cap. 10. *nihil est iniquius, quàm amare pecuniam*.
Præterea, quia arbor ex D. Thoma C à radice habet alimentum; & sic peccatum recedens à Deo (hoc vt dixi potissimè superbia) à cupiditate, ex parte conuersionis ad bonum commutabile, sumit nutrimentum. Hoc ergo potuit intendere, puto, Diabolus, vt quod in cassum euibrauerat telum superbiæ seu inanis gloriæ, iterum iaceret, validius factum ex alimento auaritiæ. Lucas autem, quo ordine afflictata sit Ecclesia prosequitur. *Post hæc reliquit eum Diabolus*. Augustinus lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos; *qui ergo vult Mundum vincere, tria ista vincat, quæ sunt in Mundo: & per hæc illum vincet, qui suadendo per superbiam decepit Mundum*. *Et ecce accesserunt Angeli*. Vbi Apocalyps. 12. *factum est prælium magnum in Cœlo*; significat, inquit, D bellum quoddam inter sanctos Angelos & malignos circa humanam salutem. Angeli Custodes nunquam totaliter hominem cui deputantur E dimittunt; & etiam cum sunt in Cœlo, cognoscunt quid circa homines agitur; nec indigent mora temporis ad motum localem, sed statim possunt adesse. *Adsunt vt protegant*, aiebat Bernardus. *Accesserunt*: qui spectant agonem, victoriamque nobis precantur, accedunt gratulabandi & ministrant: *in ministerium missi*, Hebr. 1. *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Vt abscedat à nobis; illud Ephes. 4. moneamur; *nolite locum dare Diabolo* &c. Omnis etiam, eius qui tentat, (1. Thess. 3.) tentatio, diabolus dici potest, iuxtà illud primi Machab. cap. 1. *factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in Diabolum malum in Israel*.

C 1. Tim. 6. lect. 2.
D Apoc. 12.
E p. p. 113. 6.

VERS. XII. *Cum autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam*, &c.

Vt legitur versu 17. *exinde cœpit Iesus prædicare*. 8.
Hoc nobis regeneratis baptismo summoperè proficit: regeneramur enim in spiritualem vitam, quæ est propria fidelium Christi; Galat. 2. *quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei*; F Vita autem F 3. p. 69. 5.
non est, nisi membrorum capiti vnitorum, à quo sensum & motum suscipiunt. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra sensus & motus, ita à capite spirituali, quod est Christus, deriuatur ad membra eius sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis; & motus spiritualis, qui est per gratiæ instinctum, Ioann. 1. *vidimus eum plenum gratiæ & veritatis; de plenitudine eius omnes accepimus*: & ideo consequens est, vt baptizati illuminentur à Christo circa cognitionem veritatis, & fœcundentur ab eo, fœcunditate bonorum operum per gratiæ infusionem. Mirifica hæc eruditio emicat in sequentibus; nam Iesus *qui cœpit prædicare*, sine dubio illuminat: Ioel. 2. *dedit vobis Doctorem iustitiæ*. Ephes. 3. *mihi omnium Sanctorum minimo, data est gratia hæc in gentibus euangelizare, & illuminare omnes*: & hoc reor intuitu, dixit Dionysius cap. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *baptismum esse purgationem & illuminationem*. Et dum ait, *faciam vos fieri piscatores hominum, venite post me*, versu 19. & vers. 22. *Iacobus & Ioannes secuti sunt eum*; sine dubio sensum ac motum impertit per gra-

tiæ

tiæ instinctum. Christo etiam ad nostram instru-
ctionem baptizato competit primò ea fœcunditas,
de qua Apostolus 1. ad Corinth. 4. *in Christo Iesu*
per euangelium ego vos genui: ideò *cœpit prædicare:*
cœpit, nunquam desiturus: quo sensu præ alijs, dici-
tur Apoc. 14. *Euangelium æternum*, quia scilicet ni-
hil succedet, per quod euacuetur; *quòd sit dignius*
G Apoc. 14. G *& maneat*, vt ait glossa.
Sed dicet quis, cur interiectum est de Christi ieiu-
9. nio, de tentatione, & in deserto? & non statim post
baptismum ad Christi prædicationem transitum est?
Respondeo; quia ad huiusmodi prædicationem, præ-
paratur quis per ieiunium, & solitudinis cultu. Per
ieiunium quidem, de quo canit Ecclesia, *qui tempo*
rali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas. Nul-
H 3.p.41. 3.1. lus, ait Diuus Thomas H debet assumere prædica-
tionis officium, nisi prius fuerit purgatus, & in vir-
tute perfectus; sicut & de Christo dicitur Actorum 1.
quòd *cœpit Iesus facere & docere*: & ideò Christus

statim post baptismum austeritatem vitæ assumpsit,
vt doceret post carnem edomitam, oportere alios ad
prædicationis officium transire; secundùm illud A-
postoli; *castigo corpus meum, & in seruitutem redi-*
go; (1. Corinth. 9.) *ne fortè, cum alijs prædicaue-*
rim, ipse reprobus efficiar. Interiectum est etiam de
tentatione. Vbi Apostolus ait; *labora vt bonus mi-*
I 2.Tim. 2.lect.1. *les*; I officium Prædicatorum & Doctorum est of-
ficium militum, in quantum insurgunt contra ho-
stes, & vitia; & hæc pugna est contra Carnem, Mun-
dum, & Diabolum; militant etiam contra errores
& tyrannos. Actorum 19. Paulus; *seruiens Domino*
cum omni humilitate & lacrymis & tentationibus,
quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum. Hebræo-
rum 5. de Pontifice; *qui condolere possit his, qui igno-*
rant & errant; quoniam & ipse circumdatus est in-
L Hebr. 5.lect.1. *firmitate*. Illi qui præsunt, aliquando L infirman-
tur, vt ex se aliorum infirmitatibus compatiantur.
Et nota quòd dicit *circumdatus*: carnales enim ha-
bent infirmitatem peccati in interioribus: Sancti ve-
rò habent in exterioribus, quia non sunt subiecti
peccato, tamen sunt circumdati fragilitate carnis,
non oppressi. 1. Corinth. 12. *virtus in infirmitate*
perficitur. De Christo ipso idem Apostolus ait ad
compatiendum nobis fuisse tentatum; & c. 2. *debuis-*
se per omnia fratribus similari, vt misericors fieret.
M Apoc. 7. & opusc. 41. l. 1. c. 2. & l. 3. 1. Hostes inuisibiles M eum, qui præest, maximè per-
sequuntur; 1. Reg. vltimo; *totum pondus prælij*
versum est in Saul. Præmissum est etiam de solitu-
dine; *in deserto*: hoc enim conuenit vitæ, secundùm
quam aliquis contemplata alijs tradit; quam Chri-
N 3. p. 40. a. 3. stus dicitur assumpsisse, N vt primò contemplatio-
ni vacet, & postea ad publicum actionis descendat.
Hinc Gregorius 6. moralium, *quieti contemplantes*
sorbent, quod occupati erga proximos loquentes re
fundant. Ecclesiastici 38. *sapientiam*, glossa, diui-
O opusc. 19. c. 1. nam O *scribe in tabulis cordis*, idest disce in tempo-
re vacuitatis: *& qui minoratur actu, percipiet sa-*
pientiam. Quàm solerter Angelicus, postquam de
Christi tentatione in deserto quæstionem 41. insti-
tuit, pergat mox quæstione sequenti de Doctrina
Christi disserere, lector expendat.
VERS. XIV. *Vt adimpleretur, quod dictum est*
per Isaiam Prophetam, &c.
10. De habitatione in finibus Zabulon & Nephtha-
lim sermo est Euangelistæ & Prophetæ. Quamuis
autem Prophetam interpretētur nonnulli secundùm
integram periodum de Iudæis, *qui viderint lucem*
magnam, quæ est Christus; nihilominus non desunt,
qui profundiori intellectu eam accipiant ex parte de
gentium illuminatione, post tenebras ignorātiæ, pec-
catorum & idololatriæ, quas inuexerat Princeps te-
nebrarum. Isaiæ 49. *dedi te in lucem Gentium*. Certè
non sine mysterio dicitur habitasse *in Capharnaum*
maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim. In
Nephthalim erat Galilæa Gentium; non erat in tri-
bu Zabulon. Meritò ergo ait glossa, (in Catena) *vt*
Euangelij prædicatio de loco quasi medio abiret
ad Gentes, & Iudæos. Et sic Rabanus, *in finibus*, in-
quit, *Zabulon & Nephthalim, idest Iudæis commu-*
nis & Gentibus: *Zabulon* enim *habitaculum forti-*
tudinis dicitur; & Apostoli, qui de Iudæa electi sunt,
fortes fuerunt: *Nephthalim, dilatatio; quia Gentium*
Ecclesia per orbem dilatata est. Hæc tangit sine du-
bio & Isaias, quem allegat Matthæus, dicens *aggra-*
uata est via maris, trans Iordanem Galileæ Gen-
tium: dicitur quippe ex D. Thoma P *Gentium* pro- P Isaiæ 9.
pter multas Gentes, quæ habitabant ibi, vel propter
Dominium quod cesserat Salomon Regi Tyri, vt in
expositione capitis huius innuimus. Ait Tirinus Isaiæ
9. *Gentium dicitur propter Gentium, idest Tyriorum*
vicinitatem, sub quorum imperio aliquando fuerat;
vnde & erroribus Gentilismi non parum infecta erat.
Euangelista, quod Propheta seiunxit de Zabulon &
Nephthalim, ac deinde de via maris trans Iordanem,
populus qui ambulabat in tenebris; (Gentilis, ait
Haymo) iunxit in sua narratione euangelica
quia tempus iam aduenerat, quo aderat is, *qui*
(Ephes. 2.) *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum,*
& per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu
ad Patrem. Et veniens (inquit) *euangelizauit, pa-*
cem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs, qui prope.
Lege Matthæum in præsenti; *cœpit Iesus prædicare*;
& paulo post; *prædicans Euangelium Regni*. Dum
ergo sic euangelizare commemoratur, necesse est re-
petere *fecit vtraque vnum*; & in vnum dici ab Euan-
gelista, quæ Propheta seiunctim prænunciarat. Quo-
niam verò cum lex expleta seu potiùs completa est,
tunc licuit Euangelium, quod eam adimplet, præ-
dicari, gignique per Euangelium fideles; ideo Chri-
stus egreditur *de Nazareth*, (*de flore figuratum* ait
Rabanus) Ioanne tradito. Scimus Ioannem in ty-
pum esse legis; *lex enim & Prophetæ* (Lucæ 16.)
vsque ad Ioannem. Rabanus idem; *postquam Pro-*
pheta cessauit, & ligatus est, accessit Verbum com-
plens, quod vox prædicauerat. Tunc opportuna fuit
Euangelij prædicatio, cum Ioannes traditus est: *lex*,
(inquit Augustinus Serm. 20. de Sanctis) *iuxta ty-*
pum Ioannis, quasi ignorantiæ clausa carcere, in ob-
scuro & in occulto iacebat; & Iudaicæ cæcitatis sen-
sus intra literam tenebatur inclusus.
VERS. XVIII. *Ambulans autem Iesus iuxta*
mare Galileæ, vidit duos fratres &c.
Reliquit Matthæus paulo ante, vt notat glossa, 11.
quod refert Lucas, venisse Iesum Nazareth, vbi erat
nutritus, intrasseque in Synagogam; vbi legit & dixit
multa, propter quæ voluerunt eum præcipitare de
monte; nunc prætermittit quæ tradit Ioannes, prius-
quam iret in Galileam, de Petro & Andrea & Natha-
nael, & de miraculo in Cana Galilææ; Itemque silet
de præludio vocationis alio, Luc. 5. quoniam horum
denarratio ad scopum Matthæi non faciebat; quippe
qui erat, ea prosequi, quæ consequuntur ad spiritua-
lem fidelium generationem, eorundem multiplicatio-
nem, & de Iudæis & de Gentibus, iuxta quod ait Pro-
pheta Isaias c. 53. *videbit semen longæuum*. A capite,
Q vt dictum est, membra sensum & motum susci- Q 3. p. 69. 5.
piunt. Hęc sensus motusque influentia apparet in vo-
catione Simonis & Andreæ. Sap. 9. *sensum tuum quis*
sciet, nisi tu dederis sapientiam? Ambulat autem *iux-*
ta mare, vt hanc impertiat; vel quia maris profundi-
tatem profundior vincit; vnde, *duc in altum* dixerat
Luc. 5. Dominus Petro; hoc est *in profundum dispu-*
tationum: vel *iuxta mare*, quia de diuina sapientia
Iob 28. *abyssus dicit non est* (Sapientia) *in me, & ma-*
re loquitur, non est mecum. Erant Simon & Andreas
mittentes rete in mare: at illi continuo relictis retibus

 secuti

secuti sunt eum; veluti nouissent in mari non inueniri, nedum ope retis vnius, sed nec retibus plurimis; *relictis retibus*. *Iuxta mare* item dici potest, ambulasse Iesum, vbi vidit *mittentes eos rete in mare*, subiungendo *erant enim piscatores*; quoniam vt Iob ibidem, *non inuenitur in terra suauiter viuentium*. Et dū largiturus est animæ motum, benè ambulat *iuxta ma e*, vt suo motu moueat. Mirum est autem qualiter Iob addat de eadem sapientia, nihil ei adæquari, quantumuis pretiosum, & *nescit homo pretium eius*: vnde meritò relinquunt retia; immo & omnia; *ecce nos reliquimus omnia*; infra c. 19. *habendi etiam desiderium* ait Gregorius. Quod quidem rete est internum: ideo dictum reor pluraliter *relictis retibus*; vltra externum rete, etiam affectu. Et quia subditur; *Deus intelligit viam eius & ipse nouit locum illius: ipse qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura; cuius est mare, & ipse fecit illud; & aridam fundauerunt manus eius*; vt se quis esset ostenderet, qui scilicet dixit mari (Iob 38.) *hucusque venies, & non procedes amplius; & confringes tumentes fluctus tuos: quando* (Prouerb. 8.) *circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*: quique (Ieremiæ 5.) *posuit arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit*; ambulat *iuxta mare*. Quis scit dum hic incipit, cum *cœpit Iesus prædicare*, fidelium vocatio, non ideo etiam *iuxta mare* ipsam cœperit, vt illud recoleremus promissum Genes. 22. *multiplicabo semen tuum, velut arenam, quæ est in littore maris*? quod & Iacob infixum cordi prompserat cap. 32. sic Deum precatus; *tu locutus es, quod benefaceres mihi, & dilatares semen meum, sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest*. Et sanè cohæret quod adiecit *Iesus*, qui & *Saluator omnium* (1. Tim. 4.) *maximè fidelium*; *faciam vos fieri piscatores hominum*.

12. Porro dum sic *plenum gratiæ & veritatis se* Christus caput effundit, (nam *oleum effusum est nomen eius*) primò in Simonem, id facit arcano sensu. An gratis præponitur Simon Andreæ, quando Andreas Simonem ad Christum adduxit? Ioan. 1. Fortenè exciderat Matthæi memoria factum illud? Absit: siquidem; *vidit* inquit, *duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus*: Tunc autem primò renunciatus est *Petrus*; cum coram Andrea, qui cum adduxerat, *intuitus eum Iesus dixit, tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Igitur satis apertè primatus Petri indicatur. Si prior Andrea accessisset Simon ad Iesum, Ioann. 1. facilè quis sibi suasisset, nunc primò vocari Petrum prisco ex accessu, & quasi vt loquuntur scholæ *per accidens*: verum dum non obstante quòd Andreas Iesum prior adiuisset, præfertur Simon, studiosè & *à consilio*, cæteris fuisse prælatum apprimè constat. Et sanè si Rabano (in Catena) *Capharnaum*, interpretatum *Villa pulcherrima*, in qua relicta Nazareth, habitauit, stat pro Ecclesia, quæ est Christi virtutibus pulchra; estque maritima, quia, iuxta fluctus sæculi posita, quotidie tunditur procellis persecutionum: & sic decuit ei de successuro Capite prouideri. Et quoniam in eum primò Christus, vt dictum est, sensum, tanquam in præcipuum mystici corporis membrum, altæ cognitionis infudit; ideo non mirum, si rogante Domino infra c. 16. *quem dicunt homines esse filium hominis*? primus responderit; *Tu es Christus filius Dei viui*. *Petrus* ex Cyrillo interpretatur *agnoscens* vel *dissoluens*; ita in Catena Lucæ 6. Hinc meritò Hilarius can. 16. Comm. in Matthæum, *dignus*, inquit, *iudicatus, qui quod in Christi Dei esset primus agnosceret; dignaque ædificatione Ecclesiæ Petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret*. Dissoluens item dici potest, ex illo *quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Quid mirum, si alios præit à Christo sensum recipiens? si cum Dionysius nuncupet prouectissimam Theologorum summitatem? (de diuinis nominibus.) Et Damascenus similiter oratione de dormitione Deiparæ, *Petrus*, dicat, *summa, & antiquissima Theologorum summitas*? *Andreas* eidem Cyrillo *decoram* sonat *potentiam*. Est hic cum Petro, qui clauium potestatem habet, vocatus meritò. Vnde Lucæ 5. ipsi soli dicitur alia vice; *ex hoc iam homines eris capiens*. Vbi nota ex August. lib. 2. de consensu Euangelistarum, hoc Lucæ fuisse ante præsentem Simonis vocationem. Vocantur autem ad expiscandum homines. Sanctus Leo Papa Ser. 1. de Diuis Petro & Paulo, de vrbe seu potius Orbe tunc Roma; *istam frementium bestiarum syluam, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, Beatissime Petre, constantior, quàm cum supra mare gradereris, ingrederis*.

VERS. XXI. *Et procedens inde vidit alios duos fratres*.

Cur Matthæus duorum item aliorum fratrum hic referat vocationem, quæstio animum pulsat. Si binos ad se traxerat ante, quemadmodum aliàs ait Gregorius *Dominus misit binos ante faciem suam, quia duo sunt præcepta charitatis, & minùs quàm inter duos charitas haberi non potest*, vt quid duos rursum commemorare? Quod si Apostolorum intendit enarrare vocationem, quare alios octo silētio voluit? præsertim dum mox se transfert ad Sermonem in Monte; cui sine dubio aderant duodecim, *quos & Apostolos nominauit*, vt constat Lucæ 6. Præterea ebullit difficultas de tot quas ambit circumstantias Matthæus; vt essent *reficientes retia & retia sua*; vt essent *in Naui, cum Zebedæo Patre eorum*? Similiter cur non & ipsis indixerit, *faciam vos fieri piscatores hominum*, cuiusmodi reuera futuri erant? Cur denique factum recolat, secernendo Ioannem à fratre, ait enim; *vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius*? planiùs etenim videretur dixisse, *vidit duos fratres, Iacobū & Ioannem Zebedæi*; quo pacto paulo ante *vidit duos fratres Simonem & Andream*. Occurritur vno verbo, sic decuisse ob Syntaxis continuationem. Postquam enim prælibatum est, quomodo à Christo capite deriuetur ad membra sensus, vnà simul & motus, in Petrum & Andream; quam mysticè doctrinam supra R ex Angelico hausimus: reliquū fuerat ad praxin deducere, qualiter alia ad mystica membra, motus duntaxat deriuetur spiritualis. Apostolus 1. Cor. 12. *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*. Corpus non est vnum membrum, sed multa. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? & si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore; non potest autem oculus dicere manui; opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus; non estis mihi necessarij*. Ex hac Apostoli, quam astruit diuina allegoria, 1. Cor. 12. diuinitus clarescit series succusque Euangelicæ compactionis. Non potest Petrus cū Andrea, quamquam, capitis & oculi, magisque auris gerat vices, Iacobo & Ioanni fratribus, qui pedum magisque manuum subeunt munera, dicere, *non estis mihi necessarij, opera tua non indigeo*. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Doctores? quosdam quidē posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, opitulationes, gubernationes*, &c. Itaque Dominus, Matthæi relatu, dum fundamentum Ecclesiæ suæ (consequutiuè ad generationis spiritualis per baptismum concorporationem) iacere intendit in Petro, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; compendio rem exequi cœpit (id quod fusè Paulus) in vocatione illius & Andreæ pro indiuiso, atq; in secūda Iacobi & Ioannis. Et vide, quomodo specimen *opitulationum* palā exhibent, (mira Euangelij profunditas!) quando perhibentur *reficientes retia sua*. Membra deseruientia motui, (de quo suprà recepto à Christo capite) sūt

13. (right margin, at "Cur Matthæus")

R 1. P. 69. 5. (right margin, at "pra R ex Angelico")

ex

S 1.Cor. 12.l.3. ex Diui Thomæ expositione S manus, tanquam *organum organorum*. Verùm quia sunt *opitulationes*, idonei erunt operi coadiuuare, suis relictis, Apostolorum *retia reficiendo*. Motus etiam membra sunt pedes; sed his moueantur, qui sunt pro alijs *opitulationes*, ad propria, ambulando & proficiendo in operibus bonis. Erunt Apostoli piscatores, Petrus & Andreas: sed præsto quoque aderunt *reficientes retia opitulationes* Iacobus & Ioannes. Et hoc *Domini gratia*. (Sic interpretatur *Ioannes* ex Cyrillo Lucæ 6.) *Non dicat oculus manui, opera tua non indigeo*. Primus gradus, inquit Angelicus
T 1.Cor. 12.lect.3. T inter Ecclesiastica ministeria est Apostolorum, quibus specialiter competit Ecclesiæ regimen per doctrinam; Ieremiæ 3. *dabo vobis Pastores secundùm cor meum; & pascent vos in scientia & doctrina*. Sed sicut Apostoli sunt maiores ministri, ita alij à Christo vocati sunt *administrationes* secundariæ. 1. Corinth. 3. *ego plantaui, Apollo rigauit*. Et Act. 18. cum Paulus multos conuertisset, superuenit Apollo, qui multùm contulit ijs qui crediderant; vt notat D. Thomas loco mox allegando lect. 1. Sunt sicut oculi Doctores, qui per se ipsos veritatem inspiciunt: Cantic. 5. *oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ resident iuxta fluenta plenissima*. Cæterùm, quoniam hic audiunt Iesum, qui ait illis, *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*, liceat mihi, Apostolos auribus comparare, factos Spiritus-Sancti discipulos: *omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me*. Quamquam oculi simul impleturi essent partes, sequentes Christum, intentique piscationi; & alia similitudine superædificationi, de qua 1. Corinth. 3. *videat vnusquisque, quomodo superædificet*: idest, qualem
V 1.Cor. 3.lect.2. doctrinam fidei fundans V in alijs superaddat. Quoniam autem omnis huiusmodi spiritualis plantatio, siue rigatio, ædificatio, siue superædificatio, piscatio, siue retium refectio, est ad mysticam regenerationem per gratiam, qua Iacobus, Domini benedictione, recipit Esau primogenituram ac filiationem in filium Dei, ideo Ioannes cum Iacobo vnitim, relicto mortali Patre sequuntur Christum: & hac de causa, auellitur quasi *Ioannes* qui & *gratia* à Zebedæo; *Iacobum* inquit *Zebedæi*, & *Ioannem*; quandoquidem, *non qui filij carnis, hi filij promissionis*; *neque ex sanguinibus, aut voluntate carnis, aut ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Ecce graphicè delineari breui quidem vocationum verborumque tractu, corpus Ecclesiæ totum: vt intelligantur hi fratres esse, non tam natura, quàm fidei vnitate, charitatis nexu, ac morum cognatione. Et propterea fortè nihil de relicta Naui adiectum est, ad signandum congregari seu conuocari potiùs in Ecclesia, quæ Nauis similitudinem verè obtinuit. Verùm, cùm in Apocalypsi c.21. legamus; *Ciuitas posita est in quadro*; dum ad Ecclesiæ ædificationem intenditur, non mirum fuerit, numero quatuor vocari. In his aliàs ex Remigio quatuor virtutum cardines signantur: prudentia refertur ad Petrum propter diuinam cognitionem; iustitia ad Andream propter operum virilitatem; fortitudo ad Iacobum propter Diaboli supplantationem; temperantia ad Ioannem, propter diuinæ gratiæ effectum.

VERS. XXIII. *Et circuibat Iesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni*.

14. Ad hæc, Diuo Thoma rem edisserente, X
X 3. p. 42. 1. conueniens fuit prædicationem Christi à principio solis Iudæis exhiberi; vt ostenderet per suum aduentum impleri promissiones antiquitùs factas Iudæis: Roman. 15. *dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis* (idest Apostolum & Prædicatorem Iudæorum) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*. Dicit autem ibidem conueniens item fuisse, vt Apostoli priùs Iudæis prædicarent; quibus dixit Matthæi 10. *in viam Gentium ne abieritis*: igitur alto consilio Petro & Andreæ dixit, *venite post me*. Et ideò cum hic legimus, *sanans omnem languorem & infirmitatem*: tàm per se intelligendum est, quàm etiam per suos Apostolos. Et prælusione quadam ad vniuersam Iudaicæ Genti prædicationem, cui propter vel exhibita beneficia subditur; *sanans omnem languorem & omnem infirmitatem*: vt infra cap. 8. pressiùs, *quo*, inquit *adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem, ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit*; vbi legimus, (cap. 53.) *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*: vt animæ & corporis salus vbique impertita à Domino, seu potiùs, quæ erat adhuc impertienda, intelligatur: (psal. *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*.) Vt præoccupatione quadam illud ipsum dicat Matthæus hic, quod Petrus *aperiens os suum dixit*, Actor. 10. *Incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes, pertransiji benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo*. Et quod de prædicatione ad Iudæos refundendaque fidei Doctrina per Apostolos, etiam (vocatos in Petro & Andrea ad sui sequelam) loquatur patet; quia inquit *in populo*. *Populus*, sicut Augustinus in 2. de Ciuitate Dei ex Tullio tradit A *est cœtus multitudinis iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus*: vnde A p. 2. 105. 1.
ad rationem populi pertinet, vt communicatio hominum, ad inuicem *iustis præceptis legis ordinetur*. Huiusmodi erant Iudæi, qui à Deo specialiter erat lege donati. Psalm. *nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*. *Gentes*, inquit Paulus, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*: igitur Gentes populus Dei nuncupari nequibant. Hinc Petrus in sua 1. Canonica cap. 2. (scripsit eam Gentilibus, qui B de gentilitate venerant ad Iudaismum, & de Iudaismo ad fidem Christi) meritò ijs dicit; *populus acquisitionis; aliquando non populus, nunc autem populus Dei*. Deuter. 32. *prouocabo eos in eo, qui non est populus*. Quare dicatur de Euangelio *Regni* dicemus infra c. 13. in Syntaxi ad v. 19. B 1. Petri c. 1.

VERSVS XXIV. *Et abiji opinio eius in totam Syriam*.

Vbi Dominus asseruit Matthæi 15. *non sum missus* 15.
nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel, non hoc dicit, ex Hieronymo, C quia & ad Gentes missus non sit, sed quòd primò ad Israel missus est. Meruit enim per Crucis victoriam potestatem & dominium super Gentes. Apocalypsis 2. *qui vicerit, dabo illi potestatem super Gentes; sicut ego accepi à Patre meo*. Debitus ergo ordo exigebat, vt Iudęis, qui Deo erant propinquiores per fidem & cultum vnius Dei, priùs doctrina Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes. *Mittam*, Isaiæ vltimo, *ex eis qui saluati fuerint*, scilicet ex Iudæis, *ad Gentes*; *& annunciabunt gloriam meam Gentibus*. Quoniam autem huiusmodi potestatem Christus Dominus per Crucem meruit, (vt dictum est) ideo ante passionem suam, noluit Gentibus prædicari suam doctrinam, sed post passionem dixit discipulis Matth. vltimo, *data est mihi omnis potestas &c. euntes docete omnes Gentes*. Quamuis aliqui Gentiles, vt mulier Samaritana Ioann. 4. & Chananæa Matthæi 15., propter excellentiam fidei & deuotionis sint particulariter admissi; ne spes salutis Gentibus præcluderetur; vt ibi ad 3. Hunc fidei doctrinæque Christi progressum ad Gentes mirè perstringit hic Matthęus dicens; *& abiji opinio eius in totam Syriam*, Syria est Prouincia latissima: secundùm Rabanum, omnis regio ab Euphrate vsque ad mare magnum; à Cap- C 3. p. 42. 1.

padocia vsque ad Ægyptum. Est autem Origeni & Hieronymo (in Sylua Allegoriarum Laureti) in typum Gentilitatis. Ad Gentes ergo *abiji opinio eius*, quando *vas electionis* fuit Paulus, *vt portaret nomen eius, coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel*; quando *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*; quando idcirco cœperunt loqui *varijs linguis*: vt sicut Gentibus D ad idololatriam declinantibus, introducta est diuersitas linguarum, vt dicitur Genes. 11. ita etiam quando erant Gentes ad cultum vnius Dei reuocandę, contra huiusmodi diuersitatem remedium adhiberetur per donum linguarum. Isaiæ 27. *qui egrediuntur impetu à Iacob* (seu potiùs, *qui ingrediuntur impetu ad Iacob*,) *implebunt faciem Orbis semine*: 1. Corinth. 4. dicebat Apostolus; *gratias ago Deo meo quod omnium vestrum lingua loquor*. Super illud psalm. 18. *in omnem terram exiuit sonus*; idest fama E inquit Angelicus. Prouerbium lepidè satis dictum, est *fama volat*. Et ecce vbi in psal. 17. legimus, *volauit super pennas ventorum*; F volatus intelligitur inquantum fama eius post ascensionem breui tempore per totum Mundum creuit, ante destructionem Ierusalem: ps. 147. *velociter currit sermo*. Et in alio, *sagittæ tuæ acutæ*; verba Christi sagittæ dicuntur, G quia verbum eius subitò totum Mundum impleuit. Tempore quippe Apostolorum ad omnes Gentes vsque ad fines Mundi H peruenit aliqua fama de prædicatione Apostolorum per ipsos Apostolos, vel discipulos eorum. Matthæus enim prædicauit in Æthiopia, Thomas in India, Petrus & Paulus in Occidente; & hoc est, quod Chrysostomus dicere intendit; non tamen tempore Apostolorum in omnibus Gentibus Ecclesia ædificata est, quod tamen implendum est ante finem Mundi, vt asserit Augustinus. Roman. 1. *fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo*. Sacer autem Matthæi textus hoc sine dubio intendere deprehenditur; quandoquidem non sine causa summariè hoc dicit: ex quo ad futura potiùs traheremur, quàm ad præsentia tunc acta raperemur. Innuitur autem alta sapientia, in vocula illa *obtulerunt* ei omnes malè habentes, & curauit eos; (præterito, prò futuro propter certitudinem diuinæ præordinationis, vt loco nuper citato: aliàs Lucas c. 4. ait *curabat*;) potiùs enim dicendum videbatur *adduxerunt* quàm *obtulerunt*; sed sic etiam profundè loquitur Paulus Roman. 15. dicens, *data est mihi à Deo gratia, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium* &c. In quo quasi I quoddam sacrificium & oblationem Deo obtuli. Sic Philipp. 2. *sed etsi immolor supra sacrificium, & oblationem fidei vestræ*; conuertens enim aliquos, quasi de illis L quos conuertit, offert sacrificium Deo. Nota etiam qualiter non dicit Matthæus *obtulerunt ei* singulos: cùm tamen legamus, at ille *singulis manus imponens* (Lucæ 4.) *curabat eos*, cum *ducebant illos ad Iesum*, per hoc tamen (ait D. Thomas ibi ad Romanos) non habetur, quòd ad singulos homines fama prædicationis Apostolicæ peruenerit, licèt peruenerit ad omnes Gentes. Hoc attigerunt alio ex capite Sancti Patres; *per Petrum*, inquit Remigius; *designatur Iudaicus populus, qui per legem Deum agnouit, & præceptis eius obediuit; per Andream, qui interpretatur virilis, siue decorus, intelligitur gentilis Populus, qui post agnitionem Dei viriliter in fide permansit*. Et Glossa; *quatuor sunt vocati, per quos Prædicatores Dei, à quatuor Mundi partibus vocati, signentur*. Itaque non fuerit absonum concipere, voluisse Dominum Iesum mysticam Ecclesiæ suæ structuram, corporisque sui compactionem primis veluti lineis adumbrare. Sicut enim, quòd *multi* Roman. 12. *vnum corpus sumus in Christo*, exponit D. Paulus 1. Corinth. 12. percurrendo in Ecclesia *Apostolos, Doctores, opitulationes, gratias sanitatum*, pleraque alia ministrorum munera: & arctiùs Ephes. 4. *quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores*, &c. *in ædificationem Corporis Christi*. sic videtur Matthæus innuere breuius eandem coædificationē tangendo satis de Petro in capite, qui sit fundamētum primum, vt alia intelligerentur fundamenta, in quibus sunt Apoc. 21. *duodecim nomina Apostolorum Agni*; tangendo item de opitulationibus, in Iacobo & Ioanne retia reficientibus, tanquam *socijs* (Lucæ 5.) *qui adiuuarent eos*. Denique de gratia curationum; in tot sanatis. Quod ad doctrinam refertur; nam opera miraculorum dat Deus in testimonium doctrinæ prædicatæ; M Marci vltimo; *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Et quia ait Apostolus; *in virtute signorum & prodigiorum*: *signorum*, inquit Angelicus, idest miraculorum minorum, puta sanationes ægritudinum; & prodigiorum, idest maiorum miraculorum, quæ ex sui magnitudine aliquid magni portendunt, idest *ostendunt*: ecce ad hæc in præsenti, sanari *omnem languorem & infirmitatem*, pro signis; *curari* autem naturaliter incurabiles, *habentes Dæmonia, lunaticos & paralyticos*, in prodigia.

D 2. 2. 176. 1.

E Ps. 18.

F Ps. 17. lit. h.

G Ps. 44. lit. g.

H Rom. 10. l. 3.

I Rom. 15 lect. 2.

L Philip. 2. l. 4.

M Rom. 15. l. 2.

Quoniam verò ad spiritualem curationem hæc quoque prodigia possunt & debent referri; 16.
triplicique ex causa in animæ morbum quis cadit; ex Dæmonis suggestione, ex iniquitate, & fragilitate: vnde rogat Ecclesia donari defuncto, *qui quia fallente Diabolo, aut propria iniquitate & fragilitate contraxit*: adsunt *Dæmonia habentes*, adsunt *lunatici*, quandoquidem, *luna*, ex Gregorio, *pro defectu carnis ponitur*, notans infirmos: adsunt *paralytici* pro iniquis: Paralysis continuè afficit, sensumque & motum intercipit: describiturque affectus, quo voluntarius motus offenditur. 2. ad Timot. 2. *resipiscant à Diaboli laqueis, a quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*: Ioan. 8. *qui facit peccatum, seruus est peccati*. Iniquus dicitur N qui iniustitiam intendit. Posset etiam aptari ad peccatum ignorantiæ, quia *Dæmonia habentes* in veneratione ignorabant Creatorem; item ad peccatum ex infirmitate de *Lunaticis*; & ad peccatum ex certa malitia, de *Paralyticis*. Item ad originale: indirectè enim Diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, in quantum O induxit primum Parentem ad peccandum; & sic in *Dæmonia habentibus*: ad mortale, quia Eccl. 27. *stultus sicut Luna mutatur: Sapiens autem permanet in sapientia, sicut Sol*: & ad veniale, ob motus imperfectos in genere moris: neque enim *paralysis* est mortalis. Sic etiam victoria potest introspici tergeminæ tentationis, *Habentes Dæmonia*, sunt qui Diabolo seruiunt; (*si cadens adoraueris me*;) Dæmoniaci ait Rabanus sunt idololatræ. Lunatici; (Luna *pro defectu carnis*) qui concupiscentia vincuntur; (*dic vt lapides isti panes fiant.*) *Paralytici*, neruis qui in capite læsi. Nerui radicantur in capite, à cerebro & spinali medulla orti. Vtraque ex ratione signatur superbia; quæ caput est vitiorum; Isaiæ 28. *væ coronæ superbiæ*; & prius c. 3. *pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo*; Iob 15. *cucurrit aduersùs eum erecto collo*; & cap. 20. *si ascederit ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit*, &c. Ibi autem Isaiæ c. 10. *& succendetur & deuorabitur spina*, ait Haymo, *idest superbia*: spina enim integra corpora feruntur recta & erecta: & ideo per eam rectè *intelligitur superbia*. A collo incipit, inquiunt Anatomici. Inanis gloria, de qua tentatus est *supra pinnaculum* Dominus, symbolum benè habet in paralyticis; quia ex superbia illa exoritur: & ex capite paralysis deriuatur.

N Ps. 42. lit. a.

O P. 2. 80. 4.

17. Ab huiuſcemodi languoribus & *tormentis*, vt in textu, curauit nos. Arrideat illa Eccleſiaſtici 18. ſententia; *ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam*: & paulo ante; *ante languorem adhibe medicinam*. Sapientiæ autem 16. poſtquam dictum eſt: *filios tuos nec Draconum venenatorum vicerunt dentes*, adiectum eſt; *neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia* Pſal. 106. *miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos*. Quod quidem referendum eſt ad Verbi incarnationem, P & ad Sacramentorum inſtitutionem; in quibus *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: vnde ipſa Sacramenta ſunt vnguenta ſanitatis, quæ Chriſtus, quaſi *vnguentarius* Eccleſiaſt. 38. confecit. Sic curans à languoribus peccatorum, curat etiam *tormentis comprehenſos*; vt pro tormentis intelligantur, *tormenta malitiæ*; de qua canitur, *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ*. Auguſtinus in 1. Confeſſionum, c. 12. *iuſſiſti Domine, & ſic eſt; vt pœna ſibi ſit inordinatus animus*. Peccatores certè non ſibi ipſis concordant, Q propter conſcientiam remordentem, ſecundùm illud pſal. *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. Sacramenta R ſunt quædam ſpirituales medicinæ. Ad hæc innuenda exiſtimo ſcripſiſſe abſque vllis circunſtantijs Matthæum, *ſanans omnem languorem & infirmitatem*: *& curauit eos*. Virtus paſſionis Chriſti remiſſiua peccatorum copulatur S nobis per ſuſceptionem Sacramentorum. Opportunè autem de Sacramentis tacitè inducitur; quia Eccleſia, cuius corporis hîc, vt dictum eſt, compactio tangitur, Sacramentis inſtituta conſecrataque eſt; vt pluries T ait Sanctus Doctor. Fas eſt etiam dum ſanatiuam gratiam vniuerſaliter hic exhibitam legimus, gratiam potiſſimùm baptiſmalem intelligere; qua in primis originalis morbus ſanatur: item gratiam omnem ſanantem per alia Sacramenta, ſeu ſanatiuam. Baptiſmalis ſanat languorem; quandoquidem originale peccatum V eſt inſtar inordinatæ diſpoſitionis corporis, ſecundùm quam ſoluitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis; vnde peccatum originale *languor naturæ dicitur*. Immò, aio ego, varios languores; nam originale peccatum X in diuerſis hominibus diuerſum eſt numero. Sacramentalis alia gratia ſanat *tormentis varijs comprehenſos*; hoc eſt delet alia peccata, quibus illud paratur tormentum, de quo Apocalypſ. 19. *tantum date illi tormentum & luctum, quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit*. Peccatis quippe actualibus mortalibus pœna debetur, quæ tormentum meritò dicitur; Lucæ 16. *ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*: ex aduerſo non ita; nam mitiſſima pœna eſt eorum, qui pro ſolo peccato originali puniuntur, vt Auguſtinus dicit A *in Enchir.*

P Prolog. ſententi. — Q 1. 2. q. 25. 7. — R 3. p. 61. 1. — S 3. p. 62. 5. — T Ioan. 19. lect. 5. & p. p. 92. 8. — V p. 2. 2. 1. — X ibi art. 2. — A p. 3. 87. 5. 2.

VERS. XXV. *Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*, &c.

Gloſſà; (in Catena) *turbæ autem, quæ ſequuntur Dominum, ſunt de Eccleſia*. Conſtat autem de Iudæis turbam plurimam fuiſſe ex litera: *de Galilæa*, inquit, *& Decapoli, & de Ieroſolymis, & de Iudæa. Et de trans Iordanem*: ex Remigio, *ideſt in Paganiſmo conſtituti*. Et quid rogo eſt hoc, niſi *ſimile eſſe Regnum Cœlorum*, hoc eſt Eccleſiam, *ſagenæ miſſæ in mare* Matthæi 13. *& ex omni genere piſcium congreganti?* quid eſt, niſi *laxanda fuiſſe* Lucæ 6. *retia in capturam, concluſamque multitudinem piſcium copioſam?* Quid eſt, niſi variè, ſed vniformiter ſenſu, idipſum quod ait Apoſtolus; Coloſſ. 1. *vbi non eſt Gentilis, vel Iudæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber; ſed omnia & in omnibus Chriſtus?* Quid hocce confuſo ſectatorum Chriſti, promiſcuoque relatu innuitur, niſi *Principem* ipſum eſſe *pacis*, vt prænunciauerat Iſaias? *qui fecit vtraque vnum*, vt ait Paulus; *lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael*; vt canit Simeon; Item, *bonum eſſe & iucundum, habitare fratres in vnum*, vt ait Pſaltes? Quid eſt denique, niſi velle Dominum *omnes homines ſaluos fieri, traxiſſeque omnia ad ſe ipſum?* quod finaliter obtenta ſortitur quis beatitudine: de qua mox ſermo Domini in monte: & quidem mira connexione. Hinc Ioan. Apocalypſ. 7. *vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus & tribubus, & populis & linguis*. Id ergo ſimili coaceruatione hic Matthæus exequitur.

CAPVT V.

1 *VIdens autem Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum di-*
ſcipuli eius, 2 & aperiens os ſuum docebat eos dicens. 3 Beati pauperes ſpiritu, Luc. 6. d. 20.
quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. 4 Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt ter- Pſal. 36. a. 11.
ram. 5 Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. 6 Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſti- Iſa. 61. a. 3.
tiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. 7 Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequen- Pſal. 23. a. 4.
tur. 8 Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. 9 Beati pacifici, quoniam filij Dei vo-
cabuntur. 10 Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum 1. Pett. 2. d. 20. & 3.
cœlorum. 11 Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne ma- c. 14. & 4.
lum aduerſùm vos mentientes, propter me: 12 gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra co- d. 14.
pioſa eſt in cœlis, ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos. 13 Vos eſtis ſal terræ, Mar. 9. g. 50
Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & concul- Luc. 14. g.
cetur ab hominibus: 14 Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: 34.
15 neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omni- Mar. 4. e. 21.
bus, qui in domo ſunt. 16 Sic luceat lux veſtra coram hominibus: vt videant opera veſtra bo- Luc. 8. c. 16. & 11.
na, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. 17 Nolite putare quoniam veni ſoluere le- e. 33.
gem, aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. 18 Amen quippe dico vobis, donec tran- 1. Pett. 2. c. 12.
ſeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. 19 Luc. 16. d.
Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in 17. Iacob. 2. b
regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. 20 Dico 10.

Luc. 11. e enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non in-
39. Exod. 20. trabitis in regnum cælorum. 21 Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occi-
c. 13. derit, reus erit iudicio. 22 Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit
Deut. 5. b 17. iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus
Luc. 12. g erit gehennæ ignis. 23 Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater
58. Exod. 20. tuus habet aliquid aduersum te. 24 Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs recon-
c 14. ciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. 25 Esto consentiens aduersario tuo citò
Int. 18. b. 9. dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro: & in
Mar. 9. g. 47. carcerem mittaris. 26 Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.
Deut. 24. 27 Audistis quia dictum est antiquis. Non mœchaberis. 28 Ego autem dico vobis: quia omnis,
a. 1. infr. 19. b. 7. qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. 29 Quod si
Mar. 14. oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum
a. 4. Luc. 16. d. membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30 Et si dextera manus
18. tua scandalizat te, abscide eam, & proijce abs te; expedit enim tibi vt pereat vnum membro-
1. Cor. 7. b. 10. rum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. 31 Dictum est autem. Quicumque di-
Leuit. 19. miserit vxorem suam, det ei libellum repudij. 32 Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimi-
b. 18. Exod. 20. serit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adul-
b. 7. terat. 33 Iterum audistis quia dictum est antiquis. Non periurabis: reddes autem Domino iura-
Deu. 5. b. 11. menta tua. 34 Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est:
Iac. 5. e. 35 neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est
12. Exod. 21. magni Regis: 36 neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere,
d. 24. Deut. 19. aut nigrum. 37 Sit aut sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à ma-
d. 21. lo est. 38 Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. 39 Ego autem
Leu. 24. d. 20. dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi
Luc. 6. d. & alteram: 40 & ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei
29. 1. Cor. 6. & pallium: 41 & quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo, & alia duo. 42 Qui
b. 7. petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris. 43 Audistis quia dictum est: Diliges
Deut. 15. b. 6. proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 44 Ego autem dico vobis: Diligite inimicos
Leuit. 19. vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: 45
d. 18. Luc. 6. d. vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: &
27. pluit super iustos, & iniustos. 46 Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habe-
Rom. 12. d. 22. bitis? nonne & publicani hoc faciunt? 47 Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid am-
Act. 7. g. 60. plius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? 48 Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cæ-
Luc. 23. c. 34. lestis perfectus est.

VERS. I. *Videns autem Iesus turbas ascendit in Montem.*

1. Quare in montem ascendit, quem credit Hieronymus fuisse in Galilæa Thabor, vel quempiam alium excelsum; multiplex excogitari potest causa; vel Maiestatis suæ insinuandæ, A quo facit Hieronymus dicens; *idcirco sedens loquitur, quia non poterant eum intelligere in sua Maiestate fulgentem*; & Hilarius, *quia in paternæ Maiestatis celsitudine positus cœlestis vitæ præcepta constituit*: vel *ob celsitudinem animi, quam qui docet habere debet, alto spiritualium virtutum studio*; quod ait Chrysostomus: Isaiæ 40. *super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion.* Nemo potest in valle consistere, & de Cœlo loqui. Vel ad ostendendam perfectionem B suæ doctrinæ, veterisque legis, quæ data fuit in Monte, recordatione. Isaiæ quippe 33. *Dominus legifer noster.* Hæ omnes meditationes quadrant dignitati auditorum, qui fuerunt, vt apud Lucam cap. 6. selecti ex discipulis Senatus Apostolicus, quos quare, & seorsim docuerit, Syntaxis mirificè ostendet. Vnde pro certo tenendum, quod in consensum Euangelistarum sensit Augustinus, diuersum esse quod hic ad Apostolos, & Lucæ ad turbas dixisse Dominum fertur. Apostolos *in Monte*, turbas *in loco campestri descendens cum illis* perdocuit, de quatuor tantùm beatitudinibus eos instituens, vt p. 2. quæst. 69. a. 6. ad 3. Cur autem seriem Sermonis ad Apostolos habiti prætermittat Lucas; Matthæus quem ad turbas omiserit? cur etiam Matthæus eos dicat discipulos, cum tamen Apostolos Dominus prænominauerit, palam fiet eadem Syntaxi. Seorsim ergo à turbis; vt ex litera trahi videtur; nam *videns turbas ascendit in Montem*, eas declinans, accessu solis dato Apostolis.

A Serm. omnium Sanctor.
B D. Th. hic.

VERS. II. *Et aperiens os suum, docebat eos dicens.*

2. In Scripturis per apertionem oris C intelligitur doctrinæ profunditas; seu magnitudo documentorum. In apertione aliquid magnum significatur. Et ex Hilario Comm. in Matth. can. 5. *ad motum spiritus eloquentis, obedisse ostenditur humani oris officium.* Sic Iob 3. *post hæc aperuit Iob os suum.* Act. 10. *aperiens autem Petrus os suum dixit*, &c. Vbi ait Apostolus, *vt Deus aperiat nobis ostium sermonis*, idest os; D per quod sermo à corde exit: alibi; *os nostrum patet ad vos, cor nostrum dilatatum est*: E os apertum est & patens, quando ea, quæ in corde sunt, manifestantur. Signum latitudinis cordis est os latum; quia os immediatè adhæret cordi. Cor latum est, quando magna appetit, strictum in modico, cum non curat nisi de terrenis. Igitur, aio ego, si vsquam, nunc opportunè *aperit os suum Iesus*, cum de beatitudine verba eructanda sunt: psal. *eructauit cor meum verbum bonum.* Porrò dum aperit ipse os, non est dubium, quin aperuerit discipulis aures: Isaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem.*

C psal. 50. Apoc. 13. Com. 2. & Coloss. 4. l. 1.
D Coloss. 4. l. 1.
E 2. Cor. 6. lect. 3.

autem. Auditus est sensus disciplinæ: *accesserunt discipuli*. In tertio modo per se dicendi, id accipe. *Sedens docebat* ait Augustinus, quod pertinet ad dignitatem magistri. Sedens docuit discipulos hic, stans autem turbas, quia cum prædicatio ad turbas fit quasi ad eas conuertendas, fit per modum exhortationis: ad clerum autem tantùm quasi commemorando. Ioan. 7. lect. 5.

VERS. III. *Beati pauperes Spiritu*; &c.

3. Operæ pretium est prælibari quid sit in præsentiarum esse beatum, quidque sit hic beatitudo. Beati dicuntur aliqui ratione perfectionis in eis existentis; sicut Damascenus dicit, F beatam vitam habuisse Adam, beatitudine, quæ illi statui competebat, non simpliciter. Nunc beatitudines dicuntur G secundum quòd homo est in quadam participatione futuræ beatitudinis. Vnde & præmia ipsarum consummanda perfectè H in futura vita, interim in hac vita quodammodo inchoantur. Atque etiam beatitudinis æternæ spe I dicimur hic beati. Quoniam autem beatitudo æterna tanta est, vt intellectus humanus eam non capiat; L ideò oportuit quòd per diuersa bona nobis nota describeretur, quamuis omnia præmia ista sint vnum in re. Igitur beatitudines istæ sunt operationes perfectæ virtutis ex adiunctione donorum; seu M potiùs, actus ipsorum donorum Spiritus-Sancti; respondentque donis, sicut operationes habitibus; vt singillatim mox expendetur. Est ergo multiplex paupertas; terrenæ possessionis; Iacobi 2. *nonnè Deus elegit pauperes in hoc Mundo, diuites in fide & hæredes Regni, quod repromisit* N *Deus diligentibus se?* afflictionis; *ego sum pauper* (ps. 68.) *& dolens*: cognitionis; Apoc. 3. *nescis quia tu es pauper*: imperfectionis; Thren. 3. *ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius*: humilitatis; Matth. 5. *beati pauperes spiritu*. Paupertas ergo spiritus hic O referri potest ad contemptum honorum, quod fit per humilitatem. Et sic paupertas spiritus intelligi potest exinanitio inflati & superbi spiritus, P vt Augustinus exponit. Nihilominus stat etiam pro abiectione temporalium rerum; quæ fit spiritu, Q idest propria voluntate, per instinctum Spiritus-Sancti, vt Ambrosius & Hieronymus exponunt. Certè considero ipse; sicut diuitiæ & superbia se se pluries comitantur; Sap. 5. *quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis?* 1. ad Timot. vlt. *diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere*: vnde dictum est supra, R quandoque ex inani gloria veniri ad cupiditatem, quandoque è conuerso: sic paupertas quæ humilitatem sonat, contemptusque diuitiarum iure sunt indiuisæ. Hanc inuenio ad litteram docuisse, prædicasseque & exemplo laudasse Christum Dominum passim; *nolite possidere aurum neque argentum in zonis vestris: vende omnia quæ habes & da pauperibus*. Damnat Angelicus erroris S eos, qui asserunt paupertatem laudari in Scripturis, non actualem, qua aliquis se rebus temporalibus expoliat; sed habitualiter, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, etsi re possideat. Mirabiliter digerit alibi, quæ T in laudem cedunt actualis, eam profitentibus. Fictè profitetur se pauperem, qui re diuitijs, & quæ diuitum in sæculo sunt, supellectilibus mensa seruitute, alijsque commodis fruitur. Horum enim vsus non est, sed abusus; cum implicet in adiecto pauperem esse, & diuitibus æquiparari. Neque cohærent abdicatio à terrenis & terrenorum præter etiam necessaria possessus. Ex quo *per se* euenit nedum retardari, sed impediri à contentione perfectionis quam vouent, Religiosos. Matthæi 19. *si vis perfectus esse; vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Quocirca videatur Angelicus in 2. 2. q. 186. a. 3. & Opusc. 18. c. 7. De hac Ambrosius super

F de Ver. 18. a. 2. ad 11.
G 4. Sent. 49. 1. 1. 4. ad. 1. & 3. Sent. d. 17.
H p. 2. 69. 2. 1.
I ibi a. 5. & op. 41. 1. 1. c. 6.
L p. 2. 69. 4. 1.
M 3. Sent. 34. 1. 4. & 2. 2. 69. 1. ac illam 31.
N Ierem. 5. lit. h
O p. 2. 69. 1.
P 18. 19. 32.
Q l. c. & p. 2. cit.
R 3. p. 41. 4. 5.
S Opusc. 19. c. 6.
T Serm. 55. Fabiani & Seb. ex Euang.

Lucam: *Primam beatitudinem, paupertatis, vtroque posuit Euangelista; ordine enim prima est, & parens quædam generatioque virtutum; quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna; nec potest quispiam meritum Regni cælestis adipisci, qui Mundi cupiditate possessus est*. Inter beatitudines V quibus est progressus ad perfectionem, primò ponitur paupertas; eo quòd in huiusmodi progressu, primum quod relinquendum occurrit, sunt exteriores diuitiæ, quia hæ sunt vltimò acquisitæ; quod autem est vltimum in generatione, est primum in destructione. Verùm si pro humilitate accipiatur; adhuc primum deprehenditur spiritualis profectus fundamentum; iuxta quod Augustinus dicebat; *arborem attendite; radicem figit in humili, vt vertice tendat ad Cœlum*. Et iterum; *constituere vis fabricam excelsæ magnitudinis? de fundamento priùs cogita profundæ humilitatis*. Contra ergo voluptuosam vitam, in qua posuerunt X quidam beatitudinem, falsò quidem & contra rationem, cum immò sit impedimentum futuræ beatitudinis; *beati* inquit, *pauperes spiritu*, ab affluentia enim exteriorum bonorum, siue sint diuitiæ, siue sint honores abstrahitur homo per virtutem, sic vt moderatè eis vtatur; per donum autem excellentiori modo, vt scilicet homo totaliter ea contemnat. Retribuit autem Dominus centuplum; quia vt ait in Serm. vbi supra, exaltat in honoribus, Iob. 36. *iudicium pauperibus tribuit*; & ditat cœlestibus. *quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*. Augustinus contra Valentinum dicit A quòd Christus nihil accepit de veteri Testamento, quantum ad promissiones; in veteri enim Testamento promittebantur temporalia & terrena.

V 4. Sent. 47. 9. 1. a. 2. 2.
X p. 2. 69. 3.
A ps. 36. lit. h

VERS. IV. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*.

4. Voluptuosa vita, in qua locarunt aliqui, vt supra beatitudinem, consistit etiam B in sequendo proprias passiones; & si quidem irascibilis; certe ex aduerso vera beatitudo: nam à sequela eiusmodi passionis, ne homo in ea superfluat, retrahit virtus, quæ regulam inspicit rationis, vel donum excellentiori modo, vt scilicet homo secundum voluntatem diuinam ab irascibilis passionibus tranquillius reddatur. *Mitis*, secundum Philosophum, *est qui non patitur nec deducitur*; C & Glossa, *mitis est, qui nullam amaritudinem animi sentit*. Hi possidebunt terram. Homines feroces & immites per litigia & bella, inimicos suos destruendo D quærunt securitatem sibi: Dominus repromittit securam & quietam possessionem in terra viuentium, per quam significatur soliditas æternorum bonorum. Sic in psalmo; *mansueti autem hæreditabunt terram*; E idest dabitur eis in possessionem terra viuentium. (Mansuetus tamen dicitur, qui de feritate ducitur ad pietatem; mites dicuntur qui semper tales fuerunt: ita ps. 24. lit. h.) Augetur præmium; nam plus est F possidere terram Regni Cœlestis, quàm simpliciter habere. *Possidebunt terram* exponi potest etiam, G idest regent Ecclesiam. Passim hanc allegoriam probant Patres, vt in Sylua videre est. Moyses vt inquit Dionysius in Epist. ad Demophilum, propter nimiam mansuetudinem fuit dignus apparitione diuina. Ita in ps. 24. lit. h. Moyses fuit Dux Rectorque populi Numeri 12. *erat enim vir mitissimus*.

B p. 2. 69. 3.
C Serm. S. Thom.
D p. 2. 69. 4.
E ps. 36. lit. h
F p. 2. 69. 4. 3.
G Apoc. 5. ibi Agnû stantem com. 1.

VERS. V. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*.

5. Luctus, qui beatitudinem meretur, H est de ijs, quæ sunt beatitudini contraria, & ex charitate causatur. Est de præteritis I erratis. Lugetque fidelis L vel pro peccatis, vel pro dilatione gloriæ. Aduersus ergo voluptuosam beatitudinem, quæ consistit quoque in sequela passionum concupiscibilis, est luctus. A sequela huiusmodi passionum retrahit virtus, moderatè

H 2. 2. 28. 1. 2.
I 2. 2. 9. 4. 1.
L p. 2. 35. 1. 1.

M p. 2. 69.3. deratè huiusmodi passionibus vtendo; M donum verò eas, si necesse fuerit, totaliter abijciendo; quinimmo si necessarium fuerit, voluntarium luctum, assumendo. *Consolabuntur:* plùs est consolari in Regno N quàm Regnum habere & possidere. N ibi a.4. ad 3.

VERS. VI. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

6. *Beati qui esuriunt*, &c. O scilicet in Mundo isto, O Ioan. 4.l.2. *quia saturabuntur* in vita gloriæ. Per hanc famem & sitim, iustitiæ P significatur insatiabile desiderium. Et iustitia hìc potest accipi, non solùm particularis, sed etiam vniuersalis, quæ se habet ad omnium virtutum opera, vt dicitur in 5. Ethicorum c. 1. & 2. De quo vide 2.2.58.a. 6. & 7. Idem autem est esurire & sitire; & ideò satietas vno verbo repromittitur: quod haberi potest aliunde Q. Mirè autem consequitur quarta ad tertiam beatitudinem; homo enim quando infirmus est, non appetit comedere, sed tunc appetere incipit, quando incipit sanari; & ita est in spiritualibus. R Quando homines sunt in peccato, non sentiunt famem spiritualem, sed quando dimittunt peccata, tunc sentiunt. Facere potest hìc Aphorismus 19. Sect. 4. *qui in medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt, priusquam sitiant.* Quidam posuere beatitudinem in vita actiua, quæ præcipue consistit in ijs quæ proximis exhibentur: & si quidem sub ratione debiti, S ad hoc virtus disponit, vt ea, quæ debemus proximis, non recusemus exhibere, quod pertinet ad iustitiam: & donum ad hoc, nos abundantiori quodam affectu inducit, vt scilicet feruenti desiderio opera iustitiæ impleamus: sicut feruenti desiderio esuriens & sitiens cupit cibum vel potum. Secundùm autem additionem perpensentur vt supra præmia: plus est enim saturari T quàm simpliciter consolari: nam saturitas abundantiam consolationis importat. Sic Paschasius lib. 3. in Threnos ad illud; *saturabitur opprobrijs; omnis saturitas ex auiditate sumendi nascitur.*

P 2. 2. 139.2. — Q Ioan. 6.l.4. — R D.Th. hìc — S p. 2. 69.3. — T ibi a.4. ad.3.

VERS. VII. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

7. Ad præfatam vitæ actiuæ professionem, spectat etiam proximis beneficia spontè exhibere. Virtus ad hoc nos perficit, vt illis donemus, quibus ratio dictat V esse donandum; putà amicis aut alijs nobis coniunctis; quod pertinet ad virtutem liberalitatis: donum propter Dei reuerentiam solùm, necessitatem considerat in ijs, quibus gratuita beneficia præstat; Lucæ 14. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos aut fratres tuos &c. sed voca pauperes & debiles*, quod propriè est misereri. *Misericordiam consequentur.* Adhuc additur præmio; eo quòd misericordia X excedit saturitatem, vt scilicet homo plus accipiat, quàm meruerit, vel desiderare potuerit. Quidam, sicut Diuus Augustinus refert lib. 21. de Ciuitate Dei, posuerunt solùm illos qui misericordiæ operibus insistunt, quamuis etiam alijs criminibus sint subiecti, liberandos esse à pœna æterna. A Damnatur eorum opinio; quia sine charitate, nihil prodest ad vitam æternam, vt patet 1. Corinth. 13. Et misericordiam consequentur misericordes, qui illam impendunt ordinatè, quod fit cum se ipsos in miserendo non negligunt. Tales misericordiam penitus absoluentem non consequentur, etsi consequentur misericordiam de pœnis debitis aliquid relaxantem. Certè legimus in Ecclesiastico c. 30. *miserere animæ tuæ placens Deo.* Augustinus in lib. Confess. *quid enim miserius misero non miserante se ipsum?* Veruntamen quoniam Prouerb. 15. *per misericordiam omnia peccata purgantur*; vel per modum satisfactionis B vel per modum præparationis: adhuc de peccatoribus, liceat nobis dicere: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Propter hoc Dominus C damnatis solùm defectum misericordiæ imputat Matthæi 25. Quoniam verò iustitiæ nomine nihil prohibet accipi etiam iustitiam vindicatiuam, quam equidem licet esurire & exercere; vel ad emendationem peccantis D vel salutem ad cohibitionem eius & quietem aliorum: item ad iustitiæ conseruationem & Dei honorem: ideò liquet, quàm consequenter post esuriem sitimque iustitiæ, adiectum est de misericordia; nam Zelus iustitiæ E qui est quasi ignis, ardere debet in oleo misericordiæ: Hinc super hunc locum, *beati qui esuriunt &c. iustitiæ lumen est misericordia; iustitia sine misericordia cæcus furor est.*

V p.2.69. 3. — X p.2.69. 4.3. — A 4.Sent. 46.q.2. 3. ad 4. — B p. 2. 113.4. ad 2. — C 10.26. — D 2. 2. 108. a. 1. & 2. — E Opusc. 42. lib. 7. c.5.

VERS. VIII. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.*

8. Posuerunt alij beatitudinem in vita contemplatiua. Hæc, si sit perfecta contemplatio, est essentialiter ipsa futura beatitudo; si autem sit imperfecta, est quædam inchoatio eius. Effectus actiuæ vitæ ponuntur pro merito eiusmodi beatitudinis. Inter hos effectus, quantum ad virtutes & dona, quibus homo perficitur in se ipso, est munditia cordis; vt scilicet mens hominis passionibus non inquinetur; ideò sexta est beatitudo; *beati mundo corde.* Ita ex D. Thoma. F Vita quippe actiua, præcedat necesse, est contemplatiuam; G quia nisi homo per virtutes morales habeat animam à passionibus depuratam, quod pertinet ad victam actiuam, non est idoneus ad diuinam veritatem contemplandam, hìc imperfecta, in futuro contemplatione perfecta. De Cœlesti Ierusalem Augustinus in meditationibus; *sol tuus & claritas tua, & omne bonum tuum, pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio.* Quanto quis habet cor magis eleuatum à terrenis H per cordis munditiam, tanto magis & perfectiùs Deum videbit. Et quia beatitudo non solùm consistit in visione, sed etiam in fruitione, idcirco, qui habet cor magis feruēs amore Dei, magis delectabitur in diuina fruitione. Ideo arbitror dici de *mundo corde*, vt verumque capiatur. Et ecce quod pergit docere Angelicus præmij gradum maiorem; nam I præmissis maius est Deum videre: sicut maior est, inquit, qui in curia Regis non solùm prandet, sed etiam faciem Regis videt.

F p.2.69. 3. — G Opusc. 17.c.7. — H Ioan. 14.l.2.lit. c. & ps. 50.lit. f. — I p.2.69. 4.3.

VERS. IX. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.*

9. Effectus actiuæ vitæ, quantùm ad virtutes & dona, quibus homo perficitur L in comparatione ad proximum, est pax secundùm illud Isaiæ 32. *opus iustitiæ pax*; ideo septima beatitudo ponitur, *beati pacifici.* Et ecce summus præmij gradus: M siquidem summam dignitatem in domo regia filius Regis habet: *quoniam filij Dei vocabuntur.* Beatitudines hæ cum suis præmijs adhuc magis intelliguntur, si earum relatio ad septem dona Spiritus-Sancti perpendatur; quod vel per transennam mox exequar, nonnihil prælibando de numero beatitudinum.

L p.2.69. 3. — M p. 2. 69.4.3.

VERS. X. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

10. Ex hoc quòd aliquis sit confirmatus in paupertate spiritus & mititate, & alijs sequentibus, N prouenit, quòd ab his bonis propter nullam persecutionem recedit. Prænunciatur autem in hoc O martyrij meritum; eo quòd omnium virtutum opera secundùm quòd referuntur in Deum, sunt quidam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quòd Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & pro eis remunerat. Et ecce mox de remuneratione; *quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* In quo mihi videtur circulo quodam reuerti ad primæ beatitudinis præmium; quoniam octaua beatitudo, vt ibidem inquit, est P quædam confirmatio & manifestatio omnium præcedentium. Ex quo septem *simpliciter* astruit esse beatitudines. Et sic in Serm. in Festo omnium Sanctorum septem facit: primam Angelis, humili-

N p.2.69. 3. — O 2. 2. 124.5. — P p.3. cit.

humilibusq; regione ad ſuperbiam Luciferi: & ſic ordine Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Virginibus, Confeſſoribus. Quamuis admiſſo eſſe octo, Q doceat ſuſtineri correſpondere ſeptem donis Spiritus-Sancti, quatenus vni dono correſpondere poſſunt duæ beatitudines. Sigillatim autem, ex Auguſtino in lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 9. ſeptiformis operatio Spiritus-Sancti, de qua Iſaias (c. 11.) loquitur his gradibus ſententijſque congruit; ſed intereſt ordinis, nam ibi, ſcilicet in Iſaia, numeratio ab excelſioribus cœpit, hic verò ab inferioribus. Paupertas ergo ſpiritus, quæ ex Gloſſa, vt ſuprà tactum eſt, duas habet partes ſcilicet rerum abdicationem, & ſpiritus, ideſt ſuperbiæ contritionem, reſpondet dono timoris; R Manſuetudo ſeu mititas reſpondet dono pietatis; S Luctus reſpondet dono ſcientiæ; T Eſuries & ſitis iuſtitiæ reſpondet dono fortitudinis; V Miſericordia, quæ eſt quinta beatitudo, correſpondet dono conſilij; X Sexta beatitudo correſpondet dono intellectus; A Denique ſeptimæ beatitudini, correſpondet donum Sapientiæ. B Incipiendo igitur à prima claret nexus ipſius cum dono timoris; quia cum per timorem filialem, quo reuerentia Deo exhibetur, pertineat vt quis ſe Deo ipſi ſubijciat, fit vt deſinat quærere in ſe ipſo, vel in alio magnificari niſi in Deo; non quidem in ſe ipſo per ſuperbiam, neque in exterioribus rebus, honoribus & diuitijs affectu aliquo. Secunda beatitudo habet aliquam conuenientiam cum pietate, in quantum ſcilicet per manſuetudinem tolluntur impedimenta pietatis. Ratione obiecti tamen attenta, reſpondet pietas eſuriei & ſiti iuſtitiæ, ac miſericordiæ, quæ ſunt quarta & quinta beatitudo. Tertia; *beati qui lugent*, de præteritis erratis, dono iungitur ſcientiæ, qua rectum habetur iudicium de creaturis, ex quibus homo occaſionaliter à Deo auertitur. Quarta, quæ eſt eſuries iuſtitiæ, eatenus fortitudinis donum expetit, quatenus, valde arduum eſt, quòd aliquis non ſolum opera virtuoſa faciat, quæ communiter dicuntur opera iuſtitiæ, ſed quòd faciat ea cum inſatiabili quodam deſiderio; quod poteſt ſignificari per famem & ſitim iuſtitiæ. Aiebat Auguſtinus ad Deum; *eſurio & ſitio te*. Beatitudini miſericordiæ, quæ eſt quinta, reſpondet donum conſilij tanquam dirigens. Ratio eſt, quia ea quæ maximè ſunt vtilia ad finem, maximè ſubſunt conſilio, quod propriè eſt de ijs, quæ ſunt vtilia ad finem; *pietas* autem (dic tu miſericordia) Timoth. 1. c. 4. *ad omnia vtilis eſt*. Sexta *beati mundo corde*: Duplex eſt munditia; vna quidem præambula & diſpoſitiua ad Dei viſionem, quæ eſt depuratio affectus ab inordinatis affectionibus: alia eſt munditia mentis depuratæ à phantaſmatibus, & erroribus; vt ſcilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, nec ſecundùm hæreticas peruerſitates. Prima munditia cordis fit per virtutes & dona, quæ pertinent ad vim appetitiuam: ſecunda fit per donum intellectus. Similiter duplex eſt Dei viſio in præmium: vna quidem perfecta, per quam videtur Dei eſſentia; alia imperfecta per quam, etſi non videamus de Deo *quid eſt*, videmus tamen, *quid non eſt*: & tanto in hac vita Deum perfectè cognoſcimus, quanto magis intelligimus Deum excedere quicquid intellectu comprehenditur. Septima; *beati pacifici*, congruè adaptatur dono ſapientiæ. Pacifici dicuntur quaſi pacem facientes, vel in ſe ipſis, vel etiam in alijs: quorum vtrumque contingit per hoc, quòd ea in quibus pax conſtituitur, ad debitum ordinem redigantur; nam *pax eſt tranquillitas ordinis*, ex Auguſtino: ordinare autem pertinet ad ſapientiam; vt patet per Philoſophum in principio Metaph. *Filij Dei* autem *vocabuntur*, quatenus participant ſimilitudinem illius, qui eſt Sapientia genita. Quocirca in Opuſc. 7. §. 11. *Pacifici dicuntur filij Dei*, quatenus ſunt ſimiles Deo: quia ſicut Deo nihil nocere poteſt, ita nec eis; quia nec proſpera nec aduerſa. Ad beatitudinem quippe ordinat pax: in hæreditate autem gloriæ, quæ filios manet, pax erit & vnitas perfecta. Quod poſtremum ideo adieci, vt plenè capiatur huius beatitudinis tenor. Hæc ex Sancto Doctore allegatis in locis. De quibus etiam in 3. Sentent. diſt. 34. q. 1. art. 2.

Q 1 Sent. 34 q. 1. a. 4. ad 5.
R 2. 2. 19. 12.
S 2. 2. 121. 2.
T 2. 2. 9. 4
V 2. 2. 139. 2.
X 2. 2. 52. 4.
A 2. 2. 8. 7.
B 2. 2. 45. 6.

VERS. XI. *Beati eſtis cũ maledixerint vobis. &c.*

Inſtituitur breuis quæſtio; Vtrum conueniens fit Deum permittere quòd ſui cultores ſuſtineant tribulationes. Ita; quia perducunt ad vitam. Iac. 2. *cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Item lex amoris eſt aſſociare amicum in aduerſis; ergo de lege amoris eſt vt veraciſſimi amici Domini Ieſu ſimus ſocij in perſecutionibus ſuſtinendis; quando & ipſe pro nobis duriſſima ſuſtinuit. Item propter punitionem præteritæ culpæ, quia delectationi culpæ debetur amaritudo pœnæ. Denique propter cohibitionem futuræ; vnde Iſidorus in 3. lib. de ſummo bono; *durius circa ſuos electos in hac vita Deus agit; vt dum fortioribus flagelli ſtimulis feriuntur, nulla cor oblætantia præſentis vitæ delectent; ſed cœleſtem Patriam, vbi certa quies expectatur, indeſinenter deſiderent. Electus Dei doloribus vitæ huius atteritur, vt perfectionem vitæ futuræ mereatur*. Ita in Apocalypſ. c. 1. Petri 2. *Chriſtus, cùm malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* 11.

C Prol. Apoc. Com. 2.

VERS. XII. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.*

Cœlum hic ſumitur *non pro ſuperiori parte* D *huius viſibilis Mundi; ſed in Cœlis dictum puto, in ſpiritualibus firmamentis*, ait Auguſtinus, *vbi habitat ſempiterna iuſtitia*. Accipitur ergo pro E ſpiritualibus bonis. Quamuis autem per Cœlos intelligatur altitudo Spiritualium bonorum; nihilominus locus corporeus, F ſcilicet Cœlum empyreum aderit Beatis, non propter neceſſitatem beatitudinis, ſed ſecundùm quandam congruentiam, & decorem; ſic per Regnum Cœlorum intelligitur exaltatio hominis vſque ad coniunctionem cum Deo.

D Opuſc. 2. p. 2. c. 9.
E Ioan. 6. 14.
F p. 2 4. 7. ad. 1. & 3.

VERS. eodem; *Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

Quod Dominus hic dicit, altè retinuere diſcipuli Petrus & Iacobus; hic enim capite 5. ſuæ Canonicæ habet; *accipite exemplum exitus mali, & longanimitatis & laboris & patientiæ Prophetas*. Idcirco, idem ſonat ly *ante vos*, ac in exemplum. Petrus autem in ſua prima c. 3. *& ſi quid propter iuſtitiam patimini, beati*. D. Chryſoſtomus in Catena Matthæi 23. in fine; *miſſum ad te Iſaiam occidiſti*; (qui à vertice, Haymone referente in Prologo Iſaiæ, ſerra lignea per medium ſectus eſt) *ſeruum meum Ieremiam lapidaſti; Ezechielem tractum per lapides excerebraſti*. *Ambulans iuxta mare* vocauerit primos; fortè quia mare ſtat aliàs G pro turbatione Sæculi.

G Ioan. 6. 12.

VERS. XIII. *Vos eſtis Sal terræ.* 12.

Vocauit Apoſtolos *ambulans iuxta mare*: maris eſt vnde primam eorum trahit ſimilitudinem. Sal enim ex aqua per ardorem ſolis flatu venti gignitur. Apocalypſ. 22. *Qui audit, dicat veni*. Neceſſe ergo erat, vt vocati diſcipuli, alios traherent. Sal relatiuum quid eſt; ad condimentum ciborum, & ad ſiccandas carnes: alium vſum non habet. Monentur itaque eiuſmodi metaphora, ad illud ipſum *faciam vos fieri piſcatores hominum*. Sciendum, quod notat Remigius; *quia nullum in veteri lege ſacrificium offerebatur Deo, niſi prius conditetur ſale*. Marci 9. *omnis victima ſale ſalietur*, ex Leuitici 2. Recolo quod ait Gregorius; *nullum ſacrificium eſt magis Deo acceptum, quam Zelus animarum*. *Apoſtoli*, ait Hilarius, *ſunt rerum cœleſtium Prædicatores, & æter-*

æternitatis velut salitores; quia per virtutem doctrinæ quasi salientes, æternitati corpora seruant. Legimus etiam Numeri 18. *pactum salis est sempiternum*. Exponunt autem: firmum, inuiolabile, perenne; eo quòd sit sal symbolum incorruptionis ac proinde perpetuitatis. Prælati sic pacto obstrinxere Christo de subditorum perenni indefessa cura. Ieremiæ 13. *vbi est grex, qui datus est tibi?* Prouerb. 6. *fili, si spoponderis pro amico tuo*; &c. Idcirco reor Iesum, cum vidisset turbam, ascendisse in montem; nedum quia datus est nobis in speculatorem H ex illo Ezechielis 3. *fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*; sed etiam quia nomine speculatoris I intelliguntur Prælati. Vnde, *accesserunt ad eum discipuli eius*. *Sal terræ* etiam, idest peccatorum; nam Genesis 3. vbi dictum est Diabolo, *terram comedes*, exponitur ex Augustino, de peccatore qui terram diligit: *non simus*, inquit, *terra, si nolumus manducari à serpente*. Et in Homilia; *nam non est accipienda ista terra, quam pedibus calcamus, sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis & extinguendis putoribus apostolicum salem Dominus misit in Mundum*. Hebræor. 6. *terra proferens spinas ac tribulos*, &c. *Certè legimus in Scripturis* (Hieronymus) *Vrbes quasdam ira victorum sale seminatas, vt germen nullum in ipsis orietur*. Ad hoc sanctè obtinendum mysticè dicantur *sal terræ*. Marci 9. dixit eis Dominus, *habete in vobis sal*, quod exponit Hieronymus ad alios pro salsedine correctionis, & pro sale iustitiæ; sed nihil prohibet, de interiori noxij humoris ac putredinis propriæ ablatione accipi posse. Nunc ex abundanti, nedum *sal habere*, sed *sal esse* Apostoli dicuntur. In Apostolis Beatitudines L completas esse credimus. Quod est in eisdem præsumi Theologales virtutes, quarum M deriuationes sunt beatitudines. Pax quippe, exempli gratia N charitatis est actus. Summè autem conueniens fuit, vt sal ij essent, *per quos vniuersum hominum conditur genus*. Cibum alendæ Christi familiæ erant dispensaturi. Cum Dominus dixit Ioannis vltimo Petro ter *pasce* agnos & oues; nedum de temporali subsidio & de exemplo, sed de verbi etiam pabulo interpretantur. Iob 6. *nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Gregem priusquam pascant doctrina, pascant exemplo, quo immò conditur doctrina. *Doctor* (Chrysostomus super Matthæum) *cum fuerit prædictis virtutibus omnibus ornatus; tunc est quasi optimum sal, & totus populus de illo conditur, videndo eum & audiendo*. *Quod si sal euanuerit, in quo salietur?* Marci 9. *quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietur?* Tunc res euanescunt, cum quod spiritus est, & defæcatioris substantiæ, dispersum ab ipsis euolat: *Ad nihilum* quod fæcis remanet, *valet vltra, nisi vt mittatur foras*; *ab officio docendi*, ait Glossa; *de Ecclesiæ promptuarijs*, Hilarius: *& conculcetur ab hominibus*: inæstimatione immo abiectione, in fæcis morem. Simile quid ad rem Malachiæ 2. *irritum fecistis pactum Leui, propter quod ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis*. Hoc in increpationem nostram, qui munus apostolicum sine exemplo rectè viuendi assumimus. In sale etiam, discretio O intelligitur. Discretio autem ex Bernardo, non tam est virtus, quàm auriga virtutum, sine qua virtus vitium est. Benè ergo Dominus, post beatitudines, quæ virtutum sunt opera, de sale introducit. *Vos estis*, idest esse debetis, ait hic D. Thomas, *sal terræ*.

H Isai. 1. 9.
I Hebr. 13. lec. 3.
L p. 2. 69. 2.
M p. 2. 68. 4. 3.
N 2. 2. 29. 4. 1.
O 1. Tim. 5. l. 3. & Rom. 12. l. 1.

VERS. XIV. *Vos estis lux Mundi.*

13 *Hic Mundum non Cœlum & terram, sed homines qui sunt in Mundo, vel qui diligunt Mundum* ait Augustinus, *oportet intelligi; quibus illuminandis Apostoli missi sunt*. Pulcherrimè percurrit P quibus de causis lucis proprietatem habeant viri Apostolici. Statim ad aliam declinat similitudinem, nimirum Ciuitatis: assumens *non posse abscondi positam supra montem*. Dicit Angelicus, Q cum Apostoli sint fundamenta, nomine totius intelligi partes; vel quia fuerunt initiatores Ecclesiæ. Cæterùm etsi multa dici queant, eatenus præcipuè reor sic adsimilari, quatenus innuat Apostolos, nedum illuminasse Mundum doctrina, sed operibus virtutum. Quod quidem habetur in sequenti conspicuè, nam ait; *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*. Quod expenditur alibi, R ad discrimen operum tenebrarum, quæ sunt opera peccatorum: *abijciamus ergo opera tenebrarum*. Vult itaque esse subiectos visui etiam Apostolos per opera lucis. Et ne contentus esset aliquis Apostolorum successor vnius aut alterius generis exemplis, Ciuitati eos comparat. Ciuitas in hoc à Vico distinguitur; quòd in Ciuitate omnia sunt necessaria ad humanum victum: S non sic in Vico. Idem est ergo, ac si diceret, *omnia* quæ ad vitam moralem exiguntur, vestris exhibeantur operibus; quando Ciuitatis vobis nomen est inditum. Apocalyps. 3. *qui vicerit &c. scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem*. Et quia secundùm Philosophum 9. Ethic. illud potissimè videtur esse vnumquodque quod est principale in ipso, vt notat Angelicus; T sicut quod facit Rector Ciuitatis, dicitur Ciuitas facere; ideo Apostoli, reor, dicuntur *Ciuitas supra Montem*, quæ est Ecclesia: admonendo vnà simul pro exempli studio ad virtutem, secundum illud Ecclesiastici 10. *qualis Rector in Ciuitate, tales & inhabitantes in ea*: itemque ex Platone; *quales in Republica Principes, tales Ciues. Constitues eos Principes super omnem terram*, ps. 44.

P D. Th. hic.
Q D. Th. hic.
R Rom. 13. l. 3.
S ps. 45.
T 1. p. 75. 4. 1. & 2. Cor. 4. l. 5.

VERS. XV. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.*

Quare iterum noua similitudine, lucernæ scilicet 14
informet discipulos, gemina ad præsens, esse potest causa; vt expendatur in primis, teneri non modò lucere, sed & ardere. In lucerna est ignis & lumen: V sic & in prædicatione esse debet feruor spiritus interiùs, & lumen boni exempli exteriùs; Ioan. 5. *erat lucerna ardens, & lucens*. Deinde ad innuendum prædicationis Apostolorum tempus, quod fuit contra tenebras errorum præteritorum & futurorum. In huius signum, Apostolorum Symbolum, X quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima & in Completorio. Non sic Symbolum Patrum, Symboli Apostolorum declaratiuum; conditum fide iam manifestata; & Ecclesia iam pacem habente, propter quod publicè in Ecclesia cantatur. Stet ergo, idcirco lucernis, quarum vsus est in tenebris, æquiparari. Nocte aduersitas significatur passim, die prosperitas. Nedum lux fuere Apostoli, sed & lucerna. Lucerna stat metaphorice pro vera & honesta doctrina, ex 3. p. citata.

V D. Th. hic
X 2. 2. 1. 9. 6. 1. p. 42. 3.

VERS. XVI. *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.*

Non potest lucere lucerna, ex Ambrosio lib. 7. in Lucam *nisi aliunde lumen acceperit*. Ne qui munere Apostolico felicius proficerent in populis, superbirent, alexipharmacum in huius lucernæ oleo paratur. Qui lux es, & *lucerna*, agnosceris: *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*; Iacobi 1. *Videant opera*, &c. *& glorificent Patrem vestrum*. Augustinus in Regula: *superbia etiam bonis operibus insidiatur vt pereant*. *In his* (idem Augustinus) *non constituat homo finem, sed referat ad laudem Dei*. Post hunc potissimè finem, vtilis est bonorum operum manifestatio A ad proximorum salutem; qui bonum alicuius cognoscentes, ædificantur ad imitandum.

A de malo. q. 9. a. 1. Serm. in Epiph. Domini ex Epist. & 2. 2. 132. 1. ad 1.

dum. Tertiò ordinari potest ad vtilitatem ipsius facientis; qui dum considerat bona sua ab alijs laudari, de his gratias agit, & firmius in eis consistit. Idem Augustinus; *duæ res sunt mihi necessariæ; bona conscientia & bona fama: bona fama Deo debet offerri: sic luceat lux vestra*; &c. Ad hæc in Syntaxi nonnihil.

VERS. XVII. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem*; &c.

15. Chrysostomus relatus 3. Parte; B *legem impleuit; primò quidem nihil transgrediendo legalium; secundò iustificando per fidem; quod lex per fidem facere non valebat.* Christus præterea C legem impleuit in hoc quòd moralibus præceptis consilia apposuit, & præcepta magis elucidauit; sed figuris cæremonialium veritatem apposuit, & ea in se ipso suscepit. In huius signum voluit circumcidi: circumcisio autem erat D quædam protestatio legis implendæ: Galat.5. *testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ: factus sub lege*, ex Apostolo Gal.4. Ideo noluit statim baptizari: E sed multo tempore legem seruauit, quasi constitutus sub lege. Item; impleuit moralia; charitatis dulcedine condiendo: F cæremonialia, figurarum velamen detegendo; prophetias in se completas ostendendo; promissiones confirmando; iudicialia per misericordiam temperando; consilia addendo; promissiones factas, de Spiritus-Sancti missione & filij incarnatione &c. persoluendo. Item ex Epistola ad Romanos; *non veni soluere sed adimplere*: tum quia figuris legis veritatem adhibuit, tum quia præcepta legis moralia debito modo exposuit, & occasiones transgrediendi abstulit, & etiam eis consilia perfectionis adiunxit, quæ tu nota in sequentibus. Quæret quis nec abs re, quæ sit continuatio textus huius ad præcedentia? Respondet Sanctus Beda; *quia poterant æstimare, quod vetera præcepta vellet abolere; & sic ante interrogata priùs occurrit.* Adde nouisse Dominum, qui plusquàm Salomon erat, quòd Prouerb.6. *mandatum lucerna est & lex lux*: cumque hoc Auditorum mentibus insidere posset: & exinde quasi fluctuare Apostolos in præmissorum intelligentia, quomodo possent ipsi esse *lux* & *lucerna*, quando tot ante sæcula *lucerna* & *lux* præextiterat, *mandatum & lex*: consequenter irrepere dubium imperitis, an noua Apostolorum missione lex & Prophetæ velut amandarentur: *non veni*, inquit, *soluere legem aut Prophetas, sed adimplere*. Lucæ 18. *consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. Matthæi 22. *in his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ*.

B 3.p.40. 4. in sed contra.
C 4.Sent. 2.1. 5.2. ad 1.
D 3.p.qu. 10.corp.& p.2.107. 2.a.
E Matth. 3.lit.b
F D.Th. hic & Rom.9.l.5.

VERS. XVIII. *Amen dico vobis, &c. iota vnum aut vnus apex non præteribit.*

16. *Amen* assertiuum veritatis est; G secundùm Augustinum interpretatur *verum* vel *verè*; secundùm Hieronymum; *verè, fideliter, fiat*. *Donec*, idest, *antequam*: *transeat Cœlum & terra*; Glossa, à mutabilitate ad immutabilitatem. Sic Cœli à vetustate transibunt corruptionis H in nouitatem status incorruptibilis; ab impuritate contagij mundanæ conuersationis, in puritatem naturæ subtilis, non tamen transitu substantiali. *Cœlum*, non æthereum, sed aereum. *Volucres Cœli* in ps.8. Sic 1. Corinth. 7. *præterit figura huius Mundi*, Glossa; *non substantia sed figura præterit*. Apoc.21. *vidi Cœlum nouum & terram nouam*. Verùm ipse etiam existimo intelligi posse alio sensu hyperbolicè negatiuè. Ac si diceret, cum præterierit vel apex legis non impletus; *transibunt Cœlum & terra*. Subinferatur autem; sed Cœlum & terra non transibunt, quoad substantiam; ergo, nec *iota vnum, aut vnus apex præteribit à lege*: sic infra v.26. *non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*: Si autem roges de hisce exemplis. Respondeo altiori ex radice; quia lex potissimè stat pro cæremonialibus præceptis. Apostolus, *omnia in figura contingebant illis*. Figura autem, vt sapienter expendit Angelicus, I pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet.

G D.Th. hic.
H 2. Petri 3.
I 2.2.122. 4.ad 4.

VERS. XIX. *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis; minimus vocabitur in Regno Cœlorum.*

Difficilis est sententiæ huius intelligentia. Nam 17.
non liquet primo intuitu, quidnam sit esse minimum in Regno Cœlorum: vnde varius fuit Sacrorum Interpretum sensus: quibusdam credentibus, esse minimum in Regno Cœlorum, idest despectissimum in Ecclesia; alijs; minimum, idest nullum; quia ibi non erit, scilicet in Regno Cœlorum. Et exinde est difficultas, quænam sint hæc mandata minima; vel sit minimum, non occidere verbi gratia, comparatione ad maximum, quod est n[on] que irasci: & tunc ly *minimus vocabitur*, patitur exclusionem à Regno Cœlorum; quia erit eo indignus. Cæterum ijs missis, quæ à Sancto Thoma hic percurruntur, libet altiori eius ex doctrina Dictum Domini exponere.

Cum enim in lege fuerint moralia, cæremonialia, & iudicialia mandata, vt patet L in prima secundæ: & moralia, (quæ vt ibi sunt de actibus virtutum) dictet ratio M fide informata, vt Deum esse amandum & colendum; & sic dilectionem proximi: quæ sunt quasi fines præceptorum; fit vt omnia præcepta ad illa duo reducantur; vnde dixit Dominus, infra 22. *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ*, ergo sicuti mandatum magnum est *diliges dominum Deum tuum &c. secundumque simile est huic: & proximum tuum sicut te ipsum*; sic erunt moralia iuncta mandata magna, vtpote *in his duobus magnis* contenta. Ergo vlteriùs, cæremonialia & iudicialia comparatione erunt mandata minima. Igitur dum hic ait Dominus; *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*, loquitur de his, non verò de moralibus, quæ vel deriuatiuè dicuntur mandata magna. Sunt etiam minima, quia cæremonialia non habebant N vim obligationis secundùm se, sed ex institutione diuina. Et sic iudicialia; quia antequam instituerentur, non videbatur referre, vtrum, sic vel aliter fieret. Colere Deum pertinet ad præceptum morale; sed determinatio O huius præcepti, vt scilicet colatur talibus hostijs & muneribus, distinctum quid est à præceptis moralibus, quæ pertinent ad legem naturæ. Sicut determinationes, quæ fiunt per legem humanam, non dicuntur esse de lege naturæ, sed de iure positiuo. Nota; ad Deum non solùm pertinent sacrificia oblata, sed etiam P quæcumque pertinent ad idoneitatem offerentium, & Deum colentium, vt præparentur; puta per vestes & cibos. Sic etiam iudicialia dici queunt minima, hac de causa; quia Q non sunt de necessitate virtutis, quantum ad talem determinationem: Vnde non habuerunt R perpetuã obligationem. Et sic cœperunt cæremoniæ S veteris legis cessare in aduentu Christi: & magis post passionẽ ceu mortua legalia cuncta. His ergo de causis, & quia etiam mandata legis, fuerunt T quasi in disciplinam puerorum, *lex enim fuit pædagogus*, Galat.3. ideo mandata ista dicuntur minima. Quæ vt innuat soluenda paulo post fuisse, & inobseruanda, quid de tunc etiam soluente sit, decernit dicens; *minimus vocabitur in Regno Cœlorum*. Ergo non excludendus à Regno. *Qui autem fecerit & docuerit*, iuxta illud ps. & *leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum*. Dicito; qui sic *fecerit*, *vsque ad tempus correctionis* Heb.9. & *docuerit* cessasse illorum obligationem, non vltra Messia expectando,

L p.2.99. a.2.3.& 4.
M p.2. 104.1.3.
N p.2. 104.1.ad 3.& q.100.a.11.
O p.2.99. 3.in corp. & ad 2.
P p.2. 101.1.1.& q.104. 1.3.
Q p.2. 108.2.4.
R p.2. 104.3.
S p.2. 103.3.& 4.
T p.2. 107.1.

ctando,

ctando, quò collimarunt, *magnus vocabitur in Regno Cœlorum*.

18. Certè, vt vberiùs dixi Leuitici 20. num. 5. præcepta propriè dicuntur, sine quorum obseruantia V virtus esse non potest: alia autem, quæ præcipiuntur tanquam vtilia ad hoc, quòd virtutis ordo meliùs conseruetur, non verò tanquam præcisè debita, possunt dici mandata; quia quandam inductionem habent, & persuasionem; sicut illud Exodi 22. *si pignus acceperis vestimentum à proximo tuo, ante Solis occasum reddas ei:* vnde Hieronymus dicit, quòd *in præceptis est iustitia, in mandatis verò charitas*. Subdit iterum, X legem diuinam conuenienter proponere præcepta de actibus virtutum; ita tamen, quòd quædam cadunt sub obligatione præcepti; quædam verò quæ pertinent ad benè esse virtutis perfecta, cadunt sub admonitione consilij. Similiter de præceptis cæremonialibus tot, quæ facilè transgrederentur, ait. A Sapientis legislatoris est minores transgressiones permittere, vt maiores caueantur. Ideò solùm dixit q. 98. *obligabantur*, non autem *sub mortali* voluit definire; excluso contemptu. Quid rogo prohibet accipere quod hic dicit Dominus, de eiusmodi mandatis minoribus immo & minimis, quando præmiserat, *iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege?* Quare autem in eiusmodi minimis delinquens minimus vocandus sit in Regno Cœlorum? ea potest esse etiam in hisce minimis ratio; quæ & in præceptis maioribus; quia ex Diuo Iacobo; *quicumque totam legem seruauerit; offendat autem in vno, factus est omnium reus*. Et quia Ecclesiastici 19. *qui spernit modica, paulatim decidit*. Verùm pleniùs sunt hæc enucleanda in Syntaxi ad monitum Apostolicorum virorum; qui & ipsi etsi nihil supra Deum aut contra Deum, aut æqualiter Deo diligant, sunt in infimo gradu dilectionis Dei, si non magis proficiant B. Quod certè est vocari minimos in Regno Cœlorum. Ad nouæ legis professores videtur præcipuè spectasse Dominum, dum meminit semel & rursus Regni Cœlorum; quod in veteri lege non fuit nisi sub vmbra temporalium repromissum; quodque illis non patuit.

V p. 1. 99. 5. — X p. 2. 100. 2. — A p. 2. 101. 3. 2. & q. 98. 2. 5. — B 2. 2. 184. 3. 2.

VERS. XX. *Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum.*

19. Abundare dicitur iustitiâ noua lex, immo C superabundat legi veteri, interiores actus animi ordinando: vt mox dicemus; Ideò est prouerbium; *lex vetus cohibet manum, lex noua animum*. Quod erat ad opinionem Iudæorum; sicut Iosephus l. 11. antiqu. c. 13. non culpat de nocendi animo Antiochum. Et sonat populum nouæ D legis ad maiora teneri. An sit grauior lex noua, quàm vetus, dicetur infrà c. 11. *& onus meum leue*. E Potest hoc etiam referri ad id quod habetur de Scribis & Pharisæis infra c. 23. *dicunt enim & non faciunt; Digito suo onera grauia & importabilia mouere nolunt; omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus*. &c. Pharisæi & Scribæ etiam malè intelligebant præcepta, vt mox.

C p. 1. 91. 5. Machab. 1. c. 6. — D 1. 2. 87. 1. — E p. 2. 107. 4. & 8. 3. ad 2.

VERS. XXI. *Audistis, quia dictum est antiquis*, &c.

Decalogi præceptum, *Non occides*, F secundùm Pharisæorum intellectum erat de homicidio exteriori.

F De malo q. 13. 2. 4. ad 3.

VERS. XXII. *Ego autem dico vobis; omnis qui irascitur fratri suo*, &c.

20. Loquitur hic Dominus G de motu iræ, in quo quis appetit proximi occisionem, aut quamcumque grauem læsionem; cui appetitui, si consensus rationis superueniat, absque dubio erit peccatum mortale. Quia enim non intelligebant homicidium, H nisi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari. Et sic in hoc quoque legem impleuit, doctrinâ, intellectum I legis exprimendo, & interiores actus peccatorum cadere sub prohibitione. Discrimen est autem inter iram præfatam & odium: quia L ira subita est, odium verò diuturnum. Bonus Medicus non tantùm tollit malum quod apparet, sed etiam radicem remouet infirmitatis, ne scilicet recidiuet. Et ideò vult abstinere nos à principijs peccatorum; & ita ab ira, quæ est principium homicidij. Augustinus in Regula, *ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam*. Primæ Ioan. 3. *qui odit fratrem suum, homicida est*; Ratio huius est, quia & se interficit, se expoliando charitate, & alium. Propriè ira est, ad iniuriam illatam vendicandam. Huiusmodi iratus fratri suo *reus erit iudicio*, idest pœna, M quam lex adiudicauit Exodi 21. vbi dicitur; *si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur*. Veruntamen æternæ pœnæ comminatio N etiam intelligitur. Vnde iudicium pertinet N ad condemnationem. Glossa, quæ alibi fertur, O inquit, *in his tribus, iudicio, concilio, gehenna, diuersæ mansiones in æterna damnatione pro modo peccati singulariter exprimuntur*. Quamuis in primo ponatur *iudicium* quod minus est, quia vt Augustinus dicit, *in iudicio* adhuc defensionis locus datur: vt ibi 2. 2. De ira, & an quandoque laudabilis; vide fusè alijs in locis. P

G 2. 2. 158. 3. ad 2 & Op. 4. §. non occides. — H p. 2. 107. 3. 8. — I p. 2. 107. 1. — L Opusc. 4. §. non occides. — M Opusc. cit. — N 3. Sent. 40. q. 1. a. 1. N 2. 2. 158. 5. 1. — O de malo q. 12. a. 5. 5. — P p. 2. 46. & intra 2. 2. q. 58. 8. & q. 12. de malo 21.

VERSV eodem. *Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio.*

Quandoque ira tanta est tantæque perturbationis, Q vt motum impediat linguæ. Gregorius; *lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi*. In his tribus expressiùs relucet vestigium cordis. *Racha* est R interiectio irascentis. Augustinus, *iam si exorsit vocem non significantem aliquid, sed animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui irascitur, plùs est quàm si ira surgens silentio premeretur*. Vel *Racha*, ait Chrysostomus, *est verbum contemptus & vilipensionis*. Syri *Racha* dicunt, pro *tu*; sicut famulis dicimus. Dominus & quæ minima sunt, euellit; & cum honore nobis inuicem vti iubet. Vide ampliùs in Catena. *Concilium* à consilio differt; nam consilium est ipsa quæstio, quæ vertitur S inter consiliantes; *concilium* est congregatio consiliariorum. *Concilium* hic, non est de reitate præsumpta; sed quia T Iudices inter se conferunt, quo supplicio damnari oporteat. Potest etiam intelligi Angelorum & Sanctorum *Concilium*, in quo omnes impij examinabuntur, Isaiæ 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & Principibus eius*.

Q p. 2. 48. 4. — R de malo q. 12. a. 5. & 2. 2. 158. 2. 5. ad 3. — S Isaiæ 16. — T 2. 2. citata Serm. Dom. 6. post Pent. ex Euãg.

VERS. eodem. *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Prohibet Dominus ex ira in eiusmodi opprobria erumpere, V non verò ex correctione; & sic Apostolus ait; *insipiens tu*, &c. Et ad Galatas X *ò insensati Galatæ*. Ex causa dixit & animo corrigendi. Sicut ergo licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causâ disciplinæ; ita etiam causâ disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod A conuitiosum dicere. Et sic Dominus discipulos Lucæ vltimo vocauit stultos; *o stulti & tardi corde ad credendum*. Intelligitur ergo prohiberi conuitium vel contumelia, vt ait Augustinus; *quando sine causa & animo vituperandi*. (Ibi ad Galat.) Pro cuius pleniori notitia: Sciendum quòd conuitium vel contumelia de sui ratione importat B quandam dehonorationem, si intentio proferentis ad hoc feratur, vt per verba quæ profert, honorem alterius auferat; quod est propriè & per se dicere

V 1. Corinth. 15. lect. 5. — X Galat. 3. l. 1. — A 2. 2. 72. 2. — B 2. 2. cit.

dicere conuitium vel contumeliam, & hoc est peccatum mortale, non minùs quàm furtum vel rapina: non enim homo minus amat suum honorem, quàm rem possessam. Si verò aliquis verbum conuitij vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, vel fortè propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi, non dicit conuitium vel contumeliam formaliter & per se, sed per accidens & materialiter; in quantùm scilicet dicit id, quod potest esse conuitium vel contumelia. Vnde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato. In quo tamen necessaria est discretio, vt moderatè homo talibus verbis vtatur; quia posset esse ita graue conuitium, quod per incautelam prolatum auferret honorem eius, contra quem proferretur: & tunc posset homo peccare mortaliter, etiam si non intenderet dehonorationem alterius. Sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, culpa non caret. Verum est, esse C minimum nocumentorum, quod fit solo verbo: nihilominus, cum sit gradus processuum humani actus; nam primò aliquid corde concipitur, secundò per aliqua exteriora manifestatur; tertiò ad effectum perducitur: si primum est peccatum mortale, in casu in quo Dominus loquitur; multò magis alia. Et ideo ponitur iam *gehenna ignis*, quæ est certa damnatio. Chrysostomus: *plures pœnarum & peccatorum à verbis habent principium; etenim parua verba multoties homicidium pepererunt; & ciuitates integras euerterunt. Nec etiam parum æstimes fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam & intellectum, quo homines sumus, & ab irrationalibus distamus.* Habet autem gradus iste tertius propinquitatem ad primum; *qui irascitur*, &c. quia D ex ira oriuntur præcipuè contumeliæ.

C 2. 2. 158. a. 5. ad 3.

D 2. 2. 72. 4.

22. Rogabis, vnde esset falsus antiquorum intellectus in prohibitione homicidij? Respondeo animaduertendo, in præceptis decalogi, quemlibet etiam popularem de facili posse, dictamine naturalis rationis, eorum rationem videre, etsi propter pauciores, in quibus contingit iudicium humanum peruerti, eguerint editione. In quibusdam consecutis ad præcepta decalogi, fit vt eorum ratio non sit cuilibet manifesta, sed solùm sapientibus; & de huiusmodi fuerunt superaddenda præcepta alia moralia. Quinto ergo præcepto, quod est de prohibitione homicidij, addebatur prohibitio odij, & cuiuslibet violationis contra proximum; sicut illud Leuitici 19. *non stabis contra sanguinem proximi tui: non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Hæc ex Diuo Thoma E. Etsi autem palam haberent eiusmodi moralia præcepta Decalogo superaddita, quæ certè nedum à sapientibus, sed à popularibus etiam poterant falsum intellectum de homicidio amouere; nihilominus vel neglectu ea memorandi, vel sinistra violentaque interpretatione, falso aliquo discursu abducebantur ipsi quoque Scribæ & Pharisæi. Videntur mihi instar Summistarum nostri æui defecisse. Simulac enim leuem aliquam concipiunt de rebus æstimationem, quasi ex Cathedra loquuntur; cum tamen, vt tradit Angelicus in Quodlibeto, F *quæstio in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinetur.* Qualia autem haberent Pharisæi & Scribæ, praui intellectus motiua, aperit alibi G. In primis, quia motus iræ in homicidium tendens, videtur aliqualiter nobis à natura inesse. Deinde, motum odij credebant esse licitum, propter præcepta legis data, de hostium interfectione; quod quidem lex statuit, propter iustitiam implendam, non propter odia exaturanda. Sic Deuteronomij 20. mandat de Ciuitatibus hostium captis, omnes interfici, vel masculos, qui pugnauerant contra populum Dei: sed hoc fuit H propter iniquitates eorum priores, ad quas puniendas Dominus populum Israel, diuinæ iustitiæ executorem mittebat. Dicitur enim Deuteronomij 9. *quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt.* Lege etiam in capit. 20. iussos fuisse occidi; *ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt Dijs suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum.* Sic Augustinus *contra Faustum* (vt in Quodlibeto) dicit; *quòd Iudæi non intelligebant homicidium, nisi per interemptionem corporis humani: & tantummodo corporalem cum fœmina cohabitationem vocari mœchiam; quæ erat in lege prohibita.* Vide aliàs de vindicatione, I & disce, qualiter si intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis; puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem, alijs debitis seruatis circumstantijs, vindicatio licita est; immo est specialis virtus; si absit intentio nocendi. Meritò ergo, dum legem, vel legis intelligentiam Dominus promulgat, præmittit pronomen *Ego*: *Ego autem*, inquit, *dico vobis*: signanter quidem, nam paulo ante, sine illo, præmiserat, *dico autem vobis; quia nisi abundauerit* &c. Christus ergo loquitur L tanquam Dominus, & potestatem habens, idest propria virtute. *Ego autem*: non ita Moyses, aut alij Prophetæ. Potestas præterea Christi in docendo M attenditur; & quantùm ad miracula, per quæ doctrinam suam confirmabat, & quantùm ad efficaciam persuadendi, & quantùm ad auctoritatem loquentis; quia loquebatur quasi dominium habens super legem; cum diceret; *Ego autem dico vobis*: Et etiam quantùm ad virtutem rectitudinis, quam in sua conuersatione monstrabat, sine peccato viuendo. Lege in calce capitis 7. *erat docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Ecclesiastes 8. *sermo illius potestate plenus est.* Prouerb. 8. *iusti sunt omnes sermones mei; non est in eis prauum quid, neque peruersum.* Isaiæ 33. *Dominus legifer noster.*

E p. 2. 100. 11.

F Quodl. 9. a. 15.

G p. 2. 108. 3. ad 2. & 3.

H p. 2. 105. 3. ad 4.

I 2. 2. 108. 1. & 2. Quodl. 4. art. 24.

L Ioan. 1. l. 8. p. 2. 107 3. 2.

M 3. p. 42. 1. 2.

VERS. XXIII. *Si ergo offers munus tuum ad altare* &c.

Aiebat Augustinus; *non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Quòd frater tuus habet aliquid aduersùm te.* Etsi possit accipi, *cum tu læsus es*: quo pacto ait Chrysostomus; *si ille te læserit, & priùs rogaueris, magnam habebis mercedem*: quod quidem non esse necessarium, dicit Hieronymus, cum sit satis dimittas: attamen planior videtur sensus, vt aduersùm te læsorem frater aliquid habeat. In casu ergo; *vade priùs reconciliari fratri tuo.* Idem Chrysostomus; *qualis autem præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio; si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare; si verbis offendisti, verbis reconciliare; si operibus offendisti, operibus reconciliare.* Idem Augustinus in Regula: *qui autem conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione, quantocyus curare quod fecit; & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Quòd, si inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debent*, &c. Si quæras, cur inducat Dominus de articulo oblati 23.

muneris? cum potuisset absolutè poni; si recordatus fueris, &c.? In primis respondeo factum esse, vt discamus, quanta sit satisfactionis ad alterum necessitas: etsi enim quis humiliter præsumatur accessisse ad offerendum *munus suum ante altare*, nihilque culpæ offerentem contrito animo habere; *tunc* enim *acceptabit sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta*; cum fuerit scilicet *cor contritum & humiliatum*: nihilominus opus est satisfactione, inexpiabili per munus quod offers. Huiusmodi satisfaciendi onus nec baptismus supplet; quia restituere N malè ablata proximis, & satisfacere eis de iniurijs illatis est cessare à peccando: nam hoc ipsum, quod est detinere aliena, & proximum læsum non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis iniungendum est, quòd satisfaciant proximis; sicut & quòd desistant à peccato. Certè si *offert quis munus suum*, pro suis sine dubio peccatis, intendit sibi peccata dimitti: at quis nescit *non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum*? Abstulit per conuitium & contumeliam fratri suo honorem, nam conuitium est fratris dehonoratio; vadat priùs reconciliari, eidem faciat satis; tunc veniens offeres; tunc erit acceptum munus tuum. Etsi autem nihil nocuerit dehonoratio, ei qui dehonoratur, quantum est ex te dehonorasti, ideò ad satisfaciendum teneris, vt de sacrilegio O docemur. Deinde videtur Dominus id præcipere dum in ipso es actu offerendi, vt omnem satisfaciendi moram coarguat. Neque enim tenetur quis in omni casu restituere P quod ablatum est; & ei à quo Q aliquid est acceptum: sed quia vnusquisque tenetur statim peccatum deserere, cum sit peccatum, nedum rem alienam accipere, sed etiam eam inuito Domino detinere, R tenetur etiam statim restituere.

N 3.p.68, 5.3.
O 2.2.99. 3.3.
P 2.2.62. 2.
Q ibi 2.5.
R ibi 2.8.

VERS. XXV. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo.*

24. Missis alijs expositionibus, ad literam cum Chrysostomo; *esto consentiens homini aduersanti siue inimico. Consentiens*, idest *beneuolus*, vel *benignus*, vt ex Græco, dicit Hieronymus. Quare videtur mihi, Dominus, monere quomodo quis se gerat respectu contumeliosi & conuitiantis; tenetur enim, vt ait Augustinus in Regula, *qui læsus est, sine disceptatione dimittere*. Paulò ante igitur de læsore, nunc de iniuriato & læso, vt scilicet consentiat benignè satisfacienti. Et hoc constat habere euangelicum sensum; siquidem adiectum est; *ne fortè tradat te aduersarius Iudici*, cui nimirum & tu debita maiora debes, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Infra quippe cap. 18. iratus Dominus, eum qui noluit remittere *tradidit tortoribus quoadusque redderet & ipse vniuersum debitum*. Esto ergo tu qui læsus es, *consentiens* non durus, ne mittaris in carcerem, donec reddas nouissimum quadrantem: Hieronymus lib. 3. in Matth. *si autem ob factam contumeliam simus implacabiles, & propter amarius verbum perpetes habeamus discordias, nonne nobis videmur rectè redigendi in carcerem, & sub exemplo operis nostri hoc agere, vt maiorum nobis delictorum venia non relaxetur?* ecce in præsenti, qui non est consentiens aduersario suo, in carcerem mittitur, donec reddat nouissimum quadrantem. De læso ergo, de passo iniuriam sermo est, qui aduersario suo non consentit. Lædens primò, deinde læsus Christi Domini imbuendus erat doctrina. Nisi sis consentiens aduersario tuo, vindicari vis. Sed audi Ecclesiastici cap. 28. *qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te; (aduersario reor tuo) & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Citò*; quia Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Hilarius & Augustinus; *in via*; idest, *in hac vita*; *in vitæ nostræ via*. Gregorius; *in via sumus, qua ad Patriam pergimus*. Vbi Iob 19. legimus; *semitam meam circumsepsit, & transire non possum*; exponitur S de hominibus post mortem, qui iam non sunt viatores; *In via cum eo*. Ambo quippe & lædens & læsus *in via* sunt. *Ne fortè tradat te Iudici. Iudici*; idest Christo, siue vt ait Glossa *in manus Christi*: Qui est *Iudex viuorum & mortuorum*. Iacobi 5. *ecce Iudex ante ianuam assistit*. Benè *ante ianuam*; vbi videat nos *in via*. Ex quo tu aduersario non consentis placatus, traderis in manus Iudicis. *Et Iudex tradat te ministro, idest Angelo pœnarum* T *crudeli*, vt Chrysostomus dicit. Vel *ministro*, idest exactori V Diabolo; Isaiæ 14. *quomodo cessauit exactor. Et in carcerem mittaris*, idest in abyssum Inferni; Isaiæ 24. *claudentur in carcerem*. Infra cap. 18. *tradidit eum tortoribus*. Sequitur; *amen dico tibi; non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Donec* non significat hic finem pœnæ, sed continuationem X miseriæ: quasi dicat; semper solues & nunquam persolues. *In carcerem* in quem intruditur A homo pro peccato mortali. *Donec reddas nouissimum quadrantem*: per quem significatur veniale peccatum. Item *quadrantem* B idest minuta peccata. Ex Hieronymo; *quadrans genus nummi est, quod habet duo minuta*.

S 4.sent. 45.2.1.2. ad 3.
T 3.p.48. 4.2.
V D.Th. hic.
X D.Th. hic.
A 3.p. 87.4.
B 4.sent. 21.1.2.3.

VERS. XXVII. *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis,*

VERS. XXVIII. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem*, &c.

Perdoctè edisserit Diuus Thomas in p. 2. quæst. 20. art. 4. quomodo eandem habeat malitiam actus interior, quamuis non erumpat in exteriorem, vbi inuoluntariè impeditur. Quemadmodum circa prohibitionem homicidij, sic & circa prohibitionem adulterij C æstimabant solum exteriorem actum prohiberi. Quod magis credebant circa homicidium & adulterium, quàm circa furtum, vel falsum testimonium; quia motus iræ in homicidium tendens, & concupiscentiæ motus tendens in adulterium, videntur aliqualiter nobis à natura inesse; non autem appetitus iurandi, vel falsum testimonium dicendi. Fortè etiam detorquebant legis naturæ & diuinæ intelligentiam ad legis humanæ ritum, quæ non prohibet omnes actus vitiosos: ex prima 2. quæst. 96. art. 2. & 3. Considero autem, vsurpasse Dominum verbum istud *audistis*; non autem dixit; *In lege scriptum est*; quoniam *lex Domini immaculata*, errores huiusmodi non poterat inserere animis. Erat ergo ex Pharisæorum Scribarumque vt in pluribus corruptela, qui sensum peruertebantur iudicio, cum in paucioribus rudioribusque ad summum id debuisset accidere, (quod supra D dictum est.) Sed vt docemur alibi, quomodo lex etiam naturæ quantum ad præcepta secundaria E deletur de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones; eo modo quo etiam in speculatiuis, errores contingeret circa conclusiones necessarias; vel etiam propter prauas

25.
C p. 2. 108.3.1.
D p. 2. 100.11.
E p. 2. 95.6.

prauas consuetudines & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam: vt & Apostolus dicit ad Roman. 1. Igitur quantùm etiam ad notitiam conclusionum moralium ex principijs communibus deficit F aliquando lex naturæ; vel quia aliqui habent deprauatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ; sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum; (cum tamen sit expresse contra legem naturæ) vt refert Iulius Cæsar in libris de bello Gallico. Ecce itaque quare sensim corrupta euaserat Pharisæorum Scribarumque ratio; vt quod est expresse in decalogo; *non desiderabis vxorem proximi tui*, sinistra interpretatione peruerterent. Speciale quippe est præceptum prohibens G concupiscentiam adulterij; ne errari contingeret, ex eo quòd adulterium habet rationem boni delectabilis. Et sic de furto, furtique concupiscentia, ne irreperet error, eo quòd & furtum habet rationem alicuius boni, scilicet vtilis. Non sic de concupiscentia homicidij opus fuit; quia homicidium secundùm se non est concupiscibile, sed horribile. Eiusmodi errorum tenebras expellit *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, dicens *ego autem dico vobis*. Sic Synteresis, quæ postquam in errore est ratio superior, H quodammodo extingui dicitur, nouo lumine accenditur. Legimus in Iob cap. 18. *lucerna quæ super eum est, extinguetur*; idest ratio, I quæ est in superiori parte animæ (psal. 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*) obtenebrescet propter multa peccata. Ecce ergo lumen: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*. Licèt *mœchari* propriè sit *adulterium*; tamen, largè comprehendit etiam fornicationem; vetitam pariter in Scripturis à Deo; iuxta illud Deuteronomij 24. *non erit meretrix de filiabus Israel, neque fornicator de filijs Israel*. Signanter Dominus ait; *qui viderit mulierem*: à fortiori, qui viderit alterius vxorem. Prouerb. 23. *fouea profunda est meretrix; & puteus angustus, aliena*. Augustinus in Regula; *oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; sed appetere vel ab ipsis appeti velle, criminosum est: nec solo tactu & affectu, sed & aspectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius*. Iob 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Cum oculis meis*, L ex quorum aspectu peruenitur in concupiscentiam mulierum. Et ita firmaui in corde meo, sicut pacta firmantur, ab inspiciendis mulieribus abstinere; *Vt ne cogitarem quidem de virgine*: idest, vt nec primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitationem. Videbat enim esse difficile, si in primum incideret, scilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem & consensum. Hucusque Sanctus Thomas. Sic senes illi procaces Danielis 13. *videbant* (Susannam) *quotidie ingredientem & ambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius: & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent Cœlum*. Hinc secundo adducto Daniel improperauit; *concupiscentia subuertis cor tuum*. Ecclesiastici 9. *Virginem ne conspicias; ne fortè scandalizeris in decore illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulierum multi perierunt. Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*. Similitudo isthæc *ignis* in causa est, cur veracissima extet Ecclesiæ sanctio, non dari paruitatem materiæ in luxuriæ genere: (intelligendum est ex solo capite paruitatis materiæ: nam aliunde vel ex inaduertentia, vel ex indeliberatione peccatur sine dubio dumtaxat venialiter) *Ignis nunquam dicit sufficit*, Prouerb. 3. *à scintilla vna augetur ignis*, Ecclesiastici 11. Iob 31. *ignis est vsque ad consummationem deuorans; & omnia eradicans genimina*. Ita legit Diuus Thomas M duobus in locis, etsi textus habeat, *vsque ad perditionem*. In horum secundo exponit illud; *melius est nubere quàm vri*; idest, inquit, quàm concupiscentiâ superari. Concupiscentia enim est calor quidam noxius. Qui ergo concupiscentiâ impugnatur, calescit quidem, sed non vritur, nisi humorem gratiæ perdat, à concupiscentia superatus. Sic igitur intellige; *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Videre* autem hic extensiuè est accipiendum ad omnem animi motum eò directum, vt supra dictum est, cum de tentatione; nam *in corde mœchatus est eam*. Cor autem sensus omnes proritat. Ita etiam N ex Diuo Thoma. Beatus Laurentius Iustinianus, quomodo sit ignis concupiscentiæ luxuria eloquitur: *Ignis est infernalis; cuius materia, gula & ebrietas; cuius fauillæ, impudica verba; cuius flamma superbia; cuius fumus infamia; cuius cinis inopia; cuius finis infernus*.

VERS. XXIX. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te*.

Variè exponitur textus præsens à Sanctis Patribus vt in Catena, & hic in Diuo Thoma. Saluianus lib. 3. de Prouidentia: *non quòd membris suis, quis priuare se debeat; sed quia tam necessariæ nobis sunt quædam domesticorum obsequiorum necessitudines, vt his quasi oculis, interdum autem quasi manibus vtamur; rectè nobis præsentium ministeriorum officia subtrahimus, ne æterni ignis tormenta patiamur*. Licèt autem generaliter de omni amputanda peccati occasione eruditio sit, speciatim tamen, relatu ad præcedentem, de non videnda muliere loquitur Dominus. Oculus passim accipitur pro intentione. Sed emergit hinc quæstio, cur de oculo dextro fiat sermo? præsertim quia infra capit. 18. vbi, & de manu & de pede & de oculo, qui scandalizet, nihil omnino distinguit de dextro aut sinistro. Quod ipsum reperimus in Marco capit. 9. Profundior causa in Syntagmate elucidabitur. Nunc arridet isthæc. *Si oculus tuus dexter*, O idest sensus & cogitatio sub specie bonæ intentionis, scandalizat te. Sed pressiùs aio ipse, si ex bona intentione, & nedum bona moraliter, sed theologicè, ita vt ad animæ salutem feratur, atque ad æterna. Vbi Naas Ammonites 1. Regum 11. edixit, *eruam omnium vestrum oculos dextros*, intelligit Diuus Gregorius *conspectum ad sublimia & cœlestia*. Pro oculo dextro etiam stat Dei Sapientia. P Sapientia & astutia mundi sinister oculus. Sed tu si vis, pro sinistro temporalem accipe finem & intentionem. Pro dextera passim potiora capiuntur bona. Magnum quid ergo docet Dominus; si tibi, sanctus etiam finis, salutaris intentio oculus dexter, occasio est lapsus (id quod potissimùm accidere potest cum ad mulieres dirigitur) *erue eum & proijce abs te*. Chrysostomus hic Q apud rem edisserit. *Erat mulier religiosa, & respexi, & dixi; debeo visitare illam assiduè, vt instruam illam, & confirmem in bono: bonus est iste respectus & oculus dexter. Sed dum assiduè visito, decidi in laqueum desiderij eius. Ecce respectus bonus*,

F p. 2. 94. 4.

G 2. 2. 122. 6. ad 4.

H de ver. 16. a. 3.

I Serm. S. Benedicti. ex Euang.

L Iob 31. lect. 1.

M 1 Ioa. 5. & 1. Corint. 7. l. 1.

N D. Th. hic.

26.

O D. Th. hic.

P Apoc. 9. Com. 1. ibi obscuratus est Sol.

Q apud D. Th. hic.

mus, & dexter oculus factus est mihi in scandalum. Ad rem Gregorius; *non licet intueri quod non licet concupisci*. Si ergo dum bonum intendis, instat tibi ruina, illam pone intentionem, *erue eum: proijce abs te*, vtique remote; proximam exinde occasionem vitæ & periculum: expedit tibi vt pereat vnum membrorum tuorum; scilicet vt meritum hoc vel illud amittas, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Vbi Apocalypsi dicitur cap. 14. *opera enim illorum sequuntur illos*, paraphrasis est D. Thomæ R præmia operum; ita vt præmium concomitetur ad meriti qualitatem. Expedit ergo sine opere intentionis huiusmodi, gehennam effugere. Huc mirè facit doctrina quæ datur de scandalo. Quæritur, *an bona spiritualia sint propter scandalum S dimittenda?* Idem reor est quæri, *an sit aliquando eruendus oculus dexter?* Vt alterius peccatum impediat, nullus debet peccare mortaliter; quia secundum ordinem charitatis, plus debet homo suam salutem spiritualem diligere quàm alterius. Fortè neque peccare quis, ob alterius salutem, debet venialiter; vt ibi in corpore, & ad 4. videre est. Si ergo, vt ibi, cum proximi scandalum ex infirmitate deprehenditur, est à spiritualibus supersedendum; cur quando de nobis agitur periclitantibus, non erit dexter etiam oculus, spiritualis intentio dimittenda? Animi passiones ex Tullio sunt ægritudines; si qua autem est passio, quæ eneruet animi robur, certè præ alijs in mulieres concupiscentia; quæ adhuc in fidelibus post baptismum remanens T instigat homines, licet non dominetur, ad actus venereos ob vehementiam delectationis. Arbitror autem non dixisse Dominum; *si visio scandalizat te*; quia ex vno vel altero lapsu aut impactione, non esset desistendum à rectè intentis; benè autem si vt in pluribus aut semper peccari contingeret; quod est *oculum ipsum* quasi habitu scandalizare. (Origenes in Catena capit. 18. *frequenter ipsa opera membrorum pro membris in Scriptura ponuntur*.) Diuus Thomas infra V. Aliqui qui possunt multum proficere (ecce *oculus dexter*) dicunt; si audio confessiones, & facio prædicationes, fortassè malè mihi accideret. Tales Deum durum reputant. Sperare debet, qui se dat suo seruitio, quòd non cadet; & si ceciderit, resurget. Perpendat prius lector quo studio sint, quæ sinister oculus videt, temporalia amandanda; cum scilicet nobis sunt scandali occasio, vel ruina. Chrysostomus; *quoniam enim alter alterius membra sumus; melius est, vt sine vno tali membro saluemur, quàm vt volentes tales habere, & ipsi pereamus cum eis*.

R Apoc. 7. ibi & palmæ. Com. 5.& opusc. 20. l.5.c.4.

S 2.2.43. 7.

T 1.Cor. 7. l.1.

V Matth. 25. ibi *sciens quia homo durus es*.

VERS. XXX. *Et si dextera manus tua scandalizat te*, &c.

27. Scimus ex Philosopho 2. Physicorum; qualiter *omne agens, agit propter finem*. Postquam ergo, quàm cautè sit intendendus nobis finis in oculo monuit; de ijs quæ sunt ad finem attentè considerandis nos instruit; si enim opus nostrum aliquod bonum, dexteræ manus opus, (cuiusmodi esset conuersari ad erudiendum ad compungendum mulieri) fragilitati nostræ ad exitium cederet: cessandum potius esset, abstinendum etiam omnino illo ab opere; *abscinde eam & proijce abs te*. A fortiori, si manus sinistra fiat nobis scandalo, hoc est, si opus nostrum fuerit temporali aliqua ex causa susceptum; putà si infirmam inuisamus, ob amicitiam aliquam, vel cognationem, abscindendum est. Tanta, cum de mulieribus concupiscendis timetur, exigitur circumspectio. Post hanc subiectæ materiæ indiuiduam *oculi ac manus* interpretationem; alia quæ posset afferri ex glossa, vt oculi sint Doctores &c. infra capit. 18. expendetur. Quoniam verò non semel in hoc capite de *gehenna*, sciendum est, nominis huius originem esse ab *Hinnom* viro quodam qui in quadam valle prædium habuit: & sic *Gehinnom*, idest vallis *Hinnom*. Erat autem ille locus, vbi idolo Moloch incendebantur pueri viui. Quem locum Rex Iehosias contaminauit proijciendo illuc cadauera fœtida, & alias quascumque immunditias. Hinc gehenna pro inferno. Ita ex dictionario hebraico v. *Gaiar*. Quamuis ex alijs ly *ge* ad græcam trahatur linguam, vt significet *terram*.

VERS. XXXI. *Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij*.

VERS. XXXII. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, &c.

In Deuteronomij capit. 24. abundè, quamquam summariè, an posset honestari repudium vxoris à peccato, dictum est; & in ancipiti tandem quæstio remansit. Nunc illucente Euangelij fulgore, dirimi definitiuè videtur: sic nimirum vt quondam à peccato excusarentur coniuges libello separati, si rursum cum alio & alia contraherent. Et si fieret, vt quamuis duritia cordis, (verba sunt X Diui Thomæ) non excusaret à peccato; tamen permissio ex duritia facta excusaret: quædam enim prohibentur sanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter; nec tamen infirmi peccant, permissione sibi facta vtentes. Sic ibi ad 5. Chrysostomus dicit, quòd à peccato ablata fuit culpa; & quidem dispensatione diuina; quæ in ijs etiam, quæ contra legem naturæ sunt, diuinitus dari potest; vt in eodem docet articulo. Assumptum duabus ex causis roboratur: prima, quoniam non prudenter fuisset indultum, vt pro delicto vno vitando, vxoricidio nimirum, tot alijs concupiscentiæ peccatis, vtrique coniugi via pateret: quę certa fuissent ijs nubentibus iterum, si indissolutum erat adhuc præhabitum matrimonium. Soluebatur ergo vinculum permissu Domini. Ratio autem permissionis huiusmodi fuit; quia matrimonium erat dumtaxat in A officium naturæ, non autem erat Sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta: quandoquidem inseparabilitas B matrimonij præcipue causatur, in quantum est Sacramentum coniunctionis indissolubilis Christi & Ecclesiæ, vel Verbi & humanæ naturæ in persona Christi. Et ecce hinc secunda ratio, quare videatur fuisse olim solubile matrimonij vinculum; quia scilicet, nunc primò indicit Dominus de mœchia seu adulterio; *facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat*. Antea ergo ex dimissione per libellum repudij, etiam si nupsisset dimissa, non mœchabatur. Etsi enim, vt ait Tridentinum Sessione 24. *Matrimonij perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis Parens diuini Spiritus instinctu pronunciauerit, cum dixit; hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: huiusmodi nexus firmitatem tunc Dominus confirmauit, cum dixit; (Matthæi 19.) *quos Deus coniunxit, homo non separet*. Antea certè non fuit Sacramentum, vt dictum est, Genesis 2. num. 46. sed in officium naturæ. Ideo tunc permitti potuit repudium, non autem modò. Vnde inseparabilitas matrimonij prout est Sacramentum, est de prima intentione ipsius. Et ideo, C ex quo institutum est, vt sit Ecclesiæ Sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere; nisi fortè secundo modo dispensationis: per Deum scilicet, & ad singularem aliquam personam; sicut 28.

X 4.sent. 33.q.2. a. 2. q.2. ad 4.

A p. 3. 102. 5. 3. & 4.Han. 33.a.3.ad 2.

B Rom. 7. l.1.

C 4.sent. 33. q.2.a. 3.q. 1. ad 3.& corp.

sicut Abrahæ facta fuit dispensatio de occisione filij innocentis. Ad hæc Canone 5. allegatæ Sess. 24. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonij vinculum; anathema sit.* Quamuis autem Sacramenti huius, quod ait Apostolus Ephesior. 5. *magni quidem in Christo & in Ecclesia:* 2. Ioannis 3. *qui sponsus est habet sponsam;* 2. Corinth. 11. *despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo:* quamuis inquam
D Apoc. 19. nuptiarum huiusmodi solemnitas D celebrata fuerit in Resurrectione; futuraque sit traductio in thalamum vniuersaliter in extrema consummatione: (Apoc. 19. *nuptiæ Agni venerunt*) attamen sponsalia fuere contracta in Incarnatione. Et præterea connubium
E Matth. 25. Diuinitatis ad carnem E celebratum est in vtero Virginis; iuxta illud psalm. 18. *& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Quibus de causis futura prospiciens, transacta animaduertens, non vltra dissolui permittendum vinculum docet, dicens; *qui dimissam duxerit, adulterat.*

29\. At hic non contemnendum primo aspectu, posset insurgere Dubium, in hanc obiectionem. Firmat Dominus incurri mœchiæ reatum, quoties dimissam quis duxerit; aut si ipsa nubat: at excipitur eodem in textu, causa fornicationis: igitur in fornicatione fas fuerit dissolui vinculum. *Exceptio* quippe *firmat Regulam in contrarium: qui dimiserit,* inquit, *vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari:* Absit. Ecclesia in eadem Sessione Can. 7. id apertissimè damnat, sanciens, nec propter adulterium vinculum solui, atque mœchiæ culpam esse, si altero viuente alter, etiam innocens, cum nouo contrahat. Quæ nedum simpliciter decernit; sed, vt ait, iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam. Quæ pariter, si litera penitus introspiciatur, manifesta fit. Dominus enim videtur quidem mœchiam duntaxat edicere, in alijs dimittendæ vxoris causis *excepta fornicatione;* sed non ita est. Eximit Dominus in causa fornicationis, eum qui dimiserit vxorem, ab hoc quod est habere culpam, si vxor postea mœchetur; non enim marito imputatur, quasi faciat eam mœchari, quando ipsa prius marito infidelis ius amisit & cohabitandi, & consequenter debitum petendi. Itaque semper noua in lege, mœchatur dimissa mulier, si cum alio coeat viro; at non semper maritus eam facit mœchari, cum in culpa ipse non sit, sed mulier ipsa iure petendi debitum, ob scelus priuata. Cùm ex alijs capitibus contingat dimitti, quod vetat Dominus, nedum illa mœchatur, sed maritus verè eam facit mœchari: hoc est; culpatur coram Deo, de vxoris mœchia. Subtilis sed quæ faciat satis, interpretatio. In veteri lege ob fœditatem vxoris datum est dimitti, puta ob epilepsiam, ob lepram, ob frequentem maniam, ob perpetuum aliquem morbum, ob sterilitatem: transeundo ad mores; ob inobedientiam, ob pertinaciam, ob dicacitatem, ob iurgia perpetua, ob furta; denique ob probabilem suspicionem veneficij, vel grauioris alicuius criminis, aut ob quamcumque similem causam, quæ vxorem exosam redderet; vt apud Tirinum Deuteronomij 24. Non sic noua in lege. Dum autem Dominus mœchiam damnat in occasione dimittendi vxorem; & aliàs ex causa fornicationis dat dimitti; sine dubio, dimittendam intelligit, toro & cohabitatione duntaxat; si enim dimissio esset solutio, iam mœchia non incurreretur, sed licitè nuberet. De qua dimissione seu diuortio vi-
F 4. sent. d. 35. deatur F ex instituto in Sententijs. Redibit etiam Deo dante infra c. 19. sermo. Claudat Canon Apostolicus numero quadragesimus octauus. *Si quis laicus vxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione priuetur:* argumento certè vinculi indissoluti.

VERS. XXXIII. *Dictum est antiquis, non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua.*

Leuitici 19. habetur; *non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Exodi 20. præiussum fuerat, *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* Periurus est, qui non obseruat iuramentum. Vanum ex D. Thoma G tripliciter dicitur, falsum, inutile, & iniustum. Glossa (in Catena) exponit ly *reddes Domino iuramenta tua; idest; si iurare contingat, per Creatorem iurabis, non per creaturam.* Aliter autem H reddit quis Domino iuramenta, ex eo quòd implet illud quod iurat. Vel quia in hoc ipso quòd inuocat Deum testem, recognoscit eum habere omnium cognitionem, & infallibilem veritatem. *Reddes* etiam, quia inducit obligationem I de ijs quæ sunt fienda à nobis vt veritas impleatur, si tamen alij duo comites adsint, scilicet iudicium & iustitia. 30.

G opusc. 4. §. 12.

H 2. 2. 89. 1. 2.

I art. 7. & 9.

VERS. XXXIV. *Ego autem dico vobis; non iurare omnino, &c.*

Diuus Iacobus c. 5. id ipsum repetit: *Ante omnia, fratres mei, nolite iurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum.* Hieronymus, perpendens fortè iurasse Apostolum aliquando suis in Epistolis; illudque Ieremiæ 4. *& iurabis; viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia,* considerat L quòd Saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed *per cœlum & terram;* hanc enim per elementa iurandi pessimam consuetudinem habere Iudæi noscuntur. Non probat ibi Angelicus; quia Iacobus ait; *neque aliud quodcumque iuramentum.* Nihilominus idem Hieronymus in Catena, ferens illud Deuteronomij 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis,* inquit, *hoc fuisse quasi paruulis lege concessum: vt quomodo victimas immolabant Deo, ne eas Idolis immolarent; sic & iurare permitterentur in Deum, non quod rectè hoc facerent, sed quòd melius esset Deo hoc exhibere, quàm Dæmonijs.* Illud recole Exodi 23. *per nomen externorum Deorum non iurabitis:* nam vt docet D. Th. 2. 6. cultus latriæ adhibetur ei, cuius testimonium iurando inuocatur. Et sic in ps. 62. *laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Certè, vt ipse assumit, qui iurat, aut veneratur aut diligit eum, per quem iurat. Igitur ly *omnino* Interpretes aliquantulum torsit. Vnde idem Hieronymus; *Christus omnino* M *iurare prohibet, ne quis quasi bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi labatur in periurium.* Secundùm Augustinum Gregorium & Origenem, non penitùs iurare prohibuit, sed occasione periurij, quod perfectius est, docuit. Fert etiam Alexandrum (puto Alensem Magistrum suum, Sanctique Bonauenturæ) sensisse, hoc fuisse præceptum Apostolis in primitiua Ecclesia; ne imperfecti haberentur. Aperit alibi vnde isthæc prohibitio; N quia Scribæ & Pharisæi circa periurium habebant falsum intellectum, credentes periurium quidem esse peccatum, iuramentum autem per se esse appetendum & frequentandum, quia videtur ad Dei reuerentiam pertinere. Igitur ibi & alijs in locis, O vbi necessitas cogit, (cum Augustino damnans facilitatem & consuetudinem, siue affectationem) probat licitum esse. Homo de facili in verbo delinquit; Iacobi 3. *si quis in verbo non offendit, perfectus est vir: linguam nullus hominum domare potest;* Ecclesiastici 23. *iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Claret autem Dominum id prohibere, non in controuersijs, qua- 31.

L 2. 2. 89. 2. 1. & 2. 6. ad 5.

M apud D. Tho. hic.

N p. 2. 108. 3. 1.

O 3. sent. 34. 1. 2. 2. ad 1. & 2. 2. 89. 2. & 5. hic quoque.

rum finis Hebr. 6. *ad confirmationem est iuramentum*, nec vbi & quando oportet; sed in priuatis collocutionibus, vicissim addendo ad ly *est*, *est*: *non*, *non*. Vnde subdit; *sit autem sermo vester*, Vbi mutuò colloquimur, ne omnino iuremus: *non iurare omnino*. Omninò est enim nobis faciendum studium, vt à iuramento abstineamus. Etsi enim quandoque ad fidem astruendam malum non sit, attamen *à malo est* abundare sermonem; quo affirmandum est vel negandum in conuictu & societate humana, pro veritate. Augustinus; *iuratio falsa, perniciosa; vera, periculosa; nulla, secura*. Fertur inter canones editos Antiochiæ in Synodo Apostolorum sub Diuo Petro, *de abstinendo à iuramento*.

VERS. eodem. *Neque per Cœlum*, &c.

32. Per creaturam aliquando P licitè iuratur, non in quantum talis, nec secundùm se, sed in quantum in ea diuina veritas manifestatur, seu in quantum in ea relucet aliquod indicium diuinæ potestatis. Per Cœlum superiores creaturæ; Q per terram inferiores possunt intelligi. Augustinus: iurare per creaturas, est Creatorem earum, testem adhibere. Prohibet Dominus R iurare per creaturas, ita quòd eis exhibeatur reuerentia diuina. Vnde Hieronymus tradit, quòd *Iudæi per Angelos & cætera huiusmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore*. Hoc pacto ergo impium est iuramentum, nedum illicitum; sicuti illicitum est iurare per creaturam, ipsam ceu vilem contemnendo. Quod notat Angelicus S. Et fortè Dominus ad hoc respexit, extollens Cœlum, *quia thronus Dei est*; & terram, *quia scabellum est pedum eius*. Fortè etiam formam iuramenti, quod vsurparent innuit, quatenus per creaturam, relatu ad Creatorem iurabant: & sic Deum, qui in ipsa relucet & præsidet, inuocabant testem: quo pacto ibidem docet opportunè sine peccato iurari. *Neque per Ierosolymam*. Consuetudo erat Iudæis, iurare per Ierosolymam & Templum & huiusmodi: T & sic omnis creatura comprehenditur artificialis. Subdit autem; *quia Ciuitas est magni Regis*. De se ipso loquitur ex Augustino de Serm. Domini in monte. Quoniam certè, *Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos*, Psalm. 14. *Per me Reges regnant*, Prouerb. 8. *Rex Regum & Dominus dominantium*, Apoc. 19. Per quicquid ergo iuretur, per Deum iuratur. Et sic ex Domino Matth. 23. v. 16.

P 2.2.89. 6. & Heb. 6. l. 4.
Q Iacobi 5. & hic.
R 2.2.89. 6.1.
S Iacobi 5.
T D.Th. hic.

VERS. XXXVI. *Neque per caput tuum iuraueris*.

Per hoc intelligitur V omnis creatura, quæ est idem quod nos. Augustinus; *cum quis per salutem suam iurat, salutem suam Deo obligat; cum per filios suos, oppignerat Deo, vt hoc eueniat in caput eorum, quod exit de ore eius*. Hoc iuramentum X dicitur execratorium, quo inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinum iudicium exerceatur. Et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit. Vnde quod iurauit Ioseph Genes. 42. *per salutem Pharaonis*, intelligi potest per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligauerit Deo. Quamquam possit etiam accipi per modum contestationis, quasi contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem Principes terræ constituuntur. De quo ibi. Sequitur: *quia non potes vnum capillum, album facere aut nigrum*. Qui sic execratoriè iurat, ceu Dominus sui esset, oppignerat, vt dictum est, ostensioni diuini iudicij se ipsum. At *quid habes*, ait Apostolus 1. Cor. 4. *quod non accepisti?* Nunquid in potestate nostra sunt, quæ à Deo accepimus? Quid quasi nostri iuris essent, ea exponimus? Vt igitur funditus execrationes extirpet huiusmodi, hominem nec minimum quid in seipso posse conuincit; quando, nec in capillo fas est operari accidentariâ coloris mutatione. Nec enim potest homo disponere, (quod assumit A Sanctus Doctor) quantum ad ea, quæ non subiacent libero ipsius arbitrio.

V D.Th. hic.
X 2.2.89. 6.
A 2.2.64. 5.3.

VERS. XXXVII. *Sit autem sermo vester; est, est; non, non:*

33. Geminatur verbum *est*; & negatio similiter; vt esse verbo prolatum, rei existentiam adnectat, & sic negatio iungat non esse rei quæ negatur. Ita ex Rabano hic & D. Thoma. Veritas quippe dictorum circumscripta sic est; nam dicitur conformitas rei ad intellectum, cuius est sermo. Ex eo item quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa. *Quod autem abundantius est, à malo est*. Augustinus in lib. de Serm. Domini in Monte. *Si iurare cogeris, scias de necessitate venire B infirmitatis eorum, quibus aliquid suades: quæ vtique infirmitas malum est. Tu autem non malum facis, qui benè vteris iuratione, vt alteri persuadeas, quod vtiliter persuades: sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris. Quod amplius est*, C scilicet quàm simplex verbum, *à malo est*: non quidem *à malo* culpæ eius qui exigit iuramentum, nisi existimet falsum iurandum; sed *à malo* pœnæ, scilicet ignorantia; qua nescimus, an sit verum, quod dicitur nobis. Sic etiam Magister in 3. dist. 39. subdens ad hæc. *Dominus ergo prohibuit malum, suasit bonum, inclusit necessarium. Prohibuit malum*, quale est sistendo in creatura iurare, quasi idololatriæ scelere eam irrefragabile in testimonium adducendo; vel putando cum Iudæis, vt notat Augustinus, non teneri iuramento per creaturas iurando. *Suasit bonum*, cuiusmodi est abstinere omnino, ob frequentiæ periculum, & ex frequentia lapsus. Denique *inclusit necessarium*, non quidem decernens malum esse, sed tantum *à malo*. Quando, quibusque in causis, vt etiam Christiana fert praxis assumi iuramentum queat licitè? vide D apud Sanctum Doctorem. Recolamus psal. 62. *laudabuntur omnes, qui iurant in eo*. Veruntamen si includatur in prohibitione iuramenti, etiam vsurpatio eorum priuatim contingens mutuis colloquijs, vt indicatur in duplicato illo *est est, non non*, exponi potest ly *à malo est* in hoc sensu accipi. Iuramenta si non sint mala, saltem à malo sunt; vt minimum enim, eis quis vtitur, quia veridicus non habetur à socio; malum est autem si vel suspicetur socius te esse mendacem. Augustinus in Serm. de periurijs. *Cum persona priuata exigit iuramentum*, E *humana est tentatio; quia scilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat, alium esse verum dicturum. Et hoc est illud malum de quo Dominus* Matthæi 5. Quamuis autem ibi dicat Augustinus, *nisi sciat, qui exigit, iuraturum falsò, non peccare*; intelligendum est mortaliter; nam venialiter præsumitur peccare, non rectè omnino sentiens de proximo, nec ei fidens. Claudat Ecclesiastici sententia cap. 23. *Vir multùm iurans replebitur iniquitate, & non discedet à Domo illius plaga. Et si frustrauerit*; (idest F deceperit fratrem) *delictum illius suprà ipsum erit; & si dissimulauerit*, (quasi per dissimulationem iurando falsum) *delinquit dupliciter*: quia scilicet simulata æquitas est duplex iniquitas: *& si in vacuum iurauerit*, (idest sine debita causa & necessitate) *non iustificabitur: replebitur enim retributione domus illius*.

B 2.2.89. 2.2.
C Rom. 1. lect. 5.
D hic & Hebr. 6. l. 4.
E 2.2.98. a.4.
F 2.2.89. 5.3.

VERS. XXXVIII. *Audistis, qui dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente*.

VERS. XXXIX. *Ego autem dico vobis; non resistere malo*, &c.

34. Errabant Scribæ & Pharisæi, credentes quædam, quæ lex vetus instituerat facienda propter iustitiam, esse exequenda ex appetitu G vindictæ, propter præceptum datum (Exodi 21. & alibi) de pœna talionis:

G p. 2. 108.5.2.

nis : quod quidem fuit datum, vt iuftitia feruaretur, non vt homo vindictam quæreret. Et ideo Dominus ad hoc remouendum, docet animum hominis fic debere effe præparatum, vt fi necefse fit, etjam paratus fit plura fuftinere, Auguftinus; *ad reprimendas flammas odiorum & immoderatos animos refrænandos, lex iuftum modum figens, pœnam talionis inftituit; ne id quod ardebat, vltra extenderetur. Quis enim facilè contentus eft, tantum rependere vindictæ, quantum accepit iniuriæ? Nonne videmus leniter læfos homines moliri cædem, fitire fanguinem, nec inuenire in malis inimici, vnde fatientur?* De hjufmodi vltione Iudicij præfcripta, dixi Exodi 21. v. 24. Dum autem fubijcit Dominus, *ego autem dico vobis, non refiftere malo*, fi intelligat quis *refiftere*, vindictæ libidine, vim habet præcepti vox Domini. Quomodo fit licita vindicatio, vide H alibi. Immo nedum licitum eft fed neceffarium, cum non noftras fed aliorum iniurias audimus, fortiufque publicas, Hinc Ambrofius I *fortitudo, quæ vel per bella tuetur à Barbaris Patriam, vel Domi defendit infirmos, vel à latronibus focios, plena eft iuftitia*, Porrò de noftris loquendo, *non refiftere malo*, condonando propriam iniuriam, perfectionis eft, poftquam nobis illata fuit. Aliàs antecedenter fas eft iniurias impedire; ficut Paulus qui per milites L (Actorum 28.) impediuit iniurias Iudæorum. Et fic quoque fas eft læfiones & iniurias, quæ nobis imminent, vitare, Animaduerto, ex vi radicis hebraicæ, quæ eft *ngamad* quæ capitur pro *firmari* & *ftabiliri* fieri fenfum, debere lædendos declinare, quia fi refiftere potius velimus, acuitur ira, & antiperiftefi, & reciproco renifu grauiùs peccatur. Sic plana eft litera. Sic Apoftolus Cor. 2. plaudit *fuftinetis, fi quis in faciem vos cædit*: & Rom. 12. dixerat, *non vofmetipfos defendentes, fed date locum iræ*. Verùm patienter ifthæc tolerare, quemadmodum & iniurias, etfi non femper oporteat actu, femper tamen neceffe eft in animi præparatione, vt in fequentibus declarare pergam. Euincit autem laudabiliter fieri, Auguftini praxis, quæ ad verfum fequentem iftiufmodi eft. *Hæc ad mifericordiam pertinere ij maximè fentiunt, qui eis, quos multùm diligunt, feruiunt, vel pueris vel phreneticis, à quibus multa fæpe patiuntur; & fi eorum falus illud exigat, præbent fe etiam, vt plura patiantur.*

H 2. 2. 108. a. 1. & 2.

I 2. 2. 188. 3. 2. & hic

L D. Th. hic & Rom. 12. l. 4. poft medium.

VERS. eodem XXXIX. *Sed fi quis te percufferit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.*

35. *Triplex malum* (quod notat Auguftinus) *poteft nobis inferri, cruciatu corporum, damno rerum, & angarijs operum*. Patientia vult his omnibus occurri, vtq; ait Rabanus, *non tantùm non repercutias, fed fi vult alteram ferire, patienter ferat*. Ambrofius: *quid tam mirum, quàm percutienti maxillam præbere? nonne omnis impetus indignantis frangitur, ira fedatur; & per patientiam, ille qui iniuriatur, ad pœnitentiam reuocatur?* Michæas idcirco 3. Regum 22. maxillæ percuffionem patienter tulit. Simpliciter quippe non eft in præcepto, corpus iterum ad afflictionem offerre, quamuis fit confilium: at fecundum quod intelligit Diuus Thomas, M fi opus fuerit, & expediens ad falutem aliorum, & neceflitas hoc requirat, præcipitur ijs qui perfectionis ftatum affumunt; cujufmodi funt Religiofi, & Epifcopi, actu quidem, fi ad aliorum falutem expediat; & animi continua præparatione, vt alibi N docet. De Epifcopis, nulli dubium: fed & de Religiofis confilia vouentibus, videtur etiam, ex p. 2, Vbi nimirum confiderat, non femper actu expedire; quia Dominus cum Ioan. 18. fufcepit alapam, non aliam præbuit maxillam; nec Paulus Actorum 23, percuffus maxillam obtulit; fed dixit; *percutiet te Deus paries dealbate*. Et fic legitur de Beato Thoma Apoftolo, quòd imprecatus fuit illi, qui manu alapam ei dederat, vt manus ejus in conuiuio à canibus deportaretur; non zelo vindictæ, fed ad manifeftationem diuinæ iuftitiæ & virtutis, vt in ea q. de Virtutibus ait D. Thomas: rationabili certè expofitione. Et palam etiam in Quodlibeto O; non femper inquit, eft peccatum mortale, quando homo hoc non facit: (& fi faciat, eft ex fuperabundantia charitatis.) fed quando videt neceffitatem imminere, fi non faciat, tunc peccat mortaliter. Quinimmo nullum omnino peccatum effe prudenter hæc omittere ex eo colligo, quòd *non omnibus omnia expediunt*; Ecclef. 37. quandoque enim plus prodeft increpatio arguendo & comminatio: neq; charitatis actus fruftra præcipitur, Cæterùm impletionis euangelicæ exemplum extant Apoftoli, miffi (Matthæi 10.) *ficut oues in medio luporum*: in medio enim perfecutorum commorantes falutem eorum procurabant; aiebatque eorum nomine Paulus 1. Corinth. 4. *maledicimur, & benedicimus; perfecutionem patimur, & fuftinemus; blafphemamur, & obfecramus*. Quod quidem, fententiæ Domini fenfum tenendo, percuffa dextera maxilla, erat præbere alteram. Et fic de Domino dictum eft Threnorum 3, *dabit percutienti fe maxillam*. Paratus enim erat fimile P & etiam amplius fuftinere. Ad cuius abfolutam refolutionem, audiendus tandem Angelicus ad Romanos in hæc verba. Q Oftendit Dominus dicens *quid me cædis?* præparationem alterius maxillæ in corde effe faciendam: paratus enim fuit Dominus, non folùm in altera cædi pro falute hominis, fed in toto corpore crucifigi. Tunc enim hoc mandatum rectè fit, cum ei creditur profecturum effe, propter quem fit, ad adaptandam in eo correctionem, atque concordiam, etiamfi alius exitus confequatur. Loquitur ore Auguftini, ad Marcellinum, & in lib. de Mendacio, vbi quoque ait, intelligendum effe, vt homo cor paratum habeat non folùm ad alias alapas accipiendas, fed etiam quælibet tormenta, pro veritate, patienda cum eorum dilectione, à quibus ea pateretur. Rideamus Anabaptiftas; non enim hifce Domini præceptis vetamur iniuriam, cum moderamine inculpatæ tutelæ, declinare, vim vi repellere, aut illatam iniuriam magiftratui vindicandam committere. Nam hæc funt iuris Gentium & naturæ: alioquin impiorum malitia nimis exacueretur: vt nouiffimè expendit hic Iacobus Tirinus. Neque enim quod aliàs dicit Chryfoftomus, præcepit nobis, vt mutuò fcilicet oculos eruamus.

M 2. 2. 72. 3. & q. 188. 3. 1. & quodl. 4. a. 20.

N opufc. 18. c. 16. & 18. & 1. 2. q. 108. 4. de Virtutib. q. 2. a. 8. ad 14.

O quodl. 6. a. 12. ad 3. & 2. 2. 186. a. 2.

P Ioan. 18. l. 4.

Q Rom. 12. l. 3.

VERS. XL. *Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

Scribæ & Pharifæi æftimabant motum cupiditatis 36.
effe licitum, propter præcepta iudicialia, R in quibus mandabatur reftitutio rei ablatę fieri, (Exod. 22.) cum aliqua additione. Et hoc quidem lex mandauit propter iuftitiam obferuandam, non vt daret cupiditati locum. Et ideo Dominus docet, vt ex cupiditate, noftra non repetamus, fed fimus parati, fi neceffe fuerit, etiam ampliora dare. Verùm non hoc duntaxat auaritiæ & cupiditatis causâ inhibet Dominus; fic enim in iudicium adducere S omnibus prohibitum eft, ficuti quando fiat cum contentione & pacis detrimento; fed etiam ob præuifum proximi à quo noftra repetimus fcandalum. Propter fcandalum enim & turbationem T debet homo etiam iuri fuo cedere. Quod quidem intelligitur, fi fcandalum oriturum fit V propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod eft pufillorum fcandalum; tunc enim totaliter dimittenda funt noftra, vel aliter fedandum eft fcandalum, fcilicet per aliquam admonitionem. Non vero fi fit fcandalum ex malitia; quod dicitur Pharifæorum. Hoc quippe exifti-

R p. 2. 108. 3. 2.

S 1. Cor. 6. l. 2.

T p 2. 96. art. 4. 1. Cor. 6. l. 2.

V 2. 2. 43. a. 8.

mo

mo in præcepto esse indiscretè omnibus cum de scandalo pusillorum timetur, quoniam Leuitici 19. dicitur, *nec coram cæco pones offendiculum*; & Ecclesiastici 17. *mandauit illis vnicuique de proximo suo*. Et quod de non repetendis in casu huiusmodi rebus suis docemur, de nostris etiam rebus, cum ab aliquo repetuntur dimittendis, prout fert litera, intellige. In idem enim recidit: vnde paraphrasi quadam, verbum Domini Lucæ 6. allegatur X dicendo; *quæ tua sunt ne repetas*. Cæterum quemadmodum iniurias læsionesque remittere, non resistendo malis, vt supra omnibus consilium est; existentibus in statu perfectionis, vt Episcopis, cum expedit subditorum saluti, præceptum; ita viris eiusmodi, ne quid charitati contrarium accidat in præcepto est, propria dimittere: quod communiter hominibus in consilio est: homo enim laudabiliter donat sua, vt ait D. Thomas loco citato. Communiter tamen omnibus in præcepto est, habere paratum animum ad temporalia damna patienda, potiùs quàm charitatem, vel veritatem relinquant, seu aliquid agant contra charitatem fraternam, vt loquitur A Diuus Thomas. Sanè vnusquisque salutem suam plusquàm vitam debet diligere: sed non vnusquisque saluti aliorum cum graui rerum suarum detrimento tenetur consulere, nisi pusilli sint, qui fortè scandalizentur, vt dictum est. Illi autem qui, exempli gratia in Episcopatu, animarum se curæ obstrinxerunt, fraudem tenentur pati, si expediat proximorum saluti: *animam* enim etiam (hoc est vitam) tenentur *pro ouibus ponere*; Ioannis 10. Vnde Gregorius relatus præ alijs locis in opusculo; B *primùm nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus impendere*; *postremò si necesse sit, etiam mortem nostram pro eis debemus ministrare*. Esto paradigmate doctrina exposita. Possidet quis bona fide quæ sua non sunt. Legitimus Dominus potest illa in iudicio repetere postquam præmisit admonitionem, ne fortè possessor bonæ fidei in blasphemiam aut odium erumperet. Si manifestata pro veritate, repetendi causa, fiat ille peruicax; ex charitate sua repetere legitimo Domino licitum est, vt loquitur D. Thomas C ibi ad Corinthios. Neque enim peccat in iudicio sua repetendo D vt alibi; quamuis perfectis in gradu charitatis, (quamquam sint laici) interdum derogare hoc possit. Ex quo Glossa relata ibi, ait; *perfectis licet sua repetere simpliciter, idest sine causa, sine iudicio, sine lite; sed non conuenit eis inde, monere causam ante Iudicem*. Si autem legitimus Dominus statum perfectionis putà Episcopus profiteatur, quia *in statu Episcopali*, vt ait Chrysostomus in Dialogo suo, E *erga animam ars tota versatur*; si præuideat timeatque possessorem illum bonæ fidei, admonitum, ad resipiscentiam non transiturum, immo potius, cum salutis periculo restiturum, tenetur ex præcepto Episcopus nedum tunicam, sed & pallium, ei dimittere, plura nempe relinquere ne ouem perdat. Et hoc est quod ait ex Augustino F *si expediat*. Quòd si possessor sit malæ fidei, proinde culpabiliter, quæ sua non sunt, retineat; expedit, nisi maiora præuideat Episcopus inde mala, quod suum est repetere. Iuxta quod ait Gregorius in Moralibus relatus G passim. *Quidam, dum res temporales rapiunt, solummodo sunt tolerandi; quidam verò seruata charitate prohibendi; non sola cura, ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant*. Qua puritatis intentione, vnicuique simpliciter, nedum licet, me iudice, sed incumbit. Hanc Christi Domini sententiam fixam cordi habebat Apostolus, nedum illicitas damnans fraudulentasque ad iudicia prouocationes, sed à licitis monens abstinere, eo quòd non expediant, perfectis præcipuè; etsi ex Glossa H infirmis hoc permittatur. *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* 2. Timot. 2. *seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes*. Conseruatio tamen bonorū pauperum & Ecclesiæ, & sic eorundem bonorum repetitio, quemadmodū & communium cuiuscumque Reipublicæ, ex necessitate incumbit, I quibus sunt commissa; non secùs ac de Depositis lex est. Et hoc facientes, nedum non peccant, L sed merentur. Alios expendit casus, in quibus præsertim, spirituale imminet damnum M; in quibus fas est in iudicio conuenire.

X 2. 2. 188. 7. 1. — A Opusc. 19. 15. & 1. Corint. 6. 2. — B Opusc. 18. 16. — C 1. Cor. 6. l. 2. — D Opusc. 19. 15. — E Opusc. 18. 18. — F 2. 2. 43. 8. 4. — G Opusc. 19. 15. 1. Cor. 6. l. 2. & 2. 2. 43. 8. — H 1. Cor. 6. l. 2. — I 2. 2. 43. 8. — L 1. Cor. 6. l. 2. — M Opusc. 19. 15.

VERS. XLI. *Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.*

Angaria est exigentia N indebiti seruitij vel operis in propria persona. *Quicumque te angariauerit*, idest seruire te coegerit corporaliter. Chrysost. in Homilia; *angariare est iniustè trahere, & sine ratio ne vexare*. Hoc ergo, vt Glossa exponit O intelligendum est, *non tam vt cum eo pedibus vadas, quia hoc nec in Christo, nec in alijs historialiter legimus esse completum, sed vt parato animo sis, ire cum oporteret*. Scilicet ad vitandum scandalum, P vt suprà vel turbationem; & nedum seruitium & solatium, sed compassionis affectu multa plura impendere.

N D. Th. hic — O Opusc. 19. 15. & hic. — P 1. 2. 96. 4. & hic.

VERS. XLII. *Qui petit à te, da ei; & volenti mutuari à te, ne auertaris.*

Lucæ 6. fertur id ipsum in hæc verba; *omni autem petenti te, tribue; & mutuum date nihil inde sperantes*. Posset prior sententia indiscriminatim ad omnia seu ex corde seu ab ore proximis elargienda referri; compatimur quippe corde, solamur verbis: sed planius retorquenda ad res temporales, quas nulla cupiditate retentos, vult nos dare petentibus: seruato tamen charitatis ordine; vt fiat id *honestè ac iustè*, vt ait Glossa; sic vt, quod inquit Augustinus, *nec tibi noceas nec alij*. *Da ei*. Datio Q designat liberalitatem dantis. Quod enim transfertur ab vno in alium per violentiam, non datur, sed aufertur. Quod transfertur, per necessitatem naturæ, sicut in successionibus hæredum, non datur sed relinquitur. Quod transfertur per debitum æquitatis, sicut in venditionibus, permutationibus, & remuneratione laborum, magis redditur, quàm detur. Subditur autem de mutuo, quoniam non omnium est, semetipsos rebus suis decenter priuare. Ac si dicas, saltem occurre volenti à te mutuari: ne auertaris. Nihil præsumit certè ex mutuo accipiendum, quando ne auertatur quis à volente mutuari, monet: si enim lucrum interueniat ex mutuo, non est timendum, se auertat mutuator, cum immò inhiet vsuris. Eccles. 35. *in omni dato, hilarem fac vultum tuum*: Roman. 12. *qui miseretur in hilaritate*. 2. Corinth. 9. *hilarem enim datorem diligit Deus*.

37.

Q Opusc. 71. c. 4.

VERS. XLIII. *Audistis quia dictum est antiquis; diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

Scribæ & Pharisæi S motum odij credebant esse licitum, propter præcepta legis data de hostium interfectione. Quod quidem lex statuit propter iustitiam implendam, non propter odia exaturanda. Vnde populus Israel mittebatur in eos tanquam iustitiæ diuinæ executor. Hoc ergo quod dicitur, *odio habebis inimicum tuum*, T in toto veteri Testamento non inuenitur; sed erat ex traditione Scribarum; quibus visum fuit, hoc esse addendum; quia Dominus præcepit filijs Israel, persequi inimicos suos. Iterum. Istud nunquam inuenitur in lege, V sed additio est ex parte Iudæorum: putabant enim hoc fortè addendum ex multis quæ in lege dicta sunt: nam Deus præcepit, vt delerent Amalecitas: & Exodi 23. dicitur; *inimicus ero inimicis tuis*. Veruntamen quoniam imprecari videtur aliquando Dauid hosti-

S 1. 2. 108. 3. 2. & prius q. 105. 2. 3. ad 4. — T de Virtutibus q. 2. a. 8. 5. & Sen. 30. q. 1. a. 1. 2. — V D. Th. hic.

hostibus suis; *confundantur, qui me persequuntur*, &c. animaduertendum est, pœnam triplicem habere posse rationem, X scilicet supplicij, pretij satisfactorij, & remedij. Primo modo, non licet eam viris sanctis optare, alioquin infringeretur in eis charitas; sed bene secundo & tertio modo. Hinc alibi ad illud ps. 6. *erubescant & conturbentur omnes inimici mei*, &c. Imprecationes A quæ in Sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter possunt intelligi: primo modo, secundum quòd Prophetæ solent in figura imprecantis, futura prædicere; vt Augustinus dicit in lib. de Serm. Domini in monte: secundò prout quædam temporalia mala quandoque à Deo in correctionem immittuntur: tertiò, quia intelliguntur petere non contra ipsos homines, sed contra Regnum peccati: vt scilicet, correctione hominum peccata destruantur: quartò conformando voluntatem suam diuinæ iustitiæ circa damnationem perseuerantium in peccato. Sanctus Beda relatus Lucæ 6. in Catena de primo modo; *Prophetæ per imprecationem, quod esset futurum, cecinerunt, non optantis voto, sed spiritu prædicentis*. Ad hæc etiam facit illud ps. 138. *perfecto odio oderam illos*, odio scilicet habendo peccatum, non personam, iuxta illud ps. 5. *odisti omnes qui operantur iniquitatem*; palam ps. 118. *iniquos odio habui*; & postea clarius; *iniquitatem odio habui & abominatus sum*, & 2. Machab. 3. *cum leges adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes malum*. Iudas etiam in Epistola, *odientes & eam quæ carnalis est maculatam tunicam*; ex aduerso ad illud ps. 24. *odio iniquo oderunt me*; vt passim intelligendum B dat Diuus Thomas. Sic Mach. 2. c. 1. *per omnia Benedictus Deus, qui tradidit impior*. Ad quæ tandem Gregorius in quadam Homilia; *iusti persecutionem commouent, sed amantes, quia si foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant*. Possumus enim illis, quos ex charitate diligimus, velle aut inferre aliquod malum temporale propter tria: primo quidem C propter eorum correctionem: secundò in quantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicuius multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ: vnde dicit Gregorius 21. Moralium; *euenire plerumque solet, vt non amissa charitate, inimici nos ruina lætificet, & rursus eius gloria, sine inuidiæ culpa, contristet, dum corruente eo, quosdam benè erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus*: (tu pensa, ne in simili complacentia sublateat odium) tertiò ad seruandum ordinem diuinæ iustitiæ, secundum illud ps. 51. *lætabitur iustus, cum viderit vindictam*. Et ps. 149. *gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in Nationibus*, &c.

X 1. Machab. c. 7.

A 2. 2. 83. a. 1. q. 25. a. 6. 3. ps. 9.

B 3. Sent. 30. 1. 1. 6. de virtutib. 2. 8. 8. Rom. 7. l. 3. ps. 24. Iude can. & Opusc. 4. § 8.

C de Virtutibus q. 2. 8. ad 10.

VERS. XLIV. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*.

39. Scribæ & Pharisæi per proximos D intelligebant tantum amicos. At quàm maximè errabant; nam Leuitici 19. habetur, *ne quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*. Et Prouerb. 24. *cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina eius ne exultet cor tuum*. Itaque in veteri etiam lege E extabat reuera tale præceptum, & tenebantur homines ad dilectionem inimicorum. Alibi tamen etiam dat ex Augustino (quasi in excusationem scribarum) F; hanc vocem, *odio habebis inimicum tuum*, posse accipi, vt permissiuam infirmo, non vt præceptiuam iusto; vel vt vitium odio haberent. Sed hoc, tu animaduerte, correctione etiam Domini eguisse, quia Dei præcepta nequimus tali permissu negligere. Illud etiam quod promptè Iob pro sententia Domini est; *si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inuenisset eum malum*: excludit enim G inimicorum odium, quod maximè manifestatur, quando aliquis gaudet de totali ruina eorum: *non enim*, subdit in asserti signum, *dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius*. Dauid etiam dilectionis huiusmodi fuit exemplum 1. Regum 24. Sauli infensissimo hosti suo parcens semel, & iterum, c. 26. cum dormientem in manu habuit. Ioseph etiam in fratres suos Genesis 42. & 45. dulcis & clemens; Moyses item & Aaron, qui pro rebelli multitudine Numeri 16. exorarunt Deum: *extinxeruntque*, vt ait Apostolus Hebræor. 11. *impetum ignis*, qui missus à Domino H deuorabat populum murmurantem.

D Opusc. 4. 8.

E 1. Machab. 7. & 3. Sent. 30. 1. a. 1. ad 2.

F de Virt. 2. 2. 8. ad 5.

G Iob. 31. b. 2.

H Hebr. 11. d. 7.

40. Iuuat hic Augustinum audire ad Marcellinum. *Obijciunt autem quidam, quòd hæc Christi doctrina Reipublicæ moribus nulla ex parte conueniat. Nam quis, inquiunt, tolli sibi ab hoste aliquid, patiatur, vel Romanæ Prouinciæ deprædatoribus, non mala velit belli iure rependere?* Sed respondet: *si terrena Respublica præcepta christiana custodiat; & ipsa bella, sine beneuolentia non gerentur, vt ad pietatis iustitiæque pactam societatem, victis facilius consulatur; nam cui licentiam iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur*. Aiebat Gregorius, aperiens, quomodo id fieri possit; *charitas vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus*. Id quod vi amicitiæ ad Deum euenire docet; nam I si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione eius diligit omnes ad illum hominem pertinentes, siue filios, siue seruos, siue qualitercumque ei attinentes. Et tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur ij qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant vel odiant. Et hoc modo amicitia charitatis se extendit ad inimicos, quos diligimus, ex charitate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia charitatis. Et in hoc ostenditur, vt ait ad Romanos, tam perfecta charitas hominis ad Deum, quòd omne humanum odium superet. Si secus fiat, claret nos vinci passionibus, quæ rationi repugnant; sed iustum est eas potiùs rationi subijci; quæ ipsis nata est principari. Dominatur quippe ex Philosopho 1. Politicorum c. 3. appetitui sensitiuo, principatu qui dicitur politicus seu regalis, ad discrimen despotici, quo imperat corpori. Hinc fortè, encomio nobili Diuus Iacobus legem hanc celebrat; dicens, c. 2. *si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas; diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Vnde & apud profanos, legimus toties Reges donasse offensas; & Tullius pro Ligario in Tuberonem, Cæsarem ex eo potissimum commendat dicens; *qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias*. Poetaque locutus de Regibus in hæc carmina;

I 2. 2. 23. a. 1. 1. & q. 25. a. 8. Rom. 12. l. 3.

Tu licèt extremos latè dominere per Indos, Claud.
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruity patiare iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris Rex esse tui.

41. Ideò crediderim, Saul clementiam miratus Dauidis, (quis scit, non diuino instinctu?) adiecerit; *quia scio quòd certissimè regnaturus sis*, 1. Reg. 24. *& habiturus in manu tua Regnum Israel*. Vbi Chrysostomus; *sed dic obsecro, vnde id scis? nimirum ex ipsis Dauidis moribus*. Qui iterum ait; *Dauid magnificentius sibi trophæum erexit, pascendo Sauli, quàm occidendo Goliath*. Hinc Ioab ignarus & dilectionis & odij secundum Deum, dixit ipsi Dauid, exprobando vt notatur, 2. 2. q. 25. 8. 2. *diligis odientes te, & odio habes diligentes te*; & quo odio? *perfecto odio* in ps. 138. *oderam illos*: non vt illi qui ps. 24. *odio iniquo oderunt me*. Quocirca Tullius repensans Cæsarei animi celsitudinem, cum Pompeij hostis sui

Sta-

Statuas deiectas erexit, & in priſtinum locum reduxit, dixit; *Statuas ſuas ſtabiliuit*. Ad ſic indulgendum hoſtibus, dixit item Beda, & fertur Lucæ 6. in Catena; *magna infamia Principis, eſſe promptum ad vindictam*: & Diuus Cyrillus. *Medici cum calce feriuntur ab inſanis, tunc maximè miſerentur eis, & accingunt ſe ad eorum remedia. Tu quoque ſimilem habeas coniecturam erga perſequentes; ipſi namque ſunt, qui præcipuè infirmantur*. Incitamentum grande calcarque præualidum ad veniam donandam hoſtibus, ſit quod 1. Regum c. 26. ab ore Dauidis legimus ad Saulem; *ſi Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium; ſi autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini dicentes; vade, ſerui Dijs alienis*. Eorum quippe punitionem relinquit Domino; qui ait Deut. 32. *mea eſt vltio*. Ex quo Apoſtolus Rom. 12. *nulli malum pro malo reddentes. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ; ſcriptum eſt enim, mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus*. Sacri Declamatores duris id in increpationem obijciant, quòd paſſim Procerum interuentu reconcilientur hoſtibus: ad quod, quaſi erubeſcant Chriſtum, neglecto Dei iuſſu, amanter monente Domino, induci nolunt. Lucæ 6. *ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt*.

VERS. eodem XLIV. *Benefacite ijs qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus, &c.*

42. Non *vinci à malo* L neceſſitatis eſt: ſcilicet non
L 2.2.25. pertrahi ad odium, ob iniuriam illatam. Et ſic à ge-
M ibi a.8. nerali dilectione proximi M inimicos non exclude-
N 3. Sent. re noſtros; vt ſcilicet N inimicis optemus gratiam
30. 1.1.1. Dei, & vitam æternam; atque orationes & benefi-
O 2.2.2. cia O in communi eis impertiendo; quinimmo de
9. cit. neceſſitate eſt charitatis, ad ſingulariter eos in præ-
P 2.2.a.8. paratione animi, charitatis actibus P proſequen-
cit & 9. & dum, per beneficia ſcilicet & ſigna dilectionis in
prius p. 2. caſu neceſſitatis, quando occurrat. Hoc eſt quod ad-
108. a. 4. ijcit Dominus; *benefacite ijs qui oderunt vos*. Be-
1. neficentia non eſt alia virtus Q à charitate, ſed no-
Q 2.2. q. minat quendam charitatis actum; differtque à be-
31. 4. uolentia; quia beneuolentia eſt actus interior, beneficentia, eſt actus exterior, ſiue beneuolentiæ executio. In articulo ergo neceſſitatis illud neceſſe eſt exe-
R 2.2. q. qui, quod dicitur Prouerb. 25. R *ſi eſurierit inimi-*
25. 9. Ro- *cus tuus, ciba illum; ſi ſitit, da illi potum*. Quod
manos 12. quidem vt recolit Apoſtolus Romanor. 12. eſt *vin-*
l. 3. *cere in bono malum*. Quòd autem præter articulum neceſſitatis, huiuſmodi beneficia *in ſpeciali*, puta dilectionis affectum, orationis ſuffragium aut qualecumque ſubuentionis beneficium, aliquis inimicis exhibeat, non neceſſitatis eſt, ſed pertinet ad perfe-
ctionem charitatis. Hoc autem pertinet ad conſi-
S 2. 2. lium S non ad præceptum, ſi quis benefaciat inimi-
108. 4. cis ſuis, quando non tenetur; conſilium enim in optione ponitur eius cui datur; ideo conuenienter, in lege noua, quæ eſt lex libertatis, ſupra præcepta ſunt addita conſilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex ſeruitutis. Et ſic conſilia ſunt, non præcepta, remittere offenſam, nec exigere vindictam, (quamuis iuſtè poſſet exigi) vniuerſaliter hominibus; ad quod magis arctantur, qui profitentur ſtatum perfectionis, nam eis etiam nedum Epiſcopis, ea de cauſa videtur eſſe in præcepto, cum inde ſalutem proximi præuident. Aliàs & ipſis, quando non concernitur ſalus animæ, ſunt in conſilio; vt ex hoc loco, & ad v. 39. videtur colligi. Sic bonus Chriſti diſcipulus Paulus ad Romanos, *benedicite perſequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere*. Et 1. Cor. 4. *maledicimur, & benedicimus*. Et Petrus 1. c. 3. *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; ſed è contrario benedicentes*: edoctus & ipſe à Domino, de quo dixerat c. 2. *qui cum malediceretur non maledicebat*. Benedicere T eſt bonum ali- T Rom. 12. l. 3.
cui velle, & quaſi, bonum pro aliquo precari. Nota autem qualiter ille qui læſit & miſericordiam petit, iam non eſt inter inimicos aut perſecutores computandus. Ex qua Diui Thomæ animaduerſione, reor, poſſe intelligi quod ait Dominus ſupra; *qui petit à te, da ei*; de remiſſione illatorum nobis malorum, & iniuriarum; cum enim petimur veniam, danda promptè eſt. Quod à fortiori Dominus ſubdit, quando præmiſerat motu proprio indulgendum dicens; *non reſiſtere malo*. Claudo cum Angelico Opuſ. 18. 14. ad præmiſſorum declarationem. De neceſſitate, inquit, præcepti eſt, vt à communitate dilectionis, inimicum non excludat, nec aliquid contrarium huius dilectionis in corde ſuo recipiat. Sed quod actu feratur mens hominis in dilectionem inimici, etiam cum non adeſt neceſſitas, pertinet ad perfectionem conſilij. In caſu enim neceſſitatis, puta ſi fame morerentur, vel in alio huiuſmodi articulo, etiam in ſpeciali, actu inimicos diligere, & eis benefacere tenemur. Extra hos caſus inimicis ſpecialem affectum & effectum impendere, ex neceſſitate præcepti non tenemur. Cum nec omnibus ſic teneamur.

VERS. XLV. *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cœlis eſt: qui Solem ſuum, &c.*

Diuus Lucas refert eandem Domini ſententiam 43.
in hæc verba; *& eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos*. Dum filios nos fieri inde aſtruit, quantùm eiuſmodi charitatis exercitatio ſit expetenda ſubinnuit; vtpote qua ad Dei ſimilitudinem peruenitur, planaque via ſternitur ad Dei filiationem. Tangit etiam quod nuper dictum eſt, de non defraudandis hoſtibus, quoad communia, id enim neceſſitatis eſt. Quò faciunt exempla Solis & pluuiæ; per quæ ſine acceptione Perſonarum, omnibus adminiſtratur. Per Solem rerum eſſe, per pluuiam earundem conſeruatio videtur tangi. *Sol* quippe *& homo generant hominem*, concurſus ſcilicet cauſarum ſuperiorum, quæ influunt in iſthæc corporalia; & elementorum ope, pluuiæ præſertim, quæ arua plantaſque fœcundat. Sic nos naturam diligere, vitæ ſubuenire proximi adhuc inimici debemus, bonos & malos, iuſtos & iniuſtos ſic excolendo; quia Deus eſt *adeò Omnipotens & bonus*, quod ait Auguſtinus in Enchiridio, *vt benefaciat etiam de malo*. Nobis ergo eſt id quoque ſperandum, vt cedat inimicitia eorum in bonum, nec diffidendum, euaſuros malos in bonos, iniuſtos in iuſtos, quando *potens eſt Deus de lapidibus ſuſcitare ſemen Abrahæ*. Et ecce quomodo ſenſim trahimur ad diligendos inimicos in vitam æternam. Ad quod hilariter exequendum allicimur æternæ hæreditatis acquiſitione; nam *ſi filij & hæredes. Filij* autem hic dicuntur in quantùm aſſimilantur Deo per operis perfectionem, vt ait Io. 1. l. 6. & in 2. 2. q. 184. 2. 3. *perfectorum filiorum Dei eſt*, ex Auguſt. in Enchiridio c. 73. *vt quis diligat extraneos & inimicos*, & ſine hoc charitas inueniri poteſt: quæ tamen de neceſſitate exigit, vt nihil in affectu ſit contrarium dilectioni proximi.

VERS. XLVI. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*

Ecce, de mercede ſubditur. Dilectio, qua tan- 44.
tùm amici diliguntur quia amici, non procedit ex
gratia; V & ideo non poteſt eſſe meritoria, nec mer- V 3. Sent. 10 q. 1. a.
cedem habere: quamuis ſi actus dilectionis, qua ami- 3. 1. & 2.
cos diligimus, ſit gratia informatus, meritorius ſit & 2. 27. 7. 8.
mercedem habeat. Adde id clarè deprehendi, quia qui diligit eos à quibus diligitur, ſi non diligat pro-

pter

pter Deum, non diligit ex charitate, quæ primò Deum habet pro obiecto; proinde nec mercedem potest æternam recipere, quæ soli charitati respondet: primæ Cor. 13. *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et quoniam post dile-
X 2.2.25. a.8.& 9. ctionem, de signis & effectibus consecutiuè X meritò agitur; ideo de salutatione, tanquam signo dilectionis subdit Dominus versu sequenti; *Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Salutatio*, ex Glossa, *est quædam species orationis*. Certè *Aue* sonat *pax tecum*. Signum ergo est dilectionis proximum salutare. Quod quidem qui omittit, vbi communiter passim ad occurrentes non consueuit fieri, nihil delinquit. Porrò si moris esset mutuò salutari obuios, quemadmodum sine dubio consuetum est, agnatos propinquos familiares & notos salutari; qui id renuit prosequi, in vindictam videtur facere, atque adeo, peccare venialiter, quia leuis videtur offensa; mortaliter autem, cum rixarum atque iurgiorum potest esse fomes, & scandali grauis occasio. Quidam enim ægerrimè ferunt non salutari aut resalutari.

VERS. XLVIII. *Estote ergo vos perfecti; sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

45. Quàm multiplex sit perfectio, Sanctus Doctor in calce capitis percurrit. Duplex veruntamen præ-
A Heb. 6. 1.1. sertim recolenda est perfectio: vna exterior A quæ consistit in actibus exterioribus, qui sunt signa interiorum, sicut Virginitas, voluntaria paupertas; & ad hanc non omnes tenentur: alia est interior, quæ consistit in dilectione Dei & proximi; Coloss. 3. *charitatem autem habete, quod est vinculum perfectionis*: Et ad perfectionem huiusmodi nec omnes tenentur; sed omnis tenentur ad eam tendere; quia si quis nollet plus diligere Deum, non faceret quod exigit charitas. Primam huiusmodi perfectionem
B 1. Ioan. 2.5.2. alibi B vocat *perfectionem supererogationis*, de qua Matthæi 19. *si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Secundam quæ est vi charitatis Dei & proximi, cum tendentia ad semper plus diligendum, ex eodem loco, dicere pos-
C 2. 2. 184.1. sumus *perfectionem sufficientiæ*. Ratio autem est, C quia vnumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est vltima rei perfectio; charitas autem est, quæ vnit nos Deo, qui est vltimus finis humanæ mentis; quia *qui manet in charitate, in Deo manet* 1. Io. 4. *& Deus in eo*. Et ideo in charitate consistit essentialiter perfectio, ad Deum
D ibi a.3. quidem D primò, deinde ad proximum per impletionem præceptorum legis, quæ ordinantur ad remouendum ea, quæ sunt charitati contraria. Recole illud Ioannis 1. c. 2. *qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est*. Excedunt autē in prima illa perfectione exteriori Religiosos Epi-
E ibi a.7. & 5. & Opusc. 18. 17. scopi, E qui sunt perfectores aliorum, ratione status assumpti. Adhuc autem perfectio multifariam accipitur. Importat quippe quandam vniuersitatem, quia vt dicitur in 3. Physicorum, *perfectum est cui nihil deest*; Perfectio ergo alia est absoluta, quæ attenditur non solùm secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam *ex parte diligibilis*, prout scilicet Deus tantum diligitur, quantum diligibilis est: & talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter & essentialiter inuenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secundùm totalitatem absolutam *ex parte diligentis*, prout scilicet affectus secundùm totum suum posse, semper actualiter tendit in Deum, & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria. Tertia autem est perfectio, quæ neque attenditur secundùm totalitatem ex parte diligibilis, neque secundùm totalitatem ex parte diligentis, quantùm ad hoc quòd semper actu feratur in Deum, sed quantùm ad hoc, quòd excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum; & talis perfectio potest in hac vita haberi; siue quatenus contrariantur charitati, vt peccatum mortale; vel quatenus impediunt, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum; quod accidit in incipientibus & proficientibus. Et sic circa dilectionem proximi multiplex est perfectio; vel quæ excludat contraria dilectioni proximi, vel quæ adhuc extensione, intensione, & effectibus dilectionis proximum prosequatur.
Hæc accipe F ex Diuo Thoma. Ait autem Augusti- F 2. 2. 184. 2. in c. & ad 3.
nus in lib. de perfectione iustitiæ; *perfectio charitatis homini in hac vita præcipitur; quia non rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Quare neque perfectio Patriæ excluditur G ab hoc præce- G 2.3. ad 3.
pto, vt dicit idem Augustinus: sed non efficitur transgressor præcepti aliquis ex hoc quòd non optimo modo implet, sed sufficit quòd quocumque modo impleat illud, quocumque modo perfectionem diuinæ dilectionis attingat. Est autem infimus dilectionis gradus, vt nihil supra eum, aut contra eum aut æqualiter ei diligatur: à quo gradu dilectionis qui deficit, nullo modo implet præceptum. Non est autem transgressor, qui ad medios perfectionis gradus non pertingit, dummodo attingat ad infimum.

Quam perfectionem præcipiat Dominus, & ad quem gradum perfectionis salutari monito vrgeat, 46.
plenè in Syntaxi elucebit. Interim certum est, pro minimo de charitate subinnui, quod est Coloss. 3. *vinculum perfectionis*; quandoquidem perfectio H H 2. 2. 184. a. 1. & 2.
vitæ Christianæ in charitate consistit. *Plenitudo*, quippe, *legis*, Rom. 13. *est dilectio*. Et prius, *nemini quidquam debeatis; nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Ecce Apostolum percensere, quæ hoc capite à Domino percurruntur. Dilectio autem proximi, vt ibi I inclu- I Rom. 13. l. 2. & alibi sæpe.
dit dilectionem Dei: Immo vt ait August. lib. 1. de doctrina Christiana; *nihil diligit charitas nisi Deum*. Hinc teste Hieronymo Comm. in Epist. ad Galatas l. 3. c. 6. *Beatus Ioannes Euangelista, cum non posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre Collectas, nisi hoc; Filioli diligite alterutrum; quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit*. Perfectionem huiusmodi ex charitate explanat alibi L attenta spiritalis vitæ ra- L Opusc. 18. c. 1.
tione, quæ sine dubio per charitatem est, quam qui non habet, nihil esse spiritualiter reputatur; 1. Corinth. 13. *si charitatem non habuero, nihil sum*: & 1. Ioan. 3. *nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Sic animal simpliciter dicitur esse perfectum, quando ad hunc finem perducitur, vt nihil ei desit, ex ijs quæ integritatem vitæ animalis constituunt. Quæ quidem perfectio, primò & principaliter M consistit in M Opusc. cit. c. 2.
dilectione Dei, secundariò verò in proximi dilectione. Hæc autem proximi nostri dilectio, satis ex textu liquet, dum subdit Dominus; *sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; *Pater* enim Ioannis 3. & 5. *diligit filium*: Sapientiæ 11. *diligis enim omnia quæ sunt*; &c. Et fortè ideo Pater recolitur, vt nos vnius Patris filios proinde fratres ad dilectionis stimulum repensemus. *Estote ergo perfecti*; nam diligere N N 2. 2. 184. 2. ad 3.
non solum amicos & nostros, sed etiam extraneos & vlterius inimicos, *est perfectorum filiorum Dei*, vt Augustinus dicit in Enchiridio. Sciedum est autem, quod perfectio Deo conuenienter attribui non potest,

aut multiplici volumus grauare malitia? reddemur cumulata solicitudine ad diuini cultus ad animæ curam sine dubio ineptiores: *sufficit diei malitia sua*; O D. Th. hic. idest o tribulatio & angustia. Vel per Augustinum de Sermone Domini in Monte; *sufficit, vnicuique diei cibi curandi necessitas: quam malitiam nominat, quia pœnalis est nobis; pertinet enim ad mortalitatem, quam peccando meruimus*. Claudo riuum cum Diuo Thoma P. P Philip. 4. l. 1. Solicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deest; & hoc est commendabile, & opponitur negligentiæ; quandoque anxietatem animi cum defectu spei, & timore de obtinendo id, circa quod solicitatur; & hanc prohibet Dominus. Et Apostolus; *nihil soliciti sitis*: quia non debet quis desperare, quin Dominus det necessaria; sed loco solicitudinis habere debemus recursum ad Deum; 1. Petri vltimo; *omnem solicitudinem proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis*. Et hoc fit orando; *sed in omni oratione &c.* Lepidè Augustinus; *proijce te in Deum; non est tam crudelis, vt se subtrahat, & te cadere permittat*. Psal. 54. *iacta cogitatum tuum in Domino*; seu potius, *iacta super Dominum curam tuam; & ipse te enutriet*. Recolo Lucæ 22. *quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis*, nunquid aliquid defuit vobis? *at illi dixerunt: nihil. Habentes autem* (1. Timoth. 6.) *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Claudit, vt tactum est, dicens; *sufficit diei malitia sua*. Ecclesiast. 11. *malitia vnius horæ, &c.* Scilicet Q experientia malorum: & Ecclesiast. 12. in *malitia viri*, idest in infortunio, vt ait Rom. 12. l. 3. *amicus agnitus est*. Q Thre. 2. lit. f.

S Y N T A X I S

Ad Caput Sextum.

1. VERS. I. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c.*

Quoniam, vt ait Philosophus, vnumquodque est propter suam operationem; postquam in præcedentibus abundè egit Dominus de hominibus per gratiam regeneratis, ac perfectione adultis, ne decidant ab ea quam intendunt perfectionis exercitatione, pergit diuino suo Sermone in hoc & sequenti capite commonere. Hypocrisim autem detegit ac vituperat, quoniam ipsa est fermentum, de quo Lucæ 12. *attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Vbi Sanctus Beda; *sicut modicum fermentum totam farinæ massam, cui inijcitur, corrumpit, vniuersamque mox conspersionem, suo sapore commaculat; sic nimirum simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum veritate ac sinceritate fraudabit*. Tacitè ad opera virtutum extimulat, & palam quod in eis prauum est, aperit. Cuius rei potest esse ratio, quam A 2. 2. 112. 2. alibi Sanctus Doctor A assumit; eo quòd in ordine generationis primò contraria & impedimenta tolluntur; sicut Agricola primò purgat agrum, & postea proijcit semina: secundum illud Ieremiæ 4. *nouate nobis nouale, & nolite serere super spinas & tribulos*. B D. Th. hic. *Attendite* ergo, B idest cauti & attenti estote; *ne iustitiam vestram*, glossa; idest *opera iustitiæ vestræ, faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. Augustinus, *non prohibet videri, vt Deus laudetur; sed videri, vt ipsi laudentur*; glossa; *eo fine*. Sunt autem tria bona opera maximè, scilicet eleemosyna, oratio, & ieiunium. Quare hæc tria colligat, subdit Angelicus: eleemosyna contra *oculorum concupiscentiam*; oratio contra *superbiam vitæ*; ieiunium contra *concupiscentiam carnis*. Considero per hæc nos Deo omnia nostra sacrare: per eleemosynam substantia, per orationem mens, per ieiunium corpus Domino obsequitur. Præterea his tribus homo satisfacit, vt docet in 4. Sent. d. 15. q. 1. &c. Propter hæc solent homines gloriam venari. Rogabit quis forsan, cur Dominus primo in loco eleemosynam tractauerit? Respondeo, C quia C 4. sent. 45. q. 2. a. 3. ex sana doctrina inter charitatis effectus (in charitate præcipuè perfectio attenditur, iuxta illud Coloss. 3. *super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*) præcipuum est eleemosynarum opus. Aliàs etiam qui regenerari intendit ad D p. 2. q. 113. 1. iustitiam, (quæ, vt docemur D, importat rectitudinem quandam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, & inferiores vires animæ subduntur supremæ, scilicet rationi) oportet vt ad gratiam iustificantem disponatur: ait autem E alibi actum misericordiæ operari circa peccatum per modum præparationis, in quantum *misericordes misericordiam consequentur*; Prouerb. 15. *per misericordiam omnia peccata purgantur*. E p. 2. q. 112. 4 1. *Eleemosyna* certè (Tobiæ 4.) *ab omni peccato & à morte liberat*. Ecclesiastici 33. *eleemosyna resistit peccatis*. Danielis 4. *peccata tua eleemosynis redime*. Præterea species quædam orationis est eleemosyna; siquidem Ecclesiastici 29. dicitur, *conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Item ieiunium sapit, iuxta illud Isaiæ 58. *nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum*. Denique opera cuncta bona, quæ quisque iustitiæ cultor facit, quibusque placet quis Deo, Ecclesiastes 9. *Deo placent opera tua*, potissimam eleemosynæ seu misericordiæ in se ipsum rationem habent, per Ecclesiasticum c. 30. *miserere animæ tuæ placens Deo*. Ecce cur primo in loco Dominus de eleemosyna loquitur.

Veruntamen etsi eleemosynarum largitio hic à Domino primo in limine memoretur, non id fit primæua ad hortandum intentione, ad quintam enim attinet beatitudinem, sed pro iactantia & inani gloria filiabus superbiæ supprimendis. Quare secundum beatitudinum ordinem sermocinans, vno complexu eleemosynæ orationis ac ieiunij fastum vituperans circumlocutione quadam repetit; *beati pauperes spiritu*; hoc est, humiles. Quamquam sola eleemosynarum erogatio, qua quis pro pauperibus ex diuite pauper fit, primam beatitudinem referat. Sic in orandi ritu; *Beati mites*: nam qui immitis est impræparatus est orationi: contra quod legimus Ecclesiast. 18. *ante orationem præpara animam tuam*. Quod quidem colligo ex Diuo Thoma, qui ait F ille qui ante orationem animam suam non præparat dimittendo, si quid aduersum aliquem habet, non facit quod in se est, vt exaudiatur à Deo. Et in Sermone G ira est contraria gratiæ, quia facit hominem indignum Dei misericordia. Palam autem fit ex Scriptura, quæ vacuam orationem asseuerat animo immiti; Ecclesiastici 28. altis sententijs. *Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* 2. F 2. 2. 97. 3. 2. G Serm. Dom. 6. post Pẽt. ex Euãg.

catur? Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo; quis exorabit pro delictis illius? Qui mitis est ac mansuetudine præditus improperia isthæc effugit. Sic etiam quod de ieiunio attexitur à Domino, tertiæ beatitudini congruit: *beati qui lu-*
H 2. 2. *gent*. Duplex est sanè ieiunium, ii exultationis
147.5. ad scilicet, & afflictionis: hoc autem dicitur ieiunium
3. & 2. 4. luctus: vnde vbi Lucas dicit (cap. 5.) *non possunt filij*
a 1 5. *sponsi ieiunare*, dicit Matthæus (capit. 9.) *numquid possunt filij sponsi lugere?*

3. Praescripto bonorum operum canone aduersus hypocritas, studet ipsos ad frugem reuocare, radicem hypocrisis siue simulationis euellendo. Et hinc mirè elucet, quænam sit contextuum ratio, cur ad auaritiam increpandam transeat, statim adijciens; *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*. Certè temporalia bona, & in his lucrum, finis est simula-
I 2. 2. q. toris. Vnde I super illud Iob 27. *quæ est spes hypo-*
111. a. 3. *critæ si auarè rapiat*, dicit glossa Gregorij, *hypocri-*
3. & a. 4. *ta, qui latinè dicitur simulator, auarus raptor est*.

Cum ergo huc videatur plerumque ferri intentio hypocritæ, vt aurum extorqueat; ex quo sensim in auaritiam replendam nunquam, labuntur homines: vt tantum auertat malum, quia *radix omnium malorum cupiditas*, vt in Cœlo potius thesaurizemus, commonet ac hortatur; *thesaurizate vobis thesauros in Cœlo*. Thesauri autem vsurpat nomen, quoniam qui auro inhiat, minimè est paucis contentus. Ecclesiastes cap. 5. *auarus non implebitur pecunia*: Poeta,

Interea pleno dum turget sacculus ære,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Hoc totum attigit Apostolus Christi verba diuinitus edoctus: ait enim 1. Thessalonicensium; *neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ; (Deus testis est) neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. Quæ duo hic Dominus arguit, & æquè, vel adulationis, vel hypocrisis.
L 2. 2. Certè vbi agit Angelicus de adulatione, L inquit;
115. 1. 1. quòd autem aliquis velit placere hominibus propter inanem gloriam, vel propter lucrum, peccatum est. Vt autem ab his vanis nos auocet, caduca expendit esse terrena; quæ verò Cœli, æterna; *vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur*. Et quia perfectionis studium præceperat in calce præcedentis capitis; *estote ergo vos perfecti*, aperit qualiter thesaurizare thesauros præpediat in via Dei profectum, rapiendo scilicet cor; & è contra qualiter ad perfectionis culmen quis possit pertingere, erecto ad Deum corde: *vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. In singulari autem despectis perituris thesauris, ad cœlestes extimulat diuitias, quia pauci admodum sunt, qui re ipsa thesaurizent in Cœlo. Ecclesiastici 31. *Beatus diues, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Qui probatus est in illo, & perfectus est*. Ieremiæ 6. *à minori quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student*.

4. Quod sequitur, *lucerna corporis tui est oculus tuus*, inducit Dominus, ne sibi de bono opere, eleemosyna, oratione, aut ieiunio, si sit inanis gloriæ, aut auaritiæ infectio, polliceantur; si enim *oculus*, hoc est, intentio, *fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Oleum perdis & operam. Addit autem, non potestis Deo seruire & Mammonæ, quia vt dicitur Prouerb. 11. *qui confidit in diuitijs suis corruet*: turpiter enim velut idololatra se gerit. Iam & Apostolus Ephes. 5. sic loquitur; *auarus, quod est idolorum seruitus*. Materialiter autem idololatra, seruiensque (latria seruitus dicitur) est auarus,

missis alijs expositionibus, ex præmissis hoc in capite; quia per ea quibus consuetum est apud homines Deum venerari & coli, eleemosyna oratione aut ieiunio dum lucrum intendit, auaritiæ obsequitur. Fertur pulcherrima Diui Augustini sen-
tentia M in qua facilè agnoscitur, quomodo auarus seruiat tanquam Deo *Mammonæ*, fiatque M ps. 30.
Idolorum seruitus. Si enim, inquit, *inuocas Deum, vt det tibi lucrum, lucrum inuocas, non Deum. Gratis ergo inuocas Deum ò auare, vt te pecunia, non te ipse Deus impleat. Numquid sine auro & argento, non vis illum ad te venire?*

Supererat ad cor depurandum effugia & scrupulos tollere. In promptu enim videbatur esse excusatio dicentium; indigemus cibo potu ac vestitu, quomodo possumus aurum negligere? *Pecuniæ obediunt omnia*, Ecclesiastes 10. & per Philosophum; *pecunijs omnia possidentur*. Dat hæc omnia Dominus; & adhuc propositum firmat; moderamen curæ statuendo cum dicit, *nolite soliciti esse: primum quærite Regnum Dei*, &c. anchoramque fluctuanti humano cordi ostendit, Deum nempe, immò Patrem nostrum, dicens, *scit enim Pater vester, quòd his omnibus indigetis*. Euincit autem intentum à volatilibus mysticè, quæ secundùm Remigium sunt Sancti viri, qui terrena despiciunt, & cœlestia petunt. Per lilia similiter designantur Sancti viri. Quocirca N inquit; *Sancti* N Isaiæ
comparantur lilijs propter stipitis altitudinem, ex 15.
quo constantia in aduersis; secundo propter odoris suauitatem, ex quo bona fama; tertiò propter humoris vigorem, ex quo virtus mentis: quartò propter connexionem, ex quo Sanctorum charitas; Cantic. 7. *venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*. Notat etiam, quòd hæc lilia Christus vestit, quantum ad virtutum initia; & hunc locum affert; *considerate lilia agri*. Ipse adhuc censeo, in volatilibus contemplatiuos, in lilijs agri actiuos posse intelligi, quibus omnibus Deus prouidet, quamuis circa res humanas nihil soliciti sint, soli Deo, animarumque lucro intenti. Et si hæc non sint satis, ecce fœno agri satis decorosè prouisurum: per quod idem Remigius accipit infideles, quibus, etiam etsi vero Deo infensis, præsto est prouidentia. *Verè fœnum est populus*, ait Isaias cap. 7. *solem* enim *suum* (capit. præcedenti) *oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos*.

Quod hisce in contextibus altam claudit intelligentiam, in eo est, quod Dominus interserit de 6.
statura: *quis autem vestrum cogitans potest ad staturam suam adijcere cubitum vnum?* cur enim ad huiusmodi deflectit instantiam? cur apponit ly *cogitans*? seu iuxta Lucam capit. 12. *cogitando*? An

alia in promptu non erant imbecillitatis humanæ exempla? puta, quis vestrum potest capiti suo adijcere capillum vnum? Cur non satis fuisset dicere, *quis vestrum potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum*? cur denique veluti interserat de cibo & de vestimento Sermonis sui filum? Expositores ad difficultates istas ceu arduas, vt video, conniuent. Igitur menti, & calamo assistat ille, qui exoratur vt det interpretandi subtilitatem. Quantum sapio, quantum capio, mi lector accipe. Nouerat Dominus in rebus visibilibus substrui spirituales vbique sensus: nouerat vbi de cibo agitur ad spiritalem animi mensam assurgere posse & debere fideles: quemadmodum de Martha ait Augustinus, *incepit carne pascendum spiritu pascenda*: nouerat à vestimento corporis terreno, transiri passim ad animi habitus & ornamenta: his enim gratuitis expoliatus fuit homo Lucæ 10. *despoliauerunt eum*; Matthæi 22. *non habens*

Bent vestem nuptialem. Ne ergo hoc in ordine, sua quenquam lateret indigentia, ne quis in ordine gratiæ quidquam præsumeret, inquit: *quis vestrum cogitans potest ad staturam suam adijcere cubitum vnum?* ac si diceret, quisnam suis viribus potest minimum gratiæ, minimum meriti consequi, quo thesaurizare incipiat in Cœlo? Et ecce cur addit ly *cogitans*; tangens quod prompsit Apostolus 2. Corinth. 3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*. Nullum anterius principium (senten-

O 1.p.21. a.5. tia est Angelici, O) quàm cogitatio. Hæc est *minimum*, quod ait Lucas; *si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis?* Confunditur (ibidem) Pelagius blasphemans quòd initium benefaciendi sit à nobis. Statura est altitudo meriti, iuxta quod ait Ambrosius lib. 8. in Lucam de Zacchæo; *statura pusillus, hoc est exiguus meritis*. Staturam mysticè accipi constat ex illo Cant. 7.

P Cant. 7. *statura tua assimilata est palmæ*, vbi P communiori expositione; *statura Ecclesiæ perfecta, est eius rectitudo, neque enim à vitijs incuruatur*. Dicunt maligni spiritus Isaiæ 51. peccanti animæ, *incuruare vt transeamus*. Vt ergo inuolutum spiritalem hunc sensum scrutaretur fidelis, inter præmissa de cibo, & sequentia de vestimento, inuoluit Dominus verba de statura; vt post memorata volatilia, de quibus

Q quodl. 7.a.18. & opusc.19. c.5. glossa Q *sancti viri auibus comparantur, quia Cœlum petunt: & quidem ita remoti sunt à mundo, vt iam in terris nihil agant, nihil laborent, sed sola contemplatione iam in Cœlo degant*, euolaret animus ad altum humilitatis gradum, omni præsumptione calcata; ex qua se aliquis, vt docet Diuus

R 2.2. 130, a.3. Thomas R æstimat magnum, & magnis dignum. Et quia, vt in Sylua allegoriarum fert Lauretus, *cubitus importans brachium simul & manum*, bona operat designat. Vnde tacitè nos edocere intendit, quòd vt ait Augustinus S *sine gratia nullum prorsus, siue cogitando, siue volendo & amando, siue agendo, faciunt homines bonum*. Iacit autem Dominus eiusmodi fundamenta humilitatis ad sublimioris perfectionis culmen; quod in regeneratis spiritaliter, auet. Sic quippe ait Augustinus; *construere vis fabricam excelsæ magnitudinis? de fundamento priùs cogita profundæ humilitatis*: & iterum; *arborem attendite; radicem figit in humili, vt vertice tendat ad Cœlum*. Etsi enim huc deuenerit Sermo Domini, vt nociuam ac superfluam solicitudinem tollat; incepit contra superbiæ filias, iactantiam & inanem gloriam dicere. Et præterea perfectionem astruere patet profligata solicitudine temporalium; in quo maior ac minor elucet Religionum perfectio: quod T item docemur. Denique, T 2.2. 188, 7.

S p. 2. 109, 2.

quia vt inquit Augustinus, *venenum charitatis est cupiditas*; Dominus charitatem sine dubio, *quæ est vinculum perfectionis*, cupiens augeri, toties ne simus soliciti, de temporalibus, ad quæ facilè per cupiditatem accendimur, inculcat; addens etiam de circumstantia temporis, ex qua sine dubio grauatur animus, proinde solicitudo aliàs honesta vitiatur, facta per præuentionem intensior, & contra leges prudentiæ; quæ dictat moderatè sobriè ac opportunè, & quantùm dumtaxat indigentia siue necessitas expostulat, ad temporalia ne in potioribus curandis bonis segnes efficiamur, nos affici. *Labor* ergo vt ait Hieronymus, *exercendus est, solicitudo tollenda*. Quòd si spiritualium Regnique Dei causa, vbi charitas vrgeat, licita etiam solicitudo remittatur, immo omittatur, temporalia, Dei munificentia, adijcientur nobis. Lucæ 22. *quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt; nihil*. Hinc Ambrosius, lib. 6. in Lucam c. 9. *fide tutus putet sibi, quo minus ea requirat, magis posse suppetere*.

CAPVT VII.

1 *NOlite iudicare, vt non iudicemini. 2 In quo enim iudicio iudicaueritis, indicabimini:* Luc. 6. f. 17.
& in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. 3 Quid autem vides festucam Rom. 2. a.1.
in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? 4 Aut quomodo dicis fratri Marc. 4.
tuo: Sine eijciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? 5 Hypocrita, eijce pri- c.24.
mùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculis fratris tui. 6 Nolite dare Inf. 21. e. 12.
sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus Mar. 11.
suis, & conuersi dirumpant vos. 7 Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, c.24. Luc. 11.
& aperietur vobis. 8 Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti ape- b.9.
rietur. 9 Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem por- Ioan. 14. b.13.
riget ei? 10 Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? 11 Si ergo vos, cum sitis Iac. 1. a.6.
mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona
petentibus se? 12 Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Luc. 6. e. 31.
Hæc est enim lex, & Prophetæ. 13 Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa Tob. 4. c. 16.
via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. 14 Quàm angusta por- Luc. 13. c.
ta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam! 15 Attendite à 24.
falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: Luc. 6. g. 44.
16 à fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?
17 Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. 18 Non
potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere: 19 Omnis arbor, Sup. 3. c. 10.
quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 20 Igitur ex fructibus eorum Inf. 25. a.
cognoscetis eos. 21 Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: 1.
sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cælorum. 22 Mul-
ti dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine Act. 19. c.
tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23 Et tunc confitebor illis: 13.

Psal. 6. e. Infr. 25. d. 41. Quia nunquam noui vos : discedite à me, qui operamini iniquitatem. 24 Omnis ergo, qui au-
dit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra pe-
Luc. 13. f. 27. tram, 25 & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum
Luc. 6. g. 48. illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. 26 Et omnis, qui audit verba mea hæc,
Rom. 2. c. 13. & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, 27 & de-
Iac. 1. d. 22. scendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & ceci-
dit: & fuit ruina illius magna. 28 Et factum est: cum consummasset Iesus verba hæc, admira-
Mar. 1. c. 22. bantur turbæ super doctrina eius. 29 Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut
Luc. 4. c. 32. Scribæ eorum, & Pharisæi.

1\. VERS. I. *Nolite iudicare, vt non iudicemini, &c.*

Cohæret huic textui, Iacobus cap. 3. qui in encomium sapientiæ, quæ de sursum est, ait *plena misericordia, non iudicans*, intentionem scilicet A aliorum, suspicione vel condemnatione. Prohibet ergo B iudicium temerarium, quod est *de intentione cordis vel de alijs incertis*, vt dicit Augustinus. Vel prohibet iudicium de rebus diuinis: de quibus, cum sint supra nos, *non debemus iudicare, sed* simpliciter *credere*, vt Hilarius dicit. Vel prohibet iudicium *quod non fit ex beneuolentia, sed ex animi amaritudine*, vt dicit Chrysostomus. Qui adhuc dicit, C *eos qui sunt in grauibus peccatis, non debere iudicare eos, qui sunt in eisdem peccatis vel minoribus*. Et præcipuè hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica, quia ex hoc generaretur scandalum in cordibus aliorum. Si autem non sunt publica sed occulta, & necessitas iudicandi immineat propter officium, potest cum humilitate & timore, vel arguere vel iudicare. Adde ex eodem Chrysostomo; *Dominus hoc mandato non prohibet Christianos* D *ex beneuolentia alios corripere; sed ne per iactantiam iustitiæ suæ Christiani Christianos despiciant, ex solis plerumque suspicionibus, odientes cæteros, & condemnantes*. Et glossa, (quæ est Augustini) *etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, idest diffinitiuas firmasque sententias, continere debemus*. His etiam cohæret quod inquit Apostolus 1. Corinth. 4. *nolite ante tempus iudicare*, intentionem vt dictum est aliorum. Et Romanorum 2. *inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas: in quo enim alium iudicas, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas*; quia E condemnans aliquem ostendit se similiter condemnabilem esse, propter idem peccatum, vel simile.

A Iacobi 3.
B 2.2.60. 2. ad 1.
C ibi ad 3.
D ibi a. 3.
E 2.2.60. 2. ad 3.

VERS. II. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

2\. Quamuis de iudicijs etiam temerè factis intelligi possit præcedens textus; attamen ad iuris iudicium tanquam in humano conuictu de necessitate quandoque habendum, descendere videtur Dominus in præsenti. Quemadmodum autem supra eleemosynam orationem ac ieiunium non tam monet facienda, quàm modum edisserit agendorum, ita hic normam perficiendorum iudiciorum præscribit: vnde quo iudicio, seu qua iudicij forma procedere debeat, qui iudicat, vel ex eo instruit quòd *eadem mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis*. Quoniam è throno sententiam dicit qui iudicat, iuxta illud Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo*. Et ibidem, *roboratur clementia thronus eius*; intendit Dominus inculcare in iudicijs clementiam: secus *eadem mensura, qua mensi*, inquit, *fueritis, remetietur & vobis*; perinde ac si diceret cum Iacobo cap. 2. *iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*. Est autem animaduertendum, differre F misericordiam, clementiam, & veniam. Misericordia est, quando homo ex quadam passione cordis & animi, mouetur ad remittendam pœnam, & hoc aliquando est contra iustitiam. Hanc prohibet Dominus Deuteronomij 19. *morietur, & non misereberis eius*. Ex quo Apostolus; *irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur*. Venia est, quando propter aliquam vtilitatem publicam remittit aliquid de pœna debita. Clementia autem, quando non solùm de pœna aliquid, sed etiam de culpa remissius iudicat. Ista duo non prohibentur; sed misericordia primo modo dicta, quæ est contra iustitiam, & inducit dissolutionem. Misericordiam igitur, vt videtur, hoc est clementiam in iudicij sententia cupit Iacobus cum Domino. Quomodo autem, etsi eadem mensura remetiettur inclementibus, puniat Deus citra condignum, vide alibi G.

F Hebr. 10. lect. 3.
G 4. sent. 46. 2.2.2.

VERS. III. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*

3\. Diuus Hieronymus; H *de ijs loquitur, qui cum mortali crimine detineantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt*. Languor quidam est animæ, defectus in cognitione sui: I ab antiquo enim cor hominis obuolutum fuit ignorantia sua; Genes. 1. *tenebræ erant super faciem abyssi*: psal. 18. *delicta quis intelligit?* quibus scilicet vel alios peccare feci, vel aliorum peccatis consensi. Si de iudicio temere facto adhuc loquimur, prouenit L aliquando ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alterum. Cum enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur vel inuidet ei, ex leuibus signis opinatur mala de ipso, quia vnusquisque faciliter credit quod appetit. Facit huc quod scripsit Diuus Bernardus ad Eugenium, *duæ sunt caliginis causæ ira, & mollior affectus*: de ira subdit; *ira iudicij censuram præcipitat: turbatus præ ira oculus clementer nihil intuetur*. Prouerb. 20. legimus; *pondus & pondus, mensura & mensura; vtrumque abominabile est apud Deum*. Ad rem sic exponitur; M diuersum pondus & diuersam mensuram habet in domo sua, vt aliter sibi, aliter proximo metiatur; qui in suis semper actibus, quæ laudentur, in proximo, quæ vituperentur, quærit.

H 2. 2. 33. 5.
I opusc. 58. 21.
L 1.2.60. a.3.
M opusc. 58.22.

VERS. IV. *Aut quomodo dicis fratri tuo; sine, eijciam festucam de oculo tuo, &c.*

4\. Accidit vt qui in culpa est, de culpa corrigere velit. Hoc dissonum est, si peccatum corripientis sit manifestum, quia videtur non corrigere ex charitate, sed magis ad ostentationem. Hinc Chrysostomus; *quomodo dicis fratri tuo &c.* inquit; *in quo proposito? puta ex charitate, vt salues proximum tuum? non; quia te ipsum ante saluares*. Superbia etiam in talibus locum habet; in quantum scilicet aliquis propria peccata paruipendens, se ipsum proximo præfert in corde suo, peccata eius austera seueritate dijudicans, ac si ipse esset iustus. Hæc apud Angelicum; N.

N 2.2.q. 33. 5. de virtutib. q. 3. a. 1. ad 15.

VERS.

VERS. V. *Hypocrita; eijce primùm trabem de oculo tuo, &c.*

Verè hypocrita est, simulator scilicet, quia zelum non habet, quod aiebat Chrysostomus, in animam suam. Diuus Iacobus cap. 5. *quæ de sursum est sapientia, &c. iudicans sine simulatione*: ne scilicet correctionem prætendens, odium intendat explere. Ita 2. 2. q. 45. a. 6. ad 3. Cum peccatum meum, notum est corripiendo, quid ausim corripere? Aiebat Augustinus loco citato; *si autem inuenerimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter conandum inuitemus*. Subdit Dominus; *& tunc videbis eijcere festucam de oculis fratris tui*. Vno ore Sancti Patres quod & Poeta dixit, *segniùs irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus*, confirmant, nam *breue iter per exempla, longum est iter per verba*: Bernardus; *efficacior est vox operis, quàm sermonis*. Leo Papa; *validiora sunt exempla, quàm verba*: Gregorius; *loquendi auctoritas perditur, cum vox opere non impletur*. Hieronymus denique lib. 2. Epistolarum Epist. 12. *non confundant opera tua sermonem tuum; ne cum in Ecclesia loqueris, tacita sanctimonialis respondeat: cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? delicatus Magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat: accusare auaritiam & affectum proprij, & latro potest: Sacerdotis Christi, os mens manusque concordent*. Si praxi eiusmodi corrigas, vberior palam fiet fructus, *videbis eijcere festucam* (non dicit vt supra *de oculo*) *de oculis fratris tui*: videbis sponte sua festucas fratrem eijcere. Aliàs indignus es ad alium corrigendum: nec tamen absolueris à debito correctionis; sed debes peccatum dimittere: *eijce primùm trabem de oculo tuo*; vt in ea quæst. de virtutibus docemur.

VERS. VI. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, &c.*

5. Augustinus; *quærendum autem est, quid sit sanctum, quid canes, quid margaritæ, quid porci?* [O 1. p. 80. 6. 1. & q. 81. 2. 2.] *Sanctum* accipi potest ex Diuo Thoma O pluraliter, & maximè Sanctum Eucharistiæ Sacramentum; quod prohibemur dare canibus, hoc est, peccatoribus manifestis; [P opusc. 58. 18.] siue etiam immundis P peccatoribus, quia, vt dicit Augustinus, *sancta malis possunt obesse*: nam & in statu culpæ lignum vitæ prohibuit. [Q opusc. 70. ex Proœmio 5. ad quartum.] Præterea sensus est; Q arcana fidei infidelibus irridentibus non denudentur. In huiusmodi arcanis, intellige R sacræ Scripturæ figuris velata. Sic supersedendum docet à confessione S fidei manifesta, [R 1. p. q. 1. 9. 2.] vbi nulla speretur vtilitas, aut necessitas adsit, ob vitandam infidelium perturbationem. [S 2. 2. q. 3. 2. 1.] Facit huc quod ait Gregorius, super illud Exodi 21. *si quis aperuerit cisternam &c. qui in sacro eloquio iam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus, per silentium tegat; ne per scandalum interius, aut fidelem paruulum, aut infidelem, qui credere potuisset, interimat*. [T opusc. 60. a. 14. & 1. sent. 34. q. 1. 3. 3.] Ad hæc glossa; T *canes sunt, quia oblatrant, & quod integrum est dilacerant; porci, quia vilipendunt & conculcant*. Item; canes V sunt infideles. Siue etiam canes sunt X hæretici; [V Matth. 15.] porci, mali fideles. Glossa; *eadem res dicitur sanctum & margarita; idest Euangelium & Ecclesiastica Sacramenta: sanctum, quia inuiolabile, &* [X Matth. 7.] *non debet ab aliquo corrumpi; margarita* A *quia in abscondito latet, & de figuris, quasi de apertis conchis eruitur*. [A opusc. 60. a. 14.] Vel per *Sancta*, Ecclesiastica Sacramenta; per margaritas B mysteria veritatis. [B Matth. 7.] Canis est animal totaliter immundum; porcus partim immundus partim non. Hoc ergo quod ait hic Dominus, monebat etiam Dionysius Timotheum C vt sancta ab immundis, incontaminata seruaret. [C quodl. 7. a. 14.] Additur hoc ex lib. *de diuinis nominibus* cap. 1. *aures sanctas sanctarum Dei nominationum reserationibus apponamus; in sanctis sancta, secundùm diuinam traditionem collocantes, & ipsa ab indoctorum risibus, & delusionibus auferentes; magis autem ipsos illos, si totaliter sunt tales, ab impugnatione Dei in hoc liberantes*. Monet ergo Timotheum, D ne huiusmodi sancta prodat indoctis, scilicet infidelibus, vel quibuscumque indoctis, qui propter imperitiam non capientes irrident. [D In D. Dionys. c. 1. l. 3. in fine.] Cum quo tamen stat vt E *omni poscenti*, quod inquit D. Petrus, *de ea, quæ in nobis est spe, parati simus ad satisfactionem*: *poscenti* nimirum siue fideli, siue infideli, ad discendum, non ad calumniandum. [E 1. Petri cap. 3. 4. sent. dist. 6. q. 1. a. 2. ad 1.] Denique ex 4. sent. Dominus loquitur de illis immundis, qui fidei contrariantur; non de illis qui ad fidem accedere volunt: vnde sequitur, *ne forte conuersi dirumpant vos*. Et ita opusc. 70. q. 2. a. 4. exponit de infidelibus abhorrentibus fidem; quibus arcana fidei denudanda non sunt, ne irrideant.

6. Connectitur autem sermo præcedentibus hoc pacto. Postquam Dominus iudicantis corrigentisque conditiones apposuit; seu corrigendos per pœnarum inflictionem, quòd ad iudicium spectat, seu corripiendos per fraternam admonitionem de festuca etiam, in oculo, discernit. Quamquam autem sit iudicis vindicare de culpis ad iustitiæ conseruationem, F ad Dei honorem; immo ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius & quietem aliorum: [F 2. 2. 108. 1.] tamen quia vt alibi docet, malus quandoque in tantum est sapientiæ imperceptibilis, vt nec G per pœnas erudiretur, vt suam cognosceret culpam, sed inter flagella murmuraret, quasi punitus iniustè; [G Iob 21. l. 2.] aliásque pœnæ præsentis H vitæ, non per se expetuntur, sed in quantum sunt medicinales: [H 2. 2. 68. 1. & 2. 2. 33. 6.] ideo *nolite sanctum dare canibus*, exponerem ipse, nolite ad talium emendationem, quæ minimè speranda est, (nisi alio titulo id vrgeat, nam & incorrigibilis aliquando puniri debet, vt quæst. 33.) nec in iudicio, siue iudicij forma insudare, sanctas salubresque pœnas in cassùm eis decernendo. *Sancta* quippe est, sui ex natura pœna, quæ culpas expiando *sanctos* facit: quia verò medicinalis, vt dictum est, rectè dicitur *margarita*. Nihilominus si ad correctionem, quæ priuatim fiat, quod ait *nolite sanctum dare canibus*, referatur, planius apparet, in ly *sanctum* intelligi sacram doctrinam ac Sanctorum scientiam. Romanorum 15. *certus sum fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, vt possitis alterutrum monere*: eoquòd quidem I habent zelum Dei in corrigendo, sed non secundùm scientiam. [I Rom. 15. l. 2.] *Omnis Scriptura*, 2. ad Timotheum 3. *diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*. *Sanctum* eiusmodi & *margaritas*, aio ipse, *nolite dare canibus, &c.* ac si diceret, ne anxij sitis ad tales corripiendos; vix enim, ac ne vix quidem de hisce speratur fructus. Qui sint canes, qui porci, accipe. Diuus Petrus in 2. Canonica cap. 2. vtrosque iungit dicens; *contigit eis illud veri prouerbij, canis reuersus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti*. Istiusmodi suis & canis, quos describit in 4. Sentent. excitans ad correctionem, considerandum ait; Vtrum emendatio peccantis expectari probabiliter possit, L aut non: quod quidem perpendi potest ex conditione peccantis, & ex iteratione actus: [L 4. sent. dist. 19. q. 2. a. 3. q. 1. ad 2.] quia si aliquis frequenter, & quasi improhibitè sine fræno in aliquod peccatum lapsus est, signum est, quòd ex malitia, vel electione peccat, & non facilè emendetur: si autem semel occasione peccandi oblata, in peccatum ruit, & postea tristitiam & verecundiam de peccato ostenderit, signum est quòd sit peccatum ex passione, vel ex infirmitate, & quòd de facili emendetur. Cum ergo legamus Ecclesiastes 1. *peruersi difficilè corri-*

corriguntur; de his animaduertit Dominus; *nolite sanctum dare canibus*; nam vt dicitur Prouerb. 26. *sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat* (ecce quod aiebat supra Diuus Thomas *ex iteratione actus*) *stultitiam suam*. Ecclesiastici 19. *corripe amicum* &c. *ne iterum addat facere*: *corripe proximum*, &c. *ne fortè iteret*. Licèt autem hoc quod dicit primò de canibus, possit intelligi de hæreticis & hæresiarchis, vt primam Epistolæ Diui Petri partem intelligit Diuus Thomas, de quibus puto, & Ioannem in Apocalypsi loqui, dicendo cap. 22. *foris canes & venefici*, nam aliorum infectiui non facilè corriguntur, vt ex Diuo Thoma ibi in 4. Sent. haberi potest; nàm hæretici oblatrant contra veritates fidei, & rabidè mordent, cum ex Poeta 14. Metamorphos. *canum sit rabies*: nihilominus potest de eisdem vtrumque accipi, vt *canes reuersi ad vomitum*, sint iterantes *stultitiam suam*, dicti deinde sues, suum nomine intelligendo luxu-
M 1. Petri 2. riosos, (quod & apud Diuum Thomam M) qui vt ait Petrus, habent *oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti* dum recidiuant: nam *ignis* ille luxuriæ *nunquam dicit sufficit* Prouerb. 30. vt in ea Epistola Angelicus; nam *fornicati sunt & non cessauerunt* Oseę 4. & c. 5. *non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur, spiritus enim fornicationum in medio eorum*: & Ioelis 1. *computruerunt iumenta in stercore suo*; quod est, carnales quoque N in carnis luxu-
N Serm. Dominicæ 10. ex Epistola. ria vitam finire. Cognata certè est metaphora de luto, & de stercore, pro sue aut iumento; sus dicitur luxuriosus ob immunditiam; iumentum autem propter similitudinem, qua dicitur Ezechielis 23. *carnes eorum* (libidinem execratur) *vt carnes Asinorum*: Septuaginta legunt, *pudenda sunt, vt pudenda Asinorum*. Si correptionis audiat puritatem symbolo margaritarum candido, & mundo ab ore, cuiusmodi & conchæ testa, minimè obaudit; quia Ecclesiastici 21. *verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit & ad se adijciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum*. Dominus autem quid simile ait; *ne fortè conculcent eas* (margaritas) *pedibus suis*. Pedes, notum est, sunt affectus; non mouetur anima pedibus sed affectibus. Luxuriosus ille adolescens Lucæ 15. *cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant*. Porcus ergo luxuriosus, dum porcorum crasim ostendit. Sequitur; *& conuersi dirumpant vos*: huiusmodi enim perditi, integritati corripientium consueuerunt, quo proprios reatus excusent, vel deridendo esse iniurij. Hinc Prouerb. 9. *noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te*. Vbi glossa; *non est timendum, ne tibi derisor, cum arguitur, contumelias inferat, sed hoc potius prouidendum, ne tractus ad*
O 2. 2. 72. 1. *odium, inde fiat peior*. Et quia contumelia O importat dehonorationem: ecce quid alij legant. Syriaca; & *conuersi dilacerent vos*: Pagninus; *& versi in vos lacerent*. At verbum *dirumpant*; magis, vt claret, læsam tangit integritatem. Cuius oblocutionis primæuam causam aperit Ecclesiastes cap. 10. dicens; *sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*. Conscius enim
P 2. 2. 60. 3. suæ malitiæ P facilìter de alijs malum opinatur. Igitur, quia Ecclesiastici 22. *cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam*; quia Prouerb. 18. *non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius*; quia 1. Corinth. 2. *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*; idcirco altè ait Dominus; *nolite sanctum dare canibus*, &c. Et si de correctione accipiatur, vbi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, à correctione fraterna admonet desistendum. Quod ex professo docemur

à Diuo Q Thoma; ea enim quæ sunt ad finem debent regulari secundum quod exigit ratio finis. Cur Q 2. 2. 33. 6.
hic tractentur ista, cum de fraterna correctione futurus sit sermo cap. 18. palam fiet in Syntaxi.

VERS. VII. *Petite & dabitur vobis*. &c.

VERS. VIII. *Omnis enim qui petit, accipit*.

Petere rectè aliquid à Deo R cadit sub præcepto 7.
Religionis: & hoc præceptum hic ponitur. Debet R 2. 2. 83. 3. 2.
autem oratio habere tria: vt instanter petamus, vt humiliter, vt rem vtilem: *petite* S humiliter, *& accipietis*; *quærite* vtiliter, *& inuenietis*; *pulsate* instanter, *& aperietur vobis*, Regnum æternum. Chrysostomus; *omnis qui petit accipit*; *idest, siue iustus sit, siue peccator*. Non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, T sed ex pura misericordia: (legimus Daniel. 9. *neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis*.) Obseruatis tamen quatuor conditionibus; vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter. Harum defectu, ex Iacobo, V *petitis, & non accipitis, eoquòd malè petatis*. Hinc Basilius, X *quandoque petis & non accipis; quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti*. Et Augustinus; *fideliter supplicans Deo, pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur: quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus, quàm ægrotus*. Idem Augustinus A hæc omnia, *petite, quærite, pulsate*, ad instantissimam refert petitionem. Præterea ly *petite* accessum ad orationem extimulat, iuxta illud Philipp. 4. *in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum*. Ly *quærite* intentionem insinuat: qui aliquid quærunt, totam intentionem B ibi ponunt. Certè Manasses 2. Paralipomenon c. 33. *deprecatus est, & obsecrauit intensè*. Ait Gregorius; C *illam orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit*. Lucæ 15. *& quærit diligenter, donec inueniat*. *Pulsate*; Chrysostomus; *sicut enim qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed manu; sic & qui bona opera facit, pulsat operibus bonis*. Ecclesiastici 34. *vnus orans, & alius maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?*

S Serm. Dom. 3. post Epiphan. ex Euangelio. T 2. 2. 83. a. 15. ad 2. V Iacob. 4. X 2. 2. cit. A apud D. Tho. hic. B D. Th. hic. C apud D. Th. 2. 2. 83. 13.

VERS. IX. *Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?*

VERS. X. *Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei?*

Panis, ex Augustino de Verb. Domini Serm. 29. 8.
cum sit præcipuus inter cibos, charitatem, quæ suprema est virtutum, significare potest. Ita hic Diuus Thomas. Fortè etiam, quia Eucharisticus panis *vinculum est charitatis*. Et ad rem fert D. Th. Isaiam c. 30. *erit panis terræ vberrimus & pinguis*. Contra charitatem ex Rabano, ponit *lapidem*, idest odij duritiam. Cordis congelatio vel duritia, inquit Sanctus Doctor, D est dispositio repugnans amori; Et si roges, cur non ferri vel æris duritiam posuerit, sed *lapidem*? ea potest esse ratio, quia ferrum & æs eliquantur per ignem; non sic lapis. Amoris effectus est liquefactio; Cantic. 5. *anima mea liquefacta est*; vt loco cit. Iob 41. dicitur de Diabolo secundum Diuum Thomam, E *indurabitur cor eius quasi lapis*. Quod & de membris eius dici potest. Vnde & Augustinus de quæstion. Euangel. cordis duritiam lapidi comparauit. Per piscem significatur fides F. Nec desunt rationes ex eodem Augustino; *fides enim est inuisibilium*; (latet piscis etiam, ait Diuus Thomas sub aquis) *vel propter aquam baptismi*. *Fides præterea huius mundi fluctibus circumiactata non frangitur: cui contrarium posuit serpentem propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini male suadendo*

D 2. 2. 28. 5. E D. Th. hic. F D. Th. hic & Ioan. 21. 1. 2.

dendo præseminauit. Sed cum Lucæ 11. addatur & de ouo, *aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem?* quæstio est difficilis, cur Matthæus hic non hoc dixerit. Responderi posset, in fide & charitate subintelligi etiam spem: cum sit *fides* Hebræor. 11. *substantia sperandarum rerum*. Roman. 8. *si autem quod non videmus speramus*. At adhuc instatur, quia & Lucas potuisset de ouo tacere, *in quo intelligitur*, per Augustinum, *spes: ouum enim nondum est fætus perfectus, sed fouendo speratur*. Dicendum ergo certè & hic subinnui de spe, tùm quia petitio est interpretatiua spei, vt ait D. Thomas, ps. 36. *reuela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet*; tum etiam, quia alia, quæ petuntur à Deo, F 2.2.17. 2. respicit F spes secundariò in ordine ad beatitudinem æternam. Cum ergo de his in præsenti agatur, immo & de principali, vnde inquit versu 11. *dabit bona petentibus se*: (nota ly *se* nam Deum debemus primò intendere) satis insinuatur de spe. Verùm huiusmodi insinuatio spei Matthæi instituto nō cōgruebat. Lucas, vt Deo dante dicemus, intendebat innouationem legis veteris inuulgare. Lex vetus G Hebr. 7. l. 3. & p. 2. 99. 6. inutilis erat ad beatitudinem, quæ est G finis hominis, consequendam, nisi in quantùm disponebat ad fidem; idcirco, quo allicerentur ad illius obseruantiam, promittebat præmia temporalia; Isaiæ 1. *si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*: de quo fusè Leuitici 26. & Deuteronomij 28. *terramque bonam, & spatiosam; ad loca Chananæi, & Hethæi & Amorrhæi*, Exodi 3. vt & H alibi. Hinc, H Titi cap. 1 l. 1. I 3. sent. 40. q. 1. a. 1. æterna bona non promittebantur in veteri lege I nisi sub quibusdam figuris, iuxta illud Hebræor. 10. *vmbram habens lex futurorum bonorum*: primò vt ex ijs, quæ cognoscebant, assuefierent etiam à Deo maiora sperare: secundò vt non solùm cognitio, sed etiam affectus à temporalibus ad æterna manuduceretur: tertiò, quia bona æterna nondum statim poterant eis exhiberi nondum soluto pretio: vnde dilatio promissiorum inefficaciam faceret apud infirmos promissionem. Igitur, aio ipse, cum L beatitudo L 2.2. q. 17. a. 2. æterna sit proprium & principale obiectum spei, debuit Lucas, qui hæc versabat, expresse de spe, in ouo significata, verba facere. Id quod Matthæus, vt scrutandi occasionem daret, quàm alto studio secernatur vniuscuiusque Euangelistæ scopus, consultò omisit. Non inuenies mi lector, qui isthæc, vtpote nimis ardua quæsierit. Soli Deo gloria, qui de stercore erigere dignatur calamum, vilissimum omnium; vt inde ipsius emicet infinita munificentia. Adde si placet in Luca excitari homines ad fidem spem charitatem à Deo petendam, sibi superna hæc dona desiderando: in Matthæo de petendis pro proximo sermo attexitur, vt ex contextibus, qui præmissi sunt, & sequuntur, patere potest: spes autem M 2. 2. 17. 3. ex Diui Thomæ doctrina, M directè respicit proprium bonum, non autem quod ad alios pertinet: quamuis præsupposita vnione amoris ad alterum, per eandem virtutem spei speret quis sibi & alijs: ideo spem Matthæus supprimit, Lucas in ouo declarat. Posset etiam dici subticere Matthæum de spe, eoquòd totus sermo eò spectat, vt in spem erigat, ne scilicet desperemus eos, quos quasi canes & porcos nouimus; recurrendo pro ipsis ad orationem, enixeque pro eis petendo, quærendo, pulsando. Quod quidem monet etiam Ioannes in sua 1. cap. 5. dicens; *qui scit fratem suum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem*. Ecce & hic Dominus, *petite, & accipietis*: vbi correctio non profuit, aut non profutura, immò potius damnum illatura, visa est; ad Deum recurrite. Ne- N 2. 2. 83. 7. 3. ctit hæc Diuus Thomas; N sicut nulli, quandiu viuit hic subtrahendum est beneficium correctionis, quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis; ita etiam nulli est denegandum orationis suffragium.

VERS. XI. *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester?* &c.

Firmat Dominus fiduciam petitionum, vrgetque 9. à fortiori. Obijcit Angelicus: O hoc dicit Apostolis, O D.Th. hic. qui non erant mali: & Respondet ex Hieronymo, omnes esse malos, secundùm pronitatem ad malum: ex Chrysostomo; comparatione ad bonitatem diuinam. Recole illud Lucæ 18. *nemo bonus, nisi solus Deus*; & prius 2. Machab. 1. *Domine Deus* &c. *qui solus es bonus Rex*. Augustinus considerat, non dixisse *estis mali*: sed *cum sitis mali, nostis bona data dare*. Iam largitas Dei euincitur, dum ait, *nostis bona data dare*. Pater noster qui in Cœlis est ipse dat; nos *data* damus; *data* scilicet ab eo *qui creat causalia*.

VERS. XII. *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ*.

Sicut dicitur in 9. Ethicorum, amicabilia quæ sunt ad alterum, venerunt ex amicabilibus, quæ sunt homini ad seipsum, dum scilicet homo, ita se habet ad alterum sicut ad se. P Et ideo in hoc quod P p. 2. 99. 1. 3. dicitur, *omnia quæcunque vultis*, &c. explicatur quadam regula dilectionis proximi, quæ etiam implicitè continetur in hoc quod dicitur, *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Quoniam autem ex Apostolo Roman. 13. *qui diligit proximum, legem impleuit*, nam *in hoc verbo instauratur omne mandatum*; tota lex Q impletur in hoc vno mandato, Q p. 2. 99. 1. 2. p. 2. 94. 4. 1. sicut in quodam fine mandatorum omnium: in dilectione enim proximi includitur etiam Dei dilectio, quando proximus diligitur propter Deum. Vnde Apostolus hoc vnum præceptum posuit pro duobus, quæ sunt de dilectione Dei & proximi, de quibus dicit Dominus Matth. 22. *in his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ*. Tu sic recollige. Quod hic ait Dominus, *omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, trahit mandatum *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*: in hoc includitur aliud etiam de dilectione Dei: in his duobus *pendet vniuersa lex & Prophetæ*, ergo & de regula præfata, *omnia quæcumque* &c. rectè dicitur; *hæc est lex & Prophetæ*. Hinc in Decretis dist. 1. Gratianus: *ius naturale est quod in lege & in Euangelio continetur; quisque enim iubetur alij facere, quod sibi vult fieri* vt p. 2. q. 94. 4.

VERS. XIII. *Intrate per angustam portam; quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*.

Qua de causa ad hæc sermo Domini transeat, cum 10. disparata valde videatur materia, abstrusum est, quo pietas intelligentiæ exerceatur. Diuus Thomas in præsenti R inquit; quia fortè crederet aliquis, R D.Th. hic. quod dixerat, *petite* &c. totum non esse à Deo habendique sine operibus bonis, adiecit, *Intrate* &c. At aliunde mirabiliter emicat nexus. Dictum est supra, vt vidimus de fraterna correctione, versu 4. *quomodo dicis fratri tuo, sine eijciam festucam de oculo tuo*: deinde vbi non profutura sit correctio, subiunctum est, de ad Deum per orationem recursu; *petite* &c. versu 7. Orantes (verba sunt Diui Thomæ) non pro omnibus S peccatoribus exaudiuntur, sed pro præ- S 2. 2. 83. 7. 3. destinatis, non pro præscitis ad mortem; correctio etiam, qua fratres corrigimus, effectum habet in prædestinatis, non in reprobatis secundum illud Eccles. 7. *nemo potest corrigere, quem Deus despexerit*. Nunquid ergo de prædestinatione tangi incompactum erat? nullibi certè opportunius. Sicut (vt nuper dictum est ex Angelico) nulli quamdiu viuit hic subtrahendum est correctionis beneficium; quia non

non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt Augustinus dicit de correptione, & gratia; ita nulli est denegandum orationis suffragium. Addo textum huiusmodi, qui certè timorem incutit, fuisse adijciendum, ne magnificata diuina clementia ac bonitate, forent homines circa salutis negotium frigidi vel inertes, dicente Petro in sua secunda c. 1. *quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Et nota quomodo Apostolus etiam ea in Epistola in amore fraternitatis commendat charitatem, in quo
T loc. cit. in cap. intelligitur oratio; quia charitas ex Diuo Thoma T requirit, vt pro alijs oremus: item de correctione subdit, *incipiam semper commonere*: quæ duo pertractat hic Dominus: at *magis* (concludit) *satagite* &c. Quod & inculcat Dominus, quia *angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam*. Posset hoc in loco quæri de numero prædestinatorum; sed cum in Domino vitæ & mortis sperem examinandum infra, vbi ait; *multi enim sunt vocati, pauci verò electi*: & ad cap. Lucæ 13. vbi dixit ille, *Domine si pauci sunt qui saluantur?* sufficiat pro nunc erudiri, meticulosum esse exitum, vbi via vitæ *arcta est, portaque angusta*: periculum quippe est delapsus in *arcta via*: item, non introeundi periculum, quando *angusta est porta; & alius*, Apocalypsis 3. potest accipere *coronam tuam*. *Timeamus ergo*, Hebræor. 4. *ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius existimetur aliquis ex vobis deesse*. Qui angusto incedit tramite, qui *semitam mandatorum*, ps. 118.
V p. 2. 64. 1. *Dei currit*, non huc aut illuc declinet. Virtus V moralis in medio consistit; quo itur ps. 83. *de virtute in virtutem*. Ecce *arctæ viæ* causam. Si ad extrema, à quibus medium, sui natura æquè distat, vel tantillum deflexeris, vitium incurris. Et quia *angusta est porta*, colligi oportet. Iacob Genesis 49. *collegit pedes suos* moriens: per pedes affectus signantur. Non sic se colligunt mali; dum ex Philosopho 9. Ethicor. c. 4. *contendit ipsorum anima: hoc quidem huc trahit, illud autem illuc*. Qui huc illuc trahitur, *spa-*
X p. 2. 73. 1. ad 3. *tiosa* inambulat *via*. Amor quippe sui disgregat X affectum hominis in diuersa, sicut amor Dei, è contra, est congregatiuus, in quantùm affectum hominis à multis ducit in vnum: *Lata* est autem *& porta* quæ ducit ad perditionem, quia secundùm quod ait D. Dionysius c. 4. *de diuinis nominibus, malum causatur ex singularibus defectibus*: sicut *bonum ex integra causa*: ex quo patet iterum *arctam esse viam, & angustam portam, quæ ducit ad vitam*. Pauci sunt *qui hanc inueniunt*. Si quærerent inuenirent, quia, *qui quærit inuenit*. Prouerb. 4. *viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis; quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via; fuge ab ea, nec transeas per illam; declina & desere eam*. Multi sunt autem qui
A p. 2. 71. 2. ad 3. intrant ad perditionem; quia, quod ait A Diuus Thomas, plures sequuntur inclinationem naturæ sensitiuæ, quàm ordinem rationis; ex quo vitia & peccata in hominibus proueniunt. *Beatus homo, qui semper est pauidus*; Prou. 28.

VERS. XV. *Attendite à falsis Prophetis; qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.*

11. Hoc glossa B specialiter exponit de hæreticis; qui
B opusc. 19. 23. venenato animo, & intentione nocendi, lupi rapaces sunt: vel exteriùs, si detur copia, persequendo, vel interiùs corrumpendo. Per vestimenta ouium,
C opusc. 19. cap. 8. Apoc. 11. com. 1. etsi vilitas eorum C rectè intelligatur, quibus falsi Prophetæ vtuntur ad deceptionem; nam multi sunt, qui habent habitum sanctitatis exteriùs, & interiùs
D Iob 9. l. 4. portant habitum iniquitatis: nihilominus D per vestimenta, exteriora opera designantur, quibus homo quasi contegitur. Ioannis cap. 4. *multi pseudo-prophetæ exierunt in Mundum; Nolite omni spiritui credere. Non à veste, sed ab operibus Prophetæ falsi cognoscuntur*, E ait glossa. Quòd si per vesti- E opusc. 19. 8. menta accipiantur exteriora opera, vt nuper diximus, ex quo apparet etiam ab operibus seu fructibus posse nos decipi: Dicendum; planè ita, si de hoc vel illo fructu experimentum quis velit capere; non ita, si multiplicia opera, & assiduitatem fructificandi attendere studeat. Pluraliter F dicit *fructus*; vt osten- F Serm. Dom. 8. post Pascha. dat quòd iustus, qui dicitur *arbor bona*, debet fructus multos producere. Dicit Rabbi Moyses; hoc esse signum, quòd aliquis sit falsus Propheta, quando voluptatibus, & solicitudinibus Sæculi detinetur. Carnalia peccata G mentem à spiritualitate omnino G De veritate q. 12. a. 5. & 2. 2. q. 172. a. 4. retrahunt: vnde ex hoc ipso quòd aliquis peccatis carnalibus est subditus, ineptus ad Prophetiam redditur, ad cuius reuelationem summa spiritualitas mentis requiritur. A *fructibus eorum manifestis* vt dicit glossa, quæ maximè sunt peccata carnalia: spiritualia enim peccata interiùs latent. Hoc principaliter H exponitur, vt dictum est, de hæreticis, ex H D. Th. hic. consequenti de malis Prælatis, ac simulatoribus. Carnalibus à fructibus cognosci potuit facillimè Lutherus, impiusque Mahometes. Lutherus vt fert Maluenda lib. 2. de Antichristo capit. 6. (prima impressione Romæ) sic de se loquitur; *vt non est in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est etiam mei iuris, vt absque muliere sim*. De suo coniugio, seu potius perpetuo concubinatu, hæc habet; *habeo vxorem*, (fuit hæc Catharina Bora monialis rapta ex Monasterio Nymicensi) *& sex liberos. Anno 1525. in seditione Rusticorum 12. Iunij vxorem duxi*. Alibi; *hic opportunum est, vt maritus dicat, si tu nolueris, alia volet: si Domina nolit, veniat Ancilla. Si tum rennuat, repudia eam; & in vicem Vasthi, Esther subroga, Assueri Regis exemplo*. Alibi; *si quis Satanicas cogitationes, alijs cogitationibus, vt de puella, pellere potest, huic suadeo*. Rursum; *Cœlebs olim, hoc apud me concluseram, vt si mihi insperatò moriendum fuisset, vel etiam in lecto mortis, mihi puella desponsanda adhiberetur: cui in testimonium duos Scyphos argenteos dicassem*. Mahometes, vt fert Diuus Antoninus in 4. Parte Titulo 11. cap. 6. §. 2. ieiunium per mensem mandat seruari, nil per totam diem comedendo, & per totam noctem edendo bibendo luxuriando: quatuor vxores vt legitimas permittit accipere, & eas ad placitum repudiare, & loco repudiatæ aliam sumere: emptitias vero fœminas & captiuas, quot volunt accipiant, ad carnaliter cognoscendum. Adulter secundùm eam legem lapidatur: sibi tamen Mahometes in ea lege asserit à Deo permissum, vt ad aliorum vxores accederet, & generaret ex eis Prophetas, & homines virtutis. Breuiter, tot in ea lege sunt abusiones, vsque etiam ad vitium Sodomiticum, tot immunditiæ & bestialitates, vt omnis ratio benè disposita, & à carnali consuetudine non absorpta, habeat detestari. Hactenus D. Antoninus. Memini me legisse, quam duxit vxorem Mahometes viduam quandam nobilem, quæ præerat cuidam Prouinciæ Arabiæ post occultam fornicationem, vt ait idem Diuus Antoninus, nomen habuisse *Cadiga*. Hi profectò animales fuere homines carnalibus addicti voluptatibus; nec spiritualia, quibus potior nostri pars oblectatur & fruitur, degustarunt. 1. Corinth. 2. *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*.

Operæ pretium est autem, pro vberiori sacri textus intelligentia, obiectionem proferre, quæ talis est. 12.
Ad dignoscendum falsum Prophetam Deuteronomij 18. hoc habendum legimus signum: *quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit; & non euenerit: hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui Propheta confinxit*. Diabolus interdum

dum falsa dicit: Spiritus-Sanctus, nunquam; 2. 2. 172. 5. ad 3.) Cur ergo & in præsenti euentum non monemur attendere, sed ad fructus? Respondeo ibi agi de Propheta strictè accepto, qui futurum aliquid contingens prænunciet: de quo fusè dictum est, eo in loco. Sed hic ad fructus expendendos vocamur, quia Propheta latiùs accipitur, vt innuimus. Quocirca luculentius audiamus Diuum Thomam, I qui hæc habet. Aliquando aliquis dicitur Propheta, qui videt imaginarias visiones, habet intelligentiam, audacter annunciat alijs, & ad certitudinem Prophetiæ operatur miracula. Aliquando dicitur Propheta, qui habet intellectuale lumen ad explanandum etiam visiones imaginarias, siue sibi, siue alteri factas: vel ad exponendum dicta Prophetarum, vel scripturas Apostolorum: & sic dicitur Propheta omnis, qui discernit Doctorum scripturas; quia eodem spiritu interpretatæ sunt, quo editæ sunt. Dicitur etiam Propheta aliquis solum ex hoc quòd Prophetarum dicta denunciat, seu exponit, seu cantat in Ecclesia. Denique dicitur etiam aliquis Propheta ex miraculorum operatione, secundùm illud Eccles. 48. quòd *corpus Elisei mortuum prophetauit*; idest miraculum fecit. Mittit ergo Dominus signum illud Deuteronomij, & ad fructus recurrit, *à fructibus eorum cognoscetis eos*, qualitercumque tanquam Prophetæ veniant ad vos. Certè, vt diximus, signum huiusmodi discernit Prophetas etiam prædictione falsos à veris: quia, vt alibi docet, L impeditur aliquis à Prophetia per morum malitiam: nam ad prophetiam requiritur maximè mentis eleuatio ad spiritualium contemplationem; quæ quidem impeditur per vehementiam passionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Et si bonitas ex hisce absit morum, falsus est Propheta, quamquam vera prænunciet. Notat, huiusmodi Prophetas M in scripturis non dici Prophetas simpliciter, sed falsos Prophetas, reuelante aliqua Dæmone. *Attendite* ergo, ait Dominus, hoc est, ne cæco ductu ad horum sequelam trahamini, quæ dicunt, quæ docent, quæ operantur probantes.

I 1. Cor. 14. l. 1. & Rom. 12. l. 2. & 1. Thessal. 5. l. 2.

L 2. 2. 172. 4.

M ibi a. 5.

13. At dices: gratia gratis data, cuiusmodi est Prophetia, non datur ad hoc N quòd homo ipse per eam iustificetur, sed potius ad iustificationem alterius operetur; ideo non vocatur gratum faciens: vnde definitur, O esse posse gratiam gratis datam sine charitate; quid prodest ergo fructus attendere, vt à veris falsi discernantur Prophetæ? Respondeo nihilominus, P Prophetiam, operationem miraculorum, & quamlibet gratiam gratis datam, manifestatiuam esse gratiæ gratum facientis: (proinde & charitatis) vnde 1. Corinth. 12. gratia gratis data nominatur manifestatiua spiritus. Ex qua Diui Thomæ doctrina colligitur, plerumque qui gratiam gratis datam à Deo possidet, gratiæ gratum facientis, & charitatis infusæ non esse expertem. Verùm quia ibidem tradit, dari posse gratiam gratis datam seorsim, ideo fatendum est, posse esse Q prophetiam sine bonitate morum, quantùm ad propriam radicem huius bonitatis; non tamen sine bonitate morum quantum ad passiones animæ, & actiones exteriores, quarum vehementia & inordinata occupatio impedit Prophetiam. Hinc itaque, *à fructibus eorum cognoscetis eos*. *Attendite ergo, idest cautè considerate*, ait Chrysostomus. De Diabolo inquit Gregorius *clanculum subrepit, vt postmodum violenter rapiat*. Sic & isti *in vestimentis ouium* deteguntur *lupi rapaces*. Ioan. 10. *lupus rapit & dispergit oues*: sic & isti vel seducunt vel perdunt, vel expoliant.

N p. 2. 111. a. 1.

O 2. 2. 172. 4.

P 1. p. 42. 3. ad 4.

Q 2. 2. 172. 4.

VERSU eodem XVI. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?*

14. Mitto expositiones Chrysostomi & Angelici. Et quoniam Dominus spinosa hæc inducit, vocor ad Rhamnum illum in lib. Iudicum cap. 9. qui per spinas & tribulos fortè insinuatur hic à Domino. Rhamnus vix lignum est, sed spinæ tantum exiles & pungentes. Rhamnum vulgo senticem R appellant, asperum nimis & aculeatum; & secundum Iosephum, est in principio mollis, sed postea indurescit: vnde signat aliquem malum ambitiosum, qui spinis vitiorum spinosus est; qui spoliat subditos suos, sicut spinæ spoliant lana oues, contingendo ipsas; qui se subditis suis mollem in principio exhibet & mansuetum; &c. Hilarius etiam ad hæc habet; *vestitu ouium, rabies lupina contegitur*. Nunquid, aio ipse, Rhamnus poterit esse ficus aut vitis? *Nunquid colligunt de spinis vuas?* quis vnquam vidit colligi de Rhamnis huiusmodi, feruorem vini, hoc est perfectam ac feruentem charitatem? *& de tribulis ficus?* Et de eodem Rhamno contemplationis diuinæ dulcedinem? Has vitis & ficus expositiones habes ibi in Opusculo. Erunt ergo falsi Prophetæ. Certè vehementia passionum, de qua supra, index falsorum Prophetarum, secum non patitur in vitis symbolo charitatem: nec mundana occupatio admittit spiritualium contemplationem in ficu significatam. De filijs Prophetarum legitur 4. Regum 4. quòd simul *habitabant cum Eliseo*, quasi solitariam vitam ducentes, ne impedirentur à dono Prophetiæ; vt recolit Angelicus S; qui in Opusculo addit, in oliua significari, qui operibus misericordiæ insistunt. Sed vt reor, Dominus nihil dixit de oliuæ pinguedine, quia hæc possunt & falsi Prophetæ simulare, dicente Chrysostomo; *omnes autem species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate, possunt habere filij Diaboli in simulatione*. Et dum subdit; *solam autem charitatem Spiritus-Sancti, non potest immundus spiritus imitari*: cum Hieronymo; *sola charitas est quæ distinguit filios Dei, & filios Diaboli*; cum Augustino; *nullum est donum charitate excellentius, quod diuidit inter filios Regni æterni, & filios perditionis æternæ*; fit iterum vt *de spinis* non colligantur *vuæ, nec de tribulis ficus*, hoc est veræ charitatis actus, vera contemplationis dulcedo diuinæ comes charitatis; qui ad Gal. 5. sunt primi spiritus fructus; *charitas, gaudium*, &c. Ieiunare possunt falsi Prophetæ, eleemosynas facere, prædicare &c. sed hi non sunt fructus, qui certam ducant ad probitatis cognitionem: fallere possunt. Vera dilectio, verumque Dei conquisitum gaudium non fallit.

R Opusc. 41. l. 2. c. 9.

S 2. 2. 172. 4.

VERS. XVII. *Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit.*

15. *Facit* T præsentis temporis est: in quo ostenditur, quòd semper est in actu fructificandi: vnde commendatur à fructificandi assiduitate. Sic Ieremiæ 18. *nec aliquando desinet facere fructum*. Et Apocalyps. 22. *per menses singulos reddens fructum suum*. Animaduerte, arboris non autem arbusculæ sumi similitudinem. Incipientes sunt arbusculæ vix plantatæ: arbor incrementum obtinuit, iuxta illud Matthæi 13. *cum autem creuerit, fit arbor*: perfectorum proinde typum gerit. Esto, arbusculas nondum assiduitate polleant fructificandi; arbores quæ vigore præstant, nunquam *desinunt facere fructum suum*. De perfectis est Sermo Domini, qui Prophetica obeant munia; ideo dignoscendorum istiusmodi, primum signum, ab assiduitate petendum docet. *Omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit*. Arbuscula mala, non habet malè fructificandi assiduitatem, benè verò mala arbor, hoc est perfecta in malitia. Nam metaphoricè, vt patet per Philosophum, V dicitur quis perfectus fur, siue latro; quia operatur X accommodè ad finem 2. ad Timot. 4. *mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes*.

T Serm. Dom. 8. post Pent.

V p. 2. 55. 3. 1.

X q. 91. 1.

tentes. Ecce eorum profectum: iam arbores facti sunt, qui veniunt in vestimentis ouium; de quibus Roman. vltimo; *per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium*. Facit ad hæc quod ait Apostolus Roman. 2. *qui ergo alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras*.

VERS. XVIII. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*.

16. Diuus Dionysius 4. capit. *de diuinis nominibus* hoc memorans ait; *non enim potest (sicut eloquiorum veritas dicit) arbor bona fructus malos facere, neque quidem è conuerso*. Arctando autem Domini sententiam, ad de quo agitur, pro germana capessenda intelligentia isthæc est obiectio; & quidem ex

A De Virtutibus q. 2.a.11. & 2.2.24.11. sana doctrina; quia A in statu viæ charitas non implet totam potentialitatem animæ; quæ non semper actualiter mouetur in Deum, omnia in ipsum actuali intentione referens, & ideo charitas viæ amissibiliter habetur, quantùm est ex parte subiecti. Palam etiam ex professo tradit, charitatem amitti posse: &

B 2.2.cit. a.11. non nisi per peccatum mortale, vt ibi B. Quomodo ergo *non potest arbor bona malos fructus facere?* Facilius alterius Hemistichij capitur sensus; etenim

C p. 2. 109.2. sine gratiæ auxilijs supernaturale bonum C nemo nostrum potest facere. Et sic nequimus omnia man-

D ibi a.4. data legis implere: sed hoc D non est nobis omnino impossibile, quia ex 3. Ethicor. *quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus*. At quoniam hoc

E ibi a.8. vel illud virtutis opus potest homo, vitando hoc E vel illud peccatum mortale, facere; adhuc est difficultas quomodo verum sit; *neque arbor mala bonos fructus facere*. Igitur non intendit Dominus vertibilis arbitrij non esse hominem, siue bona sit arbor siue mala; (quem nimirum Ecclesiastici 14. *reliquit in manu consilij sui; cui apposuit aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem* enim, *vita & mors, bonum & malum*: cum & ex Philosopho 9. Metaph. potentiæ rationales sint contradictionis. Cum denique legatur Ecclesiast. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; malis autem improperetur, quòd non fecerint bonum; Matthæi 25. *esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c.) sed potestatem cha-

F De virtutibus loc. cit. in corp. & 4. cont. Gent. c. 70. ritatis F commendat, quatenus nullus habens charitatem, potest peccare, quantùm est ex vi ipsius charitatis. Sicut neque aliquis habens aliquam formam, ex vi illius formæ, potest operari contra formam illam. Sicut calidum ex vi caloris non potest infrigidare vel frigidum esse; potest tamen amittere calorem, & infrigidari. Et secundùm hoc dicit Augustinus, quòd sicut potest fieri, vt quod fuit nix, non sit, non autem vt nix sit calida; sic potest fieri, vt qui malus fuit, non sit malus; non tamen fieri potest, vt malus benefaciat. Et eadem ratio est de bono secundùm quancumque virtutem; quia nulla vir-

G p. p. 49. a.1.1. tute aliquis malè vtitur. Sic & alio in loco; G secundùm Augustinum contra Iulianum, arborem malam appellat Dominus voluntatem malam, & arborem bonam, voluntatem bonam: ex voluntate autem bona non producitur actus moralis malus, cum ex ipsa voluntate bona, iudicetur actus moralis bonus. Idipsum è contra dic lector de voluntate mala. Verùm etsi theologica huiusmodi sint verissima, potueritque Dominus de ijsdem nos velle instruere, haud crediderim huc potissimè spectasse; quando ad rem, quam versat de explorandis falsis Prophetis, discernendisque à veris minimè faciunt: id quod in clausula inculcat dicens; *igitur ex fructibus eorum* (versu 20.) *cognoscetis eos*. Fuit ergo, me iudice, Domini intentio, vt Prophetarum vita nobis esset ob oculos. Et si quidem assiduè siue frequenter lapsos videremus, attenderemus ab illis, cautè auscultaremus; si è contra nunquam vel raró delinquere, fideremus; eos tanquam bonas arbores plurimi faciendo; secus, tanquam malas discernendo, nequaquam sub ipsarum vmbra securè quiesceremus. Attendendus est itaque habitus vel benè, vel malè viuendi. Quamuis enim possit arbor bona malum fructum facere, non ita pluraliter *malos fructus facere*, vt loquitur Dominus. Potest malum fructum facere, quia potest peccare; at non potest *malos fructus facere*; quia non est vitiosus. (Vitium est habitus malus, H & habitus malus virtualiter est H p. 2. 71. a. 3.
causa multorum malorum actuum, immo habitus virtute est plures actus.) Sic *arbor mala* potest bonum fructum facere; at non pluraliter, *bonos fructus facere*; quia, cum homo non habet cor suum I I p. 2. 109.8.
firmatum in Deo, occurrunt multa, propter quæ consequenda vel vitanda, homo recedit à Deo; & ita peccat mortaliter; præcipuè quia in repentinis homo operatur, secundùm finem præconceptum, & secundùm habitum præexistentem, vt Philosophus dicit in 3. Ethicorum. Et sic manifestari in ijs, quæ subitò agenda occurrunt, ait L hic Diuus Thomas, L D.Th. hic.
addens ex Seneca; *nemo potest diu fictam ferre personam*. Ecce quomodo *arbor bona*, non habens habitum vitij malum, non potest *fructus malos facere*: & ex aduerso *arbor mala*, habitu scilicet malo, *non potest bonos fructus facere*. Pluralitas fructuum bonorum vel malorum ostendit, qualis sit arbor, bona vel mala. Simile quid Ioannes habet in sua prima c. 3. *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, &c. & *non potest peccare*; quod intelligitur M de M 1. Ioa. 1.
potentia disposita & propinqua, non remota: potest enim potentia naturæ, sed non potest potentia habitus gratiæ: sicut, si diceretur quòd bonus scriptor non potest male scribere. *In hoc manifesti sunt*, subdit Ioannes, *filij Dei, & filij Diaboli*; idest manifestè distincti sunt. Matthæi 7. *à fructibus eorum* &c. Simile quid ad Pharisæos increpandos ait Dominus infrà c. 12. *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona; & malus homo de malo thesauro profert mala*. Quo loci tametsi Dominus singulari ex fructu notet arborem qualis sit, non verò in plurali vt hic facit: (considerat hoc Diuus Thomas in præfato Sermone, quia arbor bona debet fructus multos producere, sicut arbor mala multos malos) hoc ideo est, vt opinor, quoniam, qui singulariter bonum vel malum facit, satis deprehenditur bonus vel malus sibi: sed vt alijs bonus vel malus agnoscatur, non sufficit vnius vel alterius boni operis aut operis mali fructus, sed experimentum requiritur. Experimentum autem, vt in principio *Metaphysicæ* dicitur, fit ex multis. Christus Dominus in præsenti cap. 7. loquitur de agnoscendis ijs, qui boni sint alijs; quia præmissum est de Prophetis. Datur certè Prophetia ad vtilitatem Ecclesiæ, sicut aliæ N gratiæ gratis datæ 1. N 2. 2. 172. 4.
Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. Ad comprobandam nihilominus magis Personæ etiam respectu sui ipsius, bonitatem, ad pluralitatem est recurrendum bonorum operum: vnde thesauri similitudine *bona* proferri pluraliter statim ait.

VERS. XIX. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*.

Cum præmiserit Dominus de arbore mala, quæ 17.
malos facit fructus, subticet de illius excisu, & combustione, quia à fortiori intelligitur. Et ratio huius esse

O 2. 2. q. 79. 4. esse potest, eo quod simpliciter & absolutè, O transgressio grauius est peccatum omissione. *Quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur*: multo ergo magis, quæ malos facit fructus. Quare etiam specialiter ad omissionem descendat, manifestabit Synaxis. Interim cohæret hoc sententiæ in eum prolatæ, qui infra c. 25. vnum quod acceperat talentum, *abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui: inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores*: & de palmite, qui Ioan. 15. si in vite non manserit, *arescet, & in ignem mittent, & ardet*. Tria autem sunt arborum genera, quæ faciunt fructus nullos. P Prima est, quæ facit frondes sine fructibus; & ij sunt qui faciunt verba sine operibus: infra c. 21. *videns Iesus ficulneam, venit ad illam, & nihil inuenit nisi frondes*: secunda est, quæ facit flores sine fructibus: ij sunt qui faciunt, in apparentia opera, sed non verè; 2. Timot. 3. *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. Iob 12. *cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ hominum, qui obliuiscuntur Dominum; & spes hypocritæ peribit*: tertia, quæ facit fructus, sed inutiles penitus; Sap. 4. *fructus eorum acerbi, & inutiles ad manducandum*. In Canonica Iudæ; arbores autumnales, infructuosæ, &c. Adde illud Isaiæ 4. *expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas*; c. 28. *væ flori decidenti*; Cant. 7. *videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*. Isaiæ 1. *velut quercus defluentibus folijs*.

P Serm. Dom. 8. post Pent.

VERS. XXI. *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, &c.*

18. Iam ad falsam verbosorum fiduciam retundendam accedit Dominus. Huiusmodi sunt primi generis nuper dicti, arbores. Prouerb. 14. *in omni opere erit abundantia; vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas*. 1. Corinth. 4. *non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute* & c. 9. *sic pugno non quasi aerem verberans*; non verbis tantùm, sed factis; ibi ait Diuus Thomas. Lucæ 6. *quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Iacobus c. 2. *sic loquimini, & sic facite*. Infra Matthæi 21. filius qui Patri suo ad vineam ipsum mittenti, respondit *nolo, & postea pœnitentia motus, abijt*; Patris fecit voluntatem, non autem ille, qui respondit, *eo Domine, & non iuit*. *Domine Domine aperi nobis* infra c. 25. nec intrauerunt. D. Augustinus in lib. de Pœnitentiæ medicina Tom. 9. miratur, eum qui tantùm Christianus dicitur, non contremiscere, audito dominico tonitruo: *non omnis qui dicit mihi Domine Domine*, &c.

VERS. XXII. *Multi dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. & in nomine tuo virtutes multas fecimus?*

19. Prophetia, quæ aliquando datur solùm propter vtilitatem aliorum, Q non verò propter propriæ mentis illustrationem, potest esse sine charitate. Hinc Hieronymus; prophetare &c. interdum non est meriti eius 1. Cor. 13. *Si habuero Prophetiam, &c. charitatem autem non habuero*. Dicit autem Angelicus, hoc quod in præsenti ait Dominus, R dici ex Persona damnatorum. *Miracula* tamen vera, etsi interdum, cum eodem Hieronymo, S *non eius sint meriti, qui ea operatur; sed inuocatio nominis Christi hoc agat, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt*: attamen interdum non fiunt ad veritatis prædicatæ manifestationem, sed ad demonstrationem Sanctitatis alicuius, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis; & sic non fiunt miracula nisi à Sanctis vel in vita eorum, vel etiam post mortem; siue per eos, siue per alios. Quando autem per malos fiunt miracula, certè non fiunt ex eorum T merito de condigno, sed ex quadam congruitate, in quantùm fidem constanter profitentur, in cuius protestatione Deus miracula facit. Videntur mihi hi, arbores, quæ florent sed non fructificant.

Q 2. 2. q. 172. 4. ad 3.

R De verit. 12. 2. 5. sed contra.

S 2. 2. 178. 2. & opusc. 60. 2. 15.

T De potentia q. 6. a. 9. 2.

VERS. XXIII. *Nunquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.*

Præmittit Dominus; *& tunc confitebor illis*; pergitque; *quia nunquam noui vos*. Ecce quomodo totius negotij salutis vel iustæ condemnationis se facit actorem; *erat enim*, vt in calce capitis legitur, *docens eos, sicut potestatem habens*. Vbi mirè obseruandum est aduerbium illud temporis, *tunc*: quod quidem non semel in iudicio infra c. 25. fertur. Cuius esse potest ratio, quia iudicandis claudi finirique tempus debuit insinuari. Quandoquidem cum *ibit homo*, Ecclesiastes 12. *in domum æternitatis suæ; tempus*, Apoc. 10. *non erit amplius*. Tunc audient *nunquam noui vos*. Quod intelligi potest de notitia diuinæ prædestinationis, vt exponitur illud 2. Timot. 2. V *cognouit Dominus, qui sunt eius*; & Ioan. 11. *ego cognosco oues meas*. Vel, *nunquam noui vos*, idest non approbaui, vt dictum est Matthæi 25. *nescio vos*: X sicut artifex nescit opus, quod discordat ab arte. Prophetæ istiusmodi, non erant eius A per gratiam. Ideo ergo *non nouit*. Infra c. 10. *negabo & ego eum coram Patre meo*. *Tunc* non esse prædestinatos, vt vides, eis palam fiet. Quamuis *de potentia absoluta*, Deus possit reuelare B suam damnationem alicui, non tamen hoc potest fieri *de potentia ordinaria*; quia talis reuelatio cogeret eum desperare. Et si alicui talis reuelatio fieret, deberet intelligi, non secundum modum Prophetiæ prædestinationis vel præscientiæ, sed per modum Prophetiæ comminationis. Sic legitur in Vitis Patrum apud D. Antoninum Part. 1. tit. 12. §. 4. Sancto cuidam Patri discipuli damnationem reuelatam fuisse: sed quia fuit comminatoria, postea intellexit diuinitus esse saluandum. *Tunc*, inquit, *confitebor*: in *dicam* vertunt Arabica & Augustinus; apud Albertum *iurabo* legimus, & in Syriaca, *profitebor*: in *Sylua* Lauretus; *confiteri* aliquando est *protestari*. Chrysostomus in Hom. *Dicit autem, nunquam noui vos; quia non solum in tempore iudicij, sed neque tunc, cum miracula faciebatis: multos enim & hic iam odio habet, & ante punitionem auertit*. *Discedite à me qui operamini iniquitatem*; Hieronymus; *non dixit qui operati estis iniquitatem, ne videretur tollere pœnitentiam; sed qui operamini, idest, qui vsque in præsentem horam, cum iudicij tempus aduenerit: licèt non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum*. Adde vt in Catena Marci 16. ex eodem; *peccata præterita non nocent, quando non placent*. Sic Matth. 13. *mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem*. Rabanus; *eos qui faciunt, non qui fecerunt; quia non qui conuersi sunt ad pœnitentiam, sed qui permanent in peccatis, æternis cruciatibus mancipandi sunt*. Augustinus; *fac satis; & sanatus es*. Ezechielis denique 33. *impietas impij non nocebit ei; in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua*.

20.

V 2 Tim. 2. l. 3. & 1. p. q. 24. 1.

X Matthæi 25.

A 2. 2. 172. 4. sed contra.

B De verit. q. 12. a 8. ad 2. & 1. ad Hannib. d. 48 a. 2. ad 3.

VERS. XXIV. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilatur viro sapienti, qui ædificauit Domum suam supra petram.*

21. Per oppositum, ad id quod sequitur de viro stulto, *qui ædificauit super arenam* spirituale sui ipsius ædificium, seu *domum suam* (Hebræor. 3. *quæ domus sumus nos*) *super arenam*, pro qua intelligit C bonum temporale, supra quod quis finem suum seu intentionem quasi fundamentum collocat; per oppositum inquam, *petræ* metaphora, æterna bona accipientur: & quidem non abs re, iuxta quod supra dictum, *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; the-*

C D. Th. hic.

thesaurizate autem vobis thesauros in Cœlo. Veruntamen quid profundius, dum agitur de fundamento desodiendum est. In primis ergo *petra* isthæc fundamentum, lex dici potest naturæ, firmum
D p. 1. 94. 6. adeo vt nequeat, quod docemur, D à corde aboleri. Petra supra quam quis ædificat à natura, vt rupes, habet soliditatem. Fortè, quia fundamentum

est, lapideis tabulis, cum Moysi traderetur, scripsit eam Deus. Sic deinde tanquam legi naturæ consentaneum, iussit Dominus Deuteronomij 27. læui gatis lapidibus post Iordanis transitum, scribi ipsum Deuteronomium *planè & lucidè*; id quod factum esse legimus Iosue 8. quocirca, quoniam delectatio
E p. 2. 31. 4. E perficit operationem, quo operosam ædificationem per legis fundamentum inchoatā innuat, aiebat vt reor Apostolus Rom. 7. *condelector legi Dei secundum interiorem*: quasi diceret, delector ædificans. Delectatur autem interior homo, qui viri promeretur nomen *viro sapienti*. Sed quoniam ait Paulus Ephesior. 3. *in charitate radicati & fundati*, lubet
F Ephes. 3. l. 4. magis in hac petra charitatem insculpi. Ibi; F sicut arbor sine radice, & domus sine fundamento de facili ruit, ita spirituale ædificium, nisi sit in charitate fundatum & radicatum, durare non potest. Et quidem cohærenter huic textui; nam præmittit; *det vobis* &c. *virtutem corroborari per spiritum eius, in interiori homine, Christum habitare* (habitatur certè in Domo) *per fidem in cordibus vestris*. Et quia vt dicit Augustinus *tract.* 17. in Ioannem; *charitas implet legem*; iuxta illud Ioan. 14. *si diligitis me, mandata mea seruate*: ecce per mandatorum dilectionem ædificatio, Eccles. 26. *fundamenta æterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ*. Charitas autem dicitur fundamen-
G D.Th. hic 2. 2. 23. 8. 2. tum, in quantum G per eam sustentantur omnes aliæ virtutes, quarum est radix. Et si obijcias, exponi ly *supra petram*, H supra fidem, quatenus tota
H Quod lib. 6. a. 6. & hic. firmitas spiritualis ædificij est à fide. Quæ fides Hebr. 11. *est substantia sperandarum rerum*: quia facit I
I Ephes. 3. l. 4. Opusc. 2. c. 2. in nobis subsistere res sperandas per modum cuiusdam inchoationis. Respondeo fundamentum ædificij eius qui saluari vult, esse debere L fidem chari-
L p. 2. 89. 1. 2. tate formatam. Et si, *supra petram* exponatur idest supra Christum, primæ Cor. 10. *petra autem erat Christus*; adhuc supra charitatem fundatur domus;

nam *delectari* hominem *veritate*, *delectari beatitudine*, *delectari iustitia*, *delectari sempiterna vita*, (quod totum Christus est, vt ait Augustinus tract. 26. in Ioannem) *amantis*, *desiderantis*, *feruentis*, *fontemque æternæ Patriæ suspirantis* effectus sunt. *Da amantem, & scit quod dico. Qui audit & facit*, certè amat: *probatio dilectionis*, aiebat *Gregorius*, *exhibitio est operis*. Et si roges cur Dominus similitudinem hanc ædificandi supra petram selegerit: fuit, vt colligeretur in eiusmodi Christi sermone sufficien-
M p. 2. 108. 2. in sed contra & hic. ter M ea omnia posita esse, quæ pertinent ad salutem humanam. Et præterea, aio ipse, quia humilitatem tali similitudine indicat; *humilis* quippe dici-
N 2. 2. 161. 1. 1. tur N quasi *humi acclinis*, idest imis inhærens: humilitatis enim primus gradus, ex Diuo Benedicto
O ibi a. 6. 1. *in Regula*, O est corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. Dicit
P ibi a. 5. 2. Angelicus; sicut autem ordinata P virtutum congregatio per quandam similitudinem ædificio comparatur, ita etiam illud quod est primum in acquisitione virtutum, fundamento comparatur quod primum in ædificio iacitur; per modum autem remouentis prohibens, humilitas est spiritualis ædificij fundamentum. Vnde Augustinus *de verbis Domini* Serm. 10. *cogitas magnam fabricam constituere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis*. Et iam Dominus humilitatem commendare deprehenditur dum inquit, *omnis qui audit verba mea*

hæc: Ecclesiastici enim 32. monetur homo, *audi tacens*; item, *si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum*: qui est quartus, humilitatis gradus, ex eodem Sancto Benedicto; *taciturnitas* scilicet *vsque ad interrogationem*. Et quia Ecclesiasticus c. 6. habet, *si dilexeris audire sapiens eris*, ecce Dominus assimilari inquit *qui audit, & facit*, consequenter, *viro sapienti* 1. Cor. 3. *vt sapiens Architectus fundamentum posui*. Manifestum est quòd tota Q structura ædificij ex fundamento dependet, Q 1. Cor. 3. l. 2.
& ideo ad sapientem Architectum pertinet idoneum fundamentum collocare. Igitur *supra petram*. Et ecce tria hæc, charitatem, & inde opera ac humilitatem verbis Domini tangi dum ait; *Omnis qui audit & facit*, nam *fides* Rom. 10. *ex auditu*; *auditus autem per verbum Christi*, ergo, *verba mea hæc*; sed Galat. 5. *fides per charitatem operatur*; ecce, *facit ea*. Assimulatur *viro sapienti*: ecce de humilitate; quia Prouerb. 11. *vbi est humilitas ibi & sapientia*.

VERS. XXV. *Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti; & irruerunt in Domum illam, & non cecidit.*

Gradationem diabolicæ tentationis intelligit R 22.
Sanctus Doctor; quia Diabolus nunquam tentat R D.Th. hic.
primò in maioribus. Vnde per pluuiam, cogitatio praua, &c. Vel, pluuia est tentatio carnis; flumina, tentatio Mundi; Venti, tentatio Diaboli. Verùm quoniam de fundamento charitatis præmissum est, opportunè de charitati oppositis, sub aquarum metaphora, (cum sit illa ignis & ardor) inducitur; nimirum de pluuia & fluminibus, Cant. 8. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Sic & de ventis, sed frigidis ardori charitatis infensis. Ecclesiasti. 43. *frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua; super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis*. Sicut autem cognoscitur domus fundata sapienter supra petram, quando impellentibus, aut ruinam molientibus resistit, *sic in charitate radicati* sumus *& fundati*, cùm insultati non cadimus; *irruerunt in domum illam, & non cecidit*. Multa quidem domum istam possunt impetere, & charitatem extinguere; at vt aliàs dictum est, S mi- S 3. p. 62. 6. 3. & q. 70. 4.
nima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum Dei; minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas *millia auri & argenti*. Hinc Apostolus Roman. 8. *quis nos separabit à charitate Christi?* percenset autem plura ibi Paulus, quorum ordinatam seriem eo in loco perquam studiosè vide in Sancto Doctore. Quæ cuncta, vt mihi deprehendisse videor, colligit mirabiliter Dominus in his tribus, *pluuia*, *flumina*, *venti*. *Tribulatio an angustia? an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? certus sum quia neque mors neque vita*. In his duobus includuntur omnia, T quæ supra posuit. Mors est T Rom. 8. l. 7.
præcipuum inter terribilia, vita præcipuum inter appetibilia. Dominus duo hæc altè tetigit, in pluuia & fluminibus. Pluuia certè pro potissima vitæ causa; & pro magnæ matris (hoc est, terræ) fœcunditate, quæ nobis alimenta & quibus tegamur ministrat, egregie stat: an *fames & nuditas* deuitanda, an alimentorum & quibus tegamur prouentus, nos perterrefacient, nos illicient? absit. Nec temporalium

copia, quæ per *pluuiam temporibus suis* Leuitici 26. promittitur, siue nec *fames* aut *nuditas* declinanda, *nos separabit*. *An periculum, an persecutio, an gladius?* Hoc de morte; 2. Corinth. 11. *in mortibus frequenter*. Ecce æquipollens *nec flumina*. Ecce fluminis proprietatem 7. Regum 14. *omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram; quæ non reuertuntur*. Mors etiam est defluens, Eccles. 51. *pro morte*

te defluente deprecata sum. Flumina quoque, quæ operiunt & obruunt, Isaiæ 43. Ecclesiast. 51. mortem inferunt. Huiusmodi ergo *tribulatio & angustia* non separabit. At addit Apostolus, neque *Angeli*, neque *Principatus*, neque *virtutes*. Hoc planius intelligitur de Angelis V malis; Ephes. 6. *est nobis colluctatio aduersus Principes & Potestates*. Isti sunt venti, qui irruunt in Domum; & indicatur X infestatio Dæmonum, à quibus, vt tempestas à ventis in mari, surgit tentatio, & tribulatio Sanctorum. Addit tres alios ventos surgentes, à peruersitate hæreticorum, à crudelitate Tyrannorum, à malignitate falsorum Christianorum. Danielis 7. *& ecce in mari magno pugnabant venti quatuor*. Pergit Apostolus; *neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum*. Per futurorum nocumentorum euentum incutitur timor: (hoc etiam considerat ibi Diuus Thomas) quare per instantia timor augetur; & si apprehensio sit de malo futuro omnino certo, non inducit timorem ex Philosopho 2. Rhet. capit. 5. vt fert Angelicus A. Causat ergo tristitiam: 2. Corinth. 7. *foris pugnæ intus timores*; timens B persecutionem in futuro. Et licèt timor & tristitia contineantur in tribulatione, vnde ibi ait Paulus, *omnem tribulationem passi sumus*: attamen secundùm propriam rationem timor in tristitiam terminans non tam est tribulatio, quàm angustia; & sic palam tristitia C dicitur angustia, cum non apparet aliquod refugium, negata fuga. Timor absolutè non est D sine aliqua spe euasionis. Ad passiones ergo conuertitur Apostolus, postquam de exterioribus locutus est, firmans nec ab his se vincendum, per separationem à Christi charitate: (Prouerb. 12. *non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.*) Et quemadmodum præmissa sunt intelligenda nomine tribulationis, ita quæ subijcit, *neque instantia, neque futura*, &c. ad angustiam attinent: *tribulatio an angustia?*

V Rom. 8. l. 7.

X Serm. Dom. 3. post Epiphan. ex Euang.

A 1. p. 15. 7. & opusc. 60. 18.

B 2. Cor. 7. l. 1.

C p. 2. 35. 8.

D p. 1. 67. 4. 2.

23. Huiusmodi autem animi passiones, præcipuè fortitudo aduersariorum nostrorum videtur inferre posse, ideo subdit, sed *neque fortitudo* (timori est opposita) Canticorum 8. contra stat dilectio, quæ *fortis est vt mors*. *Neque altitudo*: psal. 36. *vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani*. Matthæi 10. *ad Præsides & ad Reges ducemini*: Amos 2. *cuius altitudo, cedrorum altitudo est*: Ezechielis 31. *ecce Assur, quasi Cedrus in Libano*. Neq; ergo huiusmodi altitudo sic terret, vt separet à charitate. Sed *neque profundum*: quod ipse pro occultis insidijs acciperem; nam Ieremiæ 17. *prauum est cor omnium, & inscrutabile*. Et ita ly *intùs timores*, exponit etiam E quoad eos, qui dicunt se amicos, & non sunt. Hæc omnia excludit Dominus vno verbo, dicens; *irruerunt in domum illam, & non cecidit*; nec *re*, nec *animo*; quod est secundùm latinorum idiotismum, *animo frangi*. Etsi ergo irruant pluuia flumina & venti, (*si insurgunt venti tentationum*, aiebat Bernardus) non ruit domus, quæ ædificata est *super petram*. Et *neque profundum* hanc domum potest concutere: psal. 68. *neque absorbeat me profundum*: quod exponitur de desperatione: F aliquando enim contingit, eoquòd aliquis alta absorbeatur tristitia: sed etsi desperet quis de humano refugio, atque adeo profundum desperato terreno auxilio ipsum absorbeat, non propterea *separatur à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu*; non propterea corruit, quin potius emergit & aufugit, *per supereminentem scientiæ charitatem Christi*, (Ephes. 4.) de angustijs cunctis elapsus: iuxta illud 2. Corinth. 4. *tribulationem patimur, sed non angustiamur*: vbi Diuus Thomas; G loquitur Apostolus ad similitudinem viatoris, qui, quando non patet ei via, qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur: quasi dicat; homines, qui solum in Mundo confidunt, angustiantur, si vndique à malo tribulantur, quia non patet eis via remedij, cum non sperent, nisi de Mundo; sed nos, licèt tribulemur de Mundo, quia tamen confidimus de Deo, & speramus in Christo, patet nobis via euasionis & auxilij à Deo; & ideo non angustiamur. Aliquando aliquis præ tristitia H totaliter absorbetur à dolore; sed hæc secundùm Philosophum non cadit in Sapientem. Ex quo liquet, conuenienter per ly *profundum* non valens separare iustos à charitate Christi, nec eradicare domum, accipi tristitiam ex parte, nimirum quoad humana refugia, non verò vndequaque tristitiam, quæ vt dictum est, in Sapiente locum non habet; cuius similitudinem inducit hic Dominus; *viro sapienti*. Per aquas tribulationes significari I alibi habes. Ait autem glossa relata à Diuo Thoma in prima Apoc. Exposit. cap. 8. §. Et primus Angelus: *ne indignemini, si mali florent in Mundo, & nos patimur: non enim Christianæ Religionis est, temporalibus exaltari, sed potiùs deprimi: mali nihil habent in Cælo; vos nihil in Mundo*.

E 2. Cor. 7. l. 1.

F 2. Cor. 2. l. 2.

G 2. Cor. 4. l. 3.

H 2. Cor. 2. l. 2.

I Prologo prim. Thessal.

VERS. XXVI. *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea*, &c.

Iste domum spiritalem ædificans *super arenam*, quæ, vt ait, L non adhæreseit, certè non ædificat *super petram* charitatis. Charitas est M quasi cæmentum conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo. Aduersantia tria recensentur: N prosperitas eleuans, aduersitas constantiam frangens, persecutio affligens. Si hæc irruant, quæ facilè in pluuia vbertatis caussa, in fluminibus exundatione vastantibus, in ventis impetu flantibus dignoscuntur, cadit domus ruina magna. *Charitas non inflatur*, 1. Corinth. 13. *patiens est, omnia suffert*. Verùm quoniam, vt inquit Augustinus, *venenum charitatis est cupiditas*, liceat pro arena aurum accipere, de quo Sap. 7. *omne aurum in comparatione illius* (Sapientiæ) *arena est exigua*. Et ecce viro stulto cohærenter comparari de quo Prouerb. 17. *quid prodest stulto habere diuitias, cum Sapientiam emere non possit?* statimque; *qui altam facit domum suam, quærit ruinam*: Et cap. 16. *posside sapientiam, quæ auro melior est*. Hoc præcauerat Apostolus, qui dixit 1. Thessal. 2. *neque in occasione auaritiæ*. Certè Ecclesiastici 31. *multi dati sunt in auri casus; & facta est in specie ipsius, perditio illorum*; & priùs capit. 8. *multos perdidit aurum & argentum*. Quicquid ingruat, quicquid irruat, quicquid vrgeat eum, *qui diligit aurum, non iustificabitur*; Ecclesiast. 31. Pluuia quæ fœcundat, flumina quæ vehunt, & reuehunt, venti qui mari transferunt, auarosque multipliciter ditant, tentamenta sunt, quæ magnam moliuntur interioris domus ruinam. *Cecidit, & fuit ruina illius magna*. Caderet Christus, tentauit stultè tunc Diabolus, cùm sup. capit. 4. *ostendit ei omnia Regna Mundi; si cadens adoraueris me*. Magna autem vel ex hoc dicenda est ruina, quia, vt fertur O quæsitum est à Dæmone, quod est grauius peccatum & dixit; *habere de alieno*: cui responsum est, *tu mentiris*: immo dixit, *quia alios peccatores sæpè amitto, istos autem non amitto*.

24.

L D. Th. hic.

M Ephes. 2. l. 5.

N Isa. 4. [illegible]

O Matthæi 19.

VERS. XXVIII. *Admirabantur turbæ super doctrina eius*.

25. Sermo iste Domini, nedum factus est ad discipulos, ad quem in monte accesserant; vt in principio 5. capitis ait Matthæus; sed (quod supra animaduertimus) & ad turbas, vt fert Lucas capit. 6. Et quidem descenderat cum Apostolis, vt idem ait Lucas *in loco campestri*, vbi erat *multitudo copiosa, & turba aliorum discipulorum eius*. Vel primò di-

ſcipulis, qui erant in cacumine montis, deinde turbis quæ erant in planitie, quas declinauerat, quas *videns* Matth. 5. *aſcendit montem:* & idcirco turbis, quatuor tantùm ſecundùm eorum capacitatem ediſſerit beatitudines. Hæc habes P ex Diuo Thoma. Supra in Syntaxi cap. 5. bis verba de his feciſſe Dominum putauimus.

P hic & p.1. q 69. 3. 6.

VERS. XXIX. *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens.*

Hinc *admirabantur ſuper doctrina eius.* Eccleſiaſtes 8. *ſermo illius poteſtate plenus eſt:* Q vnde quaſi poteſtatem habens? quia, vt Dominus loquebatur, vel ſicut Legiſlator, ac penetrans cor. Quantum ergo ad efficaciam perſuadendi, & quantum R ad auctoritatem loquentis, quia loquebatur quaſi dominium habens ſuper legem, cum diceret, *ego autem dico vobis.* Quicquid volebat, S illico perficiebat; *dixit & facta ſunt.* Sic per ſe ipſum loquebatur non ſcripto, vt doctrinam ſuam T Auditorum cordibus imprimeret. Non ſic *Scribæ eorum & Phariſæi.* Apoſtoli vt perfecti non mirabantur; quidam mirabantur, & ſcandalizabantur, vt Phariſæi infra cap. 15. Turbæ etſi mirarentur, non tamen ſcandalizabantur V.

Q D.Th. hic.
R 3. p. 42.1.2.
S Cant. 5. communi Comm.
T 3. p. 42. 4.
V D.Th. hic.

SYNTAXIS

Ad Caput Septimum.

VERS. I. *Nolite iudicare, vt non iudicemini,* &c.

1. Poſtquam capit. 6. renatorum perfectionem in ſe ipſis, ſuiſque in operationibus confouere dignatus eſt, præcauendo quæ eleemoſynam, orationem ac ieiunium labefactare ac inficere poſſunt, pergit hoc in ſeptimo de ijs commonere, quæ perfectionis exercitationem ad proximum conſueſcunt vitiare, vt inde ſyncere Chriſtus annuncietur, ab ijs qui ſunt ex Diuo Dionyſio (vt dictum eſt in Syntaxi Capitis 5.) aliorum perfectiui ſiue adductiui. Homo (verba ſunt Diui Thomæ A) cum ad perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones ſuas ad alios, antea verò quaſi ſingulariter ſibi ipſi viuit. Fœcunditas eſt ſpiritualis, ait Diuus Thomas quæſt. 69. qua aliquis generat alios in Chriſto; ſicut Apoſtolus dicit 1. ad Corint. 4. *in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Sic Andreas, Ioannis 1. *adduxit Simonem Petrum ad Ieſum:* quo in loco, B ad rem exponitur illud Apocalypſis 22. *qui audit dicat veni.* Et ibi dixit Philippus ad Nathanael, *veni & vide.* Exodi 36. *cortina trahit cortinam* C. Sic poſtquam Apoſtolus dixit, *perfecti eſtote,* adiecit *exhortamini:* proximis enim D quia Eccleſiaſtici 17. *mandauit Deus de proximo,* impendenda eſt exhortatio ad bona. Et ecce quomodo compendio dicitur, quod Chriſtus Dominus fusè capit. 5. ediſſerit *eſtote perfecti,* & hoc cap. 7. *vides feſtucam in oculo fratris tui.* Quæ item ad Romanos ſcripſerat capit. 12. donationes alias differentes percenſendo, breuiarium veluti quinti ſexti ac ſeptimi capitis Euangelici colligendo. Inter hæc habet; *qui exhortatur in exhortando, qui docet in doctrina:* & hæc duo commemorat Dominus in præſenti dicens, *quid vides feſtucam in oculo fratris tui?* ipſum moniturus hortaturuſque vt illam eruat; *nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos;* quod ad doctrinam. Quæ ſi ad priuata proximi noſtri ſtudia deflectatur, nimirum ad fraternam correptionem, cuius ſynceritatem & efficaciam declarat, claret quàm opportunè præmittat, *nolite iudicare, vt non iudicemini;* quia, vt inquit Diuus Thomas, E non debemus effici exploratores vitæ aliorum Prouerb. 24. *ne quæras impietatem in Domo iuſti;* eoquòd illa beneficia, quæ non debentur certæ perſonæ, ſed communiter omnibus proximis, ſiue ſint corporalia ſiue ſpiritualia, non oportet nos quærere quibus impendamus, ſed ſufficit vt impendamus eis, qui nobis occurrunt. Et quoniam, vt dicunt Summiſtæ, non tenentur priuati corrigere peccata dubia, (ait quippe Dominus infra cap. 18. *ſi peccaueris in te:* item, *adhibe tecum adhuc vnum vel duos*) *ſi in dubijs,* vt eſt proloquium, *non debet præſumi delictum,* pulchrè fit præoccupatio; *nolite iudicare,* (temerè) *vt non iudicemini.* Et ad hæc cohærenter, quia correptio certè ex zelo fit animarum, quo, vt ait Gregorius, *nullum ſacrificium magis Deo eſt acceptum.* Offerre F debet aliquis Deo primò animam ſuam; Eccleſiaſtici 30: *miſerere animæ tuæ placens Deo;* ſecundò autem animas aliorum: ecce Dominus; *eijce primum trabem de oculo tuo.* Et quoniam correptio non eſt ſufficiens ſine Dei auxilio; G vnde Eccleſiaſtes 7. *conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit;* ecce, vt ſupra tactum eſt, de orationis recurſu; *petite & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate & aperietur vobis;* nam *ſi qui corripitur, filius eſt promiſſionis, ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante, aut flagellante, Deus in illo intrinſecus, fortè, operabitur & velle, & ex dolore correptionis voluntas regenerationis orietur,* vt dicit ibi relatus Auguſtinus. Ecce in ſpiritali regeneratione, adhuc ex Auguſtini calamo, nos morari. Hæc eſt cauſa ex qua de correptione præuenit materiam; de qua poſtea cap. 18.

A 3.p.72. 2.& q.69. 5. 3.
B Ioan. 1.1.15.
C 2.Cor. c.10 l 3.
D cap.13. l.3.
E 2. 2. 33.2.4.

F 2. 2. 182.2. ad 3.
G p. 2. 109.8.2.

VERS. XV. *Attendite à falſis Prophetis* &c.

2. Quoniam, ait Hieronymus; *Sacerdotes ſtudeant illud Euangelij implere: ſi peccauerit in te frater tuus;* &c. ad eos ſine dubio ſpecialiter pertinet H; quandoquidem, vt dicit Auguſtinus, *in correctione fraterna grauior eſt cura Prælatorum;* quippe qui beneficia ſpiritualia, cuiuſmodi eſt correctio & doctrina, & alia huiuſmodi, magis debent exhibere illis, qui ſunt ſuæ ſpirituali curæ ſubiecti. Hæc etiam, puto, eſt ratio ob quam hic de fratribus ſermo fit: quoad priuatos autem infra cap. 18. Ideo ad Prælatos ſub Prophetarum nomine deſcendit; vt falſos in doctrina fictoſque in zelo animarum diſcernamus. Cum itaque verba fecerit de reducendis deuijs ad Deum, ecce ad gratias gratis datas deriuari Sermonem. Meritò; nam gratia gratis data, eſt per quam I vnus homo cooperatur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur. Conſtat autem Prophetiam dari L ad vtilitatem Eccleſiæ; ſicut & aliæ gratiæ gratis datæ 1. Corinth. 12. *vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem.* Quare autem ſelegerit Prophetiam, præ alijs? fortè, quia præmiſerat de doctrina, & de ſcientia, quæ correctionem comitari debent; Rom. 15. *pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere:* ſcientia autem & doctrina ſalutaris prophetico dictata eſt ſpiritu; 2. Petri capit. 1. *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

H 2.2.33. 3. 1.
I p. 2. q. 111.a.1.
L 2. 2. q. 172 4 & Rom. 12. l. 1.

Quod

Quod si Propheta hic intelligatur, vt dictum est, qui sacram interpretatur Scripturam: (Ecclesiast. 24. *adhuc doctrinam, quasi Prophetiam effundam.*) accipitur pro interpretatione sermonum, quæ vltima enumeratur 1. Corinth. 12. de quo Petrus vbi supra, *omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*: Et dicendum est, per hanc gratiam gratis datam, tanquam aliarum coronidem, cæteras innuisse satis. Vel hanc memorat gratiam attendendam; (*attendite à falsis Prophetis*) quia hæc gratia, plura præsupponit alia dona, vt sapientiæ, scientiæ fidei: & est familiarius in vsu, præsertim cum ad regeneratos fideles, sacræ doctrinæ Doctor conuertitur: nam 1. Corinth. 14. *linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus*. De fidelibus fratribus videtur hoc in Capite loqui Dominus.

VERS. XXIV. *Omnis ergo qui audit, &c. assimilatur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.*

3. Non potest humiliter curiosus, non rogare, cur hanc ædificandi similitudinem præ tot alijs, inuexerit Dominus? Sed est in promptu responsio, attenta, de quibus agitur, rerum serie. Cum enim de reducendis ad Christum fidelibus, deque ædificanda, eorumdem cœtu Ecclesia, sermo sit, opportunius nihil. *Dedit* profectò, Ephes. 4. *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*. Et post pauca: *veritatem autem facientes in charitate*, (in textu, *qui audit & facit*) *crescamus in illo per omnia, qui est Caput, Christus. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem, in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate*. Sic prius c. 2. *in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino; in quo & vos coædificamini*. Sic 1. Corinth. 3. *Dei ædificatio estis*; & cap. 8. *charitas ædificat*. Sic de Sancto Valerio legimus quòd *exultabat vberiùs, hominem sibi datum diuinitus*, (*Augustinum*) *qui in doctrina sana ædificare Ecclesiam esset idoneus*. Gratiæ gratis datæ, (de quibus dictum est) M sunt ad fidei ædificationem. *Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*: Ephes. 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Iesu*. Iste lapis, hic dicitur *petra*: nam 1. Corinth. 10. *petra erat Christus*. Quocirca Petrus in prima capit. 2. *ad quem accedentes lapidem viuum*, &c. *& ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis*: Ecce in textu *domum suam*. Sed canit Ecclesia; *tunsionibus pressuris expoliti lapides*: Ecce tropi de *pluuia*, de *flumine*, de *ventis*, expositionem. Hinc fiunt fideles Ephes. 2. *ciues Sanctorum, & domestici Dei*: & cap. 4. *ad consummationem Sanctorum*: Hebræor. 11. *ne sine nobis consummarentur*. (Ista consummatio potest referri ad præmium essentiale scilicet beatitudinem N.) De hac consummatione, similis est atque in præsenti metaphora, 2. Corinth. 5. *ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in Cœlis*. *Vir sapiens* ibi *ædificat domum suam*. *Per multas tribulationes* (Actor. 14.) *oportet nos intrare in Regnum Dei*. Sicut (Lucæ 24.) *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Roman. 8. *si tamen compatimur, vt & glorificemur*. Ex hoc autem quòd hæredes sumus, filij deprehendimur: ibidem, *si filij, & hæredes*. Et ecce Matthæi scopus; *Liber generationis* Iesu Christi, suis etiam in membris, vt ab initio Syntaxis assumptum est. 1. Petri 1. *regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem*, &c. Et sic non tam hæredes sumus, quam cohæredes: *hæredes quidem Dei* Rom. 8. *cohæredes autem Christi*. Rom. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*: & cap. 8. item, *in libertatem gloriæ filiorum Dei*: (aliquorum dicitur Deus Pater secundùm similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident) *in libertatem*, P quæ est à seruitute miseriæ. Tu dic exanthlatis ærumnis pluuiæ fluminum ac ventorum. Huc collimat regeneratio, filiatio & hactenus Euangelistæ ac Sermonis Domini denarratio: vt *vir sapiens*, non iam puer adolescens sed perfectus, tanquam sapiens altissimam vtique potissimam eam contempletur finalem caussam. *Licèt is enim qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue, tribulationis nostræ* (ecce pluuia, flumina, venti,) *supra modum in sublimitate* (ecce *assimilatur viro sapienti*, velut ibi Diuus Thomas *in sublimitate*, hoc est, absque perturbatione:) *æternum gloriæ pondus operatur in Cœlis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur*, (idem Apostolus) *quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna*. Sic ædificatur Ecclesia, quæ Ephes. 1. *est corpus eius*: militans, Q quæ est hominum in præsenti viuentium, & triumphans, quæ est ex hominibus & Angelis in Patria. Et quidem Matthæi 19. *in regeneratione, cum sederit* &c., & quidem *per lauacrum* præuium *regenerationis* Titi 3. quod vno verbo, vsque ad hoc totum caput 7. præassumit Matthæus in primo exorsus; *Liber generationis Iesu Christi*.

4. Superest pro miro Sermonis Domini nexu, quod in Syntaxi præcedentis Capitis cœpimus, de relatu ad beatitudines prosequi. Sanè vt fertur R ex Augustino, omnia quæ dicuntur in hoc Sermone ad beatitudines reducuntur. Iam diximus de primis tribus; *Beati pauperes spiritu: cum facis eleemosynam* &c. Certè, *qui vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus*, infra cap. 19. beatitudinem attigit: Ecclesiast. 31. *beatus diues, qui post aurum non abijt. Qui se se orationi dedit: tu autem cum oraueris*: oratio enim ex Scripturis humilis esse debet; psalm. 101. *respexit in orationem humilium*: Ecclesiast. 35. *oratio humiliantis se penetrabit nubes*: connectuntur autem hæc duo infra cap. 11. *mitis sum & humilis corde*. Item emicat tertia beatitudo, *beati qui lugent*, vt dictum est, in ieiunio: *cum ieiunatis*. Quare in 7. capite ad quartam acceditur; *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam* dum & de iudicio, & de proximorum iustitia & sanctitate per correctionem quoque procurandis, verba fiunt. *Nolite iudicare: quid autem festucam?*

5. Inquit autem Angelicus, S quòd correctio peccantium, quantum ad ipsam executionem actus, seueritatem iustitiæ continere videtur: ergo, aio ipse, corrigere est esurire & sitire iustitiam. Sequitur quinta beatitudo, *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Et ecce hanc ipsam inuoluit sermo Domini; quia eadem correctio quantùm T ad intentionem corrigentis, qui vult hominem à malo culpæ liberare, pertinet ad misericordiam & dilectionis affectum; secundum illud Prouerb. 27. *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*. Correctio doctrina oratio, & huiusmodi, de quibus in capite; *quomodo dicis fratri tuo, sine eijciam festucam?* &c. *nolite dare Sanctum canibus*; *petite & dabitur vobis*; eleemosynæ sunt spirituales; quas V distinguit & explicat Diuus Thomas: quæ quidem sunt opera potiora misericordiæ, vt patet. Dum autem ait Dominus;

M Rom. 11. l. 2.

N Hebr. 11. lect. 8.

P Rom. 8. l. 5.

Q Eph. 1. l. 8.

R D. Th. hic in calce cap.

S 2. 2. 33. a. 2. ad 3.

T ibid.

V ibidem in corp.

omnia ergo, quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: palam iustitiæ atque misericordiæ studia nectit. Iustitiæ, cum sit virtus cardinalis, x quædam aliæ virtutes secundariæ adiunguntur, sicut misericordia, &c. Legimus infra cap. 18. *nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui?* (Ecce misericordiam) *sicut & ego tui misertus sum*. (Ecce iustitiam.) Sexta beatitudo; *beati mundo corde*, desideratur in Prophetis. *Lupi rapaces in vestimentis ouium*; cor purum non habent. *Finis præcepti*, 1. Timoth. 1. *est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Septima beatitudo; *beati pacifici*, includitur in sequentibus, quæ tribulationes & persecutiones sub pluuiæ fluminum ac ventorum figuris signant; compactione quadam cum postremo adiecta beatitudine, *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Hi valde sunt *pacifici*: quandoquidem: psalm. 118. *pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*; quia A scilicet ab exterioribus non perturbantur. *Scandalum* ex Diuino Hieronymo lib. 2. super Matthæum c. 15. *notat offendiculum vel ruinam, quam impactionem pedis possumus dicere*. Viri sapientis Domus *non cecidit*; stulti autem *cecidit, & fuit ruina illius magna*. Ruina, ibi Isaiæ, est magis quàm casus simplex. Cum aduersantia ingruunt irruuntque circa, non verò intra, minimè ruit Domus. Apostolo erant tribulationes ac persecutiones ab extra; Coloss. 4. *vt cognoscatis quæ circa nos sunt*: Ephes. 6. *vt autem & vos sciatis, quæ circa me sunt; quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus frater*: quasi dicat; volo sciatis B quòd catena & omnes tribulationes & omnia supplicia, quæ in credito officio inferuntur, non me angunt, neq; cor mutant, nec peruertunt interius nec attingunt; sed certè sic angor de istis, quod omnia circa me sunt, non intra. Sic vbi 2. Corinth. 7. scribit; *cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnæ, intus timores*. Dicit *caro* C non dicit *spiritus noster*; quia Sancti semper habent pacem spiritus, cum etiam in aduersis, anima quæ in corpore patitur, spe futuri præmij quiescat; quanquam multa sustineat affectui carnis contraria. Ecce ergo in vento vrente, in aquis tribulationum, pacificum esse sapientem; & dum *non cecidit*, satis hanc beatitudinem tangi. Labor quippe exterior D toleratus propter Christum signum quoddam est charitatis. Ex his autem liquet magis, ad perfectos minorum reductiuos deuenisse sermonem: (de his Chrysostomus; homil. 15. *illas ab eis virtutes requirit, quæ maximè ad multorum salutem procurandam necessariæ sunt atque vtiles: nam qui mansuetus est & misericors & iustus; qui corde mundo est atque pacificus, in aliorum quoque vtilitatem præclaros hos faciet effluere fontes*,) nam qui *scandalizatur* ex Hieronymo, (dic, cuius *domus cadit, estque ruina illius magna*) *paruulus est*; *maiores enim scandala non recipiunt*. Scandalum passiuum E importat quandam commotionem animi à bono, in eo qui scandalum patitur: nullus autem commouetur, qui rei immobili firmiter inhæret: maiores autem siue perfecti soli Deo inhærent, cuius est immutabilis bonitas: *soli* inquit; quia etsi inhæreant suis Prælatis, non inhærent eis, nisi in quantum illi inhærent Christo; secundum illud 1. ad Corinth. 4. *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Nescio quid mirabilius afferri possit ad rem; siquidem *viro sapienti* adfertur assimilatio, *qui ædificauit Domum suam supra petram*: vtique

X 2. 2. 58. 11. ad 1.

A p. 2. 70. 1. & Isaiæ c. 8.

B Ephes. 6. l. 5.

C 2. Cor. 7. l. 2.

D 2. 2. 182. 2. 1.

E 2. 2. 43. 5.

immobilem: *Petra autem erat Christus* 1. Corinth. 10. Iacobi 1. *vt sitis perfecti & integri*, (præmittit de patientia) *in nullo deficientes*. Potest itaque qui huc peruenit, illud confisus in Domino profiteri 1. Corinth. 13. *cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli*: vbi status F futuræ gloriæ propter perfectionem comparatur virili ætati. Quatenus ergo ad illam præparamur per charitatem in hac etiam vita; quæ Colossens. 3. *est vinculum perfectionis*, elucescit in tribulationibus, & in parturiendis spiritualiter filijs; *Filioli mei*, Galat. 4. *quos iterum parturio*; elucescit inquam Matthæi scopus. Quocirca subdit Apostolus *donec formetur Christus in vobis*: nam secundum profectum hominis in fide, Christus in homine proficit; G & è conuerso, secundum defectum deficit. Et cum *conuersio hominis*, qui deinde proficit per eundem Sanctum Thomam, vt initio dictum est, *partus* dicatur, videtur mihi & gigni & nasci Christus in nobis, nobis regeneratis atque fonte baptismatis renatis: proinde, totum hocce Euangelium, Librum esse generationis Iesu Christi: quod primo in limine enucleandum suscepi. Addo pro Coronide quinti, sexti & septimi Capitis ex Augustino relato p. 2. quæst. 108. 3. Sermonem Domini, omnibus præceptis quibus Christiana vita formatur, esse perfectum. Nam post declaratum beatitudinis finem, commendata Apostolica dignitate, per quos erat doctrina Euangelica promulganda, ordinat interiores hominum motus; primò quidem quantum ad se ipsum, deinde quantum ad proximum. Quantum autem ad se ipsum dupliciter, secundum duos interiores hominis motus circa agenda; quæ sunt voluntas de agendis, & intentio de fine. Vnde primò ordinat hominis voluntatem secundum diuersa legis præcepta; scilicet vt abstineat aliquis non solùm ab exterioribus operibus, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab interioribus, & ab occasionibus malorum. (ecce capitis 5. Epilogus) Deinde ordinat intentionem hominis dicens, quòd in bonis quæ agimus neque quæramus humanam gloriam, neque mundanas diuitias: quod est thesaurizare in terra. (Ecce capitis 6. Complexio.) Consequenter autem ordinat interiorem hominis motum, quoad proximum; vt scilicet eum non temerariè, aut iniustè iudicemus, aut præsumptuosè. Neque tamen sic simus apud proximum remissi, vt eis sacra committamus, si sint indigni. Vltimò autem docet modum adimplendi Euangelicam doctrinam, scilicet implorando diuinum auxilium, & conatum apponendo ad ingrediendum per angustam portam perfectæ virtutis, & cautelam adhibendo, ne à seductoribus corrumpamur: & quòd obseruatio mandatorum eius est necessaria ad virtutem; non autem sufficit confessio fidei, vel miraculorum operatio, vel solus auditus. (Ecce capitis 7. Compendium.) Domus, quæ non cecidit, ex Prologo 1. ad Thess. est Ecclesia non submersa tribulationibus.

F 1. Cor. 13. l. 1.

G Galat. 4. l. 6.

CAPVT

CAPVT VIII.

1 Cvm autem descendisset de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ: 2 & ecce leprosus Marc. 1. c.40.
veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. 3 Et extendens Luc. 5. c.
Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confestim mundata est lepra 12.
eius. 4 Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, Leuit. 14.
quod præcepit Moyses, in testimonium illis. 5 Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum a. 2. Luc. 7. a.
Centurio, rogans eum, 6 & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè tor- 1.
quetur. 7 Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. 8 Et respondens Centurio, ait: Do- Luc. 8. a. 5.
mine non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.
9 Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade,
& vadit: & alij, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. 10 Audiens autem Iesus
miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. 11
Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Marc. 1.
& Isaac, & Iacob in regno cælorum: 12 filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi c.11.
erit fletus, & stridor dentium. 13 Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat ti-
bi. Et sanatus est puer in illa hora. 14 Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum
eius iacentem, & febricitantem: 15 & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit,
& ministrabat eis. 16 Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eijciebat Marc. 1.
spiritus verbo: & omnes malè habentes curauit: 17 vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam d.12.
prophetam, dicentem: ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portauit. 18 Vi- Isa.43. a.
dens autem Iesus turbas multas circum se, iussit, ire trans fretum. 19 Et accedens vnus scriba, 4. 1. Petr. 2.
ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris. 20 Et dicit ei Iesus. Vulpes foueas habent, & d.24.
volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. 21 Alius autem de di- Luc. 9. g.
scipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum. 22 Iesus 54.
autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 23 Et ascendente eo in Marc. 4.
nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: 24 & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt d.30. Luc. 8. d.
nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. 25 Et accesserunt ad eum Discipuli eius, & 22.
suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. 26 Et dicit eis Iesus: Quid timidi
estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.
27 Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?
28 Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmo- Marc. 5.
nia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. 29 Et a.1. Luc. 8. d.
ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc, ante tempus torque- 26.
re nos? 30 Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. 31 Dæmones au- Marc. 5.
tem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 32 Et ait illis: a.11. Luc. 8. d.
Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, 32.
& mortui sunt in aquis. 33 Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nunciauerunt
omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant. 34 Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu, & viso eo Mar.5. b.
rogabant, vt transiret à finibus eorum. 17. Luc. 8. e. 37.

1. VERS. I. *Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.*

Per montem altitudo doctrinæ: A vel, cùm altam duxit vitam, secuti sunt eum discipuli sui, *cum descendisset*, secutæ *sunt eum turbæ*. Fertur Haymo B dicens; *demonstratur autem Doctoribus, vt in prædicatione sua sermonem habeant temperatum, & sicut viderint vnumquemque capere posse, ita & verbum Dei annuncient.* Quædam sunt, quæ proposita C manifestè, auditoribus nocent, puta, si aliqua subtilia rudioribus proponantur; ex quibus perfectè non apprehensis, materiam sumunt errandi. Defectus est ergo illius, qui doctrinam subtilem & altam proponit D rudibus, qui non sunt tantæ doctrinæ capaces; 1. Corinth. 3. *tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.*

A D.Th. hic.
B in Catena hic.
C opusc. 70. q. 5. a. 4.
D quodl. 5. 25.

VERS. II. *Et ecce leprosus veniens* &c.

2. Mirum est, quare Lucas cap. 6. post relatum Domini sermonem cap. 6. subdat illico cap. 7. *cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus*, &c. Omittit quippe ibi, & prænarrauit cap. 5. miraculum de sanatione leprosi. Syntaxis causam aperiet. Interim ait D. Thomas, E Matthæum sequi historiæ ordinem, cum enim iret (secunda vice, vt ex 1. Marci;) in Capharnaum, seu potiùs vt Lucas ait cap. 5. *cum esset in vna Ciuitatum*, prope Capharnaum, vt colligi potest ex Marci 1. occurrit ei leprosus. Per istum leprosum, moraliter intelligitur peccator. Et quidem propter quatuor: F corrumpit enim peccati lepra naturalia, consumit gratuita, inficit proximos, & separat à Deo, & Angelorum consortio. Leuitici 13. *quicumque maculatus fuerit lepra, habebit vestimenta dissuta*; quia est in naturalibus dissutus, & diffusus; *caput nudatum*, mentem nudam à gratia; *os veste contectum*, quia inficit; *habitabit extra castra*, quia separatur à castris Dei, idest ab habitatione Angelorum & Sanctorum. *Leprosus* ex Remigio, *ante Christum*

E D.Th. hic.
F Serm. Dom. 2. post Epiphan. ex Euang.

procedit, quando de pristinis peccatis confunditur. Nota quatuor circa leprosum, quæ debent G esse in conuersione peccatoris: primò ipsius ad Christum accessio: secundò adoratio; *veniens adorauit eum:* tertiò exclamatio; *Domine:* quartò humiliatio; *si vis:* quasi dicat, non meis meritis.

G ibi Sermon.alit.

VERS. III. *Et extendens Iesus manum, tetigit eum, &c.*

3. Quæritur quomodo leprosum tetigerit Dominus, H quod erat contra legem. Respondet: tactus leprosi prohibitus erat in veteri lege; quia ex hoc incurrebat homo quandam irregularitatis immunditiam: sed Dominus qui erat mundator leprosi, immunditiam incurrere non poterat. Quando ergo I iam ad perfectam ætatem peruenerat, ostendere debuit se Dominum legis esse, & legem vsque ad ipsum impositam fuisse; & ideo in hoc supra legem operatus est. Hinc Chrysostomus; *tetigit eum; vt ostendat, quoniam non subiacet legi, & quoniam mundo iam nihil est immundum. Et sic quamuis literam legis soluerit, propositum tamen eius non soluit; ideo enim lex iussit non tangere lepram, quia non poterat facere, vt lepra non sordidaret tangentem. Non autem manus à lepra facta est immunda; sed corpus leprosum à manu sancta constitutum est mundum: vt ostenderet,* (idem Chrysostomus L) *carnem suam salutiferam virtutem habere.* Aliquos tangit Dominus M corripiendo; Iob 19. *miseremini mei, quia manus Domini tetigit me:* aliquos à peccatis mundando, vt hic: gratiam infundendo, Cant. 5. *venter meus intremuit ad tactum eius:* in gratia confortando; Danielis 10. *& ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum:* feruorem excitando, psal. 143. *tange montes & fumigabunt.* Illi quibus manus imponuntur, quodammodo N per quandam similitudinem continuantur Ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus-Sancti, & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysterijs. (Hic recolendus Apostolus 1. ad Timoth. 5. *manus cito nemini imposueris:* idest, vt ibi ait Angelicus, non debes citò promouere, seu ordinare de facili ad sacros ordines supra cap. 3. *probentur primum.*) Itaque cum sacramentum pœnitentiæ non ordinetur, vt ibidem docet, ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum, ideoque non requiratur manuum impositio; rogabis, cur Dominus leprosum typum peccatoris tetigerit? Et dicendum est ex doctrina ibi ad 1. fuisse huiusmodi contactum, ad miraculum perficiendum, vt scilicet etiam corporalis infirmitas tolleretur. Sic Marci 6. infirmos manibus impositis curauit: nec tamen isthæc manus impositio est sacramentalis. Erudimur etiam, qualiter passio O Christi haberet spiritualem virtutem ex Diuinitate vnita; & ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem & fidei Sacramenta; secundùm illud Apostoli; *quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius.* Tres autem confundit hæreses; P ostendit se habere verum corpus dum tangit, contra Manichæos: dicens *volo*, damnat Apollinarem; dicens, *mundare*, ostendit se Deum verum contra Photinum. De his vide in opusc. 5. Q Ambrosius Lucæ 5. Dicit *volo, propter Photinum; imperat, propter Arium; tangit propter Manichæum.*

H p. 3. 107. 2. ad 3.
I 4. Sent. dist. 1. q. 2. a. 2. q. 3. & hic.
L 3. p. 48. 6 2.
M Ieiem. 3. 19 calce.
N 3. p. 84. 4.
O 3. p. 48. 6. 2.
P D. Th. hic.
Q opusc. 5. §. nunc restat.

VERS. IV. *Vade, ostende te Sacerdoti; &c.*

4. Ne penitus videretur fractor legum, R ad Sacerdotes mittit; de quo Leuit. 14. Ante passionem Christi, in qua completum S est mysterium redemptionis Christi, vnde tunc Dominus dixit, *consummatum est,* Ioa. 19. Christo prædicante, & miracula faciente, currebant simul lex & Euangelium, quia iam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum: propter hoc mandat leproso (supra legem sanato) vt legales cæremonias obseruaret. In hoc autem T quòd leprosos ad Sacerdotes transmisit, (qui quamuis non essent noui Testamenti Sacerdotes, tamen in eis noui Testamenti significabatur Sacerdotium,) in hoc inquam, præfiguratio fuit quædam præcepti de confessione: quod quidem quamuis sit à Iacobo, cap. 5. promulgatum, non est ab homine puro institutum, sed à Deo institutionem habuit, quamuis non expressè legatur. Expressè nihilominus, (hoc aduerte) Sacramentum pœnitentiæ instituit, de quo, infra capit. 16. dixit Petro; *quodcumque solueris super terram,* & Ioann. 20. discipulis; *quorum remiseritis peccata,* vt in 3. p. V. Cuius institutionis Christi pulchra est alibi adducta ratio: quia X enim gratiam ex nobis consequi non possumus, sed per Christum solùm, ideo Sacramenta, per quæ gratiam consequimur, ipse Dominus instituit per se ipsum. Videatur ibi. Facit huc quod habet Iacobus Tirinus Act. 1. ibi *per dies 40. apparens eis, & loquens de Regno Dei;* scilicet inter alia, docuisse Apostolos ordines omnes, gradus & status varios tam Ecclesiasticos quàm laicos: materias formasque ritusque singulorum Sacramentorum, & ordinum; aliasque traditiones, quas Ecclesia ceu thesaurum conseruat.

R D. Th. hic.
S p. 3. 103. 3. 2.
T 4. Sent. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4. ad 1. & hic c. 8.
V 3. p. 84. 3.
X p. 3. 108. 2.

VERS. V. *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, &c.*

Chrysostomus hic in Catena fertur dicens, *postquam leprosum sanauit sub monte, venit Capharnaum:* quare cum scribat Lucas capit. 5. v. 12. *cum esset in vna Ciuitatum* eundem curasse leprosum, eam sub monte locatam credendum est. Innominata est autem, vel quia exigua erat Ciuitas, vel quia nihil mysterij recluditur eius nomine. Ex quo fas est opinari, quòd *Capharnaum* exprimitur, nedum tanquam miraculi circumstantia, sed vt in *villa pinguedinis,* (sic quippe interpretatur ab Haymone) sciatur esse patratum. Interpretatur etiam *villa consolationis.* Ipse hoc in facto expenderim orantis cōditiones præcipuas; nam *accessit Centurio rogans eum.* Tendit oratio A in Deum, tum quia hoc præcipuè est in oratione petendum, vt Deo vniamur; (*mihi adhærere Deo bonum est* ps. 72. & 1. Thess. 4. *semper cū Domino erimus*) tum quia oportet, vt rogaturus accedat ad eum, à quo petit, vel loco, sicut ad hominem, vel mente, sicut ad Deum. Et quia oratio debet esse deuota B, ideo *in villa pinguedinis.* Cuius ratio alibi fertur, quia effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quędam spiritalis refectio mentis; 1. Corinth. 14. *si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Adde ex psalm. *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea;* pinguedo deuotionis, ait in opusc. facit sacrificium orationis esse Deo acceptum. Ecclesiast. 7. *melior est finis orationis, quàm principium.* Claret etiam altera orationis conditio, nimirum humilitas; Ecclesiast. 35. *oratio humiliantis se penetrabit nubes, & non discedet donec Altissimus aspiciat;* psal. 101. *respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.* Quantæ fuerit humilitatis Centurio, agnosce ex ijs; *non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Fidem commendat tanquam heroicam Dominus ipse. 5.

A 2. 2. 83. 1. 2.
B Matth. 26. ibi Gethsemani. opusc. 7. §. 1.

VERS. X. *Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit; non inueni tantam fidem in Israel.*

Admiratio non potuit esse in Christo, C nisi ratione nouæ scientiæ experimentalis; in Christo enim non poterat esse aliquid nouum, neque quoad scientiam diuinam, neque quoad scientiam beatam, (fuit

C 3. p. 15. 8.

(fuit quippe comprehensor) neque quoad scientiam humanam, qua cognoscebat res per species inditas. Non admirabatur autem de fide Centurionis, ea ratione, quòd esset magna quantum ad ipsum, D sed quia erat magna quantum ad alios. Habes in hac Centurionis fide confessionem Diuinitatis; *Deus enim dixit & facta sunt*: ait autem, *tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*: verbo certè, nisi vocali, mentali: ex qua Centurionis prece fideli palam confunditur Apollinaris negans in Christo veram animam, quæ mente & intellectu polleret. Quod ipsum probat Angelicus E ex admiratione; nam admiratio animæ sensitiuæ non competit, cum ad animam sensitiuam non pertineat solicitari de cognitione causarum.

[D ibi a 1 2. — E 4. cont. Gent. c. 33.]

VERS. XI. *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient.*

6. Primum miraculum Iudæo F fuit factum, secundum Gentili. Vnde per Centurionem potest intelligi aliquis Angelus præsidens ibi ad salutem Gentium, vel primitiæ Gentium. Hæc est causa apud Chrysostomum in Catena, quare *ad eius fidei comparationem, omnium Iudæorum fides, infidelitas est inuenta*. Congruit ergo, vt subderet Dominus, *multi ab oriente & occidente venient*; quia Ecclesia de Gentibus G ventura erat ad Christum: ita quod per hoc H totus Mundus intelligatur: (planè Lucæ 13. legimus; *venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone, & Austro.*) Et *recumbent*: iste recubitus opulentia est rerum spiritualium, scilicet in contemplatione. Sed quarè cum Abraham Isaac & Iacob? quia Gentiles per fidem iustificantur, sicut Iudæi; vt habetur Roman. 4. & Gen. 12. Item c. 22. *in semine tuo benedicentur omnes Gentes*. Significatur etiam, I quòd populus Gentium, per fidem debebat præuenire Iudæos. Aio ipse, præoccupare id quod Iudæis paratum fuerat. Act. 13. *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes*. Sicut autem ait Apostolus Rom. 11. *insertus es in illis*, ita hic L ly *recumbent cum Abraham Isaac & Iacob*, sonat consociari Gentes Patriarchis & Prophetis. Lucæ 13. *videbitis Abraham &c. in Regno Dei, vos autem expelli foras*. Et hic, Regnum M Cœlorum dicitur cœlestis Curia. Ibi; *recumbent*; quod congruit cũ illo Lucæ 22. *vt edatis & bibatis super mensam meã in Regno meo*; & cum Isaia c. 26. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*. Et cohæret significationi *Capharnaum*, quo ingreditur ad Centurionem, nempe in *villa pinguedinis*, quia pinguedo significat N abundantiam gratiæ Spiritus-Sancti.

[F D.Th. hic. — G Ioan. 4. l. 1. lec. K. — H D.Th. hic. — I Hebr. 11. lect. 5. — L Rom. 11. lect. 3. — M D.Th. hic. — N Hebr. 11. l. 3.]

VERS. XII. *Filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.*

7. Filij Regni O intelliguntur Iudæi, quia in illis Deus regnabat: ps. 75. *notus in Iudæa Deus*. Recolo Paulum Roman. 8. *si autem filij, & hæredes*. Sed sua culpa futurum erat, vt caderent P à dignitate Regni. In hoc quod dicit *eijcientur*, Q innuitur pœna damni. Quò sint eijciendi exprimit, *in tenebras* scilicet *exteriores*. In hoc pœna sensus: vnde sequitur, *ibi erit fletus & stridor dentium*. Tobiæ 4. de eleemosyna; *& non patietur animam ire in tenebras*. Lucæ 16. *inter nos & vos Chaos magnum firmatum est*. Conueniens pœna ijs, qui *dilexerunt* Ioan. 3. *magis tenebras quàm lucem*. Dum autem *exteriores* vocat, satis indicat etiam quoad intellectum tenebras interiores, vt ait R Angelicus. Ecclesiastes 9. *nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quò tu properas*. Quocirca idem Diuus Thomas; in prima Apocalypsis Expositione; S argumento est, quòd Philosophi obliuiscentur scientiæ suæ in Inferno; & hoc satis probabile est: cum enim sit aliqua infirmitas, quæ hominem adhuc viuentem facit amittere scientiam, multò fortius videtur quòd pœna Inferni, quæ excedit omnem infirmitatem, hoc faciat. Habebunt tamẽ recordationem multorum, ex quibus aggrauabitur eorũ pœna: sicut dicit Gregorius de igne Inferni, quòd lucebit ad aliquid & ad aliquid non lucebit; lucebit enim ad hoc, vt videre possint vnde doleant; non lucebit ad hoc, vt non videant, vnde gaudeant. Sic scientia eorum, quæ facit ad eorum pœnam, illa remanebit, aliam amittent. Ecclesiastes 11. *dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem*. Tunc non poterit videri Sol ab eis, quia stabit in Oriente, vbi creatus est, vt dicitur Abacuc 3. *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo*: nec descendet amplius sub terra, ne ejus lumine perfruantur damnati, vt dicit Isidorus. Tenebræ interiores sunt ex 3. p. q. 71. a. 3. ad 1. carentia diuinæ visionis. Repetitur de tenebris exterioribus infra c. 22. v. 13. & c. 25. v. 30. pro nunc satis. Ex professo T alibi. *Fletus* ad concupiscibilem, *stridor dentium* ad V irascibilem attinet. In hoc X acerbitas supplicij quæ erit in Inferno significatur. *Fletus* præterea *& stridor dentium* in spiritualibus substantijs, non nisi metaphoricè intelligi possunt: quamuis in corporibus damnatorum post resurrectionem, nihil prohibeat A corporaliter ea intelligi; ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest; sed solum dolor cordis, conturbatio oculorum & capitis, prout in fletibus esse solet. Veruntamen nunquam memoria excidat sensus Dionysij, qui vt fertur B super illud Isaiæ 6. *duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius*; per *faciem* ipsam diuinam intelligit Essentiam, & ea quæ in æternitate fuerunt ante Mundi constitutionem: per *pedes* vero ea, quæ post Mundum erunt in gloria beatorum & in pœnis damnatorum: quia mysteria æternæ Deitatis, & futuræ beatitudinis & miseriæ, nobis ad plenum non reuelantur. Vnum cogita reuelatum planè, nempe æternam durationem: quod in ly *erit* profundè etiam signatur; neque enim vnquam desinet, supplicium præsens, futurum dici: quemadmodum item de gloria inquit Apostolus 1. Thess. 4. *Et sic semper cum Domino erimus*. Et de vtrisque Ecclesiastes c. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Australis pars est dextera pars Mundi: Aquilonaris autem sinistra: vt dicitur in 2. de Cœlo & Mundo t. 15. Matthæi 25. *Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.*

[O D.Th. hic. — P Isaiæ 8. — Q D.Th. hic. — R D.Th. hic. — S Apoc. 18. ibi, & omnis ars. — T 4. sent. 50 2. 3. — V D.Th. hic. — X Apoc. primæ c. 1. fine. — A 4 cont. Gent. c. 90. — B 4. sent. fine.]

VERS. XIII. *Et dixit Iesus Centurioni; vade, & sicut credidisti, fiat tibi.*

Diuus Chrysostomus super Matthæum. *Ne quis autem existimet blanditiarum esse hæc verba, quia dictum erat, credere, facit signa. Et sanatus est puer in illa hora*. Videtur Chrysostomus vel tacitè tangere causam, cum Dominus signum patrarit, postquam ipsum commendarat. Sed quare digressionem hanc fecerit ad Iudæos priusquam re ipsa puerum Centurionis sanauerit: poterat enim statim eum solari & expedire; in Syntaxi mirè clarebit. Certum est autem, dum *sanatur est puer in illa hora*: hoc voluisse supplicem Centurionem; præmissum est enim, *fiat tibi sicut vis*. Expetijt ergo subitò sanari per modum imperij, quod potestatis diuinæ agnoscitur, vt docet Angelicus C. Et vide contextum; *sed tantùm dic verbo*. Cyrillus loco è regione; *quamuis vt Deus potuisset omnes verbo pellere morbos, tangit*, &c.

[C 1. p. 44. 1. 2.]

VERS.

VERS. XIV. *Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius.*

8. Leprosum tetigit, simulque imperauit, *volo, mundare*: tangit secundum Cyrillum, vt nuper innui, & supra dictum est, *ostendens propriam carnem efficacem ad præstanda remedia*: imperat vt Deus.
D loc.cit. Christus enim venerat D saluare Mundum, non solùm virtute diuina, sed per mysterium incarnationis suæ. Cæterùm sanans puerum Centurionis solam virtutem Diuinitatis ostendit, sanans socrum Petri solo humanitatis vtitur tactu. Quid est hoc? Quantùm capio, vt confundatur Eutyches, qui posuit in Christo vnam naturam compositam ex Diuinitate & humanitate. Absit confundi naturas; vt
E opusc. 5. l. 3. 3. p. q. 4. 1. in Opusc. E videre est; 3. p. vbi Concilium Calcedonense; *confitemur in nouissimis diebus, filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem.* Ecce inconfusionis huius index in Centurionis puero, atque in socru Petri, sanandis. Sequitur; *& dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat*
F 3. p. 44. 3. 2. *eis*: quia in instanti infirmis perfectam F sanitatem conferebat. Vnde Hieronymus ad rem, *sanitas, quæ confertur à Domino, tota simul redit.*

VERS. XVI. *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit.*

9. Chrysostomus G. *Intende quantam multitudi-*
G 3. p. 43. 4. *nem hominum curatam transcurrunt Euangelistæ; non vnumquemque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.*

VERS. XVII. *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.*

Apud Isaiam legimus; *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Significatur,
H 3. p. 49. 3. nos per Christi passionem H liberatos esse à reatu pœnæ; dupliciter; vno modo directè, in quantùm scilicet passio Christi fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis; exhibita autem satisfactione sufficienti, tollitur reatus pœnæ: alio modo indirectè, in quantùm scilicet passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ. *Languores* ergo *nostros*,
I opusc. 60. 18. I idest peccata *ipse tulit*, & *dolores nostros ipse portauit.* Nota autem quàm alta sapientia, præmisit Euangelista; *vespere autem facto*; dum habet Bernardus; (fertur in Opusculo præallegato) *in ipsa eleuatione manuum tuarum cum iam sacrificium matutinum, in holocaustum transiret vespertinum &c. exauditus est pro sua reuerentia.* Augustinus in eum psalmum 140. *declinante iam die in vesperum, Dominus in Cruce animam deposuit. Illud ergo est sacrificium vespertinum, passio Christi, Crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo.* Ecce quàm bellè notatum sit; *vespere autem facto.* Vberiùs in Syntaxi dicetur.

VERS. XVIII. *Videns autem Iesus turbas multas, iussit ire trans fretum.*

Non desunt quietis obtinendæ, inuidiæque declinandæ rationes. In Syntaxi altior deprehendenda est causa, cur *trans fretum.*

VERS. XIX. *Magister sequar te quocumque ieris.*

VERS. XX. *Et dicit ei Iesus; vulpes foueas habent, &c.*

10. Superbiæ & auaritiæ dolosus iste Scriba notatur. *Vt lucra*, inquit Hieronymus, *ex operum miraculis quæreret.* Auaritiæ comes est superbia: Sap. 5. *quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Chrysostomus. *Vide quantus est tumor: dedignatur cum turba annumerari.* Dolosè ergo accedit. Ideo Dominus vulpes in exemplum suæ paupertatis inducit, atque volucres Cœli in elati animi typum. Dominus L abiectam vitam elegit: L opusc. 20. l. 3. c. 14.
ideo ait, *vulpes foueas habent &c. filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Quasi dicat, vt Hieronymus exponit; *quid me propter diuitias & sæculi lucra M cupis sequi? cum tantæ sim paupertatis, vt nec hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo.* M opusc. 17. 15. & 3. p. 40. 3.
Andreas, Ioann. 1. cum socio, *Rabbi* dixit, *vbi habitas?* Responsum fuit; *venite & videte.* Stat itaque ex Chrysostomo N non habuisse N Ioan. 1. l. 15.
proprium habitaculum, sed in alterius domo mansisse. Dic tu, *non habet vbi caput reclinet*; quandoquidem & vix natus, reclinatus est Luc. 2. *in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Fortè ad hoc memorandum, filium se dicit hominis. Cuius ratio est, O quia alij sunt filij hominũ; ps. 4. *filij homi-* O Hebr. 6. l. 2.
num vsquequò graui corde? sed Christus tantùm est *filius hominis*, scilicet Virginis beatæ. Exitu comprobatur, Scribæ infidelitas ac malitia: non enim legitur, his auditis impleisse promissa sequendo Dominum. Gentibus beneficia se præstiturum hoc facto subostendit, iuxta quod iussurus erat discipulis infra c. 10. *gratis accepistis, gratis date.* Abijt ideo venalis iste Scriba. Augustinus, & fertur 1. ad Timot. 5. l. 3. (Quod faxit Deus præ oculis semper habeant Prædicatores) *Non est venale Euangelium.*

VERS. XXI. *Alius autem de discipulis eius ait illi; Domine permitte me primùm ire, & sepelire Patrem meum.*

Prohibuit Dominus discipulum à sepultura Pa- 11.
tris; quia vt Chrysostomus dicit, P *per hoc eum Dominus à multis malis eripuit*, puta luctibus & mœroribus, & alijs quæ hinc expectantur; P 2. 2. q. 101. a. 4. ad 2.
(recole illud Ecclesiast. 22. *modicum suprà mortuum plora, quoniam requieuit*) post sepulturam enim, erat necesse & testamenta scrutari, & hæreditatis diuisionem, & alia huiusmodi. Et præcipuè, quia alij erant, qui complere poterant huius funeris sepulturam. Vel sicut dicit Cyrillus; *discipulus ille non petijt quòd Patrem iam defunctum sepeliret, sed adhuc viuentem, in senectute sustentaret, vsquequò sepeliretur: Quod Dominus non concessit; quia erant alij, qui eius curam habere poterant, linea parentelæ adstricti.* Malum est ergo Q abducere hominem à Q quodl. 3. a. 16.
spiritualibus, eo maximè cum fuerint qui ministerium parentum compleant; vt ex eodem Chrysostomo. Sic Parentibus conuenit, vt à filijs adiuuentur, in quantùm scilicet R sunt in necessitate aliqua R 2. 2. 189. 6. & 4. sentent. 38. q. 2. a. 4. q. 2. ad 4.
constituti. Et ideo dicendum est, quòd parentibus in necessitate existentibus, ita quòd eis commodè aliter, quàm per obsequium filiorum subueniri non possit, non licet filijs, prætermisso Parentum obsequio Religionem intrare. Si autem non sint in tali necessitate, vt filiorum obsequio multùm indigeant, possunt: quia post annos pubertatis, quilibet ingenuus libertatem habet, quantùm ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui status: præsertim in ijs, quæ sunt diuini obsequij; & magis *obtemperandum est Patri spirituum, vt viuamus, quàm Parentibus carnis*, vt Apostolus dicit ad Hebræos 12. Vnde Dominus reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ. Augustinus in lib. de Verbis Domini; *honorandus est Pater, sed obediendum est Deo: non licet anteriora posterioribus subdere: amate parentes, sed præponite Deum parentibus.* Ecclesiastici 5. *non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Quæ fert in Opusc. S. Dicit autem Dominus, *dimitte mor-* S opusc. 17. 9.
tuos sepelire mortuos suos; quia vt ait Augustinus; *sunt alij mortui, idest infideles. Mortuos suos*; in quo ostendit, (Chrysostomus) *quoniam hic mortuus non erat eius; etenim, qui defunctus erat, sicut æsti-*

mo,

T Apoc. 20. ibi mors: in p. Comm. *mo, de numero infidelium erat*. Mali T dicuntur mortui mala morte, quæ separat à Deo, qui est vera vita hominum. Sane ex Isidoro l. 1. de summo Bono; *vita corporis anima, vita animæ Deus: & sicut corpus mortuum est sine anima, ita anima sine Deo*. Apoc. 3. *nomen habes quòd viuas & mortuus es*. Infra Matth. 23. *similes estis sepulchris dealbatis*. Quare hæc interserantur de Scriba & discipulo, & omittatur de illo qui Lucæ 9. prius cupiebat *renunciare his, quæ domi erant*, elucidabit Syntaxis.

VERS. XXIII. *Ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius*.

12. Hilarius in Catena; *discipulorum nomen non duodecim tantùm Apostolis conuenire æstimandum est; nam præter Apostolos, plures fuisse discipulos legimus*. Discipuli etiam vocantur per Augustinum V qui futuri erant discipuli. Erant quippe in Naui & Apostoli, quos tali nomine ante decorauerat, vt Lucæ 6. dicitur; & ideo de Petro ait Ambrosius; *Petrus, qui erat firmus meritis suis, turbabatur alienis*: immò & cæteri turbabantur X pro peccato Iudæ. Verùm dum in increpationem dicitur à Domino, *quid timidi estis modicæ fidei?* non hoc Apostolis dictum crediderim; quia ad laudem eorum pertinet, inquit Angelicus, A quòd Christum secuti sunt, cum nulla eum miracula facere vidissent, vt dicit Gregorius. *Modicæ fidei* etiam Apostolos tunc non fuisse opinor, quia Ioannis 2. ad initium signorum in Cana Galilææ legimus, *& crediderunt in eum discipuli eius*; non quia tunc primùm crediderint, sed quia tunc diligentius & perfectiùs crediderunt; vt ibidem Diuus Thomas. Et iam contextus fauet: *Porrò homines mirati sunt dicentes, qualis est hic?* Est autem considerandum, quòd Christus in aqua & aere faciens miracula, B non turbationem aeris fecit, puta vt fierent in aere tonitrua, sicut factum est in monte Sinai, quando lex dabatur, & sicut Elias fecit 3. Regum 18. neque diuisit aquas, sicut Moyses; vel etiam flumen, sicut Iosue & Elias; quia non conueniebat ei, qui omnia in statum pacis, & tranquillitatis reuocare venerat, vt turbationem aeris, vel diuisionem aquarum faceret. Quare ascendat in nauim, permittatque tantam turbationem, sustine vsque ad Syntaxim.

V 3. p. 43. 3. 3.
X 2. 2. 108. 4. 5.
A 3. p. cit.
B 3. p. 44. 4. 3.

VERS. XXVIII. *Et cum venissent trans fretum*, &c. *occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes*, &c.

13. Refert D. Augustinus 9. de Ciuitate Dei apud Sanctum Doctorem, C posuisse Plotinum, animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri *Lares* siue *heroes*, si boni meriti sint; *Lemures* seu *Laruas*, si mali, *Manes* autem, si incertum est: eos bonorum, seu malorum esse meritorum. Vnde multi Aruspicum occiderunt pueros, vt animam eorum cooperantem haberent. Hanc erroneam positionem explodit ibi. Hinc Chrysostomus super Matthæum ad hæc, per hoc quod subditur, *de monumentis exeuntes*, inquit, *perniciosum dogma imponere volentes, quòd animæ morientium Dæmones fiant*. Propter hoc Dæmoniaci clamant; quoniam anima illius ego sum. Non est autem anima defuncti, quæ clamat; sed Dæmon hoc fingit, vt decipiat audientes. Neque rationabile est, animam à corpore separatam hic oberrare; *iustorum enim animæ in manu Dei sunt*, Sap. 3. quæ autem sunt peccatorum, confestim hinc abducuntur: & hoc manifestum est ex Lazaro, & diuite; Lucæ 16. Nisi adesset Angelus custos, D Dæmon violenciam corporalem inferret. Arcentur quippe per bonos Angelos, ne noceant quantùm volunt E. Ad illud Iob 1. *tantum in eum ne extendas manum tuam*: manifestè datur intelligi, quòd iustis viris, Satan F non quantùm vult, sed quantum permittitur, nocere potest. Sic isti duo *habentes dæmonia*, erant *sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam*. Fortè permisit ita Deus, ne homines familiaritatem cum hoste haberent.

C Opusc. 15. 19. & de malo q. 16. a. 1.
D Opusc. 41. l. 4. c. 6.
E 1. p. 113. 4. 3.
F Iob 1. l. 1.

VERS. XXIX. *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei?*

14. Vt Augustinus dicit 9. de Ciuitate Dei: G Christus *tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed innotuit eis, non sicut Angelis sanctis, per id quod est vita æterna, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta*. Et sic ex Chrysostomo, *non certam aut firmam aduentus Dei habebant notitiam, quamuis scirent, ipsum esse Christum in lege promissum*. Per *signorum ergo potentiam suspicati sunt esse filium Dei*, vt ait Beda. Quoniam vero Marcus c. 5. & Lucas c. 8. vnum memorant Demonium habentem, nascitur quæstio de discrepantia. Augustinus soluit; quòd vnus Dæmon fuerit personæ alicuius clarioris & famosioris, quem regio illa maximè dolebat, & pro cuius salute populus satagebat, de quo facti huius fama præclarius fragrauit. Chrysostomus, vnum fuisse sæuiorem; & ideo alterum à Marco & à Luca omissum. Verosimile tamen ipse putauerim, occurrisse ambos, sed vnum pro altero quoque verba fecisse, immò primò accessisse alio quidem comitante, & per eum clamante, ac dicente, *quid nobis & tibi?* Non secus ac dicit Augustinus de Centurionis accessu per alios facto, vt exprimit Lucas, & non in persona, vt scribit de illo Matthæus, *non omnino deserendo vsitatum modum loquendi*. Prouerbium certè est; *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. In Syntaxi rem altius repetam. Studiosa quippe prætermissio vnius indicat, ob intelligentiam Matthæi scopo propriam, illius fuisse de duobus referre.

G 3. p. 44. 1.

VERS. XXXI. *Rogabant eum dicentes; si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*.

15. Dominus respondit eis; *ite*. Chrysostomus inquit, id permisisse Dæmonibus H non tamen quasi à Dæmonibus persuasus sed ad hominum instructionem: de qua mox. Sic cauendum est, ne credatur Dominum ex verbis Satanæ inductum esse ad permittendum Iob I affligi, sed æterna dispositione hoc ordinauit, ad manifestandam scilicet virtutem Iob. Non ergo, quia dixisset Satan; *extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet*. Permisit itaque, L primò vt instruat magnitudinem nocumenti Dæmonum, quia hominibus insidiantur: secundò, vt omnes discerent, quòd nec aduersus porcos auderent aliquid facere, nisi ipse consenserit: tertiò, vt ostenderet, quòd grauiora in illos homines operati essent, quàm in illos porcos, nisi essent diuina prouidentia adiuti.

H 3. p. 44. 1. 4.
I Iob 1. 2.
L 3. p. citato.

VERS. XXXII. *At illi exeuntes abierunt in porcos; & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare*.

Quòd porci in mare præcipitati sunt, M non fuit operatio diuini miraculi, sed operatio Dæmonum ex permissione diuina. Porcorum typo N reprobos intelligit: (ibi, *& Angeli eius cum illo missi sunt*) fortè, quia Isaiæ 35. legimus, *via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus: via* nempe, qua N ingressus est ad Regnum cœleste. Et Apoc. 21. *non intrabit in eum aliquod coinquinatum*. Quid coinquinatum magis grege porcorum? Sic Apoc. 18. *hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna*; præmittitur *in mare*. Hic *impetu legis*, & *in mare*; fusius in Syntaxi. In qua, & de capitis clausula dicendum est.

M 3. p. 44. 4. ad
N 3. p. 49. 5.

SYN-

SYNTAXIS

Ad Caput Octauum.

VERS. I. *Cum autem descendisset de Monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens*, &c.

1. Si quando, nunc certè præ alijs sacrorum eloquiorum locis, est ordo literæ factorumque series obscura. *Sunt in Scripturis sanctis*, aiebat Augustinus, in psalm. 140. *profunda mysteria; quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur, vt exerceant; ad hoc aperiuntur, vt pascant.* Tam varius est miraculorum de quibus in hoc capite, apud alios Euangelistas ordo, vt mens obstupescat: neque enim videtur satis consueta Augustini responsio, denarrasse signa prout occurrebant memoriæ: quandoquidem non tam difficilis recordationis apparet, quisnam inter quosdam ægrotorum primò fuerit sanatus. Matthæus leprosum præmittit, deinde puerum Centurionis, tertiò autem Socrum Petri. Lucas Socrum Simonis commemorat cap. 4. leprosum c. 5. puerum Centurionis cap. 7. Marcus de Centurione nihil: at præponit Socrum leproso c. 1. Quoad miraculum placati maris, & dæmoniaci habentis domicilium in monumentis conueniunt ordine. Verùm quoad accessum Scribæ volentis sequi Magistrum, & discipuli dilationem optantis discrepat Lucas, qui distulit ad 9. Caput hæc referre, nimirum post signum tempestate exorta, & post dæmones expulsos: quem accessum Scribæ & discipuli Matthæus prænarrat. Iob 38. *nunquid nosti ordinem Cæli, & pones rationem eius in terra?* quasi dicat, (exponitur ab Angelico) o si benè consideras dispositionem Cœli, non potes attribuere causam dispositionis eius alicui rei terrenæ, sed Deo. Sic aio ipse in præsenti. Semper præ oculis habeto quod habet Augustinus Serm. 44. de verbis Domini; *Dominus noster Iesus Christus ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi: neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat; sed vt mira essent videntibus, vera essent intelligentibus.*

O Hebr. 1. lect. 5.

2. Matthæus igitur, prout ope diuina scrutatus sum, postquam de regeneratione Christi Domini suis etiam in membris, & de ad eam consectarijs luculenter ad caput vsque septimum verba fecit, hoc in octauo incipit subaperire, in quonam ex parte materiæ ac effectuum huiusmodi regeneratio consistat. Haymo in Catena; *per montem in quo Dominus sedet, Cœlum intelligitur.* Cum autem descendisset *Iesus de monte* ait Matthæus: Chrysostomus super Matthæus; *Dominus de altitudine Cœli, quasi de excelso monte descendit.* Sic & Angelicus; P mons iste est Cœlum. Postquam descendit de Cœlo, *secutæ sunt eum turbæ multæ. Descendit*, quia Philipp. 2. *exinaniuit semetipsum* &c. Et cur descendit? Chrysostomus; *vt lepram peccatorum nostrorum mundaret.* Peccatum est Q morbus contagiosus. De hoc abundè dixi Leuitici 13. discurrens per varias lepræ infectiones. 4. Reg. 5. *lepra Naaman adhæsit Giezi.* Lepra ex corruptione humorum contingit: R qui etiam exterius erumpunt, & alios inficiunt: & per exteriores immunditias significantur diuersa peccata. De quibus loco Leuitici qui supra num. 4. Verùm etsi lepra dici queat peccatum omne, speciatim sine dubio originale; quod ita processit tradente Angelico, S vt primò persona infecerit naturam, postmodum verò natura personam. Traductio culpæ originalis, non ineptè à quibusdam declaratur in p. 2. sicut leprosus generat leprosum. Sanctus Beda Lucæ 5. *typicè leprosus humanum genus languidum peccatis designat; plenum lepra, quia omnes peccauerunt,* (Rom. 3.) *& egent gloria Dei.* D. Thom. in ea q. 83. de peccato originali, quod astruit infecisse, ait; infectio nominari solet, quæ nata est in aliud transferri: vnde & morbi contagiosi, vt lepra & scabies & huiusmodi infectiones dicuntur. Christus principaliùs T venit ad tollendum originale peccatum; quia peccatum originale, per quod totum genus humanum inficitur, est maius quolibet peccato actuali; in quantum bonum gentis diuiniùs & eminentius est bono vnius; vt dicitur 1. *Ethicor.* Veruntamen quòd de Saluatore dicitur, ob originale præcipuè venisse, & descendisse de monte: & hinc *turbæ multæ*, de baptismo etiam dicendum est. Et tamen sicut Christus ob omnia peccata venit, ita & per baptismum omnia peccata tolluntur V. Ambrosius Lucæ 4. in Catena. *Ante leprosus, priusquam mystico baptismatis lauetur in flumine. Naaman septies lotus est; quia in baptismate, septiformis spiritus regenerat.* Ad hæc Augustinus; *generante carne, tantummodo trahitur originale, regenerante autem spiritu, non solùm originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* 4. Regum cap. 5. Naaman curatus fuit à lepra lotus in Iordane. Iste X significat mundatum à peccatis baptismo. *Iordanis*, alias dictum est, interpretatur *descensus*. Hic ait Matthæus; *cum descendisset de monte.* Indicatur ergo regenerari hominem, sanari leprosum à Domino per baptismum in Ecclesia, sed à Domino, potestate excellentiæ per tactum; *& tetigit eum*, supplens lotionem in Iordane. Augustinus; *quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* De Naaman ibi; *& restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli.* Ecce ad regenerationem per baptismum futuram annui: Isaiæ 9. *paruulus natus est nobis.* 1. Petri 2. *sicut modo geniti infantes:* ad nouam vitam: quia A vita spiritualis est effectus baptismi, in quam homo regeneratur: & per vestem candidam baptizati, vitæ nouitas indicatur.

P D. Th. hic.

Q opusc. 41. l. 4. c. 1. & hic c. 10.

R p. 2; 102. 5. 4.

S 1. p. 69. 1. 1. p. 2. 81. 1. p. 2. 83. 4.

T 1. p. q. 1. a. 4. & q. 66. a. 9.

V 3. p. 69. 1.

X Matthæi 3.

A 3. p. 69. 8. 3. p. 66. 10. 1. & q. 71. 3. ad 4.

VERS. V. *Cum autem introisset Capharnaum accessit ad eum Centurio*, &c.

3. Glossa ad illud Roman. 6. *vt vltra non seruiamus peccato*, habet, *non hoc præstatur in baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Creatoris, vt lex peccati, quæ est in membris, extinguatur.* Quærit Angelicus B *vtrum sit aliqua lex fomitis*: & asserit; ex illo etiam Apostoli ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ipsa sensualis inclinatio fomes dicitur. Et fomes importat C concupiscentiam delectabilium præter ordinem rationis. In concupiscentia quæ vehementiùs mouet, & magis sentitur, includuntur quodammodo aliæ passiones; ex p. 2. Huiusmodi inordinata concupiscentia, ex qua difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, diminuitur quidem D in baptismo, vt non dominetur, nec superetur ratio à difficultate ad bonum, & pronitate ad malum: cæterùm non tollitur in baptismo. Vnde Glossa eadem; *si post baptismum* E *vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo superet.* In cuius figuram dicitur Iudicum 3. *hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem; & postea discerent filij eorum certare cum*

B p. 2. 91. 6.

C 1. p. 1. 5. 1. 2. p. 2. 82. 3. 2.

D 3. p. 69. 4. 3.

E 3. p. 69. 3.

hostie

hostibus, & haberent consuetudinem præliandi. In-
F p.2.91. 6. p.2. 81. 3.2. currit homo hanc legem per diuinam F iustitiam, destitutus originali iustitia, & vigore rationis. Peccatum originale per baptismum aufertur reatu, remanet tamen quantùm ad fomitem &c. Sed scribit Apostolus 2. Corinth. 12. *virtus in infirmitate perficitur*. Aiebat & Seneca; *multum addit sibi la-*
G 3.p.27. 3.2. *cessita virtus*. In viris sanctis G ligatur fomes per actum rationis suæ; & est perfectæ virtutis occasio. Cum ergo res ita se habeat, cur non inducendum erat de puero Centurionis paralytico? Paralysis est neruorum resolutio: in neruis robur existit. Hoc robur mentis per peccatum amisimus. Dicta est quippe paralysis à defectu virium. Defecerunt autem vires inferiores per originale peccatum ab ordine rationis, & ratio ipsa per baptismum etiam sanata infirmatur, vt vires non cohibeat, prout fiebat per iustitiam originalem. Fomes est inordinata
H 3.p.27. 3.3. p.66. 3. concupiscentia sensibilis appetitus: H habitualis intelligitur; quia actualis concupiscentia est motus peccati. Aqua baptismi sua frigiditate temperat superfluitatem caloris; & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Ita D. Th. 3. p. 66. 3. Iure ergo postquam de baptismo, etiam de fomite mitigando signum fertur. Debuit ergo per paralysin, quæ infirmitas est habitu designari. Vires animæ destitutæ proprio ordine, nec vltra, sicut per iustitiam originalem fiebat, perfectè rationi subiectæ,
I p.2.85. 3. I vulneratæ dicuntur: omnisque passio, in quantum debilitat robur animæ & impedit rationem, infirmitas dicitur. A Tullio, passiones animæ, puta, ira, concupiscentia, & huiusmodi, ægritudines animæ
L Ioan.5. 1.1. dicuntur. Vnde L psalm. 6. *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. Paralyticus ergo qui *puer*, vt opinor, dicitur, quia denuo natus spiritu, *seruus* apud Lucam c. 7. vocatur: secundum quòd aiebat Apostolus Roman. 7. *mente seruio legi Dei, carne*
M Rom. 7.1.4. *autem legi peccati*; quæ quidem M in carne remanet quantùm ad fomitem, per quem *caro concupiscit aduersùs spiritum*. Prouerb. 29. lego; *qui delicatè a pueritia nutrit seruum, postea sentiet eum contumacem*. Lucas dicit de hoc seruo; *qui erat illi pretiosus*. *Seruo maleuolo*, Ecclesi. 33. *tortura & compedes*. Galat. 5. *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*.

4. Et vide quàm mirè faueat Centurionis locutio ad Dominum; *nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites*. Vt quid dum imperare Dominum rogat, suimet exemplo? *dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit*; vt quid se perhibet *sub potestate constitutum*? potius videtur debuisse dicere, *in potestate constitutus*, non verò *sub*. Sed, vt existimo, Centurio in typum est rationis, sub potestate, quia Deo subiecta omnino fuit ratio per gratiam iu-
N 1.p.95. 1. & p. 2. 85.3. stitiæ originalis; N & sic rationi inferiores vires, & animæ corpus. Centurio, baptizati in figuram, (ob fidem ipsius, encomijs Domini celebratam;
O 3.p.71. 1. quia baptismus est fidei O Sacramentum, cum sit quædam professio fidei christianæ) subiectionem habet ad Deum per gratiam, rectificata ratione, &
P 1. p.cit. & p. 2. 109.8. simpliciter natura sanata P. Verùm habet *sub se milites*. Sed intellectus & ratio dicitur principari irascibili & concupiscibili, politico, non despotico prin-
Q 1.p.81. 3. & hic D.Th. cipatu: Q quia appetitus sensibilis habet aliquid proprium; vnde potest reniti imperio rationis. Hæc certè, vt notum est, in statu naturæ corruptæ experitur quisque. Despoticum imperium orando suspirat ratio in Centurione, erga moraliter subditos sibi milites. (En de pugna, quia *caro concupiscit*. Ratio præsidet irascibili, & concupiscibili regali dominatu: & hæ sunt quasi milites. 1. Petri 2. *hortamur vos abstinere a carnalibus desiderijs, quæ militant aduer-*

sùs animam.) Sed licèt per gratiam sanetur anima, R p. 2. 109.a 8.
R ita vt possit homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit; quia tamen appetitus carnalis nondum omnino est reparatus, propter corruptionem appetitus sensualitatis, nequit homo ab omni peccato veniali abstinere. Vnde cum dixit ei Dominus: *sicut credidisti, fiat tibi*; intelligendum venit; dominetur seruo tuo ratio, vt à concupiscentia seruili non superetur, vt contingit in viris sanctis: quod dictum est. *Velle adiacet mihi*, aiebat Apostolus Rom. 7. *perficere autem bonum, non inuenio; non enim quod volo, bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago*. Felix qui intus audit, *vade, & sicut credidisti, fiat tibi*. *Sanatus est* autem *puer in illa hora*. Neque hoc Domini dictum, neque *sanatus est puer in illa hora*, scribit Lucas: argumento ad sensum altiorem recensuisse Matthæum: nam & *in illa hora*, & ad horam veluti sanatur vulnus concupiscentiæ; sed quamuis ratio singulos motus appetitus sensualitatis possit S reprimere, non tamen om- S p. 2. 109.8.
nes; quia dum vni resistere nititur, fortassis alius insurgit: & etiam quia ratio non semper potest esse peruigil, ad huiusmodi motus vitandos. *In illa hora* ergo: dic tù, non semper; non *ex illa hora*: quo pacto infra c. 9. mulier sanguiflua, *sanata est ex illa hora*; & Ioann. 19. legitur, *& ex illa hora accepit eam discipulus in sua*. O arcana scripturæ sanctæ, in qua nec iota, nec apex vacat mysterio! Attigit hæc D. Thomas hic: iacet, inquit, inferior pars animæ, quando non potest se erigere: Gal. 5. *caro concupiscit*, &c. Adde *iacet in domo*. Apostolus 2. Cor. 5. *si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur*. Philosophus 7. Ethic. c. 8. comparat incontinentem paralytico: cuius partes mouentur in contrarium eius, quod ipse disponit. Sic partes animæ non subduntur ordini rationis: p.2.77.2.3.

Huc vsque autem dictorum de huius paralytici signo comprobatio trahi potest ex Lucæ narratione; 5.
qui noluit cap. 7. eum paralyticum dicere sed malè habentem: *Centurionis cuiusdam seruus malè habens erat moriturus*, relinquens Matthæo, cuius euangelico scopo opportunæ erant, paralytici conditiones. Cur enim Lucas non eum paralyticum notat, sicut fecerat prius c. 5. de alio? Similiter quod scribit Matthæus; *cum autem introisset Capharnaum*, meditationi non parùm arridet meæ. Ratio esse potest allegorica ex Diui Thomæ Sermone T. *Ca-* T Serm. 18. Dominica post Pentecost.
pharnaum, (quam ingreditur alia vice, vt Marcus dicit c. 2. *& iterum intrauit Capharnaum*, sanaturus, qui à quatuor ferebatur, Paralyticum, quamque Matthæus c. 9. dicit *Ciuitatem suam*) allegoricè Ciuitas est cœlestis. Interpretatur, vt dictum est, *Capharnaum*, *villa consolationis*: & Ierusalem illa cœlestis, est de qua Isaias c. 66. *lætamini*, &c. *vt repleamini ab vbere consolationis eius*; cum beatorum V omnium pacifica & iucunda societate. Caphar- V opusc. 58.2.
naum itaque intrat paralyticum curaturus; vires fomitis, vt supra, extenuaturus. Dixit autem Dominus Ioan. 16. *si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*; quia plenitudo Spiritus-Sancti, non erant danda ante Christi resurrectionem, X & ascen- X 3.p.27. 1.1.
sionem secundùm Ioan. 7. *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Quare cum fomitis significati in paralytico diminutio non nisi per abundantiorem gratiam fiat, vt ex Diuo Thoma A colligitur; contingatque in viris sanctis, A 3.p. 12. 3. 3. p. q. 69 3.2. & p.66.3.
per actum rationis; non mirum, si prius introiuit Capharnaum. Quæ quanquam Ciuitas, villa interpretatur, ad eum sensum, quo dixit Gregorius ad illud Matthæi 25. *homo peregre proficiscens: hic redemptor noster est, qui in ea carne, quam assumpserat, abijt in Cœlum: carnis enim locus proprius terra est; quæ quasi ad peregrina ducitur, cum per redem-*

demptorem nostrum in Cælo collocatur. De Centurione etiam credi potest dispositum, vt prius christianę fidei cultor, æternum recogitaret illum Centurionem, qui infra c. 18. & Lucæ 15. de ouibus centum edisserit paradigma. Cumque Centurio Dux sit centum militum, vt dicitur Iob 25. *non est numerus militum eius*: cur nō speraret pœnam fomitis, cuius dominium deijcit in hac vita, in nouissimo ad ingressum typici Capharnaum penitus exterminandam? vt 3. p. q. 69. Interim per baptismum mitigatur concupiscentia fomitis, vt dictum est, opportunè per aquam, vt in q. 66. Sic Paulus Rom. 7. *quis me liberabit de corpore mortis huius?* cupiens carere infectione concupiscentiæ & corruptione ipsius, vt ait 2. 2. 25. 5. 1.

VERS. X. *Audiens autem Iesus miratus est, &c.*

6. Miraberis vt in expositione dictum est, cur Dominus interponat in laudem Centurionis quæ sequuntur de Centurionis fide, nec prius ei gratiam quam petit impertiatur. Pro cuius rei intellectu recolendum quem processum habuerit Iudæorum atque Gentilium ad Christi fidem conuersio. Certè qui primi illam amplexati sunt, Iudæi fuere, iuxta quod Apostolis iniunxerat Dominus infra c. 5. *in viam Gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel*: immo ipsemet dixit, c. 15. *non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*. Et Roman. 15. *dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*. Vnde Actor. 2. de domo Israel *baptizati sunt in illa die animæ circiter tria millia*: & c. 4. *quinque millia*: & c. 21. *vide frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt*. Hi omnes significantur in leproso, qui Iudæus fuit, vt patet ex munere legis oblato, *& offer munus*. Ita Sancti Patres. Post aliquorum autem Iudæorum fidem, persecuta est Apostolos Synagoga, vt claret Act. 8. *facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis*; *& c. 13. Iudæi autem excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam*. Et quid inde secutum est? Audi. *Tunc constanter* (ibi c. 13.) *Paulus & Barnabas dixerunt; vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Audientes autem Gentes crediderunt*. Vide sonare hæc verba id ipsum, quod ait Dominus, *non inueni tantam fidem in Israel, &c. nam fides ex auditu*, (Rom. 10.) *auditus autem per Verbum Christi*. Iudæi fidem non habent, quia *repellunt Dei verbum*: Vitam æternam respuunt: *indignos vos iudicatis æternæ vitæ*: *eycientur* ergo *in tenebras*: quia *vita erat* Ioann. 1. *lux hominum*. Hæc omnia in Centurione introspicimus; qui gentilis fuit: in quo secundùm Haymonem, Chrysostomum super Matthæum, Rabanum & Remigium designantur qui primi ex Gentibus crediderunt. Priusquam ergo ad Gentes, fit per Paulum & Barnabam ad Iudæos contestatio; & hic à Domino priusquam sanetur Centurionis puer auditur de præeminentia fidei digressio. *Miratus est* autem Dominus, præludens stupori fidelium, de quibus Actorum 10. *& obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus-Sancti effusa est*. Illi *venerant cum Petro*; hic sequentibus se dixit; *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel*: quod nihil aliud potuit efficere, dum *miratus* eloquitur, nisi admirationem stuporemque in *sequentibus*.

VERS. XIV. *Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem.*

7. Marcus c. 1. sanatum Socrum hanc refert ante Leprosum. Lucas similiter prænarrat c. 4. de illa; de leproso c. 5. Re ipsa historialiter sic fuisse credēdum; sed exigebat Matthæi scopus, ordine alio conscribi. Repressò enim post baptismum leprosi, peccati fomite in puero Centurionis, cum totaliter fomes non subtrahatur, insurgit actualis concupiscentia, quæ est motus in peccatum, vt dictum est B. Ideo occurrit mulier *febricitans*. Pulcherrima adest doctrina: C est enim corpus infirmum, quando aliquis humor non subditur virtuti regitiuæ totius corporis; puta cum aliquis humor excedit in caliditate vel frigiditate. Sicut autem est quædam vis regitiua corporis, ita ratio est regitiua omnium interiorum affectionum: vnde cum aliqua affectio non est moderata secundùm regimen rationis, sed excedit aut deficit, dicitur esse animæ infirmitas. Et hoc maximè contingit secundùm affectiones appetitus sensitiui, quæ passiones dicuntur: vt timor, ira, concupiscentia, & huiusmodi: vnde Antiqui huiusmodi animi passiones, ægritudines animæ vocabant, vt Augustinus dicit *in lib. de Ciuitate Dei*. Fuere aliqui vt fertur D, putantes, quod circumcisio conferret quidem gratiam; sed non valeret reprimere concupiscentiam fomitis impellentem ad peccandum. Refellit hoc D. Thomas; (etsi aliquando sibi visum fuisset) quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ. Ecce in Socru Petri rei praxis, dum actu est *febricitans*. Per baptismum E diminuitur concupiscentia, vt non dominetur. Actualem autem concupiscentiam videtur innuere voluisse Matthæum, dum non ait, *decumbebat*, sicut Marcus; nec *tenebatur magnis febribus* sicut Lucas, sed *febricitantem*. De habituali, quæ fomes est, satis figura extiterat puer Centurionis. Rabanus ad hæc, quod repetit D. Thom. F *vnaquæque anima, quæ carnis concupiscentijs, quasi febribus æstuat*. Et Sanctus Beda Comm. in Lucam Tom. 4. *fœmina febribus tenta, sed ad imperium Domini curata, carnem ostendit à concupiscentiæ suæ feruore, per continentiæ præcepta, frænatam*. Corroborat quod hic dixi de passionibus, discrimen Matthæi ab alijs: Marcus enim dicit, *decumbebat Socrus Simonis*: Lucas; *Socrus autem Simonis*: Matthæus *cum venisset in domum Petri*. *Petrus* interpretatur *agnoscens*. Passiones considerationem scientis G tollunt, vt fusè ibi. Seneca Epistola 50. ad Lucilium de cœca illa Harpaste: *hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere liqueat tibi: nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum: & ideo difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus*. Augustinus etiam; *ascendebant nubeculæ de limosa concupiscentia carnis, & obnubilabant, & obfuscabant cor meum, vt non discerneretur synceritas dilectionis à caligine libidinis*. Bernardus ad Eugenium; *caliginis duæ sunt causæ; ira, & mollior affectus; is indicij censuram eneruat, illa præcipitat: turbatur præ ira oculus clementer nihil intuetur; suffusus quadam fluxa & muliebri mollitie animus rectum non videt. Conturbatus est in ira oculus meus*, aiebat & Psaltes *psal. 30.* Hæc ergo vt vitentur, vt curentur ægritudines *agnitionis* est opus: in domo *Petri*, in domo *agnoscentis*. Sapientiæ 8. *intrans in domum meam*, in *domum* (H idest in conscientiam) *conquiescam cum illa*: loquitur de Sapientia. Apostolus Roman. 7. *passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris: nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur; ita vt seruiamus in nouitate spiritus & non in vetustate literæ*. Refer ad quod ait Lucas *tenebatur magnis febribus*; & Matthæus; *iacentem & febricitantem*: dum ait Paulus *detinebamur*. Refer etiam ad quod ait Matthæus ipsemet, *surrexit & ministrabat*; dum subdit Paulus; *ita vt seruiamus*. Refer ly *Socrum*, annosam certè, vetustate peccati, ad quod adiecit Apostolus, *non vetustate literæ, sed in nouitate spiritus*;

B 1. p. 27. 3.
C de malo q. 3. 9. & ps. 6.
D 3. p. 62. 6. 3. & q. 70. 4.
E 3. p. 69. 4. 3.
F D. Th. hic.
G p. 2. 77. 2.
H 2. Timoth. 3. l. 2.

1 Rom. 7.1.1. psal.6. *ritus*; vt exponit Diuus Thomas 1 adducens illud psal. 6. *inueterani inter omnes inimicos meos*: vbi 1 addit; peccator inueterascit recedens à nouitate Christi, membrum factus veteris hominis. Vetustæ, aio ipso, sunt ægritudines animæ, quas vetus homo ad nos quasi hæredes legauit. *Dimisit* autem *eam febris*: quod sonat, non vltra reuersuram; quia si quis tactu Domini ad virtutem sanatur, habet vnde non recidat, si stare velit: *& surgens*. Continens M patitur concupiscentias, sed non deducitur; castus nec patitur nec deducitur. A sequela passionum N irascibilis retrahit virtus, ne homo in eis superfluat secundùm regulam rationis: donum autem excellentiori modo, vt scilicet homo secundùm voluntatem diuinam, totaliter ab eis tranquillus reddatur. A sequela autem passionum concupiscibilis retrahit virtus, moderatè huiusmodi passionibus vtendo; donum verò eas, si necesse fuerit, totaliter abijciendo. In Baptismo, quo vt dicit Augustinus O incorporamur Christo, vt membra eius, fit vt ab ipso tanquam à Capite deriuetur in membra eadem gratiæ & virtutis plenitudo, secundùm illud, *de plenitudine eius omnes accepimus*, Ioann. 1. Immò emicat in aliquibus quandoque secundùm P diuinæ prouidentiæ ordinem potior diuinæ gratiæ effectus. Quod mysticè in Socru Petri videtur mihi deprehendi. Beda vbi supra; *iuxta leges*, inquit, *tropologiæ, membra, quæ seruierant immunditiæ ad iniquitatem, vt fructificarent morti, seruiant iustitiæ in vitam æternam*.

M p. 2. 70.3. N p. 2. 69.3. O 3. p. 69.4. P ibi a.8.

VERS. XVI. *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos*, &c.

8. Baptismus, qui moraliter leprosum emundat ab originali peccato, compescit effrænem fomitem in paralytico, passionesque retundit insurgentes in Socru Petri, præuium habet exorcismum; Q de quo Augustinus; *paruuli exufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis Diaboli potestas inimica, quæ decipit hominem*. Dæmones enim hominis salutem impedire conantur: hoc ergo impedimentum excluditur per exufflationes. Ecce in textu; *obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & eijciebat spiritus verbo*. Ecclesia in exorcismo; *maledicte Diabole exi ab eo*. Ecce *verbum*. Et quia adhuc post exorcismum, manet potestas Diaboli in homine, quantùm ad maculam peccati, & reatum pœnæ, quousque peccatum per baptismum tollatur: Ecce in textu *& omnes malè habentes* (potestate excellentiæ ad nostram certè doctrinam) *curauit*. Dicit autem Matthæus, *curauit*, perfectè scilicet, quoniam per baptismum non solùm R tollitur omne peccatum, sed liberatur homo ab omni reatu pœnæ, secundùm illud Ambrosij; *gratia Dei in baptismo gratis omnia condonat*. Infra cap. 9. vbi de curatione post lapsum baptizatorum agitur; quandoquidem per pœnitentiam non fit pœnæ plena curatio, non perfectè in præterito exprimitur, sed in præsenti; *curans* inquit v. 35. *omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Sic ad illud Ioann. 12. *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*, aiebat Augustinus Tract. 52. *millia credentium à dominatu liberantur Diaboli*: tu adnecte; *& omnes malè habentes curauit*.

Q 3. p. 71.3. R 3. p. 69. a. 1. & 2.

9. At operæ pretium est expendere, quomodo liberati simus. Idem Augustinus; *per Christi autem fidem, quæ morte eius & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum*. Hoc in mente habuit Matthæus: subdit enim, *vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam; ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit*. Eo autem in capite 53. Euangelicus ille Propheta adeò de morte & passione Domini apertè loquitur, vt nil clarius. Quoniam verò ait Apostolus Roman. 6. *quicumque baptizati sumus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Vnde per baptismum aliquis S incorporatur passioni & morti Christi; secundùm illud ibidem; *si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum eo*. Præterea, cum Sacramenta T specialiter habeant virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum: In cuius signum de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt sanguis & aqua; quorum vnum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima Sacramenta: Quid mirum, dicat Matthæus, *vespere autem facto*? &c. *oritur Sol & occidit*, exponit Diuus Thomas hic de Christo. Sancti Patres plurimi illud Amos cap. 8. *occidet Sol in meridie*, exponunt allegoricè de hora Christi patientis in Cruce; tunc enim Sol obtenebratus est. Vesper quoque horam commemorat, qua depositus fuit de Cruce. Vespere item vsurpat Ecclesia pro morte in Hymno; *largire clarum vespere, quo vita nusquam decidat, sed præmium mortis sacræ perennis instet gloria*. Adhuc; per baptismum homo moritur vetustati peccati, Roman. 6. *& vos* V *existimate vos mortuos quidem peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu*: homo enim inchoat nouam vitam iustitiæ, X quæ specialiter pertinet ad fidem, per quam spiritualem vitam accipit; Abacuc 2. *iustus ex fide viuit*; in baptismo, qui est quædam fidei protestatio, diciturque *fidei Sacramentum*. Iterum ergo dicamus; *vespere facto, obtulerunt ei multos*, &c. quia necessitas vtendi Sacramento baptismi indicta fuit hominibus, A post passionem & resurrectionem. Antea enim etsi fuerit institutus, nimirum quando Christus est baptizatus, non fuit sub præcepto. Hæc omnia de baptismo, quasi mella de abstrusis fauorum cellis decerpta, tangit Matthæus cum subdit: *videns Iesus turbas multas circum se*: aio ipse, quasi incorporandas vtique per baptismum; *iussit ire trans fretum*. Sic 1. Corinth. 10. *omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in Mari*: *omnes Mare transierunt*: idest signum baptismi receperunt: B mare enim symbolum fuit aquæ baptismi, vt dicit Damascenus; qui ponit, transitum maris rubri, qui significat baptismum C quantùm ad liberationem seruitutis peccati, fuisse baptisma figurale.

S 3. p. 69. 2. T 3. p. 62. 5. V 3. p. 69. 1. X 3. p. 66. 1. A 3. p. 66. 2. B 1. Cor. 10. l. 1. C 3. p. 66. 11. 3.

VERS. XIX. *Et accedens vnus Scriba*, &c.

Cur de hoc Scriba & de discipulo alio interloquatur Matthæus, vt innui in Expositione, difficile est assequi: præsertim quia Lucas capit. 9. post alias & ante alias omnino narrationes, vtrumque recolit: immò addit de tertio, qui cupiebat prius renunciare ijs quæ domi erant: de quo Matthæus nec verbum. Adsit Dominus. Quærit Angelicus; *vtrum fictio impediat effectum baptismi?* Affirmat D. Reor igitur ipse, postquam de baptismo paruulorum sub ænigmate multorum Dæmonia habentium dictum est: (quos inquit *obtulerunt*) deinde sermonem astrui de adultis. Et quinam sunt qui obtulerunt; & quænam phrasis isthæc, quænam oblatio? *adduxerunt* potius vel *detulerunt* videbatur dicendum. Audi Augustinum; E *offeruntur paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, (quamuis & ab ipsis, si ipsi boni fideles sint) quàm ab vniuersa societate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri intelliguntur, quibus placet, quòd offerantur, & quorum charitate ad* 10.

D 3. p. 69. 9. E 3. p. 68. a. 9. 2.

 con-

communionem Sancti-Spiritus adiunguntur ; Vide qualiter Matthæus hoc altè innuat, dicens sic indeterminatè de personis ; *obtulerunt ei multos dæmonia habentes*. At adulti per se ipsos accedunt, Ecce id pergit Matthæus congruo certè ordine tangere. *Et accedens*, inquit, *vnus Scriba* ait ; *Magister sequar te quocumque ieris*. Dum in hæc verba erumpit, *sequar te*, baptismum velle dignoscitur, *Affectiones nostræ* (ita Augusti-

F p. 2. 111. 5. nus F) *motus animorum sunt ; progrederis animo cum appetis*. Per baptismum, G sit perfecta

G 3. p. 68. 1. conuersio ad Deum. Hanc videtur habere adultus iste Scriba, Atqui non ita est : neque enim propositum exequitur, meritòque reijcitur ab eo, qui scrutator est cordium, Aperit autem causam Dominus cur eum non admittat, Pro cuius intelligentia dicendum est, eatenus effectum baptismi

H 3. p. 69. 9. fictione impediri ; H Sapientiæ 1. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, quatenus vt exponit Tirinus, Spiritus Dei tradens instar Magistri disciplinam seu instructionem Sapientiæ, *effugiet fictum* : græcè, *id quod fictum est*, seu *simulatum & dolosum in homine*. Ecce cur describat Matthæus appellasse Magistrum. Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Detegit Scribæ fictionem Dominus exemplo vulpium. *Vulpes* inquit *foueas habent*, *Vulpes* (sic Chrysostomus *in homilia*) *habent foueas in corde tuo, quia dolosus es*. Augustinus ; *finxit discipuli obsequium, quæ fictio vulpium nomine significata est*. Planum est ergo accessisse fictum ; quid ad baptismum ad conuersionem in Deum, fictum ac dolosum admittere ? Ba-

I loc. cit. ad 2. ptismus (nota I) non ordinatur ad hoc, vt de ficto fiat aliquis non fictus, sed vt non fictus aliquis accedens iustificetur. Quemadmodum autem vulpium exemplo dolosum fictumque carpit, ita volucrum similitudine baptismum, & quare ad baptisma non sit qui fictus accedit, idoneus ostendit. Innuitur satis baptismus dum de auibus seu volucribus introducitur. Genesis enim 1. legimus, *producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram*. Quod quo pacto intelligendum

L 1. p. q. 71. sit, ibi exposui, L potestque videri Diuus Thomas. Ad hæc Ecclesia ; *Summæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim leuas in aera, partim remittis gurgiti*. Baptizandus leuatur de sacro fonte instar volucris, quæ cœlum petere valeat. (Id etiam per locum à contrario de vulpibus ; *quomodo*, ait Chrysostomus, *dolosus sequetur sim-*

M 3. p. 66. 4. *plicem*. Baptismus fit in aqua M sed simplici) Chrysostomus super Matthæum, ad illud, cap. 3. *confestim ascendit de aqua ; omnes qui dignè baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt, idest proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem subleuantur cœlestem : confestim de aqua ascendunt spirituales filij Dei facti*. Innuitur etiam non fuisse idoneum, quia ex vna parte fictus erat ; ex altera cogi nequibat ; sicut nec aues aut volucres coguntur huc aut illuc volare : nam Deus vt dicit Damascenus, libr. 2. Orthodoxæ fidei cap. 30. *non cogit hominem ad iustitiam*.

II. Verum contingit quatuor modis dolosum, accedere fictum ad baptisma ; vno modo quia non

N 3. p. 69. 9. credit : N cum tamen baptismus sit fidei Sacramentum : alio modo per hoc, quòd contemnit ipsum Sacramentum : tertio modo per hoc quòd aliter celebrat Sacramentum, non seruans ritum Ecclesiæ : quarto modo per hoc quòd aliquis indeuotè accedit. Reducuntur autem ad duo capita,

O ibi ad 1. vt ibi, O quia fictus dicitur aliquis ex eo quòd demonstrat se aliquid velle, quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, & velle se Christo conformari ; & simul velle à peccato recedere. Vtrumque palam fiet defecisse hoc in Scriba. Et quidem rectam fidem non habuisse, vel ex hoc liquet, quòd Christum re ipsa nequaquam secutus est. Infra cap. 19. *vos qui secuti estis me ; quod proprium*, inquit Hieronymus, *Apostolorum est atque credentium*. Et iterum, quia non appellat eum Dominum, sed Magistrum. Inter

ea verò P quæ sunt fidei est quòd Iesus sit omnium Dominus 1. Corinth. 12. *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu-Sancto*, Actor. 2. *certissimè sciat omnis Domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus*. Hinc Ecclesia, *tu solus Sanctus, tu solus Dominus*. Hinc etiam Hieronymus sentit, non habuisse veram fidem : veri discipuli, vocabant eum Dominum. Ita in præsenti Angelicus. Discipulus, de quo mox Matthæus, *Dominum* vocat dicens ; *Domine permitte me*, &c. Sed præterea fictus colligitur accessisse peccato inhærens mortali : quod ex verbis Domini satis potest haberi, *Filius*, inquit *hominis non habet, vbi caput reclinet*. Quæ verba, etsi in re idem importent, atque illud Sapientiæ 1. *Spiritus-Sanctus disciplinæ, effugiet fictum* ; quia cum fictione huiusmodi non stat charitas, vt exponit

Angelicus, Q & dum *corripietur*, idest *expelletur, à superueniente iniquitate*, procul dubio, non est vbi reclinet Spiritus-Sanctus caput : nihilominus altiori placet accipi intelligentia, non absimiliter ac Isaiæ 28. legimus *coangustatum est stratum, ita vt alter decidat* ; scilicet R verus Deus, vel falsus à corde hominis. Item, *coangustatum est stratum* : S quando quis non totum cor dat Deo, sed aliquid aliud vult habere simul cum ipso, vnde perdit eum : Aio ipse, si decidit Deus de strato ; filius hominis *non habet vbi caput reclinet*. 1. Corinth. 11. *Caput Christi Deus*. Vbi fides non est haud Christus habitat ; Ephes. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Ideo quia iste accedit fictus ad baptisma, quod fidei est Sacramentum, non mirum sic ei respondeat Dominus : *filius hominis non habet vbi caput reclinet*. Consuetum est reclinari caput in puluinis, seu puluillis ; quod diminutiuum est. De hisce Ezechielis 13. *Ecce ego ad puluillos vestros* : & prius ; *væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite*, &c. Glossa T idest suauem adulationem. Aiebat & Plutarcus in libr. de discrimine adulatoris & amici, *adulationes similes esse puluillis & ceruicalibus, quæ vt sunt inflata, videntur incumbentium capitibus velle resistere ac reniti, cum mox vt tanguntur cedant & obsecundent magis ac magis*. Ita Sancti Patres apud Tirinum. Adulatoriè accessisse ad Christum satis claret, quia Scriba erat, hoc est doctus : V Danielis 12. *porrò docti intelligent* : infra capit. 23. *Ecce ego mitto ad vos Sapientes & Scribas* ; & prius capit. 13. *Ideo omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum*. Id officij habebant Scribæ vt exponerent diuinam legem, qui apud Iudæos idem erant, ait Tirinus 1. Esdræ 7. quod *Philosophi* apud Græcos, *Magi* apud Chaldæos. (Recolendum hic, inter gratias gratis datas 1. Corinth. 12. esse *interpretationem Sermonum*, idest difficilium Scripturarum, vt ibi exponitur ab Angelico, meritò, iuxta illud Danielis 5. *audiui de te, quod possis obscura interpretari* : & Genesis 40. *numquid non Dei est interpretatio ?*). Sic qui Matthæi 22. & Lucæ 10. dicitur legis Doctor, & le-

P 1. Cor. 12. 1. 1.

Q de virtutibus q. 2. a. 6.

R 2. 2. q. 122. a. 1.

S psal. 9. lit. 2.

T 2. 2. 115. 1.

V Matthæi 13.

& legis-peritus, Marci 12. Scriba vocatur. Nunquid tam humiliter de se credendus est sensisse, vt sine adulationis nota Magistrum Scriba iste Dominum vocaret? Haud quamquam verisimile est: neque enim audito responso, eum secutus est. Adulatio quandoque est x ex prauitate intentionis peccatum mortale. Respuit Dominus puluillum huiusmodi dicens, non ideo se habere vbi caput reclinet. Quamquam sit Dominus & Magister. Ioan. 13. *vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis; sum etenim:* nihilominus Scriba non syncerè eum dicit Magistrum, cuius correctus renuit esse discipulus. Fictionem hanc detegit Dominus: proinde alio fine, quàm salutis studio, ad eum accessisse. Ex quo de fictè accedente ad baptismum, qui est vt diximus perfecta ad Deum conuersio, erudimur. Accedit sed non vocatus; vt alter de quo mox, discipulus, cui ex Luca capit. 9. dixit *sequere me*: proinde neque iustificatus: nam, *quos vocauit*, Roman. 8. *hos & iustificauit.*

VERS. XXI. *Alius autem de discipulis ait illi: Domine permitte me primùm ire, & sepelire Patrem meum*, &c.

Signanter hic dicitur *discipulus*: quod non legimus de præcedenti Scriba, qui potius talis dici &
12. esse debuerat, quando Dominum compellat Magistrum: *Magister sequar te quòcumque ieris*. Qui ad baptismum accedit, discipulus constituitur, si sit infans, illius qui eum suscipit de fonte, vt patet. x Quocirca subdit Diuus Thomas; sicut est alia generatio spiritualis à carnali, ita etiam debet
X 3.p.67. 7. a. 7. & 8. esse alia disciplina: distincta scilicet à disciplina Patris, de qua Philosophus 8. Ethic. cap. 12. Si sit adultus, debet prius A instrui de fide, & exerceri in ijs, quæ pertinent ad vitam Christianam. Hoc ip-
A 3.p.68. 4.& q.71. 1. sum iniunxit Dominus Matthæi vltimo, vbi iuxta scopum quem assumpserat, de regeneratione per baptismum, legimus; *docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. *doctas enim intingimus aqua, nec prius debet quis suscipere Sacramentum, quàm fidei susceperit veritatem*: vt ait Hieronymus lib. 4. Comm. in Matthæum. Discipulus hic perhibetur deprehenditurque satis edoctus, quia nouit vocare Dominum; *Domine permitte me primùm ire*; &c. Tantum enim fuit in fide instructus, vt sciret sine Iesu beneplacito, nec minimam interponendam esse, ad sequendum ipsum, moram; quamquam pietatis officium illam exigeret. Decernit autem Angelicus B simpliciter non esse differendum baptismum. Et ecce in casu nostro, nec exiguæ dila-
B loc. cit. tioni, cum agitur de Christi sequela, dari locum: *sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Ecclesiast. 23. *gloria magna est sequi Dominum.*

Nec putet lector, gratis hæc de baptismi accessu, & de per baptismi susceptionem sequela, gratis
13. inquam exponi: quia satis si perpendatur ly *sequere me*, haberi possunt. Dictum est supra, baptismum fidei esse Sacramentum: fides ex necessitate requiritur ad baptismum; c tum quia; *iustitia Dei est per fidem Iesu Christi*, Rom. 3. tùm quia per baptismum
C 3. p. 68. 8. incorporantur homines Christo, vt Augustinus dicit *in lib. de baptismo paruulorum*; hoc autem non potest esse sine recta fide; secundum illud Ephes. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Sic Actor. 8. rogante Eunucho; *ecce aqua; quid prohibet me baptizari? dixit Philippus: si credis ex toto corde, licet*. Caueant qui Catechumenos promouent, ne antequam firmiter credant, baptizentur. *Per fidem* autem, vt ait Apostolus 2. Corinth. 5. *ambulamus*. Hinc aiebat Dominus Ioann. 8. *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Igitur dum ait discipulo huic, *sequere me*, ad ambulandum per fidei lumen trahit, atque adeo ad fidei Sacramentum; quod est baptisma. Sanè in sequela Dei, fidei professio intelligitur; quia cauens Dominus apostasiam à fide Deuteronomij 7. *nec filiam*, inquit, *illius* (idololatræ) *accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me*. Et Elias 3. Regum 19. veri Dei fidem prædicans, non alio vsus est, quàm sequelæ verbo; *si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum*. Et ad hoc facit, quod ait Dionysius qui definit 2. *cap. Ecclesiast. Hierarchiæ*, vt apud Diuum Angelicum, in ordine ad cœlestem gloriam in hæc verba; D 3. p. 66. a. 1.
ad supercœlestis quietis anagogen, nostrum iter faciens. Quàm bellè congruit ly *sequere me*. Augustinus etiam dicit; E *paruulis Mater Ecclesia, aliorum pedes accommodat vt veniant*. Quid opportunius, quàm *sequere me*? Et adhuc de baptismo E 3. p. 69. 6. 3.
occultè fieri à Domino verba, fas est ex adiectis colligere; *dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Discipulus iste de numero illorum non est, per locum à contrario vt patet: ac si diceret, tu inter mortuos recenseri non debes, vt mortuum Patrem sepelias. Et quare? quia tu (Doctrina est Diui Thomæ F) per baptismum moreris quidem veteri vitæ peccati, sed incipis quandam vitæ nouitatem; F 3. p. 68. 7.
secundùm illud Roman. 6. *consepulti sumus Christo per baptismum in mortem; vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Per baptismum ergo homo G inchoat nouam vitam; quia *iustus*, Abacuc 2. & Roman. 1. *ex fide viuit*. Liquet adhuc, G 3. p. 66. 1.
de per baptismum sequela factum hoc, etsi subobscurè narrari: quoniam inducitur de morte & de sepultura. *Quicumque* autem *baptizati sumus*, vt dictum est ex Roman. 6. *in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem*. In immersione baptizandi H expressè repræsentatur figura sepulturæ. Vnde Au- H 3. p. 66. 7. 1.
gustinus in quodam Sermone de Symbolo ad baptizatos: *rectè tertiò mersi estis; qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi; qui etiam tertia die resurrexit à mortuis: illa enim tertio repetita immersio typum dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo* I. Fortè tamen ex aduerso abstraxit discipulum à mortuis & I 2. 8. 1.
sepulturæ studio; vt prædamnaret illorum errorem, qui in primitiua Ecclesia de Trinitate malè sentiebant, L Christum purum hominem esse æstimantes, nec dici filium Dei & Deum, nisi propter me- L 3. p. 66. 8.
ritum eius, quod præcipuè fuit in morte: ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi. Contra hunc errorem in Canonibus Apostolorum legitur; *non nobis dixit Dominus in morte mea baptizate; sed in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti*. Iam & de hoc insinuatio emicat quædam; dum ait discipulus, *permitte me primùm ire, & sepelire Patrem meum*. Pater certè ad filium dicitur; claretque vtrinque amor. De tertio accedente apud Lucam cap. 9. quoniam ad quod versat punctum non facit, nihil Matthæus.

VERS. XXIII. *Et ascendente eo in nauiculam*, &c.

Multa interserit Marcus, priusquam cap. 4. v. 36. factum hoc denarret: plura Lucas antequam de 13.
Naui recolat capit. 8. v. 22. Hic immediatè Matthæus: cuius cohærens ratio esse potest; quia post accessum sequelamque Christi per fidei Sacramen-

tum, ideſt per baptiſmum, fiunt homines Chriſti membra: per baptiſmum enim M aliquis incorporatur Chriſto, quaſi membrum ipſius. Galat. 3. *quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Secus non viuerent membra vita ſpirituali, quæ eſt propria fidelium Chriſti, Galat. 2. *in fide viuo filij Dei*: nam vita non eſt niſi membrorum Capiti vnitorum. Vide quàm lepide hoc innuat Euangeliſta; *& aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum* (membra non diſiunguntur à Capite) *diſcipuli eius*. At Dominus *Caput eſt Eccleſiæ*, Epheſ. 1. & 5. ſeu *Caput corporis Eccleſiæ*. Quidni ingrederetur, ſeu aſcenderet Nauim? Per iſtam Nauiculam N intelligitur Eccleſia. Auguſtinus *Serm. 14. de verbis Domini*: *Nauiculam iſtam fratres, Eccleſiam cogitate*: Beda etiam l. 2. cap. 28. in cap. 6. Marci. Quomodo Eccleſia ſit corpus, collige ex proportione ad varia hominis membra, membrorumque officia, vt ex Diuo O Thoma. Quare in Nauis ſimilitudine? quia ex Apoſtolo, *corpus Eccleſiæ compactum, & connexum eſt* Epheſ. 4. *per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri*. Per picem, qua Nauicula conſueuit liniri P intelligitur charitas, quæ eſt nexus animarum: Geneſ. 6. *bitumine linies interiùs & exteriùs*. Eſt in Eccleſia, ex eodem, tanquam in Nauicula, *arctitudo principij*, hoc eſt, dolor de peccatis præteritis; *latitudo medij*, hoc eſt, ſpes de æternis gaudijs; *altitudo finis*, ſcilicet timor de æternis ſupplicijs. *Arctitudo* præterea *fundi* eſt humilitas ex conſideratione propriæ fragilitatis; *amplitudo oris* eſt conſideratio ſummæ bonitatis. Quadruplex finis Nauis, ibidem mirè arridet allegoriæ. *Erigitur antenna*, inquit loc. citat. Auguſtinus, *vt ſuſpenſa arbori Crucem figuret. Hanc Chriſtianus ſuſpiciat, vt non deficiat*. Quomodo Chriſtus ſit Caput, oſtenditur multis de cauſis: Q in ordine dignitatis, quia eſt principium: ecce hìc *aſcendente eo* &c. in plenitudine ſenſuum: ecce *ſuſcitauerunt eum*: in influxu motus ad membra: ecce *ſecuti ſunt eum*.

M 1. p. 68. 2. & 69. 5.
N D. Th. hic.
O Coloſ. 2. l. 5.
P Serm. Dom. 3. poſt Epiphan. ex Euang.
Q 3. p. q. 8. a. 1. & 6. & Coloſſ. 1. l. 5.

14. Eccleſia duplicem habet ſtatum, ſcilicet gratiæ in præſenti, R & gloriæ in futuro: & eſt eadem Eccleſia, & Chriſtus eſt Caput ſecundùm vtrumque ſtatum. Ideo etiam dixit *aſcendente eo in Nauiculam*. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari*. Auguſtinus vbi ſuprà; *turbulentum mare, hoc ſeculum. Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ poteſtatis perſecutionem inducit Eccleſiæ, ſuper Nauiculam Chriſti grandis vnda conſurgit*. Beda; *nonnunquam Eccleſia tantis Gentilium preſſuris, non ſolum afflicta, ſed & fœdata eſt, inter vndas procellaſque tentationum; vt ſi fieri poſſet, Redemptor ipſius, eam prorſus deſeruiſſe ad tempus videretur*. Nectè; *ipſe verò dormiebat*. Beda iterum ſingillatim ad membra deſcendendo; *ſæpè dum conuerti ad Deum poſt peccata conamur, maioribus nouiſque antiqui hoſtis pulſamur inſidijs*. In Serm. vbi ſupra Diuus Thomas; Nauim aſcendit, qui vitam ſanctam aggreditur; Eccleſiaſt. 2. *fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Et ſubdit; maris turbatio, eſt per aggreſſionem ſanctitatis tentationes infringere. Origenes; *myſticè autem, omnes in ſanctæ Eccleſiæ Nauicula cum Domino per hunc vndoſum ſupernatamus Mundum*. Sic ſequitur; *facta eſt tranquillitas magna*. Gloſſa; *Nauicula eſt Eccleſia præſens, in qua Chriſtus cum ſuis mare ſæculi tranſit, aquas perſecutorum compeſcit*. Diuus Thomas in opuſculo S recolit per annos trecentos & quinquaginta vſque ſcilicet ad Conſtantinum Eccleſiæ turbationes: ſed contra eam, nec venti, inquit, nec pluuiæ, nec quæcumque procellæ diuerſarum paſſionum, vel quarumcumque tribulationum potuerunt ipſam obruere. Vſque ad Sylueſtri Papæ tempora, reuera *factus eſt motus magnus in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus*; ſed per baptiſmum mundata Conſtantini lepra; *facta eſt tranquillitas*: apertæ ſunt enim Eccleſiæ, ſubiungit Angelicus, & cœpit Chriſtus prædicari publicè; quod ante fieri non poterat abſque periculo mortis. Et eodem anno, quo Conſtantinus conuerſus eſt ad fidem, baptizati ſunt circa partes Romanas, pluſque centum millia hominum. Dic tu; certè non ſine Orbis admiratione; non ſecus atque hìc legatur; *Porro homines mirati ſunt*. Huic tranquillitati videtur conſecutiuè Apoſtolus ibi Coloſſenſium 1. præluſiſſe dicens; *per eum complacuit reconciliare omnia, in ipſum pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in Cœlis ſunt*. Diſcordes diuerſas habent voluntates; T reconciliati autem conſentiunt in aliquo vno. Diſcordia erat inter Iudæos, qui volebant legem, & Gentiles qui non volebant legem: ſed vtroſque Chriſtus concordat, quia ex Iudæis eſt, & quia abſoluit obſeruantias legis. Vbi ait idem Apoſtolus ad Epheſios; *qui fecit vtraque vnum*; Chriſtus V vtrumque populum, videlicet Iudæorum colentium Deum verum, & Gentilium ab huiuſmodi cultu alienatorum coniunxit in vnum: Ezechielis 37. *Rex vnus erit omnibus imperans*. Tù nectè; *imperauit ventis & mari: venti & mare obediunt ei*: & quod ſubdit Paulus; *vt reconciliet ambos in vno corpore*. Corpus vnum eſt Eccleſia, per Nauiculam in qua ſunt ambo, ſignata. Venti mihi videntur fuiſſe Iudæi, qui Actor. 7. *commouerunt plebem*: capit. 13. *concitauerunt primos Ciuitatis*; & cap. 17. *rurſum concitauerunt plebem & Principes Ciuitatis*. Per turbulentum mare Gentilium perſecutio, vt opinor poteſt intelligi; Maris ſiquidem proprius eſt fremitus: de ipſis autem ait Pſalmus 2. *Quare fremuerunt Gentes?* Allegoriam Maris cum Gentibus fusè percurrit Angelicus X ibi, *miſſus eſt in Mare*: ratione tumoris ex ſuperbia; ratione fœtoris, quantum ad luxuriam; & ratione feruoris, ob iracundiam. *Venti & mare obediunt ei*. Ad idem Roman. 1. *per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus*: quaſi diceret; A ad hoc ſumus miſſi, vt faciamus homines fidei obedire: *in omnibus Gentibus*; quia non tantùm in vna Gente Iudæorum, ſed ad inſtructionem omnium Gentium ſunt directi.

S opuſc. 20. l. 3. c. 16.
T Coloſ. 1. l. 5.
V Epheſ. 2. l. 5.
X Apoc. 8. Com. 2.
A Rom. 1. l. 4.

VERS. XXVIII. *Et cum veniſſent trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia*, &c. *ſæui nimis*.

Quid in Eccleſia acciderit, ediſſerit Apoſtolus 15.
Roman. 11. *Illorum* (Iudæorum) *delicto ſalus eſt Gentibus: delictum illorum delitiæ ſunt Mundi*: item, *amiſſio illorum reconciliatio eſt Mundi*: occaſionaliter B ſcilicet; quatenus delictum Iudæorum, quo doctrinam Apoſtolorum repulerunt, redundauit in ſpirituales diuitias Gentilium, ipſis ad fidem conuerſis. *Geraſa* ex Rabano etiam C interpretatur *colonum eijciens*, vel *aduena appropinquans*. De Iudæis Iſaiæ 52. *in Ægyptum deſcendit populus meus in principio, vt colonus eſſet ibi*. Gentes ad Chriſtum conuerſæ hunc eiecerunt colonum. Et quia Deuteronomij 28. *aduena qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritque ſublimior, tù autem deſcendes, & eris inferior: ipſe erit in caput, & tù eris in caudam*:

B Rom. 11. l. 2.

eccc

ecce in Ecclesia Gentium aduenarum prælatio: Actorum 2. *& aduenæ Romani*: benè ergo venit Nauicula in *Regionem Gerasenorum*. Occurrunt *duo habentes dæmonia sæui nimis*. Vt absque mysterio non esset duorum occursus apud Matthæum, immo daretur inde occasio requirendi, cur ipse duos memoret, Marcus & Lucas vnum, non duos recolunt. Ecclesia duos passa est. Rabanus: *per duos istos, Iudæos & Gentes accipe*. Ambrosius super Lucam relatus hic in Catena: *duo quoque dæmoniaci figuram populi gentilis accipiunt: quoniam, cum tres filios Noë genuerit, Sem Cham & Iaphet; Sem tantummodo familia in possessionem accita est Dei; ex duabus autem alijs, nationum populi pullularunt*. Seriei Syntagmatis arridet magis Rabanus. Quare sæuum Dæmonio exagitatum Iudæorum populum; sæuum item gentilem in Ecclesiam lego, *efficientes prætereuntibus*, (quo modo loquitur Hilarius, iuxta Ambrosij sensum) *viam vitæ præsentis infestam: ita vt* (Sacer textus) *nemo posset transire per viam illam*. *De monumentis exibant*, aio ipse, non nisi necem fidelium meditati: vt etiam intelligas, nec latere in sepulchris, quod aliquando Sancti fecere Martyres, fuisse securum: sicut Athanasius quatuor menses in paterno sepulchro se condidit. *Sæui nimis* crudelitate ac exquisitis supplicijs famosi. Iacobi 2. *Dæmones credunt & contremiscunt*. Timent vel præuident etiam se eijciendos: *si eijcis*, inquiunt, *nos hinc*: *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*; Ioannis 12. Torquebantur Dæmones de quasi præpropera eiectione: certi quidem se eijciendos, sed interim manere cupientes: ideo inquiunt *ante tempus*. Præludit veruntamen Dominus futuræ per fidei prædicationem, & idololatriæ extinctionem, Dæmoniorum eiectioni, statum expellendo ab obsessis; quia festinos missurus erat discipulos, vt nec aliquem per viam salutarent Lucæ 10. *neminem per viam salutaueritis*. Orbis liberationi insistendo, Tyrannosque atque eorum persecutiones vincendo. *Nec cessistis supplicijs*, ait Chrysostomus, *sed vobis potius supplicia cesserunt: cum enim essetis animatæ quædam incudes, dum verberaremini, eos qui vos verberabant, fabricati estis ad cognitionem*. Non vltra Iudæorum Gentiliumque sæuitiam timet Ecclesia; quando potestas diabolica est eis ablata, quando verum Deum receperunt Gentes, & pro maiori parte Iudæa conuersa est.

VERS. XXXII. *At illi exeuntes abierunt in porcos*.

16. Pace donata Ecclesiæ, dæmonijs de cordibus eorum, qui fideles per viam transeuntes sæuissimè persequebantur, (*in via sumus*, ait Gregorius, *qua ad Patriam pergimus*) quippe de monumentis exeuntes, ferociebant; hoc est de Christi morte, Martyrumque nece, minimè exsaturati, potius scandalum passi, & in rabiem acti (*Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* 1. Corinth. 1.) crudelius insectabantur; in quos adhuc potuerint dæmonia aperit factum hoc: nimirum *in porcos*. Qui humanis exuti moribus porcorum similitudinem referant docet in sua secunda, 2. cap. Petrus dicens; *contigit enim eis, illud veri Prouerbij; canis reuersus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti*. De carnalibus de immundis præmittitur sermo. Permissu Domini in hos ingrediuntur Dæmonia, vt eos perdant, & quidem in damnationem æternam. *Nouit Dominus*, ibidem Diuus Petrus, *pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos; magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*. Verbo fas dici porcos. Qui concupiscentiam sequitur potius quàm homo, porcus est, vel canis: Diuus Thomas hic cap. 10. Hos veluti possidet Diabolus; ideo abit in porcos; quos impetu, iuxta effrænem concupiscentiæ ipsorum æstum in mare præcipitat: *abijs totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis*. Diuus Thomas; C in quo denotatur, quòd nullus à Diabolo totaliter potest extingui, nisi paratum se exhibeat, idest totaliter immundum. Theophilactus Marci 5. in Catena: *Dæmones intrant in homines ad modum porcorum viuentes, & volutabro voluptatum se inuoluentes*. Apocalyps. 18. *hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna*, (in mare) *& vltra iam non inuenietur*. Tu necte Matthæi textum; *& mortui sunt in aquis*. Fert etiam Diuus Thomas illud Petri; *hi veluti irrationabilia pecora peribunt*. Adde tu; irrationabile pecus, grex porcorum. Hieronymus: *suffocantur in Inferno*, Marci 5. *foras impudici*, ait Ioannes in Apocalypsi. Congruit autem extremæ vindictæ symbolum aquæ; quia vt ibidem, D primum iudicium Dei (hoc memorat 2. & 3. cap. Petrus) factum fuit per aquam: quoniam in primo statu viguit luxuria, in qua sunt duo, scilicet ardor & fœditas: propter quod tunc facta est purgatio per aquam, quæ est refrigerans & purificans. At, aio ipse, pereunt porci, quoniam pœnitentiæ aut baptismi lauacro mundati non sunt: mergi oportebat in aquis, ad sacrum fontem, non verò in fœtidum luxuriæ mare præcipites dari. Hœdus per E præcipitia vadit, qui est ad coitum seruidus: ibi *hœdos autem à sinistris*. Zachariæ 10. *super hircos visitabo*; F voluptuosi vocantur hirci ob luxuriæ fœtorem; fœtorem quoque habet mare. Ad hoc innuendum fortè vsus est Matthæus hebræo more, *mare* dicens, quod Lucas vocauit *stagnum*. Apostolus 2. Corinth. 12. *timeo, vt lugeam multos, ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt*. In alio sensu Apoc. 20. eiectus Diabolus, atrocius dominatur in corda infidelium: permittit enim Deus Diabolum dominari in malos.

C D.Th. hic.

D 2. Petri 3.

E Matthæi 25.

F Apoc. 8. comm. 3. Apoc. 10. cõm. 1. ibi. misit eum in abyssum.

VERS. XXXIII. *Pastores autem fugerunt*; &c.

Ioannis 10. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus*. Inquit Augustinus Tract. 46. in Ioannem: *timor, animi fuga est: fugis animo, cum metuis*. Refugit etiam mercenarius gregis G solicitudinem: videns lupum, idest tentationem diabolicam, deceptionem hæreticam, & sæuitiam tyrannicam, fugit. *Sæui nimis* erant præfati *duo Dæmonia habentes*. Aperit ergo Dominus causam perditionis ouium, quæ eadem ex causa transformatæ erant in porcos: nimirum quia *fugerunt Pastores*. Ezechielis 34. Pastorum huiusmodi describitur neglectus: *quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis*. Cur in præsenti, quod perierat non quærunt? cur sinunt in aquis mori? *& mortui sunt in aquis*. In præcedentibus defecisse deprehenduntur, dum tantum abest vt quærant, quin potius fugiunt; *Pastores autem fugerunt*. Ieremiæ 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cum visitauerint te?* Ecce Sacro ex textu Pastorum tangitur culpa; *venientes in Ciuitatem nunciauerunt omnia, & de eis qui dæmonia habuerant*. Non est huiusmodi annunciatio quam Deus Pastoribus mandat; sed quæ Ezechielis 3. præcipitur: *Fili hominis speculatorem dedi te Domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis de me. Si dicente me ad impium; morte morieris; non annunciaueris ei; sanguinem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio*, &c. Quoad increpationem culparum; Isaiæ 58. *annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*. De-

17.

G Ioan. 10. l. 3.

nique Pastoribus istis qui fugerunt, dicit Dominus Ezechielis 13. *non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel*. Si murus fuisset obiectus, non abijsset *grex totus per præceps in mare*. Gregorius: *cum Pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est, vt in præcipitium grex sequatur*.

VERS. XXXIV. *Et ecce tota Ciuitas exijt obuiam Iesu, & viso eo rogabant, vt transiret à finibus eorum*.

18. *Magno timore tenebantur*, ait Lucas. Reuertetur sermo Marci 5. & Lucæ 8. Nunc libet consectariò exponere, vt idcirco à Matthæo referatur, quo innuat, vltra Prælatorum culpam, agnoscat vnusquisque, ipsummet esse suæ perditionis causam: quia Deum Saluatorem ab animæ suæ finibus vult transire; *rogabant eum* &c. Mala Prælatorum, ait S. Doctor H non excusant nos; non enim sunt subditis in exemplum, nisi in iis in quibus imitantur Christum, qui est Pastor absque peccato. Ecclesiastici 15. *ante hominem vita & mors, bonum & malum*. Non desistit, aio ipse, Deus adesse quibus quamquam expositis periculo per mercenarios: at pereunt, quia Christum qui interiùs pascit non curant; rogant immo transire. Non huius farinæ erat ille, qui è contra rogabat; *ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me*; psal. 21. 34. & 37. *Et non discedimus à te*, psal. 79. Porcorum zelo ducti se immundos ostendunt; Quid mirum obtenebrati sensu lumen nolint? De impijs Iob 21. legimus, *dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*: & capit. 34. *quasi de industria recesserunt à Deo*. Si dicant aliqui (D. Thom.) *recede à nobis; viam mandatorum tuorum nolumus*: statim recedit. Pulchrè Ecclesiastici 21. *verbum sapiens quodcumque audierit sciens laudabit, & ad se adijciet; audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum*. In praxi hæc cernuntur; nam annunciata per Pastores fuerant cuncta, quæ fecerat Dominus; & nihilominus, rogant (vltra non ausi) vt à finibus eorum transeat. Misera Ciuitas animæ à qua transit Dominus, qui Iesus est, & Saluator! *nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Et quia Ciuitas custodienda, Castri magis rationem habet, animæ omnino quadrat similitudo: quocirca Angelicus, I corpus cum organis, anima cum potentijs, Castrum quoddam est. Certè aliquo speciali sensu ait Matthæus; Et ecce *tota Ciuitas* exijt: quo pacto nec Marcus, nec Lucas loquuntur. Quando tota animæ nostræ Ciuitas Christo renunciat, vix ictu interioris oculi spiritualia salutis percipit, moxque respuit: (hoc est, *viso Iesu*: quod item solus Matthæus considerat) quid, nisi immundæ indolis in mare præcipitandæ Inferni, ibique æternum morituræ argumento est? Clariùs dicas, cum quis effræni irascibili, corrupta concupiscibili, obtenebrata mente, deprauata voluntate, obliuiosa memoria, saluti suæ vale dicit, iacta veluti est alea, Deum de cordis sui finibus elongari gaudet: *rogabant vt transiret à finibus eorum*. Propterea aiebat toties Dauid: *legem tuam non sum oblitus; & mandata tua non sum oblitus*: ne tota animæ suæ Ciuitas Deum exploderet, sed vel recordatione ipsum teneret. Istiusmodi esse, qui porcorum crasin habent, habere potes ex Diuo Thoma, qui hæc L tradit: ad hoc quòd bona spiritualia non sapiant nobis, quasi bona; vel non videantur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quòd affectus noster est infectus amore delectationum corporalium, inter quas præcipuæ sunt delectationes venereæ; nam ex affectu harum delectationum, contingit, quòd homo fastidit bona spiritualia; & non sperat ea, quasi quædam bona ardua: & secundùm hoc desperatio causatur ex luxuria. Concors est doctrina hæc Apostolo, qui Ephes. 4. habet; *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ* &c. actuali effrænatione M vt exponit Angelicus; ferens etiam illud 2. Petri 2. *nouit Deus iniquos in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant; dominationemque contemnunt; audaces*: vbi glossa; *ad maiora crimina*. Ex quo enim N homo contemnit, fit audax & præceps ad omne periculum & flagitium. Legis isthæc omnia profundè in præsenti textu. Ecce in typum luxuriæ *porcorum grex*; ecce desperationis imago, dum merguntur profundo: *neque absorbeat me profundum*, ait psaltes, vt in expositione capitis dictum est: ecce feruntur *per præceps* in mare; ecce recusari Christum Iesum: effectus vel contemptus, vel acediæ; quæ O deiectiua est spiritus, & etiam quandoque radix desperationis. Et quia sapit peccatum in Spiritum-Sanctum, cum quis remouet, abijcit, vel P contemnit adminicula suæ salutis: quid mirum pereant in porcis, qui Iesum à suis finibus student amoueri? *rogabant vt transiret à finibus eorum*.

19. Ex his quæ in calce capitis huius habentur, de renisu Ciuitatis huius ad Christum excipiendum, satis claret repudiari ab eisdem baptismum; nam per baptismum Q incorporantur fideles tanquam membra capiti vnita Christo: hoc autem incorporari, nihil aliud est, quàm *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*, vt dicitur Ephes. 3. Quare totum hoc octauum caput, & de baptismo & de originali per baptismum ablato cohærenter accipi, satis perspicuum est. Veruntamen, vt magis constet, compendio rursus omnia lustremus. Originale in leproso dictum fuit significari. Ratio; quia lepra infectiua est, Quid congruentius pro originali explicando? Illa corruptio R præcipuè infectio nominari solet, quæ nata est in alios transferri: vnde & morbi contagiosi (sicut lepra, scabies & huiusmodi) infectiones dicuntur: corruptio autem originalis peccati traducitur per actum generationis: vnde potentiæ, quæ ad huiusmodi actum concurrunt, maximè dicuntur esse infectæ. Hæc D. Thomas. Prætereà liquet assumptum, ex munere quod præcipit Dominus offerri à leproso mundato. Offerebat vt patet Leuitici 14. *duos passeres viuos*. Figuralis ratio erat; S quia per duos passeres significantur Diuinitas & humanitas Christi. Quorum vnus scilicet humanitas, immolatur *in vase fictili super aquas viuentes*; quia per passionem Christi, aquæ baptismi consecrantur. Alius autem, scilicet impassibilis Diuinitas, viuus remanebat; quia Diuinitas mori non potest. Hic autem passer viuus, simul cum ligno cedrino, & cocco vermiculo & hyssopo, idest fide spe & charitate, vt supra dictum est, mittitur in aquam ad aspergendum, quia in fide Dei & hominis baptizamur: lauat autem homo per aquam baptismi & lacrymarum vestimenta sua, idest opera, &c. Hæc D. Thomas. Quid ad rem mirabilius? Consentit quod adijcitur de puero Centurionis paralytico, *Iacet ecce habitum*. Originale habitus est, T eo pacto, quo ægritudo versa in naturam, habitus dicitur. Ideo solet appellari languor naturæ. Paralysis est neruorum dissolutio, quæ aliter sanari non potest, vt Sylua allegoriarum, nisi nerui illi dissoluti, & iusto laxiores restringantur & roborentur. Nerui, vt legimus apud Grammaticos, dicuntur chordæ citharæ. Peccatum originale V est quædam inordinata dispositio proueniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis iustitiæ. Et quia peccatum originale X est concupiscentia; (materialiter loquendo) iuxta quod ait Augustinus; *concupiscentia est reatus originalis peccati*; nemo non videt,

H Gal. 6. l. 2.
I 1. Cor. 7. l. 7.
L 1. 2. q. 10. a. 4.
M Ephes. 4. l. 6.
N 2. Petri 2.
O 1. 8. 10. 4.
P 1. 2. q. 14. 2. de malo q. 3. a. 15. ad 3.
Q 1. p. 69. 5.
R p. 2. 81. 4.
S p. 2. 102. 5. ad 7.
T p. 2. 82. 1.
V loc. cit.
X p. 2. 82. 3.

videt, quam aptè in puero Centurionis significetur, qui non inducitur actu aliquid concupiscere; quoniam ex eodem Augustino A in lib. de baptismo puerorum; *secundum peccatum originale, paruuli sunt concupiscibiles, etsi non sint actu concupiscentes.* Peccatum originale B inclinat etiam in peccata actualia, cum inficiat potentias. Ecce de Socru Simonis febricitante: & quia ex Augustino infectio originalis culpæ maximè apparet in motu genitalium membrorum, qui rationi non subditur, quæ membra deseruiunt generatiuæ virtuti in commistione sexuum, in qua est delectatio secundum tactum: ecce deflecti narrationem euangelicam ad Socrum Petri febricitantem. Ex quo connubium præsumitur: *tetigitque* quo sanaretur *manum eius*. Dicitur autem *Socrus Petri*, non autem *Simonis*, quia *Simon* interpretatur *obediens*: ad innuendum, vt puto, per originale peccatum excussisse vires inferiores suaue obedientiæ iugum ad rationem, quo iustitia originalis eas continebat. O altum vocula in vna mysterium! Reliqua capitis satis expensa sunt.

A loc. cit. 201.

B p. 1. 31, a. 3. & 4.

CAPVT IX.

1 *ET ascendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* 2 *Et ecce offe-* Mar. 2. a.
rebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paraly- 3.
tico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, 3 *Et ecce quidam de Scribis dixe-* Lu. 5. d.
runt intra se. Hic blasphemat. 4 *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid co-* 18.
gitatis mala in cordibus vestris? 5 *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua:*
an dicere; Surge, & ambula? 6 *Vt autem sciatis, quia filius hominis: habet potestatem in*
terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum
tuam. 7 *Et surrexit, & abijt in domum suam.* 8 *Videntes autem turbæ timuerunt, & glori-*
ficauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. 9 *Et cum transiret inde Iesus, vidit* Mar. 2. b.
hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secu- 14. Luc. 5. f.
tus est eum. 10 *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores ve-* 27.
nientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. 11 *Et videntes Pharisæi, dicebant discipu-*
lis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? 12 *At Iesus au-* Osee 6. c.
diens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. 13 *Euntes autem discite* 6. Infr. 12. a.
quid est. Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. 7. 1. Tim. 1.
14 *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunauimus* c. 17.
frequenter; discipuli autem tui non ieiunant? 15 *Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij* Mar. 2. c.
sponsi lugere: quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus; 18. Luc. 5. f.
& tunc ieiunabunt. 16 *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus;* 33.
tollit enim plenitudinem eius à vestimento: & peior scissura fit. 17 *Neque mittunt vinum no-*
uum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed
vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conseruantur. 18 *Hæc illo loquente ad eos,* Mar. 5. b.
ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed 22. Luc. 8. f.
veni: impone manum tuam super eam, & viuet. 19 *Et surgens Iesus, sequebatur eum, &* 41.
discipuli eius. 20 *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis accessit retro,* Mar. 5. c.
& tetigit fimbriam vestimenti eius. 21 *Dicebat enim intra se, Si tetigero tantum vestimentum* 14. Luc. 8. f.
eius: salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit. Confide filia, fides tua te saluam 41.
fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. 23 *Et cum venisset Iesus in domum Principis, &*
vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: 24 *Recedite: non est enim mortua puella*
sed dormit. Et deridebant eum. 25 *Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius.*
Et surrexit puella. 26 *Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam.* 27 *Et transeunte inde*
Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili Dauid; 28 *Cum*
autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis, quia hoc possum
facere vobis. Dicunt ei; Vtique Domine. 29 *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: secundùm*
fidem vestram fiat vobis. 30 *Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Iesus, dicens:*
videte ne quis sciat. 31 *Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.* 32 *Egressis*
autem illis, ecce obtulerunt ei hominem, mutum dæmonium habentem. 33 *Et eiecto dæmonio,* Inf. 12. b. 22.
locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel. 34 *Pha-* Luc. 11. b.
risæi, autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmones. 35 *Et circuibat Iesus omnes* 14.
ciuitates, & castella docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & curans Mar. 6. e. 6.
omnem languorem, & omnem infirmitatem. 36 *Videns autem turbas, misertus est eis: quia*
erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem. 37 *Tunc dicit discipulis eius.*
Messis quidem multa operarij autem pauci. 38 *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios* Luc. 10. a. 2.
in messem suam.

VERS.

VERS. I. *Et ascendens in Naviculam transfretauit,*

VERS. II. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.*

1. Difficultas primo in limine est quaenam sit haec sua Ciuitas: si enim Capharnaum est, sic sua dicta ob continuam fermè commorationem, vt exponit cum Chrysostomo Angelicus, cur sicut ab alijs Euangelistis, non & hic exprimitur? Quòd si pro sua Ciuitate Bethlehem intelligitur vbi natus est, vel Nazareth, vbi educatus, appareret manifesta discordia, nisi cum Augustino dicatur praetermissum fuisse ab alijs, quod Nazareth Ciuitatem suam adierit, ex qua venerit postea Capharnaum, vbi offerebant ei hunc paralyticum. Vel secundum eundem Augustinum, Capharnaum quasi metropolis Galilaeae, in qua erat & Nazareth, Ciuitas sua dicitur: sicut, inquit Diuus Thomas, si aliquis sit de Villa iuxtà Parisios, esse dicitur de Parisijs, ob loci notitiam: ita Dominus, qui erat de finibus Capharnaum. Syntaxis rem istam magis elucidabit. In sanatione huius paralytici interuenit dimissio peccatorum. Plerumque C ex infirmitatibus spiritualibus causantur aegritudines corporales. Quod & Hieronymus. Nihilominus aegritudines huiusmodi corporales fauor Dei, diuinaeque prouidentiae effectus sunt, dum occasione illarum excitatur quis ad Deum; vt docemur D palam in 2. Sent. Aiebat Gregorius; *mala quae hic nos premunt, ad Deum nos ire compellunt.* Ait autem Chrysostomus in homilia, & fertur in Catena cap. praecedenti, *Christus non solùm corpora curabat, sed animam emendabat.* Sic & Angelicus; Christus E quemcumque curauit, totaliter curauit, & mente & corpore. Horum signum est dixisse Dominum Ioan. 5. *iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et cap. 7. *totum hominum sanum feci in Subbato.* Hinc glossa, ad sequentia verba, *videns Iesus fidem illorum*, habet; F *quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem!* Valet autem fides aliorum alij, merito congrui, non merito condigni. Nihilominus animaduerte exegisse Dominum etiam ipsius fidem atque fiduciam; *confide fili.* Dicit ad Romanos Diuus Thomas; ex eo quod credit homo in Deum iustificantem, iustificationi eius subijcit se; & sic recipit eius effectum I. Paralipomenon 17. *Idcirco inuenit seruus tuus fiduciam, vt oret coram te.* Ecclesiastici 2. *crede Deo, & recuperabit te.* Iacobi 1. *postulet autem in fide, nihil haesitans.*

C D.Th. hic 3. p. 44.3.4.

D 2. Sent. 28.q.1.a. 4.

E 4.Sent. d. 15. expofit.1.

F p.1.114. a. 1. Rom. 4. Lect.1.

VERS. VI. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.*

2. Non virtute humanae naturae, G sed virtute naturae diuinae. In qua quidem natura diuina consistit potestas dimittendi peccata per auctoritatem; in humana autem natura consistit instrumentaliter, & per ministerium. Vnde Chrysostomus super Matthaeum. *Signanter dixit, in terra dimittendi peccata; vt ostenderet, quòd humanae naturae, potestatem Diuinitatis vniuit indiuisibili vnione; quia, etsi factus est homo, tamen Dei verbum permansit.* Certè definitur H solus Deus causa gratiae. Isaiae 43. *ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Humanitas Christi est sicut quoddam Organum Diuinitatis eius, vt Damascenus dicit. Hinc nota ex Diuo Petro Actor. x. *huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Surge, tolle lectum tuum, &c.* Similiter peccatori in peccato iacenti dicitur; *surge à peccato per* I contritionem: *tolle lectum*, per satisfactionem. Micheae 7. *iram Domini portabo, quia peccaui ei: & vade in domum tuam*: in Domum aeternitatis, vel in conscientiam propriam; Sap. 8. *intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Considero de confessione praetermitti, quia iam palam praecessit symbolum in notoria aegritudine. Paralyticus significat peccatorem L in peccato iacentem. Vnde sicut non potest paralyticus se mouere; sic nec iste. Requiritur auxilium gratiae M ad hoc quòd homo à peccato resurgat: & quantùm ad habituale donum, & quantùm ad interiorem Dei motionem.

G 3.p.16. 31. ad 2.

H p. 1. 112.1.

I D. Th. hic.

L D. Th. hic.

M p. 2. 109. 7.

VERS. VIII. *Videntes autem turbae timuerunt, &c.*

3. Recolitur, me iudice, timor, qui praeuius est iustificationi: nam vt ait Gregorius; *in via Dei à timore incipitur.* Ecclesiastici 1. *timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Primus actus timoris N qui est *timor gehennae, praeparat locum charitati, & eam tandem introducit, sicut seta vel acus filum*, vt ait Augustinus. De varijs timoris effectibus vide O alibi. Et de actibus praeuijs iustificationi, donec ad timorem filialem seu reuerentialem, proinde ad iustificationem impij perueniatur, P lege alijs in locis. Subditur; *qui dedit potestatem talem hominibus.* Hilarius refert ad illud Ioann. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed ipse potius de potestate dimittendi peccata acciperem: & tanquam à Matthaeo dictum, potiùs quàm à turbis; quippe qui nouerat potestatem clauium in Ecclesia à Christo relictam infra cap. 16. *quodcumque solueris super terram*: & Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata &c.* Nisi enim hoc subintelligendum esset, dicendum potiùs fuerat in singulari; qui dedit potestatem talem homini. Sed ipse Dominus, vt in humanae ipsius naturae communionem ascita intelligeretur Ecclesia ad tantum munus, dixit; *filius hominis* subticens *filius Dei, habet potestatem*, &c. Et adiecit *in terra*; cohaerenter ad illud, *quodcumque solueris super terram.*

N p.104. 4.

O 2.2. q. 19. Rom. 8.l.4.

P p. 1. q. 113. 2. & 4. & 5. & 3.p.85. 5.

VERS. IX. *Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine.*

4. In Telonio, idest in domo, siue Q in loco, in quo vectigalia recipiebantur & congregabantur. *Telon* graecè, latinè *vectigal.* Peccator communiter existimatur Matthaeus fuisse: haberturque ex sequutis contextibus; *quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? Publicani vocantur* ex glossa, *qui publicis negotijs implicantur; qui sine peccato aut vix, aut nunquam possunt tractari.* Officium Publicanorum, R qui vectigalia publica exigunt, ex propinquo habet peccatum adnexum; quamuis sine peccato quandoque exerceri possit: vt si fiat de auctoritate Principis, & causa communis vtilitatis; scilicet ad defensionem terrae; & non immoderata recipiantur telonia. Apud Romanos teste Cicerone, (refert Tirinus) *Flos equitum, ornamentum Ciuitatis, firmamentum Reipublicae, Publicanorum ordine continebatur*: Sed apud Iudaeos, (quibus probrosum erat seruire, vel iungi Gentilibus, & exosa omnis tributorum exactio) *publicani* publicè infames, vt foeneratores apud nos, habebantur. Hinc Chrysostomus in hom. *telonij officio nihil est deterius.* Hunc hominem peccatorem vtique vidit Iesus amoris oculo, S gratiam infundendo. Fertur à Diuo Thoma Ecclesiastici 11. sententia, quae inquit benè exponitur de Beati Matthaei vocatione; *Est homo marcidus egens recuperatione; &c. Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Sequitur; *Et ait illi, sequere me; & surgens, secutus est eum.* Ex Hieronymo; *arguit Porphyrius, & Iulianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Saluatorem, quasi irrationabiliter quem-*

Q D.Th. hic, & glossa in catena.

R 4.Sent. d.16.q.4. a 2.ad tertiam.

S. Ser. in Festo Sancti Matthaei.

quemlibet vocantem hominem sint secuti. Cumstantæ virtutes tanquam signa præcesserint, quæ Apostolos, antequam crederent, vidisse dubium non est; Certè fulgor ipse & Maiestas Diuinitatis occultæ, quæ etiam in facie refulgebat humana, videntes ad se trahere poterat in primo aspectu. Chrysostomus. *disce vocati obedientiam; neque enim resistit, neque domum abire rogauit, & suis hoc communicare. Humana etiam pericula, quæ ei à Principibus accidere poterant, paruipendit; dum officij sui rationes imperfectas, reliquit,* vt Remigius dicit ibidem. Ad citissimæ obedientiæ laudem fusè in opu-

T opusc. 27.c.9. sculo: T Vbi ad illud Romanorum 8. *quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt;* ad exhortationem glossa Augustini; *non quia nihil agant, sed quia impetu gratiæ aguntur.* Non autem agitur impetu Spiritus-Sancti, qui resistit vel tardat: de quo impetu Isaiæ 59. *cum venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.* Ezechielis 1. quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur. Matthæus peccator V secutus

V 3. 2. 189. 1. ad 1. est vocantem, non autem adolescens; (Matthæi 19.) quia facilius conuertuntur ad Religionem peccatores, quàm illi, qui de sua innocentia præsumunt: quibus dicit Dominus Matthæi 21. *publicani & meretrices præcedunt vos in Regno Dei.* Ad illud Numeri 21. *via Regia gradiemur*; bene dicit quæ-

X opusc. 60. 2. 13. dam glossa; X *via regia est via Christi Regis nostri, qui sic viam Mundi cucurrit, vt nec prosperis alliceretur, nec aduersis frangeretur.* Beda; *sequamur iter humanæ conuersationis eius, si Diuinitatis gloriam volumus intueri, & habitare in domo eius æterna, omnibus diebus vitæ nostræ.*

VERS. X. *Et factum est, discumbente eo in Domo; ecce multi publicani & peccatores, &c.*

5.

Christus Dominus, A vt infimis condescende-

A opusc. 19. 6. ret, cum publicanis comedebat; & vinum bibens, & alijs cibarijs communiter vtens. Præterea familia-

B 3. p. 40. 1. riter cum hominibus conuersatus est, B vt omnibus fiduciam daret ad se accedendi. Hinc ad rem Hieronymus; *videbant publicanum à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ; & ob id etiam ipsi non desperant salutem.* Ex his autem claret quomodo Matthæus altam attigerat perfectionem: secus cum prauis ijs mensæ non assedisset. Conuiuere peccatoribus ab infirmis est vitandum,

C 2. 2. 25. 6. 5. C propter periculum, ne ab eis subuertantur. Perfectis autem de quorum corruptione non timetur, laudabile est quod cum peccatoribus conuersentur, vt eos conuertant. Matthæi autem in Sanctitate gradus vtique celsus ex eo innotescit, quòd proprio se nomine vocat, quod alij non fecere Euangelistæ ipsum appellantes *Leui*, quod erat nomen eius mi-

D in Ser. & hic. nùs D notum: vulgatum enim erat *Matthæus*; *Iustus* quippe Prou. 18. *prior accusator est sui.* Lucas deinde c. 6. cum Matthæum vocat. Binomius ergo erat. Ecclesiastici 4. *est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Emicat autem in hac sui ipsius accusatione specimen confessionis; & quidem cohærenter ad præmissa de paralytico. Item dignoscitur perfectus, eo quòd illico studuit hoc conuiuij strategemate alios ad Christum vocare. Inuitauit enim multos, vt ad

E D.Th. hic. Deum E conuerterentur: Apocalypsis 22. *qui audit, dicat veni.* Exodi 26. cortina trahit cortinam. Difficultas hoc in loco est, cur Matthæus suam hic interposuerit vocationem: præsertim quia Lucas c. 6. inter discipulos *quos Apostolos nominauit* cum recenset, adfuisseque Sermone Domini in monte. Cur Matthæus præmisso Sermone c. 5. differt ordine

F D.Th. hic. præpostero conuersionem suam ad 9. caput? Respondet: F quia miraculum reputauit vocationem suam, ideo inter miracula recitauit. Docet miraculosam G dici impij iustificationem, quando tam

G p. 2. 114. 10. vehementer Deus animam mouet, vt statim quandam perfectionem iustitiæ assequatur. Quod est præter communem & consuetum cursum iustificationis; in qua solet homo, mouente Deo interius animam, conuerti ad Deum, primò quidem conuersione imperfecta, vt postmodum ad perfectam deueniat: *quia charitas inchoata meretur augeri, vt aucta mereatur perfici*, sicut Augustinus dicit. Mi-

H 3. p. 43. 3. 2. raculum quoque agnoscit H circa animas hominum, quantum ad immutandas interiores vires: & recolit quod supra diximus ex Hieronymo in Matthæi vocatione, *fulgore & maiestate Diuinitatis, quæ in facie etiam relucebat humana, fuisse tractum.*

VERS. XII. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

Adstipulatur Paulus primæ ad Timot. 1. *Christus Iesus venit in hunc Mundum peccatores saluos facere, quorum primus sum ego; sed ideo misericordiam consecutus sum, &c.* Et iam Domini clausula hoc 6.

ipsum exprimit; *non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quod præ alijs hoc sensu intelligitur: non veni vocare, qui de sua iustitia confidunt, I

I D. Th. hic. sed peccatores qui pœnitent ignorantes suam iustitiam. Et vide quam mirè ad hominem, arguunt hac intelligentia Pharisæi obloquentes: Pharisæus enim erat & ille, qui Lucæ 18. de sua iustitia præsumens aiebat; *non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti adulteri; velut etiam hic Publicanus.* Sic sine dubio superbiebant hic Pharisæi dicentes, *quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Sed *descendit Publicanus* etiam Matthæus *iustificatus in domum suam*, ab istis. Hoc ipsum insinuatur, in hoc quod assumit Dominus, *non est opus valentibus medicus.* Valentes etiam

I. D.Th. hic. dicuntur, qui ex superbia reputant I se valere, de quibus Apocalypsis 3. *Dicis, diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*: & talibus *non est opus medicus, sed male habentibus*, idest peccatum recognoscentibus: ps. 50. *iniquitatem meam ego cognosco.* Certè ait Iacobus c. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hanc præexactam reatuum cognitionem innuit Iesus, dum se Medicum perhibet: ps. 102. *qui sanat omnes infirmitates tuas.* Sic

M 1 p. q. 1. 5. glossa de Christi aduentu dilato: M *vt homo cognita sua infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium.* Sic enim erat homo liberandus, vt humiliatus recognosceret, se liberatore indigere. Medicum autem vide diuinum in facto, quinimo in verbo *sequere me*; & quidem relatu ad scripturam: in qua legimus (Sap. 16.) *etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Admonet etiam his verbis Dominus; *ne tardes conuerti ad Dominum* (Ecclesiastici 5.) *& ne differas de die in diem*, Matthæi generoso exemplo, qui *surgens secutus est eum*: quia (Ecclesiastici 10.) *breuem languorem præcidit Medicus, & languor prolixior Medicum grauat.* Et iterum c. 18. *ante languorem adhibe medicinam: ante languorem humiliare; & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.* Cur se hic asseueret Dominus Medicum, in Syntaxi. Interim, quis infirmis est misericordium, ps. 6. *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*; ex glossa, de accessu ad Matthæi domum: *Dominus ... in hoc misericordiæ exemplum dedit.*

VERS. XIII. *Euntes autem discite quid est: misericordiam volo, & non sacrificium.*

Misericordia speciali quadam ratione attributum est Dei proprium, ex quo Ecclesia in Collecta; *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Hoc 7.

N 2. 2. q. 30. 4. explicatur, N quatenus pertinet ad misericordiam,

quod

quòd alij effundat; & quod plus est, quòd defectus aliorum subleuet: & hoc maximè superioris est. Dicitur proinde maxima virtutum. Passim in Scripturis extollitur: quas superfluum est hic congerere. Verùm quia confertur in præsentiarum cum sacrificio, quod posthabere se indicat, dicens; *euntes autem discite quid est; misericordiam volo & non sacrificium*; discamus aliquid vulgo Pharisæorum ignotum necesse est. Neque enim simpliciter sacrificium respuit; quod sibi acceptum fuisse constat Leuitici 1. *in odorem suauissimum*, quodque fieri iustum est in protestationem, quòd Deus sit rerum omnium principium, & vltimus finis. Vnde soli Deo debet offerri. De quo O suis locis. Idiotismus est hebraicus; cum volunt vnum per cumparationem alteri præferre; id quod præferunt affirmant, alterum negant. Igitur ad rem aliud intendit. Et quidem vel Pharisæos erudire de Sacrificiorum fine, qui inter alios est, P vt ad proximorum vtilitatem Deo offerantur; innuens misericordiam, qua subuenitur defectibus aliorum, sibi esse sacrificium magis acceptum. Docuit autem & Philosophus 9. Ethicorum quòd amicitia magis facit subueniri amico, in damnis virtutum, quàm in damnis exteriorum rerum. Arguit ergo eos, quòd detenti exteriori sacrificiorum oblatione, & in eo confisi, affectum misericordiæ non haberent. Vnde glossa, *non despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia*. Habes experimentum parabolæ illius qui Lucæ 10. expoliatus, & vulneratus iacebat semiuiuus, quem duro corde præteriuit Sacerdos, & Leuita pertransijt: non ita, misericordia motus Samaritanus. Vel Sacerdotes ac Leuitas cupidos reprehendit; qui libenter offerebant, vt notat Q Angelicus, sacrificia, propter hoc, quòd delectabantur in eis conuiuijs: iuxtà illud Isaiæ 22. *Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*. Adde Numeri 16. *ne respiciar eorum sacrificia*. Ad huc tamen adsunt profundiora sententiæ Domini sensa: alterum in Syntaxi opportuniùs ad Osee cap. 6. mentem; statim accipe alterum. Murmurabant Pharisæi quòd ad sui sequelam, quem vellent nollent, agnouerant inculpatum, culpis onustum Matthæum admisisset, taciteque sine dubio, voluebant animo, priùs fuisse sacrificia pro Matthæo offerenda; quibus per Sacerdotum preces mundaretur, eique dimitterentur peccata. Et nihilominus fortè in pœnam, adhuc refugiendam forè Matthæi societatem. Sic Lucæ 7. *Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se: hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix est*. Ad hæc præsens sententia Domini; (quem ibidem etiam Lucæ 7. *amicum publicanorum & peccatorum* carpebant) *misericordiam volo*, &c. Ignaros ergo ostendit eos Dominus, monetque vt euntes discant, *euntes discite*, huc illuc scripturas perlustrate, & discetis *quid est; misericordiam volo*: Sanctus Paulinus legit *misericordiam malo*; ac si diceret, (vt mihi visum est) illud Prouerbior. 15. *per misericordiam & fidem purgantur peccata*: quia vt exponitur R *misericordes misericordiam* (supra cap. 5.) *consequentur*; & pro reprimenda calumnia subintelligendum daret, quam nobis strictè adeo iniungit, solere Deum effundere misericordiam, qua Publicanus non vltra sacrificio pro suis peccatis indigeat. Simile quid Isaiæ 1. *discite benefacere &c. si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix de albabuntur*. Argumento est sententia Domini, Matthæum misericordiæ visceribus affluxisse: præsertim quia interpretatur *Donatus*. Quare sicut Thabitæ Actor. 9. *quæ plena erat bonis operibus & eleemosynis, quas faciebat, dixit Petrus* cum eam à mortuis suscitauit; surge; sic & Matthæus *surgens secutus est eum*: nedum sine onere culparum, sed expeditior excusso pœnæ reatu. Et hoc non nisi diuina ex misericordia; *misericordiam volo*: quæ tanta est in plenitudine potestatis, vt pœnam omnem S possit remittere; cum non obstringatur aliqua superioris lege. Homo non ita, nam dum miseretur pœnam remittendo, seruandus est modus; scilicet vt non fiat contra legis superioris iustitiam. Ipse est T supremum & commune bonum totius Vniuersi; & ideò si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex eo quòd contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam. Et in hoc emicat ipsius V omnipotentia. Hinc Augustinus *omnipotenti Medico, nullus morbus est insanabilis*: & iam se hic Medicum dicit. Hinc Dauid psal. 50. *tibi soli peccaui*: (cum tamen & in proximum peccasset) quasi dicat X potes sint iniustitia mihi dimittere. Obmutescant ergo censores hi Pharisæi: præsto est Domino cum vult misericordiæ laxare habenas: *misericordiam volo*: volo sine alicuius exterioris adminiculo sacrificij, *& non sacrificium*, publicanos & peccatores reuocare ad iustitiam: & quidem vno misericordiæ intuitu, *vidit hominem*: quia Ecclesiastici 11. *facile est in oculis Dei, subitò honestare pauperem*. Terret etiam Pharisæorum supercilium, si docibiles discant, dum recolit, *misericordiam volo; quia cuius vult*, Roman. 9. *miseretur, & quem vult indurat*. *Euntes discite, quid est*: Euthymius exponit; *quid sibi velit: misericordiam volo*, &c. vt referatur ad Osee dictum. Porro si ly: *Quid est*, non adnectatur sequentibus, sed distincta seiunctaque sit oratio, obscurior euadit: possetque exponi addendo *omnis homo*, vt legitur Ecclesiastes 12. *hoc est omnis homo* scilicet *integer* seu *perfectus homo*. Ac si diceret, *discite quid est*, supplendo, Christiana disciplina: nam vt ait Ambrosius ad illud 1. Timot. 4. *pietas ad omnia vtilis est*: certè, *omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est*: quantum scilicet A ad exteriora opera. Cum ergo Matthæi forti, dulci pietatis affectu non potiùs congaudent, cur ipsius vocationi in discipulum, alijsque conuiuantibus peccata obiectant? *vera iustitia* ex Gregorio *compassionem habet non dedignationem*. Non fuit bonus, qui malos tolerare non potest. Profundè autem Dominus, qui Diuinitatis suæ ostenderat potentiam, dimittendo paralytico peccata, se verum hominem quoque hoc in facto demonstrat. Hinc Apostolus ad Hebræos 2. *semen Abrahæ apprehendit: vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret*. Hanc eandem sententiam duritiæ Pharisæorum obijcit infra Matth. 12. *si autem sciretis quid est: misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes*. Porro dum his cohærenter ait Dominus Lucæ 6. *estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*, doleamus cum Tertulliano; de pœnit. quòd *redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis*: quando inde ingratus dicit peccator; *misericors est Deus: laxabo habenas cupiditatibus meis*; vt Tract. 33. in Ioannem declamat Augustinus: quò & Nazianzenus orat. 31. *mœrore impleor, cùm Christum meum conspicio hac de causa contemni*.

VERS. XIV. *Quare nos & Pharisæi ieiunamus*, &c.

VERS. XV. *Nunquid possunt filij sponsi lugere*, &c.

8 Cùm Dominus suprà c. 6. ieiunij formam indixerit; *tu autem cum ieiunas*, &c. Et priùs, *cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes*; cùm Apostolus 2. Cor. 6. dicat; *in vigilijs, in ieiunijs & castitate*; cum Actor. 13. habeatur palam discipulos ieiunasse; *ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus*: tunc

O p. 1. 102. 3. & 2. 2. 84. 1. 1. & q. 85. 2. ac 94. 8. 2.

P 2. 2. q. 30. 4. 1.

Q Ps. 49. lit. c.

R p. 2. 111. 4. 1.

S Ephes. 2. l. 2. & in 4. sentent. 46. q. 1. 2. 2. 2.

T 1. 2. 67. 4. & 3. p. 46. 2. 3.

V 1. p. q. 25. 3. 3. & 2. 1. 30. 4.

X 3. p. 46. 2. 4.

A 2. 2. q. 30. 4. 1.

tunt ieiunantes & orantes; cùm Ecclesia, vtique Apostolorum traditione, ieiunia præcipiat: cùm Sancti Patres ieiunia commendent; cum denique ieiunium in communi, vt docemur, B cadat sub præcepto legis naturæ, sitque actus virtutis, vt ibidem: sana accipiendum est intelligentia, quod hic ait Dominus, eximens à tali obseruantia ad tempus discipulos. Audiamus Angelicum, C qui tripliciter memorat posse hunc locum exponi: vno modo secundùm Chrysostomum, qui dicit quòd discipuli, qui filij sponsi dicuntur, adhuc imbecillius dispositi erant: vnde vestimento veteri (mox versu 16.) comparantur: & ideò in præsentia corporali Christi, erant magis fouendi in quadam dulcedine, quàm austeritate ieiunij exercendi. (Hoc quod in 2.2. fert, repetit in opusc. Chrysostomi verbis D, *Ieiunium triste est non naturaliter, sed illis, qui imbecillius adhuc dispositi sunt; his enim qui sapientiam contemplari desiderant, delectabile est. Quia ergo discipuli imbecilles erant, non erat tempus tristitiam introducendi, quousque firmarentur; Per hoc monstrat, quòd non gulæ erat quod fiebat, sed dispensationis cuiusdam.*) Pergit D. Thomas: alio modo potest dici secundum Hieronymum, quòd Dominus loquitur de ieiunio veterum obseruantiarum; vnde per hoc significat, quòd Apostoli non erant in veteribus obseruantijs detinendi, quos oportebat gratiæ nouitate perfundi. Tertiò modo secundum Augustinum, qui distinguit duplex ieiunium, quorum vnum pertinet ad humilitatem tribulationis; & hoc modo non competit viris perfectis, qui dicuntur, *filij sponsi*, qui non possunt lugere. (*lugere* ait Matthæus, vbi Lucas c.5. *ieiunare*.) Aliud est quod pertinet ad gaudium mentis in spiritualia suspensæ. Et tale ieiunium conuenit perfectis. Magis autem hoc alibi explicat: E Duplex est ieiunium; luctus & exultationis. Dicitur ieiunium luctus, quod cum amaritudine peccatorum, vel præsentis miseriæ geritur: ieiunium verò exultationis, cùm quis ex spirituali iucunditate, se à carnibus abstrahit; quia *gustato spiritu, desipit omnis caro*, vt ait Gregorius. Iustis ergo semper habitu spiritualiter sponsus præsens est, sed non semper actu: immo quandoque est eis præsens vt Iudex; cùm sua peccata excogitant, vel quæ fecerunt, vel in quæ cadere possunt, nisi carnem cohibeant: & tunc eis competit ieiunium mœroris. Aliquando autem est eis præsens actu, vt sponsus; quando eius dulcedine perfruuntur: & tunc competit eis ieiunium exultationis, & non mœroris.

B 2. 2. 147. 3. & 2. 1. & 3.
C 2. 2. 147. 4. 1.
D opusc. 8. c. 9.
E 4. Sent. 15. q. 3. a. 3. q. 2. & opusc. 60. c. 9.

9 Sic Apostolus 2. ad Corinthios: *statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos*: F idest vos contristem. Et ratio quare noluit eos contristare est illa, qua Dominus noluit ieiunare Discipulos suos, scilicet ad hoc vt amore & non timore afficerentur ad Christum, & iungerentur sibi. Voluit enim eos Dominus firmare & nutrire in fide, in omni dulcedine & desiderio cordis; vt sic firmati ex amore non de facili auellerentur; quia *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, Cantic. 8. Vbi autem idem Apostolus habet; *alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet*: ait glossa, vt dicatur infirmus, qui est ad lapsus vitiorum carnalium pronus; & huic consulendum est, quòd comedat *olus*, idest G tenues & aridos cibos, qui non sunt fomentum vitiorum, & abstineat ab illis, quibus excitatur libido: Alius qui est fortis, credit se absque periculo posse *omnia manducare*. Subdit Angelicus; & hæc differentia apparet Matthæi 9. inter discipulos Christi; qui non ieiunabant, tanquam confortati præsentia Christi; & discipulos Ioannis Baptistæ, qui ieiunabant. Ieiunium eligendum est, ne caro contra spiritum inualescat; cum Christus præsens erat, custodiebat discipulos ab excessu. Ioan. 17. *Pater cum essem cum eis, ego seruabam eos*: Tangit autem ibidem Apostolus, vt item interpretatur H Diuus Thomas, quosdam qui omni die abstinebant, vel è contra nullo die; sicut discipuli Christi non ieiunabant: & neutros illaudat, quantum ad tempus, in quo hoc non erat contrarium statutis maiorum, nec communi consuetudini Populi Dei. Iure positiuo I determinatio temporis & modi ad ieiunandum facta est. Huic æquiparatur consuetudo populi Christiani; L quæ vt inquit Augustinus, pro lege habenda est. Contra quam si quis ieiunaret (intellige tu eam inuertendo, quod esset *contra consuetudinem*) non esset immunis à peccato; sicuti etiamsi ieiunaret ex aliquo errore, quemadmodum faciebant Manichæi die Dominica. Fertur idem Augustinus ad Romanos in hæc verba; M *Quisquis die Dominico ieiunium decernendum esse putaret, non paruo scandalo esset Ecclesiæ*. Et in Decret. dicitur dist. 30. *si quis propter publicam pœnitentiam, à Sacerdote acceptam, absque alia necessitate, pro quadam Religione ieiunauerit, sicut Manichæi, anathema sit*. Quamuis N ipsum ieiunium, secundùm se consideratum omni tempore sit laudabile; sicut Hieronymus dicit; *vtinam omni tempore, ieiunare possemus*; ieiunium autem exultationis, quod ex instinctu Spiritus-Sancti procedit, qui est spiritus libertatis, sub præcepto cadere non possit. Disce tu ex his, cur discipuli Domini non ieiunarent coram ipso, neque ieiunio luctus, neque exultationis; quod noluit eis iniungere Dominus; qui subdit; *venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus; & tunc ieiunabunt*. Quoniam verò ait Dominus; nunquid possunt *filij sponsi lugere*? præuenit institutum Ecclesiæ, quæ noluit præcipere ieiunia luctus & afflictionis O in toto Paschali tempore, eo quòd sint dies lætitiæ. (Causam aliam accipies in Syntaxi). Tempus quippe Paschale lætitiæ tempus est, quia nuptiale sponsi: ps. 44. *adducentur Regi virgines post eam; afferentur in lætitia & exultatione*. Matthæi 22. *fecit nuptias filio suo*. Nuptiæ istæ multifariam P possunt exponi: primò per vnitatem naturæ humanæ ad diuinam, ita vt humana sit sponsa; ps. 18. *& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Sic etiam alibi; Q congruum enim fuit Virginem Deiparam annunciari, pariter vt ostenderetur esse quoddam spirituale Matrimonium inter filium Dei & humanam naturam: & ideo expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ. Pergit in Matthæum; Sponsus est Verbum incarnatum, Sponsa Ecclesia; Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Sic est etiam Sponsus animarum singularum in fide; Osee 2. *desponsabo te mihi in fide*, Adde; 2. Ioannis 3. *qui sponsus est, habet sponsam*; & 2. Corinth. 11. *despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*. Harum nuptiarum sponsalia R fuerunt contracta in incarnatione; solemnitas fuit celebrata in resurrectione; traductio verò in thalamum, siue in thronum fit modo particulariter in retributione, sed vniuersaliter fiet in extrema consummatione. Hinc Apocalyps. 19. *Nuptiæ agni venerunt*. Liquet ex his, cur Dominus à ieiunio discipulos suos tanquam filios eximat à luctu; (non sine causa ait *lugere pro ieiunare*) hoc nuptiarum tempore, ipsos filios nuncupans. (Hebræor. 2. *qui multos filios in gloriam adduxerat*; 1. etiam Paralip. 13. in figura; *tui sumus ò Dauid, & tecum filij Isai*) ex quo illuminata Ecclesia non nisi post Ascensionem Domini ieiunia instituit; quasi post nuptiarum consummationem; Exinde tempus fuit luctuosi & mœsti ieiu-

F 1. Cor. 2. l. 1. & hic.
G Rom. 14. l. 1. & hic.
H loc. cit.
I 2. 2. q. 147. 3. & 5.
L loc. cit. a. 4. ad 5.
M Rom. 14. l. 1.
N 2. 2. 147. 5. 3.
O loc. ci.
P Matth. thæi 22. in principio & hic.
Q 3. p. 30. 1.
R Apoc. 19. Com. 3.

nij 1.Cor.9. *castigo corpus meum*. Petrus quasi in continuo dolore erat ob Christi absentiam; & Paulus; *cupio dissolui & esse cum Christo*.) Nec Quadragesimæ tempore voluerit publicè nuptias celebrari, tanquam sit incompossibile cum nuptiarum lætitia ieiunium luctus. Ideo enim ait Dominus, *nunquid possunt filij Sponsi ieiunare, quamdiu cum illis est Sponsus?* Non satis erat dicere *non debent*; sed *non possunt*. Fuit autem Quadragesimale ieiunium Apostolica ex traditione institutum à Telesphoro Papa, qui sedit anno Domini centesimo quadragesimo secundo.

VERS. XVI. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus*, &c.

20. Difficilis est locus iste. Enucleabitur in Syntaxi, cum connexione ad præmissa. Interim ex Augustino S astruitur, imperfectis non esse grauia imponenda. [S D. Th. hic.] Ambrosius in lib. *de similitudinibus* reprehendit eos, qui nouitios grauiter onerant. Verùm non mihi visum est hæc Apostolis conuenire, etsi de alijs discipulis detur: eo vel maximè, quòd Christi roborati præsentia, & charitate, quæ *omnia suffert*, ieiunia potuissent seruare etiam maiora. Sed Ecclesia in ijs, qui aderant pro futuris minùs perfectis, salutare suum audiebat. Et si ad eos præsentes quis velit Domini referri sententiam, imperfectos eos dicat non re, sed in discipulorum Ioannis existimatione. Quos item discipulos, qui tanti faciebant ieiunia, *panni rudis* metaphora, vt opinor intendit erudire & corrigere: quasi diceret, ieiunium pannus rudis est rude opus: quid de ieiunio, missis alijs virtutum & charitatis præsertim habitibus, fine scientiæ zelo soliciti estis? si vestimentum aliàs animæ, vetus est; quid hac vna ex parte reficere, studium est vestrum? Charitas quippe est forma T virtutum. [T 2. 2. 23. 8.] Virtutes, (morales loquor) sunt sibi inuicem connexæ. Vnde oportet V quòd homo exercitetur simul circa materias omnium. [V p.2.65. 1.] Præterea nequeunt consistere X sine charitate; [X ibi a.2.] Quid ergo de abstinentiæ virtute neglectu quodam aliarum gloriantur? *Nos & Pharisæi ieiunamus* aiunt *frequenter*. Iactabat se & ille Pharisæus Lucæ 18. *ieiuno bis in Sabbato*: at humilitatis erat expers, publicani humillimi accusator. Iste *panni rudis commissuram in vestimentum vetus immittebat*. Sic passim contingit etiam vt si quis, cui incumbit, velit commissuram aliquam rudem (sine charitatis forma præintenta) subdito inijcere, imposito, exempli gratia, ieiunio, tollat *plenitudinem eius à vestimento* veteri, fiatque *peior scissura*. Quòd autem, dum agitur de commissura immittenda in vetus vestimentum, possit intelligi defectus charitatis eo in vestimento, trahi potest à contrario: quandoquidem vbi agitur de veste Christi Domini inconsutili, quæ non diuiditur, ait A significare charitatem; [A Ioan. 20. lect. 4.] quia aliæ virtutes, non sunt secundùm se vnitæ, sed per aliud vniuntur, in quantùm omnes conueniunt in fine vltimo, cui coniungitur sola charitas. Sine charitate, vetus est vestimentum; quia omne peccatum ad pristinam B vetustatem pertinet. [B 3.p.69. 1.] *Renouamini*, inquit Apostolus Ephes. 4. *spiritu mentis vestræ*. Et prius 2. Corinth. 4. *is qui intus est noster homo renouatur de die in diem*. Natura humana fuit in integritate condita, & si C in illa integritate permansisset, [C 2.Cor. 4.l.5.] semper esset noua; sed per peccatum incepit corrumpi. Quo fit; vt quicquid consecutum est, scilicet ignorantia, difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, & alia huiusmodi, totum pertineat ad vetustatem. Quid mirum si vestimentum vetus carpat Dominus, vt parum vtiliter ieiunio insisti insinuet, quando cætera non præseferant charitatem 1. Cor. 16. *omnia nostra in charitate fiant*. Nouitas est D per charitatem, [D Ioan. 13 l.7.] quæ à Christo Domino, & Ioann. 1. cap. 2. dicitur multis de causis *mandatum nouum*. Zelus ergo discipulorum Ioannis & Pharisæorum, fuit de panno rudi, de ieiunio inexpolito, non memorata charitate, quæ sola potest opera nostra bona formare; iuxta illud Gal. 5. *fides, quæ per dilectionem operatur*. Aliàs etiam ieiunium in sui ratione E non continet aliquid, quod ad charitatem pertineat. [E 4. Sent. 49 q. 1. a. 3.q. 1. & hic.] Potior est eleemosyna & oratio. Ob id censeo meritò venire sub nomine *commissuræ panni rudis*. Sit hæc Domini sententia in monitum Prælatis minùs prudentibus, qui præcepta quandoque coacervant, animarum in laqueum atque ruinam. Quandoque enim subditi absque charitate, operantur bona, & si ea omittunt, non contra charitatem faciunt, quamuis charitatem non habeant. De charitate eorum nihil Prælati soliciti, plura iubent, districtèque iubent. Infra cap. 23. *munda priùs quod intus est*. Subditus minùs dispositus ea quæ præcipiuntur negligit vel contemnit: ecce quòd omittebat vel operabatur sine culpæ mortalis labe, proinde plenitudinem seruans, positiuæ vi legis, factum lethale; ecce tolli *plenitudinem eius à veteri vestimento*; ecce *scissuram peiorem*. Sic si aliquis imperfectus (D. Thomas hic) habet aliquam consuetudinem vitæ suæ, si vis imponere ei aliud iugum, recedit ab eo quod consueuerat, quod dolet Dominus. Quamquam enim cuicumque Præsidenti liceat circa accessoria quædam F suis subditis, [F p. 2. 108.1.] prout expedit, præcipere hoc & illud vel prohibere; nihilominus vt dicitur 1. Corinth. 10. *non omnia expediunt*. Et præcipuè nunquam debet excidere memoria, quod ait Augustinus dolenter; dicit enim de quibusdam, G quòd *ipsam Religionem nostram, quam in manifestissimis, & paucissimis celebrationum Sacramentis, Dei voluit misericordia, esse liberam, seruilibus premunt oneribus: adeo vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur*. [G p. 2. 107.4.]

VERS. XVII. *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres*, &c.

Textus huius expositionem fert in prima secundæ, 21.
H dicens; si *vinum nouum*, idest præcepta perfectæ vitæ, mittuntur *in vtres veteres*, idest in homines imperfectos, vtres rumpuntur, & *vinum effunditur*, idest præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad peiora mala prorumpunt. [H p.2.96. 2.4.] Veruntamen, quoniam inter alias interpretationes, I Charitas ipsa vinum dicitur, ratione feruoris; [I Ioan. 2. l.1.] satis quod latentiùs ad primam *panni rudis* metaphoram dictum est, à Domino innuitur. Quæ charitas, quia mandatum importat nouum, vt suprà, bellè nedum *vinum*, sed *nouum* appellatur. Vter vetus erit ex consequenti anima sub vetustate peccati. Coloss. 3. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*. Rom. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, & per peccatum mors*. Vter opportunè inducitur in similitudinem, quia vt notat Ambrosius Serm. 11. in psal. 118. *de exuuijs fit animantis mortui*. Charitatem cum peccato esse non posse, quod immo abijcit gratia, sicut lux tenebras, luce meridiana est clarius: quare vlteriùs tendit sententia, vt moneat, non dari huiusmodi diuinum manna, nisi egressis de Ægypto; (Deuter. 6.) ac ne credat quispiam, serendum super spinas; quod Ieremiæ 4. inhibetur: *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas*. In quo intelligitur primò L deserenda esse vitia spinasque peccatorum euellendas, quæ pungunt remorsu conscientiæ. [L Matth. 1. lit. f. & 10.19.l.1.] Seu etiam tollendæ sunt M solicitudines iræ rixæ, & huiusmodi. [M Matthæi 13.] Et quidem ad mentem Apostoli qui Coloss. 3. moniturus expoliandum *veterem hominem cum actibus suis*, præmittit; *deponite & vos omnia iram*

iram

iram, indignationem, malitiam, &c. Ad hæc Ambrosius loco præfato: *& nos igitur peccato moriamur, vt viuamus Deo, repleti spiritus iucunditate, & suauitate lætitiæ.* Expendensque quod hic ait Dominus, subdit; *non effluat igitur tuus hic vter, non rimosus sit, non terreno inueterascat situ.* Et postea; *hic est vter, qui inebriat, non vino sed spiritu: in quo non botrio amaritudinis, non draconum furor, non furor aspidum, sed poculum inebrians, quàm præclarum!* Hæc certè almo studio edisserta sunt. Verùm qua cohærentia ad quæstionem de ieiunio, patefiet in Syntaxi. Vbi etiam, cur duplicem protulerit Dominus metaphoram, ad vestimentum scilicet vetus, ac ad veteres vtres.

VERS. XVIII. *Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus*, &c.

12. Diuus Augustinus vidit, quæ videtur, discrepantiam inter Matthæum ex vna, & Marcum atque Lucam ex altera parte: hi duo enim post expulsa dæmonia & in porcos missa, hoc enarrant. Marcus quidem capit. 5. v. 22. Lucas capit. 8. v. 41. Matthæus plura interponit in hoc capit. 9., quæ Marcus cap. 2. & Lucas cap. 5. scribunt: & quod mirum est, Matthæus hæc de sui vocatione, de ieiunio &c. postponit signo expulsorum dæmonum in porcos; Marcus autem & Lucas eadem præponunt: Marcus præponit vocationem Matthæi capit. 2. & de porcis narrat cap. 5. Lucas vocationem ponit cap. 5. & de porcis capit. 8. Quisnam ordo fuerit Historiæ exploret fidelis attentè, ipse omnem visam discordiam, vario singulorum Euangelistarum scopo semper conciliari cupio. Ideo enim factorum textura differunt. Ad rem autem dico, prout mihi videtur, Christum Dominum bis transfretasse Capharnaum; vna vice quando discessit quasi eiectus à Gerasenis sanauitque paralyticum, vt ex Matthæo hìc capit. 9. ex Marco cap. 2. ex Luca cap. 5. Alia vice (subticetur tamen quando Capharnaum reliquerit) transfretauit, vbi occurrit hic Princeps. Constare videtur, quia Marcus, qui capit. 2. dixerat venisse Capharnaum, certè transfretando pro paralytico, cap. 5. versu 21. dicit ascendisse in Nauim, *rursum trans fretum*: & venit hic Princeps. Sic innuit Lucas capit. 8. v. 40. dicens accessisse hunc Principem, *cum rediisset Iesus*: Capharnaum scilicet, quo præierat post expulsa dæmonia, & deinde, (quod subticetur) discesserat reuersurus. Matthæus non curauit exprimere hunc reditum in Ciuitatem suam; sed in hoc capit. 9. colligit, quæ in prima & in secunda transfretatione euenerant. His notatis dum ait; *hæc illo loquente ad eos; ecce Princeps vnus:* non debet accipi pro tempore primæ transfretationis, qua sanauit leprosum, Matthæumque vocauit, &c. sed pro tempore secundæ transfretationis expressæ à Marco capit. 5. tactæque à Luca, vt dixi, cap. 8. *Eo ergo loquente* hisce exemplis *panni rudis ac vini noui*, immo & de ieiunij excusatione, cum secunda vice transfretasset, *ecce Princeps vnus*. Marcus & Lucas, ille cap. 2. iste cap. 5. verba hæc Domini referentes, potuissent ibidem adijcere, fuisse trans fretum; potuissent etiam differre verba eadem Domini, quousque accessum tangerent huius Principis; sed non fecerunt, quia mysticus narratorum sensus historiarum ordini non est alligatus. Cui, vt reor, contexturæ mysticæ conferebat hanc transfretationem secundam adnectere suscitationi puellæ: præsertim iuxta Marci institutum, qui præ alijs de Christi resurrectione, proinde de hominum etiam exsuscitatione per puellæ miraculum intellecta; sed non nisi transfretationis tempore; quando 1. Thessal. 4. *simul rapiemur cum illis, (qui primi resurgent) obuiam Christo Domino in aera; & sic semper cum Domino erimus.*

Opportunè autem de suscitanda puella inducitur, cohærenter ad prædicta de peccatoribus & publicanis, quorum se perhibuerat medicum salutarem: nam qui sic infirmus est peccato, in primis mortuus est spiritaliter; ad eum sensum, quo Apocalyps. 3. dicitur; *nomen habes, quod viuas, & mortuus es*; & Ioannes ipse in sua 1. cap. 3. *qui non diligit, manet in morte*; ac Paulus Hebræor. 6. *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*; & iterum capit. 9. *sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*. Hinc Isidorus l. 1. de summo bono; *vita corporis anima, vita animæ Deus*. Puellam, inquit Angelicus, N suscitauit intra domum: per quod, occultum peccatum intelligitur; vnde & tunc eiecit turbam. Sed Lucæ 7. filium viduæ extra portam coram omnibus: per quod ostenditur publicum peccatum, publicè puniendum. Quidam etiam O peccato moriuntur, sed non extra feruntur: & hoc est per consensum in peccatum; sed non exeunt ad extra per opera. Quidam verò extra feruntur per actum; & hi significantur per eum, quem suscitat in porta: quidam verò ex consuetudine iacent in sepulchro, qui significantur per Lazarum Ioann. 11. Morte etiam temporali dignus est mori qui peccat: Apostolus Roman. 5. *per peccatum mors*. Sapient. 1. *Deus mortem non fecit*. Occidebantur animalia in Sacrificijs, non solùm ad P Christi mortem in sanguine signandam, itemque destructionem peccatorum; sed etiam ad innuendum, quòd homines erant digni occisione pro peccatis suis. Mortis tandem est reatus æternæ. Erunt quippe damnati Q sicut semper morientes, & nunquam mortui vel morituri. Vnde dicitur mors æterna, quia sicut moriens est in actualitate pœnarum, sic & illi qui sunt in Inferno. Sic ad illud, *& filios eius interficiam in morte*: R semper morientur, & nunquam perimentur; psal. 48. *mors depascet eos: laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem*. Et Thessal. 2. cap. 1. *pœnas dabunt in interitu*: S semper erunt quasi in morte. Et quis scit, non ideo in Euangelio variè de hac puella legatur? Marcus enim scribit dixisse Patrem; *filia mea in extremis est*; Lucas verò capit. 8. *& moriebatur*: Matthæus autem; *filia mea modo defuncta est*. In quo nedum est plana concordia, quia Patri superuenerat nuncius de secuta morte: sed quia status Inferni damnatos redit, & mortuos quoad acerbitatem, & morientes, quoad durationem pœnarum.

13.

N 1. Tim. 5. l. 3.

O D. Th. hic.

P p. 2. 102. 3. ad 5.

Q opusc. 6. §. 15.

R Apoc. 2. comm. 1.

S 2. Thes. 1. l. 2.

VERS. XX. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur*, &c.

14. Rabanus; *quid est, quòd eam confidere iussit, quæ si fidem non haberet, salutem ab eo non quæreret? sed robur & perseuerantiam fidei ab ea expostulauit, vt ad certam & veram perueniat salutem.* (Hæc mulier creditur Sancta Veronica, quæ impressam Christi faciem Sudario excepit, quod vt sanctissimum suum vultum tergeret, ab ea petierat.) Glossa; *credidit*, (Mulier) *dixit, tetigit; quia his tribus, fide verbo & opere omnis salus acquiritur*. Ita & Angelicus, T per operis imitationem; *si tetigero*, &c. De hac sanatione in Sermone V luculenter; agnoscitur peccantis miseria, peccantis humilitas, dum *accessit retrò*, & pœnitentis vtilitas. Peccatum sanguine signatur; Osee 4. *sanguis sanguinem tetigit*; idest peccatum. Adde ex Apocalypsi capit. 8. *tertia pars maris sanguis*: per sanguinem peccatum, ratione X infectionis, ratione horroris, ratione signi mortis: quia peccatum turpiter inficit, horribile est, & signum mortis spiritualis. Pergit in Sermone, subsequi ad humilitatem, quæ est confectrix confessionis, *accessit retrò*, laborem satisfactionis; *tetigit fimbriam*. In

T Philip. 1. l. 2.

V Serm. Dom. 24. Pentec.

X Apoc. 8.

hoc quod ait *retrò*, videtur illud innui Genes. 16. *vidi posteriora videntis me*; & Exodi 33. *posteriora mea videbis*. Quæ ad fidei visionem non est dubium referri posse: iuxta quod è contrario, subiecit Dominus Moysi; *faciem autem meam videre non poteris*; cum fides sit de non visis.

VERS. XXII. *At Iesus conuersus & videns eam, dixit; confide filia*, &c.

15. Deus qui erat A auersus & iratus, conuertitur ad
A in sermon. peccatorem: Zach. 1. *conuertimini ad me, & conuertar ad vos*. Gratiam infundit: est enim Dominus sicut Sol, qui respiciens segetem, viuere eam, & fructificare facit. Matthæi 26. *respexit Petrum*: psal. 24. *respice in me, & miserere mei*. Sic, *& videns eam*. Et *salua facta est mulier*. Isaiæ 45. *conuertimini ad me, & salui eritis*. Ad iustifica-
B p. 2. 113. 4 tionem impij B requiritur motus mentis, quo conuertitur in Deum: prima autem conuersio ad Deum fit per fidem; Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere, quia est*. Primum principium est Dei operatio conuertentis cor; secundum illud Thren. vlt. *conuerte nos Domine ad te, & conuer-*
C 3. p. 85. 5. *temur*: secundus actus est motus C fidei: tertius est actus timoris seruilis: quartus actus est motus spei: quintus actus est motus charitatis: sextus actus est motus timoris filialis. *Confide filia*, inquit Dominus. Certè hæc mulier omnes huiusmodi actus elicit, nam accedit per fidem, timet, sperat, diligitque amore simul & timore filiali, dum dicitur *filia*. *In via*, vt legimus, *salua facta est mulier*; quia viatoribus locus est pœnitentiæ: post quam transfertur, puellæ typo, anima de morte ad vitam. Verum quare inserta sit in puellæ resuscitatione, salus sanguifluæ mulieris, vnumque signum alteri quasi inseratur, in Syntaxi explicabitur: vbi & de facti huius circumstantijs, puta quia *tibicines* aderant, nonnihil. Nota, inquit Tirinus; non fuit mulier hæc Martha Lazari soror, vt innuit Sanctus Ambrosius, sed alia, ex Cæsarea Philippi oriunda, quæ in eadem Vrbe statuam postea Christo erexit, huius beneficij indicem; sub qua nascentes herbæ, simulac statuæ illius fimbriam attigissent, morbis quibuslibet medebantur, inquit Eusebius. Statua hac deiecta, Iulianus Apostata suam substituit; quæ mox fulmine icta est, teste Sozomeno, & Theophylacto. Morbus erat ferme insanabilis, ex debilitate membrorum vitalium, natiuæque virtutis: vnde nec probus fit sanguis nec digeritur qualiscumque sit, nec venis continetur. Fœdus morbus; Leuit. 15. v. 25. Hilarius Can. 9. *magna virtutis Dominicæ admiratio, cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & vsque in vestium fimbrias operatio diuina procederet*.

VERS. XXVII. *Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci*.

16. Supra ostensum est, D qualiter vitam restituit:
D D. Th. hic. hic tangitur quomodo dedit officia vitæ. Iuuat recolere bis alias fuisse à Domino cæcos illuminatos. Ioannis 9. & Marci 8. sed expeditiùs quàm illis, restituit visum his duobus. Paulatim cæcum Marci
E 3. p. 44. 3. 2. curat; E quia, vt ait Chrysostomus, voluit magnitudinem humanæ cæcitatis ostendere, quæ vix & quasi per gradus ad lucem redeat. Et accidit propter infidelitatem ipsius. Istorum autem, vt audis, magna fuisse deprehenditur fides, secundùm quam ait Dominus, *fiat vobis*. Quo pacto, & alius Marci 10. *confestim vidit*. Syntaxis singulorum intelligentiam mysticam patefaciet. De cæcitate duorum infra etiam cap. 20. quò referuntur pariter quæ Marcus capit. 10. & Lucas capit. 18. denarrant.

VERS. XXX. *Videte ne quis sciat*.

Marci 5. legitur dixisse ei, quem à Dæmonio liberauerat; *vade in Domum tuam ad tuos, & annuncia eis, quanta tibi Dominus fecerit*; F nihi- F 3. p. 44. 3. 4. & hic.
lominus, vt ait Chrysostomus, quod hic comminatur, ne quis sciat, non est contrarium: *erudis enim nos, prohibere eos, qui volunt nos, propter nos laudare. Si autem ad gloriam Dei refertur, non debemus prohibere, sed magis iniungere*. Gregorius: *Dominus præcepit taceri virtutes suas, seruis suis se sequentibus dans exemplum*, G *vt ipsi* G 2. 2. 104. 4. 1. & 3. p. 13. 4. 2.
quidem virtutes suas occultari desiderent; & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. Interrogat hic Diuus Thomas: nunquid peccauerunt isti, quia contra præceptum Domini fecerunt? Sed, non liquet, fortè typographi lapsu, responsio. Negandum peccasse: quia non intendit H eos, virtute diuini præcepti obligare; sed H 2. 2. citata.
vt supra dictum est. Itaque præceptum illud, vt miraculum occultarent, I designabat voluntatem I 3. p. citata.
ipsius, qui humanam gloriam refugiebat, secundùm illud Ioannis 8. *ego gloriam meam non quæro*. Volebat tamen absolutè, præsertim secundum diuinam voluntatem, vt publicaretur miraculum factum propter aliorum vtilitatem.

VERS. XXXII. *Obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem*.

Augustinus de Cons. Euangelist. animaduertens quomodo Matthæus infra capit. 12. v. 22. enarrauit de quodam Dæmonium habente, ratus est distincta duo esse patrata miracula. Quod subinde secundò patratum, illud ipsum erit Lucæ capit. 11. v. 14. Reuera Matthæus capit. 12. dicit oblatum illum, fuisse cæcum & mutum: hic solummodo dicitur mutus. Sed si inexpressio cæcitatis sufficiens est causa arguendi duo esse distincta apud Matthæum miracula, pari ratione diuersum adiudicari conueniet illud Lucæ à secundo Matthæi, quia & Lucas nihil dicit de cæcitate. Et tamen diuersa esse, durum omnino videtur, si contextus vtrobique ipsissimi considerentur. Igitur fuerim ipse propensior, vt quæ causa Matthæum mouit, vt tam summariè hoc cap. 9. miraculum tetigerit, eadem etiam cæcitatem suppresserit; insinuauit tamen cæcum, in eo quod ait *obtulerunt ei hominem mutum*: nam si cæcus non fuisset, valebat per semetipsum accedere, non verò opus erat offerri. Causa autem poterit in Syntaxi clarere.

VERS. XXXIV. *Pharisæi autem dicebant, in Principe Dæmoniorum eiicit Dæmones*.

Qui blasphemabant in filium hominis, eius Di- 17.
uinitate nondum reuelata, poterant L habere ali- L 2. 2. 14. 1. & 3.
quam excusationem, propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebant. Sed qui ipsam Diuinitatem blasphemabant, opera quæ faciebat virtute propriæ Diuinitatis, & per operationem Spiritus-Sancti, attribuendo Principi Dæmoniorum, nullam excusationem habebant. Futurum erat, vt per virtutem Diuinitatis, excluderet M Dæmonum po- M 3. p. 44. 1.
testatem ab hominibus credituris in eum: Ioan. 12. *nunc Princeps huius Mundi eiicietur foras*, ideo conueniens fuit, quòd inter alia miracula etiam obsessos à dæmonibus liberaret. Sustine blasphemiæ confutationem ad cap. 12.

VERS. XXXV. *Et circuibat Iesus*, &c. *docens, & prædicans, & curans*, &c.

Datur Prædicatoribus exemplum, N quòd non N D. Th. hic.
sint contenti prædicare in vno loco tantum, Ioan. 15. *posui vos, vt eatis, & fructum afferatis*. Extende tamen Euangelicum istum textum, ad futuros per Apostolorum cœtum, in Mundum vniuersum doctrinæ fidei ac morum progressus.

Non

O 3. p. 42. 1. 2. Non est inquit Angelicus O minoris potestatis, sed maioris, facere aliquid per alios, quàm per se ipsum. Et ideo in hoc maximè potestas diuina in Christo monstrata est, quòd discipulis suis tantam virtutem contulit in docendo, vt Gentes, quæ nihil de Christo audierant, conuerterent ad ipsum. Christus autem per miracula doctrinam suam confirmabat; P
P 3. p. 43. 1. Ioann. 10. *si mihi non vultis credere, operibus credite*: & cap. 15. *si opera non fecissem in eis, quæ nemo*
Q ibi, 2. 4. 1. *alius fecit*, &c. vbi Augustinus, Q *qui tam multa vitia, & malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum*. Nectendo autem quod supra capit. 8. *omnes malè habentes curauit*, textui præsenti, *cu-*
R ibi in corp. *rans omnem languorem*; inquit R Chrysostomus; *intende quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt Euangelistæ, non vnumquemque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes*. Cur hoc repetat Matthæus; ibique *curauit*, hic *curans* dicat, Syntaxis expendet.

VERS. XXXVI. *Videns autem turbas misertus est eis*; &c. *sicut oues non habentes Pastorem.*

18. Scribæ Pharisæi & Principes Iudæorum sua ma-
S 3. p. 42. 2. litia plurimùm impediebant Populi salutem; S tum quia repugnabant Christi doctrinæ, per quam solam poterat esse salus; tum etiam quia prauis suis
T 2. 2. 30. 1. moribus corrumpebant. Malum ac miseria T motiuum est ad misericordiam. *Vera iustitia* ex Gregorio, *dedignationem non habet, sed compassionem*. Recole illud Ieremiæ 50. *grex perditus factus est populus meus*. Et Ezechielis 34. *factæ sunt oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eoquòd non esset Pastor*. Sed ex Isaiæ 40. *ipse, sicut Pastor gregem suum pascet*.

VERS. XXXVII. *Tunc dicit discipulis suis: messis quidem multa*, &c.

Glossa; *turba populorum suscipiendo verbo, & ferendo fructui apta*, V *operarij autem pauci*; glos- V opusc. 19. c. 4. circa medium.
sa; *prædicatores ad congregandam electorum Ecclesiam*. Ex quo patet quòd salubre est Ecclesiæ, per multos, Dei Verbum prædicari fidelibus: & maximè turba fidelium crescente. Sapientiæ 6. *multitudo Sapientium* (glossa; *cœtus Prædicatorum*) *sanitas est Orbis terrarum*. Hanc vt vides sanitatem auet Dominus. Vnde Chrysostomus, *vbi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit*.

VERS. XXXVIII. *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios.*

Per messem fideles, X per boues intelliguntur Do- X 1. Tim. 5. 1. 3.
ctores; Prouerb. 14. *vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo Bouis. Operarios in messem suam*. Quæstuarij non mittuntur in messem A Dei, sed in messem suam; quia non quærunt gloriam Dei sed commodum suum. Necte infra capit. 20. *voca operarios*. A D. Th. hic.

SYNTAXIS

Ad Caput Nonum.

VERS. I. *Et ecce offerebant ei Paralyticum in lecto* &c.

1. A D. Th. hic c. 8. Connectitur ex Diuo Thoma A præsens caput cum præcedenti, quia in illo ponuntur signa, quibus liberantur homines à periculis corporalibus, in hoc à spiritualibus. Præmissis autem in calce octaui capitis, vbi de respuentibus Christum Dominum, proinde desperationi ac damnationi proximis, dictum est, cohærenter de Paralytico sequitur; eoquòd in eo extremæ vltionis diuinæ innuitur causa. Nisi quis Paralyticus sit moraliter, vix potest damnari. Si bonis instet operibus, iram effugiet. Paralyticus, ex Origene & Hylario, est qui ob neruorum dissolutionem & laxitatem, moraliter ineptas habet potentias ad operandum: ita apud Lauretum *in Sylua allegoriarum*. Via ad iram Dei declinandam certè bona sunt opera. Sic palam 2. Paralip. 19. contestatur Iehu Iosaphat Regi; *iram quidem Dei merebaris; sed bona opera inuenta sunt in te*. Nihilominus ne desperet quispiam, etsi possessus à Dæmonijs in porcos missis, miraculosa Paralytici sanitas monet ac instruit. Verùm si horum compactionem capitum plenam cupimus, recolen-
B 3. p. q. 1. 4. dum est; venisse B Christum in hunc Mundum non solùm ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros, sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postmodum superaddita sunt: vt supra etiam Syntaxis cap. 8. n. 2.
C 3. p. 69. 1. dictum est. Nedum etiam peccatum originale, C sed omne aliud peccatum per baptismum tollitur; Ezechielis 36. *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Rectè igitur postquam capit. 8. edisseruerat Matthæus de sanatione ab originali, & illi adnexis, fomite scilicet, ac actuali inordinata concupiscentia, in leproso, Paralytico in domo, & Socru febricitante, nec non de assultu sæuorum mysticè Dæmoniorum aduersus Ecclesiam, *mundatam lauacro aquæ in verbo vitæ*, vt dicitur Ephes. 5. debuit de remedio actualium peccatorum, in hoc Paralytico tangere: siquidem, vt docemur, D in peccato ori- D p. 2. 81. 2.
ginali, virtualiter præexistunt omnia peccata actualia. Et satis transitus iste euangelicus de originali ad actuale innotescit, si tenor præcedentium cap. 8. signorum, è regione ad contenta in 9. capite consideretur. Quamuis enim æquè infirmitas corporalis omnis, spiritualium ægritudinum typus sit, trahatque veluti effectus in causæ cognitionem: (de quo suprà dictum est) nihilominus, cum tot patrata sint signa cap. 8. nec verbum fit de peccato. Occultum satis est originale peccatum, si fidem tollas. Apostata obtenebratus Iulianus, rogabat idcirco *per quas rimulas* ingrederetur? sed patula fideli, aiebat Augustinus, est ianua; quia *per peccatum mors*. (Roman. 5.) Præterea originale minus habet E de E p. 1. 81. 1. 3. p. 1. 4.
ratione voluntarij: inordinatio enim illius, non est voluntaria voluntate nostra, sed voluntate primi Parentis. Similiter ab Adam F nascimur filij iræ per F 2. sent. 20. 2. 3.
propagationem, non per demeritum. Item peccatum originale dicitur passim peccatum naturæ, & non personæ. Quid mirum si hisce de causis, in præcedenti 8. capite subticeat Matthæus, nec peccati mentionem faciat, expressam loquor, nisi cum ad actuale descendit in Paralytico? *confide fili, remittuntur tibi peccata*. Et quia de remissione actualis peccati agitur, quod confessionem interiorem præexigit, etiam in baptizandis, G cum sunt adulti: G 3. p. 68. 3.
& præterea possunt actualia pœnitentiæ Sacramento deleri; ad quod præsupponitur fides: ecce Dominus nihil de fide rogat, sed de cõfidentia seu fiducia: *confide fili*, &c. Fiduciam quippe diuinæ misericordiæ lapso post baptismũ ad remissionẽ peccatorũ inter alia

requiri docet Tridentinum Sess. 14. cap. 4. Vtroque modo ergo actualium remissio tangitur; & per baptismum adultorum, & per eorundem pœnitentiam sacramentalem. Tangitur inquam; sed mox in Matthæo, potestate excellentiæ à Christo Domino actualium condonatio claret exercita. Posset illud Ioann. 16. verè vsurpari. *Ecce nunc palam loqueris, & Prouerbium nullum dicis. Matthæus* interpretatur *Donatus*. Fides *Dei donum est*; Ephes. 2. *non ex operibus, vt ne quis glorietur*; donaturque culparum venia. Graphicè Paralytici signum epingit Matthæi vocatio: qui quoniam circumcisionem præacceperat, (fidei de Christi futuro ad-
H 3. p. 68. 1. uentu, signaculum, H) non vocatur ad fidem, sed ad sequelam; vt de ante acta vita pœniteat. Symbola ergo & Baptismi & pœnitentiæ hucusque satis sunt adumbrata. Sic & Eucharistici quodammodo specimen conuiuij, non absurdè fit Matthæi conuiuium: cui assidet qui est panis Angelorum. Facit quod ait Theophylactus Lucæ 13. ibi, *manducauimus coram te, & bibimus: Christianis hæc congruunt; nos enim comedimus corpus Christi, & bibimus sanguinem eius, quotidie ad mensam mysticam accedentes*. Per baptismum (opportunior
I 3.p.67. 2. nunquam I doctrina) fit aliquis particeps Ecclesiasticæ vnitatis: vnde & accipit ius ad mensam Domini accedendi; 1. Corinth. 10. *vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane*, &c. Ex Beda Lucæ 5. per Matthæum significantur *qui Christi corpus sedula deuotione conficiunt*. Et si obijcias, non posse mensam Matthæi mysticè accipi, quandoquidem, hìc *publicani & peccatores discumbebant*. Respondeo; nedum discubuisse, sed discubuisse *cum Iesu*, proinde intelligi præpurgatos, facto ad eum accessu. Peccatores tangentes Christi corpus sub propria specie veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur Lucæ 7. de muliere peccatrice & Matthæi 14. quicumque tetigerunt *fimbriam vestimenti eius* salui facti sunt. Scio non
L 3.p.80. 4. licere peccatoribus L ad Sacramentum accedere. Sed vt ait Ambrosius ad illud Lucæ 14. *& cæcos & claudos introduc; qui vocantur ad mensam, sanantur*. Sic & in præsenti. Potest etiam Eucharistiæ
M 3. p. 79. 3. Sacramentum M operari remissionem peccati. Vide ibi.

VERS. XII. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.*

2. Non satis fuit Domino, quod subijciendum decreuerat, *misericordiam volo, & non sacrificium*: atque, *non veni vocare iustos sed peccatores*: præmittere voluit se Medicum, vtique animarum no-
N 3. p. 80.4.2. strarum. Occasione argumenti vbi supra, N habet inducendo hunc textum Angelicus, quòd non qualibet medicina competit, secundùm quemlibet statum infirmitatis; nam medicina, quæ datur iam liberatis à febre ad confortationem, noceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: hoc autem Sacramentum (sacri Conuiuij) est medicina confortatiua, quæ non debet dari, nisi liberatis à peccato. Medicum ideo se perhibet, vt reor, Dominus.
O 3.p.q. 1.6. Hac eadem similitudine, ex Augustino O languebat humanum genus. Et ibidem astruens ante pec-
P ibi a.5. catum non fuisse P conueniens Deum incarnari, recolit, quia *non est opus valentibus Medicus*; nec statim inquit, post peccatum, ne remedium contemneret ex superbia, si suam infirmitatem homo non cognosceret. Ad tempus ergo suæ incarnationis respicit sermo Domini, quia venit Medicus quærere peccatores & misereri; psal. *quoniam venit*
Q 1. p. 61.2.1. & 3. *tempus miserendi eius* &c. Lucæ 1. *per viscera misericordiæ Dei nostri*, Sacramenta spirituales Q sunt medicinæ contra vulnera peccati. Vide quàm opportunè se Medicum dicat Dominus, cum de baptismo qui est ianua Sacramentorum fuerat præmissum, tactumque de pœnitentia, (quam medicinæ donat nomine Augustinus in Serm. quem de ipsa habet Tom. 9.) & de Sacro Conuiuio. Ex quo fas fuerit profundè de reliquis Sacramentis, nonnihil scrutari. Hanc ad rem Ambrosius in Sermone 21. super psal. 118. *Ipse Iesus est Medicus, qui vulnera nostra curauit, infundens vinum & oleum, & alligans vulnera Adæ illius, qui descendens ab Ierusalem à latronibus vulneratus est. Super vulnus oleum infunditur, vt omnis vulneris asperitas molliatur; super vulnus malagma, super vulnus alligatura; à quibus omne vulnus fouetur. Vbi ergo spes refundendæ est sanitatis, ibi adhibentur medicamenta vulneribus. Est non solùm corporis vulnus, sed etiam mentis: & malagma spiritale, quo collisa animæ quædam membra solidentur*. Aiebat etiam Bernardus, ferens illud, *oleum effusum nomen tuum*, Cantic. 1. *gaudeant ægrotantes*. Et D. Tho-
mas R ægri sunt peccatores. Exponitur illud psal. R 3. p. 84.4.1.
106. *misit verbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, ad hunc sensum: S S Prologo 4. sent.
misit Verbum suum, referendo ad Verbi incarnationem, quod dicitur ideo missum, quia *caro factum*; Galat. 4. *misit Deus filium suum, factum ex muliere*. Ipse est prima vniuersalis, & efficax medicina; Sapient. 16. *neque herba, neque malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia*. Adde illud Ecclesiastici 38. *Altissimus creauit de terra medicamenta*. Hieronymus legit *medici-
nam*. In opusc. T *plasmauit medicinam: de terra*, idest de carne Virginis, creauit V medicinam. T opusc. 58. 21. V opusc. 58.1. Prolog. 4. ad Hannib.
Sic & alibi. Itaque Christus significatur, qui est X omnium medicina; significatusque est etiam per X Apoc. 20. Com. 1. ibi legitur. 3. p. 52. 8. ad 2.
Raphael Tobiæ capit. 8. Ecclesiastici 43. *medicina omnium in festinatione nebulæ*. Reuertendo autem ad Prologum 1. Sent. qui supra; subdit Angelicus ly *verbum suum* referri etiam posse ad Sacramentorum institutionem, in quibus *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: vt sic sit conformitas Sacramenti ad Verbum incarnatum: ab vniuersali enim & prima medicina hac, aliæ particulares medicinæ procedunt, vniuersali medicinæ conformes, quibus mediantibus virtus vniuersalis medicinæ perueniat ad infirmos. Sanatio ergo per Sacramenta fit: vnde ipsa sunt vnguenta sanitatis, quæ Christus, quasi vnguentarius confecit. Eccles. 38. *vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis*. Quidni ergo credamus, dum capit. sequenti 10. missurus erat Dominus Apostolos in Mundum, dicturusque *infirmos curate*, compendio veluti quodam, salutis Sacramenta innuisse? Virtus Christi, vt ait 3. Parte, operatur in Sacramentis per modum sanationis. Aiebat & Chrysostomus Serm. de Pentecost. *peragrarunt Piscatores orbem terrarum, & infirmum eum inuenientes, ad sanitatem reduxerunt*. Et quia Medicum egit Dominus; *misericordia motus appropians* Lucæ 10. *alligauit vulnera eius*; quid mirum præmittat hìc; *euntes discite quid est; misericordiam volo*. Vt vna simul, vnde esset misericors doceremur: quandoquidem, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, vt carnis nostræ infirmitate illi adiuncta, *per omnia fratribus adsimilaretur, vt misericors fieret*, quod dicitur Hebræor. 2. exponitque in 4. Sent. vbi supra Angelicus Doctor. Et quia, succedentibus nouis debebant vetera Sacramenta cessare, sicuti Sacerdotium illud antiquum, subinde & lex, vt ad v. 16. & infra dicetur; ideò, vt mihi videtur, priscis veluti vale dicit; *misericordiam volo, & non sacrificium*. Quæ omnia vt elucidentur, sequitur.

VERS,

VERS. XIV. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes; quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter.*

3. *Ioannes*, inquit Augustinus Serm.20. de Sanctis, *figura fuit veteris Testamenti, & in se prætulit formam legis*. Et loquens de discipulis Ioannis destinatis ad Christum, *lex*, ait, *ad Euangelium transmisit*. Sic in præsenti isthæc discipulorum Ioannis interrogatio; *quare discipuli tui non ieiunant?* Et ecce ad rem nostram, iuxta Hieronymi expositio-
A 2. 2. 147.4.5. nem, quæ suprà A responsio. *Nunquid possunt filij sponsi lugere?* loquitur de ieiunio veterum obseruantiarum. Vnde per hoc significat Dominus, quòd Apostoli non erant in veteribus obseruantijs detinendi, quos oportebat gratiæ nouitate perfundi. Et iam paucis verbis mirabiliter quinque Ecclesiæ Sacramenta perstringit; Baptismum, Eucharistiam, confirmationem, pœnitentiam, & in his matrimonium. Et quidem quoad baptismum attinet manifestè indicatur, in eo quòd eximit discipulos à ieiunio. Certè videntur commemorari baptizati, qui-
B 3.p.68. 2. 5. & 6. & opusc. 17.7. bus nulla B satisfactio iniungenda, nulla imponenda opera satisfactoria. Immò nec ad exercitandum eos sunt ex necessitate in principio difficilia imponenda: sunt enim velut pueri lacte nutriendi. Et sic est praxis baptizatorum solemniter in vigilia Paschæ: non ieiunatur, nec media nocte surgitur, vsque ad Pentecosten; sed est requies à laboribus, tanquam infirmis indulta. Post solemnem deinde baptismum in vigilia Pentecostes, statim Ecclesia indicit ieiunia, ad significandum eos, qui ex feruore spiritus in baptismo suscepti, statim se arctiori vitæ subijciunt. Hæc ex opusc.17. Baptismus etiam, vt alias diximus, fidei est Sacramentum: *desponsabo te mihi in fide*, Osee 2. Ergo dum filios sponsi vocat, satis Baptismum innuit. Ecce cur excusentur à ie-
C 3.p.66. 10.2.& q. 68.3. iunio. In cuius signum solemnis baptismus C fit in vigilia Paschæ & Pentecostes; quibus diebus clau-
D 2. 2. 147.5.3. ditur ieiuniorum interstitium; nam D toto Paschali tempore non est ieiunium ab Ecclesia institutum.
E 3.p.65. 4. Confirmatio E quodammodo perficit baptismum: siquidem vitam spiritualem F homo accipit per ba-
F 3. p. 72. 1. ptismum; in confirmationem autem homo accipit quasi quandam perfectam ætatem vitæ spiritualis.
G 3. p. 72.2.1. Apostoli rem huius Sacramenti, idest G plenitudinem Spiritus-Sancti, ex potestate excellentiæ Christi acceperunt in die Pentecostes. Leguntur ipso
H 3. p. 66.10.1. die Pentecostes H quo Spiritum-Sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse. Instituit Dominus hoc Sacramentum, non exhibendo, sed pro-
I 3.p.72. 1. 1. mittendo; I secundum illud Ioann. 16. *si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*. Ecce in præsenti, eximi à Domino discipulos ieiunio, quousque *veniant dies, cum auferetur ab eis sponsus; & tunc ieiunabunt*. Nescio quid clarius confirmationis tempus possit referre. Eucharistiæ Sacramentum tangitur in eo quòd sponsum esse cum filijs asseuerat. Et quidem ad mentem Hilarij, qui (fertur in Catena) inquit; *mysticè verò, quod præsente Sponso, ieiunandi necessitatem discipulis, non esse respondet, præsentiæ suæ gaudium, & Sacramentum sancti cibi edocet*. Sponsus est, cui infra cap. 22. *homo Rex fecit nuptias*: ad quas væ illi qui intrauit *non habens vestem nuptialem*. Matrimonij Sacramentum satis ex ipso verborum tenore intelligitur: quemadmodum & pœnitentia, dum ait, *tunc ieiunabunt*. Et est ieiunium luctus; *nunquid possunt filij Sponsi lugere?* quæ duo pœnitentiæ sonant partes, contritionem scilicet & satisfactionem. Quòd fiat aliqualis Sacramentorum quæ diximus insinuatio; vel ex hoc accipe, quoniam se Medicum proinde medicinam allaturum perhibet. Specialiter autem Eucharistiæ id attribuitur. Augustinus exponens quod supra, L *Altissimus de terra creauit medicinam* Ecclesiast. 38. L opusc. 58. 26.
suscepit Christus de terra terram, & de carne Mariæ carnem accepit, & ipsam nobis ad salutem manducandam dedit. Ambrosius; *corpus Christi medicina spiritualis est*, M *quæ cum reuerentia degustata, sibi deuotor purificat*. Exinde autem non possunt non insinuari alia Sacramenta. Baptismus ordinatur ad Eucharistiæ N receptionem; in quo e- M ibi el 1. N 3.p.65. 3. & in 4. sent. dist. 8. exp. t.
tiam perficitur aliquis per confirmationem, vt non vereatur se subtrahere à tali Sacramento: per pœnitentiam præparatur homo ad dignè sumendum corpus Christi: matrimonium etiam, saltem sua significatione attingit hoc Sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ, cuius vnitas per Sacramentum Eucharistiæ figuratur. Supersunt duo Sacramenta, Ordo & extrema vnctio, de quibus mox.

VERS. XVI. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis*; &c.

Postquam de quinque tactum est Sacramentis, 4.
cum hæc non nisi ministerio Sacerdotali per se conferantur, vt Theologis notum est: immo & baptizare præsbyteri O sit officium, extra necessitatem; O 3. p. 67. 2.2.3. & 4.
congruum erat de Ordine, qui item Sacramentum est, insinuari. Sacramentum Ordinis apprimè necessarium P est Ecclesiæ; quia, *vbi non est gubernator, populus corruet*; vt dicitur Prouerb. 11. Sa- P 3. p. 65. 4.
cerdos populum debet confortare Q per Sacramentorum administrationem benedicendo, Numer. 6. Q Hebr. 7. 1.1.
inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Ecce cur, vt credo, exemplum fertur à Domino de vestimento; *nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus*. Hieronymus dicit ex Hebræorum traditione, primogenitos R ante legem functos fuisse officio Sacerdo- R Genes. 25.
tum; (hoc memorat etiam loc. cit. ad Hebræos) & habuisse vestimentum Sacerdotale. Vestes Esau quibus indutus est Iacob, apud Diuum Ambrosium *in Sylua Allegoriarum* Lauteri v. *induere*, vestes, fuerunt Sacerdotales. Quidam dicunt Primogenituram sex habuisse prærogatiuas, inter quas vestis S erat præcipua. Per vestimenta, quæ ad ornatum S loc.cit.
sunt, significantur T fides, gratia, innocentia baptismalis, & aliæ virtutes. Virtutes quam maximè T Apoc 3. & 16. Com 2.
necessariæ V Ecclesiæ ministris, designantur per vestimenta: vt indicetur idoneitas, quæ X in eis requiritur ad tractanda diuina. Igitur, dum hic indu- V p. 2. 102. 5. ad 10. X 4. sent. 24.3 1.
citur sic indeterminatè de vestimento, verosimile est, accipi pro famosiori Sacerdotali: quandoquidem Ecclesiast. 19. *amictus corporis enunciat de homine*. De huiusmodi sacris vestimentis Aaron & ministrorum vide Exodi 28., & 29. vbi fusè.

Rogabis, cur de extremæ vnctionis Sacramento 5.
nihil tangi videatur à Domino? Respondeo, hactenus de baptismo, de pœnitentia, de Eucharistia, de matrimonio satis insinuatum, præter dicta superius, in præfata sententia; *nunquid possunt filij Sponsi lugere?* &c. vt expensum est: De Ordine Sacerdotali etiam nuper *in vestimento*. De alijs duobus secretius: & quidem de confirmatione, iniussis, vsque ad Pentecosten cum confirmati fuere Apostoli, ieiunijs. Et præterea, quia confirmatio in baptismo intelligitur, & extrema vnctio in pœnitentia; cum confirmatio baptismum, extrema vnctio A pœni- A 3. p. 65. 4.
tentiam perficiat. Posset, nec fortè vi multa, conijci extremæ vnctionis specimen in ipsa vestimenti similitudine, antonomasticè dicti ob dignitatem, nimirum Sacerdotalis; eo quòd Pontifex, vt recolitur à Diuo Thoma B oleo vnctionis in capite vngeba- B p. 2. 102.5.8.
tur. Sic ex cap.29. Exodi, vbi & Sacerdotes minores inungebantur. Vmbratili ergo nutu extremæ vnctionis, non sit absonum, tangi Sacramentum:

quod specialem habet cum Sacerdotibus relationem, vnde ait Diuus Iacobus cap. 5. *inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum* &c. Nihilominus, etiamsi detur, nullam fecisse Euangelistas mentionem de Confirmatione & oleo sancto, adest congruentia rationis: quia scilicet, illa
C 4. sent. 23. q. 1. a. 2. ad 3. præcipuè c tradere curauerunt, quæ ad salutis necessitatem, & Ecclesiasticæ dispositionis ordinem pertinent: & ideo potius institutionem baptismi, & pœnitentiæ & Eucharistiæ & ordinis (supple & Matrimonij) factam narrauerunt, quàm extremæ vnctionis, vel confirmationis, quæ non sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem siue distinctionem Ecclesiæ pertinent. Præterea Sacramento D
D p. 3. 102. 5. ad 3. confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit in veteri lege, respondere aliquod Sacramentum; quia nondum aduenerat tempus plenitudinis, eoquòd neminem ad perfectum adduxit lex. Similiter nec Sacramento extremæ vnctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto. Quid mirum, doctrina hac stante, non tam manifestè de duobus istis traheretur hinc intelligentia? Post Spiritus-Sancti missionem, ob plenitudinem gratiæ, quæ in eis confertur, non dicas E instituenda dimisisse Apostolis,
E 4. sent. cit. vt quidam (ante Tridentinum) senserunt: sed potuisse vt mihi videtur, secretiùs inuolui eorum mentionem. De vnctione Sermo erit Marci 6. De confirmatione supra nonnihil c. 3.

VERS. XVII. *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres.*

6. Cum satis videretur explosas fuisse antiquas obseruantias symbolo vestimenti veteris Sacerdotalis, cui adsui commissuram panni rudis ex simplicitate Apostolica, non est conueniens; infra capit. 11. *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; dignatus est Dominus pro maiori nostro captu, addere de nouo vino in veteres vtres
F Hebr. 8. l. 2. exemplum. Hæc palam ad nouum testamentum F refert Angelicus hoc ex loco; quia non est seruandum vetus cum nouo. Plures congerit Scripturæ
G D. Th. hic. auctoritates. Vinum nouum G est lex noua, ratione nouitatis. (Roman. 7. *seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ*) Cum recepissent Spiritum-Sanctum Actor. 2. dixerunt eos musto madere. Duo esse, inquit, Domini exempla; quia iustitia consistit in operibus exterioribus, & in nouitate affectionis. Sed duo etiam sunt aio ipse, quia (Hebræor. 7.) *translato Sacerdotio*, (in figura veteris vestimenti,) *necesse est, vt & legis translatio fiat*. Vinum ob feruorem est amor charitatis, Augustinus; *breuis differentia veteris & noui Testamenti* (legis & Euangelij) *timor & amor. Perfecta charitas* 1. Ioann. 4. *foras mittit timorem*. Fuerunt
H p. 2. 107. 1. 2. Ephes. 2. l. 5. & in 3. sent. 40. 3. 1. ad 2. tamen aliqui in statu veteris Testamenti, qui H pertinebant ad lege nouam: & similiter in nouo Testamento sunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem nouæ legis, quos oportuit etiam in nouo Testamento induci ad opera virtutis per timorem pœnarum &c. Lex vetus etsi præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus-Sanctus, per quem diffunditur *charitas in cordibus no-*
I p. 2. 98. 3. *stris* Roman. 5. Reseruabatur hoc Christo, quia I vt dicitur Ioann. 1. *lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Ezechielis 36. *dabo vobis cor nouum*. Ioann. 13. *mandatum nouum do vobis*. Hoc mandatum (de dilectione)
L Ioann. 13. l. 7. L erat in veteri lege, non tanquam proprium eius, sed vt præparatiuum nouæ legis. Cessaturam legem Mosaicam, cum ritibus obseruantijsque suis cumulatissimè ostendit Deuteronomij mei Prologus. Non est quod repetam; adi illum. Videtur autem Dominus hoc tetigisse, repudio sacrificiorum priscorum dicens; *euntes discite quid est*: ituri erant Apostoli; *posui vos* (Ioan. 15.) *vt eatis*. Discerent etiam futurum erat, *docibiles Dei*; *quid est*; quasi dicat *discite* quidnam permanere debeat: absit, legalia; quæ vmbra sunt & figuræ. Hebræor. 8. *dicendo autem nouum veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est*. Interitus, ex Philosopho, *est transitus de esse ad non esse. Discite quid est*. 2. Corinth. 3. *si enim quod euacuatur per gloriam est; multo magis quod manet, in gloria est*. Vetus testamentum datum, vt transeat, nihil est in comparatione ad illud, quod datur, vt maneat; ibi lect. 2. Augustinus relatus 3. p. 61. 4. *Sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta*. Non est figura, vbi adest veritas; *misericordiam volo*; nimirum accepta mihi sunt ea, quæ misericordiæ tempus inuexerit: psalm. *quia venit tempus miserendi eius, quia venit tempus*. Zacharias in Cantico, *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto*. E regione respuo *sacrificium* quod vi sua ad Deum placandum vsque modo fuit inefficax. Michee 6. *nunquid placari potest in millibus arietum; aut in multis millibus hircorum pinguium?* Non est conuentio noui veterisque sacrificij, veteris nouæque legis colligatio. Absit mitti *vinum nouum in vtres veteres*. Præcepta Domini, consilia doctrina Euangelica *in vtres veteres* minimè debent infundi; hoc est in corda carnalia, quæ planè inidonea sunt, nisi innouentur; (*renouamini spiritu mentis vestræ* Ephes. 4.) *effunditur* aliàs *vinum: quia animalis homo*; (1. Corinth. 2.) *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi; & non potest intelligere*. Præmittit; loquimur, *non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, (ecce panni ruditas) *sed in doctrina spiritus; spiritualibus spiritualia comparantes*. Quod vltra legalium cessationem, videtur intendisse Dominus, his quas præ manibus habemus, similitudinibus.

VERS. XVIII. *Hæc illo loquente ad eos; Ecce Princeps vnus*, &c.

Cum cæteri Euangelistæ nondum mortuam fuisse, dum primò accessit Princeps iste, dicant, 7.
conantur conciliare Patres, vt & ipse in expositiones capitis. Addo, ex Augustino hic apud Diuum Thomam, sensum cum alijs eundem esse; *mortua est*; nimirum, credo iam mortuam: Item ex Chrysostomo; consuetudo est aliquorum, quando volunt mouere ad pietatem, malum exaggerare. Veruntamen altiori incessisse intelligentia, reor diuinum eloquium. Et quidem iacto fundamento mystici sensus. Ista filia M est M D. Th. hic.
Synagoga, quæ filia est Principis, scilicet, Moysi, quæ mortua est per infidelitatem. Id ipsum Sanctus Beda, relatus in Catena Lucæ 8. & Sanctus Hilarius Can. 9. in Matthæum; *Princeps hic lex esse intelligitur*. Ipse libentiùs consecutiuè ad præmissa, dixerim *mortua est*, quia cessauerunt legalia Synagogæ. Tria ex Augustino distingui retuli, (in Prologo Deuteronomij) tempora, quoad obseruantiam legalium. Et quidem apud D. Thomam quem hic, addo ad Romanos. N Primum tempus ante passio- N Rom. 14. l. 1. Gal. 5. l. 1. & p. 2. 103. 4. 1.
nem Christi; in quo legalia adhuc erant viuentia: (aio ego iam *propè interitum*) nondum erant mortua; aut mortifera. Secundum tempus est post passionem Christi ante diuulgationem Euangelij: in quo legalia erant mortua; quia nullus ad ea tenebatur; nec obseruata aliquid conferebant alicui: nondum tamen erant mortifera, quia sine peccato poterant Iudæi ad Christum conuersi legalia obseruare; dummodo non sic ponerent spem in eis, quòd ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset. Tertium

tempus est post diuulgationem Euangelij, in quo legalia non solùm sunt mortua, sed mortifera vt quisquis ea obseruet, peccet mortaliter. Memorat in 4. Sent. d. 11. q. 2. a. 2. ad 3. Ebionitarum hæresin, qui dicebant simul cum Euangelio legalia obseruanda. Nescio quid allegoricè nobilius. *Moriebatur* hæc puella apud Lucam c. 8. *In extremis est*, ait Marcus c. 5. Ecce primum legalium tempus. *Modo defuncta est*, scribit Matthæus. Ecce secundum legalium tempus. Tertium tempus etiam innuitur à Matthæo, diuulgationis scilicet Euangelij; dum ait; *& exijt fama hæc in vniuersam terram illam*. Et quia tertio tempore diuulgati Euangelij, sine legalibus, vt dictum est, sola fides Christi potest iustificare, ecce dicit Dominus Lucæ 8. v. 50. *Patri puellæ; noli timere, crede tantùm*. Et sic Marcus eo cap. 5. v. 36. *Archisynagogo; noli timere; tantummodo crede*. Et dum ait Matthæus, *cum eiecta esset turba*; Marcus, *eiectis omnibus*; Lucas; *non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannem, & Patrem & Matrem puellæ*; satis vno ore, tertium indicant adhuc tempus, quo mortifera facta sunt legalia, nec licet ad ea, ceu præmortuam ad puellam accedere. Et si quæras, cur Matthæus mortuam dicat puellam, quod iuxta typicum intellectum est, affirmari legalia mortua? Responsio in promptu; quia Matthæus de baptismo, qui est regenerationis lauacrum Euangelicam texit, clauditque historiam: *baptizantes eos* &c. cap. 28. in fine. Necessitas autem vtendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus O post passionem & resurrectionem, quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta. Ecce congruere suo instituto secundùm præcipuè tempus, quo mortua erant legalia, dici mortuam puellam. Ante hoc tempus, ante necessitatem baptismi, quam nec Marcus nec Lucas primæua intentione considerant, *moriebatur* puella, *in extremis erat*, sed nondum mortua. Sic tali primo tempore, moriebantur nondum erant mortua legalia. Quòd autem allegoriam puellæ mortuæ amplius probat, est, quia 2. Corinth. 3. *litera occidit, spiritus autem viuificat*: & Rom. 8. *nunc soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur; ita vt seruiamus, in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ*. Occidit autem occasionaliter, quia est lex sine spiritu interius imprimente. P Et ideo necessarium fuit dari legem spiritus, qui charitatem in corde faciens viuificat; Ioan. 6. *spiritus est qui viuificat*; Roman. 8. *Lex spiritus vitæ*; idest viuificantis. Lucæ 8. inuenies de hac puella; *reuersus est spiritus eius*. Apud omnes autem Euangelistas, *tenuit manum eius*. Occidebat ergo, Q in quantum non præbebat auxilium gratiæ ad implendum; quod per se præstandum noua in lege insinuat, dum manum tenet.

O 1. p. 66. 2.

P 2. Cor. 3. l. 2.

Q 3. d. 40. l. 3. p. 2. 99. 2. 3. opusc. 1. c. 11.

VERS. XX. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur*, &c.

8.

Non solùm mors, fames, & sitis, sunt in nobis ex originali R peccato: sed inde oriuntur alij omnes affectus, in quantum in aliquibus hominibus S causantur quidam defectus ex culpa hominum, puta ex inordinato victu, quidam autem ex defectu virtutis formatiuæ: hinc lepra, morbus caducus, Causantur quippe particularis omnes defectus, ex corruptibilitate & passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis. Ideo cum Christus curauerit passibilitatem & corruptibilitatem corporis nostri, per hoc quòd eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curauit. Ecce hoc in cap. 9. 35. *curans omnem languorem & omnem infirmitatem*. Et ecce item cur complicentur à Matthæo, & resuscitatio puellæ, & sanata à defectu fluentis sanguinis mulier: quæ sine dubio congruè stat in typum naturæ humanæ: quæ est in via; sicut mulier quæ iter agit, sanatur. Concinnare autem si velis hoc toti seriei euangelicæ, de nostra per baptismum regeneratione, recole articulum; *Virum per baptismum* T *debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ*. Et disces, qualiter baptismus virtutem habet auferendi pœnalitates præsentis vitæ, licet eas non auferat in præsenti. Eius tamen virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando *mortale* hoc 1. Cor. 15. *induerit immortalitatem*. Rom. 8. *spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis*. Idest in virtute V Spiritus-Sancti, in vobis habitantis. Ephes. 4. *renouamini spiritu mentis vestræ* X. Quia corruptus fuit Adam renouatione indiguit; & sic eius posteri; & ideo oportet nos renouari in præsenti secundum animam, & in futuro secundum corpus. Roman. 8. *expectantes redemptionem corporis nostri*: vt sicut spiritus noster A redemptus est à peccato, ita corpus nostrum redimatur à corruptione & morte. Osee 13. *de morte redimam eos*; Philip. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ*. Quod hanc intendat Matthæus gloriæ immortalitatem insinuare, claret ex eo quòd Marcus, & Lucas scribunt, *dixit*, immò *iussit illi dari manducare*: in signum veræ vitæ, quæ cum mortalis est, id requirit: Matthæus autem, hoc omisit, quia tunc non erit B vsus ciborum, sicuti nec venereorum: infra cap. 22. *in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei in Cœlo*.

R 1. p. 85. 5.

S 3. p. 14. 4. c. & ad 3.

T 3. p. 69. 3.

V Rom. 8. l. 2.

X Ephes. 4. l. 7.

A Rom. 8. l. 5.

B opusc. 6 § 14.

9.

Quia verò non solùm separatio animæ à corpore mors dici potest, sed etiam omnes præsentis vitæ pœnalitates, vt exponens illud Psalmi 106. *eripuit eos de interitionibus eorum* C ait Diuus Thomas: iuxta quod Apostolus 2. Corinth. 11. *in mortibus frequenter*; ideo, vt opinor, contexuntur hæc duo in Euangelio; tanquam nedum puella, sed mulier ipsa eruatur à morte. Ab hac etiam morte pœnalitatum eripiet nos Christus per gloriam D tunc enim *absorta erit mors in victoria* 1. Cor. 15. In Patria siquidem tolletur etiam E vetustas pœnæ: vnde ibi erit consummata renouatio; psal. *renouabitur, vt Aquilæ, iuuentus tua*. Et quia Apostolus de resurrectione à morte ait, *canet enim tuba; in nouissima tuba* 1. Cor. 15. Ecce, quod mirum est, Matthæum duntaxat, vt effectum baptismi atque regenerationis innueret, induxisse, quia *tibicines* aderant; quod alij Euangelistæ non recolunt, tanquam à Matthæo iuxta excursionem scopi sui prædictum. In hac tamen, adhuc vita deiecit Christus in baptizatis F *mortis imperium*, seu Regnum & Dominium eius; vt scilicet hoc homo non timeat; Hebræor. 2. *vt liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti*. Et ecce Patri puellæ respondisse Dominum, prout Marcus Lucasque ferunt, *noli timere*. Attamen sanitas corporalis, licet non sit per se G effectus baptismi, est aliquando opus miraculosum prouidentiæ diuinæ, vt contigit in Constantino, qui in baptismo mundatus est à lepra. Nota hic, quod supra c. 8. diximus de lepra, in typum originalis: in Constantino enim, coierunt mundatio ab originali, & à lepra. Nota etiam cohærere factæ sæpius de baptismo mentioni, vt mulier hæc pœnalitati, passionique fluentis sanguinis subiecta sanetur. Tangit ideo eo *fimbriam vestimenti eius*: Per fimbriam H significatur etiam baptismus. Sed ne putes hoc gratis dictum, recole aliunde, I dari ad hoc baptismum, vt homo per generationem spiritualem incorporetur Christo, factus membrum ipsius: quo sensu dixit Apostolus ad Gal. 3. *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: Ad Philipp. 2. *& habitu inuentus vt homo*: ipsam humanitatem accepit

C Prologo 4. sent.

D ibid.

E 1. Cor. 4. l. 5.

F 3. p. 69. 3. 2. & op. 6. §. 14.

G 3. p. 69. a. 4.

H Matthæi 14. in fine.

I 3. p. 19. 4. 3. & q. 68. 1.

[I Philip. 2.l.2.] accipit I quasi habitum. Habitus est qui mutatur & non mutat. Per hanc similitudinem natura humana in Christo dicitur habitus, quia sic aduenit diuinę personę, quòd non mutauit ipsum. In Sacramento baptismi, subdo ipse, quod est Sacramentum fidei, necesse est tangi cordis tactu hunc habitum. Et meritò in fimbria, quia vt ibidem Apostolus; Christus *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens; humiliauit semetipsum*, &c. [M 2. 2. 163.1.] Primi Parentis peccatum M fuit superbiæ. Alia Adæ peccata, [N Rom. 5.l.1.] præter primum N non traducuntur in posteros. Quo deleatur ergo originale, congruit vt in baptismo homo humilietur. Reor igitur ad hanc insinuandam humiliationem ad fimbriam Christi Iesu tangendam se inclinasse mulierem; ne de ea diceretur Isaiæ 3. *pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo*. Baptismus non fit [O Gal.3. l.9. 3. p. 68. 8.] nisi in fide, O sine qua effectum baptismi nullus consequitur. Et ecce sicut præmittit ibi Apostolus; *omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu*; ita & hic Dominus mulieri; *confide filia, fides tua te saluam fecit*. Sine baptismo nisi re, vo[P 3.p.68. 2.]to, P nemo potest saluari. Et ecce eademmet baptismi allusio in mortua puella, (quam ideo fortè mortuam nominat, non autem morientem, vt Marcus & Lucas) quæ *surrexit*: nam & Apostolus eadem fermè phrasi Roman. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. *Deridebant eum*, ait Sacer textus. Verosimile est fuisse hos Sadducæos, qui vt patet Act. 23. *dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*. Hilarius; *turba irridendo dicta gestaque eius, ridens resurrectionem, resurrectionis non fuit digna consortio*.

VERS. XXVII. *Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci*, &c.

10. Baptismus, vt pluries diximus, est fidei Sacramentum. Fides est lumen intellectus Hebr. 11. lect. 2. Diuus Dionysius 2.cap. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, illuminationem, attribuit baptismo. Damascenus itidem l.4.c.1. *baptismus est per quem primitias Spiritus Sancti accipimus; & principium alterius vitæ fit nobis regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio*: Hebr.6. *qui semel sunt illuminati*: scilicet (ibi l.1.) per baptismum. Et congruè dicitur baptismus, illuminatio, quia intellectus illuminatur per fidem Ephes.5. *eratis aliquando tenebræ*. Nam [Q 3. p. 69. 5. 4. sent. 3.1. 3.4.] nedum Doctor Q illuminat exterius per ministerium catechizando, sed & Deus illuminat interius baptizatos, præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis; secundùm illud Ioan. 6. *erunt omnes docibiles Dei*. Hinc in exorcismo, sal in os [R 3. P. 71.2.] missum R, & narium & aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinæ fidei quantùm ad aures; & approbationem quantùm ad nares, & confessionem quantùm ad os. Hinc etiam pro puero [S ibid.1.] baptizato respondet S alius *credo*, profitendo fidem Ecclesiæ in persona pueri. Benè ergo, cùm huc vsque sermo deuenerit, vt de suscipientibus baptismum ad spiritualem generationem agendum fuerit, de cæcis illuminandis adiectum est. Et ecce manifestè ipsorum deprehendi fidem; clamant enim *miserere nostri fili Dauid*: Deum in miserendo, cui nimirum proprium est, & hominem in eo quòd *filium Dauid*, audacter fassi. Sed quia non satis est credere; quia *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. ecce interrogari [T 3. p. 68. 8. ad 2. & Ioan. 9.l.4.] cæcos à Christo, *creditis? dicunt ei, vtique*. Quod palam baptismatis refert ritum; nam Ecclesia accedentes T ad baptismum, interrogat, an credant I. Petri 2. *nos saluos facit baptisma* &c. *& bonæ conscientiæ interrogatio in Deum*. Clamant autem, quia ad salutem necesse est, vt diximus, haberi vel voto baptismum; rogantque vt videant; vnde *aperti sunt oculi amborum*; quia baptismus, vt diximus ex Dionysio est illuminatiuus: *secundùm fidem vestram fiat vobis*. Accedunt autem, *cum venisset domum*: Per quam domum, intelligitur V Ecclesia; quæ est Domus Dei. [V D.Th. hic.] Certè extra Ecclesiam verum baptisma non est. Vnde in Symbolo; *confiteor vnum baptisma*: Duo isti cæci, duo sunt populi, X scilicet Iudæorum & Gentilium. [X D.Th. hic.] Cohærentia quidem ad quod subijcit Paulus statim ac de baptismo dixerat, ad Galat.3. *non est Iudæus, neque Græcus*, &c. *omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu*.

VERS. XXXII. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum*.

D. Hieronymus; *Quod dicitur græcè (cophos) magis tritum est sermone communi, vt surdus quàm mutus intelligatur: sed moris est scripturarum, (cophon) indifferenter vel surdum, vel mutum dicere*. 11. Lego ipse *in Lexicis*, accipi pro eo, cui auditus est vitiatus: olimque etiam mutum, teste Ammonio, vocatum: propterea fortassis, quòd qui natura surdi sunt, ijdem & muti sint, oportet. Lego item in hebræo, radicem *charas*; nimirum, *siluit, obsurduit, tacuit*. Mutus perhibetur iste, sed Dęmonium habens. Diabolus habet A potestatem [A 3. p. 71.2.] aliquam in homine, ex hoc ipso, quòd subditur peccato originali, vel etiam actuali. Opportunè igitur obsessus à Dæmonio offertur, nedum cohærenter ad præmissa de morte, quia Diabolus Hebr. 2. *habebat mortis imperium*, sed vt actuale peccatum indicetur in causa. Quare sicuti supra c.8.v.16. *obtulerunt multos dæmonia habentes*, quos obnoxios originali diximus; ita nunc offertur *homo mutus, dæmonium habens*, ex peccato actuali. Singulariter autem inducitur vnus; quia præsumitur baptizatus; proinde baptizati omnes, vnum sunt; Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*; prout etiam Apostolus ad Gal. 3. *omnes enim vos vnum estis*. Et ob vnitatem fidei, qui duo erant cæci, vnus esse possunt mutus ex peccatis actualibus, quæ nondum confessi sint; Ezechielis 37. *faciam eos in gentem vnam*, &c. *& non erunt vltra duæ gentes*. Duos cæcos diximus, ex Diuo Thoma, duos populos. Glossa super illud Marci 7. *adducunt ei surdum & mutum*, B *Genus humanum tanquam vnus homo*; &c. [B Serm. Dom. 12. post Pent.] Vinculum linguæ soluitur peccatoris, cum peccatum confitetur.

12. Rogabis, quod & in Expositione Capitis tactum est; num mutus iste sit quem narrat Lucas capit. 11. & vterque sit quem iterum Matthæus memorat c. 12. Augustinus, qui fertur in Catena Matthæi cap. 12. illum Lucæ eundem credit cum altero Matthæi 12. licèt Matthæus cap. 12. dicat eum nedum mutum sed cæcum: Lucas autem non dicit cæcum, benè verò mutum. Quare videtur consequenter Augustino, vt iste capitis 9. non coincidat cum illo Lucæ cap. 11. Matthæus vt notat lib.2. de consensu Euang. cap.29. vtrumque commemorat: nempe hic vnum, & cap.12. alium: vt quid enim repeteret? Sanctus etiam Beda relatus Lucæ 11. pro eodem accipit mutum Lucæ cap.11.; & Matthæi cap.12. & sic inquit, *Dæmoniacus iste (Lucæ 11.) apud Matthæum, (cap.12.) non solùm mutus, sed & cæcus fuisse narratur*. Certum est diuersum esse signum ab his omnibus illud Marci 7. vt ex modo sanandi apparet; & quia dicitur fuisse surdus, & mutus. Quicquid sit: quamquam vnus idemque esset, qui hic fertur & Matthæi cap.12. immo & Lucæ 11. stat latere mysticæ texturæ causam, ex qua hic tacuerit Matthæus de

de cæcitate; quia nimirum post baptismi illuminationem in cæcis, quod requiritur & sufficit ad nostram salutem, est peccatorum per pœnitentiam confessio. Tunc sanatur mutus, cum illud Iacobi 5. executioni mandatur; *confitemini alterutrum peccata vestra*. Quare autem Matthæus mutum istum & solummodo mutum retulerit, non verò illum Marci etiam surdum, nec illum Lucæ etiam cæcum? & similiter, quare non ipsum dixerit cæcum, vt capite suo 12.? ratio esse potest, quia ad præsens institutum non faciebat, nisi quòd esset mutus. Pro cuius intelligentia sciendum ex Diuo

C Serm. præfato. Thoma, C tres graues incurrere infirmitates peccatorem, quando peccat mortaliter; primò cæcitatem per mentis obtenebrationem, Sophoniæ 1. *ambulabunt vt cæci, quoniam Domino peccauerunt*; secundò surditatem per inobedientiæ rebellionem; Isaiæ 42. *quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?* tertiò mutitatem, per peccatorum suorum occultationem. Iob 20. *cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua*. Quantùm ad

D p. 3. 79.1. visum ponitur excæcatio, D quantùm ad auditum, aurium aggrauatio, quantùm ad affectum induratio. Dic tu, pro induratione mutitas. Isaiæ 6. *excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*: Roman. 9. *quem vult indurat*. Induratio certè nihil est aliud quàm obstinatio; durus est enim qui obstinatè inhæret malo. Obstinatio causat impœ-

E 2.2.14. 2. nitentiam, vt E alibi docet: *nullus est*, Ieremiæ 8. *qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens quid feci?* Contra huiusmodi indurationem, obstinationem, impœnitentiam, proinde mutitatem virtus est Domini liberantis hoc loco mutum: quia post baptismi illuminationem, si labi contingat, periculosius nihil, quàm esse mutum, quàm esse inconfessum; immo nihil certa inconfessi damnatione securius. Hoc vnum idcirco considerat hìc Matthæus. De cæcitatis remedio, iam dixerat duobus in cæcis; de surditatis medela, in eo quòd fidem exegerat, quæ est Rom. 10. *ex auditu*: supererat pressius vel per transennam tangere de induratione, de obstinatione, de impœnitentia mutorum. Ad has restringuntur classes, quicumque de morte spiritali renascuntur ad vitam; aut baptizantur aut pœnitent. Duo hæc baptismus & pœnitentia communiter à Theologis Sacramenta dicuntur mortuorum. Et ecce, totius hoc in libro generationis Iesu Christi, secundùm quòd vnum est cum membris, peroratio. Regenerari ac renasci nos ad spiritalem animarum vitam pluries dictum est; firmatque Dominus Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto*: Ecce baptismus. Renasci nos iterum, si per peccatum moriamur, ad gratiæ vitam, passim Sacræ literæ monent. Sufficiat illud Apostoli Hebræor. 6. *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*; & Dominus Lucæ 15. *frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit*. Benè ergo, postquam de puella mortua factum est signum, de duplici mortuorum genere subiectum est. Simulacrum mortui est quodammodo cæcus, ac mutus,

F Hebr. 6.l.1. Facit ad hoc sententia; F res dicitur viua quandiu habet officium propriæ virtutis, à quo cum deficit dicitur mortua. Facit etiam illud Iob 33. *viuens lucem videret*; & cap. 3. *concepti non viderunt lucem*. Ecce lucis fruitio, vitæ comes. Sic vitæ carentiam quodammodo præsefert mutus; ibidem; *dormiens silerem*. Denique pœnitentia etiam dici-

G loc.cit. tur baptismus, G in quantùm supplet effectum baptismi; quamuis non tantum habeat de effectu baptismi, quia non tollit omnem pœnam, licet tollat culpam. Opportunè ergo attexitur de sanatione muti, vtique ad innuendam pœnitentiam Sacramentalem, cuius effectum obtinet mutus iste per potestatem excellentiæ à Christo Domino sanatus.

Præterea secundum Dionysium, H purgatio & illuminatio pertinent ad baptismum, & propter recidiuum, secundariò pertinent ad pœnitentiam. H 3. p. 65.1.3.

En illuminatorum per fidei protestationem in cæcis, & pœnitentiæ per linguæ vsum in muto, paradigma. Accedant ergo Gentiles; quandoquidem Romanor. 1. *obscuratum est insipiens cor eorum*; Ephes. 4. *tenebris obscuratum habentes intellectum*, &c. *propter cæcitatem cordis ipsorum*: accedant Iudæi, Roman. 11. *excæcati*, de quibus, *obscurentur oculi eorum ne videant*, psal. 68. nam *vsque in hodiernum diem*, 2. Cor. 3. *velamen positum est super cor eorum* (quemadmodum *accesserunt ad eum* duo hi *cæci*) illuminabuntur: psal. 33. *accedite ad eum & illuminamini*. Non desperet mutus, non desperet obstinatus adhuc impœnitens, si precatores habeat, qui eum offerant sanandum Domino, instar Moysi dicentis Exodi 32. *obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, dimitte eis hanc noxam: Dominus labia eius aperiet*, ps. 50. Inde, *annunciabit laudem Dei*: fietque cum cæcis *qui diffamauerunt eum in tota terra illa*; *vt omnis* lingua Philipp. 2. *confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*: & quidem ex aduerso ad Pharisæorum perfidiam, qui dicebant; *in Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*. Sequitur

VERS. XXXV. *Et circuibat Iesus omnes Ciuitates*, &c.

Nedum hoc dici reor in Christi persona, qui vt Actor. 10. *pertransijt benefaciendo, & liberando omnes oppressos à Diabolo*; sed quia per Apostolos id facturus erat; vt mox sequenti cap. pergit Matthæus edicere. Animaduerto autem discrimen, quia supra c.8. legimus, *omnes malè habentes curauit*: modò autem perhibetur *curans*. Dixi ibi in Synaxi de baptismo fieri Sermonem; baptismus autem mundat omnino, perfectè purgat: ergo *curauit*. Præterea reiterari I nequit, sicut neque originale, contra quod principaliter est baptismus, iteratur: ideo, ne actum quispiam agat, dici reor *curauit*. Pœnitentia è contra pluries L est iterabilis. Quid mirum in præsenti dicatur *curans omnem languorem & omnem infirmitatem*? Vbi Lucæ 11. habetur; *erat Iesus eijciens dæmonium* M notatur eijciendi frequentia. Sic Baptista Ioan. 1. *Ecce qui tollit peccata Mundi*; non dicit *tollet aut tulit*, *sed tollit*, *vt quotidie ea tollere intelligatur*, quod considerat Chrysostomus Hom. 17. in Ioan. 13.

I 3. p. 66. 9.

L 3. p. 94. 10.

M Serm. Dom 3 in Quad.

VERS. XXXVI. *Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes, sicut oues, non habentes Pastorem*.

Cohærentia vtriusque præsentis textus claret in Ezechiele c.34. Vbi quænam sint infirmitates declaratur; & quidem ex ibi præmissis moraliter. Alloquitur enim minùs bonos Pastores: *væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à Pastoribus pascuntur? Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis*, &c. Opportunè ergo dum se sanantem omnem infirmitatem perhibet, miseretur turbis, & malos Pastores increpans, eas dicit *oues*. Et quia futurum erat, vt esset *vnum ouile, & vnus Pastor*, Ioan. 10. vnius assumit messis similitudinem, subdens discipulis suis; *Messis quidem multa, operarij autem pauci*. Sed alijs de pluribus instruit noua hac metaphora. Agricolas monet esse Pastores, ne parcant labori: 2. ad Timot. 2. *laborantem agricolam*; glossa N *idest prædicatorem, qui in agro Ecclesiæ ligone verbi Dei, excolit corda auditorum*. Et eo in loco; O officium prædicatorum & doctorum, est officium etiam agricolæ; in quantùm fructum faciunt, promouendo ad bona. Huius ager est Ecclesia, & prin- 14.

N 2. 2æ 187.4. & quodlib. 7.18.

O 2. Tim. 2.l.1.

principalis agricola est Deus, interiùs & exteriùs operans: Ioan. 13. *Pater meus agricola est*: homines autem exteriùs adhibent ministerium; 1. Cor. 3. *ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*: isti sunt exteriores agricolæ. Adhuc etiam ex hac messis similitudine, monet, quod & Apostolus ibi ex glossa; vt liceat P doctori & prædicatori, *necessaria sibi sumere ab eis, in quibus Deo militat, & quos tanquam vineam cultor exercet, vel tanquam gregem pascit*. Ecce vtramque congruam esse similitudinem: vt mittendi à Domino Apostoli, nouerint sibi fas esse, de alieno viuere: iuxta illud 1. Corinth. 9. *si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Præterea, ne dormiant agricolæ, ex quo superseminet inimicus homo, quæ appareant *in medio tritici, zizania*: infra c. 13.

P opusc. 19 7.

15. Potissimùm autem duas ob causas commemorat, vt reor, messem; Altera, vt nouissima prædicanda insinuet; nam *Messis*, infra eo cap. 13. *consummatio sæculi*; quousque se adfuturum Ecclesiæ pollicetur; c. 28. *vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Ex quo etiam finalis retributio; de qua cap. 13. *triticum autem congregate in horreum meum*. Altera est, ad vnionem membrorum ad inuicem, proinde vnitorum capiti significandam: quod Matthæus versat, huc ab initio. *Vnus panis & vnum corpus multi sumus* 1. Cor. 10. Hæc est messis propriùs triticea. Et quia per fidem passionis, & mortis Christi, Christo incorporamur, *nosque* aiebat Apostolus 1. Cor. 1. *prædicamus Christum crucifixum*: Ecce satores fidei format Apostolus, tangens messis metaphora, quod scripturus erat Ioannes cap. 12. *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Quòd si vnum corpus sumus, vna quanquam multa, messis, fiat Domino largiente, *vt non sit* 1. Cor. 12. *schisma in corpore, sed in idipsum, pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia; primùm Apostolos*; &c. Ecce miram contexturam; nam statim cap. 10. sequenti percenset, quos missurus erat Dominus Apostolos. Cæterùm consensu mystico solicitus de communi salute debet esse quisque, idcirco id astruens ait Dominus, *rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*. Apostolus Q idem est quod missus. Secundùm illud Ioan. 20. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; idest ex eadem dilectione, & cum eadem auctoritate: ad procurandam salutem fidelium. Dolet Ieremiæ 23. *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*. Bene Ecclesia rogat: *verè dignum est, æquum & salutare, te Domine suppliciter exorare, vt gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias; vt iisdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios, eidem contulisti præesse Pastores*. Rogandus est ergo Dominus messis, *vt mittat operarios in messem suam*; in quo inuoluitur oratio, ne nostra peccata puniat: Iob 34. *qui regnare facit hypocritam propter peccata Populi*. Quidam, inquit sanctus Doctor, R perueniunt aliquando ad officium prædicationis propter peccata Populi. Contra hos stat illud Ieremiæ cap. 23. *In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij*. De quo 2. Corinth. 2. *non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei*; & cap. 4. *non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei*, & 1. ad Timotheum 1. *à quibus quidam aberrantes*, (à corde puro, à conscientia bona, & fide non ficta) *conuersi sunt in vaniloquium: volentes esse legis Doctores* &c. Vt autem Dominus ait; *rogate* &c. sic & Apostolus verè missus 2. Timoth. 1. *per voluntatem Dei*, aiebat ad Coloss. 4. *orationi instate; vigilate in ea, in gratiarum actione; orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium Sermonis, ad loquendum mysterium Christi*. Rogabat autem Apostolus, vt viris Apostolicis formam daret, præscius 2. ad Timoth. 4. futurum esse *tempus, in quo sanam doctrinam non sustinerent, sed coaceruarent sibi Magistros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas conuerterentur*. Hæc omnia vt præcaueat Dominus admonet; *rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*. Ezechielis 3. *audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me*. Quare autem prædicasse dicatur Dominus *Euangelium Regni*, vide infra c. 13. v. 19. Syntaxis.

Q Rom. 1. l. 1. Coloss. 1. l. 1.

R Colos. 1. l. 1.

CAPVT X.

Mar. 3. b. 13. Luc. 6. b. 13. & 9. a. 1. & 10. a. 1.

1 ET conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, 3 Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus. 4 Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. 5 Hos duodecim misit Iesus: præcipiens eis, dicens: in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: 6 sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. 7 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia approquinquauit regnum cælorum. 8 Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. 9 Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, 10 non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. 11 In quamcumque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis. 12 Intrantes autem in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui. 13 Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. 14 Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. 15 Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Go-

Mar. 6. a. 8. Luc. 9. a. 3. & 10. a. 4. Act. 13. g. 46.

& Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. 16 *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio* Luc.10.a.
luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. 17 *Cauete autem ab* 3.
hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos: 18 *& ad præ-* Luc. 12.
sides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus. 19 *Cum autem tra-* b. 11. Luc. 6. f.
dent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid 40. Ioan. 13.
loquamini: 20 *non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vo-* b. 16. &
bis. 21 *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes,* 15.c.20. Mat. 4. c.
& morte eos afficient: 22 *& eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit* 22.
vsque in finem, hic saluus erit. 23 *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in* Luc. 8. e. 17. & 12.
aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat Filius hominis. 24 a.2.
Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: 25 *sufficit discipulo, vt sit* Act.27.f. 36.
sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt: quan- 2 Re. 14.
to magis domesticos eius? 26 *Ne ergo timueritis eos: Nihil enim est opertum, quod non reuela-* c.11. Mar.8.d.
bitur: & occultum, quod non scietur. 27 *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod* 38. Luc. 9. e.
in aure auditis, prædicate super tecta. 28 *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam* 26. & 12.
autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in b. 8. 2 Ti.2.b.
gehennam. 29 *Nonne duo passeres asse væneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine pa-* 12.
tre vestro? 30 *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* 31 *Nolite ergo timere: multis* Luc.12.f.
passeribus meliores estis vos. 32 *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor* 51. Mic.7.b.
& ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: 33 *qui autem negauerit me coram hominibus, negabo* 6. Luc.14.f.
& ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. 34 *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere* 26. Mar.8.d.
in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. 35 *Veni enim separare hominem aduersùs pa-* 34.
trem suum, & filiam aduersùs matrem suam, & nurum aduersùs socrum suam: 36 *& inimici* Inf.16.d.
hominis, domestici eius. 37 *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus: &* 24. Luc 9. c.
qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. 38 *Et qui non accipit crucem suam,* 24. & 14.
& sequitur me, non est me dignus. 39 *Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit* f. 26. & 12. g. 13.
animam suam propter me, inueniet eam. 40 *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit* Ier. 12.d. 15
eum, qui me misit. 41 *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui* Luc.10.c. 16.
recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. 42 *Et quicumque potum dederit vni ex* Ioan. 13.
minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mer- c.20.
cedem suam. Marc. 9. f. 41.

1\. VERS. I. *Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem,* &c. Totius huius capitis vberior & luculentior nequit esse expositio Diui Thomæ, cui superuacaneum ferme est, quicquam addere. Aliunde igitur huc nonnihil potius iuuat vocare, quàm de verbo ad verbum, quæ hic habet exscribere. Conuocat discipulos, sed ipsos numero duodecim, qui perfectionis est, ex duplicitate A senarij suis aliquotis ex partibus consurgentis; nam vnum, duo, tria, conficiunt sex. Hinc Ecclesia, si memineris, *in Secreta,* subrogato Matthia Iudæ proditori, ait, *ne numerus Apostolorum sua perfectione careret.* Ex quo de sua perfectione, pro muneris dignitate, moneri poterant selecti discipuli duodecim, quibus supra c. 5. dictum fuerat *estote ergo perfecti vos:* itemque *nihil ad perfectum* (Hebræor. 7.) *adduxisse legem,* antiquam scilicet, reseruato hoc euangelicæ, quæ est lex amoris. Quoniam verò, vt ait Beda, *Serm. in Natali S. Benedicti, duodenario numero sæpe solet in Scripturis Vniuersitas designari,* fit vt quod duodecim præstituit discipulis, viris omnibus apostolicis omnino congruat: proinde Prædicatoribus in toto Mundo fundendis euadat accommodum: (de hoc expressius c. vltimo: *euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni Creaturæ*) vnde agnoscit Angelicus B in duodenario, qui consurgit ex quatuor ac tribus in se ductis, & quatuor Mundi partes, & Sanctæ Trinitatis mysterium ipsis prædicandum. De re prædicanda sustine ad versum 7. Nunc de collata discipulis potestate: quæ quidem denunciatur in immundos spiritus, & ad curandos languores & infirmitates. Quod cum spiritualiter ac temporaliter possit accipi, dubium insurgit, quo sensu hic loquatur, dum paulo post, v. 8. id ipsum ampliori iniungitur themate, exprimendo *leprosos & mortuos,* Dæmonum eiectione, quæ hic primò ponitur, posterius versu eodem iussa. Crediderim ipse versu 1. spiritualiter loqui, quemadmodum Gregorius ad illud Lucæ 8. *de qua septem dæmonia exierant,* intelligit: *quid enim per septem dæmonia, nisi vniuersa vitia intelliguntur?* præsertim quia Diabolus C potestatem aliquam habet in homine ex hoc ipso, quòd subditur peccato originali, vel etiam actuali. Vbi ait Apostolus; *resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem:* D nisi habeant pœnitentiam Diabolus dominatur hominibus. Augustinus *Tract. 52. in Ioannem* inquit; *possidebat Diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat, chirographo peccatorum.* Fit seruus quis alicuius, vel cum ab eo superatur, E vel cum ei voluntariè se subijcit: & hoc modo fit etiam seruus Diaboli, qui voluntariè peccat. Et ecce consecutiuè dum potestas datur discipulis spirituum immundorum, vt eos eijciant, ne sit anima inquinata peccato, addi, *& curarent omnem languorem:* peccatum enim originale F languor naturæ dicitur: item *omnem infirmitatem;* (quod ad actuale retorqueri potest) quia peccatum est in anima, G sicut infirmitas in corpore; ps. 6. *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Fauet autem litera; quia legimus *omnem languorem, & omnem infirmitatem:* etenim si de corporalibus sermo esset, non omnis fuerat sanandus languor vel infirmitas: nam Ioan. 3. vbi *iacebat multitudo languentium, prior solummodo sanus fiebat:* Apostolo etiam

Margin notes: A D.Th. hic. — B D.Th. hic. — C 3. p. 71. 2. — D 2. Tim 2. f. 4. — E 3. p. 80. 4. 2. — F 3. p. 82. 1. — G 3. p. 85 4.

dixit

dixit Dominus 2. Cor. 12. *virtus in infirmitate perficitur*. Si autem de spiritualibus languore & infirmitate loquamur, expediens est, sine cunctatione quemque curari. Sanè infra corporaliter obsessum (cap. 17.) non potuerunt à Dæmonio liberare discipuli. Arridet etiam contextus, quia in hoc 10. cap. v. 8. abstinet ab illo signo vniuersali *omnem*: saluti enim animæ confert quandoque infirmitas; immo & mors, iuxta illud Sap. 4. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*. Facit denique Isaias præallegatus c. 8. v. 17. *ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit*. Quod potissimè intelligi spiritualiter, vel ex eo constat, quod, *Christus Iesus* 1. Tim. 1. *venit in hunc Mundum peccatores saluos facere*: & quia *ipse est*, Ioan. 1. c. 2. *propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*.

2. Non dicit autem *languorem*, sed *omnem languorem*, quia peccatum originale in diuersis hominibus, H licet sit vnum specie, & proportione, diuersum est numero. Et sic plures sunt animæ ægritudines Spirituales, *omnem infirmitatem*: ps. 102. *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*. Itaque sicuti ad animæ salutem significandam, de languidis & infirmis curandis hic datur discipulis potestas, ita intelligenda venit spirituum immundorum in primis eiectio; nam Christus Dominus, vt ait Angelicus, I Dæmones expellebat non solum à corpore, sed multò magis ab anima. Quod prænunciatum fuit Zachariæ 13. *spiritum immundum auferam de terra*: L quandoquidem futurum erat, vt per virtutem Diuinitatis excluderet Dæmonum potestatem, ab hominibus credituris in eum. Ioan. 12. *Nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*. Dæmonis potestatem ergo deijcit, discipulis subijciendo Dæmonia. Conuenienter autem de spirituum immundorum eiectione præmittitur, quoniam de messe dictum fuerat in calce 9. capitis; *messis quidem multa*. Agricola, inquit Angelicus, M primò purgat agrum, & postea proijcit semina, secundùm illud Ieremiæ 4. *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas*. Præterea idololatria erat præexterminanda, quæ maximum est peccatorum N. Isaiæ siquidem legimus; *idola penitus conterentur*; & Sophoniæ 2. *attenuabit omnes Deos terræ*. Benè ergo primo in limine, potestas traditur spirituum immundorum: qui immundissimis ritibus colebantur. Denique primo deserenda sunt O vitia, postea secundùm virtutem operandum. Ideo *dedit illis potestatem vt curarent omnem languorem*. *Nouate*, vt supra.

H p. 3. 82. 3. & p. 31. lit. a.
I 3. p. 43. 2. 3.
L 3. p. 44. 1.
M 2. 2. 121. 2.
N 2. 2. 94. 3.
O D. Th. hic c. 1. ad finem.

VERS. II. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc.*

3. Marcus cap. 3. duodecim & ipse recenset Apostolos, sed ordine nonnihil vario: ponit enim Andream, qui hic est secundus, quarto loco; & ipsimet Andreæ præponit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem Iacobi. Matthæum etiam præponit Thomæ: hic è conuerso. Cætera conueniunt omnino hi duo Euangelistæ. Lucas similiter variat. Præponit & ipse Matthæum Thomæ. Et quoad Thaddæum, vocat eum Iudam Iacobi, (sic & Act. 1. Iudam Iacobi) ponitque vndecimo loco: à quo transfert Simonem Chananæum, quem dicit Zelotem, ad locum decimum, quem apud alios Euangelistas occupat Thaddæus. Transpositionis Matthæi siue postpositionis ad Thomam causam ferunt Matthæi humilitatem: ex qua etiam se nominat publicanum. Similiter notant Petrum vbique primum poni. Quod certe ipsius fauet primatui. Cur postrema sit etiam enumerandi Apostolos differentia, non quærunt. Chrysostomus solùm, qui hic fertur in Catena, considerans non præferri Ioannem ait; *vide autem, quia non secundùm dignitatem ordinat*. Nomina singulorum interpretantur. Sanè aiebat Hieronymus, ferturque Marci 3. in Catena, *scimus, hunc modum locutionis proprium esse scripturarum diuinarum, quòd hebræa nomina ad aliquod mysterium significationis sunt posita*. Opportuniùs, largiente Domino, percurremus ea in Syntagmate: vbi fortè prælationis vnius & alterius, differenter ab Euangelistis ordinatæ innotescet ratio.

VERS. V. *In viam Gentium ne abieritis.*

4. Quod inhibet Apostolis, ne prædicent Gentibus Euangelium P intelligitur ante passionem & resurrectionem. Sic ergo præcipit in prima Apostolorum Q missione; in secunda dicturus erat Matthæi 28. *docete omnes Gentes*. Sic etiam in horum prælibationem, R ad Christum natum primò peruenerunt Pastores, qui erant primitiæ Iudæorum; & postea venerunt Magi, qui fuerunt primitiæ Gentium. Ne tamen spes salutis Gentilibus præcluderetur, aliqui eorum particulariter sunt admissi, S propter excellentiam fidei & deuotionis eorum; vt patet de muliere Samaritana Ioan. 4. & de Chananæa Matthæi 15. Ibidem autem ait Dominus; *non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*; non quia & ad Gentes non missus, sed quòd primùm ad Israel missus sit, vt exponit Hieronymus. T Vnde & Isaiæ vltimo dicitur, *mittam ex eis, qui saluati fuerint*, (scilicet ex Iudæis ad Gentes) *& annunciabunt gloriam meam Gentibus*. Ratio dispensationis huius Dominicæ, potissima est, vt sic implerentur V promissiones antiquitùs factæ Iudæis, non autem Gentilibus: Ex quo veluti ex iustitia præponendi erant Iudæi; Gentiles autem admissi sunt ex misericordia: Rom. 15. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*, idest Apostolum, & Prædicatorem Iudæorum, *ad confirmandas premissiones Patrum: Gentes autem, super misericordia honorare Deum*: subaudi *debent*. Ita Haymo.

P 3. p. 38. 5. 3.
Q quodl. 12. 20. 1.
R 3. p. 36. 3. 1.
S 3. p. 42. 1. 3.
T l. c. in corp. art.
V Hic & 3. p. 9. 42. 2.

VERS. VII. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum Cœlorum.*

5. Maioris potestatis est X aliquid facere per alios, quàm per se ipsum. Et ideo in hoc maximè potestas diuina in Christo monstrata est, quòd discipulis suis tantam virtutem contulit in docendo, vt audientes conuerterentur ad ipsum. Supprimit autem Matthæus fuisse Apostolos diuinitùs edoctos: secus prædicare non essent idonei. Congruus quippe est ordo, A vt ipse discipulos suos immediatè doceret; qui postmodum alios verbo & scripto erudirent. Non defuerunt impugnatores Religiosorum, incusantes B eos de discursu: sed hoc pluribus Sacræ Scripturæ locis euincit Angelicus: & hic vox Domini, *euntes*, sicuti & infra c. 28. *euntes in Mundum vniuersum*, confirmat. Gregorius; hi qui amore Domini in prædicatione discurrunt, *rotæ eius ignis ardens sunt*; (Danielis 7. *rotæ eius ignis accensus*) quia, cum ex eius desiderio per varia loca discurrunt, est vnde ipsi ardent, & alios incendunt. Quid autem prædicare debeant, vna claudit sententia: *quia scilicet appropinquauit Regnum Cœlorum*. De hoc nonnihil dixi cap. 3. Operæ pretium est inde recolere C Regnum in Scripturis quatuor modis dici. Quandoque dicitur ipse Christus habitans in nobis per gratiam; Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*: quia per inhabitantem gratiam, inchoatur nobis via cœlestis Regni. Quandoque Sacra Scriptura, dicta Regnum, quia lex eius ducit ad vitam. Tertiò præsens Ecclesia militans, dicta Regnum Cœlorum, quia ad modum Regni cœlestis est instituta. Quartò Regnum Cœlorum, cœlestis curia. Alibi astruit D Beatitudinem ipsam seu vitam æternam, Regnum Dei. Et sic antonomasticè Regnum Dei dupliciter dicitur; quandoque congregatio eorum, qui per fidem ambulant,

X 3. p. 42. 1. 2.
A 3. p. 42. 4.
B Opusc. 19. 10.
C D. Th. Matth. 3.
D 4. Sent. 49. q. 1. a. 2. 5. Col. 1. l. 3.

bulant, subiecti diuinæ Prouidentiæ, cuius est regere, (ecce Regnum) & in finem ordinare. Et sic Ecclesia militans Regnum Dei dicitur. Quandoque autem illorum Collegium, qui iam in fine stabiliti sunt; & sic Ecclesia triumphans Regnum Dei dicitur. De hoc regno reor ipse, futuram prædicationem: hoc enim *appropinquauit*. In quo mysterium passionis & mortis indicitur prædicandum, quia Hebræor. 10. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet Cœlestium, *in sanguine Christi*:

E 3. p. 49. 5. E Per passionem quippe Christi aperta est nobis ianua Regni cœlestis. Nota quòd nunquam F in

F Matth. 3. Scriptura veteris Testamenti inuenitur promissum Regnum Cœlorum: nec fiebat mentio nisi de Regno Iebusæorum. Æterna bona non promittebantur in veteri lege, G nisi sub quibusdam figuris;

G 3. sent. 40. q. 1. a. 1. Hebræor. 10. *umbram habens lex futurorum Bonorum*; non enim poterant exhiberi, nondum pretio soluto. Vnde dilatio promissorum apud infirmos inefficacem fecisset promissionem. Vide quomodo huic infirmitati medetur, dum ait; *prædicate, quia appropinquauit Regnum cœlorum*: ac si diceret; non vltra differenda est possessio: Matthæi 25. *possidete Regnum*; Apocalyps. 3. *qui vicerit, dabo illi sedere in Throno*; Lucæ 22. *dispono vobis Re-*

H Prologo in canonicas. *gnum*. Non dicit H partem Regni sed Regnum. Et per Regnum intelligitur exaltatio hominis I vs-

I p. 2. 4. 7. 1. que ad coniunctionem cum Deo: 1. ad Timoth. 6. & Apoc. 19. legimus; *qui est Rex Regum, & Dominus dominantium*.

VERS. VIII. *Infirmos curate, mortuos suscitate*, &c.

6. Possent dicere Apostoli, quomodo L confirma-

L D.Th. hic. bimus, quæ dicemus? Certè miraculis, sicut ipse fecit. Sic Hieronymus, ad capit. 8. vbi mundatur leprosus, inquit, *post prædicationem atque doctrinam; signi offertur occasio; vt per virtutum miracula, præteritus apud audientes sermo firmetur*.

M 3. p. 43. 1. Conceditur homini M miracula facere propter duo: primò quidem & principaliter ad confirmandam veritatem, quam aliquis docet. Quia enim ea quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet, quòd probentur per argumentum diuinæ virtutis, vt dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur esse à Deo. Secundo ad ostendendam præsentiam Dei in homine, per gratiam Spiritus-Sancti; vt dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam: vnde dicitur Galat. 3. *qui tribuit nobis Spiritum Sanctum, operatur virtutes in nobis*. Hunc habes Marci 16. *illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Sustine, Deo dante, quænam sint vera miracula, & an fidem patiantur, vel eam infirment: infra capit. 24. & Marci vltimo. Verum ne credas patranda fuisse ab Apostolis miracula, ad confirmandam doctrinæ veritatem, & notificandum dumtaxat, quid fieri debeat. Hac via

N Rom. 8. 1. 1. incedit N lex humana: quæ datur, vt per eam homines inducantur ad bonum: vnde & Philosophus in 2. Ethicorum dicit, quòd intentio legislatoris est ciues facere bonos. Spiritus-Sanctus mentem inhabitans, non solum docet quid oporteat fieri, intellectum illuminando de agendis, sed etiam affectum inclinat ad rectè agendum. Hoc vt vides affecuti erant Apostoli 2. Corinth. 5. *charitas Christi vrget nos*. Ideo beneficia monet impendant proximis. Sed in ipsis etiam proximis idipsum intendendum esse constituit, dum ait *Dæmones eijcite*. Dæmon

O p. p. 114. 2. 1. & 1. enim è contra, sicut primum hominem O instigauit ad peccandum, ita & nunc instigat. Ad hæc facit, quod scribit Diuus Vincentius in Sermone Sabbati Sancti. *Christus Dominus increpauit magnos Philosophos, Platonem Aristotelem & alios; de quibus dicit expressè Hieronymus, quòd sunt damnati. O stulti! ostendebatis, & legebatis, & disputabatis, de vno primo Principio, & primo Motore, & prima Causa, in Scholis vestris; & in Templo adorabatis Idola: habebatis magnam scientiam, & malam conscientiam*. Ad legem Euangelij duo pertinent; vnum quidem principaliter, P P p. 2. 106. 2.
ipsa gratia Spiritus-Sancti; aliud secundariò, scilicet documenta fidei, & præcepta ordinantia affectum humanum, & humanos actus. Fas est hæc inspici in his quæ sequuntur, tanquam in Apostolicis exemplaribus nobis exhibita. Reor autem quatuor hæc mysticè iniungi; *infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones eijcite*; quia quatuor sunt vulnera naturæ Q ex peccato conse- Q p. 2. 85. 3.
quentia, *infirmitas* scilicet, *ignorantia*, *malitia*, *& concupiscentia*, curanda. Et quidem infirmitas claret certa expressione apud Matthæum, vt in Beda. *Mortuos suscitate*, ad concupiscentiam refer: nam Iacobus capit. 1. ait, *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem*. *Leprosos mundate*, ad ignorantiam reduc; siquidem ex Augustino, *lepra est falsa doctrina*. *Dæmones eijcite*, sonat quartum vulnus malitiæ ab ipsis curandum: eoquòd per Dæmoniacos supra c. 8. R intelliguntur instar Dia- R D.T hic c. 8.
boli, ex malitia peccantes.

Quod sequitur *gratis accepistis, gratis date*; reuocat ad memoriam, quæ eruditissimè percurruntur à Diuo Thoma Commentarijs, vt opinor, pri- 7.
mis in Apocalypsin, quæque nedum hac in pagella, sed in valuis Ecclesiarum omnium, & magis corde forent imprimenda. Septem inquit S inue- S Apoc. 14. ibi, fine macula.
niuntur in Scriptura, qui Ecclesiast. 31. *post aurum non abierunt*, sed potiùs *manus suas ab omni munere excusserunt*; Isaiæ 33. & per omnes illos significantur Ecclesiasticæ Personæ; quæ tenentur similiter facere. Primus est Abraham Genesis 14. Qui Regi dicenti sibi, *da mihi animas, cætera tolle tibi*; respondit; *leuo manus meas ad Deum*, &c. *quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*. Per Abraham, qui hostes occidit, & prædam reduxit, intelliguntur viri Ecclesiastici, qui pro iustitia facta, vel etiam facienda, non debent accipere munera, parua, vel magna, occulta, vel aperta; quod notatur in filo subtegminis, & in corrigia caligæ. Secundus fuit Moyses, qui ait ad Dominum Numeri 16. *ne respicias sacrificia eorum; Tu scis, quòd ne Asellum quidem vnquam acceperim ab eis*. Per Moysen, qui Leuitas instituit, & ordinauit, significantur Episcopi, quorum est conferre Ordines & Beneficia. Vnde per hoc notatur, quòd Episcopi pro collatione Beneficiorum & Ordinum, nullum debent munus accipere. Tertius fuit Samuel 1. Reg. 12. qui ait, *loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius; Vitum Bouem cuiusquam tulerim aut Asinum*; &c. *si de manu cuiusquam munus accepi*. Per hunc intelliguntur omnes orantes pro alijs, quia de ipso legitur quòd pro alijs orabat: Ibi, *absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis*. Et significatur, quòd Sacerdotes pro Missis & Sepulturis, aut Psalterijs nullum munus debent accipere. Neque illi qui orant pro Beneficijs vel Ordinibus, huic aut illi obtinendis. Quartus fuit Eliseus 4. Regum 5. qui dixit Naaman, *vade & lauare septies in Iordane*: & post factam lotionem vel mundationem nil voluit accipere, licèt ille multa offerret. Septena lotio signi-

ficat septem Sacramentorum dispensationem, per quæ fit emundatio animarum. Per hoc ergo notatur, quòd aliqua debent offerri, licet postea non acceperit. Quintus est Daniel, cui cum dixisset Baltassar, *si valueris scripturam legere, & interpretationem dicere, vestieris, & torquem auream circa collum habebis, & eris tertius in Regno meo*; respondit, *munera tua tibi sint; & dona domus tuæ alteri da*; &c. Danielis 5. Per hoc notatur quòd Doctores & Expositores Sacræ Scripturæ, pro expositione tua nullum debent accipere munus. Item legitur de Paulo Act. 20. *aurum & argentum*, inquit, *aut nullius vestem concupiui*. Vnde manifestum est, quòd nullum temporale accipi debet pro prædicatione, licèt Prædicatori debeatur victus necessarius. Matthæi 10. *dignus est enim operarius cibo suo*. Sextus fuit Beatus Petrus, Actor. 8. cui cum dixisset Simon Magus; *date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum-Sanctum*; respondit Petrus; *pecunia tua tecum sit in perditionem*. Per hoc ostenditur, quòd opera miraculorum, aut impositio manuum, aut gratia dispensationum, non debent pro pretio fieri. In quo etiam facto arguuntur venditores, & emptores reliquiarum. Septimus fuit Naboth 3. Reg. 21. cui cum dixisset Achab; *da mihi vineam tuam, & faciam mihi hortum olerum; daboque tibi vineam meliorem pro ea, aut pecuniam accipe*; respondit; *propitius sit mihi Deus; ne dem tibi hæreditatem Patrum meorum*. Per hoc ostenditur, quòd primitiæ decimæ & huiusmodi, non sunt pro temporalibus commutanda. In quo etiam damnatur commutatio Ecclesiarum & Beneficiorum, quæ fiunt temporalis lucri intuitu. Adde potissimam horum rationem, quia venditio repugnat T spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proueniunt; *gratis accepistis, gratis date*. In ea Quæstione profundè rem istam versat. Gratia gratis data, talis dicitur V quia supra facultatem naturæ, & supra meritum personæ homini conceditur. Hinc autem patet supra cum *dedit eis potestatem spirituum immundorum*, &c. potius trahi debere ad sensum moralem, vt dixi; quia si ibi de gratijs tantum datis sermo esset, non diceretur eis dari facultas, quæ sonat habitum; cum Prophetiæ donum X (sic de alijs gratijs gratis datis) habitus non sit. Hic autem, non dicit, *gratis potestatem* accepistis, sed duntaxat *gratis accepistis*. Quare magis ac principaliùs ad gratias gratis datas referendum est. Cum quo stat, vt subsit altior sensus, vt exposui, de vulneribus quatuor post peccatum.

T 2. 2. 100. 1.

V p. 2. 111. 1.

X 2. 2. 171. 2. & Hebr. 1. l. 1.

VERS. IX. *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. non peram in via.*

8. Discursum Prædicatorum huc illuc calumniabantur Religionem impugnantes, vt supra dictum est. Vnde A & Dionysius narrat in Epistola ad Apollophanem: *ipse Gentilis existens Paulum irridebat, vocans Mundi circuitorem*. Vituperant Scripturæ, qui ex concupiscentia terrenorum, ad lucra quærenda discurrunt; de quibus Iudas in sua Canonica; *hi sunt in epulis suis malè conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*. In quo tangitur, inquit, concupiscentia impellens ad motum. Tu exime à calumnia Paulum, qui 2. Corinth. 12. ait, *non enim quæro quæ vestra sunt sed vos*. Et 4. Philipp. *non quia quæro datum, sed fructum*, & 1. Thessal. 2. *neque enim aliquando fuimus in occasione auaritiæ*. Dominus ergo opportunè postquam commisit vt irent, *euntes prædicate*, &c. adiecit de auaritiæ inhibitione; vt nec affectu auro & argento inhiarent, *nolite possidere aurum*, &c. Sic intendebat eos paulatim B exercere, vt temporalium sollicitudinem abdicarent, per quod redderentur idonei ad hoc, quòd Euangelium per vniuersum Orbem, Doctores Orbis effecti prædicarent. Secundum Philosophum in primo Politicorum, panis vinum & alia huiusmodi diuitiæ sunt naturales, pecuniæ autem diuitiæ artificiales. Vides vtrasque excludi. Pera viatoria est, qua panem & aliquid obsonij gestare solent viatores. Ex Diuo Hieronymo, C hìc arguuntur Philosophi, qui vulgò appellabantur *Bactroplanetæ*, (hoc est *baculo errones*) quasi contemptores Sæculi, qui omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehebant. Ad hæc Eusebius Cæsariensis; D *prohibebat eis auri & argenti, & æris possessionem, præcognitione futurorum: contemplabatur enim, quòd qui sanandi erant per eos, & ab incurabilibus passionibus liberandi, vellent eis cedere in omnibus bonis suis*. Et post aliqua subdit; *putabat oportere conductor artha Regni Dei, terrena despicere, vt nec aurum, nec argentum, nec possessiones, nec quicquam eorum, quæ mortales appretiantur, condignum existiment datis sibi cœlestibus opibus*. Hieronymus etiam super Matthæum; *qui diuitias detruncauerat*, scilicet in verbis præmissis, *propemodum etiam vitæ necessaria amputat, vt Apostoli, qui Doctores veræ Religionis instituebantur, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino & omnia diuina prouidentia gubernari*. Chrysostomus ibidem; *Sic Dominus in primis, discipulos facit non esse subiectos; secundò ab omni eos liberat sollicitudine, vt vacationem omnem tribuant verbo Dei; tertiò docet eos suam virtutem*. Nectè illud Lucæ 22. *quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt; nihil*. Ambrosius, super Lucam; *qualis ergo esse debeat, qui euangelizat Regnum Dei, præceptis euangelicis designatur: hoc est, vt subsidij sæcularis adminicula non requirat, fideique totus inhærens putet, quo minus ista requirat, magis posse suppetere*. Glossa super illud Ioann. 4. *reliquit hydriam*, ait cum Augustino; *hinc discant euangelizaturi priùs deponere curam & onus sæculi*.

A opusc. 19. 10.

B p. 2. 108. 2. 3. & opusc. 17. 7.

C 2. 2. 188. 7. 5.

D opusc. 17. 15.

9. Verum non satis enucleatus est Sacer textus, nisi Augustinum adeamus, qui in libr. de Consensu Euangelistarum vt refert Angelicus, E perpendens hæc Domini verba; *nolite possidere aurum* &c. directa esse ad Apostolos, quos ad prædicandum mittebat, censet, non sonare neque habere vim præcepti, sed permissionis vel concessionis, vt absque auro & argento & alijs sumptibus ad prædicandum irent, ac si dixisset permitto vt non portetis, accepturi sumptus vitæ ab ijs quibus prædicabitis. Vndè ad hoc innuendum subdit, *dignus est enim operarius cibo suo*. Nihilominus, quia prudentia, communibusque normis eius vtamur oportet. Dictat autem prudentia, circumstantias passim attendi, ne pingui quadam minerua, quæ nobis edicuntur audiamus: quam permissionem eis indulget, vt nihil, (quod aliàs licet) possideant, expediens fuit quandoque sic moderarentur, vt necessaria vitæ secum deferent; ne in casu exponentes seipsos periculo, viderentur tentare Deum. Quod quidem infra cap. 15. amantissimè præcauet turbis dicens, *dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via*. Ideo & Luc. 22. postquam præsentia recoluit, adiecit; sed nunc qui habet sacculum tollat; similiter & peram. Igitur potestatem habebant præsertim in casu, (iure quodam naturæ, immo iure exinceps diuino, quo potirentur) necessaria vitæ

E p. 2. 108. 2. 2. 185. 6. 2. opusc. 18. 18. quodlib. 1. 10. de Virtutib. q. 2. a. 11. 7.

F ex D. Th. hic. & de virtutibus, supra. tæ ab ipsis accipiendi. Alibi F addit, nec fuisse consilium. Immo è contra consilium (tacitè intellige dari) potius est, (intellige honesto aliquo fine) deferre secum necessaria, & hac permissione non vti. Certum est, qui permissione vti non vult, vt ab alijs accipiat vnde viuat, sed sua defert ad viuendum, contra Dominum minimè facere; G aliud est enim permissione non vti, aliud est agere contra aliquod præceptum. Non peccat ergo, sed supererogationis facit opus, H qui sua portat; sicut Paulus fecit. Vnde 1. Corinth. 9. de se ipso dicit; *nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt; & qui Altari deseruiunt, cum Altari participant? ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*. Ipse Paulus sumptus ad viuendum vel ab alijs Ecclesijs accipiebat, vt 2. Corinth. 11. vel manibus operabatur. Actor. 20. Lege contextus 1. Corinth. 4. v. 12. 1. Thess. 2. v. 9. & 2. Thess. 3. v. 8. *in fatigatione nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus*.

G opusc. 18. 18.

H locis supra citatis.

10. Quoniam autem, vt inducit Angelicus, posset alicui videri, ex hoc quòd ait Dominus Apostolis; *nolite possidere aurum* &c. Episcopos, qui ex glossa Lucæ 10. tenent locum Apostolorum, non posse aliquid proprium habere: Occurrendum est, negando I hoc eis illicere. Neque enim, si contra præceptum Domini esset, proprium quid possedissent Athanasius Hilarius Ambrosius Augustinus, alijque, de quorum Sanctitate dubitari non potest. Stultum quippe est dicere, tot Sanctos Pontifices præcepta Domini fuisse transgressos. Certè vt Augustinus dicit in lib. contra mendacium: *non oportet tantùm præcepta Dei retinere, sed etiam vitam moresque iustorum*. Itaque plura in verbis intelligere non valentes, ex factis Sanctorum colligimus, quemadmodum oporteat ea accipi. Et huius ratio est, quia idem Spiritus-Sanctus, qui loquitur in Scripturis, mouet Sanctos ad operandum, secundum illud Roman. 8. *quicumque spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*. Et ideo non est credendum, id quod à Sanctis viris communiter agitur, contra diuinum præceptum esse. Dic ergo cupiditatem, quæ *omnium malorum radix est*. 1. Timoth. 6. cohiberi: affectum enim potiùs intendit purificare: 1. Corinth. 7. *qui emunt tanquam non possidentes*. Non itaque arguit possidentes; sed cupientes possidere: *nolite*.

I opusc. 18. 18. & 22. 185. 6. 2.

11. Elucescet hoc magis, si iuxta aliorum Patrum sententiam verba Domini intelligantur. Dato enim, præceptiua esse, vt legitur Marci 6. *& præcepit eis*, & non esse solummodo magistralia, non arctasse inquiunt simpliciter ad obseruantiam; sed vim habuisse temporalis cuiusdam Statuti pro illo tempore, quo prima missione ad prædicandum Iudæis L mittebantur. In secunda missione, nimirum post resurrectionem, misit eos ad Gentes; Matthæi 28. *docete omnes Gentes*. Ante passionem misit eos Iudæis; apud quos consuetudo erat, vt Magistri eorum ab ipsis sustentarentur, viuerentque Doctores de stipendijs eorum, quos docebant. Ideo sine scandalo poterant accipere, & vti potestate concessa. Apud Gentiles non erat id consuetum, quia apud eos, non erant huiusmodi Prædicatores; & ideo fuisset eis scandalum, & visum fuisset eis, quòd pro quæstu Apostoli prædicarent. Et ideo Dominus in secunda missione dicit (Lucæ 22.) *nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Dominus nihilominus vt patet Ioannis 13. loculos apud Iudam habebat ad pauperibus ministrandum, vt ait Chrysostomus M *vt hinc discas, quantumcumque pauperem & Mundo crucifixum oportere de pauperibus curam habere*. Vel hic loquitur, ne *aurum* &c., possideat Prædicator sibi: toti Collegio licet & pro se ipsis & pro egenis habere.

L locis citatis sup. ad literam e.

M Ioan. 13. l. 5.

12. Superest nonnihil singillatim dicamus de duabus vetitis Tunicis seu vestimentis: sed claret solicitudinem & diffidentiam de æterno Prouisore, vniuersa quadam rerum conglobatione, caueri. Pauperum etiam curam mandari, iuxta quod aiebat Baptista Lucæ 3. *qui habet duas Tunicas, det non habenti*. Quod sequitur, *neque calceamenta*, difficultatem præsefert, coquòd Marcus capit. 6. v. 9. misisse duodecim, inquit, *calceatos sandalijs*. Non est tamen idcirco discordia vlla, quia sandalia non vestiunt totum pedem, sed solummodo muniunt plantas. Habent sandalia N subtus soleas, apertaque sunt superiùs. Pauperes in partibus Orientis vadunt O discalceati hoc modo: 1. Corinth. 1. *non multi potentes, non multi nobiles*: infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia, *& ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus*, &c. Per soleas subtus significatur P eleuatio mentis à terrenis: sunt aperta sandalia superius ad signandam promptitudinem recipiendæ diuinæ Sapientiæ. Ibi Apostolus; *calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*: idest dispositi affectibus: dum enim temporalibus nimis intendimus, non habemus pedes paratos ad diuina negotia, & mysteria annuncianda. Recole illud Augustini; *non mouetur anima pedibus, sed affectibus*. Et psalm. 118. *gressus meos dirige secundum eloquium tuum*. Neque enim terrenos gressus directioni Dei committit. Sic de non habendis, immo non induendis duabus Tunicis, quod inquit Marcus, intelligit Augustinus mysticè, *vt non dupliciter sed simpliciter* (ita hic in Catena) *ambularent*. Et fortè ad eum sensum, quo Paulus 2. Corinth. 11. *timeo, ne excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu*, vt cum Q Euangelio seruarentur legalia. Adde ibi Prouerb. 11. *simplicitas iustorum diriget eos*.

N Ephes. 6. l. 4.

O D. Th. hic.

P Ephes. 6. l. 4.

Q 2 Cor. 11. l. 1.

13. Maior est difficultas, in eo quod ex Matthæo habemus, *neque virgam*: quod & in fronte habet Lucas capit. 9. v. 3. *neque virgam, neque peram*, &c. Quibus contrariari palam videtur Marcus; *præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*. Ad literæ prout verba sonant concordiam, cùm vtrobique ad duodecim sit directus sermo, (Lucæ 10. vbi Septuaginta duos discipulos alloquitur, nihil de virga) videtur mihi dicendum, fas esse opinari, audita ab Apostolis, tam vniuersa temporalium abalienatione, quemquam illorum (sic ad nostram instructionem Diuina disponente Sapientia) veluti instantiam fecisse; quasi timendum eis esset, de hominum socordia ad viris Apostolicis ministrandum. Et quidem profundo *virgæ* intellectu. Fortè ergo subiunctum fuit Domino. Tu fidendum nobis mones, de hominum etiam pietate ac beneficentia: quia *dignus est operarius cibo suo*: idcirco *neque virgam* dixisti, hoc est, nec de minimo simus anxij terreno adminiculo; (sic exponit Augustinus) si deficiant homines, qui succurrant, quid erit nobis? Sic infra cap. 19. Petrus; ecce reliquimus omnia &c. *quid ergo erit nobis*? Verisimile est, quid simile reuerenter obiecisse; eoquòd Lucæ 22. adiecit eis Dominus; *quando misi vos sine pera & sine sacculo, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt; nihil*. Insinuatur præfuisse trepidationem scrupulumque, quasi nuditate tanta iter aggressi viderentur tentare Deum. Ad hæc Dominus, humanas necessaria obtinendi vias admittens, *virgam* secum habeant concedit, seu potius vti posse *virga*, vbi necessitas vrgeat, declarat. *Neque virgam* ergo apud Matthæum & Lu-

eam, nec de minimo habeatis solicitudinem: *nisi virgam tantùm*, secundùm Marcum: hoc est, sufficiat exigendi potestas: Augustinus hic in Catena: *ostendit à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus: & hanc potestatem, virgæ nomine significauit*. Sit ergo satis ad excitandam fiduciam viris Apostolicis, ius habere. Hebraicè baculus seu sustentaculum dicitur *Matteh*: sceptrum quod virga item dicitur & baculus, ostenditque auctoritatem, hebraicè dicitur *scèbet*. Fortè Dominus diffidentiam remouens apud Matthæum & Lucam negat virgam primo vocabulo; sed in casu apud Marcum *scebet* concedit, hoc est potestatem necessaria exigendi. Quod si & in Matthæo ac in Luca, virgam pro potestate accipiamus, erit consilium aut monitum, vt quam habent apud Marcum, non habeant apud alios, virgam, hoc est quam habent potestate non passim vtantur, & iuxta Scholasticas voces, habeant *in actu primo*, non *in actu secundo*, & facili vsu: expedit enim aliquando eâ non vti; sicut dicit Apostolus 1. Thess. 2. *cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli: nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus*. Et planè indultum eis esse solummodo in casu, vti hac potestate, vel ex verbis Domini claret, dum ait, *nisi virgam tantùm*: insinuatur enim casus & tempus, quo viderentur omnia permitti, *aurum argentum tunicæ*, si à fidelibus non prouideretur: & ideo ne ob indigentiam contingat relaxatio, limitat, *nisi virgam tantùm* priori qui supra sensu, quasi dicat ad summum, nonnisi minutula quædam vobiscum feratis; iuxta illud 1. ad Timotheum 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Vel si velis aliter interpretari, dic, in expeditione sufficiat potestas seu ius, nec minimum præhabeatis, neque virgam; in progressu apostolici muneris, cum premit necessitas, virgam habete, aliqualis adsit prouisio, modestè iure vestro vtamini: hoc est, *nisi virgam tantùm*. Sic prouida dispensatione, ne quæstores videantur, neue deficiant in via Euangelici cursus, & virgam vetat, & virgam tollere sinit. Quam deinde cum sacculo & pera Lucæ 22. tacitè permittit, dicens, *sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*: sub tempus scilicet R imminentis persecutionis. Quocirca Beda; *non eadem viuendi regula persecutionis tempore, qua pacis, discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcepit, ordinans scilicet, vt, qui Euangelium nunciant, de Euangelio viuant. Mortis verò instante periculo, & tota simul Gente Pastorem pariter gregemque persequente, congruam temporis regulam decernit, permittens, vt tollant vitæ necessaria, donec sopita insania persecutorum, tempus euangelizandi redeat*. Ipse Sanctus Thomas sentit huiusmodi statuta, imminente passione, S remouisse Dominum, tanquam discipulis per ea sufficienter exercitatis: iam enim imminebat tempus perfectæ libertatis, vt totaliter suo dimitterentur arbitrio, in ijs, quæ secundùm se non pertinent ad necessitatem virtutis. Nihilominus in Opusculo præfato hanc libertatem puta habendi *sacculum & peram* totaliter non esse concessam Apostolis censet, sed pro eo tempore duntaxat imminentis persecutionis. Sed ea, vt reor perfunctoria præceptorum priorum relaxatione quoad Apostolorum Personas, indicabatur Asseclis eorum futura libertas, in his, quæ secundùm se, vt dixit, non pertinent ad necessitatem virtutis: redeuntibus, transacto eo tempore, Apostolis, vbi sine scandalo fieri posset, ad personalem de qua eos Dominus instituerat, inopiam. Quod patet in Actis Apostolorum, vt ibi pergit ostendere Diuus Thomas. Quare autem Marci fuerit, de [illegible] differenter ab alijs annunciare, patefiet in Syntaxi.

R opusc. 17. c. 15.

S p. 2. 108. a. 3.

VERS. XI. *In quancumque autem Ciuitatem vel Castellum intraueritis, &c.*

14. Glossa; *testimonio vicinorum* T *eligendus est hospes, ne eius infamia prædicatio [illegible]*: & alia glossa; *ille est dignus, qui magis scit se accipere gratiam, quàm dare*. Ad infames enim personas (ibi Diuus Thomas) Prædicatores declinare non debent, ita quòd eorum infamia in Prædicatores retorqueri possit: sic enim prædicatio venit in contemptum; quia sicut dicit Gregorius, *cuius vita despicitur, consequens est, vt eius prædicatio contemnatur*. Quamuis si ad peccatores declinent, qui eorum consortio meliores reddantur, & ipsi exinde non infamentur, laudabile est, quia hoc Dominus legitur fecisse Matthæi 9. Quod si illi ad quos declinant, hoc sibi pro gratia non imputant, eorum culpa est, non illorum, qui ad eos declinant. Prior glossa est Hieronymi, secunda Hilarij; vt in Catena. Dum autem nedum Ciuitatem sed & Castellum nominat, quod & ipse Dominus in exemplum fecit, *per Ciuitates & Castella prædicans & Euangelizans Regnum Dei*; Lucæ 8. iuuat audire Angelicum dicentem V prauis & magnis, paucis & multis prædicandum est; contra eos qui non nisi in locis famosis prædicare dignantur; cum tamen Dominus vni mulierculæ Ioann. 4. doctrinam dederit. Iob 37. *nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quòcumque eas voluntas gubernantis duxerit*. *Nubes* X idest Prædicatores. Hinc & Lucæ 9. *egressi autem circuibant per Castella, euangelizantes, & curantes vbique*. In ea Ciuitate vel Castello, iniungit Dominus Apostolis, *interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis*. Dicens autem *interrogate, quis dignus sit*; intelligendum est, quæsita seu oblata prudenter opportunitate sciendi, non verò curiosa morum indagine, quæ offensionem parere posset. Alioquin, vt de corripiendis ait Angelicus A, efficeremur exploratores vitæ aliorum, contra id quod dicitur Prouerb. 24. *ne quæras impietatem in domo iusti, & non vastes requiem eius*. Ex decantata ergo communiterque nota Personæ dignitate, seu æstimatione seu famæ celebritate, intendit Dominus hospitium requirendum. Taciteque innuit, non exiguum esse honorem, quo non sit vnusquisque dignus, apostolicis viris contubernium præstare. Et quia honor testimonium quoddam est de virtute eius qui honoratur B; ideoque sola virtus est debita causa honoris; ne peccent Apostoli, (sic ipse rem hanc expendo) in acceptione Personarum cautos reddit. Hoc peccato peccat ex glossa Iacobi 2. *quicumque diuitem propter diuitias honorat*. Diuites quidem honorandi sunt, propter hoc quòd maiorem locum in communitatibus obtinent, si autem solùm intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis Personarum. *Quis in ea dignus sit*. Intellige simpliciter, non hoc vel illo genere. Quod pertinet ad conditionem personæ: sicut *bonus* simpliciter virtutem inuoluit: non ita bonus cum addito, vt si dicatur, bonus pictor aut musicus. *Quis in ea dignus sit*. Non dicit, quis in ea ditior sit, aut etiam munificentior. Tangit Angelicus, Vtrum Prædicatores quæstuarij peccent mortaliter; C & respondet; si propter quæstum principaliter faciunt, peccant, sed si propter fructum spiritualem inde prouenientem, benè faciunt. Augustinus alibi relatus; D *Pastor, qui propter veritatem annunciat, est amandus; mercenarius, qui propter lucrum, est tolerandus; qui falsus, repellendus*.

T opusc. 19. c. 5. arg. 11.

V Apoc. 8. comm. 2. ibi *per medium Cæli*.

X Rom. 1. l. 5.

A 2. 2. 33. 2. 4.

B 2. 2. 63. 3.

C 1. Cor. 9. l. 5.

D Philip. 1. l. 3.

Synta-

Syntaxis fortè attinget, qua de causa Matthæus ipse præ alijs, hic ferat illud, *interrogate quis in ea dignus sit*. Iniungit autem *& ibi manete donec inde exeatis*, vt quacumque sint contenti hospitalitatis gratia: & ne oblocutionis, querelæ aut scandali obo-riatur occasio. Ecclesiast. 29. *vita nequam hospitandi de domo in domum*. Sic gratis à Deo acceptam concupiscentiæ, quæ vna est ex plagis de quibus supra, medelam, impendent proximis, veraci temporalium contemptu, *forma gregis effecti*, implentes quod dictum est *mortuos suscitate*; nam vt aiebat Augustinus, *venenum*, vtique necans, *charitatis est cupiditas*.

VERS. XII. *Intrantes autem Domum, salutate eam dicentes; pax huic Domui*.

15. In primis reor Dominum de pacis salutatione præcipere; vt Apostolos eos esse dignosceremus; de quibus Roman. 10. *quàm speciosi pedes euangelizantium pacem!* de quibus Isaias quoque capit. 52. *quàm pulchri supra montes pedes prædicantis, & annunciantis pacem!* In omnium Epistolarum exordio hanc intonat Paulus; *gratia vobis & pax*. Quocirca Angelicus; E hæc sæpè inquit coniungit, quia omnium spiritualium donorum, principium est gratia, & pax finis. Ad hebræos, non item pacem primo in limine annunciat, sed ad calcem Epistolæ; quod sæpè & in alijs habet; *Deus autem pacis*, &c. quia F proprius effectus Dei est facere pacem; non enim *est Deus dissensionis* 1. Corinth. 14. Pax nihil aliud est, quàm vnitas affectuum; quos vnire est proprium solius Dei, quia per charitatem, quæ à solo Deo est, vniuntur corda; Deus enim nouit colligere & vnire, quia Deus est charitas, quæ est *vinculum perfectionis*: vnde *ipse habitare facit vnanimes in Domo*; vt dicitur in Psalm. 67. secundùm aliam literam, vt adnotat D. Thomas Rom. 15. l. 1. etsi nos legamus, *qui habitare facit vnius moris in Domo*. Vide ex his quàm bellè ait, *salutate Domum*: non certè parietes, vel tectum, sed metonymicè habitantes in Domo. Quod quare sic figuratè, aperiet Syntagma. Subdit Diuus Thomas; homo inter se & Deum, pacem fecit per mysterium Christi. Deinde Apostolum lege ad Ephes. cap. 2. & aliam reperies per Christum pacem; *veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem ijs, qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem*. Loquitur de Iudæis & Gentibus. Vltima denique est pax, de qua Isaiæ 32. *sedebit populus meus in pulchritudine pacis*: & cap. 66. *ecce ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis*: nempe in gloria. Vide quàm læta sint nuncia; *pax huic Domui*. Rom. 10. *quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem!* & cap. 12. *si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*.

E Thie. 2. l. 1.

F Hebr. 13. l. 3.

VERS. XIII. *Et si quidem fuerit Domus illa digna, veniet pax super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos*.

16. *Pacem habeamus ad Deum*; Roman. 5. Pacem de qua supra dictum est, mereri non possumus, præter finalem in gloria; de qua psal. 147. *qui posuit fines tuos pacem*. Quare cum omnis inuocetur pax etiam charitatis & fidei, quæ dignitatis excludunt meritum, quia ex gratia; necesse est, ly *si fuerit Domus illa digna*, intelligi quoad hæc, *negatiuè*, hoc est, si non fuerit indigna, si non posuerit obicem, si non restiterit. Iob 9. *quis restitit ei, & pacem habuit?* Stephanus Actorum 7. improperans Iudæis, quòd Spiritui-Sancto restitissent; *vos semper Spiritui-Sancto resistitis*, præmittit *dura ceruice*, &c. Igitur dum ait, *si fuerit Domus illa digna*, scilicet *pacis*; sensus est, si non fuerit dura ceruice, ad resistendum: quod est iuxta Iob, pacis non esse dignam; *Acquiesce*, Iob cap. 22. *igitur ei, & habeto pacem*. Subdit in casu, *pax vestra reuertetur ad vos*. Augustinus in psalm. 103. *custodiunt pacem in cæteris quantùm possunt. Vbi in alijs deficiat, in se tenent*. Quia per vos non steterit, quin illi adprecati fueritis pacem, non fraudabimini pacis eiusdem fructu, apud Deum promeriti. Hac de re diuersimode loquitur Septuaginta duobus discipulis apud Lucam cap. 10. dicens, si *ibi fuerit filius pacis*, &c. Mentionem *domus*, non item *filij* exigebat Matthæi scopus.

VERS. XIV. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de Domo vel Ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*.

Ecce in quo iam liquet fuisse Domum non dignam, non audiendo nimirum sermones Apostolorum; quod est esse, vt aiebat idem Beatus Stephanus, *incircumcisis cordibus & auribus*, vtique ad resistentiam; qua stante, *quis pacem habuit?* Claret etiam non semper re ipsa esse dignos, qui digni habentur à populo: quandoquidem, etiam post requisitionem, quisnam esset in Ciuitate dignus, adhuc est dubium, an sit digna Domus, & an qui recepit, *audiat sermones*. Hæc ad Prælatorum solamen, seu potius ad tolerantiam, si fuerint aliquando delusi. Recedendum ergo esse, ait Dominus, vbi contingat nec recipi, nec audiri. Ecclesiast. 32. *vbi auditus non est, non effundas sermonem*. Cohæret illud 2. Ioann. 1. *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue dixeritis ei*. Videtur hic præmoneri quod executioni mandarunt Paulus & Barnabas Actor. 13. *constanter* dicendo Iudæis; *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*. Sic autem repellebant, quia *contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes*. Sic Actorum vltimo Paulus; *notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei; & ipsi audient*. Præsumendum facilè venit, huiusmodi repulsam, de qua sacro hoc in textu, comites habere anathemata atque blasphemias, vtique in Spiritum-Sanctum, vt ex consequentibus patet: perducitur enim præsens Domini eloquium, vt in Beelzebub retorqueant apostolica facta & dicta, vt videre est v. 25. Si *Patrem-familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis Domesticos eius?* Vt quid morari diu Medicum vbi morbus omnino sit incurabilis? Ille morbus (ita Diuus Thomas G) incurabilis dicitur secundùm naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus posset curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicinæ. Legimus infra cap. 12. *spiritus blasphemiæ, non remittetur*. Secundum præsentem iustitiam infideles noscuntur, qui auditum non habent, *neque audiunt sermones vestros*: Paulus Roman. 10. *fides ex auditu*. Si aliquis sit H in societate fidelium, & ipse iniustè contradicat; non debet homo hoc iudicio diuino reseruare, sed ad iudicium Ecclesiæ, corrigendum deducere. Si qui non recipiunt, suntq; infideles, recedendum est, nec ad iudicium trahendi sunt; quia 1. Corinth. 5. *eos, qui foris sunt, iudicabit Deus*: reseruantur enim pro suis sceleribus finali iudicio. Iuxta hanc doctrinam, ecce quomodo inducit Dominus de iudicio: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi Ciuitati. Qui non credit: iam iudicatus est*, Ioan. 3. Tanquam ergo à reprobis recedendum. *Præordinati* non erant certè *ad vitam æternam*; quia qui huiusmodi, *quot quot erant* in Actis cap. 13. *crediderunt*. Non ad vitam æternam præordinatus, *perditio tua Israel*, Osee 13. quid nisi

17.

G 2. 2. 14. a. 3.

H opusc. 19. 15.

damnatio maneat? Sequitur: *excutite puluerem de pedibus vestris*; glossa: I *ad contestationem terreni laboris, quem pro eis inaniter susceperunt*. Puluis adhæret L pedibus; vnde hoc præcepit ad ostendendum, quòd laborem itineris in cassum subierant: Philipp. 2. *neque in vacuum laboraui*. Item per puluerem significantur temporalia, siue terrenus amor; & sic M per pedes affectus: huiusmodi amor est excutiendus Prælatis. Fertur ibi in Apocalypsi Haymo, vt pedes sint Prædicatores, qui Christum per totum Mundum prædicauerunt & portauerunt; Isaiæ 52. *quàm pulchri super montes pedes*; &c. Ezechielis 1. *pedes eorum pedes recti*; affectus N rectitudinem habent, dum non intentione laudis, aut lucri, verbum Dei annunciant, sed propter hominum salutem & Dei gloriam. Si excutiendus est puluis huiusmodi, iam pedes inuasit. Sic glossa relata ab Angelico O *puluis est leuitas terrenæ cogitationis, a qua nec summi Doctores possunt esse immunes, dum intendunt curis subditorum*: quod etiam, cùm leue sit, ad inanem pertinere videtur gloriam. Quantumcumque P enim sint sancti Prædicatores, facilè aliquo puluere affectus eorum mouentur, vel ex aliqua vana gloria. Ioan. 13. lauit Dominus pedes discipulorum, dicens; *qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*. Loco præsenti, vbi dixi *facilè*, Diuus Thomas inquit, *oportet*; quod eo sensu est accipiendum, quo in psal. 23. *de necessitatibus meis erue me*; quia etsi omnes Q non tamen singuli motus peccati possunt vitari. Quia homo non potest R abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis; cuius motus singulos potest quidem ratio reprimere, (& ex hoc habent rationem peccati & voluntarij) non autem omnes; quia dum vni resistere nititur, fortassis alius insurgit; & etiam quia ratio non semper potest esse peruigil ad huiusmodi motus vitandos.

I opusc. 19. 15. — L D. Th. hic. — M hic, & Apoc. 2. ibi pedes eius Côm. 1. — N Rom. 10. l. 2. — O de malo q. 9. 2. 2. in sed contra. — P D. Th. hic. — Q de verit. 24. a. 12. ad 7. — R p. 2. 109. 8.

18. Existimo veruntamen, hoc non tam Apostolis, quàm successoribus eorum Verbum Dei prædicaturis dictum esse. Sicut Marci 13. *quod autem vobis dico, omnibus dico*. Neque enim fas est credere labes huiusmodi incidisse in Apostolos, cum Orbem peragrare cœperunt, confirmatos in gratia, repletos Spiritu-Sancto; cui vniuersali missioni præludit præsens. Vnde Paulus certè hunc non habuit, quem excuteret è pedibus puluerem, dum ad Thessalonicenses obtestatur, in prima cap. 2. *Neque in occasione auaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam*, &c. Quod si Actorum 13. idem Paulus & Barnabas id fecerunt, cum *excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium*; vel id in futurorum exemplum, vt à terrenis mundarent affectus suos; vel vt ostenderent, quoniam nec minimum quid, de illorum vellent substantia, factum est. Hanc expositionem de minimis etiam abdicandis typo pulueris exigui habes in Diuo Thoma in præsentiarum. Quod magis sonant Lucæ verba capit. 10. *exeuntes in plateas eius dicite; etiam puluerem, qui adhæsit nobis de Ciuitate vestra, extergimus in vos*. Et ita Augustinus lib. vno quæst. ex Matthæo: *excutite &c. aut ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissent; aut vt ostenderent vsque adeo se ab ipsis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem eorum sibi non paterentur adhærere*. Veruntamen Matthæus, non tam pro arguendis ac increpandis iis, qui verbum Dei respuunt, quàm pro formandis viris Apostolicis hæc enarrat, vt puluerem excutiant, ne repellentium damnatio sit etiam Prædicatorum ex culpa. Hinc emicat Apostolici pectoris robur & fortitudo, quæ est in irascibili ad ardua, dum constanti obtestantur animo nec puluerem velle; immo vt apud Lucam, ipso in recessu, *appropinquasse Regnum Dei*, certè ad eos puniendos, minantur. Ecce in hac fortitudinis ostensione sanatos esse infirmos, (*infirmos curate*) exemplo ad nos transmisso virtutis suæ: cum sit infirmitas, quæ fortitudini opponitur, vnum ex quatuor, vt supra dictum est, S lapsæ naturæ vulneribus. Emicuit robur hoc in Paulo & Barnaba qui Actor. 13. *constanter dixerunt* &c. *Exalta* Isaiæ 40. *in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere*. Marcus cap. 6. addit excussioni pulueris, *in testimonium illis*; idest contra illos; vt ad v. 18. hic exponit Angelicus. T Veruntamen quia puluери comparantur impij psal. 1. *impij tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*: puluis quippe V diuisus, siccus, & aridus; ecce diuisionem, quia non receperunt pacem; & ecce præterea ariditatem, quia sine aqua gratiæ; dum nubes cogunt abire: cuiusmodi sunt Euangelici Prædicatores; Iob 37. *nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum*: X *qui sunt isti qui vt nubes volant?* Isaiæ 60. Matthæus nihilominus omittit ly *in testimonium illis*, sicuti & Lucas: & ratio est, eoquòd mox subiecerunt iudicium. Tunc *testimonium reddente illis*, Rom. 2. *conscientia ipsorum*: Tunc, cum & Angeli aderunt, A non quasi rei, sed quasi testes ad conuincendum homines de eorum ignauia: non fuit necesse addi ly *in testimonium*. Tunc, *stabunt iusti* (Sapient. 5.) *in magna constantia, aduersùs eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum*. Dum excutiunt puluerem, in huiusmodi loci & temporis circumstantiis, nullus exprimitur tristitiæ aut doloris sensus, propterea quòd cum de iudicio agitur, *lætabitur* psalm. 57. *iustus, cum viderit vindictam*. Cæterùm interne passuros, compassurosque in abscessu, non sit qui ambigat, dicente Paulo, *obedite Præpositis vestris*, &c. *vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes*. Gemunt enim Prælati B compatiendo, quando propter rebellionem nostram non consequuntur fructum laborum ipsorum. Isaiæ 33. *ecce videntes clamabunt foris: Angeli pacis amarè flebunt*. Vide quàm bene Apostolis quadret dici Angelos si annunciant; & Angelos pacis, dum inquiunt, *Pax huic Domui*. Quòd etiam nihil referatur de eorum fletu ac gemitu, indicat immo ingentem tristitiam, quæ mitigationis sit expers: quandoquidem vt docemur, C fletu aut gemitu mitigatur tristitia & dolor; iuxta quòd Augustinus quando dolebat de morte amici, (lib. 4. Confess. capit. 4.) *in solis gemitibus & lacrymis, erat ei aliquantula requies*. Sed planctum Apostolorum comitem testatur Psalm. *euntes ibant & flebant mittentes semina sua*: gemitum autem Dominus, qui statim eos comparat columbæ; *estote simplices sicut columbæ*. Nahum 2. *gementes vt columbæ*.

S p. 2. 85. 3. — T D. Th. hic. — V Psal. 1. — X opusc. 19. 10. & Heb. 11. l. 1. — A p. p. 113. 7. 4. — B Hebr. 13. l. 3. — C p. 2. 38. 2.

VERS. XV. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum*; &c.

Quod hìc ait Dominus, in Prophetis legimus; Ezechielis 16. *non fecit Sodoma soror tua, ipsa & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ*. Thren. etiam 4. *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*. Sed cum Sodomia sit peccatum D grauissimum: cum Genesis 13. dicatur; *homines Sodomitæ pessimi erant*: cum Apostolus Roman. 1. vitia contra naturam idololatriæ contermina faciat; quia (vt ibi) E cum idololatria incepisse videntur, & ea crescente creuerunt: oboritur difficultas de verbis Domini, qui aggrauat delictum Ciuitatis non recipientis neque audientis Apostolos, supra peccatum Sodomorum. In præsenti, F hoc intelligit Diuus Thomas, in quantum huiusmodi repudiatio videtur esse immediatè contra Deum. Alibi G generaliori ratione ex parte materiæ, quia isti circa spiritualia 19.

D 2. 2. 154. 12. — E Rom. 1. l. 8. — F D. Th. hic. — G Thren. 4.

H p. 2. 73.5. lia delinquunt. Certè etiam ex Diuo Gregorio H *peccata carnalia licèt sint maioris infamiæ, sunt minoris culpæ, quàm spiritualia*. Veruntamen, quoniam ait Dominus, *tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum*, aliud indicat remissioris punitionis caput: nimirum excusationem quandam
I p.2.76. a.3.& 4. ex ignorantia. Hæc nisi sit affectata I diminuit rationem voluntarij, proinde peccatum: quamuis non excuset à toto, eo quòd iuris sit & vincibilis. Sodomitæ deprauata ratione ex passione, vel propter pra-
L p. 2. 95.6. uas consuetudines & habitus corruptos, non L reputabant vitia contra naturam peccata, vt etiam Apostolus dicit ad Roman. 1. vbi ait, *non probauerunt*,
M Rom. 1.l.8. *Deum habere in notitia*: quod exponitur M etiam, vt non approbarent Deum habere in notitia facta humana, secundùm illud ps. 93. *dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*. Et vbi habet c. 5. *peccatum autem non imputabatur cum lex non esset*; non credebant, inquit, homines, quòd
N Rom. 5.l.4. Deus N humana facta vel puniret, vel præmiaret; secundùm illud Iob 22. *circa cardines Cæli perambulat, & nostra non considerat*. In quantùm crede-
O Rom. 1.l.6. bant circa cœlestia O diuinam Prouidentiam occupari; ita quòd ad res humanas non se extenderet. Aduersus hos errores ps. 93. *qui corripit Gentes, non arguet?* & ps. 101. *Dominus de Cœlo in terram aspexit*. Iudæi certè excusationem repudiatæ prædicationis Apostolicæ nequibant ex ignorantia prætendere, dicente Apostolo ad Rom. 10. *nunquid Israel*
P Rom. 10.l.3. *non cognouit?* idest; nunquid Populus Iudæorum P non cognouit ea, quæ pertinent ad mysterium Christi? Planè cognouit *instructus per legem*. Ps. *non fecit taliter omni nationi*. Faciat ad horum increpationem, quod ibi c. 2. præmittit Apostolus; *si enim tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis te ipsum esse Ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces?* Adde in eos dispersam Christi Domini opinionem; sup. c. 4. *abijt opinio eius in totam Syriam*: & vbique diuulgata miracula c. 9. *exijt fama hæc in vniuersam terram illam*. Quorum quippe fama, pro felici habere debuerant forte, tanti Magistri discipulos apud se habere. Hinc ipse Dominus Ioann. 15. *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Non sic erant deprauati illi qui Ioann. 9. dicebant, *quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Illuminatior Nicodemus Ioan. c. 3. *dixit ei; Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Ioannis 9. *à sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*. Ex his deprehende, quàm grauis meritò denuncietur culpa Ciuitatis, (non dicit ciuis vnius aut alterius) quæ collecta in vnum respuerit nuncios pacis. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi Ciuitati*. Apud Iudæos, quidam erant maiores & quidam minores. Maiores
Q 3.p.47. 5. & 1. Cor.m.2. quidem, qui eorum Principes dicebantur, Q cognouerunt eum esse Christum promissum in lege; omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura Prophetæ. Mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant. Sciendum tamen quòd eorum ignorantia non eos excusabat à crimine, quia erat quodammodo ignorantia affectata; videbant enim euidentia signa Diuinitatis ipsius; sed ex odio & inuidia Christi ea peruertebant. Minores verò idest Populares, qui mysteria Scripturæ non nouerant, non planè cognouerunt ipsum esse, nec Christum nec filium Dei. Licèt enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitauerunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem & efficaciam doctrinæ, tamen postea decepti fuerunt à suis Principibus, vt eum non crederent neque filium Dei, neque Christum. Igitur quia secundùm Philosophum 9. Ethicorum, & secundùm consuetudinem loquendi; apud
Diuum Thomam, R illud potissimè videtur esse R 1.p.75.
vnumquodque quod est principale in ipso: sicut 4. 1. & 2.
quod facit Rector Ciuitatis & Concilium, dicitur cor.4 l.5.
Ciuitas facere; reor hanc quã Ciuitati minatur grauiorem in die iudicij vltionem, in maiores cadere, qui tanquam principales in ea, illius Ciuitatis nomine intelliguntur. Lucæ 12. *Qui cognouit* &c. *vapulabit multis: qui non cognouit, vapulabit paucis*. Ignorantia, quia excusat aliquantulùm, *tolerabilius* patietur iudicium.

VERS. XVI. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*.

Erudit simul & præcauet præceptis hisce salutari- 20.
bus, ne aliorum damnationis periculum emergat Prædicatorum ex culpa. Iudicij diem, quo perterruit, expectare tanquam oues hortatur, dicens; *sicut oues in medio luporum*; nam *oues statuet à dextris*. Oues autem dece esse inculpatas; 2. Regum 24. *Ego sum qui peccaui*, aiebat Dauid, *ego iniquè egi; isti qui oues sunt, quid fecerunt?* Si ouis non fuerit Prædicator mansuetudine & innocentia pollens, timeat, ne magni iudicij die, aliorum sibi imputetur perditio. *Quanquam ituros ad lupos, mansuetudinem ouium habere vult: nec ad lupos duntaxat, sed in medio luporum: sic enim virtutem meam maximè ostendam, cum ab ouibus lupi superabuntur. Si oues sumus, vincimus; si lupi, vincimur; quia Pastoris abest auxilium, qui oues, non lupos pascit*. Ita ad hæc balat in morem ouis Pastor Chrysostomus.
Vt in medio S luporum commorantes salutem eo- S Opusc.
rum procurent, & plurimos morsus ab eis accipien- 18.c.16.
tes, non solum non consumantur, sed & illos conuertant. *Lupus super oues venit*, (Gregorius ibi) *cum quilibet iniustus & raptor fideles quosque atque humiles opprimit*.

VERSV eodem. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*.

Plura trahuntur ex serpentis similitudine Prædicatoribus documenta. Serpentis est defendere caput, immo occultat, vt illud in quo vita est, protegat. Caput nostrum Christus est. Hoc caput inoffensa fide (qua *iustus viuit*) custodimus. De hoc magis in Syntaxi. Exuat Prædicator Coloss. 3. *veterem hominem cum actibus suis*, instar serpentis, & qua prudentia vsus est serpens in malo, gradatim sibi opportunè tentationem exorsus, polleat Prædicator in bono. Hæc Sancti Patres in Catena, & hic Diuus Thomas. Quæ quidem legis in Paulo 2. ad Timoth. 4. vbi non solum ouis mansuetudinem ei commendat, cum quibus oportet, dicens; *obsecra in omni patientia*: ne T iratus appareas, & ex ira in-
struas, sed tranquillè; Prouerb. 19. *doctrina viri per* T 2.Tim.
patientiam noscitur, Psalm. 91. *benè patientes erunt*, 4.l.1.
vt annuncient: inter alias autem conditiones, habet
ouis V vt sit patiens; Isaiæ 53. *tanquam ouis ad oc-* V Matth.
cisionem ducetur. Sed vlterius tangit serpentis pru- 25.
dentiam; in primis seruandum caput; *fidem seruaui*. Item monet relinquere vetus exuuium, nouumque induere hominem, nimirum *viscera misericordiæ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, quas enumerat ad Coloss. vbi supra, dum ait, *obsecra in omni patientia, & doctrina; opus fac Euangelistæ, in omnibus labora*. Denique dicens *opportunè importunè*, Serpentis astutiam, qui ex parte

te debiliori, sic sibi opportunè viso, tentauit, nempe aggressus mulierem, Serpentis inquam astutiam in bonum vertit. Quocirca Hilarius; *ille animum primò mollioris sexus aggressus est: pari ergo opportunitate, introspecta cuiuscumque natura & voluntate, verborum adhibenda prudentia est*. Et ecce tam hic quàm in præfata Epistola vbi ait, *opus fac Euangelistæ*, hoc est, Euangelium prædica, Regnum Dei memorari; *per aduentum ipsius & Regnum eius*. Suprà, prædicate dicentes, *quia appropinquauit Regnum Cælorum*: specialiter enim X spiritualiter in Sanctis regnat in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Sequitur, *& simpliciter sicut columbæ*: Prou. 11. *simplicitas iustorum diriget eos*. Ex quo constat serpentis similitudinem in bonum accipi; nam si in malum, non cohæreret de columba, quæ A astutia & dolo caret. Mirè autem ibi percurrit septem columbæ proprietates è regione ad septem Spiritus-Sancti dona, quibus Prædicatorum munera micant. Et quia ex Chrysostomo, *cum oportet delictis ignoscere; mansuetudo quæ in columba demonstratur, necessaria est*: dum instar columbarum vult esse *simplices*, hoc est sine dolo, figuratè quod exprimit Apostolus, innuit: *Exhortatio nostra*, 1. Thessal. 2. *non de errore, neque de immunditia, neque in dolo*: sicut quorumdam, B qui licèt verum dicant, habent tamen intentionem corruptam, quia non profectum Auditorum, neque Dei, sed suum quærunt honorem.

X loc. cit. — A 3. p. 19. 6. ad 4. — B 1. Thes. 2. l. 1.

VERS. XVII. *Cauete autem ab hominibus*, &c.

21. Etsi vocabulum hominis in bonum sonet; vnde Actor. 15. de Paulo & Barnaba, adijcitur, *hominibus, qui tradiderunt animas suas, pro nomine Domini nostri Iesu Christi*; & in Psal. 35. *homines & iumenta saluabis Domine*: nihilominus, certum est etiam accipi in malum: nam 1. Thessal. 2. ait Apostolus, *nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. Vbi discernit homines à Thessalonicensibus, & ab alijs: & passim se nolle *placere hominibus* contestatur. Quare videtur per homines, intelligere quos aliàs notat dicens 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit, quæ Dei sunt*. Ab huiusmodi ergo hominibus cauendum est. Et quia id quod caueri potest, sine dubio exterius est; nam 1. Regum 16. non videmus, nisi *ea quæ parent*; rationabile est, vt cauendus sit homo exterior, de quo 2. Cor. 4. *licet is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is, qui intùs est, renouatur de die in diem*. Secundum apparentiam C principalius in homine est corpus exterius cum sensibus suis. Vnde secundum iudicium illorum, qui tantum corporalia & sensibilia considerant, & *terrena sapiunt, quorum Deus* (Philipp. 3.) *venter est*, corpus cum sensibus dicitur homo exterior. Cautio est D quædam conditio prudentiæ, per quam aliquis vitat impedimenta agendorum. Qui cautè non ambulat insipiens est, non sapiens. Ab huius ergo farinæ hominibus admonet eos cauere, ne fortè credito in prædicationis officio imprudenter se gerant; tùm quia, Ecclesiastici 6. *aspera est nimium sapientia indoctis hominibus*; tum quia, Prouerb. 18. *non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius*; tum quia, *animalis homo*, vt dictum est 1. Cor. 2. *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; tùm denique quia, Ecclesiastici 22. *cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam*. Prudentia itaque est opus, & subinde cautio *ab hominibus*, qui humanitus viuunt, vt hic ait Diuus Thomas. Non ergo vult ab ijs cauere, sic vt timeant, versu enim 28. ait, *nolite timere eos*, sed ne vbi spes desit fructus, se exponant periculis, cum gregis detrimento ac perditione: quo sensu ad fugam potiùs excitat dicens, *cum persequentur vos in Ciuitate ista* (versu 23.) *fugite in aliam*; vt paulo post explicabitur.

C 2. Cor. 4. l. 5. — D Ephes. 5. l. 5.

VERS. XVIII. *Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis suis*, &c.

Iam luporum similitudinem præscius futurorum edisserit, vt iacula præuisa minus feriant: confortans eos dum addit *propter me*. Porrò si licuit profano dicere, *dulce & decorum est pro Patria mori*, incomparabiliter suauius pro Christo mori. Hinc Actor. 5. *ibant Apostoli, gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contumeliam pati*. Quæ quia & à Gentibus passuri erant, adiecit, *in testimonium illis, & Gentibus*. 22.

VERS. XIX. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*.

Contra hoc videtur esse, quod legitur Apocalypsis 8. *Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se*: idest E vniuersi Prædicatores spiritu septiformi imbuti, *præparauerunt se*. De quo Gregorius; *in ore Pastoris magna debet esse consideratio locutionis: pensare enim debet Doctor quid loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur; si enim vnum defuerit, locutio apta non erit*. Certò si secus fiat, ait Diuus Thomas, posset esse præsumptio, vel inanis gloria: nisi in casu, in quo subitò prædicare oporteat; & nisi esset Prædicator multùm habens ad manum ea, quæ sunt Dei; propter altitudinem intelligentiæ, vel gustum experientiæ, vel donum illuminationis internæ. Ita quidem. Sed Apostoli, ex Glossa, fuerunt priuilegiati, quia Spiritus-Sanctus ita eis aderat, quòd non oportebat eos præmeditari. Sed alij, qui non sunt in hoc priuilegiati, præmeditari debent. Quocirca idem Sanctus Doctor: F non prohibet Dominus considerare ea, quæ sunt agenda vel dicenda, quando homo habet opportunitatem; sed dat fiduciam discipulis, vt deficiente sibi opportunitate, vel propter imperitiam, vel quia subitò præoccupantur, in solo diuino confidant auxilio: quia *cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad Deum*; sicut dicitur 2. Paralipomenon 20. Alioquin si homo prætermittat facere quod potest, solùm diuinum auxilium expectans, videtur tentare Deum. Sic Sap. 7. *in manu Dei sunt omnes sermones nostri*. Exodi 4. *ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris*. Veruntamen innuit, cum repentè vrget necessitas, ad futuram Dei gratiam, dicens *in illa hora*. Apostolis & Prophetis G ea, quæ sunt fidei, immediatè Deus reuelauit.

E Apoc. 8. Com. 1. — F 2. 2. 53. 4. ad 1. — G 2. 2. q. 6. a. 1.

VERS. XX. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*.

Apostolus 2. Corinth. 13. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Hic reijciendus est error Priscillæ & Montani, H qui dicebant Prophetas non intellexisse, quæ loquebantur; proinde arreptitios fore nuncupandos. Absit hoc ab Apostolis & Prophetis. Arreptitij dicuntur, qui loquuntur motu Diaboli. Qui vt ait Diuus Thomas, nedum instigare solet voluntatem, I sed impedit vsum rationis. Et non imputatur arreptitij ad culpam; quia non habet vsum liberi arbitrij. Quando ergo non mouetur L homo secundùm rationem, tunc est motus arreptitius. Motio Diaboli perturbat rationem: impeditque vsum rationis, M mouendo imaginationem, & appetitum sensitiuum. Absit fuisse Prophetas arreptitios: hoc enim non congruit N diuinæ reuelationi, secundùm quam mens principaliter illuminatur. Absit arreptitios fuisse Apostolos, qui licèt essent O veluti instrumenta Spiritus-Sancti; (qui in eis idcirco dicitur locuturus) attamen non turbati, sed confortati erant ratione. Et vide quomodo ait, *qui loquitur in vobis*. 23.

H Hebr. 1. l. 1. & 3. cont. Gēt. c. 154. — I 1. Thes. 2. l. 2. — L D. Th. hic. — M p. 2. 80. 3. — N 3. Cōt. G. c. 154. — O D. Th. hic.

bis. Hæc ipsa forma Apostolus ad Hæbræos; *olim*
P Hebr. 1.1. *Deus loquens Patribus in Prophetis*; idest P in intellectu & potestate Prophetarum. Ex quo colligo, Diabolum non verè loqui in arreptitijs, sed potius per arreptitios. Ex lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus; *solus Deus mentem illabitur*: Hymnus, *illabere propitius*. Cordis mentisque penetralia nequit spiritus nequam inuadere. Contra vulnus ignorantiæ ecce medelam; *leprosos mundate*.

VERS. XXI. *Tradet autem frater fratrem in mortem, &c.*

Aiebat Philosophus, mortem esse vltimum terribilium. Vt ergo eos intrepidos ac infractos contra aduersantia cuncta reddat, duriori in expectatione exercet, & insurgentium sæuitiam idcirco exaggerat, vt ferreos quodammodo & adamantinos ad ictus quosque esse debere demonstret. Non parcendum itaque carni & sanguini, vbi cæco furore agnati in agnatos sæuient, prædicit: estque lupinæ crasis, quando eos mittit in medio luporum, explicatio.

VERSVS XXII. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.*

24. Quidam codices addunt *hominibus*. Quod si ita sit, argumento est, bene supra expositum esse ly *cauete ab hominibus*, pro ijs qui diligunt Mundum prauo ac inordinato affectu, à quibus omnibus odio habendi erant; vnde c.24. ad Apostolicos viros; *& eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum*. Et iam huius odij causam aperit Ioan. 15. *si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de Mundo non estis, propterea odit vos Mundus*. Hinc in sua 1. Ioann. c.3. *nolite mirari fratres, si odit vos Mundus*. Exardescit autem odium post illatas offensas; *quia proprium est hominis odisse quem læserit*, ait Profanus. Subdit autem Dominus; *qui autem perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*. Innuit duraturam persecutionem & odium. Sed cum gratia pietatis accedat, quia nunquam deerit tribulatio, si non desit obseruantia pietatis, signum est, non inhiare rebus terrenis, qui eam patitur. Verum *quæ virtutum seminum*, inquit Chrysostomus, *in principio quidem florescentium, postmodum autem tabescentium*: Ecclesiastici 10. *mane semina semen tuum, & ne pere non cesset manus tua*: propter hoc perseuerantiam expetit. Bernardus; *quid prodest currere, & ante cursus metam deficere?* 1. Cor. 9. *sic currite, vt comprehendatis*. 2. ad Timotheum 4. *cursum consummaui*. Bernardus item; *scias Diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam nouit coronari*. In hoc autem quòd perseuerantiam recolit, tangitur constantia, patientia &
Q 2. 2. 137.1. fortitudo, quæ vt patet Q conueniunt ad inuicem & connectuntur. Actor. 13. *Tunc constanter Paulus & Barnabas*. Ps. 91. *bene patientes erunt, vt annuncient*. Hebreor. 11. *fortes facti sunt in bello*: ex quo Ecclesia; *Estote fortes in bello*. Quomodocunque autem sumatur perseuerantia, quamuis hic ex præmissis contra tristitias irruentes & exteriora
R I.e.a.4. p. 2. 109. 10. impedimenta videatur potissime accipi, semper R Dei donum est. Et ideo orandus est Deus, qui dirigat & protegat *vsque in finem*, vitæ huius nimirum sub vertibili arbitrio. Et hoc quidem satis innuitur alio sensu, *vsque in finem*, vt Christum, per quem *gratia & veritas* Ioan. 1. *facta est*, quique est Roman. 10. *finis legis*, præ oculis habeamus. Et sic faciendum, memorata perseuerantiæ per locum à contrario, nos Adam admonet. De quo quidem
S 2. 2. 137.4.2. Augustinus; S *Primus homo nullo terrente contra Deo terrentis imperium libero vsus arbitrio non stetit in tanta felicitate, cum tanta non peccandi facilitate: isti autem sæuiente Mundo no stetent, steterunt in fide.*

VERS. XXIII. *Cum autem persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam.*

Mirè inquit, *in Ciuitate ista*. Et quænam est Ciuitas *ista* ostensiuè? Planius fuerat dicendum, *cum* 25.

persequentur vos in vna Ciuitate, fugite in aliam. Primam, quæ potuit velut digito ostendi, in terris ædificatam Gen. 4. reor intelligere Dominum: quæ quidem ædificata fuit à Cain, vocataque nomine filij sui Enoch. Huiusmodi Ciuitas terrena apud Patres *in Sylua allegoriarum*, Mundum significat. *Cum ergo persequentur vos* terreni ac iniqui, in Mundo, qui ex Augustino & Gregorio per Enoch significatur, iuxta quod vobis apertius dicam, Ioan. 16. *in Mundo pressuram habebitis*; tunc *fugite in aliam*. Vbi in sua 1. c. 3. dixit Ioannes ipse; *nolite mirari, si odit vos Mundus*, (quod cohæret dictis hic à Domino; *odio eritis omnibus*) præmittit de Cain, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum*. Post fratris autem necem, Ciuitas illa Enoch, per eum ædificari visa est: sensusque subinde sit, cœpisse aduersum iustos malignorum persecutionem. Et quid in persecutione huiusmodi agendum? *fugite* inquit *in aliam*. Certè Augustini argumentum in ijs satis nunquam celebratis libris viginti duobus, *de Ciuitate est Dei, ac de terrena*. Vnde contra Dei Ciuitatem ibidem c. 1. dolet *exardescere multos de terrena Ciuitate ignibus odiorum*: quod ad literam ait hic Dominus, *odio eritis omnibus propter nomen meum*. Et in 2. retractationum libro se inquit explicasse in quatuor libris *exortum duarum Ciuitatum, quarum vna est Dei, altera huius Mundi*. Quocirca lib. 15. c. 1. *Cain* astruit *pertinuisse ad hominum Ciuitatem, Abel autem ad Ciuitatem Dei*. Quarum si aueas ciuitatum nomen, habes in Tomo 3. ad finem, vbi collectæ sunt Augustini sententiæ. *Duas in toto Mundo Ciuitates faciunt duo amores: Ierusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi*. Hanc Ierusalem quam *gloriosissimam* dicit in exordio primi Libri, considerat, *vel peregrinantem inter impios, vel in illa stabilitate sedis æternæ, quam nunc expectat*, inquit, *per patientiam*. Ad hæc Chrysostomus in Oratione de Sancto Philogonio Tomo 3. *Quanquam translatus est, atque hanc, quæ apud nos est Ciuitatem reliquit; tamen in alteram adscriptus est Ciuitatem, nempe Dei*. In illam ergo fugiendum esse Apostolis, ait Dominus. Ly *aliam*, cum, vt notat Angelicus, T sit quoddam T 1.p.31. 2.1.
articulare nomen, distinctionem nonnullam sine dubio importat. O quam diuersa Ciuitas est Ierusalem ab illa Babylonia terrena! In meditationibus idem Augustinus de illa loquens; *nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac misera vita cernimur*. Ad illam Ciuitatem confugiebat Apostolus cum 1. Cor. 15. dicebat; *si in hac vita tantum, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Sed præmiserat c. 4. *persecutionem patimur & sustinemus*. Quod quo pacto fieret explicat 2. Cor. 4. dicens, *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*. Vbi Diuus Thomas; V loquitur ad similitudinem viatoris, qui V 2. Cor. 4.l.1.
quando non patet ei via, qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur: quasi dicat; homines, qui solum in Mundo confidunt, angustiantur, si vndique à Mundo tribulantur, quia non patet eis via remedij, cum non sperent nisi de Mundo; sed nos licèt tribulemur in Mundo, quia tamen confidimus de Deo, & speramus in Christo, patet nobis via euasionis, & auxilij à Deo; & ideo *non angustiamur*. *Fugite ergo in aliam*, aio ipse; quandoquidem, sicut ex Gregorio; *consideratio præmij minuit vim flagelli*: quandoquidem Hebr. 13. *non habemus hic manentem Ciuitatem sed futuram inquirimus*. Qui sic mente ad cœlestia confugit, habet vnde perseueret

vsque

vsque in finem, quod præmonuerat. Allegoricè quænam sit hæc Ciuitas, ad quam fugiendum, mox versu 24. Interim prudentiam ad literam docet discipulos & cautionem, de quibus iam dictum est. Pertinet quippe ad sanam doctrinam, quando X habet quod faciat homo, non tentare Deum: Vnde Paulus *submissus est per murum*; & Christus etiam in exemplum nostræ infirmitatis fugit. Sic etiam infra c. 14. post necem Baptistæ, *secessit in nauicula, in locum desertum seorsum*: quia A non est virtutis ex Hieronymo, sed præsumptionis se periculis ingerere. Sic & Moyses, qui vt ait Apostolus *fide reliquit Ægyptum*. Quocirca, B in timore duo consideranda sunt: vnum quod aliquando potest esse vituperabile, quando scilicet propter timorem facit homo aliquid non faciendum, vel omittit faciendum. Aliud est, quod potest esse laudabile, quando scilicet salua fide, refugit periculum propter timorem instantem. Si enim aliquis salua honestate sua, posset vitare periculum, & non vitaret, stultus esset, & tentaret Deum; quod est diabolicum. Et sic Iesus cessit volentibus ipsum lapidare, nec ad suggestionem Diaboli voluit se præcipitare; ita & Moyses confidens de diuino auxilio, fugit propter timorem Regis, ad tempus.

X Genes. 12. ad finem.

A Matth. 14.

B Hebr. 11. l. 6.

26. In terminis Quærit Angelicus, *Vtrum liceat Episcopo propter aliquam persequutionem C corporalem, deserere gregem sibi commissum?* Et docet, vbi subditorum salus id exigit, obligari Pastorem ad non deserendum personaliter suum gregem, quocumque ex periculo, cum *bonus Pastor animam suam teneatur ponere pro ouibus suis*. Quòd si eorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris, per alium prouideri; tum licet Pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum temporaliter gregem deserere. Vnde August. in Epistola ad Honoratum, *fugiat de Ciuitate in Ciuitatem serui Christi, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi, qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent.* Sic cum Paulus Actor. 25. appellauit Cæsarem, fuit hoc implere metaphoricè, quod hic monet Dominus, *fugite in aliam*; quia D per eius mortem, vel incarcerationem, impediebatur fructus prædicationis. Sic ergo, vt vides, quandoque prudenter expedit fugam arripere. Sic, vt mihi videtur, odium persecutorum, habet vnde frigescat: & ita *Dæmones eijciant*, vulnusque malitiæ sanent; iuxta quod ait de Apostolis Chrysostomus; *cum enim essetis animatæ quædam incudes, dum verberaremini, eos, qui vos verberabant, fabricatis estis ad cognitionem*. Hoc autem quod subdit; *Amen dico vobis; non consummabitis Ciuitates Israel, donec veniat filius hominis*; est in expositoriam intelligentiam causæ fugiendi quam attulimus; subinnuitur enim, grandem eis restare peragendam viam; iuxta illud *messis quidem multa*; iuxta etiam Chrysostomum, qui ait; *non ad vnam quippe Vrbem, aut duas aut viginti eos misit, sicut mittebat Prophetas, sed ad omnem terram, totumque Mundum*. Vnde ad martyrium se vltrò non debebant offerre. Et sic Apostolica hæc missio in Iudæam, præludit vniuersali missioni, cum eisdem dicturus erat; *euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ*, Marci 16. Et Lucæ 24. *prædicari in nomine eius in omnes Gentes, incipientibus ab Ierosolyma*. Et Matthæi vltimo, *euntes ergo docete omnes Gentes*. Quapropter nuper dictum est; *in testimonium illis, & Gentibus*: repeteturque infra cap. 24. *in testimonium omnibus Gentibus*: quia qui credent, erunt in testimonium aduersus eos, E qui non credent: vel ipsa prædicatio; ex Hieronymo, erit in testimonium; ita vt sint inexcusabiles. In eo autem quod adiecit, *donec veniat filius hominis*, magis claret de vniuersa prædicatione fuisse prælocutum, dum dixit, *non consummabitis Ciuitates Israel*; quia ante & circa finem Mundi (tunc *veniet filius hominis*) F vt considerat Augustinus, Ecclesia in omnibus Gentibus ædificanda est. *Tunc*, Matthæi 24. *veniet consummatio*. Progressum ergo, iuxta quod ait Apostolus Coloss. 1. *veritatis Euangelij, quod fructificabat & crescebat* in vniuerso Mundo diffamatum, vt locis citatis firmat Chrysostomus, progressum inquam per viros Apostolicos perficiendum tangit, tacta laboris meta, cum postea venerit; *donec veniat filius hominis*: nimirum, vt facilè intelligis, ad iudicium. Quare etsi Rabano visum fuerit, vt ly *donec veniat* referatur ad ipsius resurrectionem, non adeo arridet isthæc expositio, nisi de Ciuitatibus Israel carnaliter accipiatur ly *non consummabitis Ciuitates Israel*: certū est enim, antequam resurgeret, nō peragrasse vniuersam Palæstinam. Sed altius videtur magis debere accipi; sicuti ait Apostolus Roman. 9. de Israelitis; *non enim omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*. Ioann. 10. *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*; & c. 1. *Ecce verè Israelita*, de Nathanaele, *in quo dolus non est*. Spiritualiter ergo debent intelligi & *Ciuitates Israelis* vt quæuis creditura Ciuitas etsi gentilis, verè *Ciuitas Israel* dici mereatur: nam inquit Angelicus; illi sunt veri *Israelitæ*, qui sunt *recti & videntes Deum*, per fidem G. Isaiæ 44. *rectissime quem elegi*. Vnde Sanctus Doctor vtramque nominis interpretationem, quam attuli Genesis 32. num. 6. ibi ad Romanos amplectitur.

C 1. 2. 185. a. 5. & hic.

D 4. sent. 36. a. 4. a 1 3. & Opusc. 13. c. 15.

E Matth. 24.

F Rom. 10. l. 3. & Col. 1. l. 2.

G Rom. 9. l. 2.

VERS. XXIV. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum.*

Ecce alio sensu, quomodo *in aliam fugiant Ciuitatem*: Christus ipse est vrbs, de qua Isaiæ 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion. Saluator ponetur in ea murus, & antemurale*. H Murus interior est Diuinitas, siue virtus Diuinitatis; antemurale exterius est humanitas seu meritum humanitatis. Ipse est in exemplum, & refugium; vt opinor, Ciuitas de qua loquitur. Ioan. 15. *si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Petrus in sua 1. c. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*: Thren. 3. *dabo eis scutum cordis laborem tuum*. Bernardus; *videntes angustias Domini nostri, leuius nostras portabimus*: Gregorius; *si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeo durum, quod non æquo animo toleretur*. Præit ergo vt Magister; nam Act. 1. *cœpit Iesus facere & docere*. Veruntamen se quoque Dominum perhibet, vt, quod ait Chrysostomus, *non crederetur ex infirmitate Magistri tam grauia mala descendere: nam etsi facere potuisset, vt Leonibus terribiliores effecti nihil mali paterentur; tamen sic magis suam ostendit virtutem, cum tandem ab ouibus lupi sunt superati*. Verùm ne vltra modum fortè audeant, *sufficere*, inquit, *vt sit discipulus sicut Magister eius, & seruo, sicut Dominus eius*, qui & ad indulgentiam & ad exemplum quandoque declinauit. Inducit autem similitudinem adhuc de *Patrefamilias, quem vocarunt Beelzebub*: sed de ea in Syntaxi. Admonet tamen discipulos ad sustinendum; sicut ipse, vt ait Apostolus Hebræor. 12. *sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*, idest afflictionem I in verbis; vnde dicebant, *vah qui destruis Templum Dei*. Vnde est illud Isaiæ, *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*; idest L meis miraculis detrahentem. *In Beelzebub* &c. Osee 4. *Populus tuus, sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti*. Et iam Simeon Lucæ 2. id præuiderat dicens,

27.

H Isaiæ 26. Opusc. 41. l. 2. c. 5. & Apo. 21. Com. 1.

I Hebr. 12. l. 1.

L Rom. 10. l. 3.

dicens, *in signum cui contradicetur.*

VERS. XXVI. *Ne ergo timueritis eos: nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur.*

28. Admonet ne persecutores timeant: igitur, cum prius fugam consuluit, profectò non ex timore, sed studio magis prudenti ad aliorum iuuamen. Aiebat Psaltes, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Certè Magistri est illuminare discipulos; & ps. 3. *Domini est salus.* Ecce hic se Dominum, se magistrum vocat. Apostolus Actorum 20. hisce animatus verbis Domini aiebat impauidus; *vincula & tribulationes Ierosolymis me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem me.* Immò alios ad tolerantiam hortabatur 2. Corinth. 6. dicens, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia; in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis in carceribus, in seditionibus:* & paulo post; *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces;* &c. Quibus similia & in 1. ad Corinth. 4. *puto enim, quòd nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: & post alia; colaphis cædimur, & instabiles sumus; maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus; tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus; omnium peripsema vsque adhuc.* Blasphemamur, idest

M 1. Cor. 4. l. 2. M blasphemiæ imponuntur nobis, dum dicimur Magi vel malefici, & reputamur Dei inimici. Veruntamen habet ibi Apostolus ly *vsque adhuc*; quia quandoque deficiet, secundùm illud Sapientiæ 5. vbi ex ore impiorum dicitur; *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij.* In quo, vt vides, tangitur iudicij expectatio in horum omnium leuamen; in quo, vt ibi præmittit, *veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Quibus verbis hausisse quod eloquitur hinc ex Matthæo deprehenditur: vbi ait Dominus, *nihil est opertum, quod non reuelabi-*

N D. Th. hic. *tur*: opertum quippe est aliquid N etsi ex se manifestum: occultum, quod ex se latet, vt quod quis habet in corde: *nihil occultum quod non sciatur.* Inde addit *consilia cordium.* Et huc facit quod lib. 4. in Lucam c. 52. scripsit Beda; *veniet profectò tempus, in quo vestra virtus omnibus, & Pharisæorum reueletur hypocrisis; quando cuncta cordium inabscondita proferentur ad lucem.* Et hoc est *fugere in aliam Ciuitatem*, nempe *in gloriosissimam Dei, in illa stabilitate sedis æternæ, quam nunc expectant per patientiam; quoadusque iustitia conuertatur in iudicium*: quo pacto exorditur Augustinus c. 1. diuinos eos *de Ciuitate Dei*, libros. Et hæc in impiorum comminationem terroremque prostant, iuxta quod Machabæorum supremus lib. 2. c. 7. dixit Antiocho flagitiosissimo: *nondum Omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti.*

VERS. XXVII. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.*

29. Iniungit vt tota libertate se prodant. Idem est ergo ac quod fertur Lucæ 9. *qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua,* &c. Et quidem cohærenter; nam hic quoque præmissum est de iudicio: *donec veniat filius hominis*: & iterum, *nihil opertum, quod non reuelabitur, neque absconditum, quod non sciatur.* Sic etiam aiebat Apostolus Rom. 1. *non enim erubesco Euangelium.* Habemus infra c. 20. *assumpsit Iesus duodecim discipulos secretò;* passionemque suam, mortemque Crucis præmonuit. De his etiam Lucæ 9. prædixerat, priusquam erubescendum prohiberet: ergo & hic, dum vt prædicent super tecta præcipit, quod est, non erubescere suos sermones, meritò de sui ipsius persecutione, de opprobriorum contemptu, & de Crucis magisterio, quamquam sit Dominus gloriæ, nonnihil tetigit. *Crux* enim, vt ait Augustinus, *non solùm fuit patibulum patientis, sed etiam Cathedra docentis.* Apostolicam igitur libertatem, quam nedum discipuli, sed post eos, euangelici Prædicatores alij habituri erant, hisce verbis insinuat, eamque Dei munere, Spiritus-Sancti robore, Domini ac magistri sui mediatione ac exemplo, Apostolos præadeptos, exitus ipse monstrauit, cum ps. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Adeò enim palam *in lumine*, adeò altè *super tecta* prædicarunt, vt per totum Mundum O saltem quoad famam, infra spatium quadraginta annorum, diuulgatum sit Euangelium, nempe ante destructionem Ierusalem, vt expendit Chrysostomus. Sonum ergo Apostolicarum tubarum fas sit dicere hausere tecta. Ad literam, quibusdam in Regionibus, Tecta sunt plana: vbi quasi è suggestis quis declamaret. Isaiæ 40. *exalta in fortitudine vocem tuam.* O Col. 1. l. 2. ps. 17. lit. h. ps. 44. lit. d. & hic c. 24.

Suboritur duntaxat difficultas nonnulla, quia Dominus ipse Ioan. 18. dixit; *in occulto locutus sum nihil*: iuxta quod etiam Matthæi 5. *neque accendunt lucernam, & ponunt ea sub modio*; atque etiam Marci 4. *nunquid, venit lucerna, vt sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne vt super candelabrum ponatur? lucerna* idest P vera & honesta doctrina. Soluit Hilarius exponens mysticè, quod hic ait sonans occultam fuisse ipsius doctrinam; quia cùm, non legamus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam tradidisse in tenebris, fiat sensus carnalibus sermonem eius euasisse tenebras, & verbum eius, infidelibus noctem. Q Ephes. 5. *eratis aliquando tenebræ.* Præterea dici potest; omnem suam doctrinam occultam fuisse, nondum manifestata R Ecclesia, fideque nondum publicata. (innuit fidem dum ait *in aure auditis*; nam *fides ex auditu*) Fides tenebras passa est, persecutionis tempore: vnde Symbolum ad hoc significandum occultè dicitur in Prima & Completorio. Item *in aure, & in tenebris*; quia Prou. 10. *sapientes abscondunt scientiam*: ex quo parabolis vtebatur. Nihilominus adhuc verum est, *nihil in occulto fuisse locutum*; coquòd omnem S doctrinam suam, vel turbæ toti proposuit, vel omnibus suis discipulis. Vnde Augustinus dicit super Ioannem: *quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur? præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos vult innotescere multis?* Et iterum quia parabolarum apertam & nudam veritatem discipulis exponebat; per quos deueniret ad alios, qui essent idonei: non enim omnes erat digni & idonei. Absit, aio ipse, studuisse occultari *verba vitæ*, vt Ioannis 6. professus est Simon Petrus. 30. P 5. p. 42. 3. Q l. c. ad 1. & hic R 2. 2. 1. 9. 6. S 1. p. 42. 3. & ad 1. 3.

VERS. XXVIII. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus,* &c.

Fortiores discipulos sensim facit. Paulo ante, ne persecutiones timerent, nunc ne mortem, quamuis maximum terribilium, timeant, confortat; quamuis violenter illatam ab ijs *qui occidunt corpus.* Poterant hinc vim præscientiæ eius agnoscere. Vbi supra Isaias præmisit; *exalta sicut tuba vocem tuam,* adiecit & ipse, *exalta, noli timere.* Diuus Petrus etiam in prima cap. 3. *timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbamini*: id quod præmonuerat in Isaia c. 8. *& timorem eius* (Populi conturantis) *ne timeatis, neque paueatis.* Dat ergo Dominus præcepta T fortitudinis. In nouo enim Testamento, instruendi erant homines, qualiter spiritualiter certando, ad possessionem vitæ æternæ peruenirent; nam, vt in Cap. sequenti, *Regnum Cœlorum vim patitur,* 31. T 2. 2. 140. 1. 1.

patitur, & violenti rapiunt illud. Et quia homines ad spiritualia bona tendentes, retrahi possunt per temporalia pericula, ad mala fortiter sustinenda roborantur. Est autem considerandum qualiter non
V 2.2.19. a.3.& 9. timorem quemcumque, sed V timorem mundanum siue humanum amandat Dominus: puta quo Petrus negauit Christum: proceditque ab amore humano tanquam à mala radice. Quia tamen Philosophus in 3. Ethic. c.7. eum, qui nihil timet, puta nec terræmotum neque inundationem, insanum dicit; ne putes insanos velle discipulos. Quandoque
X 2. 2. 125.1. X appetitus timendo refugit id quod est secundum rationem fugiendum; & tunc non est appetitus inordinatus, nec peccatum. Quandoque appetitus fugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda, ne desistat ab alijs, quæ magis prosequi debet; & tunc timor inordinatus est, & habet rationem peccati. Ex hac doctrina fas est accipere, magnum quid prosequendum etiam cum vitæ discrimine, subinnuere Dominum; nimirum Euangelicam prædicationem; ex qua & in qua salus animæ, quam toti Mundo præferri necesse est, vt Marci 8. v. 36. vbi præmisso, *qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam*, adijcit, *quid enim proderit homini, si lucretur Mundum totum?* &c. De quo & Lucæ 9. v.25. Et iam hic etiam de anima introducit dicens; *animam non possunt occidere*. Et statim, *sed potius timete eum, qui potest animam & corpus*
A 2.2.19. 9. *perdere in gehennam*: timore nimirum casto A & filiali, qui donum Dei est.

VERS. XXIX. *Nonne duo passeres asse vaeneunt, &c.*

32. Cum præmissum sit de vitæ discrimine; ne ti-
B Opusc. 3.p.2.c.6. & hic. meant, diuinam tangit B prouidentiam. As, valde exigui valoris ac ponderis, æris est moneta, quamuis prima sui institutione libram sonaret, duodecim vnciarum. Est itaque paruus nummus, nec vnciam æquans, cui respondere potest Baiochus Italicus, vt apud Tirinum in Prolegomenis. Verosimile autem est, minorem non fuisse nummum asse apud Hebræos; & sic ait Diuus Thomas; sicut vnitas est minimum in numeris, ita as in ponderibus. Ex huiusmodi minimo, ac ex auicularum vilitate, diuina magnificatur Prouidentia. Lucæ 12. fertur sententia isthæc variè; *nonnè quinque passeres vaeneunt dipondio? & vnus ex illis non est in obliuione coram*
C D. Th. hic. *Deo*. Quocirca inquit Diuus Thomas C proportione nihil discriminis esse. Dipondium quippe duo sunt asses. Stet, vtrumque dixisse Dominum quadam veluti gradatione. Sed quod suo faciebat scopo Euangelistas seorsim retulisse. Interim apud Hilarium duo passeres sint mysticè corpus & anima; & istorum *vnus cadit super terram*, scilicet corpus: sed non sine voluntate Patris. Nectc illud Ecclesiastes 12. *reuertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Cohærenter quidem ad præhabita, ne timeant mori.

VERS. XXX. *Vestri autem capilli Capitis, omnes numerati sunt.*

33.
D Opusc. 41.l.4.c.2. Exponitur textus iste, vt sit D in documentum qualiter custodiens præcepta Domini, queat ab omni præseruari malo. Dic ergo dictum esse, ne quispiam tam grauia mala putaret ex Magistri infirmitate aut neglectu descendere. Verum specialis erga
E Opusc. 2.p.2.c.6. homines E innotescit hinc prouidentia, quando de capillis tam exacta est Deo cura, quemadmodum & præmisit de duobus passerculis. Facit huc quod scribit Ambrosius Serm. 26. *Per numerum curam circa nos, solicitudinemque cognoscimus: nemo enim numerat, nisi quod vult diligentiùs custodire: nemo numerat, nisi quod veretur, ne fraudem absque numero patiatur. Habetur sub tutela, quod habetur in numero. Quod si capillorum nostrorum meminis*, *multo magis nostrarum animarum meminit*. Quoniam autem aliàs, vt dicitur Sap. 11. *omnia in mensura, numero & pondere*, disposita sunt: vnde & in ps. 146. *qui numerat multitudinem stellarum*; non sistat euangelica intelligentia in arithmetica duntaxat supputatione: altius enim quid importatur; nimirum vt hoc dicatur, nedum per modum cognitionis, sed per modum cuiusdam principalis præfinitionis: quo pacto apud Diuum Thomam F Prædesti- F 1. p.23. a.7.
natorum numerus Deo cordi est; vt ibidem dilucidè tradit. Hoc ergo tangit Dominus, quia vt ait Gregorius; *consideratio præmij minuit vim flagelli*. Ex his autem vnà simul fidem astruit resurrectionis; G
tanquam totum quod est hominis, sit in resurrectio- G Opusc. sup.cit. & 3.p.q.54. 2.
ne reparandum: Lucæ 21. *capillus de capite vestro non peribit*. Quapropter omnis diffidentia à nobis debet excludi: vnde & subdit; *nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.* Quia nihil possunt, nisi quantùm Deus permittit, vt ait Angelicus Philipp. 1. l. 4. ferens illud Lucæ 21. *Capillus de capite vestro non peribit*; ps. etiam 1. *& folium eius non defluet*.

VERS. XXXII. *Omnis ergo qui confitebitur me*: &c.

Causam persecutionum, publici odij ac mortis 34.
non tam apertius indicat quàm celebrat, fidei nimirum confessionem; *omnis qui confitebitur me*; quemadmodum supra dixerat, *propter me*. Rom. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Triplex est confessio, quæ in Scripturis laudatur: H vna propriæ iniquitatis, secundum illud H Rom.
Psalmi; *dixi, confitebor aduersum me iustitiam* 10.l. 2. &
meam Domino: altera, secundum quam homo con- 2.2.q.3.a.
fitetur Dei Bonitatem, misericorditer beneficia præ- 1.ad 1.
stantis; ps. *confitemini Domino, quoniam bonus*: & hæc est confessio gratias agentis: tertia est confessio diuinæ veritatis, de qua in præsenti. Prima pertinet ad pœnitentiam: secunda est actus latriæ: tertia est actus fidei. Sic Christum Dominum confessa est Margarita dicens *genere sum nobilis, professione Christiana*: & sic Sancti Martyres omnes; quos proinde pollicetur se ampliori remuneratione donaturum, dum ait, *confitebor & ego eum coram Patre meo*. In hoc certam eorum prædestinationem significat; quia vt legitur 1. Ioan. 2. *in hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est*: & Apoc. 20. *vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis; & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei*. Potest autem ly *confitebor* accipi in confitentium collaudationem, I eo quod I Ps. 43.
laudabuntur a Christo; Ps. 43. *in Deo laudabimur* Apoc. 3.
tota die; scilicet die æternitatis. *Confessionem pro* Com. 2.
laude poni, multis locis Sacrarum Scripturarum insinuanimus, inquit August. ps.78. Ecclesi. 39. *hæc dicetis in confessione*. Vel vt in Apoc. *confitebor* idest dabo testimonium eius iustitiæ acceptabili coram Patre meo; scilicet in iudicio. Cæterum videtur mihi tangi martyrij vel doctoratus præmium; quod
L Theologis *aureola* dicitur, seu *coronula*, in si- L 4. Sent.
gnum victoriæ. Et quidem opportunè postquam 49.q.5.
prius dixerat de essentiali præmio, quo coronatur perseuerantia; *qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Et si roges an semper necessarium sit fidem confiteri? Respondetur M. Non M 4. Sent.
semper, neque in quolibet loco esse de necessitate 49.q.2.a.3.
salutis, sed in casu; puta cum exposcitur alicuius 2.1. & 2.
fides à persecutore; per omissionem enim tunc con- 2.q.3.a.2.
fessionis, subtraheretur honor debitus Deo; cum ac Rom. 10.
scilicet si taceret, crederetur quòd non haberet fi- l.3.
dem, vel quòd fides non esset vera. Item in casu, quo ob ipsius taciturnitatem proximis subtraheretur vtilitas; sic vt eorum fides periclitaretur, vel de facto

facto

facto auerterentur à fide. Ex quo Prælati debent fidem prædicare subditis suis. Hoc in loco, præcepta est, inquit Angelicus p. 2. 108. a. 1. confessio fidei, & prohibita negatio.

VERS. XXXIII. *Qui autem negauerit me*, &c.

35. *Qui negauerit*, supple, *obdurato animo*: nam & Petrus negauit; nec tamen, cum pœnituerit statim, æternaliter damnatus est. Æternitatem sonare videtur ly *coram Patre meo*: quandoquidem coram Deo sunt omnia, siue præterita siue præsentia siue futura, in æternitate. Æternam ergo negantibus ipsum prædefinitam perhibet damnationem. Argumento est certè minimè ipsum credere, qui pertinax negat. *Qui non credit* Ioann. 3. *iam iudicatus est*. 1. Ioan. 2. *quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Iesus est Christus? omnis qui negat filium, nec Patrem habet: qui confitetur filium, & Patrem habet*. Ecce quomodo ex Ioanne exponi palam videtur, quid importet ly *coram Patre meo, qui in Cœlis est*: correlatiua enim sunt. Ioan. 14. *si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis*. Ibidem, *nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Ex quo autem negantem negat Dominus *coram Patre*, negat esse adoptione filium; dumque filios in hæreditatem gloriæ adducit; (*si filij & hæredes*, Roman. 8. *qui multos filios in gloriam adduxerat*, Hebræorum 2.) palam fit, qui negant Dominum Iesum, excludi à gloria; ideo inquit, *qui in Cœlis est*. Supra etiam capit. 7. ait, *nunquam noui vos*, idest N nunquam approbaui vos: 2. ad Timoth. 2. *cognouit Dominus, qui sunt eius*: notitia diuinæ prædestinationis; Ioann. 10. *cognosco oues meas*. Et infra capit. 25. *amen dico vobis, nescio vos*.

N D.Th. hic & ad Timot. 2. l. 3. & p. p. q. 24. a. 1.

VERS. XXXIV. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram*.

36. Suprà dixerat Dominus; *primùm dicite, pax huic domui*. Vndè accuratè perscrutari nos oportet textus huius intelligentiam, qui in superficie contrarium sonat. Adiecit autem reor hanc & quæ sequuntur sententias, vt tacitæ ineruditi lectoris occurreret obiectioni: nimirum præhabendam potiùs præ oculis pacem, nec esse cum pacis perturbatione prædicandum. Huiusmodi perturbationem malorum præuiderat Dominus, in cuius persona, vt expenditur, præscius scripsit Ieremias cap. 15. *væ mihi Mater mea: quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra?* frequenter enim, ad hæc, inquit Diuus Thomas, in cordibus malorum ex manifestatione veritatis causatur dissensio & turbatio. Dic ita docuisse infra capit. 15. contemnendum esse scandalum Pharisæorum: vtpote ex malitia P procedens; cum scilicet aliqui volunt impedire spiritualia bona, scandala concitando. Venit ergo non pacem mittere, de qua Sap. 14. *in magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant*: sed venit mittere *gladium*. Ad illud, *accingere gladio tuo*; gladius Christi Q est doctrina eius; euangelica doctrina, cui alij credunt, alij contradicunt. De hoc gladio habetur Ephes. vlt. *gladius spiritus, quod est verbum Dei*. Gladius etiam accipitur R pro vindicta & damnationis iudicio. Et huc potest facere, quod legitur in Apocalypsi capit. 1. *de ore eius gladius vtraque parte acutus*, idest S finalis sententia; quæ sicut gladius separabit malos à bonis. Dum ergo ait, *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram*, &c. idem est ac si diceret, nolite arbitrari persecutores vestros ac occisores euasuros iudicium. Roman. 2. *existimas* &c. *quia tu effugies iudicium Dei?* Adde illud Isaiæ 57. de huiusmodi persecutoribus; *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus*. Veruntamen diues est sermo Domini plurium sensuum; *non veni pacem mittere*; T pacem malam. Quæ quidem duplex est. Altera cum impij concordant in malo, V seu mala voluntate: inter quos causare vel fouere discordiam, laudabile est. Sic Paulus dissensionem inter Pharisæos & Sadducæos concitauit, exclamans Actor. 23. in Concilio, *viri fratres, ego Pharisæus sum, & filius Pharisæorum: de spe, & de resurrectione mortuorum ego iudicor*. Hinc recole Glossam 23. q. 3. c. *Qui potest*. *Qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit; nihil est aliud, quàm fauere impietati, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare*. Mirè Gregorius super illud Iob 39. *in occursum pergit armatis*; referente Angelico X inquit; *plerunque quieti atque inconcussi relinquimur, si obuiare prauis pro iustitia, non curamus; sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit; si verum lumen intrinsecùs respicit; si in se flammam sancti feruoris accendit, in quantùm locus admittit, in quantùm causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obijcere, & peruersis ad iniusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obuiare. Nam cum iustitiam, quam nos amamus, in alijs feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etsi venerari videantur*. Ex quo patet, inquit Angelicus, quòd perfecti viri debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas, etiam non prouocati. Item ad officium charitatis pertinet, qua tenemur diligere proximum, sicut nos ipsos, quòd aliquis oppressos ab opprimentibus liberet, secundùm illud Iob 29. *conterebam molas iniqui; & de dentibus illius auferebam prædam*; & Prouerb. 24. *erue eos qui ducuntur ad mortem*; & in psal. 81. *eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Non solùm ergo licitè, sed laudabiliter interdum, resistunt violentijs & fraudibus malignorum. Vide quàm altè prompserit Dominus; *non veni pacem mittere sed gladium*. Quod tamen reor prudenter exerendum, cauendo scilicet, ne maiora sequantur mala. Tunc enim potius tolerandi sunt improbi: idque ex doctrina apud Angelicum 2. 2. q. 10. a. 11. Et quoniam *nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebræor. 7. perfectionis euangelicæ viam sternens Dominus, qui supra dixerat cap. 5. *beati mites*, &c. sequenti 11. ait, *mitis sum*; totiesque pacem promittit & inculcat, modo pacem, vt exposuimus, amandat. Cum quo stat, quod docet Apostolus Roman. 12. *si fieri potest, quod ex vobis est; cum omnibus hominibus pacem habentes*. Cum tandem pax sit quies & vnio appetitus; A appetitusque possit esse etiam boni apparentis, ad huiusmodi extirpandam à corde pacem, potest intelligi venisse Dominum *mittere gladium*. Ieremiæ legimus 8. *pax pax, cum non esset pax*. Ideo aliàs rogat Ecclesia; *veramque pacem cordium*.

O Ioan. 9. l. 5. lec. 4.
P 2. 2. 43. 7.
Q psal. 44. lit. c. & Io. 10. l. 5.
R psal. 7. lit. g.
S Apoc. 1. Com. 1.
T 2. 2. 40. 1. 3.
V 2. 2. 37. 1. 2.
X opusc. 19. c. 15.
A 2. 2. 29. 2. 7.

VERS. XXXV. *Veni enim separare hominem aduersùs Patrem suum*.

Quod Isaiæ 52. simile legimus; *recedite recedite*, 37.
exite inde: tangiturq; ab Apostolo 2. Corinth. *exite de medio eorum & separamini*, B obliquè interpretabantur Donatistæ, ita vt debeamus corporaliter deserere malam societatem: quod non est verum. Arguit eos ex ly Cantic. 2. *sicut lilium inter spinas*. Vnde intelligendum est de separatione spirituali, non sequendo vitam malorum. Et insuper vt vitemus ipsas peccatorum occasiones ab eis datas. *Separamini* idest longè ab eorum consensu sitis. Hoc ipsum sonant verba Domini: quemadmodum & illud Numeri 16. *recedite à tabernaculis hominum impiorum*. Cohæret hæc Domini sententia cum

B 2 Cor. 6. l. 3.

alia infra cap. 19. *omnis qui reliquerit Domum* &c. *aut Patrem aut Matrem* &c. atque cum illa fortiori Lucæ 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem* &c. Hæc autem dicuntur à Domino fieri debere, C quando impedimentum præstant nobis accedendi ad perfectionem diuinæ iustitiæ; & multo magis, cum D impediunt nos à Deo: nam in hoc non sunt propinqui sed inimici. Quod subiecit hic Dominus ex Michææ 7. *inimici hominis domestici eius*. Sic Gregorius; E *Parentes, quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nescire debemus*. Et idem Gregorius relatus alibi; F *quomodo Parentes & carnales propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus; quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Habendum ergo est odio, quod in Dei nobis itinere obsistit*. In casu huiusmodi, arridet Hieronymi Epistola ad Heliodorum; *licèt paruulus à collo pendeat nepos; licèt sparso crine, & scissis vestibus, vbera* G *quibus te nutrierat Mater ostendat; licèt in limine Pater iaceat: percalcato perge Patre, siccis oculis ad vexillum Crucis euola. Summum pietatis genus est in hac re esse crudelem*. Inducitur autem à Domino de Patre, de Matre, & de nuru opportunè; quia enumerat idem Hieronymus ab eiusmodi impedimenta; *Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis: nunc illi cum quibus adoleuisti vernaculi aiunt;* H *cui nos seruituros relinquis? nunc & gerula quondam iam anus, & nutritius secundus post naturalem pietate Pater clamitant; morituros expecta paulisper & sepeli. Callidus aduersarius*, subdit Gregorius *cum à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur; quia plus cæteris amantur; vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat*. Vult ergo hominem separare ab amore sui & Mundi. Ita Apocalyps. 1. Verum factus Apostolus loco præallegato 2. Corinth. 6. Scripturæ veteris paraphrastes, subdit consentaneè ad verba hoc in textu Domini; *& ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem; & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens*. Pretiosa à Patre ac Matre est separatio, quando in Patrem ac Matrem suffectus est Dominus omnipotens. Iam psalmus 26. *quoniam Pater meus & Mater mea, dereliquerunt me. Dominus autem assumpsit me*. Deus I verior Pater est: Deuteronomij 32. *nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* Sentit Angelicus, filios L dici perfectos, filias quantùm ad imperfectos; sumique ex 2. Regum 7. vbi dicitur de Salomone; *ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium*. Nihilominus quod dixi, absonum non videtur; vt hoc adiecerit Apostolus exponens, vel illud Leuitici 26. *& ero Deus vester, vosque eritis populus meus:* vel illud Isaiæ capit. 52. quod sequitur; *nec in fuga properabitis; præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel*. Quorum locorum ibidem suppressa allegatione meminit. Sed adhuc dici potest hisce verbis, se Patrem se Matrem compellare, iuxta Scripturas psalm. 102. *quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, vtpote ex quo Ephes. 3. *omnis Paternitas in Cœlo & in terra nominatur*: Isaiæ 49. *nunquid obliuisci potest mulier infantem suum?* & capit. 66. *quomodo si cui blandiatur Mater, ita & ego consolabor vos*; ad innuendum complexum amoris omnis; siue hæreditatis æternæ, quoad Patrem, siue teneritudinis affectus, quoad Matrem. Hoc in Apostolo deductum fuisse ad praxin trahi potest ex illo; *continuò non acquieui carni & sanguini;* M scilicet affectui & amori ad carnaliter mihi coniunctos. Nota hic ex Augustino libr. 3. *de doctrina Christiana*, quòd in Scripturis, *vbi flagitium aut facinus videtur iuberi, aut beneficentia vetari, figurata est locutio*.

C 2. 2. 14. 1. 1.
D 2. 2. 26. 7. 1.
E 2. 2. 101. 4. 1.
F opusc. 18. 8.
G 2. 2. q. 101. 4. opusc. 17. c. 9.
H opusc. 17. c. 9.
Apoc. 1. Com. 1. ibi gladius acutus.
I opusc. 4. 5. 17.
L 2. Cor. 6. l. 3.
M Galat. 1. l. 4.

Etsi autem sic possit accipi sacri textus intelligen- 38.
tia, vt alienatio à terreno affectu, sit ex parte filij erga Patrem, filiæ erga Matrem, & Nurus erga Socrum: quod vltimum explicat Augustinus, vt in Catena, de Ecclesia aduersus Synagogam, *quæ secundùm carnem Christum peperit Sponsum Ecclesiæ;* Et vt ait Diuus Thomas Ioan. 12. l. 3. fuit quasi Mater Gentium in spiritualibus, quia Isaiæ 2. *de Sion exibit lex:* Nihilominus dum ardentior quicumque amor terrenus ob Christi disciplinam spernendus est; cum Parentes magis diligant filios, quàm è conuerso, vt hic N à Diuo Thoma deducitur: consonum etiam videtur, vt volens Dominus fideles à terrenis abducere, separationem moliatur quæ æquiparantiæ relatio est, non tam filij à Patre, quàm Patris à filio; non tam filiæ à Matre, quàm Matris à filia; non tam Nurus à Socru, quàm Socrus à Nuru. Et iam in sequenti contextu claret; quandoquidem subdit, *qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*. Et sic filius & filia qui ad literam contumeliosi fuere (Michææ 7.) iniuriique spiritualiter Parentibus, fiunt minimè peramandi. Sic & Nurus inuerso sensu non dicetur Ecclesia, quod sensit Augustinus, sed Synagoga infensa Ecclesiæ; vituperanda subinde, quod O & loco citato Michææ 7. Facit huc Gregorius Homil. 22. in Euangel. *Nec mirum videatur, quod per iuniorem Synagoga, per seniorem verò Ecclesia figurari perhibetur*. Certè vt dixerat Homil. 19. *Ecclesia ab Abel iusto, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit*. Ab Abel quippe P cœpit Ecclesia, vt adnotaui in Genesin cap. 4. Synagoga ergo sit nurus, quæ habuit virum Q scilicet Moysen. *Sed multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum*. Hæc Socrum suam scilicet Ecclesiam contumelia affecit: Michææ 7. *nurus aduersus socrum suam*. Ab hac separare venit Christus Socrum, hoc est Ecclesiam, ne inordinatè Synagogam diligeret. Ab ea segregatus fuit nobile Ecclesiæ membrum Paulus: Ad Galatas 1. *cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero Matris meæ*, &c.

N D. Th. hic.
O p. 3. 73. 9. ad sed contra.
P opusc. 6. §. 12. & Genes. 4.
Q Gal. 4. l. 8.

VERS. XXXVII. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus*.

Amor secundùm Dionysium est *vis vnitiua*. Ec- 39.
ce dignatur Dominus enucleare, in quo venerit separare nos ab inuicem, ne plus amet quis hominem quàm Christum. Iob 32. *Deum homini non æquabo*. Aliàs definitum est R Deum magis diligendum quàm proximum, & quàm nos ipsos; etiam vbi charitas locum habeat. A fortiori indignum est post haberi; vt in præsenti sonat ly *plusquam me:* sitque sensus, qui me non amat, vt amet Patrem aut Matrem. Nota autem paulo antè, nomen *filij* omissum esse dicendo; *veni enim separare hominem aduersùs Patrem*. Cur hic vox filij exprimitur? cur item non dicit *hominem?* *Qui amat*, inquit, *filium aut filiam super me, non est me dignus*. Respondeo consultò nunc ita; quia relatiua sunt *Pater* ac *filius*. Sed ne carnali filiatione teneremur, supra dictum est: *veni separare hominem*, vel *virum*, vt legit Hieronymus, *à Patre suo;* vt filij Dei, exuti filiationem terrenam, efficeremur, sicut ad præcedentem versum dictum est.

R 2. 2. 26. 2. & 3.

Beatus

Beatus Franciscus nos docuit, cùm Patri carnali, ne Christum præamaret in pauperibus prohibenti, generoso repudio relictis omnibus, sibi deinceps maiorem facultatem dicendi *Pater noster*, concessam latus respondit. Mirum est autem, quòd non pergat Dominus dicere etiam de nuru, vt de filio & filia, non præamandis. Sed immò alto id sermone dicit: nam, *qui non accipit Crucem suam & sequitur* inquit *me, non est me dignus*. Vt sit arcanus sensus: qui non separatur à Iudaismo à Synagoga, quæ nurus speciem habet aut socrus; (speciem quidem socrus comparatione ad Ecclesiam Gentium, vt diximus ex Augustino, speciem autem nurus, comparatione ad Ecclesiam absolutè, vt ipse exposui) non est me dignus. Et quidnam magis inuoluit separationem huiusmodi, ac tollere crucem? 1. Corinth. 1. *nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum*. Et quoniam præfata separatio etiam à propinquis posthabitis propter Christum ac dimissis, persecutiones ærumnas tribulationes omnis generis adfert; immò mortis pericula & ipsam mortem; hoc etiam ex capite ait: *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Huiusmodi crucem verè dignus Christo constanter acceperat Paulus, qui 2. Corinth. 4. aiebat, *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*: præmissis aduersariorum insultibus; *in omnibus tribulationem patimur*, &c. Adnectit Angelicus S ijs verbis, *mortificationem Iesu*, quod scribit ad Galat. vltimo, *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Quod certè est tollere crucem suam & sequi Christum. Et quoniam subdit Dominus; *qui inuenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*: Apostolus, qui plenè hæc hauserat, adijcit; *semper nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum; vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Vt vita Iesu* T idest vita gratiæ, quam Iesus dat; vel vita gloriæ ad quam Iesus per passionem peruenit, facto corpore glorioso & immortali; *manifestetur in corporibus nostris. Quid prodest bene viuere*, Augustinus Tract. 45. in Ioann. *cui non datur semper viuere?* Dicit autem, vt reor, *qui inuenit animam suam*, præsumendo, spiritualem ob causam, quasi vitam perdidisse. Et iterum dicit *crucem suam*; quia vnusquisque pro suo modulo eam ferre præcipitur.

S 2. Cor. 4. l. 3.

T loc. cit.

VERS. XL. *Qui recipit vos, me recipit*, &c.

40. Indicat præsens textus, hucusque de non recipientibus eos verba esse facta. Vnde nonnihil subdendum fuerat in recipientium commendationem, deque talium mercede. Excitantur autem ad recipiendum eos, atque non solùm hospitalitate benigna tractandos, sed vt Sermonis fert series, ad eos auscultandos; eoquòd sui ipsius munus obeant legationis, iuxta illud Isaiæ 57. *misisti legatos tuos procul*: quod de Apostolis V exponitur. Et sic vt id fiat alacriùs, atque in spem erigat retributionis, addit cessurum in Dei Patris obsequium: *& qui me recipit, recipit eum, qui me misit*. Disce è contra, quàm exitiale sit, eos non recipere; dum idem est, ac non recipere Deum. Ieremiæ 2. *scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum*. Et priùs; *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Glossa; *qui vos recipit, me recipit*, habet; *quia non aliud recipit in Apostolis, quàm quod in Christo est*.

V Matth. 24. ibi, prædicabitur hoc Euangelium.

VERS. XLI. *Qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ*; &c.

Quoniam sequenti cap. 11. legimus; *omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*, accipiendum est, quod hic dicitur, iuxta illud Ecclesiastici 24. *adhuc doctrinam, quasi Prophetiam effundam*; vt supra ad cap. 7. expensum est. Etsi ergo solius prædicantis atque docentis habeatur ratio, neque ad Deum qui eum misit, feratur receptoris intentio, non ibit à mercede vacuus; *mercedem Prophetæ accipiet*. Sic etiam qui recipit iustum in nomine iusti; glossa X *pro eo quod nominatur Iustus; mercedem iusti accipiet*. Quàm largus remunerator est Dominus! Quàm laudanda est sententia Ecclesiastici 41. *curam habe de bono nomine*; si solo nomine vel Prophetæ, vel iusti, impendenda sunt beneficentiæ, & charitatis officia! Cùm præfert quis specimen iusti aut Prophetæ, occurrendum est illi, succurrendum absque omni trepidatione. Non ita si agnoscatur peccator & impius. Ecclesiast. 5. *da bono, & non receperis peccatorem: & benè fac humili, & non dederis impio*: Cauendum est enim A ne sit in fomentum culpæ. Quod ex contextibus ibi claret. Hinc Hieronymus relatus in præfato Opusculo, contra Vigilantium: *Nec nos negamus cunctis pauperibus, etiam Iudæis & Samaritanis, si tanta sit largitas, stipes porrigendas; sed Apostolus docet, faciendam quidem ad omnes eleemosynam*, Galat. vltimo, *sed maximè ad domesticos fidei*. 41.

X opusc. 19. 7. circa medium, & hic D. Thom.

A 2. 2. 31. 2. 2. & q. 32. 9. 1.

VERS. XLII. *Et quicumque potum dederit* &c. *tantùm in nomine discipuli*; &c.

Postquam hospitalitatis, & sub ea officiorum omnium, bonorumque operum in Prophetam seu iustum vel solo munere ac nomine, commendauit studia; in quoscusque alios vel minimos quanquam tenuissima id erogatione præstetur, mercedem non amittendam adhuc definit. Nihil aquæ frigidæ potu magis exiguum. In quo ostenditur qualiter, *pusillum & magnum ipse fecit*, Sapient. 6. *& æqualiter est illi cura de omnibus*, quando nedum diuitibus, sed & pauperculis, vnde possint aucupari meritum, elargiendo vel ministrando aquæ frigidæ poculum prouidit. Iuxta quod Tobiæ 4. legimus; *si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude*. Hinc Lucæ 21. *vidua paupercula, quæ misit in Gazophylacium æra minuta duo, plusquam omnes misit*. At dices: pleonasmus videtur seu redundantia, dum dicitur *aquæ frigidæ*: frigida enim, vt innotescit, est aqua. Satis ergo fuerat dixisse, *potum aquæ*. Non dicit *calidæ*, ex Diuo Thoma, B propter inopiam lignorum, ne posset sic se excusare: vel vt minimum operis introducat. Adiderim ipse; quandoque licere etiam, immo expedire ad amplificandum figura Synonymia vti. Item fieri huiusmodi sensum: etsi nullo spiritus ardore, immo frigida cordis manu potum aquæ porrigas: quantumuis remissè dederis, mercedem accipies. Nullum certè bonum coram æterno Iudice irremuneratum. Quàm bonus Dominus, qui prætereà præmiat vltra condignum punitque citra? Cur autem appofuerit ly *discipuli in nomine*, Syntaxis scrutabitur. 42.

B D. Th. hic.

SYNTAXIS

Ad Caput Decimum.

VERS. I. *Et conuocatis duodecim discipulis suis* &c.

1. In præcedentibus plura inueximus; ex quibus deprehensum est, Matthæo diuinitus fuisse mentem, vt Christum astrueret Caput nosque eius membra, baptismi Sacramento effectos. Hoc aliisque consectariò prælibatis, eandem mysticam vnionem edisserit sub alia, sed ad eundem scopum ratione, quatenus Christus Dominus Caput est Ecclesiæ; *ipsum dedit* (Pater) *caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius*, vt dicitur Ephes. 1. & 5. ac 1. Corinth. 12. *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*; idest in vnitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi: vt ibi ait l. 3. computaturque quasi vna Persona cum suo Capite, vt 3. p. q. 49. a. 1. docemur. Hinc sine dubio hac de causa conuocasse *discipulos suos*, ait Matthæus. Dum scribo, Augustinum reperio Tomo 4. in inchoata Expositione Epistolæ ad Romanos; *Ecclesia quippe ex vocatione appellata est; Synagoga verò ex congregatione. Conuocari enim magis hominibus conuenit; congregari autem magis pecoribus. Vnde Greges propriè pecorum dici solent. Quanquam ergo plerisque Scripturarum locis, ipsa Ecclesia grex Dei, & ouile Dei, & pecus Dei vocatur: tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinet: & apparet, huiusmodi homines, non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissione, tamquam terreno pabulo esse contentos. Paulus ergo seruus Christi Iesu, vocatus est Apostolus; quæ vocatio illum coaptauit Ecclesiæ.* Nihil verbis Matthæi opportunius, quando habet; *& conuocatis duodecim discipulis*, ad corpus Ecclesiæ signandum. Isaiæ 40. *in brachio suo congregabit agnos*. Dicit autem *discipulis*, (quod opinor) quia fides, quæ Roman. 10. est ex auditu, discipulos reddit, iuxta quod ex Philosopho *in principio Metaphysices*; auditus est sensus disciplinæ. Dum de Ecclesia introducitur, de fide quoque tangi necesse est in ly *discipulis*, eo-

A Colos. 1. l. 5. quòd vt ait Angelicus A super illud, *permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles*: fides est sicut fundamentum, ex cuius firmitate, tota firmatur Ecclesiæ structura. Nec propterea putes, à priori renouatione seu regeneratione nostrum omnium per baptismum, de quo supra, deflexisse euangelicam seriem, quandoquidem de ipsamet Ecclesia subdit Apostolus Ephes. 5. *mundans eam lauacro*

B 3. p. 66. 7. 1. *aquæ, in verbo vitæ. Lauacro aquæ*, idest B baptismo: *in verbo vitæ:* hoc est C in forma baptis-

C 3. p. 67. a. 7. mi. Sequitur autem, *dedit eis potestatem Spirituum immundorum*; (quo nil cohærentius) vt Ecclesiæ puritas capiatur: subdente Paulo; *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*. Vnde si eiiciendi sunt Spiritus immundi; & quis ambigat desiderari puritatem? Ante baptismum expelluntur per exorcismos & exufflati-

D 3. p. 71. 2. tiones Clericorum, vt ait Cœlestinus Papa, D spiritus immundi. Et in hoc etiam mystica regeneratio concernitur, dicente Augustino Tractatu 52. in Ioan. *millia credentium à dominatu liberantur Diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite, vno eius spiritu fidelia membra vegetantur.* Post hoc, *curant omnem languorem & omnem infirmitatem*. Per languorem significari peccatum dixi capit. 8. ad v. 17. Et sic etiam ex Diuo Augustino in psal. 102. nec non ex Diuo E Thoma. Per infirmi- E hic c. 4.
tatem defectus nostræ passibilitatis notatur. Et id ex consensu ad ea quæ adiecit Apostolus, conijcio. Ait quippe, *non habentem maculam*, scilicet criminis mortalis; F *neque rugam* passibilitatis. Quod F Ephes. 5. l. 8. & 5. p. 8. a. 3. ad 2.
planè dicitur de Ecclesia immaculata, exhibita Christo sponso, hic per gratiam, & in futuro per gloriam: cum *reformabit* Philipp. 3. *corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Ecclesiam militantem ac triumphantem vnam esse tuetur Augustinus *in collatione tertij diei cum Donatistis*, ante medium, *in Tomo* operum 7. & in Apocalypsin Tract. 10. hom. 18. Tomo 9. Posset etiam vt reor intelligi, in Ecclesia potestatem esse remittendi culpam; quod per *languorem*; & pœnam etiam; quod per *infirmitatem*. De potestate clauium vide in 4. Sent. G vbi & de claue ordinis, ac de claue G 4. sent. 13.
iurisdictionis. Ad literam etiam ex 1. Corinth. 12. l. 3. quia maiores ministri in Ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent; quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum, quæ propriè pertinet ad officium Apostolorum; secundum, facultas docendi; tertium, potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ. Vide hic Apostolos vocari, mitti ad prædicandum, seu docendum, ac ad miracula patranda. Quæ tria & Lucæ 9. vt loco citato expendit Sanctus Thomas.

VERS. II. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon qui dicitur Petrus* &c.

Palam Apocalypsis 21. ait Ioannes, ad rem no- 2.
stram, *Murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*: vt ibi, & 1. Corinth. 12. lectione 3. & Ephes. 2. l. 6. notat Angelicus: sicut & opusc. 6. §. *sanctam Ecclesiam*. Et inde est, inquit, dici Ecclesiam Apostolicam, de quo & Roman. 8. l. 5. Deinde, *& fundamenta muri Ciuitatis, omni lapide pretioso ornata*. Quocirca Augustinus homilia 18. Tractatus 10. in Apoc. Tomo 9. *laco diuersitatem gemmarum, in fundamentis nominare voluit, vt dona diuersarum gratiarum, quæ Apostolis data sunt, demonstraret*. Signanter ergo Matthæus; *nomina* inquit *sunt hæc: sicut* (idem Augustinus) *de Spiritu-Sancto dictum est*; (1. Cor. 12.) *diuidens singulis prout vult*. Quo autem admirabilem Sacrarum Scripturarum concentum aure percipiamus fideli, operæ-pretium est Ciuitatis Ierusalem pretiosa nos effodere fundamenta; vt quod in eis speciatim natura indidit, arridere deprehendatur Apostolis duodecim, ex quibus surgat inconcussaque stet Ecclesia. *Fundamentum primum Iaspis*: Iaspis pretiosus est lapis, H qui semper viret, & visum confortat: ideo H Apoc. vtroque Comm.
congruè fidem significat. Certè Osee 2. legimus; *sponsabo te mihi in fide*. Christus, vt notum, sponsus est Ecclesiæ: Ioan. 3. *qui habet sponsam, sponsus est*. Inseparabilitas matrimonij quod est Sacramentum, I præcipuè causatur, in quantum significat I Rom 7. l. 1.
coniunctionem indissolubilem Christi & Ecclesiæ, vel Verbi & humanæ naturæ in persona Christi: de quo & supra capit. 5. ad v. 32. Meritò ergo quòd semper viret, fidem innuit; quæ aliàs visum mentis confortat. *Portæ inferi [illegible] non præualebunt aduersus Ecclesiam*, quæ [illegible] fundata est. Præterea meritò primum fundamentum est fides, quia prima est virtutum, *sine qua impossibile est*

de-

Hebræorum 11. *placere Deo*. Huiusmodi primi fundamenti typum gerit præ alijs Petrus re & nomine. Nomine quidem; quia *Simon* perhibetur, idest *obediens*: quod potissimè fides exigit, iuxta illud Roman. 1. *ad obediendum fidei*: vnde Angelicus, L in ijs obedientia locum habet, quæ voluntariè facere possumus; ijs autem, quæ sunt fidei, voluntate consentimus, non ex rationis necessitate; cum sint supra rationem. Nomine etiam, dum signanter adiectum est; *qui dicitur Petrus*. Nam sic eum appellandum decreuit Dominus Ioan. 1. *tu vocaberis Cephas*: (Syriacè) *quod interpretatur Petrus*. *Cephas*, interpretatur peritis *rupes* vel *saxum cautes* seu *lapis ingens* de quo infra c. 16. versu 18. Diuus Hieronymus *in Commentario* c. 2. *ad Galatas*. *Non aliud significat Petrus, aliud Cephas: sed quam nos latinè & græcè petram vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter se vicinitatem Cepham nuncupant.* Verum quia viro nomen inditur, masculinè ait Euangelista, *Petrus*. Cyrillus in Ioannem lib. 2. *Nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit, vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tanquam in Petra lapideque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam*. *Re* autem fidem suam præ cæteris manifestauit: cum Matthæi 16. fassus est, *tu es Christus filius Dei viui*. Ipsum Chrysostomus in Serm. apud Metaph. Mense Iunio sic alloquitur; *assiduè Domino & eius Sponsæ Ecclesiæ seruisti, qui feruenti spiritu Dominum dilexisti omnium Apostolorum fidelissimus*. Ipsi quippe indefectibilis fidei priuilegium, ad confirmandos fratres in fide, sua oratione à Cœlesti Patre impetrasse se perhibet Saluator Lucæ 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Sola quippe Romana Ecclesia, siue Petri Ecclesia, (notatu M dignum) in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad prædicandum, firma fuit, nec vnquam ab hæreticis deprauata, sed ab erroribus inuiolata permansit; iuxta verbum Domini Lucæ 22. *vt non deficiat fides tua*. Quod non solùm refertur ad Ecclesiam, sed ad fidem ipsius Petri. Recolat eruditus lector (quod & supra c. 1. n. 7.) Constantinopolitanam anno Domini 359. sub Macedonio: Alexandrinam anno 360. sub Georgio de Cappadocia: Antiochenam anno 273. sub Paolo Samosetano: Ierosolymitanam sub impio Ioanne secundo anno 383. fuisse fœdatas. *Fundamentum ergo primum Iaspis*, qui semper viret, typus est Petri; & in eo fidei.

L Rom. 3. l. 1 & 2. 2. q. 4. ar. 7 ad 3.

M 4. Sét. 3. 1. 2. 2. Opusc. 6. Matthæi 16.

Sequitur 3 *& Andreas frater eius*. Et in Apocalypsi: *secundum* (fundamentum) *Sapphirus*.

3. Sicut viridis est Iaspis, ita coloris cærulei purissimi est Sapphirus, instar sereni Cœli. Significat hac N de causa cœlestium bonorum spem. Quadrat autem Sapphirinæ spei ratio *Andreæ* nomini; qui certè interpretatur *virilis*. Obiectum spei est bonum futurum arduum O siue difficile, possibile adipisci. Ad hæc constat virilem non mollem aut effœminatum requiri animum. Iuuenes idcirco ob amplitudinem cordis P ex copia spirituum animosi sunt, bonæque spei. Vbi in psal. 26. legimus, *expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, exponitur ly *sustine*, pro *spera* in Domino. Sic enim alibi Q *quia sustinui te*, idest *speraui in te*. Ecce virilis esse sperare. Et iam Augustinus in ps. 22. arridet, vbi illud, *credo videre bona Domini*, atque *expecta Dominum, viriliter age*, illustrat dicens, *spera totum de misericordia eius*. Vt autem nomine, sic facto spem coluit Andreas. Audiens enim Ioann. 1. Baptistam dicentem; *Ecce Agnus Dei*: (*fides* Roman. 10. *ex auditu*) statim in spei actum erumpit, cum socio rogans; *Rabbi, vbi habitas?* Hoc fuit se Sapphirum ostendere, Cœloque inhiantem; idque ad nostram doctrinam; eo quod præuenit psalmi responsio p. 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in Cœlis*. Et ad hoc facit quod expendendum monet Ioannes ferens ly *Rabbi*, & addens quod dicitur interpretatum *magister*: quo innuatur vt reor, cœlestis sapphirina habitatio, vbi secundum Ieremiam c. 31. *non docebit vir fratrem suum, dicens cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, à minimo vsque ad maximum*. Quo circa Augustinus; *habemus vnum Doctorem in Cœlis; quem semel vidisse, totum didicisse est*. Ioelis 2. *dedit vobis Doctorem iustitiæ*. Et iterum ad spem indicandam respondet Dominus, *venite & videte*. Roman. 8. *Quod non videmus, speramus; nam quod videt quis, quid sperat?* Spes vt docemur R iuuat ad operationem. Quam operosus fuerit Andreas claret ex eo quòd *inuenit primum fratrem suum Simonem, & adduxit eum ad Iesum*. Est eadem virtus spei, S qua quis sperat sibi & alijs. Ephesior. 4. *sicut vocati estis, in vna spe vocationis vestræ*. Et si *fidei* symbolum extat *Petrus*, belle per *Andream* qui pro *spe*, adducitur ad Iesum, eo sensu, quo dicit Glossa apud Diuum Thomam, T *spes est introitus fidei, initium salutis; idest rei creditæ; quia per spem intratur ad videndum id quod creditur*. Adde illud ps. 77. *deduxit eos in spe*. Hebræor. 6. *spem, quam sicut Anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis*: Glossa, *incedentem, & incedere facientem ad beatitudinem cœlestem*. Præterquam vt ait Glossa relata 2. 2. q. 4. 7. 2. spes introducit ad fidem: inquantum ex spe quis perseuerat in fide, vel fidei firmiter adhæret. Fides tamen absolutè præit; neque enim potest haberi spes, nisi credatur beatitudo possibilis. Itaque cum *in spe* Isaiæ 30. *fortitudo*; cum Isaiæ 40. *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*; cum 1. Machab. 2. *omnes qui sperant in ipso, non infirmantur*, congruè fundamentum secundum spe sapphirina ac cœlesti *virilis Andreas*.

N Apoc. 21. vtroq. Comm.

O p. 2. q. 40.

P 1. c. 2. 6.

Q ps. 24.

R p. 2. 40. 8.

S 2. 2 q. 17. a. 4.

T ibi a. 7.

VERS. III. *Iacobus Zebedæi*.

Tertium, (fundamentum) *Chalcedonius*. Gemma pallenti lucernæ similis V perhibetur, & fulget magis sub dio, quàm in domo, calefactus à Sole. Scribunt apud Iacobum Tirinum, qualiter paulatim maturescens ruborem contrahit. Assimulatur etiam carbunculo, qui alio nomine pruna ignita vel pyropus dicitur. Vnde Exodi 28. v. 18. pro chalcedonio ponitur carbunculus, qui alio nomine dicitur pruna ignita. Communiter stat pro charitate. Congruit tertius locus, licet maior sit alijs, charitati, 1. Cor. 11. *nunc autem manent fides, spes, charitas*. Huiusmodi Ecclesiæ fundamentum prætulit Iacobus, inter Apostolos primus martyrio laureatus: quandoquidem charitas est, quæ vt docemur X inclinat ad actum martyrij, sicut primum & principale motiuum, per modum virtutis imperantis. Vnde in quodam Sermone Maximi dicitur; *charitas Christi in Martyribus suis vincit*: & sine charitate martyrium nihil valet; primæ Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. *Iacob*, vt patet Genesis 27. *supplantatorem* sonat. Cyrillus relatus in Catena, Lucæ 6. *Iacobus*, inquit, *supplantator doloris*. Supplantauit Iacobus, primus omnium Apostolorum, vt in Actis c. 12. ab Herode Agrippa occisus gladio, carnis mortisque defluentis dolorem, carnalem veluti sensum decepit; vt Iacob carnalem fratrem Esau, iusta quadam iuris redemptione supplantauit. De Stephano dixit Fulgentius; *charitatem pro armis habebat, & per eam vbique vincebat*; & Chrysostomus; *anima, cùm ignita fuerit igne diuino, ad nihil eorum, quæ sunt in terra, de reliquo respicit*. Iacobus hic dictus est *maior*: putant ad alterius Iacobi, qui fuit Alphæi seu Cleophæ filius, frater Domini

V Apoc. 21. vtroq. Comm.

X 2. 2. 124. 2. arg. 2.

mini, ideſt cognatus; quique dictus eſt *minor*, quòd vocatione poſterior: ſed fortè dictus eſt *maior*, prærogatiua charitatis, in cuius eſt typum; quæ alijs Theologicis virtutibus fide & ſpe *maior eſt*. Vbi dicit Matthæus, *Iſaac genuit Iacob*, ait Gloſſa, *ideſt ſpes charitatem*.

Sequitur; *& Ioannes frater eius*.

5. Poſtquam dictum eſt pro Ecclesia de fide ſpe & charitate; iuxta quod habet Apoſtolus Epheſ. 4. *vna fides: in vna ſpe vocationis: creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus; ex quo totum corpus compactum eſt, & connexum, &c. in ædificationem ſui in charitate*: pergitur ad quartum Eccleſiæ (*quæ corpus Chriſti eſt*) fundamentum, in Ioanne. *Quartum*, inquit in Apocalypſi, *Smaragdus*. Hæc gemma viriditate præpollet; gerentes eam reddit intuentibus gratioſos; imaginem ſicut ſpeculum reddit. Significat Virginitatem, A quia virorem carnis integræ ſeruat, quæ gratioſa eſt Angelis Deo & hominibus; & in ſe portat imaginem Chriſti, quia *ſequitur agnum quocumque ierit*. Teſte Theophraſto apud Tirinum, eſt Iaſpidis virentis proles. Ioanni Apoſtolo & Euangeliſtæ quadrat mirificè, qui *Virgo electus à Domino, Virgo in æuum permanſit*; vt idem probat etiam Tirinus. Et quia *Ioannes* interpretatur, *Domini gratia*: ecce de caſtitatis pudore Eccleſiaſtici 26. *gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata*. Eſt enim ſpecialiter Dei donum; Sap. 8. *& ſciui, quoniam aliter, non poſſem eſſe continens, niſi Deus det*. Super candorem caſtitatis, inſtar ſpiritualis picturæ, ponit Deus alias gratias. Opuſc. 41. l. 5. c. 51. & 64. In Ioanne autem mirabilius enicat ornatus Eccleſię, quo caſtiſſima deprehenditur Chriſti ſponſa. Auguſtinus in lib. de Virginitate: *Cum igitur vniuerſa Eccleſia Virgo ſit, ſicut dicit Apoſtolus; quanto digna ſunt honore membra, quæ hæc cuſtodiunt in corpore, quæ ipſa tota cuſtodit in fide?* Sanè, 2. ad Corinthios 11. inquit Paulus; *deſpondi vos uni Viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*.

A Apoc. 21. Com. 1.

Sequitur; *Philippus*.

6. *Eccleſia Dei viui* 1. ad Timoth. 3. dicitur *columna & firmamentum veritatis*. Firmamentum hoc accipe quale ſit à Petro in Epiſtola 2. c. 1. *habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. Conſecutiuè idem Apoſtolus Actorum 10. prompſit de Ieſu, *huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent*: & quidem adeo concorditer, vt vno veluti ore locuti ſint: Lucæ 1. Zacharias; *ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius*: & tunc, *apertum eſt os Zachariæ*; quemadmodum & de Petro ibi legimus; *aperiens autem Petrus os ſuum*: quod altiſſima elocuturos decere diximus ſupra initio Capitis 5. Iſthæc quinto Eccleſiæ fundamento, atque Apoſtolo Philippo perbellè arrident. *Quintum* quippe *Sardonix*. Pretioſus hic lapis ex Iſidoro B ex duorum nominum ſocietate dictus eſt; habet enim candorem vt onix, rubeſcitque inſtar Sardij, nigerque eſt in imo ex Gloſſa. Eccleſia nigrorem huiuſmodi haud improbat, dum Cant. 1. ait, *nigra ſum, ſed formoſa*. Quòd ſi *formoſa* ſeu pulchra, candida ſimul erit & rubicunda, ſicut dilectus eius; cui ait, *Ecce tu pulcher es dilecte mi*: ipſe autem ibi c. 5. *candidus* eſt deſcriptus *& rubicundus*: *pulcherima* ideo eſt *mulierum*, ac *inter mulieres*: cap. 6. *pulchra vt Luna, electa vt Sol*. Candida Luna eſt, rubetque ex Sole Cœlum. *Nox præceſſit*, Roman. 13. *dies autem appropinquauit*. Sicut de nocte, inquit Sanctus Doctor, C apparent vmbræ, ita priſco tempore eminebant legalia ſub quadam caligine myſteria: & fuerunt legalia *vmbra futurorum*, vt dicitur Coloſſ. 2. Ab hac nocte ſcripturarum aio ego, quæ claruit in auroræ candorem, & in rubicundi diei claritatem, Eccleſiæ fundamentum *Sardonix*. Symbolum etiam Apoſtolorum, (habet Diuus Thomas D) quod tempore perſecutionis editum fuit fide nondum publicata, occultè dicitur in Prima, & Completorio &c. Symbolum Patrum conditum fide iam manifeſtata, publicè ideo in Miſſa cantatur. Benè ergo Diuus Petrus propheticas de fide Chriſti ſcripturas lucernæ comparat lucenti: & ad idem facit Sardonix. Philippo iſta conueniunt re & nomine; nomine quidem, cum interpretetur *os lampadis*: rubeſcit enim flamma dum & ellycnium exurit; ellycnium ipſum, ſeu goſſipinum ſit, ſeu ſtupeum, aut huiuſmodi, album eſt; nigreſcit ſubtus lucerna, vel in *caliginoſo*, vt Diuus inquit Petrus, lucens eſt *loco*. Quòd ſi *propheticum* pro hac lampade aut lucerna accipiamus *Sermonem*, qui euaſit Chriſti Ieſu aduentu magis magiſque luceſcens, iſthæc facto oſtendit Philippus: quippe qui lucernam prophetici Sermonis memorat Ioannis 1. Nathanaeli dicens ei; *quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum*. Remigius, *in Catena*, id attigit: *Philippus*, ait, *interpretatur os lampadis, ſiue lampadarum; quia lumen, quo illuminatus eſt à Domino, mox inuento fratri, per officium oris, ſtuduit propinare*: & quia obſcurum claruit, adiecit, *veni & vide*.

B Apoc. 21. Com. vtroq.

C Rom. 13. l. 3.

D 2. 2. q. 1. a. 3.

Sequitur, *& Bartholomæus*.

7. *Sextum* (fundamentum) *Sardius*. Sardius ſanguinei coloris eſt. Vnde ſignificat E martyrij paſſionem, immo perfectam conſtantiam Martyrum, qui pro Chriſto *ſanguinem ſuum fuderunt*. Certè fundamentum inconcuſſum Eccleſiæ tot myriades ſunt Martyrum, cuiuſcumque gentis & linguæ, vtriuſque ſexus, omniſque etiam puerilis ætatis. Quis valeat Eccleſiã impetere, quibus queat inſultibus quati, quæ fundamentum huiuſmodi in aggerem fortiſſimum ſurgens arietantibus obijcit? Nulla profecto eſt ex falſis alijs omnibus Religio, quæ vel exiguo obtinuerit numero martyrij palmas. Maſſam appellat Auguſtinus phalanges Martyrum, qui fuſo ſanguine ſtabilire fidem. *Maſſa*, inquit, *Martyrum ex omni Gente, Tribu, & lingua, & vtroque ſexu collecta eſt*. Et refert Hieronymus in Epiſt. ad Heliodorum, ſe euolutis Romanorum Pontificum Annalibus, inueniſſe, Martyrum, qui pro fide Chriſti aſſerenda mortem paſſi fuerant, in tantum excreuiſſe numerum, vt ſingulo quoque anni die, poſſet Eccleſia trium millium Martyrum memorias & feſta celebrare. D. Antoninus in 3. Parte Titulo 31. §. 3. quinque mille ſingulis diebus, excepto die Kalendarum Ianuarij, fert percenſeri Martyres. Subdit; *tranſierunt inde anni mille, quibus etiam multa millia hominum martyrio coronata ſunt*. Vidi, qui enumeret vndecies millia millium. Hoc certè altum fuit Eccleſiæ fundamentum; nam ſi *effuderunt ſanguinem Sanctorum, velut aquam in circuitu Ieruſalem*, vt ait Pſalm. 78. adiectum eſt, *vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt, introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum*: vbi Auguſtinus; *eſt vindictæ genus, quo Eccleſiæ dilatationem & fœcunditatem in hoc ſæculo poſt tantas perſecutiones, quibus eam omnino perituram putabant, peccator & incredulus & inimicus videt. In diuerſis paſſionibus conſtituti orabant pro Eccleſia, vt dominica ſeges, vnde inimici eam putabant perituram, inde veracius pullularet*. Et ad calcem *confitebimur tibi in ſæculum*, habet, *permanente vtique vſque in finem, quam illi delere conati ſunt*. Hæc, vt mihi videtur, Apoſtolis omnibus quadrant, qui martyrio Eccleſiam confirmauerunt. *Petrus* (breuiter Diuus Antoninus loco præfato §. 2.) *Princeps Apoſtolorum crucifixus eſt capite deorſum: Paulus decapitatus fuit: ſimiliter & Iacobus: Andreas crucifixus*,

E Apoc. 21. vtroq. Comm.

cifixus, non cruci confixus, sed funibus in ea ligatus: Thomas transfixus: Iacobus minor à Pulpito proiectus pertica fullonis excerebratus est: Philippus etiam crucifixus: Bartholomæus excoriatus, postea decapitatus fuit: Matthæus gladio per latera transuerberatus est: Simon & Thaddæus, à Pontificis Idolorum ministris trucidati sunt: Ioannes Euangelista, Romæ in feruentis olei dolium missus, ex quo illæsus exiuit; secundùm aliquos, vt dictum est, adhuc in Paradiso terrestri viuit, cum Henoch & Elia per Antichristum decapitandus. Non sine mysterio igitur, *in circuitu Ierusalem* effusum, Apostolorum præsertim sanguinem ait Psaltes; dum nemo illorum euasit Martyrij passionem. Et *in circuitu*, quia fundamenta Ciuitatis Ierusalem suo sanguine compactione veluti quadam silicea fecerunt. Verum etsi cunctis Apostolis id conueniat; speciali quadam ratione Bartholomæus *sextum* est hoc *fundamentum*. Præ alijs obijcitur Bartholomæus sanguinei coloris, dum crudeliter adeo excoriatus est. Etsi gemma huiusmodi carnem humanam refert: vnde vulgò *carnerina* & corruptè cornerina (ita Tirinus) vocatur; quis nisi Bartholomæus carnem viuam ostendit? Ipse ergo acerbitate supplicij veluti Antesignanus Sardius est: sed proprio nomine signanter *Bartholomæus*. Exponitur *Filius suspendentis aquas*. *Bar* idem quod *Ben*, idest *filius*. Sed notant Chaldæis potiùs esse in vsu, quàm Hebræis. Sic itaque reor appellari, vel vt insinuetur soliditas fundamenti, in eo quod aquæ fluidæ suspenduntur: non secus ac Exodi 14. *aquæ erant quasi pro muro à dextris & à sinistris*. Ex ipso Tyrannorum contemptu, dum *velut aquam fuderunt sanguinem Sanctorum* muniuit Deus eadem metaphora Ecclesiam: Vel si pro aquis tribulationes accipias, vt passim sacris Interpretibus, dic *filium* dici *aquas suspendentis*; eo quod Genesis 7. *multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in sublime à terra*; idest F Ecclesiam, quæ tribulationibus creuit. Huc facit quod scribit Angelicus. G Vsque ad tempora Syluestri & Constantini, infinita Populi multitudo, & primò primi Duces Apostoli, Christo Domino dedicata est, quod fuit tempus 350. annorum, in quorum sanguine ac ipsorum vitæ meritis fundata est Ecclesia, tanquam lapidibus viuis & pretiosis, ac ineffabili fundamento: contra quod, nec venti nec pluuiæ: nec quæcumque procellæ diuersarum passionum ipsum possunt obruere. Deinde adimpletum est, quod dicitur Isaiæ 9. *pacis non erit finis*: apertæ sunt enim Ecclesiæ ab eo tempore, & cœpit Christus prædicari publicè, qui ante non poterat sine periculo mortis. In tam ergo cruento Martyre Bartholomæo, aio ipse, tanquam in pretioso ac pellucido Ecclesiæ fundamento Sardio ex lapide splenduit Christus, in eodem dictus *filius aquas suspendentis*; quandoquidem Matthæi 8. Marci 4. & Lucæ 8. *imperauit ventis & mari*; *& facta est tranquillitas magna*: glossa *aquas persecutorum compescuit*; *compescuit*, ex Hieronymo dicens, *tace edicta Regum iniquorum*; *& tranquillitas magna*, *idest pax Ecclesiæ facta est*. Ita in Catena. Verùm dic tu, *compescuit*, vel *suspendit*, quia non omnino amouit; suspendit vsque ad tempus; in quo reuersura est *tribulatio*, nimirum Antichristi persecutio seu *tribulatio magna* (Matth. 24.) *qualis non fuit ab initio Mundi*.

F opusc. 4. §. 3. & 2. Petri 3.
G opusc. 20. l. 4. c. 16.

Sequitur; *Thomas*.

8. *Septimum* (fundamentum) *Chrysolithus*. Auro est similis in colore, & dicitur à *Chrysos* quod est H aurum, & scintillas ardentes videtur emittere, vt dicit glossa: & significat sapientiam, quæ omnia dona superat; sicut aurum omnia metalla. Vbi Apocalypsis 3. legimus; *suadeo tibi emere aurum ignitum*, idest sapientiam cum charitate I inquit Angelicus. Ecclesiam pollere sapientia, vel ex eo constat, quòd Ephesior. 5. dicitur; *viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*: scimus autem ex lib. Sapientiæ cap. 7. qualiter, *neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia moratur*: & dum præmittitur; *sapientia Dei per nationes in animas sanctas se transfert*; non potest non transfusa esse in Ecclesiam, quæ *Sancta* in Symbolo decantatur. Diuus Antoninus in Prologo 3. Partis §. 2. exponit illud Psal. 44. *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, de Ecclesia, quæ documentis & Sacramentis fulget sapientia in auro; & ex D. Gregorio propter fulgorem suæ claritatis, significata est; quod & in psal. eundem D. Thomas. Ad hæc Ecclesiastici 15. *in medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus*. In medio L idest in consensu Ecclesiæ. Necessariam autem esse huiusmodi sapientiam in Ecclesia, lumine interius saltem diuinitus immisso, M ad hoc quòd alijs proponi possint ea quæ Dei sunt, firmat Angelicus. Addo ipse, necessariam esse & in tutamen dictorum. Hinc Apostolus Ephes. vltimo; *vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij*. Et si profundum est fundamentum; ecce in hoc quod *in medio Ecclesiæ aperitur os*, id significari; nam in apertione oris, N intelligitur doctrinæ profunditas: vt & initio capitis 5. diximus. Hoc est sapientiæ proprium Ecclesiastes 7. *alta profunditas*; *quis inueniet eam?* Et certè procedit O per altissimam causam proprijssimè, quia determinat de Deo, etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso, & alijs per reuelationem communicatum. Præditos hac sapientia Dominus misit. Infra capit. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas*. Et Lucæ 21. *ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri*. Sic Saulus Act. 9. hac sapientia *multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos, affirmans quoniam hic est Christus*: & verè *vt sapiens Architectus* 1. Corinth. 3. *fundamentum posuit*. Hac eadem etiam sapientia aiebat Petrus in prima cap. 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*. Facit ad rem, quod dicitur 2. ad Timoth. 3. *omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*: Sapientis enim est opus P non mentiri & mentientem refellere. Auctoritatem autem de qua supra Apostoli Petri, variè exponit Angelicus; primò Q vt ratio reddenda de fide, non sic parata sit, quasi sufficiat ad probandum, quæ fidei vel spei sunt, sed vt in communi vtriusque probabilitatem ostendat. Secundò vt R moneat ratione humana defendi, non verò probari quæ fidei sunt. Et sic expendit S non dixisse Beatum Petrum *parati semper ad probationem*; sed *ad satisfactionem*, vt scilicet rationabiliter ostendatur, non esse falsum, quod fides catholica confitetur. Quæ cuncta sermone nostro collegimus, ad Thomam refer Apostolum. Ipse quippe nomine *abyssus* est, quo nihil aptius ad profundam indicandam sapientiam: quo ideo nomine gloriamur in Sancto Doctore Aquinate. *Abyssus* ex Augustino sonat *profunditatem aquarum*. Iob 38. *nunquid ingressus es profundum maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?* De Thoma dixit Chrysostomus; & fertur in Catena Ioan. 11. *infirmior erat alijs, & infidelior; postea omnibus fortior factus est, & irreprehensibilis: qui solus Orbem terrarum percurrit*. Remigius etiam relatus hic Matthæi 10. *Benè autem abyssus interpretatur; quia quo diutius dubitauit, eo profundius effectum dominicæ passionis credidit, & mysterium* Diui-

H Apoc. 21. Comment. 1.
I 1. Cor. 3. l. 2.
L Psalm. 47. lit. e
M 3. cōt. Gent. c. 154.
N ps. 50. lit. g.
O p. p. q. 1. a. 6.
P 2. Tim. 3. l. 3.
Q 4. sent. 24. q. 1. a. 3. q. 2.
R 3. sent. 24. 1. a. 2. a. a. 3.
S opusc. 3. c. 2.

damnatio maneat? Sequitur: *excutite puluerem de pedibus vestris*; glossa: I *ad contestationem terreni laboris, quem pro eis inaniter susceperunt*. Puluis adhæret L pedibus; vnde hoc præcepit ad ostendendum, quòd laborem itineris in cassum subierant: Philipp. 2. *neque in vacuum laboraui*. Item per puluerem significantur temporalia, siue terrenus amor; & sic M per pedes affectus: huiusmodi amor est excutiendus Prælatis. Fertur ibi in Apocalypsi Haymo, vt pedes sint Prædicatores, qui Christum per totum Mundum prædicauerunt & portauerunt; Isaiæ 52. *quàm pulchri super montes pedes*; &c. Ezechielis 1. *pedes eorum pedes recti*; affectus N rectitudinem habent, dum non intentione laudis, aut lucri, verbum Dei annunciant, sed propter hominum salutem & Dei gloriam. Si excutiendus est puluis huiusmodi, iam pedes inuasit. Sic glossa relata ab Angelico O *puluis est leuitas terrenæ cogitationis, a qua nec summi Doctores possunt esse immunes, dum intendunt curis subditorum*: quod etiam, cum leue sit, ad inanem pertinere videtur gloriam. Quantumcumque P enim sint sancti Prædicatores, facilè aliquo puluere affectus eorum mouentur, vel ex aliqua vana gloria. Ioan. 13. lauit Dominus pedes discipulorum, dicens; *qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*. Loco præsenti, vbi dixi *facilè*, Diuus Thomas inquit, *oportet*; quod eo sensu est accipiendum, quo in psal. 23. *de necessitatibus meis erue me*; quia etsi omnes Q non tamen singuli motus peccati possunt vitari. Quia homo non potest R abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis; cuius motus singulos potest quidem ratio reprimere, (& ex hoc habent rationem peccati & voluntarij) non autem omnes; quia dum vni resistere nititur, fortassis alius insurgit; & etiam quia ratio non semper potest esse peruigil ad huiusmodi motus vitandos.

I opusc. 19. 15. — L D.Th. hic. — M hic, & Apoc. 2. ibi *pedes eius* Côm. 1. — N Rom. 10. l. 2. — O de malo q. 9. 2. 2. in *sed contra*. — P D.Th. hic. — Q de verit. 24. a. 12. ad 7. — R p. 2. 109. 8.

18. Existimo veruntamen, hoc non tam Apostolis, quàm successoribus eorum Verbum Dei prædicaturis dictum esse. Sicut Marci 13. *quod autem vobis dico, omnibus dico*. Neque enim fas est credere labes huiusmodi incidisse in Apostolos, cum Orbem peragrare cœperunt, confirmatos in gratia, repletos Spiritu-Sancto; cui vniuersali missioni præludit præsens. Vnde Paulus certè hunc non habuit, quem excuteret è pedibus puluerem, dum ad *Thessalonicenses* obtestatur, in prima cap. 2. *Neque in occasione auaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam*, &c. Quod si Actorum 13. idem Paulus & Barnabas id fecerunt, cum *excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium*; vel id in futurorum exemplum, vt à terrenis mundarent affectus suos; vel vt ostenderent, quoniam nec minimum quid, de illorum vellent substantia, factum est. Hanc expositionem de minimis etiam abdicandis typo pulueris exigui habes in Diuo Thoma in præsentiarum. Quod magis sonant Lucæ verba capit. 10. *exeuntes in plateas eius dicite; etiam puluerem, qui adhæsit nobis de Ciuitate vestra, extergimus in vos*. Et ita Augustinus lib. vno quæst. ex Matthæo: *excutite* &c. *aut ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissent; aut vt ostenderent vsque adeo se ab ipsis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem eorum sibi non paterentur adhærere*. Veruntamen Matthæus, non tam pro arguendis ac increpandis ijs, qui verbum Dei respuunt, quàm pro formandis viris Apostolicis hæc enarrat, vt puluerem excutiant, ne repellentium damnatio sit etiam Prædicatorum ex culpa. Hinc emicat Apostolici pectoris robur & fortitudo, quæ est in irascibili ad ardua, dum constanti obtestantur animo nec puluerum velle: immo vt apud Lucam, ipso in recessu, *appropinquasse Regnum Dei*, certè ad eos puniendos, minantur. Ecce in hac fortitudinis ostensione sanatos esse infirmos, (*infirmos curate*) exemplo ad nos transmisso virtutis suæ: cum sit infirmitas, quæ fortitudini opponitur, vnum ex quatuor, vt supra dictum est, S lapsæ naturæ vulneribus. Emicuit robur hoc in Paulo & Barnaba qui Actor. 13. *constanter dixerunt* &c. *Exalta* Isaiæ 40. *in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere*. Marcus cap. 6. addit excussioni pulueris, *in testimonium illis*; idest contra illos; vt ad v. 18. hic exponit Angelicus. T Veruntamen quia pulueri comparantur impij psal. 1. *impij tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*: puluis quippe V diuisus, siccus, & aridus; ecce diuisionem, quia non receperunt pacem; & ecce præterea ariditatem, quia sine aqua gratiæ; dum nubes cogunt abire: cuiusmodi sunt Euangelici Prædicatores; Iob 37. *nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum*: X *qui sunt isti qui vt nubes volant?* Isaiæ 60. Matthæus nihilominus omittit ly *in testimonium illis*, sicuti & Lucas: & ratio est, eoquòd mox subiecerunt iudicium. Tunc *testimonium reddente illis*, Rom. 2. *conscientia ipsorum*: Tunc, cum & Angeli aderunt, A non quasi rei, sed quasi testes ad conuincendum homines de eorum ignauia: non fuit necesse addi ly *in testimonium*. Tunc, *stabunt iusti* (Sapient. 5.) *in magna constantia, aduersùs eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum*. Dum excutiunt puluerem, in huiusmodi loci & temporis circumstantijs, nullus exprimitur tristitiæ aut doloris sensus, propterea quòd cum de iudicio agitur, *lætabitur* psalm. 57. *iustus, cum viderit vindictam*. Cæterum interne passuros, compassurosque in abscessu, non sit qui ambigat, dicente Paulo, *obedite Præpositis vestris*, &c. *vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes*. Gemunt enim Prælati B compatiendo, quando propter rebellionem nostram non consequuntur fructum laborum ipsorum. Isaiæ 33. *ecce videntes clamabunt foris: Angeli pacis amarè flebunt*. Vide quàm bene Apostolis quadret dici Angelos si annunciant; & Angelos pacis, dum inquiunt, *Pax huic Domui*. Quòd etiam nihil referatur de eorum fletu ac gemitu, indicat immo ingentem tristitiam, quæ mitigationis sit expers: quandoquidem vt docemur, C fletu aut gemitu mitigatur tristitia & dolor; iuxta quòd Augustinus quando dolebat de morte amici, (lib. 4. Confess. capit. 4.) *in solis gemitibus & lacrymis, erat ei aliquantula requies*. Sed planctum Apostolorum comitem testatur Psalm. *euntes ibant & flebant mittentes semina sua*: gemitum autem Dominus, qui statim eos comparat columbæ; *estote simplices sicut columbæ*. Nahum 2. *gementes vt columbæ*.

S p. 2. 85. 3. — T D.Th. hic. — V Psal. 1. — X opusc. 19. 10. & Heb. 13. l. 3. — A p. p. 113. 7. 4. — B Hebr. 13. l. 3. — C p. 2. 38. 2.

VERS. XV. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum*; &c.

19. Quod hìc ait Dominus, in Prophetis legimus; Ezechielis 16. *non fecit Sodoma soror tua, ipsa & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ*. Thren. etiam 4. *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*. Sed cum Sodomia sit peccatum D grauissimum: cum Genesis 13. dicatur; *homines Sodomitæ pessimi erant*: cum Apostolus Roman. 1. vitia contra naturam idololatriæ contermina faciat; quia (vt ibi) E cum idololatria incepisse videntur, & ea crescente creuerunt: oboritur difficultas de verbis Domini, qui aggrauat delictum Ciuitatis non recipientis neque audientis Apostolos, supra peccatum Sodomorum. In præsenti, F hoc intelligit Diuus Thomas, in quantum huiusmodi repudiatio videtur esse immediatè contra Deum. Alibi G generaliori ratione ex parte materiæ, quia isti circa spiritua-

D 2. 2. 154. 12. — E Rom. 1. l. 8. — F D.Th. hic. — G Thren. 4.

lia

H p. 2. 73. 5. lia delinquunt. Certè etiam ex Diuo Gregorio H *peccata carnalia licèt sint maioris infamiæ, sunt minoris culpæ, quàm spiritualia*. Veruntamen, quoniam ait Dominus, *tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum*, aliud indicat remissioris punitionis caput: nimirum excusationem quandam
I p. 2. 76. a. 3. & 4. ex ignorantia. Hæc nisi sit affectata I diminuit rationem voluntarij, proinde peccatum: quamuis non excuset à toto, eo quòd iuris sit & vincibilis. Sodomitæ deprauata ratione ex passione, vel propter prauas
L p. 2. 93. 6. consuetudines & habitus corruptos, non L reputabant vitia contra naturam peccata, vt etiam Apostolus dicit ad Roman. 1. vbi ait, *non probauerunt,*
M Rom. 1. l. 8. *Deum habere in notitia*: quod exponitur M etiam, vt non approbarent Deum habere in notitia facta humana, secundùm illud ps. 93. *dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*. Et vbi habet c. 5. *peccatum autem non imputabatur cum lex non esset*; non credebant, inquit, homines, quòd
N Rom. 5. l. 4. Deus N humana facta vel puniret, vel præmiaret; secundùm illud Iob 22. *circa cardines Cœli perambulat, & nostra non considerat*. In quantum credebant
O Rom. 1. l. 6. circa cœlestia O diuinam Prouidentiam occupari; ita quòd ad res humanas non se extenderet. Aduersus hos errores ps. 93. *qui corripit Gentes, non arguet?* & ps. 101. *Dominus de Cœlo in terram aspexit*. Iudæi certè excusationem repudiatæ prædicationis Apostolicæ nequibant ex ignorantia prætendere, dicente Apostolo ad Rom. 10. *nunquid Israel*
P Rom. 10. l. 3. *non cognouit?* idest; nunquid Populus Iudæorum P non cognouit ea, quæ pertinent ad mysterium Christi? Planè cognouit *instructus per legem*. Ps. *non fecit taliter omni nationi*. Faciat ad horum increpationem, quod ibi c. 2. præmittit Apostolus; *si enim tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis te ipsum esse Ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces?* Adde in eos dispersam Christi Domini opinionem; sup. c. 4. *abijt opinio eius in totam Syriam*: & vbique diuulgata miracula c. 9. *exijt fama hæc in vniuersam terram illam*. Quorum quippe fama, pro felici habere debuerant forte, tanti Magistri discipulos apud se habere. Hinc ipse Dominus Ioann. 15. *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Non sic erant deprauati illi qui Ioann. 9. dicebant, *quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Illuminatior Nicodemus Ioan. c. 3. dixit ei; *Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Ioannis 9. *à sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*. Ex his deprehende, quàm grauis meritò denuncietur culpa Ciuitatis, (non dicit ciuis vnius aut alterius) quæ collecta in vnum respuerit nuncios pacis. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi Ciuitati*. Apud Iudæos, quidam erant maiores & quidam minores. Maiores
Q 3. p. 47. 5. & 1. Cor. m. 2. quidem, qui eorum Principes dicebantur, Q cognouerunt eum esse Christum promissum in lege; omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura Prophetæ. Mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant. Sciendum tamen quòd eorum ignorantia non eos excusabat à crimine, quia erat quodammodo ignorantia affectata; videbant enim euidentia signa Diuinitatis ipsius; sed ex odio & inuidia Christi ea peruertebant. Minores verò idest Populares, qui mysteria Scripturæ non nouerant, non planè cognouerunt ipsum esse, nec Christum nec filium Dei. Licèt enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitauerunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem & efficaciam doctrinæ, tamen postea decepti fuerunt à suis Principibus, vt eum non crederent neque filium Dei, neque Christum. Igitur quia secundum Philosophum 9. Ethicorum, & secundùm consuetudinem loquendi; apud Diuum Thomam, R illud potissimè videtur esse R 1. p. 75. 4. 1. & 2. cor. 4. l. 5.
vnumquodque quod est principale in ipso: sicut quod facit Rector Ciuitatis & Concilium, dicitur Ciuitas facere; reor hanc quā Ciuitati minatur grauiorem in die iudicij vltionem, in maiores cadere, qui tanquam principales in ea, illius Ciuitatis nomine intelliguntur. Lucæ 12. *Qui cognouit, &c. vapulabis multis: qui non cognouit, vapulabit paucis*. Ignorantia, quia excusat aliquantulùm, *tolerabilius* patietur iudicium.

VERS. XVI. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.*

Erudit simul & præcauet præceptis hisce salutaribus, ne aliorum damnationis periculum emergat 20.
Prædicatorum ex culpa. Iudicij diem, quo perterruit, expectare tanquam oues hortatur, dicens; *sicut oues in medio luporum*; nam *oues statuet à dextris*. Oues autem decet esse inculpatas; 2. Regum 24. *Ego sum qui peccaui*, aiebat Dauid, *ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt?* Si ouis non fuerit Prædicator mansuetudine & innocentia pollens, timeat, ne magni iudicij die, aliorum sibi imputetur perditio. *Quanquam ituros ad lupos, mansuetudinem ouium habere vult: nec ad lupos duntaxat, sed in medio luporum: sic enim virtutem meam maximè ostendam, cum ab ouibus lupi superabuntur. Si oues sumus, vincimus; si lupi, vincimur; quia Pastoris abest auxilium, qui oues, non lupos pascit*. Ita ad hæc balat in morem ouis Pastor Chrysostomus. Vt in medio S luporum commorantes salutem eorum procurent, & plurimos morsus ab eis accipientes, non solùm non consumantur, sed & illos conuertant. *Lupus super oues venit*, (Gregorius ibi) *cùm quilibet iniustus & raptor fideles quosque atque humiles opprimit*. S Opusc. 18. c. 16.

VERSV eodem. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Plura trahuntur ex serpentis similitudine Prædicatoribus documenta. Serpentis est defendere caput, immo occultat, vt illud in quo vita est, protegat. Caput nostrum Christus est. Hoc caput inoffensa fide (qua *iustus viuit*) custodimus. De hoc magis in Syntaxi. Exuat Prædicator Coloss. 3. *veterem hominem cum actibus suis*; instar serpentis, & qua prudentia vsus est serpens in malo, gradatim sibi opportunè tentationem exorsus, polleat Prædicator in bono. Hæc Sancti Patres in Catena, & hîc Diuus Thomas. Quæ quidem legis in Paulo 2. ad Timoth. 4. vbi non solùm ouis mansuetudinem ei commendat, cum quibus oportet, dicens; *obsecra in omni patientia*: ne T iratus appareas, & ex ira instruas, sed tranquillè; Prouerb. 19. *doctrina viri per patientiam noscitur*, Psalm. 91. *benè patientes erunt, vt annuncient*: inter alias autem conditiones, habet ouis V vt sit patiens; Isaiæ 53. *tanquam ouis ad occisionem ducetur*. Sed vlterius tangit serpentis prudentiam; in primis seruandum caput; *fidem seruaui*. Item monet relinquere vetus exuuium, nouumque induere hominem, nimirum *viscera misericordiæ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, quas enumerat ad Coloss. vbi supra, dum ait, *obsecra in omni patientia, & doctrina; opus fac Euangelistæ, in omnibus labora*. Denique dicens *opportunè importunè*, Serpentis astutiam, qui ex par- T 2. Tim. 4. l. 1. V Matth. 25.

te

te debiliori, sic sibi opportunè viso, tentauit, nempe aggressus mulierem, Serpentis inquam astutiam in bonum vertit. Quocirca Hilarius; *ille animum primò molliotis sexus aggressus est: pari ergo opportunitate, introspecta cuiuscumque natura & voluntate, verborum adhibenda prudentia est*. Et ecce tam hic quàm in præfata Epistola vbi ait, *opus fac Euangelistæ*, hoc est, Euangelium prædica, Regnum Dei memorari: *per aduentum ipsius & Regnum eius*. Suprà, prædicate dicentes, *quia appropinquauit Regnum Cœlorum*: specialiter enim X spiritualiter in Sanctis regnat in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Sequitur, *& simplices sicut columbæ*: Prou. 11. *simplicitas iustorum diriget eos*. Ex quo constat serpentis similitudinem in bonum accipi; nam si in malum, non cohæreret de columba, quæ A astutia & dolo caret. Mirè autem ibi percurrit septem columbæ proprietates è regione ad septem Spiritus-Sancti dona, quibus Prædicatorum munera micant. Et quia ex Chrysostomo, *cùm oportet delictis ignoscere; mansuetudo quæ in columba demonstratur, necessaria est*: dum instar columbarum vult esse *simplices*, hoc est sine dolo, figuratè quod exprimit Apostolus, innuit: *Exhortatio nostra*, 1. Thessal. 2. *non de errore, neque de immunditia, neque in dolo*: sicut quorundam, B qui licèt verum dicant, habent tamen intentionem corruptam, quia non profectum Auditorum, neque Dei, sed suum quærunt honorem.

X loc.cit.

A 3.p.39. 4.ad 4.

B 1.Thes. 2.l.1.

VERS. XVII. *Cauete autem ab hominibus*, &c.

21. Etsi vocabulum hominis in bonum sonet; vnde Actor. 15. de Paulo & Barnaba, adijcitur, *hominibus, qui tradiderunt animas suas, pro nomine Domini nostri Iesu Christi*; & in Psal. 35. *homines & iumenta saluabis Domine*: nihilominus, certum est etiam accipi in malum: nam 1. Thessal. 2. ait Apostolus, *nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. Vbi discernit homines à Thessalonicensibus, & ab alijs: & passim se nolle *placere hominibus* contestatur. Quare videtur per homines, intelligere quos aliàs notat dicens 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit, quæ Dei sunt*. Ab huiusmodi ergo hominibus cauendum est. Et quia id quod caueri potest, sine dubio exterius est; nam 1. Regum 16. non videmus, nisi *ea quæ parent*; rationabile est, vt cauendus sit homo exterior, de quo 2. Cor. 4. *licet is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is, qui intùs est, renouatur de die in diem*. Secundum apparentiam C principalius in homine est corpus exterius cum sensibus suis. Vnde secundum iudicium illorum, qui tantum corporalia & sensibilia considerant, & *terrena sapiunt*, *quorum Deus* (Philipp. 3.) *venter est*, corpus cum sensibus dicitur homo exterior. Cautio est D quædam conditio prudentiæ, per quam aliquis vitat impedimenta agendorum. Qui cautè non ambulat insipiens est, non sapiens. Ab huius ergo farinæ hominibus admonet eos cauere, ne fortè credito in prædicationis officio imprudenter se gerant; tùm quia, Ecclesiastici 6. *aspera est nimium sapientia indoctis hominibus*; tum quia, Prouerb. 18. *non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius*; tum quia, *animalis homo*, vt dictum est 1. Cor. 2. *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; tùm denique quia, Ecclesiastici 22. *cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam*. Prudentia itaque est opus, & subinde cautio *ab hominibus*, qui humanitùs viuunt, vt hic ait Diuus Thomas. Non ergo vult ab ijs cauere, sic vt timeant, versu enim 28. ait, *nolite timere eos*, sed ne vbi spes desit fructus, se exponant periculis, cum gregis detrimento ac perditione: quo sensu ad fugam potiùs excitat dicens, *cum persequentur vos in Ciuitate ista* (versu 23.) *fugite in aliam*; vt paulo post explicabitur.

C 1. Cor. 4.l.5.

D Ephes. 5.l.5.

VERS. XVIII. *Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis suis*, &c.

Iam luporum similitudinem præscius futurorum edisserit, vt iacula præuisa minus feriant: confortans eos dum addit *propter me*. Porrò si licuit profano dicere, *dulce & decorum est pro Patria mori*, incomparabiliter suauius pro Christo mori. Hinc Actor. 5. *ibant Apostoli, gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contumeliam pati*. Quæ quia & à Gentibus passuri erant, adiecit, *in testimonium illis, & Gentibus*. 22.

VERS. XIX. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*.

Contra hoc videtur esse, quod legitur Apocalypsis 8. *Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se*: idest E vniuersi Prædicatores spiritu septiformi imbuti, *præparauerunt se*. De quo Gregorius; *in ore Pastoris magna debet esse consideratio locutionis: pensare enim debet Doctor quid loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur; si enim vnum defuerit, locutio apta non erit*. Certò si secus fiat, ait Diuus Thomas, posset esse præsumptio, vel inanis gloria: nisi in casu, in quo subitò prædicare oporteat; & nisi esset Prædicator multùm habens ad manum ea, quæ sunt Dei; propter altitudinem intelligentiæ, vel gustum experientiæ, vel donum illuminationis internæ. Ita quidem. Sed Apostoli, ex Glossa, fuerunt priuilegiati, quia Spiritus-Sanctus ita eis aderat, quòd non oportebat eos præmeditari. Sed alij, qui non sunt in hoc priuilegiati, præmeditari debent. Quocirca idem Sanctus Doctor: F non prohibet Dominus considerare ea, quæ sunt agenda vel dicenda, quando homo habet opportunitatem; sed dat fiduciam discipulis, vt deficiente sibi opportunitate, vel propter imperitiam, vel quia subitò præoccupantur, in solo diuino confidant auxilio: quia *cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad Deum*; sicut dicitur 2. Paralipomenon 20. Alioquin si homo prætermittat facere quod potest, solùm diuinum auxilium expectans, videtur tentare Deum. Sic Sap. 7. *in manu Dei sunt omnes sermones nostri*. Exodi 4. *ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris*. Veruntamen innuit, cum repentè vrget necessitas, ad futuram Dei gratiam, dicens *in illa hora*. Apostolis & Prophetis G ea, quæ sunt fidei, immediatè Deus reuelauit.

E Apoc. 8.Com.1.

F 2.2.53. 4.ad 1.

G 2.2.q. 6.a.1.

VERS. XX. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*.

Apostolus 2. Corinth. 13. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Hic reijciendus est error Priscillæ & Montani, H qui dicebant Prophetas non intellexisse, quæ loquebantur; proinde arreptitios fore nuncupandos. Absit hoc ab Apostolis & Prophetis. Arreptitij dicuntur, qui loquuntur motu Diaboli. Qui vt ait Diuus Thomas, nedum instigare solet voluntatem, I sed impedit vsum rationis. Et non imputatur arreptitij ad culpam; quia non habet vsum liberi arbitrij. Quando ergo non mouetur L homo secundùm rationem, tunc est motus arreptitius. Motio Diaboli perturbat rationem: impeditque vsum rationis, M mouendo imaginationem, & appetitum sensitiuum. Absit fuisse Prophetas arreptitios: hoc enim non congruit N diuinæ reuelationi, secundùm quam mens principaliter illuminatur. Absit arreptitios fuisse Apostolos, qui licèt essent O veluti instrumenta Spiritus-Sancti; (qui in eis idcirco dicitur locuturus) attamen non turbati, sed confortati erant ratione. Et vide quomodo ait, *qui loquitur in vobis*. 23.

H Hebr. 1.l.1.& 3. cont.Gēt. c.154.

I 2.Thes. 2.l.2.

L D.Th. hic.

M p. 2. 80.3.

N 3.Cōt. G.c.154.

O D.Th. hic.

bis. Hac ipsa forma Apostolus ad Hæbræos; *olim Deus loquens Patribus in Prophetis*; idest P in intellectu & potestate Prophetarum. Ex quo colligo, Diabolum non verè loqui in arreptitijs, sed potius per arreptitios. Ex lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus; *solus Deus mentem illabitur*: Hymnus, *illabere propitius*. Cordis mentisque penetralia nequit spiritus nequam inuadere. Contra vulnus ignorantiæ ecce medelam; *leprosos mundate*.

P Hebr. 1.l.1.

VERS. XXI. *Tradet autem frater fratrem in mortem*, &c.

Aiebat Philosophus, mortem esse vltimum terribilium. Vt ergo eos intrepidos ac infractos contra aduersantia cuncta reddat, duriori in expectatione exercet, & insurgentium sæuitiam idcirco exaggerat, vt ferreos quodammodo & adamantinos ad ictus quosque esse debere demonstret. Non parcendum itaque carni & sanguini, vbi cæco furore agnati in agnatos sæuient, prædicit: estque lupinæ crasis, quando eos mittit in medio luporum, explicatio.

VERSVS XXII. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum*.

24. Quidam codices addunt *hominibus*. Quod si ita sit, argumento est, bene supra expositum esse ly *cauete ab hominibus*, pro ijs qui diligunt Mundum prauo ac inordinato affectu, à quibus omnibus odio habendi erant; vnde c.24. ad Apostolicos viros; *& eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum*. Et iam huius odij causam aperit Ioan. 15. *si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de Mundo non estis, propterea odit vos Mundus*. Hinc in sua 1. Ioann.c.3. *nolite mirari fratres, si odit vos Mundus*. Exardescit autem odium post illatas offensas; *quia proprium est hominis odisse quem læserit*, ait Profanus. Subdit autem Dominus; *qui autem perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*. Innuit duraturam persecutionem & odium. Sed cum gratia pietatis accedit, quia nunquam deerit tribulatio, si non desit obseruantia pietatis, signum est, non inhærere rebus terrenis, qui eam patitur. Verum *quæ vitium seminum*, inquit Chrysostomus, *in principio quidem florescentium, postmodum autem tabescentium*: Ecclesiastici 10. *mane semina semen tuum, & ad vesperè non cesset manus tua*: propter hoc perseuerantiam expetit. Bernardus; *quid prodest currere, & ante cursus metam deficere?* 1. Cor. 9. *sic currite, vt comprehendatis*. 2. ad Timotheum 4. *cursum consummaui*. Bernardus item; *scias Diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam nouit coronari*. In hoc autem quod perseuerantiam recolit, tangitur constantia, patientia & fortitudo, quæ vt patet Q conueniunt ad inuicem & connectuntur. Actor. 13. *Tunc constanter Paulus & Barnabas*. Ps. 91. *bene patientes erunt, vt annuncient*. Hebreor. 11. *fortes facti sunt in bello*: ex quo Ecclesia; *Estote fortes in bello*. Quomodocunque autem sumatur perseuerantia, quamuis hic ex præmissis contra tristitias irruentes & exteriora impedimenta videatur potissimè accipi, semper R Dei donum est. Et ideo orandus est Deus, qui dirigat & protegat *vsque in finem*, vitæ huius nimirum sub vertibili arbitrio. Et hoc quidem satis innuitur alio sensu, *vsque in finem*, vt Christum, per quem *gratia & veritas* Ioan. 1. *facta est*, quique est Roman. 10. *finis legis*, præ oculis habeamus. Et sic faciendum, memorata perseuerantia per locum à contrario, nos Adam admonet. De quo quidem Augustinus; S *Primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero vsus arbitrio non stetit in tanta felicitate, cum tanta non peccandi facilitate: isti autem sæuiente Mundo ne starent, steterunt in fide*.

Q 2. 2. 137.1.

R 1.c.a.4. p. 2. 109. 10.

S 2. 2. 137.4.2.

VERS. XXIII. *Cum autem persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam*.

Mirè inquit, *in Ciuitate ista*. Et quænam est Ciuitas *ista* ostensiuè? Planius fuerat dicendum, *cum persequentur vos in vna Ciuitate, fugite in aliam*. 25.
Primam, quæ potuit velut digito ostendi, in terris ædificatam Gen. 4. reor intelligere Dominum: quæ quidem ædificata fuit à Cain, vocataque nomine filij sui Enoch. Huiusmodi Ciuitas terrena apud Patres *in Sylua allegoriarum*, Mundum significat. *Cum ergo persequentur vos* terreni ac iniqui, in Mundo, qui ex Augustino & Gregorio per Enoch significatur, iuxta quod vobis apertius dicam, Ioan. 16. *in Mundo pressuram habebitis*; tunc *fugite in aliam*. Vbi in sua 1. c. 3. dixit Ioannes ipse; *nolite mirari, si odit vos Mundus*, (quod cohæret dictis hic à Domino; *odio eritis omnibus*) præmittit de Cain, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum*. Post fratris autem necem, Ciuitas illa Enoch, per eum ædificari visa est: sensusque subinde sit, cœpisse aduersum iustos malignorum persecutionem. Et quid in persecutione huiusmodi agendum? *fugite* inquit *in aliam*. Certè Augustini argumentum in ijs satis nunquam celebratis libris viginti duobus, *de Ciuitate est Dei, ac de terrena*. Vnde contra Dei Ciuitatem ibidem c. 1. dolet *exardescere multos de terrena Ciuitate ignibus ociorum*: quod ad literam ait hic Dominus, *odio eritis omnibus propter nomen meum*. Et in 2. retractationum libro se inquit explicasse in quatuor libris *exortum duarum Ciuitatum, quarum vna est Dei, altera huius Mundi*. Quocirca lib. 15. c. 1. *Cain* astruit *pertinuisse ad hominum Ciuitatem, Abel autem ad Ciuitatem Dei*. Quarum si aueas ciuitatum nomen, habes in Tomo 3. ad finem, vbi collectæ sunt Augustini sententiæ. *Duas in toto Mundo Ciuitates faciunt duo amores: Ierusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi*. Hanc Ierusalem quam *gloriosissimam* dicit in exordio primi Libri, considerat, *vel peregrinantem inter impios, vel in illa stabilitate sedis æternæ, quam nunc expectat*, inquit, *per patientiam*. Ad hæc Chrysostomus in Oratione de Sancto Philogonio Tomo 3. *Quanquam translatus est, atque hanc, quæ apud nos est Ciuitatem reliquit; tamen in alteram adscriptus est Ciuitatem, nempe Dei*. In illam ergo fugiendum esse Apostolis, ait Dominus. Ly *aliam*, cum, vt notat Angelicus, T sit quoddam articulare nomen, distinctionem nonnullam sine dubio importat. O quam diuersa Ciuitas est Ierusalem ab illa Babylonia terrena! In meditationibus idem Augustinus de illa loquens; *nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac misera vita cernimus*. Ad illam Ciuitatem confugiebat Apostolus cum 1. Cor. 15. dicebat; *si in hac vita tantum, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Sed præmiserat c.4. *persecutionem patimur & sustinemus*. Quod quo pacto fieret explicat 2. Cor. 4. dicens, *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*. Vbi Diuus Thomas; V loquitur ad similitudinem viatoris, qui quando non patet ei via, qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur: quasi dicat; homines, qui solum in Mundo confidunt, angustiantur, si vndique à Mundo tribulantur, quia non patet eis via remedij, cum non sperent nisi de Mundo: sed nos licèt tribulemur in Mundo, quia tamen confidimus de Deo, & speramus in Christo, patet nobis via euasionis, & auxilij à Deo; & ideo *non angustiamur*. *Fugite ergo in aliam*, aio ipse; quandoquidem, sicut ex Gregorio; *consideratio præmij minuit vim flagelli*: quandoquidem Hebr. 13. *non habemus hic manentem Ciuitatem sed futuram inquirimus*. Qui sic mente ad eam Ciuitatem confugit, habet vnde perseueret *vsque*

T 1.p.31. 2.1.

V 2. Cor. 4.l.3.

vsque in finem, quod præmonuerat. Allegoricè quænam sit hæc Ciuitas, ad quam fugiendum, mox versu 24. Interim prudentiam ad literam docet disci-pulos & cautionem, de quibus iam dictum est. Per-
X Genes. 11. ad finem. tinet quippe ad sanam doctrinam, quando X habet quod faciat homo, non tentare Deum. Vnde Paulus *submissus est per murum*; & Christus etiam in exemplum nostræ infirmitatis fugit. Sic etiam infra c.14. post necem Baptistæ, *secessit in nauicula, in lo-*
A Matth. 14. *cum desertum seorsum*: quia A non est virtutis ex Hieronymo, sed præsumptionis se periculis ingerere. Sic & Moyses, qui vt ait Apostolus *fide reliquit*
B Hebr. 11.l.6. *Ægyptum*. Quocirca, B in timore duo consideranda sunt: vnum quod aliquando potest esse vituperabile, quando scilicet propter timorem facit homo aliquid non faciendum, vel omittit faciendum. Aliud est, quod potest esse laudabile, quando scilicet salua fide, refugit periculum propter timorem instantem. Si enim aliquis salua honestate sua, posset vitare periculum, & non vitaret, stultus esset, & tentaret Deum; quod est diabolicum. Et sic Iesus cessit volentibus ipsum lapidare, nec ad suggestionem Diaboli voluit se præcipitare; ita & Moyses confidens de diuino auxilio, fugit propter timorem Regis, ad tempus.

26. In terminis Quærit Angelicus, *Vtrum liceat E-*
C 2. 2. 185. a. 5. & hic. *piscopo propter aliquam persequutionem* C *corporalem, deserere gregem sibi commissum?* Et docet, vbi subditorum salus id exigit, obligari Pastorem ad non deserendum personaliter suum gregem, quocumque ex periculo, cum *bonus Pastor animam suam teneatur ponere pro ouibus suis*. Quòd si eorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris, per alium prouideri; tum licet Pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum temporaliter gregem deserere. Vnde August. in Epistola ad Honoratum, *fugiat de Ciuitate in Ciuitatem serui Christi, quãdo eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi, qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent.* Sic cum Paulus Actor. 25. appellauit Cæsarem, fuit hoc
D 4. sent. 36.2.4.a.1 3. & Opusc.19. c.15. implere metaphoricè, quod hic monet Dominus, *fugite in aliam*; quia D per eius mortem, vel incarcerationem, impediebatur fructus prædicationis. Sic ergo, vt vides, quandoque prudenter expedit fugam arripere. Sic, vt mihi videtur, odium persecutorum, habet vnde frigescat; & ita *Dæmones eijciant*, vulnusque malitiæ sanent; iuxta quod ait de Apostolis Chrysostomus; *cum enim essetis animatæ quædam incudes, dum verberaremini, eos, qui vos verberabant, fabricatis estis ad cognitionem*. Hoc autem quod subdit; *Amen dico vobis; non consummabitis Ciuitates Israel, donec veniat filius hominis*; est in expositoriam intelligentiam causæ fugiendi quam attulimus; subinnuitur enim, grandem eis restare peragendam viam; iuxta illud *messis quidem multa*; iuxta etiam Chrysostomum, qui ait; *non ad vnam quippe Vrbem, aut duas aut viginti eos misit, sicut mittebat Prophetas, sed ad omnem terram, totumque Mundum*. Vnde ad martyrium se vltrò non debebant offerre. Et sic Apostolica hæc missio in Iudæam, præludit vniuersali missioni, cum eisdem dicturus erat; *euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ*, Marci 16. Et Lucæ 24. *prædicari in nomine eius in omnes Gentes, incipientibus ab Ierosolyma*. Et Matthæi vltimo, *euntes ergo docete omnes Gentes*. Quapropter nuper dictum est; *in testimonium illis, & Gentibus*: repetiturque infra cap. 24. *in testimonium omnibus*
E Matth. 24. *Gentibus*: quia qui credent, erunt in testimonium aduersus eos, E qui non credent: vel ipsa prædicatio, ex Hieronymo, erit in testimonium; ita vt sint inexcusabiles. In eo autem quod adiecit, *donec veniat filius hominis*, magis claret de vniuersa prædicatione fuisse prælocutum, dum dixit, *non consummabitis Ciuitates Israel*; quia ante & circa finem Mundi (tunc *veniet filius hominis*) F vt considerat Augustinus, Ecclesia in omnibus Gentibus ædificanda est. *Tunc*, Matthæi 24. *veniet consummatio*. Progressum ergo, iuxta quod ait Apostolus Coloss. 1. *veritatis Euangelij, quod fructificabat & crescebat* in vniuerso Mundo diffamatum, vt locis citatis firmat Chrysostomus, progressum inquam per viros Apostolicos perficiendum tangit, tacta laboris meta, cum postea venerit; *donec veniat filius hominis*: nimirum, vt facilè intelligis, ad iudicium. Quare etsi Rabano visum fuerit, vt ly *donec veniat* referatur ad ipsius resurrectionem, non adeo arridet isthæc expositio, nisi de Ciuitatibus Israel carnaliter accipiatur ly *non consummabitis Ciuitates Israel*: certū est enim, antequam resurgeret, nō peragrasse vniuersam Palæstinam. Sed altius videtur magis debere accipi; sicuti ait Apostolus Roman. 9. de Israelitis; *non enim omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*. Ioann. 10. *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*; & c. 1. *Ecce verè Israelita*, de Nathanaele, *in quo dolus non est*. Spiritualiter ergo debent intelligi & *Ciuitates Israeli* vt quæuis creditura Ciuitas etsi gentilis, verè *Ciuitas Israel* dici mereatur: nam inquit Angelicus; illi sunt veri *Israelitæ*, qui sunt *recti & videntes Deum*, per fidem G. Isaiæ 44. *rectissime quem elegi*. Vnde Sanctus Doctor vtramque nominis interpretationem, quam attuli Genesis 32. num. 6. ibi ad Romanos amplectitur.

F Rom. 10.l.3. & Col.1.l.2.

G Rom. 9.l.2.

VERS. XXIV. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum.*

Ecce alio sensu, quomodo *in aliam fugiant Ciui-* 27.
tatem: Christus ipse est vrbs, de qua Isaiæ 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion. Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* H Murus interior est Diuinitas, siue virtus Diuinitatis; antemurale exterius est humanitas seu meritum humanitatis. Ipse est in exemplum, & refugium; vt opinor, Ciuitas de qua loquitur. Ioan. 15. *si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Petrus in sua 1. c. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*: Thren. 3. *dabo eis scutum cordis laborem tuum*. Bernardus; *videntes angustias Domini nostri, leuius nostras portabimus*: Gregorius; *si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeo durum, quod non æquo animo toleretur*. Praiit ergo vt Magister; nam Act. 1. *cœpit Iesus facere & docere*. Veruntamen se quoque Dominum perhibet, vt, quod ait Chrysostomus, *non crederetur ex infirmitate Magistri tam grauia mala descendere: nam etsi facere potuisset, vt Leonibus terribiliores effecti nihil mali paterentur; tamen sic magis suam ostendit virtutem, cum tandem ab ouibus lupi sunt superati*. Verùm ne vltra modum fortè audeant, *sufficere*, inquit, *vt sit discipulus sicut Magister eius, & seruo, sicut Dominus eius*, qui & ad indulgentiam & ad exemplum quandoque declinauit. Inducit autem similitudinem adhuc de *Patrefamiliar, quem vocarunt Beelzebub*: sed de ea in Syntaxi. Admonet tamen discipulos ad sustinendum; sicut ipse, vt ait Apostolus Hebræor. 12. *sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*, idest afflictionem I in verbis; vnde dicebant, *vah qui destruis Templum Dei*. Vnde est illud Isaiæ, *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*; idest L meis miraculis detrahentem. *In Beelzebub* &c. Oseæ 4. *Populus tuus, sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti*. Et iam Simeon Lucæ 2. id præuiderat dicens,

H Isaiæ 26. Opusc. 41.l.2.c. 5.& Apo. 21.Com. 1.

I Hebr. 12.l.1.

L Rom. 10.l.3.

dicens, *in signum cui contradicetur*.

VERS. XXVI. *Ne ergo timueritis eos: nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur*.

28. Admonet ne persecutores timeant: igitur, cum prius fugam consuluit, profectò non ex timore, sed studio magis prudenti ad aliorum iuuamen. Aiebat Psaltes, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Certè Magistri est illuminare discipulos; & ps. 3. *Domini est salus*. Ecce hic se Dominum, se magistrum vocat. Apostolus Actorum 20. hisce animatus verbis Domini aiebat impauidus; *vincula & tribulationes Ierosolymis me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem me*. Immò alios ad tolerantiam hortabatur 2. Corinth. 6. dicens, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia; in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis in carceribus, in seditionibus*: & paulo post; *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces*; &c. Quibus similia & in 1. ad Corinth. 4. *puto enim, quod nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos*: & post alia; *colaphis cædimur, & instabiles sumus; maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus; tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus; omnium peripsema vsque adhuc*. Blasphemamur; idest

M 1.Cor. 4.l.2. M blasphemiæ imponuntur nobis, dum dicimur Magi vel malefici, & reputamur Dei inimici. Veruntamen habet ibi Apostolus ly *vsque adhuc*; quia quandoque deficiet, secundùm illud Sapientiæ 5. vbi ex ore impiorum dicitur; *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij*. In quo, vt vides, tangitur iudicij expectatio in horum omnium leuamen; in quo, vt ibi præmittit, *veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo*. Quibus verbis hausisse quod eloquitur hinc ex Matthæo deprehenditur: vbi ait Dominus, *nihil est opertum, quod non reuelabi-*

N D.Th. hic. *tur*: opertum quippe est aliquid N etsi ex se manifestum: occultum, quod ex se latet, vt quod quis habet in corde: *nihil occultum quod non sciatur*. Inde addit *consilia cordium*. Et huc facit quod lib. 4. in Lucam c. 52. scripsit Beda; *veniet profectò tempus, in quo vestra virtus omnibus, & Pharisæorum reueletur hypocrisis; quando cuncta cordium inabscondita proferentur ad lucem*. Et hoc est *fugere in aliam Ciuitatem*, nempe *in gloriosissimam Dei, in illa stabilitate sedis æternæ, quam nunc expectant per patientiam; quoadusque iustitia conuertatur in iudicium*: quo pacto exorditur Augustinus c. 1. diuinos eos *de Ciuitate Dei*, libros. Et hæc in impiorum comminationem terroremque prostant, iuxta quod Machabæorum supremus lib. 2. c. 7. dixit Antiocho flagitiosissimo: *nondum Omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti*.

VERS. XXVII. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta*.

29. Iniungit vt tota libertate se prodant. Idem est ergo ac quod fertur Lucæ 9. *qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua*, &c. Et quidem cohærenter; nam hic quoque præmissum est de iudicio: *donec veniat filius hominis*: & iterum, *nihil opertum, quod non reuelabitur, neque absconditum, quod non scietur*. Sic etiam aiebat Apostolus Rom. 1. *non enim erubesco Euangelium*. Habemus infra c. 20. *assumpsit Iesus duodecim discipulos secretò*; passionemque suam, mortemque Crucis præmonuit. De his etiam Luca 9. prædixerat, priusquam erubescendum prohiberet: ergo & hic, dum vt prædicent super tecta præcipit, quod est, non erubescere suos sermones, meritò de sui ipsius persecutione, de opprobriorum contemptu, & de Crucis magisterio, quamquam sit Dominus gloriæ, nonnihil tetigit. *Crux* enim, vt ait Augustinus, *non solùm fuit patibulum patientis, sed etiam Cathedra docentis*. Apostolicam igitur libertatem, quam nedum discipuli, sed post eos, euangelici Prædicatores alij habituri erant, hisce verbis insinuat, eamque Dei munere, Spiritus-Sancti robore, Domini ac magistri sui mediatione ac exemplo, Apostolos præadeptos, exitus ipse monstrauit, cum ps. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*. Adeò enim palam *in lumine*, adeò altè *super tecta* prædicarunt, vt per totum Mundum O saltem quoad famam, infra spatium quadraginta annorum, diuulgatum sit Euangelium, nempe ante destructionem Ierusalem, vt expendit Chrysostomus. Sonum ergo Apostolicarum tubarum fas sit dicere hausere tecta. Ad literam, quibusdam in Regionibus, Tecta sunt plana: vbi quasi è suggestis quis declamaret. Isaiæ 40. *exalta in fortitudine vocem tuam*. O Col. 1. l 2.ps.17. lit. h. ps. 44. lit. d. & hic c. 14.

Suboritur duntaxat difficultas nonnulla, quia Dominus ipse Ioan. 18. dixit; *in occulto locutus sum nihil*: iuxta quod etiam Matthæi 5. *neque accendunt lucernam, & ponunt ea sub modio*; atque etiam Marci 4. *nunquid, venit lucerna, vt sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne vt super candelabrum ponatur? lucerna* idest P vera & honesta doctrina. Soluit Hilarius exponens mysticè, quod hic ait sonans occultam fuisse ipsius doctrinam; quia cùm, non legamus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam tradidisse in tenebris, fiat sensus carnalibus sermonem eius euasisse tenebras, & verbum eius, infidelibus noctem. Q Ephes. 5. *eratis aliquando tenebræ*. Præterea dici potest; omnem suam doctrinam occultam fuisse, nondum manifestata R Ecclesia, fideque nondum publicata. (innuit fidem dum ait *in aure auditis*; nam *fides ex auditu*) Fides tenebras passa est, persecutionis tempore: vnde Symbolum ad hoc significandum occultè dicitur in Prima & Completorio. Item *in aure, & in tenebris*; quia Prou. 10. *sapientes abscondunt scientiam*: ex quo parabolis vtebatur. Nihilominus adhuc verum est, *nihil in occulto fuisse locutum*; eo quòd omnem S doctrinam suam, vel turbæ toti proposuit, vel omnibus suis discipulis. Vnde Augustinus dicit super Ioannem: *quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur? præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos vult innotescere multis?* Et iterum quia parabolarum apertam & nudam veritatem discipulis exponebat; per quos deueniret ad alios, qui essent idonei: non enim omnes erat digni & idonei. Absit, aio ipse, studuisse occultari *verba vitæ*, vt Ioannis 6. professus est Simon Petrus. 30.

P 3.p.42. 3. — Q 1.c.ad 1.& hic — R 2.2.1. 9.6. — S 3.p.42. 3.& ad 1. 3.

VERS. XXVIII. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus*, &c.

Fortiores discipulos sensim facit. Paulo ante, ne persecutiones timerent, nunc ne mortem, quamuis maximum terribilium, timeant, confortat; quamuis violenter illatam ab ijs *qui occidunt corpus*. Poterant hinc vim præscientiæ eius agnoscere. Vbi supra Isaias præmisit; *exalta sicut tuba vocem tuam*, adiecit & ipse, *exalta, noli timere*. Diuus Petrus etiam in prima cap. 3. *timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbamini*: id quod præmonuerat in Isaia c. 8. *& timorem eius* (Populi coniurantis) *ne timeatis, neque paueatis*. Dat ergo Dominus præcepta T fortitudinis. In nouo enim Testamento, instruendi erant homines, qualiter spiritualiter certando, ad possessionem vitæ æternæ peruenirent: nam, vt in Cap. sequenti, *Regnum Cœlorum vim patitur*, 31.

T 2: 2; 140.1.1.

patitur, & violenti rapiunt illud. Et quia homines ad spiritualia bona tendentes, retrahi possunt per temporalia pericula, ad mala fortiter sustinenda roborantur. Est autem considerandum qualiter non
V 2.2.19. a.3.& 9. timorem quemcumque, sed v timorem mundanum siue humanum amandat Dominus: puta quo Petrus negauit Christum: proceditque ab amore humano tanquam à mala radice. Quia tamen Philosophus in 3. Ethic. c.7. eum, qui nihil timet, puta nec terræmotum neque inundationem, insanum dicit; ne putes insanos velle discipulos. Quandoque
X 2. 2. 125.1. x appetitus timendo refugit id quod est secundum rationem fugiendum; & tunc non est appetitus inordinatus, nec peccatum. Quandoque appetitus fugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda, ne desistat ab alijs, quæ magis prosequi debet; & tunc timor inordinatus est, & habet rationem peccati. Ex hac doctrina fas est accipere, magnum quid prosequendum etiam cum vitæ discrimine, subinnuere Dominum; nimirum Euangelicam prædicationem; ex qua & in qua salus animæ, quam toti Mundo præferri necesse est, vt Marci 8. v. 36. vbi præmisso, *qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam*, adijcit, *quid enim proderit homini, si lucretur Mundum totum?* &c. De quo & Lucæ 9. v.25. Et iam hic etiam de anima introducit dicens; *animam non possunt occidere*. Et statim, *sed potius timete eum, qui potest animam & corpus*
A 2.2.19. 9. *perdere in gehennam*: timore nimirum casto A & filiali, qui donum Dei est.

VERS. XXIX. *Nonne duo passeres asse veneunt*, &c.

32. B Opusc. 2.p.2.c.6. & hic. Cum præmissum sit de vitæ discrimine; ne timeant, diuinam tangit B prouidentiam. As, valde exigui valoris ac ponderis, æris est moneta, quamuis prima sui institutione libram sonaret, duodecim vnciarum. Est itaque paruus nummus, nec vnciam æquans, cui respondere potest Baiochus Italicus, vt apud Tirinum in Prolegomenis. Verosimile autem est, minorem non fuisse nummum asse apud Hebræos; & sic ait Diuus Thomas; sicut vnitas est minimum in numeris, ita as in ponderibus. Ex huiusmodi minimo, ac ex auicularum vilitate, diuina magnificatur Prouidentia. Lucæ 12. fertur sententia isthæc variè; *nonnè quinque passeres veneunt dipondio? & vnus ex illis non est in obliuione coram*
C D. Th. hic. *Deo*. Quocirca inquit Diuus Thomas C proportione nihil discriminis esse. Dipondium quippe duo sunt asses. Stet, vtrumque dixisse Dominum quadam veluti gradatione. Sed quod suo faciebat scopo Euangelistas seorsim retulisse. Interim apud Hilarium duo passeres sint mysticè corpus & anima; & istorum *vnus cadit super terram*, scilicet corpus: sed non sine voluntate Patris. Necte illud Ecclesiastes 12. *reuertatur puluis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Cohærenter quidem ad præhabita, ne timeant mori.

VERS. XXX. *Vestri autem capilli Capitis, omnes numerati sunt*.

33. D Opusc. 41.l.4.c.2. Exponitur textus iste, vt sit D in documentum qualiter custodiens præcepta Domini, queat ab omni præseruari malo. Dic ergo dictum esse, ne quispiam tam grauia mala putaret ex Magistri infirmitate aut neglectu descendere. Verum specialis erga
E Opusc. 2.p.2.c.6. homines E innotescit hinc prouidentia, quando de capillis tam exacta est Deo cura, quemadmodum & præmisit de duobus passerculis. Facit huc quod scribit Ambrosius Serm. 26. *Per numerum curam circa nos, solicitudinemque cognoscimus: nemo enim numerat, nisi quod vult diligentiùs custodire: nemo numerat, nisi quod veretur, ne fraudem absque numero patiatur. Habetur sub tutela, quod habetur in numero. Quod si capillorum nostrorum meminit, multò magis nostrarum animarum meminit*. Quoniam autem alias, vt dicitur Sap. 11. *omnia in mensura, numero & pondere*, disposita sunt: vnde & in ps. 146. *qui numerat multitudinem stellarum*; non sistat euangelica intelligentia in arithmetica duntaxat supputatione: altius enim quid importatur; nimirum vt hoc dicatur, nedum per modum cognitionis, sed per modum cuiusdam principalis præfinitionis: quo pacto apud Diuum Thomam F Prædesti- F 1. p.23. a.7.
natorum numerus Deo cordi est; vt ibidem dilucidè tradit. Hoc ergo tangit Dominus, quia vt ait Gregorius; *consideratio præmij minuit vim flagelli*. Ex his autem vnà simul fidem astruit resurrectionis; G G Opusc. sup.cit. & 1.p.q.54. 2.
tanquam totum quod est hominis, sit in resurrectione reparandum: Lucæ 21. *capillus de capite vestro non peribit*. Quapropter omnis diffidentia à nobis debet excludi: vnde & subdit; *nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos*. Quia nihil possunt, nisi quantùm Deus permittit, vt ait Angelicus Philipp. 1. l. 4. ferens illud Lucæ 21. *Capillus de capite vestro non peribit*; ps. etiam 1. *& folium eius non defluet*.

VERS. XXXII. *Omnis ergo qui confitebitur me*: &c.

Causam persecutionum, publici odij ac mortis 34.
non tam apertiùs indicat quàm celebrat, fidei nimirum confessionem; *omnis qui confitebitur me*; quemadmodum supra dixerat, *propter me*. Rom. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Triplex est confessio, quæ in Scripturis laudatur; H vna propriæ iniquitatis, secundum illud H Rom. 10.l.2. & 2.2.q.3.a. 1.ad 1.
Psalmi; *dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino*: altera, secundùm quam homo confitetur Dei Bonitatem, misericorditer beneficia præstantis; ps. *confitemini Domino, quoniam bonus*: & hæc est confessio gratias agentis: tertia est confessio diuinæ veritatis, de qua in præsenti. Prima pertinet ad pœnitentiam: secunda est actus latriæ: tertia est actus fidei. Sic Christum Dominum confessa est Margarita dicens *genere sum nobilis, professione Christiana*: & sic Sancti Martyres omnes; quos proinde pollicetur se ampliori remuneratione donaturum, dum ait, *confitebor & ego eum coram Patre meo*. In hoc certam eorum prædestinationem significat; quia vt legitur 1. Ioan. 2. *in hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est*: & Apoc. 20. *vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis; & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei*. Potest autem ly *confitebor* accipi in confitentium collaudationem, I eo quod I Ps. 43. Apoc. 3. Com. 1.
laudabuntur a Christo; Ps. 43. *in Deo laudabimur tota die*; scilicet die æternitatis. *Confessionem pro laude poni, multis locis Sacrarum Scripturarum insinuauimus*, inquit August. ps.78. Eccles. 39. *hæc dicetis in confessione*. Vel vt in Apoc. *confitebor* idest dabo testimonium eius iustitiæ acceptabili coram Patre meo; scilicet in iudicio. Cæterum videtur mihi tangi martyrij vel doctoratus præmium; quod L Theologis *aureola* dicitur, seu *coronula*, in signum victoriæ. Et quidem opportunè postquam L 4. Sent. 49.q.5.
prius dixerat de essentiali præmio, quo coronatur perseuerantia; *qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Et si roges an semper necessarium sit fidem confiteri? Respondetur M. Non semper, neque in quolibet loco esse de necessitate salutis, sed in casu; puta cum exposcitur alicuius fides à persecutore; per omissionem enim tunc confessionis, subtraheretur honor debitus Deo; cum scilicet si taceret, crederetur quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera. Item in casu, quo ob ipsius taciturnitatem proximis subtraheretur vtilitas; sic vt eorum fides periclitaretur, vel de M 4. Sent. 49.5.2. 3. 2. 1. & 2. 2. q. 3. 2. ac Rom. 10. l. 2.
facto

facto auerterentur à fide. Ex quo Prælati debent fidem prædicare subditis suis. Hoc in loco, præcepta est, inquit Angelicus p.2. 108. a.1. confessio fidei, & prohibita negatio.

VERS. XXXIII. *Qui autem negauerit me*, &c.

35. *Qui negauerit*, supple, *obdurato animo*: nam & Petrus negauit; nec tamen, cum pœnituerit statim, æternaliter damnatus est. Æternitatem sonare videtur ly *coram Patre meo*: quandoquidem coram Deo sunt omnia, siue præterita siue præsentia siue futura, in æternitate. Æternam ergo negantibus ipsum prædefinitam perhibet damnationem. Argumento est certè minimè ipsum credere, qui pertinax negat. *Qui non credit* Ioann. 3. *iam iudicatus est*. 1. Ioan. 2. *quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Iesus est Christus? omnis qui negat filium, nec Patrem habet: qui confitetur filium, & Patrem habet*. Ecce quomodo ex Ioanne exponi palam videtur, quid importet ly *coram Patre meo, qui in Cœlis est*: correlatiua enim sunt. Ioan. 14. *si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis*. Ibidem, *nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Ex quo autem negantem negat Dominus *coram Patre*, negat esse adoptione filium; dumque filios in hæreditatem gloriæ adducit; (*si filij & hæredes*, Roman. 8. *qui multos filios in gloriam adduxerat*, Hebræorum 2.) palam fit, qui negant Dominum Iesum, excludi à gloria; ideo inquit, *qui in Cœlis est*. Supra etiam capit. 7. ait, *nunquam noui vos*, idest N nunquam approbaui vos: 2. ad Timoth. 2. *cognouit Dominus, qui sunt eius*: notitia diuinæ prædestinationis; Ioann. 10. *cognosco oues meas*. Et infra capit. 25. *amen dico vobis, nescio vos*.

N D.Th. hic 2. ad Timot. 1. l. 5. & p. p. q. 24. a.1.

VERS. XXXIV. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram*.

36. Suprà dixerat Dominus; *primùm dicite, pax huic domui*. Vndè accuratè perscrutari nos oportet textus huius intelligentiam, qui in superficie contrarium sonat. Adiecit autem reor hanc & quæ sequuntur sententias, vt tacitæ inerudití lectoris occurreret obiectioni: nimirum præhabendam potiùs præ oculis pacem, nec esse cum pacis perturbatione prædicandum. Huiusmodi perturbationem malorum præuiderat Dominus, in cuius persona, vt expenditur, præscius scripsit Ieremias cap. 15. *væ mihi Mater mea: quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra?* frequenter enim, ad hæc, inquit Diuus Thomas, in cordibus malorum ex manifestatione veritatis causatur dissensio & turbatio. Dic ita docuisse infra capit. 15. contemnendum esse scandalum Pharisæorum: vtpote ex malitia P procedens; cum scilicet aliqui volunt impedire spiritualia bona, scandala concitando. Venit ergo non pacem mittere, de qua Sap. 14. *in magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant*: sed venit mittere *gladium*. Ad illud, *accingere gladio tuo*; gladius Christi Q est doctrina eius; euangelica doctrina, cui alij credunt, alij contradicunt. De hoc gladio habetur Ephes. vlt. *gladius spiritus, quod est verbum Dei*. Gladius etiam accipitur R pro vindicta & damnationis iudicio. Et huc potest facere, quod legitur in Apocalypsi capit. 1. *de ore eius gladius vtraque parte acutus*, idest S finalis sententia; quæ sicut gladius separabit malos à bonis. Dum ergo ait, *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram*, &c. idem est ac si diceret, nolite arbitrari persecutores vestros ac occisores euasuros iudicium. Roman. 2. *existimas &c. quia tu effugies iudicium Dei?* Adde illud Isaiæ 57. de huiusmodi persecutoribus; *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus*. Veruntamen diues est sermo Domini plurium sensuum; *non veni pacem mittere*; T pacem malam. Quæ quidem duplex est. Altera cum impij concordant in malo, V seu mala voluntate: inter quos causare vel fouere discordiam, laudabile est. Sic Paulus dissensionem inter Pharisæos & Sadducæos concitauit, exclamans Actor. 23. in Concilio, *viri fratres, ego Pharisæus sum, & filius Pharisæorum: de spe, & de resurrectione mortuorum ego iudicor*. Hinc recole Glossam 23. q. 3. c. *Qui potest*. *Qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit; nihil est aliud, quàm fauere impietati, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare*. Mirè Gregorius super illud Iob 39. *in occursum pergit armatis*; referente Angelico X inquit; *plerunque quieti atque inconcussi relinquimur, si obuiate prauis pro iustitia, non curamus; sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit; si verum lumen intrinsecùs respicit; si in se flammam sancti feruoris accendit, in quantùm locus admittit, in quantùm causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obijcere, & peruersis ad iniusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obuiare. Nam cum iustitiam, quam nos amamus, in alijs feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etsi venerari videantur*. Ex quo patet, inquit Angelicus, quòd perfecti viri debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas, etiam non prouocati. Item ad officium charitatis pertinet, qua tenemur diligere proximum, sicut nos ipsos, quòd aliquis oppressos ab opprimentibus liberet, secundùm illud Iob 29. *conterebam molas iniqui; & de dentibus illius auferebam prædam*; & Prouerb. 24. *erue eos qui ducuntur ad mortem*; & in psal. 81. *eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Non solùm ergo licitè, sed laudabiliter interdum, resistunt violentijs & fraudibus malignorum. Vide quàm altè prompserit Dominus; *non veni pacem mittere sed gladium*. Quod tamen reor prudenter exerendum, cauendo scilicet, ne maiora sequantur mala. Tunc enim potius toleranndi sunt improbi: idque ex doctrina apud Angelicum 2. 2. q. 10. a. 11. Et quoniam *nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebræor. 7. perfectionis euangelicæ viam sternens Dominus, qui supra dixerat cap. 5. *beati mites*, &c. sequenti 11. ait, *mitis sum*; totiesque pacem promittit & inculcat, modo pacem, vt exposuimus, amandat. Cum quo stat, quod docet Apostolus Roman. 12. *si fieri potest, quod ex vobis est; cum omnibus hominibus pacem habentes*. Cum tandem pax sit quies & vnio appetitus; A appetitusque possit esse etiam boni apparentis, ad huiusmodi extirpandam à corde pacem, potest intelligi venisse Dominum *mittere gladium*. Ieremiæ legimus 8. *pax pax, cum non esset pax*. Ideo aliàs rogat Ecclesia; *veramque pacem cordium*.

O Ioan. 9. l. 5. lu. 5.

P 2. 2. 43. 7.

Q psal. 44. lit. c. & Ioan. 10. l. 5.

R psal. 7. lit. g.

S Apoc. 1. Com. 1.

T 2. 2. 40. 1. 3.

V 2. 2. 37. 1. 2.

X opusc. 19. c. 15.

A 2. 2. 29. 1. 7.

VERS. XXXV. *Veni enim separare hominem aduersùs Patrem suum*.

37. Quod Isaiæ 52. simile legimus; *recedite recedite, exite inde*: tangiturq; ab Apostolo 2. Corinth. *exite de medio eorum & separamini*, B obliquè interpretabantur Donatistæ, ita vt debeamus corporaliter deserere malam societatem: quod non est verum. Arguit eos ex ly Cantic. 2. *sicut lilium inter spinas*. Vnde intelligendum est de separatione spirituali, non sequendo vitam malorum. Et insuper vt vitemus ipsas peccatorum occasiones ab eis datas. *Separamini* idest longè ab eorum consensu sitis. Hoc ipsum sonant verba Domini: quemadmodum & illud Numeri 16. *recedite à tabernaculis hominum impiorum*. Cohæret hæc Domini sententia cum alia

B 2 Cor. 6. l. 3.

Q alia

alia infra cap. 19. *omnis qui reliquerit Domum* &c. *aut Patrem aut Matrem* &c. atque cum illa fortiori Lucæ 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem* &c. Hæc autem dicuntur à Domino fieri debere, C quando impedimentum præstant nobis accedendi ad perfectionem diuinæ iustitiæ; & multo magis, cum D impediunt nos à Deo: nam in hoc non sunt propinqui sed inimici. Quod subiecit hic Dominus ex Michææ 7. *inimici hominis domestici eius.* Sic Gregorius; E *Parentes, quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nescire debemus.* Et idem Gregorius relatus alibi; F *quomodo Parentes & carnales propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus; quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Habendum ergo est odio, quod in Dei nobis itinere obsistit.* In casu huiusmodi, arridet Hieronymi Epistola ad Heliodorum; *licèt paruulus à collo pendeat nepos; licèt sparso crine, & scissis vestibus, vbera* G *quibus te nutrierat Mater ostendat; licèt in limine Pater iaceat: percalcato perge Patre, siccis oculis ad vexillum Crucis euola. Summum pietatis genus est in hac re esse crudelem.* Inducitur autem à Domino de Patre, de Matre, & de nuru opportunè; quia enumerat idem Hieronymus ab eiusmodi impedimenta. *Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis: nunc illi cum quibus adoleuisti vernaculi aiunt;* H *cui nos seruituros relinquis? nunc & gerula quondam iam anus, & nutritius secundus post naturalem pietate Pater clamitant; morituros expecta paulisper & sepeli. Callidus aduersarius,* subdit Gregorius *cum à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur; quia plus cæteris amantur; vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.* Vult ergo hominem separare ab amore sui & Mundi. Ita Apocalyps. 1. Verum factus Apostolus loco præallegato 2. Corinth. 6. Scripturæ veteris paraphrastes, subdit consentaneè ad verba hoc in textu Domini; *& ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem; & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens.* Pretiosa à Patre ac Matre est separatio, quando in Patrem ac Matrem sufectus est Dominus omnipotens. Iam psalmus 26. *quoniam Pater meus & Mater mea, dereliquerunt me. Dominus autem assumpsit me.* Deus I verior Pater est: Deuteronomij 32. *nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* Sentit Angelicus, filios L dici perfectos, filias quantùm ad imperfectos: sumique ex 2. Regum 7. vbi dicitur de Salomone; *ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Nihilominus quod dixi, absonum non videtur; vt hoc adiecerit Apostolus exponens, vel illud Leuitici 26. *& ero Deus vester, vosque eritis populus meus:* vel illud Isaiæ capit. 52. quod sequitur; *nec in fuga properabitis; præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel.* Quorum locorum ibidem suppressa allegatione meminit. Sed adhuc dici potest hisce verbis, se Patrem, se Matrem compellare, iuxta Scripturas psalm. 102. *quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se,* vtpote ex quo Ephes. 3. *omnis Paternitas in Cælo & in terra nominatur:* Isaiæ 49. *nunquid obliuisci potest mulier infantem suum?* & capit. 66. *quomodo si cui blandiatur Mater, ita & ego consolabor vos,* ad innuendum complexum amoris omnis; siue hæreditatis æternæ, quoad Patrem, siue teneritudinis affectus, quoad Matrem. Hoc in Apostolo deductum fuisse ad praxin trahi potest ex illo; *continuò non acquieui carni & sanguini;* M scilicet affectui & amori ad carnaliter mihi coniunctos. Nota hic ex Augustino libr. 3. *de doctrina Christiana,* quòd in Scripturis, *vbi flagitium aut facinus videtur iuberi, aut beneficentia vetari, figurata est locutio.*

C 2. 2. 184. 1. 1.
D 2. 2. 26. 7. 1.
E 1. 2. 101. 4. 1.
F opusc. 18. 8.
G 2. 2. q. 101. 4. opusc. 37. c. 9.
H opusc. 17. c. 9. Apoc. 1. Com. 1. ibi gladius acutus.
I opusc. 4. 5. 17.
L 1. Cor. 6. l. 3.
M Galat. 1. l. 4.

38. Etsi autem sic possit accipi sacri textus intelligentia, vt alienatio à terreno affectu, sit ex parte filij erga Patrem, filiæ erga Matrem, & Nurus erga Socrum: quod vltimum explicat Augustinus, vt in Catena, de Ecclesia aduersus Synagogam, *quæ secundùm carnem Christum peperit Sponsum Ecclesiæ;* Et vt ait Diuus Thomas Ioan. 12. l. 3. fuit quasi Mater Gentium in spiritualibus, quia Isaiæ 2. *de Sion exibit lex:* Nihilominus dum ardentior quicumque amor terrenus ob Christi disciplinam spernendus est; cum Parentes magis diligant filios, quàm è conuerso, vt hic N à Diuo Thoma deducitur: consonum etiam videtur, vt volens Dominus fideles à terrenis abducere, separationem moliatur quæ æquiparantiæ relatio est, non tam filij à Patre, quàm Patris à filio; non tam filiæ à Matre, quàm Matris à filia; non tam Nurus à Socru, quàm Socrus à Nuru. Et iam in sequenti contextu claret; quandoquidem subdit, *qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Et sic filius & filia qui ad literam contumeliosi fuere (Michææ 7.) iniurijque spiritualiter Parentibus; fiunt minimè peramandi. Sic & Nurus inuerso sensu non dicetur Ecclesia; quod sensit Augustinus, sed Synagoga infensa Ecclesiæ; vituperanda subinde, quod O & loco citato Michææ 7. Facit huc Gregorius Homil. 22. in Euangel. *Nec mirum videatur, quòd per iuniorem Synagoga, per seniorem verò Ecclesia figurari perhibetur.* Certè vt dixerat Homil. 19. *Ecclesia ab Abel iusto, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Ab Abel quippe P cœpit Ecclesia, vt adnotaui in Genesin cap. 4. Synagoga ergo fit nurus, quæ habuit virum Q scilicet Moysen. *Sed multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum.* Hæc Socrum suam scilicet Ecclesiam contumelia affecit: Michææ 7. *nurus aduersus socrum suam.* Ab hac separare venit Christus Socrum, hoc est Ecclesiam, ne inordinatè Synagogam diligeret. Ab ea segregatus fuit nobile Ecclesiæ membrum Paulus: Ad Galatas 1. *cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero Matris meæ,* &c.

N D. Th. hic.
O p. 2. 71. 9. in sed contra.
P opusc. 6 §. 12. & Genes. 4.
Q Gal. 4. l. 8.

VERS. XXXVII. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus.*

39. *Amor* secundùm Dionysium est *vis vnitiua.* Ecce dignatur Dominus enucleare, in quo venerit separare nos ab inuicem, ne plus amet quis hominem quam Christum. Iob 32. *Deum homini non æquabo.* Aliàs definitum est R Deum magis diligendum quàm proximum, & quàm nos ipsos; etiam vbi charitas locum habeat. A fortiori indignum est post haberi; vt in præsenti sonat ly *plusquam me:* sitque sensus, qui me non amat, vt amet Patrem aut Matrem. Nota autem paulo ante, nomen *filij* omissum esse dicendo; *veni enim separare hominem aduersùs Patrem.* Cur hìc vox filij exprimitur? cur item non dicit *hominem? Qui amat,* inquit, *filium aut filiam super me, non est me dignus.* Respondeo consultò nunc ita: quia relatiua sunt *Pater* ac *filius.* Sed ne carnali filiatione teneremur, supra dictum est; *veni separare hominem,* vel *virum,* vt legit Hieronymus, *à Patre suo;* vt filij Dei, exuti filiationem terrenam, efficeremur, sicut ad præcedentem versum dictum est.

R 2. 2. 26. 2. 2. & 3.

Beatus

Beatus Franciscus nos docuit, cùm Patri carnali, ne Christum præamaret in pauperibus prohibenti, generoso repudio relictis omnibus, sibi deinceps maiorem facultatem dicendi *Pater noster*, concessam lætus respondit. Mirum est autem, quòd non pergat Dominus dicere etiam de nuru, vt de filio & filia, non præamandis. Sed immò alto id sermone dicit: nam, *qui non accipit Crucem suam & sequitur* inquit *me, non est me dignus*. Vt sit arcanus sensus: qui non separatur à Iudaismo à Synagoga, quæ nurus speciem habet aut socrus; (speciem quidem socrus comparatione ad Ecclesiam Gentium, vt diximus ex Augustino, speciem autem nurus, comparatione ad Ecclesiam absolutè, vt ipse exposui) non est me dignus. Et quidnam magis inuoluit separationem huiusmodi, ac tollere crucem? 1. Corinth. 1. *nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum*. Et quoniam præfata separatio etiam à propinquis posthabitis propter Christum ac dimissis, persecutiones ærumnas tribulationes omnis generis adfert; immò mortis pericula & ipsam mortem; hoc etiam ex capite ait: *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Huiusmodi crucem verè dignus Christo constanter acceperat Paulus, qui 2. Corinth. 4. aiebat, *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*: præmissis aduersariorum insultibus; *in omnibus tri-*
S 2.Cor. 4.b.1. *bulationem patimur*, &c. Adnectit Angelicus S ijs verbis, *mortificationem Iesu*, quod scribit ad Galat. vltimo, *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Quod certè est tollere crucem suam & sequi Christum. Et quoniam subdit Dominus; *qui inuenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*: Apostolus, qui plenè hæc hauserat, adijcit; *semper nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum; vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Vt*
T loc.cit. *vita Iesu* T idest vita gratiæ, quam Iesus dat; vel vita gloriæ ad quam Iesus per passionem peruenit, facto corpore glorioso & immortali; *manifestetur in corporibus nostris*. *Quid prodest bene viuere*, Augustinus Tract. 45. in Ioann. *cui non datur semper viuere?* Dicit autem, vt reor, *qui inuenit animam suam*, præsumendo, spiritualem ob causam, quasi vitam perdidisse. Et iterum dicit *crucem suam*; quia vnusquisque pro suo modulo eam ferre præcipitur.

VERS. XL. *Qui recipit vos, me recipit*, &c.

40. Indicat præsens textus, hucusque de non recipientibus eos verba esse facta. Vnde nonnihil subdendum fuerat in recipientium commendationem, deque talium mercede. Excitantur autem ad recipiendum eos, atque non solùm hospitalitate benigna tractandos, sed vt Sermonis fert series, ad eos auscultandos; eoquòd sui ipsius munus obeant legationis, iuxta illud Isaiæ 57. *misisti legatos tuos*
V Matth. 24. ibi, prædicabitur hoc Euangelium. *procul*: quod de Apostolis V exponitur. Et sic vt id fiat alacriùs, atque in spem erigat retributionis, addit cessurum in Dei Patris obsequium: *& qui me recipit, recipit eum, qui me misit*. Disce è contra, quàm exitiale sit, eos non recipere; dum idem est, ac non recipere Deum. Ieremiæ 2. *scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum*. Et priùs; *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*, Glossa; *qui vos recipit, me recipit*, habet; *quia non aliud recipit in Apostolis, quàm quod in Christo est*.

VERS. XLI. *Qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ*; &c.

Quoniam sequenti cap. 11. legimus; *omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*, 41.
accipiendum est, quod hìc dicitur, iuxta illud Ecclesiastici 24. *adhuc doctrinam, quasi Prophetiam effundam*; vt supra ad cap. 7. expensum est. Etsi ergo solius prædicantis atque docentis habeatur ratio, neque ad Deum qui eum misit, feratur receptoris intentio, non ibit à mercede vacuus; *mercedem Prophetæ accipiet*. Sic etiam qui recipit iustum in nomine iusti; glossa X *pro eo quod nominatur iustus; mercedem iusti accipiet*. Quàm largus remunerator est Dominus! Quàm laudanda est sententia Ecclesiastici 41. *curam habe de bono nomine*; si solo nomine vel Prophetæ, vel iusti, impendenda sunt beneficentiæ, & charitatis officia! Cum præsefert quis specimen iusti aut Prophetæ, occurrendum est illi, succurrendum absque omni trepidatione. Non ita si agnoscatur peccator & impius. Ecclesiast. 5. *da bono, & non receperis peccatorem: & benè fac humili, & non dederis impio*: Cauendum est enim A ne sit in fomentum culpæ. Quod ex contextibus ibi claret. Hinc Hieronymus relatus in præfato Opusculo, contra Vigilantium: *Nec nos negamus cunctis pauperibus, etiam Iudæis & Samaritanis, si tanta sit largitas, stipes porrigendas; sed Apostolus docet, faciendam quidem ad omnes eleemosynam*, Galat. vltimo, *sed maximè ad domesticos fidei*.

X opusc. 19.7. circa medium, & hic D. Thom.

A 2. 2. 31. 2. 2. & q. 32. 9. 1.

VERS. XLII. *Et quicumque potum dederit* &c. *tantùm in nomine discipuli*; &c.

Postquam hospitalitatis, & sub ea officiorum omnium, bonorumque operum in Prophetam seu 42.
iustum vel solo munere ac nomine, commendauit studia; in quoscumque alios vel minimos quamquam tenuissima id erogatione præstetur, mercedem non amittendam adhuc definit. Nihil aquæ frigidæ potu magis exiguum. In quo ostenditur qualiter, *pusillum & magnum ipse fecit*, Sapient. 6. *& æqualiter est illi cura de omnibus*, quando nedum diuitibus, sed & pauperculis, vnde possint aucupari meritum, elargiendo vel ministrando aquæ frigidæ poculum prouidit. Iuxta quod Tobiæ 4. legimus; *si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude*. Hinc Lucæ 21. *vidua paupercula, quæ misit in Gazophylacium æra minuta duo, plusquam omnes misit*. At dices: pleonasmus videtur seu redundantia, dum dicitur *aquæ frigidæ*: frigida enim, vt innotescit, est aqua. Satis ergo fuerat dixisse, *potum aquæ*. Non dicit *calidæ*, ex Diuo Thoma, B propter inopiam lignorum, ne posset sic se excusare: vel vt minimum operis introducat. Adiderim ipse; quandoque licere etiam, immo expedire ad amplificandum figura Synonymia vti. Item fieri huiusmodi sensum: etsi nullo spiritus ardore, immo frigida cordis manu potum aquæ porrigas; quantumuis remissè dederis, mercedem accipies. Nullum certè bonum coram æterno Iudice irremuneratum. Quàm bonus Dominus, qui prætereà præmiat vltra condignum punitque citra? Cur autem apposuerit ly *discipuli in nomine*, Syntaxis scrutabitur.

B D.Th. hìc.

SYNTAXIS

Ad Caput Decimum.

VERS. I. *Et conuocatis duodecim discipulis suis* &c.

1. In præcedentibus plura inueximus; ex quibus deprehensum est, Matthæo diuinitus fuisse mentem, vt Christum astrueret Caput nosque eius membra, baptismi Sacramento effectos. Hoc alijsque consectariò prælibatis, eandem mysticam vnionem edisserit sub alia, sed ad eundem scopum ratione, quatenus Christus Dominus Caput est Ecclesiæ; *ipsum dedit* (Pater) *caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius*, vt dicitur Ephes. 1. & 5. ac 1. Corinth. 12. *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*; idest in vnitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi: vt ibi ait l.3. computaturque quasi vna Persona cum suo Capite, vt 3.p. q.49. a.1. docemur. Hinc sine dubio hac de causa conuocasse *discipulos suos*, ait Matthæus. Dum scribo, Augustinum reperio Tomo 4. in inchoata Expositione Epistolæ ad Romanos; *Ecclesia quippe ex vocatione appellata est; Synagoga verò ex congregatione. Conuocari enim magis hominibus conuenit; congregari autem magis pecoribus. Vnde Greges propriè pecorum dici solent. Quanquam ergo plerisque Scripturarum locis, ipsa Ecclesia grex Dei, & ouile Dei, & pecus Dei vocetur: tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinet: & apparet, huiusmodi homines, non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissione, tamquam terreno pabulo esse contentos. Paulus ergo seruus Christi Iesu, vocatus est Apostolus; quæ vocatio illum coaptauit Ecclesiæ*. Nihil verbis Matthæi opportunius, quando habet; *& conuocatis duodecim discipulis*, ad corpus Ecclesiæ signandum. Isaiæ 40. *in brachio suo congregabit agnos*. Dicit autem *discipulis*, (quod opinor) quia fides, quæ Roman. 10. est ex auditu, discipulos reddit, iuxta quod ex Philosopho *in principio Metaphysices*; auditus est sensus disciplinæ. Dum de Ecclesia introducitur, de fide quoque tangi necesse est in ly *discipulis*, coquòd vt ait Angelicus A super illud, *permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles*: fides est sicut fundamentum, ex cuius firmitate, tota firmatur Ecclesiæ structura. Nec propterea putes, à priori renouatione seu regeneratione nostrum omnium per baptismum, de quo supra, deflexisse euangelicam seriem, quandoquidem de ipsamet Ecclesia subdit Apostolus Ephes. 5. *mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Lauacro aquæ*, idest B baptismo: *in verbo vitæ*: hoc est C in forma baptismi. Sequitur autem, *dedit eis potestatem Spirituum immundorum*; (quo nil cohærentius) vt Ecclesiæ puritas capiatur: subdente Paulo; *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*. Vnde si eijciendi sunt Spiritus immundi; & quis ambigat desiderari puritatem? Ante baptismum expelluntur per exorcismos & exsufflationes Clericorum, vt ait Cœlestinus Papa, D spiritus immundi. Et in hoc etiam mystica regeneratio concernitur, dicente Augustino Tractatu 52. in Ioan. *millia credentium à dominatu liberantur Diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite, vno eius spiritu fidelia membra vegetantur*. Post hoc, *curant omnem languorem & omnem infirmitatem*. Per languorem significari peccatum dixi capit. 8. ad v. 17. Et sic etiam ex Diuo Augustino in psal. 102. nec non ex Diuo E Thoma. Per infirmitatem defectus nostræ passibilitatis notatur. Et id ex consensu ad ea quæ adiecit Apostolus, conijcio. Ait quippe, *non habentem maculam*, scilicet criminis mortalis; F *neque rugam* passibilitatis. Quod planè dicitur de Ecclesia immaculata, exhibita Christo sponso, hic per gratiam, & in futuro per gloriam: cum *reformabit* Philipp. 3. *corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Ecclesiam militantem ac triumphantem vnam esse tuetur Augustinus *in collatione tertij diei cum Donatistis*, ante medium, *in Tomo* operum 7. & in Apocalypsin Tract. 10. hom. 18. Tomo 9. Posset etiam vt reor intelligi, in Ecclesia potestatem esse remittendi culpam; quod per *languorem*; & pœnam etiam; quod per *infirmitatem*. De potestate clauium vide in 4. Sent. G vbi & de claue ordinis, ac de claue iurisdictionis. Ad literam etiam ex 1. Corinth. 12. l.3. quia maiores ministri in Ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent; quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum, quæ propriè pertinet ad officium Apostolorum; secundum, facultas docendi; tertium, potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ. Vide hic Apostolos vocari, mitti ad prædicandum, seu docendum, ac ad miracula patranda. Quæ tria & Lucæ 9. vt loco citato expendit Sanctus Thomas.

A Colos. 1.l.5.

B 3. p. 66.7.1.

C 3. p. 67.a.7.

D 3. p. 71. 2.

E hic c. 4.

F Ephes. 5.l.8.& 3. p. 8. a. 3. ad 2.

G 4. sent. 19.

VERS. II. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon qui dicitur Petrus* &c.

2. Palam Apocalypsis 21. ait Ioannes, ad rem nostram, *Murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*: vt ibi, & 1. Corinth. 12. lectione 3. & Ephes. 2. l.6. notat Angelicus: sicut & opusc. 6. §. *sanctam Ecclesiam*. Et inde est, inquit, dici Ecclesiam Apostolicam, de quo & Roman. 8. l.5. Deinde, *& fundamenta muri Ciuitatis, omni lapide pretioso ornata*. Quocirca Augustinus homilia 18. Tractatus 10. in Apoc. Tomo 9. *lapidum diuersitatem gemmarum, in fundamentis nominare voluit, vt dona diuersarum gratiarum, quæ Apostolis data sunt, demonstraret*. Signanter ergo Matthæus; *nomina inquit sunt hæc: sicut* (idem Augustinus) *de Spiritu Sancto dictum est*; (1. Cor. 12.) *diuidens singulis prout vult*. Quo autem admirabilem Sacrarum Scripturarum concentum aure percipiamus fideli, operæ-pretium est Ciuitatis Ierusalem pretiosa nos effodere fundamenta; vt quod in eis speciatim natura indidit, arridere deprehendatur Apostolis duodecim, ex quibus surgat inconcussáque stet Ecclesia. *Fundamentum primum Iaspis*: Iaspis pretiosus est lapis, H qui semper viret, & visum confortat: ideo congruè fidem significat. Certè Osee 2. legimus; *sponsabo te mihi in fide*. Christus, vt notum, sponsus est Ecclesiæ: Ioan. 3. *qui habet sponsam, sponsus est*. Inseparabilitas matrimonij quod est Sacramentum, I præcipuè causatur, in quantum significat coniunctionem indissolubilem Christi & Ecclesiæ, vel Verbi & humanæ naturæ in persona Christi: de quo & supra capit. 5. ad v. 32. Meritò ergo quòd semper viret, fidem innuit; quæ aliàs visum mentis confortat. *Portæ inferi* idcirco *non præualebunt aduersus Ecclesiam*, quæ fide fundata est. Præterea meritò primum fundamentum est fides, quia prima est virtutum, *sine qua impossibile est*

H Apoc. vtroque Comm.

I Rom 7.l.1.

He-

Hebræorum 11. *placere Deo*. Huiusmodi primi fundamenti typum gerit præ alijs Petrus re & nomine. Nomine quidem; quia *Simon* perhibetur, idest *obediens*: quod potissimè fides exigit, iuxta illud Roman. 1. *ad obediendum fidei*: vnde Angelicus, L in ijs obedientia locum habet, quæ voluntariè facere possumus; ijs autem, quæ sunt fidei, voluntate consentimus, non ex rationis necessitate; cum sint supra rationem. Nomine etiam, dum signanter adiectum est; *qui dicitur Petrus*. Nam sic cum appellandum decreuit Dominus Ioan. 1. *tu vocaberis Cephas*: (Syriacè) *quod interpretatur Petrus*. *Cephas*, interpretatur peritis *rupes* vel *saxum cautes* seu *lapis ingens* de quo infra c. 16. versu 18. Diuus Hieronymus *in Commentarijs* c. 2. *ad Galatas*. *Non aliud significat Petrus, aliud Cephas: sed quam nos latinè & græcè petram vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter se vicinitam Cepham nuncupant*. Verum quia viro nomen inditur, masculinè ait Euangelista, *Petrus*. Cyrillus in Ioannem lib. 2. *Nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit, vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in Petra lapideque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam*. *Re* autem fidem suam præ cæteris manifestauit; cum Matthæi 16. fassus est, *tu es Christus filius Dei viui*. Ipsum Chrysostomus in Serm. apud Metaph. Mense Iunio sic alloquitur; *assiduè Domino & eius Sponsæ Ecclesiæ seruisti, qui feruenti spiritu Dominum dilexisti omnium Apostolorum fidelissimus*. Ipsi quippe indefectibilis fidei priuilegium, ad confirmandos fratres in fide, sua oratione à Cœlesti Patre impetrasse se perhibet Saluator Lucæ 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Sola quippe Romana Ecclesia, siue Petri Ecclesia, (notatu M dignum) in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad prædicandum, firma fuit, nec vnquam ab hæreticis deprauata, sed ab erroribus inuiolata permansit; iuxta verbum Domini Lucæ 22. *vt non deficiat fides tua*. Quod non solùm refertur ad Ecclesiam, sed ad fidem ipsius Petri. Recolat eruditus lector (quod & supra c. 1. n. 7.) Constantinopolitanam anno Domini 359. sub Macedonio: Alexandrinam anno 360. sub Georgio de Cappadocia: Antiochenam anno 273. sub Paolo Samosetano: Ierosolymitanam sub impio Ioanne secundo anno 383. fuisse fœdatas. *Fundamentum ergo primum iaspis*, qui semper viret, typus est Petri; & in eo fidei.

L Rom. 1. l. 1 & 2. 2. q. 4. a. 7 ad 3.

M 4. Sét. 3. 1. 2. 2. Opusc. 6. Matthæi 16.

Sequitur; *& Andreas frater eius*. Et in Apocalypsi: *secundum* (fundamentum) *Sapphirus*.

3. Sicut viridis est Iaspis, ita coloris cærulei purissimi est Sapphirus, instar sereni Cœli. Significat hac N de causa cœlestium bonorum spem. Quadrat autem Sapphirinæ spei ratio *Andreæ* nomini; qui certè interpretatur *virilis*. Obiectum spei est bonum futurum arduum O siue difficile, possibile adipisci. Ad hæc constat virilem non mollem aut effœminatum requiri animum. Iuuenes idcirco ob amplitudinem cordis P ex copia spirituum animosi sunt, bonæque spei. Vbi in psal. 26. legimus, *expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, exponitur ly *sustine*, pro *spera* in Domino. Sic enim alibi Q *quia sustinui te*, idest *speraui in te*. Ecce virilis esse sperare. Et iam Augustinus in ps. 22. arridet, vbi illud, *credo videre bona Domini*, atque *expecta Dominum, viriliter age*, illustrat dicens, *spera totum de misericordia eius*. Vt autem nomine, sic facto spem coluit Andreas. Audiens enim Ioann. 1. Baptistam dicentem; *Ecce Agnus Dei*: (*fides* Roman. 10. *ex auditu*) statim in spei actum erumpit, cum socio rogans; *Rabbi, vbi habitas?* Hoc fuit se Sapphirum ostendere, Cœloque inhiantem; idque ad nostram doctrinam; eo quod præuenit psalmi responsio p. 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in Cœlis*. Et ad hoc facit quod expendendum monet Ioannes ferens ly *Rabbi*, & addens quod dicitur interpretatum *magister*: quo innuatur vt reor, cœlestis sapphirina habitatio, vbi secundum Ieremiam c. 31. *non docebit vir fratrem suum, dicens cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, à minimo vsque ad maximum*. Quo circa Augustinus; *habemus vnum Doctorem in Cœlis; quem semel vidisse, totum didicisse est*. Ioelis 2. *dedit vobis Doctorem iustitiæ*. Et iterum ad spem indicandam respondet Dominus, *venite & videte*. Roman. 8. *Quod non videmus, speramus; nam quod videt quis, quid sperat?* Spes vt docemur R iuuat ad operationem. Quam operosus fuerit Andreas claret ex eo quòd *inuenit primum fratrem suum Simonem, & adduxit eum ad Iesum*. Est eadem virtus spei, S qua quis sperat sibi & alijs. Ephesior. 4. *sicut vocati estis, in vna spe vocationis vestræ*. Et si *fidei* symbolum extat *Petrus*, belle per *Andream* qui pro *spe*, adducitur ad Iesum, eo sensu, quo dicit Glossa apud Diuum Thomam, T *spes est introitus fidei, initium salutis; idest rei creditæ; quia per spem intratur ad videndum id quod creditur*. Adde illud ps. 77. *deduxit eos in spe*. Hebræos. 6. *spem, quam sicut Anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis*: Glossa, *incedentem, & incedere facientem ad beatitudinem cœlestem*. Præterquam vt ait Glossa relata 2. 2. q. 4. 7. 2. spes introducit ad fidem: inquantum ex spe quis perseuerat in fide, vel fidei firmiter adhæret. Fides tamen absolutè præit; neque enim potest haberi spes, nisi credatur beatitudo possibilis. Itaque cum *in spe* Isaiæ 30. *fortitudo*; cum Isaiæ 40. *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*; cum 1. Machab. 2. *omnes qui sperant in ipso, non infirmantur*, congruè fundamentum secundum spei sapphirina ac cœlesti *virilis Andreas*.

N Apoc. 21. vtroq. Comm.

O p. 2. q. 40.

P Lc. 2. 6.

Q ps. 24.

R p. 2. 40. 8.

S 2. 2 q. 17. a. 4.

T ibi a. 7.

VERS. III. *Iacobus Zebedæi*.

4. *Tertium*, (fundamentum) *Chalcedonius*. Gemma pallenti lucernæ similis V perhibetur, & fulget magis sub dio, quàm in domo, calefactus à Sole. Scribunt apud Iacobum Tirinum, qualiter paulatim maturescens ruborem contrahit. Adsimilatur etiam carbunculo, qui alio nomine pruna ignita vel pyropus dicitur. Vnde Exodi 28. v. 18. pro chalcedonio ponitur carbunculus, qui alio nomine dicitur pruna ignita. Communiter stat pro charitate. Congruit tertius locus, licet maior sit alijs, charitati, 1. Cor. 13. *nunc autem manent fides, spes, charitas*. Huiusmodi Ecclesiæ fundamentum prætulit Iacobus, inter Apostolos primus martyrio laureatus: quandoquidem charitas est, quæ vt docemur X inclinat ad actum martyrij, sicut primum & principale motiuum, per modum virtutis imperantis. Vnde in quodam Sermone Maximi dicitur; *charitas Christi in Martyribus suis vincit*: & sine charitate martyrium nihil valet; primæ Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. *Iacob*, vt patet Genesis 27. *supplantatorem* sonat. Cyrillus relatus in Catena, Lucæ 6. *Iacobus*, inquit, *supplantator doloris*. Supplantauit Iacobus, primus omnium Apostolorum, vt in Actis c. 12. ab Herode Agrippa occisus gladio; carnis mortisque defluentis dolorem, carnalem veluti sensum decepit; vt Iacob carnalem fratrem Esau, iusta quadam iuris redemptione supplantauit. De Stephano dixit Fulgentius; *charitatem pro armis habebat, & per eam vbique vincebat*; & Chrysostomus; *anima, cum ignita fueris igne diuino, ad nihil eorum, quæ sunt in terra, de reliquo respicit*. Iacobus hic dictus est *maior*: putant ad alterius Iacobi, qui fuit Alphæi seu Cleophæ filius, frater Domini

V Apoc. 21. vtroq. Comm.

X 2. 2. 124. 2. arg. 2.

mini, idest cognatus; quique dictus est *minor*, quòd vocatione posterior: sed fortè dictus est *maior*, prærogatiua charitatis, in cuius est typum; quæ alijs Theologicis virtutibus fide & spe *maior est*. Vbi dicit Matthæus, *Isaac genuit Iacob*, ait Glossa, *idest spes charitatem*.

Sequitur; *& Ioannes frater eius*.

5. Postquam dictum est pro Ecclesia de fide spe & charitate; iuxta quod habet Apostolus Ephes. 4. *vna fides: in vna spe vocationis: crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum est, & connexum*, &c. *in ædificatio nem sui in charitate*: pergitur ad quartum Ecclesiæ (*quæ corpus Christi est*) fundamentum, in Ioanne. *Quartum*, inquit in Apocalypsi, *Smaragdus*. Hæc gemma viriditate præpollet; gerentes eam reddit intuentibus gratiosos; imaginem sicut speculum reddit. Significat Virginitatem, A quia virorem carnis integræ seruat, quæ gratiosa est Angelis Deo & hominibus; & in se portat imaginem Christi, quia *sequitur agnum quocumque ierit*. Teste Theophrasto apud Tirinum, est Iaspidis virentis proles. Ioanni Apostolo & Euangelistæ quadrat mirificè, qui *Virgo electus à Domino, Virgo in æuum permansit*; vt idem probat etiam Tirinus. Et quia *Ioannes* interpretatur, *Domini gratia*: ecce de castitatis pudore Ecclesiastici 26. *gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*. Est enim specialiter Dei donum; Sap. 8. *& sciui, quoniam aliter, non possem esse continens, nisi Deus det*. Super candorem castitatis, instar spiritualis picturæ, ponit Deus alias gratias. Opusc. 41. l. 5. c. 51. & 64. In Ioanne autem mirabilius enicat ornatus Ecclesię, quo castissima deprehenditur Christi sponsa. Augustinus in lib. de Virginitate: *Cum igitur vniuersa Ecclesia Virgo sit, sicut dicit Apostolus; quanto digna sunt honore membra, quæ hæc custodiunt in corpore, quæ ipsa tota custodit in fide?* Sanè, 2. ad Corinthios 11. inquit Paulus; *despondi vos vni Viro Virginem castam exhibere Christo*.

A Apoc. 21. Com. 1.

Sequitur; *Philippus*.

6. *Ecclesia Dei viui* 1. ad Timoth. 3. dicitur *columna & firmamentum veritatis*. Firmamentum hoc accipe quale sit à Petro in Epistola 2. c. 1. *habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Consecutiuè idem Apostolus Actorum 10. prompsit de Iesu, *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*: & quidem adeo concorditer, vt vno veluti ore locuti sint: Lucæ 1. Zacharias; *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius*: &tunc, *apertum est os Zachariæ*; quemadmodum & de Petro ibi legimus; *aperiens autem Petrus os suum*: quod altissima elocuturos decere diximus supra initio Capitis 5. Isthæc quinto Ecclesiæ fundamento, atque Apostolo Philippo perbellè arrident. *Quintum* quippe *Sardonix*. Pretiosus hic lapis ex Isidoro B ex duorum nominum societate dictus est; habet enim candorem vt onix, rubescitque instar Sardij, nigerque est in imo ex Glossa. Ecclesia nigrorem huiusmodi haud improbat, dum Cant. 1. ait, *nigra sum, sed formosa*. Quòd si *formosa* seu pulchra, candida simul erit & rubicunda, sicut dilectus eius; cui ait, *Ecce tu pulcher es dilecte mi*: ipse autem ibi c. 5. *candidus* est descriptus *& rubicundus*: *pulcherima* ideo est *mulierum*, ac *inter mulieres*: cap. 6. *pulchra vt Luna, electa vt Sol*. Candida Luna est, rubetque ex Sole Cœlum. *Nox præcessit*, Roman. 13. *dies autem appropinquauit*. Sicut de nocte, inquit Sanctus Doctor, C apparent vmbræ, ita prisco tempore eminebant legalia sub quadam caligine mysteria: & fuerunt legalia *vmbra futurorum*, vt dicitur Coloss. 2. Ab hac nocte scripturarum aio ego, quæ claruit in auroræ candorem, & in rubicundi dieí claritatem, Ecclesiæ fundamentum *Sardonix*. Symbolum etiam Apostolorum, (habet Diuus Thomas D) quod tempore persecutionis editum fuit fide nondum publicata, occultè dicitur in Prima, & Completorio &c. Symbolum Patrum conditum fide iam manifestata, publicè ideo in Missa cantatur. Benè ergo Diuus Petrus propheticas de fide Christi scripturas lucernæ comparat lucenti: & ad idem facit Sardonix. Philippo ista conueniunt re & nomine; nomine quidem, cum interpretetur *os lampadis*: rubescit enim flamma dum & ellycnium exurit; ellycnium ipsum, seu gossipinum sit, seu stupeum, aut huiusmodi, album est; nigrescit subtus lucerna, vel in *caliginoso*, vt Diuus inquit Petrus, lucens est *loco*. Quòd si *propheticum* pro hac lampade aut lucerna accipiamus *Sermonem*, qui euasit Christi Iesu aduentu magis magisque lucescens, isthæc facto ostendit Philippus: quippe qui lucernam prophetici Sermonis memorat Ioannis 1. Nathanaeli dicens ei; *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum*. Remigius, *in Catena*, id attigit: *Philippus*, ait, *interpretatur os lampadis, siue lampadarum; quia lumen, quo illuminatur est à Domino, mox inuento fratri, per officium oris, studuit propinare*: & quia obscurum claruit, adiecit, *veni & vide*.

B Apoc. 21. Com. vtroq.

C Rom. 13. l. 3.

D 2. 2. q. 1. a. 3.

Sequitur, *& Bartholomæus*.

Sextum (fundamentum) *Sardius*. Sardius sanguinei coloris est. Vnde significat E martyrij passionem, immo perfectam constantiam Martyrum, qui pro Christo *sanguinem suum fuderunt*. Certè fundamentum inconcussum Ecclesiæ tot myriades sunt Martyrum, cuiuscumque gentis & linguæ, vtriusque sexus, omnisque etiam puerilis ætatis. Quis valeat Ecclesiā impetere, quibus queat insultibus quati, quæ fundamentum huiusmodi in aggerem fortissimum surgens arietantibus obijcit? Nulla profectò est ex falsis alijs omnibus Religio, quæ vel exiguo obtinuerit numero martyrij palmas. Massam appellat Augustinus phalanges Martyrum, qui fuso sanguine stabiliere fidem. *Massa*, inquit, *Martyrum ex omni Gente, Tribu, & lingua, & vtroque sexu collecta est*. Et refert Hieronymus in Epist. ad Heliodorum, se euolutis Romanorum Pontificum Annalibus, inuenisse, Martyrum, qui pro fide Christi asserenda mortem passi fuerant, in tantum excreuisse numerum, vt singulo quoque anni die, posset Ecclesia trium millium Martyrum memorias & festa celebrare. D. Antoninus in 3. Parte Titulo 31. §. 3. quinque mille singulis diebus, excepto die Kalendarum Ianuarij, fert percenseri Martyres. Subdit; *transierunt inde anni mille, quibus etiam multa millia hominum martyrio coronata sunt*. Vidi, qui enumeret vndecies millia millium. Hoc certè altum fuit Ecclesia fundamentum; nam si *effuderunt sanguinem Sanctorum, velut aquam in circuitu Ierusalem*, vt ait Psalm. 78. adiectum est, *vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*: vbi Augustinus; *est vindictæ genus, quo Ecclesiæ dilatationem & fœcunditatem in hoc sæculo post tantas persecutiones, quibus eam omnino perituram putabant, peccator & incredulus & inimicus videt. In diuersis passionibus constituti orabant pro Ecclesia, vt dominica seges, vnde inimici eam putabant perituram, inde veracius pullularet*. Et ad calcem *confitebimur tibi in sæculum*, habet, *permanente vtique vsque in finem, quam illi delere conati sunt*. Hæc, vt mihi videtur, Apostolis omnibus quadrant, qui martyrio Ecclesiam confirmauerunt. *Petrus* (breuiter Diuus Antoninus loco præfato §. 2.) *Princeps Apostolorum crucifixus est capite deorsum: Paulus decapitatus fuit: similiter & Iacobus: Andreas crucifixus*,

7. E Apoc. 21. vtroq. Comm.

cifixus, non cruci confixus, sed funibus in ea ligatus: Thomas transfixus: Iacobus minor à Pulpito proiectus pertica fullonis excerebratus est: Philippus etiam crucifixus: Bartholomæus excoriatus, postea decapitatus fuit: Matthæus gladio per latera transuerberatus est: Simon & Thaddæus, à Pontificis Idolorum ministris trucidati sunt: Ioannes Euangelista, Romæ in feruentis olei dolium missus, ex quo illæsus exiuit; secundùm aliquos, vt dictum est, adhuc in Paradiso terrestri viuit, cum Henoch & Elia per Antichristum decapitandus. Non sine mysterio igitur, *in circuitu Ierusalem* effusum, Apostolorum præsertim sanguinem ait Psaltes; dum nemo illorum euasit Martyrij passionem. Et *in circuitu*, quia fundamenta Ciuitatis Ierusalem suo sanguine compactione veluti quadam silicea fecerunt. Verum etsi cunctis Apostolis id conueniat; speciali quadam ratione Bartholomæus *sextum* est hoc *fundamentum*. Præ alijs obijcitur Bartholomæus sanguinei coloris, dum crudeliter adeo excoriatus est. Etsi gemma huiusmodi carnem humanam refert: vnde vulgò *carnerina* & corruptè cornetina (ita Tirinus) vocatur; quis nisi Bartholomæus carnem viuam ostendit? Ipse ergo acerbitate supplicij veluti Antesignanus Sardius est: sed proprio nomine signanter *Bartholomæus*. Exponitur *Filius suspendentis aquas. Bar* idem quod *ben*, idest *filius*. Sed notant Chaldæis potiùs esse in vsu, quàm Hebræis. Sic itaque reor appellari, vel vt insinuetur soliditas fundamenti, in eo quod aquæ fluidæ suspenduntur: non secus ac Exodi 14. *aquæ erant quasi pro muro à dextris & à sinistris*. Ex ipso Tyrannorum contemptu, dum *velut aquam fuderunt sanguinem Sanctorum* muniuit Deus eadem metaphora Ecclesiam: Vel si pro aquis tribulationes accipias, vt passim sacris Interpretibus, dic *filium* dici *aquas suspendentis*; eo quòd Genesis 7. *multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in sublime à terra*; idest F Ecclesiam, quæ tribulationibus creuit. Huc facit quod scribit Angelicus. G Vsque ad tempora Syluestri & Constantini, infinita Populi multitudo, & primò primi Duces Apostoli, Christo Domino dedicata est, quod fuit tempus 350. annorum, in quorum sanguine ac ipsorum vitæ meritis fundata est Ecclesia, tanquam lapidibus viuis & pretiosis, ac ineffabili fundamento: contra quod, nec venti nec pluuiæ: nec quæcumque procellæ diuersarum passionum ipsum possunt obruere. Deinde adimpletum est, quod dicitur Isaiæ 9. *pacis non erit finis*: apertæ sunt enim Ecclesiæ ab eo tempore, & cœpit Christus prædicari publicè, qui ante non poterat sine periculo mortis. In tam ergo cruento Martyre Bartholomæo, aio ipse, tanquam in pretioso ac pellucido Ecclesiæ fundamento Sardio ex lapide splenduit Christus, in eodem dictus *filius aquas suspendentis*; quandoquidem Matthæi 8. Marci 4. & Lucæ 8. *imperauit ventis & mari; & facta est tranquillitas magna*; glossa *aquas persecutorum compescuit; compescuit*, ex Hieronymo dicens, *tace edicta Regum iniquorum; & tranquillitas magna, idest pax Ecclesiæ facta est*. Ita in Catena. Verùm dic tu, *compescuit*, vel *suspendit*, quia non omnino amouit; suspendit vsque ad tempus; in quo reuersura est *tribulatio*, nimirum Antichristi persecutio seu *tribulatio magna* (Matth. 24.) *qualis non fuit ab initio Mundi*.

F opusc. 4. § 3. & 1. Petri 3.
G opusc. 20. l. 3. c. 16.

Sequitur; *Thomas*.

8. *Septimum* (fundamentum) *Chrysolithus*. Auro est similis in colore, & dicitur à *Chrysos* quod est H aurum, & scintillas ardentes videtur emittere, vt dicit glossa: & significat sapientiam, quæ omnia dona superat; sicut aurum omnia metalla. Vbi Apocalypsis 3. legimus; *suadeo tibi emere aurum ignitum*, idest sapientiam cum charitate I inquit Angelicus. Ecclesiam pollere sapientia, vel ex eo constat, quòd Ephesior. 5. dicitur; *viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*: scimus autem ex lib. Sapientiæ cap. 7. qualiter, *neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia moratur*: & dum præmittitur; *sapientia Dei per nationes in animas sanctas se transfert*; non potest non transfusa esse in Ecclesiam, quæ *Sancta* in Symbolo decantatur. Diuus Antoninus in Prologo 3. Partis §. 2. exponit illud Psal. 44. *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, de Ecclesia, quæ documentis & Sacramentis fulget sapientia in auro; & ex D. Gregorio propter fulgorem suæ claritatis, significata est; quod & in psal. eundem D. Thomas. Ad hæc Ecclesiastici 15. *in medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus*. In medio L idest in consensu Ecclesiæ. Necessariam autem esse huiusmodi sapientiam in Ecclesia, lumine interius saltem diuinitus immisso, M ad hoc quod alijs proponi possint ea quæ Dei sunt, firmat Angelicus. Addo ipse, necessariam esse & in tutamen dictorum. Hinc Apostolus Ephes. vltimo; *vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij*. Et si profundum est fundamentum; ecce in hoc quod *in medio Ecclesiæ aperitur os*, id significari; nam in apertione oris, N intelligitur doctrinæ profunditas: vt & initio capitis 5. diximus. Hoc est sapientiæ proprium Ecclesiastes 7. *alta profunditas; quis inueniet eam?* Et certè procedit O per altissimam causam propriissimè, quia determinat de Deo, etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso, & alijs per reuelationem communicatum. Præditos hac sapientia Dominus misit. Infra capit. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas*. Et Lucæ 21. *ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri*. Sic Saulus Act. 9. hac sapientia *multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos, affirmans quoniam hic est Christus*: & verè *vt sapiens Architectus* 1. Corinth. 3. *fundamentum posuit*. Hac eadem etiam sapientia aiebat Petrus in prima cap. 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*. Facit ad rem, quod dicitur 2. ad Timoth. 3. *omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*: Sapientis enim est opus P non mentiri & mentientem refellere. Auctoritatem autem de qua supra Apostoli Petri, variè exponit Angelicus; primò Q vt ratio reddenda de fide, non sic parata sit, quasi sufficiat ad probandum, quæ fidei vel spei sunt, sed vt in communi vtriusque probabilitatem ostendat. Secundò vt R moneat ratione humana defendi, non verò probari quæ fidei sunt. Et sic expendit S non dixisse Beatum Petrum *parati semper ad probationem*; sed *ad satisfactionem*, vt scilicet rationabiliter ostendatur, non esse falsum, quod fides catholica confitetur. Quæ cuncta sermone nostro collegimus, ad Thomam refer Apostolum. Ipse quippe nomine *abyssus* est, quo nihil aptius ad profundam indicandam sapientiam: quo ideo nomine gloriamur in Sancto Doctore Aquinate. *Abyssus* ex Augustino sonat *profunditatem aquarum*. Iob 38. *nunquid ingressus es profundum maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?* De Thoma dixit Chrysostomus; & fertur in Catena Ioan. 11. *infirmior erat alijs, & infidelior; postea omnibus fortior factus est, & irreprehensibilis: qui solus Orbem terrarum percurrit*. Remigius etiam relatus hic Matthæi 10. *Benè autem abyssus interpretatur; quia quo diutius dubitauit, eo profundius effectum dominicæ passionis credidit, & mysterium* Diui-

H Apoc. 21. Comment. 1.
I 1. Cor. 3. l. 2.
L Psalm. 47. lit. e.
M 3. cōt. Gent. c. 154.
N ps. 50. lit. g.
O p. p. q. 1. a. 6.
P 1. Tim. 3. l. 3.
Q 4. sent. 24. q. 1. a. 3. q. 2.
R 3. sent. 24. 1. a. 2. a. d. 3.
S opusc. 3. c. 2.

Diuinitatis agnouit: vnde dixit; Dominus meus, & Deus meus. Dicitur autem apud Ioannem, qui græcè scripsit, *Didymus*, idest latinè *geminus*. Et Nominis *Thomæ* Syri vel Hebræi, secunda est interpretatio, *geminus*. Dixerim ipse ad rem, quia gemina sapientia efficacissimè claruit, diuina scilicet & humana; vt esset *paratus omni poscenti*, &c. de rebus fidei, circa quas non vltra nutaret, factus Ecclesiæ fortissimum fundamentum. *Chrysolithus* hebraicè *tharsis*, idest *marinus*. Innuitur & hinc sapientia in Thoma; Ecclesiast. 24. *profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui*.

Sequitur; *& Matthæus publicanus*.

9. *Octauum* (fundamentum) *Beryllus*. Cæteræ gemmæ venustiores sunt vestitæ auro: Beryllus sine auro, nudus pulchrior est, inquit Plinius. Lucet
T Apoc. 21. vtroq. Comm. T quasi aqua à Sole percussa: tantæ caliditatis vt calefaciat manum tenentis. Matthæum, vt mihi videtur, apprimè refert; quem *Sol iustitiæ* Iesus saluberrimo obtutu ferijt; cùm præteriens instar Solis, qui *oritur & occidit*, Ecclesiastes 1. *pertransiens*, Actor. 10. *benefaciendo, vidit*, Matth. 9. *hominem sedentem in telonio, & ait illi, sequere me*; qui *surgens secutus est eum*. Remigius; *officij sui rationes imperfectas reliquit, terrena lucra deseruit. Nudam Crucem nudus sequens, expeditior & leuior ascendis scalam Iacob*, scripsit Hieronymus ad Paulinum. Hoc præmonstrauit tanquam nudus Beryllus sua in vocatione, & ardens proximorum dilectione, Matthæus Lucæ 5. *relictis omnibus surgens secutus est eum: & fecit ei conuiuium magnum, & erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum ipsis erant*
V Apoc. 21. Com. 1. *discumbentes*. Ardebat instar Berylli, qui signat V virtutem misericordiæ, qua corda frigida hominum calefieri studet quis, in amorem Dei & proximi.
X Matthæi 9. Inuitauit X multos, vt ad Deum traherentur. Fundamentum fuit nuda huiusmodi paupertas substruẽdæ Ecclesię, quam spiritualibus voluit Dominus ditare diuitijs, temporalibus opibus contemptis. Prouerb. 17. *quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit?* Mundani Reges & Regna per eas, quibus fidunt, subsistunt. Sallustius
A opusc. 20. l. 2. c. 7. narrat A sententiam Catonis, qualiter Respublica profecit Romana, quia Ærarium publicum viguit Romæ; quo deficiente ad nihilum est redacta. Sit, aio ipse, terrenis Principibus cordi diuitiarum congregatio, ad Regni tutamen; moderamine tamen quodam, iuxta quod Deuteronomij 17. de Rege præscribitur, ne habeat *auri vel argenti immensa*
B opusc. cit. *pondera*; ad euitandam B ostentationem & fastum. Ecclesiæ firmior basis fuit, quæ in Matthæo resplenduit paupertas. *Peragrarunt*, inquit Chrysostomus, *Serm. de Pentecoste, Piscatores Orbem terrarum; & ad stabilitatem reuocauerunt, non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes*. 1. Corinth. 1. *videte vocationem vestram Fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, &c. Hieronymus dicit super Matthæum; quòd
C 3. p. 40. 3. C si Christi discipuli diuitias habuissent, viderentur, non causa salutis hominum, sed causa lucri
D opusc. 17. 15. prædicasse. Ecclesia inquit Angelicus D in sui primordio, in omnibus suis membris talis fuit, qualis postmodum fuisse apud perfectos quoscumque inuenitur: nimirum, vt ibi ex Hieronymo, *quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur*, &c. Actor. 4. *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*; & paulo post; *diuidebatur autem singulis prout opus erat*. Petrus generosè ibi cap. 3. dixit, *argentum & aurum non est mihi*.

Certè ibi Isaias prædicit capit. 26. *Ciuitatem sublimem humiliabit*, pro Roma exponitur: E *conculcabit eam pes pauperis*, scilicet Christi, *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri & Pauli. Etsi autem habere in communi possessiones omnino perfectioni non deroget Monastici status, ad cumulum tamen perfectionis pertinet, F quòd aliqui possessiones non habeant, nec proprias nec communes. Et ideo Beatus Benedictus, qui in communi permisit G (sicut Ecclesia) ob infirmiores, in sua Regula, dicit se aliquid remisisse de rigore monasticæ vitæ à prioribus institutæ, condescendendo infirmitatibus sui temporis Monachorum. Nihilominus absterreat ibidem capit. 15. relatus Hieronymus; *sint ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares: possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete Diabolo non habuerant, & suspiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit Mundus ante mendicos*. Non fuit eiusmodi Ecclesiæ fundamentum nudo ex Beryllo. Apostolus 2. Corinth. 12. quomodo se gerant Ecclesiastici admonet; *non quæro quæ vestra sunt, sed vos*. Philipp. 4. *non quia quæro datum sed fructum*; 1. Thessal. 2. *neque in occasione auaritiæ*, 1. ad Timoth. 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Ecce primordialis Ecclesiæ Christi formam. Perlege Augustinum in Serm. 53. *de communi vita Clericorum* Tom. 10. *vnum superest collapsæ Christianorum & Ecclesiæ in illis, effugium; postquam ab illo decidimus*, 2. Corinth. 6. *nihil habentes, & omnia possidentes; vt aliud cordi figamus* 1. Cor. 7. *qui emunt tanquam non possidentes*. Etsi Ecclesiæ donationem fecerit Constantinus Romanæ Ditionis, in honoris venerationem & Dominij recognitionem: eoquod Christus Dominus plenum habuit Dominium, quantùm ad vniuersalem iurisdictionem; quanquam immediatam executionem noluerit, vt perdoctè expendit D. Antoninus in 3. Parte Tit. 22. cap. 5. §. 15. & 16. illud nunquam memoria excidat, quod in Psal. 61. *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Et quia Beryllus est ardens, proximi subuentioni ardeamus. Succurrat illud Lucæ 11. *quod superest, date eleemosynam*. Item quod inculcat Diuus Hieronymus; *bona Ecclesiæ, bona pauperum sunt. Quicquid præter victum vel necessaria reseruasti, sacrilegium est*. Denique Ieremias capit. 22. *væ qui ædificat domum in iniustitia; qui aperit sibi fenestras, vel facit laquearia cedrina, pingitque sinopide*: glossa, *rubro colore*, H *vel ornat superfluis de sanguine Christi*. Non sic Sapiens Dominus iecit Ecclesiæ suæ fundamentum, Matthæum præ alijs, qui *relictis omnibus secutus est eum*. Facit autem ad præfata *Matthæi* nomen, quod interpretatur *Donatus*; nam vt dicitur 1. Paralipomenon, *tuæ diuitiæ* &c. *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Et præterea contemptus temporalium ex cœlestium donorum nascitur promissione; quia vt ait Gregorius; *si consideremus, quæ & quanta promittuntur nobis in Cœlo (gratias Deo super inenarrabili dono eius; 2. Corinth. 9.) vilescunt animo, quæ cuncta habentur in terris*.

E 3. p. 35. 7. 1. F opusc. 17. c. 15. G loc. cit. & c. 16. H opusc. 58. 32.

Sequitur; *Iacobus Alphæi*.

Nonum (fundamentum) *Topazius*. Hic quamuis fit omnium colorum, maximè tamen duos habet, ex glossa, I aureum & æthereum. Vnde significat contemplationem, quæ ex charitate, qua feruet, aurea; ex cognitione, qua lucet, æthera est. Contemplatio splendore virtutum omnium refulget. Topazius, cùm splendore Solis tangitur, omnium gemmarum claritates excedit. Regibus est carus Topazius. Qui Reges sunt (recole illud Canticor. 6. *sexaginta sunt Reginæ*, quod exposuerat L de perfectis iam coronatis) nil carius contemplatione 10.

I Apoc. 21. vtroq. Comm. L Apoc. 9. ibi & præcitatis Com. 1.

ne habent. *Duas vitas*, inquit Augustinus, *nouit Ecclesia. Altera in spe.* Hæc est contemplatiuæ perfectæ initium, iuxta quod Gregorius Hom. 14. in Ezechielem; *contemplatiua hic incipit, vt in Cœlesti Patria perficiatur.* Virtutes morales pertinent

M 2.2. q. 180.2. ad contemplatiuam; M quia virtutes morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus; disponuntque hoc pacto ad contemplationem. Ecclesia id sibi vendicat, & contemplatiua suis in membris nobilibus decoratur: Ps. 44. *astitit Regina à dextris tuis, in ve-*

N ps. 44. lit. g *stitu deaurato circumdata varietate;* N idest diuersis virtutum operibus. Id Topazius indicat; quandoquidem prout fertur apud Tirinum Apoc. 21. comprimit lunaticam passionem, phrenesin, luxuriam, iram, tristitiam. Quocirca non est quid in Iacobo Alphæi, factis ac nomine attentis, desideremus. Quis enim eo addictior contemplationi; dum *assiduitas orandi callum sic genibus obduxerat, vt Camelorum duritiem traxisse viderentur?* Ferunt illi datum, ingredi in extima Sacerdotum atria & exedras, quamuis non esset è tribu Leui, sed Iuda oriundus. Ad hæc, quo felicius virtutum studio polleret, vnde cognomentum *Iusti* promereretur, ab ineunte ætate vinum & siceram non bibit, carne, pisce etiam & oleo abstinuit, nunquam tonsus est, nec vnguento vel balneo vsus. Non perperam ergo dictus est Iacobus *Alphæi*, idest *iusti* siue *docti*. Verè Iacobus, quia non solùm vt ait Remigius, vitia carnis supplantauit, sed etiam curam carnis contempsit. Perpetuò nudis pedibus incessit.

Sequitur, *& Thaddæus.*

11. *Decimum* (fundamentum,) *Chrysoprasus*: siue vt alij scribunt, Chrysopassus: aureæ mixturæ, seu

O Apoc. 21. Com. vtroq. O guttulis distinctus aureis. *Chrysoprasus* porracei seu viridis coloris apud Tirinum, etsi aureo splendore, & aureis guttis inspersus: opacus ex Plinio, non pellucidus vt Topazius: lapis pretiosus apud Lauretum in Sylua, rarus inuentu; qui quoniam pallorem habet auri, typus est charitatis. Charitatis in proximum, aio ipse, per vitam actiuam; sicuti charitatis in Deum Symbolum est Chalcedonius, in Iacobo Zebedæi, primo inter eos Martyre, vt di-

P Apoc. 21. Com. 1. ctum est. Certè si *Chrysopassus* dicitur, P quasi *passum habens aurum*; eandem refert, quam profitetur Ecclesia vitam actiuam; secundùm quod, dicebat Apostolus 2. Corinth. 11. *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* & paulo ante, *solicitudo omnium Ecclesiarum.* Vbi

Q 1. Cor. 11. l. 4. Diuus Thomas; Q secundùm affectionem passus est pro defectu subditorum; *& ego non vror?* igne compassionis: compassio procedit ex amore Dei & proximi; qui est ignis consumens, dum mouet ad subleuandas miserias proximorum. Addit illud Lucæ 10. *Martha Martha solicita es.* Quid clarius victæ actiuæ arridet in *Chrysopasso*? Iob 30. *flebam quondam super eum, qui afflictus erat; & compatiebatur anima mea pauperi.* In eo autem quòd lapis obscurus sit, actiuam iterum innuit, quæ in Lia Genesis 29. *lippis est oculis*; quoniam vt ait Gregorius in Ezechielem; *actiua vita, dum occupatur in opere, minus videt.* Et iam Sancto Thaddæo seu Iudæ actuosum hoc Ecclesiæ fundamentum adscribi claret, si Canonicam ipsius Epistolam quis perpendat; in ea enim præcipua fidei mysteria, morumque Christianorum præcepta paucis complectitur; quod certè insudare est saluti proximorum, inspergique aureis guttis, quas omnibus instillet, charitatis. *Charissimi*, inquit, *omnem solicitudinem faciens scribendi vobis, de communi vestra salute.* De ipso legimus in Perside innumerabiles filios peperisse, sidemque in vastissimis ijs Regionibus, & efferatis Gentibus disseminasse. Lia pro vita actiua, fœcunda fuit. Hoc ipsum *Thaddæi* ex nomine haberi latentius est. *Thaddæus* ipse est qui *Iudas* Apostoli Iacobi minoris frater, vt ex ipsius Canonica, & ex Luca c. 6. clarè constat. *Lebbæus* etiam in quibusdam Codicibus, teste D. Augustino in Catena hìc appellatur. Verùm etsi, vt ait, duobus vel tribus nominibus vocatus sit, præsenti enarrationi haud deseruit nominis *Iudæ*, qui *laus*, vel *Lebbæi*, qui ex græco *corculus*, interpretatio; eoquòd Matthæus, *Thaddæum*, non *Iudam* aut *Lebbæum*, si sacræ stemus Vulgatæ, ipsum dicit. Quare scrutari opus esset, quidnam *Thaddæi* nomine importetur, si fortè prætacto Ecclesiæ fundamento, de actuosa nimirum vita responderet. Certè nec in græcis Lexicis, nec in hebræis radicibus quicquam reperies, vnde possit absque violentia *Thaddæus* deriuari. Quare presse loquendo determinatum nihil significabit, sed si quid in *Thaddæi* nomine notetur, nonnisi reflexè determinatum erit, in quantum ipsius determinatio, est non determinari: non secus, *indiuidui vagi* nomen, puta *aliquis homo*, hanc habet determinationem, vt neque huic aut illi sit addictum, sed singulos indefinitè importet; quia neminem definitiuè denominat. *Thaddæus* ergo non hoc aut illud significat, quia neque ad hoc neque ad illud arctatur. *Omnibus* ergo *omnia factus* Thaddæus erit: Quod apprimè actiuæ vitæ vacanti proprium est. *Factus sum Iudæis* 1. Corinth. 9. *tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Omnibus contemperatus R & conformatus, quasi esset omnium Sectarum. Sic Eliseus 2. Regum 4. contraxit se ad modum pueri, & suscitauit illum. Ideo viri spirituales salua vitæ & Religionis suæ obseruantia, omnibus se debent conformare. Recole Iob 29. dicentem; *oculus fui cæco, & pes claudo, Pater eram pauperum.* Nomen, quod vnum omnia actuosæ vitæ sua in radice significet, non est reperiri. Multiplici est appellandus nomine, qui ea præstat: ideo ad hoc innuendum, nullam determinatè significationem refert *Thaddæus*, non vni vnus, *sed omnibus omnia factus.*

R 1. Cor. 9. l. 4.

VERS. IV. *Simon Chananæus.*

Vndecimum (fundamentum) *Hyacinthus.* Lapis iste fertur, vt apud Tirinum, pesti & venenatis morbis mederi, corpusque roborare. Imminerет Ecclesiæ ruina, nisi huiusmodi medicinali innixa esset fundamento. Hoc ipse accipio de excommunicationis medicamento, sine quo væ Ecclesiæ: siquidem vt ait Tridentinum Sess. 25. c. 3. *gladius excommunicationis, neruus est Ecclesiasticæ disciplinæ & ad continendos in officio populos valde salutaris.* Gladius iste etsi, vt ibidem admonet, *sobriè magnaque circumspectione exerendus sit*, iustè tamen aliquando ferit hæreticos & apostatantes, atque etiam peccatores, vt notat S Diuus Thomas; quippe, qui subduntur adhuc potestati Ecclesiæ. Non secus ac animalibus, prouidit vim irascibilem natura ad propulsanda contraria, si euadant infesta: sic Ecclesiæ suæ Dominus gladium acuit, quo exterius eos cohiberet, qui ipsam labefactare ac ad exitium trahere peruicaciter conarentur. Ad hæc *auferte malum ex vobismetipsis*, aiebat Apostolus; & prius ibidem 1. Cor. 5. *iudicaui, eum, qui sic operatus est, cum virtute Domini Iesu tradere Satanæ in interitum carnis*: & 1. ad Tim. 1. de quibusdam, *qui circa fidem naufragauerunt, quos tradidi, inquit, Satanæ.* Fuit excom- 12.

S 1. Cor. 5. l. 3.

T 1. Tim. 1. 4. excommunicatio Apostoli tantæ virtutis, T quòd excommunicati, mox corripiebantur à Diabolo, & corporaliter vexabantur. Verum subdit; *vt discant non blasphemare*; & in priori loco; *vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi*. Ecce quomodo spirituali pesti, & venenatis morbis, instar Hyacinthi, medetur Ecclesia; roboraturque ita mysticum corpus; quod item Hyacinthi est. Isaiæ 28. *sola vexatio dabit intellectum auditui*. Quando medicina leuis, à qua V incipiendum est, non proficit, tunc debet medicus efficaciorem medicinam apponere: & alibi; Medici diuersas medicinas X corporales apponunt, quando vna non est efficax. Quòd si non proderunt, solatur qui medentur Boetius in Procemio de Trinitate dicens; *nulla erit culpa medentis, si nihil eorum, quæ fieri oportebat, omiserit*. Hyacinthus sereno Cœlo splendescit perspicuus, nubilo & fuscatur & obscurus est, quasi lugens & mœrens, inquit Solinus: sic Ecclesia vbi palpabiles Ægypti non ingruant tenebræ fidei aut morum, serena est, nec tonat minax, nec fulmine terret; si secus accidat, quo, ad fidei ac virtutis reuocet obedientiam, quo venena depellat, quo obstet aliorum infectioni, quamquam lugens & mœrens pœnas infligit; & quidem zelo disciplinæ & odio vitiorum. Præsertim verò seuerè sic est agendum, quando in Deum A & in Ecclesiam redundat iniuria. Sic Elias 4. Regum 1. fecit ignem descendere super eos, qui venerant ad ipsum capiendum: sic Eliseus maledixit pueris, cap. 2. cum irridentibus; & Syluester Papa excommunicauit eos, qui eum in exilium miserunt, vt habetur 23. quæst. 4. Nisi ita incedat, nutabit cum Ecclesia, ipsius authoritas, corruentque fideles. Meritò ergo & Hyacinthus est fundamentum. Sed iam huius in typum Simonem esse Chananæum videamus. Ex Dei zelo meritò irasci sed sine culpa Ecclesiam diximus, vt deuios ad obediendum fidei ac diuinis præceptis reuocet. Ecce *Simon* interpretatur *obediens*, *Chananæus* etiam dictus est à *Chana* quod est *zelus* idest zelator. Et iam, quemadmodum Lucæ 6. & Act. 1. *Simon Zelotes* vocatur. Misso alio cognomento, à loco non sine mysterio denominatur. Quali exarserit zelo vel ex eo accipe, quòd in efferatis regionibus innumerabiles Christo filios peperit; ex eoquòd Idolorum simulacra mirè destruxerit; ex eo quòd de mari septuaginta mortuos suscitauerit; ex eoquòd, vt fert in Sermone *Discipulus*, duo Magi in Carbones in ictu fulguris (iusta Apostolicæ virgæ vltio) sunt combusti nedum, sed & incinerati.

V 4. Sent. 19. 2. 3. ad 2.

X 2. 2. 39. 4. 3.

A 1. 2. 108. 3. 4.

Sequitur; *& Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum*.

13. *Duodecimum* (fundamentum) *Amethystus*. Est lapis iste inter gemmas purpureas ex Isidoro B primatum tenens; culturis est facilis: viridi etiam & roseo pollet colore. Non putemus hæc Iudæ conuenire proditori; benè quidem hæc illum decuerant, si impius existere noluisset, *vt abiret in locum suum*: (quod *in Actis* dictum est) quia fundandæ Ecclesiæ loco se indignum reddidit. Quemadmodum ergo Iob 34. inducitur; *conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*: & Apocalyps. 3. *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: effectum est Dei nutu, vt alter Iudæ in locum substitueretur; cui proinde quæ mysticè Amethystus significat approprientur. Interpretatur *Iscarioth, memoria mortis*. Absit vt fundamento cohæreat; quando ipsi tanquam *lapides viui superædificamini*, ait in sua 1. cap. 2. Diuus Petrus. Apostolo igitur *Matthiæ* Amethystus conuenit. *Matthias* à radice *Nattan*, vnde *Mattanah* & *Mattan*, seu donum. Quod si octauum Dei nomen ex Hieronymo ad Marcellam est *Iah*, quod in extrema Syllaba sonat, vt *Alleluia*, erit electus Apostolus sic dictus, qui *Donum Dei*. Dona sunt quædam hominis perfectiones, è quibus homo disponitur, ad hoc quòd benè & promptè sequatur instinctum Spiritus-Sancti. Hoc in nullo Apostolorum solemniter sic emicuit, vt in Matthia, quando Act. 1. *statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam; & orantes dixerunt. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris, ex his duobus vnum, accipere locum* (ecce tangi *de loco*, nam locantur fundamenta) *ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis*. De huiusmodi sorte Diuus Dionysius 5. cap. Eccles. Hierarchiæ; D *alij*, inquit, *aliter dixerunt, non religiosè tractantes, sicut arbitror: meam autem & ipse intentionem dicam. Videntur mihi sacra eloquia sortem nominare Thearchicum*, idest diuinum quoddam donum, *demonstrans illi Hierarchico Choro*, idest Apostolico, *diuina electione susceptum*. Ecce *donum* cum de *Matthiæ* electione agitur præmonstrari: eoquòd debuit esse suffectus Apostolus Amethystus culturæ facilis, mobilisque Spiritui-Sancto: vi nimirum doni, vt nuper tactum est; quod reddit hominem promptè mobilem ab inspiratione diuina. Id ipsum, quàm studiosè indicent diuina Actorum eloquia, patefiet magis, si nonnulla animo nostro versetur quæstio: cur enim, *qui cognominatus est Iustus*, Matthiæ fuit postahitus? Certè dignior humanis oculis is videbatur, qui iusti promeruerat cognomentum; *Ponderator spiritum* Prouerb. 16. *est Dominus*. *Iustus* erat Ioseph, *iustus* immo decantatus: atqui eo in facto, non iustitia attendenda dumtaxat erat, sed Dei Donum præ oculis erat habendum. Iustitiæ nomen E à rectitudine rationis ponitur, virtutisque obtinet iustitia nomen, non verò Doni. Pulchra doctrina, & quæ ad rem facit. Dum de promptè mobili à Spiritu-Sancto agitur, vt ad donorum considerationem rapiamur, è regione fit mentio de *iusto*: nempe vt altior in mentem cadat ratio prælectionis, viri culturæ facilis à Spiritu-Sancto, Amethysti instar, qui scilicet diues esset donorũ diuinorum, ferretque ipsorum specimen vel ipso nomine *Matthias* dictus. Amethystus tres illos, vt dictum est, iacit colores; in purpureo charitas, spes in roseo, fides in viridi satis deprehenditur. Sit virens fides, viua spes, (1. Petri *in spem viuam*) ardeat charitas. Animus hominis, ait Angelicus, F non mouetur à Spiritu-Sancto, nisi ei secundùm aliquem modum vniatur; prima autem vnio hominis est per fidem, spem, & charitatem. Vnde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum. Quid mirum si hisce Matthias præditus, aio ipse, *annumeratus est cum vndecim Apostolis; ne numerus Apostolorum*, vt inquit in *Secreta* Ecclesia, *perfectione careret*? Ecclesiam regi Spiritu-Sancto apud fideles omnes in confesso est. Spiritus-Sanctus hoc nomen Donum tanquam proprium habet vt ex 1. p. q. 38. 2. *Matthias* ergo meritò hæc nomine prætulit; vt in quo tandem firmitas est Ecclesiæ intelligeretur. Quoad Matthiæ electionem recole ex p. 2. q. 68. a. 1. secundùm Philosophum his qui mouentur per instinctum diuinum, non expedire consiliari secundùm rationes humanas. Dico ego à fortiori ad rem. Quis scit non ideo introductum sit de sorte, *cecidit sors*, vt innuatur humanum abfuisse consilium?

B Apoc. 21. Com. vtroq.

C 1. 2. q. 68. 1. & sequentib.

D 4. Sent. 24. in expos. t. Opusc. 15. 4.

E p. 2. 68. 4. 2.

F 1. c. ad 3.

Quòd si velimus, præfata recolligendo, magis magisque agnoscere, quàm solidè fundamenti rationem habeant, quæ Apostolis sunt appropriatæ virtutes, lustrari vel per transennam oportet Scripturas. 14.

Et

Et in primis de fide constat, dicitur enim ad Hebreos 11. *sperandarum substantia rerum*; græcè *ypostasis*; eoquòd substet. Et 2. ad Timoth. 2. de ipsa, *firmum fundamentum Dei stat*: & sic Glossa quæ Diui Augustini est, 1. Cor. 13. Vnde nedum est fundamentum sed primum. De spe item, quia Hebr. 7. eam *sicut Anchoram habemus animæ tutam ac firmam*. Et quoniam simul sunt fides ac spes; iuxtà præmissa *est substantia sperandarum rerum*; ecce copulari binos; *Primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius*. Quemadmodum autem Coloss. 1. legimus; *in fide fundati & stabiles*; sic & Ephes. 3. *in charitate radicati & fundati*. Virgini etiam Ecclesiæ castissimæ Christi sponsæ illud accinit Ecclesiastici 26. *fundamenta æterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris Sanctæ*. Et ecce iungi per Euangelistam Iacobo Ioannem, quoniam in dilectione iuncta est castè Ecclesia Christo: Ephes. 5. *viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*. Et postea subdit, *vt sit sancta & immaculata*. Præterea, *Firmiorem propheticum Sermonem* iam diximus ex Diuo Petro. Certè fundamentum, ipsa est Scriptura inconcussum, coquod, vt ait Dominus Ioan. 7. *non potest*
G Ioan. 10.l.7. *solui Scriptura*, G ob irrefragabilem ipsius auctoritatem. Rursus patientia ac tolerantia malorum vsque ad mortem, sic vt animus non deijciatur, forte sine dubio fundamentum est, iuxta illud Iob 4. *vbi est fortitudo tua & patientia tua?* Et ecce connecti simul Philippum & Bartholomæum; coquòd Prouerb. 19. *doctrina viri per patientiam noscitur*. Vlterius profunda est sapientia instar fundamenti. Ecclesiastes 7. *alta profunditas; quis inueniet eam?* Atque *non sperare in incerto diuitiarum, sed thesaurizare fundamentum bonum in futurum*, vt ait ad Timoth. in 1. cap. 6. sapientis est; qui (Sapientiæ 8.) *diuitias nihil esse duxit, in comparatione sapientiæ*. Et ecce Thomæ hac de causa copulari Matthæum. Adhuc, ex 3. Esdræ c. 4. vt etiam apud Diuum
H quodl. 12.a.21. & alibi. I 2.2 179. a. & 180. a. 4. & 1. Cor. 12. l.3. Thomam, H simpliciter cunctis alijs fortior est veritas: contemplatiuæ autem seu spectatiuæ vitæ obiectum diuina est I veritas. Quidni ergo Ecclesiæ fundamentum imperturbatum dicatur? Actiua etiam fundamenti rationem vel ex eo habet, quòd Zachariæ 4. phrasis est sacra; *manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam*. Et ecce colligari simul Iacobum Alphæi ac Thaddæum, quia vicissim se iuuant 1. ad Cor. 12. *non potest autem oculus dicere manui; opera tua non indigeo*. Tandem firmam ædificationis basim, qui cupit iacere, dissipet necesse est, quæ incompactè & inordinatè substructa sunt: sic Ieremiæ 1. *vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes; & ædifices & plantes*: de quo & Ecclesiastici 49. *consecratus est Propheta euertere & eruere & perdere, & iterum ædificare & renouare*. Et ecce Simoni, qui dictus est *Zelotes*, subsequi *Iudam Iscariothem*, tanquam emulsum ac dissipatum, amotum loco, *vt abiret in locum suum*, iusto Dei Zelo, per *Zelotem* Apostolum signato, *Matthia* subinde per Dei donum suffecto.

15. Ex hactenus dictis accipi potest studiosè, ordinem non seruando vocationis Apostolorum, binos binosque fuisse coniunctos; aliter ac ab alijs Euangelistis sit factum. Quemadmodum etiam *Simon qui dicitur Petrus*, nedum ponitur, sed signanter dicitur *Primus*: cùm vocatione fuerit Andrea suo fratre posterior, immo & alio, qui cum Andrea fuerat Io. 1. Quod certè palam ipsius euincit primatum; iuxtà quod infra ad exigentiam fidelis confessionis cap. 16. confirmauit eum dicens; *& ego dico tibi, quia tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. *Duo & duo*, inquit Glossa, *nominatim exprimuntur, vt iugalis societas approbetur*. Vna quippe copulatione bini & bini nectuntur; id quod nec Marcus, nec Lucas tam exactè fecerunt; *quia*, vt ait Gregorius, *duo sunt præcepta charitatis; & minùs, quàm inter duos charitas haberi non potest*. *Vidi coniunctos viros*, canit Ecclesia de Apostolis, Et sistendo in ædificij metaphora; Prouerb. 18. *frater qui adiuuatur à fratre quasi Ciuitas firma*. Et præterea Philipp. 1. *collaborantes fidei Euangelij*, vt scilicet vnus adiuuet alium. Item charitas est quasi cæmentum conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo: L quod habetur ad illud *medium parietem maceriæ soluens*; tunc enim est paries maceriæ, quando lapides in eo, non conglutinantur cæmento. Et iam id in Summa M docuerat; ad rationem, inquit, fundamenti, non solùm requiritur quòd sit primum, sed etiam quòd sit alijs partibus ædificij connexum, non enim esset fundamentum, nisi ei aliæ partes ædificij cohærerent: connexio autem spiritualis ædificij est per charitatem; secundùm illud Coloss. 3. *super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Hinc ex Pauli 1. ad Corinth. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos*. Mira copulatiuæ illius & coniunctionis appositio! *Et quosdam quidem*. Quorum regimini N (ecce ad rem Diuus Thomas) commisit Ecclesiam, secundùm illud Lucæ 22. *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*. Vnde & Apoc. 21. super duodecim fundamenta Ciuitatis, describuntur duodecim Apostolorum nomina. Diuus Augustinus super Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Apostolos vocat fundamenta: sicuti & Diuus Thomas O, addens illud Isaiæ 54. *fundabo te in Sapphiris*, idest in Cœlestibus viris. Tu ad Ecclesiam refer, quod dicitur Isaiæ 33. *munimenta saxorum sublimitas eius*: & quia Ecclesiastici 40. legimus; *ædificatio Ciuitatis confirmabit nomen*; ne mireris præmitti in Matthæo; *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc*: vt inde scilicet efferretur mens pij lectoris, ad substructionem, mysticæ alicuius Ciuitatis, hoc est Ecclesiæ. Qua in re, dum *primùm posuit Apostolos*, præmisit Paulus ad Corinthios, *vos estis corpus Christi, & membra de membro*; quia & de membris Christi seu de corpore eius, & de Ecclesia, cuius ipse est caput, fundanda, verba fieri, ad eandem facit Syntaxin & Harmoniam, quam in tota Matthæi serie perquirendam suscepi.

L Philipp. 1. lect. 4. Ephes. 2. l.5.

M 2.2. q. 4 2. 7. ad 4.

N 1. Cor. 12.l.4.

O Ephes. 2.l.6.

VERS. V. & VI. *In viam Gentium ne abieritis, &c. sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt Domus Israel.*

16. Vnde substruendæ sit exordium Ecclesiæ præcipit Dominus. (Mira connexio!) Quia enim ipse cantatissimus est in Scripturis lapis angularis, de quo Ecclesia, *Angularis fundamentum lapis Christus missus est, qui parietum compage in vtroque nectitur*; 2. ad Ephes. *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*: (vtrumque Populum, P videlicet Iudæorum colentium Deum verum, & Gentilium, coniunxit in vnum) poterat insurgere Apostolis dubietas, quibus primò manus admouerent pro tanto ædificio. Igitur non ad Gentiles, sed ad oues Israel primò eis erat eundum. Et quidem etiam in hoc tanquam Capiti membra euaserè concordia; quandoquidem & de se dixit (infra c. 15.) *non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*; & Apostolus ad Rom. 15. assumit, *Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*. Ex Iudæis quippe, vt recolit Augustinus *in lib. de Doctrina Christiana*, prima Ecclesia Ierosolymis facta est. Patet in Actis. Quàm benè de illorum missione tractat, quos mox antè *Apostolos* idest *missos* nominauerat!

P Ephes. 2.l.5.

VERS. VII. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum Cœlorum.*

In

17. In tantùm Apostoli Q dicuntur fundamenta, in quantùm eorum doctrina Christum annunciat. (Q Ephes. 2.l.6.) Et hoc etiam accipi potest ex illo, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Subintelligitur autem in eo quòd prædicare iubentur Regnum Cœlorum, prædicare Christum: quoniam per passionem eius R aperta est nobis ianua Cœli: & ipse semel ascendens S in Cœlum, adeptus est sibi & nobis in perpetuum, ius & dignitatem mansionis Cœlestis. (R 3.p.49. 5. S 3.p.57. 6.3.) Ecclesiæ etiam proximam fuisse ædificationem innuit fuisse prædicandum; quando inquit *Regnum Cœlorum*, dicente Gregorio; *Regnum Cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur*. Verùm, quia Cœlestis *Ierusalem*, quæ *ædificatur* vt ait psalmus, *vt Ciuitas*, prototypon est terrestris, allegoricè item Ierusalem, vtramque præ oculis habere Dominum, in ijs quæ subijcit palam fiet. Vna quippe, vt diximus, militans ac triumphans est Ecclesia; de qua Hebr. 12. *accessistis ad Ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem*. Et Ephes. 3. in *Cœlestibus per Ecclesiam*. Vbi Lect. 3. Angelicus: per Ecclesiam non terrenam sed cœlestem, quia ibi est vera Ecclesia, à qua nostra militans est exemplata.

VERS. VIII. *Infirmos curate*, &c.

18. Nedum moraliter hæc accipi possunt, vt in Expositione Capitis dictum est; inquantùm Ecclesia nullam debet habere *maculam*, aut *rugam* vt dicitur 5. *ad Ephesios*, ita vt conglobentur omnium generum crimina; sed & anagogicè cœlestis Ierusalem relatu, cum Philipp. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ*. Et hoc est quod ait Apostolus Ephes. 5. *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam*, S scilicet per claritatem animæ & corporis. (S Ephes. 5.l.8.) Recole de illa etiam Ciuitate ps. 86. cani, *gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*. Tunc, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem*, infirmitas erit omnis curata: *cũ mortale hoc induerit immortalitatem*, vt 1. ad Cor. 15. & mortui erunt suscitati; tunc non erit peccati *macula* quod est *leprosos mundari*; nec hostis externa vexatio, cuius metu & angore, nedum animus contrahatur, sed in rugas facies; neque *rugam*: quod est *Dæmones eÿci*. Isaiæ 35. *non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam*. Aperit autem Dominus cœlestis illius ac triumphantis Ecclesiæ ædificandæ per operarios Apostolos, clarum specimen, dum subdit; *gratis accepistis, gratis date*: ac si diceret; gratis electi estis in fundamenta: (*qui saluandos, saluas gratis*; canit Ecclesia) gratis superædificare studeatis. Ex simplici voluntate artificis, ait Diuus Thomas T, dependet quòd ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia. (T 1.p.23. 5.1.) Et loquitur de prædestinatione ad cœlestem Ierusalem: eximens ideo ab omni suspicione iniquitatis Deum, quia prædestinatio est ex gratia, non ex debito. Quòd si de ædificanda militantis Ecclesiæ Ciuitate accipiatur litera: adhuc *gratis accepistis*, non esse & vos infirmos mortuos, &c. *gratis date*; cooperamini, & tanquam administrantes gratis date. Hinc Augustinus lib. 2. Confess. c. 7. *gratiæ tuæ & misericordiæ tuæ deputo, quòd peccata mea tanquam glaciem soluisti: gratiæ tuæ depute, & quæcumque non feci mala: quid enim non facere potui?*

VERS. IX. *Nolite possidere aurum neque argentum*, &c.

19. Legimus Prouerb. 18. *substantia diuitis Vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumstans eum*. Igitur videtur mihi Dominus omnia congerere, ne substruendam futuram fuisse Ecclesiam, terrenorum in diuitijs fidentium more credatur. *Non sperare in incerto diuitiarum*, sed *thesaurizare fundamentum bonum in futurum*, monet Apostolus 1. ad Tim. 6. Persistendo autem in ædificij metaphora, in idem recidit ac si diceret, non esse ædificandum spiritualiter super arenam, stultorum studio, vt supra c. 7. quandoquidem *omne aurum in comparatione sapientiæ* (Sapientiæ 7.) *arena est exigua*. Non vituperat autem haberi argentum & aurum; (Petrus nihilominus Actor. 3. dixit, *argentum & aurum non est mihi*) sed ne possideant: 1. Cor. 7. *qui emunt tanquam non possidentes*, scilicet non apponendo V cor rebus perituris. (V 1. Cor. 7.l.6.) Non sic se ad diuitias habebant ij, de quibus ad Hebr. 10. *rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*. Dum etiam non dicit, non possidendas esse, sed *nolite possidere*; claret non esse dissonum possideri multa ab Ecclesia, quando ea nolimus, quãdo non feratur ad illa cor; iuxta illud ps. 61. *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Intendit ergo ad Cœlestis triumphantisque Ecclesiæ simul mentem extollere, ad *thesaurizandum in Cœlo* suprà c. 6. & cognoscendum ibi *haberi meliorem & manentem substantiam*, vt ad Hebræos Apostolus adiecit. Præoccupat autem Dominus animum in huiusmodi terrenorum contemptu, vel saltem neglectu; ne dum ædificationi Ecclesiæ insistitur, immineat occasio ruinæ. Vbi scandali occasio est, ruinæ est, non modo lapsus occasio. Idcirco aiebat Apostolus 1. ad Thess. 2. *neque aliquando fuimus in occasione auaritiæ*: ad Philipp. 4. *non quia quæro datum sed requiro fructum*: & 2. ad Corinth. 12. *non enim quæro, quæ vestra sunt sed vos*. Et ad Cor. 2. c. 11. *gratis euangelium Dei euangelizaui vobis. In omnibus sine onere me vobis seruaui & seruabo. Quod autem facio & faciam, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem*. Sanè sunt aliquando propter scandalum, scilicet pusillorum, X temporalia dimittenda. (X 2.2.43. 8.) Qui scandalizat destruit, non ædificat. Dicens ergo Apostolus loco cit. ad Philipp. *scio & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati*, videtur paucis colligere, quæ in præsenti congerit Dominus; *nolite possidere aurum, neque argentum, neque peccuniam in zonis vestris, non peram in via* &c. *Neque virgam*, iuri etiam & potestati petendi cedendo: 1. ad Thess. 2. *cum possemus vobis oneri esse* & 1. ad Cor. 9. Potestatem hanc innuit, concludens Dominus; *dignus est enim operarius cibo suo*. Et sic 1. ad Cor. 9. *Dominus ordinauit ÿs qui euangelium annunciant de euangelio viuere*. Et sic *gratis* A idest sine pretio, sed non sine stipendio. (A 1. Cor. 7.l.2.) Et *gratis* etiam recipiebant, quia humiliter non potestatiue; licèt debitum esset ex parte dantium. Nihilominus *prædicabat* ibi sine sumptu; Glossa, *ne Euangelium venale putaretur*. Et ideo præmisit Apostolus, *ego autem nullo horum vsus sum*, scilicet præmissis; ad ius probandum recipiendi, titulis. Scopus Matthæi perfectionem inuoluit spiritalem, quia qui generatur & nascitur, ad eam tendit. Sic Lucas habet pro scopo legis antiquæ euacuationem, nouæque eminentiam ad perfectionem; nam *nihil ad perfectum* Hebræor. 6. *adduxit lex*: ideo, vterque ait *neque virgam*; perfectionis causa cesso iure. Marcus qui restaurationem renouationemque virium edisserit, dum non perfectè hac in vita sanamur, præsidium virgæ, quasi ad indulgentiam commemorat; cap. 6. *nisi virgam tantum*. Quare oportet pro altiori concordia bis locutum fuisse hac de re Dominum: vel instantibus discipulis, sic exposuisse; vt attenta serie Euangelij scribendi, de virium atque corporis renouatione, opportuna esset virgæ permissio; & *præcepit*, inquit, *eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*. Ad rem autem nostram, iuuat recolere, ab Apostolo nominibus multorum officiorum designari prædicationem, vt ibi notat Angelicus: B pro quibus tamen, vt ibi patet, abrenunciat stipendio; perfectè ad praxim deducens, quod hic ait Dominus; *nolite possidere aurum*, &c. (B 1. Cor. 7.l.2.) Octauò inquit vocat Prædicatorem

Archi-

Architectum, (supra cap. 3. *vt sapiens Architectus fundamentum posui*) propter officium Ecclesiam construendi & reparandi. Stat itaque textus de superædificando Ecclesiæ: ibidem *Dei ædificatio estis*.
C 2. Cor. 10. l. 2. Si intendatur quæstus, prædicatio c est in destructionem. Bene ergo hic præcipit Dominus, *nolite possidere aurum* &c. *Potestatem*, ibidem Apostolus, *dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem*.

VERS. XI. *In quamcumque autem Ciuitatem, aut Castellum intraueritis* &c.

20. Pagninus vbi *Castellum*, transfert *Vicum*. Satis videbatur dici, in *quemcumque locum*: sed quia & ad terrestrem & ad cœlestem Ierusalem, siue ad Ecclesiam aspexit, reor *Ciuitatem* dixisse. Adiecit autem *aut Castellum*. Carpit eos Angelicus vt supra,
D Apoc. 8. Com. 2. versus finem. D qui nonnisi in locis famosis prædicare dignantur, cum Dominus vni mulierculæ doctrinam dederit Ioan. 4. Certè ipse Lucæ 8. *iter faciebat per vicos & Castella, & duodecim cum illo*. Et quod signanter disiunxerit *aut Castellum*, liquet quia omissum est postea: subiecit enim *exeuntes foras de domo vel Ciuitate* &c. subticet *de Castello*. Huius ratio est, quoniam non est Deus *acceptor personarum*. Contextu ostenditur; ait enim; *interrogate quis in ea*
E 2. 2. 63. 1. *dignus sit*. Ad personam refertur E quæcumque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono. Vbi ergo attenditur, vt in litera, dignitas, non potest habere locum personæ acceptio. Ad hanc remouendam à Prædicatoribus notam acceptionis, tangitur *dignitas*. Aliàs in donatione munerum gratiæ, in quo non habet locum iu-
F loc. cit. ad 1. stitia, aut meritum, non cadit F personarum acceptio; quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult; secundum illud Matthæi 20. *aut non licet mihi quod volo facere?* Innuitur autem processus euangelicæ doctrinæ ac Ecclesiæ amplificatio in omnes Gentes: nam ps. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum*: & Coloss. 3. *non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber; sed omnia, & in omnibus Christus*. Si secus fiat; oboriuntur facilè scandala, quemadmodum, si apud indignos notoriè degant Apostolici viri. Scandala autem moliuntur, non ædificationem, ruinam. Innuitur etiam in hisce Ecclesiæ ædificandæ primordijs, visibile esse eiusdem Ecclesiæ regimen, dum præcipit Dominus, *interrogate, quis in ea dignus sit*. Subinde non falli Ecclesiæ iudicium, quasi canonizationis Sanctorum, accipiendo hinc & hinc, dum interrogat; quandoquidem subdit; *& ibi manete donec exeatis*. Si enim contingens esset declinasse ad indignos, non fuerat consultum manere, donec aliò exirent. Clarum indeceptibilis Ecclesiæ specimen habes in Ananiæ & Saphiræ spectaculo Actor. 5. dicente Petro; *cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Deinde *dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis?* Præsciebat Petrus: & tamen interrogat. Sic ergo & in præsenti; non tam vt sciant, *quis in ea* (Ciuitate) *dignus sit*, interrogant, quàm vt visibilem Ecclesiam, visibiliter regi & gubernari, & de externis iudicare admoneant.

VERS. XII. *Intrantes autem in Domum, salutate eam dicentes; Pax huic Domui*.

21. Cur non ait *intrantes* Ciuitatem, sed *Domum*? Immo dum ait *Domum*, etiam *Ciuitatem*, quasi synonimè accipit. Ecclesia substruenda, Ciuitas modò dicitur, modò Domus. Augustinus in psal. 126. *quæ autem Domus Dei, ipsa est Ciuitas*. *Omnis numerus fidelium sanctorum simul vnam Domum Dei faciunt, & vnam Ciuitatem*. *Ipsa est Ierusalem*. Ambrosius etiam lib. 6. in Lucam capit. 9. *cum Domus eligitur, videamus, ne fortè Ecclesia præferenda designetur, & Christus, qui in digno hospite inquiritur*. Passim in Dedicationis officio, Ecclesia *Ciuitas* nuncupatur (idque ex Scripturis) & *Domus*. Apostolus id ipsum edocuit. *Iam non estis hospites & aduenæ: sed estis Ciues Sanctorum*; (Ecce de *Ciuitate*) *& Domestici Dei*; (ecce de Domo mentionem.) Hoc sunt G hospites ad G Ephes. 2. l. 2.
Domum, quod aduenæ ad Ciuitatem. *Hospes* enim dicitur, quasi extraneus à Domo; *Aduena* verò est, qui extraneus venit ad Ciuitatem. Collegium fidelium dicitur *Ciuitas* in comparatione ad subditos; & *Domus* in comparatione ad Rectorem. Et prius idem Sanctus Doctor; sciendum, inquit, quod Collegium fidelium, quandoque in Scripturis vocatur Domus, secundum illud 1. Timoth. 3. *vt scias quomodo in Domo Dei oporteat te conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui*: quandoque autem vocatur Ciuitas; secundum illud psalm. *Ierusalem, quæ ædificatur vt Ciuitas*. Ciuitas habet Collegium Politicum; Domus autem Æconomicum. Qui sunt de Collegio Domus, communicant sibi in actibus priuatis: qui verò sunt de Collegio Ciuitatis, communicant sibi in actibus publicis. Item qui sunt in Collegio Domus, reguntur ab vno, qui dicitur Pater-familias; sed qui sunt in Collegio Ciuitatis, reguntur à Rege. Sic igitur Collegium fidelium, aliquid habet de Ciuitate, & aliquid de Domo. Hæc Diuus Thomas. Non est dubium Deo vtramque rationem conuenire & Regis & Patris: attamen Deum considerat hic Angelicus vt Patrem; Matthæi 6. *Pater noster*, Ieremiæ 3. *Patrem vocabis me*: & in hac consideratione fideles sint *Domus*: quamuis si considerentur, in quantum communicant sibi in actibus præcipuis, scilicet fidei spei & charitatis, sint *Ciuitas*. Addit autem: consuetum est in Scripturis, quòd in figura quæ *metonymia* dicitur, continens ponatur pro contento; sicut quandoque Domus pro ijs, qui sunt in Domo. Secundùm hunc ergo modum loquitur Apostolus de ijs, qui sunt in Domo Dei, scilicet de fidelibus, sicut de vna Domo, & comparat eos ædificio. Quid mirum, aio ipse, introducat in præsentiarum literam, & de *Ciuitate* & de *Domo*? Hebr. 3. *quæ Domus sumus nos*: ibi lect. 1. Domus dicitur vniuersitas fidelium: Prouerb. 9. *sapientia ædificauit sibi Domum*, idest Ecclesiam. Plures autem priùs innuit Ciuitates, dicens; *in quamcumque Ciuitatem intraueritis*, quia licèt vna sit Ecclesia vnitate fidei, plurificatur loco. Et sic Ecclesiastici 10. *Ciuitates inhabitabuntur per sensum potentium*: idest, Ecclesiæ disponentur *per sensum potentium*, idest Apostolorum. 1. Cor. 11. lect. 7. *in fine*.

Sequitur salutandam in hæc verba Domum; *Pax huic Domui*. Apostoli sensu allegorico & Prædica- 22.
tores H sunt Angeli pacis. Isaiæ 33. *Angeli pacis amarè flebunt*. *Angeli* idest *Nuncij* annunciando H p. p. q. 7. 1.
& prædicando I quæ sunt salutis. Certè Angeli I Apoc. 8. Com. 2. in initio.
primò cecinerunt *in terra pax*. Mysteria ergo salutis prædicanda ipso in limine accessus Apostolici docemur. Homo inter se & Deum, L pacem fe- L Hebr. 13. l. 3.
cit per mysterium Christi. Verum dum inquit *salutate* eam, iam audio salutis Iesuque, qui salus est nostra, mysterium. Nihilominus, & alio sensu exponitur. Quia, *non est Deus* (1. Corinth. 14.) *dissensionis, sed pacis*: & 2. Corinth. 13. *pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*: M M loco cit.
pax enim nihil aliud est, nisi vnitas affectuum: quos vnire est proprium solius Dei, quia per charitatem, quæ à solo Deo est, vniuntur corda: Deus enim nouit colligere, & vnire; quia Deus est cha-

R ritas,

ritas, quæ *est vinculum perfectionis*: Vnde ipse, *habitare facit vnanimes in Domo*; psalm.67. Vide quam belle cohæreat, cum Domum ingrediuntur, præfari Tubas apostolicas *pacem*. Hoc & in Canone; *quam pacificare, custodire, adunare* &c. Dicit autem, vt opinor, singulariter; *Pax huic Domui*: quo Ecclesiæ vnitas intelligatur. Ramum oliuæ symbolum pacis detulit Geneseos 8. Columba. De Ecclesia dicitur Cant. 6. *vna est columba mea*; ℵ columba enim, quæ est animal amicabile & gregale, Ecclesiasticam designat vnitatem. Sic recolo Actor. 2. fuisse omnes *pariter in eodem loco*; *& factus est repente de Cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis; & repleuit totam Domum*. In Symbolo; *& vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*: Ephes. 4. *vnum corpus & vnus spiritus; sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Ratio etiam vnitatis Templi vel Tabernaculi, fuit figuralis, quia significabatur vnitas Ecclesiæ vel militantis vel triumphantis; ex 1. 2. q. 102. a. 4. ad 3. Vnum corpus, vna Domus, suum vnum habet Caput. Sit dictum obiter aduersum impios Primatus Romani Pontificis osores. Non regitur Domus, populari aut optimatum regimine; sed per Patrem-familias; per Patrem Patrum, per Papam illius successorem, cui dixit iniunxitque Dominus Ioann. 21. vt pasceret nedum *agnos*, sed & *oues* agnorum matres; matrices omnes Ecclesias; quia oues, quæ Christi sunt, sunt oues omnes; *pasce agnos meos. pasce oues meas*. Ipse quippe, vt ait Petrus in sua prima capit. 5. *est Princeps Pastorum*. Huius Principis Pastorum oues commissæ sunt Petro omnes. Si aliquarum curam non haberet Petrus, Christi illæ non fuissent, quia suas ei commisit; *oues meas, agnos meos*. Videant qui Petri non agnoscunt Primatum, an oues sint Christi.

ℵ 1. p. 36. a. 4.

VERS. XIII. *Et si quidem fuerit Domus illa digna*, &c.

23\. Sæpè fallitur humanum iudicium, quoad aliorum arcana, & cordis, seu hominis interioris sanctitatem. Præmissum est de interrogatione, *quis in ea* (Ciuitate) *dignus sit*; & ecce contingere aliquando, quæ exterius perhibebatur digna, dignam interius non esse Domum. Dignitas meritum videtur præseferre ac iustitiam: (*verè dignum, & iustum est*,) quod non cohæret præhabitis; nimirum, *gratis accepistis, gratis date*. Roman. 11. *si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia*. Sic fas sit deducere, si digna est, iam non gratis: quod si gratis; iam digna nequit esse. Quid ergo assumitur? Respondeo, exponi posse negatiuè, ad hunc sensum; si se non reddiderit indignam; seu, si non posuerit obicem: *veniet pax vestra super eam*: hoc est, vestro ministerio illi annunciata. Et si velimus dignitatem eius rigorosè capere, extendenda est oratio ad triumphantem Ecclesiam, siue ad cœlestem *Ierusalem*, quæ dicta est *pacis visio*: visio scilicet experimentalis pacis; quia nihil erit perturbans, siue interius, siue exterius; vt ait Hebræor. 12. lect. 4. in ordine enim ad illam dignitas est fidelium, qui digni fiunt per gratiam. Et consentit textus qui sequitur, *requiescet super illam pax vestra*; quemadmodum Isaiæ 32. legimus; *sedebit populus meus in pulchritudine pacis; & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Sequitur. *Si autem non fuerit digna; pax vestra reuertetur ad vos*. Quod non facilis intelligentiæ est. Porrò in primis arbitratus sum, eo studio talem vsurpasse phrasin, vt columbam illam memoret, (postquam de pacis nuncio præceperat) *quæ* (Genesis 8.) *cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, ad Arcam reuersa est*. Et hoc, vt & Arcæ tropo Ecclesiam figuratam ostendat. Luculenter figuram hanc expendimus Genes. 8. nu. 7. & in eo quod venit diluuium, Baptismi Sacramentum. In quo rursus tangitur iuxta Matthæi scopum, regenerari, & incorporari nos tanquam membra Christo Capiti, seu coadunari in Ecclesiam, cuius corporis ipsemet Ephes. 5. & Colossensium 1. *caput est*. Angelicus 3. p. q. 73. a. 3. nulli inquit patet aditus salutis extra Ecclesiam; sicut neque in diluuio absque Arca Noë, quæ significat Ecclesiam; vt habetur 1. Petri 3. Deinde, non secus ac, Ecclesiastes 1. *ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*: sic & de pace, de qua Isaiæ 66. *ecce ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis*. *Ad vos reuertetur* ergo, vt aliò dirigatur. Et quò? Idem Isaias; *& quasi torrentem inundantem gloriam Gentium*. Itaque; *si non fuerit digna Domus illa*; si posuerit obicem; si restiterit: Actorum 7. *vos semper Spiritui-Sancto, (in columbæ specie visus est) resistitis*. Vbi præmittitur vnitim ad ea quæ versamus; *Salomon autem ædificauit illi Domum*: deinde, quasi increpando: *quam Domum ædificabitis mihi dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?* Ecce de Domo, de Ecclesia. Sed si *paci Dei, quæ* Philippens. 4. *exuperat omnem sensum* vale dicunt, quid inde? Ecce ad Iudæos *Paulus & Barnabas*; Actor. 13. *vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ*: (*ibi pax erit, & vnitas plena ac perfecta* inquit Augustinus Tract. 26. in Ioannem) *ecce conuertimur ad Gentes*. Et quid aliud quæso est; nisi ad praxin deduci, quod ait Dominus etiam Lucæ 10. *sin autem ad vos reuertetur*. Iam versu sequenti 14. subditur, *& quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de Domo, vel Ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*. Mirabili connexione in Actis res est impleta; *eiecerunt enim* (Paulum & Barnabam) *eos de finibus suis*: quare cum Dominus ait *exeuntes foras*, subintellige, *eiecti*. *At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium*.

VERS. XIV. *Amen dico vobis; tolerabilius erit Terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij*, &c.

Dum in pacis nuncio, atque in regressu eiusdem ad Apostolos tangitur subtiliter de Arca diluuij; non sit mirum si subijcitur de iudicij die; quandoquidem iudicium Mundi ⴰ per diluuium figura fuit vltimi iudicij per ignem: coquod ad imprimendum illius timorem & fidem, congruum fuit, aliquod grande iudicium præmitti ᵖ in hac vita; sic exigente grauitate culparum. Et ideo Diuus Petrus comparat cap. 3. iudicium aquæ ad extremum iudicium, quod erit in igne. Vide mi lector ibidem 2. capite beatum Apostolum recolentem hoc ipsum quod hic ait Dominus, & ad impios futuros retorquentem. *Et Ciuitates*, inquit, *Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit; exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens*. In multis pergit referre inuolutos sceleribus, tanquam *maledictionis filios*. Qua ex causa, subintellecta, reor *tolerabilius* futurum esse perhibet Dominus *terræ Sodomorum*, &c. Grauius quippe peccatum est contra gratiam, quàm contra naturam peccare; grauius ex malitia, (Sapientiæ 3. *sapientiam & disciplinam, qui abijcit, infelix est*) quàm ex ignorantia. Lucæ 12. *seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis*. Contra naturam, propter consuetudines ϙ & habitus corruptos peccarunt Sodomitæ & Gomorrhæi, ex ignorantia: hi autem, qui Apostolos eiecerunt, & in eis Dominum,

24\.

ⴰ 2. Petri 2.

ᵖ Genes. 8.

ϙ p. 1. 2. 94. 6.

minum, ex malitia; quorum sensa ex Sapientiæ 2. exprimit Ecclesia; *recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus*: vbi subditur; *excæcauit enim illos malitia eorum*. Considero etiam nefandos illos generationi humanæ fuisse infensos: at qui eiecerunt Apostolos, verbumque repulerunt, præpeditæ spiritualis generationis, fuerunt rei: 1. Corinth. 4. *in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*. Igitur *tolerabilius quàm illi Ciuitati*. Et cuinam Ciuitati? Respondeo ex Augustino apud Diuum Thomam; R *duas Ciuitates faciunt duo amores: nam amor Dei vsque ad contemptum sui*, scilicet hominis amantis, *facit Ciuitatem Ierusalem cælestem; amor verò sui vsque ad contemptum Dei, facit Ciuitatem Babylonis*. Quilibet ergo qui diligit se vsque ad contemptum Dei, est ciuis Babylonis. Huic, aio ipse, Ciuitati, minus tolerabile fiet iudicium. Et quoniam Apostoli sunt operarij, non *subdoli*, (huiusmodi carpebat Diuus Paulus 2. ad Corinth. 11.) quo tales intelligantur ad ædificationem insudasse Ciuitatis Ierusalem, & euersionem Babylonicæ: (quo sensu idem Augustinus libr. 21. de Ciuitate Dei cap. 24. dixit de Niniue: *euersa est Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est quæ non erat; stantibus mœnibus, atque domibus, euersa est in perditis moribus*) excutite, inquit, *puluerem de pedibus vestris*: puluerulentus enim efficitur, qui ædificium destruere conatur: at non inhæresceit Apostolicis pedibus eiusmodi puluis; excutitur enim quicquid humanum est ac terrenum, vbi Dei præpeditur ædificatio; 1. Corinth. 3. *Dei ædificatio estis*. Detestationis etiam ac anathematis in signum excutitur puluis: psalm. 1. *non sic impij non sic; sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*.

R Ephes. 2. l. 6.

VERS. XVI. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*.

25. Aduersantia, quæ Apostolis concredito in officio, occursura erant, hac, vt reor, similitudine tangit. Infensi quippe ouibus sunt lupi: Ioan. 10. *lupus rapit & dispergit oues*; nimirum, si non Pastor sit, qui adest, sed *mercenarius*. At hic tutelam insinuat dum ait, *ego mitto vos*. Pronomen hoc vsurpat etiam ibi apud Ioannem, dicens; *ego sum Pastor bonus*. Pondus etenim habet. Insultus ergo luporum vndequaque, *in medio*, inquit *luporum*, prænunciat; at dicens *Ecce ego*, notam præmittit, in ly *Ecce*, gaudij; coquòd futurum erat, vt irent *Apostoli gaudentes* Actor. 5. *à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati*.

Sequitur; *Estote ergo prudentes*,

26. Postquam de Ciuitate introductum est, cuius directione, quemadmodum & Regni, *appropinquauit enim Regnum Cælorum*; in quamcumque *autem Ciuitatem aut Castellum intraueritis* &c. regnatiua S subintelligitur prudentia, de qua Angelicus S. Postquam sic de optimo regimine, quod ibidem ex Philosopho, Regis est, tacitè monuit Dominus, aduersum Neotericos Pontificis Romani primatui infensos. Postquam de œconomica prudentia, de qua item T loco citato insinuauit, Domum commemorans; *in quamcumque autem Domum*, &c. palam ad aliam sermonem deflectit prudentiam, quæ V militaris dicitur, ad hostium repellendos insultus; atque ad tuitionem totius boni communis. Ineundum itaque innuitur bellum. Quid mirum si præmisit; *primum dicite pax huic domui?* Deuter. 20. *si quando accesseris ad expugnandam Ciuitatem, offeres ei primum pacem*. Ad hæc aiebat Apostolus Timotheo; *labora vt bonus miles*. Est tripliciter aliquis X miles Christi: primò in quantum pugnat contra peccata, Iob 7. *militia est vita hominis super*

S 2. 2. 50. a. 1.
T ibi a. 3.
V ibi a. 4.
X 2. ad Timot. 2. l. 1.

terram, & cap. 14. *cunctis diebus, quibus nunc milito*: & hæc pugna est contra carnem, Mundum, & Diabolum. Secundò est aliquis miles Christi pugnando contra errores. 2. Corinth. 10. *arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum consilia destruentes* &c. Tertia est militia martyrij contra Tyrannos: & hæc est laboriosior; Iob 25. *nunquid est numerus militum eius?* Prudentia ergo militaris exigitur: *estote prudentes*.

Sequitur, *sicut serpentes*.

Diuus Augustinus Serm. 4. ad Fratres in Eremo quatuor discurrit Serpentis proprietates: *quarta*, inquit, *serpentis natura est, quod dum lædi quæritur in capite; vt vitam conseruet, totum corpus ad percussionem exponit; sic & nos cuncta nobis aduersantia, amore Capitis sustinere non timeamus*. In lib. 2. de doctrina Christiana; *de serpente notum est, totum corpus, eum pro capite obijcere ferientibus; & hoc illustrat sensum illum, quo Dominus iubet, astutos nos esse sicut serpentes; vt scilicet pro Capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus; ne fides Christiana tanquam caput necetur in nobis, si parcentes corpori, negemus Deum*. Et sic lib. Quæstionum Euangelicarum super Matthæum. Certè Apostolus 2. ad Timoth. 4. *bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui*: idest A in me virtutem fidei, propter quod Matth. 10. *estote prudentes sicut serpentes*; idest custodite fidem tanquam caput & fundamentum virtutum. Allegoricè tamen, vt dictum est, Christo Capiti conuenit expositio: quod quadrat etiam primæuo Matthæi scopo, dum mystici corporis, quod est Ecclesia, ad ipsum Caput emicat habitudo. Non desunt aliæ quæ huc faciant serpentinæ prudentiæ interpretationes. 27.

A 2. Tim. 4. l. 2.

Sequitur; *& simplices sicut columbæ*.

Idem Augustinus Serm. 4. ad Fratres in Eremo, *astutia sine simplicitate, superbia probatur; simplicitas sine astutia, stultitia reputatur*. Et in lib. Quæstionum secundùm Matthæum; *simplices, vt columbas esse voluit, ad nulli nocendum: nam hoc genus auis nullum omnino animalium necat; non solùm grandium, contra quæ vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparui passeres aluntur. Discunt ergo ex similitudine columbarum, nulli prorsus nocere*. Compertum est autem, in bonum accipi serpentis prudentiam, non verò pro calliditate vitiataque astutia; coquòd adijcitur, *simplices sicut columbæ*; nam columba B astutia & dolo caret; caretque felle; quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti ira irrationabili carent. Igitur dum ad victoriam, *quæ vincit Mundum* 1. Ioan. 5. *quæ est fides nostra*, Apostolos instruere intendit, non potuit has similitudines prætermittere: quandoquidem militantem Ecclesiam, quæ pugnæ spirituali insisteret, formare debuerat. *Si oues sumus*, inquit Chrysostomus, *vincimus; si lupi, vincimur; quia Pastoris abest auxilium, qui oues non lupos pascit*. Vt autem serpens, ob subdolum incedendi modum, insidias molitur in malum; Genes. 3. *insidiaberis calcaneo eius*; sic in bonum sanctè insidiari & Apostolos ex eo monet. Augustinus in libr. Quæstionum super Iosue; *cum iustum bellum suscipitur, vt apertè pugnet aliquis, an ex insidijs, nihil ad iustitiam interest*: & hoc probat auctoritate Domini, qui mandauit Iosue, vt insidias poneret habitatoribus Ciuitatis Hai, vt habetur Iosue 8. Insidiæ sunt ad fallendum. Dupliciter autem C aliquis potest falli ex facto, vel dicto alterius; vno modo ex eo quòd ei dicitur falsum; & istud semper est illicitum: alio modo, quia ei propositum, & intellectum non aperimus. Sic etiam in doctrina sa- 28.

B 3. p. 39. 6. 4.
C 2. 2. q. 40. a. 3.

R 2 cra

era multa sunt occultanda, maximè infidelibus, ne irrideant; secundùm illud Matthæi 7. *nolite sanctum*
D 2.2.45. 7. ad 2. & in c. *dare canibus*. Alio in loco; D veritas quæ docetur, est de necessitate salutis; vt scilicet contrarium veritati quis non doceat; at subdit Angelicus; secundùm congruentiam temporis & personarum. Quandoque enim, (vt ibi in corpore) ob scandalum pusillorum, quod procedit ex infirmitate, vel ignorantia, sunt spiritualia bona vel occultanda, vel differenda. In Ecclesiæ ergo primordijs, cum Arca eleuanda erat ab aquis tribulationum *in sublime*, sancta opus erant huiusmodi stratagemata &
E 2. 2. 49. 7. insidiæ. Ad prudentiam quippe E necessaria est circumspectio. Apostolus 1. Corinth. 3. præceptum hoc ad praxin deduxit; ait enim; *non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam paruulis in Christo lac vobis, potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis*. Et cap. 9. *factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer; ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant; factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus, vt omnes facerem saluos*. Nihilominus non propterea reus erat doli aut astutiæ 2. Corinth. 4. *non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei*; & 1. Thessal. 2. *exhortatio nostra*, &c. *neque in dolo*. Quare cum Dominus inquit, *estote prudentes sicut serpentes*, de astutia quæ vitium sit, nequit vel ab impijs intelligi; eoquòd huiusmodi
F 2. 2. 55. 1. astutia, qualis est vti non veris vijs sed simulatis, F peccatum est prudentiæ oppositum; ait autem Dominus, *estote prudentes*. Astutia tamen nonnisi abusiuè, vt notat ex Augustino, in bono accipitur. Præuenit autem idem Dominus obiectum omne, dum subdit, *& simplices sicut columbæ*. Prou. 11. *simplicitas iustorum diriget eos*.

VERS. XVII. *Cauete autem ab hominibus*.

29. Homo, vt apud Lauretum in Sylua sumitur sæpè pro homine veteri & carnali; vel pro homine exteriori, & pro ipsa carne seu parte sensitiua & brutali. Claret ex Apostolo, qui toties habet, se hominibus nolle placere; quippe distinguit 1. Thessal. 2. ab eis homines dicens, *nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. Nunquid ipsi & alij, non erant natura homines? Qui humana sapiunt, sunt homines, qui terrena; homo quippe ab humo latino idiomate; Genes. 2. *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ*. Interior etiam homo passim ab eodem Apostolo disiungitur ab exteriori. Dum ergo cauendum esse monet *ab hominibus*, de exteriori homine loquitur: & cautio id admonet; quandoquidem interiùs caueri nequit; quia 1. Corinth. 2. *quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui ipso est?* Pro-
G 2. 2. 42. 1. pterea ergo *cauete ab hominibus*. Cautio G est necessaria prudentiæ, vt sic accipiantur bona, quòd vitentur mala. Huiusmodi cautionis, & præmissæ circumspectionis exemplum in ijs eluxit, qui reædificandæ Ierusalem insudabant; quando 2. Esdræ 4. vnusquisque *vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium: ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes; & ædificabant, & clangebant buccina*. Ecclesiam ædificari, mali & infideles prohibent; vt apud Lauretum; verbo *ædificatio*. Ephes. 6. *& gladium spiritus, quod est Verbum Dei*. Si *clangebant buccina*; ecce psalm. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum*. Et ecce aperto marte prædici pugnam; *tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: ad Præsides & ad Reges ducemini*. Et vt innuatur in defensionem gladius Verbi Dei; *dabitur*, inquit, *vobis in illa hora quid loquamini*. Sine dubio absque dolo vel fraude, ad confirmandum eos esse oues & columbas, quamuis prudentes instar serpentum; quia Deus nec potest fallere, neque falli. Proinde, sicut ipse Dominus Ioann. 18. ait, *ad hoc veni in Mundum, vt testimonium perhibeam veritati*. Cùm ipse sit *veritas* Ioan. 14. voluit sic ante Præsides & Reges habere sui testes, nedum in Ierusalem, ad literam, sed & allegoricè in Ecclesia, iuxta illud Actor. 1. *eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*. Coloss. 1. *in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso Mundo est*. Quod paucis hic dicit Dominus; *in testimonium illis, & Gentibus*. Nam & Ecclesia 1. ad Timoth. 3. *columna & firmamentum est veritatis*.

VERS. XXI. *Tradet autem frater fratrem in mortem* &c.

Pergit, dum ædificatur mystica Ierusalem, exponere, qualiter futurum sit, vt crudeliter hostes sæuiant, neq; carni aut sanguini parcendum sit. *Tunsionibus, pressuris*, canit Ecclesia, *expoliti lapides suis coaptantur locis, per manus artificis; disponuntur permansuri sacris ædificijs*. Diuus Augustinus Serm. 256. de Temp. *ædificatio habet laborem; dedicatio exultationem*. Chrysostomus ad Apostolos; *cum enim essetis animatæ quædam incudes, dum verberaremini, eos, qui vos verberabant, fabricati estis ad cognitionem*. Idem Augustinus; *cum congregantur credentes in Christum, quasi de Syluis & Montibus, ligna & lapides præciduntur; cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur; tanquam inter manus fabrorum & opificum, dolantur, collimantur, complanantur: veruntamen Domum Dei non faciunt, nisi quando charitate compaginantur*. Hac de causa iunctim dixisse reor Dominum; & *eritis odio omnibus propter nomen meum*: deinde ad singularem descendendo; *qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Perseuerantiam recolit, ex quo de ædificatione suggeritur, rem ad nostram; quandoquidem Lucæ 14. cauetur de fugienda illusione; *quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*: vbi adnectitur & de bello; *aut quis Rex iturus committere bellum*, &c. quia nimirum viri Apostolici pugnando contra vitia & errores ædificant, ædificandoque pugnant. Qui ergo terga non dederit, qui deditionem horruerit, qui supplicijs non cesserit, *saluus erit*. Iuuat hoc intelligi de salute vitæ æternæ; Isaiæ 51. *salus autem mea in sempiternum erit*. Quo pacto exponitur illud Roman. 13. H *nunc enim propior est nostra salus*. Ibi ædificium est cœlestis Ierusalem, triumphantisque Ecclesiæ: ps. *Ierusalem quæ ædificatur vt Ciuitas: quæ construitur in Cœlis viuis ex lapidibus*. Illic laboris, pugnæ mortisque est finis. In eam præfugiendum ac perfugiendum, in Capitis expositione admonui: *cum persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam*; 2. ad Timoth. 2. *si sustinebimus, & conregnabimus*. Dum autem subdit; *non consummabitis Ciuitates Israel, donec veniat filius hominis*; non id puto ad materialem pedum excursum duntaxat referri, sed ad Apostoli sensum, Roman. 11. *donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret*. Et nota continuationem tropi de ædificio Ciuitatum, seu Ecclesiarum; non *consummabitis*. In quo nunquam desistendum ab opere, perseuerandumque viris Apostolicis superædificationi; *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, admonet, donec perueniatur ad lapidem angularem, qui summus est, qui caput est Ecclesiæ tanquam *filius hominis*; vt in quo cœpta est ædificatio, consummetur.

H Rom. 13. l. 3.

30.

VERS. XXIV. *Non est discipulus super Magistrum*, &c.

31. Inquit Angelicus; I Apostoli in tantùm dicuntur I Ephes. 2.1.6. fundamenta, in quantùm eorum doctrina Christum annunciat: & inducit ad hoc probandum, quod subiecit Dominus Simoni Petro; *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quæ verba sic alibi exponit; L 1. 2. 174. 6. 1. Cor. 12. 1.3. L *super hanc petram*, scilicet confessionis tuæ, *ædificabo Ecclesiam meam*; quia super reuelatione facta Apostolis de fide Vnitatis & Trinitatis, fundatur tota fides Ecclesiæ. Ecce qua de causa de discipulo & de Magistro hic loquitur Dominus. Sunt in Ecclesia, inquit ad Corinthios, necessarij non solùm Doctores, sed etiam discipuli: oculi & aures.

Sequitur; *nec seruus super Dominum suum*.

32. Non hic in pœnam inducta, seruitus accipienda est; quo pacto 1. Regum 8. dixit Samuel *vosque eritis ei serui*; quod propriè M M 1. 2. 105. 1. 3. est pati tyrannidem; quia Tyranni suis subditis principantur vt seruis. Absit à Domino despoticus corruptus iste principatus. Is per quem *Reges regnant* Prouerb. 8. *& legum conditores iusta decernunt*, dominatu nos regit regali, de quo Philosophus 1. Politic. capit. 3. & quidem suauissimo; quoniam Sapientiæ 8. *disponit omnia suauiter*. Dum recolitur ergo huiusmodi regale Dominium; ad Regnum Cœlorum, ad Ciuitatem sanctam Ierusalem, quæ est Ecclesia, præhabita seruatur allegoria: quemadmodum mox de *Domo*; *si Patrem-familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Assumit autem & Domini & Patris-familias similitudinem; vt quam, iuxta Matthæi scopum membrorum & Capitis mysticam vbique introspicimus vnitatem, etiam ostendat. Patris quippe ad N 1. 2. 37. 4. filium, & sic N Domini ad seruum, non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum. Tu dic etiam discipuli ad Magistrum. Filius in quantùm filius, est aliquid Patris; & similiter seruus, (vt ibi ad 2.) in quantùm seruus, est aliquid Domini. Adde, & discipulus in quantùm discipulus, aliquid Magistri. Exponere dignatus est magis Ioann. 15. quod hic prompsit: *mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt*. Nota, hic primò poni de discipulo, de Magistro, subinde etiam de doctrinali sermone; quia hic de iaciendo fundamento Ecclesiæ, & de fide, quæ est Roman. 10. ex auditu, qui ex Philosopho est *sensus disciplinæ*, tractatur. Arrideat illud Augustini; *magna consolatio membris ex Capite. Suscipe discipulum eius, qui pependit in te. Magister meus Christus*; exclamabat Diuus Andreas. Magnum quid autem pollicetur; nimirum sibi æquiparandos dicens; *sufficit discipulo, si sit sicut Magister eius, & seruo, sicut Dominus eius*. Quid dicis Christe mi, *sufficit*? superogationis est, munificentiæ, immensæque largitatis sic adesse discipulo & seruo, vt ipsorum atque Domini & Magistri, vna sit alea, vnus agon. Benè subiectum est; *ne ergo timueritis eos*. Opportunè exploso timore omni, eis dat animos; quia de pugna præmissum est; *insurgent filij in parentes*, &c. Sic Deuteronomij 20. *si exieris ad bellum contra hostes tuos*, &c. *non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est*. Et ore Sacerdotis; *Audi Israel; non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nec formidetis eos; quia Dominus Deus vester in medio vestri est; & pro vobis contra aduersarios dimicabit*. Sic Ieremiæ 15. postquam dictum O Matthæi 4. ibi de ore. & opusc. 6. §. Sanctam Ecclesiam. est ei, quasi *os meum eris*, (in quo O Prædicatores signantur) subditur; *bellabunt aduersum te, & non præualebunt*: vtique ad excutiendum timorem. Timidi & formidolosi ibidem Deuter. 20. arcebantur à bello. Non ergo timendum, quia *non præualebunt*. Et ecce de Ecclesia fundanda substruendaque tangi; quandoquidem Matthæi 16. post illud; *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; subiectum est, ne subrepat timor; quod & Ieremiæ bellanti; *& portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*. Consentaneum est ergo, agi hoc in capite de Ecclesia militante, in qua fortes fiant Dei verbo, qui forent pauidi.

Egregiè alia perpendi potest causa, cur Dominus ter nimirum v. 26. 28. & 31. timorem inhibeat. Et 33. quidem sicut artifex P confirmat ædificium ne cadat. P Prologo ad Ephesios. In psal. 74. legimus; *ego confirmaui columnas eius*. Metaphoricè dicitur hoc; Q vt intelligatur Q Gal. 2. 1.2. sustentatio totius Ecclesiæ. Sicut enim totum ædificium sustentatur per columnas; ita per Apostolos tota Ecclesia regitur & sustentatur: & sic *columnas eius* idest Apostolos Ecclesiæ. Act. 20. *attendite vobis & vniuerso gregi; in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Item sicut Episcopus R confirmat puerum ad robur contra R Prologo cit. pusillanimitatem. Christus ex potestate excellentiæ S 3. p. 72. 2. 1. S quam habet in Sacramentis, contulit Apostolis rem Sacramenti Confirmationis, absque omni chrismatis inunctione. Hoc sacramento accipit homo T Spiritum-Sanctum ad robur spiritualis pu- T 3. p. 72. 9. gnæ, vt fortiter etiam inter aduersarios fidei, Christi fidem confiteatur. Et non ad confitendum *simpliciter*; V sed ad *liberè* confitendum: & ideo datur V ibi ad 3. hoc Sacramentum in fronte, vbi apparent signa passionum, quibus libera confessio impeditur: signum etiam fortitudinis X apparet in fronte. Et quòd X ibi ad 2. hæc profundè sacro ex textu eruantur, claret; tum quia, ne timeant admonendo confortat; & caracter confirmationis in veteri lege significabatur (Deut. 20.) in distinctione A timidorum à fortibus in bel- A 4. sent. 7. 2. a. 1. q. 1. ad 2. lis: tum quia paulo post habet Dominus, vtique de confirmationis effectu; *omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus*, &c.

VERS. XXVI. *Nihil enim est opertum quod non reuelabitur; & occultum quod non scietur*.

Ex præmissis haberi potest sacri textus intelligen- 34. tia, & connexio; aliàs sine dubio arcana. Ante confirmationis Sacramentum, operta veluti & occulta fuit Ecclesia. Apostoli B antequam plenitudinem B 3. p. 72. 7. Spiritus-Sancti acciperent, erant in Cœnaculo perseuerantes in Oratione; postmodum verò egressi non verebantur publicè fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ. Certè Ioan. 20. legimus; *& fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*. In Sacramento Confirmationis C datur plenitudo Spiritus-Sancti, quæ C 3. p. 72. 1. 1. non erat danda ante Christi resurrectionem & ascensionem, secundùm illud Ioan. 7. *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Post Spiritus-Sancti aduentum Act. 2. impletum est, quod hic prædicit Dominus; *ne ergo timueritis eos*; factumque est, reuelari quod erat *opertum*, & sciri quod fuerat *occultum*: etenim *stans Petrus cum vndecim leuauit vocem suam*: *Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi; hoc vobis notum sit*. Ecce *notum* fit, quod tunc vsque fuerat *occultum*. Et omnem exuisse timorem, vel ex eo patet, quòd post multa adiecit; *liceat audenter dicere*: & tandem *saluamini à generatione ista praua*.

Potest etiam exponi, vt hæc retulerit verba non 35. ad Ecclesiam primitiuam, sed ad stabilitam post tempus. Tempore enim persecutionis, D eligebantur aliqui, qui deberent in locis persecutionis re- D 4. sent. 7. q. 2. 2. 1. in corp. manere, ad publicè nomen Christi confitendum; alijs occultè credentibus; sicut patet in Legenda Beati Sebastiani. Futurum autem erat, vt ait Beda lib. 4. in Lucam cap. 52. *vt quæ inter tenebras quondam pressurarum carcerumq; vmbras, vel locuti, vel*

passi sunt Apostoli; iam clarificata per Orbem Ecclesia, lectis eorum Actibus, publicè prædicarentur, Ecce *nihil opertum*, quod non reueletur. Quare hæc Domini prædictio magno poterat esse Apostolis solatio; cum post tenebras sperarent lucem: & post nascentis Ecclesiæ impugnatæ primordia, erigendum esse, & consummandum tenerrimæ statum. Planè perfecta & completa innuitur ædificatio, quando de tecto, quod est Domus fastigium, fit mentio: *prædicate super tecta*: non exinde in sepulchris Martyrum, in cryptis ac subterraneis latibulis. Facit ad hæc quod tulimus ex Angelico, E Symbolum Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occultè dici in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum. Symbolum autem Patrum illius declaratiuum, quia conditum fuit fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente, propter hoc publicè in Missa cantatur.

E 2. 2. q. 1. a. 9. ad 6.

VERS. XXVIII. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

36. Quoniam, vt dicitur Ecclesiastici 27. *si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur Domus tua*: postquam commemorata est Domus Domini, hoc est Ecclesia, Hebræor. 3. *quæ Domus sumus nos*, in ly *super tecta*; pergit timorem omnem mundanum à corde fidelium expellere. Et quidem exploso timore Mundi, sumet exemplo, quia *non est seruus maior Domino suo*: & Mundus eum etiam odio habuit; iuxta quod Ioan. 15. ait, *scitote, quia priorem me vobis odio habuit*, intendit adhuc, neque Dæmonia fore timenda: *an non membrum Diaboli Pilatus? an non membra Diaboli, milites Christum crucifigentes? Nolite* ergo *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Veruntamen, ne sistamus, adiecit; *sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Prou. 23. *in timore Domini esto tota die*. Et hoc vt ad amorem excitet & perducat; quia, *timor charitatem introducit, sicut seta vel acus filum*, ex Augustino. Perfecta deinde charitas 1. Ioa. 4. *foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate*. Neque ab ædificij similitudine receditur; quia charitas, vt diximus, F est quasi cæmentum, conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo.

F Ephes. 2. l. 5.

VERS. XXIX. *Nonne duo passeres, &c.*

37. Poterat insurgere obiectio; quoniam G ex dilectione charitatis, qua diligimus Deum, debemus etiam corpus nostrum diligere. Occurrit Dominus astruens corporis resurrectionem: post quam futurum est, vt ex fruitione animæ (ibi ad 2.) redundet quædam beatitudo ad corpus, scilicet sanitatis & incorruptionis. Per duos passeres, vt retuli Leuitici 16. num. 2. quorum vnus immolabatur H *in vase fictili*, alter dimittebatur, vt auolaret, significabantur figuratiuè Diuinitas Christi & humanitas; quoniam vnus, scilicet humanitas, immolatur in vase fictili; alius autem, scilicet impassibilis Diuinitas, viuus remanebat; quia Diuinitas mori non potest. Aio nunc ipse: nunquid qui immolabatur, neglectus erat Deo? Absit. Psal. 15. *caro mea*, inquit in Christi persona Dauid, vt *fidenter* exposuit Diuus Petrus Act. 2. *requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quòd & Paulus capit. 13. accuratè expendit: non posse nimirum de se ipso loqui Dauid, quia *appositus est ad Patres suos, & vidit corruptionem*. Hic passer mysticus exigui adeo valoris physicè, ac etiam moraliter; quandoquidem Philipp. 2. *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, non cecidit super terram sine Patre; calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ioan. 18. In ly *cadit super terram*, mortem sui ipsius sans innuit, iuxta illud Ioan. 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*: psal. 3. *ego dormiui & soporatus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Item hic passer non fuit *in obliuione coram Deo*, vt dicitur Lucæ 12. Etsi apud homines sic eueniat, vt quantumcumque I quis aliquem diligat, post mortem tradat eum obliuioni; ps. 30. *obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde*, quod notat Angelicus: non ita passer hic mysticus, quem *resuscitauit Deus*, vt ibidem ait Petrus; *nam etsi crucifixus est ex infirmitate*; 2. Corinth. 13. *sed viuit ex virtute Dei*. Verùm hìc non tam ad insinuandam Christi resurrectionem, quàm pro diuina ad occisos prouidentia significanda, *coram Patre*, inquit, *vestro*: etenim Patri attribuitur; secundum illud Sapient. 14. *tua autem Pater prouidentia gubernat*. Quare est in solatium fidelium, ne timeant eos, *qui occidunt corpus; animam autem* (huius gratia fit resurrectio) *non possunt occidere*. Et quidem expectatione resurrectionis. Quo pacto Machabæorum ille dixit, lib. 2. cap. 7. *Rex Mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit*: & alter; *propter Dei leges, nunc hæc ipsa despicio*; (linguam ac manus) *quoniam ab ipso ea me recepturum spero*. Atqui hæc fient certò; sed commemorari oportuit passeres; nam viuentis causa, mortuus reuiuiscet. Rom. 8. *qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra*: & 2. Corinth. 13. *& nos infirmi sumus in illo, sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis*. Resurrexit quippe L ad subleuationem nostræ spei, quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrecturos. Vnde dicitur 1. ad Corinthios 15. *si Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et ecce ex explicata litera clarere, quod est Matthæi præcipuum intentum, qualiter vnum sumus cum Christo, ceu membra Capiti: cuius generationis Liber præsens inscribitur. Ecce etiam, cur de vno duntaxat dicatur passere *& vnus non cadit in terram sine Patre vestro*, quia humanitas duntaxat cecidit in terram, non verò Diuinitas. Quem casum pro morte accipi firmat Michæas cap. 7. in Christi persona dicens; *ne læteris inimica mea, quia cecidi; consurgam, cum sedero in tenebris*. Et hunc Prophetæ locum tunc mente lustrasse Dominum probari potest; quoniam quod in Michæa præmittitur, paulo post allegat; *inimici hominis domestici eius*. Ecce præterea, cur de numeratis addat capillis, quod ad amussim resurrectioni adstipulari, supra in expositione capitis huius diximus. Et sic Machabæus idem Martyr, *cuti capitis eius cum capillis abstracta*, cum ijsdem se resurrecturum sperauit. Ecce denique cur duo hi tantum recenseantur passeres; non verò quinque vt apud Lucam; quia nimirum, non solum super reuelatione facta Apostolis de fide Vnitatis & Trinitatis fundatur tota fides Ecclesiæ, vt dictum est ex Diuo Thoma 2. 2. q. 174. a. 6., sed & super mysterio Christi; etenim necessarium est ad æternam salutem, (in Symbolo Athanasij) *vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi, quisque fideliter credat. Est enim fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est*. Dic figuratè, passer est immolatus, seu cadens in terram, & passer viuus & auolans. Et iam mysterium Christi explicitè credi non potest, M sine fide Trinitatis. Sequitur autem; *nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos*. Quod ad literam accipe; in quantum creaturarum Mundi huius est homo finis; *omnia enim subiecit*

G 2. 2. q. 25. a. 5.

H P. 2. 104. 3. 2.

I ps. 30. lit. I.

L 3. P. q. 53. a. 1.

M 2. 2. q. 2. a. 8.

psal.

psl. 8. *sub pedibus eius; volucres Cœli, & pisces maris*; finis autem est potior ijs quæ sunt ad finem; ergo meliores sumus, etiam secundum corpus, quod potest occidi: in quo Manichæorum eliditur errorem, somniantium corporalia, nec esse bona, nec à principio bono sed malo: bona sunt ergo, sed nos ipsis *meliores*; proinde digniori sub cura, & anima & corpore. Vtinam autem vt physicè, sic moraliter boni essemus, dum adeo bonum Dominum habemus; qui posse quidem perhibetur & *animam & corpus perdere in gehennam*; atqui etsi possit, non ita de facto perdere denunciatur.

VERS. XXXII. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Nectè illud Hæbræor. 3. *Fratres sancti vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum.*

38. Quid clarius, pro insinuanda cœlesti Ierusalem, triumphantique Ecclesia? Merces innuitur æterna, quia *coram Patre cœlesti*, Lucas c. 12. scripsit, *coram Angelis Dei*. 2. Cor. 10. *non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*, N idest commendabilem facit. Dic ita in præsenti, dignum reddam æterna commendatione laude & gloria, qui bonum certamen certando, cursum consummando, fidem seruando, coram hominibus: Domini confessor sanctæque ipsius legis & fidei testis extiterit. Lucæ 6. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tãquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in Cœlo.* Non coronantur, aiebat Philosophus, fortes, sed agonizantes. Hic est agon fidei nostræ, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur, Cypr.

N 1. Cor. 10. l. 3.

VERS. XXXIII. *Qui autem negauerit me*, &c.

39. Super illud Ephes. 2. *omnis ædificatio constructa* &c. O allegoricè designatur Ecclesia, quæ tunc construitur, quando homines ad fidem conuertuntur. Qui ergo, aio ipse, negat Dominum, cum fidem non habeat, ad Ecclesiæ ædificationem non facit 1. Ioan. 2. *quis est mendax, nisi qui negat, quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus; qui negat Patrem & filium. Omnis qui negat filium, nec Patrem habet; qui confitetur filium, & Patrem habet*. Ioan. 8. *neque me scitis, neque Patrem meum scitis*. Ioan. 14. *si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.* Glossa; P *frustra confitetur Deum Patrem, qui negat filium*. Inquit Apostolus; *omnis qui negat filium*, Glossa; *siue Iudæus, siue Gentilis, siue Hæreticus*. Æquipollet quod ait hic Dominus. *Qui autem negauerit*; relatu ad primum; *omnis qui confitebitur me*: *Negabo & ego eum*; potest exponi ex verbis eiusdem beati Ioannis; *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent, vtique nobiscum*. Facit ad rem nostram ibi Angelicus; Q qui fert Glossam; *ex nobis prodierunt; ab vnitate Ecclesiæ recedentes*. Et ideo ex recessu eorum, Ecclesia non est damnificata; sicut nec corpus damnificatur, cum humores praui exeunt de corpore. Quare censeo ly *negabo*, exponi posse, ac si diceret, *negabo* esse vel fuisse de corpore meo, siue Ecclesiæ. Siue *negabo*; idest negligam; sicut ad Hebræos legimus; *ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos*; idest R permisi perire. Ioann. 17. *Quos dedit mihi*, (Patrem alloquitur, sicut in præsentiarum ait *coram Patre meo*) *custodiui; & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis*. Et quia Apostolus ibi ad Hebræos præmittit; *vituperans enim eos*, &c. hoc ipsum videtur sonare, quod hic ait Dominus, *negabo*, ex aduerso ad ly *confitebor*; quod laudationem significat ex Augustino *lib. Quæstionum ex Matthæo*, iuxta illud Ecclesiastici 39. *dicetis in confessione; opera Domini vniuersa bona valde*.

O Ephes. 2. l. 6.

P 1. Ioan. 2.

Q l. c.

R Hebr. 8. l. 2.

VERS. XXXIV. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram.*

Cohæret hic textus alteri apud Lucam c. 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem*; sic enim, vt ait Gregorius *Hom. 37. in Euang.* fit sensus, *vt quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus*. Est & hæc pugna militante in Ecclesia in domesticos inimicos familiaresque hostes necessaria; vt nedum aduersus Mundum & Diabolum, sed & aduersus carnem & sanguinem reportemus triumphum. Et respondet quod sequitur; *qui amat Patrem aut Matrem plusquam me* &c. Adhuc tamen aliter liceat interpretari; vt quia *gladium* se missurum in terram perhibet, arma quibus pugnandum sit militanti Ecclesiæ, gladio insinuet: & quidem aduersus impios in Patrem, quia increduli filio; nam præmisit. *Qui me negauerit*, ad Gal. 4. *misit Deus filium suum* &c. *vt adoptionem filiorum reciperemus*: Ephes. 1. *prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*: Rom. 8. *ipse est primogenitus in multis fratribus*. Consecutiuè ad ea quæ dixerat, *qui autem negauerit me, filium*, indignus est filius vocari: 1. Ioan. 2. *omnis qui negat filium, nec Patrem habet*. Ideo ait, non veni *pacem mittere in terram*: Angeli cecinerunt, *pax in terra, sed hominibus bonæ voluntatis*: quando ex Isaiæ 9. ipse, *filius datus est nobis*. Non est data eis eius filiatio, non est *datus eis filius*, qui negant filium. *Patrem* ergo exprimit; non verò exprimit *filium*; ait enim *veni separare hominem aduersus Patrem suum*; dicit *hominem* non *filium*, cum tamen, mutua debuisset esse relatio Patris, ad filium, & filij ad Patrem; sed ipse filiationem exuit adoptionis, qui Christum negat filium naturalem. *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, Lucæ 15. dixit ingratus ille. Lupus est non filius, qui non agnoscit, immo negat Pastorem. Audiamus ad hæc Diuum Thomam: S & pugnam exercendumque gladium, de quo loqui videtur Dominus, inspiciemus. Debent, inquit, Prælati resistere non solum lupis, qui spiritualiter interficiunt gregem, sed etiam raptoribus & Tyrannis, qui corporaliter vexant: non autem materialibus armis in propria persona vtendo, sed spiritualibus, secundum illud Apostoli 2. ad Cor. 10. *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*: quæ quidem sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes; contra pertinaces excommunicationis sententia. Aio ipse, Dominus venit *mittere gladium, venit separare hominem à Patre suo*. Tridentinum Sess. 25. c. 3. *excommunicationis gladius neruus est Ecclesiasticæ disciplinæ*. Excommunicatio autem meritò dicitur gladius, quia sicut gladius separat, sic vi excommunicationis separantur à cœtu fidelium, qui excommunicationi subduntur. Antiqui quando *pugnabant* (vide quàm appositè dum de militanti loquimur Ecclesia, & ipse non venit *mittere pacem sed gladium*) T capiebant aliquando aliquam prædam ab hostibus, quam nolebant conuertere in vsum proprium, sed suspendebant illam in Templis, vel in aliquo loco publico Ciuitatis, quasi separatam à communi vsu hominum; & omne tale sic suspensum nominabant Græci *anathema*; ab *ana* quod est *sursum* & *thesis*, *positio*; quasi *sursum positum*. Et ex hoc inoleuit cõsuetudo, quòd omne illud quod excludebatur ab vsu communi diceretur anathematizatum. Et ideo etiam hoc in Ecclesia inoleuit, vt illi qui excluduntur à communi societate Ecclesiæ, & à participatione Sacramentorum, dicantur anathematizati. Huic separationi perfidos subesse Iudæos, vides mi lector, etsi non Ecclesiæ fulmine, sed suo peccato: Ioan. 16. *de pec-*

40.

S 1. 2. 40. 2. ad 1.

T Galat. 1. l. 2.

passi sunt Apostoli; iam clarificata per Orbem Ecclesia, lectis eorum Actibus, publicè prædicarentur, Ecce *nihil opertum*, quod non reueletur. Quare hæc Domini prædictio magno poterat esse Apostolis solatio; cum post tenebras sperarent lucem: & post nascentis Ecclesiæ impugnatæ primordia, erigendum esse, & consummandum tenerrimæ statum. Planè perfecta & completa innuitur ædificatio, quando de tecto, quod est Domus fastigium, fit mentio: *prædicate super tecta*: non exinde in sepulchris Martyrum, in cryptis ac subterraneis latibu-

E 1. 1. q. 1. a. 9. ad 6. lis. Facit ad hæc quod tulimus ex Angelico, E Symbolum Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occultè dici in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum. Symbolum autem Patrum illius declaratiuum, quia conditum fuit fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente, propter hoc publicè in Missa cantatur.

VERS. XXVIII. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

36. Quoniam, vt dicitur Ecclesiastici 27. *si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur Domus tua*: postquam commemorata est Domus Domini, hoc est Ecclesia, Hebræor. 3. *quæ Domus sumus nos*, in ly *super tecta*; pergit timorem omnem mundanum à corde fidelium expellere. Et quidem exploso timore Mundi, sumet exemplo, quia *non est seruus maior Domino suo*: & Mundus eum etiam odio habuit; iuxta quod Ioan. 15. ait, *scitote, quia priorem me vobis odio habuit*, intendit adhuc, neque Dæmonia fore timenda: *an non membrum Diaboli Pilatus? an non membra Diaboli, milites Christum crucifigentes? Nolite* ergo *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Veruntamen, ne sistamus, adiecit; *sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Prou. 23. *in timore Domini esto tota die*. Et hoc vt ad amorem excitet ac perducat; quia, *timor charitatem introducit, sicut seta vel acus filum*, ex Augustino. Perfecta deinde charitas 1. Ioa. 4. *foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate*. Neque ab ædificij similitudine receditur; quia cha-

F Ephes. 2. l. 5. ritas, vt diximus, F est quasi cæmentum, conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo.

VERS. XXIX. *Nonne duo passeres*, &c.

37. Poterat insurgere obiectio; quoniam G ex dile-

G 2. 2. q. 25. a. 5. ctione charitatis, qua diligimus Deum, debemus etiam corpus nostrum diligere. Occurrit Dominus astruens corporis resurrectionem: post quam futurum est, vt ex fruitione animæ (ibi ad 2.) redundet quædam beatitudo ad corpus, scilicet sanitatis & incorruptionis. Per duos passeres, vt retuli Leuitici

H p. 1. 102. 5. 2. 16. num. 2. quorum vnus immolabatur H *in vase fictili*, alter dimittebatur, vt auolaret, significabantur figuratiuè Diuinitas Christi & humanitas; quoniam vnus, scilicet humanitas, immolatur in vase fictili; alius autem, scilicet impassibilis Diuinitas, viuus remanebat; quia Diuinitas mori non potest. Aio nunc ipse: nunquid qui immolabatur, neglectus erat Deo? Absit. Psal. 15. *caro mea*, inquit in Christi persona Dauid, vt *fidenter* exposuit Diuus Petrus Act. 2. *requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quòd & Paulus capit. 13. accuratè expendit: non posse nimirum de se ipso loqui Dauid, quia *appositus est ad Patres suos, & vidit corruptionem*. Hic passer mysticus exigui adeo valoris physicè, ac etiam moraliter; quandoquidem Philipp. 2. *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, non cecidit super terram sine Patre; calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ioan. 18. In ly *cadit super terram*, mortem sui ipsius satis innuit, iuxta illud Ioan. 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*: psal. 3. *ego dormiui & soporatus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Item hic passer non fuit *in obliuione coram Deo*, vt dicitur Lucæ 12. Etsi apud homines sic eueniat, vt quantumcumque I quis aliquem dili- I psl. 30. lit. I.

gat, post mortem tradat eum obliuioni; ps. 30. *obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde*, quod notat Angelicus: non ita passer hic mysticus, quem *resuscitauit Deus*, vt ibidem ait Petrus; *nam etsi crucifixus est ex infirmitate*; 2. Corinth. 13. *sed viuit ex virtute Dei*. Verùm hìc non tam ad insinuandam Christi resurrectionem, quàm pro diuina ad occisos prouidentia significanda, *coram Patre*, inquit, *vestro*: etenim Patri attribuitur; secundum illud Sapient. 14. *tua autem Pater prouidentia gubernat*. Quare est in solatium fidelium, ne timeant eos, *qui occidunt corpus; animam autem* (huius gratia fit resurrectio) *non possunt occidere*. Et quidem expectatione resurrectionis. Quo pacto Machabæorum ille dixit, lib. 2. cap. 7. *Rex Mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit*: & alter; *propter Dei leges, nunc hæc ipsa despicio*; (linguam ac manus) *quoniam ab ipso ea me recepturum spero*. Atqui hæc fient certò; sed commemorari oportuit passeres; nam viuentis causa, mortuus reuiuiscet. Rom. 8. *qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra*: & 2. Corinth. 13. *& nos infirmi sumus in illo, sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis*. Resurrexit quippe L ad subleuationem nostræ spei, quia L 3. p. 53. a. 1.

dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrecturos. Vnde dicitur 1. ad Corinthios 15. *si Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et ecce ex explicata litera clarere, quod est Matthæi præcipuum intentum, qualiter vnum sumus cum Christo, ceu membra Capiti: cuius generationis Liber præsens inscribitur. Ecce etiam, cur de vno duntaxat dicatur passere *& vnus non cadit in terram sine Patre vestro*, quia humanitas duntaxat cecidit in terram, non verò Diuinitas. Quem casum pro morte accipi firmat Michæas cap. 7. in Christi persona dicens; *ne læteris inimica mea, quia cecidi; consurgam, cum sedero in tenebris*. Et hunc Prophetæ locum tunc mente lustrasse Dominum probari potest; quoniam quod in Michæa præmittitur, paulo post allegat; *inimici hominis domestici eius*. Ecce præterea, cur de numeratis addat capillis, quod ad amussim resurrectioni adstipulari, supra in expositione capitis huius diximus. Et sic Machabæus idem Martyr, *cute capitis eius cum capillis abstracta*, cum iisdem se resurrecturum sperauit. Ecce denique cur duo hi tantum recenseantur passeres; non verò quinque vt apud Lucam; quia nimirum, non solum super reuelatione facta Apostolis de fide Vnitatis & Trinitatis fundatur tota fides Ecclesiæ, vt dictum est ex Diuo Thoma 2. 2. q. 174. a. 6., sed & super mysterio Christi; etenim necessarium est ad æternam salutem, (in Symbolo Athanasij) *vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi, quisque fideliter credat. Est enim fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est*. Dic figuratè, passer est immolatus, seu cadens in terram, & passer viuus & auolans. Et iam mysterium Christi explicitè credi non

M 2. 2. q. 2. a. 8. potest, M sine fide Trinitatis. Sequitur autem; *nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos*. Quod ad literam accipe; in quantùm creaturarum Mundi huius est homo finis; *omnia enim subiecit*

psal.

ps. 8. *sub pedibus eius: volucres Cœli, & pisces maris*: finis autem est potior iis quæ sunt ad finem; ergo meliores sumus, etiam secundum corpus, quod potest occidi: in quo Manichæorum elidit errorem, somniantium corporalia, nec esse bona, nec à principio bono sed malo: bona sunt ergo, sed nos ipsis *meliores*; proinde digniori sub cura, & anima & corpore. Vtinam autem vt physicè, sic moraliter boni essemus, dum adeo bonum Dominum habemus; qui posse quidem perhibetur & *animam & corpus perdere in gehennam*; atqui etsi possit, non ita de facto perdere denunciatur.

VERS. XXXII. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Necte illud Hebræor. 3. *Fratres sancti vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum.*

38. Quid clarius, pro insinuanda cœlesti Ierusalem, triumphantique Ecclesia? Merces innuitur æterna, quia *coram Patre cœlesti*. Lucas c. 12. scripsit, *coram Angelis Dei*. 2. Cor. 10. *non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*, N idest commendabilem facit. Dic ita in præsenti, dignum reddam æterna commendatione laude & gloria, qui bonum certamen certando, cursum consummando, fidem seruando, coram hominibus: Domini confessor sanctæque ipsius legis & fidei testis extiterit. Lucæ 6. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tāquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in Cœlo.* Non coronantur, aiebat Philosophus, fortes, sed agonizantes. Hic est agon fidei nostræ, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur, Cypr.

N 2. Cor. 10. l. 3.

VERS. XXXIII. *Qui autem negauerit me, &c.*

39. Super illud Ephes. 2. *omnis ædificatio constructa &c.* O allegoricè designatur Ecclesia, quæ tunc construitur, quando homines ad fidem conuertuntur. Qui ergo, aio ipse, negat Dominum, cum fidem non habeat, ad Ecclesiæ ædificationem non facit 1. Ioan. 2. *quis est mendax, nisi qui negat, quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus; qui negat Patrem & filium. Omnis qui negat filium, nec Patrem habet; qui confitetur filium, & Patrem habet*. Ioan. 8. *neque me scitis, neque Patrem meum scitis*. Ioan. 14. *si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis*. Glossa; P *frustra confitetur Deum Patrem, qui negat filium*. Inquit Apostolus; *omnis qui negat filium*, Glossa; *siue Iudæus, siue Gentilis, siue Hæreticus*. Æquipollet quod ait hic Dominus. *Qui autem negauerit* relatu ad primum; *omnis qui confitebitur me*: *Negabo & ego eum*; potest exponi ex verbis eiusdem beati Ioannis; *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent, vtique nobiscum*. Facit ad rem nostram ibi Angelicus; Q qui fert Glossam; *ex nobis prodierunt; ab vnitate Ecclesiæ recedentes*. Et ideo ex recessu eorum, Ecclesia non est damnificata; sicut nec corpus damnificatur, cum humores praui exeunt de corpore. Quare censeo ly *negabo*, exponi posse, ac si diceret, *negabo* esse vel fuisse de corpore meo, siue Ecclesiæ. Siue *negabo*; idest negligam; sicut ad Hebræos legimus; *ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos*; idest R permisi perire. Ioann. 17. *Quos dedit mihi*, (Patrem alloquitur, sicut in præsentiarum ait *coram Patre meo*) *custodiui; & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*. Et quia Apostolus ibi ad Hebræos præmittit; *vituperans enim eos*, &c. hoc ipsum videtur sonare, quod hic ait Dominus, *negabo*, ex aduerso ad ly *confitebor*; quod laudationem significat ex Augustino *lib. Quæstionum ex Matthæo*, iuxta illud Ecclesiastici 39. *dicetis in confessione; opera Domini vniuersa bona valde*.

O Ephes. 2. l. 6.

P 1. Ioan. 2.

Q l. c.

R Hebr. 8. l. 2.

VERS. XXXIV. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram.*

Cohæret hic textus alteri apud Lucam c. 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem*: sic enim, vt ait Gregorius *Hom. 37. in Euang.* fit sensus, *vt quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus*. Est & hæc pugna militante in Ecclesia in domesticos inimicos familiaresque hostes necessaria; vt nedum aduersus Mundum & Diabolum, sed & aduersus carnem & sanguinem reportemus triumphum. Et respondet quod sequitur; *qui amat Patrem aut Matrem plusquam me* &c. Adhuc tamen aliter liceat interpretari; vt quia *gladium* se missurum in terram perhibet, arma quibus pugnandum sit militanti Ecclesiæ, gladio insinuet: & quidem aduersus impios in Patrem, quia increduli filio; nam præmisit. *Qui me negauerit*, ad Gal. 4. *misit Deus filium suum* &c. *vt adoptionem filiorum reciperemus*: Ephes. 1. *prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*: Rom. 8. *ipse est primogenitus in multis fratribus*. Consecutiuè ad ea quæ dixerat, *qui autem negauerit me, filium*, indignus est filius vocari: 1. Ioan. 2. *omnis qui negat filium, nec Patrem habet*. Ideo ait, non veni *pacem mittere in terram*: Angeli cecinerunt, *pax in terra*, sed *hominibus bonæ voluntatis*: quando ex Isaiæ 9. *ipse, filius datus est nobis*. Non est data eis eius filiatio, non est *datus eis filius*, qui negant filium. *Patrem* ergo exprimit; non verò exprimit *filium*; ait enim *veni separare hominem aduersus Patrem suum*; dicit *hominem* non *filium*, cum tamen, mutua debuisset esse relatio Patris, ad filium, & filij ad Patrem; sed ipse filiationem exuit adoptionis, qui Christum negat filium naturalem. *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, Lucæ 15. dixit ingratus ille. Lupus est non filius, qui non agnoscit, immo negat Pastorem. Audiamus ad hæc Diuum Thomam: S & pugnam excitandumque gladium, de quo loqui videtur Dominus, inspiciemus. Debent, inquit, Prælati resistere non solum lupis, qui spiritualiter interficiunt gregem, sed etiam raptoribus & Tyrannis, qui corporaliter vexant: non autem materialibus armis in propria persona vtendo, sed spiritualibus, secundum illud Apostoli 2. ad Cor. 10. *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*: quæ quidem sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes; contra pertinaces excommunicationis sententia. Aio ipse, Dominus venit *mittere gladium, venit separare hominem à Patre suo*. Tridentinum Sess. 25. c. 3. *excommunicationis gladius neruus est Ecclesiasticæ disciplinæ*. Excommunicatio autem meritò dicitur gladius, quia sicut gladius separat, sic vi excommunicationis separantur à cœtu fidelium, qui excommunicationi subduntur. Antiqui quando *pugnabant* (vide quàm appositè dum de militanti loquimur Ecclesia, & ipse non venit *mittere pacem sed gladium*) T capiebant aliquando aliquam prædam ab hostibus, quam nolebant conuertere in vsum proprium, sed suspendebant illam in Templis, vel in aliquo loco publico Ciuitatis, quasi separatam à communi vsu hominum: & omne tale sic suspensum nominabant Græci *anathema*; ab *ana* quod est *sursum* & *thesis*, *positio* quasi *sursum positum*. Et ex hoc inoleuit cōsuetudo, quod omne illud quod excludebatur ab vsu communi diceretur anathematizatum. Et ideo etiam hoc in Ecclesia inoleuit, vt illi qui excluduntur à communi societate Ecclesiæ, & a participatione Sacramentorum, dicantur anathematizati. Huic separationi perfidos subesse Iudæos, vides mi lector, etsi non Ecclesiæ fulmine, sed suo peccato: Ioan. 16. *de pec-*

40.

S 2. 2. 40. 2. ad 1.

T Galat. 1. l. 2.

peccato quidem, quia non crediderunt in me; nam peccata à Deo separant, secundùm illud Isaiæ 59. *iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.*

Sequitur; *& filiam aduersùs matrem suam.*

41. Non dicit *mulierem*; vt magis emicet, cur paulo ante omiserit vocare *filium* dicens *hominem à Patre suo*. Mater Ecclesiam significat. Hieronymus *lib. 2. Comm. in cap.15. Matthæi ego filiam Chananææ puto animas esse credentium, quæ malè à Dæmonio vexabantur, ignorantes Creatorem & adorantes lapides.* Infideles certè separati sunt ab Ecclesia; & sic gladio excommunicationis hæretici; quos sine dubio, vt etiam Schismaticos, separat à communione fidelium Christi potestas.

Sequitur. *Et nurum aduersùs socrum suam.*

Ecclesia, quæ, vt dicit Gregorius, ab Abel iusto cœpit, fidelium omnium est Mater: quamuis deinde Ecclesia Gentium fuerit ad tempus sterilis. Duos
V Rom. 9.l.2. ergo quos commemorat Angelicus V habuit filios. Per maiorem intelligitur populus Iudæorum, qui primò adoptionem filiationis accepit, secundùm illud Exodi 4. *primogenitus meus Israel*, & Rom. 9. *quorum adoptio est filiorum.* Per minorem figuratur populus Gentilium, qui posteriùs est ad fidem vocatus: qui etiam figuratur, per filium prodigum Lucæ 15. Huic maiori filio, aio ipse, nempe populo Iudæorum desponsata est Synagoga, iunior certè quàm sit Ecclesia, quare nurus, illa dicenda est; socrus autem, Ecclesia. Vicem populi gessit Moyses Dux eius: Moyses Synagogam ceu sponsam habuit. Sic illud Isaiæ 54. *multi filij desertæ, magis quàm eius,*
X Galat. 4.l.8. *quæ habet virum*, exponitur pro Synagoga X, quæ *habuit virum*, scilicet Moysen. Ecce quomodo facta est nurus Synagoga respectu vniuersalis Ecclesię, quæ cœpit ab Abel. Causa autem, quare Dominus venerit mittere gladium separareque *hominem*, scilicet Iudæos, non vltra filios, *à Patre suo*; *filiam*, siue Ecclesiam aliquam quæ se elongauerit per hæresin, *à Matre sua*, scilicet ab Ecclesiarum omnium Matre Romana Ecclesia; & *nurum*, hoc est Synagogam ab Ecclesia, tangi videtur subtiliter in ly *aduersus*: quasi diceret; quia aduersati sunt, & se habuerunt aduersus Patrem suum, Matrem suam, & Socrum. Aiebat Apostolus 1. ad Tim. 1. *& si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundùm Euangelium*, &c. Sic Act. 13. (vbi & de puluere pedum excutiendo, vt in hoc Matthæi cap.) legimus; *contradicebant Iudæi his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes*: sic cap. 18. *contradicentibus Iudæis, & blasphemantibus*. Vbi Deuteronomij 33. prædicitur; *& adiutor illius contra aduersarios eius, erit*; interpretatus sum de corpore eius, quod est Ecclesia: Matth. 16. *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hinc facit ad Euangelici textus expositionem, quod sequitur; *inimici hominis domestici eius*: etenim *hominis* nomine, non incongruè Dominus ipse, qui pro nobis factus est homo, fas est intelligi; Lucæ 14. *homo quidam fecit cœnam magnam*. Habuit Iudæos domesticos; Roman. 1. *quorum Patres, ex quibus est Christus secundùm carnem*; Zachariæ 13. *his plagatus sum in Domo eorum, qui diligebant me*; Cant. 1. *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Ecce inimici effecti *hominis* Iesu Christi, *domestici eius*; proinde & Ecclesiæ; à qua illos separatos decernit; iuxta quod ipse pro Ecclesia *quæ corpus eius, est*, in Scripturis accipitur; *Saule Saule, cur me persequeris?*

VERS. XXXVII. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus* &c.

42. Mystica Ecclesiæ structura, non surgit ex maceria, quæ est paries, in quo, vt notatur, A lapides
A Ephes. 2.l.5. non conglutinantur cæmento: quique non erigitur, vt duret in perpetuum, sed vsque ad tempus præfinitum. Connexio spiritualis ædificij B est per charitatem, *quod est vinculum* Coloss. 3. *perfectionis*. B 1.2.4.7. ad 4.
Est etiam velut cæmentum, vt dictum est, conglutinans omnes simul Christo. Vetus lex non fuit lex amoris, sed timoris; inducens homines per pœnas & comminationes ad obseruantias mandatorum; vt ibidem ad Ephesios, & passim, ex Augustino. Quid mirum, dum de *noua Ierusalem* Apoc. 21. *descendente de Cœlo à Deo parata, sicut sponsa ornata viro suo*, agitur, requiri de dilectione? Iam diximus ex Augustino, quomodo amor sui vsque ad contemptum Dei facit Babylonem; amor autem Dei vsque ad contemptum sui, Ciuitatem facit Ierusalem. Ita l. 14. *de Ciuitate* Dei c. 28. *& vlt.* Intelligitur autem de amore sui inordinato, C qui est causa omnis C p.2.77. 4.
peccati. Ecce cur perducatur sermo Domini, vt ex huiusmodi dilectione perdat quis etiam *animã*, hoc est *vitam suam*. Et quidem per tormenta etiam & *crucem*, vt patet in textu. Multo faciliùs posthabendi sunt Deo, Iob 32. *Deum homini non æquabo*, & dilectioni Christi Iesu; (qui huius ædificij Ecclesiastici *lapis* est nedum *angularis*, sed *summus*) dum edicitur *qui amat Patrem, & Matrem plusquam me*, agnati omnes, vbi retrahimur per ipsos à Dei amore. Sicut ait Paulus 2. Cor. 5. *neminem nouimus, secundùm carnem*; idest D non sequimur in D 2.Cor. 5.l.4.
aliquo carnalem affectum; nec aliquid hoc modo reputamus. Amor sponsi E zelus est. Si ergo in præ- E Hebr. 10.l.3.
senti Zelotem adeo se ostendit Dominus, sine dubio sponsam intendit innuere suam, nimirum Ecclesiam. Et ideo ter repetit de exacta sponsæ dignitate, dicens; *non est me dignus*. Sola charitas reddit hominem Deo dignum: dicente Apostolo 1. ad Cor. 13. *charitatem non habuero, nihil sum.* Non est digna anima illa desponsari ei *qui est* Exodi 3. quæ *nihil est*. Verùm in eo quod ait de dignitate, condignitatem gratiæ ad gloriam reor innuisse, vt sic ad cœlestem Ierusalem triumphantemque Ecclesiam feratur mens; vbi Ecclesiæ sponsæ suæ merces ipse erit; vbi dos multa corpus & animam manet. Ideo mox de mercede subdit; *mercedem Prophetæ, mercedem iusti accipiet*. Et eodem in sensu, cum supra de separatione locutus est, separandos à bonis malos, qui ad Ciuitatem non spectant cœlestem, nec ad cœlestem Ierusalem, significauit: memorato gladio; de quo Apocalypsis 1. *& de ore eius gladius vtraque parte acutus*; F idest finalis sententia, quæ F Apoc. c.1.Com. 2.
sicut gladius separabit malos à bonis. Matth. 25. *separabo eos ab inuicem; sicut Pastor segregat oues ab hœdis*. Et c. 13. *triticum autem congregate in horreum meum*: vt secuta congregatione, postquam Ecclesia est congregatio iustorum, illud impleatur ps. 146. *ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.*

VERS. XXXX. *Qui recipit vos, me recipit*, &c.

Elucere facit textus iste, cur eos qui Apostolos 43.
non recepissent, supra v. 15. tam seuerum manere iudicium supra Sodomam & Gomorrham, pronunciauerit: nam hic ait, qui eos recipit, eum etiam recipere, qui eum misit: è contra proinde qui eos non recipit, nec Deum recipit; quid potest concipi execrabilius? At multiplici alio sensu prægnans est hæc cum sequentibus sententia. Ecclesia, vt innuimus supra, & luculenter Genesis 8. per Arcam significata est. De Arca præcepit Dominus ibi c. 6. *bitumine linies intrinsecus & extrinsecus*: habet autem in Sermone; per picem intelligi charitatem, quæ est nexus G animarum; quia quod facit vir sanctus, de- G Serm. 27. de Tempor.
bet informari charitate. Quid mirum, si postquam præmisit hic Dominus de sui præferendo amore, subdat de extrinseco nexu ad proximum, incipiendo ad Apostolos? Sed est quod magis miremur, circa

quos

quos memorat recipiendos: nimirum *Prophetam*, deinde *iustum*; postea vel potu aquæ frigidæ refocillandum, *vnum ex minimis istis*, denique *in nomine discipuli tantum*. Nunquid horum omnium nulla compactio? absit. Corpus, vt mihi videtur, Ecclesiæ quodnam sit, quibusq; coalescat, subtiliter docet. Et in primis Ecclesiæ fit palam vnitas; quæ potissimum post fidei speique vnitatem, H causatur ex vnitate charitatis; quia omnes connectuntur in amore Dei, & ad inuicem in amore mutuo; Ioann. 17. *charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*. Manifestatur autem huiusmodi amor, si verus est, quando *membra*, *pro se inuicem sunt solicita*, 1. Cor. 12. & quando inuicem compatiuntur. Ephes. 4. *in charitate crescamus, in illo per omnia, qui est Caput, Christus: ex quo totum corpus connexum & compactum, per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem, in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate*. Hactenus D. Th. Quæ certè sacro textui perbellè respondent. Nam hic & de mutua claret solicitudine, & de mutua compassione, in potu aquæ frigidæ; qua siti compatiatur; & de Christo capite, dum ait, *qui vos recipit*; quia caput I & membra sunt vnum corpus. Ezech. 3. *nolunt audire te, quia nolunt audire me*. Sicut naturale corpus, inquit Angelicus 3. p. est vnum ex membrorum diuersitate consistens, ita tota Ecclesia quæ est mysticum corpus eius, computatur quasi vna Persona cum suo Capite, quod est Christus. Et sanè si recipiuntur fundamenta, nempe Apostoli, necesse est recipi & Christum; nam principale ipse est fundamentum 1. Cor. 3. *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*. Et hoc tanto magis accinit; si quod sequitur, *in nomine Prophetæ, in nomine iusti*, accipiatur de ipsomet Christo, vt fert Remigius. Deuteronomij 18. *Prophetam suscitabo eis*, &c. Isaiæ 62. *videbunt Gentes iustum tuum*. Ieremiæ 23. *suscitabo Dauid germen iustum*. Cæterum Ecclesiæ structuram si aues, post ipsum lapidem angularem summum, habes Apostolos, deinde Prophetas: *& qui recipit Prophetam*. Hæc duo nectit etiam Paulus, ad Ephes. 2. *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*: quia scilicet L vtraque doctrina est necessaria ad salutem; Matthæi 13. *scriba doctus in Regno Cœlorum, qui profert de thesauro suo noua & vetera*: item propter concordiam inter vtramque, alterius ad alteram; dum idem est vtriusque fundamentum: nam quod Prophetæ prædixerunt futurum, Apostoli prædicauerunt factum; *Paulus* 1. ad Rom; *vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium, quod ante promiserat, per Prophetas*. Quod si roges, quare in singulari dicat, *prophetam*? Responderi potest, quia quasi vnus fuere ob concordiam, & quasi vno ore locuti; sicut ait signanter Zacharias in Cantico Lucæ 1. *per os* (non dicit *per ora*) *Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*. Et Act. 3. *Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic impleuit*.

H Opusc. 6. §. Sanctam Ecclesiam.

I Matth. 25. ibi vni ex minimis 3. p. 49. 1.

L Ephes. 2. l. 6.

Sequitur; *qui recipit iustum*, &c.

44. Ecclesia incepit à tempore M Abel. Abel sibi promeruit etiam iusti nomen, dicente Domino infra c. 23. *à sanguine Abel Iusti*: sicut è contra Cain iniustus vocitatur Sap. 10. *ab hac vt recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij fraterni deperijt*. Primus ergo lapis viuus superædificatus fuit Abel Iustus; lapisque angularis primumque fundamentum Christus, in eo *occisus* Apocalyps. 13. *ab origine Mundi*: figura quadam, vt firmat Angelicus ibi & Hebr. 9. lect. 5. Ab vno disce omnes: quia vt ait Gregorius Hom. 19. in Euang. *vniuersalis Ecclesia ab Abel Iusto, vsque ad vltimum electum, qui in fine Mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit*.

M Opusc. 6. cit.

Sequitur; *quicumque potum dederit vni ex minimis istis*, &c.

Ecce multitudo electorum signata superædificari. *Minimos* quippe electos vocat Matthæi 25. Vbi etiam clausula est; *iusti autem in vitam æternam*. Verum quoniam hic non exprimitur possessiuum ly *meis*, sed tantum *ex minimis istis*; ibi autem *vni ex his fratribus meis minimis*; ratus sum, factum esse, ad innuendum pertinere quosdam ad visibile Ecclesiæ corpus, qui tamen illius finaliter non erunt. Immo & secundum præsentem iustitiam nonnulli, tandem tametsi saluandi, sui per gratiam non sunt: coquòd vt docemur N qui subduntur peccatis, nō sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi fortè imperfectè per fidem informem, quæ vnit Christo secundùm quid & non simpliciter. Et ecce fermo de discipulo, *in nomine discipuli*: in quo fides, quia *fides ex auditu*: auditusque ex Philosopho est sensus disciplinæ. Ideò supersedet ab illo possessiuo, *meis*. Vel tangit de populo Gentilium respectu populi Iudæorum. Christus Iesus O angularis lapis dicitur, ab vtriusque populi coniunctione; nam in angulo duo parietes vniuntur; sic in Christo populus Iudæorum & Gentium vniti sunt. Populus autem Gentium frater dicitur minor, P respectu Iudæorum, Exodi 4. *primogenitus meus Israel*. Puto ergo de minori populo Gentium, de *minimis* huc *pusillis*, vt legit Paginus, introduci; quasi de Zachæo, qui *statura pusillus erat*: hoc est, vt glossat Ambrosius lib. 6. in Lucam, *nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum*; nec addi ly *meis*; quoniam sui nondum erant, nec oues Domini; *quas* Ioa. 10. *oportebat eum adducere, fierique vnum Ouile & vnus Pastor*. Sui fuerant Iudæi: Ioann. 1. *in propria venit, & sui eum non receperunt*.

N 1. p. 8. a. 2.

O Ephes. 2. l. 6.

P Rom. 9. l. 2.

Denique quia Epithetum est Ecclesiæ, vt *sancta* sit, vt sit *catholica*, vt sit *Apostolica*, superest, cuncta hæc elogia in hisce sententijs Domini inspectari. 45.
Sanctitas in primis deprehenditur; Ephes. 5. *vt sit sancta & immaculata*: nam sanctificantur, Q præcipuè fideles ex inhabitatione Trinitatis; vbicumque enim Deus inhabitat, locus ille sanctus est, Vnde Genes. 28. *locus iste sanctus est*; ps. 92. *Domum tuam decet sanctitudo*. Ecce autem de Dei inhabitatione asseri; *qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui me misit*. Vbi tacitè & de Spiritu-Sancto; iuxta illud ad Ephes. 2. *coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu-Sancto*: 1. Ioann. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*: charitas autem datur nobis per Spiritum-Sanctum; quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis*; vt deducit R Angelicus. Apostoli etiam commemorati; *qui vos recipit*, sanctitatem Ecclesiæ præseferunt, tanquam *primitias spiritus habentes*; quia S Spiritum-Sanctum & tempore prius, & cæteris abundantius habuerunt: 1. Cor. 12. *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: primùm Apostolos: secundò Prophetas*. Et ecce hic item haberi statim post Apostolos; *qui recipit Prophetam*. Ab his etiam resultat Ecclesiæ sanctitas: *non enim voluntate humana*, 2. Petri 1. *allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu-Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Subnectitur de iusto; *qui recipit iustum*: claret coire sanctitatem & iustitiam; Lucæ 1. *in sanctitate & iustitia coram ipso*; Act. 3. *vos autem Sanctum & Iustum negastis*. Dum autem subiunxit *de potu aquæ frigidæ*, sanctis adhuc Spiritus replet Ecclesiam; secundùm illud 1. Cor. 12. *omnes in vno spiritu potati sumus*;

Q Opusc. 6. cit.

R Ephes. 2. l. 6.

S Rom. 8. l. 5.

T 1. Cor. 12.l.3. *mus*; quòd intelligi potest T de interno refrigerio, quod Spiritus-Sanctus cordi humano præbet, extinguendo sitim carnalium desideriorum & concupiscentiarum.

46. Catholica siue vniuersalis triplici de causa Ecclesia dicitur. Et primò quantùm ad locum; quia per V Opusc. 6.cit. totum Mundum V contra Donatistas: Rom. 1. *fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo*. Matth. vlt. *euntes in Mundum vniuersum*. Ex Boetio item X Opusc. 21. & Opusc. 70. post Proemiales. in libro de Trinitate, qui fertur X à Diuo Thoma, vniuersalis est, quia eius cultus per omnes penè Mundi terminos emanauit. Nullus angulus Mundi est, nulla plaga, in qua nomen Christi non adoretur: *omnia* enim A Opusc. 80. l. 3.c. 31. A *subiecit sub pedibus eius*, vt introducit Apostolus 1. ad Cor. 15. Ecce in præsenti, indiscriminatim (quod certè omnem populorum vniuersitatem complectitur); *qui recipit vos*, &c. deinde *quicumque potum dederit*, & c. 1. Corinth. 12. *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi*, & omnes *in vno spiritu potati sumus*. Exinde Apostolica dicenda est, quia ps. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines Orbis terræ verba eorum*. Gal. 3. *non est masculus, neque fœmina*; &c. Vniuersalis etiam dicitur quantùm ad tempus; B Opusc. 6.cit. B incepit enim à tempore Abel; & durabit vsque ad finem sæculi; Matth. vltimo; *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*; Et post finem sæculi remanebit in Cœlo. Ecce de iusto fieri mentionem, pro Abel vt exposuimus. *Qui recipit iustum*: ecce de fine tangi; quia de mercede; *mercedem accipiet*; *mercenarius* quippe Iob 7. *præstolatur finem operis sui*. Et sic de eadem Ecclesia in Cœlo, vtique triumphanti, vbi merces manet; Deusque ipse erit merces; Genes. 15. *ego merces tua magna nimis*. Et ideo postquam dixit *qui vos recipit, me recipit*, nihil adiecit vltra de mercede; summa enim merces est Deum recipere. Vniuersalis postremò dicitur; ex eodem Boetio *propter vniuersalium præcepta regularum, quibus Religionis Christianæ intelligitur authoritas*. Et ecce hoc ipsum indicari in eo quod memorat discipulum; *in nomine*, inquit, *discipuli*: relatu sine dubio ad magisterium & Cathedram: ex qua Ecclesia definit, quæ ad fidem bonosque mores censet spectare. Hinc Leo Papa Serm. 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli Romam alloquitur; *quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis*. Nam Ecclesia (1. ad Tim. 3.) *Dei viui, est columna & firmamentum veritatis*. Profectò etsi in alijs ab Ecclesia Christi extra communionem Pontificis Romani falsis Religionibus & Sectis, nonnulla iuris cultus & honestatis dentur præcepta; non tamen vniuersaliter omnia: vbi enim non est puritas fidei Act. 15. *fide purificans corda eorum*, nequeunt omnino puri esse ritus & mores. Hoc re ipsa deprehenditur. Sancta Ecclesia omnia dirigit, omnia ordinat, omnia corrigit; nec macula, vel næuo notari potest: sicuti & lex sola Domini immaculata. Et quoniam habet Ecclesia C tres partes; vna est in terra, alia est in Cœlo, tertia in Purgatorio; non fuerit absonum, has eius omnes partes quasi epilogo, in hac vltima clausula introspicere. Etenim vbi potus aquæ frigidæ minimo alicui porrigitur, refrigerari animas, quæ refrigerij suspirant locum commendatur. Vbi qui det potum huiusmodi inuenitur, Ecclesia certè in terris indicatur, quæ in Purgatorio degentibus suffragiorum potum à Deo implorat. Vbi tandem merces promittitur; *non perdet mercedem suam*; de certa in Cœlo retributione Ecclesiæ illic triumphanti, clarè fit sermo. C Opusc. 6.cit.

CAPVT XI.

1 *ET factum est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde,*
Luc. 7.c. 18. *vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.* 2 *Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis* 3 *ait illi, Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* 4 *Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, &*
Isa. 35. b. 5. & 6. a. 1. *vidistis.* 5 *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur:* 6 *& beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* 7 *Illis autem ab-*
Luc. 7. c. 24. *euntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* 8 *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* 9 *Sed quid existis videre prophetam? Etiam dico vobis, &*
Mal. 3. a b.1. *plus quàm prophetam.* 10 *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum*
Marc. 1. a. 2. *ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* 11 *Amen dico vobis, non surrexit inter*
Luc. 7. d. 27. *natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno Cœlorum, maior est illo.* 12 *A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 13 *Omnes enim prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt:* 14 *& si vultis re-*
Mal. 4. b. 5. *cipere.* 14 *Ipse est Elias qui venturus est.* 15 *Qui habet aures audiendi, audiat.* 16 *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro qui clamantes coæqualibus,* 17 *dicunt: Cecinimus vobis & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis.* 18 *Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.* 19 *Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filijs suis.* 20 *Tunc cœpit exprobare ciuitatibus,*
Luc. 10. d. 13. *in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pænitentiam.* 21 *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egissent.* 22 *Veruntamen dico vobis Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.* 23 *Et tu Capharnaum, numquid vsque in Cælum exaltaberis? vsque in Infernum descendes, quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem.* 24 *Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius*
erit

erit in die iudicij, quàm tibi. 25 *In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater,*
Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea par- Ioan. 6. e
uulis. 26 *Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.* 27 *Omnia mihi tradita sunt à Patre* 6 & 7. d. 18. & 8. b
meo. Et nemo nouit Filium nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit fi- 19. & 10.
lius reuelare. 28 *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* 29 c 15.
Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inue- Ier. 6. d 16.
nietis requiem animabus vestris. 30 *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* 1. Ioan. 5. a. 3.

VERS. I. *Et factum est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transijt inde, vt doceret, &c.*

1. Quæ tenerent discipuli Apostolicæ disciplinæ præcepta, absolutissimè tradita à Domino fuisse, fuisseque salutaria sibi & Mundo, vel ex hoc innotescit, quòd *consummasse* dicitur Sermones: *consummare* siquidem est *perficere*: *Iesus* autem *salutem* sonat. Transijsse autem dicitur inde, vt doceret & prædicaret, quo eis iter faceret, quemadmodum Lucæ 8. legimus; *iter faciebat Iesus*; viuo exemplo; ipse enim qui missus est, Exodi 4. *mitte quem missurus es*; capite hic præcedenti, *recipit eum qui me misit*: non dedignatur apostolico ex munere dici Apostolus; Hebræor. 3. *considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum. Apostolus* quippe sonat *missum*. Consummasse etiam perhibetur ad eum sensum, quo Hebræor. 12. inquit Paulus; *aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum.*

VERS. II. *Ioannes autem, cum audisset in vinculis opera Christi. &c.*

2. Lucæ 7. vbi hac de re, non commemorantur Ioannis vincula; etsi cap. 3. missus recolatur in carcere. Quare vltra literam, quia scilicet Matthæus non alias tangit Ioannis incarcerationem, nunc exprimat de *vinculis*. in Syntaxi scribimur. Interim communis, sed implexa est quæstio, de legatione huiusmodi ad Christum; *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Certum est autem, non quæsiuisse de Christi aduentu, A quasi hoc ignoraret; cum ipse hoc expressè confessus fuerit; Ioan. 1. *ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Vnde non dixit; *tu es qui venisti, sed qui venturus es?* Similiter non est credendum, quòd ignorauerit eum ad passionem venturum: (Gregorius, vt fert Magister in 3. dist. 25. dubitasse de morte Christi, videtur astruere) ipse enim dixerat; *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*; prænuncians eius immolationem futuram. Et tamen hoc Prophetæ alij non ignorauerunt, sed ante prædixerunt; sicut præcipuè patet in Isaiæ cap. 53. Potest dici (pergit Angelicus) sicut Gregorius sentit, quòd inquisiuit, ignorans an ad Infernum esset in propria Persona descensurus; quamuis sciret quòd virtus passionis eius extendenda erat vsque ad eos, qui in Limbo detinebantur, secundum illud Zachariæ 9. *tu quoque in sanguine Testamenti tui, emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Neque hoc tenebatur explicitè credere, antequam esset impletum, quòd per se ipsum deberet descendere. Secundùm hoc, alibi addit, pro causa B quia Ioannis tempore, veritatis cognitio ad suum complementum non peruenerat: quod præcipuè factum est in aduentu Spiritus-Sancti. In sententiarijs, inculpatum etiam C facit Ioannem; eo quòd non pertinaciter dubitauit: & patet, quia doceri quærebat. Ac si diceret; D sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam ad inferos descendere digneris insinua. Hanc Gregorij opinionem, videtur tutari Angelicus, vt deferat tantò Doctori. Nihilominus locis vbi supra nusquam Ambrosij linquit interpretationem, vt Ioannis quæstio, non fuerit ignorantis vel dubitantis de illo fidei articulo, sed piè admirantis humilitatem Christi, si dignaretur descendere ad Inferos; dictu, quò iturus erat proximè plectendus capite Ioannes, post terrena carceris vincula, illic vinciendus, cum alijs Sanctis Patribus, vt ait Zacharias, *vinctos de lacu*. Chrysostomus alia via incedit; vt scilicet in persona discipulorum perconctetur Ioannes: quo ita priusquam neci traderetur, eos posset de Christo plenius instruere; vt ibidem probat Angelicus. Sed & hoc non caret obiectis: quandoquidem quod audierat Ioannes, acceperat à discipulis; Lucæ 7. *nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his*: non omnino ergo propter eos; per eosdem interrogat: præsertim cum nonnisi de miraculis sit Christi responsio; *cæci vident* &c. Miracula autem iam nouerant, & de seruo Centurionis, & de filio Viduæ resuscitato, quæ etiam retulerant Ioanni. Quid pro discipulis Ioannis in fide erudiendis proderant alia miracula? Responderi potest, recentia Christi miracula habuisse discipulos sub oculis; quia *in ipsa hora*, vt dicit Lucas, *multos curauit à languoribus & plagis, & spiritibus malis; & cæcis multis donauit visum*. Et ita miraculorum repetitio & multitudo vrgere potuit, erudiente Ioanne, discipulos ad Christo credendum: nam vt ait Augustinus; E *qui tam multa vitia & malas valetudines vexatione, quæ mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur Antiquorum.* Dicamus ergo, cum Hilario; *Ioannes non suæ, sed discipulorum ignorantiæ consuluit.* Verumtamen arridet magis, vt hæc *ad nostram doctrinam scripta sint*; & duo isti discipuli pro duobus stent Populis: vno qui ex Iudæis credidit, altero qui ex Gentilibus: quod sentit Ambrosius. Quodque in Syntaxi clarius explicabitur.

A 2. 2. q. 1. 7. 2. & hic.

B De Verit. 14. a. 11. ad 6.

C 3. Sent. 25. q. 2. a. 2. q. 3. ad 3.

D Opusc. 60. a. 21.

E 3. p. 43. 4. 1.

VERS. IV. *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis.*

VERS. V. *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt.*

3. Non respondit, (quod notat Chrysostomus) *quoniam ego sum; excogitassent enim, quod Iudæi ad ipsum dixerunt; tu de te ipso testimonium perhibes. Et propter hoc à miraculis fecit eos discere, insuspicabilem doctrinam faciens & manifestiorem. Testimonium enim quod est à rebus, credibilius est testimonio, quod est à verbis.* Animaduerte ly *renunciate*; quod est rursum nunciare: præsupposuit enim Matthæus, quod scribitur à Luca eo cap. 7. nunciasse eos prius Ioanni de multis alijs. *Intende*, inquit idem Chrysostomus, *quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt Euangelistæ*; (Homil. 28. in Matthæum) *non vnumquemque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.* Sequitur; *pauperes Euangelizantur.* Adnectit d. doctrinæ suæ annunciatione; de qua Marci 1. *quænam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Et ad confirmandam ipsam sunt signa, Marci vltimo, *& sermonem confirmante sequentibus signis*. Porrò non est quod magis suspectam reddat doctrinam, quàm lucri ac diuitiarum cupiditas. Vt ergo cernatur non terrenorum studiosa, sed cœlestium, æquè ad diuites, ad pauperes directa est: *pauperes euangelizantur*. Vel, F euangelizatur paupertas: F D. Th. hic.

supra

supra c. 5. *beati pauperes spiritu*. Hieronymus dicit super Matthæum; *si discipuli eius diuitias habuissent, viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare*. Et eadem ratio G est de Christo. Olim in futuro dicebatur; *annunciabitur Domino* H *generatio ventura*: nunc, non in futuro euangelizatur. Quid quærunt in futurum; *tu es qui venturus es?*

G 1. p. 10. 1.

H ps. 21.

VERS. VI. *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.*

4. Bellè Chrysostomus: *Internuncios percutit; quia enim scandalizabantur in ipso, dubitationem eorum non diuulgans, & soli eorum conscientiæ derelinquens, redargutionem eorum latenter induxit*. Eorum acceptum scandalum recole cum Hieronymo supra c. 9. cum *accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes; Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant?* Ex hoc Domini responso, quantùm ad dicendum de Christo Ioanni suppeteret, vel ex eo pateat, quòd illis abeuntibus, ipsum pergratè præueniens *cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne*. Nunquam satis Ioannes humano ore laudabitur, cuius laudes *cœpisse* dicitur, non consummasse *Iesus*.

VERS. VII. *Quid existis in desertum videre?*

5. *Negando intulit*, quod scribit Gregorius, *arundinem vento agitatam?* Ignorantes mittentis consilium, poterant de Ioannis inconstantia suspicari, quanquam priùs ipsum Christum agnum testatus esset, quasi à priori excidisset opinione, vt ait Chrysostomus. Lapsus tanti viri suspicio, ingens erat erudiendæ plebi detrimentum; ideo ignorantiæ vulneri medetur. Potuisset Dominus, quam fert Apostolus Ephes. 4. adferre similitudinem; *vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*: sed incolatum Ioannis expendens, à teneris annis, despecta Vrbe, in deserto, frutici seu virgulto arundineo, inæquiparat. Ac si diceret; altas qui à pueritia virtutis & sanctitatis radices habet, arundo non est mobilis, huc illuc inflexa, inanis doctrinæ vacuitate, aut superbiæ aut adulationis flatu nunc acta, priusue agitata. Deprehenditur autem, non fuisse arundinem vento ambitus agitatam, quando Ioann. 1. *miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, tu quis es? & confessus est, & non negauit; quia non sum ego Christus. Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: ipse est, qui post me venit &c.* Quocirca Gregorius hom. 7. in Euang. *cum tantæ virtutis esset, vt Christus credi potuisset, elegit solidè subsistere in se; ne humana opinione raperetur inaniter supra se.*

VERS. VIII. *Hominem mollibus vestitum? Ecce*, &c.

6. Sicut animus hominis I ex splendore vestium eleuatur, ita ex humilitate vestium humiliatur. Vnde de Achab, qui carnem suam cilicio induit, dixit Dominus ad Eliam, *nonne vidisti Achab humiliatum coram me?* vt habetur 3. Reg. 21. Arbitror ergo ad hoc expendi à Domino, vilius vestitum Ioannem, vt ipsius humilitatem commendet; quæ cum profundas habeat radices, arundinem non esse, vento subiectam ostendit, qui ea pollet. Ecclesiastici 19. *amictus corporis enunciat de homine*. Dicit Hieronymus ad Rusticum; *sordidæ vestes, candidæ mentis indicia sunt; vilis tunica contemptum sæculi probat*. Idcirco, vt contempsisse sæculum Baptistam magis norint, adiecit; *qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*. Vt fiat sensus; ij cupiunt mollibus vestiri, qui in domibus Regum student commorari. Altiùs autem, reor pro Ioanne occurrisse Dominum tacitæ obiectioni; quoniam habet Augustinus lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 19 *non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam*. Absit hoc à Ioanne, qui Regum domos non colit, sed desertum. Hinc Hieronymus; *ex hoc ostenditur, rigidam vitam & austeram prædicationem vitare debere Aulas Regum, & mollium hominum palatia declinare*: nisi ob pias causas. L Addit autem Augustinus; *cæteris cognosci potest operibus, Vtrum quis contemptu superflui cultus, vel ambititione aliqua, similia faciat*. Vita Baptistæ notoriè fuerat incontaminata. Chrysostomus; *nullus idoneus testis alterius est, nisi sit testis suus; & hoc bona vita*. Et si adijt Herodis Palatium, fuit ad eum arguendum; vt ibidem 2. 2. notat Diuus Thomas.

I 2. 2. 187. 6.

L 2. 2. 187. 2. 3. & Opusc. 19. 19.

VERS. IX. *Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam.*

7. Prophetam dicendum fuisse Baptistam, prophetice Lucæ 1. Zacharias pronunciauit; *tu puer Propheta Altissimi vocaberis*. Quod quo sensu ipse negauerit, Domino misericorditer vitam largiente, dicemus Ioan. 1. cum enim Prophetia ordinetur ad cognitionem diuinæ veritatis; M per cuius contemplationem in fide instruimur, & in nostris operibus gubernamur; non est dubium, dic tu, Ioannem, qui *præiuit ante faciem Domini parare vias eius*, Prophetam fuisse. Et quia docemur ibidem propinquiores Christo siue ante, siue post, fuisse de Christi incarnatione plenius instructos, claret excelluisse & in hoc Ioannem. Fuit autem *plusquam Propheta*; vel quia N non solùm futura, sed etiam præsentia ostendit; *ecce agnus Dei*; Ioan. 1. vel quia etiam ex vtero prophetauit; Lucæ 1. *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo*. Quamuis hoc quod Ioannes O digito Christum demonstrauit, non pertinet ad visionem propheticam, in rigore, sed magis ad denunciationem. Et sic Christum corporaliter vidisse fuit quoddam diuinitus concessum, amplius, quàm Prophetia. Recole illud Ioan. 1. *hic erat quem dixi*. Plusquam Propheta etiam, quia fuit terminus legis & initium Euangelij, vt ait 3. p.

M 2. 2. 174. 6. & prius q. 1. a. 7. ad 4.

N D. Th. hic & Io. 1. l. 12.

O de verit. 12. a. 12. ad 3. 3. p. 38. 2. 1. 2.

VERS. X. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.*

8. Si Prophetia importat visionem quandam P alicuius supernaturalis veritatis, vt procul existentis: certè Ioannes, qui cominus vidit & indicauit Dominum, plusquam Propheta Angelus nuncupari debuit; *ex D. Th. hic*. illorum beatorum Spirituum instar, qui infra c. 18. *semper vident faciem Patris eius, qui in Cœlis est*. Præcessit Ioannes Christum Q sicut famulus Dominum, sicut miles Regem, & sicut Lucifer Solem. Magis familiares præcedunt R faciem Regis: vnde tanto honorabilior quanto propinquior. *Angelus* est nomen Officij, idem quod *Nuncius*. Puto antonomasticè dici Angelum, quia præ omnibus hominibus delectus est ad nunciandum Christi Domini aduentum: ideo specialiter est Angelus eius: *Angelum meum*. Magna nunciatio, quæ ad omnes gradatim peruenit, quia *venit*, Ioann. 1. *vt omnes crederent per ipsum*. *Feruent Nuncius*, inquit Chrysologus, *qui ante gestiuit nunciare, quàm viueret*. Et Sanctus Maximus Hom. 3. in Natiuitate Sancti Ioannis; *hic solus est Prophetarum, qui Dominum nostrum Iesum Christum, quem alij in longa tempora futurum præscierunt, proprijs oculis videre meruit, & annunciare præsentem.*

P 2. 2. 174 5.

Q Ioan. 1. l. 9.

R D. Th. hic.

VERS. XI. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.*

9. Angelus Lucæ 1. Zachariæ de Ioanne prædixit; *erit enim magnus coram Domino*: nunc Domini testimonio, nullum *inter natos mulierum* Ioanni Baptistæ præferri, decretum est. Hieronymus animaduer-

maduertit, non ideo sequi ex necessitate ipsum maiorem omnibus esse. Stat quippe verbi Domini veritas, etsi aliquis Ioanni æquiparetur. Qui enim æquiparatur non ideo maior est. Nihilominus, quia adiectum est; *qui minor est in Regno Cœlorum, maior est illo*; prælatus videtur præsumi omnibus alijs. In primis ergo ratione ministerij veteribus omnibus: Ioannes enim, quod ait Angelicus S pertinet ad nouum Testamentum: cuius ministri præferuntur etiam ipsi Moysi, quasi magis reuelatè speculantes, vt habetur 2. ad Corinthios 3. Sed exurgit hinc difficultas de Apostolis: potissimè quia de ipsis dicitur Roman. 8. *primitias spiritus* habuisse; & Hebr. 12. vocantur in Ecclesia primitiui; *Ecclesiam primitiuorum*. Ex quo patet T quòd Apostoli sunt omnibus alijs sanctis, quacumque prærogatiua præfulgeant, siue virginitatis, siue doctrinæ, siue martyrij, præferendi: tanquam abundantiùs Spiritum-Sanctum habentes: primitus enim & abundantius dona gratiæ perceperunt; per quos deriuata sunt in posteros. Et hoc dixit glossa: *primitias* spiritus acceperunt; idest *& tempore prius* V *& cæteris abundantiùs*. Sic Ephes. 1. *secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis*. Vbi Angelicus; idest X abundantiùs fuit quàm in alijs. Ex quo, inquit, apparet temeritas illorum, (vt non dicam, error) qui aliquos Sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratia & gloria. Manifestè enim patet ex verbis istis, quòd Apostoli habent gratiam maiorem, quàm aliqui alij Sancti, post Christum & Virginem Matrem. In psalmum etiam, A ibi, *constitues eos Principes super omnem terram*; Sicut Beatæ Virgini nulla mulier comparatur, ita nec aliquis Sanctus potest Apostolis comparari, nec adæquari. In hisce locis, silet de Apostolorum comparatione ad Ioannem. Alibi per transennam tangit; B Nunquid ergo maiores Apostoli Ioanne? Occurritque, maiores fuisse officio prædicationis, Iesum Christum annunciantes in Mundo; non autem merito. Cæterùm non quiescit animus; tum quia, videtur Dominus affirmare, maiorem Ioanne Baptista non surrexisse, ratione officij: ex quo ait *Baptista*, vtique ab officio baptizandi: quod signanter adiectum sit; non verò prius, cùm *cœpit dicere de Ioanne*. Tùm etiam, quia vnicuique dat Deus gratiam proportionatam muneri ad quod eligitur: C (vt assumit præfatis locis) sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, vt eius natura in vnitatem Personæ diuinæ assumeretur: & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ Beata Maria; quæ ad hoc est electa, vt esset Mater Christi. Inter cæteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt scilicet immediatè ab ipso Christo accipientes, alijs traderent ea quæ pertinent ad salutem. Hoc ipsum alibi; D vnicuique à Deo datur gratia, secundùm hoc, ad quod eligitur. Quare, stante hac doctrina, exponendum est quod dicit Matthæi 3. præponi Ioanni Baptistæ Apostolos, attento officio baptizandi populum, quatenus baptismo illo excitabantur ad pœnitentiam: de quo suo in E loco: non autem considerata quoad omnia ipsius dispensatione. Et ita dicendum, iuxta quod sonant verba Domini, Apostolos nedum non fuisse maiores, sed neque coæquari Baptistæ.

S 1. 1. 174. 4. ad 3.
T Rom. 8. l. 5. & Hebr. 12. l. 4.
V p. 3. 106. a. 4. & a. 1. q. 1. 7. 4.
X Ephes. 1. l. 3.
A psl. 44.
B Matth. 3. ibi cal exemata potest.
C Rom. 8. l. 5. Ephes. 1. l. 3.
D 3. p. 27. 5. 1.
E 3. p. q. 38.

10. Hoc vt clareat, prærogatiuæ hinc Apostolorum, hinc Ioannis Baptistæ sunt expendendæ. Apostoli quidem singulari donati sunt munere, vt à Domino immediatè acciperent, vt dictum est: sed tamen, etsi ita sint instructi, iuxta illud Hebræor. 1. *locutus est nobis in filio*, non secundùm eius Diuinitatem, sed secundùm quòd humanitas loquebatur, docibiles fuerunt; quod F ait Angelicus. Ioannes non sic ab ore Domini instructus legitur, sed præcantatus *Propheta Altissimi*, vt cecinit Zacharias Pater eius, & adhuc in vtero visitatus à Domino, Domini nouit mysteria. Apostoli receperunt adulti gratiam: Ioannes (teste Angelo Lucæ 1.) *repletus est Spiritu-Sancto adhuc ex vtero*. Apostoli per aduentum Spiritus-Sancti fuerunt confirmati in bono, G iuxta illud psalm. 74. *ego confirmaui columnas eius*; vt exponit glossa: (Vnde post gratiam Spiritus-Sancti nullo modo peccauerunt H mortaliter) Ioannes hoc habuit ab initio; siquidem Lucæ 1. *puer crescebat & confortabatur spiritu*: Vnde illi creditur I præstitum esse, vt mortaliter non peccaret. Apostoli post aduentum Spiritus-Sancti, iuxta quod promissum eis fuerat Ioannis 16. edocti sunt omnem veritatem L de credendis atque agendis: Ioannes, qui *Ioann. 1. venit vt testimonium perhiberet de lumine*, quæ credenda quæque agenda perdocuit, vt patet Matthæi 3. aliasque ante Apostolos. Apostoli cum Christo sunt conuersati. Ioannes ex vtero Christo exultauit: Christusque solitus erat M sæpè ad Ioannem, antequam baptizaretur, venire. Apostoli Christum annunciauerunt Mundo: *Ioannes*, de se dicit, *vt manifestetur*, scilicet Christus, *in Israel; propterea veni ego in aqua baptizans*: concurrentibus enim turbis ad baptismum, annunciabat Christum: N quod quidem faciliùs sic factum est, quàm si per singulos discurrisset, vt Chrysostomus dicit. Apostoli baptizauerunt Christi fideles: Ioannes baptizauit Christum. Nobilius autem constat esse munus, in Christum exercitum, quàm in Christi membra. Denique cum fuerit sanctificatus in vtero, ad præfigurandam sanctificationem per Christum, faciendam per baptismum, ad quem baptismum Ioannes suo baptismo homines præparauit, præ alijs fuit Christo coniunctissimus, quantùm ad expressam figuram sanctificationis ipsius: quæ docet O Angelicus. In hymno pro causa expenditur quòd Christum baptizauerit; *qui nefas sæcli meruit lauantem tingere lymphis*. Quo ex capite sine dubio, sic alijs antefertur; vt *inter natos mulierum non surrexerit eo maior*. Nisi Dominus ita pronunciasset, præsumptuosum esset hoc dijudicare; quia vt dicitur Prouerb. 16. *spirituum ponderator est Dominus*: vt de Petro & Ioanne, quisnam præmineat, P monemur.

F p. p. 117. 1. 2.
G de verit. q. 24. a. 9. in sed contra.
H Galat. 2. l. 3.
I 3. p. 28. 6. 1.
L p. 2. 106. 4. 1.
M Ioann. 1. l. 9.
N 3. p. 38. 1.
O 3. p. 28. 6. in corp. & ad 2.
P p. p. q. 20. 4. 3.

Sequitur; *Qui autem minor est in Regno Cœlorum, maior est illo*.

11. Quoad hanc Domini sententiam varia fertur expositio; quarum nonnulla hic apud Diuum Thomam transpositione inordinata, sine dubio describentium, vel typographorum oscitatione, vitiata est. Planior est quæ alibi pluries, Q vt intelligatur pro Regno Cœlorum cœlestis Curia, cuius quilibet *ratione status*, cum sit comprehensor, maior perhibetur Ioanne. Quod quamuis consecutiuè ad hominem, qui ibi Deo fruitur, retorqueri possit, vt hic apud Angelicum: nihilominus pressiùs ad inferiorem alludit Angelum, qui supremo etiam homine nostræ Hierarchiæ superior est. Vnde minor Angelus potest purgare illuminare & perficere, altiori modo, quàm queant homines Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Dictum est *ratione status*; sicut maior est status Virginum R statu coniugali. Veruntamen quemadmodum potest esse maior merito coniugata quàm virgo: sicut dicit Augustinus; quòd *cœlibatus Ioannis, non præfertur coniugio Abrahæ*: ita quantùm ad causam, & virtute, non actu in via, S possint homines dici Angelis maiores; in quantùm scilicet habent charitatem tantæ virtutis,

Q p. p. 108. 2. ad 3. in 2. sentēt. d. 11. q. 1. a. 4. ad 2. & in præsenti.
R D. Th. hic.
S in 2. sent. cit. & hic.

vt possint mereri maiorem beatitudinis gradum, quàm quidam Angeli habeant. Sicut si dicamus; T semen alicuius magnæ arboris esse maius virtute, quàm aliquam paruam arborem; cùm tamen multo minus sit in actu. Quare autem post tantam commendationem, minuerit Ioannem, esse puto, ne natura crederetur ex dictis Angelus; non enim defuerunt hæretici id arbitrati. Ad quem præsidendum errorem, promptè etiam Euangelista vt ibi V adnotatur; *fuit homo missus à Deo*: non Angelus, *homo*.

T p. p. 117. 2. ad 3.

V Ioan. 1. 6.

VERS. XII. *A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, Regnum Cœlorum vim patitur* &c.

12. *Regnum Cœlorum* hic X stat pro vita æterna. Quare & pro cœlesti Patria paulo ante acceptum fuisse, indicat contextus. Non absimiliter loquitur Apostolus 1. ad Hebræos; *propter eos*, inquit, *qui hæreditatem capiunt salutis*. Perpenditur ly *capiunt*, cohærenter ad hanc Domini sententiam: A *capiunt*, quia oportet cum labore studio & solicitudine acquirant Regnum Dei. Ad illam Petri terribilem; *si iustus vix saluabitur* B glossa; *æstuando, decertando, cum magno certamine, & cum magna difficultate*. Et quidem multiplici ex capite: propter corporis & animæ contrarietatem; Galat. 5. *caro concupiscit aduersus spiritum*; propter corporis grauitatem & corruptionem; Sapient. 9. *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*; propter viæ arctitudinem; Matthæi 7. *arcta est via*; propter bonorum operum difficultatem; propter iustitiæ nostræ incertitudinem; & interserit ibi; *Regnum Cœlorum vim patitur*. Hanc ipsam interpretationem & hic C habet; quatenus in raptu violentia est, seu quidam conatus. Vnde oportet, quòd peccator ad hoc vt possit venire ad Regnum Cœlorum, assurgat ad spiritualia, & conetur multùm. Sed cum & ante Ioannis dies, necessum fuerit conatum ad salutem adhibere, laboriosumque immo & laboriosius, aduersantia efficacis concupiscentiæ superare: *militia* namque semper fuit *vita hominis super terram*, altiùs scrutandum est in Syntaxi, quisnam sententiæ huiusmodi sensus, verè *à diebus Ioannis Baptistæ* exculpendus sit.

X 1. 2. 140. 1. 1.

A Hebr. 1. 6.

B 1. Petri 4.

C D. Th. hic.

VERS. XIII. *Omnes enim Prophetæ & lex, vsque ad Ioannem prophetauerunt*.

13. Nunquid post Ioannem D non fuerunt Prophetæ? Nonne infrà cap. 23. *ecce ego mitto ad vos Prophetas*? Dicendum, quòd Propheta ad duo mittitur; ad confirmandam fidem, & corrigendos mores. Prouerb. 29. *cum Prophetia defecerit, dissipabitur populus*; 1. Petri 1. *de qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt*. Ad corrigendos mores nunquam deficit, nec deficiet Prophetia. Certè ait Apostolus; *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundò Prophetas* &c. Vnde Actor. 13. *erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores*. Quod ergo dicitur in præsenti, intelligitur E de Prophetis, qui futurum Christi aduentum prænunciauerunt. Qui enim in communionem officij Apostolici ad docendum populum assumpti, per se ipsos reuelationes à Deo accipiunt, Prophetæ dicuntur: qui verò de ijs, quæ sunt alijs reuelata, populum instruunt, dicuntur Doctores. Prophetam munus propriè appellari dictum est supra cap. 7. ad v. 22. qui sacras Scripturas interpretatur: Ecclesiastici 24. *adhuc doctrinam, quasi Prophetiam effundam*. Vim causalis illius *enim* expendam in Syntaxi; vbi quid vltra innuant Domini verba patefiet.

D D. Th. hic.

E 1. Cor. 12. 1. 3. ad finem.

VERS. XIV. *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*.

Sicut 1. Ioann. 4. legimus; *hic est Antichristus* F non in persona, sed in figura, sic Ioannes dicitur Elias. Sicut dixit Iacob Patri suo Isaac *ego sum Esau primogenitus tuus*; non secundum personam; G sed vice & dignitate primogenituræ sibi diuinitus traditæ; sic Elias Ioannes dicitur, non in persona; sed pro conformi officio & virtute. Hinc infra cap. 17. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis*. Soluit etiam Quæstionem hanc Archangelus Lucæ 1. dicens de Ioanne; *ipse præcedet ante eum in spiritu & virtute Eliæ*; H quia scilicet similitudinem Eliæ ostensurus erat: primò quantum ad officium; quia nempe Elias secundum Domini aduentum præueniet; Malach. 4. *ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*. Secundò quantùm ad viuendi modum, seu conuersationem, quia vitam austeram duxit, in desertis morabatur, parco vtebatur cibo, & duris vestibus operiebatur, vt patet 3. Regum 19. & 4. Regum 1. & Ioannes in desertis erat; cibus eius locustæ & mel syluestre, & zona eius de pilis camelorum. Tertiò, quantùm ad zelum, quia Elias maximi zeli fuit; vnde dicebat 3. Regum 19. *zelo zelatus* &c. persecutusque est a Iezabel: sic Ioannes zelo veritatis persecutus est ab Herode, & mortuus est; vt claret infra cap. 14. Et vt intelligant dictum esse mysticè, sequitur; *qui habet aures audiendi audiat*. Cohæret; *si vultis recipere*. Sed Prouerb. 18. *non recipit stultus verba prudentiæ*.

14.

F 1. Ioan. 4.

G Genes. 27.

H Ioan. 1. 21. & hic.

VERS. XVI. *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro*, &c.

Prægnans est sine dubio isthæc similitudo, quam præmissâ interrogationis & subiectionis rhetorica figura, inducit Dominus. Chrysostomus ait; *interrogatione vtitur, monstrans quoniam nihil quod deberet fieri ad salutem eorum, derelictum est*. Glossa animaduertens similitudinem concernere Dominum ipsum & Ioannem, dicit ly *generationem*, accipi communiter, pro Iudæis, se ipso, & Ioanne. At libet potius stare pro Iudæis, insolentique eorum minimè docibili plebe; quorum potissimè de causa, similitudo allata est. *Generatio* ergo eorum, *praua & exasperans* psalm. 77. *mala & adultera*, infra capit. 12. & 16. & Petrus Actor. 2. *saluamini à generatione ista praua*; est de qua loquitur, cuius relatu, & de se ipso & de Ioanne, in ipsa similitudine introducitur. *Generationem* etiam dicit, instar Ioannis, qui Lucæ 3. vocauerat eos *genimina viperarum*, quasi vt ait Gregorius; *venenati filij, de venenatis Parentibus nati essent*. Item *generationem*: quo mens fidelis ferretur ad illud psal. 94. *quadraginta annis offensus fui generationi illi*; aliam subinnuens, de qua psal. 21. *annunciabitur Domino generatio ventura*; Et infra cap. 24. *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*; quod Chrysostomus homil. 76. in Matthæum exponit de generatione fidelium: vt fert Angelicus in prima secundæ q. 106. a. 4. vbi quærit, *vtrum lex noua duratura sit vsque ad finem mundi*. De quo etiam & in Syntaxi dicetur. Nisi autem signanter delecta esset à Domino isthæc similitudo *puerorum sedentium in foro* &c. posset, quoad singula, veluti conniueri; momentumque principale solummodo attendi; ac si dicat secundùm Chrysostomum, *per contrariam viam venimus* (iuxta id quod sequitur, *venit Ioannes* &c.) ego & Ioannes; *sicut si venatores per duas contrarias vias aliquod* ani-

15.

animal insequantur, vt in alteram incidat: sed profunda intelligentia nec apicem carere rationabile est. Quid est quod dicit *similis est pueris*? Respondet Hilarius; *in pueris Prophetæ signantur, qui in simplicitate sensus prædicauerunt, & in medio Synagogæ, tanquam in publico fori conuentu coarguerunt*. (Certè in Apocripho 4. Esdræ capit. 2. legimus; *mandata dedi per pueros meos prophetas*.) Sic à simplicitate puerum dici, quemadmodum à puritate alijsque titulis, comprobat l Angelicus. Isaiæ 8. *ecce ego, & pueri mei*. Haymo; *alij videlicet Prophetæ & filij Prophetarum*. Quam auctoritatem fert Paulus ad Hebræos cap. 2. soletque etiam de Apostolis explicari. Aliàs recole vocari 2. Petri 1. *homines*: inquit enim; *non voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Homines fuere non pueri altissimis eloquiorum sensibus; 1. Corinth. 14. *nolite pueri effici sensibus*. Prophetas etiam innuit dicens *clamantes*: nam; iuxta illud Isaiæ 58. *clama ne cesses*; Ioannes fuit *vox clamantis*; in omnibus Prophetis, inquit Angelicus supra cap. 3. Secundùm Hieronymum *cecinerunt, & lamentauerunt*, modò exhortando ad virtutes, modò ad pœnitentiam prouocando. Consonat expositioni Hilarij, quod ait in Cant. Luc. 1. Zacharias; *in domo Dauid pueri sui; & tu puer Propheta*. Pro quorum maiori intelligentia sciendum est; hebraicam radicem *nangar*, quæ secundùm quosdam sonat etiam *excutere*, significare *puerum*, qui scilicet nouit discutere bonum à malo; quod infans nequit. Et quia puer vocatur vsque ad vigesimum annum, significat item iuuenem. Quare cùm teneritudinem pueri vult Scriptura significare, consueuit duplicare; vt de Samuele 1. Regum 1. *veha-nangar, nangar*: quod Noster transtulit; *Puer autem erat adhuc infantulus*. Et quia, vt notant, puerorum est ministrare Maioribus, hinc Ministri in hebraismo sæpè vocantur pueri: 2. Regum 2. *surgant pueri & ludant*. Et ecce Prophetas dictos ministrasse: 1. Petri 1. *de qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ &c. vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis*. Minister autem, vt scribunt, etiam senio confectus, adhuc vocari solet puer. Facit ad præfatam Hilarij & Hieronymi expositionem, quod dicitur de Angelis, Apocal. 8. *vt tuba canerent*: prædicatio enim L quandoque debet allicere ad amorem, & sic dicitur cantus, quandoque terrere; & dicitur sic tuba. Ioel. 2. *canite tuba in Sion*. Prophetæ autem per tubas intelliguntur; Isaiæ 58. *exalta sicut tuba vocem tuam*. Ad idem reor dictum esse; *cecinimus vobis*, & *lamentauimus vobis*. *Sedendo* inquit *in foro*: in hac sessione M notatur aliàs ocium contemplationis: qua sine dubio sancti Prophetæ locuti sunt. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*: Ecce cecinimus & lamentauimus. Et quia in foro lucrum intenditur: quo animarum capiatur lucrum; de quo Apostolus 1. Corinth. 9. *vt plures lucrifacerem*; in foro dicuntur *sedere*. Alia in Syntaxi.

l Hebr. 2. l. 3. in velut.

L Apoc. 1. Com. 2.

M Apoc. 1. Com. 1. sub initio.

VERS. XVIII. *Venit enim Ioannes non manducans, neque bibens*; &c.

16. Ad illa Apostoli verba; *omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*, fertur illud 4. Regum 4. vbi Eliseus contraxit se ad modum pueri; & sic suscitauit illum: (quàm mirè, vt puto ad hoc innuendum, inquit Dominus clamasse *coæqualibus*!) item N quod ex Boetio, *omnis alteritas discors; similitudo verò appetenda est*. Ideo viri spirituales salua vitæ & Religionis suæ obseruantia, omnibus se debent conformare. Sic Apostolus idem condescendebat Iudæis in obseruatione aliquorum legalium, propter piam compassionem; & hoc fecit, vt Iudæos lucraretur Christo: sic etiam contemperauit se Gentilibus. Hoc ipsum, vt mihi videtur; dignatur exponendo præmissam similitudinem, contestari Dominus. *Vobis*, inquit, *cecinimus, vobis lamentauimus*: ly *vobis* condescensum ostendit atque contemperationem. Ad hoc idem Paulus, ibi cap. 10. *per omnia omnibus placeo*. Glossat Chrysostomus; *Ioannes duram sustinuit vitam; & non attendistis: ipse remissam vitam ostendi; & non persuasi estis*. Quæritur *an decuerit Christum austeram in hoc Mundo ducere vitam?* Et respondetur, O conuenientissimum fuisse fini suæ incarnationis, vt Christus in cibo & potu communiter se, sicut alij, haberet; vt sic in societate aliorum positus, se eis in conuersatione conformaret. Quia verò & altera vita licita est, & laudabilis; vt scilicet quis à communi consortio hominum segregatus abstinentiam seruet, dimisit Ioannem ieiunio fulgere; ipse contraria incessit via, ad mensam intrans publicanorum, manducans & bibens. Cur autem potius è conuerso factum non sit, ratio esse potest, quia homo per abstinentiam P meritum auget, consequiturque virtutem continendi; Christus autem per virtutem Diuinitatis absque huiusmodi ieiunijs carnem comprimebat. Et idem de Christi discipulis, quibus opus non erat ieiunium, quando præsentia Sponsi illis fortitudinem impertiebat maiorem, quàm per ieiunium haberent discipuli Ioannis: supra cap. 9. *venient autem dies; cum auferetur ab eis Sponsus & tunc ieiunabunt*. Quia etiam Domino naturaliter suppetebat delicta donare; cur eos declinaret, quos abstinentibus poterat reddere puriores? Ita ex Sancto Thoma & Bedæ glossa. Quare ergo versa vice factum non sit, fuit in causa, & proximi maior vtilitas, & incarnationis dogma cordi inserendum: quod assecutus est etiam innocenter & iustè inter homines conuersando, vt 3. p. 40. a. 1. ad 1. Præterea quia, vt dicitur versu sequenti, *iustificata est sapientia à filijs suis*: eo quòd Q *intellexerunt sancti Apostoli*, vt exponit Augustinus, *non esse in esca & potu Regnum Dei*, (ita Roman. 14. & 1. Corinth. 8. *esca nos non commendat Deo*) *sed in æquanimitate tolerandi, quos nec copia subleuat, nec deprimit egestas. In omnibus enim talibus non vsus rerum; sed libido vtentis in culpa est*. Dedit nihilominus exemplum Dominus perfectionis in ijs, quæ per se pertinent ad salutem, ad quam non per se pertinet abstinentia cibi & potus. Quamuis etiam alterius vitæ, solitariæ scilicet, & abstinentis exemplum dederit. Impiorum ergo os obstruatur, qui cum Christus R operabatur quædam humanitus comedendo bibendo, & alia huiusmodi, dixerunt blasphemiam in filium hominis, dicendo eum voracem, potatorem vini, & publicanorum amatorem. *Licet enim* (quod Chrysostomus habet S) *posset Christus in eodem loco manendo, ad se omnes attrahere, vt eius prædicationem audirent; hoc non fecit, præbens nobis exemplum, vt perambulemus, & requiramus pereuntem, sicut Pastor ouem perditam, & Medicus infirmum*. Supra capit. 9. *non est opus valentibus Medicus; sed malè habentibus: non veni vocare iustos sed peccatores*. Adde opportunè assedisse eorum mensæ; in quo suam de animabus esuriem comprobauit: Ioann. 4. *ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*, in suum mysticè trahendo corpus: iuxta quod etiam Petro Actor. 10. dictum est, *occide & manduca*: vt desinant T esse peccatores; & transfer in corpus Ecclesiæ; quia, vt inquit,

N 1. Cor. 9. l. 4.

O 3. p. 40. a. 1.

P 3. p. 40. 2. 1. & opusc. 18. 9.

Q 3. p. cit. ad 1. & hic.

R 1. 2. 14. 1.

S 3. p. 40. a. 1.

T Cant. 4.

V opusc. 58. 14. Gregorius; V *Christus per se & per suos semper studet membra Diaboli præcidere, & suis membris incorporare*. Hic vtitur est ordo diuinæ sapientiæ, quæ *miscuit vinum & posuit mensam: iustificata est sapientia à filijs suis*. Sapientis enim est ordinare. Non sine miro ordine mensam publicanorum dignatur: quem norunt filij sapientiæ. Ad rem facit de cibo & potu, quòd sapiens dicitur secundum Isidorum X à sapore; quia sicut gustus est aptus
X 3. 2. 46. a. 1. ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum atque causarum. Stultus habet sensum sed hebetatum; sapiens autem subtilem & perspicacem. Et hoc quod dicit, *iustificata est sapientia à filijs suis*, cedit in Ioannis iustificationem: nam cùm altiùs de Domino loqueretur, *ad dandam scientiam salutis plebi eius*; dicebant *dæmonium habet*. Cuius blasphemiæ potest fuisse ratio, quam
A Ioan. 10. l. 5. considerat A alibi; consuetudo namque est stultorum vt *quæcumque ignorant blasphement*, vt dicitur in Canonica Iudæ. Ecc. 6. *Quàm aspera est nimium indoctis hominibus sapientia!* Sic Actorum 17. aduersùs Paulum blasphemarunt; *quid vult seminiuerbius hic dicere? nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse. Quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis*.

VERS. XX. *Tunc cœpit exprobrare Ciuitatibus*, &c.

17. Lucæ 10. ponitur sequens exprobratio facta Corozain & Bethsaidæ in missione discipulorum. Quare ergo & Matthæus non eam retulit cap. præcedenti? Si bis hæc exprobrauit Dominus, quod etiam probat Augustinus, nihil subijciendum occurrit. Porrò si semel hæc protulit, censet teneri potius à Luca ordinem historiæ, Matthæi autem recordationi nunc solum fuisse. Memoriæ huiusmodi defectum ægrè probauerim, vt in Isagoge iam dictum est: nisi (quod astruit ipsemet Augustinus,) profundior subsit causa; ex qua ipsi Euangelistæ crediderint, sic vel sic à Deo fieri atque disponi. Sed adhuc humili scrutatione quærendum est; cur sic ordinauerit à Matthæo denarrari, sic à Luca? Syntaxis dignante Domino reserabit arcanum. Interim adhuc est Quæstio; vnde præoccupet Matthæus Lectorem dicens; *tunc cœpit*, &c. satis enim videbatur exprobrationis tenorem subijcere: quod Lucas facit, absque vllo præmonito. Respondeam pro modulo, sic incessisse Matthæum, ne quid minus quàm Ioannes egisse Dominum pro illorum salute crederetur. Nam *Ioannes*, vt inquit Chrysostomus super Matthæum,
B 3. p. 40. a. 1. B *nihil plus ostendit præter vitam & iustitiam; Christus autem & à miraculis testimonium habebat*. Nam vt dicitur Ioann. 10. *Ioannes quidem signum fecit nullum*. De quo ibi. Ideo ergo præmittitur, cœpisse tunc exprobare.

VERS. XXI. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida*; &c.

18. *Væ* sicut alibi etiam, Opusc. 58. cap. 32. idest grauis increpatio; & æternæ pœnæ comminatio. Corozain & Bethsaida erant in Galilæa Gentium: sed incolebant Iudæi, vt dixi capit. 4. num. 11. Nodus gordianus est, cum Corozain & Bethsaida ex vna parte, cum Tyro & Sidone ex alia complexio seu comparatio: in qua Scolasticus omnis sudauit & alsit. Sobriè itaque tractanda est difficultas, ne impingamus. In primis ergo, si requirat quispiam, cur non in Tyro & Sidone sunt factæ virtutes, quemadmodum in Corozain & Bethsaida? Secundò cur immo potius, derelictæ non sunt Corozain & Bethsaida, visitatæque ac miraculis excitatæ Tyrus & Sidon, quas prænouerat conuertendas? Quis prudens agrum relinquit feracem, coluque sterilem? Tertiò, si Tyrus & Sidon visis eisdem signis pœnitentiam egissent, erit vnde glorientur aduersum Corozain & Bethsaidam, quod absurdum est: Isaiæ 10. *nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur?* Quòd si Tyrus & Sidon Dei dono mouentur ad miracula, quid exprobratur Corozain & Bethsaidæ? Vel enim eiusmodi, vt agerent pœnitentiam, auxilium receperunt Corozain & Bethsaida, vel non. Si sic; egissent & ipsi pœnitentiam: si non; cur eis improperatur? cur in eos *væ* pronunciatur? Quoad primum respondeo ex Diuo Thoma in hæc verba; C *quærere quare Christus illi non prædicauit, vel quare gratiam illi non apposuit, est idem, quòd quærere prædestinationis causam, quæ nulla est, nisi voluntas Dei*. Sic ergo ad rem, quare non easdem virtutes fecerit, ex quo pœnitentiam egissent; videtur mihi inuoluere quæsitum, quare non illos prædestinauerit? Dicit Gregorius, D quòd *scire secreta Dei, non est hominis*. Et fertur hic quoque Augustinus; *quare trahat hunc, & non trahat illum; noli velle iudicare, si non vis errare*. Idem in lib. de perseuerantia cap. 9. sicut Apostolus ait, *non est volentis, neque currentis*, (Roman. 9.) *sed miserentis Dei; qui his, quos præuidit, si apud eos facta essent, eius miraculis credituros, quibus voluit subuenit, alijs autem non subuenit: de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed aliud iustè iudicauit. Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem, in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus*. Ad secundum respondeo cum Chrysostomo, super illud, *exijt qui seminat*, & fertur in Catena Marci 4. *sicut autem seminans non discernit terram subiectam, sed simpliciter, & absque discretione semen mittit; sic & ipse omnes alloquitur*. Huc potest facere quod promptsit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *vult omnes homines saluos fieri*; E de quo suis locis. Nota tamen ex 3. contra Gent. cap. 159. rationabiliter imputari homini, si ad Deum non conuertatur, quia in potestate liberi arbitrij est, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire. Deus enim quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare; de quo infra cap. 13. in Syntaxi versu 11. Item facit illud Ioann. 1. *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Sed Ioan. 3. *dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Deus omnibus ad trahendum F manum porrigit, quantùm in se est: & quod plus est; non solum attrahit manum recipientis, sed etiam auersos à se conuertit; Thren. vltimo; *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*; sed dolet Prouerb. 1. *extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*. Præterea ad idem; Ioan. 15. *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Ecce cur sterilem etiam dignatus est excolere fundum, Corozain & Bethsaidam: quo illud firma fide teneamus, Osee 13. *perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Quibus tamen, virtutes non demonstrauit Tyrijs & Sidonijs, gratis compensasse credendum est interiori auxilio; tali ac tanto indubitanter, vt in ipsum Deum minimè, qui de hominibus prouidentiam habet supernaturalem, in ipsos vtique referenda sit eorum impœnitentia atque perditio. Ait Rabanus: *Tyrus & Sidon postea euangelizantibus discipulis crediderunt*. Ad tertium tandem respondeo: absit Tyro, absit Sidoni, futurum fuisse gloriandum; aut superbiendum: 1. Corinth. 4. *quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed & absit, non iustè exprobari Corozain & Bethsaidam, qui eodem dona-

Margin notes (right column): C 3. sent. 1. q. 1. a. 4. ad 4. — D fertur hic c. 11. — E p. p. 19. a. 6. 1. — F Ioan. 6. l. 5.

donati miraculorum excitamento, quo fuissent Tyrij & Sidonij, indispositos magis, quàm isti se reddiderunt: Corozain ergo & Bethsaidæ in culpam cedit, quòd patratæ virtutes eos non induxerint ad pœnitentiam; ideoque iustè ijsdem exprobratur. Nec tamen è contra Tyrijs & Sidonijs adscribitur in meritum, quòd ipsos visis signis pœnituisset; quia si gratia atque ad gratiæ attinet ordinem, iam non ex meritis. Laude tamen digni erant atque commendatione, eoquòd non ita cumulatis culpis, se indispositos, sicut Corozaitæ & Bethsaitæ, effecerant. Hieronymus; *Tyrus & Sidon naturalem tantùm legem calcauerunt; istæ verò Ciuitates post transgressionem naturalis legis & scriptæ, etiam signa parui duxerunt.* Aliud est minus indisponi, aliud est positiuè ad gratiam præparari. Positiua præparatio, quam Deus efficit, suum æquè in vtrisque sortita fuisset effectum; neque hoc ferit exprobratio: exprobratur autem eis, quòd se indisposuerint, magis quàm Tyrij & Sidonij. Veruntamen quia minus esse indispositos, putà benè natura duce viuendo, nullam ad ordinem gratiæ vim habet: vt hoc discamus, abstinet faciendis signis in Tyro & Sidone; quin potiùs operatur virtutes in Corozain & Bethsaida, indispositis magis; vt confirmet pœnitentiæ donum, & id genus, esse gratuitum, nullique debitum: vnde potest pro libito dare. Et hoc est quod dicit Pater-familias infra 20. *aut non licet mihi quod volo facere?* Ideo aio ego (quod assumit Augustinus lib. 2. de bono perseuerantiæ capit. 11.) *non est* Rom. 9. *iniquitas apud Deum:* potiùs, *incomprehensibilia* (Rom. 11.) *sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Vide ibi luculentiùs Augustinum. Forsitan propterea subdit Dominus; *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Animaduertendum est autem, profundè à Domino dici, *pœnitentiam egissent:* quia quamuis virtutes ad fidem astruendam factæ fuissent, de peccatis inducitur pœnitendū; eoquòd con-
G 2.2.q.10.1. tingit, ex doctrina Diui Thomæ G damnari infideles negatiuè, propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt; etiam in illis, qui nihil audierunt de fide. Et ecce, prout mihi visum est, cur *remissiùs erit Tyro & Sidoni in die iudicij;* nimi-
H 2.2.q.10.2. rum, quia infidelitas, cuius proprius actus H est dissentire, secundùm contrarietatem ad fidem; qua
I ibi art. 1. scilicet aliquis I repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam; infidelitas inquam, est maximum
L ibi a.3. in corp. & ad 3. L peccatorum; grauiùsque punitur infidelis pro peccato infidelitatis, quàm alius peccator pro quocumque alio peccato, si in genere consideretur. Corozain & Bethsaida tot visis signis (*in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius*: nota ly *plurimæ*: ex quo
M 3.p.q.43.4. Diuinitas M elucebat) præfracto corde credere noluerunt: ideo Tyrus & Sidon, quæ prædicationi fidei explicitæ de Christo Mediatore, non repugnauerant, remissiùs puniendæ fuerant in die iudicij: quasi duntaxat culpati infidelitate negatiua. Quocirca
N 2.2.q.7.3. & q.10.1. vide N suis locis.

VERS. XXIII. *Et tu Capharnaum, nunquid vsque in Cœlum exaltaberis?*

19 Acriùs increpatur Capharnaum, quòd non præstiterit auditum fidei tot factis virtutibus; & aperitur in vniuersùm causa infidelitatis. Super 1. ad Timoth. 6. *si quis non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, &c. superbus est nihil sciens,*
O 1. Timoth. 6. L 1. 2.2. q.10.1. ad 3. *sed languens circa quæstiones*, inquit Angelicus; O radix erroris est duplex, scilicet superbiæ affectus, & defectus intellectus. Superbi volunt se intromittere de ijs ad quæ non attingunt, & ideo necesse est, quòd errent & deficiant; nolentes intellectum alteri subijcere, innixi suæ prudentiæ; contra quos Prouerb. 3.

ne innitaris prudentiæ tuæ; & cap. 11. *vbi humilitas ibi sapientia.* Sic & in 2. 2. infidelitas secundùm quod est peccatum, oritur ex superbia; ex qua contingit, quòd homo intellectum suum, non vult subijcere regulis fidei, & sano intellectui Patrum. Item est defectus intellectus; Sapientiæ 9. *homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum.* Mira sacræ paginæ colligatio! Has duas palam tangit causas Dominus; primam quidem superbiæ; dum inquit; *nunquid vsque in Cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes:* relatu quodam sine dubio ad Luciferi superbiam, de quo in figura Isaiæ 14. præmisso superbiæ volatu *in Cœlum conscendam*, sequitur; *veruntamen ad Infernum detraheris.* Quod ipsum conceptis verbis legimus in Diuo Luca; *& tu Capharnaum vsque ad Cœlum exaltata, vsque ad Infernum demergeris.* Propria quidem P pœna superbi est deiectio. P D.Th. hic
Secundam causam repudiatæ veritatis, quam ipsis prædicauerat, mirisque comprobauerat signis, arcana intelligentia innuit, in eo quod Sodomam memorat. Et quare? ad significandum vnde obtenebratus remansit eorum intellectus. In Sodomis duo fuerunt, gula, ac infanda luxuria: quæ duo immo præcessit, de qua dictum est superbia; Ezechielis 16. *hæc fuit iniquitas Sodomæ; superbia, saturitas panis, & abundantia.* Pœna Sodomorum Q inducta Q 2.2.148.3.ad 1.
est propter peccata luxuriæ, præcedenti ex gula occasionata. *Venter & genitalia*, aiebat Hieronymus, *vicina sunt: vt ex vicinitate membrorum intelligatur confœderatio vitiorum.* Hinc certè obtenebratio. Nam per vitia huiusmodi carnalia R debilita- R 2.2.q.15.3.
tur operatio hominis circa intelligibilia. Ex gula quidem oritur hebetudo sensus, quæ reddit hominem debilem circa intelligibilia. Ex luxuria verò oritur cæcitas mentis, quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit. Psalm. 57. *supercecidit ignis*, scilicet concupiscentiæ, vt ibi a. 1. *& non viderunt Solem.* Hæc autem hebetudo magis deprehenditur si consideretur, quomodo luxuriosus dicitur stultus; de quo insequente mulierem legimus Prouerb. 7. *statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, &c. & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur.* Stultitia importat S he- S 2.2.46.1.
betudinem cordis & obtusionem sensuum. Sicque ex illa spiritualis sensus T hebetatus est, vt non sit T ibi a.3.
aptus ad spiritualia dijudicanda; quia per luxuriam immergitur homo ad terrena, ob vehementes delectationes, quibus anima maximè absorbetur.

Sequitur; Si *in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem.*

Obcusiores ergo fuerant Sodomis. Et quare? 20
Nedum quia, sicut luxuriosus *graditur in obscuro*, Prouerb. 7. *aduesperascente die, in noctis tenebris & caligine:* vtque Iob 24. dicitur; *per noctem quasi fur; oculus adulteri obseruat caliginem:* sic & ipsi: sed, quia, vt ibidem Iob 24. legimus, *ipsi fuerunt rebelles lumini;* quod est spirituali lumini V sa- V Iob 24.1.1.
pientiæ repugnare: in cuius signum, inducitur, detestari eos lumen, & amare tenebras. Et si cupis tenere quo pacto *rebelles lumini fuerint*, recole illud 1. Corinth. 2. *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Petri etiam in Actis cap. 3. *scio, quia per ignorantiam* (certè culpabilem) *fecistis.* Principes enim Iudæorum pro certo sciebant, eum esse Christum promissum in lege; X X 1.Cor. 2. l. 2. & 3.p.q.47.a.5.
quod populus ignorabat: ipsum autem esse verum filium Dei, non pro certo sciebant, sed aliqualiter coniecturabant. Sed hæc coniecturalis cognitio obscurabatur in eis ex inuidentia, & cupiditate propriæ gloriæ, quam per excellentiam Christi minui credebant. Quid mirum, si Sodomam recolens, in eorum

rum comparationem, *fortè in hanc diem mansisse*,
A D.Th. hic. asseueret Dominus? *Fortè*, A ad significandam arbitrij libertatem. Quid mirum, si cæcitate stultitiæ capti, Sodomitis peiores affirmentur, quando
B 2. 2. 46. 3. 1. isthæc tenebrosa stultitia erumpit in fastidium B de Deo, & de donis eius? Quid mirum, de *iudicij die* subdatur, nedum quia tenebricis ipsis diem obijcit; (nobilis videtur obseruatio) sed quoniam filia luxuriæ,
C loc. cit. xuriæ, stultitiæque huiusmodi C est etiam desperatio futuri sæculi? Quid mirum, quòd, vt ibi Iob 24. *si subitò apparuit Aurora, arbitrantur vmbram mortis?* Quid mirum, si in istorum sugillationem videatur declamasse Apostolus; *nox præcessit*, Roman. 13. *dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus. Non in comessationibus & ebrietatibus*; (ecce de gula) *non in cubilibus & impudicitijs*; (ecce de luxuria, quæ cum gula in Sodomis viguit, hic memoratis) *non in contentione & æmulatione*. Contentio est impugnatio
D Rom. 13. l. 3. veritatis cum confidentia clamoris, D soletque contentio ex inuidia generari; (ex his non receperunt Christum; Ioann. 7. *murmur multum erat in turba de eo; quidam enim dicebant, quia bonus est; alij autem dicebant; non, sed seducit turbas*) *sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs*. Quod alijs metaphoris videtur Dominus commonere; *venite ad me omnes*; &c.

VERS. XXIV. *Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.*

21. Ex 2. 2. q. 10. a. 3. ad 3. infidelis pro peccato infidelitatis grauius punitur, considerato peccati genere. Et ex Hebr. 10. l. 3. hanc ob sententiam *Tyro & Sydoni remissius erit*, docet infidelem qui etsi ignoret, non tamen contemnit, non ita grauiter puniri, verbi gratia de adulterio; quia qui nouit ingratus est, ideoque grauius punitur. Infidelitas tamen cum contemptu est maximum peccatum. Sed mirum est loqui Dominum prius pluraliter, *dico vobis*, moxque ad singularem conuerti numerum, *quàm tibi*. Paulo ante, cùm Corozain & Bethsaidam increpasset, *dico vobis* ait, & statim etiam, *quàm vobis*. Non habeo ad manus, qui causam discriminis requirant. Sanctus Gaudentius, vt apud Nouarinum *in Matthæum expensum* legit vtrobique non *tibi*, sed *vobis*. Certè cum hebraica lingua, qua Matthæus scripsit, differenter satis exaret *tibi* & *vobis*; nam *tibi* pronunciat *lecchà*, *vobis* verò *lacchèm*, non ita suasum videtur, potuisse neglectu describentium, obrepere pro *lacchèm* vobis, *lecchà*, tibi; præcipuè, quia etiam sine punctis litera *Mem* finalis extat in ly *vobis*, quæ non reperitur in *lecchà*, idest *tibi*. Et iterum, quia non patitur in superficie sensus, vt inchoata oratione pluraliter; *veruntamen dico vobis*, &c. flectatur ad singulare, *quàm tibi*. Igitur quoniam stat præsumptio pro vulgata translatione, non pro Diuo Gaudentio; tria mihi occurrunt dicenda. Primò ad significandum malitiæ eorum consensum; sicuti & in natura, *plures homines participatione speciei sunt vnus homo*. Et hoc rursus, vt pœna damni ac sensus quas passuri erant in Inferno, intelligeretur: quandoquidem de damnandis colligendis in vnum, legimus Isaiæ 24. *congregabuntur in congregatione vnius fascis*: & Matthæi 13. *colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Ecce de *fasce vno*, & de *fasciculis*. Quare sic in magno & in paruo, cum
E Isaiæ 24. sint absolutè opposita? Vt euadant E similes in
F de malo q. 1. a. 9. ad 3. pœna, qui fuerunt similes in culpa. Sed alibi acutius: F in supplicio damnatorum est aliquid in quo differunt, scilicet secundum quod quidam magis torquentur, quàm alij: & quantùm ad hoc dicuntur colligari in fasciculos: (dic tu, vtique distinctos & varios.) Est etiam in eorum supplicio aliquid commune omnibus, quod respondet contemptui Dei: puta carentia visionis diuinæ, & perpetuitas pœnæ; & quantum ad hoc dicuntur *congregari congregatione vnius fascis*. Ecce, vt puto, quare transeat Dominus de plurali ad vnum; *dico vobis*, deinde, *quàm tibi*: plures enim eadem mensura pœnæ, colligabuntur in fasciculum hunc & illum singulariter; itemque omnes *congregatione vnius fascis*; in quo erunt tanquam vnum: vnde hic dicat Dominus, *quàm tibi*. Secundò mihi dicendum occurrit, sic variè dixisse Dominum, *vobis*, & *tibi*; ad innuendum duplex futurum iudicium, (iam de die iudicij sermo erat) iuxta duplicem diuinæ iustitiæ retributionem. Quia ergo vt docet Angelicus, vna retributio singillatim G fit singulis & diuisim, ideo vt opinor ait, *tibi*: quia verò altera retributio fiet simul omnibus, secundùm quod omnes resurgent, reor dicat, *vobis*. Tertiò dicendum occurrit mihi; vt hanc eandem sententiam comparatione *terræ Sodomorum* pronunciet & in Corozain & Bethsaidam; & ideo *vobis*; quatenus verò pronunciat in Capharnaum, dicat *tibi*. Reciprocè itaque vtrisque comminatur. Et sicut illud *væ tibi* &c. *Corozain*, quod sonat etiam H æternam damnationem; *væ mihi, si non euangelizauerò*, cadit suprà Capharnaum; ita comminata sententia in Capharnaum seuerior quàm terræ Sodomorum, cadere videtur in Corozain & Bethsaidam: proinde pro illis ait *vobis*, pro Capharnaum *tibi*.

G 4. cont. Gent. 96. 4. sent. 47. 1. a. 1. & 3. q. 59. a. 5.

H 1. Cor. 9. l. 4.

VERS. XXV. *In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor*, &c.

Apud Lucam cap. 10. habetur; *in ipsa hora*, &c. *confiteor tibi Pater*, &c. Cur latiùs hic, *in illo tempore*? Nisi dicamus, bis à Domino exclamatum, 22.
quod vtique potest esse, quia apud Lucam additur *exultasse Spiritu-Sancto*. credendum est per locum *ab oppositis*, temporis mentione nos ad æternitatem, quam vix concipimus verbisque resonamus, subducere voluisse. Sic vbi Apocalypsis 13. legimus, *agnus qui occisus est ab origine Mundi*, idest I præuisus occidi. Difficultas insurgit, cur dictum I Hebr. 11. l. 4.
sit *ab origine Mundi*; quandoquidem ab æterno dispositum est. Sed occurritur, L quia Scriptura L Apoc. 13. Com. 2.
quandoque exprimit id, quod melius ab homine mortali capitur: ægrè autem capit homo, quæ dicuntur de diuina æternitate. Sic in psalm. 89. *à Sæculo & vsque in Sæculum tu es Deus*; cum tamen Sæculum tempore mensuretur. Quoniam ergo, in præmissis de Verbi incarnatione, de ipsius in Mundum aduentu, de Christi morte, de gratuita electione, deque aliorum dimissione, de Triadis SacroSanctæ mysterio tactum fuerat; vt horum altitudinem cogitaremus adiecit, *confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; Sic Roman. 11. *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Et Ephes. 3. *quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo*. Et pergit dicens; *qui omnia creauit*: quod & hic Iesus dicens, *Domine Cœli & terræ*. Dicit autem *respondens* etsi nulla præcesserit interrogatio, non hebraismo, vt sonet *loquens*, vel *sermonem instituens* à radice *nganah*, quod putat Tirinus; sed quia tacitæ obiectioni M etiam ex Chrysostomo satisfaciens: posset enim dicere aliquis; isti M D.Th. hic.
non credunt quibus prædicasti; illi quibus non prædicasti, credidissent. Quid est hoc? *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; idest ex Augustino, *humilibus*, N non de se præ- N D Th. hic in ps. 18. & alibi.

præsumentibus. Verùm licèt hoc verum sit: arridet mihi magis, vt ad hoc punctum detorqueatur Saluatoris oratio: nimirum in declarationem, quare Corozain Bethsaida & Capharnaum, pœnitentiam non egerint, tot visis virtutibus, neque crediderint. Ratio itaque fuit, eoquòd fuerant sibi prudentes & sapientes, prout dixi, vnoque verbo superbi. In
O 2. 2. 45. 1. 1.
malis quippe etiam est inuenire aliquid, ad quod alia referantur O sicut ad vltimum finem, per cuius cognitionem homo dicitur esse sapiens ad malè agendum, secundum illud Ieremiæ 4. *sapientes sunt, vt faciant mala, benè autem facere nescierunt*. Si præstituat ergo quis sibi finem in bonis exterioribus terrenis, vocatur *sapientia terrena*; (Iacobi 3. *quædam sapientia, est terrena, animalis, diabolica*:) si in bonis corporalibus, vocatur sapientia *animalis*; si autem in aliqua excellentia, vocatur sapientia *diabolica*, propter imitationem superbiæ Diaboli. Et ad hoc magis elucidandum, aduersus Capharnaum, quæ immò superbiæ carpitur, dum ait; *& tu Capharnaum, nunquid vsque in Cœlum exaltaberis?* subditque *reuelasti ea paruulis*; audiamus coharenter ad anteà dicta versu 23. Cognitio, inquit, veritatis
P 2. 2. 161. 3. 1. & Rom. 1. l. 7.
est duplex: vna purè speculatiua; P & hanc superbia indirectè impedit subtrahendo causam. Superbus enim neque Deo intellectum suum subijcit, vt ab eo veritatem cognitionis percipiat, secundum illud Matthæi 11. *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus*; idest à superbis, qui sibi sapientes, & prudentes videbantur; *& reuelasti ea paruulis*, idest humilibus. Neque etiam ab hominibus addiscere dignantur: cum tamen dicatur Ecclesiastici 6. *si inclinaueris autem tuam*, scilicet humiliter audiendo, *excipies doctrinam*. Alia autem est cognitio veritatis affectiua: & talem cognitionem veritatis directè impedit superbia; quia superbi dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis fastidiunt: vt Gregorius dicit 23. *moralium*; quòd *superbi etsi secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt; etsi nouerunt, quomodo sunt, ignorant, quomodo sapiunt*. Vnde & Prouerb. 11. dicitur; *vbi humilitas, ibi sapientia*.
Q ps. 18.
Sic ps. 18. *sapientiam præstans paruulis* Q id est humilibus. Adde ps. 118. *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*. Dicit autem, *confiteor tibi Pater* &c. Vbi accipitur ly *confiteor*, vt ait Chrysostomus, quasi valeat *gratias ago*, & pro laude. Sic passim ex Hieronymo etiam & Au-
R hic Gen. 29. 2. 2. q. 3. 1. 1. & alibi.
gustino R Sanctus Doctor: ps. 99. *introite portas eius in confessione, atria eius, in hymnis confitemini illi: laudate nomen eius*. &c. Meritò autem Patri gratias agit in laudem: quia ex ipsa S bonitate diui-
S 1. p. q. 23. a. 5. ad 3.
na sumi potest ratio prædestinationis aliquorum & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, vt in rebus diuina bonitas repræsentetur. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo; & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Rom. 9. dicens; *volens Deus ostendere iram*, idest vindictam iustitiæ, *& notam facere potentiam suam, sustinuit*, idest permisit *in multa patientia vasa iræ apta in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Sic &
T Ioan. 6. l. 5.
alibi; T quare, inquit, Deus non omnes auersos trahat, in generali potest assignari ratio, vt scilicet in illis qui non trahuntur, appareat & refulgeat ordo diuinæ iustitiæ; in illis autem qui trahuntur, im-
V D.Th. hic.
mensitas diuinæ sapientiæ. Sic quòd Dominus aliquos saluet, V hoc est ad suam misericordiam; quòd hos damnet, ad iustitiam: Rom. 9. *cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*. Hæc Scholasticis relinquantur: tactaque sint solummodo ad indicandum, vnde sit quod Patri confiteatur gratiasque agat, & laudet: opportunè quidem, cum ob ineffabilis rei arcanum possit contingere, vt sint, *qui quæ ignorant blasphement*, sicut in sua 2. cap. 2. dolet Petrus, Iudasque *in sua Canonica*: præsertim quia exilis est hominum lingua ad Deum collaudandum; iuxta illud Ecclesiastici 43. *exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude*. Vbi ad rem nostram videtur subdi; *multa abscondita sunt maiora his. Pauca enim vidimus operum eius*. Nonne tibi in idem redeunt Ecclesiastici & Domini verba? dum pro paucis innuendis visis, ait, *Domine Cœli & terræ*: pro *absconditis* sequitur, *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: sicut ibidem Ecclesiasticus; *piè agentibus dedit sapientiam*.

VERS. XXVI. *Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te*.

Quantum ponderis habeat isthæc Domini sententia, innotescere faciet excursus item theologicus. 23.
Sicut in naturalibus quare hæc pars materiæ X sit X 1. p. 23. 5. ad 3.
sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina voluntate: & in artificialibus, ex simplici voluntate artificis dependet, quòd ille lapis sit in ista parte parietis, & ille in alia: sic quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem nisi diuinam voluntatem. Vnde Augustinus dicit super Ioannem; *quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle diudicare, si non vis errare*. Hoc ipsum conceptis verbis *hic* A & *in Ioannem*, vbi hæc A hic. & Io. 6. l. 5.
refert in diuinæ voluntatis beneplacitum. Et similiter, inquit, quare in Ecclesia aliquos fecit Apostolos, alios Confessores, alios martyres, ratio est propter Ecclesiæ decorem & complementum. Sed quare Petrum fecit Apostolum, Stephanum Martyrem, & Nicolaum Confessorem, non est alia ratio, nisi voluntas sua. Vide vno verbo susam hanc theologicè materiam comprehendi à Domino: *ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te*. Neque tamen est iniquitas apud Deum vt ibi 1. p. quod & supra diximus, si non inæqualibus præparat inæqualia, quia iustitia ladi est incapax, vbi ex gratia, & non ex debito quidquam redditur. Hac de causa altè Apostolus; *quod si Deus volens*, &c. Est enim constructio defectiua & suspensiua B vsque huc, quasi dicat, quid B Rom. 9. l. 4.
contra hoc iustè poterit dici? profectò nihil. Est autem in his fixum cordi semper habendum illud Oseæ 13. *perditio tua Israel*: item Sap. 1. *Deus mortem non fecit*. Item Ecclesiastici 15. *ante hominem vita & mors, bonum & malum*. Neque enim voluntas Dei C necessitatem rebus volitis imponit. C 1. p. 19. 8.
Præscientia ergo peccatorum potest esse aliqua ratio
D reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur re- D Rom. 9. l. 2.
probatis; in quantum Deus proponit se puniturum malos, propter peccata, quæ à se ipsis habent, non à Deo. Et sic volendo iustitiam E vult pœnam. E 1. p. 19. a. 9.
Non misit Deus Ioann. 3. *filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum; sed vt saluetur Mundus per ipsum*. Augustinus Tract. 14. in Ioannem; *quare Saluator dictus est Mundi, nisi vt saluet Mundum?* (nota hic ly *Iesus*; ait enim *respondens Iesus* quod est salutis nomen) 1. ad Tim. 4. *qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium*. Sequitur Ioan. 3. *qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est*. Quia verò, vt idem ait Augustinus, *iam factum est iudicium*, licèt *nondum apparuit iudicium*: Ecce de iudicio hic à Domino introduci: *remissius erit*, &c. *in die iudicij*: indeque deprehendi infidelitatem. Quorum gratia, arcana asseuerantur esse Dei mysteria: in quibus placi-

placitum reuereamur æternum. Iob 9. *quis ei dicere potest; cur ita facis?* Et Ecclesiastes 8. *Nec dicere ei quisquam potest; quare ita facis?*

VERS. XXVII. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

24. Pluries de rebus omnibus, relatu quodam ad filium in Sacris Scripturis fit mentio; infra c. vltimo; *data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*. Ioann. 1. *omnia per ipsum facta sunt*. Ioan. 13. *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Rom. 11. *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. 1. Cor. 15. Ephes. 1. & Hebræor. 2. *omnia subiecit pedibus eius*. Hebræor. 1. *portansque omnia verbo virtutis suæ*. Et hoc quidem habet à Patre; Ioan. 5. *non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit*. Et huiusmodi auctoritates respectum ad extra connotant, vt clarè patet. Quamuis autem, & quod hic ait, possit ad eundem sensum exponi, iuxta præmissum, *Domine Cœli & terræ*: sic vt filius, Dominus item *Cœli & terræ* credatur; & sic *omnia illi tradita*; iudicium etiam de quo dixerat, quia *Pater* Ioan. 5. *omne iudicium dedit filio*: (idque ad Tentatoris irrisionem, qui supra c. 4. mendax pollicebatur, non ausus Cœli, terræ Mundique regna) nihilominus altior sententiæ Domini est profunditas. Igitur in hisce verbis F

F 4. Cõt. G. c. 8. Io. 17. l. 1. nihil aliud intelligitur, quàm filij generatio, secundum quam Pater dedit filio suam naturam; per quam habet potestatem continendi omnia, vt ex Hilario docet in Ioan. Neque enim essent illi data omnia, nisi omnis plenitudo Diuinitatis, quæ est in Patre, esset in Filio. Sic & Ioan. 10. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est*. Id autem quod

G ibid. & Io. 10. l. 5. maius omnibus est G diuina natura est; in qua filius est Patri æqualis. *Omnia*, vt sim Verbum eius, vt sim Vnigenitus eius, sim splendor lucis eius. Absit vt blasphemabat Arius, ad indigentiam: neque enim

H ibi c. 6. & 8. H plenitudo dati hoc patitur, vt indigere possit ille, cui constat esse donatum. Nec fuit ante filius, quàm sibi daretur, cum generatio eius sit ipsa donatio. Immo hoc requiritur, ad hoc quòd sit filius; non enim filius dici posset, nisi à Patre genitus esset; omne autem genitum, à generante naturam recipit generantis. Adde benè dici *omnia* &c. quia *in Deo, sicut in summo rerum vertice omnia supersubstantialiter præexistunt, secundum ipsum suum simplex esse*: vt Dionys. dicit de diuinis nominibus c. 1. & 5. Quòd autem germana sit huiusmodi intelligentia, scilicet sub velamine omnium rerum, *omnia mihi tradita sunt*, æternam sui generationem subinnui, trahe tu ex eo quod ait, *à Patre meo*: neque enim dixit à *Domino Cœli & terræ*, sed à *Patre*, & adhuc *à Patre suo*: quod discrimine dicitur, iuxtà illud, *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, Ioan. 20. Sic tamen est filius, vt quia *tradita sunt illi omnia à Patre suo*, sit etiam sicut Pater, *Dominus Cœli & terræ*, secundum quod Apocalyps. 19. *habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Hanc *Patris*, & *Domini* vocum discretionem, alia in Scripturæ

I ibi c. 8. sententia signanter animaduertendam notat I Angelicus.

Sequitur. *Et nemo nouit filium nisi Pater*, &c.

25. Hæc dictio *nemo*, non idem est, L quod *nullus*

L p. p. q. 31. 4. ad 2. *homo*: quod videtur significare vocabulum (*nemo*): non enim posset excipi persona Patris (*nisi Pater*). Sumitur ergo secundùm vsum loquendi distributiuè, pro quacunque rationali natura. Cohæret illud Prouerb. 30. *quod nomen filij eius, si*

M Heb. 1. l. 1. *nosti?* Est enim nomen filij Dei M incomprehensibile. Generationem ergo etiam diuinam intendit insinuare; cum supra ait; *absconditisti hæc à sapientibus & prudentibus*. Et hoc sonat illud psal. 109. *ex vtero ante Luciferum genui te*, idest N ex intimo N Ioan. 1. l. 11.

& occulto meæ essentiæ incomprehensibili omni intellectui creato, *genui te*. Sic, ibi, *vnigenitus filius, qui est in sinu Patris*, idest in occultissimo paternæ naturæ & essentiæ, quæ excedit omnem virtutem creaturæ, est vnigenitus filius. Infinitum autem dicas suum esse, quando à solo Deo Patre cognosci potest. Quare de cognitione comprehensiua sermo est; O vt pluries firmat Angelicus.

Sequitur; *neque Patrem quis nouit, nisi filius*. O Io. 1. lect. 11.

Ioan. 5. *neque vocem eius vnquam audistis neque speciem eius vidistis*. Ioannis 8. *ego autem noui eum*; & c. 10. *sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem*: cùm enim importet æqualitatem, cognoscere Patrem, P sicut cognitus est ab eo; est proprium solius Filij; quia solus Filius cognoscit Patrem comprehendendo, sicut Pater comprehendendo cognoscit Filium. De puris hominibus Iob 36. *omnes homines vident eum; vnusquisque intuetur procul*. Et prius cap. 11. *forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Ieremiæ 32. *fortissime, magne, Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, incomprehensibilis cogitatu*. Hoc tamen quod est Patrem

Io. 8. l. 8. Io. 10. l. 4. opusc. 2. 116.

26.

P Io. 10. l. 4.

comprehendere Q non debet de anima Christi intelligi; quia id non dicitur nisi de Vnigenito. Est enim impossibile, quòd aliqua creatura R comprehendat diuinam Essentiam. Potest etiam accipi, vt fiat sensus veluti increpatorius iuxta illud Ioan. cap. 8. *est Pater meus, qui glorificat me; quem vos dicitis, quia Deus vester est; & non cognouistis eum*. Etenim etsi legatur psalm. 75. *notus in Iudæa Deus*; non vt S naturalis Pater filij; sic enim non erat notus ante aduentum Christi. Neque ab Angelis cognitione T naturali mysteria gratiæ cognosci possunt. Sed fortè non deerit qui objiciat, soli Pater & filius se se vicissim cognoscunt; ergo Spiritus-Sanctus non nouit Patrem & Filium. At occurritur ex Diuo Thoma; qui cum cap. 16. obiectionem istam fecisset, respondet V nihil officere; aliàs neque Pater cognosceret seipsum cum dicatur, *nemo nouit Patrem nisi Filius*. Et vt expendit in Summa X neque Filius se ipsum cognosceret; si *nemo nouit Filium, nisi Pater*. Igitur vt præfatis docet in locis; sicut regulariter in Sacra Scriptura tenendum est, quòd id quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiam si dictio exclusiua addatur; nisi solum in illis, in quibus Pater & Filius, secundùm oppositas relationes distinguuntur; ita quicquid ad Diuinitatem pertinens de vno trium dicitur, de omnibus est intelligendum, eoquòd sunt vnus Deus; nec etiam potest Deus Pater sine Verbo & Amore intelligi, nec è contra: & propter hoc in vno trium, omnes tres intelliguntur. Instat autem ibi contra Gentes, ex 1. Corinth. 2. *quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei*. Nunquid ab hac cognitione excluduntur Pater aut Filius? Adde his, ex eodem. A Vt enim ostensum est, inquit, in Primo libro, *intelligere Dei & esse*, in Deo idem sunt. Vnde communicatio diuinæ naturæ est etiam intelligentiæ communicatio. Passim in Sacris Scripturis memorato Patre & Filio, tacetur de Spiritu-Sancto, vt videre est, notaturque à Diuo Thoma, B è regione locis; quia Spiritus-Sanctus est nexus Patris & Filij, & intellectus ex ambobus: *Gratia vobis à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo*, toties in Epistolis. Et quidem ex Augustino relato C non semel: Cum in Trinitate sint duo, scilicet personarum distinctio, & Essentiæ vnitas, aliquando fit mentio de tribus personis ad insinuandam distinctionem personarum: aliquando verò fit mentio de duobus sine tertia ad insinuandum Essentiæ

Q Ioan. 2. l. 11.

R 1. p. q. 10. a. 1.

S Io. 5. l. 7. & Io. 8. l. 8.

T p. p. 57. a. 5.

V 4. Cõt. G. c. 21.

X p. p. 36. a. 1.

A 4. Cõt. c. 8. circa medium.

B 1. Cor. 1. l. 1. 2. Cor. 1. l. 1. Ephes. 1. l. 1. 1. Th. 1. l. 1.

C 1. Cor. 1. l. 1. Io. 14. l. 6.

sentiæ vnitatem. Spiritus-Sanctus nihil est aliud quàm Amor Patris & Filij; posito Patre & Filio, intelligitur Spiritus-Sanctus. Sic ergo dic ad rem nostram.

Sequitur; *Et cui voluerit filius reuelare.*

27. Omne imperfectum D à perfecto initium sumit: inde nostra omnis cognitio à Verbo deriuatur. Ioan. 5. *ego veni in nomine Patris*; & c. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*; E quod est proprium Filij Dei, qui est Verbum, cuius est proprium manifestare dicentem. Et antea; *palam de Patre meo annunciabo vobis*: nam F per illos quadraginta dies quibus apparuit eis, multa mysteria eos docuit & multa de se & Patre annunciauit. Io. 1. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*: & c. 14. *nemo venit ad Patrem, nisi per me*: in quantum nullus G ad notitiam Patris potest peruenire, nisi per filium. Eccles. 24. *ego Sapientia effudi flumina*. Quocirca H cum manifestatio diuinorum pertineat ad Dei sapientiam: specialiter hæc manifestatio per Filium facta est. *Flumina* ista intelligo fluxus æternæ processionis, qua Filius à Patre, & Spiritus-Sanctus ab vtroque ineffabili modo procedit. Ista flumina olim occulta, & quodammodo confusa erant, tum in similitudinibus Creaturarum, tùm etiam in ænigmatibus Scripturarum; ita vt vix aliqui Sapientes Mysterium Trinitatis fide tenerent. Venit Filius Dei, & infusa flumina quodammodo effudit, nomen Trinitatis publicando, Matthæi vltimo; *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Iob. 28. *profunda quoq; fluuiorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem.* Heb. 2. *quæ cum cœpisset enarrari per Dominum.* Et iam supra sensum captumque humanum res agitur, quando ait, *cui voluerit Filius reuelare.* Eccles. 3. *plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi.* In Matthæum: eius est, inquit manifestare, cuius est cognoscere. Et sic Pater etiam reuelat de Filio: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*; infra c. 16. In quo planè Sapientum & prudentum, de quibus dixerat audacia retunditur.

D Ioan. 8.l.8.
E Ioan. 17.l.2.
F Ioan. 16.l.7.
G Ioan. 14.l.2.
H Prolog. primi Sent.
I Matth. 16. ibi caro & sanguis.

VERS. XXVIII. *Venite ad me omnes qui laboratis.*

28. Legimus Ecclesiastes 1. *qui addit scientiam, addit & laborem.* Sapientiæ 9. *homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum.* Ecclesiastici 18. *cum consummauerit homo, tunc incipiet.* Et iterum Sap. 9. *si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Quid mirum ergo, cum sapientes prudentesque notauerit; vel eos de quibus Isaiæ 5. *væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismetipsos prudentes*; vel ab humana sapientia, quæ vt ait Chrysostomus; *sæculari studio probatur*, tanquam defatigatos & deuios amanter inuitet? Iacobi 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Infelix aiebat Augustinus *qui te non nouit, etsi cætera nouit: felix qui te nouit, cætera quamuis non nouit.* Vocat ergo ad se, vt reficiat: Ecclesiastici 15. *cibauit illum pane vitæ & intellectus*: id quod de edoctis à Domino Euangelistis canit Ecclesia. Dicit autem *reficiam*, quod sine dubio sobrietatem inuoluit; Ecclesiastes 10. *vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam*: quia Rom. 12. *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*: nam, *sicut qui mel multum comedit* Prou. 25. *non est ei bonum; sic qui scrutatur est Maiestatis opprimetur à gloria.* Dicit autem *venite*, secundum quod & in ps. 33. *accedite ad eum, & illuminamini.* Sed ad pedes eius eundum; eo quòd Deut. 33. *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Diuus Hilarius exponit, L *legis difficultatibus laborantes, &*

L p. 2. 107.4.

peccatis sæculi oneratos ad se auocat. Aliàs etiam potest intelligi diuinæ M fruitionis refectio.

M 2. 2. 189.4. ad 3.

VERS. XXIX. *Tollite iugum meum super vos*, &c.

29. Iugum dicitur N omne illud, quod ligat plures ad aliquid faciendum. Iugum Dei est ipsa charitas, quæ ligat homines ad seruiendum Deo. Spiritualiter quippe O est iugum lex charitatis. Sequitur; *discite à me, quia mitis sum*, &c. Præcipuè enim P nos inducit ad sui conformitatem, secundum humilitatem & mansuetudinem. Q Præcepta eius, grauia non sunt: sermo est de iugo Euangelij. Sic decernitur sub quadam distinctione R legem veterem fuisse grauiorem. Hinc Ioannes in sua prima c. 5. *mandata eius grauia non sunt*, scilicet amanti, vt exponit Augustinus; sed non amanti sunt grauia. Iam dictum est de iugo charitatis. Et iterum dici potest cum Gregorio; S *quid graue mentis nostræ ceruicibus imponit, qui vitare omne desiderium, quod perturbat; qui declinari laboriosa Mundi huius itinera monet?* Hoc suaue iugum super se tollentibus T repromittit sempiternam requiem animarum. Quod si cognitio nostra est veluti circulus, vt ait Boetius, cuius centrum est veritas; dic etiam promitti sapientibus & prudentibus, de quibus supra, requiem in Centro cognitionis veritatis; quando eamus ad eum, qui est *plenus gratiæ* Ioan. 1. *& veritatis.* *Omnia dura sunt*, aiebat Augustinus, *tu solus requies*: & iterum, *inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Qui hanc sperant in futuro, prægustantque in hac vita requiem, nec iugum, nec onus sentiunt; ideo præmittit de illa Dominus; & *inuenietis requiem*, subdens pro clausula; *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Et in lib. de verbis Domini: *qui iugum Domini intrepida ceruice subierunt, tam difficilia pericula patiuntur, vt non à laboribus ad quietem sed à quiete ad laborem vocari videantur: sed profectò adest Spiritus-Sanctus, qui affluentia delitiarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia deliniret aspera, & omnia releuaret.* Iugum quo tenentur Boues V retorqueri potest ad præcepta negatiua: onus ad affirmatiua. In antiqua lege enumerantur à quibusdam, mandata affirmatiua ducenta octoginta octo, negatiua verò trecenta sexaginta sex. Lex noua præter X præcepta legis naturæ paucissima superaddidit in doctrina Christi & Apostolorum: licet aliqua sint postmodum supperaddita, ex institutione Sanctorum Patrum: in quibus etiam Augustinus dicit, esse moderationem attendendam; ne conuersatio fidelium onerosa reddatur. Dicit enim *ad Inquisitiones Ianuarij*: de quibusdam, quòd *ipsam Religionem nostram, quam in manifestissimis & paucissimis celebrationum Sacramentis, Dei voluit misericordia esse liberam, seruilibus premunt oneribus: adeò vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis; non humanis præsumptionibus subijciebantur.* In Sermone D. Th. plura onerum genera percensens ait, A *laboramus sub multiplici onere in præsenti; decimo est legum constitutionum obseruantiarum multiplicitas.* Quare autem multa debuerint esse in lege veteri, videns B in prima 2. & alijs, quæ retuli in Prologo Exodi, locis. Abbreuianda autem fuisse præcepta moralia, atque iudicialia, cæremonialia verò tollenda, ostensum est satis in Prologo Deuteronomij: Matthæi 22. vbi, *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ* nonnihil dicetur. Interim dicamus; *tu Domine suauis & mitis*: psalm. 85.

N 2. Cor. 6.l.3.
O ps. 2.
P p. 2.68. 1.
Q Opusc. 4.§.11.
R p. 2. 107.4.
S 2. 2. 189.4. in calce & hic D. Th.
T 2.2. cit.
V D. Th. hic.
X p. 2. 107.4.

A Serm. Sancti Matthiæ Apostoli.
B p. 2. 101. 3. & qu. 102. 2. 3.
Rom. 5.l. 6. Gal. 3. l.7.

SYN-

SYNTAXIS
Ad Caput Vndecimum.

VERS. I. *Et factum est; cum consum-
maßet Iesus præcipiens duodecim disci-
pulis suis*, &c.
1. Postquam de Ecclesia militante, in
præcedenti capite actum est, ipsaque in substruenda
labores prædicti sunt & pericula; atque etiam de
membris eius, eorumque spiritali per fidem & chari-
tatem nexu & compactione nonnihil tactum, ac tan-
dem, consummandæ Ciuitatis Ierusalem Domus-
que Dei præcepta tradita sunt; cum *consummaßet*,
inquit, *Iesus præcipiens*, &c. ne illusioni daretur lo-
cus, Lucæ 14. *quia hic homo cœpit ædificare, & non
potuit consummare*: de primo iaciendo fundamento
præsens est Caput. Cùm autem fides, quæ Hebræo-
A 2.2.q.4.7. rum 11. *substantia est sperandarum rerum*, A ideo-
que prima virtutum, sit primum Ecclesiæ funda-
mentum, de ipsa secundum praxim meritò agitur.
B 2.2.161.5.2. Assumptum conceptis verbis fulcit B Angelicus;
fides inquit ponitur fundamentum nobiliori modo
quàm humilitas. Et ita Zachariæ 4. vbi legimus;
C Hebr. 11.l.1. *manus Zorobabel fundauerunt Domum istam*, C
exponitur; idest Ecclesiam; cuius fundamentum
est fides: nam manus Christi, qui de genere Zoro-
babel descendit, fundat Ecclesiam in fide. Et quia
sequitur in Zacharia; *manus eius perficient eam*,
dic hoc ipsum insinuari, dum hic ait Euangelista,
cum consummaßet. Verùm quia Rom. 10. *fides est
ex auditu*: & *quomodo audient sine prædicante*? se-
cundùm illud Philippi Act. 8. *putasne intelligis, quæ
legis*? cui Eunuchus, *& quomodo poßum, si non
aliquis ostenderit mihi*? Ecce in contextu, de Præ-
ceptore ac de discipulis fieri mentionem; dum ait,
præcipiens duodecim discipulis suis: Isaiæ 55. *dedi
eum Ducem ac Præceptorem Gentibus*; Ioelis 2. *dedi
vobis Doctorem iustitiæ*; quo sensu 1. ad Timoth. 4.
præcipe hæc & doce. De Christi doctrina lege suo
D 3.p.42.2. loco; D Per eam quippe solam, potuit esse salus;
Ideo ait Matthæus; *transijt inde vt doceret & prædi-
caret Ciuitatibus eorum*. Baptismus, vt non semel
diximus supra, Sacramentum est fidei. Iure igitur,
qua, Christo capiti ceu membra incorporemur,
quaque eidem tanquam Sponso Ecclesia iungamur
Osee 2. *sponsaba te mihi in fide*, consequenter ad
præcipuum Matthæi scopum, de fide agendum erat.
Adde; postquam in cap. præcedenti actum est de Ec-
clesia, de fide fuisse agendum; quandoquidem ex Au-
gust. concione 2. in ps. 33. *ostium portæ est initium
fidei; vnde incipit Ecclesia.*

VERS. II. *Ioannes autem, cum audißet in vin-
culis opera Christi*, &c.
2. Duo requiruntur ad fidem, quorum vnum est E
E Rom. 10.l.2. cordis inclinatio ad credendum, aliud est determi-
natio de credibili. Et ideo Cornelius, qui habebat
cor inclinatum ad credendum, necesse habuit, vt
ad eum mitteretur Petrus, qui sibi determinaret,
quid esset credendum. Ecce ob Christi dignitatem,
atque Euangelij præcellentiam è conuerso mitti ad
Christum, propensos, vt præsumo, discipulos. Vt
nimirum determinarentur ad credendum & Chri-
sto, & Christi Euangelio: circa Euangelicam enim
doctrinam præcipuè versatur fides; Philippens. 1.
collaborantes fidei Euangelij; Rom. 10. *sed non om-
nes obediunt Euangelio*: præmiserat autem de fide:
quæ est *ex auditu*: auditus verò sensus est discipli-
næ: ecce de discipulis, *mittens duos de discipulis
suis*. Quoniam etiam Ecclesiastici 6. dicitur, *si in-
clinaueris aurem tuam; excipies doctrinam*: scilicet
F humiliter audiendo: certè in eo quòd *discipuli* au- F 2.2.161.5.1.
ditu auris perhibentur; indicatur obedientia & hu-
militas, G indiuisæ fundandæ fidei comites. De G 2.2.4.7. 3. & q.104.5.2.
quibus Rom. c. 1. *ad obediendum fidei*; & 2. Cor.
10. *destruentes omnes altitudinem, extollentem se
aduersùs scientiam Dei; & in captiuitatem redigen-
tes omnem intellectum*. Quid mirum referatur Ioan-
nes in vinculis? Vincula spiritalia sunt virtutes; fi-
des, H spes, charitas: Ecclesiastici 6. *vincula illius* H ps.2.
alligatura salutaris. Et iterum, *inijce pedem tuum
in compedes illius*, idest I in documenta fidei. Aliàs I 1. Cor. 10.l.1.
scripsit Augustinus Serm. 20. de Sanctis. *Quod au-
tem Ioannes in carcere constitutus ad Christum disci-
pulos suos destinauit; lex ad Euangelium transmit-
tit. Quæ lex, iuxta typum Ioannis, quasi ignoran-
tiæ clausa carcere, in obscuro, & in occulto iacebat;
& iudaicæ cæcitatis sensus intra literam tenebatur
inclusus*.

VERS. III. *Tu es qui venturus es, an alium ex-
pectamus.*
Non est mirum, si in eadem legis figura, Ioan- 3.
nes per discipulos interrogat. Lex erat L præparato- L p.2.91.5.2.
ria ad Christi susceptionem. *Lex* ad Galat. 3. *fuit
pædagogus noster in Christo*. Pædagogus dicitur à
pædos quod est *puer*, M & *goge*, quod est *ductio*. M Gal. 3. l.8.
Ille populus comparabatur puero N sub Pædagogo
existenti. Et lex fuit Pedagogus eum ducens O ad
Christum. Facit ad præsens cum de hisce discipu- N p.2.92.6.
lis, quod alibi tradit dicens; P profectus cognitio-
nis contingit ex parte addiscentis: sicut cùm Magi- O p. 2.104.3.
ster, qui nouit totam artem, non statim à principio P 2.2.q.1.7.2.
tradit eam discipulo; quia capere non posset; sed
paulatim condescendens eius capacitati. Et hac ra-
tione profecerunt homines in cognitione fidei per
temporum successionem. Vnde Apostolus compa-
rat statum veteris testamenti pueritiæ; Gal. 3. Pæda-
gogus lex fuit Q dirigens & conseruans in Christo, Q Gal. 3. l.8.
idest in viam Christi. Necte illud Zachariæ apud
Lucam 1. *præibis enim ante faciem Domini parare
vias eius: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*
Ecce quare fiat huiusmodi veluti colligatio Ioannis,
& discipulorum; per quos ipse, ipsique pro eo inter-
rogant. Quare Ioannes in typum non modò legis;
sed vice discipulorum, per quos de aduentu requirit;
tu es qui venturus est? postquam est *in vinculis*, il-
lud potuit effari, ibidem 3. Gal. *priùs autem, quàm
veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi, in
eam fidem, quæ reuelanda erat*. Iam ad calcem Ca-
pitis, *reuelasti ea paruulis*. Etsi enim R maiores, R 2.2.q.2.7. & Hebr. 11. l.2.
sacrificiorum & ante legem & sub lege significatum
explicitè cognoscerent; minores duntaxat quodam-
modo velatam habebant cognitionem, credentes
ea diuinitus esse disposita, de Christo venturo. Tan-
to tamen faciliùs S cognoscere poterant, quanto S l.c. &
Christo erant propinquiores. Huiusmodi, dic tu, prius q.1.
duos missos discipulos; in exemplum eorum, qui a.7. ad 4.
credituri erant, fidelium. Nam, vt ibidem docet,
post tempus gratiæ reuelatæ, tàm maiores, quàm
minores tenentur habere fidem explicitam de myste-
rijs Christi. Quia ergo, Roman. 3. *iustitia Dei est
per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui
credunt in eum*: ideo Ioannes eos ad Christum mit-
tit, tanquam ad *Auctorem & consummatorem fidei*,
vt

vt dicitur Hebræor. 12. Ait quippe Augustinus 11. de Ciuitate Dei c. 2. *vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas, Dei filius, homine assumpto, constituit atque fundauit fidem.*

VERS. IV. *Euntes, renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis.*

4. De *iustitia Dei, quæ est per fidem Iesu Christi*, præmittit Apostolus quomodo *manifestata est*; *testificata à lege & Prophetis*. Quocirca Angelicus; T Lex iustitiam Christi testificata est prænunciando, & præfigurando; Ioann. 5. *si crederetis Moysi, forsitan & mihi crederetis; de me enim ille scripsit.* Prophetæ autem testificati sunt, eam prænunciando. Vide quomodo Dominus nihil inducit de lege, cuius præhaberi typum præsumit in Ioanne; sed adijcit; *renunciate quæ audistis & vidistis; cæci vident &c.* Quod non ideo crediderim dici, quasi ad sui aduentus contestationem proferat in medium miracula, de quibus infra versu 20. sed vt Prophetas producat, qui huiusmodi quæ corporaliter fiebant, spiritualiter implenda esse prædixerunt. Ex quo fit, vt lex vnà simul & Prophetæ deprehendantur adstipulari concordes suo aduentui. Sic *Moyses & Elias*; *lex scilicet & Prophetæ*, cum in monte Sancto transfiguratus est, apparuerunt. In rei huius confirmationem, expende ly *renunciate Ioanni*. Vis enim verbi *renunciate*, præsupponit priùs nunciatum; nunciauit lex in Ioanne, renunciate per Prophetas in signis, *quæ audistis & vidistis*. Hinc Leo Papa Serm. 7. de natiuitate Domini: *siue legis testificationi, siue oraculis Prophetarum, siue Euangelicæ tubæ interiorem admoueamus auditum, verum est quod Beatus Ioannes Prædicator adiecit; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Quoniam autem interrogant, *tu es qui venturus es?* alta se responsione Missum ostendit. Missionis quippe diuinæ signum (præ alijs) est V Sacræ Scripturæ auctoritas. Vnde Ioannes Baptista, cum quæreretur ab eis (Ioan. 1.) quis esset; auctoritatem Prophetæ induxit; dicens; *ego vox clamantis in deserto; sicut dixit Isaias Propheta.* Sic ergo in primis, vt mihi visum est, exequitur Dominus; quandoquidem, quæ cuncta percenset, in Prophetis reperiremus. Idem est ergo dicere, *cæci vident*, &c. atque monere Ioann. 5. *scrutamini scripturas, quæ testimonium perhibent de me*: & Lucæ 24. *interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Veruntamen hìc videtur inducere tantùm de Prophetis; secundùm quod paulo post, Malachiam allegat; & *Prophetæ* ait *vsque ad Ioannem*; quem subinde magnificat *plusquàm Prophetam*. Et ecce ad rem Isaias; qui c. 35. postquam dixit; *Deus ipse veniet, & saluabit vos*, adiecit; *tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut Ceruus, claudus.* Sed quoniam ea quæ in Isaia sequuntur, non sunt ad verbum, prout adnectit Dominus; expendenda veniunt quæ prompsit Propheta Euangelicus, vt deprehendantur quoad sensum vnisona dictis à Domino, qui veluti censendus est ea interpretatus. Pergit ergo Isaias, *aperta erit lingua mutorum*; hoc reor interpretatur, dum allegat dicens, *mortui resurgunt*. Sic Lucæ 7. Viduæ filius resuscitatus *cœpit loqui*: vbi Titus; *indicia sunt hæc veræ resurrectionis; corpus enim exanime loqui non potest.* Addit Dominus; *leprosi mundantur*. Isaias verò; *scissæ sunt in deserto aquæ*. Haymo; *apertæ sunt in deserto gentilium, aquæ baptismatis salutaris.* Lepram, quæ baptismo purgatur, accipi pro originali dixi ad caput 8. Tandem ait Dominus, *pauperes euangelizantur*, respondetque Isaiæ ibidem dicenti, *& torrentes in solitudine; spirituales*, inquit Haymo, *doctrinæ & gratiæ, in solitudine item Gentium.* Quamuis clarius ipsemet Isaias c. 61. *ad annunciandum mansuetis misit me*; siue vt legitur Lucæ 4. *euangelizare pauperibus misit me.* Quocirca ibi *Dominus cœpit dicere ad illos; quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Dic ergo cum Chrysostomo; *ostendere vult, quòd ille venit, quem Prophetæ prædixerunt.* Quoniam verò, vt assumpsit Diuus Petrus Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum*; duo sequuntur; vnum; spiritualiter esse huiusmodi intelligenda, vt ait Haymo: & ad literam prædicta esse, X in Christi aduentu. Aliud quod sequitur, est, debere per modum vnius accipi Prophetas omnes, qui non *testimonia* proferunt, sed *testimonium* ore vno perhibent de præfatis; si non sigillatim de hac vel illa morali sanatione, concordes in vnum de animæ salute. Differenter autem virtutum harum est ordo hic & in Isaia: fortè quia bifariam prænunciatæ debent intelligi, corporaliter scilicet, & in mente: corporaliter resurrexit Lazarus; spiritualiter resurgit quotidie anima; Ephes. 5. *surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

T Rom. 3. l. 3.

V Rom. 10. l. 4.

X Isaiæ 35.

VERS. VI. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

5. Cum de remissione peccatorum in eiusmodi signis adumbrata dictum fuerit, qua via remittenda sperentur, tangi necesse est. Constat autem qualiter Christi passio est A propria causa remissionis peccatorum. Apoc. 1. *dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine ipsius.* Alibi docet B quomodo fuit necessarium, Christum pro liberatione humani generis pati: quomodo non fuit C alius modus conuenientior: Augustinus; *sanandæ nostræ miseriæ conuenientior alius modus non fuit, quàm per Christi passionem*: denique conuenientissimum fuisse Christum pati mortem Crucis D ibidem ostendit. Ad hæc Lucæ 24. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas; & dixit eis; quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die; & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Si ergo de remissione peccatorum præhabitum fuerat in ly *cæci vident*, &c. non debuit omitti de ipsius passione, ac morte; dicendo; *& beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Bellè Gregorius hom. 6. *quid est ergo dicere; beatus &c. nisi aperta voce abiectionem mortis suæ humilitatemque signare?* 1. Cor. 1. *nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum* &c. Sed quare? quia in eum non credunt: 1. Petri 2. *vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scandali* &c. In his ergo verbis adhuc testimonium tangit propheticum Isaiæ 8. *in petram scandali duabus domibus Israel*; sed vt ad Isaiæ locum reuocentur discipuli Ioannis, quoad cæcos claudos, &c. adnectit de beatitudine: *& beatus qui non fuerit scandalizatus in me*: eo quòd ibidem Isaias de regno subiungit cœlesti; *via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus.* In quo E significatur peccatum. Dic tu in præmissis *cæcis surdis* &c. nedum speciale vniuscuiusque personæ, sed & commune totius naturæ: vtrumque enim polluens homines prohibebat homines ab ingressu ad beatitudinem, vt ibidem expendit Angelicus; & quia Christus sua passione sanaturus nos erat, vt dictum est; ablaturusque erat huiusmodi peccatorum obstacula, vt ibidem [illegible], ideo de beatitudine subdidit: *beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Quoniam verò Ecclesia F per fidem vnitur: & ad fidem pertinent per se illa G quorum visione in vita æterna perfruimur; quorum alterum est mysterium humanitatis Christi, per quod *in spe gloriæ filiorum Dei*

A 3. p. 49. 1.
B 3. p. 46. 1.
C ibi a. 3.
D art. 4.
E 1. p. 49. 5.
F 2. 2. q. 1. a. 1.
G 2. 2. q. 1. a. 8.

Dei accessum habemus, vt dicitur ad Romanos 5. non mirum, si Dominus & de gloria, & de ipsius adeptione per eum adiecerit dicens; *beatus* (ecce de beatitudinis gloria) *qui non fuerit scandalizatus in me*: (ecce mysterium Christi, quod fides, videndum in gloria proponit.) Sic ob fidei assecutionem infra c. 16. *beatus* denunciatur *Simon Bar-Iona*: & Lucæ 1. Virgini dixit Elisabeth; *beata quæ credidisti*. Cohærenter hic paulo post inducitur de *Regno Cælorum*, quòd *vim patiatur*. Cuius aperienda erat
H 3.p.49. ianua, remotis peccatorum H obstaculis; cæcitatis,
5. claudicationis, vt diximus.

VERS. VII. *Quid exijstis in desertum videre?* &c.

6. Mirum faciet Domini de Ioanne commendatio, quæ per negationem procedit; *arundinem vento agitatam? hominem mollibus vestitum?* Ioannes Euangelista c. 5. aliam ex ore Domini fert de illo laudem: *ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens*. Animaduertendum est igitur ad nostri confirmationem assumpti, vt scilicet de Ecclesiæ fide præsens sit caput; post Scripturarum testimonium, de quibus supra *cæci vident*; &c. aliud viuæ vocis proferri: est enim Ioannes vox; *ego vox clamantis in deserto*. Palam apud Euangelistam c. 1. *hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*. Cap. 5. *vos misistis ad Ioannem; & testimonium perhibuit veritati*. Quandoque testimonium *arundo* est
I 2.2.70. *vento agitata*. Quandoque testis I sibi ipsi diffidet;
2.2. interrogatus de visu & scientia; & tunc repellitur. Si interrogetur de opinione & fama, quamuis diffidat non repellitur; quia potest secundum diuersa visa & audita, diuersimodè motus esse ad respondendum. Ex hac Diui Thomæ doctrina, iuxta illud Prouerb. 12. *qui quod nouit loquitur, index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus*, trahe textus intelligentiam, vt vno verbo intenderit Dominus Ioannis testimonium, minimè diffidens firmumque, non instar arundinis hinc inde agitatæ, commemorare. Et meritò firmus debuit esse, quando ascitus erat testis de visu. Quocirca profundo eloquio Euangelista Ioannes non cessat de visu inculcare dicens cap. 1. *altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se*: deinde *respiciens Iesum ambulantem dixit; ecce agnus Dei*. Et paulo ante; *super quem videris Spiritum descendentem. Ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*. In hoc vim faciens idem Ioannes in sua 1. cap. 1. *& vidimus & testamur*. Et in Euangelio c. 19. *Qui vidit testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius*. Denique ipsemet Dominus Nicodemo, Ioan. 3. *quod vidimus, testamur*. Absit ergo, vt arundini comparari queat Ioannes, qui debuit esse testimonium de visu, *perhibiturus testimonium de lumine*, quod immo est visus obiectum: factus exinde *lucerna ardens, & lucens*; qui vltra humanum oculos intendit.

VERS. VIII. *Hominem mollibus vestitum?*

7. Subdit; *qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt*. Quod quidem cur adijciatur, semper restat quærendum, nisi diuina affulgeat irradiatio. Hac duce itaque dicatur, voluisse Dominum, omni exceptione maius Ioannis testimonium asseuerare. Sanè, qui aliquem decipere intendit, quo falsitatem obtrudat mollitis sermonibus loquitur; ps. 54. *molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt ia-*
L Iob. 40. *cula*. Blanditiarum verba L dicuntur mollia Iob
1.3. 40. *nunquid loquetur tibi mollia?* Rom. 16. *per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium*. Hieronymus de adulatoribus assumit præmissum ps. *molliti sunt sermones eius* &c. quemadmodum Prouerb. 10. *abscondunt odium labia mendacia*; sic fraudulentus omnis contegit falsitatem. Sic dici potest vestiri mendacium, mendaxque ipse mollibus vestimentis. Eximium veluti est indumentum loquela, quo etsi aliquandiu tegatur, paulo post detegitur fraus: neque enim diu potest larua latere. *Loquere vt te videam*, cuidam dixit Socrates. Syncerum ergo fuisse Ioannis testimonium ex eo probatur, quòd non fuerint molliti sermones eius. Claret; nam ad pœnitentiam promouit acrioribus verbis; vt supra c. 3. Et quidem iuxta Isaiæ monitum cap. 3. *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te*
decipiunt; Glossa apud Diuum Thomam M *blandis verbis*. Quod quidem rationabiliter fecisse Ioannem, vel ex pronomine *vox* potest haberi: *ego* M Proœmio, Op. 19.
vox clamantis. Vox irrationalis, sonus N potius, N ibidem
quàm vox dicenda est. Ideo dicit. ps. 82. *inimici tui sonuerunt*. Quoniam autem ambitiosa & adulatoria isthæc molliti sermonis fraus, Principum in Aulis ac Palatijs passim regnat, opinari fas sit, idcirco subiecisse Dominum: *ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*. Sed ipse adhuc profundiùs velim scrutari. Nimirum, vt irrepellendum esse Ioannis testimonium magis confirmet. Quandoque autem inefficax alicuius O est testimonium, O 2.2.70.
cùm aliquid aduersùs testem probabilitatem affert in 3.
contrarium. Redditur autem probabile, quòd aliquis in veritate testificanda non sit firmus; quandoque quidem propter culpam, sicut infideles & infames; item illi qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt. Quandoque autem absque culpa, & hoc est, vel ex defectu rationis; (sicut patet in pueris, amentibus, & mulieribus) vel ex affectu; (sicut patet de inimicis, & de personis coniunctis & domesticis) vel etiam ex exteriori conditione, (sicut sunt pauperes, serui, & illi, quibus imperari potest) de quibus probabile est, quòd de facili possunt induci, ad testimonium ferendum contra veritatem. Hactenus Diuus Thomas. Quare cum inculpatus notoriè esset Ioannes; cum nec ætatis nec sexus nec mentis excogitari posset defectus; cum carnis aut sanguinis, amoris aut odij illi non inesset affectus; quippe qui *antra deserti petijt teneris sub annis*; quique Lucæ 1. *erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*: vnus poterat superesse scrupulus; an labefactari posset illius testimonium, si pro illo ferendo, alicuius imperio obtemperaret: id quod de facili contingit pauperibus & seruis. At paupertatis succurrendæ causa, falsum esse Ioannis testimonium, quis dicere ausus fuisset, quando immo contemptis omnibus, desertum coluit? minùs mancipij aut seruitutis lege fuerat alicui obæratus. Quo ergo titulo iustus, suspectus foret? Equidem si Palatinus, si Aulicus esset; cuiusmodi deprehenduntur ad nutum, *qui in Domibus Regum sunt*; hi mollibus vestiri possunt: possunt blandis adulatorijs fictis mendacibus, quanquam iurati sint testes, ne Regis imperium detrectent, fallere verbis. Ab vna testimonij falsi suspicione, à qua Ioannes eximitur, disce ab omnibus exemptum, proinde omni exceptione maius ipsius testimonium.

VERS. IX. *Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam*.

Eodem orationis filo, quandoquidem vt Act. 10. 8.
legimus, Christo *omnes Prophetæ testimonium perhibent* &c. dum plusquam Propheta dicitur Ioannes, Prophetas excellit ab ipso, in ferendo testimonium, innuitur. *Plusquam Prophetam* verò videtur fuisse; quia cum in Prophetia P consideretur; reuela- P 2.2.174.
tio & cognitio, tàm secundùm visionem intellectualem, quàm secundùm visionem imaginariam; quod 4.
ibi docemur: nedum hisce donatus præsumitur Ioannes, sed magis *reuelata facie* speculatus, tanquam minister Q noui Testamenti, vt habetur 2. ad Co- Q ibid a. 3.
rinthios 3. Vlteriusque quia quantum ad fidem incar-

R ibi a.6. carnationis Christi, quanto fuerunt Christo propinquiores, R siue ante siue post, vt plurimùm plenius instructi fuerunt. Quare, cùm Ioannes dicatur ex Malachia hic missus *ante faciem* Christi; præcellenti sine dubio illustratione perfusus est. *Plusquam Propheta* autem adhuc, quia non denunciauit futurum, sed præsentem; missusque est in testimonium, non vni populo quemadmodum Moyses; sed *vt omnes crederent per illum*. Nuncupatur etiam ex hac denunciatione speciali Angelus Dei; *ecce ego mitto Angelum meum*; quia proprium S Angelorum officium est, vt sint Nuncij S Ioan. 1. l.4. Dei. *Angelus* quippe *Nuncius* interpretatur.

VERS. XI. *Amen dico vobis; non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.*

9. Prælusit huic Ioannis elogio, Lucæ 1. Angelus dicens, *erit enim magnus coram Domino*. Ex hoc autem quod ait Dominus paulo post; *qui minor est in Regno Cœlorum, maior est illo*, liceat inferre, nedum natos mulierum non surrexisse maiores Ioanne, vt sonat litera; sed ipsum adhuc fuisse maiorem omnibus; tali tamen exceptione, vt Angelorum vel minimo, qui clarè mysteria vident, nequeat T Ioan. 1. l.4. æquiparari. Hoc quippe officium T testificandi, est valde magnum; quia nullus potest de aliquo testificari, nisi eo modo, quo illud participat; Ioan. 3. *quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*. Vnde testimonium perhibere diuinæ veritati, indicium est cognitionis ipsius veritatis. Est ergo magnum officium Ioannis, & ex participatione diuini luminis; (quocirca præcedenti paragrapho dixi) & etiam ex similitudine ad Christum, qui hoc officio vsus est, vt ibi exponit Angelicus, iuxta illud Isaiæ 55. *ecce testem populi dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus*. In calce Lectionis; ignis, inquit, conuenientius manifestatur per aliquod ignitum, quàm per aliquid aliud, & color per coloratum. Tantam autem participationem habuisse crediderim Ioannem luminis, qui *venit, vt testimonium perhiberet de lumine*, quòd ne crederetur lux, à Domino Ioannis 5. dictus sit lucerna: *ille erat lucerna ardens & lucens*, & ab Euangelista cautum sit, *non erat ille lux*. Et quia consuetum est, V loc. cit. vt habet Diuus Thomas, V testificantem esse maioris auctoritatis, quàm ille cui perhibet testimonium; non mirum, si dum astruitur à Domino alijs maior, circumspectione quadam præferatur; nimirum *inter natos mulierum*, vt vni posthabeatur, qui natus est ex Virgine. Vbi nec Virgini comparatur, quamuis ipsa nata sit ex muliere; quia in humanis, vnde erudimur & extollimur ad diuina, arceantur (quod est subiecta contextuum horum materia) à testificando mulieres.

VERS. XII. *A diebus autem Ioannis Baptistæ, vsque nunc, Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

10. Cur transferat se Dominus, ad dicendum de Regno Cœlorum, claret ex dictis; quoniam scilicet de fide in Christi mysterio prætactum est. Fides autem eò aspirat; cum sit Hebræorum 11. *sperandarum substantia rerum*. Per fidem quippe inspicimus cœlestia, quæ sensum & rationem humanam excedunt; vt notatur 3. part. quæst. 39. a. 5. Reuelata etiam cognitio eò collimat: iuxta quod Ioann. 17. promittur; *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Chri-* X opusc. 6. *stum*. In vita quippe æterna X finis datur credendis. Ideo postremus est articulus fidei, *vitam æternam*. Ioannes Baptista zelanti adeo discipulorum missione ad Christum, eos ad fidem promouit; teste Angelo Lucæ 1. venit *conuersurus incredulos ad prudentiam iustorum*; Ioann. 1. *vt omnes crederent per illum*: ipse dicit Ioann. 1. *vt manifestetur*, scilicet Christus, *in Israel; propterea veni ego in aqua baptizans*: concurrentibus enim turbis annunciabat Christum: vt docet 3. par. 38. 1. Item primus Iesum, alijs discipulis (Andreæ & Ioanni) Baptista ostendit. Meritò ergo præ oculis Regnum habuit Cœlorum, exorsus suam prædicationem ab illo; supra capit. 3. *appropinquauit enim Regnum Cælorum*. Cum etiam præmissum sit de fidei Auctore; quippe qui illam discipulos Ioannis docuit; quod ipsius proprium est; quandoquidem Hebræor. 1. *locutus est nobis Deus in Filio*: vnde Ioann. 1. *ipse enarrauit*: qui eandem corde imprimit; Philipp. 1. *vobis datum est pro Christo, non solum vt in ipsum credatis*: restabat vt de fidei consummatione attexeretur; iuxta illud Apostoli Hebræor. 12. *aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum*. Id quod præstat in quantùm A fidem gloria consummat; sicque illam præmiat. Iure igitur A Hebr. 12. l.1. consecutiuè de Regno Cœlorum. Et adhuc relatiuè ad præhabitam mysterij Christi cognitionem; cum enim fides sit imperfecta cognitio; eius præmium B consistit in ipsius perfectione Ioann. 14. B ibid. *manifestabo ei me ipsum*. Necte illud 1. Corinth. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Tunc autem, vt dicitur Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt*. Benè ergo de Regno Cœlorum. Leo Papa Sermon. 2. de Epiphania post tactas fidei primitias subijcit; *exinde in æternam hæreditatem cœpimus introire*.

Explicandum est autem quidnam sit, *Regnum Cælorum vim pati*; &c.

11. Ad idem refert Angelicus, quod ait Apostolus; *qui hæreditatem capiunt salutis*; C quia oportet C Hebr. 1. l.6. quòd labore & studio, & solicitudine acquirant Regnum Dei. Item; D instruendi erant homines, D 2. 2. 140. 1. 1. qualiter spiritualiter certando, ad possessionem vitæ æternæ peruenirent. Vnde & Petrus præcipit in sua 1. cap. vltimo, *cui resistite fortes in fide*. Addit & Iacobus capit. 4. *resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Adhuc, videtur sententia Domini commonere, vt conemur ad Regni cœlestis adeptionem: prædestinatis enim E conandum est ad benè operandum & orandum: 2. Petri 1. *satagite, vt per* E P. P. 23. 8. *bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Sic ad industriam liberi arbitrij excitandam, dicitur Apocalypsis 3. *suadeo tibi emere* F *aurum ignitum*. Quantumcumque enim quis sit F Apoc. 1. prædestinatus, oportet, vt per industriam liberi arbitrij se disponat ad coronam. Probè hoc dicitur; quia Galat. 5. *fides per charitatem operatur*. Aiebat & Philosophus; *non coronantur fortissimi, sed agonizantes*. Posset etiam dici quod ait Augustinus Tractatu 26. in Ioannem; super illud capitis 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: nimirum; *magna gratiæ commendatio! nemo venit, nisi tractus. Quid hic dicimus Fratres? si trahimur ad Christum; ergo inuiti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Noli cogitare te inuitum trahi: trahitur animus & amore*. Sic accipe, quod inquit; *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*.

12. Suboritur difficultas, cur clausula apposita sit; *à diebus* videlicet *Ioannis Baptistæ*? Nunquid antiqui illi Patres ocio torpentes & desides saluabantur? Nunquid non erat, *militia vita hominis super terram*? Planè; nam Hebræor. 11. *per fidem vicerunt Regna* &c. Sic Genesis 32. in lucta illa Iacob cum Angelo, recessurum se aiebat iste; G vt in- G Genes. 32. stantia precum fortius retineretur, & quasi violentaretur. Sic 2. Paralip. 33. *Dominum obsecratus*

 est

est Manasses intentè. Sed est responsio; quia *gra-*
tia (est gratia semen gloriæ) *per Iesum Christum*
Ioann. 1. *facta est*. Ideo fortè dicitur à diebus *Ioan-*
nis, quod sonat *gratiam*: & additur *Baptistæ* (si-
gnanter certè; nam supra omittitur) à baptismo sci-
H 3. p. licet eius, quo præparabat H homines ad Christi
38. a. 1. 3. baptismum. Cœpit ergo, aio ego, inde *Regnum*
& 5. *Cœlorum vim pati*. Cœperunt homines excitari
ad pœnitentiam, præparari ad gratiam. Hinc bellè
Hieronymus art. 3. præfato ad 2. *quod consumma-*
tur per sponsum, initiatur per paranymphum. Fa-
cta sunt ergo *à diebus Ioannis Baptistæ*, veluti pro-
uisio armorum, congregatio diuitiarum, & agmi-
na militum. Cùm enim per gratiam baptismalem
tollatur præcipuum obtinendi Regnum Cœlorum
I 3. p. obstaculum; nam effectus baptismi in hoc sensu I
69. 7. est apertio ianuæ Regni Cœlestis: sicuti propterea
L 3. p. L baptizato Christo *aperti sunt Cœli*: cum à diebus
39. 5. Ioannis Baptistæ, cœperint homines sic ad gratiam
præparari; cœpit *& Regnum Cœlorum vim pati*;
& iam *violenti*, gratiæ commendatione *rapiunt il-*
lud. Addit autem Dominus, *vsque nunc*, notans
in ly *nunc* terminum baptismi præparatorij Ioannis;
M 3. p. qui cessauit M eo incarcerato. *Cùm audisset*, (id-
38. 5. 2. circo crediderim referri) *Ioannes in vinculis*: à quo
abstinet Lucas cap. 7. quamuis de missis Ioannis di-
scipulis enarret.

VERS. XIII. *Omnes enim Prophetæ & lex v-*
que ad Ioannem.

13. Post Prophetas, & legem, Regnum Cœlorum
N 3. p. vim passum est. Ioannes N fuit terminus legis, &
38. a. 1. 2. initium Euangelij. Et absolutè O pertinet ad no-
O 2. 2. uum Testamentum: in eoque quodammodo incepit
174. 4. 3. P tempus gratiæ. Lex ergo vsque ad Ioannem. Sic
P 4. sent. & Prophetæ: quod intelligatur de Prophetis, Q qui
2. 2. 2. futurum Christi aduentum prænunciauerunt. Nam
Q 1. Cor. aliàs *erant* Act. 13. *in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ,*
12. l. 3. *Prophetæ & Doctores*. Et 1. Corinth. 12. *alij ope-*
ratio virtutum, alij prophetia. Legis & Propheta-
rum tempore vim non patiebatur Regnum Cœlo-
R 2. 2. rum: quandoquidem, vt recolit Angelicus, R ve-
140. 1. 1. tus Testamentum habebat temporalia promissa,
nouum autem spiritualia & æterna, vt Augustinus
dicit contra Faustum. Et ideo necessarium fuit, vt
in veteri lege Populus instrueretur, vt patet Deu-
teronomij 20. qualiter pugnare deberet etiam cor-
poraliter, pro terrena possessione acquirenda.
S 3. sent. Æterna bona non promittebantur in veteri lege S
40. 1. 1. nisi sub quibusdam figuris. De quo Exodi 19. nu-
mer. 4. & alibi dictum est. Lex ergo vim non fa-
ciebat Regno Cœlorum, nisi quis astruat vim fieri
ab vmbra; Hebræor. 10. *vmbram habens lex futu-*
rorum bonorum. Similiter nec Prophetæ procul fan-
do: de quibus dici potest, quod habet Apostolus ad
Hebræos 11. *iuxta fidem defuncti sunt omnes isti,*
non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspi-
cientes, & salutantes, & confitentes, quia peregri-
ni & hospites sunt super terram. Nec peregrini nec
hospites, quà tales, vim facere poterant Regno Cœ-
lorum, violenterue rapere illud. Dicamus ergo,
à diebus Ioannis Baptistæ cœpisse vim pati Cœ-
lum, quod apertum est; quasi manifestata via,
T 3. p. vt ait Chrysostomus, T per quam homines erant
29. 5. ad 3. in Cœlum intraturi. Postquam verò Tyrannum
vicit per Crucem, quia non erant necessariæ Por-
tæ Cœlo, nunquam claudendo, dicunt Angeli
tollite portas psalmus 23. *Principes vestras; &*
introibit Rex gloriæ: quocum, dic tu, vi gra-
tiæ tracti, quasi violenti rapimus Regnum Cœ-
lorum.

VERS. XIV. *Et si vultis recipere, ipse est Elias,*
qui venturus est.

Quoniam præmissæ Ioannis laudes, Cœlum vim 14.
pati, cessasse legem atque Prophetas, ab hoc vno
pendent, quòd venerit Christus *non legem soluere*
sed adimplere; cuius præco Ioannes ac testis *mis-*
sus est à Deo; ne corruant omnia, neue ipsi pe-
reant, monito veluti claudit peremptorio; *si vultis*
recipere; ipse est Elias. Ac si dicat; si fidem ad-
uentus mei vultis *recipere*, (nemo credit, nisi vo-
lens; aiebat Augustinus) vel etiam si Prophetas
recipitis, ipse est Elias; de quo scilicet in figura
Thesbitis, dictum est Malachiæ 4. *ecce ego mittam*
vobis Eliam Prophetam. Sanè non de ipsius Ioan-
nis receptione loquitur; neque enim personaliter
recipi poterat, aut indigebat deserti incola, & car-
cere clausus. Nonnisi ergo attento officij sui mu-
nere; præcursoris videlicet, recipiendum monet.
Recepto autem Ioannis testimonio, haud dubiè
Christus erat ab eis recipiendus; iuxta illud Euan-
gelistæ; *quotquot autem receperunt eum, dedit eis*
potestatem filios Dei fieri: proinde vnà cum Chri-
sto fides Regnique Cœlorum hæreditas, quia *si*
filij & hæredes, manebant recipienda. De Elia in-
quit Angelicus, fuisse maximum Prophetam V V Genes. 5. sub finem.
post legem, maximumque iustitiæ zelatorem. Qua-
re innuitur, vt sicut Elias in fine veniet ad testifi-
candum X nomen Christi, & fidei Catholicæ ve- X Apoc. 11.
ritatem, vt ibi habet cum communi Patrum San-
ctus Doctor: sic perhibetur Elias esse Ioannes; qui
verbo & exemplo, (sicut faciet in nouissimo Elias)
prædicauit, & fidem Saluatoris testatus est. Actor.
19. ex ore Pauli, *Ioannes baptizauit &c. dicens in*
eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent;
hoc est in Iesum. Iam Gabriel Lucæ 1. id asse-
uerauerat dicens; *& ipse præcedet ante illum, in*
spiritu & virtute Eliæ. Benè autem ait Dominus;
si vultis recipere, memor, quoniam Prouerb. 18.
non recipit stultus verba prudentiæ; & Ecclesiast. 22.
cum dormiente loquitur, qui narrat sapientiam stul-
to. Nam 1. Corinth. 2. *animalis homo non perci-*
pit ea, quæ sunt spiritus Dei. Reor igitur vt sibi
consulant prudenterque auscultent, esse verba Do-
mini, *qui habet aures audiendi audiat*: quando-
quidem ibidem Lucæ 1. venit Ioannes, *vt conuer-*
tat incredulos ad prudentiam iustorum. Et vt me-
morato Elia, recolant instetisse, vt meminit Ange-
licus, A decem Tribuum captiuitatem. Sic ergo, A Genes. 5.
aio ipse, vt sibi timeant, si veritatis nuncium respue-
rint. Item paueant si obstinatiores fuerint, iudi-
cij diem, *magnum*, vt idem ait Malachias, *&*
terribilem. Benè aiebat Leo Papa Sermon. de Na-
tiuitate, vnicuique incredulorum aptandum;
reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum,
translatus es in Dei lumen & Regnum. Noli te
Diaboli iterum seruituti subijcere, quia pretium
tuum, sanguis Christi est, qui veritate te iudica-
bit, qui misericordia te redemit. Priùs de Regno
Cœlorum præmisit. Mox de iudicio minatur. Vt
ergo iudicij pauorem ex Scripturæ auctoritate eis
incutiat, æquiparatum crediderim Ioannem Eliæ
de quo ante secundum Christi aduentum venturo;
loquitur Malachias, *antequam veniat dies Domini*
magnus & horribilis; hoc est, iudicij. Nam, vt dici-
tur Isaiæ 11. post prædictum primum clementiæ ad-
uentum; *adijcet Dominus secundò manum suam*. Et
Ioa. 3. *qui non credit, iam iudicatus est*. Ad hæc ait;
qui venturus est. Cum tamen de Ioanne infra
cap. 17. dicat, *Elias iam venit; & non cognoue-*
runt eum; De Elia verò in persona; *Elias qui-*
dem venturus est. Et hoc, quia vt tactum est, di-
citque Chrysostomus homil. 27. in Ioann. *duo sunt*
Christi aduentus: primus quidem vt remittat pec-
cata; secundus vt iudicet Mundum.

VERS.

VERS. XVI. *Cui autem similem æstimabo generationem istam?*

15. Duæ in Scriptura tanguntur generationes. In psalm. 101. *scribantur hæc in generatione altera; & populus qui creabitur, laudabit Dominum*. Præmissum quippe fuerat; *& memoriale tuum in generationem & generationem*. Agnoscit inde ibi Augustinus generationem pertinentium ad vetus, & aliam ad nouum testamentum. Distinguit etiam generationem iniquorum & iustorum. Sic & in psal. 21. *annunciabitur Domino generatio ventura*. Dequa Lucæ 24. *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*: quod exponit Chrysostomus homil. 78. in Matthæum, de generatione fidelium Christi. Quoniam igitur prælibatum fuerat, quomodo Regnum Cœlorum vim pati cœperat; id quod praxi habetur in psal. 23. *tollite portas Principes vestras*: vbi præmissum fuit *hæc est generatio quærentium Dominum*: ideo vt hæc bonorum, qui Regnum Cœlorum impetunt, per locum à contrario intelligatur, de mala generatione adiecit; *cui similem æstimabo generationem istam?* Act. 2. Petrus; *saluamini à generatione ista praua*. Ex quo, summa audiendum esse quod sequitur innuit attentione: quandoquidem non perfunctoriè, sed studiosè admodum (hoc indicat interrogatio & subiectio) subiecta est similitudo. Ista generatione genitos, de quibus Ioann. 8. *vos ex Patre Diabolo estis*, secerni intellige ab ea Christi membrorum, de qua tanquam de principe scopo suum instituit describere Matthæus Euangelium dicens; *Liber generationis Iesu Christi filij Abraham*, &c. Ioannis ibidem 8. *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Roman. 9. *non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij promissionis æstimantur in semine*. Quàm mirè & hic Dominus hoc vtitur verbo *æstimationis*! *cui*, inquit, *similem æstimabo generationem istam?*

Sequitur; *similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: cecinimus vobis*, &c.

16. Non defuisse, qui generationem istam de incarnationis mysterio instruerent, arcano eloquio demonstrat, doctrinam de incarnationis diuinæ necessitate subtiliter innuens. Pro rei huius intelligentia, stet quod in Capitis expositione dictum est, in pueris capi Prophetas; & quidem *clamantes*; iuxta quod ait glossa Augustini Tract. 31. in Ioannem super illud ad Galat. 4. *vbi venit plenitudo temporis*, nimirum; *quanto maior Iudex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat*. Pueri isti, *Prophetæ*, aiebat idem Augustinus Serm. 13. de Tempore, *cecinerunt, Conditorem Cœli & Terræ, cum hominibus in Terra futurum. Cantabat Simeon cum Propheta dicens; ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis: & vt noueritis ita esse istius lætitiam, conclusit dicens; nunc dimittis Domine seruum tuum in pace*. Dauid etiam in psalm. 50. *redde mihi lætitiam salutaris tui*. Sic Angelus ad Pastores; *euangelizo vobis gaudium magnum; quia natus est vobis hodie Saluator Mundi*. Augustinus libr. 1. retractationum cap. 26. tempus incarnationis astruit posse comparari iuuentuti humani generis, etiam propter *alacritatem*; & Chrysostomus habet; *vide ab initio, quàm læta sint hæc nuncia*. Læta quippe sunt nuncia, infirmo adfuturum medicum; miserum subleuatum iri à miseria; pro debito satisfaciendum ab alio; ac expectari remedium peccati. Læta quippe sunt nuncia: morituram mortem; deprædandum Infernum; Cœlum aperiendum. Huiusmodi passim reboant oracula Prophetarum. Huc facit quod ait Diuus Petrus in sua 1. cap. 1. *credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum. De qua salute scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt*. Et paulo post; *vobis autem ministrabant ea*, (dictum est in Expositione capitis Ministros pueros vocari) *quæ nunc nunciata sunt vobis*; &c. Ecce quomodo *clamantes* dixerunt *cecinimus vobis*. Ait autem *coæqualibus*; quia vt dicitur Sapient. 6. *æqualiter est illi cura de omnibus: non enim subtrahet personam cuiusquam Deus*. Id quod & Petrus adnectit subdens; *sine personarum acceptione iudicat, secundùm vniuscuiusque opus*.

Rogabis, cur *sedere* dicantur *in foro*?

Respondeo, sessione præcedentes indicari labo- 17.
res. Bernardus Diaboli dicenti, *sedebo in Monte Testamenti* ait; *stulte quid laborasti, vt sedere velis?* Prophetæ laborauerunt indubie: vtpote de quibus dixit discipulis Dominus; *alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*: laborarunt enim Prophetæ B vt adducerent homines ad Christum. Et fortè addit de sessione, subinde etiam de eorum labore, vt ad alias transferat fidelem metaphoras, quæ quantum insudarint Prophetæ magis ostendunt. Cuiusmodi labor est fodi cisternas; vineas & oliueta plantari: de quo Deuteronomij 6. *Dominus dedit eis cisternas, quas non foderunt; vineam & oliueta, quæ non plantauerunt*. Quam sententiam adnectit C Angelicus præfatæ Domini; *alij laborauerunt*: qui ibidem non absimiliter loquitur, præmittens; *alius est qui seminat, & alius qui metit*. Galat. 4. *ne fortè sine causa laborauerim in vobis*. Sic vbi in psalm. 101. legimus; *quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius*; scilicet Sion, glossat Augustinus in lapidibus Prophetas præuios in Ecclesiæ ædificio: *intelligo*, inquit, *lapides Sion omnes Prophetas: ibi præmissa est vox prædicationis; indè assumptum est Euangelicum officium; per illud præconium cognitus est Christus*. Dic ergo tu *sedere* post tot labores; vel quia vt dictum est, *Prophetæ omnes & lex vsque ad Ioannem*. Item, quasi ad signandum otiari dolenter, minimè reportato fructu Prophetas. Matthæi 20. *vidit alios stantes in foro otiosos*. Isaiæ 49. *& ego dixi; in vacuum laboraui*; & Ieremiæ 6. *frustra conflauit conflator*. *In foro* autem crediderim, ad significandum, qualiter vnicuique liberum erat sacras adire Scripturas, & Prophetarum exquirere intelligentiam. De quibus Petrus Actor. 13. *ignorantes voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur*. Ioann. 3. *scrutamini Scripturas; quoniam illæ loquuntur de me*. Et Lucæ 16. *Moysen habent & Prophetas habent*. In foro ergo cecinerunt; quia ad Synagogam & Templum, vt dicitur Ioann. 18. *omnes Iudæi conueniunt*.

B Ioan. 4. 1. 4.

B Apoc. 21. Compti. no ibi *duodecim tribuum*.

Rogabis iterum, cur hæc canendi sit prælecta similitudo, cum laboriosior alia videatur, fessis sedentibusque magis quadrasse?

Respondeo, sublimi certè de causa; quia tota 18.
diuinæ Scripturæ materia, quæ de Christo vbique loquitur, ad cantum quendam contracta est. Pro cuius intelligentia sciendum, ex Diuo Dionysio lib. de diuinis nominibus part. 3. capit. 3. in psalmis totam fere sacram Scripturam, breuiter & cum magna suauitate expositam contineri. Psalmi autem Dauidici, cantus quidam sunt. Sunt quippe, vt ait Euthymius in ipsorum Præfat. verè Poema & carmen, quod de Deo canitur. Poemata omnia cantui quàm maximè accommodata sunt. Sic in

eisdem legimus; *cantate Domino canticum nouum*; quia more aliorum Poematum cantari debebant. Nihil soluta oratione seu prosa scripsisse reperies Dauid. Hinc in Hymno Theodulphus; *Impleta sunt quæ concinit Dauid fideli carmine, dicens in nationibus regnauit à ligno Deus*. Rationem autem si audias, præter alias occurrit ista, quia voluit Dauid Dei laudes prædicare genere quodam dicendi, quod est cæteris grandius, illustrius, & ad afficiendos animos hominum efficacius. Hac ex radice Prophetæ etiam dicuntur cecinisse. Sic Augustinus Sermone 13. de Tempore; *Prophetæ cecinerunt Conditorem Cœli & terræ cum hominibus in terra futurum*. Et Ecclesia in Sequentia; *Isaias cecinit*. Et in Secreta Sancti Ioannis Baptistæ: *qui Saluatorem Mundi & cecinit adfuturum, & adesse monstrauit*. Hinc Chrysostomus Homil. in psal. 41. *nihil animam æquè erigit, & elatam quodammodo afficit, & à terra liberat, & exoluit à vinculis corporis, & amore Sapientiæ afficit, & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, proficit; vt versus modulatus, diuinum Canticum, numero compositum*. Itaque cum Sacra Scriptura vtilis sit ad docendum ad arguendum ad corripiendum, & ad erudiendum 2. ad Timoth. 3. maximè decens fuit, vt hac via vteretur. Nulla enim maior vis & energia dicendi reperitur quàm in carminibus, quæ actus nostros, atque animos intrinsecè demulcendo mouent excitant, ac iucundè intentos faciunt, immò planè dociles, atque citissimè flexibiles reddunt. Diuus Basilius Prologo suo in Psalmos, astruit, inuentum fuisse Spiritus-Sancti, vt rerum sacrarum tractationi adiungeretur poetica & musicæ suauitas. Nouerat enim Deus, homines ferè animum non donare, nisi ad ea, quæ iucunda sunt; & quæ sensus mulcent aliqua voluptate. Omnis quippe alleuiatur animus in cantu; id quod pergit Chrysostomus, in nutricibus, in viatoribus, in agricolis, in nautis describere. Quocirca Hieronymus ad Marcellam Epistol. 17. *In Christi villula, tota rusticitas; & extra psalmos silentium est. Quocumque te verteris; Arator stiuam tenens, Alleluia decantat: sudans messor, psalmis se auocat: & curua attondens vitem falce Vinitor aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in Prouincia carmina*. Lege Rutilium Benzonum eruditissimum verè *in Magnificat*; lib. 1. cap. 2. & 6. Et inde comprehendes, quantum insit momenti in hac Domini similitudine; *cecinimus vobis*. Subest autem vlterius adhuc profundior causa cur sic de cantu, proinde de psalmis Dauidicis inducatur; quia vt docet Angelicus, D Dauid plenius cognouit & expressit mysteria incarnationis Christi. Recole illud Lucæ 24. *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*.

D 2. 2. 174.4. ad 1.

19. Rogabis adhuc, quidnam sit, quod debuisse saltare moneantur; seu potius quòd non saltauerint increpentur? Respondeo, si nudæ staretur literæ, dissonum fore. Dicebat Seneca; *si continens es, & animi tui & corporis motus obserua, ne indecori fiant*. Hugo de S. Vict. *vnumquodque membrum opus suum tam decenter ac modestè impleat, vt per indisciplinam oculos sapientium non offendat*. Idem; *discretio actionum in membris conseruanda est; vt scilicet id agat vnumquodque ad quod factum est; vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officium assumat. Sunt enim qui nesciunt auscultare, nisi buccis patentibus; alij loquentes digitum ostendunt, supercilia erigunt*. Aiebat Ambrosius de Virgine; *non gestus fractior, non incessus solutior*. Hæc E in Opusc. Et ex instituto alibi quærit; *vtrum in exterioribus motibus sit aliqua virtus*. F Affirmat autem: pluribus munit doctrinam sententijs, præcipuè Ambrosij, qui lib. 1. de officijs: *habitus mentis in corporis statu cernitur; & vox quædam animi est corporis motus. Ex motibus exterioribus homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior; aut contra grauior & constantior, & purior, & maturior æstimatur*. Igitur dum ait, *non saltastis*, latet medulla in cortice. Ad eum sensum, quo Ecclesiastes 3. dicitur; *tempus plangendi, & tempus saltandi*: quo Dauid 2. Regum 6. *saltabat totis viribus ante Dominum*: quo de Baptista Chrysostomus *studuit voce prædicare, quem significauit pedibus*: & in illius Persona; *propterea ego in matrice exilij in exultatione, vt non amplius saltet in Mundo Diabolus*. Quare sicuti de ipso sic exiliente dixit Mater Elisabeth, *exultauit infans in gaudio in vtero meo*: sic in præsenti saltatio in exultationem exponitur: ac si dicatur; *cecinimus vobis, & non exultastis*. Planè gaudium ab exultatione discernitur: iuxta quod Angelus distinxit Zachariæ, Lucæ 1. *& erit gaudium tibi & exultatio*. Gerson in fine tract. 1. super Magnificat ait, *exultationem esse quasi extra-saltationem*. Quod etiam notat Bercorius in suo Dictionario: & *exultare*, idem esse, quod *extra*, siue *exterius saltare*. Beatus Albertus: *exultatio est quædam exaltatio in iubilo, cum cordis gaudium saltat in corporis iucunditatem; etiam tripudio corporis secuto*. Vtque explicant, lætitia est, quæ eatenus abundat interius, vt per certa signa appareat exterius. Exundans est lætitia, velut in gesticulatione, sed grauiter ac modestè expressa. Dum itaque inquit *& non saltastis*, increpat de non attenta, de non recepta causa exultationis; hoc est non communis gaudij, sed magni ac insueti, de quo Angelus ad Pastores Lucæ 2. *euangelizo vobis gaudium magnum*: Vnde & Sancti Magi, videntes stellam Matthæi 2. *gauisi sunt gaudio magno valdè*. Sic Zachariæ 9. *exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Ad hæc Basilius in psalm. 34. ibi; 21 *anima autem mea exultabit in Domino &c. ego verò Domine & animi delectationem & lætitiam in bonis tuis lucrifaciam; & omnibus membris meis te solum esse Deum vociferabor*. Et in psal. 69. *exultent & lætentur*; &c. *omni*, inquit, *lætitia eos reple, qui te diligunt, vt beneficia tua celebrantes tripudient*. Et in psalm. 97. ibi, *Montes exultabunt*, ait, *Montes eos appellauit, qui animo sunt sublimi; hos dicit exultaturos, cognito Seruatoris nostri aduentu*. Quòd ergo causam futuri aduentus Domini non attigerint, causamque subinde spiritalis lætitiæ & exultationis non agnouerint; in eo quod non saltauerunt redarguit. Cupidus ingentis huiusmodi lætitiæ ac exultationis orabat Dauid ps. 50. *auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Redde mihi lætitiam salutaris tui*; *timens* secundùm Gregorium, *ne propter peccatum suum, promissio sibi facta de Christo impediretur*. Ad beatam Virginem in litanijs; *causa nostræ lætitiæ*.

E opusc. 41. 5. 16.

F 2. 2. 168. 4.

Sequitur; *lamentauimus, & non planxistis*.

Quoniam non integrè capitur aduentus Domini ratio in gaudio & exultatione, nisi præcedens intelligatur tristitia; quandoquidem Tobiæ 3. *post lacrymationem & fletum, exultationem infundit*: Et quia Theologis communius, G nisi Adam peccasset, Verbum non incarnatum fuisset: Ideo subditur ad eiusdem mysterij impertiendam intelligentiam de miserrimo lamentabili lapsi hominis statu: *lamentauimus & non planxistis*. Ac si dicat; & hæc 20.

G 3. p. 1. 1.

causa

causa futuri Mediatoris eos fugit; communis omnium miseria, quam dolebamus. An non lamentabile erat, quòd Roman. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrasset, & per peccatum mors? Et ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Sic in lamentationem aperuit os suum Iob dicens cap. 3. *pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est; conceptus est*
H 2. 2. 76. 2. *homo.* Maledixit enim illi H propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates: & enunciando I malitiam
I Rom. 12. 1. 3. præsentis vitæ. Sic & Dauid psal. 50. lamentabatur; *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Vbi loquitur de peccato L
L p. 2. 81. 1. originali. Quod licèt vnum in ipso esset, pluraliter deploratur; quia in peccato originali, virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio. Vnde est multiplex virtute. Reprehendit ergo istorum generationem, quòd se ipsis neglectis atque despectis, dum Scripturæ, huiusmodi scatent lamentationibus, quæ lamentantibus etiam erant communes, (ideo puto, non dicit *vobis*; sicut dixerat *cecinimus vobis*: quo pacto & Petrus in 1. capit. 1. *vobis autem ministrabant*, &c.) non complanxerint; sed, quod legitur Ieremiæ 5. *indurauerint facies suas super petram.* Increpantur ergo quòd non planxerint suam miseriam; ex quo *eum non receperunt*: cum tamen eo tenderet Incar-
M 3. p. 1. 5. nationis dilatio, M vt homo liberandus humiliatus recognosceret se liberatore indigere, & cognita infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium. Facit huc vno verbo illud psalm. 29. *ad vesperum*, idest ad peccatum primi parentis, *demorabitur fletus: & ad matutinum* idest in Christo *lætitia*: vt ibi Angelicus; qui ait, *demorabitur*, ob reliquias peccati.

VERS. XVIII. *Venit enim Ioannes non manducans neque bibens*, &c.

VERS. XIX. *Venit filius hominis manducans & bibens.*

20. Duo sunt, inter alia, vitia fidei opposita: quæ
N 2. 2. q. 10. & q. 14. pertractat Angelicus; N infidelitas scilicet & blasphemia. Ad innuendum, sermonem fieri de fide, atque de principali fidei mysterio; nempe de incarnatione, ait *filius hominis*. Poterat enim Pronomine *ego* vti, dicens *ego veni*, &c. Sed signanter dicit *Filius hominis*; quod, vt ait Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum, *se ipse sæpissimè appellat, commendans nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis.* Et ecce mox de blasphemia, quam in Ioannem atque in Dominum euomere ausi sunt. Ad cuius intelligentiam mirè facit quod do-
O 2. 2. q. 14. 2. 1. cemur altero ex locis O nuper allegatis: nimirum distingui blasphemiam in Spiritum-Sanctum, contra blasphemiam in filium hominis. Christus enim operabatur quædam humanitus, comedendo bibendo, & alia huiusmodi faciendo; & Iudæi quidem primò dixerunt blasphemiam in filium hominis, cum dicebant eum, voracem potatorem vini, & Publicanorum amatorem: quædam autem operabatur diuinitus, scilicet dæmones eijciendo, mortuos suscitando, & alia huiusmodi; & sic postmodum blasphemauerunt in Spiritum-Sanctum. De hoc dicetur ad Caput sequens 12. Interim ergo iam patet, quomodo verset sacer textus, quæ fidei aduersantia consequuntur. Notantur autem de interpretatiua blasphemia etiam in Christi Diuinitatem, dum in Ioannem ipsius Diuinitatis testem blasphemant; aliasque *Deus & homo*, vt cum Athanasio profitetur in Symbolo Ecclesia, *vnus est Christus.* Connectitur autem quod inductum est de Ioanne & de filio hominis præmissis miro studio: quasi humanæ condescendendo imbecillitati: quia enim, vt ait Poeta, *segniùs irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus*, duo exhibet prædictorum magisteria, in quorum altero tanquam in exemplari (Ioannem loquor) videant pœnitentiæ planctum; iuxta illud, *lamentauimus, & non planxistis*; in altero verò, (filium hominis aio) agnoscant exultationis specimen; quandoquidem Ecclesiastes 9. legitur; *vade, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua*; iuxta illud, *cecinimus vobis, & non saltastis.* Præterea est alia connexio, quia toto vitæ cursu fidelium, pœnitere eos oportet, P simulque gaudere: psal. 99. *seruite Domino* P 3. p. 84. 2. 8. & 9.
in lætitia; introite in conspectu eius in exultatione. Vnde Augustinus; *semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.* Poeta; *est quædam flere voluptas.* Pro doloris planctu Ioannes, pro saltus exultatione, *filius hominis manducans, & bibens.* Iungit etiam hæc duo Apostolus Petrus in sua prima; postquam præmisit de fide; *in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus*: vbi glossa; *nonnisi per tristitiam, potest ad gaudia perueniri.* Denique, quia & in Christo vtrumque compertum est; siquidem tristitiam passus est; *tristis est anima mea vsque ad mortem*: planxit etiam; Hebr. 5. *cum clamore valido & lacrymis*: sed eum gaudia & gloriæ manebant: *quæ in Christo sunt passiones*, ait Petrus in sua 1. cap. 1. *& posteriores glorias.* Vbi cum Prophetas commemoret, videtur hoc quod hic dicitur tangere, *cecinimus vobis, & non saltastis; lamentauimus, & non planxistis*: increduli enim neutrum receperunt de Christo. *Paris quippe periculi malum est*, (Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate Domini) *si illi aut naturæ nostræ veritas, aut Paternæ gloriæ negetur æqualitas.* Et in Serm. 1. *nisi esset verus Deus, non afferret remedium; nisi verus esset homo, non præberet exemplum. Nostris remedijs congruebat, vt mori ex vno, & resurgere posset ex altero.* Dum ergo legis; *cecinimus vobis, & non saltastis*: accipe pro gaudio resurrectionis: dum subditur *lamentauimus, & non planxistis*, accipe pro mœstitia mortis & passionis. Iterum in psalm. 29. *ad vesperum demorabitur fletus*
Q quia ad vesperum Dominicæ sepulturæ fuit tristitia; eoquòd, adhuc fideles flebant mortem Christi; Q Pf. 29.
& ad matutinum lætitia, propter nuncium resurrectionis. Hinc legimus Lucæ 23. *sequebatur autem eum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.* Quæ tamen, vt inquit Matthæus cap. vltimo, *exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis.* Sic quod sequitur; *conuertisti planctum meum in gaudium mihi*, exponit R nedum R ibid.
de ipso Christo Domino, sed & de suis, qui Ioa. 20. *gauisi sunt viso Domino.* Cant. 1. *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*: in quo S passio Christi & S Cant. 1.
sepulchrum designatur: *botrus Cypri*, quando me gaudio suæ resurrectionis lætificauit. *Hoc* (Leo Papa Serm. 4. de Epiphania) *est quod iustificat impios; hoc est quod ex peccatoribus facit Sanctos, si in vno eodemque Domino nostro Iesu Christo, & vera Deitas, & vera credatur humanitas.*

Sequitur; *Et iustificata est sapientia à filijs suis.*

O bone Deus! Quorsum interiecta est hæc sententia? Quænam est illa sapientia, quæ iustificari indiguerit? Quinam sunt filij sapientiæ, quibus tanta sit data facultas, tantus delatus honor, vt iustificetur ab ipsis? Cur non potius à sapientibus? cur non à domesticis suis, qui secretorum sapientiæ conscij sint? Et quibus exposita fuit sapientia accusationibus aut calumnijs, vt iustificari debuerit à filijs suis? Nonne ex affectus capite, suspecta erit filiorum iustificatio? Pro quorum profunda solutione, diluci- 21.

dandum in primis occurrit, pro quo supponat ly
T 1.Cor. 1.l.3. *Sapientia*. Filius quippe Dei Sapientia est; T per
quandam appropriationem; in quantum ipsum Ver-
bum quod est Filius, nihil est aliud, quàm Sapien-
tia genita vel concepta; Ecclesiastici 24. *ego ex ore*
Altissimi prodij, primogenita ante omnem creatu-
ram: ibi ad Corinthios, *Christum Dei virtutem &*
Dei sapientiam. Habet enim Sapientia similitudi-
V p. p. 39.8. nem V cum Filio cœlesti, in quantum est Verbum:
quod nihil aliud est, quàm conceptus Sapientiæ.
X ibi a.7. ad 2.& 1. Cor. 1. l. 3. Itaque Filius dicitur Sapientia X Patris, quia est Sa-
pientia de Patre Sapientia; non quasi solus filius sit
Sapientia. Vterque enim per se est Sapientia, & si-
mul ambo vna Sapientia. Vnde Pater non est sapiens
Sapientia, quam genuit, sed Sapientia, quæ est sua
Essentia. Aliàs sequeretur, quod Pater haberet esse
à Filio; quia hoc est Deo esse, quod sapientem esse.
Doctrina Augustini 6. *de Trinit.* Ex his trahi po-
test, sumi vtroque modo Sapientiam; vt stet pro to-
tius Sanctissimæ Trinitatis attributo: quatenus per
visibilia monstrantur Rom. 1. inuisibilia Dei: & per
A 3.p.q. 1. a. 1. incarnationis mysterium, A sicut dicit Damasce-
nus in principio tertij libri, monstratur inter alia
Dei attributa *Sapientia: quoniam inuenit difficilli-*
mi pretij decentissimam solutionem. Item vt stet pro
Filio Sapientia genita; qui Lucæ 15. parabola signi-
ficatur. *Hæc est mulier*, inquit Magister Sentent. in
3. dist. 1. *euangelica, quæ accendit lucernam, &*
drachmam decimam, quæ perdita fuerat, reperit.
Diuina quippe Sapientia, mulier dicitur, non pro-
B 3.sent. d. 1. ex-posit. t. pter fragilitatem B sed propter fœcunditatem; Ec-
clesiastici 24. *à generationibus meis implemini*. Sa-
pientia diuina, quam Ecclesiast. 1. *effudit super om-*
nia opera sua, non potuit non iustificari. Quando-
C 2.cont. Gent.c.1. quidem ex factorum meditatione C diuinam Sa-
pientiam vtcumque possumus & considerare & ad-
mirari: ea enim quæ arte fiunt, ipsius artis sunt re-
præsentatiua, vtpote ad similitudinem artis facta:
Deus autem sua Sapientia res in esse produxit; psal.
omnia in Sapientia fecisti. Vnde ex factorum con-
sideratione diuinam Sapientiam colligere possumus,
sicut in rebus factis, per quandam communicatio-
nem suæ similitudinis sparsam. Sicut voces ab ho-
D 3. p. 12.3.6. mine formatæ D sunt signa intellectualis scientiæ
ipsius: ita Creaturæ à Deo conditæ sunt signa Sa-
pientiæ eius. Per sensibiles enim Creaturas, tan-
E Rom. 1.l.6. quam E in quodam libro cognitio Dei legitur.
Quod notum est Dei, ait Apostolus, *manifestum est*
illis. Et psal. *mirabilia opera tua, & anima mea*
cognoscet nimis. Sed sicut contra quosdam Sapien-
tiæ 13. dicitur; *ex his quæ videntur bona*, scilicet
F 2.cont. Gent.c.1. Creaturis, F *non potuerunt intelligere eum qui est*;
scilicet verè bonus; immò ipsa bonitas: Ita, si reco-
las Apostolum, obtenebrati, quandoquidem *excæ-*
cauit eos malitia eorum, inenarrabile pietatis opus,
G 3.p. 1. a. 6. 3. sent. 1. 1. 4. 1. de quo Habacuc cap. 3. G *Domine opus tuum in me-*
dio annorum notum facies, non cognouerunt. Sic
insensis diuinæ Sapientiæ, *Verbum Crucis*, 1. Cor. 1.
pereuntibus, stultitia est: Christusque crucifixus Iu-
dæis quidem scandalum; Gentibus autem stulti-
tia. Postquam autem aduersus Iudæos præmisit
Dominus supra; *& beatus qui non fuerit scandali-*
zatus in me; subiecit futura prospiciens de Gen-
tium calumnia. *Stultum* quippe *hominibus*, ait
Gregorius, *visum est, vt pro hominibus Auctor vi-*
tæ moreretur. Prædicatio Crucis Christi aliquid
H 1.Cor. 1.l.3. continet, H quod secundùm humanam sapientiam
impossibile videtur; puta quòd Deus moriatur; quòd
Omnipotens violentorum manibus subijciatur: con-
tinet etiam quædam, quæ prudentiæ huius Mundi
contraria videntur; puta quòd aliquis non refugiat
confusiones, cum possit, & alia huiusmodi. Ita-
que propter defectum sapientiæ reputant impossibile
Deum hominem fieri, mortem pati secundùm hu-
manam naturam: propter defectum autem pruden-
tiæ, reputant inconueniens fuisse, quòd homo su-
stineret Crucem, *confusione contempta*, vt dicitur
Hebræor. 12. Sed ecce, aio ego, ab omnibus vindi-
cari calumnijs Sapientiam, quæ etsi non ab impijs
queat, *iustificata est à filijs suis*. Quocirca primò
fas sit dicere, poni præteritum pro futuro, ob certi-
tudinem futuri; vel quia, quod in quibusdam erat
futurum, in alijs fuerat impletum: id quod docet
pluries Angelicus, vt super illud I *quos autem iusti-* I Rom. 8. l. 6.
ficauit, illos & magnificauit. Deinde cum dicit *à*
filijs suis, exponi potest propter conformitatem ad
ipsam Sapientiam, secundùm cuius participationem
splendoris, filij merentur dici: si eiusdem Sancti Do-
ctoris L attendas aliàs expositionem. Ephes. 5. *vt* L Rom. 8. l. 6.
filij lucis ambulate. Qui sint etiam hi filij, haberi
potest ex ijs, quæ subdit Paulus 1. Corinth. 1. *ipsis*
autem vocatis Iudæis atque Græcis, ex aduerso ad
eos qui Christum crucifixum stultitiam reputant,
Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: *Quos*
autem vocauit Roman. 8. *præsciuit & prædestinauit*
conformes fieri imaginis filij sui. Prætetea filij Sa-
pientiæ dicuntur, quia ex lumine diuinæ reuelatio-
nis, M fit in homine quædam diuinæ sapientiæ si- M 2.cont. Gent.c.1.
militudo; secundùm illud 2. Corinth. 3. *nos verò*
omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes,
in eandem imaginem transformamur. Cùm enim
omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis
ad cognitum, oportet, quòd qui vident, N aliquo N 2.Cor. 3.l.3.
modo transformentur in Deum. Præterea cum,
(quod canit Ecclesia, *non intres in iudicium cum*
seruo tuo Domine, quoniam nullus apud te iustifi-
cabitur homo,) iudicio fiat, vt aliquis iustificetur,
liquet concerni exigique iudicium, dum *Sapientia*
suis in operibus debet iustificari. Innuitur ergo tunc
iustificata esse Sapientia, quando de ea rectum ferri
potest iudicium. Lege Sanctum Doctorem, O & O 2. 2. 45. 4.
reperies qualiter sapientia, quæ est donum Spiritus-
Sancti, facit rectitudinem iudicij circa res diuinas.
Itaque sensus est; tam sublime opus Sapientiæ, cu-
iusmodi est Filij Dei incarnatio, per eos ab omnibus
vindicatur calumnijs, qui rectè iudicant de diuinis,
qui donum habent Spiritus-Sancti, ad hæc diuinitus
datum; nempe donum sapientiæ. Et quia ante-
quam dono sapientiæ P habeat quis iudicium re- P 2. 2. 8. 5. ad 3. a. 6. in corp. & ad 2.
ctum de diuinis per fidem propositis, vt æstimet his
esse inhærendum, & ab eorum oppositis receden-
dum, necesse est, perficiatur dono intellectus, quo
percipiantur capiantur & penetrentur: ideo etiam
donum intellectus innuitur. Dic pariter dum vsur-
patur vox ista *iustificata*, subtili nutu significari, hoc
non nisi ab iustificatis per gratiam, esse complen-
dum: nam Q sapientiæ illustrationem præcedit iu- Q 3. p. 44. 3.
stificatio: & hæc dona, intellectus & sapientia, sicu-
ti sunt R in omnibus habentibus gratiam; ita esse R 2. 2. q. 8. a. 4. & q. 45 a. 5.
non possunt in eo, qui est S sine gratia & cum pec- S q. 8. a. 5. & q. 45. a. 4.
cato mortali. Per gratiam autem quæ Theologis est
participatio diuinæ naturæ vt est in se, constat fieri
homines filios Dei. Et ecce adhuc cur dicat *à filijs*
suis? quia sapientia quæ facit rectitudinem iudicij
circa res diuinas, id præstat T ex quadam connatu-
ralitate, siue vnione ad diuina. Ergo *à filijs suis*; T 2. 2. 45. 4.
nam filius connaturalis est Matri. Roman. 8. *qui se-*
cundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt;
V quia sicut Philosophus dicit in 3. Ethic. *qualis* V Rom. 8. l. 1.
est vnusquisque, talis finis videtur ei. In omnibus
quippe, ille qui rectè se habet, rectum iudicium X X 1.Cor. 2. l. 3.
habet circa singula: ille autem, qui in se rectitudi-
nis defectum patitur, deficit etiam in iudicando: vi-
gilans enim rectè iudicat, & se vigilare, & alium
dormire; sed dormiens non habet rectum iudicium
de se, nec de vigilante: vnde non sunt res tales,
qua-

quales videntur dormienti; sed quales videntur vigilanti: & eadem est ratio de sano & infirmo circa iudicium saporum; & de debili & forti circa judicium ponderum; & de virtuoso & vitioso circa agibilia. Vnde & Philosophus dicit 10. Ethicor. quòd *virtuosus est regula & mensura actuum humanorum*. Et hic modus A judicandi pertinet ad sapientiam, quæ est donum Spiritus-Sancti; & sic dicit Dionysius, 2. cap. de *diuinis nominibus*; *Ierotheus doctus est, non solùm discens, sed & patiens diuina*.

A 1. p. q. 1. 6. 13.

22. Notandum est autem, in ly *à filijs suis* adhuc amplius significari. Pendet autem ab intelligentia similium in Scriptura dictorum; puta cum Isaiæ 5. legimus: *vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei*: est enim locutio emphatica, B ad literam ostendens locum olei abundantem: siue C quia illud quod magnam habet affinitatem ad alterum, filius eius dicatur: itaque *in cornu filio olei*, idest in monte vbi abundat oleum. Iterum alio in loco; D ad illud; *omnes enim vos, filij lucis estis, & filij diei*: filij alicuius rei in Scriptura dicuntur aliqui propter abundantiam in re illa; Isaiæ 5. *in cornu filio olei*; idest habente multum oleum: qui ergo participant multum de die & luce, dicuntur eorum filij. Tu idipsum dic in præsenti; *iustificata est sapientia à filijs suis*: idest ab altam habentibus sapientiam, vt expositum est. Denique iuxta hanc diuinæ sapientiæ abundantiam, ex qua *filij sint sapientiæ*, accipi in coronidem possunt gratiæ gratis datæ, quæ sunt ornamenta sapientum: Primæ Cor. 12. *alij quidem datur per Spiritum, sermo Sapientiæ*: vt scilicet possit E persuadere ea, quæ ad cognitionem diuinorum pertinent: est enim Sapientia *cognitio diuinarum rerum*, vt Augustinus dicit 13. de Trinitate: Lucæ 21. *ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Quidam enim altiori gradu F percipiunt sapientiæ donum; quantùm ad contemplationem diuinorum, scilicet altiora quædam mysteria cognoscentes. Item *alij sermo scientiæ secundum eundem Spiritum*; vt scilicet per Creaturas, ea quæ sunt Dei manifestare possit: huic enim scientiæ attribuitur illud, quo pia fides defenditur, & roboratur, G vt Augustinus ibidem dicit; Sap. 10. *dedit illi scientiam Sanctorum*. Sic *iustificata est Sapientia, à filio suo* prædilecto glorioso Sancto Thoma Aquinate: *cuius clypeo munita Ecclesia, hæreticorum tela feliciter eludit; cuius vi ac veritate doctrinæ, multæque deinde exortæ sunt hæreses conuictæ & confusæ dissipantur*: quandoquidem quicquid sciuit, non tam studio ac labore suo, sed diuinitus traditum accepit. Rom. 8. *Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Iustificata est etiam Sapientia ab ijs, qui Theologicam doctrinam acquisiere suo studio; quia, vt dicitur Ecclesiastici 1. *omnis sapientia à Domino Deo est*. Hinc Augustinus in 2. *de doctrina Christiana*; vt fertur ab Angelico; *si qua Philosophi* H *dixerunt fidei nostræ accommoda, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus, in vsum nostrum vendicanda*. Recole tamen ex Augustino 13. de Trinitate, non sic amplectendum quicquid curiositatis in humanis scientijs inuenitur. De quo nonnulla diximus Deuteronomij 21. num. 7. ibi *si videris in numero captiuarum mulierem pulchram*: Adde etiam Ecclesiastes 6. hisce sæculis; *verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem*.

B 3. Sent. 5. exp. textus
C 3. sent. 4. exp. textus
D 1. Thess. 5. l. 1.
E 1. Cor. 12. l. 2.
F 2. 2. 45. 5.
G 1. Cor. 12. l. 2.
H 1. Cor. 1. l. 3.

VERS. XX. *Tunc cœpit exprobrare Ciuitatibus.* &c.

23. Verborum Domini nobilis elucet connexio ex Ieremiæ 5. vbi postquam dictum est; *circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem*, subdit ipse Ieremias; *ego autem dixi; forsitan pauperes sunt, sunt & stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates*. Sic in præsenti conuertit Dominus sermonem ad Ciuitates, postquam ad turbas locutus est. Nam secundum Philosophum 9. Ethicorum, vt supra dictum est, id potissimè videtur esse vnumquodque quod est I principale in ipso: sicut quod facit Rector Ciuitatis, dicitur Ciuitas facere. Immo nedum secundum Philosophum, sed etiam secundum consuetudinem loquendi. Et sic L quia in Ciuitate principalius est Potestas & Concilium, id, quod facit Potestas & Concilium, dicitur tota Ciuitas facere. Quid ergo prohibet, aio ipse, intelligi pro Ciuitatibus, quibus Dominus exprobrat, Ciuitatum Capita? Quandoquidem legimus Ioannis 7. dixisse quosdam, *nunquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?* Et paulo post; *responderunt Pharisæi; nunquid ex Principibus aliqui crediderunt in eum?* Vnde quia *qui non credit*, Ioan. 3. *iam iudicatus est*, non mirum, si finalem exprobrationem tunc cœperit detonare. Et sic ly *tunc* non tam temporis aduerbium, quàm exigentiæ atque consecutionis nota est. Quare cum huiusmodi consecutionem non verset Lucas c. 10. exprobrationem vtique refert, sed absque ly *tunc*, & absque ly *cœpit*: esto historiæ ordinem teneat Lucas, ad mysterium assumit Matthæus hanc exprobrationem. Transit autem ad exprobrationem ob plurimas virtutes factas in eis: quia M signum diuinæ missionis est operatio miraculi. Pro cuius rei firmitate, animaduertendum vera miracula N illa dici, quæ sunt supra ordinem naturæ; vt est restitutio visus, & resurrectio mortuorum: & hæc nulla creatura, quæcumque sit, sua virtute potest facere; cum etiam ipsa subiaceat legibus naturæ. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter; O vno modo quantùm ad substantiam facti; sicut quòd duo corpora sint simul, vel quòd Sol retrocedat, vel quòd corpus humanum glorificetur: quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundò aliquid excedit facultatem naturæ non quantùm ad *id quod fit*, sed quantum ad *id in quo fit*; sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, & præstare visum, sed non cæco. Et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi; sicut cum aliquis subitò per virtutem diuinam à febre curatur, absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus; & cùm statim aer diuina virtute in pluuias densatur, absque naturalibus causis; sicut factum est ad preces Samuelis & Eliæ. Et huiusmodi tenent infimum locum in miraculis. Miracula itaque vera patrare solius Dei esse claret iuxta Psalmistam; *qui facit mirabilia magna solus*; quia vt supra dictum est, præter ordinem causarum secundarum, P operari solius Dei est, qui est huius ordinis institutor, & huic ordini non obligatur. Alia verò omnia huic ordini subduntur. Cum igitur ab aliqua creatura miracula fieri videntur, vel non sunt vera miracula, quia fiunt per aliquas virtutes naturalium rerum, licet nobis occultas; sicut est de miraculis Dæmonum, quæ magicis artibus fiunt; vel si sunt vera miracula, impetrantur per aliquem à Deo. Quia igitur huiusmodi miracula solum diuinitus fiunt, conuenienter in argumentum fidei assumuntur; quæ soli Deo innititur. Quod enim aliquid prolatum ab homine, auctoritate diuina dicatur, nunquam conuenientius ostenditur, quàm per opera, quæ solus Deus facere potest. Igitur nullus contra fidem Q facit vera miracula; quia Deus

I 1. p. 75. 4. 1.
L 2. Cor. 4. l. 4.
M Rom. 10. l. 2.
N Ioan. 10. l. 5.
O 1. p. 105. 8.
P Opusc. 2. c. 135.
Q 2. Thess. 2. l. 2.

non

non est testis falsitatis. (Ierem. 10. *Dominus autem Deus verax est* : & ps. 144. *fidelis Dominus in omnibus operibus suis.*) Si ergo fiat miraculum R in testimonium prædicatæ doctrinæ; tunc necessarium est doctrinam esse veram; & si fiat in testimonium Personæ, necesse est quòd simpliciter Persona sit bona. Sic Marci vltimo; *illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis* : & Hebræor. 2. *contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus.* &c. Iamque ipse Dominus id pluries asseuerat; Ioan. 10. *opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Deinde, *& si mihi non vultis credere, operibus credite* : & c. 14. *alioquin propter opera ipsa credite.* Vnde Angelicus primam ad hæc producens allegationem; *opera quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; concludit S miracula, quæ Christus fecit, sufficientia fuisse ad manifestandam Diuinitatem ipsius. Vtrumque autem complexus est Dominus in infidelium increpationem, nempe doctrinam, & miracula; Ioan. 15. *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Est autem perpendendum ex Sacro Matthæi textu, de virtutibus fieri mentionem, *plurimæ*, inquit, *virtutes.* 1. Cor. 12. *gratia sanitatum* distinguitur *ab operatione virtutum.* Virtutes enim ordinantur ad solam T diuinæ Potestatis manifestationem; sicut quòd Sol & luna stent in Cœlo, vt legitur Iosue 10. aut tenebrescant: vel quòd mare diuidatur; vt Exodi 14. Sicut ergo, quòd aliquid fit de mandato Regis, signo regio confirmatur, sic ad rem nostram. Vnde & Moyses mittendus ad Populum Israel, signum accepit à Deo, V per quod confirmaret ea, quæ ex parte Dei dicebat. Reluctauerat quippe (dic tu ad nostram instructionem) Moyses, dicens; *non credent mihi, neque audient vocem meam* : propterea thaumaturgam accepit virgam &c. Concludamus his de causis coepisse Dominum hic exprobrare, &c.

R Ioan. 9. l. 3.
S 1. p. 43. 4.
T p. 2. 111. a. 4. & 1. Cor. 12. l. 2.
V 1. Cor. cit. & Rom. 10. l. 2.

VERS. XXI. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida*, &c.

24. Væ illis, quia *sanctam Ecclesiam* non credunt. Per gratiam enim miraculorum, & per virtutes, datur 1. Cor. 12. manifestatio Spiritus; qui est X inhabitans Ecclesiam & docens & sanctificans eam: puta cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus-Sanctus, facit miracula ad ostendendum, quòd fides Ecclesiæ, quam ipse prædicat, sit vera : vel manifestatur, vt inhabitans eum, cui tales gratiæ conceduntur. Vnde Actor. 6. dicitur quòd *Stephanus plenus gratia faciebat prodigia & signa magna*, &c. Porrò, Rom. 3. *quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* Non crediderunt autem primò quidem Legislatori; ps. 105. *non crediderunt verbis eius*; A secundò non crediderunt Prophetis; Ezechielis 2. *increduli & subuersores sunt tecum* : tertiò non crediderunt ipsi Filio; Ioan. 8. *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Facit ad hæc illud Ioan. 5. *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* Et quia Ioan. 3. *qui non credit, iam iudicatus est*; non fuerit mirum, æternæ damnationis illis *væ* proferri; ac de iudicio superaddi sententiam. Et quidem in damnationem; Ioan. 10. *vos non creditis; quia non estis ex ouibus meis* : sed non nisi eorum ex culpa, *vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est*; (Ioan. 15.) *quia odio habuerunt me gratis.* Huc aduoca, si de finali damnatione verba sunt Domini, quod ait Augustinus lib. 1. retractationum c. 62. *vt enim in ijs, quos eligit Deus, non opera sed fides inchoat meritum; sic in ijs, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur.* Quocirca alta est Ioannis profunditas c. 12. *cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum : vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.* Quod vaticinium altè eis obijcit Paulus Act. 28. In Io. Deo dante expendetur. Interim vel per transennam audiatur idem Augustinus in libro Quæstionum Euangelicarum secundùm Matthæum Tomo 4. *Quòd si ita est; quis non exurgat in defensionem Iudæorum, vt eos extra culpam fuisse proclamet, quòd non crediderunt?* Et respondet : *sed quoniam potiùs Deus extra culpam debet intelligi; cogimur fateri, alijs quibusdam peccatis, ita eos excæcari meruisse : qua tamen excæcatione non potuerunt credere.* Vide quæ dixi ad Capitis huius expositionem.

X 1. Cor. 12. l. 2.
A Rom. 3. l. 1.

VERS. XXIII. *Et tu Capharnaum, nunquid vsque ad Cœlum exaltaberis.*

Ioannis 8. habet Dominus; *si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Hæc* 25.
illo loquente, multi crediderunt in eum. Fuit quippe prædictio comminatoria. Est enim prophetia B etiam comminationis. De potentia ordinaria non potest alicui reuelari damnatio; C quia cogeretur desperare. Et si qua reuelatio fieret, quæ hoc sonaret, deberet intelligi secundùm comminationem. Igitur accipiendo hunc etiam locum comminatoriè; subnecte ibidem cum Augustino, de huiusmodi infidelitate; *an fortè non absurdè dicimus, quosdam Iudæos fuisse sanabiles, sed tanto tamen superbiæ tumore periclitatos, vt eis expedierit primò non credere; non credentes autem, cum cæteris desperatis crucifigerent eum; atque ita post eius resurrectionem conuerterentur : quando iam de reatu mortis Domini ampliùs humiliati, vehementiùs diligerent, à quo sibi tantum scelus dimissum gauderent; quoniam tanta erat eorum superbia, vt tali humiliatione esset deijcienda. Ita contigisse, in Actibus Apostolorum manifestissimè legitur.* Munit meditationem suam Augustinus auctoritate Apostoli ex Isaiæ 28. primæ ad Cor. 14. vbi post nonnulla, quæ excæcationem sapiunt, præmissa, inquit; *nec sic me exaudient* : subditque; *non enim diceretur; nec sic me exaudient; nisi ad hoc fieret, vt vel sic exaudirent : idest vt eis ad humilem confessionem, & solicitam inquisitionem, & obedientem conuersionem, & feruentem dilectionem valeret. Est verò etiam ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraque medicamenta priùs affligunt, vt sanent. Et ipsa collyria, quæ ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensum videndi priùs claudant & perturbent, prodesse non possunt.* Vides mi lector quàm appositè ad literam; vbi de superbia Capharnaum expressè inducitur; *nunquid vsque ad Cœlum exaltaberis?* In quo nedum infidelitatis ratio innuitur in maioribus; sed & minorum collapsus : eo quòd infra c. 14. *cæci sunt & duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Et c. 23. *væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ &c. Duces cæci.* Quomodo cohæret! nam & hic ait; væ tibi *Corozain* &c. Tangitur autem in litera de iudicio, quo (sicut mihi videtur) ex aduentu ipsius ad iudicium, ferantur in aduentum redemptionis. Semper quippe duo hi aduentus nexu quodam pensandi fuerant. De primo, Zachariæ 9. *ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator*; vtque apud Matthæum c. 21. *mansuetus.*

B 2. 2. 174. 1.
C 1. ad Hannib. 48. 1. 3. & de verit. q. 23. 8. 2.

tur. De secundo Malachiæ 4. *antequam veniat dies Domini, magnus, & horribilis*. De vtroque Isaiæ 42. *Ecce seruus meus, suscipiam eum; non clamabit, &c. non erit tristis neque turbulentus; donec ponat in terra iudicium*. Et Petrus Act. 10. postquam dixit; *Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum*, subdit; *ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum*. Hinc Ioannis 5. *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*. Quod exponit pluries Angelicus. Sufficiat in præsenti quod habet ad Hebræos super illa verba; *ad quem nobis sermo*. Hæc autem, inquit, iudiciaria potestas, D conuenit Christo, secundùm quod est homo: non quidem propter conditionem naturæ, secundùm Augustinum; quia sic omnes homines huiusmodi potestatem haberent, sed propter gratiam Capitis, quam Christus in humana natura accepit. Conuenit autem Christo hoc modo iudiciaria potestas secundùm humanam naturam, propter tria: primò propter conuenientiam & affinitatem ipsius ad homines: sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur; ita iudicat per hominem Christum, homines; vt sit suauius iudicium. Secundò quia in finali iudicio, vt Augustinus dicit *super Ioannem*, erit resurrectio mortuorum corporum, quæ suscitat Deus per filium hominis: sicut per eundem Christum, in quantùm est filius Dei, suscitat animas. Tertiò, quia sicut Augustinus dicit *de Verbis Domini*, rectum erat, vt iudicandi viderent Iudicem: iudicandi autem sunt boni & mali: restat ergo, vt in iudicio, forma hominis bonis & malis ostenderetur, & forma Dei solis bonis seruaretur. Hęc autem potestas filio hominis competit, & propter diuinam Personam; & propter Capitis dignitatem; & propter plenitudinem gratiæ habitualis. Ecce ex hac Diui Thomæ doctrina qualiter memorato iudicij die v. 22. & 24. *remissius erit in die iudicij* &c. Incarnationis mysterium tacita quadam consecutione indicatur. Planè se Iudicem monstrat, vbi de seueriori ac remissiori iudicio verba facit. Sic Apostolus Actor. 24. postquam Felix *audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum*, attexuit quoque verba *de iudicio futuro*. Vnde *tremefactus est Felix*. Pulchrè autem tangitur de iudicio, subinde etiam de resurrectione in subsidium fidei, de qua præsens est caput: quia, *si mortui non resurgunt*, 1. Cor. 15. *neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*. Ideo ob huiusmodi fidei & resurrectionis connexionem, subrogandum fuisse Apostolum testem resurrectionis Christi, dixit Actorum 1. Diuus Petrus, *oportet ex his viris* &c. *testem resurrectionis eius nobiscum fieri*; & Paulus cap. 17. vna cum Christi fide, mortuorum resurrectionem prædicauit.

D Hebr. 4. l. 2.

VERS. XXV. *In illo tempore respondens Iesus, dixit; Confiteor*. &c.

26. Ex Chrysostomo Hom. 39. *prudentes hic scribas & Pharisæos appellat*. De facto infra; *accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes; quare discipuli tui trasgrediuntur traditiones seniorum?* Cum Iudæi E per Iudæam essent diffusi, qui habitabant Ierusalem sapientes erant, sed deteriores; & cum immo faciebat Christus signa & miracula, malignabantur. Sequitur Chrysostomus, *cùm autem sapientes dixerit, non illam veram laudabilem sapientiam intelligit, sed hanc, quæ sæculari doctrina præstatur*. Ad hæc facit quod legitur in Abdia; *perdam sapientiam de Idumæa, & prudentiam de monte Esau*; & Isaiæ 29. *peribit sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscondetur*. Vnde sentit sumpsisse Apostolum, cùm ait; F *perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Deinde; *vbi sapiens, vbi scriba, vbi inquisitor huius Sæculi?* Quod coincidere docet cum illo Isaiæ 33. *vbi est litteratus, vbi verba legis ponderans, vbi est doctor paruulorum?* Per sapientem G intelligit illum, qui secretas naturæ causas scrutatur; refertturque ad Gentes, qui huius Mundi sapientiæ studebant: per Scribam, peritum in lege; & hoc refertur ad Iudæos: per Inquisitorem huius sæculi, intelligit eum qui per prudentiam exquirit, quæ sint conuenientia vitæ humanæ in rebus huius sæculi; & hoc refertur ad vtrosque, scilicet Iudæos & Gentiles: Baruch 3. *filij Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est*. Non dicit autem *perdam sapientiam* duntaxat, quia Ecclesiastici 1. *omnis sapientia à Domino Deo est, sed sapientiam sapientium*; (dic tu, concretè ac ratione prauitatis subiecti) idest quam sapientes huius Mundi adinuenerunt sibi, contra veram sapientiam Dei: iuxta quod Iacobus c. 3. *non est ista sapientia de sursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica*. Et sic non dicit *prudentiam* solum; sed *prudentiam prudentium*: qui se prudentes æstimant in rebus humanis, vt scilicet bonis huius Mundi inhæreant. Adnecte quod sequitur; *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. Sed quia subdit Iesus; *reuelasti ea paruulis*; supra sensum esse deprehenduntur de quibus loquitur; sicuti Ecclesiastici 3. ob id dicitur; *plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi*: & Iob 28. *abscondita est ab oculis omnium viuentium*. Ibidem c. 2. Apostolus; *sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, &c. sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, &c. quam nemo Principum huius sæculi cognouit*. Isaiæ 19. *Vbi sunt nunc sapientes tui? annuncient tibi*. Et quia præcipuè de Incarnationis mysterio sermo est, de ipso cohærenter accipi potest illud Roman. 16. *secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti*: & Ephes. 3. *quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo*. Et idem Apostolus; *prout potestis intelligere prudentiam meam in mysterio Christi*: dicit prudentiam, H secundùm illud Prou. 9. *scientia Sanctorum prudentia*. Pulchrè Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate Domini; *Cùm ergo ad intelligendum Sacramentum Natiuitatis Christi accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum; & ab illuminato fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat*. Et quia ex Rabano supra, Tyrus & Sidon significant Gentes, ad Gentes ex Chrysostomo fertur hic textus, *reuelasti ea paruulis*; quia Iudæi Christum non receperunt, quem Gentilitas tam prona suscepit. Tyrus & Sidon ex eodem Rabano fuerunt idololatriæ & vitijs deditæ. Quoad hoc autem de Gentium subingressu mysterium; *alijs generationibus*, (Ephes. 3.) *non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis & Prophetis in spiritu; esse Gentes cohæredes, & concorporales, comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium*. Licet enim mysteria Christi I Prophetis & Patriarchis fuerint reuelata; non tamen ita clarè sicut Apostolis: nam Prophetis & Patriarchis fuerunt reuelata in quadam generalitate, sed Apostolis manifestata sunt quantùm ad singulares & determinatas circumstantias. Et *Prophetis in spiritu*; ipsis scilicet in eo spiritu noui Testamenti interpretantibus Scripturas, & explanantibus legem; Lucæ 8. *vobis datum est nosse mysterium Regni Dei*. Et Lucæ 10. *beati oculi, qui vident quæ vos videtis*: & infra; *dico autem vobis quod multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt*. Et consonat litteræ *paruulis*, vt per paruulos intelligantur Apostoli, qui pueri dicuntur propter L simplicitatem & humilitatem, atque etiam ob puritatem. Ioan vltimo;

E Hiec. 15. in initio.

F 1. Cor. 1. l. 3.

G loc. cit.

H Ephes. 3. l. 1.

I Ephes. 3. l. 1. & 1. P. 57. 5. 1.

L Hebr. 2. l. 3.

vltimo ; *pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Isaiæ 8. *ego & pueri mei, quos mihi dedit Deus in* [M ibi I. 1.] *portentum*, quòd scilicet M ego sum homo, & quòd pueri hoc crederent. Præcipuum enim portentum est, quòd Deus factus est homo: mirumque fuit, quòd cor humanum hoc potuit credere. Et quoniam hanc fidei reuelationem per Apostolos, quorum in *omnem terram exiuit sonus* psalm. 18. benè sentientium Iudæorum atque Gentilium corda, humili paruulorum auditu, vsque in finem recceptura erant; non dicit Matthæus *in illa hora* vt Lucas cap. 10. sed *in illo tempore*, vt omne conuersionis tempus amplecteretur: fieretque sensus futuri in verbo præterito; *abscondisti, & reuelasti*. Nam vt ait Hieronymus ferturque in Catena Matthæi 25. *iuxta præscientiam Dei accipienda sunt, apud quem futura iam facta sunt*: vel vt pluries ait Angelicus ob certitudinem astruendam, loco futuri præteritum tempus exprimitur. Dic etiam, *in illo tempore*, vt perennis Christi Domini gratiarum actio intelligatur; quandoquidem; *quod hic confiteor dicit*, ex Chrysostomo *idem valet quod gratias ago*. Nam 1. Cor. 2. *aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*: qui Hebr. 7. *semper est viuens ad interpellandum pro nobis*. Græcus relatus opusc. 60. a. 1. ad hæc *quoniam sic fuit placitum ante te*, inquit, *ne temere discutere de aliorum vocatione, aliorumque repulsione præsumamus; quoniam iniustum esse non potest, quod placuit iusto*.

VERS. XXVI. *Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.*

27. Inducitur de Patris beneplacito, ad indicandum, qualiter præhabitus sermo fuit de mysterijs gratiæ; in vno scilicet Incarnationis mysterio. Docet id- [N p. p. 57. 5.] circo N Angelos naturali cognitione non cognoscere mysteria gratiæ; quia dependent ex pura Dei voluntate 1. Cor. 2. *quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei. Nobis autem reuelauit Deus per Spi-* [O p. p. 19. 11.] *ritum suum*. Voluntas quippe O propriè dicta in Deo, vocatur voluntas beneplaciti. Vide quàm profundè dum de mysterijs à sola Dei voluntate dependentibus agitur, ipsius Dei placitum introfertur. Et innuitur in ly *sic* mysterium incarnationis per quod, (vt considerat in priori loco) Hebræor. 1. *hæreditatem capimus salutis*. Deus enim per [P 3. p. q. 1. 2.] suam P omnipotentem virtutem, poterat humanam naturam multis alijs modis reparare. Vndè Augustinus 13. de Trinitate cap. 10. *verùm etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse: (cuius potestati omnia æqualiter subiacent) sed sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium* [Q 3. p. 46. 2.] *modum non fuisse*. Simpliciter igitur Q & absolutè loquendo, possibile fuit Deo, hominem alio modo liberare, quàm per passionem Christi; quia *non est impossibile apud Deum omne verbum*; vt dicitur [R ibi ar. 3. & ad 3.] Lucæ 1. Sed conuenientius fuit, quòd R per passionem Christi liberaremur, quàm per solam Dei voluntatem; nec per solam potentiam Deitatis; sed etiam per iustitiam & humilitatem passionis; vt dicit Augustinus 13. de Trinitate. Dic ergo tu; *quoniam sic fuit placitum ante* Patrem; *ita Pater*. Dum autem Patrem alloquitur, aliàs *Dominum Cœli & terræ*; innuit potestatem alijs modis reparandi hominem; sed sibi *placitum* fuisse mittere filium: ex quo compellat eum Patrem. Et ecce paucis, tangi caput primum conuenientiæ Incarnationis: de quo in lib. *de catechizandis rudibus* Augu- [S 3. p. q. 1. 2.] stinus; *quæ maior est causa* S *aduentus Domini; nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Certè filius est similis Patri. Ecclesiastici autem 13. *omne simile diligit simile sibi*; & ex Philosopho 8. Ethicor. cap. 12. parentes diligunt filios, vt aliquid sui existentes. Dum ergo ad Patrem conuertit se; pandit diuinæ dilectionis argumentum ad homines: *sic enim Deus dilexit Mundum*, (Ioannis 3.) *vt filium suum Vnigenitum daret*. Deuteronomij 32. *nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?*

VERS. XXVII. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, &c.

Incipit Dominus enucleare incarnationis mysterium, quo vt ait Sanctus Leo Papa in Serm. 1. de 28.
Natiuitate; *suscipitur à Maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi verus esset homo, non præberet exemplum*. Sed iam, vt cum Hilario in Matth. Can. 16. loquamur, *certè Filium hominis contemplatio corporis præferebat: significauitque addendo quem me homines esse dicunt? præter id, quod in se videbatur, esse aliud sentiendum*. Hoc ergo incipit enucleare Dominus, vt Deus Dei Filius habeatur. Obmutescant impij; qui Ioann. 10. ausi sunt dicere; *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Itaq; sensus; nedum Filius hominis sum; sed & Filius Dei; quoniam, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Omnia? ergo & Diuinitas. Augustinus aliàs; *si omnia mihi dederis, nisi te ipsum dederis, non sufficit seruo tuo*. Et quidem vi diuinæ Paternitatis; quandoquidem *à Patre* inquit *meo*. Quamuis enim per adoptionem T efficiamur fratres Christi, quasi eundem Patrem [T 3. p. 23. 2. 2.] habentes cum ipso, qui Rom. 8. est *primogenitus in multis fratribus*: attamen Deus Pater alio modo est Pater Christi, & alio modo est Pater noster. Vnde signanter Ioannis 20. discretè dixit; *ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*. Est enim Pater Christi naturaliter generando, quod est proprium sibi: est verò Pater noster, voluntariè aliquid faciendo; quod est commune sibi Filio, & Spiritui-Sancto. Et ideo Christus non est Filius totius Trinitatis, sicut nos. Mirè ergo, vt audis, inquit *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Et dum paulo ante præmisit, *Confiteor tibi Pater*, tacitè quod ait Paulus monuit; *ex quo omnis Paternitas in Cœlis & in terra nominatur*. Vbi Angelicus; V quasi dicat; [V Ephes. 3. lect.] Paternitas, quæ est in Creaturis, est velut nominalis, seu vocalis: sed illa Paternitas diuina, qua Pater dat totam naturam Filio, absque omni imperfectione, est vera Paternitas.

Sequitur; *Et nemo nouit Filium, nisi Pater*; &c. 29.

Quoniam, vt supra etiam considerauimus, ad fidem per se pertinent X Maiestas Diuinitatis, & My- [X 2. 2. 1. 8.] sterium humanitatis Christi: & circa Maiestatem Diuinitatis proponitur & vnitas Diuinitatis, & Trinitas Personarum: Quoniam etiam, vt pariter dictum est, super reuelatione A facta Apostolis de fi- [A 2. 2. 174. 6.] de Vnitatis & Trinitatis, fundatur tota fides Ecclesiæ: Pro horum intelligentia, recolendum est, in diuinis Personis nihil considerandum B occurrere, [B p. p. 42. 4. 4.] nisi Essentiam, in qua communicant; & relationes in quibus distinguuntur. Æqualitas autem vtrumque importat, scilicet distinctionem Personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur æquale; & vnitatem Essentiæ; quia ex hoc Personæ sunt sibi inuicem æquales, quia sunt vnius magnitudinis & Essentiæ. Astruit ergo Dominus sui ipsius æqualitatem ad Patrem, vt ipso in limine, Arij excludatur error. *Paris enim periculi malum est*, ait Leo Papa Sermone 7. de Natiuitate, *si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas*. Et Ioan. 5. *quærebant eum Iudæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Et quodnam apertius æqualitatis specimen? *nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit nisi Filius*. Sanè C obiectum cognoscibile proportionatur virtuti co- [C p. p. 85. 2. 1.]

gno-

gnoscitiuæ. Cognitioni ergo Patris Filius proportionatus est; & è conuerso; solùmque inter Patrem &
D p. p. 14. 3. Filium isthæc est proportio. At virtus Dei Patris D in cognoscendo tanta est, quanta est actualitas eius in existendo; quia per hoc quod actu est, & ab omni
E p. p. 7. 3. materia & potentia separatus, Deus cognoscitiuus est: in existendo autem, cum sit E suum esse subsistens, est infinitus; ergo infinitum esse habet Filius; proinde à nemine est cognoscibilis nisi à Patre. Mirum est autem quòd non præmiserit Dominus de Patris incognoscibilitate; dicendo, *nemo nouit Patrem nisi Filius; neque Filium quis nouit, nisi Pater; & cui voluerit Filius reuelare*; præsertim quia Patris esse reuelare, dixit; & infra c. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*. Sed responderi potest, id alta sapientia factum; vt scilicet, & hoc quod habet Pater reuelare, habere innotescat & Filium. Et propterea, secundùm quòd significatur
F p.p. 42. 1. ad 3. F per nomina, mutua dicitur æqualitas & similitudo in diuinis Personis, iuxta illud Athanasij; *sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*. Itaque vt modis omnibus capiatur Filium habere magnitudinem Patris, quod est esse æqualem Patri, præmissum est de incognoscibilitate Filij, nisi à Patre: ex quo consectarium erat intelligere, & Patrem esse æqualem Filio, à quo solùm cognoscibilis esset. Et iam palam ad illa verba Joan. 10. *sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrem*; vbi idē seruatur or-
G Ioann. 10. l. 4. do, G docet in ly *sicut* importari æqualitatē; quia solus Filius cognoscit Patrē comprehendendo, sicut Pater cōprehendendo cognoscit Filiū. Cæterùm, quia Dan. 2. *est Deus in Cœlo reuelans mysteria*: Filius cuius arbitrio stat reuelatio, *& cui voluerit Filius reuelare*, sine dubio Deus esse euincitur. Nec tamen ab his excluditur Spiritus Sanctus, licèt de illo non fiat hic
H. Ioan. 17. l. 1. mentio; quoniam, vt in Capitis expositione dixi, H vbicumque ponuntur Pater & Filius, præcipuè in ijs quæ ad Maiestatem Diuinitatis pertinent, cointelligitur Spiritus-Sanctus, qui est nexus amborum. Ad hæc Apostolus; *nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum*; & Iob. 31. *inspiratio Omnipotentis dat*
I 1. Cor. 2. l. 2. *intelligentiam*. Quia enim Spiritus-Sanctus I est Spiritus veritatis vtpote à Filio procedens, qui est Veritas Patris, ijs quibus mittitur, inspirat veritatem. Reuelat autē Spiritus-Sanctus, quia & ipse nouit, ibidem; *quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi spiritus Dei*, vtpote consubstantialis Filio, secreta Diuinitatis per se ipsum videns: *est enim in illa* (Sap. 7.) scilicet Sapientia, *Spiritus intelligentiæ Sanctus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens*: quippe qui, vt ait ibi Apostolus, *omnia scrutatur etiam profunda Dei*. Dicuntur autem profunda ea, quæ in ipso latent, & non ea quæ de ipso per creaturas cognoscuntur; quæ quasi superficietenus videntur esse; vt ibidem expendit Diuus Thomas. Secundum specialem tamen rationem filio attribuitur reuelatio; *&*
L Ioann. 14. l. 1. *cui voluerit Filius reuelare*; in quantum in Filio L cognoscitur Pater vt in Verbo, & Imagine propria. Joan. 14. *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. Et c. 17. *manifestaui nomen tuum*
M Ioann. 17. l. 2. *hominibus*; Verbi enim proprium est M manifestare dicentem. Sicut enim homo volens se reuelare verbo cordis, induit quodammodo ipsum verbum literis vel voce; ita Deus volens se manifestare hominibus, Verbum suum conceptum ab æterno, carne
N Ioann. 14. l. 2. induit N in tempore. Et sic Filius à Patre missus O
O 1. Cor. 2. l. 2. notificat Patrem. Hinc super illud, *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu*;
P 2. Cor. 4. l. 2. glossa; *idest* P *per Iesum Christum, qui est* facies Patris; *quia sine ipso non cognoscitur Pater*. Sic etiam exponens illud ps. 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, Q *vultus tui*, inquit, idest filij Q Ioan. 1. l. 3. qui est facies tua qua manifestaris. 30.

Operæ pretium est autem quærere, an Angeli à principio Mundi cognouerint Mysterium incarnationis? Respondet Magister, quòd Angelis maioribus notum fuit, R sed non minoribus: vnde ipsi, R Ephes. 1. l. 3. in fi. scilicet Angeli minores interrogant, Isaiæ 63. *quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Sed opinio hæc est contra Beatum Dionysium. Dionysius enim duas interrogationes Angelorum de Christo factas ex Sacra Scriptura accipit, vnam ex Ps. 23. *quis est iste Rex gloriæ?* aliā ex Isa. 63. *quis est iste qui venit de Edom?* &c. Prima autem interogatio secundùm eum, est inferiorum Angelorum; secunda supremorum. Quod patet; quia primæ non Deus respondet sed alius: vnde dicit; *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ*: secundæ verò respondet ipse Deus immediatè: vnde dicit; *ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum*. Vult ergo Dionysius, quòd vtrique aliquid ignorauerunt, & aliquid sciuerunt: quia à principio omnes sciuerunt mysteriū incarnationis in generali, sed rationes in speciali didicerunt processu temporis, secundum quod in effectibus extrinsecus explicabantur. Hucusque Diuus Thomas. Tu, stante hac eruditione de Angelorum quæstione, ac de reuelatione decursu temporis procedente, vide quàm mirè vtrumque sacro in Matthæi contextu innuatur; dum ait; *in illo tempore, & respondens Iesus*. Angelis nimirum suam responsionem dedit. Quocirca alibi S allegat eundem Dionysium 7. cap. cœlestis Hierarchiæ; quòd Sacra Scri-
S p. p. 57. 5. in sed contra. ptura inducit quasdam cœlestes Essentias ad ipsum Iesum quæstionem facientes, & addiscentes, scientiam diuinæ eius operationis pro nobis, & Iesum eas, sine medio docentem: vt patet Isaiæ 63. *Quis est iste*; (vt supra.) Ibi etiam T tuetur Angelicus, quod T ibi ad 3. quicquid Prophetæ cognouerunt de Mysterio gratiæ per reuelationem Diuinam, multò excellentius est Angelis reuelatum. Dicit etiam Gregorius, quòd *per successiones temporum, creuit Diuinæ cognitionis augmentum*.

VERS. XXVIII. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis*.

Habet Apostolus ad Romanos; *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes*, &c. *non enim est distin-* 31.
ctio: Coloss. 3. *in Christo Iesu non est Gentilis & Iudæus*, V scilicet distinctionem aliquam habens. V Rom. 3. l. 3.
Præmittit autē Apostolus; *quid enim si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? absit*. Non enim X per hoc X ibi lectio. 1. quòd quidam non crediderunt, euacuatur fides illorum, qui crediderunt: malum enim quorundam in societate existentium, non euacuat bonum aliorum. Ecclesiastici 33. *ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos à separatione ipsorum*. Constat autem versari præsens caput circa fidem, vel ex hoc quod ait, *venite*: nam Hebræor. 11. *accedentem ad Deum oportet credere*; &c. primus enim actus, quo Deo operanti, in pœnitentia A cooperamur, est motus fidei. Prima B A 3. p. 85. 5. conuersio in Deum, fit per fidem. Prima etiam subiectio C hominis ad Deum est per fidem. At di- B p. 2. 113. 4. ces; Ioann. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Respondetur; vtique, C 1. 2. 16. 1. quia omnium actuum huiusmodi primum principium est Dei operatio conuertentis cor, secundum illud Thren. vltimo; *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*; D vt ibidem Angelicus. Sed addo, D 3. p. 85. 5. quòd si in potestate hominis E esse dicatur aliquid E 1. 2. q. 2. a. 5. ad 1. exclusō auxilio gratiæ; sic ad multa tenetur homo, quæ non potest sine gratia reparante; sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum

dum

dum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxi-
F p. 1. 109. 4. ad 2. lio gratiæ. Id autem F quod possumus cum auxilio diuino, non est nobis omnino impossibile; secundùm illud Philosophi in 3. Ethic. *quod per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.* Huc autem oportet reuocare illud Iacobi 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: illudque Apocalyps. 3. *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo*; præmisso: *ecce sto ad ostium & pulso*. Item in Psal. *dilata os tuum & implebo illud*; & *os meum aperui & attraxi spiritum*.
G 4. Sent. 17. 1. 2. De quo suis in locis: præcipue in 4. sent. G Vbi fertur tamen Augustinus; quòd cum fides iustificationem impetrat, voluntas concomitatur gratiam, non ducit; est pedisequa, non præuia.

32.
H Ioan. 10. l. 5. lit. d & 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. Licet autem supra de non credentibus dictum sit, iuuat Angelicum audire, Ioann. X. H Sed si aliter non potest credere quis, nisi detur ei à Deo, videtur quòd infidelitas non sit alicui imputanda. Ad quod dicendum, quòd ideo eis imputatur; quia in eis est causa, quare non datur. Sicut ergo non possem videre lumen, nisi illuminarer à Sole; si autem clauderem oculos, non viderem lumen; quod non esset ex parte Solis, sed ex parte mea, qui claudendo oculos, præbeo causam, vt non illuminer. Sic ad rem; Peccatum est causa, quare non illuminamur à Deo per fidem, puta originale, vel in aliquibus actuale: quæ quidem causa in omnibus est. Vnde omnes illi, qui deseruntur, iusto Dei iudicio deseruntur; & illi qui eliguntur, ex Dei miseratione assumuntur. Huc potest afferri, quod ait Apostolus 2. Cor. 4. *in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi*:
I 2. Cor. 4. l. 2. suggerendo, trahendo I & inclinando ad peccata. Cùm tamen, Ioannis c. 1. perhibeatur, quia *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, &c.
L p. 1. 79. a. 1. & 4. & q. 87. 2. & q. 94. 5. & 6. Vide ad hæc, L locos alios, de cæcitate, &c. Illustrat autem præsentem litteram Domini verbum Ioannis 6. *omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me*. Quare dum inquit hic, *venite ad me omnes* &c. præsumuntur audiuisse & didicisse: certè
M 2. 2. q. 8 5. in sed contra. per donum M intellectus, quo audita addiscimus vel penetramus, ex Gregorio. Atqui donum intellectus, ibidem non est sine gratia gratum faciente. Et consequenter cum ait, *venite* per motum fidei, lo-
N p. 2. 113. 4. 1. quitur de motu fidei perfecto, N qui eiusmodi non est, nisi sit charitate informatus. Ex hoc quippè quòd
O Rom. 4. l. 1. credit homo O in Deum iustificantem, iustificationi eius subijcit se, & sic recipit eius effectum. Ecclesiast. 2.
P Rom. 3. l. 3. *crede Deo & recuperabit te*. Quod & Apost. *iustitia Dei per fidem Iesu Christi*; P non vt quasi per fidem mereamur iustificari, tāqua ipsa fides ex nobis existat, & per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt; sed quia in ipsa iustificatione, qua iustificamur à Deo, primus motus mentis in Deum est
Q 2. 2. 1. q. 3. & q. 4. 7. 4. Rom. 3. l. 1. per fidem. Ex quo elucet, quomodo Ecclesiæ Q fundamentum non est fides informis, sed fides formata charitate: per quam, sicuti & per fidem vniuntur
R 3. p. q. 8. a. 3. homines R Christo Capiti Ecclesiæ. Vocat ergo ad fidem simul & gratiam; claretque in eo quod subdit; *qui laboratis, & onerati estis*. Super illud Ecclesiastici 24. *ego Sapientia effudi flumina*: inquit, ista
S Prolog. Prim. Sententi. S intelligo fluxus æternæ processionis, qua Filius à Patre, & Spiritus-Sanctus ab vtroque ineffabili modo procedit. Subditurque in Ecclesiastico; *ego quasi fluuij Diorix*, siuè *quasi fluuius Dorix*, vt legit Hieronymus, *& sicut aquæductus exiui de Paradiso*: quod refert ad illud Ioan. 13. *exiui à Patre, & veni in mundum*. Ista flumina olim occulta, & quodammodo confusa erant; tum in similitudinibus creaturarum: tum etiam in ænigmatibus Scripturarum: ita vt vix aliqui sapientes Trinitatis mysterium fide tenerent. Certè, dic tu, incarnationis etiam mysterium in ænigmatibus Scripturarum occultum erat: Lucæ 24. *interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant: aperuitque illis sensū, vt intelligerent Scripturas.* Dicit ergo *venite ad me omnes qui laboratis*, scilicet in similitudinibus creaturarum: Eccl. 1. *qui addit scientiam, addit & laborem*: sequitur *& onerati estis*; scilicet in ænigmatibus Scripturarum, & si mauis, figurarum, de quibus Act. 15. legitur *visum est Spiritui-Sācto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris*. Quod quia paulo ante dicitur iugum; *quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum?* &c. ecce Dominus, vt ad legalia referatur sermo eius, vtrumque mox commemorat dicens; *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Isaiæ etiam 9. *iugum enim oneris eius*. Et ita iugum & onus vicissim dicuntur.

Sequitur, *& ego reficiam vos*.

Præterquam quòd doctrina & fides Ecclesiæ spiritualiter reficit, vt inquit in p. 2. 102. a. 4. ad 6. facit 33.
ad intelligentiam huius consideratio maior præmissorum. *Venite ad me*, inquit, &c. Ait Chrysologus; *ad ipsum abito; nam & ipse propter te venit*: Ioan. 14. *vado & venio ad vos*. Tertius Spiritualis & inuisibilis T Christi Domini aduentus est, quando venit ad fideles suos per gratiam; Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum*. Dum ergo inuitat *venite*, se quoque venire indicat, mittique in animam. (T. Ioan. 14. l. 5.) Neque enim satis est, mysteria per ipsum nosse; quandoquidem 1. Cor. 13. *si habuero Prophetiam, & noue rim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Cognitio veritatis est duplex. V vna purè speculatiua: & hæc abscondita est *à sapientibus & prudentibus*, idest à superbis, qui sibi sapientes, & prudentes videntur, & *reuelasti eis paruulis*, idest humilibus: alia est cognitio veritatis affectiua; &c. Filius (quem dixi venire ad nos, dum ait *venite*) non secundum quamlibet perfectionem X intellectus mittitur; sed secundum talem instructionem vel instructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris: Ioannis 6. *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*. Filius enim est Verbum non qualecumque, sed spirans amorem. Vnde Augustinus dicit in 9. libro de Trinitate; *Verbum, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est. In meditatione mea* (Psal. 38.) *exardescet ignis*. Et ideo signanter dicit Augustinus; quòd *Filius mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur*. Perceptio autem experimentalem quandam notitiam significat. Et hæc propriè dicitur *Sapientia*, quasi *sapida scientia*; secundùm illud Ecclesiastici 6. *Sapientia doctrinæ secundùm nomen eius*. Alibi nobilis extat rei huius discussio. Ait enim; Vita contemplatiua, prout de ea locuti sunt Philosophi & Sancti A non accipitur vniformiter. Nam Philosophi finem contemplationis ponunt in *sapere*: sed contemplatio, vt de ea loquuntur Theologi, magis consistit in *sapore*, quàm in *sapere*, & magis consistit in delectatione, & dulcedine, quàm in sermone. Et si inuenitur aliquando studium litterarum pertinere ad contemplatiuam vitam secundum Theologos; hoc est in quantum per huiusmodi studium, manuducimur in amorem Dei. Quare si secundùm quandam adaptationem sensibilium loqui volumus, dicere possumus, contemplatiuam Philosophorum reficere auditum & visum; spiritualem autem contemplationem Theologorum, reficere gustum, odoratum & tactum. Cogitationes mentis, vt dicit Augustinus 9. de Trinitate c. 11. dicuntur locutiones, & visiones; non tamen propriè dicuntur gustationes, & odorationes, & tactus; quia talia magis videntur tenere se ex parte voluntatis. Recole illud Augustini; *fac me sentire per affectum, quod sentio per intellectum; gustare per amorem, quod gusto per cognitionem*. Vide ergo mi lector, qua sensus profunditate subdat

(V 1. 2. 162. 3. 1.) (X p. 1. 43. 5. ad 2.) (A Cant. 1. post ini tium, ecce, ita deum expressi.)

subdat Dominus de refectione; & ego reficiam vos. Quod spiritaliter accipi aliunde claret; 2. Corinth. 7. *refectus est spiritus eius ab omnibus vobis*: & ad Philemonem; *refice viscera mea*. Non absimilis est locutio, Apocalypsis 3. *ecce sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Sic Sapient. 8. *proposui hanc mihi adducere ad conuiuandum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis*. Iustus B benè operans comedit, quia in operando lætatur. *Et ipse mecum*, quia consolatione interna pascam eum. E contra (ibi) ex Bernardo *super Cantica*; *cibus eius pœnitentia mea, salus mea, cibus ego ipse*. Denique *cœnabo cum illo* in via, *& ipse mecum* in Patria: psalm. 16. *satiabor cum apparuerit gloria tua*. Non absimiliter in 1. Commentario.

B Apoc. 3. Com. 1.

34. Sed quia in præsenti ait Dominus *reficiam*, non autem *saturabo*, videtur loqui de refectione spiritualis vitæ; nàm vt dicit Augustinus; C *Tunc cuique mittitur Filius, cum à quoquam cognoscitur atque percipitur, quantùm cognosci, & percipi potest pro captu; vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deo*. Sic de huiusmodi refectione Angelicus. D Tria sunt genera hominum in Ecclesia, quos aliquo modo reficit diuina dulcedo: nam in quantùm vbera Sponsi, idest voluptas dulcedinis eius melior vino dicitur, idest omni sapore corporali, reficiuntur perfecti; qui talem dulcedinem nituntur gustare. Prout verò huiusmodi vbera sunt fragrantia vnguentis optimis, idest omnibus odoribus sensibilibus, reficiuntur proficientes, qui ad talem odorem mouentur per odoratum. Sed vt nomen Christi est oleum effusum, propter sui mollitiem & pinguedinem, delectans tactum super cætera, reficiuntur incipientes; qui se habent ad modum habentium solum tactum, secundùm spiritualem vitam, tanquam infirmiores: nam tactus est, quo restringitur sensibilis vita in infirmo. Vide quomodo innuendo veluti gradus istos inquit Dominus, *reficiam*, profectum signans maioris maiorisque refectionis. Et ecce cur non solùm fiat mentio de sapientibus, sed & de prudentibus; vt ad praxin spiritualem intelligantur perducti paruuli: quandoquidem prudentia ex Philosopho 6. Ethic. *est recta ratio agibilium*. Reficiet ergo; *reficiam*, donec in Patria plena fiat epulatio. Nam beatitudo completiuè E & consummatiuè consistit in voluntate. In quo, se fidelium Caput esse innuit; quod est præcipuum Matthæi assumptum: nedum enim est eorum Caput, F qui actu sibi vniuntur per fidem; item eorum, qui vniuntur sibi per charitatem; sed & eorum principaliter, qui actu sibi vniuntur per gloriam. Et ecce cohærenter ad præmissum; *& ego reficiam vos*: vbi G refectionem diuinæ fruitionis repromittit. Cohærenter etiam ad sequentia; *& inuenietis requiem animabus vestris*; H scilicet sempiternam. Et quoniam habet Augustinus; *esurio & sitio te*: & iterum; *inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: rursumque *omnia dura sunt; tu solus requies*; perpende, quàm pulchrè pronomen vsurpat *ego*; non enim ait *reficiam*, sed *ego reficiam*. Et cùm huiusmodi refectio & requies nos maneant in gloria: vbi Isaiæ 26. *faciet Dominus conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ*: vbi quoque Isaiæ 32. *sedebit Populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*: vt se Dominum gloriæ declaret; psalm. 23. *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ*; *si cognouissent* 1. Corinth. 2. *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; Lucæ 24. *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: vt in-

C 9. p. 41. 4. 2.
D Cant. 1. citato.
E Cant. 4. & p. 1. q. 3. a. 4. & 5.
F 3. p. q. 8. 1.
G 1. 2. 189. 10. in calce.
H Ibid.

quam se gloriæ Dominum declaret, ait *ego*, scilicet propria potestate, propria virtute, tanquam Dominus, *reficiam vos*. Non secus atque alibi I notatur ly *ego autem dico vobis*. Consecutiuè autem ad argumentum præsentis Capitis, in quo *de fide*, cuius Author & consummator est Iesus: Hebr. 12. *aspicientes in Authorem fidei & consummatorem Iesum*: quod quidem præstitit, L nedum miraculis confirmando, (quod supra dictum est) sed exequitur fidem præmiando; cùm enim fides sit imperfecta cognitio, eius præmium consistit in ipsius perfectione; Ioann. 14. *manifestabo ei me ipsum*. Et sic fidem gloria consummat. Augustinus 1. de Trinit. cap. 10. *contemplatio est merces fidei*.

I Ioan. 1. l. 8.
L Hebr. 12. l. 1.

VERS. XXIX. *Tollite iugum meum super vos*.

Posset intelligi de iugo fidei; iuxta quod inquit Gregorius, *iam iugo fidei Gentium colla subdidit*: sicut è contra 2. Corinth. 6. *nolite iugum ducere cum infidelibus*. Nihilominus laudatiori ordine, postquam de fide peractum est, transitur ad legem, & legem charitatis; quia iugum M Dei est ipsa charitas. Et si ex eodem Angelico iugum dicitur omne illud, quod ligat plures ad aliquid faciendum, quid magis, quàm charitas iugum dici debet? Charitas enim Coloss. 3. *est vinculum perfectionis*. Vniuntur quippe charitate fideles. Ioan. 17. *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*. Ex Sancto Doctore autem, N lex non imponitur ab aliquo Domino, nisi suis subditis; & ideo præcepta legis præsupponunt subiectionem cuiuslibet recipientis legem, ad eum qui dat legem. Prima autem subiectio hominis ad Deum est per fidem, secundùm illud Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere*: & ideo fides præsupponitur ad legis præcepta. Benè ergo post tot præmissa quoad fidem, de iugo subdit. Tollentibus super te iugum hoc, O refectionem & requiem repromittit. Matthæi 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Et quia lex est amoris Roman. 13. *qui diligit proximum legem impleuit*. 1. etiam ad Timoth. 1. *finis præcepti, charitas est*: Charitasque duos habet actus, scilicet dilectionem Dei, & dilectionem proximi: Matth. 22. *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*, ad dilectionem prouocat dicens; *discite à me*. Augustinus in lib. *de catechizandis rudibus* cap. 4. *quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et postea subdit; *si amare pigebat, saltem redamare non pigeat*. Deuteronomij 10. *quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum?* Ioann. 15. *hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*. Quoniam ergo Apocalyps. 1. *Iesus Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, monet *discite à me*; *quia mitis sum, & humilis corde*. Vtrumque iungit & Salomon Prouerb. 16. *melius est humiliari cum mitibus*. In psalm. 24. *docebit mites vias suas*. Mansuetus P dicitur, qui de feritate ducitur ad pietatem, vel humilitatem: mites dicuntur, qui semper tales fuerunt. Reor ipse veruntamen, promiscuè aliquando pro eodem accipi. Vnde Matthæi 21. *ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Ex quo Bernardus, *omnes currimus post te bone Iesu, propter mansuetudinem tuam*. Quamuis & metaphoricè mansuetus dici queat, qui priùs erat *Deus exercituum*, & *Deus vltionum*. Mansuetudo enim, vt ibidem meminit Angelicus, est virtus mitigans iras. Apud nos mansuetatur, vt inquit, bestia, (seu cicur euadit) quando deposita feritate subditur hominibus. Adde ex Leone Papa Serm. 1.

35.
M 2. Cor. 6. l. 3.
N 1. 2. 16. 1.
O 1. 2. 189. 10. in calce.
P ps. 24. & p. 2. 69. 3.

V SS. Pe-

SS. Petri & Pauli, de Roma; *Syluam istam frementium bestiarum constantior Beatissime Apostole Petre ingrederis*, &c. Addit Angelicus; disciplina Domini acquiritur ab homine secundùm quòd est homo; non secundùm quòd est bestia: Iob 35. *docet nos super iumenta terræ*. Proprium hominis scilicet ratio peruertitur per passionem irascibilis & concupiscibilis: mansuetudo temperat passionem irascibilis, & temperantia passionem concupiscibilis: & ideo, qui sunt mites merentur accipere Domini doctrinam. De passionibus concupiscibilis sapientiæ infensis dictum est in capitis expositione. De ira etiam, quæ sua acuitate immutando corporis naturam disponit ad stultitiam, Q suis in locis. Itaque præsenti ex excursu, nedum de implendis dilectionis mandatis, sed & de excipienda fidei doctrina sacer potest accipi textus: neque enim præstare potest obedientiam fidei aut legi, cui deest humilitas cordis, cùm indiuisa sit obedientiæ comes humilitas; iuxta illud Philipp. 2. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*. Adhuc autem dum monet, vt ipsius mansuetudinem imitemur, *discite à me, quia mitis sum*, attinere innuit virtutem hanc ad ea quæ sunt fidei: quasi dicat; ne sitis de rebus fidei litigiosi seu contentiosi; 2. Timoth. 2. *noli contendere verbis*; Deinde; *seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem*, &c. Mansuetudo enim est virtus compescens ab R ira, quæ perturbat iudicium rationis; estque necessaria in quæstione & iudicio veritatis. Ex Bernardo; *turbatus præ ira oculus rectum non videt. Ira iudicij censuram præcipitat*. Psalm. *turbatus est in ira oculus meus*. Generale enim quod debet habere, qui vult disputare, est quod sit mansuetus. Propterea 1. Corinth. 11. *si quis videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. Vnde absque contentione standum esse præscribit Ecclesiæ. *His autem* Rom. 2. *qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*. Et quia exterior contentio oritur S ex superbia; Prouerb. 13. *inter superbos semper sunt iurgia*; nam humiles sibi cedunt; Philipp. 2. *nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate*, &c. Ecce subdit Dominus; nedum *quia mitis sum*, sed & *humilis corde*. At quoniam sequenti capite, quod hic dicimus, praxi tenetur; vnde fertur de Domino ex Isaia, *non contendet neque clamabit*, nunc supersedeamus.

Q 2. 2. 46.3.3.

R 2. Tim. 2.l.4.

S Philip. 2.l.1.

36. Verùm dum ait, *tollite iugum meum super vos*; inculcat mandatorum obseruantiam, tacitè insinuans facilè amitti fidem, vbi absit charitas. Habet Apostolus; *finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Nota ibi T inquit Angelicus, quòd recessus à charitate, causa est falsæ doctrinæ, quia qui non amant veritatem, cadunt in mendacium. Et alibi; *à quibus quidam aberrantes* V scilicet à charitate, *conuersi sunt in vaniloquium*: & sic amissio charitatis est via ad amittendam fidem. Certè qui amittit charitatem, Dei gratiam amittit, proinde Spiritus-Sancti dona; inter quæ, donum intellectus & sapientiæ: quæ in non habentibus gratiam gratum facientem X minimè inueniuntur; iuxta illud Sapient. 1. *in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Vt autem supra dictum est, Intellectus facit rectè percipi; Sapientia verò rectè iudicare de diuinis. Quomodo hisce destitutus donis, etsi assensum conseruet ad ea quæ sunt fidei, diu poterit seruare fidem? Animaduerto ly *amissio charitatis*. Non dicitur propriè amitti, quod statim, vel paulo post est recuperandum: væ illi qui in peccato putrescit: factus enim *animalis homo* (1. Corinth. 2.) *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*. Hinc, quia circa finem Mundi A *frigescet* (Matthæi 24.) *charitas multorum*, feruor etiam fidei tepescet: Lucæ 18. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Ioann. 3. *lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*. Et quare? *erant enim eorum mala opera*. E contra ex quadam connaturalitate, vt supra prælibatum est, ad diuina, qui gratiam habet gratum facientem, sapit quæ Dei sunt. Quod quidem profundè docuit Dominus ipse dicens Ioannis 7. *si quis voluerit voluntatem* (Patris) *facere, cognoscet de doctrina; vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar*. Voluntas Dei fit cùm mandata eius implentur: 1. Thessal. 4. *hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Leuitici 19. *sancti estote, quoniam ego sanctus sum*. Ecclesiastici autem 37. dicitur; *anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*. Sic Lucæ 2. *Prophetissa Anna, quæ nunquam discedebat de Templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte, ac die, loquebatur de illo* (de Iesu) *omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*. Sicuti ergo Ecclesiastici 37. legitur; *cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia; cum muliere, de ea quæ æmulatur; cum timido de bello; cum negociatore de traiectione; cum emptore de venditione; cum viro liuido, de gratijs agendis; cum impio de pietate; cum inhonesto de honestate*, &c. quasi B dicat; non: vnde sequitur; *non attendas his in omni consilio*. Et sic sermo præhabitus C fuit irrisoriè: sequitur quippe, *cum viro sancto assiduus esto*. Ita hoc ipsum monere videtur Dominus dicens *tollite iugum meum super vos*. Si enim fuerimus Iudicum 19. *Filij Belial, idest absque iugo*, diuinæ & euangelicæ legis, languens erit nostra fides, quæ Galat. 5. per charitatem operatur, sensimque extinguetur; *lampades nostræ* Matth. 25. *extinguuntur*. *Fides* namque vt ait, ni fallor, Hieronymus *per bona opera nutritur*. Iacobi 5. *fides sine operibus mortua est*. *Tollite* ergo *iugum*: alias nulla erit ad Christi mysterium, atque ad eius doctrinam conuentio. *Quæ enim societas luci* 2. Corinth. 6. *ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* Ne simus *Belial*, idest *absque iugo*, instar Diaboli, qui vt notat D, noluit subijci iugo Dei; Ieremiæ 2. *à sæculo confregisti iugum; tollite*, inquit, *iugum meum super vos*. Vbi de fide caput est, non potuerunt isthæc omitti.

T 1. Tim. 1.l.2.

V 2.2.33. 3.ad 3.

X 2.2.8. 5.& q.45. 4.

A 3.p.q. 1.3.

B 2. 2. 189.10.

C Opusc. 17.c.9.in calce.

D 2.Cor. 6.l.3.

VERS. XXX. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*.

37. Non potest negari huiusmodi clausula; quandoquidem experimento ait Apostolus Roman. 7. *condelector legi Dei secundum interiorem hominem*; idest E secundùm mentem rationalem. Præterea; psalm. 18. *in custodiendis illis retributio multa*: idest F iucunditas ineffabilis, & augmentum gratiæ; quæ proueniunt ex mandatis Dei seruatis. Commendatur itaque G lex diuina, quantùm ad eius suauitatem & iucunditatem. Lex quippe noua simpliciter H leuior est veteri. Iusti, quos lex noua facit, delectabiliter etiam ex Philosopho operantur. Hinc 1. Ioann. 5. *mandata eius grauia non sunt*; scilicet amanti, vt exponit Augustinus. Qui item ait; *omnia sæua & immania, leuia & prope nulla efficit amor*. Alibi ex eodem sæpè; *breuis est differentia legis & Euangelij; timor & amor*. Primæ ad Timot. 1. *lex iusto non est posita, sed iniustis* &c. cuius sententiæ verus sensus est, I quatenus lex iustis non imponitur, sicut onus; quia habitus eorum inte-

E 1. 2. q. 15.7.

F psal. 19. lit. n.

G psal. 18. lit. g.

H p. 2. 107.4.

I 1. Tim. 1.l.3.

interior inclinat eos ad hoc, ad quod lex: & ideo non est onus eis; Roman. 2. *ipsi sunt sibi lex*. Adhoc certè innuendum, *tollite*. inquit Dominus, *iugum meum*. Non dicit impositum vobis iugum est; sed *tollite*; per vos ipsos, sponte vestra, propria inclinatione, virtutis amore. Vix ergo iugum, & onus. Et si iugum, non nisi *suaue*; si onus, non nisi *leue*. Sicuti Genes. 29. dictum est; *seruiuit Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Et 2. Corinth. 4. *momentaneum & leue tribulationis nostræ*; quia scilicet L quamuis sit graue corpori; tamen spiritui charitate seruenti leuissimum est. Ecclesiastici 51. *modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem*; præmittitque de iugo disciplinæ. Et hanc requiem, de labore præsentis vitæ, M de tentationum concussione, de Diaboli seruitute, repromittit dicens *reficiam*. Verùm quia dicit *ego reficiam vos*, suam tandem requiem, quæ est requies gloriæ, videtur polliceri: vt exponitur illud psal. 94. Hebræor. 3. N *si introibunt in requiem meam*. Claudo cum Augustino libr. *de perfectione Iustitiæ* capit. 10. *non aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima, quæ illa grauia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta, qualia commendantur, scilicet leuia atque suauia, & oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facultatis.*

L 2. Cor. 4. 17.
M Opusc. 4. § 14.
N Hebr. 3. 1. 2.

C A P V T XII.

IN illo tempore abijt Iesus per sata sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vel-
lere spicas, & manducare. 2 Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui
faciunt, quod non licet facere sabbatis. 3 Et ille dixit eis: Non legistis quid fecerit
Dauid, quando esurijt, & qui cum eo erant: 4 quomodo intrauit in domum Dei, & panes pro-
positionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdoti-
bus? 5 Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine
crimine sunt? 6 Dico autem vobis, qoia templo maior est hic. 7 Si autem sciretis, quid est:
Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes: 8 Dominus enim
est filius hominis etiam sabbati. 9 Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. 10 Et
ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? vt
accusarent eum. 11 Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam,
& si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? 12 Quanto magis melior
est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. 13 Tunc ait homini: Extende manum tuam.
Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera. 14 Exeuntes autem Pharisæi, consilium facie-
bant aduersus eum, quomodo perderent eum. 15 Iesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt
eum multi, & curauit eos omnes, 16 & præcepit eis ne manifestum eum facerent. 17 Vt ad-
impleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem. 18 Ecce puer meus, quem elegi, di-
lectus meus, in quo benè complacui animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium
gentibus nunciabit. 19 Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem
eius: 20 arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat
ad victoriam iudicium, 21 & in nomine eius Gentes sperabunt. 22 Tunc oblatus est ei dæmo-
nium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum; ita vt loqueretur, & videret. 23 Et stupebant
omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid. 24 Pharisæi autem audientes dixe-
runt: Hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. 25 Iesus autem sciens co-
gitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuisum contra se, desolabitur, & omnis ciuitas, vel
domus diuisa contra se, non stabit. 26 Et si satanas satanam eijcit, aduersus se diuisus est, quo-
modo ergo stabit regnum eius? 27 Et si ego in Beelzebub eijcio dæmones, filij vestri in quo eij-
ciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 28 Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones, igitur per-
uenit in vos regnum Dei, 29 aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa
eius diripere, nisi prius alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet. 30 Qui non est me-
cum, contra me est, & qui non congregat mecum, spargit. 31 Ideo dico vobis: Omne pecca-
tum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. 32 Et
quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiri-
tum-sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. 33 Aut facite arborem
bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: siquidem
ex fructu arbor agnoscitur. 34 Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis ma-
li? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35 Bonus homo de bono thesauro profert bona, &
malus homo de malo thesauro profert mala. 36 Dico autem vobis, quoniam omne verbum otio-
sum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. 37 Ex verbis enim
tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. 38 Tunc responderunt ei quidam de Scri-
bis, & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. 39 Qui respondens ait il-

Marc. 2. d. 23. Luc. 6. a. 1. 1. Reg. 21. a. 4. Num. 28. b. 9. Leuit. 24. b. 8. Ose 6. c. 6. Marc. 3. a. 1. Luc 6. c. 6. Deut. 22. a. 1. Isa. 42. a. 1. Marc. 3. c. 22. Luc. 11. b. 14. Supr. 9. d. 14. Luc. 11. b. 17. Marc. 3. d. 28. Luc. 12. b. 17. Luc. 6. g. 45.

Inf 16.a. 4. *lis: Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ pro-*
Luc.11.c. 19. *phetæ.* 40 *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius*
1 Cor.1. d.22 *hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* 41 *Viri Niniuitæ surgent in iudicio*
Ionæ 2.a. 2. *cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et*
Ion.3.b *ecce plus quàm Ionas hic* 42 *Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemna-*
3 Reg.10 a.1. *bit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.*
2. Par. 9. a 1. 43 *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiem,*
Luc.11.c. 24 *& non inuenit.* 44 *Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui: Et veniens inuenit eam*
1. Petr 2. d. 20. *vacantem, scopis mundatam, & ornatam.* 45 *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus se-*
Marc.3.d 31. *cum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.*
Luc.8. f. 20. *Sic erit & generationi huic pessimæ.* 46 *Adhuc eo loquente ad turbas: ecce mater eius, & fra-*
tres stabunt foris, quærentes loqui ei. 47 *Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres*
tui foris stant quærentes te. 48 *At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui*
sunt fratres mei? 49 *Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fra-*
tres mei. 50 *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater,*
& soror, & mater est.

VERS. I. *In illo tempore, abijt Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.*

1\. Hieronymus: *propter nimiam importunitatem, nec vescendi quidem habebant locum.* Ita Marci 6. *erant enim qui veniebant & redibant multi; & nec spatium manducandi habebant.* Esuriebant; iuxta quod ait Apostolus 1. Corinth. 4. *vsque in hanc horam & esurimus & sitimus;* & Philipp. 4. *scio & satiari & esurire.* *Nec tamen*, vt considerat Chrysostomus, *ob esuriem desistebant à Christo. Nisi cogeret eos vehemens esuries, nequaquam hoc fecissent.* At non magna fercula quæsierunt, sed spicas. Ex quo & Apostolus 1. ad Timoth. 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur; his contenti simus.*

VERS. II. *Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.*

2\. Quem prætexunt & ostentant Sabbati zelum, zelus non esse deprehenditur, sed ex malignitate, ac ex liuore incusatio, vt ipsum carpant potius, quàm eos qui spicas manducauerant, seu cœperant manducare. Quàm prompte struunt calumniam! vix cœperant vellere spicas & manducare: & iam, rem quasi diligentius discussissent, proferunt reatus sententiam: illicitum scilicet esse; *faciunt quod non licet facere in Sabbatis.* Cur non in specie loquuntur, dicendo, *vellere cœperunt spicas, & manducare?* Callida est eorum delatio; neque enim tam facile erat, tantisper vellentes spicas, manducantesque in Sabbatis, condemnare. Odio verò in Dominum, non dicunt, *isti faciunt*, sed *discipuli tui*, quasi retorquenda omnino esset in ipsum tanquam Magistrum Sabbati violatio. Nam, vt fert Ioannes cap. 9. *dicebant ex Pharisæis quidam; non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* Quia enim ex Apostolo Roman. 1. *non solum illi, qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus*, idem subire debent iudicium, vt assumitur hac in quæstione

A 3. p. 40.4.3. A ab Angelico, soluti Sabbati contendunt reum quoque facere Christum, tanquam legis suo Magisterio transgressorem.

VERS. III. *Et ille dixit eis: non legistis quid fecerit Dauid?* &c.

3\. Multiplici responsione eos confutat; quandoquidem multa pariter malitia scatebat obiectio; quæ quidem emicat, si legerint quod palam in simili refert Scripturæ auctoritas. Quod si non legerint: imperitiæ notantur; quemadmodum infra capit. 22. Sadducæis dictum est; *erratis nescientes Scripturas;* subinde petulantiæ, dum ignorantes insurgunt. Et quidem sic eos velle reprimere Dominum, ex eo liquet quod tam varia in excusationem discipulorum, argumentum edisserit doctrina. Nihil introducitur de furto, quia vt animaduertit Augustinus *de operibus Monachorum* id vetitum non erat. Indultum immo fuit, seu etiam præceptum Deuteronomij 23. vt ibi visum est; *ingressus vineam proximi tui, comede vuas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum. Si intraueris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.* Instat ergo Dominus facto Dauid, qui vt legitur 1. Regum 21. cum esuriret cum suis, *comedit panes propositionis, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant; nisi solis Sacerdotibus.* Quasi dicat; nunquid præuaricatus est Dauid, tantæ æstimationis & apud vos? nunquid peccauit Achimelech Sacerdos, qui *dedit ei panem sanctificatum?* Huc literis aureis referri oportet, quod scripsit Sanctus Thomas, mirèque ad propositum

B 1. 2. 9. 60.5.2. facit. Leges, inquit, B quæ sunt rectè positæ, in aliquibus casibus deficiunt; in quibus, si seruarentur, esset contra ius naturale. Et ideo in talibus non est secundùm literam legis iudicandum, sed recurrendum ad æquitatem, quam intendit Legislator. Vnde Iurisperitus dicit; *nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas patitur; vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos, duriori interpretatione contra ipsorum commodum, producamus ad seueritatem.* Et in talibus etiam Legislator aliter iudicaret; & si considerasset, lege determinasset. Nescio quid opportunius adferri queat. Et si dicas disparatum videri exemplum; neque enim Dauid cum suis panes propositionis comedens, poterat de Sabbati transgressione imputari; sicut discipuli vellentes spicas. Respondet Angelicus, C

C D.Th. hic. & factum Dauidis fuisse in Sabbato: quandoquidem panes illi, *per singula Sabbata* (Leuitici 24.) *mutabantur*: tunc autem, vt *in libro Regum, sublati fuerunt à facie Domini*, &c. Chrysostomus sibi obijciens, recurrit ad Christi sapientiam, dum *aliud exemplum fert Sabbato maius. Neque enim est æquale transgredi Sabbati diem, (quod multoties factum est) & sacram illam tangere Mensam.* Adde tu ad paritatem, *sanctum* esse diem Sabbati, Leuitici 23. *quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus: sanctumque* vt patet 1. Regum 21. illum panem. Et sic fert Dominus casum, in quo si vrgeat, non dicitur violari sanctitas: eo vel maximè quòd vtrobique eadem subest dispensatæ legis causa; nimirum fames. Idcirco vbique D recurritur ad ne-

D 3. p. 40.4.3. & 2. 2. 122. 4. 1. & in præsenti. cessitatem, quam tunc discipuli patiebantur: quam item adducit ipse Dominus apud Marcum 2. cap.

VERS.

VERS. V. *Aut non legistis in lege, quia sabbatis Sacerdotes in Templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?*

4. Ac si diceret ex Hieronymo, *Sacerdotes sabbato immolant victimas, cædunt Tauros, holocausta super lignorum struem concremant: & sine crimine sunt.* Immo, vt notat E Angelicus, oblatio duplicabatur in Sabbato. Certè Numeri 28. habetur; *die autem Sabbati offeretis duos agnos &c. duas decimas similæ &c.* En ergo fortis alia ratio; ex qua lex congruam subit interpretationem. Dum autem ait *violant*, non fit sensus formalis quasi peccent; sed violant, idest corporaliter operantur; vt in 2. 2. dicit Angelicus.

E D.Th hic. 2. 2. 122.4.3.

VERS. VI. *Dico autem vobis, quia Templo maior est hic.*

5. Aperit Dominus causam, qua liceat Sacerdotibus sine crimine in templo opus facere, seu potiùs eam in fauorem discipulorum exaggerat. Quia enim Sacerdotes per opera, quæ faciunt in Templo, Deo famulantur, sunt immunes à culpa: ergo vbi ei, qui maior est Templo, præstandum est obsequium, ad id omnia licent. Atqui discipuli mei, vt mihi prædicanti, iter facienti, beneficia præstanti, adsint ac seruiant, sic perfunctoriè spicas vellunt & comedunt; non igitur illicita faciunt. Nunquid deficere debuerant in via, aut relinquere Dominum? Lucas cap. 6. fert; *& dicebat illis, quia Dominus est Filius hominis etiam sabbati.* Quod quidem reciprocè infertur cum præmisso; *quia Templo maior est hic.* Et ideo & Matthæus illud subdit; *Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.* Illud *hic* ex Hieronymo *non pronomen, sed aduerbium loci legendum est, quòd maior Templo sit locus, qui Dominum Templi teneat.* Verumtamen Diuus Thomas exponit aliter dicens; quod sit aliquid maius Templo patet, quia corpus suum Templum est. Ita sanè Ioann. 2. *soluite Templum hoc:* & Coloss. 2. *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Profundum autem hoc dicit, quod audientes non intelligant, vt eorum confundat superbiam: Lucæ 6. vbi de his; *repleti*, inquit, *sunt insipientia.*

VERS. VII. *Si autem sciretis quid est: misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.*

6. Arguuntur de iniusto iudicio, quo vnà simul cum discipulis condemnatus & ipse est, tanquam vel suo consensu violator Sabbati. Dicit enim *nunquam condemnassetis*; ly *con* est præpositio associatiua. Vbi eatenus innocentes discipuli dicuntur, quatenus cum ipso communicant, qui vocatur Hebræor. 7. *Pontifex sanctus, innocens impollutus.* Profunda est autem ratio excusationis in eo quod inducit; *misericordiam volo, & non sacrificium.* Radix enim, cur Deo essent accepta sacrificia, fuit, quia in reuerentiam diuinam offerebantur; F per ea & in eis protestando Dei cultum, in signum debitæ subiectionis & honoris ad Rectorem totius Vniuersi, qui est omnium principium & finis. Et vno verbo G in recognitionem Creationis & Dominij. Sabbati autem obseruantia eundem finem habuit cum sacrificijs; H quandoquidem indicta fuit in commemorationem Creationis. Septimo quippe die *requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.* At quomodo Deo Creatori huiusmodi gratum erit obsequium, si creatura famelica despiciatur? Quid vacare die Sabbati diuinis; (quod est I morale intentum præcepti: vt anima se offerat Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis) L si creaturam fame perire sustineat? 1. Ioann. 3. *qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Absit, vt Sabbati sacrificium perimat misericordiam: potiùs *misericordiam volo* quàm *sacrificium*. Ipsa quippe misericordia hostia est acceptissima; Apostolus Hebr. 13. *beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus.* *Opere* enim *& veritate* protestamur Deum Creatorem nostrum agnoscere, si ipsius creaturam, cùm esurientem viderimus, pascamus. Sic in 2. 2. q. 30. 4. 1. Deum colimus per exteriora sacrificia, non propter ipsum, sed propter nos & propter proximos. Vult enim ea sibi offerri propter nostram deuotionem & proximorum vtilitatem. Et ideo misericordia, qua subuenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum, vtpotè propinquiùs vtilitatem proximorum inducens. Et ecce de hostijs beneficentiæ mentionem sacro in textu hoc fieri; dum inquit; *itaque licet Sabbatis benefacere.* Marci 2. lis omnis dirimitur, dicendo; *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum.* Quemadmodum & 2. Machabæor. 5. legimus; *non propter locum Gentem, sed propter Gentem locum Deus elegit.*

F ex p.2. 103. 1. 1. & 2.2.85. 2.1 & 2.

G Hebr. 7.-1.

H p. 2. 100. 5. 2. & 2.7.4.

I 2.2.q. 122.4.1.

L 2. 2. 85.2.

VERS. X. *Et ecce homo manum habens aridam; &c. Si licet Sabbatis curare? vt accusarent eum.*

Cauillantur adhuc Pharisæi blasphemo corde loquentes ad accusandum Dominum, si in quo possent. Definit Angelicus hoc ex loco, M opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non esse contra Sabbati obseruantiam. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum. Licitè ergo sanat Dominus manum aridam, & instat de oue, quæ, si Sabbatis in foueam ceciderit, leuatur. Sed ipse dum exemplum ouis attendo, nedum tacitam sacrificij mentionem, de quo paulo ante dixi, fieri animaduerto, sed secretiorem intelligo causam, ex qua nedum fricare spicas, sed esurienti cibum quoque parare liceat in Sabbato. Licet quippe tenere ouem & leuare; si cecidit, leua; si iam iam casura est, tene. Vtrumque ly *ceciderit* signat. Cur ouis, hoc est innocentis alicuius hominis, non præcaueamus edulio casum? Nunquid ob custodiam Sabbati ieiunus abire debet, qui innocenter incedens vrgetur fame? Didicimus ex Salomone Prouerb. 30. Deum rogandum; *mendicitatem &c. ne dederis mihi, ne fortè egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Si labi facilè potest hæc in peccata mendicus, quanto facilius esuriens? tenendus est ergo ne cadat: vel etiam se ipsum teneat; *qui stat, videat ne cadat.* Ad hoc licitè Sabbato cibus quæritur. Pascatur ouis, quod est ipsam teneri, ne cadat. Ideo apud Marcum & Lucam interrogat Pharisæos, *si licet Sabbatis benefacere, an malè; animam saluam facere, an perdere?* Voluit Dominus id praxi euenire, vt per discipulos de Sabbati obseruantia erudiremur. Sanctorum enim actiones etsi indiscussæ, pro norma Christianæ vitæ haberi possunt. Quemadmodum dicit Augustinus in Epistola ad Casulanum, quòd *in omnibus, in quibus nihil certi definit sacra Scriptura, mos Populi, atque instituta Maiorum pro lege habenda sunt.* Ad hæc 1. Corinth. Apostolus de coma mulieris. *Si quis autem videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Vbi N Diuus Thomas. Vt ergo vides, contentiosis Pharisæis priùs obiecit quod factum fuerat à Dauid; deinde quod faciunt Sacerdotes in Templo; quandoquidem de ipso paulo post sequitur; *non contendet.* Tandem interrogatus respondet licere, vt ouem leuare, sic magis homini, qui melior est oue, subuenire. De Sabbati sanctificatio-

7.

M 2. 2 122.4.3.

N 1.Cor 11.l.3.

O 2. 2. 122. 4. ad 3. catione copiosè dixi Exodi 20. cap. Vnum hic perpendendum moneo, opera O corporalia in tantum seruilia dici, in quantum propriè pertinent ad seruientes: in quantum verò communia sunt & seruis & liberis, seruilia non dici. Quilibet autem tam seruus quàm liber tenetur in necessarijs prouidere, non tantùm sibi, sed etiam proximo; præcipuè quidem in ijs, quæ ad salutem corporis pertinēt; secundariò autem etiam in damno rerum vitando. Ex hac D. Thomæ doctrina, liquet in primis opus seruile non fecisse discipulos, spicas vellendo esurientes. Deinde Barbitonsores vitantes opera sua non leue damnum, in die festo excusari: non sic verò qui ad eos accedunt die festo, gratis operandi in illo necessitatem arti inducendo. Liquet deinde, qualiter victus humani procuratio, ciborumque coctio, etsi passim per seruos fiant, seruilia propriè non esse; nisi studioso nimis penarij vel culinæ cultu parentur cibaria. Quod cum superfluat hominis honestæ refectioni, seruorum est. Seruitus itaque, quam sibi vnusquisque singulis præstaret diebus, seruilis haud dicitur; quamuis ab ijs, qui aliàs addicti sunt seruituti, soleat exhiberi. Sed ne diem profanet festum, debet esse opus eo etiam die, indigentia naturæ personalisque vtilitatis exactum. Quare cum calceos conficere, telam contexere ad hominis indumentum, non quoque die sint necessaria personæ, seruile est nec passim dispensabile, ea operari. Quamuis si ad voluptatem fierent: ausim dicere, si puro corde, ad ocium vitandum, seruilia non fore: vel saltem, non seruiliter fieri. Ignem idcirco succendi vetitum quidem erat die Sabbati; Exodi 35. *non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati*; non quia seruile esset; sed quoniam erat cæremonia in figuram.

8. Dignum est autem considerari, & scrutari, cur, cùm in corporibus humanis tot possint fieri factaque sint alia miracula, per *gratiam* scilicet *curationum*, de qua 1. Corinth. 12. in præsentiarum diuina certè dispositione, sanetur arida manus. Plura ergo, si forte fiat satis, dicenda sunt. Primò quidem, quoniam, cum introductum esset de beneficentia: vnde clausit; *itaque licet Sabbatis benefacere*; decuit in manu, quæ præcipuū est benefaciendi instrumentum, iuxta illud Prouerb. 31. *manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*, patrari virtutem. Deinde, vt se beneficentissimum bonorum omnium datorem ostenderet, conueniens fuit, fieret gratia sanitatis in manu, vt nedum benefaceret ipse, sed faceret benefactorem. Maior

P 1. p. 105. 6. quippe ex Diuo Thoma, perfectio est, P quòd aliquid in se sit bonum, & etiam sit alij causa bonitatis; quàm si esset solummodo in se bonum. Sicut si aliquis Magister discipulos suos, non solùm scientes faceret, sed etiam aliorum doctores. Propter abun-

Q 1. p. 22. 3. & 3. 23. 8. 2. dantiam Q suæ bonitatis, dignitatem causalitatis etiam creaturis communicat. Et ecce, dictum illi, *extende manum tuam; & extendit*. Quod fert Apostolus Roman. 10. ex Isaia; *tota die expandi manus meas ad populum non credentem*, interpretatur etiam de extensione manus Dei ad beneficia. My-

R D.Th. hic. Rom. 10. l. 3. sticè homo R qui habet manum aridam, idest impotentem ad benè agendum; non potest meliùs curari, quàm extendendo; &c. Tertiò, postquam dixit eis, *non legistis*, & iterum; *aut non legistis in lege*; recolant diuina ex Scriptura, 3. Regum 13. exaruisse manum Ieroboam, *quam extenderat contra virum Dei*; ideoque in simili esse damnatione: animaduertantque diuinæ in Christo potentiæ virtutem; nam vt ibi *orauit vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est, sicut prius fuerat*; nunc ad imperium Iesu *restituta est sanitati, sicut altera*. Miracula quippe quæ facie-

bat, S sufficientia erant ad manifestandam Diuinitatem ipsius, propter modum etiam miracula faciendi; quia scilicet, quasi ex propria potestate miracula faciebat; non autem orando, sicut alij. Quartò sanat manum aridam; quia cum, vt docet pariter, T finis exterioris curationis per Christum factæ, fuerit curatio animæ: dignatus est restitutam manu ostendere, quæ sit sanitatis recuperandæ animæ planior via. Sunt equidem tria, per quæ V redit homo ad Deum; scilicet Dei gratia; Roman. 5. *iustificati gratia ipsius*; fides, Act. 15. *fide purificans corda eorum*: tertium est exercitium boni operis; Roman. 2. *factores legis iustificabuntur*. Prouerb. 15. *per misericordiam omnia peccata purgantur*: vel in quantùm X actus misericordiæ operatur circa peccatum per modum satisfactionis; & sic sequitur iustificationem: vel per modum præparationis; in quantùm *misericordes misericordiam consequentur*; & sic etiam potest præcedere iustificationem. Immò bona ante peccatum commissa A ad aliquid valent, quia post pœnitentiam reuiuiscunt; & disponitur quis faciliter ad conuertendum. Et sic super illud Hebræor. 6. *non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri*; &c. obijcit: Constat quòd iustitia respicit meritum: B si ergo iustitia exigit, quòd Deus non obliuiscatur operis, si hominem pœniteat, vt dicit glossa; ergo cadit sub merito, quòd homo resurgat à peccato; & sic meretur gratiam. Quod est impossibile. Respondet; dicendum, quòd duplex est meritum; vnum quod innititur iustitiæ; & istud est meritum condigni: aliud, quod soli misericordiæ innititur; quod dicitur meritum congrui. De isto dicitur; quòd iustum est; idest congruum: quòd homo, qui multa bona facit, mereatur. Ista enim misericordia est iuncta quodammodo iustitiæ, plusquam in illo, qui nunquam aliud fecit. Debet tamen Diuus Thomas intelligi de *congruo* latè: quandoquidem alibi C docet, neque de congruo posse sibi hominem mereri reparationem post lapsum. Sic & in Sententijs dat, D valere opera bona extra charitatem facta, ad temporalium consecutionem, atque ad gratiæ dispositionem. Vide ergo, quàm opportunè sanetur manus. Ad hæc Rabanus; *infructuosa debilitas animæ, nullo melius ordine, quàm eleemosynarum largitate curatur*. Extendendo manum suam E in subleuationem pauperis. Vnde Danielis 4. *peccata tua eleemosynis redime*: Ecclesiastici 3. *ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis*: & cap. 4. *non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Sanandus erat, in typum vtique peccatoris, paulo post cæcus & mutus, dæmonium habens: præsanatur, vt operetur, manus. Facit autem isthæc manus sanatio, ad intelligendum, requiri etiam quo quis de peccato exeat infidelitatis, vt *faciat quod in se est*. Nam sic Dominus secundùm suam misericordiam ei prouideret, mittendo ei prædicatorem fidei, sicut Paulum Actorum 16. misit Macedonibus. Sed tamen hoc ipsum, quòd aliquis *faciat quod in se est*, conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est mouente cor ipsius ad bonum. Doctrina Diui Thomæ F ad Romanos. Vbi etiam inducit de Cornelio Act. 10. Sed de eo sciendum est, quòd G infidelis non erat; alioquin eius operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Euangelij veritate. Vnde vt cum in fide pleniùs instrueret, mittitur ad eum Petrus.

[Right margin notes: S 3. p. 43. 4. — T 3. p. 44. 3. 3. — X Titi 11 l. 4. — X p. 2. 112. 4. 1. — A 1. Thes. 2. l. 1. & 3. p. 89. 5. — B Hebr. 6. l. 3. & in 2. sentent. 27. q. 1. a. 4. ad 4. — C p. 1. 114. 7. — D 4. sent. 15. 1. a. 3. q. 4. — E D.Th. hic. — F Rom. 10. l. 3. & pa. q. 109 6. ad 2. — G 2. 2. 10. 4. 1.]

VERS. XIV. *Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant*, &c.

9. Sanatur coram eis arida manus: ipsi è contra claudicant pedibus: *& exeuntes*, ad iteram, de Synagoga, consilium ineunt contra Iesum, vt perdant eum.

eum. Vbi Isaiæ 59. legitur; *telas araneæ texuerunt*, H Isaiæ 59. exponitur de eorum consilijs H inutilibus, etiam ab Haymone. Sequiturque cohærenter ad ly exeuntes; *pedes eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem*: quod & habetur Prouerb. 1. sed Isaias addit *innocentem*; additque consilium eorum innuens; *cogitationes eorum cogitationes inutiles*. Exemplificat Haymo de consilio Cain aduersus Abel, quando dixit, *egrediamur in agrum*. Et quis scit, non ideo introducatur, quomodo exierunt subticendo de Synagoga; *exeuntes*: vt vel ea vocula tangeretur insidiaturos figurato innocenti Abel, exijsse. Sic & Ioannis 5. *quærebant magis eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Verùm si isti necem Domini machinantur, non desunt qui Christo Domino credant: nam *secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes*. Quare, vt fert alias Ioannes c. 9. *schisma erat inter eos*. Et prius c. 7. *& murmur multum erat in turba de eo: quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas*. Sed ne persequentes ipsum deteriores fierent, ait Remigius, ideo *præcepit eis ne manifestum eum facerent*; vt in versu 16. claret.

VERS. XVII. *Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: ecce puer meus quem elegi*, &c. vers. 18.

10. Hæc Isaiæ auctoritas ad verbum in Propheta non legitur. Sic enim Vulgata reddit; *Ecce seruus meus; suscipiam eum: electus meus; complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum: iudicium Gentibus proferet: non clamabit neque accipiet personam; nec audietur vox eius foris: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet; in veritate educet iudicium: non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius Insulæ expectabunt*. Translatio græca Septuaginta Interpretum sic. *Iacob puer meus; assumam eum: Israel electus meus; suscepit eum anima mea: dedi spiritum meum super eum: iudicium Gentibus educet; non clamabit, neque dimittet; neque audietur foras vox eius: calamum fractum non conteret, & linum fumigans non extinguet: sed in veritate educet iudicium: splendebit & non conteretur, donec ponat super terram iudicium. Et in nomine eius Gentes sperabunt*. Procul dubio magis de verbo ad verbum Vulgata; si non alio ex capite; saltem quia in hebraica litera, nec *Israel*, nec *Iacob* reperies. Quare Septuaginta quodammodo exponere, eo quòd Interpretes agebant, conati sunt. Verùm, an attigerent omnino, videat eruditus lector. Matthæus certò, cuius intelligentia de Spiritu Sancto creditur; præsertim quia sedens ad Telonium non hæc didicerat, rem assecutus est. Quocirca I D. Th. hic. sciendum, quòd alij Apostoli I dicunt auctoritates secundùm hebraicam veritatem; alij secundùm expositionem Septuaginta; alij sensum solùm verbis exprimunt. Et sic dic tur in præsenti, germaniori sensu Prophetiam à Matthæo referri: sic vt de Christo potissimè interpretanda sit: quamuis alto sermone mysteria condat. Adeamus ergo per singula vaticinium. *Ecce*, inquit. Omiserunt hanc transferre voculam Septuaginta. At nobili creditur posita relatu ad illud Isaiæ 7. *ecce Virgo concipiet*: quando & ibidem c. 9. legunt Septuaginta: *Puer natus est nobis*: vbi noster habet *paruulus*; *ieled* quippe à radice *ialad* puerum significat. Et licèt Isaiæ 42. dicat Propheta *hen ngaudi*; *ecce seruus meus*, à radice *nganad*: voluit Spiritus-Sanctus in Matthæo legi *puer*; vt mihi videtur, ad significandum Christi ministerium; nam *gneued* à radice *gnauad* significat nedum seruum sed & ministrum: & *puer* pro ministro accipitur à radice *nangar*, vt dictum est cap. præcedenti v. 16. *Ecce puer* ergo *meus*, idest *ecce meus minister*. Quamuis enim verè dicatur Christus esse in forma serui, qui Philipp. 2. *cum in forma Dei esset, formam serui accepit*: nihilominus quia in hac serui forma munus gessit ministri, *puer* hic nuncupatur. Planè Apostolus Rom. 15. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis* &c. Sequitur apud Isaiam; *suscipiam eum*: quorum verborum loco dicit Matthæus *quem elegi*: nam in Ps. 64. vtrumque dicitur; *beatus quem elegisti & assumpsisti*. Hunc Psalmum memorat L Sanctus Thomas. L D. Th. hic & pl. 1. Quare sicut ly *suscipiam eum* apud Isaiam M pertinet ad gratiam vnionis; ita ly, *quem elegi*. M Psal. 3. Isaiæ 42. & opusc. 60. 3. & 3. p. 7. 13. *Electus* scilicet est Christus, vt inquit Isaiæ 42. Haymo, *ex omni genere humano; in quo totius mundi consistat salus*. Vnde Ecclesiastes 7. *virum de mille vnum reperi*. Canticor. etiam 5. *electus ex millibus*. Præterea ly *quem elegi* sicut ly *electus* in Isaia, referri potest N ad gratiam capitis. N Isaiæ 42. In eo autem quod subditur, *dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea; ponam spiritum meum super eum*; tangitur gratia Christi O habitualis. O 3. p. 7. 13. n sed contra. & opusc. 60. a. 3. Vtrumque quippe de Christo dicitur, vt scilicet sit dilectus & electus: Cant. 5. *dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Et quia ex doctrina Angelici præceptoris, P gratia vnionis præcedit gratiam habitualem ordine naturæ & intellectus; P 3. p. 7. 11. prius de susceptione *suscipiam eum*: seu *quem elegi* loquitur prophetia. Aliàs cum, (si de electione & dilectione Dei loquamur) dilectio præcedat electionem Q, Q p. p. 23. 4. & hic. quemadmodum è contra in humanis dilectionem præcedit electio; debuisset Matthæus præmittere de dilectione; sed ideo de electione præmisit, *quem elegi*; quia de gratia vnionis, quæ gratiam habitualem (qua Deus Christum dilexit *posuitque super eum spiritum suum*) præcedit, voluit intelligi. Dilectus autem Christus simpliciter dicitur secundum quod & Colossensium 1. *transtulit nos in Regnum filij dilectionis suæ*; in quantum R est à Deo superabundanter dilectus. R p. p. 41. 1. 1. Pergit autem Apostolus; *in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum*. Et vide quàm lepidè inducitur à Matthæo Isaias. Nimirum quando Pharisæi ex odio cupiunt Iesum perdere, perhibetur *dilectus, in quo Deus sibi complacuit*; quando consilium faciunt; vt eorum eludatur consilium, ecce Dei electio: *electus*, seu *quem elegi*. Verùm cum quibus consilientur, an inter se se, non dicitur. Quare cùm nunc primò in Euangelio *impiorum consilium* memoretur, fas fuerit ad illud propheticè tactum referri, de quo Patriarcha Iacob Gen. 49. *in Consilium*, inquit, *eorum non veniat anima mea*. Loquitur autem ibi ad literam de Simeone ac Leui. Igitur quia de Simeone S fuerunt adinuentores sectæ Pharisæorum: S Io. 11. l. 7. Matth. 26. & Gen. 49. Sacerdotes verò & Pontifices manifestum est fuisse de Tribu Leui: consectarium est, in præsentiarum Pharisæos consilium inijsse cum Sacerdotibus & Scribis. Palam Ioa. 11. *collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium*: quòd fit certè ad consiliandum; *Vbi Scribæ & Seniores conuenerant*.

Sequitur versu 18. *Et iudicium Gentibus nunciabit*.

Ex nuper dictis haberi potest, quidnam sonet 11. quod subiectum est. Quamuis enim exponatur de finali iudicio à plerisque, atque etiam à Diuo Thoma: T (sed reor, ad aliorum sententiam) nihilominus, T Isaiæ 42. & hic. quia postea de iudicio, *donec ponat in terra iudicium* fit sermo; placet magis, vt de iudicio intelligatur Dei, Gentibus nunciato seu prolato; quia scilicet Rom. 11. *illorum*, nempe Iudæorum, *delicto, salus est Gentibus*: V occasionaliter. V Rom. 11. l. 1. Vnde & Ioan. 4. *Salus ex Iudæis est*. Quia dum Iudæi repulerunt Apostolorum doctrinam; consecutum est, vt Apostoli Gentibus prædicarent: Act. 13. *vobis oportebat*

bat primum loqui Verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes. Et Act. vltimo edixit Paulus Iudæis: *notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei.* Vbi Apostolus subiungit; *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt indicia eius;*
X Rom. 11. l. 5. loquitur etiam de iudicio, X quo Gentes post incredulitatem misericordiam consecutæ sunt: Et A-
A 4. Sent. 46. expo-sit. 1. postolus A dicit Dei iudicia dispositiones eius. Et quidem per Apostolos nunciauit iudicium Gentibus: secundùm quòd Ephes. 2. eis dictum est; *iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei:* Item Rom. 11. *tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis.* Et mox; *vide ergo bonitatem & seueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate.* Inducit sic eos
B Rom. 11. l. 5. B in diligentem considerationem diuinorum iudiciorum. Hoc ergo, vt mihi videtur, altissimum est Dei iudicium, quod fuerat proferendum, tanquam occultum, & in consolationem ipsorum Gentibus annunciandum: postquam vt inquit Matthæus (conspirantibus impijs suo consilio in eum) *Iesus sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes:* cohærenter ad id quod ait Paulus ibidem; *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret;* Dicit Beatus Gregorius; *iudicia Dei magis sunt veneranda quàm discutienda.* Hic
C Apoc. 1. com. 1. ibi, omne sanum vide. exscribere operæ pretium est quod in Apocalipsi C habet Angelicus. Quæritur communiter, inquit, de Iudæis circa præmissa: Quare scilicet Deus Iudæos primò ad se traxit ante legem & sub lege; Gentiles autem in infidelitate reliquit? Postea verò paucis Iudæis conuersis tempore gratiæ per se, & per Apostolos, respectu eorum, qui permanserunt infideles, reliquit Iudæos; & facti sunt obstinati: Gentiles autem priùs idola colentes conuertit? Respondetur: Licet aliqua super his verè possent dici: tamen meliùs dicitur, huius rationem plenam & claram apud Deum esse. Nota ita & ex Apostolo dicente Rom. 11. *illorum delicto salus est Gentibus. Noli altum sapere, sed time;* in talibus enim occulta sunt sua iudicia, tamen iustissima; quia nihil sine ratione iustissima facit. Vnde dicit Beatus Gregorius; *incomprehensibilitas diuini iudicij, humanæ mentis oculis non valet penetrari, quare primum Iudæa credidit, Gentilitate omni, in perfidia Gentilitatis remanente. Postmodum verò ad fidem, Gentilium corda mollita sunt, & Iudæorum infidelitas obdurata.* Propter hoc exclamat Apostolus: *O altitudo diuitiarum, &c. quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Dic ergo tu; quia hoc euenturum erat, huicque iusto Dei iudicio præluserunt Pharisæi, qui *consilium faciebant aduersùs Iesum, quomodo perderent eum:* ideo Isaiæ vaticinium profert Matthæus. Adde ex D. Th. Ioan. 6. l. 4. lit. g. non imputatur hominibus, si absque auxilio Dei ad fidem venire non possunt; sed hoc ei imputatur, qui non venit, quia impedimentum præstat auertens se à salute; cuius via quantum in se est, omnibus est aperta.

VERS. XIX. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.*

20. Quoniam Prou. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba sua?* Itemque Prou. 8. *nunquid non sapientia clamitat?*
D Ioan. 7. l. 3. &c. sciendum est, D clamorem multifariam dici. Quandoque enim importat magnitudinem dicendorum: & sic *Sapientia clamitat;* & Seraphim Isaiæ 6. *clamabant alter ad alterum; Sanctus, &c.* Quandoque importat magnitudinem deuotionis, secundum illud Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui.* Sic ibi; *clamabat Iesus in templo docens.* Quandoque autem importat turbulentiam animi interius concitati; & hoc modo non competit Christo. Alibi, E admittitur clamor deuotæ orationis; E Isaiæ 42.
Hæbræor. 5. *cum clamore valido & lacrymis exauditur est pro sua reuerentia:* item attentæ prædicationis; Ioan. 7. *stabat Iesus, & clamabat dicens; si quis sitis,* &c. Hoc ipsum *neque clamabit* &c. claruit, quando Matthæi 27. *non respondit Pilato ad vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehementer:* F iuxta illud etiam Isaiæ 53. *quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Bene autem vno verbo dicitur, *non clamabit;* vt radix nulla intelligatur præcedentium passionum, de quibus ad Ephes. 4. *omnis autem amaritudo & ira & indignatio, & clamor, &c. tollatur à nobis.* Sanè & ex Seneca monemur, *vox sit sine clamore.* Ex hoc autem quod præmissum est, *non contendet,* innuebatur non clamaturus, quandoquidem contentio est *cum confidentia clamoris,* vt in Syntaxi dicetur. Colligiturque & contentiosè locutos fuisse è contra Pharisæos, ira & inuidentia plenos; quando & infra c. 27. *Princeps Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent:* (& hic *Consilium faciebant,* vt *perderent*) vnde concitati *magis clamabant, dicentes; crucifigatur.*

F hic & Matth. 27.

VERS. eod. *Nec audiet aliquis in plateis vocem eius.*

Si capax fuisset iræ, dereliquisset meritò Iudæam, ad Gentes declinans. Sed licet Gentiles non omninò repulerit, vt patet de Samaritana Ioan. 4. & de Chananæa Matthæi 15. G ne spes salutis eis præcluderetur; attamen in propria persona, & per suos Apostolos in principio H solis Iudæis prædicauit. Certè supra c. 10. *præcepit eis dicens, in viam Gentium ne abieritis,* &c. Et ipsemet c. 15. *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel.* Itaque hoc videtur significari per Prophetam; nimirum quanquam contentiosi, clamore sisi impugnaturi essent Iudæi Messiæ doctrinam; attamen *ad confirmandas promissiones Patrum,* (quod ait Apostolus Rom. 15.) ministerium suum inter eos obire non destitit: licèt aliàs mererentur destitui iuxta illud Augustini; *malum est nobis de nobis: quia dimisimus te, dimisisti nos nobis.* Ostendit etiam I Angelicus non obstante istorum offensione, qui semper doctrinæ Christi obsistebant, consultum fuisse, vt Iudæis prædicaret; quia salus multitudinis præferenda est paci quorumcumque singulorum hominum. Igitur bene fuit prophetizatum, *non audietur vox eius foris.* Radix hebraica *chuz* exinde etiam *plateas* significat; (quod legitur in Mattheo.) Nihilominus aliquando discernuntur *platea & foris;* vt patet Prouerb. 7. *nunc foris, nunc in plateis:* Vbi hebraicè *bachutz, barchoùot;* quod à radice *rachab* amplitudinem, latitudinem, & sic plateam potest significare. *Non audiet* ergo *aliquis in plateis vocem eius,* quia non extra Iudæam: cuius metropolis Ierusalem; de qua Ezechielis 5. *ista est Ierusalem: in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras.* Vnde ad significandum, qualiter Christus Dominus non erat in amplo circuitu Gentium, prædicationis suæ vocem daturus: *non audiet* inquit Matthæus, *aliquis vocem eius in plateis.* Quæ præterea metaphora *platearum* apprimè congruit; quoniam in plateis consueuerunt, quæ ab omnibus scienda sunt, promulgari: lex autem Euangelica non erat promulganda Christi voce, sed per Apostolos, iuxta quod c. vltimo; *euntes in Mundum vniuersum,* iussit eis; *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ergo vox eius non erat audienda foris; sic

13.
G 3. p. 42. 1.
H 3. p. art. cit. & hic.
I 3. p. 42. 2.

ue in plateis; idest per ipsum doctrina eius non erat orbi promulganda; sed per eos, de quibus psal. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum*. Sed animaduerte, quòd quamuis in persona vocem suam non esset in plateis, seu foris editurus; nihilominus, quia, *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*, verè etiam dicitur vocem eius audiendam fuisse in plateis, dum in plateis audiendi fuerant Apostoli. Sicut enim Exodi 4. dixit Deus Moysi; *ego ero in ore tuo:* sicut dicit Apostolus 2. Cor. 13. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* (quoniam scilicet, quæ homo facit ex instinctu Spiritus-Sancti, L dicitur Spiritus-Sanctus facere: vnde quia à Christo motus Apostolus hoc loquebatur, attribuit Christo tanquam principali) ita secundum quòd Lucæ 21. dixit Apostolis; *ego dabo vobis os & Sapientiam*, &c. verè vox eius audita est in plateis. Et hoc ex sacro habetur textu; quandoquidem non omnino negatur, sed quousque opportunum obueniat tempus: vnde subdit, *donec eijciat ad victoriam iudicium*. *Omnia* enim Ecclesiastes 3. *tempus habent*, estque *tempus tacendi & tempus loquendi*. Et ad hunc sensum præmiserat Isaias c. 2. *quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Aliàs videretur sibi non concors; quomodo enim *exibit Verbum Domini de Ierusalem*, si *foris* non audienda erat *vox eius*? Sed iam innotuit quo pacto futurum fuerit. Nimirum, ait Angelicus M quia inde doctrina eius exiuit in vniuersum Mundum, per hoc quod Apostoli in Cœnaculo Sion Spiritum-Sanctum receperunt. Sion erat arx Ierusalem, vbi situm N erat Templum, & domus regis. Et sic Ioannis 7. super illud; *nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?* inquit Augustinus O *non præsentia corporis, sed pedibus suis, scilicet Apostolis*; & sic in persona Gentium Isaiæ 2. *docebit nos vias suas*. Vnde quod subijcit Matthæus, *& in nomine eius Gentes sperabunt*, in idem recidit cum textu Isaiæ; *& legem eius Insulæ expectabunt*: nam Genesis 49. *ipse erit expectatio Gentium*, & Isaiæ 33. *Dominus legifer noster*.

[L 1. Cor. 12.11.] [M Rom. 1.l.5.] [N Isaiæ 40. & Io. 12. l.3.] [O Ioann. 7. l.4.]

VERS. XX. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*.

14. Multipliciter exponitur à Patribus, vt est in Catena aurea videre. Germanior veruntamen intelligentia, quæ contextus consensum foueat, est Diui Thomæ: fuitque Haymonis Isaiæ 42. Inquit enim; P quantum ad Iudæos, duo erant in eis, scilicet regia potestas, & Sacerdotalis dignitas. Regia potestas significatur per arundinem. Sic infra cum posuerunt arundinem in dextera eius, Q inquit, loco sceptri. Ex quo & Sanctus Athanasius de passione, & Cruce Domini; *arundinem in manu dabant: & quem pro nihilo duxerant ceu vilem, hunc confitebantur Regem*. Congruè quidem, primò quia sceptrum virga Regni arundine consueuit significari, cum nullius præsertim est roboris; 4. Regum 18. *an speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypti?* Isaiæ 36. *ecce confidis super baculum arundineum confractum istum*; Ezechielis 29. *pro eo quòd fuisti baculus arundineus Domui Israel*. Potestas terrena R arundinea est; exterius habet nitorem, interius vacuitatem; ad homines habet apparentiam; in ipsis, qui præsunt, non habet existentiam. Et iterum; S in arundine quæ vacua est, potestas terrena intelligitur, quæ nihil habet soliditatis. Dic ergo: si terrena potestas in se arundini comparatur causis quæ supra; cum quassata arundo dicitur, quidnam erit? Certè, per huiusmodi quassatam arundinem infirmæ & flaccescentes reliquiæ dominatus terreni capi debent. Has Iudæorum ergo reliquias non exterminabit. Iam, inquit Angelicus, T quassata erat huiusmodi arundo; quia erant subiecti Romanis. De hoc latè dixi Genesis 49. Et hoc satis claret, dum Ioann. 18. dixerunt ipsimet; *nobis non licet interficere quemquam*: quia V iam residebat hac potestas apud Præsidem. Et si lapidauerunt Stephanum, dici potest, id factum esse in Magistratus mutatione: tùc enim multa vsurpantur. Vnde illud quoque c. 19. *non habemus Regem nisi Cæsarem*. Adhuc tamen nonnihil potestatis retinebant: in quantum poterant delinquentes corrigere. Consuetum enim erat X quòd si aliquis primò diceret, vel faceret contra legem, vocabatur ad Concilium & reprehendebatur; sed si secundò: cum reprehensione flagellabatur: si tertiò: vel occidebatur, vel tradebatur ei cui inesset potestas. Sic super illud Joan. 19. *ecce adduco eum vobis foras*, &c. sensus est; A fortassis aliqua leuia fecit contra legem, propter quæ flagellationem tantùm promeruit. Sic flagellati sunt aliquando ab impijs discipuli, vt patet Act. 5. & Paulus de se; *à Iudæis quinquies* (2. Cor. 11.) *quadragenas, vna minus accepi*.

[P D. Th. hic.] [Q Matthæi 27.] [R Opus. 41. l. 1. c. 1.] [S ibi li. c. 9.] [T D. Th. hic.] [V Ioann. 18. l. 5.] [X Matthæi 10.] [A Ioann. 19. l. 2.]

Per *linum fumigans* B significatur Sacerdotium. 15.
Vnde Sacerdotes linejs vestibus vtebantur. Pannus lineus propter sui munditiam C innuit conscientiæ puritatem. Lege Exodi 28. *tunicam & lineam strictam:* item *facies & feminalia linea*. Agitur ibi de vestibus Sacerdotum. Quocirca Angelicus; D castitas significatur per femoralia; puritas verò vitæ per lineam tunicam. Dic igitur, euanescebat sensim moraliter huiusmodi Sacerdotium factum linum fumigans. Extinguendum erat legaliter. Erat enim E Sacerdotium illud corruptibile, quia multiplicabatur in eadem specie. Vnde Aaron mortuo successit Eleazar. Iuxta quod deducit Apostolus: *Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere*, &c. Nihilominus sustinuit Dominus, nec eos erasit de terra, pessum dando, tum aliqualem eorum potestatem, tum Sacerdotalem eorum dignitatem: quia etsi id exigeret eorum malitia & proteruia; non id passa est Domini mansuetudo & clementia, *qui sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum*. Diuus Thomas Rom. 9. lect. 5. grauius fuit peccatum Iudæorum, quàm Sodomorum: & ideo quòd Iudæi non sunt totaliter exterminati sicut Sodomitæ, est diuinæ misericordiæ imputandum: iuxta quod fert Matthæus infra c. 21. *ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Et quousque sustinebit? *Donec eijciat ad victoriam iudicium*: legit Matthæus. Ioann. 10. *nunc iudicium est Mundi; nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra* &c. Iudicium Mundi, F quo iudicatur pro Mundo; in quantum Mundus à seruitute Diaboli liberatur, per virtutem passionis Christi; quasi per passionem victoriam de Diabolo habeat. Profundè autem dicit Matthæus; *donec ad victoriam*; quia vt mirè habetur ex Sancto Thoma, G Sacerdotium Christi & eius Regnum præcipuè consummatum est in eius passione. Tunc ergo in passione *arundinem quassatam*, seu præquassatam *confregit, & linum fumigans extinxit*: nedum quia perfidos sub Tito Vespasiano ac Adriano contriuit, profugos vagos in nationibus vt prædixit Ieremias, Ezechiel, Osee: vnde & in Threnis c. 2. *tradidit in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem*: sed quia, vt dicetur in Syntaxi, mortua ad Christi mortem, mortiferaque deinde fuerunt legalia.

[B D. Th. hic.] [C 3. p. 83. 3. 7.] [D p. 1. 102. 5. 10.] [E Hebr. 7. l 4.] [F Ioann. 12. l. 5.] [G 3. p. 35. 7. 1.]

Itaque textus iste de arundine, ac de lino, est veluti expositorium præcedentis; quia non audienda erat vox eius *in plateis, seu foris*; hoc est extra Ierusalem: quam elegit Dauid H vt in ea sedem Regni constitueret & Domum Dei ibi ædificaret, quo esset Ciuitas simul regalis & Sacerdotalis. Nam vt retuli Genes. 22. in parte altera I Montis Moria, promunebat 16.

[H 3. p. citata.] [I Genesis 22.]

nebat Sion, in qua erat Arx Dauid: iuxta quam in area Ornan Iebusæi, vt habetur 2. Paralipomenon c. 3. à Dauid empta, Salomon Templum construxit. Cohæret autem Prophetia Isaiæ isthæc præmissis, sicut ait Matthæus *vt impleretur*; quoniam à Phariseis obsistentibus contendentibus incusantibus mansuetissimè declinauit, cum mereretur Iudæa mox extirpari, facilis adeo ad blasphemias. Cohærenter etiam, eo quòd sua doctrina de die Sabbati, ostendit qualiter legalia, quæ ab ore Sacerdotum attendebantur, Malach. 2. *legem requirent ex ore eius*, in fumum paulatim soluebantur, dum implerentur. Non mirum autem, si & quassari præuisa est terrenæ eorum potestatis arundo, deinde confringi omnino, quando præuisum est, eos communi consensu, arundine in dextera eius posita, fuisse illusuros. In quo Isaiæ vaticinio, Messias vel ex hoc perhibetur quòd, tangitur Iacob prædictio Genes. 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est*: Et sic *Dux de femore eius*; seu *Scriba de inter pedes eius*, vt ibi expositum est. Quod attinere potest ad *linum fumigans* Sacerdotum, qui plebis Duces dicuntur: de quibus, & addi valeat; *cæci sunt & Duces cæcorum*: ablaturus enim erat *Dominator Dominus exercituum à Ierusalem & à Iuda sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici* vt ait c. 3. idē Isaias, qui prauis corruptisque moribus, & populum & sanam Scripturarum intelligentiam vitiabant. Vtrumque etiam & de Regno & de Sacerdotio exprimit Ieremias c. 13. *ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & Reges, qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & Sacerdotes & Prophetas, & homines habitatores Ierusalem ebrietate*. Et paulo post, *non parcam, & non concedam, neque miserebor, vt non disperdam eos*.

17. Adhuc autem non prius ab aliquo excitata insurgere potest quæstio; cur scilicet Diuus Matthæus non integram ferat Isaiæ auctoritatem? Ter enim Isaias *mispat*, hoc est *iudicium* memorat; & sic Septuaginta; Sanctus autem Euangelista bis tantum, vt constat. Respondeo supersedere Matthæum à iudicio finali, de quo ad præsens non erat inductus sermo: Et eadem ex causa omisit illud, *non erit tristis, neque turbulentus*. Quod intelligitur secundum Haymonem Isaiæ 42. in quantum æqualitatem vultus seruaturus erat: *donec ponat in terra iudicium: tunc enim*, inquit, *blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis*.
L Opusc. 6. Vnde & Angelicus L malis apparebit iratus & crudelis: in tantum vt dicant *montibus, & petris; cadite super nos* (Apoc. 6.) *& abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab ira Agni*. Quamuis dici possit, in eo quòd de iudicio pro Mundo à seruitute Diaboli exprimit, tangi & de iudicio finali, sic
M Io. 12. l. 5. lit. f. enim discernuntur boni à malis, vt ait Diuus M Thomas. Præterquam Matthæus hic versu 36. & 42. palam de iudicio dicturus erat; vt patet intuenti.

VERS. XXI. *Et in nomine eius Gentes sperabunt.*

18. Ad literam in Isaia: *& legem eius Insulæ expectabunt*. Septuaginta legunt quod & Matthæus. Radix *iachad* vtrumque importare potest, & *sperare* & *expectare*. Radix *iarah* fert vtique *legem, instrumentum, doctrinam*; sed ægrè patitur quod legunt Septuaginta, *& in nomine eius*. Quod dicunt *Gentes*, nullatenus est in textu; nisi quod quia radix *ei* parit nomen *insulæ*, secundùm sensum, tanquam extra Iudæam, pro *Gentibus* acceperunt. Consectarium ergo ad receptam Messiæ legem exprimunt Septuaginta & Matthæus. Vbi enim Isaiæ 33. præmissum est; *Dominus Iudex noster; Dominus legifer noster; Dominus Rex noster*; subditur pro spe excitanda, *ipse saluabit nos*. Quoniam verò Matthæi allegatio transfert lectorem ad Isaiæ locum, vbi *& legem eius Insulæ expectabunt*; fas fuerit cum Augustino super illud psal. 96. *Dominus regnauit exultet terra, lætentur Insulæ multæ* exponere, *quia verbum Dei non in sola continenti terra prædicatum est, sed etiam in Insulis, quæ constitutæ sunt in medio mari, & ipsæ plenæ Christianis, plenæ sunt seruis Dei: non enim separat mare eum, qui fecit mare. Veruntamen possunt & in figura rectè accipi Insulæ omnes Ecclesiæ. Quare Insulæ? Quia circumlatrantibus fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo Insula vndique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest; magis magisque ipsa frangit fluctus venientes, quàm frangatur ab eis; sic & Ecclesia Dei pullulantes per totum orbem terrarum passæ sunt persecutiones vndique frementium infidelium. Et ecce stant Insulæ; iam placatum est mare*. Hanc ergo expectationem habituras fuisse Gentes, liceat mihi, voluisse Isaiam: *Et legem eius Insulæ expectabunt*; legem illam allegoricè de qua Prouerb. 8. *quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Et Iob. 38. *vsque huc venies, & non procedes amplius; & hic confringes tumentes fluctus tuos*; puta vsque ad Constantini Tempora, sub quo quieuit Ecclesia.

VERS. XXII. *Tunc oblatus est ei Dæmonium habens, &c.*

Ioannis 12. perhibet Dominus; *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*. Ecce de facto eijci Dæmonium, vt ait Lucas; *& cùm eiecisset Dæmonium* 19.
c. 15. quam vocem vsurpat & Matth. ipse supra c. 9. dicēs; *& eiecto Dæmonio, locutus est mutus*. Immò & hic præinnuit eiectionem de qua Ioannis 12. dum ait; *donec eijciat ad victoriam iudicium*. Et rursus; *si ego in Beelzebub eijcio Dæmonia*. Dic ergo moraliter cū Augustino tract. 52. in Ioannem; *possidebat Diabolus genus humanum &c. per Christi autem fidem, &c. millia credentium à Dominatu liberantur Diaboli. Hoc vocat iudicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis Diaboli expulsionem. Curauit ergo eum ita vt loqueretur, & videret*: videret per fidem, loqueretur per fidei confessionem 2. ad Corinth. 4. *habentes eundem spiritum fidei, credimus; propter quod & loquimur*. Et Rom. 10. *corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. Et sermo est de confessione Diuinæ N veritatis. Ideo N Rom. 10. l. 2.
baptizati liniuntur chrismate in fronte signo Crucis; vt ipsum Crucifixum confiteri non erubescant. Exterior quippe locutio O ordinatur ad significandum id, quod corde concipitur; vnde sicut interior O 2. 2. 3. a. 1.
conceptus eorum, quæ sunt fidei, est propriè fidei actus, ita etiam & exterior confessio. Act. 4. *non enim possumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*. Quamuis autem sit priùs credere, quàm fidem confiteri, dicitur hic, *ita vt loqueretur & videret*, figura *hysteron proteron*, qua priora posteriùs dicuntur. Priùs quippe est credere quàm loqui. Psal. 115. *credidi propter quod locutus sum*. Signum veruntamen fidei, est fidei confessio. Nam ait Augustinus in eundem Psal. *non enim perfectè credunt, qui quod credunt, loqui nolunt*. Adde pro confirmatione, Zachariam incredulum Lucæ 1. mutum subinde euasisse. Moraliter etiam per Dæmonia vitia significantur & peccata, vt ait Gregorius ad illud Lucæ 8. *de qua septem Dæmonia exierant*. Excæcatio autem est effectus peccati; Sap. 2. *excæcauit eos malitia eorum*: malitia enim est causa excæcationis P meritoria, sicut culpa est causa pœnæ. Et hoc etiam modo Diabolus excæcare dicitur, in quantùm inducit ad culpam. Inter infirmitates, quas incurrit homo P p. 1. 79. 3. 3.
Q quando peccat mortaliter, est mutitas per peccatorum suorum occultationem: & tunc vinculum soluitur linguæ peccatoris, cùm peccatum confitetur. Quocirca alio in Sermone; R Habuit hic homo Q Serm. Dom. 11. post Pēt. R Serm. Dom. 1. Quad.

mo tua mala, quia & dæmoniacus fuit, & cæcus & mutus; & significat tria mala, quæ incurrit homo per peccatum. Primum est, quia à dæmonio possidetur: 1. Tim. 2. *vt resipiscant à laqueis Diaboli, à quo captiui detinentur, ad ipsius voluntatem*. Secundum est, quia cæcus efficitur; Sophoniæ 2. *ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*: tertium malum, quia mutus ad laudandum Deum & confitendum peccata sua efficitur. Et ecce tria bona, quæ sequuntur animam in iustificatione: primum est, quia à potestate Diaboli eripitur; Coloss. 1. *qui nos eripuit de potestate tenebrarum*: secundum, quia lumen gratiæ sibi restituitur; Psal. 145. *Dominus illuminat cæcos*: tertium est, quia loquela ad laudandum Deum, & confitendum peccata sua ei redditur, &c. *ita vt loqueretur*.

20. Animaduertit Augustinus lib. 2. *de consensu Euangelistarum*; Lucæ 11. post alia multa, de huiusmodi sanato homine referri; & mutum diei, non verò dici cæcum. Nihilominus censet idem esse miraculum: *sed non ex eo quod aliquid* (Lucas) *tacet, de alio dicere*, inquit, *putandus est*. Sic videtur sensisse & D. Thomas, qui Sermone præfato super Lucæ textum, tanquam de cæco etiam verba facit. Et hic ait; de quo habetur Lucæ 11. sed non est inconueniens, vt quod recitatur in vno, subticeatur in alio. Et congruens est ratio, quia quæ sequuntur, vt inquit idem Augustinus, *totidem verbis sunt in Matthæo & Luca*. Adde; qui Lucæ 11. mutus est, probari *à posteriori* vt inquiunt cæcum; quia qui lumine fidei donatus est, minimè est mutus: & si mutus est, nondum credit; nàm qui credit loquitur; *credimus propter quod & loquimur*. Nihilominus nihil absurdi, si vt innui cap. 9. in Syntaxi, idem ipse esset, qui mutus ibi c. 9. cæcus & mutus c. 12. mutus duntaxat dicitur Lucæ 11. Consequenter nihil absurdi, si bis Matthæus hoc retulisset; Syntaxis attento ordine, cui vnicum etiam signum, non semel tactum sed bis, ter quoque, conferre potest. Satis ergo fuit instituto supra c. 9. memorari mutum, vt ibi dictum est. Satis etiam fuit Lucæ, mutum dicere; quandoquidem circa legem legisque mutationem versatur. Inquit autem Ambrosius relatus in Catena Lucæ 1. mutum esse, qui non intelligit legem. *Cur enim tibi magis videatur mutus esse, qui sermonem, quàm qui mysterium nescit?* (ò pulchra ad rem sententia!) Porrò hic cæcus & mutus perhibetur, quia est vt dicemus in Syntaxi Gentium in typum. Vbi etiam, quare dicat Matthæus *curauit eum*, non potius *eiecit*, vel *eiectio Dæmonio*.

VERS. XXIV. *Pharisæi autem audientes dixerunt; hic non eijcit Dæmonia nisi in Beelzebub.*

1. Quę præmittit de plausu turbarum, sustine ad Syntaxin. Interim nota, quomodò innuitur, amaros fuisse, indignatos contendisse clamasseque Pharisæos; quamuis ipse mitis & humilis corde, non cōtendebat neque clamabat vt ait Propheta, innuitur inquam, quoniam deuenerunt ad blasphemiam. Apostolus gradatim vitia percensens in ea terminat dicens, *omnis amaritudo & ira, & indignatio & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*. Ita ad Ephes. 4. Primò ergo dixerunt S blasphemiam in filium hominis, cum dicebant eum voracem, potatorem vini, & Publicanorum amatorem: (supra c. 11.) postmodum autem blasphemauerunt in Spiritum-Sanctum, dum opera, quæ ipse operabatur virtute propriæ Diuinitatis, & per operationem Spiritus-Sancti, attribuebant Principi Dæmoniorum. Nota, Beelzebub fuisse Idolum Accaronitarum, habens caput muscæ, quia aduersus muscarum pestem colebatur. Et dicebatur Deus muscarius; quòd eas frequentes & infestas arceret. Nam

S 2.2.14. 1.

zebub hebraicè musca dicitur; Isaiæ 7. *Bangal* autem seu *Baal*, mollius *Bal*, *Beel*, & *Bel* significat Dominum, vel Magistrum. Et quia in Syria, & speciatim in Accarone solemnius colebatur, Plinius lib. 8. c. 29. *Achorem*, quasi *Accaron Deum* vocat; quia nomen istud notius vulgo erat. Baal tamen commune Deorum nomen erat; sed pro varietate locorum vel euentuum distinguebatur. Nec abnuunt Interpretes hunc Deum muscarium coincidisse cum Ioue Baal cognominato. Quare cum Iuppiter Princeps censeretur Deorum, non mirum, si *Beelzebub Principem* hic dicunt *Dæmoniorum*: tam blasphemè in Dominum. Vide Tirinum Genesis 10. Iudicum 2. & 4. Reg. 1. Et nota quàm mira est connexio etsi à contrarijs. Curauerat Dominus hominem, *ita vt loqueretur, & videret*: idest nedum fidem haberet mente, sed ore confiteretur: Pharisæi ex aduerso; nam blasphemia T fidei confessioni opponitur. Si T 2.2.13. 1.
sit Diuinæ bonitatis derogatio secundùm solam opinionem intellectus sistatque in corde, est cordis blasphemia; (dic tu, ecce cæcum) si autem exteriùs prodeat per locutionem, est oris blasphemia (ecce mutum.) Huiusmodi blasphemias pluries euomuerunt. Marci 3. *Scribæ dicebant; quoniam Beelzebub habet, & in Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*. Supra cap. 9. per transennam hoc ipsum refertur: fortè quia fusius denarrandum erat c. 12. Quæ vel compendiosa vel latior blasphęmiæ relatio indicat probabiliter idem esse signum muti Matthæi 9. cæci & muti Matthæi 12. & iterum muti duntaxat Lucæ 11. Hoc autem quod blasphemant, prædictum est in Isaia, vt fertur Rom. 10. *tota die expandi manus meas ad populum non credentem*, (ecce ad cæcum) *& contradicentem mihi*: (ecce ad mutum, quando in laudem Dei impiorum ora obstruuntur.) *Expandi manus meas*, V miracula faciendo; *ad populum* V Rom. 10. lect. 3.
non credentem, etiam miraculis visis; *& contradicentem mihi*; idest meis miraculis detrahentem.

VERS. XXV. *Omne Regnum diuisum contra se, desolabitur*, &c.

In hoc & sequentibus retundit eorum blasphemiam. Ad hæc Angelicus; X Christus alio modo 22. X 3. p.
expellebat Dæmones, quam virtute Dæmonum ex- 43. a. 2.
pellantur. Nam virtute superiorum Dæmonum ita ad 3.
Dæmones à corporibus hominum expelluntur, quòd tamen remanet dominium eorum quantùm ad animam; non enim contra Regnum suum Diabolus agit. Sed Christus Dæmones expellebat non solum à corpore, sed multo magis ab anima. (In Serm. Dominicæ 3. Quadragesimæ de hac ab animabus expulsione intelligit illud Actorum 10. *qui pertransijt benefaciendo, & liberando omnes oppressos à Diabolo*.) Et ideo Dominus blasphemiam Pharisæorum negantium, cum in virtute diuina Dæmonia eijcere, reprobauit; primò quidem per hoc quod Satanas contra se ipsum non diuiditur: secundò exemplo aliorum, qui Dæmonia eijciebant per Spiritum Dei: tertiò quia Dæmonium expellere non posset, nisi ipsum vicisset virtute diuina: quartò quia nulla conuenientia in operibus, nec in effectu erat sibi & Satanæ; cum Satanas dispergere cuperet, quos Christus colligebat. Ex hac Christi verborum ponderatione, Gentilium quorundam priscorum anathematizatur blasphemia, qua effutierunt, vt refert A ex A 3. p.
Augustino in primo de Conf. Euang. c. 9. & 10. ma- 44. a. 4.
gicè miracula fecisse. Isthæc delirantis malignantis figmenta esse euincuntur. Recurrit vlterius Augustinus c. 11. ad tot in Christo & per Christum Prophetarum impleta vaticinia: id quod præastruere, Magiæ magique cuiuscumque studia excedit eluditque conatus, in hæc verba; *illud attendant qui magicis artibus Christum tanta potuisse, & nomen suum ad Apostolos in se conuertendos arte ipsa consecrasse*

deli-

delirant; Vtrum potuerit magicis artibus Prophetas diuino spiritu antequam nasceretur implere. Neque enim si magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, magus erat antequam natus, cui prophetando venturo Gens vna deputata est. De iisdem etiam Prophetis c. 16. addit; *si fefellerunt; cur tanta manifestatione completur? Si verum dixerunt; cur tantæ Diuinitati resistitur?* Et Sanctus Beda aduersùs huiusmodi calumniã; quandoquidem coram Pilato nemo ausit hanc importare: *pereant*, inquit, *scripta; quæ tanto post tempore contra Christum composita, non illum apud Pilatum magicæ artis, sed componentes demonstrant apud Dominum accusandos perfidiæ & falsitatis*.

23. Speciatim obiecta Domini perpendamus. *Omne Regnum*, &c. Inducit primò quidem de Regno, deinde de Ciuitate, tertiò de Domo; quoniam ex eorum blasphemia, dum in Beelzebub contendit eijci Dæmonia, tanquam eorundem Principis Imperio, facilè dabatur intelligi infimos Dæmones per superiores quoscumque coerceri posse. Vnde sicut Beelzebub in Regno, Superior aliquis Dæmon in Ciuitate, Inferior alius præsideret veluti in Domo. Na-
B p. p.q. 109. 2. turali quippè ordine, Dæmonum B quidam sub alijs constituuntur. Estque in Dæmonibus idcircò Prælatio, in quantùm vnius actioni subditur alterius actio. Subduntur autem Dæmones omnes, illi su-
C p. p. 63. 8. premo C qui fuit alijs causa peccandi, vt manifestè apparet per illud Matthæi 25. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*. Habet enim hoc ordo diuinæ iustitiæ, vt cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in pœna; secundùm illud 2. Petri 2. *à quo quis superatus est, huic seruus addictus est*. At stante huiusmodi Prælatione, non videtur consequi quod præsupponit Dominus, inde esse diuisionem Regni Ciuitatis aut Domus; immò potius subsequi conseruationem, quandoquidem concordia est, vbi qui subditur, ei qui præest obedit. Aduersùs Dominum ergo facit sententia hîc Hieronymi, *quomodo concordia paruæ res crescunt, sic discordia maximæ dilabuntur*. Respondeo euidenter euinci Dæmoniorum discordiam ac diuisionem, proinde Regni Beelzebub excidium ac ruinam. Et hoc primò constat
D D.Th. hic. in facto; nam vt notat D Angelicus, coactè Dæmonia exibant. Vnde supra c. 8. *quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos*. Secundo ex discordia finis. Quocirca sciendum est, E
E p. p. 109.2.2. qualiter concordia Dæmonum, qua quidam alijs obediunt, non est ex amicitia, quam inter se habeant sed ex communi nequitia, qua homines odiunt, & Dei iustitiæ repugnant. Huiusmodi concordia certè soluitur; si Beelzebub est quo coguntur obsessos dimittere; nam Beelzebub, non habet odio illum, à quo vult eijci Dæmonium illius tortorem. Concordare autem nequeuit in obsessi liberationem, quia iam diabolica non esset societas, quæ diabolicum aduersùs homines posuisset odium: sicque funditus Regnum Satanę non staret. Stat autem Satanę Regnum, in quantum stat eorum concordia in bello. De quo Ioannes in Apocalypsi, *factum est prælium magnum*
F Apoc. 12. *in Cælo*, idest F in Ecclesia inter Sanctos Angelos, & malignos spiritus circa salutem, quod durat à passione Domini vsque ad finem Mundi. Voluntas no-
G Iob 1. 2. cendi G est in Satana; quamuis non noceat quantum vult, sed quantum permittitur. Sic Diabolus defert
H Opusc. 41. l. 4. c. 6. Angelo bono ad custodiam deputato, H vt ei quem custodit, violentiam corporalem non inferat. Deni-
I p.p.113. 4. 1. que Dæmones I arceantur per bonos Angelos, ne noceant quantùm volunt. Hæc ostendunt discordiam certè inter bonos Angelos, & malos. Si ex Principe Beelzebub etiam accideret, discordia inter ipsum suosque clarè innotesceret; proinde iniquum eius Regnum diù non staret. Stant Angelorum ordines bonorum, quantùm ad distinctionem graduum
L secundùm differentiam gratiæ & naturæ, remanebitque huiusmodi differentia etiam post diem iudicij L p. p. 108. 7.
semper; sed executio officiorum Angelorum aliquo modo cessabit, secundùm quòd eorum officia ordinantur ad perducendum aliquos ad finem. Vel M
remanebunt ordines quantùm ad eminentiam glo- M p.Cor. 15. l. 1.
riæ, qua vnus alteri præeminet, sed non quantùm ad efficaciam executionis ad nos. Hinc Apostolus; *cum euacuauerit omnem Principatum & Potestatem & Virtutem*. Huc autem dicit glossa N, *quandiu*
durat Mundus, Angeli Angelis, homines hominibus, N p. p. 109. 2.
& Dæmones Dæmonibus præsunt. Ergo, dic tu, si in Principe Beelzebub eijciuntur inuitè certè Dæmonia, iam nutat Regnum eius, quia reluctanter exeunt, cum torquere gaudeant. Itaque vt in humanis discordia Regni casum molitur, ita Dæmoniorum discrepantia, officiorum eorum, proinde executiui, diuina permissione, eorum Regni finem
demonstrat. Et hunc sensum attigit Angelicus O O D.Th. hic.
dicens; Regnum Diaboli stat in peccatoribus vsque ad diem iudicij, quia tunc *euacuabitur omnis potestas*. Vnde si hoc esset, (*in Principe Dæmoniorum*, &c.) adesset finis mundi. Cur autem de huiusmodi Regni desolatione introducatur, dicetur in Syntaxi. His adde subtilius: Dicitis blasphemi, me *in Beelzebub eijcere Dæmonia*. Si ita esset, sibimet esset diuisus Beelzebub, quia concors esset mihi acerrimo ex iustitia illius aduersario: quique molior sui ab animabus expulsionem: *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras* Ioan. 12. Nec est, vbi titulo lucri alicuius, ad meam condescendat voluntatem: eo quòd à me damna timet maiora; destruendam, quod erit, idololatriã. Nunc etiam *in me non habet quidquam* Ioann. 14. Nam quam prædico doctrina pura est: & si me Deum facio prout sum, non ideo irrepit error, quoniam, non plures sed vnus tantùm adhuc est Deus: *ego & Pater vnum sumus*; Ioann. 10. Cùm ergo nulla sit *societas luci ad tenebras*, 2. Cor. 6. si mihi manus daret Beelzebub, amator esset lucis & veritatis; proinde à se *diuisus*, & alius.

VERS. XXVII. *Et si ego in Beelzebub eijcio Dæmones, filij vestri in quo eijciunt?*

Si admittant, & ipsos in potestate Dæmonis Dæmonem eijcere; tanto magis apparet corregnantium 24.
Dæmoniorum diuisio. Si filij vestri eijciunt in spiritu Dei, cur mihi calumniam inuritis, re ad minus dubia? Sequitur; *ideo ipsi Iudices vestri erunt*. Diuus Hieronymus; *filios eorum vel exorcistas legis Gentis illius ex more signat, vel Apostolos ex eorum stirpe generatos*. Ex Chrysostomo; non dixit, discipuli
mei neque Apostoli, sed *filij vestri*; P vt magis mo- P D. Th. hic.
ueantur ad eos. Alibi Q pro Apostolis accipit; Et Q Io. 7. l. 5. l. c.
tunc Iudices erunt, non solùm comparatione, sed
auctoritate: R infra c. 19. *sedebitis super sedes*. Fa- R D.Th. hic.
cit tamen vniuersaliter contra temerè factum aduersus Christum, iudicium; quod supra c. 7. inhibitum est; *nolite iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini*.

VERS. XXVIII. *Si autem ego in spiritu Dei eijcio Dæmones; igitur peruenit in vos Regnum Dei*.

Difficilis est sẽtentia: non enim si eijciant alij Dæ- 25.
mones, infert peruenisse Dei Regnum; sed *si ego*. Quare pro intelligentia præsumendum, Dæmones vocatos esse Principatus & Potestates, seu Principes: 1. Cor. 2. *quam nemo Principum huius sæculi cognouit*; Eph. 6. aduersùs *Principes & Potestates*; ad Coloss. 2. & *expolians Principatus & Potestates*; denique Ioann. 12. *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*. Et id accipiendum nedum secundùm naturam, quia ex his ordinibus ceciderint; sed & ad

eum ſenſum, quo dicit Auguſt. c. 52. in Ioannem,
dominabatur in cordibus infidelium, & deceptos
captiuoſque pertrahebat: ad eum ſenſum, quo di-
cuntur ibi ad Epheſios *rectores tenebrarum harum*,
S Epheſ. 6. l. 3. ſcilicet peccatorum: S ibidem cap. 5. *eratis aliquan-*
do tenebræ: denique, quo ait Apoſtolus 2. ad Ti-
moth. 2. *vt reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo ca-*
ptiui tenentur ad ipſius voluntatem. Dicit aut Hi-
larius; (in Catena) *diminutio Regni Diaboli, eſt*
augmentum Regni Dei. Ait ergo Dominus; *ſi ego*
in ſpiritu Dei eijcio Dæmones; (ſupple paſſim &
vbique) ſupra cap. 8. *obtulerunt ei multos Dæmonia*
habentes, & eijciebat ſpiritus verbo: Act. 10. *per-*
tranſijt benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à
Diabolo: immo ſi tanta poteſtate, vt putetis proter-
uè errantes, me in Beelzebub Principe Dæmonio-
rum, eos coercere: Marci 1. *quænam doctrina hæc*
noua, quia in poteſtate ſpiritibus immundis impe-
rat & obediunt ei? proculdubio *peruenit in vos Re-*
gnum Dei; eiecto qui priùs dominabatur Tyranno.
T D. Th. hic. Et ſi roges; T quare *in ſpiritu Dei?* Reſponſio eſt,
quia amor & bonitas Spiritui-Sancto appropriatur.
V 3. p. 20. 1. 3. Docet autem V alibi, regnare Deum in nobis per
participationem diuinæ bonitatis, quod eſt ſubijci
Deo. Et certè ſi dixit Gabriel Lucæ 1. *Regni eius*
X Matth. 3. lit. d. *non erit finis*: Regni ſcilicet X ſpiritualis, dum in
Dæmonum eiectione, Zachariæ impletur vatici-
nium cap. 13. *ſpiritum immundum auferam de ter-*
ra, benè dicit, *peruenit in vos Regnum Dei*. Eo vel
A 3. p. 44. 3. 1. maximè, A quòd finis exterioris curationis per
Chriſtum factæ fuit curatio animæ: & ideo non
conueniebat Chriſto, vt alicuius corpus curaret,
niſi curaret animam. Conſidera etiam quo ſtudio
dicit Matthæus; *& curauit eum*.

VERS. XXIX. *Aut quomodo poteſt quiſquam*
intrare in domum fortis? &c.

26. De Diabolo regnante ſic in perditis hominibus,
qui veritati reſiſtunt, quique *ad ipſius voluntatem*,
vt diximus ex 2. ad Timoth. 2. *captiui tenentur*, ſub-
B 2. Tim. 2. l. 4. iungitur ex Iſaiæ 49. *nunquid* B *tolletur à forti præ-*
da? aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe
poterit? Difficile eſt enim, quod ei auferatur id
quod tenet. Dic ergo; ne fortè blaſphement im-
pij, conuentionem aliquam effutientes inter Chri-
ſtum & Beelzebub, hanc impoſſibilem oſtendere,
quia vaſa eius diripit, ac diripit Domum eius.
Chryſoſtomus: *tantum abſiſto ab hoc quòd vtar*
Diabolo coadiutore, quòd prælior cum eo & ligo
eum: & huius coniectura eſt, quòd vaſa eius diri-
pio. Potuiſſet Dominus obijcere cum Apoſtolo;
quæ conuentio luci ad tenebras; cum ipſe ſit lux:
ſed ab effectu maluit philoſophari: diripit enim va-
ſa fortis, cùm homines à Diabolo oppreſſos de ipſius
eximit poteſtate. *Equidem* ſubditur in Iſaia, *&*
captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à
robuſto ſaluabitur. Et ſic exponitur etiam illud
C pſ. 7. lit. c. pſal. 7. *exaltare in finibus inimicorum meorum*: C
auferendo eorum poſſeſſionem. Lucæ 11. dicitur,
ſi fortior eo ſuperueniens vicerit eum, &c. hic præ-
ſupponitur fortior dum fortem alligat. Neque
enim alligatur niſi victus. Diuus Gregorius; *hoſtis*
ſicut contra conſentientes eſt fortis; ita contra reſi-
ſtentes eſt debilis. In vita Beati Antonij, *Dæmones,*
(quorum tanto erant acriores impetus, quanto An-
tonius ad reſiſtendum fortior euadebat) ita contem-
pſit, vt illis exprobraret imbecillitatem. Igitur ad
ſignificandam fortis huius ignauiam, nec ſe hic for-
tiorem dicit vt in Luca: quamuis filius ſit Dauid,
Dauid immo figuratus, interpretatus, *manu fortis*:
quandoquidem Dauid ipſe hanc nouit ignauiam
mortuo Abner, quando 2. Regum 3. *plangens &*
lugens ait; nequaquam, vt mori ſolent ignaui,
mortuus eſt Abner. Manus tuæ ligatæ non ſunt,
& pedes tui non ſunt compedibus aggrauati. Ad ſi-
gnificandum etiam ſuum de Diabolo triumphum
alligaſſe eum dicit, quòd moris ſit quoque humani,
ita triumphare de hoſtibus in trophæum tractis.
Ibat quippe ante ipſum triumphantem victus hoſtis
oneratus colla catenis. Erat autem triumphus pom-
pa ſolemnis, quæ fiebat redeuntibus in Vrbem cum
victoria. Et ecce tangi hoc ſupra, dum legit quod
in Iſaia Matthæus dicens, *donec ad victoriam eij-*
ciat iudicium. Sic in Sequentia; *redit cum victo-*
ria, capta ducens ſpolia: de ſpolijs expreſſiùs Lucas;
vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat,
& ſpolia eius diſtribuet. De quo in Syntaxi vbe-
riùs. Poteſtatem agnouit Chriſti Chryſoſtomus,
in eo quòd dixit *Domum eius diripiet*, non tantùm
rapiet.

VERS. XXX. *Qui non eſt mecum, contra me*
eſt, &c.

Quoniam poteſt confingere peruicacia, vt Beel- 27.
zebub conſentiat alligari vinci ac expoliari peiori
aliquo fine: quemadmodum vt docet Angelicus, D D p. p. 63. 8. 2.
quandoque ſuperbus magis eligit ſubdi inferiori,
quàm Superiori, ſi ſub inferiori conſequatur ali-
quam excellentiam, quam conſequi non poſſet ſub
Superiori: ne vltra obſtinatè blaſphement, oſten-
dit adhuc ratione finis, quæ potiſſima eſt cauſarum,
nihil ſibi eſſe in eijciendis Dæmonijs cum Beelze-
bub. Ac ſi dicat: emicat manifeſtè contrarietas in-
ter me & Beelzebub; quia contrarij ſunt eius ac meus
finis. Ipſe intendit ſpargere; ego colligere; ergo
diſcors eſt vnius & alterius intentio. Pro qua re
ediſſerenda ſciendum, qualiter E Dæmones, quæ- E p. 2. 89. 4. 3. & 2. Petri 2.
cumque agunt circa homines, eo ſtudio faciunt, vt
homines ad ſui familiaritatem attrahant, & ſic de-
ducant eos in peccatum mortale. Vnde in omni-
bus mortaliter peccant propter intentionem finis.
Peccata autem ſeparant homines à Deo, iuxta illud
Iſaiæ 59. *iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos &*
Deum veſtrum. Qui autem elongant ſe à Deo, re-
cedunt ab vnitate, ſecundùm quod aiebat Auguſti-
nus; *anima, ex quo ab vnitate receſſit, rerum va-*
rietate ſatiari deſiderat. Ecce quomodo Diabolus
non colligit ſed *ſpargit*, ſeu *diſpergit* vt in Diuo Lu-
ca: Ioannis 10. *lupus rapit & diſpergit oues*. Reſta-
bat probari Chriſtum è contra colligere: ſed Domi-
nus, tanquam ex facto notorium relinquit dicendo,
qui non colligit mecum, ſpargit. Conſtabat certè
Chriſtum colligere, ſi Dæmones, qui diſpergere
nituntur, eijciebat. In Syntaxi fiet palam, cur col-
ligere ſeu congregare ſe dicat. Per huiuſmodi au-
tem negationes, *qui non eſt mecum, contra me eſt;*
qui non colligit mecum, ſpargit; monet fideles quàm
ſedulò, ne omiſſione delinquant, debeant ſaluti ho-
minum cooperari. *Non progredi eſt retrogradi*:
conſimilis huic eſt phraſis. Et pro expoſitione nu-
perrima textus huius, audi Chryſoſtomum rela-
tum in Catena Marci 9. ibi, *qui non eſt aduerſum*
vos: inquit enim; *de Dæmonibus dicitur, (qui non*
colligit mecum, diſpergit) qui à Deo omnes ſtudent
ſeparare, & congregationem eius diſpergere. Et ite-
rum Lucæ 9. *illic* (Matthæi 12.) *oſtendit Diabolum*
& Iudæos ſibi eſſe contrarios.

Vna ſupereſt difficultas; quoniam Marci atque 28.
Lucæ 9. diſcordem huic videtur protuliſſe ſenten-
tiam; ait enim diſcipulis; *qui enim non eſt aduer-*
ſum vos, pro vobis eſt. Hic autem prompſit; *qui*
non eſt mecum, contra me eſt. Poſſet enim preſſè ſic
obijci: non aduerſari diſcipulis, in diſcipulorum
fauorem cedit, ergo tibi quoque, non aduerſari fauo-
rabile eſt; ſed qui non eſt tecum, tibi non aduerſa-
tur; ergo tibi in fauorem eſt; non igitur *contra te*

est. Diuus Ambrosius relatus Lucæ 9. ad hæc orat Dominum; *quia alibi dixisti, qui non est mecum, aduersum me est; & qui mecum non colligit, dispergit; aperi nobis, ne videatur esse contrarium. Et puto, quia si quis mentium consideret scrutatorem, non debeat dubitare, vniuscuiusque factum mente discerni*. Sentit ergo Ambrosius, sic variè locutum ob variam personarum arcanam intentionem. Chrysostomus hic etiam relatus consentit dicens; *loquitur* (in Matthæo) *de Diabolo aduersario existente; ibi autem* (Marci & Lucæ 9.) *de homine qui in parte erat cum eis*; nam præmissum est; *vidimus quendam in nomine tuo eÿcientem Dæmonia*. Hoc ipsum pro concordia expendit Augustinus. Veruntamen penitiùs verba Domini consideranti liquet, non esse vtrobique eandem sententiam; non enim ait discipulis; *qui non est vobiscum, pro vobis est*; sed, *qui non est aduersum vos, pro vobis est*. Qui non est cum aliquo, negat consensum suum: qui non est aduersum, suspendit consensum suum, estque veluti indifferens. Itaque prior sententia, *qui non est mecum*, positiuum inuoluit, aduersantem scilicet animum: *qui autem non est aduersum*, negatiuum duntaxat, seu suspensiuum sonat; nondum verò animum aduersantem: & ideo quodammodo pro eis est. Quare supra in pressa illa syllogizatione, negandum est subsumptum; sed *qui non est tecum, tibi non aduersatur*; qui enim positiuè auertitur, aduersatur; licèt non tanta aduersione, quanta cùm positiuè repugnat, & reluctatur. Nihilominus sic auerti simpliciter est contrariari, *contra me est*. Id quod, vt à minori ad maius feratur intelligentia, profert Dominus.

VERS. XXXI. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur*.

VERS. XXXII. *Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis*; &c.

29. Licèt blasphemia importet derogationem diuinæ bonitatis, F negando aliquid de Deo, quod ei conuenit; vel asserendo de Deo, quod ei non conuenit: licèt etiam blasphemia dicatur esse G peccatum, quod immediatè contra Deum committitur: Nihilominus distinguendum videtur; vt ly contra Deum analogia attributionis accipiatur; & ita blasphemia sit etiam cùm quis obloquitur de Sanctis ac de Sacramentis: vel contra humanitatem H Christi Domini; quæ blasphemia grauior est; quia Christi humanitas est potior, quàm Sacramenta humanitatis. Et ideo nomen blasphemiæ I importare videtur quandam derogationem alicuius excellentis bonitatis, quasi, dic tu, in communi; quamuis præcipuè vt subdit Angelicus, bonitatis diuinæ. Hoc prælibatum volui pro textus claritate: nam Dominus blasphemiam quandam innuit remissibilem, quandam autem non: quod non esset, si omnis æquè in Deum ac Bonitatem diuinam euomeretur.

[F 2.2.13. a.1.] [G p. 2. 73. 3.] [H 3. p. 80. 5.] [I 2.2. loco cit.]

30. Prælibandum est etiam varijs expositionibus acceptam esse blasphemiam in Spiritum-Sanctum, de qua Dominus; nam quidam ad literam intelligunt, quando L aliquid blasphemum dicitur contra Diuinitatem; quia *Deus Spiritus est*, vt dicitur, Ioannis 4. Sic Chrysostomus. Alij non tam verbo quàm corde & opere, blasphemiam accipiunt impœnitentiam; hoc est permanentiam in peccato vsque ad finem vitæ suæ. Sic Augustinus. Alij peccatum in Spiritum-Sanctum dicunt, cum ex malitia, quæ aduersatur bonitati appropriatæ Spiritui-Sancto, contemnendo eius dona, quæ à peccato suapte natura distrahunt ac auertunt. Isaiæ 33. *væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Et hoc Moderniores. Secundùm Augustinum in libr. *de verbis Domini* Serm. 21. facile est intellectu, quomodo irremissibile sit peccatum, quia in hac vita non remittitur per pœnitentiam, nec in futura certè dimittetur. Remissio peccati fit per Spiritum-Sanctum, M qui est charitas Patris & Filij. Secundùm alias expositiones, dici oportet peccatum in Spiritum-Sanctum irremissibile, in quantùm N non remittitur de facili; vel quia tale peccatum non habet causam excusationis. Vel sicut morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, O per quem tollitur id per quod morbus posset curari; puta cum morbus tollit virtutem naturæ vel inducit fastidium cibi & medicinæ: ita etiam peccatum in Spiritum-Sanctum dicitur irremissibile secundùm suam naturam, in quantùm excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum. Dic tu, procul dubio, ipsa blasphemia in Spiritum-Sanctum, fontem diuinæ bonitatis exsiccat reatu magno. Et qui abijcit vel contemnit ea, P per quæ potest homo ab electione peccati impediri, directèque Q ducunt ad pœnitentiam, ceu adminicula & dona Spiritus-Sancti, insanabilis est dicendus. Addo ipse apertiorem causam; quia scilicet tanquam aggrauato priùs adaperire illi aures oportet, deinde sudare vt intelligat: vnde duplex est labor exercendus, ne primo semen reijciat, deinde vt germinet. Per hoc tamen non excluditur R via remittendi, & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales, quasi miraculosè sanantur. Sicut si dicamus, quòd Lazarum resurgere est impossibile, sublato vitæ principio creato; non tamen per hoc excluditur, quòd Deus ipsum resuscitare non possit. Descendendo autem ad Iudæos; cum blasphemabant filium hominis, eius Diuinitate nondum reuelata, poterant habere aliquam excusationem propter S infirmitatem carnis, quam in eo videbant. Sed cum ipsam Diuinitatem blasphemabant, opera Spiritus-Sancti Diabolo attribuendo, nullam excusationem habebant; manifesta enim erant Spiritus-Sancti & Diuinitatis indicia: hinc dicitur eorum peccatum irremissibile.

[L 2.2.14. 3. quodl. 2. a.15.] [M 2. 2. 14. a.1. & 3.] [N 3. p. 86. 1. 3.] [O 2. 2. 14. 3.] [P 2.2.14. 2. 2. sent. 43. 1. 2.] [Q 2. 3. 105. 2. 4.] [R 2.2.14. 3. & de malo q. 3. tg. corp. & a 1 3. & in quodl. 2. a. 15. & hic & Rom. 2. l. 2.] [S 2. 2. 14. 3. & quodl. 2. a.15.]

Sequitur; *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*.

31. Inquit Augustinus referente hic Angelico; *hæc verba ita sunt difficilia, vt non sint fortiora verba in Euangelio*. Superuacaneum enim videtur, additum fuisse ly *neque in futuro*; cum constans sit Ecclesiæ Dogma, nullum mortale peccatum, postquam quis decessit, remitti. Profectò post mortem non sumus vltra in via sed in termino; Iob. 19. *semitam meam circumsepsit*; Nunquid mortalia, quæ non sunt in Spiritum-Sanctum, in futuro sperantur remittenda? Nunquid damnati aliqui saluabuntur? Absit. Apud Diuum Thomam T fit sensus, de pœna, quæ in futuro sæculo soluenda est, sed aliquando dimittitur; in quantùm punitur aliquod peccatum in hoc sæculo. Similiter non inconueniet sermo huiusmodi, quia absolutè, peccata etiam, nempe venialia, in futuro remittuntur; Et hoc quidem expressè docet Angelicus, V post hanc vitam scilicet remitti, non solùm quantùm ad pœnam, sic vt cesset reatus, dum homo patiendo exoluit quod debet; sed etiam quantùm ad culpam, eo modo quo remittitur veniale in hac vita, scilicet virtute gratiæ, prout exit in actum charitatis in Deum, detestantem peccatum veniale, eique in hac vita commisso repugnantem. De quo plura ibi. Potest alia esse responsio, vt ad exaggerationem grauitatis delicti; (id quod commune est peccatis mortalibus quibuscumque) de peccato in Spiritum-Sanctum denuncietur, scili-

[T D.Th. hic.] [V de malo q. 7. a. 11. corpore, & ad 9.]

ſcilicet in futuro non ſperandum remitti. Et quod dicitur *neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, non ſit vt erudiamur de eo quod notum eſt, ſed, vt perpendentes ſententiam, paueamus prænotum, quod terribile eſt. Simile quid habetur infra cap. 25. *vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam*. Nunquid contingere poteſt, vt qui neſcit diem, ſciat horam? minimè. Nunquid ſuperfluit ly *neque horam*; quandoquidem perſpectum eſt, non poſſe quempiam horam ſcire ignorato die? minimè. Sed complexio fit vtriuſque & diei & horæ, quanquam hoc de hora palam conſequatur, ad emphaſim orationis. Sic in præſentia, nunquid irremiſſo peccato in hac vita, continget remitti in futura? abſit. Nunquid ſuperuacaneum eſt ly *neque in futuro*? minimè. Sed vt in ſubiecta materia, commune peccatis cunctis periculum, cogitatio ad profectum reuoluat. Denique ſicuti quando pondus orationis intenditur, fas eſt notorium quid & promiſcuum epitheto exprimere, nec turpis eſt pleonaſmus, vt ſi dicam *muſtum dulce, deformem libidinem, ſcelus abominandum*; ita non redundat quamuis perſpectum ſit ly *neque in futuro*, ob moralem intentam commendationem. Solutionem aliam opportunam Syntaxi, infra ſuſtine.

VERS. XXXIII. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum.*

32. Sequitur; *equidem ex fructu arbor cognoſcitur*,
X 1. 2. 70.1.& q. 71. l.3. ideſt X ex operibus ſuis homo, vt exponitur à Sanctis. Sicut & quoad corpus; quandocumque aliquis interiùs eſt malè diſpoſitus, neceſſe eſt ex hoc imbecillis reddatur ad debitas operationes exercendas; licèt non omnino præpediatur. Sed in animo, vt Tullius dicit, eſſe indiſpoſitum interiùs, & exteriùs impediri ab operationibus bonis, connexa ſunt. Diſcant ergo eſſe arbor bona, & caueant ne ſint arbor mala; immo recogitent ſe arborem malam. Et hac intelligentia exponit Auguſtinus. Sed Chryſoſtomus ſic accipit, vt confuſione euincantur. Cùm enim fructus eiectionis Dæmoniorum bonus ſit, temerè arborem, quæ fructum hunc profert, calumniantur. Quòd ſi malam arborem faciunt ipſum, quomodo non etiam malum fructum eius dicunt? Sed eorum perfidia naturæ quoque ordinem peruertit: bonum enim fructum, eiectionem ſcilicet Dæmoniorum in malam referunt cauſam; & quidem proximam, ſocietatis ſcilicet cum Beelzebub, quod impoſſibile eſt.

VERS. XXXIV. *Progenies viperarum*, &c.

33. Videtur dura nimis increpatio; præſertim aſſeuerante Petro; *cùm malediceretur, non maledicebat*. Sed reſponſio eſt in promptu; A dura correctio procedens ex charitate, non eſt contumelia: (A 1. Petri 2.) benè verò, ſi procederet ex liuore vindictæ, & ex intentione conuitiandi. Sic & Ioann. 8. dixit eis; *vos ex Patre Diabolo eſtis*, Et infra capit. 23. *væ vobis Scribæ & Phariſæi*. Declarans Angelicus illud Prouerb. 26. *reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*, inquit, B quandoque oportet, vt illatam contumeliam repellamus; (B 2. 2. 72. 3.) primò quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert; vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet: ſecundò propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Vnde Gregorius; *quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere; ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant; & ita in prauis moribus remanentes, benè viuere contemnant*. Quæ ſanè doctrina ad rem mirè facit. Præterea dico, prius dulciter commonuiſſe dicendo, *aut facite arborem bonam*, &c. Et ideo ſecunda hæc increpatio præſumit eos duros ac pertinaces; proinde rationabiliter, durior eſt; iuxta illud Titi 1. *quam ob cauſam increpa illos durè*. Adhuc, iam iam attexendus ſermo erat de iudicio; nunquid iudicio, in quo diſtrictè iudicabit, ac ſeuerè puniet, fuerat blandè præludendum? Sic & Baptiſta ſupra cap. 3. *progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?* Igitur ne pro balſamo væneat venenum, neue contingat populum intoxicari, palam viperis comparantur, poſtquam pſal. 139. *acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis*, quia lingua venenum eijciunt; Iob 20. *occidet* C D.Th hic.
eum lingua viperæ; D quæ linguâ, ſua venena D Iob 20. l. 2.
diffundit. Quod autem dicit, *progenies*, etſi carpat eorum Maiores, tanquam ſint Parentum malorum ſoboles, vt exponitur E; placet tamen etiam E D.Th. hic.
accipi pro ipſis etiam, ſecluſo ad Parentes reſpectu, quo pacto dicitur Eccleſiaſtes 1. *generatio præterit, & generatio aduenit*; & Lucæ 1. per Virginem Deiparam, *à progenie in progenies*. Eorum ergo genus prauum declarat, ſi fortè detecta malitia erubeſcant, & ſic reſipiſcant: ſupra enim inquit Matthæus; *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum*: ex quo conſequenter de eiſdem Dominus; *quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis, os loquitur*. Quod ſi ſub lingua viperæ venenum inſideat; dic ſub lingua, id eſt in corde moraliter latere. Sic explicat illud Cantic. 4. *mel & lac ſub lingua tua*; F ideſt, in corde plena F opuſc. 58. c. 32.
es ſpirituali dulcedine; idcirco abundas vtili & dulci locutione. *Ex abundantia cordis os loquitur*. Sicut de vaſe, ſic & de corde. Vas plenum felle effundit amaritudinem; plenum melle dulcedinem. Abundare dicitur cor, cùm concupiſcentia ipſi dominatur. Ita opuſc. 4. §. penultimo. Ex quo, præconcepta deinde exprimit ore.

VERS. XXXV. *Bonus homo de bono theſauro profert bona* &c.

Quoniam dixerat, *cum ſitis mali, quomodo po-* 34.
teſtis bona loqui? grauitatem malitiæ ipſorum pandit theſauri ſimilitudine. Prouerb. 10. *nil proderunt theſauri impietatis*. Non quiſque malus trahitur ad malè loquendum, ſed diues in malitia erumpit *ex abundantia cordis*. Quare ſi vix potes cohiberi, argumento eſt multiplicatam eſſe malitiam, congregatiſque actibus euaſiſſe in theſaurum, vtique malum. Quemadmodum è contra theſaurus eſt bonus: theſaurus, ſcilicet cordis, vt fert Lucas cap. 6. Cur autem hanc theſauri vſurpet ſimilitudinem, reor eſſe, vt capiant boni, theſaurum ſpiritualem eſſe congregationem G meritorum, iuxta G 1. Tim. 6. l. 4.
illud 1. Timoth. 6. *præſtat nobis diuites fieri in bonis operibus*, &c. *theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum*: intelligant quoque mali, *theſaurizare ſibi iram* Roman. 2. *in die iræ, & reuelatione iuſti iudicij Dei*. Et ecce mox de iudicio.

VERS. XXXVI. *Omne verbum otioſum*, &c. *reddent rationem*.

Ex Diuo Gregorio: H *otioſum verbum eſt, quod* 35.
vtilitate rectitudinis aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut piæ vtilitatis caret. Difficultas illico inſurgit, H p. 1. 18. 9. & hic.
cur de otioſo verbo fiat mentio, ſi præſertim à pernicioſo diſtinctum eſt, cum Phariſæi non otioſè ſed pernicioſè ſint oblocuti. Reſpondet Angelicus; I quia vult arguere à minori. Deinde quæret quis; quare potius *de verbo*, quàm *de facto?* quandoquidem 2. Corinth. 5. vnuſquiſque debet ante Tribu- I D.Th. hic.
nal Chriſti referre *prout geſſit*. Et in Symbolo Athanaſij; *reddituri ſunt de factis proprijs rationem?* Reſpondeo, profunda loqui Dominum ſapientia: L 1. ſent.
nam verbum L eſt immediatus effectus rationis; & 40. q. 1.5. ad 8.

ideo minus potest esse verbum præter deliberationem, quàm factum. Intellige de facto minùs graui; non enim in grauiora subitò erumpimus. Vult ergo innuere Pharisæos non ex impetu aliquo passionis, sed matura deliberatione blasphemasse: nimirum *ex abundantia cordis*. Et quia nulla erit in iudicio tergiuersatio, ex verbis etiam quæ cordis secreta pandunt, quæque priùs cor loquitur quàm lingua, procedendum subdit in diuino iudicio, non ab extranea suspectorum testium depositione. *Ex verbis*, inquit, *tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*: iuxta illud Roman. 2. *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum, accusantium, aut etiam defen-*
M Rom. 2.l.3. *dentium*. Quandoque conscientia M testimonium perhibet de bono; 2. Corinth. 1. *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; Iob 27. *non reprehendit me cor meum in omni vita mea*: quandoque autem de malo, Ecclesiastes 7. *scit conscientia tua, quia tu crebrò maledixisti alijs*. Veruntamen, quoniam adhuc altior potest esse sententiæ huius sensus; sicuti, & cur progeniem, & viperarum progeniem eos dicat, & thesaurum malum celare corde, ad Syntaxin propera.

VERS. XXXVIII. *Magister volumus à te signum videre*,

36. *Iudæi signa petunt*, firmat Apostolus. N Erant
N 1.Cor. 1.l.3. enim Iudæi consueti diuinitus instrui; Deuteronomij 32. *erudiuit eum & docuit*. Quæ quidem doctrina, cùm esset à Deo, per multa mirabilia manifestata est, secundùm illud psal. 105. *qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro*. Ideo ab afferentibus quamcumque doctrinam, signa quærebant. Recole Ioannis 2. quomodo alia vice dixerunt Iudæi; *quod si-*
O Ioan.2. l.3. *gnum ostendis nobis, quia hæc facis?* O Dauid in persona Iudæorum conquerebatur, eo in psalm. 73. *signa nostra non vidimus*. Rectè hic Hieronymus; *signa postulant, quasi quæ viderant, signa non fuerint*. Lucæ 11. additur, *de Cœlo, quasi non possit & istud calumniari*. Abstinet Matthæus à ly *de Cœlo*, Syntaxi fauens.

VERS. XXXIX. *Generatio mala & adultera signum quærit*, &c.

37. *Verba eorum*, vt perpendit Chrysostomus, *adulatione & ironia sunt plena; & adulantur vocantes eum Magistrum: priùs conuiciabantur, dæmoniacum eum dicentes. Et quidem cum ei conuiciabantur, mansuetè eis respondebat; cum autem adulabantur, conuiciosè, demonstrans, quòd vtraque passione erat superior; & neque conuicijs in iram deducitur, nec adulatione mollitur*. Certè vt infra cap. 16. & apud Lucam *tentantes, signum de Cœlo quæ-*
P Ioan.2. l.3. lit. a. *rebant ab eo*. Quærebant ergo signum, P non vt crederent, sed quasi desperantes, quòd signum ostendere posset; vt sic eum reprimerent, & impedi-
Q D.Th. hic. rent. Igitur malos dicit, Q quia insidiatores erant. Adulteri autem ideo, vt mihi videtur, vocantur, quia non sincerè loquuntur; 2. Corinth. 2. *non enim sumus adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate*, &c. Verùm quemadmodum paulo ante *progenies viperarum* dicti sunt, intuitu potissimùm, qui Syntaxi deseruiat, ita & nunc; nam futura erat Iudæorum generatio verè *adultera*, vt explicabitur.

Sequitur; *Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*.

38. Quia prauè quærebant, non dat signum eis R
R Ioan.2. l.3. apertum, sed occultum in figura. (Chrysostomus; *sciebat*, inquit, *eos lapideos esse*.) Sic & Ioannis 2. respondens; *soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de Templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset à mortuis* &c. Vtrobique signum occultum est & figurale; sed hoc Ioannis obscurius. Diuinitatis autem suæ signum pollicetur; in hoc enim quòd resurrexit à mortuis, maximè virtus Diuinitatis eius ostenditur. Non enim puri hominis est, vt se à mortuis excitet; sed solus Christus, qui fuit *inter mortuos liber*, hoc virtute suæ Diuinitatis fecit. Hæc Angelicus. Quæ planè arrident Syntaxi, vt Deo dante dicemus. Nihilominus Diuus Chrysostomus (in Catena refertur) vult huiusmodi de resurrectione sermonem in Ionæ figura, interpositum esse: sed per signum de Iona tractum, occultè insinuatam fuisse eorum pœnam, quando Ciuitatem suam in terram proiectam visuri erant. (Certè prædicauit Ionas; *hæc Niniue subuertetur*.) Tunc vel coacti virtutem Crucis faterentur, necesse fuit. Et licuit dici de tot vltionis diuinæ signis, quod Apostolus 1. Corinth. 14. de linguis; *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*. Præterea dum Crucem insinuat & mortem, quam consecuta est resurrectio, ad illud potest respexisse signum *de Cœlo* vtique magnum, quod circa principalia Mundi luminaria factum est; quando *Ionas* idest *dolens*, aliàs *columba* factus Christus, super quem descendit Spiritus-Sanctus in specie columbæ, & qui dolores nostros portauit, vt exponit Rabanus, pertulit mortem. Hoc fuit ex Chrysosto-
mo S signum, quod petentibus promittebat dare, S 3. P. 44.l.1.
mirabilius profectò in eo, qui crucifixus erat, patratum, quàm eo super terram ambulante. Et si quæras cur huiusmodi tam mirabile signum de Cœlo distulerit patrare passionis tempore; ibidem aperit, quia oportebat tunc præcipuè Diuinitatem per miracula ostendere, quando in eo maximè apparebat infirmitas secundùm humanam naturam: quod quidem in passione euenit. Nihilominus quoniam apud Lucam eo cap. 11. legimus; *sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & Filius hominis generationi isti*: de Ionæ facto veriùs accipiendum est. Fuit autem miraculum eductionis Ionæ è ventre Ceti signum Niniuitis, vt Ionam crederent verè Prophetam Dei, quia compertum erat, vt apud Tirinum Iona 3. ex Nautis & Vectoribus iamque toto Oriente celebrabatur. *Signum*, vt inquit Basilius relatus in Catena Lucæ 11. *est res in propatulo posita, alicuius occulti continens in se declarationem*. Mortem ergo & resurrectionem suam opportunè in signum Diuinitatis assumendam ait. Neque simpliciter dicit se resurrecturum; sed suam resurrectionem relatu ad hanc Ionæ Scripturam contestatur; quia *firmior est* (velint, nolint) *propheticus sermo*, vt ait Diuus Petrus. Sic Ioannis 2. hac de re, subditur; *cum autem resurrexisset a mortuis, crediderunt Scripturæ & Sermoni, quem dixit Iesus*. Sic
Lucæ 16. *habent Moysen & Prophetas; audiant* 3. P.
illos. Et instante damnato diuite; *non, Pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait Abraham; si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. In Syntaxi luculentiùs.

VERS. XL. *Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit filius hominis* &c.

Vocat nos præsens textus ad emergentis quæstio- 39.
nis solutionem, quomodo scilicet verificetur fuisse Filium hominis *in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Ex Diuo Augustino, vt fert Angelicus; resurrexit die Dominica T circa diluculum, illu- T 3. P. 51.4.2. & q.53.a.4.
cescente iam die. Quocirca & Basilius illud ps. 29. *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, interpretatur de gaudio resurrectionis. Ad vesperam quippe & ex Philosophis mouetur melancholiæ humor: manè autem prædominatur sanguis lætitiæ parens. Cum ergo ita se res habeat, difficile in superficie videtur, quomodo tribus noctibus

fuerit

fuerit Filius hominis in corde terræ. Idcirco ex Diuo Augustino libr. 3. *de Consensu Euangelistarum* cap. 24. quidam *noctem voluerunt numerare tres illas horas, à sexta vsque ad nonam, quibus Sol obscuratus est, & diem tres horas alias, quibus iterum terris est redditus, idest à nona vsque ad eius occasum*. Non plaudit Augustinus *his angustijs coarctari*. Et instat, quia *post Sabbatum sequitur nox primæ Sabbati, idest illucescentis diei Dominicæ; in qua tunc Dominus resurrexit. Erunt ergo duæ noctes, & duo dies, & vna nox, etiamsi tota posset intelligi, nec ostenderemus quòd illud diluculum pars eius extrema sit*. Sentit enim diluculum partem esse, etsi extremam noctis: proinde si Christus in eo resurrexit, neque tota nocte fuit mortuus. Ex quo subdit, *nec annumeratis illis sex horis, quarum tribus Sol contenebratus est, & tribus eluxit, constabit ratio trium dierum, & trium noctium*. Superest quippe quærendus tertius dies. Porro si illud
V 3. p. q. 53. a. 2. diluculum, vt ait Angelicus, V & pars noctis, & pars diei dici possit, propter conuenientiam, quam cum vtroque habet; nam & aliquid lucis apparet, & aliquid remanet tenebrarum: adhuc prementur, & fortius, si prout sonant Gregorij verba, quæ tamen ibidem exponit, Christus media nocte resurrexisset: quemadmodum in Cerei benedictione canitur; *ò verè beata nox! quæ sola meruit scire tempus & horam, in qua Christus resurrexit*. Igitur intendit Augustinus hac via cogere ita opinantes, vt recurrant ad figuram Sinecdochen, in qua accipitur pars pro toto; vt nox diem Dominicam præcedens pro toto accipiatur viginti quatuor horarum die. Quod si dicant de die tertia, identidem de die prima in qua mortuus est, intelligant; & sic vt ait, *Scripturarum vsitatissimo loquendi modo* capiatur à parte totum. Sic Angelicus ad mentem Augustini 3. p. citata. Exponit autem ex eodem Augustino,
X 3. p. 53. a. 1. & q. 53. a. 3. cur ita factum sit mystica ratione: X surrexisse scilicet illucescente die; vt Deus, qui dixit *de tenebris lucem splendescere*, 2. Corinth. 4. volens quòd sic à nocte dies sumat initium, nos per Apostolum Ephes. 5. instrueret, *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum, computati sunt à luce in noctem; *factum est vespere*, (clausula lucis) *& mane*, (clausula noctis) *dies vnus*: ita & tertius resurrectionis dies à tenebris in lucem computatur. Parasceues autem, qua hora mortuus est, ratione illius partis declinantis ad vesperam seu noctem pro die integra accipitur, ad ostendendum quòd per suam mortem destrueret tenebras. Hæc ibi, etsi non ad verbum, ex Diuo Thoma. Adde ad destruendas
A 3. p. q. 53. a. 2. & ad 3. & q. 53. a. 2. opusc. 2. c. 236. 1. Cor. 15. l. 1. A duas nostras mortes, scilicet corporis & animæ; quæ sunt tenebræ propter peccatum, duabus noctibus ex Augustino, permansisse in morte. Prima ergo dies meritò computata est, quæ penè expleta erat, quia sic recedebat in tenebras. Quæ omnia mirè in Opusculo. Et vt fert ad Corinthios ex Augustino, *Deus per suum simplum, idest per malum pœnæ; quod significatur per vnum diem, destruxit nostrum duplum, idest pœnam & culpam; quod significatur per duas noctes*.

40. Hæc omnia fidus humilis ac indignus tantorum Magistrorum discipulus probo ac firmo. Nihilominus, quoniam Dominus non dixit duntaxat *tribus diebus*, vt figura Synecdoche possit accipi dies
B locis citat. & in 3. sentent. dist. 21. 2. a. ad 5. naturalis vigintiquatuor horarum, quod repetitur B: sed partitione quadam distinguit diem à nocte, dicendo *& tribus noctibus*; ad artificialem descendit diem, qui causatur ex præsentia Solis. Quare etsi planè, (præsertim in continuis) totum integrum in parte capiatur, & sic pars diei illuminati dies verè dicatur, non tam planum apparet, vt figura istbæc extendatur ad noctem; si nihil noctis decurrit. Quare oporteret, vt aliqua parte tertiæ noctis Christus mansisset mortuus: quod nullo modo factum est. Fateor figuram huiusmodi tres dies saluare, partem pro toto, tres dies inquam naturales, qui lucem & tenebras concernunt: sed vbi distinguitur de die artificiali & nocte, quare indistinctè accipi debeant, non omnino apparet.

Igitur peregrinam, quamuis familiaribus & domesticis innixam Scripturis, meam prodo sententiam, quæ omnes amandet obiectiones, sitque *extra*, vt in prouerbio est, *teli iactum*. Et est, vt intelligatur de Christo in membris suis, secundùm quæ fuerit absque vlla quæstione, *Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, non quidem integris, sed ex parte ad totum. Considero aliàs cum de sua personali resurrectione loquitur, non dicere de tribus noctibus, sed *tertia die*, vt patet hic cap. 20. Marci 10. & Lucæ 18. Hinc Isidorus notat (in Catena Lucæ 18.) non dixisse post tres dies sed *tertia die*. Et ita cautè in Symbolo. Igitur de nostra etiam intelligi sit positio. Pro qua enucleanda, si mauis, opinione, adnotandum in primis est, fuisse conuenientissimum, vt dum de sua resurrectione loquebatur, de nostra quoque inuolueret mentionem. Prima huius ratio sit, quoniam, vt dilucidè probat Angelicus, C Christi resurrectio nostræ corporalis resurrectionis est causa, effectiua quidem, vt inquit, instrumentaliter, & exemplaris sacramentaliter; licet non meritoria, quia Christus iam non erat viator, vt sibi mereri competeret. Trahit hoc ex Apostolo 1. Corinth. 15. *si autem Christus prædicatur, quod resurrexit; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Ex qua auctoritate, *in Summa*, D asserit, præ alijs rationibus, necessarium fuisse, vt resurgeret ad subleuationem nostræ spei; quia dum videmus Christum resurrexisse, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrecturos. An non ergo decuit sermonem inuolui, & de membrorum suorum resurrectione? Et referendo in Deum nostram resurrectionem, hæc eadem capitis & membrorum commendatur connexio, dicente ad Romanos 8. Apostolo; *qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra*. Et hoc sine dubio innuit particula illa ad Ephes. 2. associatiua *con*; ait enim *conresuscitauit, & consedere fecit*, &c. & paulo ante; *conuiuificauit nos in Christo*. Vnde clarè liquet, vbi de Christo agitur mortuo, de membris quoque intelligi respectiuè. Et sic Ecclesia in Collecta; *& resurrectionis consortia mereamur*. Et Act. 4. Petrus & Ioannes docebant populum, & annunciabant in Iesu resurrectionem ex mortuis. Subintelligi ergo de nostra etiam resurrectione satis habetur in textu; ait enim *Filius hominis*. Est autem caput nostrum E secundùm quòd homo: & nedum quoad animas nostras F sed, tametsi secundariò, quantum ad corpus. Et palam signanter legimus sacro in textu illico: *viri Niniuitæ surgent in iudicio*, &c. & mox; *Regina Austri surget in iudicio*. At quomodo in nobis complete post tres dies & noctes, verificetur tanquam in membris Filium hominis prout Caput surrexisse, profundius aperiendum est. Præparat autem magis quæstionem obiectio G. Membra, inquit, debent Capiti conformari; sed nos, qui sumus membra Christi, non resurgimus à morte tertia die, sed nostra resurrectio differtur vsque ad finem Mundi; ergo videtur, quòd Christus, qui est Caput nostrum, non debuerit tertia die resurgere. Respondet, quòd Caput & membra conformantur in natura, sed non in virtute: excellentior est enim virtus Capitis, quàm membrorum; & ideo ad demonstrandam excellentiam Christi, conueniens fuit, ipsum

[Right margin notes: 41. — C opusc. 2. c. 239. — D 53. 1. — E 3. p. 8. 1. — F ibi a. 2. — G 3. p. 53. 2. 1.]

tertia die resurgere, aliorum resurrectione dilata vsque ad finem Mundi. Hæc ibi. Sed ecce altera in promptu obiectio. Matthæi 27. narratur quòd *monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. An qui tunc surrexerunt æquiparati sunt Capiti? præsertim si non iterum mortui sunt, vt quidam apud Angelicum H senserunt? Quare oportet etiam in hac opinione, non æquiparari in solicitudine resurrectionis, membra Capiti. Dicendum ergo mihi videtur præcelluisse Caput, quia vix attacto tertio die, duabus duntaxat decursis noctibus, resurrexit; membra autem eius sustinuisse resurrectionem vsquequo tertius dies tertiaque nox plenè pertransisset. Sic etiam respectu horum meritò dictus fuerit Christus *primogenitus mortuorum* Apocalypsis 1. atque *primitiæ dormientium* 1. Corinth. 15. quia I nedum *dignitate* ex glossa sed *tempore, prius surrexit*. Sic arridet Matthæus eo cap. 27. dicens *exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis*. Expende ly *post resurrectionem eius*.

H 3. p. 53. 3. 2.

I opusc. 2. 236. & 3. p. 53. 3.

42. At, dices, ij qui ad Christi resurrectionem surrexerunt, præmortui fuerant multis antea sæculis; quomodo accommodari litera potest, vt fuerint in corde terræ *tribus diebus, & tribus noctibus*? dicaturque de Christo in quantum Caput? Age, sanctèque curiosus vestiga mecum quæ causa metaphoræ huius, *in corde terræ*. In vmbilico terræ, seu in medio eius, prout ponitur à Theologis L est Infernus damnatorum. Supra hunc Infernum, etsi ei coniunctus, astruitur M locus esse purgatorij. Superior purgatorio est Infernus sanctorum Patrum; N quem dicimus lymbum, seu sinum Abrahæ. Christi anima secundum effectum O descendit etiam in Infernum damnatorum, eos de sua incredulitate & malitia confutando & confundendo. Localiter tantummodo descendit ad Infernum sanctorum Patrum; P vt eos visitaret, quos per gratiam interiùs visitabat. Ex his ad literam claret Christum dici posse fuisse *in corde terræ*; iuxta quod & Apostolus Ephes. 4. habet; *descendit primùm in inferiores partes terræ*. Sed cur Dominus non item dixerit se futurum in inferioribus partibus terræ; benè verò *in corde terræ*: quod & Ionas cap. 2. tangit dicens, *proiecisti me in profundum in corde maris*, nondum claret. Dici potest ideo *in corde terræ*, quia non in vmbilico, vbi damnati sunt, præsentialiter fuit: ascensus verò ab eo centro, vsque ad sanctorum Patrum locum, videtur commensurari tractui; qui sursum est à medio seu ab vmbilico hominis ad cor. Cæterùm altiùs dicendum, idcirco expressum de corde, quia ex Philosopho cor principium est vitæ. Terra post Christi descensum, quasi viuificam adepta est virtutem. Tot sæculis antea iacuit morticinus puluis excors, incapax reparandæ immortalis vitæ. Antequam enim resurgeret Christus, quisquis resurrexit diuinitus excitatus, rursus debuit mori; mortali enim semper surgebat in corpore, iterum morti obstrictus. At postquam descensu Christi ad Inferos, innotuit degentibus sub terra iustis, Osee vaticinium cap. 13. *de morte redimam vos: ero mors tua mors*: sensit terra beatæ spei initia; ac si audisset Apostolum Rom. 8. *viuificabit & mortalia corpora vestra*; Philipp. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ*: non dicit *mortua* sed *mortalia*; quia Q in resurrectione auferetur etiam, quòd sint mortalia, idest potentia mori: sensit principium vitæ, corque veluti ei datum est, quo resurrectionem proximius speraret: de qua & Iob apud Angelicum; R *scio* scilicet per certitudinem fidei, *quod Redemptor meus*, idest Christus, *viuit*, à mortuis resurgens; *& in nouissimo die de terra surrecturus sum: reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Sicut itaque dicunt Augustinus & Beda, S Christum tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulisse aquis; sic descendendo *in inferiores partes terræ*, vitæ alicuius quasi vestigium, spemque recuperandæ vitæ, terræ quodammodo indidisse, dixerim ego: ex quo, dictum sit, non *sub terra*, sed *in corde terræ*. Vnde item metaphoricè Angelicus; T fecit, inquit, diem Paschatis solemnem terra præ gaudio exultando; cùm Matthæi 28. *terræ motus factus est magnus*. An non tibi videtur mi lector, dignum esse, vt dicatur *in corde terræ*? Cor principium est motuum omnium, itemque gaudij & exultationis fons simul ac sinus. Tunc primò igitur *Filius hominis* suis in membris fuit *in corde* signanter *terræ*.

L 4. sent. 50. q. 2. a. 3. 4.
M 4. sent. 21. 3. 1. 2.
N 3. sent. 22. q. 2. a. 2. 2.
O 1. p. 52. 2. & a. 6. 1.
P 3. p. 52. 2. & 3. sent. dist. 22. 2. 2. 2.
Q Rom. 81. 2.
R 3. p. 53. 2.
S 3. p. 66. 3. 4.
T Serm. feriæ 2. post Pascha

43. Dices iterum; vndenam deducitur dilatam fuisse resurrectionem Sanctorum, post Christi resurrectionem, determinatè vsque ad tertium diem? sic vt resuscitati sint die lunæ, decursis verè tribus noctibus atque diebus? Respondeo id haberi ex Osee 6. vbi palam ait Propheta; *viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos*. Qui locus etsi mysticè aliquando exponatur, V vt primus dies, sit contritio, secundus confessio, tertius satisfactio: Vel vt primus dies intelligatur tempus legis naturæ; X secundus tempus legis scriptæ; tertius tempus gratiæ: Nihilominus ad literam de Christi resurrectione, A ac de nostra accipitur. Et cum posset summariè dici *viuificabit nos post tres dies*; fortè vt tertius dies distinctus caperetur à præcedentibus duobus, præsertim in Christi membris; maluit duos à tertia die dirimere, vt videre est. Quemadmodum autem Christus resurrexit tertia die B etiam ad mysterium, ad significandum scilicet, quòd per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat, post illud ante legem, illudque sub lege; itemque incepisse tertium statum in æternitate gloriæ, post primum sub figuris, secundumque sub veritate fidei: ita & de Christi membris, post tres dies ac noctes resurrectio hisce de causis inchoata est. Præterea Christus Dominus resurrexit tertia die, C vt in virtute Trinitatis, se ostenderet resurrexisse: vnde quandoque dicitur Pater eum resuscitasse Actor. 2. *quem Deus suscitauit*; quandoque ipsemet suscitare se ipsum Ioannis 10. *ego pono animam meam, & iterum sumo eam*; quia eadem est diuina virtus & operatio Patris & Filij, (Spiritus-Sanctus vt superiùs dixi intelligitur tanquam nexus) & Spiritus-Sancti: multo magis, vt & nos resurgere in virtute Trinitatis Deificæ, clareret, debuimus in nostris sanctorum Patrum primordijs, post tres dies ac noctes resuscitari. Ioannis 5. *sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita Filius, quos vult, viuificat*. Et ne tertia minus intelligatur Persona; ecce ad Romanos, *viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis*; idest D in virtute Spiritus-Sancti, in vobis habitantis; Ezechielis 37. *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vobis spiritum, & viuetis*. Spiritus autem Sanctus ex Angelico E comparatur cordi; nam, sicut cor, habet quandam influentiam occultam; quippe qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat & vnit; ideo ne mireris, si dicatur *in corde terræ*: vt memorato, caussis quæ supra, corde, Spiritus-Sanctus quoque resurrectionis nostræ Auctor vnà cum Patre & Filio credatur. Sic ergo conformiter quidem Christo, sed posteriùs etiam tempore, die scilicet sequenti diem Dominicum, vel circa diluculum vt supra de Christi resurrectione dictum est: quo etiam, vt dicitur in Opusc. 60. a. 25. vniuersalis futura est resurrectio: vel clara luce, in signum quòd Sol iustitiæ exortus fuerat, mihi suaserim Sanctos Patres resurrexisse; & ita tribus diebus tribusque noctibus fuisse,

V opusc. 60. 21.
X Ioan. 1. l. 1.
A Apoc. 5 Com. 1. & 1. Cor. 15. l. 1. & Rom. 8. l. 2.
B 3. p. 53. 2.
C opusc. 60. 22. 3. p. 53. 4. 1.
D Rom. 8. l. 2.
E 3. p. 8. 1. 3.

fuisse, non sciunctim à membris, *in corde terræ*. Quando autem de se personaliter loquitur, non sic in diem ac noctem, naturalem partitur diem, sed absolutè dies ponit, dicendo *tertia die resurget*, vt patet infra c. 17. & 20. atque Ioannis 2. *post triduum excitabo illud*. Matthæi autem fuerat hoc ex verbis Domini ita referre, vt ipsius cum membris vnitas intelligeretur; quod est totius contexturæ suæ euangelicæ idea & scopus. Vide quæ dixi Deuteronomij c. 21. num. 17. de triplici die gratiæ, gloriæ, temporisque Incarnationis, in qua *Sol iustitiæ*; Malachiæ vltimo; atque de triplici nocte, præsentis vitæ, culpæ, & temporis ante incarnationem; nam Rom. 13. *nox præcessit*, &c. Fortè ad hoc etiam signandum, tres mortuos visibiliter voluit Dominus duntaxat *resuscitare*.

VERS. XLI. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista*; &c.

VERS. XLII. *Regina Austri surget in iudicio*; &c.

44. Cum multifariam dicatur quis alterum iudicare; de quo infra c. 19. ibi, *sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*, constans est Angelicus F hic sensum fieri comparatiuum; in quantum ex comparatione aliorum, aliqui iudicandi ostenduntur. Boni enim sola comparatione G minus bonos iudicabunt, & mali magis malos. Sic & Apostolus ad Romanos 2. *Et iudicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es*; scilicet H per comparationem. Constat autem conuenienter sic accipi debere Niniuitarum & Reginæ Austri iudicium, non verò presitis, quemadmodum sunt Apostoli iudicaturi; quoniam non dicit sicut de istis, *sedebitis super sedes*; &c. quæ phrasis auctoritatem demonstrat, vt obseruat Matthæi 19. Chrysostomus. Hinc & Hieronymus; *condemnabunt eam*, non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo. Et quoniam ait Dominus; *ecce plusquam Ionas hic*, & iterum, *ecce plusquam Salomon hic*, subdit hic, *aduerbium loci, non pronomen intelligas*. Syriaca legit *hic est*; Pagninus; *hoc loco*. Ad hæc Diuus Augustinus; *accusatus est Populus in comparatione Niniuitarum; quoniam Niniuitæ, ad quos redarguendos missus est Ionas Propheta, agendo pænitentiam, irâm Dei placauerunt, & misericordiam meruerunt*. Subinnuitur autem, prout mihi videtur, condemnationis eorum causa, consummato ex eorum peccato; quod & indurationem quoad cor, & excæcationem quoad visum, & aggrauationem quoad auditum inducit; I vt edocet Sanctus Thomas. Quia ergo *duriora saxis*, vt ait Gregorius, *scindi corda ad pænitentiam nolunt*, fert per locum à contrario, de Niniuitarum pœnitudine: & ad increpandum eos de cæcitate, memoratur donum Sapientiæ quæ perficit intellectum, in Sapientia Salomonis; sicque de aggrauatione, quæ ad aures pertinet, subditur, *venit audire sapientiam Salomonis*. Et quia Ecclesiastici 3. *cor durum habebit malum in nouissimo*, non mirum si de finali iudicio attexatur sermo. Eorum autem profundè tangit infidelitatem, quandoquidem Ioan. 3. *qui non credit, iam iudicatus est*, dicens; *& ecce plusquam Salomon hic*; & prius, *& ecce plusquam Ionas hic*, tanquam proximam causam condemnationis. Quare ly *&*, quæ particula multiplici sensu accipitur in Scripturis, in præsenti dicas sonare causalitatem, ac pro *quia* poni. Non secus atque Psal. 59. *iratus es, & misertus es nobis*, exponit Theophilactus; qui item Lucæ 1. ly *& benedictus fructus ventris tui* sic interpretatur: & psal. 107. *da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis*, hebraicè, vertit noster, *quia vana*. Quocirca vberrimè Rutilius Benzonus in Cant. Magnificat lib. 2. c. 9. Quia ergo plusquam Ionas, plusquam Salomon aderat, nec ei credere voluerunt, iudicij condemnationem in eos pronunciat. In eo quod ait *plusquam Salomon, plusquam Ionas* Diuinitatem suam prodit, *volens intelligi se ipsum*, inquit Augustinus; & mox; *non fuit magnum Christo, plus esse, quam Ionas, plùs esse quàm Salomon; iste enim Dominus, illi serui erant*. In eo autem quòd addit Dominus aduerbium illud loci *hic*, humanitatem, me iudice, indicat; nam, vt ait Petrus Chrysologus serm. 50. *Creator omnium rerum Deus se propter nos, nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam Patriam, cœpit Ciuitatis iudaicæ esse ciuis*. Hoc ergo inuoluit ly *hic plusquam Ionas, & plusquam Salomon*, quod exprimit Baruch 3. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, clauditque nomen eius Isaiæ 7. *Emmanuel*, scilicet, *nobiscum Deus*. Dum etiam vsurpat aduerbium illud loci dicens, *hic*, memorare videtur quod præscius dixerat Iacob Genesis 28. *verè Dominus est in loco isto*; & iterum; *non est hic aliud, nisi Domus Dei & porta Cœli*: vbi L propheticè & præfiguratiuè profitebatur Christum esse venturum. Coloss. 2. *in Christo Iesu inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter*: Cur non dicatur assumpta humanitas Domus Dei? Quia ergo prophetice dictum est *hic Domus Dei est*, impletum ait Dominus; *Ecce plusquam Ionas hic*.

F 4. sent. 47. 1. a. 2. c.
G Opusc. 2. c. 245.
H Rom. 2. l. 4.
I p. 2. 79. 3.
L Genes. 28.

VERS. XLIII. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine*; &c.

Ad textus huius & sequentium intelligentiam, 45.
varie procedunt Sancti Patres; præsertim in exponendo quænam sint loca arida, quæ perambulare perhibetur immundus spiritus. Diuus Gregorius ariditatem in bonum accipit, dicens; *loca arentia & inaquosa sunt corda iustorum, quæ ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur*: sic & Rabanus; *loca arida sunt corda fidelium, à mollitie fluxæ cogitationis expurgata*: & sic in præsenti Diuus Thomas; *loca arida sunt, qui contemnunt voluptates*. Altera ex parte Remigius ariditatem detorquet in malum; *loca*, inquit, *arida appellat corda Gentium, ab omni humore salutarium aquarum, hoc est, Sanctarum Scripturarum, spiritualium donorum, & ab infusione Sancti Spiritus aliena*: sic & Diuus Thomas; *ad Gentiles iuit qui aridi erant ab humore gratiæ diuinæ*. Vtramque interpretationem libenter probo, primam morali sensu, allegorico secundam: nam & vtrumque sensum inuoluit sermo Domini, dum subdit; *sic erit & generationi huic pessimæ*, siue de re gesta siue de parabola spiritus immundi, illi adaptans exempli. Cæterum, si totam verborum Domini seriem perpendamus, arridet magis, vt loca arida in malum accipiantur. Dic ergo *cum spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida*; sine dubio locis in aridis complacens: ad quem sensum dicitur psal. 142. *anima mea sicut terra sine aqua tibi*; nam peccator M animam habet siccam & aridam, sine irriguo gratiarum & germine virtutum. De qua in similitudinem vineæ Isaiæ 5. *nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*. Ad huiusmodi ergò loca, exiens ab homine aliquo, gressus suos dirigit immundus spiritus; neque contentus est accessisse ad hos vel illos, Dei iusto iudicio hic & nunc aridos, sed cupit in eisdem ambulare, hoc est proficere in eis, (sic ex aduerso super illud; *in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, N designat inquit boni operis profectum) pleno inhians possessum, quasi quieturus: quo pacto aiebat Gregorius; *non negligit pulsare, quos quieto iure possidere se nouit*. Atqui non est diuinæ clementiæ hoc passim dare, quia sæpe diuinum pluit de Cælo imbrem: (qua loquitur similitudine & Apostolus ad He-

M Opusc. 7. §. 5. & op. 58. 21
N Ephes. 2. l. 3.

Hebræos 6. *terra sæpè venientem super se bibens imbrem*, &c.) immò vt in psal. 106. *ponit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum*. In eo autem quòd homines *loca* vocat, hanc recipiendarum mysticè aquarum innuit capacitatem, iuxta illud; *congregentur aquæ in locum vnum*; quam non habent Dæmones inflexibiles. Qui proinde nequeunt dici mysticè loca sub dio vel rore irriganda, detrusi in Inferno. Quærit ergo errabundus spiritus in alijs quiescere locis, quæ vellet diu arida; (pluraliter, quia quandoque arescit cor hominis, quandoque mens, auris etiam exterior, quandoque sine interiori Dei motione verbo & illustratione) quærit hoc, sed non ei datur: ideo inquit tanquam desperans quiescere, *reuertar in Domum meam vnde exiui*. Ex quo deprehenditur ad tempus, quieuisse in illo homine immundum spiritum: nam si non quieuisset, vt quid reuerti? si non quieuisset, cur diceretur ei Domus, & Domus sua? *reuertar in Domum meam*. Quod moraliter per tentationem dici, claret ex p. p. quæst. 114. a. 5.

VERS. XLIV. *Et veniens inuenit eam vacantem.*

46. Appropinquat exploraturus nimirum an vacet. Si non vacat, abit confusus; si vacat, ingredi potest; 2. Cor. 6. *quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ cõuentio Christi ad Belial?* Isaiæ 28. *coangustatum est stratum, ita vt alter decidat*; scilicet O Deus verus vel falsus à corde hominis. Cor enim hominis P arctum est in respectu ad Deum; vnde quando alia à Deo in corde tuo recipis; ipsum expellis; ipse enim non patitur consortem in anima: & ideo ipse dicit Exodi 20. *Ego sum Deus tuus zelotes*. Ingredi ergo non posse immundum spiritum vides, nisi vacantem Domum reperiat. Sed heu!, quoniam ait de quibusdam Apostolus ad Ephesios 2. *sine Deo in hoc Mundo*: heu! quia ex Psal. 26. declinat quandoque à nobis in ira; *ne declines in ira à seruo tuo*: heu! quoniam inquit Isaias cap. 59. *iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum*: heu! quia abit à nobis, iuxta illud Iob 9. *si abierit, non intelligam*. Quod est nedum simpliciter relinquere Domum, Ieremiæ 12. *reliqui Domum meam*; Hebræor. 3. *quæ Domus sumus nos*; sed vacantem dimittere; quandoquidem *solus Deus* vt dicitur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, *mentem illabitur*. At vtinam immundus spiritus inueniret duntaxat vacantem; quod ipse ad eum dico sensum, quo & in Apocalypsi c. 3. legimus; *vtinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es*, &c., idest Q intus malus, extra bonus: vtinam non inueniret *scopis mundatam & ornatam*. Facit huc quod infra ait Dominus c. 23. *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*. Et prius, *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia*. Lucæ 11. vbi præmiserat Dominus de immundo spiritu inueniente domum *scopis mundatam & ornatam* leges de interiori, quam inculcat munditia; vt Matthæi 23. relatum est. Siue moraliter, siue allegoricè, passim animaduertes hoc euenire, vt exteriùs nonnihil fiat etiam ab ijs, qui à Dei gratia per peccatum exciderunt: ex quo fit, vt maiorem sui in perditionem, de præstito exteriori cultu aut opere sibi fidant, atque præsumant, tepidique torpescant ad pœnitentiam. Si huiusmodi exterioribus scopis mũdata non esset Domus & ornata; si homo frigidus esset, hoc est existens in peccatis, R nondum conuersus; ex consideratione peccatorum disponeretur ad timorem & pœnitentiam. Dicamus Domini sententiam ipsam huc adaptando, Matthæi 23. *hæc oportuit facere*, scilicet interiorem emundationem, *& illa non omittere*, puta exteriora. In Syntaxi, interpretatione alia res elucidabitur. Interim morali pergendo in sensu, *vadit spiritus immundus, & assumit septem alios spiritus nequiores se*. Hoc ipse ad fortiorem Diaboli insultum refero, cuius ad perdendum studia elucent vel in eo quod ait, *vadit*. Dæmonem autem fortem reddit moralis nostra debilitas; iuxta quod aiebat Gregorius; *Hostis, sicut contra consentientes est fortis, ita contra resistentes est debilis: alijs ergo leo est, alijs formica*: quare si septies auget virtutem suam, factus nequior spiritus, argumento est, septies, hoc est, maiori valde spiritualium virium destitutione relapsum laborare: grauiori vtique sui culpa, proinde & reatu pœnæ, pleno veluti iure tartarei carnificis; quandoquidem intrantes habitant *ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Ad hæc Diuus Petrus in secunda c. 2. *si enim refugientes coinquinationes Mundi*, &c. *his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora, deteriora prioribus*. Et adducit causam subdens; *melius enim erat illis, non cognoscere viam iustitiæ; quàm post agnitionem, retrorsum conuerti*, &c. Status enim posterior S post recidiuationem, deterior est statu priori ante conuersionem: talis enim magis offendit Deum, quàm ante pœnitentiam; frangendo pactum, quod pepigit cum Deo; sicut periculosior est infirmitas recidiuantis, quàm prius ægrotantis. Vnde talis culpa est maior propter circumstantiam ingratitudinis, ex remissione præcedentium peccatorum. Per constantem quippe doctrinam, T sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati; in quantùm scilicet aliquis homo secundò peccans, ex hoc ipso videtur grauiùs peccare, quàm priùs peccauerat: multo enim magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati, secundò peccatum iteretur; quia maius beneficium est peccatum remittere, quàm peccatorem sustinere. Maius supplicium V meretur, qui gustauit, quàm dulce est benè operari, & non perseuerauit.

Q 1. 2. q. 111. 3.
P Opusc. 4. § 4.
Q Apoc. 3. com. 1.
R Apoc. 3. com. 2.
S 2. Pet. 2
T 3. P. 88. 1.
V Serm. Dom. 16. ex Epist.

VERS. XLVI. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.*

Hoc fert Marcus c. 3. Lucas cap. 8. Marcus quidem cohærenter ad ea quæ Matthæus hic interserit; 47. Lucas autem disparato omnino ab hisce Matthæi contextibus discursu: quandoquidem contextus hos de blasphemia, & de immundo spiritu distrahit Lucas ad cap. 11. Cur ergo, non differt etiam textum præsentem de Matre & fratribus, colligando cuncta simul sicut Matthæus? Cur præuenit Lucas de Matris fratrumque accessu? Diuus Augustinus de more, vt fert hic & in Catena Sanctus Thomas, sentit præoccupasse Lucam præsentem narrationem suggerente memoria: sed attento rei ordine, euenisse accessum Matris Domini & fratrum secundum historiam prout refert Matthæus; qui ait, *adhuc eo loquente*; & adstipulatur Marcus, à quo isthæc vnitim commemorantur. Nihilominus etsi humiliter suscipiendum sit, quod passim pro consensu Euangelistarum habet Augustinus, confugiens ad eorundem, prout dabat eis Dominus, recordationem; non adhuc quiescit animus; nisi arcana tantæ disquiparantiæ sublateat ratio, quam nostra semper venatur Syntaxis & Harmonia. Et quoad præsens attinet, specialis est difficultas, quoniam Lucas c. 11. tractans de blasphemia & immundo spiritu, quemadmodum hic Matthæus, subdit, *factum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter qui te portauit*, &c. Extulit vocem

vocem mulier, *cum hæc diceret*: si, *adhuc eo loquente*, adfuit *Mater eius*, &c. cur vtrumque non iunxit Lucas? cur vnius memoria & non alterius occurrit? Vtrumque sine dubio factum est, vt animaduertit Angelicus. Hæc & alibi alia similia mente reuoluens, securius pro sacri textus maiestate non reperio confugium, quàm quod Syntaxis infrà demonstrabit. Credo interim secundum historiam contigisse Matris eius accessum, equidem *adhuc eo loquente*; sed aio ipse, *loquente* non tamen de spiritu immundo, non enim additur, vt in Actis c. 10. *verba hæc*, nimirum *adhuc loquente Petro verba hæc*, sed duntaxat, *adhuc eo loquente*: vt referatur magis ad parabolam de seminante, quam accessui Matris eius præmittit Lucas c. 8. quamque quia non faciebat si præmitteretur ad Syntaxin, postponit c. 13. Matthæus. Exegisset ordo historiæ, vt etiam de muliere extollente vocem; *beatus venter* &c. adiecissent Marcus, & Matthæus, immo & Lucas c. 8. sed Syntaxis Lucæ alio requirebat nempè c. 11. denarrari loco.

VERS. XLVII. *Ecce Mater tua & fratres tui foris stant*; &c.

48. Pluries, quod attinet ad hunc contextum tractat Angelicus. In 4. sent. breui X dicens; alij dicti sunt fratres eius ratione cognationis, quia erant de eadem familia. Alibi ex Hieronymo A quidam, inquit, fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur. Nos autem, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, filios sororis Mariæ Matris Domini intelligimus. Quatuor enim modis in Scripturis fratres dicuntur, scilicet, natura, gente, cognatione & affectu. Vnde fratres Domini dicti sunt, non secundùm naturam, quasi ab eadem Matre nati, sed secundùm cognationē, quasi consanguinei eius existentes. Ioseph autem, sicut Hieronymus dicit contra Heluidium, magis credendus est Virgo permansisse; quia aliam vxorem habuisse non scribitur; & fornicatio in iustum, in Sanctum virum non cadit. In Ioannem ad illa verba; *descendit Capharnaum ipse & Mater eius, & fratres eius*, B sic habet; cauendi sunt duo errores; scilicet Heluidij dicentis, quòd Beata Virgo post Christum alios filios habuit; & hos dicit fratres Domini: quod est hæreticum. Item error quorundam dicentium, Ioseph ex alia coniuge filios genuisse, & hos vocari fratres Domini: quod Ecclesia non tenet. Et ideò dicimus fratres Domini consanguineos Virginis Matris, vel & Ioseph, qui putabatur Pater eius. (Nota ex 4. supra, Christum Dominum secundum quosdam, fuisse Ioseph filium adoptiuum.) Et hoc quidem iuxta consuetudinem Scripturæ, quæ communiter consanguineos, fratres appellat. Sic & Ioan. 7. ibi *neque enim fratres eius credebant in eum*. cognatione, quia consanguinei Beatæ Virginis: more Scripturæ, quæ consanguineos fratres appellat. Luculentius quæstionem dirimit 1. ad Galatas, vbi ait Apostolus; *alium autem Apostolorum vidi neminē, nisi Iacobum (Minorem) fratrem Domini*, Heluidius, impiè C dicit hunc fratrem Domini, eo quòd fuerit filius Beatæ Virginis. Putat enim, quòd Beata Virgo Christum concepit & peperit; & post partum Christi, concepit de Ioseph, & peperit alios filios. Sed hic error est damnatus & reprobatus. Itē patet esse falsum, quia Iacobus non fuit filius Ioseph, sed Alphæi. Alij dicunt, quòd Ioseph ante Beatam Virginem, aliam habuit vxorem, de qua habuit filium Iacobum & alios: qua mortua accepit in vxorem Beatam Virginem, de qua natus est Christus: non tamen cognita à Ioseph; sed per Spiritum-Sanctum; vt in Euangelio dicitur. Quia ergo ex Patre nominantur cognationes, & Ioseph putabatur Pater Christi, ideo iste Iacobus, licèt non fuerit filius Virginis, tamen vocabatur frater Domini. Sed hoc est falsum; quia si Dominus Matrem Virginem, noluit nisi Virgini (in cruce) commendare custodiendam, quomodo sustinuisset Sponsum eius Virginem non fuisse, & sic perstitisse? (Hanc ex Hieronymo rationem magna innixam decentia inducit loco citato in Ioannem, & hic in Matthæum 12.) Pergit Angelicus; ideo alij dicunt, & in glossa tangitur, quòd Iacobus iste fuit filius Mariæ Cleophæ, quæ fuit Soror Virginis. Dicunt enim, quòd Anna Mater Beatæ Virginis nupsit primò Ioachim; ex quo peperit Mariam Matrem Domini: quo mortuo, (Ioachim) nupsit Anna Cleophæ fratri Ioachim: ex quo peperit Mariam Cleophæ; & ex hac natus est Iacobus Minor, Iudas & Simon: quo mortuo (Cleopha) dicitur, quòd Anna nupsit adhuc cuidam tertio, qui vocatus est Salome; ex quo concepit & peperit aliam Mariam, quæ dicta est Salome; & de hac natus est Iacobus Maior & Ioannes frater eius. Sed huic opinioni dupliciter contradicit Hieronymus; primò quia Salome non est nomen viri, vt etiam in græco apparet: sed est nomen mulieris, quæ fuit soror Beatæ Virginis, & ex Zebedæo genuit Iacobum Maiorem & Ioannem, sicut Maria Cleopha, ex Alphæo genuit Iacobum Minorem, Iudam, & Simonem. Dicitur autem frater Domini iste Iacobus specialiter inter alios suos consobrinos propter duo; primò propter similitudinem effigiei, quia similis erat Christo in facie, & propter similitudinem vitæ, quia imitabatur Christum in moribus: vel quoniam Alphæus, Pater eius, fuit de cognatione Ioseph: & quia Iudæi (pergit Angelicus,) cognationis lineam texere solent à maribus, & Christus putabatur filius Ioseph, vt dicitur Lucæ 3. ideo specialiter dictus est *frater Domini* & non alij, qui solum ex Matre coniuncti erant ei. Accipitur autem hic frater cognatione. Nam in Scriptura fratres aliquando dicuntur *natura*, Matthæi 1. *Iacob autem genuit Iudam & fratres eius*: *cognatione*; sicut omnes consanguinei sunt fratres; Genesis 13. *ne quæso sit iurgium inter te & me, fratres enim sumus*: (Loth non erat nisi nepos Abraham, vt considerat hic & in Ioannem c. 2. l. 2.) *gente*; & sic omnes vnius linguæ dicuntur fratres; Deuteronomij 17. *non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus*. item *affectione*; & sic omnes amici, & qui habent eundem affectum, dicuntur fratres; 2. Cor. 2. & *quòd non inuenerim Titum fratrem meum*, &c. (fac lector, vt recolas illud Ioan. 7. *nondum fratres eius credebant in eum*. quod ita exponi posse nil prohibet) *religione*; & sic omnes Christiani, qui habent vnam regulam vitæ dicuntur fratres; Matthæi 23. *omnes autem vos fratres estis* Psal. *ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*. Communiter autem omnes homines dicuntur fratres, quia ab vno Deo gubernati & educati; Malachiæ 2. *nunquid non Pater vnus omnium nostrum?* Hanc authoritatem inducit comprobans illud Apostoli ad Hebræos; *qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam, non confunditur fratres eos vocare dicens, nunciabo nomen tuum fratribus meis*: quia scilicet D nos & ipse, ex Patre dependemus, & sumus ex vno Deo Patre. Addit aliàs Rom. 2. *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*; Ioan. 20. *vade ad fratres meos*. Cur autem *fratris* nomen toties inculcent Euangelistæ, manifestabit Syntaxis: sicuti & cur *discipulos* hic ostendat ceu Matrem & fratres.

VERS. L. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei*, &c.

49. Diligit obedientem, E quasi omni genere attinentiæ: immo diligit eum, quasi se ipsum; Eccl. 33. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem, sic tracta eum*.

X 4. sent. 30 2. 1. ad quartam.
A 3. p. 28. 3. 5.
B Io. 2. lect. 2. & Io. 7. l. 1. litera b.
C Gal. 1. l. 5.
D Hebr. 2. l. 2.
E Opusc. 41. lib. 5. 16.

SYNTAXIS

Ad Caput Duodecimum.

VERS. I. *In illo tempore abijt Iesus per sata Sabbato.*

50. Nusquam mente deberet excidere, qualiter, F vna sequens sententia est præmissæ expositio, præsertimque id seruat etiam Apostolus, in difficili aliqua materia. Sic aio ipse in præsentia. Cùm enim posuerit immediatè ante, *iugum suum esse suaue, & onus leue*, oportebat suauitatem euangelicæ legis, quasi præludio re ipsa præmonstrare. Et ecce mox de Sabbati decertari obseruantia, quæ minor, mortuis legalibus, facta est. Quoniam ergo præcedenti capite 10. dictum est de Ecclesia, in 11. de Ecclesiæ fide; in hoc 12. de Ecclesiæ fideique hostibus, de Iudæis præsertim atteritur arcana intelligentia diuinus sermo. Quare sicut infra ad illud; *quomodo potest quisquam intrare in Domum Fortis, & vasa eius diripere*, &c. ait Chrysostomus; *hoc mihi prophetia videtur esse; quatenus errorem vniuersi Orbis terrarum abiget*: & aliàs habet Hilarius; *sub rerum argumento prophetiæ ratio continetur*: ita videtur mihi caput hoc totum edisserere quod euenturum erat Ecclesiæ tempore. Et ecce, me iudice, cur Matthæus hic præmiserit, *in illo tempore*, quod nec Marcus c. 2. neque Lucas c. 6. faciunt, non tam, vt rei gestæ ordinem teneat, quò propendet Augustinus *lib. 2. de consensu Euangelistarum* c. 34. quem alij non seruarint, quàm vt futurum tempus proficientis Ecclesiæ, Synagogæ insultantis indicaret. Mirum est enim cur tantùm distulerit Matthæus hoc de spicis enarrare, quando Marcus & Lucas de hac ambulatione per sata post quæstionem de ieiunio statim adnexuerint. Cur & Matthæus non hoc retulit cap. suo 9. vbi de huiusmodi ieiunio tractauerat? Vel cur Marcus & Lucas, non magis se Matthæo conformare studuerunt? Sed vt dixi, Syntaxis Matthæi hoc exposcit, vt nunc referatur, etiamsi fortassè non ordo curtat historiæ: quandoquidem, vt ait Hilarius, *contuendum est mysticè, in illo intelligi tempore, quo data Gentibus est salus.* Animaduertit Sanctus Thomas; G si Apostoli simul cum Cruce Christi prædicassent debere seruari legalia, nullam persecutionem Iudæi Apostolis intulissent. Nam vt H alibi inquit; libenter voluissent quòd prædicaretur Crux, & legalia simul obseruarentur. Sanè Act. 15. legimus; *surrexerunt quidam dicentes: quia oportet circumcidi eos; præcipere quoque seruare legem Moysi.* Hinc, cap. 21. *audierunt autem de te*, (de Paulo) *quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt Iudæorum.* De quo Roman. 15. lect. vltima. Quamuis falsò grauarent Apostolum, quòd legalia absolutè damnasset: de quo Augustinus epistola 15. tomo 2. Ideo in primis de legis obseruantia scribit Matthæus. Opportunè per sata Domino abeunte, ab Iudæis scilicet; disseminando Euangelij semine inter Gentes; & cohærenter ad principalem suum scopum, atq; ad Ecclesiæ coadunationem est de spicis inductio; iuxta quod ait Rabanus; *spicas vellunt, dum singulos homines à terrena intentione retrahunt; fricant, dum à concupiscentia carnis mentes exuunt; grana comedunt, dum emendatos in corpus Ecclesiæ traijciunt.* Reuertendo autem ad factum præsens, tanquam sit index futuri: belle ex Chrysostomo; *Quare per sata Sabbato eos ducebat, qui omnia præsciuit, nisi quia volebat soluere Sabbatum. Volebat quidem, sed non simpliciter; ideoque non sine causa id soluit, sed dans occasionem rationabilem, vt & legem cessare faciat, & legem non offendat.* Sic & Hilarius; *lege cessante*, inquit, *in Dei bonitate saluamur*: & Hieronymus; *nota quòd primi Apostoli Saluatoris literam Sabbati destruunt, aduersus Ebionitas, qui cum cæteros recipiant Apostolos, Paulum tanquam transgressorem legis repudiant.* Retunditur itaque & in futurum calumnia, qua ex causa *quærebant Iudæi*, Ioannis 5. *Iesum interficere etiam, quia soluebat Sabbatum*; & c. 29. *non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* Quamuis autem materia isthæc Lucæ sit propria, iuxta quod Syntaxin eius tetigimus in Isagoge: vnde ipse pressiùs c. 6. præmittit, *factum est autem in Sabbato secundo*, &c. Et deinde quoad manum aridam, *factum est autem, & in alio Sabbato*; nam Sabbatum aliud, & veluti secundum, est Ecclesiæ Sabbatum die Dominico: nihilominus, quoniam *quatuor facies vni*, Ezechielis 1. faciem assumit Lucæ Matthæus, vt prophetico Euangelij sui calamo tangat quidnam Ecclesiam Gentium deberet impetere, nimirum de inobseruantia Sabbati, atque legalium omissione calumnia: inter quæ *secundum quid* Sabbatum recensetur die septimo.

F Ephes. 1.l. 2. lo. 3.l.7.lit.d

G Galat. 6.l. 5.

H Gal. 5. l.2. fine & Roman. 15.l.3.

VERS. II. *Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli faciunt, quod non licet facere Sabbatis.*

Quoniam, vt sententia est Angelici, I nullo modo melius quàm contradicentibus resistendo, aperitur veritas & falsitas confutatur, secundum illud Salomonis (Prou. 27.) *ferrum ferro exacuitur: & homo exacuit faciem amici sui*: ideo patitur Dominus temere à Pharisæis sibi obijci de Sabbati transgressione prætensa; nec dedignatur obiectis occurrere, vt opportuna probet studia in fidei Ecclesiæque tutamen. Impius Apostota Iulianus, L vt Ecclesiastica testatur historia, Christianis primus probibuit studia literarum: quod postea & impugnantes Religiosos intentarunt, ne aduersarijs veritatis resistere possent: quæ est astutia Philisthinorum: 1. Reg. 13. *cauerant Philisthijm, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam*: quod exponit glossa de prohibitione studij literarum. Potuisset autem Dominus statim audaciam reprimere dicendo, quod postea adiecit; *Dominus enim est filius hominis etiam Sabbati*; sed maluit præmittere Scripturas; vt innueret quibus armis, vti deberet Ecclesia à Iudæis impugnanda. Præscribens alibi Sanctus Thomas M modum, quo aduersùm hostes fidei pugnaremus, inquit, contra Iudæos disputare nos posse per vetus Testamentum; quo Pagani & Mahometistæ, quia non conueniunt nobiscum, nequeunt conuinci. 51.

I In talia opusc. 18.

L Opusc. 19. in Proæmio.

M 1. Contra G. c. 2.

VERS. III. *Non legistis, quid fecerit Dauid?*

Quare interserat de Dauid facto, dictum est satis in capitis expositione: nunc profundior clarebit ratio, ex qua, dici Sabbati non tam exacta futura esset in Christi fidelibus obseruantia. Præceptum certè de Sanctificatione Sabbati N literaliter intellectum est partim morale, partim verò cæremoniale; & multifariam cæremoniale, vt ibi videre est. Figuralis ergo etiam erat obseruantia Sabbati; & inter cæremoniales titulos, præcipuus erat, in signum creationis Mundi: ad recolendum beneficium O huiusmodi. At commemoranda erat noua creatura inchoan- 52.

N 2.2. q. 122. a. 4. ad 4. & adColoss. 2. l. 4.

O p. 2. 103.1.4.

choanda in Christi resurrectione, futura in die Dominica, vt ibidem Angelicus; quidni ergo primæ creationis cibos terendo, vale quodammodo antiquæ Sabbati obseruantiæ sensim diceretur? Dicit palam loco vbi supra 2.2. non est diei Dominicæ obseruantia figuralis, sicut fuit obseruatio Sabbati in veteri lege; & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica sicut in die Sabbati; sed quædam opera conceduntur, quæ in die Sabbati prohibebantur; sicut decoctio ciborum & alia huiusmodi. Quoniam igitur, aio ipse, non ita apertè constabat Sabbati obseruationem nonnihil claudere cæremoniale, quandoquidem inter moralia præcepta ponitur in Decalogo; ideo inducit de panibus mensæ propositionis, quos facilius claret fuisse cæremoniales.

VERS. V. *Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant*, &c.

Sabbati obseruatio tam rigorosa erat quoque cæ-
P 1.2.q. 100. remonialis, secundùm moralem P significationem;
prout significabat quietem mentis in Deo: nam Q
Q p. 1. 102. a. 2. inter omnia futura Dei beneficia, quæ erant præfigurandæ, præcipuum & finale erat, quies mentis in Deo, vel in præsenti per gratiam, vel in futuro per gloriam; & figurabatur per Sabbati obseruantiam.
R p. 1. 102. 4. 2. Per templum R quod erat fixum & stans, significabatur status futuræ vitæ, quæ omnino immutabilis est; & propter hoc, in ædificatione Templi dicitur, quòd non est auditus sonitus mallei aut securis, ad significandum quòd omnis perturbationis tumultus longè erit à statu futuro. Fert ergo Dominus, vt mihi videtur, de operatione Sacerdotum in Templo, vt indicet accessisse per ipsius aduentum vtriusq; quietis tempus, quando figuræ illius in Sabbato latentes euanescere cœperant, prohibitis in Templo Sacerdotibus operari; quando vmbræ iam iam cedunt corpori: Hebr. 2. *vmbram habens lex futurorum bonorum*; ideò subdit; *quia Templo maior est hic*.

VERS. VII. *Misericordiam volo, & non sacrificium*.

52. Doctrina est Angelici; S omnes solennitates Le-
S p. 2. 102. 5. 2. gis veteris institutas fuisse in commemorationem alicuius diuini beneficij; vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati. Et similiter propter hoc omnia sacrificia offerebantur. Quid ergo mirum, si Dominus hic illud iterum Oseæ vsurpet: *misericordiam volo, & non sacrificium*? Sacrificia non vult Deus exinceps, quia figuræ cessabant. Veruntamen quoniam, nedum dicit *nolo sacrificium*, sed præmittit *misericordiam volo*, censeo tacitam Pharisæorum adhuc soluere quæstionem. Fortassè visas eorum indicat cogitationes, quibus dicerent; Damus, licere multa in die Sabbati, quando vrgeat necessitas grauis, multò magis extrema: atqui non apparet tanta necessitate fuisse discipulos pressos. Respondet ergo prægnanti ea sententia; cui concordat & Salomon Prouerb. 21. *facere misericordiam & iudicium magis placet Deo, quàm victimæ*. Indulsisse ergo se ostendit discipulis, nedum quia est *Dominus Sabbati*, sed quia misericordiæ affluit visceribus; iuxta quòd & Marci 8. dixit; *misereor super turbam; quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quòd manducent*. In casu huiusmodi, discipulorum non vrgente omnino necessitate, illicuisset reor, eos fricare in Sabbato spicas. De facto non fuisset etiam malum, abstinere, sabbatumque adhuc cæremonialiter seruare, tanquam nondum passo Christo; qui dixit duntaxat, in Cruce Ioan. 19. *consummatum est*; sicut mandauit ante passionem leproso, vt legales
T p. 2. 103. 3. 2. cæremonias obseruaret. Sed quia, vt docemur, T ante passionem Christi, Christo prædicante, & miracula faciente, currebant simul lex & Euangelium, maluit legis ab obseruantia sic implenda, quàm ab opere misericordiæ elongari. Et hoc est quod ait; *si scitetis*: hoc est si sciretis, qualiter talis currit cultus diuini status, vt nedum Dominus sim ego Sabbati in quantùm Deus, sed & in quantum homo Deus immo & *filius hominis*, quatenus vnus sum secundùm quòd homo, caput cum membris: vnde & innocentes discipuli, arbitratu suo possunt pro hoc statu legalia seruare & non seruare, quia legalia in hoc neque sunt mortua, neque mortifera. Domini sunt & ipsi, mihi ceu membra cohærentes per fidem, qua credunt *tempus correctionis* (Hebr. 9.) venisse, ad alterutrum liberi: ideo *condemnastis innocentes*. Vide art. præallegatum; & art. 4. Ne ergo nobis hanc & hodie importare possint calumniam: ecce responsio.

VERS. X. *Si licet Sabbatis curare; vt accusarent eum*.

Quoniam, vt præmissum fuit, obseruatio V diei 53.
Dominicæ in noua lege, non est figuralis, sicut fuit V 2. 2. 122. 4. 4.
obseruatio Sabbati in veteri lege; non est arcta prohibitio operandi in die Dominico, sicut in die Sabbati; sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi; & etiam in quibusdam operibus prohibitis, *faciliùs* propter necessitatem, dispensatur in noua lege, quàm in veteri lege. Nota ly *faciliùs*. Sic vindicatur & hodie Christianus populus ab Iudæorum exprobratione, dum credunt Religionem nostram notare; eo quòd Ecclesia, vel consuetudo faciliùs dispenset. Non est vnde contra nos insurgant; vnde legalium obseruationem inculcent; quia, & apud ipsos, necessitas beneficentiæ, arctam relaxat diei festi custodiam. Licet quippe pro damno rerum vitando & Sabbatis operari. X Occasione autem exempli de oue, quæ X ibi ad 3.
ceciderit, transit ad hominem succurrendum, qui *melior est oue*. Quocirca eorum innotescit ignorantia & cæcitas; cùm de homine curando interrogent; *si licet Sabbato curare*? qui de oue reparanda non dubitant. Ex quo Marci 3. *contristatus* dicitur *super cæcitate eorum*. Verùm nedum transit ad hominis corporalem salutem licitè curandam, sed gradum facit, ad sublatentem sensum præcepti Sabbati, scilicet ad cessationem ab omni actu peccati; quo pacto, vt docet A est quodammodo præceptum generale. Peccatum autem esset omissionis, si quis homini curando non insisteret; quia quilibet tam seruus B quàm liber tenetur in necessarijs prouidere, non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipuè in ijs, quæ ad salutem corporis pertinent. Et quantùm ad hoc, æquè potuisset induci exemplum de Boue, aut Asino; sicut fit Lucæ 14. *cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati*; sed de oue fertur, quoniam Ecclesia, quæ vnum ouile ipsius est, hic ad seriem Syntaxis defensatur. Et iam, cum subdit de homine, qui *melior magis est oue*, pro homine poni ouis metaphoram manifestat. Sed fortè altiori de causa, vt per *ouem* exteriora hominis, per *hominem* verò interiora eiusdem intelligantur; Quamuis enim commendet Augustinus Varronem, quod hominem nec animam solam, nec solum corpus, sed animam simul & corpus arbitraretur; nihilominus verissimum est, vt non semel diximus, illud potissimè videri esse vnumquodque, quod est principale in ipso; sicut quod facit Rector Ciuitatis, dicitur Ciuitas facere; vt docemur C ex Angelico, vbi quærit. *Vtrum anima sit homo*. Intendit ergo Dominus deducere, magis licere in die Sabbati omnia operari, quando de animæ curatione ac salute agendum sit. Itaque ad Ecclesiæ doctrinam, edisserere veluti disceptando dignatur Dominus capita omnia, ex quibus fas est violari literaliter Sabbatum; siquidem vt est apud Marcum c. 2. *Sabbatum propter hominem*

A 2. 2. est. ad 1 & 2.
B ibi ad 3.
C p. p. 75 4.

nem factum est, & non homo propter Sabbatum. Ad quod innuendum, postquam Isaiæ 1. dixit Deus, *Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram*; adiecit, *quiescite agere peruersè, discite benefacere*: id quod ait & hic Dominus; *itaque licet Sabbatis benefacere*. Ad hæc etiam Rabanus; *opus seruile non facietis in eo, idest peccatum*. Et quia dictum est supra, de præfigurata per Sabbatum quiete animæ in Deo; subdit, *sic in æterna requie, à malis tantùm feriabitur*. Quod est, secundùm anagogicam significationem accipi; vt in 2. 2. ad 1. Ideo etiam dic tu de oue induci, quæ ad ouile æternæ gloriæ per eum reducenda est. Hisce clypeis munita est Ecclesia, quoad festi diei obseruantiam contra Iudaismi ignaram calumniam.

54. Considerandum est autem, qualiter in manu patratur miraculum: cuius ratio festinè esse potest, quia cum sit organum organorum; est operum nostrorum omnium instrumentum primum. Restituitur sanitati opportunè, cum de operibus die Sabbati vetitis, agitur, ne malè operetur, quod est magis transgredi Festum. Nam quia magis (ita ex Diuo Thoma D) homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamuis sit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. Ponderanda sententia! Præterea manus, vt animaduerto, *est arida*: quia enim, vt ait Gregorius; E *nihil habet viriditatis, ramus boni operis, si non procedat ex radice charitatis*, arescit, vbi ad proximi beneficium non extenditur. Hunc charitatis ordinem, & nexum fidelium ad inuicem & in Christo; quod est præcipuus Matthæi scopus; satis indicat Matthæus ipsemet, dicens, *restituta est sanitati, sicut altera*; quod nisi pro significando charitatis vinculo adiectum esset, veluti redundaret; præsumitur enim altera sana: vnde nec Marcus nec Lucas apposuerunt ly *sicut altera*. Syriaca meæ adstipulatur meditationi legendo, *sicut socia sua*: 1. Corinth. 16. *omnia vestra in charitate fiant*. Hoc ipsum charitatis vinculum, ex quo omnes vnum sumus in Christo, innuere videtur in ly *ouem vnam*; cur enim ly *vnam*? non sic Lucæ 14. vbi de asino aut boue: benè quidem capit. 15. vbi iterum de oue, *vna*. Sed & *omnes homines*, philosophicè, *participatione speciei sunt vnus homo*.

D 2. 2. 122. 4. 3.

E 2. 2. 108. 2. 2

55. Superest breui tangere de apparenti dissonantia Matthæi à cæteris; Marcus enim & Lucas interrogantem potius Christum Dominum faciunt, quàm interrogatum. Sed facilis est ab Augustino, & quidem ex Sacro textu concordia, quia de manu arida curanda, an liceat, interrogatur; interrogat autem *si licet Sabbatis benefacere an male?* Alibi Pharisæos & Legisperitos, de eodem interrogat, nempe Lucæ 14. dicens; *si licet Sabbato curare*. Sed, *illi tacuerunt: & non poterant ad hæc respondere illi*. Porrò in præsentia subdoli, vt possent accusare eum, interrogant. Futurum autem erat, vt circa huiusmodi insultarent Iudæi Christianis, Christum criminaturi in membris suis; ideo prouidens futura, Matthæi Euangelium interrogantem non facit hic Christum in membris suis; quamuis & interrogans fuerit apud alios. Et hoc duplici ex causa. In primis, quia lex per Canones confirmata dicit apud Diuum Thomam; F *iniuram facit iudicio religiosissimæ Synodi, si quis semel iudicata, vel rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit*. Deinde, quia promiscuè de rebus fidei non licet vnicuique disputare, neque enim omnes sunt instructi & idonei; immo quanquam prouocatis seu solicitatis laicis interdictum est, sub pœna excommunicationis ferendæ cap. *Quicumque* de Hæreticis in 6. vt videre est in

F 2. 2. 10. 7. 2. 2. Tim. 2. l. 2.

Bonacina disp. 3. q. 2. p. 5. Fas ergo sit credere, ideo abstinuisse Matthæum ab interrogatione Christi hic referenda; quo cautum esset fidelibus, non omnibus, neque passim, cùm de rebus fidei agitur, permissum infideles prouocare. Quò fortè facit, quòd sequitur; *& præcipit eis*, promiscuè curatis, *ne manifestum eum facerent*. Ad veritatis enim manifestationem, vt assumit Angelicus, est G ordinata sacra Doctrina; Ecclesi. 24. *qui elucidant me*: quod sonat, qui manifestant me. Et huiusmodi elucidatio seu manifestatio fit sine dubio H per rationes, & disputationes; quod in casu præcipit Dominus non fieri. Vnde ad Tim. 2. præcitato ait; si disputans est prudens, sic quòd manifestè confutet solicitatem aduersarium, tunc debet publicè disputare: si verò non; nullo modo.

G p. p. q. 1. 9. 2.

H 3. sent. 24. 1. 1. 3.

VERS. XIV. *Exeuntes autem Pharisæi*, &c.

56. Diuus Gregorius hom. 38. in Euang. de primo loquens homine, qui emissus fuit de Paradiso, *extra exijt*, inquit, *cum ori à cibo internæ dulcedinis clausit*. Sic liceat de Pharisæis exeuntibus interpretari. Cùm Ioan. 6. dixisset Iesus duodecim; *nunquid & vos vultis abire? respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Sic Iudaismus quæsiuit, vt hic Iesum Pharisæi, quomodo perderent Christianos, Christi membra. Actor. 8. *facta est autem in illa die, persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apostolos*. Quod quidem adnecti potest ijs quæ leguntur c. 13. dimissa Synagoga; quando *videntes turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blasphemantes*. Et ecce paulo post apud Matthæum de blasphemia.

VERS. XVII. *Vt impleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem; Ecce puer meus*; &c.

57. Si ad literam Lucæ 10. prompsit Dominus; *qui vos audit, me audit*; per quod docet, vt notat Cyrillus; *quicquid per Sanctos Apostolos dicitur, acceptandum esse*; quandoquidem, vt ait Beda, *in discipulo Magister auditur*; quid prohibet Isaiæ vaticinium ad Apostolos virosque Apostolicos trahere? nam & Ioannis 7. *dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. *Ecce* ergo *puer meus*; cur non de discipulis? quando Augustinus serm. 13. de Tempore, loquens de Simeone ait; *factus est in puero puer, innouatus in ætate, qui plenus erat pietate*. Iam Apostolos vocaturus erat pueros Ioann. 21. & ex Apostolo ad Hebræos 2. *ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus*: & ex Beatæ Virginis Cantico Israel puer dicitur; *suscepit Israel puerum suum*. Quod dum ex Basilio humilem sonat, electi sunt Apostoli, vt super eos requiesceret diuinus spiritus, tanquam humiles; ad quos Ioann. 15. *sicut*, inquit, *dilexit me Pater, & ego dilexi vos*; & c. 17. *vt dilectio* (ad Patrem loquitur) *qua dilexisti me, in ipsis sit*. Et quia ad Gentes missi sunt; infra vltimo, *docete omnes Gentes*: Act. 13. *ecce conuertimur ad Gentes*; & c. 15. Iacobus; *Simon narrauit, quemadmodum primùm Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo*. Neque inconcinnè huc spectasse Isaiam astruimus, quando de ipso speciatim legimus Ecclesiastici 48. *spiritu magno vidit vltima*: quamquam *concordent* non vnius duntaxat, sed omnium *verba Prophetarum*, vt ibidem assumit Iacobus: qui vt ait Zacharias Lucæ 1. vno ore locuti sunt; seu Deus in illis; *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*; Quare cum futuræ Ecclesiæ Gentium primordia, eiusdemque prouectio, potissimùm forent prænuncianda, hæc Isaias tangit, sub singulari Christi Domini typo, quòd Matthæi adstipularetur Syntaxi, quia vnum corpus sumus in Christo.

VERS.

VERS. XIX. *Non contendet neque clamabit.*

58. Contentio, qua quis moderatè I & cum circumstantijs debitis, & pro veritate, vtitur acrimonia, non est peccatum, sed in Rhetorica instrumentum exhortationis. In scriptura accipitur secundùm quod importat inordinationem: cum quis concertationem habet in verbis, acrimonia vsus vltra modum debitum, vel contra qualitatem personæ: & si duntaxat disputet verbis, litigiosus est; deterior si verbis improperij, & pessimus si in fauorem falsitatis; nam contentio ex Diuo Ambrosio, est *impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*. Moderata disputatio, quando fit non verbis tantùm, sed veris rationibus, vtilis planè ad instructionem, non est contentio. Ad hæc Iob 6. *respondete obsecro absque contentione*. Quare etsi contentio accipi possit alio in sensu, cum homines ad inuicem altercantur: de quo locis è regione; L videtur mihi hic accipi quoad fidei defensionem; neque enim Apostoli contentione certaturi erant pro fide. Paulus 2. ad Timot. 2. dicens, *noli verbis contendere*, prohibet M inordinatam disputationem, quæ magis fit contentione verborum, quàm firmitate sententiarum. Hinc 1. Corinth. 11. *si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus; neque Ecclesia Dei*. Ad idem facit quod dicit glossa relata à Sancto Thoma N vbi ex professo; *Catholici contra hæreticos contentiones non commouent*. Circumlocutio igitur fit, me iudice, quod ex Isaia de amandanda omni vituperabili contentione ab Apostolis, & per eos ab Ecclesia Dei; de qua in præcedentibus Matthæus, dum fertur; *non contendet, neque clamabit, nec audiet aliquis in plateis vocem eius; arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*. In rixa quippe O quæ ad contentionem reducitur, pergunt contentiosi de verbis ad facta.

I 2. ad Timot. 2. l. 2.
L Rom. 2. l. 2. & c. 13. l. 3.
M 2. 2. 10. 7. 1.
N 2. 2. 38. 1. 3.
O Rom. 13. l. 3.

VERS. XX. *Donec eijciat ad victoriam iudicium*, &c.

59. Ly *donec* videtur importare futurum aliquando fuisse, vt contenderet per Apostolos. Ita sanè, sed sine vitio, & inculpatè. Contentio contradictionem P sonat discordiæ. Euenturum autem erat, vt nonnullum discordiæ specimen ostenderent Apostoli: & quodnam? Respondeo; in quantùm abscessuri erant ab Iudæis: Actor. 13. *quoniam repellitis illud; ecce conuertimur ad Gentes*. Discessus discordiam sequitur & contentionem. Sic Actor. 13. *facta est dissensio inter Paulum & Barnabam, ita vt discederent ab inuicem*: qua de re Q vide suis locis. Verùm tunc apparuit contentionis effectus, cum maturuit *ad victoriam iudicium*; nàm, vt ait Ioannes in prima cap. 5. *hæc est victoria, quæ vincit Mundum, fides nostra. Quis est autem, qui vincit Mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei?* Ecce relicta in incredulitate Iudæa, subintrasse Gentes ad fidem; *& in nomine*, inquit, *eius, Gentes sperabunt*. Et sic ex Remigio in Catena; *in nomine eius*; &c. ad hoc refertur; *euntes docete omnes Gentes*; infra cap. vltimo.

P 2. 2. 116. 1. 1.
Q 2. 2. 39. 3. 2. & 2. 37. 2. 3.

VERS. XXII. *Tunc oblatus est ei dæmonium habens.*

60. Aliàs legimus; *erat Iesus eijciens dæmonium; eiecto dæmonio*: paulo post, *si ego in Beelzebub eijcio dæmones*. Cur hic ait, *curauit eum?* Cura certè diuinam innuit prouidentiam, ex qua ad Gentes etiam missurus erat Apostolos Roman. 3. *an Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? immo & Gentium*. Sapientiæ 6. *æqualiter est illi cura de omnibus*. Palam Angelicus; per istum R significatur Gentilitas. Hieronymus; *tria autem signa simul in vno homine perpetrata sunt, cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factum est; sed quotidie completur in conuersione credentium: vt expulso dæmone, primùm fidei lumen aspiciant; deinde in laudem Dei tacentia priùs ora laxentur*. Augustinus Tract. 52. in Ioann. *possidebat diabolus genus humanum; dominabatur in cordibus infidelium: per Christi autem fidem, millia credentium, à dominatu liberantur diaboli*. Gregorius hom. 11. in Euangel. *cæcus quippe est genus humanum claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patiens; sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur, vt internæ lucis gaudia, iam per desiderium videat*. Erat etiam *mutus*. Locutio S est proprius effectus cognitionis: ideo simulacra ibi ad Corinthios, dicuntur *muta*. Lucæ etiam 1. Zacharias effectus est mutus ob fidei defectum; dicente Gabriele; *eris tacens & non poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis*. E contra 2. Corinth. 4. iuxta psalmum, *credimus, propter quod & loquimur*; confitemur T fidem & prædicamus. Est ergo mutus V à confessione fidei. Curatus est autem, *ita vt loqueretur & videret*. Hinc Petrus & Ioannes Actor. 4. *non possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui*. Et ideo vt mihi videtur, speciatim ait Matthæus; *curauit eum, ita vt loqueretur & videret*. Vt quid enim, nisi isthæc sublateret intelligentia, separatim hoc referre signum, quando paulo ante cateruatim præmissum est; *secuti sunt eum multi, & curauit eos?* Sed non potuit Matthæus singillatim de hoc non enarrare; quia de Gentium subingressu ad fidem *tunc* immo, cùm Iudæi Christum in membris suis quomodo perderent consilium fecerunt. Expendit etiam Chrysostomus infra ly *tunc* v. 28. Dicit autem Sacer textus *consilium faciebant*, quia nondum compleuerant, facturi & deinde consilium contra fideles. Sic Act. 4. præfato, *conferebant ad inuicem* (in Concilio) *dicentes; quid faciemus hominibus istis? comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocantes eos, denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu*. Ecce aduersatur contextus; *ita vt loqueretur, & videret*. Quod si velimus Matthæi scopo insistere; qui spiritalem generationem Christi suis in membris edisserere intendit; per baptismum scilicet, iuxta quod clausit Euangelium suum dicens; *baptizantes eos*; &c. Ecce in curato hoc dæmoniaco cæco & muto exorcismi, qui præuius est baptismo, exacti specimen. In exorcismo fit exufflatio X ad pellendam certè cum dæmone, dæmonis potestatem. Sal in os mittitur, vt significet doctrinæ fidei confessionem: (*ita vt loqueretur*) narium & aurium sputo linitio significat receptionem doctrinæ fidei, quantùm ad aures, & approbationem, quantùm ad nares. Qui recipit doctrinam eamque potens est probare, sine dubio, aio ipse, desiuit esse cæcus. Igitur ita vt loqueretur & videret. Ad hæc Rabanus; *operatur* A *sapientia & virtus diuina, vt aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei; vt aperiantur ei aures, ad audiendum mandata Dei; vt aperiantur illi sensus in interno corde ad respondendum*. Certè hæc sonant cæcitatem sanari: cæcus enim interiùs nequaquam olfacit Dei notitiam. Homo, inquit ibi Angelicus, ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria. Hoc ad vberiorem sacri textus explanationem: cùm satis sit in cæcitate, luminis fidei priuationem accipere. Quo lumine priuatus esse subticetur à Luca, c. 11. vbi solùm dicitur mutus. Et quare? respondeo, quia Iudæus comparatione ad Gentes cæcus non erat simpliciter; quamuis cæcus esset absolutè Christum ignorans.

R D. Th. hic.
S 1. Cor. 12. l. 1.
T 2. Cor. 4. l. 4.
V D. Th. hic.
X 3. p. 71. 2.
A ibi 2. 3.

71. Pro cuius rei captu recolendum est, quòd diuersa valde fuit cæcitas Gentium à cæcitate iudaica; nam vt fert Matthæus ipse ex Isaiæ 9. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & habitantibus*, siue *sedentibus*, vt legit Matthæus c. 4. *in regione vmbræ mortis lux orta est eis*. Ista est differentia B inter Iudæos & Gentiles; quia Iudæi quamuis essent in tenebris, non tamen totaliter oppressi erant ab eis; quia non omnes colebant Idola, sed sperabant Christum venturum: psal. 75. *notus in Iudæa Deus*; quia non C cum falsis Dijs colebatur. Innotuit immo sub ratione Dei D omnipotentis; Exodi 6. *ego apparui ei in Deo omnipotente*. Gentiles verò non expectabant Christum: & iterum oppressi erant tenebris, E quia idola colebant. Ideo, inquit, ibidem, *sedentibus in regione vmbræ mortis*, pro Gentilibus, indeque *lux orta est eis*. Qui enim est in tenebris à principio, quæ non sunt multùm condensæ, non stupefit ab eis, maximè quando sperat inuenire lucem, vadit & mouetur ad lucem. Gentiles è contra non *ambulabant*, sed *sedebant*; siue *habitabant in regione vmbræ mortis*. Ecce profundissima Dei dono intelligentia, cur Lucas non meminerit de cæcitate curati huius; quia scilicet allatus est ab ipso in typum Iudæorum, vt ibi Domino largiente dicetur; Iudæa autem etsi cæca, verè dici possit, iuxta illud Roman. 11. *excæcati sunt: &* ex psal. *obscurentur oculi eorum ne videant: &* Isaiæ 6. *excæca cor populi huius*, quandoquidem *obtusi sunt sensus eorum*, vt dicitur 2. Corinth. 3. *vt non fulgeat* (cap. 4.) *illuminatio Euangelij gloriæ Christi*: Nihilominus non ita ingenti laborabat cæcitate Deum nesciens, quemadmodum Gentiles, de quibus Roman. 1. *obscuratum est insipiens cor eorum: &* Ephes. 4. *Gentes ambulant in vanitate sensus sui; tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Et fortè fas sit exponere ad hunc sensum illud Apostoli Roman. 11. *cæcitas ex parte contigit in Israel*; quia *ex parte*, nimirum quoad Christi mysteriũ, non ex toto Deum ignorantes, 1. Thes. 4. *sicut & Gentes, quæ ignorant Deum*.

B in Matth. c. 4.
C 2. 2. q. 2. 8. 2.
D Ioan. 8. l. 1. lit. 1.
E Matth 4.

72. Et si roges quomodo apud Lucam sanetur mutus? Respondeo, quia vt dicit Augustinus Tract. 43. in Ioannem, *ipsi Pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant, venturum sperabant, & præsentem non agnoscebant*: vnde muta erat ipsis litera; nam vt dixi ex Ambrosio in capitis expositione, *cur tibi magis videtur mutus, qui sermonem, quam qui mysterium nescit?* Dicamus cum Sancto Leone Serm. 2. de Epiphania; *exinde nobis Christum loquentia, Scripturarum arcana patuerunt*. Sic sanauit mutum, cum & ex Iudæis, tot fecit fidei confessores atque præcones. Nusquam nostra excidat memoria Augustini sententia Ser. 44. de verbis Domini; *Dominus noster Iesus Christus, ea, quæ faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi: neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat; sed vt mira essent videntibus, vera essent intelligentibus*. Sic nos in præsenti; *cum enim*, vt ait, Serm. 14. *possumus de diuinis verbis vel factis, mysticæ alicuius intelligentiæ sensum exculpere, quasi de abstrusis fauorum cellis mella decerpimus; aut Christi discipulos imitando spicas manibus confricamus*: (quod præsertim hoc in loco accidit) *vt ad latentia grana perueniamus*.

VERS. XXIII. *Et stupebant omnes turbæ &c.*

73. Subdit, vbi prius, Augustinus: *qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt, mirati sunt tantùm, quia facta sunt: alij verò & facta mirati, & intellectum assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus*. Turbæ hic stupebant omnes; verùm non dicitur, quòd stuperent tantùm; iam enim (quod dixi supra de aurium nariumque sputo linitione) Christum incipiebant olfacere, & audire; sed *dicebant, nunquid hic est filius Dauid?* Ideo, vt reor, non dicit *stupuerunt*, quasi perfectè, sed *stupebant*, sensim Christi notitia illustrante; quæ vt ignorantiam, sic & stuporem expellit. Et quia non modo præsentia Matthæus tangit, sed futura prospicit; ideo in imperfecto ponit, adhuc locum habituro in Ecclesiæ dilatatione stupore. Actor. 3. *cucurrit omnis populus stupentes*. Et si roges iterum, quidnam est decoris plausum turbarum expendere; quarum placitum derogare videtur potius, quàm veræ laudis titulum comparare? Aiebat Seneca *argumentum pessimi turba est*: & Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio; *sæpè vsu venit, vt opinio vulgi falsa sit*. Occurro, idcirco fieri turbarum mentionem, vt repromissionis diuinæ de Messiæ aduentu, atque de declinatione ad Gentes recolatur memoria. Genesis quippe 28. benedicens Isaac Iacob sic adprecatus est; *Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet; vt sis in turbas populorum: & det tibi benedictiones Abrahæ, &c.* Et ita cap. 48. Iacob ipse; *Deus Omnipotens apparuit mihi in Luza, benedixitque mihi, & ait; ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum*. Neque pro vulgi vilitate ly *turbas* accipias; quandoquidem *cahal* hebræum *Ecclesiam*, *cœtum*, & *congregationem* significat. Vnde Septuaginta reddunt, *in congregationem*, seu *congregationes Gentium*.

VERS. XXIV. *Hic non eÿcit dæmones nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum*.

Surgentis Ecclesiæ Gentium primordia atque progressus, etsi calumniari non desinant Pharisæi, Iudæorum scilicet incredulitas ab eadem Ecclesia *separatorum*; qui idcirco fortè vocabulo *Pharisæorum* censentur: nihilominus præsenti ex dæmoniaci curatione, secuta in præludium futuri, ipsorum conuincitur falsitatis oblocutio ac blasphemia. Intendit enim Dominus irrefragabili diuini operis nota, palam ostendi posse, iniquè eos locutos de factis ab ipso, quæ iniustè damnant, suis non damnatis filijs, non attenta ad eiectionem potentia, quæ *digito Dei*, vt ait Lucas, nimirum vel solo nutu ab eo fieret. Sed vlterius ad Ecclesiam referendum est, à qua dæmonum, hoc est idololatriæ nequitia eliminata est. Necesse est autem ad Ecclesiæ fundandæ liberationem, seriem verborum Domini retorquere, quoniam sic planius exterminandæ idololatriæ arridet. Pro cuius intelligentiæ altioris captu, recolenda est doctrina de ordine etiam malorum F Angelorum; nam ipsa naturalis dispositio dæmonum requirit, quòd sit in eis prælatio. Quare cum ad abducendum à fine G dæmones dæmonibus principentur, vnusque alij obediat, vt in priori loco a. 2. ad 1. habet; fit, vt si de peculiari eiectione dæmonis ab aliquo absesso loquamur, non ita fortiter concludatur absurdum de Satanæ aduersùs se ipsum diuisione; ac si de plena eiectione à Mundo idololatriæ addicto, intelligatur. Sanè validissima est demonstratio de aduentu filij Dei in carne, vt versat Medina noster *in tertiam partem*; quòd cultum idolorum in toto orbe terrarum sic eradicatum & proscriptum deiecerit Dominus; iuxta Isaiæ vaticinium c. 2. *elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur*, de quo & c. 21. & Sophoniæ c. 2. *attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes Insulæ Gentium*. Ad hoc quippe venit, dicẽte Ioan. in sua 1. c. 3. *in hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli; &* ipsemet Ioa. 12. *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*. Hinc vis claret dominicæ obiectionis; nã nõ potuit Princeps dęmoniorũ aduersùs se ipsũ diuisus esse: quod palã deprehensũ fuisset, si idololatrię destruẽdæ ope-

74.
F p. p. 109. a. 1. & 2.
G 4. sent. 47. 1. 2; 4. 1.

operam dedisset; ergo *in spiritu Dei*; non verò *in Principe dæmoniorum* eiecti sunt dæmones. Et ecce quomodo subtiliter Euangelista de dæmonibus in plurali loquitur, & introducit etiam Pharisæos sic in plurali obloquentes; quamuis tunc curauerit habentem *dæmonium*: vt traheret ad intelligentiam futuræ expulsionis dæmonum à Mundo. Et cùm de aduersante sibi ipsi dæmonio verba facit, *Satanam* vocat, quod immo sonat *aduersarium*.

VERS. XXV. *omne Regnum diuisum*; &c.

75. Ne vllum supersit Pharisæis, siue Iudæis effugium, siue Regni, siue Ciuitatis, sine Domus rationem habeat Satanæ in Mundo iurisdictio; nusquam caput Domus Ciuitatis aut Regni, ad maximum sui excidium conspirat. Instat autem adhuc contra calumniam *ad hominem*; quia hoc ipsum de filijs suis posset quis dicere: quare gratis imponunt Christo Domino cum dæmonio commercia. Verùm non adhuc omnino quiescit intelligentiæ anxietas, cur *filios* aduocet; potiùs enim *Sacerdotes vestri* siue *adiuratores vestri* fuisse videtur dicendum. Sed, cùm, vt opinor, intenderet Dominus dirigi verba sua ad omnimodam diaboli de Mundo expulsionem, quæ posteriùs per successores Apostolorum facienda erat, ideo, vt huc raperetur fidelis qui postea hæc legeret, *filios* nuncupat; quare sicuti in ps. dicitur, *& filij eorum vsque in sæculum sedebunt super sedem tuam*, quod sonat seriem progignendorum: ita & hic *filÿ vestri* hoc est, in secuturis generationibus; & quidem, vsque ad iudicij finalis diem, *iudices vestri erunt*. Dicit *erunt* signanter, vt existimo, quia expulsio Dæmonum protrahenda erat continuandaque vsque in finem. Magis autem retunditur calumnia; quia non semel vel iterum, sed diu, in æuum filij vestri, expulsum Dæmonem, quasi actu eijcient, primum idololatriæ locum nusquam deinceps permissuri; & rursus passim obsessos liberaturi; iuxta quod scripsit Lactantius lib. 4. *dæmones adiurati per Christum de corporibus fugiunt*. Nomen quippe Christi dæmonia exagitat.

VERS. XXVIII. *Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones*, &c.

76. Non satis est euicisse, Beelzebub non fieri interuentu, quod fit à Domino. Opus erat ostendere peculiari Dei manu patrari hæc signa. Ait autem *si ego*; quoniam peruenisse nō deduceretur Regnum Dei, quamuis alij in spiritu Dei dæmones exagitarent ac expellerent. Per bonam ergo consequentiam intendit probare Regnum Dei peruenisse in eos, si velint factum expendere. Quod, iuxta ea quæ sequuntur, istiusmodi est. Et hoc non modò ad Pharisæos, qui visa Christi potentia, qua dæmones eijciebat, nisi *rebelles essent lumini*, vt legitur Iob 24. cogebantur, ipsius imperium supra Beelzebub Regnum fateri; sed & in vniuersum ad Iudæos quosque incredulos referendum, nostro adhuc sæculo, est. Quomodo enim Beelzebub regnum, (Idololatriam loquor) penitus exterminasset, nisi prius *alligasset fortem*? De hac Diaboli catena Apocalypsis 20. Ioannes; *& ligauit eum*, (Angelus idest Christus) *per annos mille*; vt non *seducat amplius Gentes*. Igitur si pro Gentium cauenda seductione *ligauit Satanam*, dum & hic de Satana, & de alligatione eius loquitur Dominus, de Gentibus, sub typo Dæmoniaci cæci & muti, vt dixi, verba misceri necesse est. Spectat etiam potissimè ad Ecclesiam a Satanæ nequitia emundatam, vt innui, quæ fuerat post Christi passionem & mortem dilatanda; quia tunc alligatus est fortis; Iob 40. *non est super terram potestas, quæ comparetur ei*. Hinc glossa, H exponens illud, *& catenam magnam in manu sua*, inquit, *in manu, idest in operatione passionis & resurrectionis*; quia per virtutem passionis, & resurrectionis, per quam factus est potens super dæmones, potest etiam in quantùm homo eos cohibere. Vnde ligatio facta est per Christi passionem. Subdit mire Angelicus; ante passionem, non habebant homines tanta adiutoria; quia tunc non fuit tanta gratia. Item nec tam efficacia Sacramenta. Item, nec exemplum Christi. Item nec passio sua adhuc fuerat. Item ante aduentum Christi, omnes trahebantur ad lymbum: modò aperta est ianua. Vnde modò ligatus est, respectu temporis, quod præcessit eius aduentum ac passionem. Sed non cunctos, quamuis cunctis ostensa & exhibita hæc vincula iuuant. Vide mi lector, quàm bellè dicat hic Dominus, futura Ecclesiæ tempora prospiciens; (si completiuè accipiatur) *peruenit in vos Regnum Dei*; Et, *nisi prius alligauerit fortem*; quam præludio quodam, dum dæmones eijceret, & Dei in omnes aduenirec Regnum, in ipsos etiam perfidos Pharisæos, Satanæ quoque ligatio prænotaret.

H Apoc. 20. Com. I.

VERS. XXX. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum, spargit*.

Comprobat textus iste de Ecclesia fuisse sermonem, quæ est congregatio fidelium: indicaturque non tam de præsenti verba fieri, quàm de futura eiusdem vbique terrarum fundatione, ad quam ministros designanter sit admissurus; iuxta illud 1. Corinth. 3. *Dei sumus adiutores. Dei ædificatio estis*. Quod quidem per Apostolos, apostolicosque viros impletum est: quicquid oblatrarit Iudæorum duritia; quicquid blasphemiæ euomuerit infidelitas. Perpendit autem grauitatem blasphemiæ, quam & in Apostolos præuidet ab eis dicendam; iuxta quod 1. Corinth. 4. legimus, *blasphemamur, & obsecramus*; vt vnde obdurentur corde, irremisso huiusmodi scelere, innotescat; innotescatque, vt Roman. 3. dicitur, quòd eorum *damnatio iusta est*. Nihilominus quia non destituit eos, quamuis contumaces, sequitur 77.

VERS. XXXIII. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum*, &c.

Pulsat iterum potenti ariete eorum proteruiam; instruitque quomodo & nos Iudæos nostrates feriamus. Quomodo enim adeò contradictoriè loquuntur? Eiectio idololatriæ fructus est bonus, & quidem simpliciter bonus; quomodo, non erit à Christo tanquam ab arbore bona? aut è contra si Christus arbor est mala, quomodo non malus est fructus? Si ergo deprauato adeo sensu blasphemant in Christum, de idololatriæ quoque excidio blasphement; quòd si hoc non audeant; nec illud: *siquidem ex fructu arbor agnoscitur*.

VERS. XXXIV. *Progenies viperarum* &c.

In Iudæos etiam hodiernos cadit exprobratio. Ideo enim ait *progenies*; vt ad futurum trahatur intelligentia. Indiscriminatim tamen & præsentes & venturos commonet: vndenam, & blasphemia, & incredulitas oboriantur: nimirum, quia *ex abundantia cordis os loquitur*. Praua voluntas est in causa; & quidem inueterata in malo; ita vt malitiæ coaceruatæ, *thesauri mali*, aptetur similitudo. Dum autem inquit, *progenies viperarum*, non antiquos carpit Patres de quibus Deuteronomij 4. *dilexi Patres tuos, & elegi semen eorum*, & Osee 9. *quasi prima poma ficulneæ eius, vidi Patres eorum*, sed ab eis degeneres venenatos prodit.

VERS. XXXVI. *Dico autem vobis*; &c. *reddent rationem de eo in die iudicÿ*.

Vbi præmissum fuerat de malo thesauro, non potuit non commemorari iudicium. Sic & Apostolus Roman. 2. *thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicÿ Dei*: dum enim aggeratur malitia, aggeratur in die iudicij exaggeranda ira. Et quidem si de verbo otioso, quid de blasphemijs? 78.

I Rom. 4. l. 1. Recolit ibi I Angelicus de blasphemia prisca Iudæorum tanquam irremissibili, quia in Deum, qualiter ad diem vltionis reseruata est. Quando enim murmurauerunt pro defectu panis & aquæ, vt legitur Exodi 16. quasi humanum fuit, & facilè remissibile; sed quod postea dixerunt coram idolo; *hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, opus Dei dæmonibus attribuentes, peccauerunt in Spiritum-Sanctum: vnde & eorum peccatum dicitur irremissibile, cum subdit Dominus; *ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum*. Hoc ipsum dic tu in præsenti de Iudæis in Christum blasphemis. Quid mirum, obdurentur corda eorum: Isaiæ 6. *excæca cor populi huius*. Verùm sibi suam imputent derelictionem à Deo; nam *ex verbis tuis*, inquit, *iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. Quod quidem in eo accipiendum est sensu, quo Apostolus Roman. 3. ait, *quia credita sunt illis eloquia Dei*, & cap. 9. *quorum est testamentum & legislatio, & obsequium*; (idest cultus L diuinus, quo scilicet Deo seruiebant; dum Gentes aliæ seruirent idolis) *& promissa*. Possessu ergo quodam, aio ipse, verba Dei, (Hebræor. 1. *multifariam multisque modis*, fuit, *olim loquens Patribus in Prophetis*) erant Iudæorum, sibi credita tanquam Regnum, de quo Matthæi 21. *auferetur à vobis Regnum*, idest diuina Scriptura, vt exponitur communiter. Hac de causa, ex verbis suis iustificari debent & damnari. Hinc ait Dominus Ioann. 15. *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*. Dictum fuit diuiti. *Moysen habent & Prophetas habent*; Moysen habere, nihil est aliud, quàm verba legis habere: *ex verbis* ergo *suis*, quandoquidem Moyses *per omne Sabbatum*, Actor. 15. legebatur; quandoquidem ait Dominus Ioann. 5. *de me ille scripsit*, vt possunt iustificari, ita quia increduli condemnari. Puto autem in singulari loqui dicendo *condemnaberis*, cum paulo ante dixerit in plurali, *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* vt Synagogam insinuet. Synagoga, (vt canit Ecclesia) quod cecinit Isaias cum alijs tota die commemorat, nec tamen credit. *Isaias cecinit, Synagoga meminit, nunquam tamen desinit esse cæca*. Sic & Act. 13. vbi, vt videbimus, agitur de capitis præsentis materia, legimus; *cumque dimissa esset Synagoga*.

L Rom. 9. l. 1.

VERS. XXXVIII. *Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis dicentes; Magister volumus à te signum videre*.

M 1. Cor. 1. l. 1. & Ioann. 2. l. 3. Familiare erat Iudæis M signum quærere, vtpote per ea ad legem vocatis; erantque consueti diuinitus instrui. Deuter. 32. *circumduxit eum & docuit*; & cap. vltimo; *non surrexit vltra in Israel Propheta sicut Moyses, &c. in omnibus signis atque portentis*; &c. & ideo ab afferentibus quamcumque doctrinam, signa quærebant; 1. Corinth. 1. *Iudæi signa petunt*. Ideo Dauid in persona Iudæorum conqueritur psal. 73. *signa nostra non vidimus*. Alibi, vt Ioan. 2. *responderunt Iudæi; quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Quare? quærebant N signum non vt crederent, sed quasi desperantes, quòd signum ostendere non posset, & sic eum reprimerent & impedirent; quia ergo prauè quærebant, non dedit eis signum apertum, sed occultum in figura. Hic, aio ipse cum Sancto Thoma, praua peti voluntate: vnde & Dominus, qui supra *sciuit cogitationes eorum*, eos increpat dicens; *generatio mala & adultera*. Ideo & ipsis obscurum satis obijcit quod attendant signum. Illicitum autem erat eis *velle* signum, quoniam tentare est Deum; contra illud Deuteron. 6. *non tentabis Dominum Deum tuum*; quamuis vbi Domini adsit authoritas, O liceat; sicut Isaiæ 7. *pete tibi signum à Domino*; & Iudicum 6. de vellere irrorato prius, postea relicto in siccitate; non quidem ex incredulitate, sed ad securitatem futuri euentus, humano ac incerto corde firmandam. Ad tentandum autem Dominum hoc expetiere; iuxta quod Lucas; cap. 11. *& alij tentantes eum, signum de Cœlo quærebant*; vt supra diximus.

N Ioan. 2. cit.

VERS. XXXIX. *Signum non dabitur ei*; &c.

Est quæstio literalis; o nonne multa miracula fecit? Nonne Lazarum resuscitauit; & multa alia? Respondeo; non dabitur tale signum, quale petebant; vel non dabitur signum ad vtilitatem eorum; sciebat enim non reuersuros, quia indurati erant. Et ad hæc Chrysostomus; *non vt eos induceret signa faciebat; sciebat enim eos lapideos esse; sed vt alios emendaret: aut quoniam non acciperent*. Veruntamen, quoniam, vt passim expendi, intendit Matthæus arcana intelligentia futurum primitiuæ Ecclesiæ statum procursumque Iudæis eam calumniantibus delineare; idcirco reor se arctasse Dominum ad huiusmodi resurrectionis suæ signum, quo adhuc hodie incredulos percutit repellit sternit, irrefragabili argumento Diuinitatis. Et placeat animaduerti non dixisse; *non fiet*, vel *non videbis signum*; sed *non dabitur*: datur autem quod remanet in accipiente. Hoc eis relictum semper est signum Scripturis innixum: passim post resurrectionem non eis erant signa facienda, quæ in Beelzebub calumniarentur & hodie. Præterea ad eorum votum respondet: nam hodie *Christum Dei virtutem* 1. Cor. 1. negant accepto scandalo Crucis: *ad hominem* fit ei satis; quia surrexit: *nam etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei*. 2. Corinth. 13. Postquam ergo obiectum de Sabbati legaliumque obseruantia, quod ad intellectum pertinet, profundè solutum est: postquam in blasphemiam eruperunt, quod ad voluntatis prauitatem attinet, quam altè retudit; Scribarum Pharisæorumque quorundam tentantium signumque proteruè exigentium confundere intendit, nisi acquiescant, duritiam, vt vel inuiti *credant* dæmonum instar *& contremiscant*. Et quoniam, vt Deo largiente assecutus sum, præsens Matthæi caput, quæ futura erant surgente Ecclesia describit; ecce cap. 13. Actorum, singillatim tria hæc exarata: vbi Paulus figuram legis Mosaicæ iam explodit dicens; *per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur: & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari, in hoc omnis qui credit iustificatur*: itè ibi conuersio ad Gentes: vnde *Iudæi videntes turbas* (& hic turbæ stupefactæ inducuntur) *repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes*. Denique, præmittitur de Christi resurrectione; *Deus vero suscitauit eum à mortuis tertia die*. Sic cap. Act. 4. *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Et benè de hoc vrgebant; quandoquidem vt dicitur 1. Corinth. 15. *si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*. Ante resurrectionem P dedit signum de resurrectione futura, quia in hoc maximè virtus Diuinitatis commendatur in Christo: mirabile valdè est enim, quòd humanitas in Christo post resurrectionem, immortalitatis diuinæ particeps effecta est; Roman. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. &c. quod enim viuit, viuit Deo*, idest ad similitudinem Dei. Contra Iudæum Q est, quòd verè surrexit à mortuis. Sic Augustinus tract. 32. in Ioan. *fides Christi per mortem eius & resurrectionem firmata est*. Adde ex eodem in psalm. 101. *credere eum resurrexisse non possumus, nisi prius mortuum fuisse credamus. Quis enim resurgit, nisi mortuus fuerit? Quis expergiscitur, nisi prius dormierit? Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat?* ps. 40. Quale studium fecerit Iudæorum impietas pro sepelienda Christi resurrectione, denarrat Mat-

79.
O D. Th. hic.
P Ioan. 2. l. 3.
Q Apoc. 20. ibi præter testimonium 1 Cor. 1.

Matthæus ipse cap. vltimo; nam *pecuniam copiosam dederunt* militibus, vt eam occultarent. Obijcit ergo Dominus tacitè suæ resurrectionis argumenta, quibus nequit Iudæus etiam contumax refragari. Nec scribas & Pharisæos tentantes alloquitur, sed veluti auersa facie sententiam suam prodit, dicens non ad illos, sed de illis; *generatio mala & adultera signum quærit*; &c. De ea, vt puto, intelligendus generatione, de qua infra cap. 27. respondit *vniuersus populus; sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Hoc ipsum aduersus illos Ecclesia magnificat cum canit; *dicant nunc Iudæi, quomodo milites custodientes sepulchrum, perdiderunt Regem, ad lapidis positionem: aut sepultum reddant, aut resurgentem adorent nobiscum*. Dum enim constat Iudæos Christi resurrectionem celare studuisse; inuerisimile est, tanto neglectu de corpore non curasse: quare cum *sepulchrum* extet quidem Dei alto consilio *gloriosum* Isaiæ 11. (at vacuus loculus) coguntur resurrectionem fateri; sicque resurrexisse, vt vltra mortuus non sit; quandoquidem, vt Lazarum suscitatum interfecissent Ioannis 11. sic maiori inuidia, Christi Domini necem fuissent iterum meditati, & impletis votis de funeris custodia iactati.

80. At dices; exigui videtur momenti ad perfidos ceruicis duræ flectendos, ostensa etiam Domini resurrectio; quoniam diuiti hoc deposcenti Lucæ 16. adiecit; *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Respondeo vim magnam prout à Domino fertur, factum habere: non enim suimet resurrectionem duntaxat adumbrat, sed Prophetæ munitam auctoritate, seu potius euentu prophetico ipsius Ionæ. Aliàs cum docibiles erudit discipulos, absque scripturæ testimonio, *tertia die* inquit, *resurget*; vt patet infra 20. & Lucæ 18. Nisi ergo negent Scripturas, aut certè eas ignari nesciant; infra cap. 22. *erratis nescientes Scripturas*; assertæ resurrectionis veritatem assequi poterunt, quando humiliter eas scrutentur; iuxta quod admonet Ioan. 5. *scrutamini Scripturas; quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Itaque quomodo sit efficax, Ionæ in ventre Ceti allegatio, pro Domini immortali ac diuina resurrectione astruenda, operosiùs inquirendum est.

81. Igitur signari in Ionæ facto R Christi mortem constantissimum est. Et quemadmodum Ionas in Naui dormit & excitatur ad interpellandum, ita & Christus dormit in Nauicula, & expergesit ad saluandum. Speciale autem præextiterit in signum necesse est, quando in signato singularis est mortis resurrectionisque ratio. Præmittendum est autem cum glossa ordinaria Ionæ 2. Ceto designari mortem. Et appositè quidem; nam in pisce grandi atque inexplebili, ipsa mors intelligitur, iuxta illud Habacuc 2. *& ipse quasi mors & non adimpletur*. Vbi Isaiæ 5. legimus *dilatauit Infernus animam suam* S exponitur etiam de morte. De Inferno autem Prouerb. 30. dicitur insaturabilitas. Sanctus Athanasius de *Passione & Cruce Domini* tom. 3. habet, *mors in omnes, & in omnibus inualuit*. Piscis ergo grandis. Hinc *præparauit* Dominus *vt deglutiret Ionam*. Ad hæc Augustinus; *Ionas deiectus in mare, Belluæ marinæ vtero exceptus est, & die tertio viuus euomitur*. Ecce quomodo viuus adhuc in ventre Ceti, Diuinitati Christi adstipulatur; nam caro Christi T remansit etiam post mortem vnita Verbo Dei; quia Diuinitas, V vt ait Damascenus, *inseparabilis ab vtrisque permansit, ab anima dico & corpore*. Hinc in Opusc. ideo in sepulchro cum corpore fuit filius Dei, & ad inferos cum anima descendit. Christus autem secundùm quod Deus, est *fons vitæ* X iuxta psal. 35. Sed hoc altiori ex subtilitate repetamus. Neque enim Ionas specimen mortis subit, cùm à Ceto deglutitur, sicuti cæteri: quia in cæteros mors ius habuit; vnde regnasse ab Apostolo dicitur Roman. 5. *regnauit mors ab Adam*; & rursùm; *si enim vnius delicto mors regnauit*. Et Iob 18. *calcet super eum quasi Rex interitus*; vt expenditur 1. Corinth. 15. l. 9. *Præparauit*, inquit sacer textus, *Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam*: nisi præparasset Dominus, non ausus fuisset Ionam deglutire. Sic deinde; *dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam*. Pulcherrima extat doctrina: instinctus animalium causatur quandoque A ex Deo; vt patet in columba super Christum descendente; in coruo, qui pauit Eliam; & in Cete qui absorbuit & eiecit Ionam. Et si dicas: quicumque hoc symbolo resuscitatus est ad vitam, imperio Domini resurrexit: quid ergo peculiare pro Christo? Respondeo, quòd quamuis ad vitam nullus reuocatus vnquam fuerit sine Dei iussu, tamen Dei iussa non attendit Mors in viuentes, quia ius habuit in omnes regnando. Quare si Ionam deuoratura Domini nutum expectat, argumento est figuratum Ionam fuisse ab iure illius exemptum. Et verè ita fuit, quia vt dicitur in psal. 87. *factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber*. Vnde inquit Augustinus; *nulla necessitate, sed propria voluntate in ligno se suspendi permisit*: & ipsemet Ioa. 10. *nemo tollit animam meam, sed ego pono eam*: vtque ait Chrysostomus ad illius in Ierusalem ingressum acclamantibus pueris; *non mors eum vrgebat; sed ipse magis aduersus se compellebat mortem*. Hinc non sustinuit mortem B ex morbo prouenientem; ne videretur ex necessitate mori propter infirmitatem naturæ; sed sustinuit mortem ab exteriori illatam, cui se spontaneum obtulit; vt mors eius voluntaria ostenderetur. Sed speciale quid etiam in sua resurrectione enituit; iuxta quod ait, *& iterum sumo eam*; nam secundum vnitæ Diuinitatis virtutem, C & corpus resumpsit animam, quam deposuerat; & anima corpus resumpsit, quod dimiserat; propriaque virtute resurrexit; 2. Corinth. 13. *crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei*. Hinc iterum; D etsi mortuus sit secundum humanitatem, mori tamen non potuit secundùm Diuinitatem: ex vita autem Diuinitatis etiam humanitas est reparata ad vitam resurgendo. De hoc ex professo, Deo dante, ad Marci cap. 1. Interim id ex Iona accipe: siquidem, *dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam*: emicat enim in hac forma resuscitati mysticè Ionæ, Diuinitatis Christi potentia ad suscitandam sui ipsius humanitatem. Et hoc dupliciter deprehenditur; primò, quia in figura, qua ad figuratum extollimur, morti sub typo piscis præcipitur: *dixit Dominus pisci, & euomuit*: solus autem Dominus altum habet mortis imperium 1. Regum 2. *Dominus mortificat & viuificat*; Deuter. 32. *ego occidam, & ego viuere faciam*; Sap. 16. *tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*: vnde Isaiæ 25. *præcipitabit mortem in sempiternum*. Et quoniam antequam Christus moreretur & resurgeret, nullus resuscitatus est, qui iterum moriturus non esset; ideo non ad mortem sed ad mortuos directum fuit Domini præceptum, cum dixit Lucæ 7. *adolescens tibi dico surge*; Ioann. 11. *Lazare veni foras*; puellæque *tenuit manum, & surrexit*, Matthæi 9.

Deinde, quoniam cùm potuisset sacra pagina scribere *& præcepit Dominus pisci*, maluit referre sub hoc tenore; *& dixit*: sanè paulo post cap. 4. legimus, *præcepit Dominus vento calido & vrenti*: eo vel maximè quod præceptum est vnum conspicuum satis E diuinæ voluntatis signum. Ratio autem esse potest; quia cum præceptum sit, vt ibidem 82.

Y 3 Ango-

R hic & Matth. 8.
S Isaiæ 5.
T 3. p. q. 50. a. 2.
V 3. 3. in sed contra & op. 6. 5. 7.
X ibi 3. 4.
A 2. 2. 95. 7.
B 3. p. 50. 1. 2.
C 3. p. 53. 4.
D Iob 20. l. 2.
E p. 8. 19. 22.

Angelicus docet, præcipiens operatur per alium: in resuscitando autem Christum, immediatè operata est Diuinitas; (operatio, inibi est aliud signum voluntatis) dum autem morti in figura dictum est, vt euomeret; cum mors positiuum sit nihil; inferendum innuit, per se ipsum directè Dominum hoc fecisse. Quod adhuc claret, ea in vocula *dixit*. Dicere enim Dei, F est gignere Verbum. Quare in Verbo, & vi Verbi factum est; sicut in psalm. 148. *ipse dixit, & facta sunt*: & ecce in textu Ionæ 2. *dixit Dominus pisci; & euomuit Ionam in aridam*. Et sic *Christus resurgens ex mortuis* Rom. 6. *iam non moritur; mors illi vltra non dominabitur*. Et huc facit, quod ait Gregorius *Hom. 24. in Euang.* super illud Ioann. 21. *stetit Iesus in littore*; nimirum, *quia autem Redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat: quid enim mare, nisi præsens sæculum, quod se vndis vitæ corruptibilis illidit?* Dicamus ergo; *si generatio mala & adultera*; (*adultera* dicendo G legalia deberi cum Euangelio seruari) factum Ionæ humiliter scrutaretur, signum sufficiens valde agnosceret diuinæ ipsius resurrectionis; indeque caperet peregrino adeo ex paradigmate, *omnia in figura* 1. Corinth. 10. *contigisse illis*. Denique dicente Domino pisci, vt euomeret Ionam, Cetum pro morte accipiendo, illud videtur implendum præsignari, quod Osee prædictum fuerat, *ero mors tua ò mors*, *mortem* enim *nostram moriendo destruxit*, vt canit Ecclesia: & quidem nunc in causa, H vltimo autem destruetur in actu, secundùm illud, *nouissimè inimica destruetur mors* 1. Corinth. 15. & certè, vt ibidem ait; illud, quod est in perpetuum duraturum, non est destructum; quare, addo ego, cum mors incipit mori, necesse est, vt incipiat conuerti in vitam, ac etiam viuere; quò illud aptarem Isaiæ 26. *viuent mortui tui*. Indicium ergo nouellæ huius vitæ in morte ipsa, quæ *absorpta est*, vt legimus apud Apostolum 1. Corinth. citato, dicitur ei, vt euomat ipsa Ionam, quasi viuificata viuum paritura: & ideo fortè ait & Dominus; *in ventre Ceti*; vt partum innuat: nam *vterum sequitur partus*. iuxta illud Osee 9. *gloria eorum à partu, & ab vtero & à conceptu*. Cogitatio ergo mea fit de pisce, hoc est de morte. Et sic de sepulchro expressit Seuerianus in *Sermone de passione*, ferturque in Catena Matthæi 28. ab initio; *venit Maria ad sepulchrum, sicut ad resurrectionis vterum*; itemque Chrysologus; *Domus mortis, mansio fit vitalis: noua vteri forma: mortuum concipit, & parit viuum*. Dicit autem Dominus *in corde terræ*, quamuis Ionæ 2. dicatur *in corde maris*, vt figuram exponat mortis, qua è viuis excedentes consueuerunt sub terra sepeliri. Quod adiecit; *sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus*, ad scopum Matthæi principalem mirabilissimè facit; vt luculenter in capitis expositione ostendi. Relege, nec pigeat.

F p. p. 34. 1. & q. 74. 1. & 4. contr. G. 13.

G 2. Cor. 4. l. 1.

H 4. cont. G. c. 82.

VERS. XLI. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac.*

83. Quemadmodum impiam incredulamque Iudæorum generationem, quæ Christum negatura erat, iuxta Danielis vaticinium cap. 9. *& non erit eius populus, qui eum negaturus est*, vnum manere signum & quidem ex sacris litteris de Iona pronunciat: ita sacra ex pagina causam eorum peruicaciæ coarguit, de Niniuitis inducens, qui *egerunt pœnitentiam in prædicatione Ionæ*; (& hoc prauam eorum voluntatem notat) atque etiam de *Regina Austri, quæ venit audire sapientiam Salomonis*; quod obscuratos eorundem sensus declarat. Et benè primò de impœnitentia, quia *Ioan. 3. lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*: vbi exprimitur cæcitatis consecutæ causa; quia *erant eorum mala opera*. Quamuis in hoc vim non facio, quia interdum mentis illustratio excitat ad pœnitentiam, quandoque pœnitentia mentis caliginem pellit. Lucæ enim 11. primò fertur de Regina Saba; posteà de Niniuitis. Dic ergo cum Augustino; *accusatus est populus Iudæorum in comparatione Niniuitarum; quoniam Niniuitæ agendo pœnitentiam, iram Dei placauerunt, & misericordiam meruerunt*. Sic & in comparatione Reginæ Austri; dum illa 3. Regum 10. *venit tentare eum in ænigmatibus*; & ipsi Scripturarum ænigmata à Christi ore intelligere noluerunt. Pulchrè autem introductus est Ionas, qui vnus ex omnibus Prophetis, missus est ad Gentes; quoniam ad Gentes deflexisse Euangelium, præhabitum est. Recolit autem nedum Niniuitas, sed viros, (quamuis, vt legitur Ionæ 4. in *Niniue essent plusquam centum viginti millia hominum, qui nescirent quid esset inter dextram & sinistram suam, & iumenta multa*) quo carpat Scribas & Pharisæos, qui vbi deberent plebem præire exemplo, scandalo perdunt. Vnum mirum est, quare, cùm 3. Regum, & 2. Paralip. 9. Saba dicatur Regina; Dominus vtrobique & in Matthæo & in Lucam, *Reginam Austri* voluerit nuncupare. Hanc ipse reor esse causam. Vbi Isaiæ 30. dicitur, *Onus iumentorum Austri*, I cum Haymone exponit, de tribu Iuda, quæ in Australi parte sita erat. Tribum ergo Iuda, me iudice insinuat, vt aduentus sui fidem astruat; *manifestum est enim* Hebræor. 7. *quod de Iuda ortus sit Dominus noster*. Nota etiam illud Habacuc 3. *Deus ab Austro veniet*; natus est enim in Bethlehem, quæ ad Austrum est Ierosolymæ. Vnde ergo oriturus erat Dominus habeant præ oculis, ne cæcitate pereant, Iudæi. Hæc possumus de Messiæ aduentu, ipsis aliquando perpendere, si fortè resipiscant redeantque ad cor. Et adhuc vno verbo dicatur, idcirco de resurrectione introduci, quia scandalum Iudæis est Crux, 1. Corinth. 1. cui per resurrectionem plenè obuiatur.

I Isa. 30.

VERS. XLIII. *Cum autem immundus spiritus, &c.*

Deteriorem in dies Iudæorum incredulorum statum declamat: claudens; *sic erit generationi huic pessimæ*: quæ dictura erat, *sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Ab hac quippe exierat immundus spiritus, siquidem non semel fuerant Idololatræ, ideoque immundi. Sic Chrysostomus de Gentibus sub asinæ & pulli typo; *idololatriæ*, inquit, *passionibus diuersis immundi*, exierat inquam sub pijs Ezechia & Iosia Regibus. Inde ambulauit *per loca arida*; Remigius; *loca arida appellat corda Gentium, ab omni humore salutarium aquarum, hoc est sanctarum Scripturarum, spiritualium donorum, & ab infusione Sancti Spiritus aliena. Putabat autem diabolus se perpetuam quietem posse habere in gentili populo*; Sed subditur; *& non inuenit; quia apparente Dei filio per mysterium incarnationis suæ, gentilitas credidit*. 84.

VERS. XLIV. *Tunc dicit; reuertar, &c.*

Hieronymus; *cum Domino credidisset gentilitas, diabolus non inuento loco in nationibus, dicit; habeo Iudæos, quos ante dimiseram. Vacabat enim Templum Iudæorum, & Christum hospitem non habebat. Quia igitur Dei & Angelorum præsidia non habebant, & ornati erant superfluis obseruationibus legis, & traditionibus Pharisæorum, reuertitur diabolus ad sedem suam pristinam, & septenaria numero sibi addito dæmonum, habitant pristinam domum, &c.* Dicit autem *reuertar*, quod sonat in ipsis ante fuisse, eoquòd & Iudæi turpissimè in idololatriam deuoluti sunt, vt dixi; quamuis ab Ezechia & Iosia pijs Regibus, ad veri Dei cultum reuocati sint. Inuenit autem vacantem domum, 85.

quia

quia vt dicit Ioannes c. 1. *sui eum non receperunt*; L Ioann. 1. l. 6. *sui*, L idest Iudæi, *eum non receperunt* per fidem, credendo & honorando; sicut infra c. 5. *ego veni in nomine Patris mei; & non recepistis me*; & c. 8. *ego honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me*. M Ioan. 1. l. 6. Quamuis ly *sui* non omnes significet M sed paucos. Quoniam ergo, *apparuit in hoc filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*, sicut ait Ioannes in prima c. 3. ita N Opusc. 1. c. 12. § His igitur, & diabolus versa vice, ad hoc N totum suum conatum apposuit & apponit, vt ea quæ sunt Christi, dissoluat. Hac ergo, dic tu, malignitate reuertitur in domum suam vacantem; nihil curans, esse *scopis mundatam & ornatam*, dummodo vacans permaneat sine Christo. Videtur autem mihi, huiusmodi phrasi epilogari quod ait Apostolus Hebræor. 9. *de cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis; quæ non possunt iuxta conscientiam, perfectum facere seruientem:* Quod exponens Angelicus ait; O Hebr. 9. l. 2. O *in cibis & potibus*, idest in discretione ciborum, & potuum interdictorum in lege; vel vt referatur ad vsum sacrificiorum; quæ non mundabant conscientiam; Ieremiæ 11. *nunquid carnes Sanctæ auferent à te malitias tuas? & varijs baptismatibus*, idest lotionibus, quia sicut Marci 7. *Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro, nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum & vrceorum* &c. Contra quos dicit Dominus; *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est, calicis & paropsidis, intus autem estis pleni rapina & immunditia.* Sentit tamen Diuus Thomas, non loqui Apostolum de superstitiosis Pharisæorum, sed de alijs lotionibus præceptis in lege; sicut est de aqua, in qua lauabantur Sacerdotes; & de aqua purificationis in mundatione leprosi vel polluti. *Et iustitijs carnis*: hoc vniuersaliter addit de omnibus: cæremonialia enim vocat *iustitias carnis*, idest carnales; quia pertinebant tantùm ad corporalem munditiam. Sic & Petrus in sua prima c. 3. *quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium; sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi*; de qua resurrectione secundùm Ionæ Scripturam præmissum est. Mirè autem confert contexturæ, quod ait Apostolus Rom. 2. *& iudicabit id quod ex natura est præputium legem consummans; te qui per literam & circumcisionem*, P Rom. 2. l. 4. *præuaricator legis es*. Vnde inquit Angelicus, P comparationis iudicio, Matthæi 12. *viri Niniuitæ*, &c. Sequitur *non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio*. Siue Iudaismus siue carnalis circumcisio, exterius apparent, subdit Sanctus Doctor. Ergo, aio ipse, dum exteriora, *scopis mundatam & ornatam*, tangit Dominus, ad huiusmodi legalia respexit, quæ deforis tantum ornant. *Ornatam* autem dic, quia Q p. 2. 98. 4. decebat, vt ille populus, Q ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret. Hinc Deuteronomij 4. *quæ est enim alia Gens sic inclyta, vt habeat cæremonias iustaque iudicia, & vniuersam legem* &c.? & c. 18. *tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*; in Psal. denique *non fecit taliter omni nationi*.

86. Diabolus lætanter accipit insistere adhuc Iudæos legis cæremonijs pro posse, quæ Christum venturum falsò protestentur, quamuis iam venerit. Quod quidem non est sine mendacio, subinde non sine R peccato mortali; Et quia vt ibidem ex Apostolo ad Galat. 5. *si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit*; R p. 2. 103. 4. quid mirum assumat spiritus immundus *septem spiritus nequiores se*, hoc est, roboretur satellitio vitiorum omnium, (Gregorius; *septenario numero dæmoniorum*, vniuersa vitia designantur) cæca infidelitas? Quid mirum, si *intrantes habitant ibi*? Peccata quibus Diabolus sibi ingressum astruit, non possunt S sine fide dimitti. Quid mirum si *fiant nouissima hominis illius peiora prioribus*? Docet mirè S 2. 2. 10. a. 1. Angelicus T qualiter Iudæi, qui susceperunt fidei figuram in veteri lege, quam malè interpretantes corrumpunt, grauiùs peccant peccato infidelitatis, quàm Gentiles, qui nullo modo veritatem & fidem Euangelij susceperunt. T ibi a. 6. Grauiùs enim peccat qui renititur fidei susceptæ, quàm qui renititur fidei nondum susceptæ. Sicut grauiùs peccat, qui non implet quod promisit, quàm si non impleat quod nunquam promisit. Sanè cum primò lapsi sunt idololatria, sacrificia quæ Christi passionem immolationem figurarent, non præhabuerant: vnde nec in figura Redemptorem susceperant. Sic Angelicus; præcepta de V sacrificijs non fuerunt data populo Iudæorum, nisi postquam declinauit ad idololatriam, adorando vitulum conflatilem; Ieremiæ 7. *non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum*. V p. 2. 102. 3. & Hebr. 10. l. 1. Et si roges adhuc quomodo *peiora prioribus*? Respondeo in primis, quia diuturnior est Iudæorum renitentium infidelitas. Deinde, quia idololatræ Deo Creatori infensi sunt, Iudæi autem Deo Redemptori. In quo etiam ipsi Creatori derogant, tanquam diuinæ prouidentiæ iniurij, si Christum liberatorem hominum non credunt, vel mediatorem: quod X implicitè multi crediderunt Gentiles. X 2. 2. q. 2. 7. 3. & Hebr. 11. l. 2. Denique quia cum de Deo, vt ibidem docet, multiplex haberi possit notitia; vno modo per Christum, in quantum est Pater Vnigeniti & consubstantialis, cum alijs, quæ specialiter Christus de Deo Patre, & Filio, & Spiritu-Sancto docuit, quantùm ad vnitatem Essentiæ, & æternitatem personarum: Secundo modo, quòd solus Deus sit colendus: Iudæi ante Christum, hoc secundum expressè crediderunt; primum verò explicitè quidem maiores, minores autem implicitè. Postquam autem venit Christus, quem pro Redemptore nolunt Iudæi recipere, retinent vtique Deum solùm esse colendum, atqui non ampliùs fide infusa, quam olìm habuere; quia fides quæ vna debet esse cum nostra, (Cor. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei*) saltem & implicitè attingebat Christum, Christique doctrinam; quæ dum obstinati negant, amissa fide, quæ non nisi per Christum nobis datur; quæque esse nequit in eo qui vnum discredit articulum; 2. 2. q. 5. a. 3. fiunt *nouissima* illorum *peiora prioribus*. Comparantur autem homini (*nouissima hominis illius*) Iudæi in sua infidelitate, quia humana verè carnales solummodo sapiunt, mundanum Regem sibi Messiam commenti. Sic Dominus infra discipulos interrogat; *quem dicunt homines esse filium hominis?* In singulari autem loquitur dicens; *cum immundus spiritus exierit ab homine*, vt tropologiæ detur locus, morali quoque sensu; vt in capitis expositione dictum est: & adhuc vt plures etiam ex Iudæis fuisse conuertendos insinuet, paucioresque incredulos remansuros. Nam vt ait Sanctus Beda super illud Lucæ 1. *suscepit Israel puerum suum* in Catena; *potest etiam ad Israel carnalem hoc adaptari, cùm ex eo infiniti crediderint*. Hinc Actorum 21. *vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt*; græcè, *quot myriades*. Myrias autem est numerus decem millium. Claudit Dominus; *sic erit generationi huic pessimæ*. Superlatiuo ergo gradu cum mali sint: vincat immensa diuina bonitas tantam malitiam.

VERS. XLVI. *Adhuc eo loquente ad turbas; ecce Mater eius & fratres.*

Nil facti huius relatu opportunius. In hoc capite 87.
potis-

potissimè duo tractantur; de Iudæis scilicet, qui exciderunt à gratia; & de Gentilibus, qui ad eam sunt admissi, vt patet legenti. Hoc ipsum exequitur Apostolus ad Romanos 9. & 10. Fert plures sententias; *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Et ex Isaiæ 64. *inuentus sum à non quærentibus me*: deinde; *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*. Adde ex Eccles. 33. *ex ipsis benedixit, & exaltauit; & ex ipsis maledixit, & humiliauit*: Dicit etiam c. 9. *nunquid iniquitas apud Deum? absit*. Denique cap. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Nihilominus ex cap. 9. posset instari; in primis, quia *sui*, perhibentur Iudæi; Ioan 1. *& sui eum non receperunt*: in quantum ab ipso *in populum peculiarem* electi, Deuter. 26. Item secundùm carnem coniuncti Rom. 9. *ex quibus Christus secundùm carnem*. Item ab eo beneficijs promoti; Isaiæ 1. *filios enutriui, & exaltaui*, vt ibi lect. 6. Angelicus. Deinde, quia *Israelitarum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio & obsequium & promissa*; & Ioannis 4. *salus ex Iudæis*; & in Matthæo exprimitur, ecce *Mater eius, & fratres*. Quomodo ergo *generatio pessima* euasit (quæ veluti cognatione iuncta erat Christo) Iudæa? nam fratres appellari non est dubium; Hebræor. 2. *non confunditur fratres eos vocare, dicens, nunciabo nomen tuum fratribus meis*; ex Psal. 21. & planè, quoniam & Christus dicitur esse filius Abrahæ, de quo & gloriabantur Iudæi. Matthæi 3. *ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham*. Mater etiam dicenda est Iudæa; quia Hebræor. 7. *manifestum est, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster*. Respondeo, quemadmodum ait Rom. 9. Apostolus, *non omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*: ita & Dominus, *quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est*, (in terris Patrem se non habere firmat) *ipse meus frater, & soror, & mater est*: sub intellecto; non sic autem, qui non fecerit. Expende ly *quicumque*, nam attenta Dei imagine, vt dicitur ad Coloss. 3. *non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber*: & ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina*. Et ecce fortè cur Dominus addat & *soror*. Subdit Apostolus; *si autem vos Christi; ergo semen Abrahæ estis secundùm promissionem hæredes*. Sic Actor. 15. ait Petrus: *nihil discreuit inter nos & illos*. Concordat autem Paulus Rom. 3. *iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio*: & iterum c. 10. *non enim est distinctio Iudæi & Græci*. Quid ergo ignarus dicit; *ecce Mater tua & fratres tui foris stant*? quasi quia cognati secundùm carnem, sint fidelibus Christi præferendi. Ratio proxima exclusionis ipsorum ea secundùm Apostolum est Rom. 10. *quia ignorantes iustitiam Dei, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti*: quod exponitur, A ignorantes iustitiam Dei, qua Deus per fidem iustificat; Rom. 3. *iustitia Dei per fidem Iesu Christi*: *& quærentes statuere*, idest firmare *suam*, scilicet iustitiam, quæ consistit in operibus legis. A Rom. 10. l. 1.

Et ecce quod initio capitis huius introducitur de zelo indiscreto legis quoad Sabbatum, cum inde consecutis. Vnde tandem Dominus graphicè pingit, quod futurum erat de Gentium vocatione (Iudæis quibusdam incredulis) ad Ecclesiam: Ideo apud Matthæum *voluntatem*, inquit, *Patris mei*, quod non in Marco vel Luca, quoniam scilicet hic Gentiles etiam introducuntur admissi, quicquid Iudæi præsumant: & quia est *Pater vnus omnium nostrum* Malachiæ 2. ideo ait *Patris mei*. Et quoniam Prouerb. 4. dicitur; *audite filij disciplinam Patris*; & Deut. 6. *cùmque interrogauerit te filius tuus cras dicens, quid sibi volunt testimonia hæc, & cæremoniæ?* &c. 32. *interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi*; idcircò apud Matthæum *discipulos* nuncupat; vt Patris ad eos munia commendet: quos manu indicat, quia *cœpit Iesus facere & docere*. Act. 1. Et quoniam caput præsens concluditur in designatione eorum, qui fratres Domini spiritu non carne ab Abraham sint; iuxta illud etiam Lucæ 19. de Zachæo, *eo quod & ipse filius sit Abrahæ*; quandoquidem supra c. 3. *potens est Deus de lapidibus istis, suscitare semen Abrahæ*: de quo & Ioannis 8. *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*: quoniam inquam caput præsens ibi terminatur; non excidat quod præmissum est, ex Psal. 21. *narrabo nomen tuum fratribus meis*; nam sequitur *in medio Ecclesiæ laudabo te*. *In medio* quia non ad vnum populum tantum, B sicut Moyses, missus fuit, sed ad salutem totius mundi; Psal. 73. *operatus est salutem in medio terræ*; idest in Ierusalem, C quæ dicitur esse vmbilicus terræ: Et sic dum commemoratis fratribus, adnectit Psalmus *de Ecclesia*, Matthæo præludit, qui eundem ordinem seruat sequenti capite parabolicè mirè Ecclesiam describens. Claudat Gregorius in homilia: *qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuit; quærendum est etiam quomodo possit esse Mater? sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater vel soror est, in credendo, Mater efficitur prædicando: quasi enim parit Dominum, quem cordi audientium infundit: & Mater eius efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur*. 88. B Hebr. 2. b. 3. C 3. & 46. 10.

CAPVT XIII.

Mar. 4. a. 1. Luc. 8. a. 4. 1 IN illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. 2 Et congregatæ sunt ad eum turbæ
multæ, ita vt nauiculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore, 3 & lo-
cutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exijt qui seminat, seminare. 4 Et dum se-
minat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea 5 Alia
autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia
non habebant altitudinem terræ, 6 Sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem,
aruerunt. 7 Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. 8 Alia
autem ceciderunt in terram bonam; & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum,
aliud trigesimum. 9 Qui habet aures audiendi, audiat. 10 Et accedentes discipuli dixerunt ei;
Isa. 25. c. 29. *Quare in parabolis loqueris eis? 11 Qui respondens, ait illis; Quia vobis datum est nosse my-*
steria regni cælorum; illis autem non est datum. 12 Qui enim habet, dabitur ei, & abunda-
bit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. 13 Ideo in parabolis loquor eis; quia

vi-

videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. 14 *Et adimpletur in eis pro-*
phetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbi- Isa. 6.c.9.
tis. 15 *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos* Marc. 4. b.14.
clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, Luc. 8 b. 10.
& sanem eos. 16 *Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt.* 17 *Amen* Ioan. 12.
quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: f.40.
& audire quæ auditis, & non audierunt. 18 *Vos ergo audite parabolam seminantis.* 19 *Omnis,* Act. 28.f. 26.
qui audit verbum regni: & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde Rom. 11. b. 8.
eius: hic est, qui secus viam seminatus est. 20 *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est,* Luc. 8. b. 11.
qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: 21 *non habet autem in se radicem, sed* Luc. 10.d.
est temporalis: facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur: 14.
22 *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo sæculi istius, &*
fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur, 23 *Qui verò in terram bonam se-*
minatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem
centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum. 24 *Aliam parabolam proposuit* Marc. 4. c.26.
illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.
25 *cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tri-*
tici, & abijt: 26 *Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.*
27 *Accedentes autem serui patris familias, dixerunt ei, Domine, nonne, bonum semen seminasti*
in agro tuo? Vnde ergo habes zizania? 28 *Et ait illis: Inimicus homo fecit. Serui autem di-*
xerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? 29 *Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis si-*
mul cum eis, & triticum. 30 *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam*
messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum au-
tem congregate in horreum meum. 31 *Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum* Mar. 4.d. 30.
cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: 32 *quod minimum quidem* Luc. 13 c.
est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt vo- 18.
lucres cæli veniant, & habitent in ramis eius 33 *Aliam parabolam locutus est eis. Simile est* Luc. 13.e.
regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermenta- 21.
tum est totum. 34 *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non lo-*
quebatur eis: 35 *vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem. Aperiam in parabo-* Ps. 77. a. 2.
lis os meum, eructabo abscondita à constitutione Mundi. 36 *Tunc, dimissis turbis, venit in* Mar. 4. d. 34.
domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes; Edissere nobis Parabolam zizaniorum
agri. 37 *Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.* 38 *Ager au-*
tem, est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam,
39 *Inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus. Messis verò consummatio sæculi est. Mes-* Ap. 14.c. 15.
sores autem angeli sunt. 40 *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in con-*
summatione sæculi. 41 *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scan-*
dala, & eos qui faciunt iniquitatem: 42 *& mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, &*
stridor dentium. 43 *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum. Qui habet aures au-* Sap. 3.b.7
diendi, audiat. 44 *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro; quem qui inuenit* Dan. 12. a.3.
homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum il-
lum. 45 *Iterum simile est regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas.* 46
Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. 47
Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregan-
ti, 48 *quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, ma-*
los autem foras miserunt. 49 *Sic erit in consummatione sæculi; exibunt angeli, & separabunt*
malos de medio iustorum, 50 *& mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus, & stridor den-*
tium. 51 *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei; Etiam.* 52 *Ait illis; ideo omnis scriba doctus*
in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera;
53 *Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transijt inde.* 54 *Et veniens in pa-*
triam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent; Vnde huic sapien-
tia hæc, & virtutes? 55 *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fra-* Mar. 6.a. 1.
tres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? 57 *& sorores eius, nonne omnes apud nos* Luc. 4. c.
sunt? Vnde ergo huic omnia ista? 57 *Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis; Non est* 16.
propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. 58 *Et non fecit ibi virtutes multas pro-* Ioan. 6. c.42.
pter incredulitatem illorum.

VERS.

VERS. III. *Et locutus est eis multa in parabolis.*

V. Quoniam plures congerit Dominus hic parabolas, operæ pretium est, quid

A Opusc. 60. c. 14. parabola sit aperire. Græcè *parabola*, latinè, vt A ex glossa, *similitudo*. Vnde Hieronymus; *rerum natura discrepantium, sub aliqua similitudine facta comparatio*. Et iam Lucæ 8. expressè, *dixit per similitudinem*. Sic ex glossa rem velocem ventis comparamus, & ferreum dicitur aliquid durum. Nota

B p. p. q. 1. 10. 1. sensum parabolicum figuratum esse, B contineri que sub literali. Et sic cum Scriptura nominat Dei brachium, virtus operatiua, quæ figuratur, literali

C Hebr. 11. l. 4. sensu intelligitur. Hinc ad Hebræos C *parabolam*, dicit figuram. *Vnde eum (Isaac) in parabolam accepit*.

Versu eodem. *Ecce, exyt, qui seminat, seminare semen suum*.

D D. Th. hic. Semen est *Verbum Regni*, ex ipso Domino, infra v. 19. Et sic intelligitur D semen Doctrinæ. Considero autem fieri sermonem *in tertio modo dicendi per se*, vt apud Logicos, *ædificator ædificat*: vt scilicet, cùm prædicationi verbi Dei, quis incumbit, innuatur, id faciendum ex munere seu officio. Itaque præsumitur seminator esse. Vnde ly *qui seminat* seminatoris officium indicat. Tunc autem fiunt ex officio seminatores, cùm mittuntur; Roman. 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur*: aduersùm eos, de quibus Ieremiæ 23. *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant*. Emphatica est etiam locutio, vt vim spiritus in vero, quæ non est in pseudo prædicatore, discamus. Verumtamen, dum inquit *semen suum* se ipsum seminatorem demonstrat. Notat, ad Galatas, super illud; *qui seminat in carne sua*,

E Gal. 6. l. 2. & mox, *qui seminat in spiritu*, E cùm agitur de seminatione carnis, dici *in carne sua*, quia caro est nobis de natura nostra: cùm loquitur *de spiritu*, non dici *suo*. quia spiritus non est à nobis: sed à Deo. Et iam ly *exijt* patefacit quod astruo; siquidem

F D. Th. hic. Christus F est qui exijt ab occulto Patris, non mutans locum. Beda; *Satorem istum nullum meliùs quàm filium Dei intelligere possumus, qui de sinu Patris, quò creaturæ non erat accessus, egrediens, ad hoc venit in Mundum, vt testimonium perhibeat veritati*. Et Chrysostomus; *exyt autem qui vbique est, non localiter, sed per amictum carnis nobis appropinquauit*. Quod accipe, nedum in quantum ipsemet in persona prædicauit & euangelizauit; sed etiam prout alij ex ipso prædicauerunt; ad eum sensum, quo ad Corinthios ait Apostolus; *itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Deus enim est principa-

G p. Cor. 3. l. 1. le quid & magnum, & interius G operatur; cæteri Ministri sunt. Cum ergo actio vt ibidem Angelicus, non attribuatur instrumento, cui comparatur Minister, sed principali agenti, quid mirum si seminaturis Apostolis, dicatur ipse exijsse ad seminandum?

H D. Th. hic. Adde; semen H est principium fructus: & sic remouetur error dicentium, initium boni operis esse à nobis. Vnde Christus seminat, sicut baptizat, vt dicitur Ioannis 4. scilicet in hæc verba; *audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit & baptizat quàm Ioannes (quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.)*

VERS. IV. *Quædam ceciderunt secus viam*; &c.

Ab hoc vsque ad octauum versiculum sustine explanationem ex ore Domini contextu 19. & infra.

VERS. IX. *Qui habet aures audiendi, audiat*.

2. I 1. Cor. 14. l. 1. Frequenter in Sacris Scripturis I *audire* stat pro *intelligere*. Et sic Apostolus; *nemo enim audit*; Ad de Ecclesiastici 32. *Vbi auditus non est, non effundas sermonem*. Itaque *qui habet aures audiendi*, scilicet aures cordis, L *audiat* per intellectum. Siue vt supra, qui habet aures, spiritualiter audiat, & intelligat. Et iam ipsemet Dominus, infra vers. 14. *audientes non audiunt, neque intelligunt*: & versu 18. *vos ergo audite parabolam seminantis*. Explicaturus ad eorum intelligentiam, ait, *audite*. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 5. fides, sunt aures animæ. Hanc fidem tacitè innuit Dominus dicens; *qui habet aures audiendi, audiat*, vt cum crediderit, intelligat. Homerus enim etiam pro eo quod est *sentire* verbo *audire* vsus est, specie pro genere: *cùm audibant maximè & ipsi*. L D. Th. hic & supra c. 11.

VERS. X. *Quare in parabolis loqueris eis*.

3. Plures afferri possunt causæ: in primis, quia connaturale est homini, M, vt per sensibilia deueniat in cognitionem intellegibilium: deinde propter simplicitatem quorundam audientium; vt qui cœlestia capere non poterant, per similitudinem terrenam audita percipere potuissent. Deinde occultatio figuratum N vtilis est ad exercitium studiosorum: & iterum, vt saltem vel sic rudes capiant, qui ad intelligibilia, secundum se capienda, non sunt idonei. Præterea, quædam Christus O turbis loquebatur parabolis vtens, ad annunciandum spiritualia mysteria, ad quæ capienda non erant idonei vel digni. Et tamen melius erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum, spiritualium doctrinam audire; quàm omninò ea priuari. Et sic ait Marcus c. 4. *loquebatur eis verbum, prout poterant audire*. Nihilominus, etsi attentis parabolis, quæ sequuntur, optimè responsum sit, iuxta quod & infra versu 34. & 35. legimus; *hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis; vt impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem, aperiam in parabolis os meum*; aliam ad hominem inducit rationem; scilicet, *quia videntes non vident, & audientes non audiunt. Et adimpletur in eis Prophetia Isaiæ dicentis; auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis*. Notat Angelicus, P quomodo Dominus ante sine parabolis locutus est eis: & quomodo post operationem miraculorum, in parabolis locutus est eis. Et præterea ad versum 34. quia in turba permisti erant aliqui fideles, & aliqui infideles; item aliqui benigni, & aliqui maligni. De huiusmodi infidelibus & malignis, quod hic Matthæus, Marcus adhuc magis exprimit, dicens c. 4. *vt videntes videant, & non videant; audientes audiant & non audiant*. Quæ quidem ad eum sensum sine contradictione accipienda sunt, quo Augustinus tract. 26. in Ioannem ait de Sacramento; *Qui non manet in Christo & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, licèt carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi*. Et sic, vident miracula, Q non vident effectum; vident exterius, non vident interiùs: Isaiæ 43. *educ foras populum cæcum, & oculos habentem; surdum, & aures ei sunt*. Pergit autem Dominus ex Isaia c. 6. denarrare prædictorum causam, dicens; *incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos*. Quam Isaiæ authoritatem & Paulus allegat in Iudæos Act. vltimo. Certè ad cognitionem intellectus R maximè deseruiunt duo sensus; scilicet visus & auditus; quorum vnus deseruit inuentioni, scilicet visus; alius disciplinæ, scilicet auditus. Quantùm ad visum ponitur excæcatio, quantùm ad auditum, aurium aggrauatio; quantùm ad affectum obduratio. Hæc, vt vides, edisserit Christus Dominus

M Opusc. 60. 14.

N p. p. q. 1. a. 9. ad 2. & corp.

O 3. p. 42. 3.

P D. Th. hic.

Q D. Th. hic.

R p. 1. 79. 3.

nus ex Isaia. Et quia malitia est causa excæcationis meritoria, vt ibi ad 3. dolet tantam esse, vt sanari eos præpediat; *ne quando sanem eos*. Mirè huc facit,
S ibi ar.4. quod mox S docet Angelicus; nimirum excæcationem ex diuina misericordia ordinari medicinaliter ad salutem eorum, qui temporaliter excæcantur: (sicut & de alijs peccatis,) in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes humilientur & conuertantur, sicut Augustinus dicit in lib. *de natura & gratia*.

4. Iuuat ad hæc repetere, quod præmissum est; *vobis datum est nosse mysteria Regni Cælorum, illis autem non est datum, Qui enim habet, dabitur ei & abundabit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*. Hoc quadrupliciter expositum fert in præsenti, percurrens præparatoria veluti ad accipiẽdum à Domino amplius de donis. Planum autem est quod ex Remigio; *qui habet studium legendi, dabitur ei & facultas intelligendi; & qui non habet legendi studium, hoc, quod per naturæ bonum videtur habere, auferetur ab eo*. Consentit cum Chrysostomo & Sanctus Beda Lucæ 8. in quantum *habenti amorem verbi, dabitur & sensus intelligendi quod amat, Secùs & quod habet, idest putat habere*, (vt inquit infra cap. 15. Matthæus, Lucasque c. 8. & expendit hic Chrysostomus,) *auferetur ab eo*: & retorquet Remigius ad naturæ bonum. Certe cùm non acuitur ingenium, hebetatur. Sed quoniam non aufertur nobis quod naturale est, quamuis spiritu deficiamus; vulneratus enim solùm remansit Adam in naturalibus; dum *auferetur* inquit Dominus, *& quod habet ab eo*, mihi arridet, vt de gratuitis donis præhabitis intelligatur; fiatque in vniuersùm sensus, ne simus, cùm de diuinis agitur, desides aut socordes; quia si non pergimus per Sancta desideria, retroagimur; eo quòd *non progredi in via Dei sit retrogredi*, & vt ait Augustinus; *vbi dixisti sufficit, defecisti*. En quomodo id quod habet quis, aufertur ab eo. Non secus ac dicatur Eccles. 27. *si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur Domus tua*: ac primæ Cor. 10. *qui se*
T 1.Cor. 10.l.3. *existimat stare, videat ne cadat: videat* T diligenti attentione. Quod verbum *existimat*, cohæret optimè cum textu Lucæ dicentis *etiam quod putat se habere, auferetur ab eo*. Patet in praxi Lucæ 19. de seruo, cui data fuit mna, quam non fuit negotiatus; dixit enim homo ille nobilis, *auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet*: subditque Dominus iterum; *dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo*. Seruus ille studium non habuit negotiationis, ideo mna ab eo ablata est.
V Ps. 38. lect.a. Hinc Angelicus hoc ex loco; V Deus non dat gratiam homini, nisi vt vtatur illa: & ideo, quando quis per negligentiam gratia sibi data non vtitur, Deus aufert ei; vt patet de talento: vbi tangit de Matthæo, inducens sententiam ex Luca: nam & Matthæus cap. 25. de homine qui peregrè proficiscitur enarrat dispensante seruis talenta. Vbi Deo dante, rursus. Denique facit pro hac Domini sententia illud Augustini tract. 74. in Ioannem, dicentis super illud, *si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis*, post alia, *restat vt intelligamus Spiritum-Sanctum habere qui diligit, & habendo mereri, vt plus habendo, plus diligat*.

VERS. XVI. *Vestri autem beati oculi, quia vident, &c.*

5. Prælego expositionem, quæ etiam apud Sanctum
X D.Th. hic. Doctorem X de visione & auditu præsentiæ corporalis, sed innixa reuelatæ fidei; quo pacto Simeon cecinit Lucæ 2. *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*: De quo Ambrosius lib. 2. in caput 2. Lucæ; *Iustus expectat videre promissum; sciebat enim, quia beati oculi, qui eum viderent*. Addit ex Hieronymo accipi de oculo interiori. Ephes. 5. *Det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius illuminatos oculos cordis*. Et sic de auditu; Isaiæ 50. *Dominus aperuit mihi aurem*. Beatos autem dicit, prout mihi videtur; ad eum sensum, quo Ecclesiastici 48. legimus de Elia; *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt*. Hoc autem sonat felicẽ quandam sortem, ad quam diuinitus Apostoli destinati fuerunt; quæ veluti inchoata est beatitudo. Ex quo Ioan. 6. Simon Petrus; *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Connectendum est au- A 2. 2. 174.6.
tem quod tradit alibi; A scilicet ea, quæ ad mysteria Christi pertinebant, pro quanto fuerunt Patres Christo propinquiores, siue ante siue post, vt plurimum plenius accepisse: post tamen pleniùs quàm ante: pro quanto verò fuerunt à Christo remotiores,
B tanto difficiliùs cognouisse; quanto enim aliquid B 2. 2. q. 1. 7.
C à longinquioribus videtur, tanto minus distinctè C 2. 2. q. 1. 7. 1.
videtur. Dic ergo, quamuis vt ait Gregorius; *vna sit fides nostra & antiquorum*, iuxta illud 2. Cor. 4. habentes autem eundem spiritum fidei; nihilominus, *beati* Apostoli, qui alijs Prælati sunt. Hinc Ioannes in sua prima c. 1. *quod audiuimus quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus*, &c. vbi Diuus Thomas præsentem allegans Matthæi textum D D 1. Io. c. 1.
habet; *quod audiuimus*, immediatè per se ipsum in Mundo loquentem, Hebræor. 1. *nouissimè locutus est nobis in filio: quod vidimus oculis nostris*; ipsum scilicet in carne apparentem; Baruch 3. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Consequenter, beatos dicit veluti per excellentiam, seu antonomasticè, eo quòd primitias spiritus habuerunt, vt dicitur Roman. 8. quia Spiritum-Sanctum E Rom. 8. l. 5.
E & tempore prius, & cæteris abundantiùs; *secundùm mensuram donationis Christi*, Ephes. 4. Visio autem beata, quæ est essentiale præmium, attenditur secundùm charitatem; qua maiori præ alijs operati sunt Apostoli. Dic ergo beatos iure veluti præconizari. In quo etsi *multi Prophetæ & iusti cupierint, videre & audire*, æquiparari Apostolis non possunt. Ad hæc Ephes. 3. *alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu*, &c. Quocirca idem Sanctus Doctor; F aliquibus Patri- F Ephes. 3. l. 1.
bus veteris Testamenti reuelatum est, secundùm illud Ioan. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum; vidit & gauisus est*: & etiam Prophetis; Ioelis 2. *post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*: sed eis quidem reuelatum est, in quadam generalitate: Apostolis verò clarè & perfectè: primò, quia ipsi Apostoli habuerunt reuelationem immediatè à Filio Dei; Ioan. 1. *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*; Prophetæ verò & Patres veteris Testamenti, ipsi edocti sunt per Angelos, vel per aliquas similitudines: ideo Apostoli clariùs acceperunt. Item non in figuris & ænigmatibus, sicut Prophetæ viderunt; *sed reuelata facie gloriam Domini speculantes*; 2. Cor. 3. Nota aliàs, G qualiter, quamuis visio Moysi fuerit G 2. 2. 174.4.1.
excellentior, quantùm ad cognitionem Diuinitatis; Dauid tamen pleniùs cognouit, & expressit mysteria Incarnationis Christi.

VERS. XVIII. *Vos ergo audite parabolam seminantis*.

Parabolarum apertam & nudam veritatem Do- 6.
minus H discipulis exponebat, per quos deueniret H 3. P. 41.1.
ad alios, qui essent idonei; secundum illud 2. ad Tim. 2. *quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios* doce-

docere. Et hoc signatum est Num. 4. vbi mandabatur quòd filij Aaron inuoluerent vasa Sanctuarij, quæ Leuitæ inuoluta portarent. Recole illud Ecclesiastici 6. *si dilexeris audire, sapiens eris*. Sicut autem antiquis Patribus, qui I erant fidei doctores & institutores, tantum dabatur de cognitione fidei, quantum oportebat populo illi tradi, vel nudè vel in figura; ita dic tu factum à Deo in Apostolis: qui L constituti fuerunt executores & dispensatores Sacramenti (seu mysterij) Christi: & ideo oportebat, quòd meliùs ipsi essent instructi, quàm alij; Ioannis 4. *alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*. Et ecce quomodo Diuus Ioannes, in prima cap. 1. postquam dixit, *quod audiuimus quod vidimus*, adiecit; *testamur, & annunciamus vobis vitam æternam*. Et hoc videtur sonare pronomen illud *vos: vos ergo audite parabolam seminantis*. Emphaticè enim accipi debet, me iudice; destinabantur quippe satores fidei; iuxta illud Isaiæ 27. *& implebunt faciem Orbis semine*. Vbi sermo est de Apostolis M vt passim declarat; semine scilicet prædicationis, N vt exponit glossa: Hinc Lucæ 8. *semen est verbum Dei*. De quo Apostolus ad Coloss. 1. *Euangelij verbum in vniuerso Mundo est, & fructificat*. Quare vt videtur, ad futuram Ecclesiæ dilatationem fertur quoque parabola; vt in Syntaxi dicetur.

I 2.2. q. 1.7.3.

L Ephes. 3. b. l.

M 3. sent. d. 1. cap. t. 2. 1. 176. 1.

N Opusc. 19. c. 10.

VERS. XIX. *Omnis qui audit verbum Regni*, &c.

7. Nonnihil variant in huiusmodi parabolæ relatu inuicem Matthæus hìc, Marcus c. 4. & Lucas 8. Ipse supersedendo vsque ad Syntaxin, parabolam hanc iuxta Domini expositionem edisserere allegoricè, (quod perpriùs à Matthæo intendi ratus sum) ad tropologiam vertor, quam haud negligi pariter certissimum est. Reperio Sanctos Patres multifariam ad mores hominum reuocasse. Præmitto ipse cum Remigio; *his tribus generibus terræ nequam, comprehendi omnes, qui audire possunt verbum Dei, sed tamen ad salutem perducere non valent*. Dic ergo; *omnis, qui audit verbum Regni, & non intelligit*: non se gerens scilicet, iuxta Ecclesiastici monitum, quo c. 14. ait; *beatus vir qui in sapientia morabitur*; (paulo ante discipulos beatos dixit; *vestri autem beati oculi*) *& qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu excogitabit circumspectionem Dei: Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens*, &c. Ecce oppositum è regione, in eo qui audit, & non intelligit; quamuis in corde, pia quadam affectione receperit verbum, quod oportuisset quasi fermentari vt Ecclesiasticus innuit. Sanctus Beda Marci 4. in Catena, circa viam esse dicit *negligentes & desides*: Chrysostomus Lucæ 9. ibi, *sine vt mortui sepeliant mortuos suos*; ait; *Diabolus insistit attentus, volens aliquem aditum inuenire; & si modicam cernat negligentiam, magnam operatur pusillanimitatem*. Ecce *Diabolus venit*, vel *Satanas*, apud Marcum; Matthæus præmittit, *malus*: & quare malus? quia aduersùs bonum, ne quis bona operetur suscepto in corde semine. Duo quippe nobis indicuntur in Psal. *declina à malo, & fac bonum*. Et quomodo malus iste antonomasticè in eum? Vide Angelicum; O vbi docet, Angelum etiam malum mouere posse hominis imaginationem; præterquam homo etiam voluntariè imaginari potest quod priùs sensit. Sic *malus quod seminatum est, rapit*. Fortè autem, in malum refertur huiusmodi verbi Regni raptus; quia omnia peccata P indirectè à Diabolo causantur. *Caro* quippè, *Mundus, dæmonia, diuersa mouent prælia*. Audi iterum Bedam: *via est, (secus viam) mens sedulò malarum cogitationum motu trita, ne verbi semen in ea germinare sufficiat*. Et quia multiplices huiusmodi seu vanæ seu mundanæ cogitationes mentem circumuolant, ab ipsis tanquam ab effectu, appellari volucres Dæmones dixerim; vt mentem nostram (quæ Cælum veluti est altitudine muneris, naturæque incorruptione) obnubilent & confundant, & ineptiorem, ad ea quæ supra Ecclesiasticus commonet, reddant. Quamuis aliàs, ex eodem Beda, *Dæmones volucres Cæli dicantur; siue, quia cœlestis spiritualisque sunt naturæ; siue, quia in aere habitant*. Hinc mirè Ecclesia præcauens in diuini officij recitatione, spiritualis fructus rapinam sic orat; *Munda quoque cor meum ab omnibus vanis, peruersis & alienis cogitationibus*; quas nimirum satellitium dæmonum inferiorum, suo imperitante præliatore malo, (quandoquidem Q in ipsis est prælatio) immittunt, vt supra dictum est. Vnum mirum, quod altam deposcit intelligentiam; cur dæmones astruantur hic *cæli volucres*? quæ nimium nobilis videtur similitudo. Aliud etiam æquè mirabile; cur comedere, & comedisse perhibeantur verbum quod seminatum est? Nunquid diuini verbi pabulo nutriuntur dæmones? Sufficiebat enim dicere rapuisse malum seu diabolum, dissipasse contriuisse quod seminatum fuerat; &c. Peregrinæ sine dubio quæstiones.

O p. p. q. 111. a. 3. & p. 2. 80. 3.

P p. p. 114. a. 3.

Q p. p. q. 109. 2.

8. Ad quarum primam dicendum: non ad dæmonum nobilitatem, sed ad eorum perennem significandam superbiam, dici volucres: (superbi signantur Q per volucres) & adhuc ab effectu, dum circumuolare faciunt suggestas nobis varias cogitationes: *Cæli* verò, in quantum aer Cœli subit R nomenclaturam, vt ex Psal. 8. *volucres Cæli*. Dæmones autem dicuntur Ephes. 6. *spiritualia nequitiæ in Cœlestibus*, scilicet S in aere caliginoso. Quo sensu & Iudas in sua Canonica; *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit*. Coherenter quidem ad ea quæ Paulus habet dicens; *secundum Principem potestatis aeris huius* &c. Aer enim est habitatio T ipsorum in pœnam eorum. Vnde & Augustinus 3. super Genesin ad literam c. 10. *aer caliginosus est quasi carcer dæmonibus, vsque ad tempus iudicij*. Ratio autem, quare non statim retrusi sunt in Infernum, sed dimittuntur in aere, est; quia Deus noluit, quòd ipsis peccantibus, eorum creatio totaliter frustraretur; & ideo dedit eos hominibus in exercitium, quo bonis præpararent coronam, malis autem æternam mortem. Et quia vsque ad diem iudicij, est tempus belli, & merendi; ideo vsque tunc in aere permanebunt; post diem verò iudicij retrudentur in Infernum. Vbi autem supra cap. 6. ad Ephesios dicit Apostolus; *in Cœlestibus*, considerat Angelicus, innui virtutem eorum & auantagium (obsoleta nunc vox) ad superandum nos, quia nos in terra, ipsi in alto. Quare aio ipse, superiùs nobis quoque mentis eleuatione euolandum est; ne vincamur. Augustinus tomo 10. serm. 135. de tempore inquit; *Cælum in nobis anima est; terra in nobis corpus est*. Dæmones ergo cœli huius volucres dixerim, quòd obtenebrare possunt in phantasiam & appetitum agendo, vt supra V dictum est. Etsi ergo sit semen *seminatum in corde*: (pro corde in vita spirituali, assumit X intelligi superiorem animæ rationem, quæ est principium in vita spirituali, sicut & cor in vita corporali) non desistunt dæmones, quo nos exturbent hac illac circumuolare, Sic etiam sunt *volucres Cæli*. Sicut Iob 1. circumierat Satan & perambulauerat terram.

Q Psl. 8. fine. & 1. Cor. 15. l. 6.

R 1. p. 16. 7. 1.

S Ephes. 6. l. 3.

T Ephes. 2. l. 1. & p. p. q. 64. a. 4.

V p. p. 111. 3. & p. 2. 80. 2.

X p. a. 74. 9. 2.

Ad secundam respondeo, dici dæmones tanquam *Cæli volucres* comedere seminatum verbum, profunda de causa: neque enim solummodo tanquam quid consectarium naturæ volucrum, vt granum comedant, adiectum esse videtur, *comederunt illud*; Perperam siquidem videretur apponi. Igitur altiori 9.

ex

ex principio intelligentia literæ repetenda est. Pendet autem vel ab vna, quam speciatim apposuit Matthæus vocula. Cæteri Euangelistæ Marcus & Lucas dicunt *venit Diabolus; venit Satanas*. Matthæus ait, *venit malus*. Cur? O admirandam Euangelij
A 3. p. q. 8. 7. profunditatem! Habet Diabolus, vt A malorum omnium dicatur atque sit caput. Et vnde? propter malitiæ plenitudinem; qua & Antichristus, caput &
B ibi a. 8. ipse malorum sumine B valebit; eo quòd in ipso plenissimè inuenietur impressa malitia diaboli. Hoc autem intendi ab Euangelista; vel ex eo patet, quòd volucrum introducitur similitudo, vt diximus, typo superbiæ. In hoc autem caput ibidem astruitur malorum diabolus, quòd ipse, Iob 41. *est Rex super vniuersos filios superbiæ*. Et quamuis Caput non dicatur diabolus per interiorem influxum, di-
C ibi a. 7. citur C tamen caput ab exteriori regimine & gubernatione, & ex suggestione: quanquam etiam absque speciali suggestione, malorum caput agnoscitur. Ex quo in argumento secundo, fertur ex lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, non omnes cogitationes malas semper diaboli instinctu excitari, sed aliquoties ex motu arbitrij nostri emergere. Ecce contextus, quem exposuimus, nempe ly *secus viam* de malarum cogitationum peruolatu: & iterum contextus alius, dum prius pluraliter loquitur ceu de membris, scilicet de volucribus; quæ quia vniuntur malo malorum capiti, vnitim accipiuntur in eo; cum subiectum est; *venit malus*. Præterea Diabolus ceu caput gubernatorque malorum, intendit, quorum est caput, eos ad suum adducere finem; vt ibidem docet Angelicus: finisque eius, nihil aliud est, quàm auersio rationalis creaturæ à Deo: ipsa autem auersio à Deo habet rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis; secundùm illud Ieremiæ 2. *à sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam*. In volucribus autem isthæc innuitur libertas, quæ volant & auolant: ex quo de passere Numeri 14. *cum dimiserit passerem auolare in agro liberè*. Præsertim autem libertatis affectatæ à dæmonibus sunt symbolum volucres, si non fœmininè accipiatur vox *volucris*; quo pacto volucres dicuntur & aues & vespæ; sed adiectiuè, quod de celerrimis dicitur auibus. Hebræa quippe vox ad vtrumque est. Sic & Aquila pernicissima est volucris.
D opusc. 58. c. 14. His addo ex Opusculo; D quod sicut Christus per se & per suos semper studet membra Diaboli præcidere, & suis membris incorporare, secundùm illud Act. 10. *surge Petre, occide & manduca*: sic diabolus per se & per suos conatur membra Christi tollere, & suo corpòri (supra dixerat, corpus quoque diaboli mysticum extare) vnire. Vide ergo mi lector, qua de causa introducatur à Domino de comestione; *& volucres Cœli comederunt illud*. Quod ne tàm de semine, quam de homine, *qui audit & non intelligit*, acciperetur; adiecit Dominus; *hic est*, (masculinè) *qui secùs viam seminatus est*. Quod quidem animaduertit glossa, propterea notans; *dici & semen sèminatum, & agrum seminatum*; sed ipse idcirco crediderim sic variari, vt cum de semine comesto præmissum fuerit, figura metonymiæ de contento ad continens, de incorporatione seminis, ad homines tanquam membra diaboli, per eam similitudinem comestionis incorporatos, transiret pia intelligentia: agnosceret primum caput, ex quo difficulter semen regni fructificaret; quia diabolus tanquam caput malos tanquam sua membra regit & possidet.

VERS. XX. *Qui autem super petrosa seminatus est &c.*

10. Sanctus Beda, & Remigius; *pro petra, obuium habent durum & indomitum cor*; & iam non habere radicem, subdit Dominus. Radix inquit Angelicus E est charitas; iuxta illud Ephes. 3. *in charitate radicati & fundati*. Primus certè amoris effectus F est liquefactio, cui opponitur congelatio vel duritia. Ezechielis 11. *auferam à vobis cor lapideum*. Res quippe, vt ait in ps. illum, antequam liquefiat, dura est & constricta in se; si liquescit, diffunditur. Cant. 5. *anima mea liquefacta est*. Qui sic durum cor habet vel ex peccato, quod charitas nequit compati, petrosus locus est; nec omnino, (siquidem moraliter exponimus) petra est; quemadmodum obstinatior corde: de huiusmodi enim Iob 41. *cor eius indurabitur tanquam lapis*. Ecclesiast. 3. *cor durum habebit malè in nouissimo*. Tangitur autem de gaudio statim surgente; quod passio quædã est, subinde citò transiens. Et ecce secundum fructus impedimentum ab intrinseco, defectu charitatis. Doctrina est constans; G sine gratia non posse nos vitare omnia peccata. Cum enim homo (verba sunt Diui Thomæ) non habet cor suum firmatum in Deo, vt pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa, propter quæ consequenda vel vitanda homo *recedit* à Deo. Nota mirè tu apud Lucam c. 8. eandem vocem; & in tempore tentationis *recedunt*. Et quia id præcipuè accidit ex eodem Angelico, in repentinis, in quibus & secundùm Philosophum, homo operatur secundùm habitum præexistentem; vt repente præsertim intelligatur, ait Dominus; *continuo scandalizatur*.

E D. Th. hic.
F p. 2. q. 28. s. 2. & ps. 21. lit. l. & hic.
G p. 2. 109. 8.

VERS. XXII. *Qui seminatus est in spinis, &c.*

Quid spinarum metaphora intelligendum sit, aperire dignatur Dominus, notans *solicitudinem sæculi, & fallaciam diuitiarum*. Tertium ergo caput amittendi fructus hinc innotescit: sæculum hoc scilicet 11.
& diuitiæ. Est quippe H solicitudo illicita propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda. Considero ipse quomodo inter omnes solicitudines, descendat ad eam quæ circa diuitias; ceu ad diuturniorem ac fixiorem: quandoquidem supra c. 6. *vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Et Angelicus q. 188. solicitudo, quam secum diuitiæ afferunt, separari non potest totaliter, siue sint magnæ siue paruæ. Accuratior enim nemo est amante diuitiarum possessore. Hinc Prouerb. 2. quo extimulet Salomon, ad sapientiæ ac prudentiæ studium, habet; *si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies*. Nimis alliciunt I animum & distrahunt: vnde consueuit maximè in ipsis occupari, L & à diuinis obsequijs impediri. Hinc Gregorius; *dum bonum desiderium ad cor intrare non sinunt, quasi aditum flatus vitalis vetant*; Glossa autem relata in præfato opusculo, exponit, quomodo sit earum qualificatio verissima, vt spinæ dicantur; quià *etsi delectare videantur, suis tamen possessoribus sunt spinæ, cum aculeis curarum mentes eorum confodiunt; cum auidè quæruntur, & solicitè seruantur*. Ad hoc Hieronymus, quomodo sint fallaces (*fallacia diuitiarum*) exponit: M *blandæ sunt diuitiæ, aliud agentes, aliud promittentes: lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, & instabili gradu, vel habentes deserunt, vel non habentes reficiunt*. Quoniam autem, & alia distrahunt, secundùm quòd ait Apostolus, *qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt Mundi; quomodo placeat vxori, & diuisus est*: mihi visum est, à Domino id quoque tangi, in ijs verbis; *solicitudo sæculi huius*. Sed si non tam de profectu ad perfectionem, quàm de præpedito fructu salutis intelligenda sit edissertio Domini, iuxta illud Isaiæ 27. *& ille omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*; censeo & hoc accipiendum esse, vt & præmissa, de *secus viam*, & de *super petram*, de impedimento potissimo conuersionis, quam difficillimam reddunt quæsitæ habitæque diuitiæ; quæ arctant

H 2. 2. q. 55. 6. 2. 2. 188. 7.
I 2. 2. 186. 3. 4.
L opusc. 19. 1.
M opusc. 17. 15.

nedum, sed suffocant verbum, nihil vacuitatis vnde germinare possit probitas, relinquentes in corde; immo & alias coaceruantes seu coglobantes distractiones; vnde suffocatio. D.Th. hic; candela quandoque extinguitur propter superfluitatem humoris, & tunc suffocatur. Diuitiæ quippe ad voluptates animum emolliunt & pertrahunt; nec scelus est, quod earum effrænis cupiditas perhorrescat. Spinæ ergo dicantur, nedū quia suis de custodia, vel acquisitione punctionibus quietem auferunt; Ecclesiast.5. *saturitas diuitis non sinit eum dormire*; (quomodo verbo Dei corda aperiet?) sed quia extimulant ad omne malum, dicente Apostolo 1.ad Timot.6. *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociua*, &c. Ex quo Salomon de earum affluentia Prou. 30. *diuitias ne dederis mihi, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus?* Et certè, cùm *initium omnis peccati*, Eccl.10. *sit superbia*; & hæc facilè diuites comitetur; Sap.5. *quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* (ad quod idē Apostolus suprà, *diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere*) ingens periculum est, vt omnibus inuoluantur peccatis, & sic eorum colluuie suffocent diuitiæ verbum. Damnatus est ergo meritò Vigilan-
N 2.2.q. 186; ad 6.& 2.4. tius, qui N adæquauit diuitias paupertati. Lucæ 16. *diues sepultus est in inferno.*

VERS. XXIII. *Qui verò in terram bonam*, &c.

12. Agnosce hactenus, siue *secus viam*, siue *in petrosa*, siue *inter spinas*, ceciderit semen, in terram cecidisse malam: per locum enim à contrario adiectū est, aliud *cecidit in terram bonam*: arabilem, inquit, in Apoc. c.7. com. 1. vomere prædicationis, & diuini seminis susceptibilem. Malum ex D. Dionysio c.4. de diuinis nominibus causatur ex singularibus defectibus; bonum ex integra causa. Non mirum, si tam copiosum afferat terra huiusmodi fructum. Distinguunt Sancti
O p. 2. 70.3.2. multis modis O tres euangelicos fructus, secundùm tres gradus virtutis; quia cuiuslibet rei perfectio attenditur secundùm principium medium, & finem.
P ibidem. & 1. Cor. 7 l.5.& 8. ad huem. Sed tu exinde, & alibi accipe, P continentiam coniugalem significari per fructum trigesimum; continentiam vidualem, per sexagesimum; virginalem per
Q 2. 2. q. 186. 4. & prius q. 152. 2. 4. centesimum. Damnatus est Q Iouinianus, qui adæquauit matrimonium Virginitati. Hinc August. in lib. de bono coniugali; *bonum Susannæ in castitate* R *coniugali laudamus; sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ Virginis anteponimus.*
R 2.2 q. 153. a. 2. ad 1. Et in lib. de Virginitate; *& certa ratione, & sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias inuenimus; nec eas bono virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.* Adeo obsequibilis, adeo amabilis, dic tu, est Deus optimus maximus, vt abdicatis præsertim venereis oblectationibus, quæ *mentem* vt ait Augustinus *ab arce virtutis deijciunt*, sit diuinæ contemplationi insistendum, vtique virgi-
S 2. 2. 152. a. 2. 3. & 4. nitatis etiam studio, quæ licita est, S & virtus principalis, matrimonio excellentior. In Genesin c.23. fructum centesimum dat tribus euangelicis votis. D. Hieronymus sic etiam fructus hos accipit: sed Au-
T ibi a.5. ad 2. gustinus adhuc T *centesimus*, inquit, *fructus est martyrum, sexagesimus virginum, tricesimus coniugatorum.* Distinguuntur autem hi fructus secundùm
V p.2.70. 3 2. & 3. sent 34.1. 5. ad 4. intensionem & remissionem; V quia de quibusdam operibus maius erit gaudium, quàm de alijs. Vide ad hæc lepidè in 4.sent.dist.49. q.5. a.2. quæstiuncula 3. & hic de hisce numeris 100. 60. 30.

VERS. XXIV. *Aliam parabolam*, &c. *seminauit bonum semen in agro suo.*

VERS. XXV. *Cum autem dormirent homines* &c.

13. Quoniam Dominus ipse rogantibus discipulis dignatur parabolam hanc edisserere, vt patet a versu 37. & infra, dormitionem satis est notare. Monentur quippe Prælati de labore solicitudinis, dum somno dati sunt in causa superfatorum à Diabolo zizaniorum; cùm nedum vigilare, sed peruigilare teneantur. Hebr.13. *ipsi enim peruigilant*; idest X perfectè vigilant: vigilare enim super gregem commissum incumbit Prælatis; Rom.12. *qui præest in solicitudine.* Vnde Lucæ 2. *Pastores*, per quos designantur Prælati, *erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Sed heu dicitur Isaiæ 56. *omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Ita in *Apoc.* Mirè de zizanijs in Sermone. Quocirca X Hebr. 13. l. 3. Apoc. 3. post initium Cō. ment.1.

VERS. XXX. *Colligite primùm zizania*; &c.

Zizanium est apud grammaticos vitium tritici; 14.
Propterea amplè accipitur à D. Thoma dicente; A A Serm. Do.4.post Epiph.
maledicuntur zizania, quæ sunt lolium per luxuriā, vicia per auaritiam, auena per superbiam. Lolium enim peruertit statum rationis; & luxuria similiter; Ezech.23. *insaniuit libidine*; Osee 4. *fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*; & 3. Regum 11. de Salomone; *auerterunt mulieres cor eius.* Sequitur Angelicus; vicia quæ amara est, significat auaritiam, quæ miro modo affligit auaros; Ecclesiast.5. *diuitiæ congregatæ in malum Domini sui, pereunt in afflictione pessima.* Auena propter vanitatem; Iob 11. *vir vanus in superbiam erigitur.* Vere ergo sunt mali zizania. *Colligite. Messores* ait Dominus, *Angeli sunt.* Ministri quippe B iudicij, non verò assessores, B 4.sent. 47. 1. 2. 3.
cum Christo, erunt. Auferent *autem omnia scandala*, C quia in Paradiso nihil erit saluti hominum C opusc. 7.5.6.
repugnans: in mundo autem isto multa sunt contra hominum salutem. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*: æternis nanque vinculis D constringen- D Serm. præfato.
tur; qui enim in fasce sunt, ad inuicem constringuntur. Nec ex eo quòd puniant malos, mali dicendi sunt: ex Dionysio de diuinis nominibus c.4. lect.18. Exponit autem Dominus infra pro tritico *semen bonum filioque Regni*: in quo notatur bonitas Sanctorum; qui præsertim E triticum dicuntur; quia albi E ibi.
propter puritatem, rubei propter charitatem, ponderosi per morum honestatem. *In horreum meum*: spatiosum propter amœnitatem, deliciosum propter iucunditatem, perpetuum propter æternitatem; ps.25. *Domine dilexi decorem domus tuæ*; psal. 111. *gloria & diuitiæ in domo eius*; 2. Corinth. 5. *Domum non manufactam æternam in Cœlis*; & sic Sanctorum gloria notatur.

VERS. XLIII. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol*, &c.

Vbi Apostolus ait; *resurget in gloria*; gloria, inquit, 15.
ex Augustino super Ioannem, significat claritatem;
H quia corpora Sanctorum erunt clara & fulgentia: H 1.Cor. 15. l.6. 4. cont.Gēt. c.86.
nunc sunt opaca. Adde Chrysostomum I *non quia ita solum sicut Sol, sed quia hoc sydere nihil lucidius scimus.* Radius solaris est L clarus; subtilis; quia penetrat vitrum & chrystallum sine eorum læsione: agilis, nam subitò volat de oriente ad occidētem: impassibilis; quia nec gladio nec lapide potest lædi. En animæ dotes. Et cùm dicit *sicut Sol* non solum intelligitur de hoc sole materiali, sed potius de illo spirituali; M de quo Malachiæ vltimo; *orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*: Philip.3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Infra quippe c.17. de ipsomet legimus, *resplenduit facies eius sicut Sol.* Et iam prout mihi videtur, nostram ad eum configurationē innuit hic dicens; *sicut Sol in Regno Patris eorum.* Pater quippe noster est, dū sumus *filij & hæredes*; Rom.8. *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hinc Io.20. *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* De dotibus gloriosi corporis ex professo vide N in 4. sent. Bernardus N 4.sent. 44. q. 2.

I opusc. 10.36. L Apoc. 12. ibi, stellarum duodecim Comm.1. M Apoc. cap.1. ibi, & facies eius sicut Sol in virtute sua. Comm.1.

dus ad hæc. *Quis erit splendor animarum, quando solis splendorem habebit lux corporum?*

VERS. XXXI. *Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis.*

16. Prætergressus sum de trigesimo ad quadragesimum tertium versum, vt secundæ parabolæ de zizanijs explicandæ operam darem. Quam explicationem cur non statim depoposcerint discipuli, sed post interiectas de grano sinapis & de fermento; syntaxis aperiet. Interim ordinat tres has parabolas Sanctus Thomas; O vt prima sit de semine seminato; secunda de semine inspirato, (de quo nos in Syntaxi) tertia de semine multiplicato; nimirum de sinapi. Per granum sinapis P intelligi potest doctrina euangelica; est enim sinapis granum feruidum, & venena depellit: euangelica autem doctrina per fidem facit feruescere; infra cap. 17. *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis:* item excludit errores ceu venena; vnde vtilis est ad arguendum, vt habetur 2. ad Timoth. 3. Pergit hanc locupletare expositionem: sed tu accipe ex Hieronymo, qui ait; *prædicatio Euangelij minima est omnibus disciplinis. Confer huiusmodi doctrinam, hominem Deum, Christum mortuum, scandalum Crucis, dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum; & videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij: sed quæ parua videbatur in principio, crescit in arborem.* Adnecte *in arborem* Q ex soliditate; quia aliæ doctrinæ sunt olera mollia, nihil firmum habentia, quia rationi humanæ subiecta; Sapient. 9. *cogitationes enim mortalium timidæ.* Est præterea arbor firma: psal. 118. *cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum fundasti ea; in æternum Domine permanet verbum tuum:* Lucæ 21. *cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt:* Multos habet hæc arbor ramos, & exhibet homini, quæ sunt necessaria ad vitam: vnde si sunt coniugati, habent per istam, quomodo se gerere debeant; si clerici, quomodo viuant; & sic de alijs: Item præest vtilitate, quia *volucres Cœli habitant*, idest omnes qui habent animum in cœlis; Philipp. 3. *nostra conuersatio in Cœlis est:* 2. ad Corinth. 4. *non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur.* Adde mi lector; Coloss. 1. *verbum veritatis Euangelij, in vniuerso Mundo est, & fructificat & crescit:* item Galat. 2. *quibus neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos:* item ex Boetio *catholicum* sonat *vniuersale, propter vniuersalium præcepta regularum.* Quid mirum si ramos expandat? in quibus *habitent volucres.* Meditantur, inquit Angelicus, & quiescunt. Tandem *volucres*, aio ipse, quia Iob 7. *homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum.* Chrysostomus exponit R de Apostolis, quos comparauit grano sinapis, quia erant spiritu feruentes. Hilarius exponit de Christo, quòd fuerit granum sinapis propter feruorem, quia plenus Spiritu-Sancto; & pro ramis Apostolos virtute Christi protensos subinde intelligit. Per *volucres Cœli* Gentes, quæ ad eos in spem vitæ aduolabant, & aurarum turbine, idest Diaboli spiritu flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris conquiescebant. Ita ex Catena; vbi Gregorius *sanctas* item *animas* volucrum nomine accipit; & Hieronymus ad primam expositionem *fortitudines* etiam *Dei seruitio mancipatas* sentit. Quòd si obijcias supra Dæmonia per volucres significata. Respondeo, vtique, per volucres immundas, quæ conculcatum etiam semen lutoque mersum rapiant: at hæ volucres ima fugiunt ne sordidentur. Facit huc quod ait Augustinus in psalm. 103. multæ aues habitant in campis, multæ in conuallibus. Et legens ibi *super montes volucres Cœli habitabunt, Montes*, inquit, *Apostoli, montes omnes prædicatores veritatis. Quicumque vult esse spiritalis, ibi inhabitet, non in corde suo aberret.*

O D.Th. hic.

P D.Th. hic.

Q D.Th. hic.

R D.Th. hic & Io. 12. l. 4. lit. c.

17. Requires, cur Dominus hanc & sequentes parabolas non exposuit; sicuti edisseruit primam ac etiam secundam? Respondeo ex eo quòd animaduertit Angelicus in Apocalypsin; S nimirum aliqua exponi in hæc verba; *septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum; & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt:* vbi Haymo; *quædam exposuit, quædam signauit; quia si liber ex toto esset clausus, tæderet nos legere; si ex toto apertus, minùs studiosè legeremur.* Dominus propter maleuolos non vult omnia esse aperta. Considero adhuc priùs motu proprio exposuisse Dominum primam; deinde secundam petentibus discipulis: fortasse, vt inde intelligas, quia *omnis sapientia*, (Ecclesiastici 1.) *à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum;* & quia nos gratiæ suæ donis præuenit. Quocirca ne desides torpeamus, deinde discipuli accedentes ad eum dicunt; *edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et benè *accesserunt*; quoniam Deuter. 33. *qui appropinquat pedibus eius, accipient de doctrina illius;* & quoniam (Prouerb. 11.) *vbi humilitas, ibi & sapientia:* benè iterum *accesserunt* iuxta illud psalm. 33. *accedite ad eum & illuminamini.* Hinc quemadmodum notat ad Apocalypsis initium; *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis:* T vel in quantùm beatus Ioannes hæc exposuit fidelibus; vel ipsi Spiritu illuminante intellexerunt. Sic fas est, & in præsenti de Saluatoris discipulis opinari: habeturque ex contextu v. 51. *intellexistis hæc omnia? dicunt ei; etiam. Vnde, & ait illis, omnis Scriba doctus in regno Cœlorum* &c. Quare autem ferat Matthæus, sic post quartam parabolam, petijsse discipulos de secunda: & quare sacræ psalmodiæ auctoritatem inducat, *aperiam* psal. 77. *in parabolis os meum* &c. in Syntaxi scrutabimur.

S Apoc. cap. 1. in calce.

T Apoc. 1.

VERS. XXXIII. *Simile est Regnum Cœlorum fermento;* &c.

18. Primam accipe ex Diuo Bernardo expositionem; qui V in lib. 5. *de consideratione* dicit; *Dei sapientiam esse illam mulierem euangelicam, quæ fermento fidei gloriosæ Virginis, tria sata commiscuit;* (idest ordinauit in vnionem) *scilicet nouum antiquum & æternum: nouum in creatione animæ de nihilo; antiquum in assumptione corporis de natura Adæ; æternum in vnione Deitatis.* Plures vide Sanctorum Patrum expositiones in Catena; & hic in Diuo Thoma. Hilarius exponit de Christo, qui est fermentum, quod per prouidentiam Patris absconsum est in lege triplici, naturæ, Mosaica & Euangelica: seu potiùs, *in lege Prophetis & Euangelio; quæ cuncta fecit vnum; vt quod lex constituit, Prophetæque nunciauerunt, idipsum Euangeliorum profectibus expleatur. Satum* ex Hieronymo, *est genus mensuræ iuxta morem Prouinciæ Palæstinæ, vnum modium & dimidium accipiens.* Modius hebraicè *Ephi*. Secundùm Rabi Salomonem *Ephi* continet tria Sata: & Satum continet centum quadraginta quatuor ova, vt ille ait. Arcta esset mensura.

V 3. sent. 4. q. 1. a. 1. 3. 2.

VERS. XXXIV. *Sine parabolis non loquebatur eis.*

19. Secundùm Chrysostomum X intelligendum est, quantùm ad istum sermonem: quamuis aliàs sine parabolis multa turbis locutus fuerit. Vel secundùm Augustinum in lib. de Quæstionibus Euangelistarum, hoc dicitur, non quia nihil propriè locutus est; sed quia nullum ferè sermonem explicauit, vbi non per parabolam aliquid significauerit; quamuis in eo aliqua propriè dixerit. Adnecte quod legi-

X 3. p. 42. 3. 1.

tur Ioann. 16. *hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciabo vobis.* Et paulo post, *discipuli dicunt ei; ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.* Vbi etiam probat, A referri posse ly *prouerbijs*, seu parabolicis locutionibus, ad totum quod in Ioannis Euangelio legitur, de doctrina Christi. Sanè cùm parabola sit *sensus transumptiuus*, vt ait Origenes, quid est in verbis Domini, quod ad altiorem nos non subducat intelligentiam?

A Ioan. 16. l. 7.

VERS. XXXV. *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione Mundi.*

20. Accipiuntur verba hæc communiter ex psalm. 77. *aperiam in parabolis os meum;* (quas pro figuris intelligit Augustinus) *loquar propositiones ab initio.* Veruntamen, hemistichium secundum, variè legitur in Matthæo; nimirum *eructabo abscondita à constitutione Mundi.* Quare videtur Matthæus qualificare parabolas ex earum altissimo sensu, dicens *eructabo abscondita à constitutione Mundi;* non secus ac Ephes. 3. *quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo:* immo & ante sæcula, iuxta illud 1. Corinth. 2. *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam prædestinauit Deus ante sæcula.* Dicit autem Matthæus *eructabo*, eoquòd propheticum Dauid vaticinium appropriat Christo, cuius ille palam fuit typus; quia *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi;* Coloss. 2. Et eructatio B ex nimia plenitudine siue repletione procedit; nam *ex abundantia cordis os loquitur.* Et ita *eructauit cor meum verbum bonum.* Adnecte; Iob 28. *abscondita produxit in lucem:* Ephes. 3. *alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu; gentes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis eius.* Quæ recolens Angelicus in psalmum C cuius titulus; *pro arcanis* ait; arcana à principio abscondita sunt, quòd filius Dei factus est homo; quòd Deus moreretur; quòd Gentes conuerterentur ad Christum. Mirè autem præ alijs Dauid allegatur contextus, quia vt retuli D ipse pleniùs cognouit & expressit mysteria incarnationis Christi. Omnia enim, quæ ad fidem E incarnationis pertinent, sic dilucidè tradit in psalmis, vt ferè videatur Euangelium, & non Prophetia. Quid mirum, si ad hoc innuendum Propheta hic antonomasticè à Matthæo propter hanc præexcellentiam nuncupatur? Et quia, vt ibidem docet Angelicus, Dauid in psal. de omni opere Dei tractat; iuxta quod Ecclesiastici 47. de eo dicitur; *in omni opere suo dedit confessionem Sancto, & excelso in verbo gloriæ;* & quidem completè: nimirum de opere creationis, de opere gubernationis, de opere reparationis, denique de opere glorificationis, vt eo erudimur in Prologo: ecce quadruplicem Domini parabolam præmissam antequam ipsius inducatur auctoritas; quo, vt opinor, quadruplici illi operi respondeatur.

B psal. 44. C psal. 45. D 2. 2. 174. 4. 1. E Prologo psal.

21. In prima *exijt*, inquit, *qui seminat seminare semen suum.* Benè exijsse dicitur; quia opus creationis *ad extra est.* Facit ad rem, quod ait Paulus Act. 17. *fecitque ex vno, omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ.* Ieremiæ 2. *ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum:* semen autem *suum;* quemadmodum ibidem Apostolus; *ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei.* Quid mirum, si interloquens Dominus expositionem parabolæ, de semine ad homines transeat disseminatos, dicens masculino genere; hic est *qui secus viam seminatus est:* & sic de alijs. In secunda, de semine in agro & de zizanijs. Ecce ad gubernationem. Et huc facit quod habet Augustinus Tract. 24. in Ioannem: *maius miraculum est gubernatio totius Mundi, quàm saturatio quinque millium hominum de quinque panibus. Quis enim & nunc pascit vniuersum Mundum, nisi ille, qui de paucis granis segetes creat?* In tertia de grano sinapis; *quod minimum quidem est omnibus seminibus* &c. Et ecce opus reparationis; iuxta quod exponit Hilarius dicens; *granum hoc, postquam in agro seminatum fuit, idest, vbi à populo comprehensus & traditur morti tanquam in agro fuit, satione quadam corporis consepultus, vltra mensuram omnium olerum excreuit, & vniuersam Prophetarum gloriam excessit.* Gregorius etiam 19. moralium; *ipse quidem est granum sinapis, qui in horto sepulturæ plantatus arbor magna surrexit; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maiestatis.* Et hac sationis metaphora vtitur & Apostolus 1. Corinth. 15. sæpè, ad firmandam resurrectionem; *seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute.* In quarta de *fermento in satis, donec fermentatum sit totum:* Et ecce de opere glorificationis; nam cùm fermentum significet F charitatem; si debet aliquando fermentari totum, indicatur de charitate Patriæ: nam quòd totum cor hominis G actualiter semper feratur in Deum, perfectio est charitatis Patriæ, quæ in hac vita haberi non potest. Neque enim Deus H in hac vita potest totaliter amari: neque perfectè præceptum I de Dei dilectione, nisi in Patria impleri. Nota ad hæc ex Isaiæ 31. *dixit Dominus, cuius ignis est in Sion;* scilicet in Ecclesia militante: *& caminus eius in Ierusalem;* idest in pace cœlestis Patriæ. Ita ad Corinthios. Et ita Gregorius Hom. 14. super Ezechielem; *cum quis ipsum quem amat viderit, in amore ipsius ampliùs ignescit.* Quamuis autem sic tangatur in hac quarta parabola, expressiùs occasionem nactus id enucleat in expositione secundæ dicens: *tunc iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* Et quoniam arcana & abscondita tria memorantur vbi supra psal. 45. à Sancto Doctore, ecce eadem per tres parabolas insinuari: nimirum quòd *filius Dei factus sit homo;* dum inquit, *simile factum est Regnum Cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo:* vbi mirè considerandum est ly *factum est:* quandoquidem in sex alijs, semper ait; *simile est;* sed quia pro nobis *homo factus est: qui factus est ei*, Rom. 1. *ex semine Dauid secundùm carnem:* ideo ait *factum.* Deinde quòd *mortuus sit:* ecce de *grano sinapis; quod minimum quidem est omnibus seminibus:* nam *humiliauit semetipsum*, Philipp. 2. *factus obediens vsque ad mortem; propter quod & Deus exaltauit illum:* Vnde & hìc sequitur; *cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus:* iuxta illud *donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Denique quòd *Gentes conuerterentur ad Christum:* & ecce de *farinæ satis tribus* fermentandis; Rom. 11. *donec plenitudo Gentium intraret.* Consectarium autem est triplici huic concinenti interpretationi, vt prima parabola referatur ad tempus quod antecessit incarnationem, affinisque esse intelligatur alteri Matthæi 20. parabolæ de Patre-familias, qui *exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Vbi Gregorius; *quis Patris-familias similitudinem rectiùs tenet, quàm Conditor noster? qui nullo tempore destitit operarios mittere in vineam suam; in vniuersalem scilicet Ecclesiam.* Ecce quomodo & hìc *exijt* inquit, &c. & vniuersaliter vbique seminat.

F 3. p. 74. 4. 1. G 2. 2. 24. 8. c. & q. 44. 4. 2. H 2. 2. 27. 5. I 2. 2. 44. 6. 1. Cor. 13. l. 5.

VERS. XLIV. *Simile est Regnum Cælorum thesauro, &c.*

22. Exponit in primis de animabus; L thesauri enim sunt animæ; 2. Corinth. 4. *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Item de abscondendo bono

L Apoc. 3. Com. post initium.

M Matth. 2. ibi apertis thesauris, & opusc. 58. 8. N opusc. 41. l. 5. c. 62. O Rom. 10. l. 3. Apoc. 21. com. 1. ibi verba Prophetæ. P Genes. 23.

bono opere M *in agro*, idest in corde: & ita Gregorius; *sic sit opus in publico, vt tamen intentio maneat in occulto*: Item de custodienda virginitate, quæ N propter speciositatem thesaurus dicitur: absconditus est hic thesaurus in agro corporis nostri. Exponit etiam de Christi Domini per fidei assensum inuentione; O iuxta illud Isaiæ 64. *inuentus sum à non quærentibus me*, scilicet à Gentibus. In Apoc. *thesaurum* dicit verbum Dei, *absconditum in agro*, idest in litera vel libro. Præterea memoria illud recipit custodiendum, est enim veluti Arca in qua reconditur. Mysticè etiam ager iste P est hæc vel illa Religio, quæ tanquam ager thesaurum habens emitur, ex venditione omnium; (*vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum*) idest abnegat quadruplicem appetitum, dominandi, habendi seu possidendi, delectandi, & sciendi, prout sonant in præsumptionem, curiositatem seu vanitatem. Superest de rebus inuentis doctrina, quæ hujusmodi est. Q Quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli & gemmæ: & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor. Nisi quòd secundum leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem Domino agri, si in alieno agro inuenerit. Propter quod in parabola Matthæi 13. dicitur de inuentore thesauri *absconditi in agro*, quòd *emit agrum illum*, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurum. Quædam verò res inuentæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis. Et tunc, si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi Domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et similiter si pro derelictis habeantur, & hoc credat inuentor, licet sibi eas retineat, non committit furtum. Aliàs autem committitur peccatum furti. Vnde Augustinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. quæst. 5. *si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti*.

Q 2. 2. 66. 5. 2.

VERS. XLVI. *Inuenta autem vna pretiosa margarita*; &c.

23. Docemur quàm feruenter in diuina ferri debeamus: R in hoc enim consistit perfectio, vt mens hominis Deo vacet. Ex quo fit, vt omnia, quæ amorem & desiderium diuinorum retardare possunt, abijciantur; non solùm rerum cura, & vxoris & filiorum affectus, sed etiam sui ipsius. Hic est sensus parabolæ apud D. Thomam: qui ibidem consonam adducit sententiam; Cant. 8. *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. Seu vt ipse exponit, ad mercandam dilectionem, quasi nihil computabit eam. Alibi ad illa verba S, *suadeo tibi emere aurum ignitum*, exponit id fieri, per industriam liberi arbitrij, & fructum pœnitentiæ. Bona, inquit, talis negotiatio, Lucæ 19. *negotiamini dum venio*. Sed & hic *homini negotiatori*. Mirabiliter autem in Sermone T Christo Domino parabolam appropriat. Margarita, inquit, dicitur propter quinque, primò quia paruus per humilitatem; candidus propter puritatem; solidus per sanctitatem; pretiosus per Deitatem; denique rore Cœli conceptus, idest operatione Spiritus-Sancti. Inuenitur margarita in profundo maris, in ventre piscis, & in mensa campsoris. Christus inuenitur in mari, idest in Maria per incarnationem; in pisce, idest in homine per vnionem; in altari per Sacramenti transubstantiationem. Deinde quæ prius quinque dixit complectitur vna Apostoli sententia Hebræor. 7. *talis decebat, vt esset nobis Pontifex, sanctus*, quoad soliditatem; *innocens*, quoad humilitatem; *impollutus*, quoad puritatem; *segregatus à peccatoribus*, quoad conceptionem; *excelsior Cœlis factus*, quoad pretiositatem Deitatis. Emitur autem triplici denario: æneus est substantia Mundi: qui dat diuitias pro illa margarita, emit eam, per renunciationem diuitiarum; argenteum dat, qui dat corpus, per corporis mortificationem; aureum, qui dat & animam; Lucæ 9. *si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, &c.

R 1. cont. Gent. c. 18. S Apoc. 3. Comm. 2. T in lectio S. Margarita.

VERS. XLVII. *Simile est Regnum Cœlorum sagenæ*, &c.

Supra cap. 4. piscibus comparantur homines; *faciam vos fieri piscatores hominum*. Pisces V diuersa genera hominum. Significat autem sagena, vocationem ad fidem, ad quam omnes X vocantur, boni & mali; deinde segregandi; *elegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt*. Sic & infra cap. 22. *congregauerunt omnes quos inuenerunt malos & bonos*.

V opusc. 58. 21. X pl. 41. lit. c.

VERS. XLIX. *Exibunt Angeli*, &c.

Angelus tripliciter affliget malos; A primò ad iudicium trahendo: & hoc sonat ly *exibunt Angeli*; vt scilicet portent malos ante Iudicem: non enim possent per se tam cito venire, cum sint corpora eorum grauia: secundò à bonis separando; *& separabunt*: tertiò in ignem æternum mittendo; *& mittent eos in caminum ignis*. Ibi *fletus*, &c.

A Serm. Domin. 2. Aduent.

VERS. LI. *Intellexistis hæc omnia?*

Iam dixi supra, credendum Apostolos cuncta quæ locutus est, affluente diuino lumine eius, per quem *gratia & veritas facta est* Ioan. 1. apprimè percepisse: siue quia vt ait Marcus cap. 4. *seorsum discipulis suis disserebat omnia*; futuri enim erant Magistri aliorum, quod ait Hieronymus. Fortè ne quis vnquam de apostolica doctrina auderet dubitare; quam ipse hic probat: siue noui siue veteris Testamenti doctrina sit. Hinc Ephes. 3. *alijs generationibus non est agnitum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius*. Interrogat autem eos; *intellexistis hæc omnia?* non quia nesciret quam illis donauerat lucem; sed quo discant humiles, non id esse virtutis, vt neget quis Dei dona; 1. Corinth. 2. *vt sciamus* B *quæ à Deo donata sunt nobis*: & præterea quia beneficia hominibus à Deo collata, per Spiritum-Sanctum C viris sanctis reuelantur. Benè ergo respondent ore vno, quoniam vna est apostolica doctrina: *etiam*. Martha feruore, rogata *credis hoc?* respondit *vtique Domine*, &c. Chananæa subiecit; *etiam Domine*. Apostoli, humilitatis prototypi, cuius est ex Diuo Benedicto D taciturnitas vsque ad interrogationem, paucaque verba proferre, respondent voculam vnam *etiam*: quæ sonat affirmationem, aut *quinimmo*. Quàm aptè pergit Dominus causalem exprimens, cur edocti sint, humilitatem scilicet dicens illis; *ideo*, nimirum hac de causa; *omnis Scriba doctus*. Aiebat Bernardus; *superbo oculo veritas non videtur*. Non modò autem, prout plana est litera, de quocumque Scriba intelligendum velim, quod asserit; *omnis Scriba doctus*, vt sonet, aliàs neminem Scribam sic appellari posse doctum, nisi thesauro spiritali scientiæ locuples sit, proferatque *noua & vetera*; (vetera fuere nouorum parabolæ; vetusque Testamentum parabola futuri noui; Hebr. 11. *Abraham Isaac in parabolam accepit*) sed optarim collectiuè legi; tunc enim omnium Scribarum scientiam sapientiamque complexu quodam tenet, estque quis omnis Scriba, cum profert *de thesauro suo noua & vetera*: ad eum sensum, quo Ecclesiastes vltimo legimus; *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo*. Sic, proferri *noua & vetera*, (summè quidem appretianda, dum constant thesaurum) est esse omnem Scribam doctum: Ecclesiast. 16. *melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij*: ergo & hic potest dici *omnis homo*. Pulcherrima facit huc Leonis Papæ in *Serm. de transfiguratione* sententia: *quid hoc stabilius*,

24.

B 2. 2. 161. 3. C p. p. 23. 1. 4. D 2. 2. 161. 6. 1.

quid firmius verbo, in cuius prædicatione, veteris & noui Testamenti concinit tuba, & cum euangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? Astipulantur enim sibi inuicem vtriusque fœderis paginæ, & quem sub velamine mysteriorum præcedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit. Dicit autem *doctus in Regno Cœlorum*, quia & Paulus 1. ad Corinth. 2. aiebat; *quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed*
E 1.Cor. 2. l.3. *in doctrina spiritus*: idest; non nitimur E ad probandam nostram doctrinam per verba composita ex humana sapientia; siue quantùm ad ornatum verborum, siue quantùm ad subtilitatem rationum. Scri-
F D.Th. hic. ba etiam sonat Notarium F, & ita ex officio; quia scripserunt in tabulis cordis sui. Animaduerte, quàm fidelia sunt quæ proferunt, quàm accuratè scribantur. Habent quippe Christi auctoritatem: infra cap.23. *ecce ego mitto ad vos sapientes & Scribas*: nota ly *ego*. Idcirco dicuntur ei similes; *similis est homini Patri-familias*. De seruo fideli habet Hilarius in Matthæum; *si doctrinæ opportunitate ac veritate, infirma confirmet, disrupta consolidet, deprauata conuertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat*; &c. Se ipsum autem intelligit pro Patre-familias; iuxta illud supra cap.10. *si Patrem-familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Ipse autem protulit *noua & vetera*; quia supra cap. 5. *non veni soluere legem, sed adimplere*. Ad hæc Gregorius Hom.19. in Euang. *quis vero Patris-familias similitudinem rectiùs tenet, quàm Conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc Mundo possidet, quasi subiectos Dominus in domo*. Humanæ naturæ etiam videtur innuere prædicandum mysterium, cui vetera præluserunt, dum se Patrem-familias, familiarem sine dubio domesticumque hominibus facit; iuxta illud Baruch.3. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Vnde & nos, Ephes. 2. *iam non sumus hospites & aduenæ, sed sumus ciues sanctorum & domestici Dei*. Supra cap. 10. *quanto magis domesticos eius?* Amantissimum autem Patris amorem amanter iactat, vt reciprocè amorem extorqueat: Ioan. 16. *ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*. Et in hoc suggerit esse legem Euangelicam legem amoris. In quo explicatur quid sint noua: nam vt ex Augustino sæpè; *breuis est differentia legis & Euangelij; timor & amor*. Vnde Gregorius; *ille in sancta Ecclesia doctus Prædicator est, qui & noua scit proferre de suauitate Regni, & vetusta dicere de terrore supplicij, vt vel pœnæ terreant, quos præmia non inuitant*.
G Apoc. 8.Comm. 1. Hinc ad illud *vt tuba canerent*; G quia etsi prædicatio quandoque terrere debeat, tamen etiam debet allicere ad amorem. Quantùm ad incussionem timoris, officium prædicandi siue prædicatio dicitur tuba; quantum ad secundum, vocatur prædicatio cantus. Sic & Chrysostomus homil. 57. in Matthæum; *Regnum & gehennam designauit; & cùm de vtrisque dissereret; Regnum quidem, vt oculis cernatur, concedit, gehennam autem minimè; quoniam rudioribus atque ineptioribus illud necessarium fuisset; sed cum illi probi essent ac perspicaces, satis fuit eos à melioribus confirmari*. Denique alibi Angelicus nempe 1. ad Timoth. 2. l. 2. scientia, quam Doctor in discipulo generat, non est de falsis. Vnde docens falsum non est Doctor. Benè ergo ait *Scriba doctus*.

VERS. LIV. *Docebat eos in Synagogis eorum*, &c.

25. Marcus ex cap. 4. & Lucas ex cap. 8. post parabolas, alia plura interserunt: inter quæ est Iesu dormitio in Naui, & miraculum expulsorum dæmoniorum, quæ Matthæus superiùs cap. 8. prænarrauit, quod & animaduertit *de consensu Euang.* Augustinus. Grandis & mira certè dispositionis factorum enarratio. Ordinem historiæ Marco & Lucæ potiùs adiudicat, quàm Matthæo idem Augustinus. Sed cur Matthæus præcurrerit in eo cap.8. de naui & dæmonijs, sola Syntaxis enucleat, quæ radix est vniuersæ quamuis diuersa narratione concordiæ. Quemadmodum, & cur Matthæus statim hoc adiecerit; quod Marcus tot interiectis, differt vsque ad cap.6. referre, Deo dante Syntaxis eiusdem studium qualecumque nostrum aperiet. Interim si scire velint *vnde huic sapientia hæc & virtutes?* legant Isaiæ 11. *requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientientiæ & intellectus*: &c.

VERS. LV. *Nonne hic est Fabri filius?*

Ioseph secundum Chrysostomum H non fuit faber ferrarius, etsi Ambrosius & Hilarius ita puta- 26. H Supra c.1.& hic.
rint, sed lignarius, vt sentit idem Chrysostomus & alij passim. Hugo credit murarium vel aurificem. Iustinus contra Tryphonem inquit; *erat Christus aratra & iuga boum conficiens*. & quia Marci 6. dixerunt Iudæi, *nonne hic est faber?* videtur Christum cum Ioseph exercuisse artem illam. Cohæret 1. Corinth. 3. *Dei agricultura estis*; & signat Christum, qui per lignum Crucis omnia restaurauit. Aliàs filius est fabri, qui psal. 73. *fabricatus est auroram & solem*. Augustinus ad hæc; *est autem Pater Christi faber Deus, qui totius Mundi opera fabricatus est; Arcam Noe disposuit; Moysi tabernaculum ordinauit; Arcam testamenti instituit. Fabrum dixeris, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes superbas excidit*. Deinde in *Serm. Domin. infra oct. Epiph.* disertiùs; *ipse est artifex, qui huius Mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricauit; tanquam sapiens Architectus Cœlum sublimitate suspendit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit. Ipse artifex, qui in nostris moribus præcidit superflua opera, vtiliaque conseruat. Ipse est artifex, cuius securim ad radicem nostram positam Ioannes Baptista comminatur*; &c. Chrysostomus eos sic increpat; *per omnia ergo erant insensati vilipendentes eum ab eo, qui æstimabatur esse Pater; quamuis multa horum exempla habentes in antiquis temporibus, & Patrum ignobilium nobiles videntes filios: etenim Dauid cuiusdam agricolæ Iesse fuit filius, & Amos cuiusdam Pastoris; & ipse Pastor*. Adde ideo quòd filius viri pauperis videretur scandalizatos, quia non recolebant Zachariæ 9. prædictum esse: *ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluator: ipse pauper*. Bernardus hom. 2. super *Missus*, ipsius considerans nobilitatem ait; *verè de regia stirpe descendit vir iste Ioseph; de domo Dauid*.

VERS. eodem. *Nonne fratres eius Iacobus & Ioseph, Simon & Iudas?*

De fraternitate hac dictum est satis ad calcem capitis præcedentis duodecimi. Veruntamen quoniam 27.
adhuc erudiri possumus de huiusmodi cognatione, sciendum est, secundum Egesippum, quem refert Eusebius lib. 3. *Ecclesiasticæ historiæ* cap.11. Cleopham siue Alphæum fratrem germanum fuisse Sancti Ioseph sponsi Dominæ nostræ. Apud Sanctum Thomam primo ad Galat. lect. 5. Alphæus fuit de cognatione Sancti Ioseph. Alibi I non improbat I Ioann 19. l.4.
Cleopham fuisse Patrem Alphæi. Vtcumque fuerit, euincitur Iacobus *minor* (sic dictus L eo quòd L Gal. 5. l. 5.
vocatus fuerit post Iacobum alium: fratrem germanum Ioannis Euangelistæ filiumque Zebedæi ex Salome) fuisse de Ioseph cognatione propter Alphæum, qui cognatus fuit Ioseph ex Diuo Thoma nuper relato ad Galatas: nam semper dicitur *Iacobus Alphæi*, vt patet Matthæi 10. v.3. Marci 5. v.18. Lucæ 6. v.15.

& Act. 1. v. 13. Qui Alphæus proinde sine dubio fuit eius Pater; vel propter Cleopham: nam Mater Iacobi huius minoris; (*Maria Iacobi Minoris*, Marci 15. v. 40. & Lucæ 24. *Maria Iacobi*) dicitur à Ioanne Euangelista c. 19. *Maria Cleophæ*; certè vel quia nupserat & Cleophæ, vt diximus ex Diuo Thoma; vel quia etsi semel habuerit maritum Alphæum; Cleophas fuit socer eiusdem Mariæ, quia Pater Alphæi. Cùm ergo incertum sit, an Maria hæc *soror Matris* Virginis, vt ait Ioannes, habuerit duos viros; (quod opinatur Diuus Thomas) ex altera parte certum sit habuisse *Alphæum*, quia Iacobus, cuius ille est Pater, semper dicitur *Alphæi*, claret, vnde potuerit Iacobus iste minor dici specialiter *frater Domini*, vt ad Gal. 1. & Act. 12. nimirum consobrinus Domini, propter duas sorores, Mariam Virginem, & sororem eius quam sortitus est Matrem; & rursum patruelis cum Christo Domino propter Cleopham, qui traditur frater germanus Sancti Ioseph, vt dictum est, quique Iacobi credendus venit Auus paternus. Vnde Sanctus Ioseph erat ei *Patruus magnus*, nempe frater Aui, & Sanctissima Virgo erat ei *matertera*. Alij qui communiter creduntur fratres germani, nempe Iudas seu Thaddæus, Simeon & Ioseph, germani inquam Sancti huius Iacobi minoris, potuerunt esse ex alio Mariæ Iacobi marito: & ducor hanc in opinionem, quia cum numerantur Apostoli ab Euangelistis, Andreas vtrique dicitur frater Petri, Ioannes item Euangelista frater Iacobi maioris, sed nunquam ibidem Thaddæus, dicitur Iacobi huius minoris de Alphæo, frater. Argumento certè non contemnendo, quòd frater non fuerit ex Patre eodem, sed solùm vterinus ex Matre. Et ita interpretari deceat quod ipsemet Iudas, seu Thaddæus scribit in fronte suæ Canonicæ; *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi*. An autem Maria horum etiam Mater, soror Matris Domini, fuerit vterina soror, vel etiam ex eodem Patre, non constat: quamuis, vt dictum est ad caput proximum, crediderint aliqui Sanctam Annam ex Ioachim peperisse Mariam semper Virginem, ex Cleopha alteram Mariam: quod tamen verisimile est; nam aliàs si ex eodem coniuge vtramque peperisset, non eam vocasset eodem nomine Mariam, ne foret confusio nominum in filiabus suis accersendis. En igitur, vnde poterunt memorati hi, fratres Domini dici; ipseque, vt scribit Marcus, è conuerso horum dici frater: non quia ex Maria semper Virgine Spiritus-Sancti sacrario, sed quia sobrini & agnati. D. Damascenus orat. 2. de dormitione Deiparæ, vbi Virginem post partum etiam prædicat, de Iacobo hoc fratre Domini meminit. Et vis textus id probat; cùm enim inductionem hanc fecerint Iudæi, ad minuendam Domini gloriam, non domum Ioseph duntaxat sed parentelæ & cognationis eius conditionem, vt vndequaque vilipenderet, ceu vilem ceu abiectam, prodere studuerunt. Quemadmodum enim consanguineorum nobilitas splendorem auget familiæ, ita affinium consanguineorumque paupertas ac inæstimabilitas obscurum hominem reddit. Sic dum subdunt increduli; *& sorores eius, nonne omnes apud nos sunt?* simili intelligentia accipiendum est. Quas quidem nominatim fuisse Esther, & Thamar Hippolytus ac Nicephorus, teste Melchiore Cano *de locis*, lib. 11. c. 5. produnt. Tirinus Ioannis 19. dicit Mariam appellari sororem Matris Iesu, iure coniugij inter ipsam & Cleopham, quem fratrem facit Sancti Iosephi Sponsi Beatæ Virginis.

VERS. LVII. *Non est Propheta sine honore, nisi in Patria sua, & in domo sua.*

28. Christum Dominum promeruisse Prophetæ munia M indubitatum est. De eo enim interpretatur, quod scribitur Deuteronomij 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus*; quod expendit Apostolus Petrus in Christi Domini encomium Actor. 3. Et Stephanus similiter c. 7. ea quippe quæ procul erant ab aliorum viatorum notitia, & cognoscebat & annunciabat. Quoniam autem multifariam Propheta quis dicitur; N nimirum etiam qui exponit dicta Prophetarum, quia Scripturæ eodem spiritu interpretatæ sunt, quo sunt editæ; item ex miraculorum operatione; secùndum illud Eccl. 48. de Eliseo; *mortuum prophetauit corpus eius*; idest miraculum fecit; ideo prout mihi visum est; scandalizatis ob virtutes quas faciebat, obijcit Prophetæ nomen; vt videant, se omnia miracula calumniari. Ex quo quidem notat Euangelista, non fecisse ibi virtutes multas, idque *ob incredulitatem eorum*; Dæmonum incredulitate peiorem; nam etsi non fide infusa, coacti signorum euidentia, O vt dicitur Iacobi 2. *credunt & contremiscunt*. Licèt autem aliqui Prophetæ legantur in Patria sua honorati; secundum Chrysostomum cùm loquatur Dominus, prout in pluribus; non obstat alicuius singularis instantia, quin pronunciatum P sit verum. Quandoquidem in naturalibus & moralibus, regula eorum, quæ vt in pluribus verificatur, est vera: & si in aliquo particulari aliter fit, non reputatur falsa. Ad hæc Act. 7. *quem Prophetarum persecuti non sunt Patres vestri?* & Matthæi 23. *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas*. Et Iacobus c. 5. *exemplum accipite fratres exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas*. Et de Prophetis loquitur Apostolus Hebr. 11. eorum percensens ærumnas; *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt secti sunt*; &c. Quæ cum ita sint; atque secundum Hilarium indicare voluerit Dominus *se in Iudæa vsque ad Crucis sententiam condemnandum*, videtur figura *lytote*, qua minus dicitur, sed plus intelligitur, respondisse; vt summam inhonorationem, (cui & præluserant alibi Ioann. 8. *& vos inhonorastis me*) summum immo dedecus, quod ab eis se tanquam Propheta prænouerat passurum, significaret. Erat enim ab eis (Sap. 2.) *morte turpissima condemnandus*, tanti certè opprobrij, vt lignum tangere horrerent; vnde *baiulans sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus*. Sed ipse *humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis*; Philip. 2. in qua nudus pendens, mortem sustinuit, Hebr. 12. *confusione contempta*. Verè Propheta præscius, quoniam, *Deus propter hoc exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*. Nomen scilicet salutare, quod est *Iesu*, quæ causa fuit mortis eius. Matthæi 27. *imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam*; secundum Ioannis relatum c. 19. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*; vt Patriæ adhuc ingratæ Nazareth, (ad quam hic venit, teste Chrysostomo,) nec in morte esset immemor. Quanquam *in propria venerit, & sui eum non receperint*: nam *per inuidiam* Matthæi 27. *tradiderunt eum*; quod caput est ex Hieronymo, inhonorati suos inter ciues Prophetæ. Et ecce fortè, cur dicat nedum de Patria, sed & de domo sua; iuxta illud Zachariæ 13. *his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*. Qui locus de ipsius crucifixi plagis Q passim exponitur. Domus namque apud Lauretum *in Sylua* Iudæam etiam significat. Facit huc quod ait Gregorius hom. 6. *in Euang. visis tot signis, tantisque virtutibus, non scandalizari quisque potuit sed admirari; sed infidelium mens grauè in illo scandalum pertulit, cùm eum post tot miracula morientem vidit*. Apostolus; *Iudæis quidem scandalum*. Ecce in præsenti. *Vnde huic sapientia hæc & virtutes? & scandalizabantur in eo*. Quæ mirabilior futuris prælusio? Pergit Gregorius; *& inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde ei am-*

M 1. p. 7. 8. & hic, & Ioann. 4 l. 6.
N 1. Cor 14. l. 1.
O 2. 2. q. 5. 2. & q. 7. 1. & prius p. p. 64. 2. 5. & 2. 1. ad 2.
P Ioan. 4. l. 6.
Q Ps. 21. lit. Lopus. 58. 51.

ei ampliùs debitor fieri debuit; nam tanto Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quanto & pro hominibus indigna suscepit. Liceat illud *in domo eorum qui diligebant me*, exponere pro, *qui debuissent me diligere & honorare*; & tamen hic spretis ipsius natalibus dehonorant. Quid mirum, claudatur caput dicendo? *& non fecit ibi virtutes multas.* Vbi in Psal. 21. de se ipso ait Dominus; *aruit tanquam testa virtus mea:* considerat Angelicus, R floruisse in Christo ante passionem, operationem miraculorum; sed virtus hæc in passione aruit, quantùm ad opinionem eorum; vndè clamabant; *alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Quocirca Hieronymus (in Catena Matthæi 27.) *fraudulenta est promissio, cum addunt, & credimus ei. Resurrexit & non credidistis; ergo etsi de Cruce descenderet, non crederetis.* Ecce ad literam impræsentiarum, Matthæus aduocans nos per eadem prorsus verba ad Christi mortem; *non fecit*, inquit, *ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Nam quia increduli, necem ei intulerunt. Quare autem ad hæc deflectat texturam suam Matthæus, enucleabit Syntaxis. Et quomodo ad impetranda miracula requiratur fides, alibi. S

R Ps. 21. lit. l.

S De potentia q. 6. a. 9.

SYNTAXIS
Ad Caput Tertiumdecimum.

1. CVm in superioribus à capite 10. de Ecclesia deque ipsius Apostolico fundamento; de fide in qua fundatur etiam c. 11. atque de fidei Ecclesiæque hostibus, cùm quibus futura erat colluctatio, per caput 12. nunc de eiusdem Ecclesiæ dilatatione agendum supererat. Cuius quidem manifestissimus extat index in parabolis seminantis; iuxta quod & Apostolus aiebat; Coloss. 1. *verbum veritatis Euangelij in vniuerso Mundo est, & fructificat & crescit.* Commendatur A enim Christi doctrina à dilatatione: Psal. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum*; &c. Matthæi 24. *oportet hoc Euangelium Regni prædicari in vniuerso Orbe*; &c. Et ecce toties hoc in capite mentionem de Regno Cœlorum. Ordinatè ergo incedendo; est

A Colos. 1. l. a.

VERS. I. *In illo die exiens Iesus de Domo*; &c.

2. Præludat Angelicus, qui ex Sanctis Patribus ait; B mysticè per domum Iudæa intelligitur: (Nota tu quomodo cohærent initium finisque capitis, vbi & de domo, in qua Propheta duntaxat est sine honore) de qua exiens propter perfidiam venit ad mare, scilicet ad Gentes, quæ turbatæ erant, per infidelitatem: (Rabanus; *gentilium corda diu superba & incredula, meritò tumidis amarisque fluctibus maris assimilantur; domum verò Domini per fidem fuisse Iudæam, quis nesciat?*) infrà c. 23. *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; sicut Ieremiæ 12. *reliqui Domum meam*, &c. Mare dicitur Mundus; Psal. 103. *hoc mare magnum, & spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus.* Rabanus ad rem; *quòd ascendens Nauim sedebat in mari, significat, quòd Christus per fidem ascensurus erat in mentes Gentilium, & Ecclesiam collecturus in mari, idest in medio nationum contradicentium.* Exordium capitis huius mysterium prodit; legimus enim; *in illo die exiens Iesus de domo.* Ad literam Augustinus accipit ad signandam consecutionem horum ad præcedentia, vel vt more Scripturarum tempus significetur per diem. At cur non debuit præmitti & signanter *in illo die?* Quando implendum perhibebatur quod in Psal. 111. *exortum est in tenebris lumen rectis corde? & quidem misericors & miserator*, iuxta quod & Apostolus ad rem loquens ait; *dico enim*, Rom. 15. *Christum Iesum, ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum; Gentes autem super misericordia honorare Deum*; immò *& iustus Dominus*; quandoquidem C apprimè docemur in conuersione Gentium quoque iustitiam Dei apparere. Quare non memoraretur dies; *in die illo*; si Malachiæ vltimo legimus; *vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ?* Si Isaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam?* secundùm Haymonem, *gentilis*; si, *nox præcessit, dies autem appropinquauit*, ait Rom. 13. Apostolus; si Ioannis 8. & 9. *ego*, inquit, *sum lux Mundi*; si denique Isaiæ 49. palam dicitur; *dedi te in lucem Gentium. vt sis salus mea vsque ad extremum terræ:* Super illud Hebr. 3. *donec hodie cognominatur*; lect. 3. donec durat tempus gratiæ, quod est totum, sicut vnus dies: Ioan. 9. *me oportet operari, donec dies est.* Mirabiliter notat Chrysostomus relatus in Catena Marci 4. *sicut seminans non discernit terram subiectam, sed simpliciter & absque discretione semen mittit; sic & ipse omnes alloquitur.* Quo facit illud Petri Act. 15. *ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij & credere. Et qui nouit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis; & nihil discreuit inter nos & illos.* Hinc & Sanctus Beda, ibi Marci 4. *exijt ad seminandum, cum post vocatam, ad fidem suam, partem Synagogæ electam, ad vocationem quoque Gentium, gratiæ suæ dona diffudit.* Verùm non tam de Christo ipso in persona, quàm de Apostolis parabolam accipe; vt semper Christus ceu caput, vnumque cum suis mysticè membris, quod est Matthæi scopus, intelligatur exijsse. Hinc idem Beda; *relicta domo, cœpit docere ad mare, quia relicta Synagoga, ad colligenda per Apostolos populi gentilis multitudinem venit.* Mirè Angelicus; D sicut semen est principium propagationis, sic homines probi fundamentum sunt fidei: vnde ex Apostolis tota Ecclesia pullulauit; Isaiæ 1. *nisi Dominus reliquisset nobis semen*; & c. 6. *semen Sanctum erit, id quod steterit in ea.* Vbi Actor. 8. de fidelibus, etsi non de Apostolis, legimus, ingrauescente persecutione: *omnes dispersi sunt per regiones*; græcè habetur, E *disseminati sunt per regiones.* Quare interpretando parabolam tam de Apostolis, quàm de ob. untibus post eos munia Apostolica, apparet cur post neutrum genus de semine ad masculinum transeat sermo Domini; *hic est qui secus viam seminatus est; qui autem supra petrosa seminatus est*; qua phrasi dicendi, nedum seminati homines verbo Apostolico intelligi possunt, secundùm literæ parabolicæ superficiem, sed & ipsi Apostoli ac successores eorum, quasi metonymiæ figura. Vnde & hic infra v. 38. *bonum semen hi sunt filij Regni.* De his Isaiæ 27. *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob; florebit & germinabit Israel; & replebunt faciem orbis semine.* Supra quem locum Haymo, *Apostoli subitò vocati, & mox secuti Dominum, statim prædicare cœperunt, impleturi deinde orbem semine*; iuxta illud; *docete omnes Gentes* &c. Sic & apud D. Thomam F glossa.

B D. Th. hic.

C p. p. 20. 4. 2.

D D. Th. hic.

E Cant. 5.

F Opusc. 17. 10.

ſa. Licet autem aliquando apud eundem Sanctum Doctorem, ſicuti in quibuſdam Bibliorum exemplaribus legitur, *qui ingredientur impetu ad Iacob*, vt Iacob ſit terminus *ad quem*, frequentius tamen de egreſſu intelligit à Iacob, hoc eſt à Iudæa, quæ terminus edicatur *à quo*. Sic locis è regione, G Et fauet doctrinæ contextus; ex quo de Apoſtolis ait; iſti qui mittebantur, erant vnius Gentis, ſcilicet Iudææ, ſecundum illud Iſaiæ 27. *qui egredientur impetu à Iacob, implebunt faciem Orbis ſemine*. Sic & Zachariæ 6. *qui autem erant robuſtiſſimi exierunt, & quærebant diſcurrere per omnem terram*; quod gloſſa H de Apoſtolis & alijs prædicatoribus exponit. De his quippe Pſal. 18. *in omnem terram exiuit ſonus eorum*.

G Pſ. 17. lit. K. 3. ſent. d. 1. in exp. 1. & 2. 2. q. 176. 1.

H Opuſ. 19.18.

3. Et ecce mirè cohærere Matthæi verbum; *in illo die exiens Ieſus*: intellige per Apoſtolos, Prædicatoreſque fideles, cum quibus ceu cum membris caput eſt. (Matthæi perpetuus ſcopus.) Et fortè, vt animaduerteretur; non vſi ſunt hoc verbo *exijt Ieſus*, Marcus & Lucas, quamuis conueniant in ſequenti, *exijt qui ſeminat*, &c. quia reuera perſonaliter exierunt de Iudæa Apoſtoli; Act. 13. *ecce conuertimur ad Gentes*. Accipe autem quomodo vis parabolæ ſeminantis trahit ad Apoſtolos. Bis quippe miſit Apoſtolos; I primò ante paſſionem; ſupra c. 10. *in viam Gentium ne abieritis, ſed ite potius ad oues, quæ perierunt Domus Iſrael*. Quantùm ad hanc miſſionem, non miſſi ſunt ſeminare, ſed metere; Ioan. 4. *ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis*. Vbi ſecundùm Auguſtinum, & Chryſoſtomum, ſeminantes ſemen ſpirituale, fuerunt Patres veteris teſtamenti: Moyſes enim & Prophetæ verbum Dei ſeminauerunt in Iudæa. Vnde & ſecundùm Origenem, quia ſeminantes in quacumque facultate dicuntur illi, qui illius principia tradunt; ideo Prophetæ qui multa de diuinis tradiderunt, ſunt ſeminantes, Apoſtoli verò meſſores. Qui deinde, ait Angelicus, poſt reſurrectionem miſſi ad Gentes, miſſi ſunt de nouo ſeminare; Marci vltimo; *euntes in Mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ*. Et quænam (dic mi lector) exploſa eſt à beneficio ſeminis euangelici creatura, quando & *ſecus viam*, & *in petroſa, & inter ſpinas cecidit ſemen*? Eſt autem conſiderandum ly *cecidit* toties repetitum. Viſum fuit Theophylacto, vt dictum ſit quia *qui ſeminat, quantùm in ſe eſt, in terram bonam proijcit; ſed illa ſi ſit mala, corrumpit verbum*. Ideo ergo noluit dicere *proiecit*; quaſi ſi non fructificet, ſit ſeminator concauſa: Sed ipſe & in hac vocula *cecidit*, vniuerſam Euangelij introſpicio prædicationem. Certè ly *cecidit* ſonat præter intentionem. Fert Apoſtolus ad Philipp. 1. de quibuſdam, *qui ex contentione Chriſtum annunciabant*: in quantùm etſi veritatem prædicarent, L intendebant turbationem in populo gentili contra Apoſtolum facere, ſuſcitareque ei preſſuram. Sic ſubdit Angelicus, per occaſionem annunciat Chriſtum, qui non intendit hoc principaliter, ſed propter aliud, puta lucrum, vel gloriam. Ad hæc ibi Paulus; *quid enim? dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annunciatur*. Idem certè eſt dicere *per occaſionem*, ac præter intentionem; nam vbi Philoſophus l. 2. de *generatione* c. 3. dicit fœminam eſſe marem *occaſionatum*, M exponitur ac ſi dicat, *præter intentionem*. Adderem, certè ſi cadit, *præter intentionem* cadit; ergo *occaſionaliter*, quod idem eſt. Ecce quomodo in praxi Apoſtoli tempore ſemen *cecidit*, & hodie cadere dicendum eſt, cùm propter lucrum aut gloriam prædicatur. Occaſionaliter etiam quia ibi N ſubdit, malis etiam occaſionaliter ſequuntur bona. Paſſim quoque tradit Auguſtini doctrinam in Enchiridio c. 11. *Deus, cum ſit ſummè bonus, nullo modo fineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi eſſet adeo omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo*. Hoc ergo O ad infinitam Dei bonitatem pertinet, vt eſſe permittat mala, & ex ijs eliciat bona. Hinc pulchra eiuſdem Auguſtini ſententia ex loco P ad Philipp. *Paſtor qui propter veritatem annunciat, eſt amandus; mercenarius, qui propter lucrum, eſt tolerandus; qui falſus, expellendus*. Neſcio quid ad literam parabolæ opportunius; ſtatim enim de zizanijs alia attexitur, quæ comprobat, de bono Paſtore, & de mercenario præhabitum fuiſſe ſermonem, à quo cadit ſemen, quia non tam intendit prædicare, quàm lucrari. Sed nihilominus, & in eo à quo ſemen cecidit, ſeminat qui exijt vt ſeminaret, Chriſtus Dominus; qui ſuam ſic conteſtatur bonitatem, malis etiam in bonum vtens, quia *vult omnes homines* 1. ad Timot. 2. *ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Vbi ſtatim Paulus; *in quo poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus, Doctor Gentium in fide & veritate*: Sic tamen vt ab eius Apoſtolatu excluſi non eſſent Iudæi, præſertim qui inter Gentes habitabant. Vnde Rom. 11. de Iudæis; *ſi quo modo ſaluos faciam aliquos ex ipſis*; vt notat Angelicus ad Rom. cap. 1. l. 4. & cap. 11. l. 2. Quò etiam collimat præſens parabola. Sit ſubinde.

I Ioan. 4. l. 4.

L Philip. 1. l. 2. & 3. ac 2. 2. 38. a. 1. ad 2.

M p. p. 99. 2. 1.

N 2. 2. c. 12.

O p. p. q. 1. 3. 1.

P Philip. 1. l. 3.

VERS. XI. *Quia vobis datum eſt noſſe*, &c.

4. Totum quod eloquio Domini dicitur vſque ad parabolæ expoſitionem complexus eſt Apoſtolus 2. Cor. 3. ad Iudæos quos relinquit hic, futuram deſignans ſuis in Apoſtolis ad Gentes profectionem. *Sed obtuſi*, inquit, *ſunt ſenſus eorum vſque in hodiernum diem, idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum; (quoniam in Chriſto euacuatur) ſed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*. In huius quippe loci declarationem fert Angelicus ex Iſaiæ c. 6. quod tangit & in præſenti Dominus, de eorum excæcatione. Sicut autem ait idem Dominus; *veſtri autem beati oculi*, &c. ita è contra & Paulus; *nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu*. Subditque c. 4. *Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt eſt opertum; in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti*. Quid mirum, dum conſueſcit Dominus transformare homines à claritate in claritatem, ſcilicet Q à claritate cognitionis veteris Teſtamenti, in claritatem cognitionis fidei: quid mirum inquam dicat Dominus; *qui enim habet, dabitur ei, & abundabit*; quia de claritate veteris & noui Teſtamenti transformamur in claritatem viſionis æternæ, vt ibidem adhuc explicat D. Thomas: vbi certè antonomaſticè futura eſt abundantia; dicente Auguſtino; *omnis copia, quæ Deus non eſt, egeſtas eſt*; & Sapientia, Prou. 1. *qui autem me audierit, abundantia perfruetur*. Et priùs, *audiens ſapiēs animaduertet parabolam & interpretationem*: iuxta quòd hic Dominus diſcipulis promit; *veſtri autem beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt*, moxque; *audite parabolam ſeminantis*; Quid mirum iterum Iudæis edicat; *qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*? vt fiat ſenſus, qui non habet claritatem noui Teſtamenti, priuetur etiam claritate veteris, quam præhaberet; vel reliquijs cognitionis obtuſis in ſenſibus priuetur, qui claram debuiſſet veteris Teſtamenti habere notitiam. Hinc Hilarius. *fidem Iudæi non habentes, legem quoque, quam habuerant perdiderunt*. Et Hieronymus lib. 2. ad hoc caput; *Regnum Cælorum, notitia eſt Scripturarum quæ ducit ad vitam, de qua dicitur ad Iudæos* (c. 21.)

Q 1. Cor 3. l. 3.

auſe-

auferetur à vobis Regnum. Et ita impleatur quod & periphrasi illustrat Dominus ex Isaia *auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis*. Denique *incrassatum est cor populi huius, ne quando videant*, &c. *Et conuertantur & sanem eos*. Huc adferri operæ pretium est, quod resolutoriè respondet Sanctus Doctor, R scilicet rationabiliter imputari homini, si ad Deum non conuertatur, quamuis hoc sine gratia non possit. Licèt enim aliquis per motum liberi arbitrij, diuinam gratiam nec promereri, nec aduocare possit; potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat; dicitur enim de quibusdam Iob 21. *Dixerunt Deo; recede à nobis; scientiam viarum tuarum volumus*; & Iob 24. *ipsi fuerunt rebelles lumini*. Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare; *vult* enim *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* vt dicitur 1. ad Tim. 2. vnde illi soli gratia priuantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant. Sicut Sole Mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur; licèt videre non possit, nisi lumine Solis præueniatur. Benedictus Angelici calamus; Ecce quomodo vel tacitè memorat, quod hic profert Dominus; *& oculos suos clauserunt*. Quæ doctrina apprimè facit ad delusæ sationis *secus viam, in petrosa, & inter spinas* manifestationem.

R 3. Cõ. Gent. c. 159.

VERS. XVIII. *Vos ergo audite parabolam seminantis.*

5. *Vos*; quasi dicat ex aduerso non clausistis oculos, estis immo futuri in orbe lucernæ ardentes; supra cap. 5. *vos estis lux Mundi*; Lucæ 12. *& lucernæ ardentes in manibus vestris*. Sic incipit eis edisserere præmissam parabolam; qua eos missurus *in Mundum vniuersum*, Marci vltimo, præmonet de futuro euentu; vt scilicet non omnes sint conuertendi, quos equidem tres dispertit in classes, notans deperditæ operæ trinam causam. Quasi ergo diceret, nolite mirari si prædicatione vestra conuertere eos non poteritis. Sequitur

VERS. XIX. *Omnis qui audit verbum Regni.*

Lucæ 8. ait Dominus; *semen est verbum Dei*: cur hic dicitur *verbum Regni*? Matthæi etiam 24. *Euangelium Regni* legimus. Responsio est in promptu: & quidem ex ipso Matthæi contextu ibi cap. 24. subdit enim, *prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus*. Satis ergo claret, idcirco Euangelium seu *verbum Regni* appellari, quia ad omnes Gentes disseminandum fuerat. Et sic præsens parabola vel in illa vocula *Regni*, studuit innuere in vniuerso Mundo prædicationem. Et quia, vt ait Chysostomus ex verbis Domini suos ad Apostolos; *non ad duas quippe Vrbes aut decem, aut viginti vos mitto, sicut mittebam Prophetas, sed ad omnem terram prorsus ac mare, vniuersumque Mundum; & hunc varijs criminibus oppressum*; quoties de hac vniuersa hominum miseria attexitur sermo, semper Euangelium dicitur *Regni*: sic supra cap. 4. *prædicans Euangelium Regni, & sanans omnem languorem & infirmitatem in populo*; Sic & cap. 9. *prædicans Euangelium Regni, curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Quæ quidem accipienda sunt in eorum præsagium, quæ per Apostolos eorumque imitatores, facturus erat: Idcirco, & hic v. 38. nuncupatos *filios Regni*. Et quare vlteriùs cum de Gentium conuersione, de *Regno* fit mentio? Responde; quia id ex psalmis; psalm. 46. *regnabit Deus super Gentes*; & psalm. 95. *dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit*; iuxta quod in psalm. 2. præmissum est ac promissum; *postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*; Sic 1. Cor. 15. vbi ait, *cum tradiderit Regnum*, idest fideles suos; S quos proprio sanguine acquisiuit. Adde ex Apostolo Rom. 3. *an Iudæorum Deus tantùm*? Videri ita posset alicui, per hoc quod dicitur Exodi 5. *Deus hebræorum vocauit nos*. Sed licèt per specialem cultum Deo exhibitum psalm. 75. *notus in Iudæa Deus*, eorum Deus diceretur; erat tamen Deus omnium, secundùm illud psalm. 46. *Rex omnis terræ Deus*. Pergit Apostolus; *nonne & Gentium? immò & Gentium*; quas scilicet gubernat & regit, secundùm illud Ieremiæ 10. *quis non timebit te, ò Rex Gentium?*

S 1. Cor. 15. l. 1. Ro. 3. l. 4.

6. Hinc sequitur, qualiter tametsi *verbum Regni* sit prædicatio euangelica respectu Gentium, non secludantur omnino Iudæi. Fuit quidem ab Apostolis Iudæa tandem relicta, donec vt notat Haymo Isaiæ 6. Vespasiano Titoque pugnantibus desolata est: quò fortè facit quod in Luca legitur cap. 19. vbi Rex præcipit *eos interfici, qui nolunt eum regnare*: præmittitur autem dixisse, quos subinde vocat *inimicos; nolumus hunc regnare super nos*. Fuit quidem de eisdem dictum, quod ad literam repetijt Apostolus Act. 28. *quia benè Spiritus-Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros dicens; vade ad populum istum, & dic ad eos; aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt*, &c. Etsi, vt ibidem dicitur, *quidam credebant*; immo priùs cap. 21. *multa millia erant in Iudæis qui crediderunt*. Nihilominus constanter pronunciat Ioannes cap. 11. prophetasse, cum esset Pontifex, Caipham, *quòd Iesus moriturus erat pro Gente; & non tantùm pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. Ecce quomodo vtrorumque Rex Dominus erat futurus, & Gentium & Iudæorum. Et iam, cum præfatam incredulorum tacturus fuit Isaias increpationem, præmisit (quod obseruat Haymo) fuisse in habitu regnantis visum filium: *vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*. Quod conceptis verbis Ezechielis vaticinium prodit; dum ait, cap. 37. *& faciam eos in Gentem vnam*, &c. *& Rex vnus erit omnibus imperans; & non erunt vltra duæ Gentes; nec diuidentur ampliùs in duo regna*; quia Ephes. 2. fecit Christus Dominus *vtraque vnum*; vtrumque populum T videlicet Iudæorum colentium Deum verum, & gentilium ab huiusmodi cultura alienatorum, coniunxit in vnum. Vbi allegat Angelicus & Ezechielem. Quæ apprimè noscens Ecclesia in Hymno canit; *hic ille Rex est Gentium, plebisque Rex Iudaicæ*. Bellè ergo *verbum Regni, & Euangelium Regni*, hoc est non Regnorum duorum, sed Regni vnius. Quemadmodum & sub alia metaphora ad singulare deuoluitur, iuxtà illud Ioan. 10. *& fiet vnum ouile; & vnus Pastor*: quod & prædixit idem Ezechiel ibidem; *& Pastor vnus erit omnium eorum*; V scilicet Iudæorum & Gentium. Et quidem de medio nationum ad quas abierant, vndique congregandos, vt in Ezechiele, dispersosque, vt dixit Ioannes, reduxit Dominus; Pastor vnus, vt apud Ezechielem cap. 24. *suscitabo super eas Pastorem vnum*, qui 1. Petri 5. dicitur *Princeps Pastorum*; & Hebr. 13. *Pastor magnus*. Quis etiam non mirum, si supra cap. 9. *videns turbas misertus est eis, quia erant vexati & iacentes, sicut oues non habentes Pastorem*. Nota etiam ad ædificationem Templi Salomonis, non solùm X Iudæos fuisse operatos, sed & cooperatos Gentiles, scilicet Tyrios & Sidonios. Templum vnum fuit, vnitatem signans Ecclesiæ, vel militantis vel triumphantis.

T Ephes. 2. l. 5.

V Ioan. 10. l. 4.

X p. 3. 102. a. 4. ad 2. & 3.

Benè

Benè ergo & ex hoc, *Euangelium vel verbum Regni*: cui fortè non addit *Cælorum*; vt pressè capiatur loqui de militante Ecclesia Dei in terris: cum & semen in terram iaciatur. Cur *Rex Iudæorum*, in crucis titulo extet? dicetur ibi.

Versu eodem. *Omnis qui audit verbum Regni, & non intelligit*; &c.

7. Audiunt Apostoli parabolæ expositionem à Domino, mittendi in Mundum vniuersum Marci vltimo; *euntes in Mundum vniuersum*; quo certè illud Abdiæ impleatur; *auditum audiuimus à Domino, & legatos ad Gentes misit*. Sed heu, *non omnes* Rom. 10. *obediunt Euangelio*. Inter hos primi fuerunt increduli, & infideles, quorum etsi plurimi conuersi sint, nonnulli in sua infidelitate persiterunt. Sanè Ioannis 16. in primo loco, arguuntur *de peccato, quia non crediderunt in eum*; immò nec rectè crediderunt in Deum; Ioan. 14. *creditis in Deum, & in me credite*. Et iam ad incredulos primam esse sationem satis habetur ex Luca, vbi legimus; *ne credentes salui fiant*. Marcus verbis sub alijs, *ne quando conuertantur*. Id quod ad fidem refertur.
A p. 2. 311. 4. Prima sanè conuersio in Deum, A fit per fidem; Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere* &c. Denique tam Marcus, quàm Matthæus scribunt, de auditu & intellectu; *Qui audit & non intelligit*. Et quare non intelligant, promitur Isaiæ 7. *si non credideritis non permanebitis*. Vbi secundum
B 1. 2. 4. 8. 5. & q. 8. 5. 1. & alibi. aliam literam B passim legitur, *nisi credideritis non intelligetis*. Quid mirum si non intelligant, quando non credunt? Quid mirum, si etiam *semen verbi Dei conculcatum est*? Iudas in sua Canonica, de huiusmodi; *hi autem, quæcumque ignorant, blasphemant*. Et in praxi Act. 2. *alij irridentes dicebant* dum prædicarent Apostoli; *quia musto pleni sunt*. Et c. 17. asseuerante Paulo mortuorum resurrectionem, etsi *quidam adhærentes ei, crediderint, quidam tamen irridebant*. Prouerb. 18. *impius, cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit*. Et quamuis Matthæi 7. iniunxerit Dominus; *nolite Sanctum dare canibus*; intelligitur de non denudandis arcanis fidei, fidem abhorrentibus, vt ait opusc. 70. q. 2. a. 4. Dic tu, si abhorrere prænoscantur.

8. Dicet aliquis; etiam Paulus de se ait 1. ad Tim. *qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus*. Sed notandum quod adiecit, scilicet, se vtique misericordiam consecutum esse; verum nonnulla excusatione; *quia*, inquit, *ignorans feci in in-*
C 1. ad Tim. 1. l. 3. *credulitate*. Qui facit aliquid, C quod non faceret si nosset, per ignorantiam facit; sicut occidens Patrem, quem si sciret non occideret; quem tamen oc-
D p. 2. 6. 8. cidit, quia eum credit inimicum; de quo D alibi. At hic, non tam ignorantia quàm malitia est in causa conculcati seminis. Quod quidem non in via cecidit, ne facilè minusque subinde culpabiliter conculcaretur: sed cecidit *secus viam*: & nihilominus *conculcatum est*. Quod argumento est, factum fuisse potiùs conculcantis malitia; Sap. 2. *excæcauit illos malitia eorum*. Et hinc soluitur obiectio; cum enim supra c. 7. inhibuerit Dominus; *nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis*; posset quis quærere, cur semen permissum est cadere, vbi prænouit *qui seminat* esse conculcandum? Respondeo, cum Osee 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum*. Absit, vt Apostoli, *coram cæco*, quòd cauet Dominus Leuitici 19. *posuerint offendiculum*. *Secus viam* potiùs, ne conculcatio in ipsos posset referri. Apud Marcum c. 4. *aliud cecidit circa viam*. Nota ly *circa*, quod prudentiam, circumspectionemque Prædicatoris Apostolici videtur innuere. Insinuatio quippe ex Tullio 1. *de inuent. Est oratio quadam dissimulatione, & circuitione subiens auditoris animum*. Quint. lib. 4. Sic egisse videtur Apostolus vsus latenter quadam auditorum conciliatione, cùm occasionem nactus de ara *in qua scriptum erat. Ignoto Deo*; de Deo ac de resurrectione perorauit. Ipsum ibi quidam dicebant, *seminiverbium*; sed ipse sic seminabat *secus* seu *circa viam*. Sic etiam *secus viam* seminauit Philippus, cui Act. 8. *dixit spiritus; accede, & adiunge te ad currum istum*; sed mox rogauit Eunuchus Philippum, vt ascenderet & *sederet secum*. Deinde *dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam*, &c. Si Eunuchus verbum conculcasset, in culpam ei verteretur, non Philippo, qui *secus viam, & circa viam* tanquam seruus prudens, verbum vitæ in cibum ei dispensauit. Claudamus cum Angelico; E; quando
E 2. 2. q. 43 art. 7. scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, sunt spiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet: quousque reddita ratione, huiusmodi scandalum cesset. Hoc mihi sonare videtur ly *secus viam*. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse. Et ecce in præsenti accidere; nam *conculcatum est*. Conculcans quidem, vt diximus, non nisi ex malitia de via videtur exijsse. Christus autem, etsi parabolicè exierit, haud quaquam moraliter, cum Gentibus, de quibus Ephes. 4. *Gentes ambulant in vanitate sensus sui, obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei*.

Versu eodem. *Venit malus, & rapit quod seminatum est*.

In proponenda parabola, *volucres* induxit *Cæli*. 9.
Sunt autem Dæmones dicti *volucres*, vt mihi videtur, ob pernicissimum mentis eorum volatum. Licèt enim donum sapientiæ non habeant, tamen cognitio F per gratiam in speculatione consistens, non
F p. p. 64. 1. in corp. est totaliter ab eis ablata, sed diminuta; quia de secretis diuinis tantum reuelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta, vt dicit Augustinus 9. *de Ciuit. Dei* c. 21. Sic mysterium Regni Dei quod
G ibi ad 4. & ad Ga. 5. l. 2. G est impletum per Christum, innotuit eis ex Augustino, sicut eis terrendis innotescendum fuit, per quædam temporalia effecta. Crediderim ergo ipse, quasi in increpationem incredulorum, adiectum fuisse de dæmonibus, qui quantumuis mali, vt *malus* eorum est Princeps & caput, comedunt seminatum verbum; *credunt* enim coactè Iacobi 2. *& contremiscunt*; dum nec sic credunt homines. Qui secundùm glossam relatam ad Galatas *peiores ideo sunt quam Dæmones*; scilicet, quantum ad speciem operis; non quantum ad affectum; nam Dæmonibus displicet hoc quod credunt: neque etiam est tanta nequitia in homine qui non credit, quanta in Dæmone qui odit quod credit. Tu expende ly *venit malus*. Opportunè: ne putaretur homo non credens, peior Dæmone. Et quia in huiusmodi cognitione diuinorum, vel ratione obiecti eleuantur, hac etiam de causa, *volucres Cæli* putauerim eos dici. Verum si comedere dicuntur metaphoricè verbum, ad innuendum & Diaboli corpus mysticum, quod & enutriri & augeri, adhærescentibus illi ceu membris eius omnibus infidelibus, diu curat; quemadmodum è contra corpus Christi ex fidelibus Matthæus astruit. Ex alia parte rapere dicitur *malus*, ne fortè conculcatum etiam semen in corde germinaret. Quomodo autem possit & Dæmon rapere quod seminatum
H p. p. 111. 3. & q. 114. 1. ad 3. est in corde, trahi licet ex immutatione inferiorum nostrarum H virium, imaginationis potentiæque appetitiuæ: quibus modis etsi non cogat, inclinat voluntatem nostram; inducitque I instigando ad
I p. 2. 80. 2 l. 2. q. 5. 2. Heb. 13. l. 3. peccandum. Ex hoc fortè nuncupatur Diabolus *malus*: Vel etiam quia L quanquam coactus credat,

dat, in nullo malitia voluntatis eius minuitur. Adhuc *malus* dicitur, quia infideles tanquam sua membra enutrire studet. Sic autem loquitur Apostolus Hebr. 13. *ne fortè sit in aliquo vestrum, cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo*. Sicuti enim bonum animæ consistit in adhærendo Deo; Psal. *mihi autem adhærere Deo, bonum est*: ita recedere à Deo per incredulitatem est malum hominis; Ieremiæ 2. *Vide Israel, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum*.

VERS. XX. *Qui autem super petrosa*; &c.

10. Aliud hominum genus, ad quos apostolica peruenit prædicatio, in quibusdam eorum infructuosa, significatur per petrosa. Primi fuerunt infideles auersi proinde intellectu: isti verò etiam habitu fidei seruato, quoniam petrosa erat voluntas, nec charitatis habebant radicem, in fidei confessione non permanserunt. Non pauci fuerunt primitiua in Ecclesia, qui Christum colentes, deinde *orto sole*, seu *orta tribulatione & persecutione propter verbum*, vt ait & Marcus c. 4. lapsi sunt: quos recipi posteà & reconciliari noluisset Nouatus. Certè maximæ charitatis signum M martyrium est. Quonam pacto non debuit persecutionis tempore scandalizari, *qui radicem non habuit* charitatis? Iuxta illud Ephes. 3. *in charitate radicati, & fundati*. Quàm bene à Domino dicitur, *sed est temporalis*; dum sola charitas est, quæ 1. Cor. 13. *nunquam excidit*, quia scilicet sicut est N in statu viæ, ita permanebit in statu Patriæ, & cum augmento. Fides autem & spes in patria O non remanent. Quid mirum si tempus percurrendo, ac ad æternitatem non admissæ, temporalis epithetum dent possessori. Sed qui habet fidem subinde & spem, quãdoque charitatem amittit. Apoc. 2. *charitatem tuam primam reliquisti*: & quidem P per quemuis actum peccati mortalis; non sic tolluntur habitus fidei & spei, per quodcumque peccatum. Ideo *cecidit semen in petrosa*, quoniam peccatum obdurat hominem; Hebræor. 3. *vt non obduretur qui ex vobis fallacia peccati*. Et prius, *nolite obdurare corda vestra*. Cor durum sonat in malum. Q Durum est, quod non cedit sed resistit impellenti, nec recipit impressionem. Et sic dicitur cor hominis durum, quando non cedit diuinæ iussioni, nec de facili recipit diuinas impressiones: Roman. 2. *secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram*. Indurat peccator se ipsum, non obediendo Deo; &c. Quia tamen paulo ante de Diabolo sub *mali* nomine dictum est, & cor hominis non æquat duritiam inflexibilem Diaboli, etsi eam imitetur; ideo *petrosus* dicitur potiùs homo, quàm *Petra*; cecidit *in petrosa*: vbi aliquam terram habuit, quamuis *non multam*. Diaboli obstinatio & duritia comparatur lapidi; Iob 41. *cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*: per quod significatur R obstinatio diaboli & membrorum eius. De induratis Ezech. 36. *auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Nihilominus, quantumuis obdurescat in *petram*; etiam *supra petram* iacitur prædicationis euangelicæ verbum, vt patet Lucæ 8. quia *potens est Deus*, supra cap. 3. *de lapidibus istis suscitare semen Abrahæ*.

M 2. 2. 124. 3.
N 1. Cor. 13. l. 3. & p. 2. 67. 6.
O p. 2. 67. a. 3. 4. & 5.
P 2. 2. q. 24. a. 11. & 12.
Q Hebr. 3. l. 2.
R Iob 41. l. 2.

11. Vna superest difficultas, quomodo petrosum hominem exposuerimus, qui est sine charitate, cum aliàs dicat Dominus, *cum gaudio accepisse verbum*. Gaudium huiusmodi arguere videtur charitatem, sicut effectus causam. Galat. 5. *charitas, gaudium, pax*, &c. De quo S Diuus Thomas. Sed occurritur ex Psal. 50. vbi Dauid nedum gaudium, sed lætitiam exorat; *auditui meo dabis gaudium & lætitiam*. Quod quidem nomen T imponitur à dilatatione cordis, ac si diceretur *lætitia*. Dilatatio sine dubio amorem, sequitur, iuxta illud 2. Cor. 6. *cor nostrum dilatatum est*; vnde & in Psal. 118. de præcepto charitatis; V *latum mandatum tuum nimis*. Durum est, quod in se est contractum X & proprijs metis arctatum. Amor facit transferri amantem in amatum. Hoc ergo memoratum gaudium non est ex charitate; sed indicat spem de auditis Rom. 12. *spe gaudentes*; subinde & fidem; actus enim fidei manifestatur per actum spei. Quod gaudium, (sicut & spes & fides informes esse possunt, A possuntque esse in eo, qui non habet gratiam & charitatem) est etiam in corde siliceo. Fides certè gaudet de veritate: charitas non tam gaudet, quàm *congaudet veritati*, 1. Cor. 13. Adde quòd vt intelligeremus esse parabolam de Gentium vocatione, voluit Dominus meminisse gaudij, quod conuersarum Gentium corda peruasit, quemadmodum *Eunuchus Potens Candacis Reginæ Æthiopum* baptizatus *ibat per viam suam gaudens* Act. 8. Sicuti & c. 13. *audientes Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini*; & *crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*; & apud Matthæum c. 2. *Magi* (primitiæ Gentium) *videntes stellam gauisi sunt gaudio magno valde*. Et vocula illa *ecce* hoc ipsum videtur Dominus insinuare dicens; *Ecce exijt qui seminat*. Est enim B nota gaudij & propinquitatis. Quam non vsurpat Lucas, qui præcipuè ad meliorem morum frugem conuersionem astruit, non ad fidem. Et quia Marcus resurrectionem, quæ fidem concernit, (*carnis resurrectionem*) promulgat; ideo & apud ipsum notula eadem *ecce* reperitur. Quoniam autem *petrosa* terra credentes vtique significat, sed in peccato (à quo debuissent iustificari, vt *radicem* haberent) deprehenduntur increpatione digni in secundo loco, Ioan. 16. vbi postquam dixit, arguet Mundum *de peccato*, quasi antonomasticè infidelitatis, adiecit *de iustitia*, per quam scilicet iustificamur, & iusti coram Deo sumus; quæque idem est ac anima cum charitate. De huiusmodi iustitia ac per ipsam de iustificatione C videatur Angelicus. De hac autem loqui Dominum Ioan. 16. vel ex eo colligitur, quòd subiunctum est, *quia ad Patrem vado; & iam non videbitis me*: quibus in verbis amissæ iustificationis formam graphicè pingit; de quo Iob 9. *si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam*. Quod quidem sæpè de iustificatione D solet exponi.

S 2. 2. q. 28.
T p. 2. 31. a. 3. & 2. 2. q. 24. 7. 2.
V p. 2. 31. 1. 1.
X D. Th. hic 2. 2. q. 17. 2.
A 2. 2. 4. 4. p. 2. 65. 4. & 2. 2. 18. 4. 2.
B Apoc. 5. Com. 1.
C p. 2. q. 113. 1.
D p. sent. 4. 1. 1. & p. 2. 112. 5.

VERS. XXII. *Qui autem seminatus est in spinis*.

Tertiam classem eorum, quibus semen euangelicum fuerat seminandum iam indicat; hominum nimirum, qui minimè infideles essent, minimeque lapidei ex peccato, sed tamen spinis essent obnoxij. Spinas & tribulos viarum, vnde in labore vesceremur pane, terra nobis ab origine germinat, sed circumdari spinis, sic vt *inter spinas* cadat verbi diuini semen, personali vniuscuiusque de culpa potiùs est. Fides eatenus à Deo nobis donatur; quatenus ipsa per sui omniumque virtutum formam, nimirum per dilectionem fructificet. Galatas 5. *fides, quæ per charitatem operatur*: dum causat scilicet E omnes exteriores actus virtutum, etsi non eliciendo, imperando. Verùm diuitiæ, siue habitæ, *fallacia diuitiarum*, siue quæsitæ, *sollicitudo sæculi*, dum ad nusquam intermissas trahunt animam recogitationes, sic eam conglobatione quadam arctant & suffocant, vt nec virtutum germinibus, nec studiosis charitatis operibus remaneat locus. Iuuat hic & profanorum dicta in obsequium accire; *quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Per mare pauperiem fugiunt, per saxa per ignes*. Ex sacris autem Ecclesiastes 5. *saturitas diuitis non finit eum dormire*. Prouerb. 30. *diuitias ne dederis mihi; ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam; quis est Dominus?* 12.

E 2. 2. 3. 1. 3.

Vnde

Vnde & psal.61. *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Difficile est enim F [F 2.2. 186.3.4.] charitatem inter diuitias conseruare. Idcirco ipse Dominus capit. 6. suprà; *non potestis Deo seruire & Mammonæ*: & ex Hieronymo, *Mammona sermone syriaco, diuitiæ nuncupantur*. Igitur quoniam mox dicturus est parabolam de Regno Cœlorum; & infra cap.19. *diues difficilè illuc intrabit*; immo, *facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum Cœlorum*; præoccupat, vt exosas habeamus diuitias, quæ bonorum operum germen suffocant; (quod est extingui charitatem, quæ si non operatur G [G 2.2. 24.10.] disponitur ad corruptionem; immo & fidem; quæ Iacobi 2. *sine operibus mortua est*) tandem Regni Cœlorum ingressum præpediunt. Sic & *solicitudo sæculi*, quam pressè adeo prohibet Dominus supra cap.6. neque enim inter mundanas sæculi curas, *augeri possunt incrementa frugum iustitiæ nostræ* prout loquitur 2. ad Corinth. cap.9. Apostolus; qui 1. ad eosdem cap.7. periphrasi veluti repetit quod hic Dominus; *reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint; & qui flent tanquam non flentes; & qui gaudent tanquam non gaudentes; & qui emunt tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc Mundo, tanquam non vtantur; præterit enim figura huius Mundi*. Et ecce tertiam præsentem delusam seminationem, manere tertiam Spiritus-Sancti Ioann. 16. redargutionem; *de iudicio; quia Princeps huius Mundi iam iudicatus est*; Princeps scilicet eorum *qui diligunt Mundum*, vt alibi Augustinus; vel etiam quia iactauit supra cap.4. *hæc omnia tibi dabo*; *ostendens omnia Regna Mundi*: quandoquidem *præterit figura huius Mundi*; vbi glossa apud Angelicum, H [H 1 Cor. 3.l.6.] *in iudicio Mundanorum peribit*. *De iudicio* ergo dic reprehendendos esse, qui iudicium, distracti solicitudine sæculi & diuitiarum fallacia, non cogitarunt. Prouerb.28. *viri mali non cogitant iudicium*. Quod si cogitassent, cum Iob cap.1. *nudus egressus sum de vtero Matris meæ, & nudus reuertar illuc*; & cap. 27. *diues cum dormierit, nihil secum auferet*; cum Psalte psal.75. *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis*: denique cum Apostolo 1. ad Timoth.6. *nihil intulimus in hunc Mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus*: si inquam hæc cogitassent, nec de iudicio fuissent arguendi; nec solicitudine sæculi, & fallacia diuitiarum fuerant distracti: potius cum eodem Apostolo dixissent; *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*; nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*, (nota ly *suffocant*, quod fit laqueo) *& desideria multa, inutilia & nociua; quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*; (iterum nota ly *suffocant*, quod contingit mersis) *Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Vbi Angelicus, quia est solicitudo in requirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo; Iob 10. *cum satiatus fuerit diuitijs, arctabitur æstuabit, & omnis dolor irruet in eum*. Vide mi lector mirum sacrarum Scripturarum consensum. Dominus ait *suffocant*; Iob, *arctabitur*. Dominus comparat hæc spinis, *exortæ spinæ*; Iob *doloribus*. Dominus *exortas* inquit *spinas*; Apostolus ait *inseruerunt*, non dicit expressè *spinis*, sed tacitè, dum ait *doloribus*.

VERS. XXIII. *Qui verò in terram bonam; hic est, qui audit verbum & intelligit*.

23. Ex aduerso ad terram malam: quia qui *secus viam*, non intelligit; ecce qui in terram bonam, *audit & intelligit*: quia qui *in petrosa*, non attulit fructum sed *aruit*, vt apud Lucam; ecce, qui *in terram bonam, affert fructum*: quia similiter, qui inter spinas, vix affert fructum; ecce *terra bona* fructum affert etiam *centesimum*. Iam sub palmitum ac vitis metaphora dicitur & Ioann. 15. *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Et paulo post; *vt fructum plurimum afferatis*. Missa autem quauis alia interpretatione, libet trinam hanc fructuum differentiam ad tres referre gradus charitatis. Tres quippe charitatis sunt gradus; est enim I [I 2.2. 24.9.] incipiens, proficiens & perfecta. Triplexque distinguitur status, L [L 2.2. 183.4.] scilicet secundùm incipientes, proficientes, & perfectos. Et hanc gradationem insinuasse videtur ipsemet Dominus, superius dicens v.12. *qui enim habet*; (hic est incipiens:) *dabitur ei*; (ecce proficiens:) *& abundabit*; (ecce perfectus.) Sic dum ait *in terram bonam*, innuitur meliorem fieri posse & optimam. Ad Thessalonicenses; *sic & ambuletis, vt abundetis magis*: ac si dicat; M [M 1.Thes. 4.l.1.] licèt sitis boni, tamen per exercitium mandatorum, & consiliorum proficietis & abundabitis; 2. Corint. 9. *potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*. Restat exponere quomodo aptentur numeri isti hisce gradibus charitatis incipientis, proficientis & perfectæ. Innuitur hoc apud Marcum c.4. *& dabat fructum ascendentem, & crescentem*, &c.

14. Pro quo sciendum est, qualiter in omni N [N 2.2. 24.9.1.& q. 183.4.] humano studio, est accipere principium, medium, & finem; sicut omnis diuisio continuorum comprehenditur sub tribus his, principio, medio, & fine, vt Philosophus dicit in 1. de Cœlo t.2. Principium pertinet ad statum incipientium: nam primò quidem incumbit homini studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentijs eius, quæ in contrarium charitatis mouent. Et ita incipientes etsi quærant & ipsi inhærere Deo, O [O 2.2. 24.9 in corpo. ad 2. & 3.] magis tamen sentiunt solicitudinem de vitatione peccatorum; quorum impugnatione inquietantur. Hisce stantibus cur non debuit memorari numerus tricenarius in fructu trigesimo? Sanè in libro Numeri 4. vbi seliguntur de medio Leuitarum, qui ingredi debeant ad ministerium Tabernaculi, pluries assumi iubentur *ab anno trigesimo & supra, vt stent & ministrent in tabernaculo fœderis*. In tabernaculo significatur militia; nam P [P ps. 45. lit. e.] vt in Ciuitate habitant quiescentes, sic in Tabernaculo militantes. Et ideo per vnitatem Tabernaculi Q [Q p. 2. 102.4.3.] significabatur vnitas Ecclesiæ militantis. Et ibi Numeri 4. palam agitur de ad bella paratis; dum statim etiam subijcitur; *quando mouenda sunt castra*; &c. Præterea habet Apostolus Roman.5. *sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam*. Et cap.6. *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius*. Si ergo exclusio peccati, victoriaque concupiscentiæ, regnum est gratiæ; quare non debuit trigesimo fructu hoc innui? siquidem Genes.41. triginta annorum erat Ioseph, quando accepit regimen Ægypti; & 2. Regum 5. Dauid triginta annorum erat cum regnare cœpisset. Quæ notat Angelicus R [R 3. p. 39.3.] de Christi baptismo. Et ad rem certè, quia vt ibidem ait; consurgit tricenarius numerus ex ductu ternarij in denarium: per ternarium autem intelligitur fides Trinitatis; per denarium autem intelligitur impletio mandatorum legis: & in his duobus perfectio vitæ Christianæ consistit. Quod accipiendum est de inchoata perfectione; nàm alibi docet; S [S 2.2. 184.2.] nihil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter Deo diligere, esse diuinæ dilectionis gradum infimum.

Quis scit, an fortè ad hoc innuendum Lucas non prompserit cum de Christi baptismo loqueretur c.3. *& Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*, tangens

gens incipientium ætatem illo in numero? Vbi Origenes, *quando baptizatus est, & mysterium secundæ generationis assumpsit, tunc dicitur incepisse; vt tu quoque priorem natiuitatem destruas, & in secunda regeneratione nascaris.* Ad temporale bellum, seu etiam ad exteriorem pro fide pugnam robustiores viginti annorum & supra, deliguntur Numeri 1. Itemque ad præcocem perfectionem signandam Paralipomenon 1. cap. 23. *à viginti annis*; & quidem *iuxta præcepta Dauid nouissima*. In noua enim lege, præcurritur ad perfectionem, vt tetigi Numeri 4. *post initium*. Nihilominus, vt dicit Augustinus lib. 1. Quæst. Euangeliorum, absoluté trigesimus *est ætas præliantium: & coniugati habent acriorem conflictum; ne libidinibus superentur.*

Aliud sexagesimum.

15. T 2. 2. 24. 9. ad 3. Diuus Thomas de proficientibus ait; T impugnationem peccatorum minus sentientes, iam quasi securius intendunt ad profectum: ex vna tamen parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium; vt dicitur in Esdra, de ædificatoribus Ierusalem. Esdræ quippe secundo cap. 4. legimus; *media pars iuuenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum*: & paulo post; *vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Sic Cantic. 3. de proficientibus accipit illud; *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*, accipit inquam V de proficientibus, tam in aliorum incipientium tutamen, quàm in sui ipsorum circumspectionem, vbi occurrat spiritualis necessitas accinctis. Et certè proficere designantur per bonorum operum gressus, annunciando veritatem doctrinæ, *gladium spiritus* Ephes. 6. *quod est verbum Dei*, & viuendo castè, suique curam habendo, obseruando in se ipsis, quæ prædicant; quod est *ensem habere*. Numerus autem sexagenarius id ipsum refert, vt ibidem tradit; quia sexagenarius constituitur ex senario ducto per denarium: iusté autem viuimus, si per sex dies, quibus operari debemus; (nam & Deus sex diebus fecit opera sua) idest per totum tempus vitæ nostræ, decem obseruamus præcepta. Denarius ergo X potest ad decalogum referri, eoquód tanquam iustitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur. Senarius autem laborem præsentis vitæ significat. Huiusmodi proficientes, (qui verbo nedum, sed exemplo etiam ad incipientes se habent, vt eo loci Canticorum exponitur) pulchrè adumbrantur allegoricè vbi supra in Esdra; dicitur enim; *ædificantium in muro, & portantium onera & imponentium*. Neque enim de proficientium numero reputandi sunt, qui, vt ait Dominus infra cap. 23. *onera imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere*. Debent prius portare, qui inter proficientes & sibi & alijs cupiunt recenseri; deinde imponere; sicut & Dominus Iesus, totius perfectionis exemplar, *cœpit facere*, Act. 1. *& docere*; in normam, *portantium* prius *onera*, deinde, *& imponentium*. Augustinus lib. 1. Quæstionum Euangeliorum; *solet ocium concedi sexagenarijs post militiam.*

V Cant. 3. vtroq. Comm.

X 3. p. 31 a. 3. ad 3.

Aliud quidem centesimum.

16. Prouerb. 4. *iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem*. Licet enim ex parte bonitatis diuinæ in infinitum diligibilis, A charitas nullius creaturæ possit esse perfecta: nihilominus ex parte diligentis esse potest perfecta; cum scilicet tantum diligit, quantum potest. Vno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum; & hæc est perfectio charitatis Patriæ; quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, & moueri dilectione ad ipsum: alio modo vt homo studium suum deputet ad vacandum Deo, & rebus diuinis, prætermissis alijs; nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit; & ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via: non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Ad hæc Augustinus; *charitas cùm fuerit nata, nutritur*; quod pertinet B ad incipientes: *cùm fuerit nutrita, roboratur*; quod pertinet ad proficientes: *cùm fuerit roborata, perficitur; cumque ad perfectionem venerit, dicit; cupio dissolui, & esse cum Christo*. Perfecti tamen etiam in charitate proficiunt. Sed non est adhoc principalis eorum cura. Sed jam eorum studium circa hoc maximè versatur C vt Deo inhæreant. Et quamuis etiam hoc quærant incipientes & proficientes; tamen magis sentiunt circa alia suam solicitudinem; incipientes quidem de vitatione peccatorum; proficientes verò de profectu virtutum. Huiusmodi perfectio numero centenario indicari solet. Ezechielis 40. *centum cubiti erant à porta interiori ad exteriorem*, ex Diuo Gregorio homil. 19. *designatur altior profectus eorum, qui iam perfectionem attigisse videntur*. *Centum* etiam *cubitorum* cap. 41. erat *longitudo & latitudo Templi*; ex eodem homil. 17. *vt operum perfectio designetur*. Apocalypsis 14. ibi, & *cum eo centum quadraginta quatuor millia*, inquit; D per centum signatur integritas perfectæ virginitatis; quia fructus centesimus est perfectio status virginum. Numerus enim centenarius, quia terminat numeros, & est numerus completus, signat & importat perfectionem: (sic reperit capit. 21.) hic autem; sicut & Matthæi 13. perfectionem status virginitatis. Certe cum Abraham, seu potius *postquam Abraham nonaginta & nouem annorum esse cœperat*, Genes. 17. *dixit ei Dominus; ambula coram me, & esto perfectus*. Et ecce in perfectionis exactæ signum, tunc genuisse Isaac, cum centenarius esset: ibidem c. 17. *putasne, centenario nascetur filius?* Perfectus quippe est, qui sibi similem generare potest, vt alibi dictum est; ex Cantic. capit. 4. ad finem; Comm. 1. & ex 2. 2. q. 24. a. 9.

A 2. 2. 24. 8.

B ibi sed contra. & a. 9.

C art. 9. ad 3.

D Apoc. 14. Ioan. 6. l. 1. lit. c.

VERS. XXIV. *Simile factum est Regnum Cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.*

Quoniam in toto Orbe, ac omni in Gente prædicationis euangelicæ verbum, ipsique in primis Apostoli erant disseminandi, vt vndique Ecclesia Gentium coadunaretur: ecce mox de Regno Cœlorum parabola. 17. Diuus Gregorius homil. 38. in Euangel. *sæpè*, inquit, *iam me dixisse memini, quòd plerunque in sancto Euangelio, Regnum Cœlorum, præsens Ecclesia nominatur. Congregatio quippe iustorum Regnum Cœlorum dicitur*. Neque potuit prætermitti mentio de Ecclesia toties, præsertim à Matthæo; quoniam hoc ipsum est loqui de Christo, cujus illa est corpus mysticum, quemadmodum ipse illius est caput. Immo vt recolit Diuus Antoninus quarta Parte titulo 11. §. 13. nedum de vero, sed & de simulato Christi corpore oportuit induci parabolas, vt postea dicemus. Interim nunquam debet excidere memoria, (quod diximus supra cap. 10. nu. 5.) quatuor modis accipi in Scripturis Regnum Cœlorum; E quandoque enim dicitur ipse Christus habitans in nobis per gratiam; quia sic inchoatur nobis via cœlestis Regni; Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*. Secundò sacra Scriptura; quia lex eius ducit ad Regnum. Tertiò præsens Ecclesia militans; quia ad modum cœlestis Ecclesiæ est institutum. Quartò cœlestis Curia.

E Matth. 3. post initium.

Quoniam autem Regnum dicitur à regendo; & regere, actus est prouidentiæ, quæ ordinat in finem; & via perueniendi ad finem, est fides per dilectionem operans; ideo Ecclesia militans dicitur Regnum Dei. Immo nedum Congregatio eorum, qui per fidem ambulant, Regnum Dei dicitur: sed & illorum Collegium, qui iam in fide stabiliti sunt, scilicet Ecclesia triumphans, Regnum Dei vocatur: [F 4. sent. 47. q. 1. a. 5.] vt profunde declarat in 4. F Et vide, mi lector, quomodo sacer Matthæi textus indicat de Ecclesia militante hanc accipi secundam parabolam, dum ait, *simile factum est Regnum Cœlorum*: non dicit *simile est*, sed *factum est*: ob hoc nimirum, quòd de Christo prophetice Zachariæ 4. dictum est; *manus Zorobabel fundauerunt Domum istam*, scilicet Ecclesiam; [G Hebr. 11. l. 1.] G nam manus Christi, qui de genere Zorobabel descendit, fundat Ecclesiam in fide, & fidem gloria consummat. Et ad caput 3. ibi; *amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet Domus, qui fabricauit illam*: Christus fabricauit Domum, Prouerb. 9. *sapientia* [H Hebr. 3. l. 1.] *ædificauit sibi Domum*; idest H Ecclesiam. Pergit Apostolus; *omnis namque Domus fabricatur ab ali*[I Ibi.]*quo*; quia diuersa non coniunguntur, I nisi ab aliquo vno: sicut patet de Domo artificiali; in qua ligna & lapides, ex quibus composita est, vniuntur ab aliquo: aggregatio autem fidelium, quæ est Ecclesia & Domus Dei, ex diuersis collecta est, scilicet ex Iudæis & Gentilibus, seruis & liberis. 1. Petri 2. *ipsi tanquam lapides viui superædificamini*: Ephes. 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*: iterumque Ephes. 2. *ipsius factura sumus creati in operibus bonis*. Et planè in hac parabola satis tangitur de fabricatore ipso, dum *homini* assimilatur; itemque *in agro* possessiuè *suo*; sicut Actor. 20. *posuit vos Spiritus-Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: nota ly *suo*. Prælusit autem Ecclesiæ suæ sanctæ, præmittens de fructu centesimo; deinde de sexagesimo, & de trigesimo; cum potiùs gradatim à trigesimo fuisset ascendendum; scilicet ab incipientibus, vt fit apud Marcum, & Cantic. 3. quia, prout mihi videtur, centeno fructu notantur Virgines; vniuersa autem Ecclesia Virgo est; iuxta illud 2. Cor. 11. *despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*. [L 2. Cor. 11. l. 1.] Ecclesia namque exhibet se Christo L Virginem, quando perseuerat in fide, & infra Sacramenta, absque corruptione alicuius idololatriæ & infidelitatis; Ephes. 5. *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*.

18. Ex hinc aperiri potest mirabiliter causa, cur Dominus superficiali quadam veluti discordantia, fructum, quem prius masculinè, prout conuenit, pronunciauerit, mox in neutrum genus declinans, *fructum*, inquit, *affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum*. Et sic supra v. 6. (si tamen cadat supra fructum, & non potius supra semina: præmisit enim *alia ceciderunt*) & dabant fructum, aliud centesimum &c. Theophylactus reddidit in genere masculino, legens; *ille quidem centum, alius autem sexaginta; alius verò triginta*. At absit sacrum alterari [M p. p. 31. a. 1. ad 4.] textum. Dicamus ergo M neutrum genus esse informe, & per illud significari essentiam communem; masculinum (& sic fœmininum) esse formatum & distinctum. Vnde & in rebus humanis; si quæratur; *quis est iste*? Respondetur; *Petrus*: si autem quæratur, *quid est iste*? Respondetur; *animal rationale & mortale*. Stante hac Angelici doctrina elucet, quare in neutrum genus transeat diuinus sermo. Subinnuebatur in fructu exorta Ecclesia; & ideo debuit communi genere significari, quæ est congenito sibi epitheto *catholica & vniuersalis*. Rursùs ideo, nec masculino nec distincto vocabulo debuit res efferri; quia teste Apostolo Rom. 3. *iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio*: & Rom. 10. *non enim est distinctio Iudæi & Græci*: vbi sicut in præsenti, de verbi Dei prædicatione tractat; dicens: *quomodo audient sine prædicante*? Et ad Galat. 3. *non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina*. [N Gal. 3. l. 9.] Vbi Diuus Thomas; N ostendit Apostolus, quòd *ad fructum* gratiæ Gentiles & Iudæi peruenerunt; (ecce ab eius calamo memoratur *fructus*). *Non est* Roman. 2. *personarum acceptio apud Deum*. Sexus, qui per articulum exprimitur, nullam differentiam facit, quantùm ad participandum baptismi effectum. Subdit autem Apostolus; *omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu*. Ex quo fortè idcirco legimus in Marco, *dabat fructum*, &c. *vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum*. Quòd si obijcias, cum hac vnitate, non stare ly *aliud*. Respondeo; quinimmo: eoquòd, Rom. 12. *habentes* etiam *donationes secundum gratiam; quæ data est nobis, differentes*, adhuc, *multi vnum corpus sumus in Christo*. Obijcies iterum, quomodo parabolam hanc exponendo dixerim pro Regno Cœlorum intelligi Ecclesiam, cùm palam Dominus, qui est veritas ipsa, mox dixerit illam edisserendo, *ager est Mundus*. Vnde Augustinus; *Dominus agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc Mundum interpretatus est*. Respondeo agrum sine dubio esse Mundum, sed in hoc agro Ecclesiam seminatam; iuxta quod Marci vltimo dixit discipulis Dominus, vt irent in hunc agrum; *euntes in Mundum vniuersum; prædicate Euangelium omni creaturæ*. Quare *ager est Mundus*, sed Ecclesia est *Regnum Cœlorum*, quæ totius parabolæ imbuit significationem. Qui quidem ager *suus* nedum erat potestate & dominatu, iuxta illud; *data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*; Matthæi vltimo, sed suus specialiter euasit, plantata in eo Ecclesia. *In propria enim venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum* Ioan. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Et ecce quod ipse dignatur interpretari de bono semine dicens: *bonum verò semen, hi sunt filij Regni*.

VERS. XXV. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius*.

Iam edisserit infra Dominus dicens; *inimicus*, 19.
qui seminauit ea, (zizania) *est Diabolus*. Pergit ergo prænunciare in hac & sequentibus duabus parabolis (de grano sinapis, & de fermento,) quæ potissimè mala & bona Ecclesiæ toto sui cursu euentura sint. Igitur nocendi artifex, *inimicus* antonomasticè humanæ nostræ naturæ, etiam in Christo; qui *homini* idcirco se comparat seminanti; pauloque post nuncupat *filium hominis*, superseminaturus erat *zizania*. Quemadmodum autem Christus Dominus seminare dicitur, quia Princeps est seminantium primusque sator, quamuis per Apostolos eorumque successores id præstiterit; ita Diabolus superseminasse perhibetur coinimicorum hominum ministerio; & ideo mox subdit; *inimicus homo fecit*; hoc est per homines fecit; quod passim in Scripturis in malum sonat; supra cap. 10. *cauete autem ab hominibus*; filijs scilicet carnis: psal. 4. *filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? Nam Ioann. 1. *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. De quibus & Angelicus

cus in Sermone de Sacramento; *vt homines Deos faceret factus homo*; moxque Dominus impræsentiarum: *bonum semen, hi sunt filij Regni*. Vnus de huiusmodi inimicis hominibus; à quibus & Diabolus dicitur *inimicus homo*, esto in exemplum Pseudopropheta ille impius, cui in Actis cap. 13. Paulus dixit; *o plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ! non desinis subuertere vias Domini rectas*. Vt autem ibidem legitur; *resistebat Magus iste Barnabæ & Saulo, quærens auertere Proconsulem* (Sergium Paulum) *à fide*. Certe hic superseminare studuit zizania: sed non ei licuit; quia non dormiebant Apostoli. Superseminat Diabolus, libr. Quæst. Euangel. in Matthæum cap. 11. *cum negligentius agunt Præpositi Ecclesiæ*. Negligentia quippe somnus quidam est; sicut enim somnus est remissio virium animalium: ita *negli-*

O 2. 2. 54 3. *gentia prouenit* O *ex quadam remissione voluntatis, per quam contingit, quòd ratio non solicitatur, vt præcipiat ea, quæ debet, vel eo modo, quo debet*. Omnino excutiebat Iacob somnum huiusmodi lethalem Genes. 31. cum contestatus est; *die noctuque gelu vrebar & æstu; fugiebatque somnus ab oculis meis*. Pastores vigilant; Lucæ 2. *Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Nisi vigilent, Pastores dicendi non sunt, sed de vulgo homines; vt hic ait Dominus; *cum autem dormirent homines*. Petrus in sua prima c. 5. *sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens* &c. Adsimilatur leoni, crediderim, ad innuendum peruigilem semper esse aduersum nos; nam & de leone scribitur; *est vigil, est custos, oculis dum dormit apertis*. Et iam ipsemet Apostolus in 2. capit. 2. ait

P 2. Petri 2. *perditio eorum non dormit*. Dicit autem P emphaticè *perditio*; idest perditionis auctor Diabolus, quia irreparabiliter perditus est, & nihil aliud, quàm perditionem intendit, ad maiorem expressionem malitiæ ipsius. Vnde & qui eum imitantur, dicuntur filij perditionis; sicut Iudas Ioan. 17. & Antichristus 2. ad Thessal. 2. De eo Bernardus; *non dormitat, neque dormit, qui impugnat Israel*. Et ecce per hanc Diaboli vigilantiam, quem vocat *perditionem*, alludi quodammodo per locum à contrario ad hanc hominum dormitionem, qua attenta non dormitat perditio, nec desunt zizania superseminata, *filij nequam*. Ly *nequam* in patrio seu genitiuo est casu, per antithesim ad *filios Regni*: vnde Syriaca legit; *filij sunt illius mali*. Quamuis autem pro eodem accipi possit, & *nequam*, & *malus*; nequior, & peior:

Q Ephes. 6. l. 5. vt ad Ephesios Q ibi *spiritualia nequitiæ*; nihilominus apud D. Augustinum Tomo 1. lib. de Beata vita, *homines nequam perditos dicimus*. Idem est ergo dicere *filij sunt nequam*, apud Matthæum, atque *perditionis* ex Diuo Petro. Vbi vigilare perditionem admonet: quod dormientium hic hominum cedit in increpatam segnitiem.

20. De zizanijs huiusmodi Augustinus vbi supra in Matth. *benè*, inquit, *intelliguntur hæretici; quia non societate vnius Ecclesiæ, vel vnius fidei; sed societate solius nominis Christiani, in hoc Mundo permiscentur bonis*. Et quamuis superseminatos legamus in medio tritici: quod introrsus videtur importare societatem: attamen, ideo dicit *in medio tritici*, ne dicat *in terra*, quæ bona præmissa est: neque enim in terra bona, vel nasci vel crescere possunt zizania: ad eum sensum quo in prima sua Ioannes cap. 3. inquit, *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*; quia sci-

R 1. Cor. 13. l. 1. licet homo, dum charitate vtitur, R peccare non potest; eo quòd vsus charitatis est dilectio Dei super omnia; & ideo nihil restat, per quod Deum offendat. Vel etiam (& in idem redit) quia dona Spiritus-Sancti, quibus homo S adoptatur in filium Dei, quantùm est de se, tantam habent virtutem, quòd hominem sine peccato conseruare possunt; nec homo peccare potest secundùm ea viuens. Sic enim dictum est; qui natus est ex Deo non potest peccare: sicut si diceretur, quòd calidum non potest infrigidare; vel sicut si diceretur, iustus non iniusta agit; scilicet in quantum est iustus. Ecce ergo, prout mihi videtur, cur *in medio tritici* seminasse dicatur inimicus; ne diceretur in terra bona, in qua nequeunt zizania germinare aut radicari. Sed quare Dominus, qui vt dicitur in psal. 120. *non dormitabit neque dormiet custodiens Israel*, permisit in Ecclesia, superseminari zizania? Respondeo cum Apostolo 1. ad Corinth. *oportet & hæreses esse*. Quemadmodum, & infra Matthæi 18. *necesse esse, vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit*. Sicut Augustinus dicit in Enchiridio, *Deus nullo modo permitteret aliquod malum; nisi esset adeo potens & bonus, quod de quolibet malo posset elicere bonum*. Sic T persecutionem tyrannorum ordinauit in gloriam Martyrum. Permittuntur ergo ex Diuo Thoma ibi, ad maiorem manifestationem veritatis. Vnde dicit Augustinus in glossa; *ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio. Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur: vt aduersùs eos defendi possint; & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & prædicantur instantiùs*. Vnde & Prouerb. 27. *ferrum ferro acuitur; & homo exacuit faciem amici sui*. Item ad manifestandam firmitatem fidei, in ijs qui rectè credunt. Et hoc est quod subdit Apostolus, *oportet hæreses esse; vt hi qui probati sunt*, idest approbati sunt à Deo, *manifesti fiant in vobis*, idest inter vos. Hoc ipsum & in *Summa* tradit; vtilitas, inquit, quæ ex hæresibus V prouenit, est præter intentionem hæreticorum; dum scilicet constantia fidelium comprobatur, vt Apostolus dicit; & vt excutiamus pigritiam, diuinas Scripturas solicitius intuentes, sicut Augustinus dicit. Et hinc accipe intentionem hæreticorum, (qui tanquam inimici, hoc est Diaboli administri, seminant contra fidem) esse fidem ipsam, vt notat ibi, corrumpere. Qua ex causa reor dici superseminasse, non aliqua in parte agri, sed *in medio tritici*; vt quaque versum è medio serpere posset venenum. Hæresis enim vt ait in 4. infectiuum vitium est: 2. Timoth. 2. *sermo eorum vt cancer serpit*. Hoc autem quod de zizanijs introducitur, significari falsam hæreticorum doctrinam, vel ex eo claret, quòd nocte, quia *cum dormirent homines*, superseminat. Furis est nocte ad perpetranda facinora prodire: Et ecce Prouerb. 9. *aquæ furtiuæ dulciores sunt*. Quod exponitur passim de doctrina X hæreticorum. Sequiturque *panis absconditus suauior*; relatu quodam, ad subdolam inimici superfationem. Qui animi prauitate cupiens veneficum huiusmodi panem coquere ardore nocendi, implere nititur, quod dolet Osee c. 7. *omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente*. De quo tangit A alibi Angelicus; vbi de Antichristi tempore, multos praua doctrina malorum, procurante Diabolo, tradit decipiendos. Non sic clam sapientia, quæ Sapient. 1. *dat vocem in plateis*; quia vera doctrina, cùm sit mētis lumen, quærit B in lumine videri. Marci 4. *nunquid venit lucerna*, idest, vera & honesta doctrina, vt *sub modio ponatur*?

S 4. cont. G. c. 70.

T 1. Cor. 11. l. 4.

V 2. 2. 11. 3. 2. 4. sent. 13. 9. 2. 3.

X 1. P. 42. 3. & Matth 24. ibi in desine.

A Apoc. 9. Com. 1.

B Matth. l. cit. & 5. p. cit.

VERS. XXVIII. & XXIX. *Vis imus, & colligimus ea? & ait; non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum*.

Voluit

21. Voluit Dominus introferre de seruis ad colligendum zizania paratis; & tamen non ausis id facere inconsulto, multoque minus inuito Domino: quoniam in Ecclesia Dei, magni momenti futura erat controuersia, quonam pacto se gereret ad hæreticos. *Vtrum hæretici sint sustinendi, seu tolerandi*; an potius nedum excommunicandi, sed etiam de medio tollendi? Futurum quippe erat, vt pro libertate conscientiæ, inter alia induceretur, quia cætera
C 1. 1. 10.8.3. sent.13.1. 3.5. potest homo nolens; C *credere verò non nisi volens*; vt ait Augustinus: voluntas autem cogi non potest. Idcirco dignatus est Dominus paucis quidem, sed absolutissimè quæstionem dirimere: cogendos satis insinuans, si simpliciter quæritur: quando in casu, ne eradicetur & triticum, id vetat fieri. Quidam, ex hisce Domini verbis, *sinite vtraque crescere vsque ad messem*, arbitrati
D 2. 2. 10.8.1. sunt, D esse prohibitam, non quidem excommunicationem hæreticorum, sed eorundem occisionem. Vnde Chrysostomus, *prohibet Dominus occisiones fieri: nec enim oportet interficere hæreticos*. Et Augustinus ad Vincentium Epistol. 48. *versùs medium*, de se dicit; *hæc primitus mea sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum: verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum; ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis*. Et post exemplorum inductionem, fert, gratias Domino plures egisse, quòd tenore imperialium legum falsitatem respuissent. Quare pro certo tenendum est posse hæreticos coerceri: & quidem etiam inflicta morte, quam promeruerunt ex hæresi: nedum si alios seducant, sed etiam personali ex crimine: quamuis facilè, etiam non seductor inficiat. Hoc firmiter docet
E 22.11. a. 3. & 4. sent. 13. q. 2. a. 3. Angelicus: E quia si falsarij pecuniarum, rei criminis læsæ Maiestatis, alijque malefactores, statim per sæculares Principes morti traduntur; multo magis hæretici statim, ex quo de hæresi conuincuntur, possunt non solùm excommunicari, sed & iustè occidi. Potest etiam afferri auctoritas Lucæ 14. *compelle intrare, vt impleatur Domus mea*; F nam in
F 22.10. & in sed contra. Sanctam Ecclesiam quæ est Domus Dei, intrant homines per fidem. Et Ecclesiastes 8. *etenim quia non citò profertur contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala*. Ex quo docet, reuertentes hæreticos ab Ecclesia vice prima minimè mortis pœna puniri: benè verò si iterum in
G 2. 2. 11.4. hæresim prolabantur; iuxta quod in Decretalibus lib. 5. tit. 7. cap. 9. dicitur; *si aliqui post abiurationem erroris, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, sæculari iudicio sunt relinquendi*. Et sanè aliàs, nedum licitum, sed necessarium esse oc-
H 2. 2. 64. 2. & q. 108. 1. cidi peccatores H decernitur, si communitati perniciosi sint, & periculosi. Non sic compellendi sunt infideles, siue Gentiles, siue Iudæi, qui nun-
I 2. 2. 10. 8. quam crediderunt; I quia credere voluntarium est. Neque est par ratio de hæreticis aut apostatis, qui prius fidem susceperunt; quia tenere eam est necessi-
L ibi ad tatis: sicut vouere est L voluntatis, sed reddere est necessitatis. Præterquam Ecclesia non eos persequi-
M 4. sent. 13. 2. a. 3. ad 5. tur M, vt per violentiam inducantur ad credendum; sed ne alios corrumpant, & ne tantum peccatum inultum remaneat. Claret autem hic sermonem esse de hæreticis; quia postquam de terra bona & fructu etiam centesimo in ea præmissum est, adiecit de zizanijs parabolam. Et dum ait *superseminasse zizania*, & *in medio tritici*, satis indicat præfuisse veræ fidei cultum, quam Diabolus superinducens hæreses violarit. Infideles, qui nunquam fuerunt in Ecclesia, non sunt cum tritico misti, quod sonat ly *in medio tritici*, sed ab extra. Vnde Apostolus 1. Corinth. 5. *quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare? nonne de his qui intus sunt, vos iudicatis?* Mirum est autem, cur Euangelica Domini nostri sapientia subiunxerit post inimici relatam superstitionem; *& abijt*. Neque enim vertendum videbatur in dubium fuisse abiturum; ne si fortè euigilarent homines, deprehenderetur. Igitur videtur deberé accipi suis in membris, atque intelligi de eisdem hæreticis, qui quanquam in Ecclesia præfuerint ante apostasiam, immo & in ipsa apostasia (quo alios inficiant) medium permeent tritici, eo ipso, non in medio sunt tritici, vel intra triticum, hoc est inter bonos, vt exponit N vbi supra; quia à bonis *abeunt*. N 2. 2. 64. 2. 1.
Quo quidem facit illud Ioannis in sua prima cap. 2. *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: prodierunt*, ex glossa, O *ab vnitate catholica recedentes*: O 1. 10a 2.
erant enim de Ecclesia, numero non merito; Sacramentorum perceptione, non charitatis communione: *sed non erant ex nobis*, prædestinatione & electione. Sed ex recessu eorum (nota ly *abijt*) Ecclesia non est damnificata, sicut nec corpus damnificatur, cum humores praui exeunt de illo. Hucusque Diuus Thomas.

Hos ergo quamuis absolutè euellendos, quandoque monet Dominus tolerari dicens, *sinite vtraque crescere*. In primis P cum de eis non adhuc constat an sint hæretici, vel non. Interdum quippe latent Q inter bonos. Vel non est crimen illorum adeo apparens & execrabile; vt ait Diuus Augustinus; R ex quo contingit, vt habeat defensores, per quos exoriatur schisma. Denique vno verbo, sinitur etiam, vt crescant zizania vsque ad messem, vt caueatur scandalo, seu periculo. Quod timeri debet si hæretici multos habeant sequaces; ita quòd sine bonorum periculo, interfici non possint; vt dicit Augustinus contra Parmenianum S. Propter vitandum enim scandalum T parcitur multitudini, & detrahitur seueritati. Quando verò ex occisione malorum, non imminet periculum bonis, V sed magis vtilitas tutela & salus; tunc licitè possunt mali occidi. Ecclesia tamen misericorditer etiam cum his procedit ad eorum conuersionem; & ideo X non statim condemnat; sed post primam & secundam correptionem, vt Apostolus dicit Titi 3. *hæreticum post primam & secundam correptionem deuita*: post quod si adhuc pertinaces inueniantur: de eorum conuersione non sperans, aliorum saluti prouidet, eos ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam: & vlteriùs relinquit eos iudicio sæculari à Mundo exterminandos per mortem. Dicit enim Hieronymus; *resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota Domus, massa, corpus, & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria, vna scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est; totum Orbem eius flamma populata est*. Et Augustinus Epistola 50. *nullus nostrum vult aliquem hæreticum perire*; A *sed aliter non meruit habere pacem Domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra Patrem gerebat, fuisset extinctus. Sic Ecclesia catholica, si aliquorum perditione cæteros colligit, dolorem materni sanat cordis, tantorum liberatione populorum*. Verùm ipse considero vsurpasse Dominum vocem illam, *ne fortè eradicetis simul cum eis & triticum*: ad eum sensum, vt tunc potissimè permitterentur hæretici, cum ex eorum nece, subirent mortis periculum Agricolæ, animarumque Pastores; qui si pereant, non tam perit triticum, quàm eradicatur: per eos enim ager colitur & seminatur. Absit tentari malorum mortem, cum Maiorum periculo, maximoque Ecclesiæ damno. Absit vlcisci in hostes cum Ducis iactura. Hoc sonat ly *eradicetis*. Aliàs non consueuit triticum eradicari,

22. P 4. sent. cit. ad 1. Q 1. 2. 64. 2. 1. R 2. 2. 10. 8. 1. S 2. 2. 64. 2. 1. T 2. 2. 108. 1. 5. V 2. 2. 64. 2. 1. & q. 108. 2. 3. 1. X 2. 2. 11. 3. A 2. 2. 10. 8. 4.

sed colligi. Quod quidem eo amplius emicat; quia de zizanijs colligi dicitur; *ne forte colligentes zizania*; non dicit colligatis & triticum, sed *eradicetis*. Sanè vbi Apostolus ad Coloss. ait; *in ipso radicati & superædificati*: eadem est B comparatio fundamenti ad Domum, & radicis ad arborem. Immo reperio vtrumque in eandem sententiam iungi; Ecclesiastici 3. *maledictio Matris eradicat fundamenta*. Dum ergo cauet Dominus de radice, cauendum monet de Ecclesiæ fundamentis. Fundamenta Apostolos fuisse, eorumque successores apostolico spiritu vices gerere notum est. Eo collimant Diaboli astus, vt percussis Pastoribus, dispergantur oues: & in psal. 136. *exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*. Sanè quandoque licet Pastori declinare imminente persecutione; vt visum est supra cap. 10. ad v. 23. & expedit aliquos, qui superstint recedere, vt alibi C tangit. Diuus Maximus hom. 2. de Sancto Laurentio; *notendi artifex*, inquit, *inimicus peruigilis prius molitur custodiam Pastoris eripere. Et ideo Xistum ante omnes summum Domini Sacerdotem, furor gentilis aggreditur; vt ecclesiastica membra tam valido truncata capite, velut munimine præsidij cœlestis amoto, cruentus persecutor inuaderet*. Sic fuit illi studium eradicandi triticum: quod perquam accuratè vitandum est, ne colligendorum zizaniorum zelo, contingat radice amota, segetem totam perire. Et quamuis generalis sit regula de scandalo periculoque maiori vitando; opportunè hic Dominus edocet: quia cum de dogmatibus fidei agitur, etsi falsa imbutus doctrina, consueuit populus excandescere, cæcoque marte in bonos Pastores furere. Denique dum *ne fortè*, inquit, *eradicetis simul cum eis & triticum*, videtur idcirco impetum retardare; quia *fortè*, etsi appareant quædam esse omnino zizania, *apparuerunt & zizania*, radix est triticea, simulque zizania sunt & triticum: *simul cum eis & triticum*. Augustinus cum in hæresim Manichæorum incidit, zizanium erat: atqui coram Domino, qui solus futura nouit, tritici nonnihil retinuit. Qui collegisset cum alijs Augustinum; ô quale eradicasset triticum! Hoc animaduertens Ecclesia, sciensque quòd *potens est Deus de lapidibus*, supra cap. 3. *istis suscitare filios Abrahæ, hæreticum non nisi post primam, & secundam correptionem*, vt Titi 3. deuitat.

B Coloss. 2. l. 2.

C Ioan. 10. l. 3.

VERS. XXXI. *Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis*,

23. Quoniam, vt præmissum fuit, de Ecclesiæ progressu præsens est caput, operæ-pretium adhuc est ex Diuo Thoma recolere, D triplicem considerari in Ecclesia statum; primitiuum scilicet, modernum & finalem, quos triplici hac parabola complexum fuisse Dominum, minimè nobis liceat dubitare. Ad vnum quid attinere similitudines istas, vel ex eo deprehenditur, quòd hanc de bono semine in agro, non edisserit, nisi interiectis duabus alijs, & *de grano sinapis*, & *de fermento*. Dumque adiecit Matthæus; *hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas*; argumento est, omnia quæ de Ecclesiæ statu dici possunt, per eas adumbrari. Illud etiam; *eructabo abscondita à constitutione Mundi* ad Ecclesiam referri videtur; de qua Apostolus ad Ephes. 5. memorans quod à constitutione Mundi dictum est, *propter hoc* (Genes. 2.) *relinquet homo Patrem & Matrem suam*, subdit; *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Igitur, quia primitiua etiam Ecclesia, vt ibidem E animaduertit, insidijs affligebatur hæreticorum; ad hoc innuendum introducitur de zizanijs. Et nota agi de Ecclesia; postquam Gentilium persecutiones exantlauit, qui semen apostolicum conculcauerunt: *& conculcatum est*; exinceps enim cœperunt hæretici Ecclesiam impetere. Hasce inter angustias posita, quomodo feliciter emerserit, fuerat aperiendum: quod est modernum progredientemque Ecclesiam lineare de qua Cantic. 6. *quæ est ista, quæ progreditur*, F *quasi aurora consurgens* &c. Poterat enim tacitè obijci, quòd ab initio zizanijs turbata, nequiret agrum, quem interpretatur Dominus ipse Mundum, bono semine seminare: præsertim sub alia metaphora: cum Apostoli pauci essent, lupisque plenus esset Mundus, quod ait Chrysostomus. Illi piscatores fuerant; *peragrarunt que orbem terrarum*, vt perpendit in Serm. 2. de Pentecoste, *non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, pecunia indigentes, non in eloquentia confidentes*: quis non extingui credidisset Ecclesiam peremptis Apostolis? Exiguo tenuique adeo ex principio, vix poterat quis concipere spem progressus. Ecce occurrit Dominus per parabolam, fassus exterioris apparatus exilitatem, sed vbi vehemens latuerit vis & feruor. Dat gratis sub grani sinapis figura, *minimum quidem* fuisse Euangelicum verbum *omnibus seminibus*. *Confer* (ita hic Hieronymus) *doctrinam nostram dogmatibus Philosophorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum; & videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij. Sed hæc prædicatio quæ parua videbatur in principio, in toto Mundo sata, non exurgit in olera, sed crescit in arborem*. Certè *maior est omnibus oleribus, & fit arbor*. Granum sinapis G feruidum est. Item granum sinapis antequam conteratur, nullum feruorem habere H videtur. Dic tu primò de Apostolis; de quibus in Hymno *verbis vt essent proflui, & charitate feruidi*. Et ita Chrysostomus grano huic comparat Apostolos, qui fuerunt modici & abiecti. Nulla enim scientia diuulgata est per tam deiectos homines: 1. Corinth. 1. *non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt Mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma Mundi elegit, vt confundat fortia; & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus*, &c. *vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*. Ecclesia itaque per huiusmodi *facta est arbor*; sic vt expanderit ramos, quaque versum; iuxta illud psalm. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: ad literam I vsque ad fines Mundi: Isaiæ 24. *à finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti*. Et cap. 49. *dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ*, *Gloriam iusti*, glossa, *idest Christi omnes iustificantis*. Act. 1. *eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ*. Consimile parabolæ huic est, quod legitur Danielis 2. *de lapide abscisso de monte sine manibus, qui percussit statuam, factus est mons magnus, & impleuit terram*. Qui quidem lapis passim L exponitur de Christo Domino. Idem est autem ad rem. Nam, vt ait ad Ephesios, alias idem est dicere, M Christum esse fundamentum, & doctrinam Apostolorum & Prophetarum; cum Christum tantum, non se ipsos prædicauerint: vnde accipere eorum doctrinam, est accipere Christum crucifixum. Hinc quippe fundata est Ecclesia. Et quia de ipsius fide aiebat Apostolus Coloss. 1. *in vniuerso Mundo est, & fructificat, & crescit*, bellè per sinapin, quæ etiam ex Augustino lib. 1. Quæst. Euangeliorum, *venena expellit*, falsorum dogmatum, dic significari. Sic cum Nabuchodonosor Danielis 4. vidit somnium; erat *magna arbor & fortis*, &c. *& in ramis eius conuersabantur volucres Cœli*: exponens visionem Daniel de ipso Rege adiecit, de illius potestate *in terminos vniuersæ terræ*. Quidni ergo de sinapi etiam, quæ secundum Marcum facit *ramos magnos; ita vt possint sub vmbra eius aues Cœli habitare*,

D Cant. 1. com. 1 in initio.

E ibi S. nigra sum.

F ibi c. 6.

G D.Th. hic.

H infra c. 17.

I Rom. 10. l. 3. opusc. 60. a. 1.

L Ephes. 2. l. 6. Hebr. 9. l. 3. 1. Petri 2.

M Ephes. 2. l. 6.

bitare, dicamus, in vniuersam terram intelligi extensam? hoc vno discrimine, quòd Nabuchodonosor Regnum temporale fuit & iniquum; Christi autem Regnum Ecclesiæ dilatatione, spirituale Sanctum ac æternum; Ioannis 18. *Regnum meum non est de hoc Mundo*; Danielis 2. *suscitabit Deus Regnum, quod in æternum non dissipabitur*.

24. Altè autem fidei Ecclesiæque amplitudinem in hac significari parabola, sic accipito. Arcanus satis est sensus, quid sibi velit ly *volucres Cœli habitare in ramis eius*, siue *sub vmbra eius*, apud Marcum. Diuus Hieronymus dixit; *volucres Cœli, animas credentium, vel fortitudinis Dei seruitio mancipatas sentire debemus*. Verum si recolas, *volucres Cœli* perhiberi subiectas Christo; Psal. 8. *volucres Cœli*, &c. figura synecdoche de parte ad totum, (opportunè ad arboris tropum) cætera omnia intelliges ei subiecta. Hoc certè Paulus expendit ex psalte 1. ad Corinth. 15. dicens; *oportet illum regnare: omnia enim subiecit pedibus eius*. Idem sit ergo dicere *volucres Cœli* arbori sinapis adesse, atque Christo Domino obsequi, cui *omnia subiecit, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi; volucres Cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris*. Quæ cuncta enumerasset hic Dominus, si arboris assumpta metaphora id pateretur. Satis sit colligi, quàm sit *admirabile nomen eius in vniuersa terra*, Angelicus de Monarchia Christi loquens, atque de ipsius Dominij vniuersitate N hoc inducit, quia *in omnem terram* Psal. 18. *exiuit sonus eorum*, & quia *omnia subiecit pedibus eius*, vt introducit Apostolus loco cit. ad Corinth. Dic iterum per synecdochen, *volucres Cœli* subiecit pedibus eius; subditque quia nullus est angulus, nulla plaga, in qua nomen Christi non adoretur. Subinde quò non extendatur Ecclesia, quæ ipsius est sponsa. Iuxta illud Malachiæ 1. *ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus*. Quòd si per ly *omnia* Christo subijcienda, intelligantur Angeli O quoque, vt probat Angelicus, intelligendo omnem creaturam, meritò venire in obsequium *volucres Cœli in ramis* arboris huius dicentur, vt tanquam à nobiliori cætera capiantur; nam Hebr. 1. *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Volucres autem speciatim nuncupantur, quia ad executionem volare Angelorum est. Isaiæ 6. *duabus volabant*; & Danielis 9. *vir Gabriel cito volans tetigit me*. Quanquam autem hæc dicantur de Christo, æquè accipi possunt de Ecclesia, vt & Christus & Ecclesia grano sinapis, quod creuerit in arborem, intelligantur, prima supra commemorata ex regula, de ipso & eius corpore mystico, quod est Ecclesia. Et sic Isaiæ 61. vt expendit Diuus Antoninus 4. *Parte titulo* 11. §. 13. legimus *induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. Quod enim dicit, *quasi sponsum*, loquitur de Christo; quod sequitur, *quasi sponsam ornatam*, intelligitur de Ecclesia. Vno ergo verbo; postquam tactum est de Ecclesia seminata *in agro* hoc est in Mundo; vt innotesceret, quo ordine propagata est, quod est esse catholicam; de sinapis grano, & de arbore inde surgente *magna*, adijcitur. *Catholica* quippe, *seu vniuersalis*, teste Boetio *de Trinitate* dicitur fides & Ecclesia, *propterea quòd eius cultus per omnes ferè Mundi terminos emanauit: catholica* P *græcè, vniuersalis latinè*: ipsa enim communiùs & diffusiùs est recepta. Quod planum est; quia *in omnem terram exiuit sonus eorum*, &c. Alterum assignat etiam caput, vnde catholica dicatur & sit; nimirum *propter vniuersalium præcepta regularum*: Præcepta enim, quæ fides Catholica proponit, non vni tantum Genti obseruanda, sed omnibus proponit. Q In quo præcipuè differt à lege Moysi, quæ vni tantum populo præcepta proponebat. Similiter etiam singulæ hæreses suis tantum sectatoribus præcepta accommoda tradunt: sed fides catholica, de omnibus curam gerens, omnibus præcepta accommoda tribuit, non solum continẽtibus, vt Manichæi, sed etiam coniugatis; non solũ innocentibus vt Nouatiani, sed etiam pœnitẽtibus; quibus illi salutem negãt. Dic tu optimè exinde dici *maiorem omnibus oleribus*, idest *Dogmatibus*; vt loco citato dicit Augustinus. Pergit Angelicus; vel dicuntur vniuersales regulæ; quia nihil eis falsitatis aut iniquitatis admiscetur. Quo dic tu nil pulchrius; siquidem ex eodem Augustino, vt notauimus, *granum sinapis dicitur venena expellere*. Certè sectæ omnes, suis in placitis conuinci possunt errorum. Quando è contra de fide Ecclesiaque catholica illud accinit Prouerb. 8. *iusti sunt omnes sermones mei: non est in eis prauum quid, neque peruersum. Recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam*. Et quia ex hoc nostræ Religionis, eodem ex Boetio, intelligitur Auctoritas, quod vt exponit, adhuc ob vniuersales regulas, omnes ei subditi esse debent; ecce mirè habitare *animas credentium*, typo volucrum ex Hieronymo *in ramis eius*, siue *sub vmbra eius*, vt fert Marcus c. 4. quo nil vsitatius ad signãdam auctoritatem, iusque in subiectos, quasi auctoritati commissos. Et quoniam, vt ibidem ait Boetius, *fides catholica solitariè pollet Christianæ Religionis reuerentia*, quam Christiana Religio Deo exhibet, credendo ijs, quæ diuinitus sunt prædicata: (quam indebitè sibi attribuunt diuisarum hæresum sectæ, cum tantùm secundum apparentiam & hominum opinionem R hæretici, qui à doctrina Christi recedunt, Christiani dicantur) ideo, prout mihi videtur, ad Ecclesiam sic solitariam innuendam, de vno grano sinapis, deque vna in Mundo arbore extat parabola. Et pro coronide facit quod habet alias Sanctus Beda lib. 4. in Lucam ibi *pusillus grex, quia Ecclesiam suam quantalibet numerositate dilatauit, vsque ad finẽ Mundi, humilitate vult crescere, & ad promissum Regnum humilitate peruenire*.

VERS. XXXIII. *Simile est Regnum Cœlorum fermento*, &c.

Difficilis certè parabola, quæ proinde varias habet Patrum Sanctorum interpretationes; ex quibus ea nobis est astruenda, quæ vestigatæ Syntaxi magis arrideat. *Dies diei eructat verbum*. Nunc de arbore magnos in ramos protensa, causis quas supra, alibi vt in Psal. 79. sub vineæ metaphora de Ecclesia, teste Augustino dictum est: *plantasti radices eius, & impleuit terram*. Etsi autem ramos extensisse perhibeatur arbor sinapis, non omnino illius typo, Ecclesia visa est hactenus ad omnem Orbis plagam eos porrexisse. Ex quo fidelibus condescendens pius Dominus, dignatur sub fermenti parabola, si cum humilitate feruescimus, rem edifferere. Vnde & consummatiue innotescat debere accipi, quod prænunciatum in Psal. legimus; *in omnem terram exiuit sonus eorum*. Quocirca prius videndum est, quid primitiua in Ecclesia impletum sit. Nam secundùm Chrysostomum, qui in sensu præterito accipit ly *exiuit sonus eorum*, eo quòd ab Apostolo fertur Rom. 10. qui item ad Coloss. c. 1. ait de Euangelio, *in vniuerso Mundo est, & fructificat & crescit*: secundùm Chrysostomum, inquam, tempore S Apostolorum ad omnes Gentes etiam vsque ad finem Mundi peruenerat aliqua fama; (non tamen ad singulos homines) *Mira*, inquit idem Chrysostomus, *virtus Christi, vt intra spatium quadraginta annorum* T *ita creuerit doctrina Christi, vt totum Mundum impleuerit, expleto Isaiæ vaticinio c. 57. misisti legatos tuos procul*. Et ita idem Chrysosto-

25.

N opusc. 20. lib. 3. c. 13.

O Hebr. 2. b. 1.

P opusc. 70. post Procemiũ

Q ibidem

R opusc. cit.

S Rom. 10. d. 3. ps. 17. & 44.

T Coloss. 1. f. 2. Mat thæi 24.

mus

mus, verba illa Domini Matthæi 24. *oportet hoc euangelium Regni prædicari in vniuerso Orbe, & tunc erit consummatio*, intelligit de consummatione destructione, seu excidio, vrbis Ierusalem. Tertullian. *in initio Apologetici aduersus Gentes* fert ex Romanorum ore, de Christianis in hæc verba conquestum esse: *obsessam*, inquit, *vociferantur Ciuitatem, in agris, in Castellis, in insulis Christianos: omnem sexum, ætatem conditionem; & iam dignitatem trasgredi ad hoc nomen, quasi detrimento moerent.* Augustinus autem qui certè non negat fuisse diuulgatum, sensit nondum etiam suo tempore fuisse de Ecclesiæ dilatatione, impleta Scripturæ verba *in omnem terram*, & huiusmodi: sed poni præteritum pro futuro ex certitudine: quia sua adhuc ætate apud quasdam in Africa Gentes, nondum erat fundata Ecclesia. Et quod ait Dominus; *tunc erit consummatio*, referri debere ad consummationem & finem Mundi. Et hoc est verum signum, quòd donec sit diuulgata prædicatio euangelij per vniuersum Mundum, plantataque Ecclesia vbique, licèt aliqui sint credentes, aliqui non, non erit finis. Ita fert noster Angelicus
V locis præfatis. V locis præfatis. Nihilominus disseminatam suis etiam temporibus longe latèque Ecclesiam profitetur idem Augustinus lib. 1. de consensu Euang. 32. *vsque in Persas & Indos, aliasque barbaras Gentes.* Adstipulantur his, duo Scripturæ Sacræ loca quæ recolit Diuus Ambrosius libr. 2. de vocatione omnium Gentium ex Psal. 76. *illuxerunt coruscationes tuæ Orbi terræ*: & ex Apostolo ad Timot. 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus*, &c.

26. Hisce stantibus claret, successione quadam temporis diffundendam fuisse per Orbem terrarum fidem, vnàque cum fide & per fidem Ecclesiam dilatandam: sicque tandem impletura est terram, iuxta Danielis vaticinium, psalmique concentum, vt visum est. Quidne ergo sequenti hac parabola, futurum finaliter prospiciens, rem tangeret Dominus? Huc, me iudice, collimat similitudo, in qua & finalis Ecclesiæ, postquam dictum est de primitiua & moderna, status delineatur. Donec inquit *fermentatum est totum*. Diuus Ambrosius in sermone 5. *fermenti*, inquit, *vim atque virtutem, omnibus notam esse, non dubium est: nam cum sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, vt cum reconditum fuerit in farina succus eius, totam massam faciat esse, quod ipse est: & ita semper vniuersum cumulum, aspersionis suæ vigore diffundit, vt omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum: ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi proprij vigoris acquirit.* Hæc Ambrosius, qui deinde fermentum astruit ipsum Dominum; ex quo, se grano frumenti Ioan. 12. comparat, & fermentum nonnisi de tritico fieri solet. Fermentum etiam salutis nostræ sentit esse Symbolum, nimirum fidei. Sic etiam *velut fermentum quoddam* (dic ex præmissis, *fermentatum*) *nos, qui farina ex Gentibus videbamur esse.* Hæc ergo meditationi meæ adstipulantur, vt putem Ecclesiæ fidem, fermentum quidem, nedum fuisse & esse, sed fore quoque, vsque dum *fermentatum sic totum*: hoc est, Vniuersum; vt tunc gloriosa sit futura consummatio, (hoc est nihil aliud nisi consummatio & finis sit expectandus) ad mentem Augustini finali ab Ecclesia. Fermentum, vt dixi, in expositione capitis, dilatari facit & crescere: quid ad consummandum fidei Ecclesiæque progressum, ipsiusque per totum Orbem dilatationem, poterat assimilatione hac excogitari opportunius? Instar fermenti fermentasse fidem Ecclesiæ Mundum, vel per transennam nuper tetigi. Fusè ac erudite noster Maluenda de Antichristo lib. 3. rem versat: Vbi nedum in toto veteri Orbe, Europa Asia & Africa, sed & in nouo Orbe occiduo, seu in America vt multi vocant, sed & in Orientali ora Indiæ & Sinarum, & Iaponiorum, Euangelicam fidem peruenisse accuratè ostendit. Sufficiat ex ipso cap. 13. qualiter anno M. D. LXXXV. D. Manuius filius sororis Francisci Regis Bungi; D. Michael patruelis Protasij Regis Arimonorum, insula Iaponiorum profecti Romam peruenerunt, eorum Regum Legati, pretiosa munere deferentes ad ipsum Christi Vicarium Ecclesiæ Catholicæ Monarcham; atque ibi à Gregorio XIII. & Sixto V. honorificentissimè excepti, & ingentibus muneribus ornati & aucti, in Patriam remissi fuerunt: Regibus illis in numerum Regum Christianorum à Summo Pontifice cooptatis. Dic tu in ijs Regnis cœpisse farinam fermentari, paulatimque totum, (hoc est regiones illas tam remotas & inuisas) fermentandum; siue fidei, Ecclesiæque catholicæ aggregandas. Considero singula verba: non dicit fermentum appositum in massa aut conspersione, quæ sonant conglomeratam & aqua subactam farinam, sed *farinæ in satis*: fas mihi dicere, fermentum fidei & Ecclesiæ in infidelibus nondum aqua baptismali conspersis, occulto Dei iudicio abscondi & latitare. Absconditum est *Sacramentum à sæculis in Deo* Ephes. 3. Quare crediderim per ly *abscondit* qualificari fermentum, quod in nondum renatis, nondum per aquam factis instar masæ & conspersionis, sua virtute, quæ rarefactiua est, sensim Ecclesiam dilatet. *In farinæ* autem satis tribus, quia & in nomine Trinitatis, atque trina immersione X debet fieri baptisma. Et præterea in baptismo aquæ includuntur A baptismus sanguinis & flaminis. Denique quia Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: ad hoc significandum tria sint sata. Quòd si in *tribus satis* dictum sit, ad innuendos tres filios Noe Genes. 5. & 10. *Sem Cham* B *& Iaphet, à quibus diuisæ sunt Gentes in terra post diluuium*, pulchrè arridet Ecclesiæ, quæ de Gentibus congreganda erat, & Symboli fidei fermento fermentanda. Et quia *vnus panis, & vnum corpus multi sumus* 1. Corinth. 10. non mirum *de farina* esse parabolam: non *de farinis* in plurali; quamquam in *tribus satis*: eo quòd *vnum sumus*. *Fermentum* quippe vt ait ibi Ambrosius, *reddit farinam in corpus solidum.* Et ad indicandum ingentem fidelium, qui credunt & credituri sunt, numerum; nedum farinam eos dicit, sed in *satis tribus*, quoniam fortè apud Hebræos mensura aridorum non erat maior (nisi Ephi maior sit, vt à quibusdam scribitur: satumque sit tertia pars Ephi.) Ex hoc autem quòd dicit *absconditum* in farina, non autem dicit confractum, & diminutum ad statim fermentandum, commonere videtur, non statim congregandam fuisse ex omnibus Gentibus, sic vt *plenitudo Gentium tota intraret* Rom. 11. nam sensim & suauiter id exequi consuescit diuina Sapientia. Hæc (Sap. 8.) *attingit à fine*, vtique *vsque ad finem fortiter; sed disponit omnia suauiter. Cum autem placuit ei*, inquit Apostolus 1. ad Galatas; quia *non est volentis, neque currentis*, vt dicitur Rom. 9. fermentatus veluti est, vt & alios fermentaret. Hæc mulier ex Augustino est Sapientia: Sapientia inquam diuina; quæ mulier dicitur C non propter fragilitatem, sed propter fœcunditatem. Item intellige in hac muliere Sapientiam; quia ex 1. Cor. 5. fermentum saporem tribuit pani: per sapientiam autem Dei, omnia quæ sunt hominis sapida redduntur. Mirè ad rem nostram sit subiecta ibi sententia Ecclesiastici 24. *à generationibus meis implemini*.

X 3. p. 66. a. 5. & 8.

A ibi a. 11.

B D. Th. hic.

C 1. sent. d. 1. in expol. t. 1. Cor. 5. l. 1.

O ergo *altitudo diuitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabilis viæ eius!* Qui cum posset momento 27.

totum

totum Orbem doctrina fidei fermentare, Ecclesiamque plenius dilatare & congregare, non id facit. Miratur Diuus Ambrosius lib. 1. de vocatione Gentium c. 3. *adhuc multa hominum millia Dæmonijs seruire, idolisque genuflectere*. Item cap. 5. recogitat qualiter *tanta promiscuæ ætatis & conditionis hominum millia in omnibus nationibus, quæ sunt sub Cœlo, sine Christi iustificatione moriantur*. Et plura eloquens, c. 4. *si aliquos*, inquit, (*sicut videmus accidere*) *saluantis gratia præterierit; & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit; ad occulta diuinæ iustitiæ iudicia referendum; & agnoscendum est secreti huius profunditatem, nobis in hac vita patere non posse: ex parte enim scimus, & ex parte* (1. Cor. 13.) *prophetamus; & videmus nunc per speculum in ænigmate; nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus; qui cùm de gratiæ potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, ijs quæ impossibile erat enarrari, succubuit; & totam expositionis rationem transtulit ad stuporem, & admirator eorum quæ protulerat exclamauit & dixit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c. Quæ prosequens Sanctus Antistes c. 5. subdit; *horum mysteriorum, iudiciorumque causas pius & doctus Magister* (de Apostolo loquitur:) *maluit ad altitudinem diuitiarum sapientiæ Dei scientiæque suspendere, quàm iustissimæ veritatis & misericordissimæ bonitatis subtractum ab humana cognitione secretum, temeraria inquisitione discutere; nihil omittens de ijs quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de ijs, quæ non licet scire. Multa enim sunt in dispensatione operum diuinorum, quorum causis latentibus, soli mostrantur effectus. Neque enim si nescio, cur ille græcus creetur, hic barbarus; iste in diuitijs, ille in egestate nascatur; hunc valida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet: iste à catholicis editus in veritatis cunabulis nutriatur; ille hæreticorum progenies, cum ipso lacte matris hauriat virus erroris: si denique mille alias differentias, &c. diiudicare non possum; non ideo quod omnium horum Deus sit conditor atque ordinator, ignoro*. Munit sermonem suum auctoritatibus: Dixit Dominus ad Moysen (Exodi 4.) *quis dedit os homini, & quis fecit mutum & non audientem? videntem & cæcum: nonne ego Dominus Deus?* & Isaiæ 66. *nonne ego fœcundum & sterilem feci, dicit Dominus?* In libro Ecclesiastici legitur; *bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*. Pulcherrimam denique ex Iob c. 12. fert coaceruationem operum multiplicium Dei, *apud quem est sapientia & fortitudo; ipse habet consilium, & intelligentiam*: cohærenter ad ea quæ Rom. 11. retulerat c. 4. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* His de causis ratus sum *fermentum* hoc mulieris, hoc est sapientiæ, perhiberi *absconditum*.

28. Liceat veruntamen ad inexcusationem perditorum illud diuini oraculi promere Oseæ 13. *perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Quod non semel, D huiusmodi versans arcanum, recolit Sanctus Thomas. Cœleste quippe fidei fermentum in farinæ satis absconditur. Nisi farina factus sit homo lapsus, non est vbi recondatur fermentum hoc. Fermentatur farina facta conspersio seu massa per aquam, iuncta fermento: per baptismum homines E Christo incorporantur; Gal. 3. *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Ex hoc baptismum, qui est Sacramentum fidei, prælusione quadam signat fermentum; quod vt diximus pro fide stat, & apud Ambrosium in sermone 5. pro Christo, cui adhæremus. At priusquam baptismate Christo vniamur, pœnitere oportet: *agite pœnitentiam*, indixit Petrus Actorum 2. *& baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*. Peccator sic dictus ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato, F non est baptizandus: quia quandiu habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus; secundum illud Corinth. 6. *quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?* ergo dic tu nec capax vt fermentetur: quod item coniunctionem & adhæsionem Christo Domino per fidem, vt diximus, importat. Quid ergo agendum? pœniteat ad rem, in farinam soluatur. Pulchrè Isaiæ 47. *tolle molam, mole farinam*: Grana G signant statum peccatoris propter tria. Sunt enim dura & furfure operta, & ab inuicem distincta: sic peccator durus est in corde, qui non vult conuerti ad dulcem Deum de sua iniquitate; Ieremiæ 5. *indurauerunt faciem suam super petram, & noluerunt conuerti*: item peccator opertus est quasi furfure, peccati deformitate; Ieremiæ 2. *quam vilis facta es nimis iterans vias tuas!* item peccator diuisus est à proximo suo, charitatis priuatione; Oseæ 10. *diuisum est cor eorum, nunc interibunt*. Adde Isaiæ 59. *iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum*: qua stante diuisione impossibile est fermentari. Debet ergo conteri eorum duritia per molam, & à furfure mundari oportet, per cordis scilicet contritionem ps. 50. *cor contritum*, vt pergit ibi exponere Angelicus. Est ergo necessaria pœnitentia H iuxta illud Lucæ 13. *si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis*. Est etiam de iure naturali, quòd aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse: sicut & Niniuitæ I fecerunt Ionæ 3. in quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei, quam conceperant ex prædicatione Ionæ, vt scilicet hoc agerent sub spe veniæ consequendæ à Deo, secundum illud, quod ibi legitur: *quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* Sed aio ipse, adhuc sine vera fide, sic in farinam per pœnitudinem de malis, reduci laudabile est. Quamuis enim quod natura intra ordinem sistit, vim nullam habeat ad gratiam seu ad fidem, quæ Ephes. 2. *Dei donum est*; cuius etiam initium à Deo est: nam 2. Cor. 3. *non quod simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*: nihilominus, qui naturæ ordinem inuerrit, obicem apponit ex hoc ipso gratiæ & fidei: quem obicem non ponit in casu, si peccatorum pœniteat; redigatque cor suum contritionis mola in farinam. Si enim amissio charitatis, vt ait Angelicus, L est iam via ad amittendam fidem: si in habentibus fidem, quandoque fides extinguitur: vtique propter peccata: Matthæi 25. *lampades nostræ extinguuntur*; quia scilicet adhuc M aliquid habebant de lumine fidei, vt ibi Angelicus: quanto magis elongant à fide infidelium peccata? quanto magis præpediunt fermentari, fermento accepto? Et quid est ly *quod acceptum?* Reor nedum intelligi fidem à Deo accipi, tanquam *Dei donum, vt ne quis glorietur* Ephes. 2. sicuti & gratiam in anima & ad fermentandum fideles; Roman. 1. *per quem accepimus gratiam & Apostolatum*: sed magis *acceptum esse fermentum* in causa; quia homines esse Deo acceptos impossibile est sine fide; *sine fide enim impossibile* est Hebr. 11. *placere Deo*. In praxi potest adferri de Cornelio Actor. 10. de quo legimus; *Centurio religiosus ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*. Hic quanquam Dei fidem haberet, nondum in Christum credebat; nondum *fermentatus totum erat*, iunctus nondum Christo, qui item fermento significatur secundum Ambrosium; nihilominus fugiebat peccata, *timens Deum*; nam Ecclesiastici 1. *timor Domini expellit peccatum*. Habebat Cornelius cor N inclinatum ad

D p. p. 23. 3. 2. p. 2. 113. 3. 2. 2. 2. 19. 1. 3.
E 3. p. 68. 4.
F 3. p. 68. 4.
G opusc. 58. c. ...
H 3. p. 84. 5.
I ibi a. 7. ad 1.
L 2. 2. 39. 1. 4.
M Matthæi 25.

N Rom. 10. l.2. in fine. O ibi lect.5.

ad credendum. Si quis enim infidelis facit quod in se est, Dominus ei O secundùm suam misericordiam prouidet, mittendo ei Prædicatorem fidei; sicut misit Act. 10. Petrum Cornelio, & Paulum Macedonibus Act. 26. Sed tamen, hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est mouente corda ipsorum ad bonum; Thren. 5. *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Necesse est quippe vt iustificandus P detestetur peccatum. (P p. 2. 113. 5.) Nisi pœniteat fiatque per molam detestationis quodammodo farina, sed affectum habeat ad peccatum actu, conuersio Theologis dicitur miraculosa: sicut miraculosa est, cùm fit in instanti; vt Q contigit in Apostolo Paulo. Nam cum esset in progressu peccati, R perfectè motum est cor eius à Deo, audiendo addiscendo, & veniendo. (Q ibi a. 10. R p. 2. 112. 2.2.) Quamuis autem, vt ibidem tradit, possit Dominus subitò cor hominis præparare, quia Ecclesiastici 11. *facilè est in oculis Domini, subitò honestare pauperem*; attamen quandoque S hanc dispositionem facit paulatim & successiuè. (S loc.cit. & q. 113. 7.) Et hoc mihi videtur innui similitudine fermenti, quod paulatim in suum saporem massam farinæ trahit, *donec fermentatum sit totum*. Quod præcipuè liquet in conuersione & vocatione consummata infidelium, ad Ecclesiam atque ad Christi fidem. Fermentatur nihilominus passim. Esto ad fidelium solamen, Thomæ Maluendæ eruditio de Æthiopica Ecclesia, lib. 3. de Antichristo c. 8. Nam ingenti Dei beneficio, anno ortus Christi 1595. Ecclesia Alexandrina cum suo Patriarcha Gabriele, post Marcum nonagesimo septimo, eiuratis per Legatos erroribus, & ferali schismate profligato, accepta est in communionem catholicam Romanæ Ecclesiæ, sub Clemente VIII. Accessitque vnà cum illa in sinum pijssimæ Matris, vniuersa Ecclesia Æthiopica.

29. Totus autem euangelici huius capitis tenor expressè quasi pingitur ab euangelico Propheta Isaia, qui c. 66. sui vaticinij habet. *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad Insulas longè ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam: & annunciabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus, donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis & in carrucis, ad Montem Sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus.* In qua vehiculorum varietate significantur apud Angelicum, T diuersæ conditiones eorum, qui conuertuntur ad fidem, vt exponit glossa. (T Isaiæ vltimo.) Haymo ibi: *hæc diuersa vehicula, quibus homines adducuntur ad fidem, Angeli sunt, vel Sancti viri. Quotquot igitur veloces sunt in fide, equis vehuntur: Quadrigis, qui multiplices in gratia sunt, & philosophica doctrina, seu honestate morum inter cæteros præfulgent; quatuor principalibus scilicet virtutibus suffulti, prudentia, fortitudine, temperantia, iustitia, vt Augustinus & Ambrosius. Qui consolatione indigent lecticis, idest desuper tectis Lectis & vmbraculis; vt audire mereantur; per diem Sol non vret te neque Luna per noctem. Muli autem in Scripturis Sanctis, aliquando dicuntur steriles à fœtu: in mulis igitur vehuntur, quotquot à malitia continentes ac steriles perueniunt ad fidem. Qui denique carrucis, nisi qui tardiores plurima aliorum opera Domino adducuntur?* Planè hanc vniuersalem adductionem sic alibi V explicat dicens in persona Domini Apostolis; vestrum est, vt vos alios capiatis; iuxta illud Isaiæ 66. *adducetis omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino*. (V Io. 21. l.2. lit. c.) Et in Apocalypsin eruditius. De multiplici fidelium conuersione immo præmisit, quasi admirabundus idem Isaias c. 49. *Quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens transmigrata & captiua?* Ecclesia enim, quæ nedum Sponsa X sed & vxor Christi Domini dicitur, ad multorum filiorum procreationem fœcundatur. Et in Commentario 1. inquit; (licèt ad mores retorqueat) X responderi admirationi Prophetæ *quis genuit?* &c. in cap. 66. expensa nuper auctoritate; *In equis*; &c. (X Apoc. 21. Com 2. ibi vxorem Agni. X Apoc. 5. Com. 1. §. & vidi.) Accipi autem de conuersione Gentium ex præcedenti claret contextu; *mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad Gentes* &c. A scilicet ex Iudæis, quales fuerunt Apostoli; *& annunciabunt Gentibus gloriam meam*. (A Io. 10. l. 4. lit. c. & 1. p. q. 43. a. 1.) Quamuis autem eodem in capite citam conuersionem credituri populi tangat, dicens, *antequam parturiret peperit* &c. Quod ex eodem Haymone ad illud tempus refertur, *cum vna die tria millia, alia verò quinque millia de iudaico populo crediderunt*, Act. 2. & 4. Et etiam quia sequitur *quasi torrentem inundantem, quia innumeræ Gentes subitò conuolarunt ad fidem*: Nihilominus conuersionem Gentium, quæ vniuersalior erat futura, non tam festinam futuram fuisse completè, videtur innuere, dum subdit; *nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur Gens simul, quia parturiuit & peperit Sion filios suos?* Fas sit respondeam; *non vtique*; quoniam nedum *in equis & quadrigis* velociter, sed in *Lecticis & in mulis, & in Carrucis*, venient ad fidem. Carruca certè est Currus onerarius: non mirum, si statim totum hoc Vniuersum non fermentetur: fermentum tamen, seu potius fermenti nonnihil, *absconditum* vt diximus, vbique est; quia non est Mundi plaga, vbi Christus Dominus ab aliquibus non adoretur. Iudæi dicent, referri hæc ad multiplicationem filiorum Israel de captiuitate reuertentium in terram suam, vt innuit Angelicus B: sed hoc non officit; quia *omnia in figura contingebant illis*: (B 4. Côt. G. c. 2.) & Gentium conuersionem clamant Scripturæ, Isaiasque ipse c. 49. *parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ*: & Psalm. 2. *postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* De quo Apostolus Rom. 15. Et hoc in Diaboli confusionem, qui studuit totam Ciuitatem Ierusalem in diebus Azimorum fermentare *fermento malitiæ, & nequitiæ*, vt malitiæ Sacerdotum & Pharisæorum aduersus Christum Dominum consentiret; sicut prænunciatum fuit ex Hieronymo Oseæ 7. *Quieuit paululum Ciuitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum*. Liceat opinari quieuisse paululum, cum vxorem Pilati tantillum instigauit, ne Christus moreretur; *nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum*; Matthæi 27. Fermentum C aliquando in bonum, aliquando in malum sumitur: prout habet corruptionem, in malum: secundùm quod habet feruorem & virtutem dilatandi, accipitur in bonum: (C hic, & 3. p. 74. a. 4. 3.) propter effectum significat charitatem; quia scilicet panem facit sapidiorem & maiorem; corruptionem significat ex ipsa ratione suæ speciei. Dilatandæ ergo fidei dic esse symbolum opportunum.

Et si dicas, quid est *fermentandum esse totum*, si immò nationes tot, quæ prius fermentum fidei admiserant, postea facti Apostatæ & transfugæ recesserunt à fide? 30. Respondeo, fermentandam prænunciari farinam: illi autem farina esse desierunt, amisso Christianæ vitæ candore; duro peccati cortice denuo operti: facti duntaxat fermentum quoad corruptionem; quod dicitur 2. ad Timot. 3. *homines corrupti mente, reprobi circa fidem*. Item fermentum in ipsis est peccatum; de quo etiam intelligitur illud 1. Corint. *expurgate vetus fermentum*: D Coloss. 3. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*. Subdit Apostolus, *neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*: (D 1. Cor. 5. l. 2.)

tiæ: vt malitia referatur ad peruersitatem operis; per nequitiam verò intelligatur fraudulenta machinatio. Quare dum & apud Apostolum Rom. 11. *aliqui ex ramis fracti sunt*; quid mirum, si quidam, quod ait Petrus in 2. c. 2. *superantur? melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Nemo potest credere, nisi volens*, asseuerat Augustinus; & ex Damasceno *Deus neminem cogit ad virtutem. Quantum est in Medico, sanare vult*, idem Augustinus: *saluari non vis ab ipso, ex te iudicaberis*. Dic similiter; quantùm est in fermento, fermentare satagit; *vt sitis*, 1. Cor. 5. *noua conspersio, sicut estis azimi*. Quoniam tamen Sap. 7. *sapientiam non vincit malitia*, fiet aliquando vt fermentetur totum; iuxta quod & Apostolus ad Roman. 11. promit; *donec plenitudo Gen-*
E Rom. 11.1.4. *tium intraret* idest non solum aliqui E particulariter ex Gentibus, sed in quantum vel pro toto, vel pro maiori parte, in omnibus Gentibus Ecclesia fundanda sit: Psal. *Domini est terra, & plenitudo eius*: Michææ vltimo; *reuertetur, & miserebitur nostri*. Subdit Apostolus; *conclusit enim Deus omnia in incredulitate; vt omnium misereatur*: idest concludi permisit, *omnia*, idest omne hominum genus; tam Iudæos, quàm Gentiles *in incredulitate*, quasi in quadam catena erroris; (Sap. 17. *vna catena tenebrarum, omnes erant colligati*) *vt omnium misereatur*; idest vt in omni genere hominum, sua misericordia locum habeat: vt sit distributio pro generibus singulorum, non sigillatim pro singulis generum. Interim quia, vt ait Augustinus in Enchiridio: *Deus est adeo omnipotens & bonus, vt nihil mali esse permitteret, nisi ex quolibet malo eliceret aliquod bonum*, dic in bonum electorum fidelium, reuocari etiam relapsorum incredulitatem; priuatim quidem, vt pro eis meritum habeant orandi, occasionemque nullam gloriandi: 1. Cor. 10. *qui se existimat stare, videat, ne cadat*. Rom. 14. *potens est Deus statuere illum*: & c. 11. *potens est enim Deus iterum inserere illos*. Denique Sap. 7. *qui autem stultus est, seruiet sapien-*
F Rom. 8.1.6. *ti*. Quicquid enim accidit F vel circa sanctos ipsos, vel circa alias res, totum in bonum eorum cedit. Quare re alibi. Et si obijcias: quomodo fermentandum sit *totum*; quando habet Dominus Lucæ 18. *verumtamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Respondeo ex Augustino *de verbis Domini*; dici hoc *de fide quæ perfecta est: ipsa enim vix inuenitur in terra. Ecce, plena est Ecclesia Dei: quis huc accederet si nulla esset fides? Quis non montes*
G 1. p.q. 1.a. 5. *transferret, si plena esset fides?* Sic Angelicus G quia circa finem Mundi *refrigescet charitas multorum*. Et hoc propter elongationem à Christo, quam
H 2. Tim. 3. b 1. ob causam H magis deficient fides, & charitas; De quo Apostolus; *in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa; & erunt homines seipsos amantes, cupidi elati superbi*. Sed quia addit; *blasphemi*;
I opusc. 19. c. 3. exponitque glossa apud Sanctum Doctorem, I *in Deum per hæreses*; labefactandam iterum per quosdam in nouissimis diebus fidem, non diffiteor. Sed hoc non tollet, quin *totum*, vt supra, fuerit prius *fermentatum*; & postmodum ex parte desermentandum. Sed in fine tandem fermentum fidei vim suam magis ostendet, ministerio, ac testimonio Henoch & Eliæ; Apoc. 11. *dabo duobus testibus meis*: per
L Apoc. 11. Com. 8. quorum prædicationem conuertentur Iudæi, L qui tunc erunt; & intelligent se fuisse deceptos, expectando suum Messiam: roborabuntur etiam per eos multi fideles in fide Ecclesiæ. Vnde Beatus Gregorius: *Temporibus Antichristi, Gentibus ad plenum susceptis; Elia & Henoch prædicantibus, quotquot ex plebe iudaica fuerint inuenti, conuertentur: & fideles quique roborati, in soliditate Sanctæ Ecclesiæ*

persistent. Quoniam autem hæc omnia in diuina præscientia & prædestinatione celantur, adhuc ex hoc, dicitur *absconditum esse fermentum*; in toto Mundo tamen vim aliquam suam ostendens, saltem quoad idololatriæ abiurationem; cum pauci admodum sint, qui Deum non norint. Quod sicuti est præambulum fidei, M vtpote per rationem natura- M p.p.2. 2. ad 1.
lem notum; ita comprobat, diuinam Sapientiam vel in hoc & per hoc præambulum fidei in Deum, abscondisse arcanum totalis fermentationis, & intensiuè, vt sic loqui liceat, & extensiuè; quod sonat ly donec *fermentatum est totum*.

VERS. XLII. *Et mittens eos in caminum ignis*, &c.

Non poterit quisquis sit non mirari, cur quod 31.
hic dicitur de pœna infernali, repetatur iisdem omnino verbis post parabolam de sagena. Fortè dicet quispiam id factum esse, ad innuendam duplicem pœnam, & damni scilicet & sensus: fortè etiam, quia duplex est iudicium, particulare quotidie, & in nouissimo vniuersale. Non ierim inficias. Veruntamen, cùm prænarrata ante pœnarum inflictionem sint varia, vt intuenti Sacrum textum videre licet; vt puta quia secunda vice sedere perhibentur *Angeli secus littus*; non sic Angeli messores; minimè credas solummodo ex discrimine parabolarum, & messis & piscationis, hoc dici; sed certè sensu profundiori: præsertim quia potiùs non consueuerunt sedere piscatores: & alias quid circumstantia huiusmodi perperam notaretur, *secus littus sedentes*? Igitur, vt Domino largiente mysterium attingamus, (præmisso opportunè de iudicio introduci, quando de finali Ecclesiæ statu, ibi *donec fermentatum sit totum*, dictum est) sciendum de iudicio infidelium, Sanctorumque Dei ex aduerso impia sententiarum sermonem esse. Id exigit prior parabola, in qua & de conculcantibus semen, infidelibus scilicet, & de centenis in fructu nimirum perfectis. Item in secunda de zizanijs pro hæreticis minus credentibus, & de tritico crescente vsque ad messem, in typum sine dubio Sanctorum, qui apicem perfectionis per perenne augmentum conscenderunt; sicuti è contra zizania proficiunt 2. Timot. 3. *in peius*; iuxta illud Apocalypsis *qui nocet noceat adhuc*; (cap. 22.) *& qui in sordibus est, sordescat adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc; & Sanctus sanctificetur adhuc*. Sagena, vt elucidabitur, credentes duntaxat congregat: in qua boni & mali colliguntur (ex omni genere, quod imperfectionem sonat) remisso quodam in gradu vel N 2. 2. 10. 3.
malitiæ vel probitatis. Peccatum infidelitatis N maius est omnibus peccatis, quæ contingunt in peruersitate morum. His præiactis animaduersionibus claret, cur bis de iudicio inducatur: quia scilicet dispar valde iudicium futurum est; infidelium seu hæreticorum (nam neque hæretici veram fidem infusam de Deo habent) ex vna parte; & fidelium malorum & bonorum ex alia. Ex Diuo Gregorio in moralibus (sæpe O apud Diuum Thomam) Infi- O p.1.& opusc. 6.
deles condemnabuntur & non iudicabuntur: iudicio scilicet examinis & discussionis: sanctiores, vt Apostoli, & Apostolici viri saluabuntur & non iudicabuntur; iudicio item discussionis. Cuius ratio H.b. 10. 1. 3.
est; quia infideles P iam manifestam habent cau- P Ioann. 3. 1. 3.
sam condemnationis. Et ideo condemnabuntur vt hostes, qui consueuerunt Q & apud homines absque Q 4 sent. 47 q 1 a. 3.
meritorum audientia exterminari. E contra sanctiores, (de quibus supra) alio ex capite non egent discussione, quia vndique emicat eorum sanctitas: ex quo fortè hic eos comparat Soli; *tunc insti fulgebunt sicut Sol*. Quam doctrinam paucis prompsit ipse Dominus Ioan. 3. dicens; *qui credit in eum non iudicatur*: (fide intellige, perfectè purificante cor; de qua R 1. 2. 7. 2.
R alibi) *qui autem non credit, iam iudicatus est*: idest

S Io. 3. l. 8. idest iam condemnatus est; S idest iam manifestam causam condemnationis habet: ac si diceretur de aliquo, qui manifestam causam mortis habet, etiam antequam feratur sententia mortis contra eum: *quia iam mortuus est*. Et ecce in textu quomodo nec verbo facto de minima discussione: *sicut*, inquit, *colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi, &c. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* In quo tangit præcipuum Matthæi scopum de Christo capite & membris, cuius generationem suscepit edisserere: iuxta illud Philipp. 3. *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Ipse quippe Malach. 4. Sol dicitur; *orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ*. Addit aut Leo Papa in serm. *de transfiguratione*; ad rem; *vt totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum; & eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in Capite præfulsisset*. Vbi & præmittit: qualiter eo in facto *spes Sanctæ Ecclesiæ* (de hac nos atteximus) *fundabatur*. De infidelibus autem esse præsens iudicium Dominus ostendit; dum post hæc omnia adiecit; *qui habet aures audiendi audiat*; ac si diceret, ne sitis increduli, sed fideles. Nam Roman. 10. *fides ex auditu*. In quo & innuit quod hactenus per parabolas adumbrauit; vniuersam scilicet pro ædificanda catholica seu vniuersali Ecclesia, verbi Regni prædicationem, concinente Apostolo ibi; *sed dico, nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines Orbis terræ verba eorum*.

VERS. XLIV. *Simile est Regnum Cœlorum thesauro, &c.*

32. Quorsum sequentes parabolæ, & cur à præcedentibus veluti dissectæ, nullaque de his requisita intelligentia sit à discipulis, mirum videbitur: sed si horum omnium teneatur Domino largiente causa, desinit admiratio. Præcedentes, me iudice, parabolæ de militante Ecclesia fuere: decebat de triumphante nonnihil tangi. Allegoricè quippe præsens Ecclesia dicitur Regnum Cœlorum: sed hoc ipsum anagogicè sonat beatitudinē. Audi Angelicum; T Regnum

T 4. cont. 49. q. 1. a. 2. 2. quæstiunculam 5. Dei quasi antonomasticè dupliciter dicitur: quandoque congregatio eorum, qui per fidem ambulant; & sic Ecclesia militans Regnum Dei dicitur: quandoque autem illorum Collegium, qui iam in fide stabiliti sunt; & sic ipsa Ecclesia triumphans Regnum Dei dicitur: & hoc modo esse in Regno Dei, idem est quod esse in beatitudine. Quoniam ergo hic præmiserat Dominus; *triticum autem congregate in horreum meum*; & rursum; *tunc iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*: conueniens fuit, vt seorsim à prioribus, parabolas de Regno Cœlesti adduceret; ac de æterna Patris hæreditate *in Regno Patris eorum*, & de gloria, *gloriamur* Rom. 5. *in spe*

V p. p. 11. 1. *gloriæ filiorum Dei* (nam V dicitur Deus Pater filiorum secundum similitudinem gloriæ) nonnihil tangeret. Ideo non interrogant has edisseri Apostoli, quia *arcana* sunt *verba* 2. Cor. 12. quæ etsi audiantur, *audiuit arcana verba, non licet homini loqui*. Quamuis discipulos intellexisse, quantum viatori fas est, non dubitem, dum paulo post rogati, *intellexistis hæc omnia? dicunt ei; etiam*. Sed ne auderent fideles diuina velle scrutari; iuxta illud Ecclesiastici 3. *altiora te ne quæsieris*; & Roman. 11. *noli altum sapere, sed time*, non repetunt, *edissere nobis parabolas*. Vbi de arcano prædestinationis vix acu tetigit, exclamat tandem Apostolus; *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Et Dominus, dum palam contestatur de *thesauro abscondito*, occultum in se esse, quod & parabola obtegitur, satis edocet; planeque prædestinationem filiorum (Ephes. 1. *prædestinauit nos in adoptionem filiorum*) subinnuit ac reprobationem. Necessum autem erat vel obscurè erudiri; quoniam id præmissa parabola exegerat. Ingentis quippe ac obstupescentis admirationis esse potest occasio; Zizania fuisse igni tradita, iustosque Soli factos æquales: infideles æterno fletu & stridore in pœnis mansuros; iustos vtique fideles (*Iustus* Roman. 1. *ex fide viuit*) perenni claritate fruituros. Cur non omnes fideles, cur non omnes crediderint temerè inquiritur: Act. 13. *crediderunt* (alta sententia!) *quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Angelicus Doctor vbi supra in 4. sententiarum exponens quid sit Regnum Cælorum, seu Regnum Dei, deducit dici nomen Regni à regendo: regere autem prouidentiæ actus est. Vnde secundum hoc, aliquis Regnum habere dicitur, quòd alios sub sua prouidentia habet. Prouidentiæ autem est ordinare in finem. Ecce quomodo vel in ipso Regni nomine prouidentia inuoluitur; vtique supernaturalis. Prædestinatio autem quantum ad obiecta, X est quædam pars diuinæ X p. p. 23. 1. prouidentiæ, quæ est ratio ordinis A rerum in finem. *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*. Vno verbo igitur hac de thesauro A ibi & q. 22. 1. parabola, sonat absconditum esse æternæ præordinationis siue prædestinationis negotium: quod quidem tanquam ineffabile paucis sed signanter dictis insinuat Dominus: ne vlterius inuestigare audeamus: nam Rom. 11. *quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Gratiæ est, non meriti alicuius, (Ephes. 1. *prædestinauit nos &c. in laudem gloriæ gratiæ suæ.*) B à Deo prædestinari, iuxta aliam infra c. 20. parabolam; *an non licet mihi quod volo facere?* Hanc ab æterno suo ex beneplacito, procul omni iustitiæ titulo, prædestinationem ad gloriam, in qua Regnum Cœlorum, prædestinatis paratum est; (infra c. 25. *possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi*) mirè significat; in primis quoniam *thesauro* assimilatur *abscondito*. Thesaurus nihil aliud est quam multiplicitas & plenitudo diuitiarum: & ecce de hoc Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* in ly *diuitiarum* C plenitudo sapientiæ. Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ*. Quid mirum si perhibeatur *absconditus thesaurus* iste? Ecclesia in secreta: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus*. Iudicia Dei in speciali, scilicet quare hunc potius eligat, quàm illum, D quare hunc erigat de fæce, illum non; occulta sunt. Vnde Augustinus de Ciuitate Dei lib. 2. *cuius plenè iudicia nemo comprehendit, nemo iustè reprehendit*. Quia quare hos elegit in gloriam, E & illos reprobauit, non habet rationem nisi diuinam meram voluntatem. (Ephes. 1. *secundum propositum voluntatis suæ.*) Vnde Augustinus dicit super Ioannem; *quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare*. Et quia, quæ fiunt secundum F distributionem diuini iudicij, cuiusmodi sunt effectus gratiæ, dicuntur sorte dari; Ephes. 1. *in quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius*. Ecce dici *Thesaurum inuentum: quem qui inuenit homo*. Non dicit *reperit*: quod ex Diuo Thoma G quandam sonat inquisitionem: *& vsque ad perfectum*, Iob. 11. *Omnipotentem reperies?* *Inuenire* etiam apud profanos fortunæ est, quemadmodum *reperire*, consilij. Quamuis vbi præuia est conquisitio, verè etiam dicatur res inueniri.

B p. p. 23. 5. Ephes. 1. l. 4.
C Rom. 11. l. 5.
D Apoc. 15 Com. 2. ibi iudicia, &c.
E p. p. 23. 5. 1. Eph. 1. l. 4.
F Hebr. 8. l. 2.
G Iob 11. l. 1.

Diuina ergo sapientia & supernaturalis Creatoris prouidentia thesaurus est (Angelicus in oratione; *Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ, &c.*) & Ecclesi. 20. adnectuntur inuicem; *sapientia abscon-* 33.

abſcondita, & *theſaurus inuiſus*; *quæ vtilitas in vtriſque?*) quem homo dicitur inuenire, ſeu potiùs ab effectu arguitur inuenire, cùm *vadit*, & *vendit omnia quæ habet*, & *emit agrum illum*. Et quamuis ire vendere & emere induſtriam importent & ſtudium; nihilominus hæc omnia ſequuntur theſauri inuentionem; quod eſt eſſe effectum ſortis prædeſtinationis: nam cum ex Auguſtino prædeſtinatio ſit *præſcientia*, & *præparatio beneficiorum Dei*; quicquid eſt in homine H ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Et vt capiatur, (ſic mihi videtur) qualiter, quicquid agit prædeſtinatus in ordine ad gloriam, ab æterno ex ipſa prædeſtinatione eſt, mirabiliter omnia quæ agit dicuntur præſenti tempore fieri; eoquod in æternitate etiam futura tanquam præſentia ſunt: *inuenit*, *abſcondit*, *vadit*, *vendit*, *emit*: quia in æternitate, vt exprimit Angelicus in p. 2. *non eſt præteritum & futurum*; *ſed ſolùm præſens*. Cæterùm dic emi *agrum* non verò emi *theſaurum*, qui infinitus eſt. Cœlum meremur: Deus Deique ſapientia habet in infinitum quod ſuperſit emendum, nunquam plenè ematur. Sicut nunquam à creatura, cùm ſit amabilis in infinitum, plenè amatur. Quæ in ſecunda parabola, (quare; dicam) in præterito ponuntur, *abijt*, *vendidit*, &c. *inuenta vna pretioſa margarita*. In prædeſtinatione itaq; æterna & labor & conatus, & induſtria lib. arbitrij præordinata ſunt; ideo, vt opinor, dicit *theſaurum eſſe abſconditum in agro*; vt & fodere & excolere ac exercere agrum excitemur. Ad hæc facit ly *abſcondit*: poſtquam enim ab effectibus præfatis, veluti inuenit quis ac detexit quodammodo ſuam prædeſtinationem; quid pro quadam veluti ſecuritate futurum ſit, vt prædeſtinatus agat; adhuc ab æterno præſcribitur, nimirum vt *abſcondat*: ad eum ſenſum ſcilicet, quo Apocalypſis 3. legitur; *tene quod habes*, *ne alius accipiat coronam tuam*. Quamuis enim I coronam quæ prædeſtinati eſt, ex prædeſtinatione diuina nullus amittat: (dic tu, nullus amittat inuentum theſaurum) tamen in quantùm corona noſtra eſt ex merito gratiæ, poteſt aliquis illam amittere per peccatum ſequens. (dic tu, poteſt amittere præinuentum theſaurum.) Qui peccat, non abſcondit, aio ipſe, theſaurum, neque coronam, in illo ſapientiæ theſauro, ſibi ex gratia decretam; quia alius accipit: qui, vt ibi Angelicus, loco eius ſubrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat; ſecundùm illud Iob 34. *conteret multos & innumerabiles*, & *ſtare faciet alios pro eis*: ſic enim in locum Angelorum cadentium ſubſtituti ſunt homines; & in locum Iudæorum Gentiles. Et ecce forte, quare hic mentio fiat de homine; *quem*, *qui inuenit homo*: & mox, *homini negotiatori*; vt ſcilicet timorem incutiat, dum homo in ſui ſubrogatione ad Angelorum malorum ſedes, eorum caſum recogitans, habet vnde paueat; Philipp. 2. *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Et quoad Iudæorum derelictionem; Roman. 11. *noli altum ſapere*, *ſed time*; *ne fortè nec tibi parcat*: *potens eſt enim Deus iterum inſerere illos*. Hoc eſt ergo etiam *abſcondit theſaurum*; humillimè ſe gerere; Rom. 12. *non alta ſapientes*, *ſed humilibus conſentientes*. Superbus L non timet, ſed humilis. Diuus Auguſtinus lib. 1. cap. 9. *de Serm. Domini in Monte*, humilitatem attribuit dono timoris. Occaſio autem abſcondendi theſaurum per humilitatem, quem ſpe tenemus, eſt certè ea conſideratio, qua homines ſumus; *quem qui inuenit homo*. In quo primi hominis lapſum reminiſci docuit; Actorum 17. *fecitque ex vno omne genus hominum*. Exinde recolat humiliter fidelis, quia Deus nos prædeſtinando, M gratis elegit à maſſa perditionis; eſſeque prædeſtinationem hominis, quod ait Auguſtinus, in Deo *propoſitum miſerendi*, vt apud Angelicum N. Sed iterum dic ex Opuſc. ſuper illud Ieremiæ 32. *agri pretio ementur*; pecunia virtutum & bonorum operum ementur agri cœleſtis hæreditatis. Alia vide ibi conſectaria.

H p. p. 23. 5. 6. p. 2. 67. 4. 2. — I p. p. 23. 6. 1. — L Philip. 2. — M Eph. 1. — 1 opuſc. 58. 25. — N Rom. 8. 6.

VERS. XLV. *Iterum ſimile eſt Regnum Cœlorum homini*, *quærenti bonas margaritas*; *inuenta autem vna pretioſa margarita*; &c.

34. Quid ſibi velit in huiuſmodi margaritarum, ac margaritæ pretioſæ ſimilitudine, operoſius inquirendum eſt: quia valde obſcurum etiam in ipſarum margaritarum candore videtur ænigma eſſe. Quare Scriptura, quæ præ omnibus habet proprietatem verborum, ipſum humanatum Verbum, quod eſt Sapientia infinita, margaritas nuncupat bonas? Ex profanis dos margaritarum eſt in candore, magnitudine, orbe læuore & pondere: cur potiùs margaritarius iſte candidas magnas &c. non quærit margaritas? Deinde; quæ eſt illa *vna* pretioſa, quam emit? Nobilis conquiſitio: vnde nobiliorem ſcrutemur intelligentiam: quæ talis eſto. Poſtquam de latente prædeſtinationis beatæ ſorte, in theſauris diuinæ ſapientiæ ac prouidentiæ ſupernaturalis dictum, expoſitumque à nobis eſt, quo pacto olfactam veluti ſui ſortem inueniat, *vendendo omnia quæ habet*, *agrumque emendo* fidelis anima; expoſitum etiam, quomodo totum prædeſtinationis negotium, abſque vlla præuia meritorum negotiatione fuerit; & ſic in mente diuina, ſuique in coæternitate, nedum ager emendus, ſed & valor venditionis præfuerit, vtique gratis & ipſe prædefinitus; par erat detegere, quid in executione, vt loquuntur Scholæ, pro conſummando ad beatam ſortem curriculò, agendum eſſet. Licèt autem prædeſtinatio, (doctrina eſt abſolutiſſima O Diui Thomæ) ſub qua cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno diuinitus præparatum, & in tempore nobis collatum, nullis noſtris poſſit intelligi facta ex meritis; aliàs gratia daretur ex meritis, principiumque bonorum operum eſſet ex nobis: nihilominus prædeſtinatio prout tantum vitam æternam reſpicit, ſine dubio datur meritis. Effectum quippe prædeſtinationis conſiderare poſſumus dupliciter: vno modo, in particulari; & ſic nihil P prohibet, aliquem effectum eſſe cauſam & rationem alterius; poſteriorem quidem prioris ſecundum rationem cauſæ finalis, priorem vero poſterioris ſecundum rationem cauſæ meritoriæ; quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ: vt ſi dicamus præordinauit ſe daturum alicui gloriam ex meritis: & quòd præordinauit, ſe daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam. Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinationis effectus in communi: & ſic impoſſibile eſt, quòd totus prædeſtinationis effectus habeat aliquam cauſam ex parte noſtra: nec enim habet aliam rationem, (ibi ad 2.) niſi diuinam bonitatem. Quia ergo vnus effectus alterius poteſt eſſe cauſa, ecce *de negotiatore quærente bonas margaritas*, ecce de induſtria ex parte noſtri, de conatu, de meritis attexi ſermonem: ac ſi vno verbo diceretur cum Petro 2. cap. 1. *magis ſatagite*, *vt per bona opera*, *certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. Prædeſtinatis enim conandum eſt ad benè operandum Q & orandum; quia per huiuſmodi prædeſtinationis effectus, prædeſtinatio certitudinaliter impletur. Claret hinc cur *bonas* dicat *margaritas*: quo ſcilicet indicet bona opera; ſubinde virtutes: quandoquidem ex Philoſopho; *virtus eſt R quæ bonum facit habentem*, & *opus eius bonum reddit*: & ex

O Rom. 8. 1. 6. — P p. p. 21. 5. — Q p. p. 23. 8. — R p. 2. 55. 5.

S ibi a. 4. Augustino; S *virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur* &c. Per margaritas T significantur virtutes. (T Apoc. 17. vt109. Com.) Et si roges cur ad hanc margaritæ similitudinem flexerit pro signanda virtute? Respondeo; quia de virtutibus infusis, non de acquisitis (quæ ad gloriam non conducunt) tractari, subiecta exigebat prædestinationis materia. De infusa virtute subiungitur ex Augustino vbi supra, *quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Hoc ergo vt insinuetur, opportuna est margaritæ similitudo: quandoquidem margarita, ex Apoc. præfato cap. 17. V est lapillus pretiosus, qui ex rore Cœli in conchis generatur: (V Apoc. 17. Com. 2. & p. 2. 63. 1.) sic ex diuinæ misericordiæ rore, virtutes humanis mentibus infunduntur: opportunè adhuc de margaritis, quadam appositione ad memoratum thesaurum: fortè ad signandam operum nostrorum ex gratia condignitatem ad gloriam; vt Theologis probatum est. Candor etiam margaritæ puritati bonorum operum attestatur; & in orbem figura, operis perfectioni; (ex 7. Physicorum t. 17. virtus est quædam dispositio perfecti.) suoque pondere æternæ gloriæ pondus præsagit. Quærit autem bonas margaritas: non dicit, *quas*, vel *quot*: X quia virtutes morales ad inuicem sunt connexæ. (X p. 2. 65. 1. opu. 58. 24.) Vnde omnes quærit & singulas negotiator homo. Sic mulier fortis Prouerb. 31. *emit agrum*, ait in opusculo, virtutibus & bonis operibus.

35. Sed quomodo, dum omnes quærit, inuenta vna conquiescit? quænam est pretiosa isthæc, quam tanti facit? Si dicas charitatem esse; non abnuo: quoniam A morales virtutes infusæ non possunt esse in anima sine charitate; (A ibi a. 1. & 5.) neque è contra charitas sine illis. Pretiosa quippe est charitas; sicuti & gratia: *per quem* (2. Petri 1.) *maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ*. Quæ auctoritas etsi intelligatur B de gratia, quæ est quædam participata similitudo diuinæ naturæ: (B p. 2. 110. 1. 3. p. 3. a. 1. & 4. 61.) nihilominus congruè accipitur & de dono charitatis: quæ maxima dici potest, cum sit excellentissima C virtutum: (C 2. 2. 23. 6.) itemque sicut gratia, est participatio quædam infinitæ charitatis D, quæ est Spiritus-Sanctus. (D 2. 2. 24. 7.) Arridet etiam, quia merita vim habent pretij E: gratia autem est principium meriti, principaliter F per charitatem, (E 2. Petri 1. F p. 2. 114. 4.) Charitas etiam non est distincta in plures species; G sed est simpliciter vna virtus. (G 2. 2. 23. 5.) Ergo benè potest hæc vna pretiosa margarita charitatem significare. Præsertim quia H simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest: cùm immo sit forma virtutum. (H ibi. a. 7. & 8.) Stat ergo accipi posse pretiosam hanc margaritam pro charitate, itemque pro gratia, quæ ex Augustino I præuenit charitatem. (I p. 2. 110. 3.) Eo vel maximè quòd margaritis quæsitis, hoc est virtutibus, adeò annexa est gratia, (simul & charitas) vt Magister in 2. Sentent. distint. 26. L videatur cum quibusdam sensisse, idem esse gratiam, & virtutem secundum essentiam. (L loc. cit.)

36. Verùm mihi liceat, postquam de prædestinationis mysterio mysticè deprehensum est, & in præcedenti & in hac parabola, fieri verba; margaritam hanc pretiosam dicere sapientiam. Et quidem multiplici de causa. In primis, quia pretiosa si qua est margarita, vtique candorem habens, quod scribitur ex roris puritate, vnde gignitur: Sapientia, nedum *clara est* Sapientiæ 6. *& quæ nunquam marcescit*, quemadmodum margarita; sed ex cap. 7. *candor est lucis æternæ*. Et sicut ros, ex quo generatur margarita, ex subtili est euaporatione; ita & Sapientia, ibidem, *vapor est virtutis Dei*. Sicut ros est purus; ita Sapientia ibidem, *est emanatio claritatis Omnipotentis Dei sincera, & nihil inquinatum in eam incurrit*. Deinde; margarita hæc dicitur *vna*; & de Sapientia pariter, ibidem legimus; *& cum sit vna*; (ita esse vnam sapientiam, plures autem scientias ex p. 2. 57. 2.) Item margarita hæc est pretiosa; & de Sapientia dicitur Iob 28. *nescit homo pretium eius*. Et Prouerb. 3. *pretiosior est cunctis opibus*. Margarita hæc perhibetur *inuenta*; & de sapientia asseritur Sapient. 6. *inuenitur ab his, qui quærunt illam*. Et quoniam ex doctrina Angelici M prædestinatio sequitur dilectionem; (M Rom. 9. l. 2.) sicut voluntas de fine naturaliter præcedit directionem aliquorum in finem; ita sapientia dilectionem Dei comprobat; *neminem enim diligit Deus*, Sapient. 7. *nisi eum, qui cum sapientia moratur*. Quàm concinnè autem, margaritam hanc vnam, sapientiam esse dicamus, trahitur ex antea dictis, *quærenti bonas margaritas*, idest virtutes infusas: quas ipsa Sapientia cap. 8. docere dicitur, *sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem*; vt assumit N Sanctus Doctor, quærens; (N p. 2. 63. 3.) *vtrum aliquæ virtutes morales sint nobis per infusionem?* Et dum subditur; *quibus vtilius nihil est in vita hominibus*; iam habetur de fine insinuatio; nam vtile ad finem dicitur. Et ecce potissimam rationem, ob quam de sapientia sub hac metaphora meminit Dominus; nimirum quoniam de prædestinatione præfuerat sermo: prædestinatio autem definiri solet; *est ratio ordinis creaturæ rationalis in vitam æternam*. Hunc ordinem, sapientiæ est exequi; eoquòd *sapientis est ordinare*, vt passim fert Sanctus Thomas etiam ex Philosopho *in principio Metaph.* lib. 1. cap. 2. Sapientia ibidem cap. 1. versatur circa altissimas causas. Simpliciter autem dicitur sapientia, quæ altissimam simpliciter O considerat causam; (O p. 2. 57. 2. 2. 2. 45. 1. 1. & q. 47. 2. 1. & 1. Cor. 3. l. 2.) quæ est summum bonum; quod est vltimus finis, communis quidem toti vitæ humanæ. Quidni ergo subiungendum fuerat de sapientia dirigente ad finem; quando ad finem prædestinatio præordinat? Est quippe sapientia, de qua loquimur, nedum speculatiua, sed P & practica, dirigens actus humanos secundùm rationes diuinas. (P. 2. 2. 45. 3.) De qua Sapient. 9. *per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio*.

37. Per hoc autem quòd in margarita intelligimus sapientiam, non secludimus charitatem: nam hæc sapientia sine gratia & Q charitate non est: (Q 2. 2. 45. 5.) nec enim, Sapient. 1. *in animam maleuolam introibit sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Proinde sub alia metaphora vtrumque iungitur, Apocalyps. 3. *suadeo tibi emere à me aurum ignitum*: idest R sapientiam cum charitate: (R 1. Cor. 3. l. 2.) quia sapientia Cœlestis S feruida est igne amoris, & calere facit. (S Apoc. 3. Com. 2.) Præsertim quia T merces essentialis præmij, scilicet fruitionis & visionis diuinæ, respondet charitati; (T 1. Cor. cit.) Ioann. 14. *qui diliget me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. Et quoniam iuxta ea quæ dicta sunt, de prædestinationis executione, & de merito vitæ æternæ introducitur in parabola; ecce ad hoc subtiliter innuendum, cuncta in præterito poni *inuenta; abijt, vendidit*: eoquòd necesse est, vt opera meritoria præcedant præmium. Et si obijcias, Prouerb. 23. *noli vendere sapientiam*. Respondeo, non accipi V *emptionis* verbum propriè sed largè; (V Apoc. 3. Com. 2.) quandoquidem vt dictum est, Iob 28. *nescit homo pretium suum*: caret enim pretio. Sicuti ergo ibidem in Prouerbijs dicitur, *virtutem eme*: sic in præsenti intenditur excitari hominem ad industriam liberi arbitrij, per quam disponatur ad sapientiam, siue charitatem. (Dic aliàs commutatione auri aut argenti emi non posse, iuxta illud Prou. 17. *quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit?*) Addit Angelicus; siue ad ipsum Christum, qui est the-

thesaurus iustorum. Iam supra in Expositione capitis vidimus, margarita pretiosæ huius typo Christum signari. Et hoc ipsum congruit præmissæ interpretationi de latente prædestinationis hominum arcano in thesauro diuinæ sapientiæ; nam Ephes. 1. *electi sumus in Christo ante Mundi constitutionem; sorteque in eo vocati sumus, prædestinati, &c. In ipso*, item cap. 3. *habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius*. Eoquòd Ioann. 14. ipsemet promittit: *nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Denique Act. 4. *non est aliud nomen sub Cœlo datum, in quo oporteat nos saluos fieri*. Quemadmodum autem sic emere dicimur margaritam, ita & agrum, qui item stat pro Christo, cui & pergens arridet metaphora, in quo (agro) *absconditus est thesaurus*: dicente de Christo Iesu ad Coloss. 2. Paulo; *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*: plaudenteque Ecclesia, quæ in Templorum Consecratione illud recolens Matthæi 27. *emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum*, legit, ipsum dulciter allocuta; *tu quietis nostræ ager es: tu agri nostri pretium: tu in pretio & de pretio tui sanguinis nos requiescere fecisti*. Quoniam autem infra cap. 19. *difficilè diues intrabit in regnum Cœlorum*: & supra cap. 6. *nemo potest duobus Dominis seruire; Deo & Mammonæ*: ibidemque *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, non mirum, si quid agendum sit prædestinatis, præmonstret opere; dicens præ gaudio vendita quæ habentur omnia. Ad hæc bellè in homilia Gregorius de agro; *quem profectò agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuncians, cuncta sua desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat; vt nihil iam quod caro blanditur libeat; nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat*. Et de margarita, *quam videlicet inuentam omnia venderes emit; quia qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit*. Facit ad hoc, quod fert Angelicus *ad Timot.*

X 1.Tim. 6.l.2. x nimirum ex Philosopho hæc bona temporalia in tantum esse bona, in quantum sunt vtilia ad felicitatem. Vnde si quis haberet tantum de temporalibus, quòd propter ipsa impediretur à bono virtutis & felicitatis, hoc non esset sibi in bonam fortunam, sed ad malam 10. *Ethicorum*. Et ita temporalia bona, in quantum expedit ad opera virtutum, quibus

A p. 2. 114. art. vltimo. peruenitur ad vitam æternam, A fas est petere à Deo, & cadunt sub merito. Quare hæc rerum omnium venditio pro agro, & margarita, nihil aliud intendit, nisi amotionem, & repudium terrenæ cupiditatis; nam 1. ad Timoth. 6. *radix omnium malorum est cupiditas*. Diuitiæ certè B non ducunt

B 1.Tim. 6, l.2. ad beatitudinem; Sapient. 5. *quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Satius ergo est, vt ibidem Apostolus, *diuites fieri in bonis operibus*. Magis autem hinc firmatur in margarita accipi Sapientiam; quandoquidem de ipsa legimus Sap. 7. *diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua; & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*. Nec tamen inde putet quis, se vno actu hanc pretiosam inuenire margaritam sapientiæ; nam esse oportet negotiatorem, *homini negotiatori*: quod sonat multiplices actus, & exercitium negotiationis. Exercitatus (1. ad Timoth. *exerce te ad pietatem*) facit

C 1.Tim. 4.l.2. c leuiùs delectabiliùs & stabiliùs quæ facit. Hoc ipsum dic exigi in agro Prouerb. 14. *diligenter exerce agrum tuum*; vt inuenias prædestinationis thesaurum in te ipso: nam licet prædestinatio non sit

D p. p. 23. 2. aliquid D in prædestinatis, sed in prædestinante tantum; nimirum *quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente diuina existens*: executio tamen huius ordinis, quæ adhuc actiuè est in Deo, passiuè est in prædestinatis. Dic tu, sic *thesaurum esse in agro absconditum*. Ad hunc in agro laborem, & ad hunc bonorum terrenorum contemptum inuenta sapientia significandos, legitur Ecclesiastici 14. *qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens*: tanto illius captus amore, vt *in parietibus illius figens palum, statuat casulam suam ad manus illius*. (Casa, rustica est domus, vulgo Capanna) & *requiescent in Casula illius, bona per æuum*: tandem, *in gloria eius requiescet*. Ecce finis depauperati temporaliter, sed ditioris spiritaliter amasij sapientiæ. Beatitudo certè illum manet: ibi, *beatus vir, qui in sapientia morabitur*: nam vtraque beatitudo E & in via & in Patria acquiritur per sapientiam. Vnde Sapientiæ 6. *concupiscentia sapientiæ deducet ad Regnum perpetuum*; F quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis Regnum peruenitur. Non mirum fuerit, si Origeni significet hæc margarita cœleste Regnum & gloriæ visionem. Etiam de sapientia Sapient. cap. 7. *venerunt autem mihi omnia bona, pariter cum illa*. Sed heu, quia *stultorum infinitus est numerus*! Ecclesiastes 1. stultitia vtique mala importante defectum G in summa iudicij, quæ attenditur secundum causam altissimam: (si deficiat in iudicio circa aliquid modicum, non ex hoc vocatur aliquis stultus.) ex aduerso ad stultitiam bonam, per quam aliquis terrena contemnit; iuxta illud 1. Cor. 3. *stultus fiat, vt sit sapiens*.

E Sermo in festo S. Thomæ.

F 1.cont. G.c.3.

G 2.2 q. 46.1.ad 1.

VERS. XLVII. *Simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*.

Postquam in primis parabolis adumbrauit Dominus militantis cursum Ecclesiæ; in quinta autem & sexta aliquot lineamenta duxit de triumphante: & quidem ordine congruo; quoniam vt ait Augustinus in psal. 9. ibi, *qui habitat in Sion; ista Ecclesia præcedit eam, quæ promittitur, Ciuitatem immortalem, & æternam, tempore non dignitate*: posset ab aliquo dubitari, de quanam Ecclesia postremæ huius parabolæ sensus fuerit. Diuus Antoninus 4. Partis suæ Summæ tit. 11. §. 13. de militante intelligit dicens; *Ecclesia est sagena nondum tracta ad littus, continens pisces bonos & malos permistos, sed separandos in fine Mundi*. Vbi etiam Syntaxin nostram tangens, Matthæique scopum, firmat, *regulam secundam exponendi sacram Scripturam, esse de corpore Domini mystico & simulato*. Ad hæc Gregorius homil. 12. in Euangel. *Cœlorum Regnum præsentis temporis Ecclesia dicitur, quæ quia ex vtroque sexu fidelium colligitur, decem virginibus similis esse denunciatur: in qua, quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admisti sunt, rectè similis virginibus, prudentibus & fatuis esse perhibetur*. Et hic nota arcanum subintellectum, in eo quod addit de iudicio; *quam cum impleta esset*, &c. Hoc mirè Augustinus in psal. 118. ibi, *quot sunt dies serui tui? quando facies de persequentibus me iudicium? De diebus* inquit *suis, interrogat corpus Christi: & ne quis putaret ante hic Ecclesiam non futuram, quam finis sæculi veneris, & aliquod tempus futurum in hoc sæculo, quo Ecclesia iam non sit in terris, adiunxit de iudicio; profectò demonstrans vsque ad iudicium, ipsam quoque in terris futuram*. Sed palam hoc ipsum prænunciat Dominus infra Matthæi 24. *non præteribit generatio hæc donec omnia fiant*: quod G Chrysostomus vt aliàs diximus, exponit de generatione fidelium Christi: quia status fidelium Christi manebit vsque ad consummationem Sæculi. Et ecce de fidelibus esse parabolam, quæ de piscibus: Augustinus de Quæst. Euangel. *Piscis autem* (ad il-

38.

G p. m. 106. 4.

Iud Lucæ 11. *quis autem ex vobis Patrem petit piscem,)* intelligitur fides inuisibilium; vel propter aquam baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur. *Quod etiam fides, huius Mundi fluctibus circumiactata non frangitur, rectè pisci comparatur.* Sumus ergo in similitudine Ecclesiæ fidelium: & ideo ait, *ex omni genere piscium congreganti.* Idem Augustinus in Sermone 148. de piscatione apud Lucam capit. 5. *ceperunt Apostoli quantam multitudinem Christianorum cernimus & miramur: miserunt in Mundum retia, tanquam in mare profundum, bonos & malos.* Et ad signandam Ecclesiam non dubito assumi ly *congreganti*; nam ex eodem Augustino in psal. 77. nedum *Conuocatio*, sed & *Congregatio* inuenitur appellari Ecclesia. Extra quam quidem sunt qui fidem non habent. Et quia vt supra dictum est, toto Orbe diffundenda erat, ideò ait, *ex omni genere piscium congreganti*: iuxta quod Augustinus Tract. 52. in Ioannem super illud capit. 12. *omnia traham ad me ipsum*; inquit; *aut certè omnia hominum genera, ab excellissimis vsque ad humillimos, à Rege vsque ad mendicum; vt sim caput eorum, & illi membra mea.* Etiamsi autem
H 3.p.8. a.3. aliqualiter dicatur Christus caput etiam infidelium; nimirum, quia H etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia: nihilominus, vt mihi videtur, de ipsis hæc non est parabola, quæ *congregantem* actu sagenam introducit. Et dum inquit *ex omni genere* indicat epitheton Ecclesiæ proprium, de quo supra; scilicet esse *catholicam* siue *vniuersalem*. Et quia genus Gentem sonat, (ex
I Philipp. 3. l. 1. Angelico I ad Philipp.) dicens *ex omni genere*, relatum habet ad illud Apocalypsis 7. *post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus.* In singulari autem *ex omni genere*, quia Ezechielis 37. *non erunt vltra duæ Gen-*
L Ephes. 2. l. 5. *tes*; eo quòd Christus L vtrumque populum scilicet Iudæorum & Gentilium coniunxit in vnum: quippe *qui fecit vtraque vnum.*

VERS. XLVIII. *Quam cum impleta esset &c.*

39. Sine metaphora infra capit. 24. *prædicabitur hoc euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet consummatio.* Sed quia in eodem tangens de præteritione fidelium generationis, adiecit; *de die autem illa & hora, nemo scit*: ideò & in præsenti sic indeterminatè dicit; *quam cum impleta esset educentes.* Latet sagena missa in mare: proinde solus Dominus nouit *cum impleta esset*. Sine temporis tamen temeraria præfixione, tunc impleta erit quoad numerum, cùm impletus erit numerus electorum, qui soli Deo co-
M p. p. 23. 7. gnitus est: non sic dico de numero reproborum, qui M videntur esse præordinati à Deo in bonum electorum. Rursus stante sagena in mari, quotidieque congregatis in ea piscibus; ignotum est, qui sint boni, quiue mali; quia Ecclesiastes 9. *nescit homo, vtrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*: idcirco educenda est aliquando sagena: 1. Corinth. 3. *vniuscuiusque opus manifestum erit*; & cap. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo*: Roman. etiam 2. *in die quando iudicabit Dominus occulta hominum.* Hoc mihi sonat ly *educentes*; subintellige, Apostoli eorumque imitatores perfecti viri; quibus etiam competit ly *sedentes*; iuxta quod infra cap. 19. *sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel*;
N 4 sent. 47. q. 1. a. 2. a. 1. nàm vt ait Richardus de Sancto Victore; N *Iudices coram iudicandis decretorum suorum libros aperire, est ad cordium suorum inspectionem, inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in re, quæ ad iudicium pertinent, reuelare.* Et ecce discrimen iudicij, discussionis scilicet in fidelibus; sessio enim Iudicis est causam audientis. Suprà colligunt Angeli zizania pro infidelibus, tanquam scandala absque vlla discussione: & *mittunt in caminum ignis*: hic non ita; quia vbi fides non fuit gloriæ aut damnationis, frustra fit inquisitio de merito: è contrà vbi fundamentum est fidei, par est discutiatur de operibus iuxta fidem. Quod ipse idcirco crediderim distingui, ad incutiendum terrorem particularis etiam iudicij; vt paueat, qui fidem amisit, subitaneam ac improuisam mortem; vel in se ipso præmortuus, *cogitationum* nihil omnino *accusantium* aut *defendentium*, Roman. 2. sentiens stimulos, iterum paueat, ne præceps inconsultus ruat in Infernum. In hoc autem, quod ait *secus littus*, stabilitatem firmitatemque iudicij videtur tangere, & immutabilitatem sententiæ designare. Sic *elegerunt bonos in vasa*: electio discussionis consilium de qua dictum est, præsupponit. Non dicit in vasis, sed *in vasa*; de quibus Roman. 9. *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Nominat autè bonos O vasa misericordiæ, quia vtitur eis, O Rom. 9. l. 4.
quasi instrumentis ad suam misericordiam manifestandam. Sic & Beatus Paulus Actor. 9. *perhibetur vas electionis.* Ecclesiastici 50. *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* *Aureum* P P Prologo in Epistolas Pauli.
propter fulgorem sapientiæ, *Solidum* propter virtutem charitatis; de qua dicitur Cantic. vltimo; *fortis est vt mors dilectio*; *ornatum omni lapide pretioso*; scilicet omnibus virtutibus; de quibus 1. Corinth. 3. *si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum argentum, lapides pretiosos*, &c. Et ecce mirè ad ea alludi, quæ supra diximus de *quærente bonas margaritas*; *vna inuenta pretiosa*; &c. Huiusmodi enim *eligitur in vas*: hoc est, dignosci fit electus in vas honoris. Ex hoc ipso autem, quòd bonos in vasa eligunt, vtique in honorem, Ecclesiam ornaturos ostendit triumphantem, quæ vt Augustinus considerat lib. 18. de Ciuitate capit. 48. *de solis electis ædificata est.* Quoniam autem ex eodem Augustino tomo 7. *collatione tertiæ diei*, cum Donatistis; *vna est Ecclesia præsens & futura*: idcirco crediderim, de malis dici *malos autem foras miserunt*, idest declararunt iam omnino exclusos ab Ecclesia, siue triumphante, siue militante; quæ à triumphante per similitudinem Q deriuatur, secundum illud Apocalyps. 21. *vidi Ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de Cœlo.* Super illud Q 4. contra G. c. 76.
Matthæi 23. *væ vobis* &c. in Opusc. 58. 17. inquit *væ* idest extra bonorum consortium miserabilis proiectio. Dic tu hoc sonare ly *foras miserunt.*

VERS. XLIX. *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum*; &c.

40. Erunt Angeli in iudicio finali R vt ministri Iudicis. Idem Augustinus cap. 49. de Ciuitate; *in hoc maligno sæculo, in his diebus malis &c. multi reprobi miscentur bonis; & vtrique tanquam in sagenam euangelicam colliguntur; & in hoc Mundo, tanquam in Mari, vtrique inclusi retibus indiscretè natant, donec perueniatur ad littus; vbi mali segregentur à bonis.* Et cap. 54. *duarum Ciuitatum, cœlestis atque terrenæ, ab initio vsque in finem permistarum mortalis excursus; diuersa fide, diuersa spe, diuerso amore, donec vltimo iudicio separentur.* R 4. sent. 47. 1. 2. 2. 3.
Eliditur autem error hæreticorum, qui, referente Angelico, S dixerunt quòd nullus fidelis quantumcumque peccator damnabitur; sed saluabitur merito fundamenti; scilicet fidei; licèt aliquam pœnam patiatur. Hic in sagena Ecclesiæ sunt certè fideles, intra Ecclesiam congregati per fidè, post iudicium solum declarati *foras*: mali mittūtur *in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium*; non secus ac supra de zizanijs dictum est. De hoc in figuram T in Exodo, *viderunt Ægyptios mortuos super littus Maris*; S Ioan 3. l. 3. & 4. sent. 46. q. 1. a. 1. q. 3. T Rom. 9. l. 4.

& ma-

& manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Et benè mittuntur mali *foras* in littore, quod sua in arena malos significat, vt dictum est in Genesin cap.22. numero 9. propter sterilitatem aliasque ob causas. Non absimilis sententia ac in Exodo extat Isaiæ vltimo; *egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me.* Quod licet Augustinus de Ciuitate Dei, vt fertur in 4. Sent. sentiat Y de damnatorum corporibus animatis quidem, sed cadaueribus nuncupatis, quia in secundam cadent mortem: fas quoque sit intelligere de fidelibus, qui in peccato decesserint: nam horum animæ sine vita gratiæ cadauera spiritaliter dicendæ sunt: ex Isidoro lib. 1. de Summo bono; *quod est anima corpori, hoc est animæ Deus.* infra Matthæi 23. *væ vobis* &c. *quia similes estis sepulchris dealbatis:* corpus peccatoris est X sepulchrum, quia mortuum continet; nam anima per peccatum moritur; Apoc. 3. *nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Sit ergo & hic sensus Isaiæ, *videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me.* Et vt ait Angelicus, A ponit secundum iudicium quantum ad malos. Dicit autem secundum iudicium, quantum ad malos; quia priùs introduxerat de iudicio finali infidelium v. 15. *Dominus in igne veniet,* &c. Vnde ad literam in hoc Matthæi capite, dum bis de iudicio Dominus verba facit, concordem se esse Euangelico Prophetæ Isaiæ palam ostendit: quia vt diximus, diuersa est forma iudicij infidelium & zizaniorum; (qui discredit vnum articulum fidei B, nec de alijs fidem habet) ac fidelium sed ex peccatis damnandorum, *qui præuaricati sunt in me:* quod peccatorum est quantumuis fidelium; iuxta illud psalm.118. *præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Qui autem non credit,* Ioann. 3. *iam indicatus est.*

Y in fine 4. sent. in exposit. literæ.
X Matth. 23.
A Isaiæ 66.
B 2. 2. q. 5. a. 3.

VERS. L. *Ibi erit fletus & stridor dentium.*

41. Fletus & stridor dentium C in spiritualibus substantijs, nonnisi metaphoricè intelligi possunt. Quamuis in corporibus damnatorum post resurrectionem, nihil prohibeat corporaliter ea intelligi: ita tamen quòd per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest; sed solùm dolor cordis, conturbatio oculorum & capitis, prout in fletibus esse solet. Nota ly *erit* quod interminatum futurum sonans, videtur æternitatem pœnarum vi sua portendere: sicuti & Ecclesiastes 11. ad hæc legimus; *si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem; in quocumque loco ceciderit; ibi erit.* Nota ly *in quocumque loco;* significat enim statum & permanentiam *in loco;* cùm potiùs vi grammatices dicendum fuisset, *in quemcumque locum.* Cæterùm ex Diuo Dionysio D super illud Isaiæ 6. *duabus velabant pedes eius:* per pedes designantur ea, quæ post Mundum erunt in gloria Beatorum, & in pœnis damnatorum; quia mysteria futuræ beatitudinis & miseriæ nobis ad plenum non reuelantur. Dic tu satis esse prænosse horum *an est*, non verò exigi pro suspiranda gloria cauendaque miseria, cognoscantur quoad *quid est*. Æterna vtrinque retributio: hoc plenè reuelatum est: qualis autem, Deus ipse nouit. Theologis præmiat vltra condignum, punitque E citra condignum.

C 4. cont. Gent. c. 90.
D 4. sent. in fine in exposit. literæ.
E 4. sent. 46. 1. a. 2. q. 1.

VERS. LI. *Intellexistis hæc omnia?*

42. Iam prænouerat, qui toties perhibetur vidisse cogitationes hominum. Quare si interrogat, ad nostram institutionem est. Vt scilicet in Apostolis tanquam Ecclesiam Dei repræsentantibus, ipsorum & successorum in æuum, futuro in cœtu, intelligentiam nouerimus esse Scripturarum: nam ipsi vt Roman. 8. dicit glossa, *primitias* F *spiritus acceperunt & tempore prius, & cæteris abundantiùs:* & (iuxta Domini promissum Ioann. 16.) ipsos docuit Spiritus-Sanctus omnem veritatem, de his quæ pertinent ad necessitatem salutis; scilicet de credendis, & de agendis. Ecclesia ergo, quæ salutare suum in ijs qui aderant audiebat, idipsum respondit *etiam:* & quia *amen* hebraicè, nedum & vel *verum*, sed *quoque* significat; ad perennem futuram Ecclesiæ, (cuius typum gerebant) intelligentiam spectasse mihi visum est: nam ipsius duntaxat Ecclesiæ *iudicare est de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum*, vt Sessione 4. in Decreto de editione & vsu sacrorum librorum, decernit, & profitetur nouissimè sacrum Tridentinum Concilium. Et quoniam ad hæc ait Dominus Ioann.14. de Spiritu Paraclito; *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia:* ideo dum de omnibus interrogantur; *intellexistis hæc omnia?* qui priùs rogauerant, vt zizaniorum parabolam edissereret; argumento est, intus illuminatos de cunctis fuisse, vel indicare voluisse Ecclesiam, nulla exceptione, de omnibus edoctam esse, quæ fidei ac morum probitatem puritatemque condeceant. Oportuit autem vel sic tangi de Ecclesiæ intelligentia; quoniam præsens caput credentes ab infidelibus discernit: fideles autem eatenus fidem habent, quatenus G inhærent sicut infallibili & diuinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis manifestata. Manifestum est autem, (pergit D. Thomas) quòd ille qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet: alioquin si de ijs, quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet, non iam inhæret Ecclesiæ doctrinæ sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Ex quo deducit hæreticum, qui non est paratus in omnibus sequi doctrinam Ecclesiæ, non habere fidem, sed opinionem quamdam secundùm propriam voluntatem. Vide quàm sublimi sensu vniuersaliter discipulos interroget; *intellexistis hæc omnia?* vt formale obiectum fidei in ly *omnia* designet. Vel dic, si placet, profundè insinuasse, qui sint veri fideles: nimirum qui credunt, non hoc aut illud, sed vniuersaliter *omnia* sibi auctoritate diuina proposita: nam fideles præsumuntur, qui intelligunt, sanè tamen sicut Ecclesia intelligit: per donum scilicet Spiritus-Sancti; de quo Isaiæ 7. secundùm aliam literam; H *nisi credideritis, non intelligetis.* Ergo, *intellexistis hæc omnia?* Quasi diceret; creditis his omnibus?

F p. 1. 106. 4.
G 2. 2. q. 5. 3.
H 2. 2. q. 8. 5. & q. 8. 5. 3. & Hebr. 11. l. 4.

VERS. LII. *Ideo omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum, similis, est homini Patri-familias;* &c.

Familiæ vnum est caput: Ecclesia familia quædam est; iuxta illud Canonis; *sed & cunctæ familiæ tuæ:* domus subinde ex Scripturis passim vocitatur, vt patet in officio dedicationis Ecclesiæ. Qui 43.
sunt de Collegio Ciuitatis, reguntur I ab vno qui appellatur Rex; qui verò sunt de Collegio Domus, reguntur ab vno qui dicitur Pater. Ergo in primis habes; Ecclesiæ regimen, quod Patrem-familias præsefert, monarchicum esse, non verò politicum, vt garriunt conatu inani hæretici. In eo autem quòd ait *Patrem-familias*, nedum se ipsum, qui tale non dedignatus est amanter suscipere nomen; supra cap.10. *si Patrem-familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Ephes. 2. *Domestici Dei:* sed & suum in terris Vicarium voluit significare: qui alto Dei consilio, (quicquid blasphemet Neotericorum impietas) Patris antonomasticè nomen obtinuit & possidet; nimirum *Papæ*. Quocirca sciendum ex Thoma Illyrico *tractatu de Potestate Summi Pontificis*; *Papæ* nomen, idem sonare ac *Pater Patrum*, idest Episcoporum ac Sacerdotum, qui passim, vt ostendit, appellati sunt Patres. Notat autem *Papæ* præterea nomen sumptum fuis-

I Ephes. 2. l. 6.

se ab interiectione *Papæ*, quæ interiectio est admirantis. Vnde vult admirabiles viros sanctitate & doctrina dictos fuisse Papas: & sic interdum Sanctos Patres: referenteque Eusebio Cæsariensi, affirmat Nicænam Synodum, hoc decreuisse priuilegium Romano Pontifici; vt sicut Romanorum Rex *Augustus* præ cæteris appellatur; ita Romanus Pontifex præ cæteris Episcopis *Papa*, velut principalis Pater vocaretur. Summum etiam Papam, ex præfata vocis huius origine, scribit Christum Dominum dici; vtpote de quo Isaiæ 9. *& vocabitur nomen eius, admirabilis &c.* Angelicus Præceptor, ante ipsum in Opusculo M considerat Christi Vicarium *Papam*, idest *Patrem* dici, & ab Augustino ac Hieronymo, Episcopos quibus scribunt Papas, idest Patres frequenter nominari. Sed ex eodem animaduertenda est glossa, super illud Matthæi 23. *Et Patrem nolite vocare vobis super terram; vnus est enim Pater vester, qui in Cœlis est*; quæ sic ait; *Deus dicitur natura Pater; homo autem indulgentia*: & alia; *Pater vocandus est aliquis, vt honor ætati deferatur, non vt Author vitæ habeatur.* Prohibet ergo Dominus ex Angelico, ne authoritas vitæ naturalis seu spiritualis alicui homini attribuatur. Honoris ergo causa & dignitatis; dummodo mente caueatur, ne animam nostram, aut gratiam, quibus & naturaliter & supernaturaliter viuimus, homini attribuamus; hominem possumus Patrem Papamque appellare. (Titulis alijs vocari homines Patres adnotaui Matthæi 6. v. 9.) Et hoc necesse est dicamus; quia textus palam introducit de *Patre-familias; qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Sic Ephes. 3. *de Patre Domini nostri Iesu Christi*, ait Apostolus; *ex quo omnis Paternitas in Cœlis & in terra nominatur.* Licet autem inde innotescat, omnem virtutem generatiuam in nobis esse à Deo, vt ibi considerat Sanctus Doctor; itemque deceat, vt zelo quodam animarum nostrarum, quas in faciem nostram inspirat, sibi soli Patris nomen attribuat: & iuremeritò, quia infundendo, quam creat animam, perennis vitæ nobis auctor est, ideoque per excellentiam Pater: non tollitur quin *& in Cœlis & in terra Paternitas nominetur*. Vbi rursus notandum est, N quòd Paternitas est tantum in viuentibus & cognoscentibus. Est autem duplex vita, vna secundum actum, alia secundum potentiam. Vita quidem secundum potentiam, est habere opera vitæ in potentia: vnde dormiens, quantum ad actus exteriores, dicitur viuere in potentia: viuere autem secundum actum, est quando quis exercet opera vitæ in actu. Sic autem non solum qui dat potentiam vitæ, Pater est eius cui dat, sed qui dat actum vitæ, ille etiam Pater dici potest. Quicumque ergo inducit aliquem ad aliquem actum vitæ, puta ad benè operandum, intelligendum, volendum, amandum, Pater eius dici potest. Sic astruit vnum Angelum dici posse Patrem alterius; quia vnus alterum illuminat perficit, & purgat.

M opusc. 19 cap. 2 post medium.

N Ephes. 3. l. 4.

44. Ex his, & ex prius dictis fas est colligere, voluisse Dominum præludere sacræ nomenclaturæ sui in terra Vicarij, præsumendo esse *Patrem familias, Scribam doctum, qui proferat de thesauro suo noua & vetera.* Et quidem opportunè subiectum est, quoniam præmissum fuerat de intelligentia verbi Dei, *intellexistis hæc omnia?* quare vt vna esset, & vnde vna foret futuraque esset in Ecclesia Scripturæ sacræ, subinde fidei dogmatum intelligentia; ad *Scribam doctum in Regno Cœlorum*, docuit esse prouocandum. Suboriri posse, semperque potuisse emergere, etiam inter fideles ad fidem attinentes controuersias, non est qui dubitet. Et si pro his compopendis nullus esset Iudex, ad quem tandem referrentur, omnes huiusmodi quæstiones sine fine essent, perpetua ob eas foret dissensio, erumperentque tot tamq; dissonæ, & absonæ de fide ac Religione assertæ sententiæ, quot sunt in Ecclesia, & quàm sunt diuersa capita. Quamobrem ad Ecclesiæ vnitatem, charitatem & consocietatem conseruandam, necesse fuit profectò, vnus esset *Scriba doctus in Regno Cœlorum*, &c. Sic retunditur impius Bucerus, qui vellet standum vtique iudicio eorum ad quos pertinet, si secundùm legem decernant. At si cùm de lege ac Religione emergit controuersia, hanc ansam vnicuique licet arripere, nulla vnquam, vt dictum est, terminabitur quæstio: semper enim supererit, an proferretur sanctio iuxta legem; cuius supremæ dubitationis nullus esset institutus Iudex. Et quidē vel ex hoc vno probatur, quòd & antiqua in lege Exodi 28. (Etsi speciali priuilegio, tanquam legislator) id impleuit Moyses. A fortiori quis non fateatur deuolui ad vnum, quæ possent controuerti in Ecclesia? Nunquid erit Ciuitas sine Rectore? Ouile sine Pastore? erit ergo libertas Naui huc illuc, vndis vento ferri sine Nauclero? nullus erit Præceptor in Schola, nullus in exercitu Imperator, nullus in Curru Auriga, nullus in Choro Præcentor, nullum in corpore Caput, nullus in familia Pater? absit. Necesse est vt Patri-familias eam præstemus auctoritatem, quam ad finem domestici conuictus, ratio recta præscripserit. Quoniam in vna Domo eodemque Tecto, vbi varia est hominum natura, non aliter vita duci, omnino potest. Et hinc inferas, tantam habere summum à Christo institutum Pontificem in Ecclesia auctoritatem, quantam ad continendos Christianæ Reipublicæ ciues in fide religione & officio necessaria est. Hæc fermè excerpta sunt ex Melchioris Cani de locis lib. 6. vbi Petro id dignitatis collatum esse, quemadmodum & libr. 12. per transennam, ostendit. Nos propriori atque in apertiori textu, vel infra cap. 16. vel si Dominus ad tantum tempus seruauerit, Ioannis 21. id versabimus. Interim satis sit, pro erroris vel minimi in definiendis exufflanda suspicione, satis sit inquam, expendere *Scribam* perhiberi, quasi Notarium seu Tabellionem, qui acta *iure & officio* vera consignet: *Scribam doctum*, vtique de sursum & in Regno Cœlorum; quemadmodum ait Paulus, *neque enim*, Galat. 1. *ab homine accepi illud*, (Euangelium) *neque didici; sed per reuelationem Iesu Christi.* Et Petro infra cap. 16. dixit Dominus; *quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Hic est, *qui verbum vitæ* (vt verbis vtar Hilarij) *in æternitatis cibum alendæ familiæ dispensat.* Et quia Patris-familias prouidere est domesticis; non dubium, ad illius alludi personam, cui ter, Ioann. 21. iniunxit Dominus, *pasce, pasce, pasce, oues* etiam, quæ agnorum sunt Matres; vt Episcopos etiam alios à summo intelligamus pascendos; quandoquidem oues suas, agnosque illi commisit; non has aut illas duntaxat; nam Dominus ipse qui 1. Petri 2. *Princeps est Pastorum*, omnes, nulla excepta, sub se habet oues & agnos, tanquam suas vtique, quas Petro Patri-familias absque vlla restrictione dedit alendas. Quòd si vel vna pasci renuit à Petro, non est illa ouis Christi, vel Christi agnus; dum illi in vniuersum dicit *pasce oues meas*, & antea bis, *agnos meos*: vtique scientia & doctrina; secundum quod Ieremiæ 3. legimus; *& dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*.

VERSV eodem; *Ideo omnis scriba doctus; &c.*

Non perperam, neque casu vsus est Dominus hac in sententia, signo illo vniuersali, *Omnis*. Ex eo subintelligendum sine dubio reliquit, plures futuros esse scribas doctos in Regno Cœlorum, qui munia Patris-familias erga domesticos gererent. 45.

Et hoc quid nisi plures pluresque Petri successores demonstrat? Planum erat primum Christi Seruatoris, proprio iure Patris-familias, (vt patet supra c. 10. *Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?*) primum inquam vices gerentem in terris, morte hinc recessurum. Nunquid Domus Dei, hoc est Ecclesia, sine capite visibili erat permansura? Absit. Plures se insinuat ad id muneris suffecturum. Idcirco hac vna ex causa Hebræor. 7. *alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere*. Nisi huc respiceret isthæc Domini sententia, singulariter potius eam pronunciasset: non enim, si Cathedræ exigentiam tollamus, passim & promiscuè tantum hominibus donum datur, vt docti fiant in Regno Cœlorum, Scribæque in doctrina edicenda obeant munus. Circa ea quæ sunt de necessitate salutis, habentes gratiam gratum facientem, o de omnibus quidem instruuntur à Spiritu-Sancto, secundum illud 1. Ioan. 2. *vnctio eius docet vos de omnibus*. Verùm altiori gradu sic de sursum donari sapientiam, vt altiora mysteria quis cognoscat possitque alijs manifestare: itemque possit quantùm ad directionem humanorum, secundùm regulas diuinas alios etiam ordinare, non est commune omnibus habentibus gratiam, vt ibidem tradit; cum pertineat ad gratias gratis datas. De huiusmodi gratijs gratis datis 1. Corinth. 12. parcè admodum loquitur Apostolus semper in singulari; *alij datur per spiritum sermo sapientiæ*, &c. & tandem, *diuidens*, inquit, *singulis, prout vult*: abstinet semper ab vniuersali. Vni Esdræ Scribæ veloci Domini, vt dicitur Esdræ 1. c. 7. ipsum & Artaxersem Regem legimus encomium dedisse doctissimi; *Artaxerses Rex Regum Esdræ Sacerdoti Scribæ legis Dei Cœli doctissimo, salutem*: vnius Danielis (cap. 13.) suscitasse legimus Dominum, spiritum sanctum, sic vt dixerit ei Populus; *veni & sede in medio nostrum, & indica nobis; quia tibi Deus dedit honorem senectutis*. Igitur dum sic vniuersale vsurpat Dominus signum, *omnis scriba doctus*, omnes Petri successores futuros esse, nemine excepto, doctos de sursum indicare voluit: vt omnibus ipsis, eorumque ex cathedra doctrinæ, par haberetur honos & obsequium, tanquam Præfectis Domus seu Ecclesiæ de sursum, & doctis non ab homine sed *in Regno Cœlorum*. Igitur *omnis scriba*, nedum Petrus, sed post Petrum Linus, post Linum Anacletus, post Anacletum Clemens, post Clementem Euaristus, post hunc Alexander, & sic successiuè, vsque ad Innocentium XI. hodie Ecclesiæ gubernacula sanctissimè moderantem: immo exinceps legitimi successores in Petri Sede Pontifices, *docti* credendi erunt Patres-familias, *doctique in Regno Cœlorum*; collectiuè tamen, quasi singulari numero comprehensi; allusione tacita ad illum, qui princeps est Pater-familias, quique illos sui loco substituit. Hoc ipsum exequitur præfatus Melchior Canus de locis lib. 6. tertia de his conclusione, dicens; *Petro defuncto*, (Ecclesiastes 1. *moritur doctus similiter vt indoctus*) *diuino iure esse qui illi succedat in eadem auctoritate & potestate. Nam cum oues Christi essent vsque ad consummationem sæculi futuræ, desipiet profectò, qui Christum existimabit ouili perpetuo Pastorem temporarium sufficisse*. Dic tu de Domo seu de familia id ipsum. Vbi familia est; adhuc, Patrem-familias præsto esse; nec relinqui oues sine Pastore, nec domesticos absque Capite, patitur æterni Patris clementia, altumque illius Regimen, qui prompsit Prouerb. 8. *Per me reges regnant*.

O 2.2.q. 8. 4. 1. & q.45. a.5.

VERSU eodem. *Qui profert de thesauro suo noua & vetera*.

46. Quid sit thesaurus iste ad rem, exponi non posse satius sum arbitratus, quàm si breui dicatur (quod Augustinus de Ciuitate Dei lib. 5. c. 16. de Cœlorum ait Regno) *thesaurus esse veritatis*. Quadrat autem isthæc expositio præmissis, quæ credendorum intelligentiam, fideique infallibilitatem, vt vidimus, prætexunt. Rogauit autem Dominus pro Simone: dicens Lucæ 22. *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Cùm ergo in doctrina sana ædificanda esset Ecclesia, fideique dogmata præsertim essent domesticis per Patrem-familias communicanda: & fidei P non posset subesse falsum: quid dum ait de thesauro, nisi de thesauro veritatis potest intelligi? Accedit quòd, vt ostendit Angelicus, Q nedum ea quæ ratione inuestigari non possunt, conuenienter proponuntur hominibus fide tenenda, sed & veritas diuinorum ad quam naturaliter ratio pertingit, conuenienter hominibus credenda proponitur. Ergo in subiecta materia thesaurus iste meritò dicitur veritas. Quæ certè aliàs, præsertim in ijs quæ de Deo, multum latet; non solum qui, *cunctæ res difficiles*, vt dicitur Ecclesiastes 1. sed quia etiam secundùm Philosophum 2. Metaph. ad huiusmodi intelligibilia, intellectus noster est sicut oculus vespertilionis ad lumen Solis. Quoniam ergo, si etiam veritas, quæ inquisitioni rationis peruia esse potest, non traditur supernaturali inspiratione credenda, sed solummodo homini inquirenda relinquitur; tria præcipuè sequuntur inconuenientia, vt ibidem R euincitur: sic palam, quàm opportunè thesaurus erat recolendus in præsenti, non auri & argenti, sed absconditæ veritatis. In dies ergo quoties controuersia fidem concernens id exigat, de diuite ac indeficiente veritatis ærario profert Pater-familias, quasi de fonte credentibus veritatem. Ex quo verificatur & Isaiæ vaticinium c. 8. *ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*. *Scriba doctus* doctos facit tanquam Minister. Sanctus Paulus, 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; quæ sunt S spiritualia documenta, & Sacramenta. Et dum pergit Apostolus dicens de fideli dispensatore; *Quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*, certè cohærenter ad Matthæi contextum tacitè familiam vocat Ecclesiam: nam Lucæ 12. *fidelis seruus & prudens constituitur super familiam, vt det illis in tempore tritici mensuram*. Quod est dispensatorem esse toti familiæ. In Canone; *hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*.

P 2.2.q. 1.3.

Q 1. cont. Gent. c. 5. & 4.

R ibi c 4.

S 1. Cor. 4.1.1.

Rogabis vltra dicta, cur veritas typo significetur thesauri? Respondeo, mereri nomen thesauri, iuxta quod ait Apostolus 2. Corinth. 4. *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. Vbi loquitur de luce seu de illustratione, qua Deus illucet mentibus eorum, qui alios de fide illuminant, vt ex Angelico non solùm, sed & ex litera constat; *ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu*. Paulò ante verò ait *in manifestatione veritatis*. Veritas quippe ex lumine T est intelligibili: & in ijs quæ excedunt naturam, indiget homo ad cognoscendam veritatem superaddita illustratione. Porrò, ait Angelicus V lux est maximus thesaurus Sap. 7. *infinitus thesaurus est hominibus*. Isaiæ 33. *diuitiæ salutis sapientia*. Constat, dic tu, thesaurum istum cum luce, cum sapientia, & veritas. Quoniam autem passim apud Apostolum *de veritate Euangelij* sermo fit; & Corinth. 1. cap. 4. per ipsum Euangelium Corinthios se genuisse contestatur dicens; *nam si decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos Patres; in Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui*; adhuc inde habes, in quo sit quis Pater, in prædicatione scilicet veritatis Euangelicæ: quem proinde thesaurum habere in Domino glorietur Pater-familias. Aude 47.

T p. a. 109 1.

V 2. Cor. 4.1.1.

Esdræ

Esdræ 3. cap. 3. & 4. veritas præponitur fortitudine, & Regibus & Mulieribus. Quare si Reges anteit, qui thesaurizant; mulieresque quarum gratia relinquunt homines *aurum argentum, & omnem rem pretiosam*. est veritas verè thesaurus, & potior thesaurus. Veritas ergo, quæ *per Iesum Christum*, sicut gratia Ioann. 1. *facta est*, ad Christicolas per Patrem-familias, qui ipsius custodit ærarium, seu mauis Depositum, tanquam per oraculum prolata est. Nota ly *profert*. Sic primus Pater-familias Petrus Act. 15. *cum magna conquisitio fieret, surgens dixit: viri fratres; vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit: per os meum, audire Gentes verbum Euangelij, & credere*: & tunc protulit de thesauro suo; *nihil discreuit inter nos*, scilicet Iudæos, *& illos*, hoc est, Gentes. Petrus ergo est lydius lapis, *cuius ab ore*, veritas, quæ conquæritur pendet. Soli Petro quippe dicitur Lucæ 5. *duc in altum*, nimirum *in profundum disputationum*, vt ait Ambrosius. Qui idcirco à Diuo Dionysio & Damasceno encomiatur, vt sit *summa & antiquissima, pronestissima Theologorum summitas*. Et sic post Petrum successores Romani Pontifices. Quærit Angelicus an ad Summum Pontificem pertineat

X 2. 2. q. 1. a. 10. symbolum ordinare? x & respondens Summi Pontificis esse symbolum fidei edere; hoc repetit ab hac radice. Ad illius auctoritatem pertinet editio symboli (dic tu fortè ideo hic Patrem-familias appellari *Scribam*;) ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur in Decret. distinct. 43. Vnde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit; *ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Et huius ratio est, quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. ad Cor. 1. *idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: quod seruari non potest, nisi quæstio fidei de fide exorta, determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia, à tota Ecclesia firmiter teneatur. Quamuis enim in doctrina Christi & Apostolorum veritas fidei sit sufficienter explicata; tamen quia peruersi homines Apostolicam doctrinam, & cæteras doctrinas & scripturas peruertunt ad sui ipsorum perditionem, vt dicitur 2. Petri vltimo, ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores. Hæc Diuus Thomas. Et prout mihi visum est, causalis ea Domini *ideo omnis Scriba doctus* rem omnem claudit; ac si dixisset; *intellexistis hæc omnia*, (Apostolos pro fidelibus alloquitur) *ideò* quia *omnis Scriba doctus in Regno Cælorum* pronunciauit de Cathedra; nam Scribæ debetur Cathedra; iuxta illud infra cap. 23. *super cathedrā Moysi sederunt Scribæ*. His tantum defert honorem, vt adijciat: *omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite*: & hodie proh dolor! à quot fermè contemnitur Sedes Petri!

48 Valde autem considerandum est, quomodo ait Dominus, *de thesauro suo*: non enim ità dictum est *suo*, quasi non desuper thesaurum ipsum acceperit; quandoquidem Iacobi 1. *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*: & præterea vt ait glossa super illud 1. Cor. 12. *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu-Sancto: quia omne verum à quocumque*

A p. 2. 109. a. 1. *dicatur, à Spiritu-Sancto est* per donum habituale A naturæ superadditum maximè in illis quæ pertinent ad fidem. *Suo* ergo *thesauro* causa proprietatis: eò

B opusc. 1. §. 36. quòd, vt apud Angelicum B *contra errores Græcorum* in Canone Concilij Chalcedonensis dicitur de Romano Petri successore Pontifice; *omnia ab eo definita, ab eo teneantur; tanquam à Vicario Apostolici Throni*: Item in lib. Thesaurorum habet Cyrillus; *vt membra maneamus in Capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum*, C *à quo nostrum est quærere, quid credere & quid tenere debemus*. Item, *ipsius solius est, reprehendere corrigere, statuere, soluere disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit*. Et Maximus D in Epistola Orientalibus directa dicit; *coadunatam & fundatam super Petram confessionis Petri, dicimus vniuersalem Ecclesiam; secundùm definitionem Saluatoris: in qua necessarium salutis animarum nostrarum est remanere, & ei obedire, suam seruantes fidem & confessionem*. Vide alia ibi. Ad hæc ex Melchiore Cano lib. 2. c. 7. Maiores Ecclesiæ causæ ad Summum Pontificem referendæ sunt, vt Innocentius probat *de baptismo* cap. *Maiores*. Sic Euangelium, quod Paulus prædicabat in Gentibus ex Tertulliano Hieronymo & Augustino, non fuisset ab Ecclesia receptum, nisi Petri auctoritate fuisset roboratum: & vt idem Hieronymus in lib. de viris illustribus ex Clemente in 6. Ypotyposeon scribit; *Marci Euangelium, cùm Petrus audisset probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit*: idemque & Eusebius lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ c. 15. non solùm ex Clementis sed ex Papiæ testimonio confirmat.

C §. 17.

D §. eosdem.

Cæterùm quamuis possit repentè Pater-familias edocere; hoc est possit Pontifex in Ecclesia de ijs, quæ ad Ecclesiam ipsam pertinent, illuminari: quemadmodum Act. 2. *factus est repente de Cælo sonus, tanquam spiritus vehementis, & repleuit totam Domum*; (nota ly *totam*, quod vndequaque sanctam probat Ecclesiam) quemadmodum & Prophetas toties inspirauit; quia *Spiritu-Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, vt dicitur 2. Petri 1. Nihilominus quia diuina Sapientia (Sap. 8.) *disponit omnia suauiter*; fas sit, cùm de causa fidei in primis agitur, illud accommodare ad rem nostram, quod alias scribit Apostolus, 2. Cor. 6. *in suauitate, in Spiritu-Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis*: vbi enim sunt pascua vberrima Scripturarum, quo pascantur domestici Patris-familias scientia & doctrina, non est manna duntaxat expectandum de Cœlo, vt de veritatis thesauro fiat locupletior, si quando occurat in dies definiri ab Ecclesia. Rom. 15. *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, per medium *scribam doctum Patrem-familias*, vbi excitata sit controuersia. Quamuis etiam (præ oculis semper habito Pontificis in Ecclesia magisterio,) possit idoneus quisquis fuerit, pietatis studio, scripturas lustrare & illustrare; iuxta quod ait 2. Timot. c. 3. Apostolus: *permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris; & quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, quæ est in Christo Iesu. Et deinde. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum ad arguendum, ad corripiendum ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Ecce normam fidei ac morum ipsa in Scriptura. Hinc Petrus in 1. cap. 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, de ea quæ in vobis est spe*. Cant. 4. *sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*: per Dauid E significatur Christus: Turris eius est fides, vel Ecclesia: clypei sunt rationes, & auctoritates Sanctorum. Ad hoc ergo *doctus est Pater-familias*, in Scripturarum intelligentia, vt supra diximus, vt fidei in primis documenta Magistrorum Duce optimo colligat, quæ deinde toti Domui prout opus fuerit distribuat, *vnicuique* Rom. 12. *sicut Deus diuisit mensuram fidei*.

49.

E Prologi 1. sent. Magistri expos.

Obie-

F 2. 2. q. 5. 3. Obiectum enim formale fidei F est veritas prima, vt dictum est, secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris, & doctrina Ecclesiæ; quæ procedit ex veritate prima: quæ sic subinde est infallibilis & diuina regula. Quamuis enim quæ sunt fidei, sub spirituali etiam sensu lateant in Sacra Scriptura: nihil tamen est fidei G necessarium; quod Scriptura per literalem sensum, alicubi manifestè non tradat: Hinc meritò Trullana Synodus; Can. 19. *oportet eos qui præsunt Ecclesijs, Clerum & Populum docere, ex diuina Scriptura colligentes intelligentias, & iudicia veritatis; & non transgredientes iam positos terminos*; &c.

G p.p. q. 1. 10. 1.

50. Exposcit hoc Sanctissimi præceptoris dictum grano salis intelligi. Neque enim sic esse in Scripturis manifesta ea quæ sunt fidei accipiendum est, vt muliercula sutor bibulcus stabularius caupo nauta, & cerdo quisque ea legens videat: quamuis possit Dominus secundum suum beneplacitum, idiotissimum quemque illustrare; iuxta illud Ecclesiastici 37. *anima viri iusti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*. Patet; quia ideo hic Matthæi vltimo, indixit Dominus discipulis, *v. euntes docerent omnes Gentes*: immò etiamsi sit aliquis ingenuæ indolis, eget in his pædagogo, vt claret Act. 8. de Eunucho; qui Isaiæ legens locum c. 53. ad literam manifestè de Christo; *tanquam ouis ad occisionem ductus est*, &c. audiuit à Philippo; *putasne intelligis quæ legis? Qui ait; & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Et paulo post; *obsecro te, de quo Propheta dicit hoc; de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, incipiens ab hac Scriptura, euangelizauit illi Iesum*. Quandoque ergo, nisi Dominus *aperiat sensum, vt intelligamus Scripturas*, quemadmodum discipulis Lucæ 24. quinimmo semper, nisi aperiat, cæcutimus. Quid ergo euomit impijssimè Lutherus: *ipsa Scriptura per se facillima apertissima*? E vestigio de Epistolis Pauli Diuus Petrus 2. sua c. 3. inquit, *in quibus sunt quædam intellectu difficilia, quæ indocti deprauant*. Testatur Clemens Alexandrinus gloriosus Christi Martyr & Pontifex, Petri comes indiuiduus, qualiter Petrus per omnem occasionem discipulis suis inculcabat, diuinas Scripturas, non secundùm propriam cuiusque intelligentiam legendas aut docendas. Sunt enim, inquit, multa in Scripturis diuinis, quæ trahi possunt ad eum sensum, quem sibi vnusquisque præsumit. Et ideo oportet intelligentiam Scripturarum ab eo discere qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruat. Ita apud Pighium in Apologia. Quòd si ita facillima est, apertissima, suimet interpres, omnium omnia probans, iudicans & illuminans: cur non omnes veram intelligentiam as[se]quuntur? Dicet impius; *vsu assidui studij pertinacius insudandum esse Sacris Scripturis, quo vincantur pericula, ne quis proprio spiritu eas intelligat, sed eo spiritu quo scriptæ sunt, qui nunquam præsentiùs aut viuaciùs, quam in ipsis sacris literis inueniri potest*; *qui spiritus*, inquit, *sponte sua est venturus, & nostrum spiritum expulsurus*. Sed si ita res se habet, tum de facili obuioque Scripturæ intellectu, tum de spiritu veluti ex eis emicante; cur improbare poterit Arij Macedonij Eluidij, & tot aliorum hæreticorum intelligentiam, qui ex Scripturis sua erui dogmata contendebant? Cur Iudæis rationabiliter (ad hominem arguo) poterit insultare? quandoquidem ipsi assiduè vacant Scripturis: quibus tamen non rectè intellectis, vna cum vera intelligentia, veram fidem blasphemant. Certè si roboris & veritatis fundamentum hoc Lutheri esset; ad alterum cogitur, vt vel hebræos omnes coactè ad Christi fidem conuertat; vel omnino excuset si non conuertantur; quoniam & ipsi putant se veram habere intelligentiam Scripturarum. At si indubitatum est, errasse aliquos in Scripturæ intellectu; quemadmodum Sadducæis obijcit Dominus Matthæi 22. *erratis nescientes Scripturas*: vt exemplo ibi adducto Exodi 3. *ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Iacob*: quid emergere vnicuique ipsis ex Scripturis spiritum intelligentiæ astruit Lutherus? At subdit Lutherus, Scripturam Sanctam superbis & impijs maioris cæcitatis esse occasionem. Quoad hoc non malè dicit maledicus: quandoquidem Ecclesi. 32. *qui quærit legem replebitur ab ea, & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea*: & Diuus Petrus loco citato asseuerat nedum indoctos, sed & instabiles deprauare quæ scripserat Paulus, *sicut & cæteras Scripturas ad sui perditionem*. Sed hic quærendum erit, quisnam sit superbus & impius, quis deprauator? catholicus exempli gratia, an Arius? an Macedonius, an Thomas Aquinas, an Martinus Lutherus? Præuidit se hinc arctari, cur doctior vellet vel doctissimus præ alijs haberi. Respondetque per nugas; *nolo omnium doctior iactari, sed solum Scripturam regnare; nec meo spiritu, aut vllorum hominum, interpretari, sed per se ipsam & suo spiritu intelligi volo*. Hoc est ludere verbis; de hoc enim erit contentio: quisnam sit Scripturæ spiritus, an quem prodit Lutherus, an quem Thomas Aquinas. Iudæus contumax est in intelligentia Scripturæ: vt *maledictus à Deo est, qui pendet in ligno* Deuteronomij 21. sit in Christi execrationem: Apostolus ad Galat. 3. constans est esse in Christi laudem, *qui factus est pro nobis maledictum; vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu*. Quis veram hausit intelligentiam Scripturæ veteris? si facillima est & apertissima, cur non æquè Iudæus eam intelligit? si suus ex illa est spiritus intelligentiæ: quis erit Iudex, de spiritus assecutione?

51. Reiecto ergo impio Hæresiarchæ assumpto, quo sibi superbè arrogat (*ò præsumptio nequissima!* Eccles. 37.) quod proterue negat Sacris Concilijs summoque Pontifici; Dicendum est vtique priuatis quandoque mentibus donari de sursum Scripturæ genuinam intelligentiam; si humiliter præsertim Deo fiant supplices, iuxta illud Deut. 33. *& qui appropinquat pedibus eius accipient de doctrina illius*: Vnde ait Apostolus 1. Cor. 12. *diuisiones gratiarum sunt; alij interpretatio sermonum*; idest difficilium H scripturarum. Danielis 5. *audiui de te, quòd possis obscura interpretari*; & Genesis 40. *nunquid non Dei est interpretatio?* Attamen quia ex Scripturis luce meridiana clarius, habemus Sap. 8. *disponi à diuina sapientia omnia suauiter*; *Non dicas*, Eccles. 5. *non est prouidentia*: Sap. 14. *tua autem, Pater, prouidentia gubernat*; certo certius debet esse, specialius in his, quæ ad salutem pertinent & fidem, sine qua Hebræor. 11. *impossibile est placere Deo*, Deum ipsum se prouidisse, vt cui regimen animarum committeret, ei etiam potestatem faceret instruendi ac erudiendi informandique easdem de ijs, quæ agnoscenda essent; vt & Deum colerent, & ad Deum tandem assequendum viam capesserent. Sap. 9. *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*. Compendiosior prudentiorque via est, vt per disciplinæ auditum (*auditus autem per verbum fidei* ait Apostolus Rom. 10.) crederent. Quod implorans Isaias c. 53. dicebat; *Domine quis credidit auditui nostro?* Plebs idiota rudeque vulgus Mundusque in vniuersum minùs diuinorum studiosi, quinimmo insipientes, infeliciùs quàm bruta, quæ vel ducuntur, in suum tenderent finem; summoque salutis discrimine, passim in biuio inconsulti hærerent aut aberrarent. Expostulat prouidentiæ diuinæ ordo, vt ima per media, mediaque per superiora regantur: neque congruit, vt vbi visibilis est Ecclesiæ familia; nul-

H p. Cor. 13. l. 2.

nullus sit in ea, vbi de grauioribus agitur, Dux & Pater-familias. Diuus Dionysius cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ; (I 3.p.71. 4.3.) prout recolitur I ab Angelico, distinguit quadruplicem instructionem, prima est conuersiua ad fidem, quam tribuit Episcopo; & potest competere cuilibet prædicatori vel etiam cuilibet fideli: secunda, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter se debeat habere in susceptione Sacramentorum; & hæc pertinet principaliter ad Sacerdotes, secundario ad ministros: tertia est instructio de conuersatione christianæ vitæ; & hæc pertinet ad patrinos: quarta est instructio de profundis mysterijs fidei, & perfectione christianæ vitæ; & hæc ex officio pertinet ad Episcopos. Et 5. cap. (quod alibi L fertur) docere idest exponere Euangelium, (L 3.p.67. 2.1.) pertinet propriè ad Episcopum, cuius actus est perficere: perficere autem idem est quod docere. Corruunt hæc omnia, si delirum infrunitumque Lutherum quis vult probare. Vt quid Apostoli peragrarunt Orbem terrarum? quos idem Dionysius cap. 7. *diuinos nostros Duces* appellat; si quisque per semetipsum hausto scripturæ spiritu cuncta nouit, interius duntaxat cupiens sibi Deum loqui? Quare, si Duces disposuit Dominus esse in Ecclesia primitiua, non in ea semper? Cur cùm plura, cunctaq; tandem reducantur ad vnum, non ad vnum postremò Iudicem quæcumque fidei causa trahenda est? Deuteronomij 17. sancitum fuit, vt ad Iudicem & Sacerdotem, in difficilibus & ambiguis pro eorum definitione recurrerent; sic vt eius sententiæ ac imperio acquiescerent. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio & decreto Iudicis, morietur.* Nunquid minus prouidit Dominus Ecclesiæ, quàm Synagogæ prouiderit? Non eo inficias, inconsulto supremo capite, vbi difficultas non est de rebus fidei, posse per idoneum quemuis Dei ministrum instrui & doceri, qui ad fidem Deo mouente vocatur; siue de veteri, siue de noua lege sit: opus de veteri quidem, sicut Paulus Act. 22. *secus pedes Gamaliel eruditus fuit iuxta veritatem paternæ legis*: & de noua ipsemet Paulus per visum missus est ad Macedones Act. 16. Verùm aliud est doctrinaliter rem versare, aliud auctoritatiuè: quemadmodum leges Superiorum doctrinaliter potest quisquis legis-peritus interpretari: atqui auctoritatiuè eius est interpretari legem, cuius fuit condere. In praxi factum est Act. 15. tunc exorta circumcisionis ad Gentes disceptatione. *Conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc; cumque magna conquisitio fieret, surgens Petrus* diremit Quæstionem. *Tacuitque omnis multitudo.* In huiusmodi autem sanctione, Scripturarum auctoritatem tetigit dicens; *vos scitis, quoniam ab antiquis diebus*, &c. Iam priùs habemus c. 10. *quia non est personarum acceptor Deus.* Huius vi Scripturæ, non in æuum duraturas antiquas cæremonias euincebatur. Petri autem veluti suffraganeus & opitulatio Iacobus ibi cap. 15. induxit Scripturam expressiùs; Amos 9. *post hæc reuertar & reædificabo,* &c. Quare nō intendimus Petri successorem pro libito sic esse oraculum, vt neglecto & inconsulto Scripturæ magisterio, res fidei examinet aut determinet. Nam & quando Deus mittebat Prophetas, missionis suæ signum Scripturam dedit. Et (M Rom. 10.1.2.) sic Ioannes Baptista, M cum quæreretur, quis esset? induxit; *ego vox clamantis in deserto, sicut dicit Isaias Propheta*; Ioan. 1. Sed quod contendimus est, vnius potius summi Sacerdotis, quàm promiscuè cuiuscumque esse, lites exortas & schismata, ex Scripturis, sano habito intellectu, dirimere. Neque calumnietur impius, Romanum Pontificem nonnisi indoctissimis sophistis circumuallatum Scripturas interpretari dogmataque decernere: nam præterquamquod turpissimè falsum vomit, diuinæ derogat Prouidentiæ, quæ ouile suum derelinqueret sine Pastore: qui ad pascua salutis gregem non valeat ducere, sed ad venena, ad aconita & cicutas: quibus omnibus noxium magis est, mendacium in rebus fidei, reclaq; fidei annexis decernere pro vero: & agnis ouibusque innocentibus virus errorum lethiferum propinare. Scripturæ munita præsidijs, Spiritu-Sancto assistente, consentit Ecclesia dicens Act. 15. *visum est Spiritui-Sancto & nobis*, euaditq; *columna* I. ad Tim. 3. *& firmamentum veritatis*: sic tamen vt Spiritus-Sanctus, nonnisi ad Petri, successorisque locutionem descendat: iuxta illud Act. 10. *adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus-Sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Nunquid super Petrum loquentem non ceciderat? Planè præacceperat Spiritum-Sanctum in die Pentecostes. Descendit ergo, seu cecidit loquente Petro, confirmans ipsi Capitis auctoritatem. Hinc cùm loquitur ibi cap. 10. legimus; *aperiens Petrus os suum dixit.* Quod nonnihil maiestatis importat; nam & de Domino dictum supra Matthæi 5. *aperiens os suum*, &c.

Aperit Summus Pontifex os suum quantumcumque perditis esset moribus, (non minus ac, inuitus tametsi, Caiphas *prophetauit, cum esset Pontifex anni illius, dicens: expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* Ioan. 11.) cum sanctum refert Beatorum albo & tunc nec sine Scripturæ ductu; quæ ex ore Domini (Exodi 4.) vbi non labefactetur fides, ex signis probat homines missos à Deo. Cùm enim dixisset Moyses Domino; *non credent mihi* &c. N Dominus dedit ei potestatem signa faciendi. Sic etiam signum missionis est veritas annunciatorum prophetice: quamuis potius de signo ibi dicatur (Deuteronomij 18.) agnoscendi non missum à Deo, cùm *quod prædixerit, non euenerit.* Aperit os suum Pontifex, cum olfactum canonicum librum, pro tali pronunciat habendum. Neque hoc tamen sine ope Scripturæ; quandoquidem diuina sapientia notas & signa libri Canonici prodit dicens Prouer. 8. *Iusti sunt omnes sermones mei: non est in eis prauum quid neque peruersum: recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam.* Quid hic auderet Lutherus? an singulis scripturas euoluentibus dubias, ius vult diuinitus datum, canonizandi has non illas? non potiùs vni Pontifici diuina dispensatione id prædonatum. Sed si singulis fas est hunc assequi ex ipsismet Scripturis canonizandi eas spiritum; prodat, vnde hoc vniuersale suum assertum, ex Scripturis facillimis, vt ait, apertissimis habeatur. Eadem enim facilitate, qua ipse Sanctos Patres explodit; possumus & nos quicquid ipse dicit, nisi plana sint Scripturæ verba, negare. At vbi planæ sunt ipsius assertiones? Ad rem potius confunditur; quoniam ibi Prouerb. 8. subditur; *accipite disciplinam meam & doctrinam*: ergo discipulos nos asciscit non magistros; qui enim *accipit disciplinam* discipulus est. Si quid tamen in Scripturis non extaret, quod fidelium opportunum esset regimini; non dubito, de sursum Summo Pontifici conferendum lumen sapientiæ, vt absque errore proferret quid cuique agendum; nam ex 2. Cor. 12. in Ecclesia sunt gratiæ gratis datæ ad vtilitatem, nedum *interpretatio sermonum*, sed *spiritus sapientiæ*, vel *spiritus scientiæ*: quæ dona, *diuidit singulis prout vult.* Non omnibus enim datur huiusmodi spiritus; vt somniat Lutherus: *singulis* ergo; sed vni auctoritatiuè vt dictum est: qui auctoritatem ostendat in præcipiendo; non secus ac Diuus Petrus Actor. 10. *iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.* Id quod specialem indicat nutum Spiritus-Sancti; sine quo non ei licuisset formam pro tunc baptismi imperando quasi alterare: cum iniunxerit Dominus ipse *in nomine filij*, non vero expressè *in nomine Iesu Christi*:

Marginalia (right margin): "52." beside "Aperit Summus Pontifex…"; "N loc. cit." beside "…Dominus dedit ei potestatem si-".

O 1. p. 66. 6. 1. *sti*; de quo vide o in 3. p. *Baptizantur*, etiam Act. 8. *in nomine Iesu Christi viri & mulieres*: (hoc ipse intelligo, non sic vt omitterent *Patris & Spiritus-Sancti*, sed vice *filij* dicerent *Iesu Christi*) Sed vt dicitur Roman. 8. aliqui *spiritu Dei aguntur*: Ierotheus ex D. Dionysio 2. cap. de diuinis nominibus doctus fuit *non solùm discens, sed & patiens diuina*. Quare quod hic dictum est *Scriba doctus similis Patrifamilias*, vtroque sensu accipiatur. Inde veneremur submissè hunc Patrem-familias Petri successorem.

53. Dixi ex Sancto Thoma, omnino Sanctos Patres detulisse Romano Pontifici. Addo Cyprianum, qui Cornelio Summo Pontifici scribens habet: *neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina, obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùm Sacerdotum Collegium, quicquam moueret*; &c. Athanasius etiam ad Marcum Romanæ Vrbis Episcopum sic ait: *optamus vt à vestræ Sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate (quæ est Mater & caput omnium Ecclesiarum) ea ad correctionem & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur; quatenus vestra fulti auctoritate*, &c. Ita ex Roffensi in Præludijs ad confutationem Procemij Lutherani: vbi fusè ipsum comprimit: & vnde nonnihil accepimus: zelo veritatis digressi ab Instituto, modò obstruatur os illud loquentis iniqua. A quo sanè expedimur scientes à plerisque Orthodoxis sapientibus ipsius fallacias detectas. In vno superest tantisper immorari, quod ipse ignarus buccinator, non semel eo in Prologo iactanter obijcit, sibi visus triumphare de planitie aperta & facili prætensa Sacræ Scripturæ: quia inquit, *si tandem ad eam reducenda est controuersia: si per eam probantur, quæ aliàs verterentur in dubium, necesse est, vt sit clarior & notior: secus non nota per minus nota traderentur; cum è contra etiam Philosophi clament, minus nota per notiora esse demonstranda*. Quid iactas adeo patulum Scripturæ ostium, cùm tu de illa (quoad spiritum) promas esse *latibulum*? Nota fidelis, dixisse Angelicum in citata p. p. q. 1. a. 10. ad 1. tradi in Scriptura quicquid est necessarium fidei per sensum literalem, alicubi manifestè: *traditur* bene inquit, *manifestè*: sed non dici esse manifestum: manifesta est traditio, sed rerum non omnino manifestarum quoad intellectum, quia non rectis oculis leguntur, nec vnicuique fas est se præsumere facem. Secus nullus potuisset esse hæreticus non humiliatus, aut Iudæus non conuersus: si apertissimæ facillimæ sunt Scripturæ; vt contendit Lutherus. Scripturam non vndequaque apertam & cur, dictum est supra in capitis expositionem num. 17. Verùm demus esse notum manifestumque satis quod ad fidem attinet in Scripturis. Quid inquis debere esse notius? Cum controuersia cor hominis pulsat: aut fidelis est ille, aut non. Si fidelis, res quam versat, non est ei minus nota, si ad fidem re ipsa spectet, ac sit Scriptura; quia vtrobique idest est fidei lumen. Si autem nondum credit: non est rei sibi notæ ad Scripturæ notitiam comparatio; quia diuersum est notitiæ genus: cœlestis in Scriptura; humanæ, in re, quam is versat. Ex philosopho autem, comparatio idem requirit extremorum genus; neque enim nisi ineptè dices, *ignis habet calorem maiorem mari*. Quapropter in examinandis incertis minusque notis, incongruè dicit quis; pergamus ad notiora, adeamus Scripturam: quia notissima quidem est Scriptura lumine fidei: at hoc nullam comparationem subit cum naturali lumine: quo is qui nondum credit, donatus est. Ideirco re ipsa non recurrimus ad Scripturæ fontem tanquam ad certius obiectiuè hoc vel illud: quod si ibi extet, præsumitur esse certissimum fidei lumine: sed exploramus Scripturam, an in ea reperiatur, sitne nota vel certa, de re discussa, traditio. Si deprehenditur in Scriptura tradi: ibi sistimus. Quod si Petrus in sua 2. cap. 1. ait; *habemus firmiorem propheticum sermonem*, nisi abusiuè fiat comparatio quæ non suffragetur iactantiæ Lutheri de noto & notiori: vel *firmiorem* dicit; quia visioni in Monte Sancto, & auditui poterant p Iudæi contradicere, non autem prophetico sermoni. P 2. Petri cap. 1. Vel dicerem suaptè natura, vtrumque æquè firmum, tam quod affirmabat Petrus ad nouum attinens Testamentum, quàm prophetiam; sed nondum initiatis Iudæis, quibus tamen tanquam Iudæus se consociabat Petrus, ipsis inquam erat firmior propheticus sermo. Qui tamen comparatur lucernæ idest luci Q in testa, ob obscuritatem: prophetia enim videtur esse, quædam cognitio R obumbrata, & obscuritate admista. Quod iterum Lutherum ferit, denique ex hoc temerè obloquentem, quòd Sancti Patres spiritum, quem præ alijs ipse sibi præsumit, non senserint: nihili enim eos facit, collectos quasi fasce reijciens. Videatur de his eruditus profundusque scriptor *de locis* Melchior Canus lib. 3. cap. 2. Redeamus. Q ibi. R De veri. q. 12. a. 12.

Qui profert de Thesauro suo noua & vetera.

54. Quoniam de disseminatione fidei ad Ecclesiæ dilatationem præsens decurrit caput, vt vidimus; non mirum si vetera & noua commemorentur; nam vt ait Gregorius; *vna est fides nostra & antiquorum*; iuxta quod 2. Cor. 4. Apostolus ait; *habentes autem eundem spiritum fidei*. Vnitas ergo fidei vtriusque Testamenti mentionem exigit. Sic quippe & Hieronymus & Sanctus Thomas s aduersùm Manichæos, qui vetera respuebant, Lutherus etiam blasphemat, referente Cano lib. 2. de locis c. 10. nullum librum veteris Testamenti à Christiano recipiendum. Sed satis Tertullianus libris quinque aduersùs Marcionem; & Diuus Augustinus triginta tribus libris contra Faustum Manichæum triumphum reportant. Ostendit autem ad hæc Angelicus, non omnino T esse aliam & aliam legem vtriusque Testamenti: legem etiam nouam in veteri contineri, sicut fructum in spica ex Chrysostomo: quinimmo sicut tota arbor continetur in semine, sicut effectus in causa, complementum in completo. Vides ergo quàm meritò copulentur noua veteribus; vt proferat in testimonium suæ doctrinæ, & veritatis, *noua & vetera*. Sic Sanctus Leo Papa *in Sermone de transfiguratione* recogitans apparuisse *Moysen & Eliam*, legem scilicet & Prophetas; vbi & tres erant Apostoli, *vt verissimè in illa quinque virorum præsentia compleretur quod dictum est; in duobus vel tribus testibus stat omne verbum*; exclamat; *quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cuius prædicatione, veteris & noui Testamenti concinit tuba; & cum euangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt*? Benè ergo *noua & vetera*. Quia enim præterea Iudæorum Gentiliumque vnum erat futurum ouile, hinc & hinc conferentia oportuit præberi pascua. Gentiles vetus non probabant Testamentum, quod vix audierunt; noua idcirco imbuendi fuerant doctrina; Iudæos, qui vetus admittebant, per vetus impeti decuit & expugnari. Sic Apostolus differenter cum Atheniensibus Actor. 17. & cum Iudæis, quos Act. 9. confundebat, se gessit. Comprobat Canus lib. 2. relato cap. 28. quandoque contra negantes nouum, aptissimè nos argumentari ex veteri: ex aduerso, contra negantes vetus, per nouum. Certè alterum alteri miram conciliat ex consensu fidem. Ex vetere ad nouum fas est tanquam ex

S D. Th. hic.

T p. 2. 107. a. 1. & 3.

ex signo ad signatum, ex figuris ad figuratem procedere. Nam idem est motus & ex Philosopho in imaginem & imaginatum; *omnia enim in figura contingebant illis* 1. Cor. 10. Ex nouo ad vetus etiam: quia V p. 1. 107. 2. V lex noua veterem implet. Aliàs lex noua sic implens veterem, velum scindit figurarum: quæ patefactæ mirè discernuntur. Sic Apostolus veteris mysterium detexit per Christum ad Ecclesiam dicens Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: expendens illud Genesis; *propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Sic Dominus detexit de serpente in deserto nu. 21. Ioan. 3. dicens: *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*. Ex Augustino 16. de Ciuit. Dei c. 26. sicut testamentum vetus est occultatio noui; ita nouum veteris reuelatio. Huiusmodi ergo profert testimonia doctus *Pater-familias*; & sic *noua & vetera*. Denique non solum proferre debet *vetera*, in quantum lex vetus est figura nouæ legis; & sic sensu allegorico, x secundum X Gal. 4. & 7. quod ea quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt nouæ: sed & *noua*; quia secundum Dionysium in libro de Cœlesti Hierarchia; *noua est figura futuri*: & ideo secundum quod ea, quæ sunt in noua lege, & in Christo, significant ea, quæ sunt in Patria, est sensus anagogicus. Dic tu in primis *noua*; iuxta quod & Baptista & Dominus exorsi sunt prædicare *Regnum Cœlorum: noua & vetera* etiam, quia *parati sumus semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea quæ in nobis est spe*; 1. Petri 3. & Colofs. 4. *vt sciatis quomodo oporteat nos vnicuique respondere*.

VERS. LIII. *Et factum est cùm consummasset Iesus parabolas istas, transijt inde*.

VERS. LIV. *Et veniens in Patriam suam*; &c.

55. Magna difficultas est, quomodo Matthæus transeat ad transitum istum. Quocirca Augustinus *de Cons. Euang.* inquit, *à superiori sermone parabolarum istarum sic transit*, (Matthæus) *vt non ostendat consequentis ordinis necessitatem; præsertim quia Marcus ab illis parabolis, non in quod Matthæus, sed in aliud intendens, (in quod & Lucas) ita contexuit narrationem, vt credibiliùs ostendatur, hoc esse potiùs consequenter gestum, quod ipsi duo consequenter adiungunt; de naui scilicet in qua dormiebat Iesus, & de miraculis expulsorum dæmoniorum: quæ Matthæus superiùs recolens interposuit*. A D.Th. hic. Angelicus id ipsum animaduertens; A transijsse inquit, quia ad intelligendum non erant idonei; ideo ad alia se transtulit, secundum illud Ecclesiastici 33. *Vbi auditus non est, ne effundas sermonem*. Sed adhuc remanet inquirendum, cur & alij Euangelistæ non ita moraliter contexant Euangelicam hanc historiam? Fas mihi sit exclamare, ò profundam Matthæi sapientiam! quæ ad Syntaxin & Harmoniam nos eleuet. Certè, si, quemadmodum aliàs dictum est, etiam itinera Saluatoris monent inuestigari mysteria, cur non & hinc auidiùs quærantur? præsertim, cum dicat venisse *in Patriam suam*; quam, nisi subesset mysterium, facilè erat exprimere, *Nazareth* scilicet, vbi fuerat nutritus. (quod hic intellexit Chrysostomus ex Lucæ 4.) Syriaca legit *in Prouinciam suam*. Dices cum D. Petro Chrysol. *Creator omnium rerum Deus, postquam se propter nos, nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam Patriã; cœpit Ciuitatis iudaicæ esse ciuis: parentes habere cœpit parentum omnium ipse parens: vt inuitaret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, suaderet humanitas; quos fugarat dominatio, metus disperserat, & fecerat vis potestatis extorres*. Plaudo, quia sic exponitur, quidnam proferendo *noua & vetera* debeat intendi; nimirum ostendere, filium Dei hominem factum; & arrideant quæ sequuntur, memorato Patre, fratribus ac sororibus eius. Sed cùm de Ecclesia in hoc capite eluxerit, Deo largiente, intellectus, cuperem adhuc ad eiusdem Ecclesiæ, Pastorisque seu Patris-familias imaginem, & hæc referri. Pater-familias, Christi Domini vices obit. Innotescat hoc, illico in medium adducto Christo Domino, qui *transijt inde & in Patriam suam venit*: in quo, quasi Archetypo, & Petri Patris-familias primi, & Ecclesiæ progredientis adhuc, effigiem introspiciamus. Certè vt videre est in Eusebij Chronico; Petrus Apostolus anno Domini 38. Antiochenam Ecclesiam fundauit, ibique cathedram adeptus sedit 7. annis Veruntamen transijt inde, seditque Romæ ab anno Domini 45. vsque ad annum 70. vbi cum Paulo eo anno Domini 70. impio sub Nerone gloriosè occubuit. Dionysius Corinth. Episcopus apud Eusebium lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ c. 25. cum in Vrbe esset disputans de Scripturis dixit; *Sed & vos habentes commonitionem à Petro & Paulo, plantationem Romanæ & Corinthiorum Ecclesiæ coniunxistis: ambo enim simul aduenientes*; &c. Caius etiam quidam Scriptor antiquus aduersus quendam Proculum disputans; *Ego*, inquit, *habeo trophæa Apostolorum: si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum, aut via Ostiensi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte statutis Romana communitur Ecclesia*. Origenes etiam 3. lib. explanationum Genesis apud eundem Eusebium lib. 3. c. 2. habet; *Petrus ad vltimum in Vrbe commoratus deprehenditur, vbi & crucifixus est deorsum Capite demisso: quod ipse ita fieri deprecatus est, ut exæquari Domino videretur*. Vide qua fronte ausint hæretici moderni dubitare primi, si Petrus fuerit Romæ. Clemens etiam & Papias apud Eusebium lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ c. 15. firmant Petrum commoratum Romæ. Sic & Angelicus 2. ad Gal. lect. 1. Petrus venit Romam tempore Claudij Imperatoris, & existens ibi 25. annis &c. Et priùs, septem annis rexit Ecclesiam Antiochenam; & mortuus est quadragesimo anno post passionem Domini. Vnde cum Dominus, (considero ego) mortuus sit post trigesimum tertium, anno salutis 73. crucifixus est Petrus non 70. Fas sit ergo dicere, venisse Petrum *in Patriam suam*: & sic in Petro Dominum; quando in Italiam Romamque venit. Dum discipuli mitterentur ad prædicandum, B planè Petrus sortitus est totam Italiam. B opusc. 6. §. 11. Primus autem (inter Apostolos intellige & cum sequela magni fructus) Romæ prædicauit Petrus; C quamuis & Barnabas, vt habetur in itinerario Clementis, Romæ prædicasset. C Prologo in Epistolas Pauli. Et quamuis etiam Paulus Romæ prædicauerit, iuxta illud Act. 23. *oportet te & Romæ testificari*: nihilominus Petrus D præuenerat, & Romanos instruxerat. D Rom. 15. l. 2. & opusc. 19. 4. Si qua autem vsquam in Vniuerso fuit Prouincia quæ Patriæ antonomasticè titulum mereretur, Roma sine dubio fuit adiacensque Italia: de quo Rutilius Numatianus;

Fecisti Patriam diuersis Gentibus vnam
Profuit iniustis, te Dominante capi.
Dumque offers victis proprij consortia iuris
Vrbem fecisti, quod priùs Orbis erat.

Gratissimè inquit Augustinus 5. de Ciuit. Dei c. 17. *& humanissimè factum est, vt omnes ad Romanum imperium pertinentes, societatem acciperent Ciuitatis, & Romani ciues essent; ac sic esset omnium, quod erat ante paucorum*. Vbi Ludouicus Viues: *olim populi Latij solebant in Ciuitatem asciscii: hinc ventum ad alios Italiæ populos, & trans Padum itum, & trans Alpes. Claudius Cæsar multas barbaras Gentes donauit Ciuitate Romana. Mox sub Hispanis & Afris & Thracibus, & aliarum nationum Cæsaribus, paulatim integræ Prouinciæ, & totum deni*que

que Imperium donatum est iure Ciuitatis Romanæ. Ingens ergo Patria Italia, ingens Patria Roma: quæ descriptione facta sub Claudio anno Domini 47. inuenta est, teste Eusebio in Chronico, continere ciuium Romanorum *sexagintanouem centena, & quadraginta quatuor millia*. Hæc ergo est Patria, in quam non sine mysterio, cohærenter ad Syntaxin & harmoniam, dicitur venisse Dominus. Hæc est illa Patria; hæc est Ciuitas, de qua Isaiæ 26. prænunciatum est; *Ciuitatem sublimem humiliabit; conculcabit eam pes pauperis*, scilicet E Christi; *gressus egenorum*, idest Apostolorum, specialiter Petri & Pauli. Vt enim suam potestatem magis ostenderet; (pergit in *Summa*) in ipsa Roma, quæ Caput Mundi erat, Caput Ecclesiæ suæ statuit; in signum perfectæ victoriæ: vt exinde fides deriuaretur ad vniuersum Mundum. Quod etiam magis confirmatur ex vulgata historia, quam refert Innocentius capitulo; *per venerabilem*; cùm apparens Petro Roma abscedenti Dominus, rogatusque *quò vadis?* respondit; *venio Romam, iterum crucifigi*. Ex quo colligit Caietanus *de Apologia ac primatu Papæ* cap. 3. mandatum fuisse Petro, vt Romam reuerteretur, & ibi vitam finiret, & sua morte summum Orbis Episcopatum sibi commissum, stabiliret esse Episcopatum Romanum. Certè ly *venio* arguit adhuc Petrum, etsi abiret, iure Cathedræ Romæ esse: secus dixisse *vado*. Et quia ibi Dominus duro lapide sacrosancta impressit vestigia, argumento est, Summi Pontificis ius ex pedum positione, quasi ex possessione, fixum perpetuumque esse & fore.

E 3. p. 35. 7. 3. & Rom. 1. l. 4.

56. Dic mihi lector, an non Patria dicenda Christi præterea suis in membris, quando Catholicos dictos olim Romanos, & hoc splendido nomine ab hæreticis solitos distingui, Sanctus Ambrosius *Oratione de obitu Satyri fratris*, Sanctus Victor Vticensis lib. 1. *de persecutione Vuandalica*, Sanctus Gregorius Turonensis *de gloria Martyrum* c. 25. 30. & 79. alijque teste Maluenda de Antichristo lib. 4. c. 10. ingenuè comprofitentur? Patria multò magis Petri primi Romani Pontificis, successorumque inde semper, ex hoc super alios, quòd Pontifices essent Romani. Et certè cùm Patria ex profanis etiam ex eo dicatur, quòd sit veluti nostra Parens, dum Christus Dominus, qui se supra cap. 10. Patrem-familias vocat, venit in Patriam suam, Patriam dum eò it, non tam petere, quàm condere, intelligendus est: id etiam, sui vices gerenti in omnibus, Petro successoribusque (quorum vnusquisque est *Scriba doctus similis Patri-familias*, & *homini Patri-familias*) datum esse. Hinc & Ecclesia ipsa Romana vna Christianorum Patria, Parens Materque esse deprehenditur. Sic enim Athanasius ad Marcum Romanæ Vrbis Episcopum, eam dicit *Matrem & Caput omnium Ecclesiarum*. Sic Concilium Lateranense sub Innocentio III. Romanam Ecclesiam *cunctorum fidelium Matrem* profitetur. Sic denique & Concilium Tridentinum Sess. 7. in hæc verba; *si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit*. Hebraicè *eretz* quod interpretatur, *Patria*, primæua interpretatione, dicitur *terra*. Terra & apud profanos dicitur omnium communis parens. De terra Plinius lib. 2. *Terræ, inquit, propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Nos nascentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, & semper nouissimè complexa gremio, iam ab reliqua natura abdicatos; tum maximè vt Mater operiens*. Compertissimum est autem per terram significari passim Ecclesiam, vt videre est in Laureto in sua *Sylua Allegoriarum*; v. *terra*. Venit ergo Dominus in Petro & per Petrum *in Patriam*, siue *in terram suam*. Et verè *suam*; quia *Ecclesiam* inquit Paulus Actorum 20. *acquisiuit sanguine suo*. Et quia profani fabellis aliàs illecti vera miscuerunt, fingentes, & pro humani generis restitutione respondisse Deucalioni oraculum, vt ossa *magnæ matris* iaceret post tergum, idest terræ lapides: ecce in ly *eretz* quod *terram* sonat, Ecclesiam subinde, quæ *Patria* fidelium est, intelligi magnam Matrem; quam similiter in psal. 21. 34. & 39. Dauid magnam sæpe dicit: *apud te laus mea in Ecclesia magna*, &c. magna scilicet diffusione dilatatione numero & congregatione, F vt ibi exponitur à D. Thoma; iuxta illud Malachiæ 1. *magnum est nomen meum in Gentibus*, &c. F psal. 21. 34. 39.

Sequitur. *Docebat eos in Synagogis eorum*.

57. Super illud psal. 7. *& Synagoga populorum circumdabit te*; cùm de Christo & ad Christum sit sermo, vt patet ex contextibus, passim Angelicus G commentatur de fidelibus & de Ecclesia Gentium, & de earum multitudine per baptismum congregatarum. *Synagoga* quippe græcum vocabulum, *congregationem*, & *adductionem* significat à verbo *Synago* idest *congrego, simul duco*. In veteri Testamento ad Dei cultum, in sacrificijs H præstandum, Tabernaculum fuit, deinde Templum. Quantum autem ad ea quæ pertinebant ad spiritualem cultum Dei, qui consistit in doctrina legis & Prophetarum, erant in veteri lege diuersa loca deputata, in quibus conueniebant ad laudem Dei, quæ dicebantur Synagogæ; sicut & nunc dicuntur Ecclesiæ: in quibus Populus Christianus ad laudem Dei congregatur. Et sic Ecclesia nostra succedit in locum & Templi & Synagogæ; quia ipsum Sacrificium Ecclesiæ spirituale est; vnde non distinguitur apud nos locus sacrificij à loco doctrinæ. Recole huc quod fert Canus lib. 4. cap. vlt. ad 11. argumentum, Concilium Constantiense impudentem illius maledicentiam damnasse, qui Romanam Ecclesiam Synagogam Satanæ appellauit. Nec videatur dissonum per Synagogam Ecclesiam insinuari; quia Synagoga I fuit quasi Mater Gentium in spiritualibus; Isaiæ 2. *de Sion exibit lex*: & Ioann. 4. *salus ex Iudæis*; Roman. 9. *ex quibus est Christus secundùm carnem*, &c. Sequitur autem; *ita vt mirarentur, & dicerent; vnde huic sapientia hæc & virtutes?* Supra exposui *in margarita vna*, sapientiam; *in quærente bonas margaritas*, virtutes. Ecce quomodo, sensim sacer textus res edisserit. Quæ duo, sapientia, & virtutes (licèt æquiuocum sit; nam est gratia gratis data, *operatio virtutum* 1. Corinth. 12.) in docto Patre-familias siue in Pontifice desiderantur; (Pontifex etiam Christus Dominus dicitur in Epistola ad Hebræos pluries) vt in admirationem cieat. Aliàs etiam admiratio sequitur, tam magnam Ecclesiæ Gentium congregationem, iuxta illud Isaiæ 60. *tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*; &c. *& Synagoga populorum circumdabit te*. Vtrumque enim L nectit Angelicus.

G Ioan. 4. l. 1. & 5. c. 6. l. 2. & c. 20. l. 3.
H p. 2. 102. a. 4. ad 3.
I Ioann. 12. l. 3.
L Ioann. 6. l. 1.

VERS. LV. *Nonne hic est Fabri filius?*

58. Heu! admiratio in scandalum degenerat. Sequitur enim; *& scandalizabantur in eo*. Sanè cùm per scientiam etiam inditam cognouerit Christus Dominus M omnia; singularia quoque, præsentia, præterita, & futura; vnde Ioannis 16. *dicunt ei discipuli eius: nunc scimus, quia scis omnia*: & capit. 18. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum*: non difficile suasum sit nobis, quod futurum erat in sua Capite præsertim & Matre Ecclesiarum Ecclesia, voluisse ad correptionem adumbrari. Et quidem ex facto aduersùs ipsum iniquo, dum *scandalizabantur in eo*: vnde orturum esset scandalum de Patre-familias sui Vicario, actiuum; sic vt esset ad culpam. Lego priusquam denarretur

M 3. p. 11. 1.

de scandalo, dixisse scandalizatos: *vnde ergo huic omnia ista?* Et quænam constructio verborum; *omnia ista?* quæ *omnia?* præmissum fuerat de sapientia & virtutibus; nihil aliud. Quomodo ex his transeunt ad hanc vniuersalem *omnia ista? quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, Roman.15. Dixerim permisisse Dominum, vt in tam amplam oblocutionem erumperent quasi temerè, præscium, sic euenturum esse, vt de suo vices gerente in terris passiuo scandalo obmurmurarent fideles. *Hæc omnia tibi dabo*, protulit iactanter Diabolus supra cap.4. de Regnis Mundi, deque gloria eorum. Quare hoc in loco, *vnde huic omnia ista*, ad temporalium trahere liceat insinuationem. Non subscribo (auertat Deus, moriar potiùs) inuidis maledicisque Luthero ac Erasmo, hanc effutientibus propositionem; *diuitias possidere non licet Ecclesiæ, nec Papæ aut Cardinalibus, vel alijs Ecclesiasticis*. Scandalizantur hæresiarchæ isti passiuè, estque Pharisæorum (verè separatorum) scandalum, quod Dominus infra capit. 15. docuit contemnendum. Diues efficitur Isaac à Deo Genes.26. Diues fuit Iacob, ibi cap. 30. Diues fuit supra modum Dauid. 1. Regum 2. *Dominus pauperem facit & ditat*; Prouerb.22. *Diues & pauper, obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus*. Diues perhibetur Iob cap.1. *& magnus inter omnes Orientales*. Quare benè animaduertit Hieronymus super illud Matthæi 6. *non potestis Deo seruire & Mammonæ*; idest diuitijs; *non dixit, qui habet diuitias; sed qui seruit diuitijs. Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus; qui autem seruitutis excussit iugum, distribuit eas, vt Dominus*. Malum ergo diuitiarum vsum duntaxat damnari oportet. Ad hunc fugiendum monuit Tobias filium capit.4. *ex substantia tua fac eleemosynam: si multum tibi fuerit, abundantèr tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude*. Quod Dominus exactiùs prompsit Lucæ 11. dicens; *veruntamen quod superest, date eleemosynam*. Non est ergo quod calumnientur Vuitcleff, Huss, Lutherus, Erasmus, Valla; euomentes; *Imperator suasione Diaboli ditauit Ecclesiam*. Deinde, *Imperator non donauit Syluestro, sed fictitium est, quod Papistæ dicunt*. Post quos Philippus Camerarius non minùs quàm illi amarus Romani Pontificis hostis, callidè rem versans, nititur donationem huiusmodi, quòd nostris etiam quibusdam minus compertam, infirmare. Quandoquidem exscripta est huiusmodi donatio in Bibliotheca Constantinopolitana, & in Romano Palatio: græca lingua, testibus Bartholomæo Picerno, & Augustino Stencho; qui in latinum ab se versam ediderunt. Rursùs in Niceno Concilio scribitur confessio, quam fecit de fide Constantinus, & decretum donationis simul cum priuilegio. Item in septimo Concilio sub Adriano III. fuit approbata ista donatio. Historici fide digni eam referunt: Isidorus Singibertus, Martinus Cosentinus, Tolomeus, Poggius, Petrarcha, Cardinalis Turrecremata, Sanctus Antoninus, Iacobus de Valentia, Iacobus de Voragine, Augu. Eugubinus; Iurisperiti ferè omnes, vel præcipui; Bartolus Baldus Innocentius. Inter recentiores Restaurus Castaldus in libr. de Imperatore ad Paulum IV. Rinaldus Rodulphus iuris-consultus Perusinus. Denique habetur dist.96. capitulo *Constantinus*; factam fuisse præsentibus Satrapis Magnatibus, ac Senatu, nemine contradicente. Hæc ex Paulo Grysaldo Ordinis mei Perusino in suo libro, *Decisiones fidei Catholicæ*, Hoc vnum autem ipse hæreticis objicio, vt proferant, quibus armis, qua obsidione, capta est, quo bellorum tempore à Pontificibus: & quando ob hoc Cæsarei reclamarint. Historiam ad minus proferant, quando ipsamet Roma in deditionem aut in ditionem Pontificum sic silenter venerit: vt ea neglecta omnino, Constantinus Bizantium se receperit. Scribit Pontanus; quibus artibus Pontifices maximi tantum sibi Imperium comparauerint, nequaquam est explicatu facile. Genus hominum olim quietum ac Religioni tantùm deditum. Non ergo scandalizati ex malitia, sacri textus detorqueant verba dicentes; *vnde huic, omnia ista?* Nam facilis est Responsio, *Constantini dono, primi inter Cæsares, ad fidem miraculosè conuersi*. Neque hoc suggestione Diaboli, qui immo contemptui esse cupit Pontificem, doletque corrupto Sæculo, suum seruare posse decus illæsum, temporali etiam potestate, Petri Sedem. Vbi enim non floret primæua Pontificum Sanctitas, in nimiam esset abiectionem Sedis authoritas, nisi exteriori studio magnificentiæ, viriumque non contemptibili robore, & iura & Maiestatem Throni tutari posset. Nunquid semper in fugam agi, semper in cryptis latitare, aut certæ morti exponi debuere Pontifices? Diuina non id passa est clementia, quæ solet *post tempestatem*, vt dicitur Tobiæ 3. *tranquillum facere*. Denique nonnullum Pontificis temporale dominium, Domini nostri summo etiam Orbis Terrarum dominatui attestatur; quippe qui est Apocalypsis 19. *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. De quo vberiùs infra, c.27. ad titulum Crucis. Faxit Deus, nisi obsequantur prout decet obediantque Pontifici Summo Proceres, vt amplior potentiorque fiat eius terrena ditio: vnde queat, iuxta quod Dominus *deposuit potentes de Sede, & exaltauit humiles*; & ipse, *parcere subiectis & debellare superbos*. In honoris venerationem, & Dominij recognitionem, potiùs restitutum est Papæ Dominium tanquam Vicario eius, *cuius est terra, & plenitudo eius*; vt ibi Diuus Antoninus.

59. Igitur quamuis canini huiusmodi illatratus & morsus potuerint ijs in verbis prænunciari; *vnde huic omnia ista?* liceat pro emendatione & profectu ad actiuum flecti scandalum Ecclesiastici Patris-familias: si (quod Deus auertat) & hisce sæculis doleret Ieremias c. 6. dicens; *à minori quippe, vsque ad maiorem omnes auaritiæ student*. Ly *huic* non de acquisitis Ecclesiæ, sed de accumulatis personæ, sensum facit. *Vnde huic omnia ista?* paulo ante fortassè pauper, vel certè non diues opum, vel tandem priuatim diues erat: *& vnde huic omnia ista?* celeriter magnificari, diuitijsque superabundare, difficilè sine culpa est. Prouerb. 28. *qui festinat ditari, non erit innocens*. *Vnde huic omnia ista?* aulæa, palatia, currus, famulorum caterua, indui purpura & bysso, epulari quotidie splendidè, Gazæ seu Æraria? scandalizari contingit in eo. Pulcherrimas recolo, quæ supra c.10. n. 7. eruditiones Angelici, 1. Commentario; quæ si pectori infixæ forent, omne proculdubio abesset fidelium de Ecclesiasticis scandalum. Abraham enim Genes.14. Regi illi dicenti; *da mihi animas, cætera tolle tibi*, N respondit; *leuo manus meas ad Deum excelsum possessorem Cœli & terræ, quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*. Moyses Num. 16. *tu scis, quòd nec asellum quidem vnum acceperim ab eis*; idest quodcumque munus. Samuel 1.Reg.c.12. *loquimini de me coram Domino, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum &c. si de manu cuiusquam munus accepi*. 4. Reg.5. Elisæus nihil voluit accipere à Naaman, quamuis ille multa offerret. Daniel c. 5. Baltassari: *munera tua tibi sint, & dona Domus tuæ, alteri da*. Petrus Act.8. Simoni Mago; *pecunia tua tecum sit in perditionem*. Paulus Act.20. *aurum & argentum, aut nullius vestem concupiui*. Denique Naboth 3.Reg.21. respondit Achab offe-

N Apoc. 14.§.1. ad finem.

offerenti vineam meliorem aut pecuniam: *propitius sit mihi Deus, ne dem tibi hæreditatem Patrum meorum*. Memoratis his viris, non erat ex quo dici posset: *vnde his omnia ista?* quæ generoso animo, honestatisque studio respuerunt.

60. At video in litera, huiusmodi suboriri scandalum ex consanguineis. O vtinam, præsertim antonomasticè in Patria, non cerneretur. *Nonne hic est fabri filius? nonne Mater?* &c. *& fratres & sorores eius; nonne omnes apud nos sunt?* Cauendum ne contingat, vt consanguinei, & affines sint ea in fidelium Patria occasio scandali, neue tam citò ditentur, beneficijsque ac pensionibus onerentur: de quibus sic factis diuitibus conciues submurmurent; *apud nos sunt*, natalibus scilicet, conditione, auitisque bonis æquales; & ab heri & nudius tertius, tam sublimati! Idem Angelicus ad illa verba; O *& luna tota facta est vt sanguis*; idest Ecclesia tota facta est vt carnalis, fundata in sanguine non Apostolorum, sed nepotulorum & consanguineorum: & procedens per sanguinis successionem; quia ferè vbique nepos auunculo, & consanguineus consanguineo succedit in beneficio. Vnde verè potest dicere Ecclesia, quod dixit Moysi vxor sua; *Sponsus sanguinum mihi es*. Exodi 4. & Osee 4. *sanguis sanguinem tetigit*; idest nepos nepoti succedit. Adde tu ex Ieremiæ 22. *væ qui ædificat Domum suam in iniustitia, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide*: P scilicet *rubro colore; idest sanguine Christi*, dicit glossa. Vel ornat superfluis de sanguine Christi, idest de rebus Ecclesiæ, acquisitis sanguine Christi.

O Apoc. 6. Com. 1.

P opusc. 6. 12.

VERS. LVII. *Non est Propheta sine honore, nisi in Patria sua, & in Domo sua.*

61. Momenti non contemnendi est hæc præ alijs Domini sententia, quam & Marcus cap. 6. & Lucas c. 4. pariter ferunt. Nisi quòd apud Lucam nulla facta inhonorationis mentione, dicit, *nemo Propheta acceptus est in Patria sua*. Ad literam Sancti Patres, hac de re erudiunt. Vnde Ambrosius Conciuium maleuolorum inuidiam relictam considerat, in missis Elia & Eliseo ad viduam Sareptæ, & ad Naaman Syrum, gentiles ambos; non verò ad Israelitas. Origenes ad Christum Dominum Prophetam vtique in lege promissum retorquet; quem Nationes, non Iudæa Patria recepit. Sic Hieronymus, ex eoque Beda *mysticè Iesus despicitur in Domo, & in Patria sua; hoc est in populo Iudæorum*. Diuus Hilarius; quia in Iudæa esset vsque ad Crucis sententiam condemnandus. Sed quoniam altiorem hactenus scrutati sumus de litera intelligentiam; nedum ad solamen discipulorum, iuxta quòd Iacobus cap. 5. ait; *exemplum accipite fratres exitus mali, laboris & patientiæ Prophetas*: de quibus & Paulus ad Hebræos 11. *alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt*; &c. sed ad monitum salubre Petri successorum, præcipuè, subinde aliorum Episcoporum sententiam acceperim. Et quidem ad præmissa cohærenter. Et iam Malachiæ 2. aperitur causa, vnde sit sine honore Propheta; non tacito scandalo, de quo & in præsenti; *& scandalizabantur in eo*, idest suis in membris. *Vos autem* (ita Malachias) *recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum: propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis*. Ecce *contemptibiles*, quid? nisi clarè, quod hic dolet Dominus; *sine honore*? Supra quam Malachiæ lamentationem Angelicus; Q sicut proprium præmium virtuosi est honor; ita pœna peccati est opprobrium. De huiusmodi, quod honori contrarium est, opprobrio vitando habet ad Timotheum Apostolus loquens de Episcopo; *oportet autem & illum testimonium habere bonum, ab his, qui foris sunt; vt non in opprobrium incidat*. Oportet enim, R vt Episcopus sit bonæ famæ. Et hoc necessarium est Prælato; quia conuersatio totius congregationis indicatur ex Prælato. Secus, periculum est, ne fiat in opprobrium, & per hoc eius auctoritas minuatur, & per consequens auferatur audacia corrigendi: Matthæi 7. *eiice primum trabem de oculo tuo*. Diuinius dici nequit; immo prædicet ab Angelico. Videmus enim hodie Prælatorum auctoritatem exilem: & causam introspicere conniuemus. Et iam Malachias ibi præmittit per locum à contrario; vnde Leui sit expectandus honor & non contemptus: *labia Sacerdotis*, inquit, *custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*. Quàm meritò honorem inde sibi præstitum tangit Apostolus; *sicut Angelum Dei* (ad Galatas) *excepistis me*; S idest ita honorifice sicut Nuncium verba Dei nunciantem. Hunc Angelum verbis alijs descripsit hic Dominus, dicens: ideo *omnis Scriba doctus in Regno Cælorum, similis est homini Patri familias, qui profert*, &c. *Si legem requirent ex ore eius*, certè necesse est, esse *Scribam doctum*. Et quia *similis est homini Patri-familias*, Christo scilicet, pro nobis homini; ecce subdi ab Apostolo, *excepistis me, sicut Christum Iesum*. Repetamus, *contemptibiles* nos esse, quia *irritum fecimus pactum*; quod fuit consecrari Domino.

Q ps. 18. lit. g.

R 1. Tim. 3. l. 2.

S Gal. 4. l. 5.

62. Dicit autem non abs re, *Propheta; nemo Propheta*: non solùm quia Prælatus vnusquisque, in edicendis quæ legis sunt, vices gerit ipsiusmet Christi; (qui antonomasticè ille est Propheta, de quo Deut. 18. & Act. 3. ac 7. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*: & paulo post; *ponam verba mea in ore eius*, &c. Sed quia Pater-familias, qui debet proferre *noua & vetera*, ex hoc ipso Prophetæ munus implet: de quo Apostolus 1. Corinth. 14. *qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem*. Aliquando enim T dicitur Propheta, qui habet intellectuale lumen ad exponendum dicta Prophetarum, vel Scripturas Apostolorum; quia eodem spiritu interpretatæ sunt, quo sunt editæ. *Nemo* ergo *Propheta*, valeat pro nemo *doctus Scriba*, qui *profert de thesauro suo noua & vetera*: nemo Petri Successor; cuius, vt diximus præcipuè est interpretari Scripturas: tanquam Ecclesiæ Capitis atque Scripturarum Custodis, deque earum puritate zelotypi. Sed quare dicit *nemo Propheta* cum plures summa in veneratione & honore fuerint Sancti Pontifices? Animaduerte; non dici sine honore Prophetam omnem, sed cum addito, *in Patria, & in domo sua*. Nemo fuit, nemo erit Pontifex in venerationem, si ita Pontificatum gerat, vt sit *in Patria, & in domo sua*. Igitur inprimis ad eum sensum, quo mandauit Deus Abrahæ Genesis 12. *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*. Vt animum V inde euelleret; quia propinqui & domestici sunt etiam spirituali profectui infensi. Quo pacto & Apostolus inquit ad Galatas; *continuò non acquieui carni & sanguini*; non detentus scilicet X affectu & amore ad carnaliter sibi coniunctos. Quemadmodum ad hæc, (in quantùm impediant nos à Deo, A) ait Dominus Lucæ 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem, & vxorem, & filios & fratres & sorores; adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus*: & infra apud Matthæum c. 19. *omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores*, &c. Deinde ad altiorem intelligentiam pro Syntaxi; quia *Scriba doctus*, qui & *Propheta* multò minus ad conciues, ad consanguineos aut cognatos debet affici; sic vt acceptor sit Personarum.

T 1. Cor. 14. l. 1.

V Genes. 12.

X Galat. 1. l. 4.

A 2. 2. 26. 7. 1.

Iacobus cap. 2. *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi*. Vbi glossa Augustini Epistola 19. ad Hieronymum: *quis ferat, si quis divitem eligat Sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore?* Quandoque

B 2. 2, 63. 2. 3. consanguinei sunt æquè digni vt alij: B & sic licitè potest Prælatus Ecclesiasticus, absque personarum acceptione consanguineos suos præferre: quia saltem in hoc præeminent quod de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. Sed audi, qua circumspectione loquitur Angelicus; subdit enim; esset tamen hoc propter scandalum dimittendum. Et ecce incidi, ex quo hanc doctrinam huc ferimus, in quod & litera exprimit; *& scandalizabantur in eo*. Tunc ergo dicendus est moraliter esse in *Patria sua*, *& in Domo sua*; cum in ijs, quæ sui sunt muneris, ad Patriam ad Domum suam respicit inordinato dilectionis af-

C 2. 2. 26. a. 7. & 8. fectu & effectu, de quo C vide suis locis. Vbi supra ad Galatas, reuocat Angelicus ad rem nostram, de inordinato amore ac affectu ad personam, quod sui primo Vicario Matthæi 16. Dominus dixit; *beatus es Simon Bar-iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi*. Cùm ergo *inimici hominis*, vt dicit supra cap. 10. *sint domestici eius*, non debet Christi Propheta, esse *in Domo* & sic de Conciuibus, *in Patria sua*: nam si carnali sinat se pertrahi contra charitatis normam dilectione, officij sui honorem prodit, ignominiam; cum auctoritatis iactura, sibi lucratus.

63. Verùm ne putent, qui huiusmodi Scribam doctum, Patrem-familias Prophetamque inhonorat, ipsius demerito, euasisse reatum. Honor est quod-

D 2. 2. 63. 3. dam testimonium (pulchra D doctrina) de virtute eius, qui honoratur. Sciendum tamen, quòd aliquis potest honorari, non solùm propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius: sicut Principes & Prælati honorantur, etiamsi sint mali; in quantum gerunt personam Dei, & communitatis cui præficiuntur. Malachiæ 2. nuper allegato, vbi de Sacerdotum, & in eis de Sacerdotij inhonoratione præmittitur, subdit Propheta; *disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, Magistrum & discipulum*. Hinc Apostolus Rom. 13. *reddite ergo omnibus debita; cui honorem, honorem*. Exodi 19. *bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur*; & 2. Regum 6. Oza

E 1. 2. 13. a. 4. 1. percussus fuit à Domino, quia tetigit Arcam; E per montem autem & Arcam significatur Prælatus; qui tunc inordinatè videtur tangi, quando irreuerenter obiurgatur, vel etiam, quando ei detrahitur: & hoc significatur per contactum montis & Arcæ damnatum à Deo. Hinc idem Apostolus Hebræor. 13. *obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*: quibus non

F Hebr. 13. l. 3. solùm debetur F reuerentia, vt eos honoremus tanquam Patres; sed & obedientia, vt ipsorum mandata impleamus, ipsorumque disciplinam toleremus. Quòd si de terrenis dominis ait Petrus in prima c. 2. *serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*: quid subintelligendum est de Prælatis, ac de Summo Pontifice? Si rursus Apostolus Ephes. 6. admonet; *serui obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo*. Si etiam infidelibus Dominus ex 1. ad Timoth. 6. honorem præstari oportere seriò mandat; ne nomen Domini & doctrina blasphemetur: quid de Summo Pontifice? Deuteronomij 18. de promisso magno Propheta, qui Christus, est legitur: *qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*. Audiat impius Lutherus. Lucæ 10. *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*. Neque fugiat, præstandam obedientiam soli Christo aut Apostolis; nam præuentus est ab Angelico in hæc verè fortia verba. Si quis autem dicat G quòd vnum Caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus vnius Ecclesiæ Sponsus; non sufficienter respondet. G 4. cont. G. c. 76. Manifestum est enim, quòd omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat; ipse est, qui peccata remittit; ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cuius virtute Corpus eius in altari quotidie consecratur; & tamen quia corporaliter, non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros per quos prædicta fidelibus dispensaret, vt supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit vt alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ gereret curam. Pergit adhuc Angelicus; sed quoniam c. 16. redibit sermo, sit satis.

Rogabis, cur sicut Marcus c. 4. habet, non addit Matthæus, *& in cognatione sua?* Respondeo hunc 64. Prophetam, pressè significare Pontificem, qui Ecclesiæ præest: Ecclesiæ autem, & Ciuitatis & Domus nomenclaturam passim ex Scripturis ac Sanctis Patribus accipit, non autem sic cognatio nuncupatur, vt Domus, & Ciuitas vel Patria: idcirco vt concepto Syntagmati adstipularetur, solius Patriæ ac Domus meminit Matthæus; sicut Lucas c. 4. solius Patriæ. Sed apud Lucam opportunè solius Patriæ fit mentio, quia vt virtutes in Patria faceret, instabant. Apud Marcum carnalis cognatio, ad euangelicam suam narrationem adhuc faciebat, ob inordinationem vitandam humanarum passionum. Rogabis iterum; quomodo nostræ Syntaxi cohæreat; *& non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum?* Respondeo: apprimè consequi, & hoc quod dolet Euangelista, relatu ad Prophetam, qui Patriæ ac Domui sit addictus suæ, vt exposuimus. Consentiunt Hieronymus & Beda relati hic & Marci 4. in Catena, non tam in sanatione corporum, quàm in animarum salute, maiora signa quotidie à Domino fieri. Igitur mysticè dicas; in animabus fidelium paucas posse patrare Prophetam huiusmodi carnalem, prout opus esset, virtutes: tantum enim abest, vt ædificet; quin potius scandalizat; *& scandalizastis plurimos*, ait Malachias: tantum abest, vt sanet; quin potius percutit; Titi 1. *non percussorem*, idest H non percutientem conscientiam aliorum prauis H Titi 1. l. 2. moribus; 1. Corinth. 8. *& percutientes conscientiam eorum infirmam*. De quo dolenter Ieremiæ 23. *& in Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium & iter mendacij; & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua*. Ezechielis etiam 34. *quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis*. Huiusmodi multæ virtutes, erant Domino suis in Prophetis faciendæ: quas fieri non contingit, quia Propheta *in Patria sua, & in Domo sua*, carnalis *est sine honore*, & contemnitur: fidelibus hac ex causa sensim ad incredulitatem declinantibus; minusque subinde dignis sanari, *propter incredulitatem illorum*. Nam *cùm Pastor*, ait Gregorius, *per abrupta graditur; necesse est, vt grex ruat in præceps*. Chrysostomus etiam; *iam dudum Infideles sectas suas reliquissent, & nostram Religionem amplexati fuissent; nisi vita nostra retraherentur*. En vnde contumax non credentium infidelitas; vnde serpens fidelium incredulitas. Quæ clausula, de incredulitate, satis indicat Matthæus totum Caput fidem fideique, & Ecclesiæ dilatationem concernere, vt exposuimus: & ad hoc, omnes huiusmodi commemorari simul parabolas: quas, quia Scopum non habuere cæteri Euangelistæ, quem Matthæus habuit, collectas denarrare noluerunt.

CAPVT XIV.

1 *IN illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu : 2 & ait pueris suis : Hic est*
Ioannes Baptista : ipse surrexit à mortuis : & ideo virtutes operantur in eo : 3 Herodes Mat.6.b.
enim tenuit Ioannem , & alligauit eum : & posuit in carcerem propter Herodiadem vxo- 14. Luc.9.a
rem fratris sui. 4 Dicebat enim illi Ioannes : Non licet tibi habere eam. 5 Et volens illum oc- 7. Mar.6.c.
cidere , timuit populum , quia sicut prophetam eum habebant. 6 Die autem natalis Herodis salta- 17.
uit filia Herodiadis in medio , & placuit Herodi. 7 Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare Luc.3.d.
quodcumque postulasset ab eo. 8 At illa præmonita à matre sua : Da mihi , inquit , hìc in disco 19. Inf.21.c.
caput Ioannis Baptistæ. 9 Et contristatus est rex : propter iuramentum autem , & eos , qui pari- 26.
ter recumbebant , iussit dari. 10 Misitque & decollauit Ioannem in carcere. 11 Et allatum est
caput eius in disco , & datum est puellæ , & attulit matri suæ. 12 Et accedentes discipuli eius ,
tulerunt corpus eius , & sepelierunt illud : & venientes nunciauerunt Iesu. 13 Quod cum audisset Luc.9.b
Iesus , secessit inde in nauicula , in locum desertum seorsum : & cum audissent turbæ , secutæ sunt 10. Mar.6.d.
eum pedestres de ciuitatibus. 14 Et exiens vidit turbam multam , & misertus est eis , & cura- 37.
uit languidos eorum. 15 Vespere autem facto , accesserunt ad eum discipuli eius , dicentes : De- Ioan.6.b.
sertus est locus , & hora iam præteriit : dimitte turbas , vt euntes in castella , emant sibi escas. 9
16 Iesus autem dixit eis : Non habent necesse ire : date illis vos manducare. 17 Responderunt ei :
Non habemus hìc nisi quinque panes , & duos pisces. 18 Qui ait eis : Afferte mihi illos huc.
19 Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum , acceptis quinque panibus , & duobus pisci-
bus , aspiciens in cœlum benedixit , & fregit , & dedit discipulis panes , discipuli autem turbis.
20 Et manducauerunt omnes , & saturati sunt. Et tulerunt reliquias , duodecim cophinos frag-
mentorum plenos. 21 Manducantium autem fuit numerus , quinque millia virorum , exceptis mu-
lieribus , & paruulis. 22 Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam , & præce- Marc. 6.
dere eum trans fretum , donec dimitteret turbas. 23 Et dimissa turba , ascendit in montem solus f.45. l.6.b.9.
orare. Vespere autem facto solus erat ibi : 24 nauicula autem in medio mari iactabatur flucti- Ioan.6.b.
bus : erat enim contrarius ventus. 25 Quarta autem vigilia noctis , venit ad eos ambulans super 17.
mare. 26 Et videntes eum super mare ambulantem , turbati sunt , dicentes : Quia phantasma est.
Et præ timore clamauerunt. 27 Statimque Iesus locutus est eis , dicens : Habete fiduciam : ego sum ,
nolite timere. 28 Respondens autem Petrus dixit : Domine , si tu es , iube me ad te venire super
aquas. 29 At ipse ait : veni. Et descendens Petrus de nauicula , ambulabat super aquam , vt
veniret ad Iesum. 30 Videns verò ventum validum , timuit ; & cum cœpisset mergi , clamauit
dicens : Domine , saluum me fac. 31 Et continuò Iesus extendens manum , apprehendit eum , & ait
illi : Modicæ fidei , quare dubitasti ? 32 Et cum ascendissent in nauiculam , cessauit ventus. 33
Qui autem in nauicula erant , venerunt , & adorauerunt eum dicentes : Verè filius Dei es. 34
Et cum transfretassent , venerunt in terram Genesar. 35 Et cum cognouissent eum viri loci illius , Mar.6.g.
miserunt in vniuersam regionem illam , & obtulerunt ei omnes malè habentes , 36 & rogabant 53. Marc. 7.
eum , vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt , salui facti sunt , a.1.

VERS. I. *In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu.*

1. Mortuo , consumpto vermibus Sanctorum Innocentum truculentissimo necatore Herode , qui fuit dictus Ascalonita ob Patrem suum Antipatrum Ascalonitam ; ab Augusto substitutus fuit Rex Iudææ Archelaus Herodis filius ; simulque quatuor fratres Archelai , nimirum Herodes , Antipater , Lysanias & Philippus , facti in Iudæa Tetrarchæ. Herodes ergo iste est , de quo scribit Matthæus ; ideo addens *Tetrarcha* , scilicet *Galilææ* , vt habetur Lucæ 3. vbi tamen nulla fit mentio de Antipatro , fortè quia erat præmortuus ; quippe qui à Pompeio Hierosolyma capta factus fuerat Palæstinæ Procurator , antequam Pater suus Herodes regnaret in Iudæa ; vt in Chronico Eusebij videre est. Hic Herodes Tetrarcha habuit etiam fratrem Agrippam , dictum Herodem Agrippam , cui Caius , qui successit Tiberio , continuò Iudæorum principatum tradidit , simulque Philippi ac Lysaniæ Tetrarchias , & paulo post Herodis huius Tetrarchæ tetrarchiam etiam. Ipsum verò Herodem , qui vel in Ioannis nece Auctor extiterat , vel in passione Domini interfuerat , multis exunciatum modis , æterno damnat exilio ; sicut Iosephus scribit. Ita ex Eusebio in Historia Ecclesiastica lib.2. cap.4. Hic Agrippa Rex Iudæorum annos septem imperans moritur , vt in Chronico eiusdem Eusebij , anno Domini quadragesimo sexto. Vnde hic est ille Herodes Agrippa de quo Actor.12. *eodem autem tempore misit Herodes Rex manus , vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem , quia placeret Iudæis , apposuit , vt apprehenderet & Petrum.* Qui miserè , vt ibidem dicitur , percussus ab Angelo Domini , breui consumptus à vermibus expirauit. Iosephus libr.19. Antiquitatum apud Eusebium in Ecclesiastica Historia lib.2.cap.10. disertè narrat eius mortem conformiter quidem ad Actus Apostolorum ; quamuis Agrippam dicat , quem in Actibus legimus Herodem. Post quem , vt refert ex eodem Iosepho Eusebius cap.20. post quem inquam Agrippam Claudius filium eius item nomine Agrippam , Iudæorum Regem constituit. Qui secundus Agrippa , vt ait in Chronico , re-

gnauit annos viginti sex; cum Pater eius interfector Sancti Iacobi solum septem annis regnauerit. Itaque vt omnis tollatur confusio, tres fuerunt Herodes, Herodes filius Antipatri Ascalonitæ, qui regnauit nascente Domino; alter Herodes huius filius, Tetrarcha, de quo in præsenti; alter Herodes Agrippa, qui Petrum compegit in carcerem: post hunc Agrippa filius. Dices; quomodo hic in præsenti Herodes dicitur Tetrarcha, & deinde nominatur Rex? Respondeo, certè nuncupari ab Euangelistis etiam Regem; quia Archelao, nono Regni sui in Iudæa anno, in Viennam secundùm Iosephum relegato, vice illius regnauit, principatum tenens, Tetrarcha iste Herodes, quousque mortuo Tiberio, Caius Cæsar Judææ Regem creauit Agrippam, expolians paulo post Herodem Tetrarchia. In prima ergo sui institutione hic Herodes non fuit Rex Iudææ, sed Tetrarcha duntaxat Galilææ; sed relegato Archelao fratre suo, tenuit principatum, vt in Chronico Eusebius memorat. Et sic est interpretandus Angelicus, cùm in Matthæi capit. 2. dicit hunc Herodem non fuisse Regem.

VERS. II. *Hic est Ioannes Baptista, &c.*

2\. Quoniam vt ait Chrysostomus; *hanc historiam nobis Euangelista non principaliter inducit; quia totum studium fuit ei dicere de Christo, & nihil aliud, nisi ad hoc conferre deberet*: ideo libens & ego pertransseo; quandoquidem vberiùs à Diuo Marco denarratur. Noto solùm ex Sancto Beda, vnius anni spatium fuisse inter decollationem Ioannis, & passionem Domini: ita Ioann. 6. Suus ibi Deo largiente erit locus. Transeamus ergo ad sequentia.

VERS. XIX. *Acceptis quinque panibus, &c.*

3\. Sicut Chrysostomus dicit; A *oportebat credi de Christo, quoniam à Patre est, & quoniam ei æqualis est. Et ideo vt vtrumque ostendat; nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula facit; & in minoribus quidem respicit (aspiciens in Cœlum) puta in multiplicatione panum; in maioribus autem, quæ sunt solius Dei, cum potestate à seipso agit: puta quando peccata dimisit, mortuos suscitauit.* Quod autem dicitur Ioann. 11. quòd in suscitatione Lazari, *oculos sursum leuauit*, non propter necessitatem suffragij, sed propter exemplum, hoc fecit. Vnde dixit; *propter populum, qui circumstat dixi, vt credant, quia tu me misisti.*

A 3. p. q. 43. a. 2. & hic.

VERSV eodem. *Benedixit & fregit, & dedit discipulis panes.*

4\. Chrysostomus: *panes autem & pisces in discipulorum manibus augebantur.* Et quomodo? Non per rarefactionem materiæ; quia B rarefactio determinata est. Benè verò, sicut ex paucis granis multiplicat multa grana. Vnde manus Christi fuerunt quasi terra, fragmenta quasi semina. Igitur multiplicatio panum C non est facta per modum creationis, sed per additionem extraneæ materiæ, in panes conuersæ. Hinc Augustinus super Ioannem; *vnde multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinque panes.* Manifestum est autem, quòd per conuersionem grana multiplicantur in segetes. Et ita D per conuersionem alterius D materiæ, miraculum factum est. Fauet huic intelligentiæ Theologorum Scholasticorum sententia, vt creationis, quæ virtutis est infinitæ, creatura nec possit esse instrumentum. In eo autem quòd *benedixit*, multiplicationi manum admouit; E quoniam benedictio Dei est factiua, Genesis 1. *benedixitque illis Deus, & ait; crescite & multiplicamini.* Benedicere nostrum, non est factiuum, sed significatiuum.

B D.Th. hic.

C 3. p. 44. 4. ad 4.

D D.Th. hic.

E D.Th. hic.

5\. De his panibus, nonnihil est dicendum mysticè. Glossa pro quinque panibus intelligit legalia præcepta. (quinque quippe sunt libri Moysi, dicti propterea græcè *Pentateuchus*) Per duos pisces, intelligit Hilarius Prophetas & Ioannem. Vnde ex Rabano *lex per quinque panes; Prophetiæ & Psalmi per pisces significantur.* Quod non improbat Angelicus F etiam in Ioannem, ferens illud Lucæ vltimo; *quæ scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me.* F Ioan. 6. l. 1. lit. c.
Sicut non improbat in Opusculo, in hoc miraculo G insinuari præcepta; in sequenti, vbi pascuntur de septem panibus cap. 15, consilia. Siue in primo intelligi imperfectam H præceptorum obseruantiam; in secundo miraculo, eorundem obseruantiam perfectam. Per panem doctrina quoque accipitur I & sapientia; Ecclesiast. 16. *cibauit illum pane vitæ & intellectus.* In Opusculo etiam trahit ad quandam vmbram Eucharistici panis; vbi animaduertit L sine potu multitudini parari cibum, quia laicis sub specie tantùm panis communicandum. Sed palam infra c. 17. intellexerunt discipuli *de fermento Pharisæorum; idest de eorum doctrina.*

G opusc. 17. 7.

H quodl. 4. 14. ad 6.

I hic & Ioan. 6. l. 1. & Apoc. 12. & docet. com. 1.

L opusc. 58. 29.

VERS. XX. *Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum.*

6\. *Cophinis* ex Hieronymo, *seruilia opera aguntur.* Est enim cophinus vas M rusticano officio deputatum. Significant hi duodecim Apostolos, & eorum imitatores; qui licèt in præsenti sint contemptibiles, spiritualium tamen Sacramentorum delicijs, sunt interius refecti. Et ideo non quantæcumque reliquiæ, neque ad casum, sed quantum voluit Dominus, supersunt.

M Ioan. 6. l. 1.

VERS. XXI. *Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.*

7\. Ad literam, sequuntur Euangelistæ legalem consuetudinem, N sicut Moyses à vigintis annis & supra populum numerauit, nulla facta mentione de mulieribus, & paruulis, ad bellum; fuitque consideratio Hieronymi dicentis; in libro Numerorum, *mulieres & paruuli, & vulgus ignobile prætermittuntur.* Adde, ita Exodi 12. in exitu de Ægypto viri numerantur pedites, vt hic *pedestres*, (fortè quo ad Exodum mysticè de Ægypto seruituteque Diaboli nos reuocet) *absque paruulis: sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit.* Sic Cantic. 6. & *adolescentularum non est numerus*, quod communiter intelligitur de incipientibus. Vnde Hieronymus ly *virorum*, exponit de ijs, *qui in perfectum virum creuerant.* Alias etiam dicit, *quinque millia, pro quinque sensibus corporis, hi sunt, qui in sæculari habitu, exterioribus rectè vti nouerunt.* Sanè cunctis indicitur supra c. 5. *estote ergo vos perfecti, &c.* Quinque millia pariter, propter quinque O libros Moysi. Hilarius pro Iudæis exponit hunc numerum, ferturque in Catena sequenti capite 15. dicens, *sicut autem ea turba, quam priùs pauit, iudaicæ credentium conuenit plebi; ita hæc* (de quatuor millibus) *populo Gentium comparatur.* Et expendit (cap. 14.) quomodo *idem numerus edentium in prima hac inuenitur, qui futurus fuerat crediturorum: nam sicut in libro Actuum continetur, ex Israel populi infinitate, virorum quinque millia crediderunt.* Planè sic legimus cap. 4. *multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum, quinque millia.* Consentit eorum sessio *super fœnum*; nedum quia Isaiæ 40. *omnis caro fœnum*, nedum quia vera sapientia non percipitur P nisi calcatis carnalibus, Coloss. 3. *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*; sed quia doctrina veteris testamenti dabatur quiescenti in carnalibus, & populo carnaliter sapienti: Isaiæ 1. *bona terræ comedetis*; Deuteronomij 33. *oculus Iacob in terra frumenti, vini & olei.* Cùm tamen *omnia in figura contingerent illis*, 1. Corinth. 10. Dic tu, licèt futurum esset, vt legalia, quæ venturum Dominum præ-

N D.Th. hic, & Ioan. 6.

O D.Th. c. 15. in calce.

P hic & Ioan. 6.

prænunciabant, posthaberentur: nihilominus firmitati sessionis adstipulantur; quia *de Domino Moyses scripsit*, vt ait ipsemet Ioannis 5. Et quia faciendum erat vnum ouile de Iudæis & de Gentibus, in quibus Dominus fundaret Ecclesiam. Audiamus Hilarium; *nauem conscendens, Ecclesiam adiit. Turba autem hoc audiens, Dominum de Ciuitate sequitur in desertum; de Synagoga videlicet ad Ecclesiam tendens*. Et Rabanus; *antequam veniret in solitudinem Gentium, ab vno tantum populo colebatur*. Quare dicatur de Ecclesia Gentium desertum; idem Hilarius tangit dicens, *in vacua diuinæ cognitionis pectora*. Angelicus in Apocalypsin Q ad illa verba: *& mulier fugit in solitudinem*, inquit; Mulier, idest Ecclesia fugit ex glossa *in mentis secretum, spreto mundi tumultu*. Dic etiam Ecclesiam Gentium non eum spiritualem habuisse cultum, quem Synagoga; de qua in Psal. 147. *non fecit taliter omni nationi*. Quoniam autem ait Augustinus de populo Gentium, & Iudæorum, *ambo ad vnum lapidem cucurrerunt*: quemadmodum Iudæi relinquunt hic Ciuitates suas, ita in Capite sequenti *mulier Chananæa egressa de finibus illis* perhibetur. Vtrumque autem ad mysterium ex Hieronymo, qui ait, *egressa de finibus suis iam fuerat: errorem Tyriorum ac Sidoniorum, loci ac fidei commutatione dimiserat*: & de his; *relinquunt Ciuitates suas, hoc est, pristinas conuersationes, & varietates dogmatum*. Prælusisse etiam videtur Dominus huic vnioni, dum ex Chrysostomo hom. 28. in Ioannem habemus; *æstimo propter hoc permissam esse mortem Ioannis, & eo sublato de medio, Christum maximè prædicare cœpisse; vt omnis multitudinis affectio* R *ad Christum transiret; & non vltra ijs, quæ de vtroque erant sententijs scinderentur*. Non desunt aliæ ad literam secessus Domini causæ; puta, ne ante passionis tempus, se ingereret periculis; item ad acuendam populi deuotionem. Quas in Diuo Thoma, & in Catena videre est. Considerat etiam S Angelicus affectum turbarum; scilicet quo ardore sequebantur eum: vnde debuit eas dimittere: item Petri & discipulorum amorem, quando vt eos à se elonget, vtitur impulsione; *compulit discipulos ascendere in Nauiculam*. Ioan. 6. dixit Petrus; *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*: Hinc *dimissa turba, ascendit in montem solus orare*. Sufficit hic Ambrosius; *vbique solus orat; quia diuina consilia humana iudicia non capiunt; nec quisquam interiorum Christi particeps esse potest*. Alias *dimissa turba*, idest cogitationibus perturbantibus orat, vt hic expendit Angelicus; supra cap. 6. *& clauso ostio, ora Patrem tuum*.

Q Apoc. 12. com. 1

R 3. P. 38. 5. 2.

S D. Th. hic

VERS. XXV. *Quarta autem vigilia noctis*; &c.

8. Distinguuntur quatuor vigiliæ noctis ad literam, T secundum castrorum excubias: & dicitur prima conticinium; secunda, intempestum; tertia, gallicantus: quarta antelucanum. Alibi; quatuor inquit vigiliæ noctis sunt quatuor partes persecutionis Ecclesiæ; prima fuit Tyrannorum contra Martyres; secunda Hæreticorum contra Confessores; tertia falsorum Christianorum contra Prædicatores; quarta erit tempore Antichristi, quæ grauior omnibus erit. Ecclesia etsi tribuletur, à Christo misericorditer liberabitur. Quia nonnihil dictum est supra c. 8. ad versum 24. de Ecclesiæ typo nauiculæ turbationibus, hic supersedeo.

T Apoc. 9. Com. 1. post principium.

VERSV eodem; *ambulans super mare*.

9. Opinio fuit, V quòd in hac vita Dominus accepit quatuor dotes; subtilitatis in natiuitate; impassibilitatis, quando ieiunauit quadraginta diebus, vel transubstantiando Sacramentum Eucharistiæ; agilitatis hic; claritatis in transfiguratione. Sed hoc non credo; credo enim quòd miraculosè fecit. Hæc Diuus Thomas; qui deinde in 3. parte apertiùs; non est dicendum inquit, X sicut Hugo de Sancto Victore dicit, quòd Christus assumpsit quatuor dotes; claritatis in transfiguratione; agilitatis ambulandò super mare; subtilitatis egrediendo de clauso vtero Virginis; & impassibilitatis in cœna, quando dedit corpus suum ad edendum, sine hoc quòd diuideretur: quia dos nominat quandam qualitatem immanentem corpori glorioso: sed miraculosè habuit ea, quæ pertinent ad dotes. Et ibi in eodem corpore articuli, docet fuisse per modum passionis transeuntis. Vnde Dionysius dicit in Epistola 4. ad Caium; *super hominem operabatur Christus ea quæ sunt hominis; & hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, & aqua instabilis materialium & terrenorum pedum sustinens grauitatem*. Ostendit ergo Christus in se ipso A aliqua dotium indicia; (noluit refulgerent ab anima) puta agilitatis, cum supra vndas maris ambulauit; subtilitatis, quando de clauso vtero Virginis exiuit; impassibilitatis, quando de manibus Iudæorum vel præcipitare, vel lapidare volentium, illæsus euasit. Dic claritatis in transfiguratione.

V D. Th. hic.

X 3. P. 45. 2.

A 3. P. 45. 1 3.

VERS. XXVI. *Dicentes quia phantasma est*.

Confunduntur hinc Manichæi, B qui dixerunt 10.
Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse. Suspicionem enim discipulorum Dominus conuenienter remouit, dicens, *statim; habete fiduciam: ego sum, nolite timere*. Coarctat autem fidei acerrimos huiusmodi hostes, alto defosso principio: aut enim latebat, aut non latebat discipulos, Christum habere, vt confingunt, corpus phantasticum. At latere eos non debuerat, cùm ad hoc discipulos elegisset, vt de eo testimonium perhiberent veritati, de ijs quæ viderant & audierant. Ergo non debuit eos latere. At si eos non latebat; cur æstimatio phantasmatis, tunc eis incussit timorem? Et si proteruè Manichæus diceret, non tunc, sed postea doctos fuisse, quòd haberet corpus phantasticum; Quorsum dicam ipse, solatur confortans eos Dominus dicens; *ego sum, nolite timere?* Neque enim veram virtutem ad confortandum verba Domini habuissent; dicendo quippe *ego sum*, æquè erat ac firmare se esse phantasma. Vnde tanto magis iure timere debuissent. Moraliter sic venit ad eos C super mare ambulans; quia docebat, calcari Mundum.

B 4. cont. G. c. 29.

C Apoc. 15. Com. 1. ibi super mare.

VERS. XXVIII. *Domine si tu es; iube me venire ad te super aquas*.

Quandoque petitur signum in diuinæ potestatis, 11.
aut veracitatis argumentum; & sic est petitio iniuria, & tentatio Dei; quemadmodum infra c. 16. *accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogauerunt eum, vt signum de Cœlo ostenderet eis*. Hinc prudenter Achaz Isaiæ 7. *non petam* (signum) *& non tentabo Dominum*. De quo, cùm satis ad c. 4. dixerimus; satis est de Petro hic accipere, non hoc petijsse D ex infidelitate, vel vt tentaret, sed ex confidentia magnaque fiducia, quam habebat ad Dominum. Sed quoniam negabit nemo, tantam in verbis Domini vim fuisse, vt nisi sit in hominibus obex, posset illico in assensum trahere veritatis; secundum superficiem, minus rectè videtur, desiderasse Petrum, vel in aliorum persona, vt signum fieret solidum in itinere liquido de ipsius Christi præsentia; quasi nondum certior factus, audito *ego sum*, ideo Angelicus alibi E inquit; sunt quædam, in quibus est impossibile hominem iuuari, nisi à Deo miraculosè operante; & talibus periculis homo se exponens Deum tentaret, sicut si aliquis de muro se præcipitaret, sub spe diuini auxilij; nisi fortè à Deo certificatus esset de futuro euentu, aliqua inspiratione; sicut Petrus ad iussum Domini se exposuit fluctui maris; sicut etiam Beatus Martinus dixit; *ego signo Cru-*

D D. Th. hic.

E opusc. 19. c. 6. ad finem.

Crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus; & sicut Beatus Ioannes Euangelista venenum confidenter bibit; & sicut Beata Agatha, quæ dixit; *medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui*. Veruntamen sicuti non vacat mysterio semel & iterum turbari nauiculam; ita & Petri descensus ambulatioque lubrica, cum vidisset ventum validum, super mare, ad arcanum aliquid intelligendum, vt in Syntaxi dicetur, permissa est. Quanquam autem ex Sanctis Patribus, fortiusque ex litera titubauerit Petrus, dicto ei à Domino; *modicæ fidei, quare dubitasti?* Non dubitasse colligo de Domini potestate exclamans; *Domine saluum me fac*: de qua nec dubitarunt supra c. 8. discipuli, ipsum suscitantes, eique dicentes; *Domine salua nos, perimus*; sed de gratiæ largitione quam petierat. Vnde ly *fidei* exponi congruè potest *pro fiducia*, vt notat Canus lib. 6. c. 8. ad 11. Et ecce quasi ad literam dici à Iacobo in sua cap. 1. vbi præmisso, *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo*, &c. subdit; *postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur*. Sic Petrus, *cum vidisset ventum validum*. Quod fiebat extra, effectus erat interioris fluctuationis; quam fortè passus est, in eo nondum fixè eruditus, quòd quamuis oratio
F 2.2.83. a. 16. ad 3. peccatoris F non sit meritoria, potest tamen esse impetratoria; quia meritum innititur iustitiæ; sed impetratio innititur gratiæ. *Modicæ ergo fidei, quare dubitasti?* ac si diceret; tua de mea gratia hæsitatio aliqua, fluctuationem mouit ex vento valido maris; cui similis, prout Iacobus edisseret, extitisti.

VERS. XXXIII. *Qui autem in nauicula erant venerunt, & adorauerunt eum dicentes: verè filius Dei es.*

12. Magna apparet dissonantia inter Matthæum & Marcum. Hic enim cap. 6. inquit, *postquam ascendit Dominus ad illos in Nauiculam, & cessasset ventus: & plùs magis intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum*. Huc illuc lustraui sacros expositores, Diuumque præ alijs Augustinum, nec (qui aliàs nullum non mouet lapidem) reperi hoc tetigisse dubium; nec in Catena; nisi quod Beda Marci 6. *stupebant quidem carnales adhuc discipuli virtutum magnitudinem; nec dum tamen in eo veritatem diuinæ Maiestatis cognoscere volebant*: puto potius legendum esse, *valebant*. Theophylactus ibidem. *Apostolis ex miraculo quinque panum, non intelligentes Christi potentiam, nunc ex maris miraculo pleniùs cognouerunt*. At non ideo ex Beda concordia Marci cum Matthæo emicat. Et quod ait Theophilactus difficile est; quandoquidem videtur maius miraculum illud de panibus, quàm cessasse ventum, aut ambulasse super mare: quia ventus passim naturaliter cessat, licèt non momento: super mare autem ambulasse, non eis tantum miraculum visum fuerat, ratis esse phantasma. Adhuc etiam datis omnibus, non videtur Marcus Matthæo concors. Posset quis opinari, quod dicit Marcus intelligi de Nautis; quod autem Matthæus fert, adorasse & confessos esse Dominum, referri ad discipulos: Quod quidem probari potest; iuxta illud suprà c. 8. *porro homines mirati sunt dicentes; qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Vbi Origenes; *non putes hic Apostolos significatos; nusquam enim inuenimus propter honorem sic cognominari discipulos; sed semper aut Apostoli, aut discipuli nominantur*. Et Hieronymus; *Si autem quis contentiosè voluerit, eos qui mirabantur, fuisse discipulos; respondebimus, rectè homines appellatos, quia nec dum nouerant potentiam Saluatoris*. Sed hic etiam quoad hoc est difficultas; quia Marcus ait; *cùm ambularet Dominus super mare, omnes viderunt eum*; & de istis subdit *stupuisse plùs magis intra se*. Quare videtur loqui etiam de discipulis; vnde & ait, *non enim intellexerunt de panibus*; & adhuc; *erat enim cor eorum obcæcatum*. Itaque prout mihi videtur, censeo & discipulos prius fuisse stupore maiori captos: (hoc non sonat in malum; nam & Lucæ 5. *stupor circumdederat Petrum in captura piscium*) item adhuc fuisse ignaros mysterij de panibus, cum accessorijs de fragmentis, de duodecim cophinis, &c. Cor subinde *obcæcatum*; idest ob hæc mirabilia non penetrata effecta adhuc in tenebris: non tamen sic excæcatos in agnitione Domini, cuius multiplicem potentiam fuerant experti; ideo *adorauerunt eum*, facta confessione ad salutem, dicendo; *verè filius Dei es*. Non secus ac Nicodemus Ioannis 3. dixit, *scimus quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Vel dicendum prius passos Apostolos, quam fert Marcus, animorum commotionem, stupentesque fuisse & obscuratos: sed mox irradiationem tantam desuper eos persuadisse, vt in actum adorationis & confessionis, acti Spiritu-Sancto repente eruperint. Et hoc indicare Matthæus ipse videtur; dum ait; *Qui autem in nauicula erant venerunt*. Si enim erant in Nauicula, quò *venerunt*? *sed venerunt*, quia *non mouetur anima pedibus*, vt aliàs Augustinus ait, *sed affectibus*. In eo quòd *venerunt*, posuerunt stuporem, intellexerunt de panibus, apertum est cor eorum: quæ cuncta habet Marcus; quia priùs sunt humana passi, mox de diuinis edocti. Et iam infra c. 16. vbi Dominus hæc miracula tangit, legimus qualiter pro fermento Pharisæorum, moniti de panibus, intellexerunt doctrinam.

VERS. XXXIV. *Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar.*

Ioannes c. 6. ait, venisse *trans mare in Capharnaum*. Sed concordia est, quia G Capharnaum & 13. G Io. 6. l. 2. in fine
Genezareth ex eodem littore sunt, & vicinæ, & fortè discipuli peruenerunt trans mare, in confinio vtriusque; & ideo Matthæus nominat vnam, Ioannes aliam. Vel fortè primò venerunt Capharnarum postea Genezareth. Ad mare Galilææ, H quod aliàs dicitur Tiberiadis. *Capharnaum* ex Augustino lib. 2. de consensu Euang. c. 48. *iuxta stagnum est Genesar: ad quam Terram, secundùm Matthæum, dicuntur exijsse.* H 1. Machab. 11. in calce.

VERS. XXXV. *Et cum cognouissent &c. obtulerunt ei omnes malè habentes.*

In capite sequenti curasse perhibetur *mutos, cæcos,* 14.
claudos, debiles & alios multos: hic Matthæus, quasi vsus compendio, *malè* inquit *habentes*. Illic *proiecerunt eos ad pedes eius*: hic *obtulerunt*, qui *tetigerunt eum*. Illic admiratio recolitur secuta turbarum: hic non est qui miretur. Illic in montem ascendisse dicitur, & sedisse: hic circumstantiæ huiuscemodi non narrantur. Illic *accesserunt turbæ multæ habentes secum mutos* &c. hic *viri loci illius miserunt in vniuersam regionem illam; & obtulerunt*, &c. Qui sunt viri isti? Dic per viros istos significari Patres, de quibus Apostolus ad Romanos 15. *Dico Christum Iesum, ministrum fuisse Circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum*; idest vt per salutem Iudæorum implerentur promissiones Patribus factæ; vt ibi I apud Angelicum. Et prius Rom. 9. *quorum* (Israelitarum) *adoptio est filiorum, & promissa*; quæ videntur L præcipuè facta Iudæis. Quorum Patres, iuxta illud Deuteronomij 4. *dilexi Patres tuos, & elegi semen eorum*, fuerunt maximè Deo accepti. Quid mirum si viri isti, vno verbo rogauerunt; minimè æmulati cap. sequenti Chananæam toties instantem; ad ostendendum, ait ipse, quòd aliqua ratio iustitiæ apparebat in conuersione Iudæo-

I Rom. 15. l. 1.
L Rom. 9. l. 1.

Iudæorum, ex his promissionibus, quæ non apparebat in conuersione Gentium, vt docet Angelicus.
M P. P. M Tamen hæc ratio iustitiæ & veritatis implendæ in
21.4.2. Iudæis non omnem excludit misericordiam; quia hoc ipsum N misericordiæ fuit, quòd Deus Patri-
N Rom. 15.1. bus promissiones fecit de Iudæorum salute 1. Tim. 1. *misericordiam consecutus sum*: ideo dixerim legi, *rogabant eum*: & palam hic num. 14. *misertus est eis*; Quod indicat non omnino ex iustitia promissorum petiisse: sed ex misericordia promissionum rogasse. Quales essent Gentiles, dicemus sequenti capite, ex quo elucescet diuersitas curationum: non enim Iudæa, in qua *notus erat Deus* Psal. 75. erat cæca; non erat surda, voces audiens Prophetarum; non erat clauda, quæ non posset viam salutis peragere; non denique debilis; diuinis vndique ceu vinea electa circumuallata præsidijs, sed solummodò in vniuersum prauitate degeneris animi, ad tot Domini beneficia, non benè disposita; ideo vno verbo *obtulerunt hic ei omnes malè habentes*. Adeo autem male se habebat, vt nec Dominum rogaret; sed viri qui eam *obtulerunt*, *rogabant*; nimirum Patrum merito & interuentu Christo appropinquabant: sic *vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent*: Dic: vt illius, qui, Philipp. 2. *habitu inuentus vt homo*; hoc est Incarnationis mysterij vel minimam tenerent cognitionem. Quicumque sic ad fimbriam prouoluti Domini, qui præit exemplo, dum *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, ipsum tangunt, *salui facti sunt*. Præmissorum plura enucleabuntur magis ad caput sequens 15. in Syntaxi.

SYNTAXIS

Ad Caput Quartumdecimum.

VERS. I. *In illo tempore, audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu.*

1. *Christum in humanis actibus*, ait Chrysologus Serm. 50. *diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus, inuisibilia exercuisse negotia, lectio mostrat euangelica*. Oportet præeat grauis isthæc sententia, ceu fax Syntaxi. Tot certè scatent vndique impræsentiarum difficultates, vt arcana sublatere sensa, necesse sit. Primò, cur Matthæus hic adnectat de Ioannis nece, præmittens, *in illo tempore*. Neque enim hunc ordinem ad præmissa & sequentia seruant Marcus & Lucas: ex quo Diuus Thomas hic cum Augustino lib. 2. capit. 43. *de consensu Euangelistarum*, hæret quisnam fuerit historiæ & factorum ordo. Et ita Matthæus, ne cogeremur ordinem affirmare factorum, sic absolutè dixit; *in illo tempore*, non *in illa die*, vel *hora*, vt notat idem Augustinus. Ioannes tamen c. 6. relaturus miraculum de quinque panibus, præmittit; *erat proximum Pascha, dies festus Iudæorum*. Vnde magis vrgeri potest, cur huc & necem Ioannis & miraculum ferat Matthæus? Secundò cur Matthæus sit solicitus de scribendo, quòd turbæ secutæ sunt Dominum hac animaduersione, *pedestres de Ciuitatibus*; Tertiò quid sibi velit audita Ioannis interfectione, secessisse Dominum *in nauicula in locum desertum seorsum*? Quartò quidnam responsi sit illud dati discipulis instantibus; *dimitte turbas, vt euntes in Castella, emant sibi escas: non habent necesse ire*? licèt sic præludat miraculo. Quinto, quid ly *quinque panes & duo pisces*, qui *hordeacei*, solum dicuntur ab Ioanne? & sic de duodecim cophinis fragmentorum iisque plenis? Sextò, quid super fœnum sedere? quando sequenti miraculo cap. 15. sedent super terram? Septimo; quid omnes quatuor Euangelistas hoc narrare miraculum; cùm aliàs toties quod alter dicit, taceat alter? præsertim cum secundum, de quatuor saturatis millibus nec Lucas nec Ioannes attulerint. Octauò, quid illa quasi coactio, vt ascenderent in Nauiculam discipuli? & statim *compulit Iesus discipulos*, &c. adnectendo *donec dimitteret turbas*. Nonò deambulatio & Petri iussu Domini super mare, quam soli Matthæo, cæteri Euangelistæ denarrandam reliquerunt, quidnam designat? Decimò; quid in Petro, hæsitatio & timor? *& cum cœpisset mergi*. Vndecimo quid extendere Iesum manum; cum solo nutu potuerit animos dare? Duodecimo; quid versu 15. itemque post comestionem v. 23. ly *vespere autem facto*: Tertiodecimo; quid ly *quarta vigilia noctis* venisse ad eos? Quartodecimò, quid in calce capitis venisse *in terram Genesar* ad tot malè habentes, quando è contra v. 14. quà sitùs curauit languidos eorum. Hæc potissimum sunt, quæ quamuis congruentes Sanctorum Patrum patiantur interpretationes; nihilominus distitis, vt ita dicam commentarijs exponuntur: nec satis fortè, vt mens omnino conquiescat. Quare si ordinet Syntaxis singula, colligetque harmonicè in vnum hæc omnia, non poterimus non admirari in dies semper magis diuinam sapientiam; quæ *abscondit hæc à Sapientibus & Prudentibus; & reuelat ea paruulis*, hinc inde tamen emendicantibus, vbi scintillant Sanctorum Patrum sententiarum faces, meridiei lucem.

Igitur vt breui Syntaxin insinuē, sic dixerim. Postquam præcedenti in cap. de Ecclesiæ dilatatione ascitis hinc inde fidelibus, deque Patre-familias fidei proferente mysteria, ad ædificandam Ecclesiam dictum est; 2.
congruus exigebat ordo, vt quando & quomodo fides esset propaganda per Orbem, fidelibusque obtinenda, necnon seruanda foret; iuxta quod & Apostolus habet 2. ad Tim. 4. *fidem seruaui*, edoceremur. Et profectò de fide hoc esset caput, fuit consentaneum; quia præcedentis clausula, palam illorum incusarat incredulitatem: vnde ab opposito conueniens fuit de fide mox tractaretur. Claret autem ad credentes deflecti, si tot hic facit virtutes, si tam grande patratur signum de quinque panibus: quandoquidem, vbi est incredulitas, non facit, vt dictum est, *virtutes multas*. Claret etiam, quia conceptis verbis increpatur Petrus *modicæ fidei*, adiecto, *quare dubitasti*? Quamuis enim fide theologica, quæ virtus est infusa, minimè hæsitasse congruum sit: (dum immo inuocat in quem credit Dominum) sed quadam diffidentia tantummodo fuisse correptum: nihilominus, vt quod contingere potest in fide, nempe dubietas qua euadit quis infidelis, (iuxta illud cap. 1. de Hæretic. ex Stephano Papa; *dubius in fide infidelis est*) *modicæ fidei*, hoc est fiduciæ deficientis exemplum permissum est. Et licet de fide plura diximus supra ad caput 11. prout scilicet in fide fundatur Ecclesia; non propterea putes hic repeti: solummodo enim de fide hic agitur, quatenus cordi hominum Deus eam imprimit; quaque via fideles & credentes nos Deus faciat. Vnde cum in Scripturis Sanctis tota contineatur Theologia (vt ait Angelicus O de Psalmis & de Epistolis Pauli, idcirco frequentatis in Ecclesia) quid possit controuerti ac in Scholis disputari potissimum de fide, profunde præsenti O Prologo in Epistolas Pauli

senti hoc in capite insinuatur. Quia verò fides in-
Judæa mansit Psal. 75. *Notus in Iudæa Deus*; turpis-
simè in idololatriam deuolutis Gentibus, arcano
Dei permissu: quia etiam, vt dictum est, ad Iudæos
de Christo facta fuerat promissio; ideo in edisseren-
da fidei doctrina, de Iudæis introducitur nedum my-
stice sed historialiter. Cum quo stat etiam diuinæ
prouidentiæ dispensatio; vt per eos transmitteretur
P 3.p.q.12. a.1. ad Gentes. Ad hæc Angelicus; P *quæ à Deo sunt*
ordinata sunt Roman. 13. Hoc autem debitus ordo
exigebat, vt Iudæis, qui Deo erant propinquiores,
per fidem & cultum vnius Dei, prius doctrina Chri-
sti proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gen-
tes. Secundum quod & Apostolum legimus ad Ro-
manos 1. *fides vestra annunciatur in vniuerso Mun-*
do. Immo in ipsismet nunc ad Christum aduentan-
tibus præludi videtur ad illud Isaiæ 2. *& fluent ad*
eum omnes Gentes.

3. Itaque *in illo tempore*: idest post Christi Domini
passionem & mortem. Quamuis non nisi anno se-
quenti necem Ioannis passus sit; vt deducit Ioannis
6. Beda. Hanc expositionem innui quis neget, ab
Euangelista, dum statim attexit de nece Ioannis Ba-
ptistæ? Præmiserat de fama Iesu, quæ ad Herodem
Tetrarcham peruenerat. Sic erat diffamanda fides:
1. Thessal. 1. *a vobis diffamatus est sermo Domini*,
non solum in Macedonia & in Achaia, sed & in
omni loco fides vestra, quæ est ad Deum profecta est.
Iam mirum fuit Chrysostomo vt supra retuli, breui
quadraginta annorum spatio, adeo resonuisse per
vniuersum Orbem Christi fidem. At hoc, futurum
non erat, nisi post Christi Domini crucifixionem &
mortem: nam post passionem duntaxat dixit disci-
pulis Matthæi vltimo; *euntes docete omnes Gentes*;
Q 3. p. 42.3. & Ioan. 12. Q cum imminente passione quidam
Gentiles vellent Iesum videre, respondit; *nisi gra-*
num frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,
ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, mul-
tum fructum affert; Vbi Aug. *ipse Dominus Iesus erat*
granum mortificandum in infidelitate Iudæorum,
multiplicandum in fide populorum. Modò pergo;
quomodo satiùs poterat insinuari Christi Domini
mors, quàm Ioannis nece: Quæ, vt colligitur ex Ioan-
ne c. 6. narrante miraculum de panibus, cum proxi-
mum esset Pascha Iudæorum, secuta est eo instante:
nam audita eius nece Dominus hic ad miraculum
se præcingit. Christus epingi nondum poterat cru-
cifixus; suo in insigni præcursore Martyre delineatur
occisus: ex quo & de resurrectione introducatur:
ipse surrexit à mortuis. Quocirca Augustinus tract.
52. in Ioannem; *per Christi fidem, quæ morte eius*,
& resurrectione firmata est, millia credentium Chri-
sti corpori copulantur; (en toties Matthæi scopus in
medio) *& sub tanto Capite, vno eius spiritu fidelia*
membra vegetantur. Et sanè cum Caput sit Christus
præcipuè fidelium, eius mors tantò magis in Ioanne
signatur; dum caput Ioannis petitur affertúrque in
disco. Sic Hieronymus ad rem hic dicit Christum
Iudæos *perdidisse, qui est Caput Prophetarum*. Se-
quitur, *venientes discipuli nunciauerunt Iesu*. Iam
nedum sciebat sed præscierat Iesus. Quare (cadem
prima Tichonij regula de Christo in se, & in suis
membris) dic nunciatum fuisse membris suis de
eius morte: ad eum omnino sensum, quo dixit Sau-
lo, *cur me persequeris?* annunciauerunt ergo mem-
bris Capitis necem. Et ecce graphice in Actis c. 13.
quod in Ioannis facinore. *Nullam causam mortis*
inuenientes in eo; petierunt à Pilato, vt interfice-
rent eum: paulo post; *posuerunt eum in monumen-*
to; Deus verò suscitauit eum à mortuis. Hic habes;
nullam adduxisse causam saltatricem crudelem: ha-
bes petijsse vt interficeretur Ioannes: habes, *& sepe-*
lierunt illud: habes de resurrectione iudicium; *surre-*
xit à mortuis. In Actis & *nos vobis annunciamus*
&c. habes hic, *venientes nunciauerunt Iesu*. *Te-*
trarcha autem memoratur Herodes; non dicit *Gali-*
læa, sicut Lucas cap. 3. forte vt quia de Iesu fama
diuulgata inducitur, intelligeretur à parte quarta
(*Tetrarcha*) totum: & quia in quatuor diuisus est
Orbis partes, *in omnem terram* famam Iesu perua-
gandam agnosceretur. Paulo post ideo forte dicit
Herodem Regem, non amplius Tetrarcham: quam-
uis Gregorius hom. 20. in Euang. Tetrarchas illos
Iudææ nuncupet Reges. Post mortem etiam Ioan-
nis à puella petitam & expetitam illico Rex dictus est
Herodes; quis scit? ad insinuandum quod inquit An- R 3. p.
gelicus. R quia Christus per Crucis victoriam me- 42. 1.
ruit potestatem & dominium super Gentes: Apoc. 2.
Qui vicerit, dabo illi potestatem super Gentes; sicut
& ego accepi à Patre meo; & Philipp. 2. *humiliauit*
semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, pro-
pter quod & Deus exaltauit illum. Ecce & de hu-
miliatione, dato à Ioanne & inclinato in Cruce à
Domino Capite. Verum quia non statim post mor-
tem, sed post Domini ascensionem in Cœlum, fi-
des cœpit fortiùs corda pulsare; quando post Pente-
costen, Iudæorum millia crediderunt; cœpitque
Ecclesia esse Ierosolymis; mox subiungit Matthæus
de Nauicula *secessit inde in Nauicula*: tunc primò
ostendens sanctificatam per semetipsum Ecclesiam:
tunc meritò; quia decollato Ioanne, qui ex Hilario,
prætulit formam legis, hoc est, finitis legis tempo-
ribus, & cum Ioanne sepultis; turba Iesum sequitur
de Synagoga ad Ecclesiam. Sed & Dominus *in lo-*
cum desertum seorsum: profecto figurans suam ascen-
sionem in Cœlum; nam Lucæ 15. *dimisit nonaginta*
nouem in deserto. Dicitur autem Cœlum *desertum*
S propter tumultus carentiam & quia derelictus fuit S Apoc. 12. Com.
à Lucifero & socijs eius. Et per hæc patet fieri satis 1. ibi, in
ad primam in Syntaxis initio quæstionem. Similiter solitudinem.
& ad tertiam.

VERS. XIII. *Et cùm audissent turbæ, secutæ*
sunt eum pedestres.

Iam opportunum est, vt de fidei adeptione dica- 4.
tur. Rom. 10. *fides ex auditu*. Ecce *cum audissent*.
Non dicit *quod* cum audissent; puta secessisse inde
in Nauicula, in locum desertum: quia non ad hoc
primò refertur fides; sed ad præmissa, quòd mortuus
fuit & resurrexit: *ipse surrexit à mortuis*. Dum se-
quuntur eum turbæ, ad eum sine dubio accedunt, &
ad eum vertuntur: bellè; quia T prima conuersio T p. 2.
in Deum fit per fidem: Hebr. 11. *accedentem ad* 113. 4.
Deum oportet credere; quia est &c. Perpende ly *se-*
cutæ sunt eum; & subaudi vocationem; iuxta illud
Isaiæ 41. *qui suscitauit ab Oriente iustum, & voca-*
uit eum, vt sequeretur se. Duplex est vocatio (ad
hæc V Angelicus) hominis; vna exterior, quæ fit V Rom. 8. l. 6.
ore Prædicatoris; Prouerb. 9. *misit ancillas suas, vt*
vocarent ad Arcem: hoc modo Deus vocauit Petrum
& Andream, vt dicitur Matthæi 4. alia est vocatio
interior, quæ nihil aliud est, quàm quidam mentis
instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad ea,
quæ sunt fidei, vel virtutis. Et hæc vocatio necessa-
ria est, quia cor nostrum non se ad Deum converte-
ret, nisi ipse Deus nos ad se traheret. Tu tamen iu-
xta literæ seriem, ne secludas peruagatam de Iesu
famam; vnde *cum audissent*. Vnusquisque certò tra-
hitur vel moraliter ab eo, quem sequitur. Exinde
ab hac sequela disce motionem physicam: & qui-
dem ab eo quem sequuntur. Hinc obmutescant Pe-
lagiani; qui, vt fert Angelicus, X causam hanc in- X 2. 2. q.
teriorem, mouentem hominem interius ad assentien- 6. a. 1.
dum his quæ sunt fidei, ponebant solum liberum ar-
bitrium hominis; & propter hoc dicebant, quod
initium fidei est ex nobis, in quantum scilicet ex no-
bis est, quod parati sumus ad assentiendum his, quæ
sunt

sunt fidei; sed consummatio fidei est à Deo; per quam nobis proponuntur ea, quæ credere debemus. Sed hoc est falsum: quia cùm homo, assentiendo his, quæ sunt fidei, eleuetur supra naturam suam, oportet quòd hoc insit ei ex supernaturali principio interiùs mouente, quod est Deus. Et ideo fides, quantùm ad assentiendum, qui est principalis actus fidei, est à Deo interiùs mouente per gratiam. Nota ly *qui est principalis actus fidei*. Cùm enim constet Ephes. 2. *gratia estis saluati per fidem, & non ex vobis, Dei enim donum est*; fit vt principalis actus non possit esse ex nobis. Et sanè cùm 2. Cor. 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex*
A p. p. 23. 5. *nobis*: & nullum anterius principium A inueniri possit, (vt assumit Angelicus) quàm cogitatio; impossibile est, initium fidei, vel benefaciendi, vel prædestinationis esse à nobis. Videant Pelagiani hoc sacro ex textu; si à nobis est fidei *initium*; dum ait, *& cùm audissent, secuti sunt eum*. Qui à se vadit, non propter sequendum alium vadit; quòd si Deus tanquam finis trahit, trahit & vt efficiens; non enim minùs est, primum efficiens, quàm vltimus finis.

5. Quoniam autem ad fidem, nedum concurrit ha-
B p. p. 111. 1. 1. bitus intellectus, quo disponitur B ad obediendum voluntati tendenti in diuinam veritatem: intellectus enim assentit veritati fidei, non quasi conuictus ratione, sed quasi imperatus à voluntate; sed vlteriùs requiritur quòd credibilia proponantur creden-
C 2. 2. 6. 1. ti: (quod requiritur ad hoc, quòd C homo aliquid explicitè credat) quantum ad hoc etiam requiritur quòd fides sit à Deo. Ea enim, quæ sunt fidei, excedunt rationem humanam: vnde non cadunt in cognitionem hominis, nisi Deo reuelante; sed quibusdam quidem reuelantur immediatè à Deo, sicut sunt reuelata Apostolis & Prophetis; quibusdam autem proponuntur à Deo, mittente fidei Prædicatores Rom. 10. *quomodo audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Angeli tamen
D p. p. 111. 1. 1. D operantur aliquid ad illuminationem fidei: immo principaliter, quia per Angelos hominibus reuelantur diuina credibilia, quæ proponuntur. Hic *secutæ sunt turbæ pedestres*: Hieronymus ad literam; *non iumentis, non in vehiculis, sed proprio labore pedum, vt ardorem mentis ostenderent*. At hoc ipse libenter Marco relinquo, qui item pedestres secutas commemorat: Matthæus cohærenter insinuet nulla hominum ope, nullo Prædicatoris vehiculo; sed sola interiori vocatione, non adhuc exteriori coadhibita, ad Christum fidei motu perrexisse. Et per hæc patet responsio ad secundam in Syntaxis initio quæ-
E Apoc. 6. vtroq. Comm. stionem. Equo Apocalypsis 6. E comparantur Prædicatores. Et rursus aliorum Rectores F assimilan-
F Apoc. 8. Com. 2. tur Nauibus, quæ alios portant. Isti sine his vecturis *pedestres venerunt*. Desinat ergo exaggerare Hieronymus Christi misericordiam hoc ex Capite; quia *omnes curat & fidem non expetit*. Non expetit, quia præsumit, nouit immo fidem illorum; nam *accedentem ad Deum*, Hebr. 11. *oportet credere*: sicut Matthæi 9. *videns fidem illorum*: & Act. 14. lumen hoc impertiuit & Petro, qui *videns, quia claudus fidem haberet, vt saluus fieret, dixit magna voce; surge super pedes tuos rectus*. Signum autem, turbas hic habuisse fidem, credidisseque Deum *remuneratorem*, (vt ibi ad Hebræos,) fit cita Domini remuneratio, de qua aliàs Chrysostomus; *statim retributionem acceperunt*.

VERS. XV. *Dimitte turbas, vt euntes in Castella emant sibi escas.*

6. Doctrina fidei sine dubio est cibus animæ, iuxta quòd supra Matthæi c. 4. dixit Dominus; *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. *Iustus* etiam Habacuc 2. & Roman. 1. *ex fide sua viuit*. Ad nostram doctrinam & instructionem discipuli nescios se monstrant mysteriorum Dei: instando veluti, vt turbas, quo sibi de cibo prouideant, dimittat. *Non habent necesse ire*, ait Dominus. Possem vtique sic dimittere, vt nullius ope ministri, præterquam mei auxilio, recèns nata eorum fides, enutrita augeretur; secundum quòd Apostolus nouissimus dicet (ad Galatas 1. *Euangelium non ab homine didici, sed per reuelationem Iesu Christi*: at *non habent necesse ire*. Necesse potius est, vt ab hominibus discant; quia *dispensatores* (1. Cor. 4.) *mysteriorum Dei*, futuri sunt *mei ministri*. In Cœlesti etiam Hierarchia (3. p. 42. 1.) per superiores Angelos, ad inferiores, diuinæ illuminationes deueniunt. Prænunciauit Ieremias c. 3. *Pastores secundùm cor Dei, qui pascant homines scientia & doctrina*. Erit qui scribat: (1. Cor. 3.) *lac vobis potum dedi non escam*: itemque (Hebræor. 5.) quoad Sermones Dei, *facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*: nam, *perfectorum est solidus cibus*. Igitur *date illis vos manducare*. Cùm potens sit Deus per se solum omnia præstare, dignitatem causalitatis dignatus est causis secundis impertiri. Sit ergo sensus; proponite vos credentibus quæ sint credenda. Ita planè factum est. Et per hæc ad quartam, supra quæstionem. Tunc necesse haberent per se ipsos emere sibi escas, quando deessent ministri.

VERS. XVII. *Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.*

Christus Dominus erat multiplicandum granum 7.
in fide populorum, dixit Augustinus. Benè ergo inducitur de panis instar grani sub terra sepulti multipli-
catione. Habemus ex Angelico; F assensus hominis F 2. 2. 6. 1.

ad ea quæ sunt fidei, considerari etiam posse causam exteriùs inducentem; sicut miraculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem, ad exteriorem pertinent causam. Neutrum tamen est sufficiens causa; videntium enim vnum & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem quidam credunt & quidam non credunt. Hanc Diui Thomæ doctrinam habemus in praxi; quando Act. vltimo, Paulo prædicante, *quidam credebant his, quæ dicebantur: quidam verò non credebant*. Quid mirum si Dominus pro causa exteriori miraculum faciat: Interior illuminatio inter visibilia miracula G non nu- G 3. p. 44. 3. ad 1.
meratur. Miracula tamen à Christo facta ordinabantur sicut ad finem, ad sapientiæ illustrationem
H & hominum iustificationem. Vtrumque ergo exe- H ibid.
quitur Dominus impræsentiarum. Iure autem fit in pane miraculum; quia *vnus panis multi sumus* 1. Cor. 10. Quod scopo Matthæi attestatur; qui de Christo prout est etiam vnum cum membris suis mysticis, Euangelium texit. Et sic cohærenter ad ea, quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt de Ecclesia; quæ est I mysticum Christi corpus, commu- I 3. p. 49. 1.
taturque quasi vna Persona cum suo Capite. Porro coniungimur Christo per fidem, per charitatem, ac
per L fidei Sacramenta: conueniens ergo erat, vt ar- L ibi art. 1. 2.
cana significatione, nedum charitas in pane, de quo in Eucharistiæ Sacramento, exclamat Augustinus, ò *Signum vnitatis, o vinculum charitatis!* sed & fides, de qua loquimur, & fidei Sacramenta significarentur. Fides itaque, me iudice, insinuatur duobus in piscibus: nam, vt dictum est de *sagena*, ponitur pro fide piscis, eo quòd latet in aqua, vbi est

profunditas: vnde exponitur ly *Duc in altum* ex Ambrosio, Lucæ 5. *hoc est in profundum disputationum*: Ecclesiastes 7. *alta profunditas; quis inueniet eam?* Duo autem sunt pisces, quia duas in classes primò
distinguuntur credibilia; M nam quædam pertinent M 2. 2. 1. 8.
ad Maiestatem Diuinitatis; quædam verò pertinent ad Mysterium humanitatis Christi. Sicuti duo nobis videnda sunt in Patria; scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos beatos facit; & Mysterium hu-

humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei *accessum habemus*, vt dicitur ad Romanos 5. Vnde Ioan. 17. *hæc est vita æterna; vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Et quoniam sunt quinque panes, & duo pisces, ex quibus septenarius: fas mihi sit opinari, hunc poni numerum, quia circa humanitatem Christi septem percensentur articuli fidei: vt exinde ad septem alios de Diuinitate feramur, *vt per hominem Deum discere incipiamus*; quod ait Hieronymus ad illud *filij Dauid, filij Abraham*, iuxta illud *Pater* (Ioan. 17.) *manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*. Verum si ad Sacramenta diuertamus; ipsa iam numero eodem comprehendi fides docet. Quæ si velimus examinare, dicamus, duo in duobus piscibus significari latuisse in lege, quinque innotuisse; ideoque seiungi. Pulcherrima huc facit Angelici eruditio. N Quædam, inquit, Sacramenta nouæ legis habuerunt in veteri lege Sacramenta figuralia sibi correspondentia: nam circumcisioni baptismus, qui est fidei Sacramentum; vnde dicitur Coloss. 2. *circumcisi estis in circumcisione Domini nostri Iesu Christi, consepulti ei in baptismo*: Conuiuio verò Agni paschalis, respondet in noua lege Sacramentum Eucharistiæ. Omnibus autem purificationibus veteris legis, respondet in noua lege Sacramentum pœnitentiæ. Consecrationi autem Pontificis & Sacerdotum, respondet Sacramentum Ordinis. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout est Sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ; quæ nondum erat facta. Vnde & in veteri lege dabatur libellus repudij; quod est contra Sacramenti rationem. Ecce ex D. Thoma de quinque Sacramentis: hordeaceis panibus dictis à Ioanne, veteri ex lege; qui quoniam exuti corticis duritia, in nouæ legis translati sunt Sacramenta, sunt in causa cur Matthæus Marcus & Lucas, qui documenta nouæ legis, plusquam miraculi circumstantias præ oculis habent, fuisse hordeaceos prætereant. Interserit autem Angelicus, O Sacramento Confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod Sacramentum; quia nondum aduenerat tempus plenitudinis; eo quòd *nihil ad perfectum* (Hebr. 7.) *adduxit lex*. Similiter & Sacramento extremæ vnctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus nondũ patebat, in veteri lege, pretio nondum soluto: *supple*; non potest respondere aliquod ritus veteris quasi præludens Sacramentum. Cur ergo duo hæc veteribus ignota Sacramenta, piscibus latentibus sub aqua non comparemus? Si libet etiam (relictis *duobus piscibus*, pro intellectu duplicis classis articulorum fidei, quemadmodum dictum est:) dic, quoniam quinque sunt sensus in homine, prout ad rem supra tetigimus, dic inquam Sacramenta septem ad eos reduci. Ad tactum quidem tria pertinere videntur, baptismus, confirmatio, extrema vnctio: ad olfactum Ordo: nam sacrificia fiebant *in odorem suauitatis suauissimum Deo*, vtique ab Ordine Sacro: consideratur hoc super illud ad Corinthios P *Christi bonus odor sumus Deo*: ad gustum diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum habens omnem dulcedinem spiritualem: ad auditum confessionis seu pœnitentiæ Sacramentum, quod petit aurem Sacerdotalem, efficitque vt audiamus exteriùs & interius, *ego te absoluo à peccatis tuis* (*soluite iussu quæsumus*.) denique ad oculum videtur reuocari Matrimonium, quod in remedium concupiscentiæ quoque institutum est; quæ per oculos præsertim inardescit, iuxta illud Ecclesiastici 9. *auerte faciem tuam a muliere compta; & ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit*; Ideo Iob 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de Virgine*. Hos panes offerunt promptè discipuli; quia de sapientia dicitur c. 7. *quam sine fictione didici, & sine inuidia communico*. Et ex his ad quintam supra quæstionem.

N p. 2. 102. a. 5. ad 3.

O loc. cit.

P 2. Cor. 2. l. 3.

VERS. XVIII. *Afferte mihi illos huc*.

Debuerunt benedici frangi, dari deinde discipulis, qui darent turbis. Thren. 4. *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Admirare quia pisces sunt & ipsi pro animæ edulio, subticeri de illis, solumque dici de panibus, nulla etiam facta mentione de potu: vt non tam de corporali saturitate, quàm de spiritus alimento intelligeretur miraculum. Dat discipulis Q tanquam mediatoribus: qui deinde sunt distributores. Quàm benè de fide, atque de fidei mysterijs, quorum notitiam ad mensuram dat vnicuique Deus! Rom. 12. *non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei*. Erant quippe, vt subiungit, *& paruuli & mulieres*. Quocirca in Quodlibet. qui doctrinam subtilem & altam proponit rudibus, peccat, quia non sunt capaces, possuntque salutis detrimentum incurrere. Quod tamen non efficit, (quod ad Hebræos ait) vt alia tradantur maioribus & perfectis, alia imperfectis; eadem enim sunt vtrisque tradenda: sed paruulis proponenda non pertractanda, quia intellectus eorum magis deficeret, quàm eleuaretur. Dic tu ideo, non numerari mulieres & paruulos cum manducantibus. Sicut autem Angeli diuinas illuminationes R ad nos deferunt, tanquam à Deo distantes; ita Apostoli euangelicam doctrinam à Christo ad nos detulerunt. Et sicut in veteri Testamento, post legem Moysi legebantur Prophetæ, qui legis doctrinam populo tradebant; ita etiam in nouo Testamento post Euangelium legitur Apostolorum doctrina; qui ea quæ à Domino audierunt, ea tradiderunt fidelibus 1. Cor. 11. *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis* 1. Ioan. 1. *quod audiuimus, &c. testamur & annunciamus vobis*. *Dedit ergo discipulis panes*. Hinc Isaiæ vltimo, *mittam ex eis qui saluati fuerint*, (scilicet ex Iudæis S ad Gentes) *& annunciabunt gloriam meam Gentibus*. 8.

Q D. Th. hic quod l. 5. 25 Hebr. 5 l. 2.

R Prologo in Epistolas Pauli

S 3. p. 42. 1.

In hoc autem quod prius iussit Dominus afferri ad se *panes & pisces*, magnum latet mysterium; pro cuius intelligentia necesse est Angelicum adire *in Compendio Theologiæ* vbi sic habet; T Homo adiuuatur ab homine ad intelligendum, per hoc quòd vnus alteri proponit intelligibile, quod non cõsiderabat: nõ autem ita quòd lumen intellectus vnius hominis ab altero homine perficiatur; quia vtrumque lumen naturale est vnius speciei. Ab Angelo autem potest homo iuuari ad intelligendum, non solùm ex parte obiecti, quod ei ab Angelo proponitur, sed etiam ex parte luminis; quia lumen naturale Angeli est secundùm naturam sublimius naturali lumine hominis: Et sic per lumen Angeli confortatur. Deus autem hominem iuuat ad intelligendum, non solùm ex parte obiecti, quod homini proponitur à Deo, sed etiam per additionem luminis. In ijs autem, quæ excedunt naturalem cognitionem, indiget homo V supernaturali illustratione, superaddita naturali illustrationi. Quid mirum ergo, aio ipse, si Dominus suis in manibus vult prius, quæ discipuli deinde distribuant? vult benefacere, quia *benedixit, aspiciens in Cœlum*, ad innuendam crediderim, quam impertiebat illustrationem menti tactu obiectorum. Lux quippe de Cœlo est; estque qualitas primi corporis alterantis. At in Iob legimus c. 36. *in manibus abscondit lucem*. Et quia in doctrina sana ædificatur Ecclesia; & Zacharia 4. dicitur, *manus Zorobabel fundauerunt Domum istam* X idest Ecclesiam 9.

T opusc. 1. vel 2. cap. 129.

V p. 2. 109. a. 1.

X Hebr. 11 l. 1.

cle-

clesiam, cuius fundamentum est fides, Christusque qui de genere Zorobabel descendit, fundauit eam: ideo dic in manibus habuisse panes & pisces. Iubet autem sedere *super fœnum*: ne fundari solidarique credatur fides in terrena, de qua Iacobus c. 3. sapientia. Debile est quodcumque de terra enascitur argumentum; omnis humana ratio instar fœni: quod immo si intendat mysteria fidei euincere, nedum respui, sed & calcari debet; quoniam, vt ait Gregorius; *fides non habet meritum, vbi humana ratio*
A 2.2.q. 2.a.10. *præbet experimentum*. Credere debet homo ea A quæ sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem diuinam. Et hoc significatur Ioan. 4. vbi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana figuratur, dixerunt; *iam non propter tuam loquelam credimus*. Sanctus Leo Papa Ser. 7. de Natiuitate Domini; *diuina est auctoritas, cui credimus, diuina est doctrina, quam sequimur: abigatur procul terrenarum caligo rationum; & ab illuminato fidei oculo, humanæ sapientiæ fumus abscedat*. Diuus Hilarius vt in Sylua Laureti, super illud ps. 146. *qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum*, rudiorem intelligit doctrinam. Adnecte illud Iob 35. *qui docet nos super iumenta terræ*. Posterganda est ergo, non præhabenda, vt inducens ad fidem, ratio humana: nam sicut passio præcedens electionem in virtutibus moralibus, diminuit laudem virtuosi actus, qui debet esse propter iudicium rationis, non propter passionem: ita ratio humana præinducta diminuit meritum fidei: vt ibi docet Diuus Thomas. Et hinc ad sextam Quæstionem. *Collegerunt* autem Apostoli *duodecim cophinos*: certè ad innuendum ipsorum integrum numerum, qui Symbolum condiderunt.

10. Qui articulos ergo distinxerunt, feruntur hoc ordine Apostoli. Petrus B tres in vnum complexus
B 3. sent. 25. q. 1. a. 1. est, scilicet articulum de vnitate Essentiæ, de omnipotentia Patris, & de opere creationis: ideo quia opus creationis propter potentiam, quam indicat, Patri appropriatur, qui est etiam fons totius Deitatis. Et competit Petro, qui est Caput Apostolorum; sicut Pater Trinitatis. Posuit autem Ioannes articulum de Persona filij. Articulum autem de conceptione & natiuitate coniunxit in vnum Iacobus Zebedæi. Articulum autem de passione posuit Andreas. Descensum ad inferos posuit Philippus. Resurrectionem Thomas. Ascensionem Bartholomæus. Aduentum ad iudicium Matthæus. Articulum de Spiritus-Sancti Persona Iacobus Alphæi. Opus gratiæ diuiserunt duo Apostoli. Nam Simon posuit effectum gratiæ in consecutione Boni; scilicet *Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem*: Iudas Iacobi, quantùm ad remotionem mali, scilicet *peccatorum remissionem*. Effectum gloriæ posuit Mathias; vel iterum Thomas, vt quidam dicunt. Alij autem aliter prædictos articulos attribuunt Apostolis. Ruffinus Præsbyter Aquileiensis *in expositione Symboli ad Laurentium Papam* sic fert Historiam: *tradunt Maiores nostri, quòd post Ascensionem Domini, cùm per aduentum Spiritus-Sancti supra singulos quosque Apostolos igneæ linguæ sedissent, &c. omnes in vno loco positi, & Spiritu-Sancto repleti breue istud futuræ prædicationis indicium, in vnum conferendo, quod sentiebant, vnusquisque componunt; atque hanc credentibus dandam Regulam statuunt. Symbolum autem, græcè, & indicium dici potest & collatio: hoc est quòd plures in vnum conferunt. Indicium autem idcirco dicitur: per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundùm Apostolicas regulas prædicaret, &c.* Sed in ordine non est magna vis. Ad hæc Angelicus alibi;
C loa. 6, l. 1. C præmisso significari Apostolos in Cophinis, ait; spiritualium Sacramentorum delicijs sunt interiùs refecti: qui duodecim esse dicuntur, quia fides Sanctæ Trinitatis per eos prædicanda erat, in quatuor partibus Mundi. Fortè dico ipse, quia sic disseminanda erat fides, vnicuique secundùm quòd Deus diuidit, vt dictum est; ideo, fragmentorum dicuntur tulisse reliquias. Ly *tulerunt*, idem est ac portauerunt. Sic & Paulus factus est *vas electionis, vt portaret nomen Domini, coram Gentibus, & Regibus & filijs Israel*. Iesus autem panis est: Ioann. 6. *ego sum panis viuus*. Dominus Matthæi 26. *panem benedixit ac fregit*. Apostolus 1. Corinth. 10. ait, *panis quem frangimus*: frangit Sacerdos etiam in Missa. Quorsum? Respondeo; fractio hostiæ tria significat; D primò quidem ipsam diuisionem Corporis Christi, quæ facta est in passione: secundò distinctionem Corporis mystici, secundùm diuersos status: (opportunè ad Syntaxin, iuxta Matthæi scopum) tertiò distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi; vt Dionysius dicit 3. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Tulerunt* ergo *fragmenta*, seu potiùs *reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos*. *Plenos* autem ait Cophinos; quare? Docet Angelicus, qualiter E illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Ioannes Baptista, vel post, sicut Apostoli, pleniùs mysteria fidei cognouerunt. Sic in Hymno *musto madere deputant, quos spiritus repleuerat*. Et Spiritus-Sanctus Actor. 2. *repleuit totam domum, vbi erant sedentes*. Pleni autem adhuc meritò perhibentur Cophini, quia vt aiebat profanus; *nobilis possessio sapientia est, auarum dedignata possessorem, quæ distributa suscipit incrementum*: & ex Angelico *charitas* F *augetur si admittit consortium*: Receperunt ergo Apostoli, vt dicitur Roman. 8. *primitias spiritus*, cæteris scilicet G abundantiùs, & tempore prius; nam dedit discipulis panes, discipuli autem turbis, vt hic legimus. Et ideo ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt immediatè ab ipso Christo accipientes, alijs traderent H ea quæ pertinent ad salutem; & sic in eis Ecclesia quodammodo fundaretur, secundùm illud 1. Corinth. 12. *Deus posuit in Ecclesia, primùm quidem Apostolos*. Non sic in turbis huiusmodi subita plenitudo; sed diuina dispensatione gradatim: ad quod significandum, fas sit credere in hoc augmento panis & piscium patrare voluisse prodigium. Etsi enim, vt animaduertit Ambrosius de vocatione Gentium libr. 2. capit. 3. *frequenter potens & misericors Deus quibusdam mentibus, non expectata profectuum mora, totum simul quicquid collaturus est, inuehat: multo tamen crebrior multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat, accrescit: vt conferendorum munerum causæ, de ijs quæ sunt collata, pariantur*. Ad hoc est quod dicit Hilarius; *crescit deinde materies, nescio in mensarum loco, aut in sumentium manibus*. Idem Ambrosius cap. 2. *quamuis per ministros verbi & gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicetur, eadem exhortatio adhibeatur: hi qui ministrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum, ad quem illos incrementi Auctor euexerit*. 1. Corinth. 3. *ego plantaui, Apollo rigauit; sed Deus incrementum dedit*. Adde iterum Apostolum (ad rem nihil magis) qui 2. Corinth. 9. quasi tangeret præsens miraculum ait; *qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit; & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*. Et ecce cur viri numero sint determinato ad quinque millia, *qui in perfectum virum* ait Hieronymus, *creuerant*: aliorum pars paruulorum & mulierum paulatim virtute crescentium,

Right margin notes: D 3. p. 83. a. 5. ad 7. — E 2.2. q. 1.7.4. — Seneca; — F 4. sent. d.45. q.2. a.4. q.2. — G Rom. 8. l. 5. — H loc. cit.

tium, *numerosior est*, ex Ambrosio. Apostoli tulerunt fragmenta, tum ad innuendam sibi commissam populo distributionem; tum etiam, vt de vnoquoque illorum dici queat cum profano; *quæ sparguntur in omnes, In te mista fluunt, & quæ diuisa beatos efficiunt, collecta tenet.* Et ex his rursus ad quintam Quæstionem vbi supra. In pane denique patratur miraculum, quia argumento est panis diuinæ prouidentiæ: iuxta illud Genesis 28. *si dederit mihi panem ad vescendum, &c. erit mihi Dominus in Deum.* Hoc nomen quippe *Deus* I à prouidentia, græcè attenta etymologia, est impositum. In fide autem prouidentiæ, includuntur L omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via in beatitudinem. Illi autem quibus reuelatio specialis non fuit facta de Christi mysterio, saluati non sunt absque fide Mediatoris M quia habuerunt fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi placitos. Dic ergo iuxta turbarum fidem, miraculum fieri. Sicuti etiam statim visis turbis curauit languidos eorum, in remunerationem, vt dictum est. Fidem autem etiam Gentiles, qui fuerunt saluati, habuerunt saltem de Deo remuneratore; N quæ remuneratio non fit nisi per Christum.

I p.p. 13. 8. 1.
L 2. 2. q. 1. 7. in corp.
M 2. 2. q. 2. 7. 3. & Hebr. 11. l. 2.
N Hebr. 11. l. 2.

VERS. XXII. *Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in Nauiculam.*

11. Quid isthæc discipulorum compulsio? Marcus dicit; *& statim coegit discipulos.* Si de fide agimus; ex Augustino Tract. 26. in Ioannem *cætera potest homo nolens, credere verò non nisi volens.* Dices fortè indicari eos, qui semel fidem susceperunt, O qui iuremerito cogi possunt; nam sicut vouere est voluntatis, reddere verò necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam est necessitatis. Hinc illud Lucæ 14. compelle intrare, vt impleatur Domus mea; nam homines in Domum Dei, idest in sanctam Ecclesiam intrant per fidem. Sic ergo, dum stat pro Ecclesia & Nauicula, fortè etiam ly *compulit* ostendit quomodo sit assensus fidei; quia per habitum fidei disponitur P intellectus ad obediendum voluntati tendenti in diuinam veritatem: & ideo intellectus assentit veritati fidei, quasi imperatus à voluntate, licèt non conuictus ratione. Hinc in ordine ad Deum, Apostolus Rom. 1. *ad obediendum*, inquit, *fidei*: scilicet vt faciamus homines fidei P obedire: nam in ijs obedientia locum habet, quæ voluntariè facere possumus: his autem quæ sunt fidei, voluntate consentimus, non ex rationis necessitate, quia sunt supra rationem. Meritum enim fidei consistit in hoc Q quòd homo ex obedientia Dei, assentit illis, quæ non videt. Ipsum quippe credere est actus intellectus assentientis veritati diuinæ ex imperio R voluntatis à Deo motæ per gratiam; & sic subiacet libero arbitrio, in ordine ad Deum. Vnde actus fidei potest esse meritorius. Ea autem quæ sunt necessaria ad salutem, S (huiusmodi fides est Hebr. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere: &, sine fide impossibile est placere Deo:*) cadunt sub præceptis diuinæ legis. Lex autem, vt apud Iuris consultores, vim habet imperatiuam & coactiuam. In hoc ergo sensu benè stat *coegit*; seu compulit eos *ascendere in Nauiculam*.

O 2. 2. 10. 8.
P p. p. 111. 1. ad 1.
P Rom. 1. l. 4.
Q 3. p. 7. 3. 3.
R 2. 2. 2. 9.
S 2. 2. q. 3. 2.

12. Ipse nihilominus altiorem velim delibare intelligentiam. Absit vt sonet cogi voluntatem. Fixum sit, liberum arbitrium voluntatemue T nec cogi nec posse cogi. Proprium quippe est Dei, qui Philipp. 2. *operatur in nobis velle & perficere*, voluntatem mouere; V nec tamen eam cogit; quia quod mouetur ab eo quod sibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi. Vnde sicut non est contra naturam, X quod Deus in rebus naturalibus operatur, quia inclinatio naturalis à Deo est; ita non est contra arbitrij libertatem, si Deus voluntatem hominis mouet, quia & inclinatio voluntaria à Deo est: quia Deus mouet secundum quod competit rerum naturis. Sic iustificare homines, non conuenit nisi eis volentibus: hoc enim esset A & contra rationem iustitiæ, quæ rectitudinem voluntatis importat, & etiam contra rationem humanæ naturæ, quæ libero arbitrio ad bonum ducenda est, non autem per coactionem. Christus ergo virtute diuina homines iustificauit, non tamen eis inuitis. Verum his omnibus iure probatis, efficax est diuina motio; tum quia diuina *sapientia* (Sapient. 8.) *attingit à fine, vsque ad finem fortiter*; tum quia Ieremiæ 18. *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*; tum quia *cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit* (Prouerb. 21.) *inclinabit illud*. Vnde ad significandam huiusmodi Dei cor mouentis facultatem ad credendum, quod est ascendere in Ecclesiæ nauiculam; factum est, vt renisu illo discipulorum exteriori attento, pronunciarint profundè Euangelistæ *& compulit*, & *coegit eos*. Sed ea simili forma, qua discipuli euntes in Emmaus coegerunt illum; *mane nobiscum*. Porrò si Dominus ipse Ioann. 6. prompsit, *nisi Pater qui misit me, traxerit eum, nemo potest venire ad me*: quid absurdi est; quando per fidem ex Apostolo ad Deum accedimus, (Hebræor. 11. accedentem ad Deum, oportet credere,) vt vel trahi, vel compelli, vel cogi sano modo dicamur? *Trahe me post te*, etiam in Canticis. Augustinus; *porrò si Poetæ dicere licuit, trahit sua quemque voluptas; non necessitas, delectatio*: nec nos inuiti credimus. Sed quia ad credendum diuinus requiritur impulsus; neque enim est à nobis vel minimum fidei initium; ideo vt hoc intelligatur, ait; *compulit*. Qui sunt *filij Dei* ex Apostolo Roman. 8. *spiritu Dei aguntur*. Credunt (formata fide) filij Dei prædestinati; sicut Act. 13. *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Magna vis gratiæ!* exclamat Augustinus. Alibi docet Angelicus in Scripturis puta apud Ezechielem, B cœlestes spiritus animalia dici ex vehementi irradiatione diuina; qua potiùs quasi aguntur, quàm agant. Etiam ne lædi videatur in credendo libertas voluntatis, postquam dictum est, *statim compulit*: (ly *statim* etiam impulsum diuinum indicat, quo trahimur ad fidem: *factus est repentè de Cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*) sequitur, *donec dimitteret turbas*; certè vt liberè quò vellent, pergere possent. Pulchrum specimen mox adhibitum libertatis. Iob 39. dicitur de homine sancto C sub figura Onagri, *quis dimisit Onagrum liberum, & vincula eius dissoluit?* Liceat respondere hoc ex textu: ille qui dimittit turbam. Sed Onager, qui liber dimittitur, nedum nostram præsefert sub ænigmate libertatem, quatenus neminem cogit Deus ad virtutem: sed symbolum esse potest in ordine adhuc naturæ; quia *Deus* (Ecclesiast. 15.) *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Et sic in Iob habetur, *circumspicit montes pascuæ suæ*, quia liberius euagatur ad pastum, vt ibi ait D. Thomas. In turba possunt intelligi minores, de quibus Iob 1. *boues arabant, & asinæ pascebantur*: minores scilicet D ex Gregorio per asinos significati. Et sic & paruuli dimittuntur; quia, vt ait Augustinus, nullus homo siue maioris siue paruæ ætatis E saluari potest sine sana fide. Dum ergo discipuli cōpelluntur, turba in libertatem remittitur: his impulsus diuini in discipulis agnoscitur; his libertatis in

T 2. sent. 25. q. 1. 2.
V p. p. 105. 5.
X opusc. 2. c. 129.
A 3. p. 44. 3.
B opusc. 20. lib. 2. c. 16.
C Apoc. 12. Com. 2. § & draco.
D 2. 2. q. 2. 6.
E Ibi art. 7.

in turbis deprehenditur: ideo sibi quodammodo vicissim respondent & colligantur; *compellit, donec dimittat*. Et ex his ad octauam Quæstionem. Et mirè dimissa turba *ascendit solus in montem orare*: quia nisi Dominus Iesus pro nobis liberis oret, libertatis dono in malum facilè abutimur. Ad hæc Hebræor. 7. *vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum, semper viuens ad interpellandum pro nobis*: & 1. Corinth. 2. *aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*. Et opportunè Dominus orat, dum nauicula in medio mari iactabatur fluctibus. Iactari sic nolebat fideles Apostolus, qui toties vt stemus admonet; Roman. 11. *tu autem fide stas*; 1. Corinth. 16. *state in fide, viriliter agite*. Et quoniam fides Hebr. 11. *est substantia sperandarum rerum*: de spe, quæ comes est fidei, fideique signum; secundùm illud; *& expecto resurrectionem mortuorum*, de spe inquam innuitur, dum *cessauit ventus*. Spem Hebr. 6. *sicut Anchoram habemus animæ, tutam ac firmam*; quia sicut Anchora in mari F nauem immobilitat, ita spes animam
F Hebr. 6. l. 4. firmat in Deo, in hoc Mundo, qui est quasi quoddam mare: ps. 103. *hoc mare magnum*, &c. *ventus contrarius*, ergo, vt mihi videtur, est aliqua contra fidem, præsertim suggerente Diabolo, tentatio. Iob 1. *repente ventus vehemens irruit à regione deserti*.

VERS. XXV. *Quarta autem vigilia noctis*; &c.

13. Mirum tam serò venisse ad eos Dominum: & *quarta vigilia noctis*; cùm aliàs apud Lucam c. 12. legamus; *& si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit*: nullaque de quarta fit mentio. Sed noctu venit, me iudice, vt indicet, vnde ortus esset ventus, seu de fide tentatio: nimirum quia fides obscuritatem habet, cùm sit Hebræor. 11. *argumentum non apparentium*; ideoque *videmus nunc* 1. Corinth. 13. *per speculum in ænigmate*: per
G 2. 2. q. 1. fidem enim creduntur ea, quæ non G non videntur:
H 2. 2. 2. 5. nam non possunt H quæ fidei sunt, esse scita. Ad hoc etiam innuendum puto semel & iterum v. 15. & v. 23. legi; *vespere autem facto*. Vt quid repetitio isthæc? Et si, cùm discipuli suadebant Domino vt dimitteret turbas, vespere factum erat; quare iteratò id inculcat? Certè ad mysterium etiam, quia ad diuina & intellectualia, se habet oculus animæ, sicut oculus vespertilionis, vt ait Philosophus, vespere prodeuntis, vbi claram nequiuit antea sufferre lucē. Verùm, quia fidei nostræ obscuritas coruscabit in lucem, quando 1. Ioann. 3. *videbimus eum sicuti est*; & quia *dies* vt ait Apostolus Rom. 13. *appropinquauit*; ideo non quacumque vigilia, sed postrema noctis apparet Dominus; quia fides à claritate visionis non multùm abest; sed est quasi diluculum (quod dicitur quarta vigilia) illius claræ diei, de qua legimus, Zach. 14. *erit dies vna, quæ nota est Domino*; *& melior est dies vna in atrijs tuis*, psal. 83. Et Apostolus Petrus memor noctis præsentis in sua 2. c. 1. præmisso de prophetico Sermone *quasi lucerna in caliginoso loco lucente*, subdit, *donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris*. Lucifer prope diem oritur; quemadmodum, & quarta vigilia noctis diei appropinquat. Petrus tangit hanc noctem suæ obscuritatis non immemor, sicut Matthæus expendit impulsum, vocationis, sui ipsius conscius. Et per hæc ad duodecimam, & tertiamdecimam quæstionem.

VERS. XXVI. *Et videntes eum turbati sunt dicentes, quia phantasma est*.

14. Omnia obscuritati fidei, etiam Domini apparitio adstipulantur: & tamen Dominus firmitatem ostendit eiusdem fidei, & securitatem *ambulans super mare*. Et quia *animosa* ab Angelico dicitur fides; (in Sequentia; *quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*.) ecce in Petro, excusso timore demersionis, animositatis symbolum, dum spretis fluctibus, mare cupit inambulare, in typum fidelium, sicco firmoque pede. Et si permittitur hæsitare ad *ventum validum*: hoc fit vlteriùs, ad aliam insinuandam doctrinam: & quia vt stabiles simus in fide, à Deo est: & quia perseuerantiæ donum solus ex gratia Deus elargitur. Quod quidem, quamquam suis locis passim per Theologos tractetur, nusquam tamen lepidiùs enucleatur ab Angelico; atque in *Contra Gentes*. Ostendit igitur, I indigere hominem auxilio gratiæ ad perseuerandum in bono, I 3. cont. G. c. 95.
præ alijs multis rationibus; quia potestas liberi arbitrij, est eorum, quæ sub electione cadunt: quod autem eligitur est aliquod particulare operabile; particulare autem operabile est, quod est hic & nunc. Quod igitur cadit sub potestate liberi arbitrij, est aliquid nunc operandum; perseuerare autem non dicit aliquid, vt nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus. Iste igitur effectus, qui est perseuerare in bono, est supra potestatem liberi arbitrij: indiget igitur homo ad perseuerandum in bono, auxilio diuinæ gratiæ. Sed hic insurgit consecutiuè obiectio. L Nullus tenetur ad id, quod L 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1.
non est in eius potestate &c. Respondet; quòd si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ; sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante; sicut ad diligendum Deum & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; &c. Adde aliunde; M quòd illud quod possu- M p. 2. 109. a. 4. ad 2.
mus cum auxilio diuino, non est nobis omnino impossibile, secundùm illud Philosophi in 3. Ethicorum: *quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus*. Clamemus ergo cum Petro; *Domine saluum me fac*. Ambrosius adhæc lib. 2. de vocatione Gentium c. 3. *quidam accepta fide, diffidentia non carent*, quam inesse sibi nouerat qui dicebat Marci 9. *credo Domine, adiuua incredulitatem meam*: quam nec illi abesse penitus à suis animis sentiebant, qui dixerunt Lucæ 17. *Domine auge nobis fidem*. Subditque *quoniam perseuerari in eo non potest, quod non ex toto corde diligitur*. Hinc, *continuò Iesus extendens manum*; oh Deus, quàm verum est, *antequam clament, ego exaudiam*! vt ait Isaias c. 65. manum extendit; vt monstret ea largitrice, fidem donum Dei esse, Ephes. 2. *vt ne quis glorietur*. Isaiæ 10. *nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?* Et ecce mirè ab Euangelista insinuari manus Domini effectum, nam *cessauit ventus*: & qui in Nauicula erant, *adorauerunt eum dicentes*; *verè filius Dei es*: non tam ex facto, quòd cessasset, aut aliunde; (cùm post ingens miraculum de panibus nullus legatur Christum confessus filium verè Dei) sed vt series & procursus fidei in anima capiatur; quia Philipp. 2. *operatur in nobis & velle & perficere*: & quia Rom. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Et per hæc ad decimam, & vndecimam quæstionem. Hic tamen notasse sensisse Chrysostomum infra *in Catena* c. 16. imperfectam fuisse existentium in Naui confessionem; vt adoptiuum Dei filium æstimarint, tanquam esset ad summum præcipuus præ multis; non verò attigisse, vt esset ex substantia Patris. Et ita sentit, quia hac ex confessione non denunciantur beati; sicut Petrus infra c. 16. Quidquid sit: saltem processus ad veram fidei confessionem indicatur.

VERS. XXXIV. *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar*.

Paulo ante turbæ venerunt ad Dominum, modò it 15.
ipse veluti obuiam turbis. Id ipsum est ac quod dicitur Iacobi 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: & Sap. 6. *praeoccupat qui se concupiscunt, vt*

 illis

illis se prior ostendat: & priùs, *inuenitur ab his, qui quærunt illam*. Interuenit, me iudice, quædam sancta mutua æmulatio & innuitur desideranda reciproca solicitudo. Threnorum 4. *converte nos Domine ad te, & conuertemur*: & Zachariæ c. 1. *conuertimini ad me, & conuertar ad vos*. Quamuis enim sit ipse, quemadmodum prima causa, ita & primum mouens; & hoc quod est ad eum nos conuertere, sit ab eo cor nostrum conuertente; nihilominus, ne torpescat anima, sed conetur ad Deum; veluti nostram voluntatem expectaret, quam ipse præmouet, sic loquuntur Scripturæ: vt tanto in arcano, hoc vnum sciatur, desides, & otiosos nolle Deum homines; sed sic velle eos, vt velint & ipsi, saluare: pulchra quasi æquiuocatione Prou. 8. *ego diligentes me diligo*. Quod est esse ab eo & gratiam præuenientem & subsequentem; operantem, & cooperantem;
N p. 2. 111.2.3. N de quibus suis in locis. Et qualiter ipse præueniat, indicat vel ipsa vox *Genesar*: græco enim vocabulo est quasi *generans auram*, vt ait Rabanus, fertque etiam Angelicus O in Machabæos: vel hebraicè à
O Mach. 2.c.11. radice *ngan* quæ sonat Hortum, vt hic apud Diuum Thomam. Ex vtraque enim etymologia trahitur; Deum suis nos præuenire ad fidem inspirationibus: quemadmodum cum quæreret Adam, ambulauit in Horto ad auram. Et hæc potest esse profunda ratio, quare nec ad mare Galilææ, nec ad mare Tiberiadis, aut Capharnaum, vt ait Ioannes, dicantur appulisse: vt loci nomen altum indicaret mysterium. Et per hæc ad quartamdecimam quæstionem.

VERS. XXXV. *Et cum cognouissent eum viri loci illius*; &c.

16. *Fides* ex Apostolo ad Gal. 5. *per charitatem operatur*; fides formata charitate, est ex qua consurgit Christi corpus, Ecclesia. Ecce ad proximos ardenter extendi; nam *viri miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes*. Modò dignosco, qui sint viri illi quinquies mille; qui alios scilicet adducunt ad Christum, perfecti videlicet fide & charitate. Apoc. 22. *qui audit, dicat veni*. *Andreas*, qui Ioannis 1. adduxit Simonem Petrum ad Iesum, interpretatur *virilis*. Ex Angelico etiam ad Ephes. 4. l. 4. corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ob perfectionem dicitur virile corpus: *in virum perfectum*. Et quare tangere nituntur fimbriam vestimenti? vtique fidei protestatione, iuxta quod supra dixit mulieri, quæ fimbriam eius tetigerat; *fides tua te saluam fecit*. Ita & hic, *quicumque tetigerunt salui facti sunt*. Miracula Christi
P 3.p.44. 3.1. ordinabantur P sicut ad finem, ad rationalis partis salutem. Ephes. 2. *gratia estis saluati per fidem*.

17. Vnum superest quod intermisimus soluere, septimò scilicet quæsitum. Cur hoc primum de quinque panibus singuli ferant miraculum Euangelistæ, non sic sequens de septem panibus? Cui non difficile fuerit fieri satis, si quid per hoc & illud significari voluerit Dominus, pensetur. Exposuimus primum de Christianæ fidei, cœlestisque doctrinæ pabulo; ita vt in vnum coalescant documentum & panes & pisces; ex quo, legimus dedisse discipulis panes subticendo de piscibus: cùm tamen nedum panes, sed & pisces à discipulis præaccepisset. Vnusquisque autem Euangelista sic scopum suum exequitur, vt fidem astruat, *sine qua impossibile est*, Hebræor. 11. *placere Deo*, salutemque animarum assequi: iuxta illud 1. Petri cap. 1. *reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*. Igitur, quia tenetur homo cre-
Q 2. 2. q.1.a.5.6. 7. & 8. dere fidei mysteria etiam Q explicitè; idcirco ab omnibus Euangelistis oportuit huiusmodi signum denarrari: singillatim tamen annexa referendo, quæ ad proprium vniuscuiusque facerent institutum. Sic quoniam per fidem vnimur tanquam membra Christo Capiti; (hoc est Matthæi generale assumptum) pleraque Matthæus inducit, quæ fidem veluti qualificant, puta de Petri hæsitatione: quæ alij tacent. Sic Marcus nedum super *fœnum* sedisse commemorat turbas, sed super *viride fœnum*; quoniam ipse resurrectioni nostræ insistit: cui viriditati vitali, mortis est coopposita ariditas: de qua Ezechielis 37. *ossa arida audite verbum Domini*. *Secundùm contubernia* etiam sedisse Marci fuit referre; ad innuendum animarum suis in corporibus futurum aliquando contubernium, vnionisque mutuam societatem. Idcirco nedum per *quinquagenos*, sed *per centenos* perhibentur discubuisse: quod, si placet, item resurrectionem insinuet: nam *in virum perfectum*, nos resurrecturos attestatur Apostolus ad Ephesios 4. hanc autem perfectionem centenarius numerus potest congruenter importare. Qui aliàs, cùm ex duplici quinquagenario surgat, consequi ad duplicem animæ & corporis requiem designatur. Sic Lucas solummodo dicit, *discumbere* iussos *per conuiuia quinquagenos*: quia veterem ipse, vt videbimus, versat legem, in nouam ostensurus migrasse. Veteris autem legis famosus erat numerus quinquagenarius, vt patet Leuitici 25. nam quinquagesimo anno remissio erat; vt si quis distraxisset possessionem, eam reciperet; si liber in seruitutem venisset, reciperet libertatem; indulgentiam debitor reciperet; exul rediret ad Patriam. Quare cùm sit annus quinquagesimus, pœnitentiæ & remissionis, meritò Lucas Iudæos suo Euangelio conueniens, de quinquagenis recolit, vt iubilæi instante tempore, reuocet ad pœnitentiam: qua exhortatione & Petrus Actor. 2. *pœnitentiam*, inquit, *agite; & baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; & accipietis donum Spiritus Sancti*. Quinquagesimo quippe die venit Spiritus Sanctus super Apostolos: Ioannes etiam hoc miraculum scribit, sed circumstantijs nouis. Ait enim fuisse panes hordeaceos; puerumque adfuisse, qui eos habebat. Fortè illud attulit tanquam præparatorium ad miraculorum maximum eucharisticum, de quo mox erudit. Hordeum atteritur; sed ex Angelico, R non fit panis suauis sicut triticeus: item R Apoc. 6. Com. 2.
etsi reficiat hordeum, minùs tamen, quàm triticum. Belle ad superexcellentiam Sacramenti, quod nonnisi in pane triticeo conficitur; qui proinde suauitate ineffabili præpollet, spiritalique enutritione: secundùm quod Sapientiæ 16. dicitur; *paratum panem de Cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem*: & in psalm. 147. *adipe frumenti satiat te*. Et adhuc idcirco retulit Ioannes, hordeaceos fuisse panes: eoquòd Christi Diuinitatem, mysteriumque subinde Sanctissimæ Trinitatis pro captus nostri modulo edisserere intendit. Huiusmodi autem myste-
rium, ad cuius fidei medullam nemo S in hac vita plenè pertingere potest; (vnde nedum disputare, sed etiam de eo formidamus cogitare) rectè non tritico sed hordeo comparatur. Sic ad illud *tres bilibres hordei* sexto Apocalypsis. Quemadmodum autem notatur ex Augustino in lib. 83. q. 61. hordei medulla tenacissima palea tegitur. Verùm de his vberiùs dicendum, cùm aderit locus. Sicuti quare secundum signum sequentis capitis solus Marcus recolat, postea dicetur. S Apoc. 6. Com. 4.

CAPVT XV.

1 *TVnc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes:* 2 *Quare disci-*
puli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas cum pa-
nem manducant. 3 *Ipse aut respondens ait illis: Quare & vos transgredimini man-* Exod. 20.
datum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: 4 *Honora patrem, & matrem, &* c.20. Deut. 5. b
qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 5 *Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri,* 16.
vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: 6 *& non honorificabit patrem suum,* Eph. 6. a. 2.
aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7 *Hypocritæ,* Exod. 21.
benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: 8 *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum lon-* c.16. Leuit. 20.
gè est à me. 9 *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* 10 *Et* b.9.
conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. 11 *Non quod intrat in os, coinquinat* Prou. 20. c.20.
hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12 *Tunc accedentes discipuli eius,* Isa. 29. d. 13.
dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? 13 *At ille respondens ait:* Mar. 7. a. 6.
Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. 14 *Sinite illos: cæci sunt,* Ioan. 15.
& duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. 15 *Respondens* a.2.
autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. 16 *At ille dixit: Adhuc & vos sine* Luc. 6. f.
intellectu estis? 17 *Non intelligitis quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit: & in seces-* 39. Marc. 7.
sum emittitur? 18 *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem:* c.17.
19 *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa te-*
stimonia, blasphemiæ: 20 *hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus man-*
ducare, non coinquinat hominem. 21 *Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.*
22 *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili* Marc.
Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. 23 *Qui non respondit ei verbum. Et accedentes di-* c.25.
scipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. 24 *Ipse autem respon-*
dens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. 25 *At illa venit, & ado-* Sup. 10. a. 6.
rauit eum, dicens: Domine, adiuua me. 26 *Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem* Ioan. 10.
filiorum, & mittere canibus. 27 *At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis* a.1.
quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28 *Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna*
est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. 29 *Et cum transisset inde*
Iesus, venit secus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi. 30 *Et accesserunt ad eum* Isa. 35. b.
turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos 9.
ad pedes eius, & curauit eos: 31 *ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos*
ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel. 32 *Iesus autem, conuocatis discipu-* Marc. 8.
lis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod mandu- a.1.
cent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. 33 *Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo no-*
bis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam? 34 *Et ait illis Iesus: Quot habetis*
panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. 35 *Et præcepit turbæ, vt discumberent*
super terram. 36 *Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit disci-*
pulis suis, & discipuli dederunt populo. 37 *Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod*
superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. 38 *Erant autem qui manducauerunt, qua-*
tuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres. 39 *Et, dimissa turba, ascendit in nauiculam:*
& venit in fines Magedan.

VERS. I. *Tunc accesserunt Scribæ & Pharisæi.*

VERS. II. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum?*

1. A 2. Thes. 2, b.3. Traditiones A dicuntur Maiorum documenta. Simpliciter etiam in statu veteris legis minimè vituperantur traditiones: nam de huiusmodi ait Apostolus ad Galatas 1. *abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum; quas* scilicet B (B Gal. 1. b.3.) ex glossa, *Iudæi habebant licitas*, quas *boni Patres addiderunt*. Nec obest illud Deuteronomij 4. *non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis*: intelligitur enim, *non addetis* contrarium vel extraneum verbis, quæ ego loquor. Addere autem aliqua, quæ non sunt contraria, licuit eis: scilicet aliquos dies solemnes, & alia similia; sicut factum est tempore Mardochæi, & tempore Iudith in memoriam beneficiorum, quæ à Deo recipiebant. Eas ergo traditiones, quæ ad mandata Dei C ordinantur, seruare (C 2. Thes. 2. b.4.) licet. Quòd si contrarientur documentis fidei, haud quaquam seruandæ sunt. Sic & in noua lege. Vnde Paulus Act. 16. docebat vt tenerent traditiones & documenta, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Ierosolymis, &c. Et has traditiones dupliciter ediderunt, quasdam verbis, quasdam in Scripturis: *tenete traditiones* (ibi ad Thess.) *quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Vnde patet, quòd multa in Ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis docta; & ideo seruanda. Nam multa secundum iudicium Apostolorum, melius erat vt occultarentur, vt dicit Dionysius. Vnde Apostolus 1. Corinth. 11. *cætera cum venero,*

D 1. Cor. 11. l. 7. in calce.

disponam. Ex hac enim authoritate patet, D quòd Ecclesia multa habet ex dispositione Apostolorum, quæ in sacra Scriptura non continentur. Esto traditionis canonicæ exemplum apud Angelicum: qui tractans de Calicis, seu vini consecratione, in qua dicitur *æterni testamenti*, & *mysterium fidei* E ait ly *æterni*, & iterum *mysterium fidei* ex traditione Domini haberi, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit; secundum illud 1. Corinth. 11, *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Decuit autem sic fieri, quia vt ibidem ait, Euangelistæ non intendebant tradere (scripto nimirum) formas Sacramentorum; (dic excepta baptismi, primò necessarij) quas in primitiua Ecclesia oportebat esse occultas. Sic etiam, quod dicimus ante consecrationem; *& eleuatis oculis in Cœlum* F Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit. Quod animaduertens probat Innocentius *de celebratione Missæ* apud Melchiorem Canum de locis lib. 3. c. 3. Vbi aduersùm Lutheranorum ignauam proteruiam, traditiones in Ecclesia studiosè ac eruditè tuetur: vbi etiam cum pluribus, Sanctum Dionysium *lib. de Ecclesiastica Hierarchia* cap. 1, allegat; qui Timotheum diligentiùs admonet, *ne Sancta-Sanctorum efferat*, ea passim rudibus exponens, sed sanctis solis sacrarum rerum intelligentias secretiùs pandat, *Ob hanc enim causam primos illos nostros Duces, summa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, iuxta quod sacræ definiunt leges, tradiderunt*. Huc aduoco Tertulliani aduersus Praxeam dignam sententiam: *peræquè aduersùs vniuersas hæreses, iam hinc præiudicatum sit; id esse verum quodcumque primum; id esse adulterum quodcumque posterius*. Et palam decursum, & præscriptionem summum quid esse astruit pro regula fidei. Sic sanè & Apostolus 2. ad Tim. 1. *formam*, inquit, *habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Bonum depositum custodi*. Verùm quoniam hac de re Catholici luculenter scripsere, inter quos Iulius Rugerius suo in Opusculo *de Verbo Dei tradito*; non est mihi, qui per transennam rem attigi, immorandum. Sufficiat ad obloquentium ora obstruenda, si è medio peruicaciter tollant in Ecclesia traditiones, nullum ipsis superextare caput, ex quo & vetus & nouum Testamentum habeant acceptum. Origenes, apud Albertum Pighium aduersùs Bucerum: *cùm nonnulli diuersa à prioribus sentiunt; seruetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem, ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat*. Et iterum ante Moysi tempora, (qui primus Scripturæ sacræ manum admouit) cogentur negare, coluisse fideles fidem: cùm constet ab Adam vsque ad Moysen nihil nisi traditiones, & de credendis, & de agendis, extitisse. Si ergo tot sæculis sic credentes direxit satis Deus in viam salutis, cur dissonum fuerit, verbo nedum scripto sed tradito regi adhuc Ecclesiam? Vt hinc etiam illud in viridi semper esset; *qui vos audit, me audit*, Lucæ 10. Hinc Augustinus Epist. ad Casulanum; inquit; *in quibus nihil certi definit sacra Scriptura; mos populi, atque instituta maiorum pro lege habenda sunt*. Ita ex Angelico 1. Corinth. 11. l. 3. vbi Paulus: *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*.

E 3. p. q. 78. a. 3.

F 3. p. q. 83. a. 2.

Reuertendo autem ad textum, quem Marcus c. 7. vberius declarat, de inobseruata seniorum traditione, quoad manuum ablutionem discipulos proinde Magistrum criminantur Pharisæi, & quidam de Scribis. Quoniam enim Isaiæ 1. legitur *lauamini & mundi estote*, carnaliter G hoc intelligebant, nihil de interiori munditia soliciti. *Manus* autem, *idest opera non corporis, sed animæ*, vt ait Hieronymus, *lauanda sunt*. Dic ergo fuisse huiusmodi eorum traditionem vanam; immo, vt ait Remigius, *superstitiosam obseruantiam*; quemadmodum, & alias similes frequentes ij sorum ablutiones: quas iterum tangit infra c. 23. Dominus; *væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapina & immunditia*: quas etiam ipse Angelicus vocat H superstitiosas; ad discrimen aliarum lotionum præceptarum in lege: sicuti lauabantur Sacerdotes, mundabaturque leprosus vel pollutus. Inquit autem Chrysostomus: discipulos, vt contingebat, alterutrum fecisse; neque enim non lauari pro lege habebant; sed neque de lotione erat studium, quando & ipsum cibum contemnebant. Marci quippe 3. legimus: *& veniunt ad Domum: & conuenit iterum turba; ita vt non possent, neque panem manducare*. Nihilominus vt animaduertit idem Chrysostomus, *non respondet Dominus, quòd benè faciant transgredientes, vt non det eis occasionem calumniæ: neque tamen vituperat, quod ab Apostolis factum est; ne approbet eorum traditiones: neque rursus accusat Seniores; ne tanquam iniuriatorem eum repulissent*. Claudat Augustinus, qui in psal. 17. inquit, *dum zelantur de manibus* (Iudæi) *claudicasse pedibus: quia traditiones potiùs Pharisæorum consuetudine triuerant, aberranter ab itinere præceptorum Dei*.

G D. Th. hic.

H Hebr. 9. l. 2.

VERS. III. *Ipse autem respondens ait: quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?*

Ostendit I non eis conuenire discipulos suos reprehendere. Supra cap. 7. *Hypocrita eijce primo trabem de oculo tuo*. 3.

I D. Th. hic.

VERS. IV. *Nam Deus dixit; honora Patrem, &c.*

VERS. V. *Vos autem dicitis; Quicumque dixerit Patri vel Matri; munus quodcumque est ex me, tibi proderit; & non honorificabit Patrem suum aut Matrem*.

Difficilis est verborum huiusmodi intellectus; quoad vtramque partem. Prælibandum itaque in honore L non solum intelligi reuerentiam, sed etiam necessariorum subuentionem: & ita in Decalogo; *honora Patrem & Matrem*, intelligitur mandari necessariorum subuentio, Hoc ipsum habes alibi: M quærit enim, *vtrum pietas exhibeat Parentibus sustentationem?* astruitque Parentibus deberi *per se*, quod decet Patrem, in quantùm Pater est; qui cum sit superior, quasi principium filij existens, debetur ei à filio reuerentia & obsequium. *Per accidens* autem aliquid debetur Patri, quod decet eum accipere secundùm aliquid, quod ei accidit: puta, si est infirmus, quòd visitetur, & eius curationi intendatur; & si sit pauper, quòd sustentetur: si sit seruus, quod redimatur: & sic de alijs huiusmodi, In honoratione ergo Parentum sicut in quodam principali, intelligitur omnis subuentio, quæ debet Parentibus exhiberi. Huic subuentioni obstitisse suis traditionibus Pharisæos passim sentit Angelicus; in hæc verba: N redarguit Dominus Pharisæos (Matthæi 15.) quòd impediebant filios, ne parentibus sustentationem exhiberent. Item; O arguit Pharisæos impedientes contra præceptum Exodi 20. filios à subuentione parentum. Quomodo autem, vel quo prætextu, iterum explicat dicens; redarguit Pharisæos P qui intuitu Religionis, honorem parentibus debitum subtrahere docebant. Vnde Marci 7. *& vltra non dimittitis eum, quicquam facere Patri suo aut Matri*. Et quidem in hoc Expositores consentiunt; eoquòd ly *munus* videtur huiusmodi intelligentiam importare. *Munus* enim in Scripturis, idem est ac *oblatio*, seu potiùs *res oblata*: supra c. 5. *si ergo offers munus tuum ad altare*; cap. 8. *& offer munus quod* præ-

L Rom. 12. l. 2. & 2 Cor 12. l. 5.

M 2. 2. q. 101. a. 2. & q. 122. 5.

N 1. 2. q. 101. 2.

O Rom. 12. l. 2.

P 2. 2. q. 101. a. 4.

præcepit Moyses; Hebr. 9. *iuxta quam munera & hostiæ offeruntur*. Et iam apud Marcum exponitur: *si dixerit homo Patri aut Matri, corban (quod est donum) quodcumque ex me tibi profuerit*. Quomodo autem expressa hisce verbis traditio; *quicumque dixerit: Patri vel Matri; munus quodcumque est ex me, tibi proderit*; &c. ad rem faciat, multifariam conati sunt Sancti Patres deducere. Augustinus lib. 1. Quæstionum Euangeliorum sic habet. *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: idest; quod offers causa mei, ad te iam pertinebit. Quibus verbis significant filij, iam non sibi opus esse Parentum pro se oblationes; qui ad eam ætatem peruenissent, vt possent iam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos, vt possent Parentibus suis hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse, si Parentibus suis non præstarent honorem*. Iuxta hanc interpretationem, si velimus auaritiam deprehendere Pharisæorum, inde liquet; quia vt allicerent filios ad oblationes seu munera, exemptos prædicabant exinceps à præstando Parentibus sustentationis honore: vt sic quasi cessissent Parentum beneficijs, nec ad illos teneri suaderentur. Impia, si sic erat, traditio, ingrata Parentibus retributio, subdolaque diuini præcepti extorsio: quæ quia ægrè videtur potuisse hominum animis insedisse, ideo infirmam reddit, veniâ Augustini dixerim, expositionem: nisi reuocetur ad quas tradūt Hieronymus Rabanus & Haymo. Hieronymus quippe, interrogatiuè potius cupit legi: nunquid proderit tibi, ô Pater, si munus quod est Deo ex me iam deuotum tibi sumas? ne sumas, alioquin reus es sacrilegij. Vel rursus vt fiat hic sensus: quodcumque deberem ego filius offerre in munus, in tuos consumo cibos, & tibi proderit? quasi dicat; non. Hinc certè Sacerdotum lucra. Et huc è conuerso Rabanus, tali exponit periphrasi: *Pater non displiceat tibi, si non do tibi necessaria; quia munus quod offero, prodest tibi spiritualiter*. Haymo autem Isaiæ 10. planiùs: *ne quid darent Patri & Matri, sed totum Synagogæ conferrent, & sic ad illos, idest Scribas & Pharisæos, omnia peruenirent*. Non mirum, neque incredibile: quandoquidem Lucæ 16. dicente Domino; *non potestis Deo seruire & Mamonnæ*. subditur; *audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum*; fierique potest, vt teneris filiorum animis, hæc *intuitu Religionis*, vt dicebat Angelicus, insererent; saltem vt parcè admodum Parentibus subuenirent: cōtra quod est Prou. sententia c. 18. *qui subtrahit aliquid à Patre suo & à Matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*. Peius si omnino subtraxissent; & omnino Parentes desererent. Ambrosius Lucæ 18. in Catena: *non quærit Deus donum de fame parentum*.

Q. 2. 2. 101. a. 4. ad 4. Pulchra huc facit Angelici doctrina, qua tradit, Q vbi Parentes sine filio sustentari non possunt, non debere eis relictis filium Religionem intrare; quia transgrederetur præceptum de honoratione Parentum. Quamuis, ait, quidam dicant, quòd etiam in hoc casu licitè posset eos deserere, eorum curam Deo committens. (Sic mihi videtur in muneribus & oblationibus ad se conuertendis philosophatos erroneè Scribas & Pharisæos) Pergit Sanctus Doctor. Sed si quis rectè consideret; hoc esset tentare Deum; cùm filius habens ex humano consilio quid ageret, periculo Parentes exponeret, sub spe diuini auxilij. Hoc certè, significari crederem per ly *tibi proderit*: hoc est; sine, vt munus tuæ indigentiæ præceptum offeram, tuamque aliàs curam Deo committe: nam, *tibi proderit*.

VERS. VI. *Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*.

4. R Hebr. 10. l. 3. Irritum dicitur R quod non sortitur debitum finem. Licet nonnihil præseferre videatur pietatis, offerre potiùs quàm sustentare Parentes; quasi illud Iob 32. exerceatur; *Deum homini non æquabo*: nihilominus, veneni immo sublatet impietatis. Lex enim omnis, vt ibidem assumit Angelicus, datur, vt inducat homines ad virtutem. Subsume tu deinde; sed virtus nequit esse, vbi deest charitas; ergo si Parentes quis neget & negligat vbi indigeant, cum charitatem ad eos non habeat, (Ioannis primæ c. 3. *Qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?*) neque virtutem; pietatis scilicet: quæ non solum se extendit ad progenitores, post Deum, sed ad consanguineos s & Patriam. Ecce autem pressius cur S 2 2. 101.
irritum redderet mandatum Dei, huiusmodi illorum a. 1. & 2.
traditio. Quia nimirum, semper permansura erat occasio offerendi; ergo si Religionis intuitu posthabendum præceptum, semper erat posthabendum: ergo iam irritum erat, ac si non fuisset. Sic prouentuum Ecclesiasticorum ingentium causa, Parentibus sanguine iunctis, & Patriæ beneuolis præsertim detrahendo subsidia, ditari studuit Pharisæorum Scribarumque ingluuies. Hoc eis non tam vt increpet; quàm vt commoneat & corrigat, obijcit Dominus. Si Ecclesiæ vicissim ac Parentum vrgeret necessitas, Deo potius offerendum omni despecta penuria consultum esset: & tunc illud vsurpandum foret cum Apostolo 2. Cor. 8. *aporiamur*, *sed non destituimur*: nec enim vsquam *deseruit Deus sperantes in se*. Iudith 13. Ecclesiastici 2. *nullus sperauit in Domino, & confusus est*. *Dat* quippe *iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*; Psal. 146. 1. tamen Timoth. 5. *si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit*,

Hactenus iuxta communem Patrum sensum rem 5.
differuimus. Sed quoniam consecutiuè non adeo planum est, quomodo quod mox sequitur; scilicet, *& non honorificabis Patrem suum aut Matrem suam* sit accipiendum, displiceat minimè, si alia incedamus via. Nam pro veris admissis cunctis; rogabit quispiam; estne ly *non honorificabis Patrem* &c. traditionis pars; vel potius Domini assertum? At si tanquam sententia Domini, assertumque accipiatur; vt quid hoc præmittere, quando mox adiecturus erat, *irritum factum esse mandatum?* Præterquam certè poterat, seiunctim magis, sine copulatiua, & immò nobis planiùs, auctoritatiuè pronunciari. His & similibus attente consideratis, in eam trahor opinionem, me ipsum semper humiliter magistrali subijciens censuræ; vt quod dicitur; *& non honorificabis Patrem suum, aut Matrem suam*, sit & Pharisæorum & Scribarum traditionis pars altera. Duo certè commemorauerat Dominus; in primis; *honora Patrem & Matrem*, Exodi 20. capite; alterum ex Leuitico item capite 20. *qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur*. Vtrumque inuertisse ac extorsisse tua traditione arguit Pharisæos. Quare circa vtrumque ex traditione eorum nos erudire quoque, dignatum fuisse Dominum verosimile est. Rogo igitur quænam fuerit traditio circa illud; *qui maledixerit Patri vel Matri?* similiter circa ly *honora Patrem & Matrem*, quam quæro traditionem habuerint? Nunquid vtrumque ad præfatam arctarunt propositionem; *munus quodcumque est ex me, tibi proderit?* Quomodo tam implexis verbis acquieuissent; vt negligerent aliàs quod erat in Leuitico, cum mortis pœna expressum; *qui maledixerit Patri vel Matri?* Dicendum ergo mihi videtur, eorum circa Parentum cultum traditionem, bimembrem quasi fuisse, iuxta bipartitum veluti mandatum; *honora Patrem*, & *qui maledixerit Patri* &c. Hoc postremum sic tanquam suo arbitratu inuertebant; vt

veta-

vetaretur in illo filiorum erga Parentes oblocutionis arrogantia; sic vt cum Parenti, Patri, vel Matri filius succurreret ac subueniret, non deberet proteruè se gerere, quasi non debitum solueret sed gratuitum daret. Quare ly *munus* cum æquiuocè dicatur, & de sacra oblatione in Dei cultum, & de dono in beneficentiæ tesseram elargito; vellem in hac secunda intelligi acceptione. Palam sæpè in Scripturis munus pro dono legitur; Genesis 43. *deferte viro munera;* Exodi 23. *nec accipias munera.* Ducor autem hunc in sensum; quoniam ly *ex me* hoc videtur importare. *Munus*, inquit, *quodcumque est ex me*. Eratne adeo insolitum dicere; *munus quod ego offero*, si de sacra oblatione fuisset intelligendum? Itaque, vt opinor, hæc erat traditio eorum extortaque interpretatio; vt ly *qui maledixerit Patri, vel Matri*, sonaret quandam filij arrogantiam & exprobrationem; quæ propriè est quod alicui præstitimus, commemorando objicere. Arrogans etiam est, qui sibi temerè & insolenter tribuit, quæ in eo non sunt. Sic iste quod ex debito mandati diuini, iureque naturæ præstare Parentibus debet, gratis veluti se agere contendit, vocando munus quasi gratis collatum, quod immo iustum est. Itaque *qui maledixerit Patri, vel Matri*, ad huiusmodi reuocabant sermonem exprobratorium, maledicta si in quæ erumperent indulgendo, proni nedum in irascibilem, sed effrænes. Quod etiam mandatur in Exodo, temperabant; vt ly *honora Patrem & Matrem*, non importaret quod positiuum, sed potiùs negatiuum saperet, ne inhonorarentur: sic vt qui abstineret ab inhonoratione seu dehonoratione, seruaret mandatum; illeque solum transgredetur, qui vel Patrem, vel Matrem inhonoraret positiuè: Ioannis 8. *& vos inhonorastis me.*

6. Et si dicas ly *non honorificabit* potest facere sensum etiam priuatiuum seu omissionis honoris: qui quidem est secundum legitimum mandati intellectum: non est ergo cur gratis trahatur ad contrauentionem honoris per positiuam inhonorationem; à qua cauendo minus impletur mandatum. Respondeo ita plane, absolute loquendo, posse accipi, ly *non honorificabit*, vt omissionem sonet quam Deus prohibet: sed si quod præmissum est expendatur; nimirum verba irreuerenter prolata priùs à filio considerentur; *munus quodcumque est ex me, tibi proderit*, emicat positiua inhonoratio, quam cohærenter sonant sequentia, *& non honorificabit*, &c. quasi dicat, *& sic inhonorabit*. Atqui mandatum Dei de honoratione Parentum, non solùm vetat inhonorationem, seu verbis seu factis, (iuxta quod Angelicus docet 2.2.q.44.3.3. in præceptis affirmatiuis virtute includi præcepta negatiua) sed præcipit positiuè præstari honorem. Quod subterfugientes sua traditione, nedum transgrediebantur Dei mandatum, irritumque reddebant; sed quod pro honorãdis Parentibus subuentionis & sustentationis titulo eis debebatur, ad se ipsos faciliùs reuocabant docentes, munificentiæ esse non debiti, Parentes iuuare: *munus quodcumque est ex me;* &c. Vnde Pagninus, Franciscus Lucas, Interpresque Theophylacti apud Nouarinum, *donum*, pro munere legunt. Sic autem docentes Scribæ & Pharisæi lucri causa: (vnde excæcabantur, vt postea inquit Dominus) nedum transgrediebantur mandatum Dei, sed & *irritum faciebant:* idque contra diuinam inhibitionem, de qua supra, Deuteronomij 4. *non addetis ad verbum quod ego loquor, nec auferetis ab eo*. Auferebant enim à præcepto vim affirmatiui.

VERS. VII. *Hyprocritæ: benè prophetauit de vobis Isaias;* &c.

VERS. VIII. *Populus hic labijs me honorat;* &c.

7. Hypocritæ propriè dicebantur, qui intrabant theatrum, & simulabant T aliam personam cum laruis. (T D.Thom. hic.) Et quia aliud isti prætendebant exteriùs, quàm haberent interiùs, nimirum diuini cultus pietatem, interiùs lucro inhiantes, ideò dicuntur hypocritæ. Sic infrà apertius c. 23. *væ vobis hypocritis* &c. *à foris quidem apparetis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*. Claret ergo ex adiectis à Domino, cur præceptum de honoratione Parentum inuerterent, specie quidem pietatis, vt scilicet, ad offerenda munera essent filij, reclamante quantumuis Parentum indigentia, laxiores; & ipsi exinde saginarentur vberiùs oblatis. Nec exiguum erat quod poterat Sacerdotibus inde prouenire, quia multis de causis contingit fieri, & pingues etiam oblationes: vt videre est, 2.2.86.a.1. Et iterum, quia in præcepto pietatis, qua redditur parentibus debitum, includitur mandari quicquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque personæ siue sanguine iunctis, siue Patriæ beneuolis; vt patet 2. 2. 122. a. 5. & 6. à quibus omnibus traditio retrahebat iniqua. *Labijs* itaque Deum honorabant; puta suadentes hominibus, vt posthabitis omnibus Deo litarent; sed cor linguæ erat discors; quandoquidem suos intendebant prouentus, ex lege participes munerum & oblationum. Cor ergo eorum longè erat à Deo; nam *nemo potest seruire Deo & Mammonæ*, & vbi signatus est Thesaurus, ibi est cor. Ideo autem prædixisse de eis videtur sub populi nomine Isaias, quia instar popularium vulgariumque hominum, futurum erat, vt essent aliquando contemptui; vel quia nihil populo in moribus eminerent. Vnde & Osee 4. legitur; *peccata populi mei comedent*; idest V oblata pro peccatis. (V 1.Cor. 5. l. 5.) Et alibi hoc ipsum X dicens, subdit ex eodem Propheta; *& ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum*: malo exemplo. Ecce quomodo quod versamus versat. Statim autem sequitur in Osee; *& erit sicut populus, sic Sacerdos*. (X Apoc. 2. com. 1. 5. Et Angelo Pergami.) Carpit igitur eos Isaiæ allegatione vocandum populum, eo quòd de suo prolapsi gradu, in abiectum notandi populi (*populus hic*) gregem deflexerint. Non est ergo vnde Nouarinus, quamuis non dissonè ab Expositoribus hic, definiat; *non loquebatur Isaias de Scribis tantùm, & Parisæis, sed de populo vniuerso*. Christus Prophetæ verba ad Scribas & Pharisæos, saltem mysticè coarctat. Palam & sine extensione pronit Dominus; prophetasse de illis Isaiam. Immo prout videtur, turbis exemptis, quas mox conuocat eruditurus. Scribas ergo & Pharisæos, eo quòd degeneres à statu suo, populum vocat; figurata nimirum locutione. Sonat etiam illud *labijs me honorant*, putasse quosdam ex illis salutem in exterioribus esse, vt notat Angelicus infra c. 22.

VERS. IX. *Sine causa autem colunt me*, &c.

Apud Marcum legimus; *in vanum autem me colunt*. Sed neutrum conceptis verbis extat in illo 29. 8.
Isaiæ capite: nisi quod legimus; *& timuerunt me, mandato hominum & doctrinis;* hic habet Dominus, *docentes doctrinas, & mandata hominum*. At relatiua, quod & Scholæ tradunt, simul sunt natura & cognitione. Isaias de populo & de maioribus istis prophetat. Populus eorum ductum Maiorum sequitur: timet Deum iuxta eorum mandata atque doctrinas. Maiores Scribæ & Pharisæi mandata & doctrinas inuulgant hominum, non Dei. Hoc totum prophetauit prægnanti sermone Isaias. Hoc ipsum Prophetiam exponens, cui restagari non audent, pronunciat Dominus; doctrinarum & mandatorum humanorum, inuectores, inuentoresque tangens, vtique ad Prophetæ mentem. Verùm quamuis tacitè docentes insinuet eo loci Isaias; accumulat Dominus illius dictum, prophetiam aliunde ex ipso adijciens *sine causa*, seu *in vanum*: quod equidem in primo suæ Prophetiæ capite præfatus fuerat, dicens:

tens diuino ex ore; *ne offeratis vltra sacrificium frustra*: quam sententiam hic recolit Sanctus Thomas. In huius vanæ oblationis expositionem inquit Rabanus; *non enim habebunt mercedem cum veris cultoribus*. Quò facit illud supra c. 6. item de hypocritis ob inanem gloriam orantibus: *receperunt mercedem suam*: & iterum illud Aggæi 1. *seminastis multum, & intulistis parum*. Adde ex 1. ad Timoth. 1. quia *finis præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*: à quibus cum illi defecissent, fine frustrabantur. Dum autem descendit Dominus dicens, *docentes doctrinas & mandata hominum*: absit ex hoc improbet leges humanas & positiuas, vt hic animaduertit Angelicus: sed quæ sunt hominum, non deriuatæ à lege diuina, atque à lege naturæ: quod ad honestandas hu-

A p. 2. 95. a. 1 & ro-sta. manas leges A primum est caput. Huiusmodi certè videtur fuisse, nihil omnino vtilis seniorum traditio de crebra ablutione manuum: damnabilis autem, quæ sub oblationum colore, aduersus legem diuinam de honore Parentum, Scribarum & Pharisæorum condiderat auaritia. Et nota, diuino consilio confundendos fuisse (ad hominem, vt inquiunt) Scribas & Pharisæos; quia induxerant de senioribus: vim autem magnam facere potuisset allegata Seniorum authoritas, nisi de traditione apertè falsa notaretur. Iob enim 12. *in antiquis est sapientia*: Ecclesiastici 8. *non te prætereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis*: & c. 39. *sapientiam antiquorum exquiret sapiens*. Item Deut. 32. *interroga Patrem tuum & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi*.

VERS. XI. *Non quod intrat per os, coinquinat hominem*; &c.

9. Concinit huic Domini sententiæ Apostolus Rom. 14. dicens; *non est Regnum Dei esca & potus. Omnia quidem munda sunt*. Item 1. Cor. 8. *esca autem non commendat nos Deo*. Item 1. ad Timot. 4. *Omnis creatura Dei bona est; & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Hinc & 1. Cor. 10. *omne quod in macello venit, manducate. Domini est terra & plenitudo eius*. Addit Angelicus ex psal. *quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum*, fertque Ambrosium dicentem; *non potest esse immundum, quod Domini est; sed omnes carnes sunt Domini; ergo de se mundæ sunt & licitæ*. Quod cum verissimum sit; mirabitur fortè quispiam, cur vetiti sint cibi aliquot Leuitici 11.? Iudæorum vulgus, minusque, inter Maiores etiam, illuminati, attenta huiusmodi literali prohibitione, opinati sunt, (post

B 1. 2. 148. 1. 1. quos & Manichæi, vt fert Angelicus B) cibos aliquos, immundos esse secundum suam substantiam & naturam; atque etiam, vt innuit, inquinare hominem, qui eis vescatur, spiritualiter. Quod quidem satis haberi videtur ex sacro textu, vbi ait Dominus de coinquinatione: neque enim vsurpat verbum *inquinat*, sed *coinquinat*: quare cum dictio *con* adsociatiua sit, indicat, illorum fuisse sententiam, vt cum corporis inquinatione coinquinaretur per huiusmodi cibos anima. Manichæi alio ex capite, eorum creationem malo ex principio somniabant. Immunditiam ex eorum comestione corporalem, exponit alibi, cur quidam cibi causarent;

C p. 1. 102. 6. 1. quòd corruptionem C quandam molirentur ob intemperiem superfluæ humiditatis, vel siccitatis. Et hac ratione vetitos etiam fuisse. Verùm immunditia culpæ, nulla ciborum genera immunda esse, vel hominem inquinare posse secundùm suam naturam, constanter ibidem docet: nisi per accidens ob inordinationem, vt & supra 2. 2. puta si ex nimia concupiscentia; & similiter, si contra votum vel obedientiam sumantur. Difficultas autem hic oboriri potest, vndenam coinquinari animam crediderint vi ciborum illorum? pinguis enim admodum videtur eorum intelligentia perhiberi. Existimo, duci potuisse ad hoc sibi suadendum, non solùm ob Domini prohibitionem, sed considerato hominis lapsu. Reuera enim, vt ex Angelico, D accepit Diabolus post peccatum hominis, potestatem super hominem, & exinde in ea quæ sunt hominis: & fortè tanquam spiritus dictus immundus, vt eis videbatur, pleniorem super huiusmodi corporaliter immunda potestatem: ideoque vetita. Non ausim negare huiusmodi potestatem Diaboli super nostra. Sed per Christum est ei E hæc ablata potestas: & hæc vocatur ab Apostolo Sanctificatio. Vnde omnia quæcumque benedicimus, exorcizantur primò; & ibi est oratio expellens Diabolum. Et hoc mihi videtur sonare quod Actor. 10. dictum fuit in visione illa Petro, cum vidit eo in vase linteo, *omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cæli*, horrebatque ea manducare, quia communia & immunda: *quod Deus purificauit; tu commune ne dixeris*. Verùm vanum est Iudæorum placitum, credere sic exinde & animam coinquinari. Fateor cum Angelico, aliunde immundos cibos, ob immunditiam corporalem & huiusmodi, fuisse prohibitos: quia propter F superfluam humiditatem & siccitatem corruptos humores in corporibus humanis generant. Cæterùm non inde coinquinabatur & anima; cum possent simpliciter cum gratiarum actione, sicut cæteri, percipi, atque adeo eludi Diabolus. Sed potissimè prohibitus erat eorum esus figuraliter: quia per omnia huiusmodi animalia prohibita, designantur aliqua peccata; in quorum figuram illa animalia prohibebantur. G Quia in illo statu, vt Augustinus dicit contra Faustum, non solum per verba, sed etiam H per acta præfiguratus est Christus: & ideo in cibis vestibus & sacrificijs, fuerunt figuræ futuri status. Hinc idem Augustinus lib. 6. contra Faustum c. 7. vt ibi refert prima 2. *Si de porco & agno requiratur; vtrumque natura mundum est; quia omnis creatura Dei bona est; quadam verò significatione, agnus mundus, porcus immundus est. Tanquam si stultum & sapientem diceres; vtrumque hoc verbum, natura vocis & literarum, & syllabarum, ex quibus constat, mundum est; significatione autem, vnum est mundum & aliud immundum*. Dicebantur ergo in lege, quædam immunda, non natura I sed significatione. Sed & hanc immunditiam Christus remouit, implendo veteris legis Scripturas. Dic ergo tu, fuisse quasi quibusdam hieroglyficis institutum veterem populum, vt ait Apostolus Hebr. 10. *in cibis* etiam, *& potibus*; idest in discretione ciborum & potuum L interdictorum. Sed *vsque ad tempus correctionis impositis*: nam puero priùs oportet dari Pædagogum. Quando autem peruenit ad ætatem perfectam, tunc datur ei modus se habendi; secundùm iudicium Rectoris Reipublicæ. Galat. 3. *lex pædagogus noster fuit in Christo*. Instructor pædagogus dicitur *à pædos*, quod est *puer*, & *goge* quod est *ductio*; Osee 11. *puer Israel & dilexi eum*. Sed rem hanc in Syntaxi accuratè tractabimus.

D p. Tim. 4. l. 1.

E loc. cit.

F p. 1. 102. 6. 1.

G loco cit.

H prim. Tim. 1.

I Rom. 14. l. 1.

L Hebr. 10. l. 1.

VERS. XII. *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt*.

10. Doctrina est constans Angelici Præceptoris; M cùm aliquid non est de necessitate salutis, ab eo propter vitandum scandalum abstinere opus esse. Quare, cùm non appareat primo intuitu, præfatum verbum Domini fuisse de necessitate, neque ex parte Pharisæorum vt illud audirent, neque ex parte ipsius Domini, vt illud diceret; videtur debuisse potius prætermitti. Ad hoc communis est Angelici sententia; N Pharisæorum impræsentiarum scandalum fuisse ex malitia: atque adeo nihil de eo curandum, sed

M 2. 2. 43. 7. & Rom. 14. l. 1.

N 2. 2. 43. 4. 9. 187. 4. 5. Rom. 14. l. 1.

sed contemnendum; nedum cùm occurrunt aliqua agenda de necessitate salutis; quæ facere teneamur; sed quanquam etiam non sint de nostræ salutis necessitate. Igitur dato etiam quòd non fuisset verbum illud Domini de necessitate, fas fuerat illud proferri.
O 2. 2. 78. 4. Qua etiam ratione definit, O licitum esse honesta de causa ab eo, qui paratus est, mutuum accipere sub vsura, quia ipsius passiuum scandalum prouenit ex malitia. Dic tu; iam scandalizatur virtualiter ex animi sui prauitate, non vero inducitur. Haymo Isaiæ 8. perpendit, scandalum significare quoque rixam: & sic ob exortam inter eos rixam dici scandalizatos.

11. Sed dices; videtur Pharisæorum scandalum ortum ex ignorantia: quandoquidem cæci perhibentur; *cæci sunt & duces cæcorum*: & sine intellectu, vt patet ex vi copulatiuæ, quæ sequitur ad discipulos; *adhuc & vos sine intellectu estis*; ergo fuerat supersedendum à verbo; quousque redditâ ratione scandalo obuiaretur,
P 2. 2. 43. 7. & 8. iuxta sensum Angelici P loc. cit. eo vel maximè, quòd excusationem quandam, meruisse videntur, si obseruantiæ de ciborum discretione tenaces, ægrè ferrent, prædicari contrarium. Respondeo; si huiusmodi pusillorum fuisset scandalum, absit imaginari contemptum à Domino; si enim dicebat discipulus 1. Cor. 8. *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum; ne fratrem meum scandalizem*, infinitè magis ab huiusmodi scandalo se amouisset Dominus; de quo Petrus in 1. cap. 2. *peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*. Ad quod indicandum, absit legi Christum scandalizasse, præbendo vsquam vel modicam occasionem ruinæ, sed signanter, vt animaduertit
Q 4. sent. 38. q. 2. a. 2. ad secundam. Angelicus Q dici passiuè in Matthæo, ex ore discipulorum; *scandalizati* (Pharisæi) *sunt*. Itaque fuit ex malitia: ideoque dicuntur cæci, quia Sap. 2. *excæcauit illos malitia eorum*: non sic discipuli propensi semper Christo Domino humiles & officiosi. Quærit ex professo Angelicus
R 3. p. 42. 2. R *Vtrum Christus debuerit Iudæis, sine eorum offensione prædicare*: Respondetque quòd salus multitudinis est præferenda paci quorumcumque singularium hominum. Et ideo quando aliqui sua peruersitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio, à prædicatore vel Doctore, ad hoc quòd multitudinis saluti prouideat. Scribæ autem & Pharisæi, & Principes Iudæorum sua malitia plurimùm impediebant Populi salutem: tum quia repugnabant Christi doctrinæ, per quam solam poterat esse salus; tum etiam quia prauis suis moribus vitam Populi corrumpebant. (En quomodo tacitè Angelicus aperit, cur Dominus in præsenti, quasi semoueat à Pharisæis & Scribis turbas; *conuocatis ad se turbis* &c.) Et ideo Dominus, non obstante offensione eorum publicè veritatem docebat, quam illi oderant (supple; generaliter ei auersi) dum semper doctrinæ Christi obsistebant. Maiores qui eorum Principes dicebantur,
S 3. p. 47. 5. S (vt dicitur *in lib. quæst. vet. & noui Testam.*) cognouerunt eum esse Christum promissum in lege; omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura Prophetæ: mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant; sed erat eorum ignorantia affectata, ex odio & inuidia signa Diuinitatis peruertendo.
T 1. Cor. 2. l. 2. Alibi; T Principes Iudæorum pro certo sciebant eum esse Christum promissum in lege; ipsum autem, esse verum filium Dei, non pro certo sciebant, sed aliqualiter coniecturabant: sed hæc coniecturalis cognitio obscurabatur in eis ex inuidia, & ex cupiditate propriæ gloriæ, quam per excellentiam Christi, minui videbant.

12. Et si vrgeas, quantum ad huiusmodi ciborum discretionem; rationabilis videtur fuisse Pharisæorum offensio & scandalum; quia ob huiusmodi legem legisque obseruantiam tenebantur mori. Certè legimus 2. Machabæorum 6. quomodo *Eleazarus vnus de primoribus Scribarum aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem, magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium*. Neque voluit fingere comestionem ciborum quibus licebat, pro illicitis; quod *iniqua commiseratione* suadebant ei amici; ne *multi adolescentium arbitrantes Eleazarum transisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propter meam* (inquit) *simulationem decipiantur*. Et vt ait Cyprianus *de exhortatione martyrij* c. 11. *scandalizentur*. Quam ergo notam Pharisæi incurrere dicendi sunt; si Eleazari zelo, aduersentur verbis Domini, nisi ad summum ignorantiæ labem? Respondeo; in primis Dominum non dixisse sumendos esse indiscretè cibos; sed ineluctabilem promipsisse veritatem; nimirum, *non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore*. Deinde si cessationem obseruantiæ illius, vel tacitè prædicauit præfatis verbis; iisdem etiam causam cessationis reddidit satis; quia scilicet ex se cibi non coinquinant animam, compartem hominis. Vnde exteriori aliqua de causa deprehendebatur, aliquos esse vetitos; quam proinde, non improbabile erat, cessasse: de qua vel saltem debuissent eum rogare. Vnde sicuti scandalum ex ignorantia vel infirmitate, cùm operis causæ rationabili non acquiescitur, in malitiæ scandalum transit; sic & eorum scandalum, quamquam fuisset prius ex ignorantia, dum causæ percontationem insinuatæ respuunt, ex malitia fit. Quibus stantibus; sicuti inexcusabiles Pharisæi sunt; ita extra omnem calumniam est verbum Domini; quia prope erat tempus, quo reseratis figurarum velaminibus, veritas manifestaretur doctrinæ: Christoque Domino tanquam summo Magistro conueniebat ignorantes docere; illiusque exemplo, ac discipulorum moueri; qui nisi Dominum cæremoniarum legalium sensa terminumque docuisse notassent, nec ausi fuissent conformiter prædicare. Ecce cur commendetur Eleazarus ob constantiam, vituperentur Pharisæi ex malitia. Dimittendum est enim propter scandalum, vt ait Hieronymus, *omne quod potest prætermitti, salua triplici veritate, scilicet vitæ iustitiæ & doctrinæ*. Sed in præsenti non saluabatur veritas doctrinæ, si Dominus verbum hoc prætermisisset; quia vbi necessitas est indigentes edoceri, & munus incumbit Doctori, vrget: atque etiam cùm
de iis agitur quæ sunt de necessitate salutis, V vt docet Angelicus. De Christo autem Domino dictum est Ioelis 2. *dedit vobis Doctorem iustitiæ*, & V 2. 2. 43. 7. 4.
Ecclesiæ X & omnibus hominibus: alias ipsemet Ioan. 18. inquit, *ad hoc veni in Mundum, vt testimonium perhibeam veritati*. Benè ergo ait Gregorius super Ezechielem homilia 7. *si de veritate scandalum sumitur, vtilius nasci permittitur scandalum, quàm veritas relinquatur*. X 3. sent. 13. 3. 1. & 3. p. q. 9. 4.
At scandalizantur gratis, quod prædixit Isaias c. 8. *in lapidem offensionis & petram scandali*; quia obliterauit à corde ipsorum malitia Deuteronomij vaticinium c. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*.

VERS. XIII. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

Fuit Manichæorum error, quem recolit Angelicus A & confutat; vt essent res aliquæ secundum 13. A 1. p. 48. 1. & 3. cont. G. c. 7.
suam naturam malæ. Sufficiat eos euincere hac ex 3. contra Gentes ratione. Probatum est inquit in secundo huius (cap. scilicet 15.) quod omne esse quocumque modo sit à Deo: Deum autem esse perfectam

ctam bonitatem in primo huius ostendimus: (scilicet capit. 38. & infra) cum igitur Boni, effectum malum esse non possit, impossibile est, aliquod ens, in quantum est ens, esse malum. Non est ergo vnde præsenti ex textu niterentur Manichæi, errorem suum fulcire; quasi sint in vniuerso duæ naturæ; mala à malo Deo, bona à bono, vt etiam hic
B D.Th. hic. tangit. B Vnde dicebant; si aliquis sit de mala creatione, etsi videatur facere bona, non potest perseuerare. Allucinati autem sunt in radice: quia con-
C p. p. 41.2.2. siderantes, C quòd aliquæ res dicuntur malæ, vel quòd malum dicitur esse in rebus, crediderunt, quòd malum esset res quædam. Sed non vacat his Ecclesiæ Dei iam compertis immorari. Satis sit specia-
D p. p. 49.2. lius de malo culpæ nosse, non esse à Deo, D nec esse posse. Multo minus posse esse in eo. Quod dictum sit in Iudæorum confutationem, qui referente
E p.cont. G.c.96. Angelico, E in suo Thalmud dicunt, Deum quandoque peccare & à peccato purgari: & Luciferianorum etiam, qui dixerunt Deum in Luciferi deiectione peccasse. *Omnis plantatio*, secundum Hilarium, traditionem hominum sonat; (de cuius genere paulo ante dictum est; *quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram.*) Secundum Remigium, intelligitur falsa doctrina, & superstitiosa obseruatio, cum suis Auctoribus. Vel ex glossa plantatio ista Doctores legis significat, cum sequacibus suis, qui Christum non habebant fundamentum. Diuus Thomas de traditionibus, quæ non
F D. Th. hic. sunt à Deo, interpretatur; induxitque F dictum eiusmodi à Gamaliele Actor. 5. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud; ne fortè & Deo repugnare inueniamini.* Et iterum fert ex Sapientiæ 4. *adulterinæ plantationes non dabunt radices altas.* Vulgata; *spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Græca; *ex spurijs stolonibus non dabit radicem.* Stolon seu vitulamen est coliculus & ramus inutilis nascens è ra-
G Quod l.4 a. 16. & Matth. 33. ad n dem. dicibus. Manichæi, vt refert Angelicus G vetus Testamentum reijciunt, probantque solummodo nouum. Aiuntque non fuisse datam legem veterem à Deo, H aut ex diuina prouidentia. Item, in vete-
H Hebr. 7. l. 3. ri Testamento non esse annunciatum Patrem Christi, I sed aliquem ex Principibus malorum Angelo-
I Ioan. 8. l. 8. rum. Hinc autem etiam, vt notat Chrysostomus, (in Catena) quia Dominus ita loquitur; *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, suum comprobare nituntur errorem; dicentes loqui Dominum de veteri lege. Sufficiat ad eos explodendos quod deducitur ex 2. ad Timoth. *& quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*, &c. Apostolus enim vetus Te-
L 2.Tim. 3. l. 3. & Hebr. 9. l. 2. stamentum L nominat sacras litteras: quæ non possunt intelligi de nouo Testamento, quas *ab infantia sua*, non fuerat edoctus. Et iterum Hebr. 10. vbi Apostolus de ritibus legis veteris loquens ait; *hoc significante Spiritu Sancto*: contra hæreticos, qui dicunt vetus Testamentum esse à Deo malo. Quamuis au-
M p. 2. 100. 3. tem reuera præcepta Decalogi M per se ipsum dicatur Deus Populo proposuisse: (causam lege ibi) alia verò præcepta proposuisse Populo per Moysen; vnde & Ioannis 1. legitur; *lex per Moysen data est*: nihi-
N p. 2. 106. 1. 3. lominus simpliciter, N legem veterem etiam dedit Deus: & data est per Moysen tanquam per propo-
O Ioan. 1. l. 10. nentem; quia O *solus Dominus legifer noster* Isaiæ 33. Absit ergo, dixerim ego, vt absolutè in legem veterem, sit præsens Domini sententia. De lege quippe aliter locutus est supra c. 5. *non veni soluere, sed adimplere.* Immo subiecit; *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*
P p. 2. 107. 2. Vnde edisseritur P quomodo lex noua veterem verè impleat. Ad hæc illud Lucæ 24. *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me.*

Non itaque verosimile est, absolutè in legem retorquere quod durius exprimit, dicens; *eradicabitur.* Dixi absolutè; quia si in omne tempus legis veteris obseruantiam contendat quis distrahi; sic eradicanda fuerat; quia legalia obseruare post Euangelij diuulgationem, vt alias visum est, & in Syntaxi adhuc allegabitur; mortiferum est. Quandoquidem, vt ait Apostolus Hebr. 9. fuere solum *vsque ad tempus correctionis imposita*: idest Q in quo corrigerentur, non quidem sicut mala, sed sicut imperfecta. Certè quas hodie legalium reliquias student vi- 14.
Q Hebr. 9. l. 2.
renti vt cupiunt semper seruare ritu, non plantauit cœlestis Pater, qui immo dixit Leu. 26. *vetera nouis superuenientibus proijcietis*, sed illorum proterua cæcitas; qui si quos habent sectatores profectò non nisi cæcos; de quibus 2. ad Cor. 3. *sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem, id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti, manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur.) Sed vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Velamen idest R 2.Cor. 3. l. 3.
R cæcitas. De hac mox Dominus. Dic adhuc; sedum *omnia consummata sunt*; conanturque Iudæi, nouella veluti plantatione, vt refloreat primæuus cultus, absit, vt radices mittere permittatur à Deo: eradicabitur immo in dies; nedum iure diuino eradicatus est. An non etiam eradicata sunt cuncta legalia euulsa & Vrbe & Templo vbi duntaxat poterant sacrificia offerre? Quando & Osee testatus est c. 3. *quia dies multos, sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine theraphim.* Videtur ergo Dominus præcipuè futura prædicere: vnde & in futuro inquit *eradicabitur.* Ideo discipulos, nosque in illis præmonuit alta ea sententia; *omnis plantatio* &c. vt quamuis scandalizari cernerent Pharisæos, sibique detrahere; turbationem subinde Populi: haud quaquam timerent, affectatam suarum inanium traditionum legaliumque obseruantiam, literaliter diu duraturam; quia potiùs eradicanda erat, ne vltra vigeret; quæ iam per ipsius aduentum inceperat mori. Quare si obijceretur, quod sert Apostolus Rom. 3. *legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus*; Respondeo cum ipso; nam cæremonialia, vt ibi l. 4. Angelicus: cùm essent figuralia, per hoc statuuntur & adimplentur, quòd veritas significata per ea in fide Christi exhibetur; *eradicantur* tamen vt ait Dominus atoque & ipse, quia instar Leenæ edito semel partu, sterilescunt; nam vt ait Augustinus ser. 20. de Sanctis; *lex Christo grauida erat.* Dic etiam eradicanda dici, quia non vltra in viridi.

VERS. XIV. *Sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum.*

Cum nihil aliud sit scandalum, quàm offendiculum, in quod quis ad ruinam impingit; sitque cautum Leuitici 19. *nec coram cæco pones offendiculum*, culpari non videntur, si offendant; vel saltem is, 15.
cuius causa labuntur, reus euadit. Ita planè, si ponatur offendiculum pusillis; infirmis scilicet ac ignaris, non eis reddita prius ratione operis aut sanæ doctrinæ, nec vlla præmissa admonitione; vbi id patiatur necessitas. Si enim vrgeat salutis nostræ articulus, nec possit opus differri, donec præcedat instructio: ordo charitatis exposcit, vt homo plus suam salutem spiritualem diligat, quam alterius. In casu; Christus Dominus satis superque integerrimæ suæ virtutis ac purissimæ sanctitatis argumenta Pharisæis consciens ostenderat: at illi *tunc* immo ait Euangelista in faciem notatis discipulis de inablutione manuum, calumniari sunt ausi. Mira peruersitas! *tunc*: patrato tam ingenti miraculo, vtique diffamato,

to, tunc criminantur. Peruenit etiam ad eos, quòd turbas docet; *non quod intrat per os, coinquinat hominem*: (manifesta adeo veritas, vt sit extra teli iactum) ad sua sensa extorquentes, quod rectè ipse loquitur. (Prouerb. 8. *recti sunt sermones mei intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam*) Tantum abest, vt verbum Domini examinent aut expendant, quin potiùs *audito eo*, (vix audierant) mox *scandalizati sunt*. Quod tamen, si intelligere studuissent, poterat exoriturum scandalum, quoad tactam oscillationem cæremonialium obseruantiarum, præpedire, aut exortum sedare. Est quippe sufficientissima non tam inuoluta, quàm patens ratio, quòd aliquid mysterij in ciborum discretione lateat; quando claret, hominem etsi inquinaretur ex aliquorum esu, non tamen coinquinari; hoc est in anima, quantùm est ex eorum natura & substantia, non immundari: proinde aliud intendi & significari, dum aliquando & non semper vetiti sunt. Neque enim ante Moysi tempora, per legem aliquam scriptam proscripti sunt. Quamuis interno quodam instinctu, & Maiorum traditione, quod deinde litteris mandauit Moyses, obseruarent, Genesis 9. *carnem cum sanguine non comedetis*; prælúdendo cæremoniali futuræ legi. Sed quia, vt ait etiam Profanus; *syncerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit*; verbum Domini, quod rectum est *intelligentibus*, vt ait Salomon, ipsi qui *sine intellectu* sunt (mox ait discipulis; *adhuc & vos sine intellectu estis*) peruersum esse gratis blasphemauerunt. Ideo, quod poterat in eis pusillorum esse scandalum, transiuit in malitiæ offensionem: ex quo fit, vt *coram cæco non sit positum offendiculum*, immo potiùs è medio, ne impingeret quispiam, sublatum, sed cæcitas inciderit pharisaica, vt habet psal. 7. *in foueam quam fecit*. Hoc totum vocula illa *sinite* dignatur Christus Dominus manifestare. Cùm enim vnum sonet, *sinere ac permittere*: dum permissiuè duntaxat (Domini certè exemplo, qui Act. 1. *cœpit facere & docere*) in huiusmodi se se gerere debebant discipuli, argumento est, concursu aliquo morali minimè ad Pharisæorum scandalum, cooperatum fuisse. Cooperatur autem quis alterius ad peccatum moraliter Theologia in sana; cum *mutus* est, *non obstans, non manifestans*, cuius reitatis expers est, qui solùm permittit vel sinit: ergo cùm de permissione mera introducitur; *sinite illos*, nec *mutus*, nec *non obstans*, nec *non manifestans* fuit Dominus; immo *manifestans, obstans & loquens*, vnde aiunt discipuli, *audito verbo hoc*: igitur ex malitia *scandalizati sunt*, quia non acquiescunt. Et quoniam subdit, *ambo in foueam cadunt*, eorum consensum in malitia significat; *ambo*; sic vt impleatur illud ex Malachia cap. 2. supra allegato; *disperdet Dominus Magistrum & discipulum*. Profectò minores cauti ducatum eius quem vel audierint esse cæcum, prudenti debuissent respuere consilio; vel saltem non eis tradi, & adhærere, donec res clareat. Ad rem; palam nouerant Turbæ, deprehensos Pharisæos & Scribas in delicto transgressionis mandati Dei, suas ob traditiones. Vnde obmutuerunt. Circumspectè ergo vbi innotuerit vel vnus error, minoribus est agendum, ne cæco cæca electione insistant ductui; nedum enim ductor sed & ductus, *ambo in foueam cadunt*, culpata scilicet ignorantia, quæ malitiam sapit, malitiamque scandalo ingerit. *Ignorans* quippe 1. Corinth. 14. *ignorabitur*. Quam maculam & Pharisæi & sequaces eorum euasissent, si absque Domini contemptu, absque verbi auditi repudio, saltem sententiam recogitassent, soliciti de veritate capienda. Quemadmodum fecere illi, qui Actor. 17. audito de resurrectione Apostolo dixerunt; *audiemus te de hoc iterum*: iterato enim idcirco dignatur occasione rogantis Petri de his agere; vt discamus gradatim vbi obscura laboramus intelligentia, illuminari.

VERS. XV. *Edissere nobis parabolam istam.*

VERS. XVI. *Adhuc & vos sine intellectu estis*;

Venerat mihi in mentem, vt ignorantiam verbi 16.
Domini, non quidem Petrus, qui mox cap. sequenti, fuit Patris reuelatione illustratus dicens; *tu es Christus filius Dei viui*: sed alij discipuli passi essent: in quorum persona requisisset Petrus, *edissere nobis parabolam istam*: ex quo & Dominus ad omnes sermonem seu increpationem dirigit, subdens; *adhuc & vos sine intellectu estis*. Sed mihi quæ aliunde habentur meliùs consideranti, etsi ex corde plaudam hic & alibi præluso primatui Petri; qui pro alijs loquitur; non possum à communi Patrum sensu discedere, vt & Petrus verbi seu sententiæ Domini ignarus esset. Quod verbum certè intelligentia multiplici grauidum erat; sobrièque etiam à Domino declaratur; quia qua neglectus culpa, *adhuc sine intellectu* fuerant, pleniorem demerebantur audire explanationem. Recolo igitur nec statim post passionem aduentumque Spiritus-Sancti, fuisse momento de cunctis Apostolos edoctos, de cunctis, inquam, quæ ad Ecclesiæ Regimen pertinerent: quamuis opportunè pro tempore, semper adfuerit eis diuinum lumen, quo vera à falsis discernerent, certaque à dubijs insurgentibus separarent. Sanè, cùm Petrus Actor. 10. visionem mentis excessu vidit, lintei illius decantati, cum omnibus in eo collectis immundorum generibus, dictumque est illi; *surge Petre, occide, manduca*; respondit reluctans Petrus; *absit Domine; quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*; seu *quia commune aut immundum nunquam introiuit in os meum*; vt patet Act. 10. & 11. Quæ quanquam sicut & præsentia ad nostram doctrinam, & facta & scripta sint, iuxta vniuersale Apostoli documentum, Roman. 15. attamen negari nequit fundamentum subesse veritatis; sic vt Petrus reuera, vetitos nunquam ad illud vsque tempus cibos mensæ admisisset. Ex quo euidens videtur fieri, non hìc Dominum adhuc intendisse antiquam elidere obseruantiam, nec de hoc palam, nisi sublatenter, commonere discipulos: qui deinde possent Act. 15. afflante Sancto-Spiritu, quidnam agendum esset, definire: *Visum est Spiritui-Sancto & nobis*. Igitur coarctetur in superficie sermo, vt velit pro nunc Dominus, errorem de corde turbarum auellere, quo sibi suasum fuerat, esse suapte natura immundos cibos, eos omnes; quod sensim fieri poterat Deo iniurium, atque in Manichæorum postea munimen. Et præterea, velle etiam, crediderim, exstimulare eos potiùs ad vitij abstinentiam: si fortè minùs soliciti de arcano sensu, literali corporalique obseruantiæ, neglecto spiritu, ardentiùs vacabant. Itaque cùm multiplex in his tegatur eruditio; nempe Gentiles significari tanquam immundos, vt in Actis in visione Petri: item esse in figuram; ex quo debeat huiusmodi obseruatio cessare: item in typum esse vitiorum immundos cibos: hoc postremum duntaxat videtur velle impræsentiarum reuelare ac detegere Dominus; vt scilicet inde quoque, vt dicebam, admoneat, substantiam creatarum rerum non esse malam. Et quia quomodocumque accipiatur, diuinum hoc fuerat mandatum, ascitumque diuinitus in significationem; ideo intellectu opus erat ad id percipiendum: præsertim, cùm de illo, & ad illud Dominus pronunciasset; *non quod intrat per os coinquinat hominem*. Mitiùs tamen, quàm Pharisæos increpat discipulos Dominus, quia illi & habitu *fuerunt*, vt dicitur Iob 24. *rebelles lumini*: isti verò quasi somniculosi, vecordes non intellexerunt: sicut sequenti capite ad eosdem ait; *nondum intelligitis*;

gitis; & apud Marcum 6. *non enim intellexerunt de panibus*. Et quamuis subdat ibidem Marcus; *erat enim cor eorum obcæcatum*; adhuc in eis non deprehenditur, culpabilis adeo, seu etiam ex malitia cæcitas; qualis in Pharisæis, qui Maiorum munus obibant, facti duces sua cæcitate cæcorum.

17. Igitur ly *adhuc & vos sine intellectu estis*, non omnino eos excusat, si non percipiant; quia super omnes, *facit Pater, qui in Cœlis est*, vt dicitur supra 5. *oriri suum solem*. Si intendissent aciem mentis, intellexissent. Cum ratio non solicitatur, ex remissione voluntatis, negligentia S sine dubio est, quæ non caret culpa. Hanc ab eorum oculis excutit suauiter increpans, *adhuc & vos sine intellectu estis*. Verum fortassis non ad omnes, sed illorum quosdam directa reprehensio est: quia non dicit *vos omnes*, vt aliàs fit; sicut est illud; *omnes vos scandalum patiemini in me*, infra 26. Dignatur itaque quod & cunctis prodesse possit, imbecillitati condescendens, magis quod dixerat manifestare. Recole aliàs *intellectum* ferri in ea quæ latent, intima cognitione, vel ex nomine. Latet autem sub similitudinibus & figuris veritas figurata, vt notatur 2. 2. q. 8. a. 1. Quis scit; non ideo dicantur *sine intellectu?* nedum defectu naturalis luminis, sed supernaturalis doni intellectus priuatione, aut non vsu. Naturali lumine agnosci poterat, non inquinare animam cibos quosuis; supernaturali autem, per figuram vetitos quosdam.

S 2. 2. 54. 3.

VERS. XVII. *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?*

18. Hæc veritas altioris, vt patet, non est ordinis; quia in huius notitiam potest homo naturaliter per sensibilia deuenire. Ad huiusmodi habet intellectus humanus intelligibile lumen sufficiens: vnde & cognoscere potest per illud huiusmodi veritates. Quæ quidem cognitio, nihil aliud est, quàm vsus vel actus luminis intellectualis. Doctrina T hæc est Diui Thomæ. Ecce ex hac, quo sensu dicantur discipuli *sine intellectu*; hoc est, vt exponere possumus, sine vsu vel actu luminis intellectualis, respectu primæ sententiæ Domini, quæ satis nota erat, suapte natura: licet secunda hæc, quæ sensum magis concernit, adhuc sit notior. Difficultas solum oriri potest, nisi penitus introspiciatur, quomodo omnino verum sit; *omne quod in os intrat, in secessum emittitur*. Notat Hieronymus, qualiter *hanc sententiam quidam calumniantur, quod Dominus physicæ disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, & in secessum digeri: cùm statim infusæ escæ, per artus & venas, ac medullas neruosque fundantur*. Respondet Hieronymus: *sed sciendum, quòd tenuis humor & liquens esca, cùm in venis & artubus concocta fuerit, & digesta, per occultos meatus corporis, quos Græci poros vocant, ad inferiora delabitur, & in secessum vadit*. Hanc responsionem honestat Angelicus in quantum V potest, quicquid in alimento generatur, per calorem naturalem resolui, & per poros quosdam occultos emitti. Simpliciter X ibidem docemur, aliquid de alimento conuerti de facto in veritatem humani corporis & naturæ. Quare Dominus, qui scientiam omnem habuit infusam, A immo & acquisitam; absit potuerit hoc nescire. Quinimmo sententiæ castigatione hoc ipsum indicat. Non enim, vt expenditur, B dicit, *totum quod intrat per os*; &c. sed *omne*. Quod nempe verissimum est, quia oportet, quòd de quolibet cibo aliquid impurum per secessum emittatur. In sententijs hoc magis explicat C præmittens distinctionem, vt dictio *omne* non designet totum integritate, sed quantitate. Vnde non oportet, quod totum per secessum emittatur, sed quod de quolibet aliquid secedat. Et hoc,

T p. 2. 109. 1.

V p. p. 119. 1. 1.

X loc. cit.

A 3. p. q. 9. & 4.

B p. p. cit.

C 1. sent. 10. q. 2. 1. 1.

inquit, est necessarium, quia oportet puri ab impuro separationem fieri. Neque pro impuro intelligit, quod terrestre aut crassum est; sed quod est dissimile nobis nutriendis. Omnis quippe cibus in principio est dissimilis: vnde si ad similitudinem reduci debeat, oportet quòd tollantur illæ partes, secundùm quas dissimilitudo erat. Verbi gratia: si in cibo dominentur partes terrestres magis, quàm in eo qui nutritur, oportet id quod terrestre est, remoueri; & quod subtilius est, assumi. Et similiter etiam quæcunque partes magis dominentur. Et si obijcias; sequi exinde, vt nullus, cuiuscumque qualitatis sit, cibus nutriendo noceat, quandoquidem, dum expurgat eum naturæ vis à dissimili, solummodo ad se trahet, quod est simile: & sic noxia minimè erunt alimenta quæuis, siue calido excedant vel frigido, humido aut sicco. Respondeo sequi nutriti intemperiem, eiusdem læsionem subinde, si excedat qui ingeritur cibus; sic vt suo excessu vincat nutriendi crasin seu temperamentum. Ratio est, quoniam etsi vis nutritiua studeat nonnisi quod est simile trahere in corporis vnitatem, arcendo quantum potest dissimile & excedens: attamen patitur potius alterari corpus, atque degenerare in noxiæ qualitatis commistionem, quàm omnino nutrimento fraudari: fitque ita, vt quis calidorum, v. g. ciborum, vinique interdum nocumenta experiatur & doleat. Doctrinam Angelici proferre videtur sic funditùs expensus Ecclesiasticus, dum ait capit. 37. *noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas*. Et ecce ly *omnem escam* comprobate legitimum sensum Domini dicentis *omne quod in os intrat, in ventrem vadit*, &c. Quod etiam elicitur ex verbis Petri Actor. 10. vbi ait; *nunquam manducaui omne commune & immundum*. Stat ergo ly *omne*, pro numero, non pro integritate. Sic enim dixisset *totum*; sicut aliàs in Scripturis; vt est; *diliges Dominum Deum tuum in to[t]o corde tuo*. Sit hoc aduersus Philosophos illos, quos tangit & Hieronymus, & Sanctus Doctor, volentes totum emitti, nihilque in humanam naturam conuerti: D sed solum quod tractum est ab Adam, multiplicari. Vnde & artifices plumbum ponunt cum auro, vt plumbum consumatur, aurumque conseruetur. Sic putant resistere cibos; ne calor naturalis consumat illud, quod est de veritate naturæ.

D D. Th. hic & p. p. 119. 1.

Sed fortasse insurget quispiam; ex sententia Domini, *omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, non videtur colligi, non inquinari hominem ex cibis; præsertim si præmissæ stetur eruditioni de separatione dissimilis; quia cùm interdicta edulia excedant vel in siccitate, vel in humiditate, vt inducit E Angelicus, procul dubio nonnihil excedentis qualitatis in alendum corpus nostrum transmittunt; & consequenter fit corpus immundum: vnumquoque enim dicitur impurum & immundum, vt pronunciat F alibi, ex commistione vilioris; sicut argentum ex commistione plumbi, vel stanni. Vilius autem videtur esse, quod à temperamento cadit humano. At quamuis excessus huiusmodi vilitatem, proinde immunditiam formaliter, vt dici solet, non adferret; certè causaliter; nam vt idem *in prima secundæ* tradit; superflua humiditas vel siccitas corruptos G humores in corporibus humanis generant. Respondeo paucis; non negare Dominum ab huiusmodi cibis esse immunditiam quandam corruptionis, atque adeo inquinare: sed nihilominus, non coinquinare, vt supra animaduerti: neque enim anima superfluis his qualitatibus affici potest. Et si obijcias ad alteram partem nullam escam vitari debuisse, quamquam præpolleat nimis qualitate aliqua; eoquod passim hominibus proficiunt potius alimenta qualitate aliqua intenso gradu 19.

E p. 2. 102. 6. 2.

F Rom. 1. l. 7. & 2. 2. q. 8. 2.

G p. 2. cit.

sicca vel humida, puta phlegmatico temperamento sicciora prosunt: (contraria quippe contrarijs curantur) gratis ergo interdicti sunt ciborum nonnulli; quandoquidem quod vni nocet, alterum iuuat.
H p. p. 91. 3. Respondeo, hominem inter omnia animalia H habere temperatissimam complexionem, perfectamque æqualitatem: quamuis præ alijs animalibus respectu sui corporis habeat maximum cerebrum; cuius frigiditas aliàs temperat cordis calorem, quem necesse est in ipso abundare, ad hoc quòd homo sit rectæ staturæ. Proinde si ab hac æqualitate deficiat, sic vt exigat pro defectu supplendo, frigidis modò, modò calidis, siccis aut humidis excessu quodam cibis ac alimentis vesci; id per accidens dicendum est; ex morbo scilicet aut ex parentibus; qui & ipsi extrinseca, vel intrinseca aliqua certè de causa à primæuo, quod natura intendit, temperamento degenerarint.
I p. 2. 20. 5. At quoniam I iudicium de re non datur secundùm illud quod est per accidens; sed solùm, secundùm id quod est per se, ideo absolutè ab huiusmodi abstinuisse cibis vetitis laudatum est. Et si adhuc obijcias; non videri hoc per accidens, quod in pluribus deprehenditur: humanum enim temperamentum post Adæ lapsum mille ex causis exorbitat: vnde, quia contraria contrarijs curantur, vt diximus; excedentibus qualitate hac vel illa medicamentis & alimonijs intemperies vincenda est. Igitur potiùs, vno verbo, fuerat pro loco & tempore cauendum de cibis minùs idoneis, quàm eos interdicere, qui excederent humiditate vel siccitate. Respondeo verum esse (non tamen *per se*) assumptum; vix enim reperiri est hominem, qui ad perfectam complexionis æquitatem sit procreatus. Sed quamuis hoc stante communiter defectu, non ita appareat necessaria causa prohibendorum quorundam ciborum, quasi singuli respectiuè æquè prosint & obsint, circumstantijs Personarum attentis: nihilominus immo voluit Deus sic discerni, vt ex quo literalis deesset finis, intelligentia ad altiorem efferremur contemplationem; nimirum ad vitia perspicienda, atque per disciplinam præcauenda: de quibus mox.

20. Rogabis; quo pacto ad intentum faciat sententia Domini; *omne quod per os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* videtur enim fortiùs exinde inferri ciborum immunditia, vtpote quia fuerunt recrementis & fæcibus priùs commisti. Respondeo; intendisse vtique Dominum inde inferre à peccatis nos magis coinquinari: sed hoc non tam necessitate consequentiæ, quàm exacti discursus alicuius excitatione. Crassa enim Iudæorum semper fuit scripturarum intelligentia; quæ carnalis est adhuc *literæ vetustate*, vt Roman. 7. ait Apostolus. De eis Augustinus; *quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant*. Sic ergo videtur eos hinc atque hinc exagitare, vt aliquando cæcorum aperiat oculos, aliorum saltem relatu præsentis, quod reor, taciti dilemmatis. Si sordidant cibi hominem, cur non omnes? omnes enim sordescunt æquè resoluti in secessum. Si ciborum nonnulli non sordidant: cur hanc quidã habent exceptionem? si æquè omnes à fæcibus expurgantur. Et hoc videtur etiam insinuari dum interserit, *in ventrem vadit*, cùm suffecisset quod adiectum est, *in secessum emittitur*. Sed voluit separationem innuere, quia *in ventrem vadit*: nèque enim quod in os intrat, *in ventrem vadit*, nisi perfecto seiunctoque chyli succu, qui ex ventriculo in iecur descendit; & tunc per pylorum, qui est meatus quidam ventriculi inferior, emittuntur in intestinũ excrementa: quod est *abire in ventrem, quod per os intrat*. Quanquam apud Marcum c. 7. *in ventrem ire* dicatur, quatenus *non intrat in cor*. Vel ergo erunt omnia immunda, vel omnia munda. Hinc certè subradiat, altius aliquid latere in ciborum discretione. Vnde immisso Spiritu-Sancto in corda fidelium fit ex Angelico L vt intelligant spiritualiter, quod Iudæi carnaliter intelligunt. Sic ibi Apostolus ad Corinthios; *litera occidit, spiritus autem viuificat*, pergit dicens; *sed obtusi sunt sensus eorum, vsque in hodiernum diem, id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti; manet non reuelatum; (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*, Subditque; *Dominus autem spiritus est; vbi autem spiritus Domini, ibi libertas*. Ecce de Iudæorum cæcitate, Pharisæorum scilicet & Scribarum, eo quòd ait, *cùm legitur Moyses*; vtiq; Iudæorum Genti præ alijs. *Cæci sunt*, hic habes, *& Duces cæcorum*. Ecce de discipulis adhuc *sine intellectu*, dum Iudæos sapiunt carnales. Ecce de spirituali intelligentia doceri, sequenti textu. Ecce tandem libertas ad cibos omnes à Christo tacta. Reor autem, quasi ad discipulos præprobandos, (vel nos in illis) quo ipsius verba caperent, præhumiliatos experiri voluisse per increpationem. Adscribitur autem humilitati, legis intelligentia; iuxta illud ps. 118. *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*: & gradus humilitatis est, M in duris & asperis patientiam amplecti: quæ equidem vt vides, emicuit in eis, quanquam audissent, quasi dura, *adhuc & vos sine intellectu estis*. Dicendum ergo ipsis fuit, sicuti & nobis; *da mihi intellectum vt discam mandata tua*: ps. 118. *& appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: iuxta eloquium tuum, da mihi intellectum*: quemadmodum Amaoni & Cleophę Lucæ 24. *aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas*. Itaque

L 1. Cor. 3. 1. 3.

M 2. 2. 161. 6. 1.

VERS. XVIII. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt; & ea coinquinant hominem.*

21. Duplex apparet immunditia ex cibis immundis; exterior nimirum & interior; seu oris & pectoris; ad quas literaliter indicandas habemus in Actis Petrum cap. quidem 11. quantùm ad os attinet; *nunquam commune & immundum introiuit in os meum*; quãtùm verò ad cibi traiectionem; ex quo nutrimur c. 10. *nunquam manducaui omne commune & immundũ*. Ergo ly *de ore* indiuisim pro corde accipi potest; quia duplex est os, siue duplex locutio; N scilicet interius & exterius. Vnde toties in Scripturis, *dixi in corde meo, & dixit in corde suo*. Sed arridet magis, disiunctiuè accipi, quanquam nõ seiungantur ab inuicem; eoquòd vt ait Dominus supra c. 12. *ex abundantia cordis os loquitur*. Itaque intendit Saluator allegoriam edisserere, quam lex inuoluit in ciborum discretione immundorumque interdicto; proutmox subiungit: Ezechiele cap. 14. concinente; *posuerunt immunditias suas in cordibus suis*.

N hic & Ps. 14. in calce.

VERS. XX. *De corde enim exeunt cogitationes malæ*; &c.

22. Incipit à corde: qua de causa, vetiti sint cibi immundi, primò aperiens; nimirum ad significandam interiorem animarum immunditiam. Et quia, nedum penetralia sunt homini in corde; sed, quod ait Hieronymus, in ipso, *principale est animæ*; liquet sermonem fieri de animæ inquinamento. Pergit autem Dominus, & percenset, quæ exeant de corde; *cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, falsa testimonia, blasphemiæ*. Percurrit autem sic præcepta Decalogi; quanquam de honore Parentum, nihil expresse dicat, tanquam supra de illo sit facta mentio: primæque tabulæ colligit in eo quod blasphemias commemorat, medium tangens mandatum; *non assumes*, Exodi 20. *nomen Domini Dei tui in vanum*: vt à medio capiantur extrema; primum & tertium: *non habebis Deos alienos coram me; & memento, vt diem sabbati sanctifices*. Mira est Angelici doctrina, O diuidi peccatum in peccatum cordis oris & operis. Prima quippe peccati inchoatio, est quasi fundata in corde. Secundus gradus eius est in ore; secundùm quòd homo prorumpit faciliè ad manifestan-

O p. 2. 72. 7.

ſtandum conceptum cordis. Tertius gradus eſt in conſummatione operis. Iracundus enim, ex hoc quòd appetit vindictam, primò quidem perturbatur in corde; ſecundò in verba contumelioſa prorumpit; tertiò verò procedit vſque ad facta iniurioſa. Et idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato. Quid ad rem opportunius? ecce Dominus de peccato cordis, de peccato operis, & de peccato oris in falſis teſtimonijs, & blaſphemijs palam.

23. Sed dices ex eodem Angelico, ſcimus, conſummationem peccati eſſe in opere, vnde & in confeſſione dicimus *cogitatione verbo, & opere:* cur ergo Dominus cœpit à corde, tranſijt ad opera, tertióque deuenit ad verba? Reſpondeo alto id factum conſilio; nam cùm in homine triplex reperiatur veluti portio; nimirum concupiſcibilis, iraſcibilis, & rationalis; à primæua rectitudine (Eccleſiaſtes 7. *hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum*) obliquè valde, in ipſis poſt Adæ lapſum, communis eſt deprehenſa corruptio. Hinc Angelicus P propter corruptionem iraſcibilis, ex qua proni erant Iudæi ad vxoricidium, permiſſus eſt (Deuter. 24.) eis libellus repudij: propter corruptionem in concupiſcibili, permiſſum eſt eis, ad extraneos fœnerari: (Deuter. 23.) propter corruptionem ſuſpicionis in rationali, (ne ſola ſuſpicio apud eos iudicium corrumperet) permiſſum fuit eis ſacrificium zelotypiæ. (Numer. 5.) A vena huiuſmodi corrupta, corruptas quoque tres eſſe deriuationes ſatis innuit Dominus. Quoad iraſcibilem; ecce, *homicidia:* quoad concupiſcibilem; ecce, *adulteria, fornicationes, furta;* quoad rationalis corruptionem; ecce, *falſa teſtimonia, blaſphemiæ.* Igitur quantum fieri poteſt ſeruatur Decalogi ordo, præmittendo de fornicatione; deinde de furtis, itemque de falſis teſtimonijs: ſed non ita ordo graduum peccati; quod concipitur corde, manifeſtatur ore, & opere conſummatur; quia corruptio in parte rationali, quantùm ad actus inordinatos, eſt ab appetitu. Appetitus enim noſter ſenſitiuus, qui Q diſtinguitur in iraſcibilem & concupiſcibilem, talis eſt, vt ipſius paſſionem plerunque R ſequatur iudicium rationis, & per conſequens motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi iudicium rationis. Benè itaque, quod attinet ad corruptionem partis rationalis, (quantumuis ore contingat) memoratur à Domino, tanquam quid conſecutum tertio loco; *falſa*, inquit, *teſtimonia & blaſphemiæ.* Veruntamen, non ideo, vt directè, ſed indirectè dicatur pars rationalis à paſſione appetitus moueri, vt ibidem. Habetur autem ex verbis Domini, corruptam quoque moraliter & voluntatem; cùm ab illa, ex qua peccatum omne eſt, ſint omnia huiuſmodi mala, malæ etiam cogitationes. Ideo voluntas intelligitur per cor. Nam ſicut cor S corporale eſt principium omnium corporalium motuum; ita voluntas eſt principium omnium motuum ſpiritualium. Et ecce adhuc tangi de quatuor naturæ noſtræ vulneribus; malitiæ ſcilicet in voluntate; vnde malæ cogitationes: infirmitatis in iraſcibili; vnde homicidia; concupiſcentiæ in concupiſcibili; vnde adulteria fornicationes & furta: & ignorantiæ in ratione; vnde falſa teſtimonia & blaſphemiæ. Quando huiuſmodi quatuor animæ potentiæ, ſubiecta deberent eſſe virtutum: prudentiæ ratio, iuſtitiæ voluntas; iraſcibilis, fortitudinis; & concupiſcentia temperantiæ T. Hæc autem poteſt eſſe profunda ratio, quare compendioſè magis quàm Marcus ad hæc duntaxat capita arctetur Matthæus, qui lapſi hominis in peccato originis ſauciam animam verſat.

P 4. ſent. 33. q. 2. a. 1.

Q p. p. 81. 2.

R p. 2. 77. 1.

S 1. 2. q. 44. 5.

T p. 2. 85. 3.

24. Quæ hactenus tanti ponderis expendi datum eſt, verba Domini, operæpretium eſt nitamur ex obſeruantia ciborum deducere: latent enim eo in mandato omnia profundo ænigmate. Et quidem per animalia huiuſmodi prohibita deſignari aliqua V peccata, in quorum figuram prohiberentur, conſtantiſſimum eſt. Singillatim, appoſitè percurrit ibi Sanctus Thomas figuraliter ſingula. Docuerat autem, loco ſupra X citato, peccati gradus, cordis oris & operis in omni inueniri genere. Si ergo in ira & luxuria, quidni & in gula? Cauetur ergo, in præcepta à quibuſdam abſtinentia, nedum abſoluta elongatio à peccatis; iuxta quod Iſaiæ 58. ait de ieiunio; *nunquid tale eſt ieiunium, quod elegi? nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? diſſolue colligationes impietatis*, &c. Sed ne in gulæ vitium exorbitent. Præterea, ſicut in expoſitione Domini, corruptio virium & rationalis etiam deprehenſa eſt: ſic vetitis cibis, qui vt vidimus corruptos generant humores, ad ternam hanc corruptionis immunditiam reſpexiſſe legem, videtur. Certè, dum exceſſum prohibet ſiccitatis, (quod in cholericis & aduſtis, puta in leonibus; qui ob nimiam ſiccitatem feruntur carere in oſſibus medulla.) iraſcibili ſic intendit occurſum iri: & ex aduerſo pugnari in concupiſcibilem, ſi humidæ nimis carnes & piſces, proinde molles pariter prohibentur. Corruptioni rationalis partis etiam obuiatur hac obſeruantia; eo quòd inducta eſt in deteſtationem idololatriæ Gentilium, præſertim Ægyptiorum inter quos erant nutriti; qui animalia iſthæc prohibita idolis immolabant, vel eis ad maleficia vtebantur. Pro me ergo A doctrina Angelici.

V p. 2. 102. 6. 1.

X p. 2. 72. 7.

A p. 2. 102. 6. 1.

Supereſt quemadmodum in ſententia Domini, ſic in cæremoniali de cibis obſeruantia, agnoſci etiam inſinuata, quæ diximus, quatuor vulnera. Et in primis concupiſcentiam concupiſcibilis, quis non nouerit, dum deſiderata eſt temperantia ab his iiſque cibis? Si paſſio gulæ impellit, hoc mandato reprimitur. Quo facit ex p. 2. 102. a. 6. ad 2. eſus carnium pertinet ad quaſdam delicias, & curioſitatem viuendi. Et ideo Dominus volens reducere populum ſuum ad ſimpliciorem victum, multa in genere animalium eis prohibuit. Infirmitatem iraſcibilis quis non videat; quando ad fortitudinem recurritur, ſi timor pœnalis laborioſæ obſeruantiæ fortaſſe retrahat? Quis malitiæ vulnus non capiat; ſine violato naturæ iure, corporis læſio ex cibis noxijs ſequatur, promouetur voluntas hanc ad iuſtitiam? Denique ignorantiam rationis quis non recoluerit, quantum ſcilicet naturæ vulnus; ſi prudenti vt dictum eſt conſilio, communes cum Gentilibus cibos vetuit Deus; ne fortè obſcurata mente cultus impius ſubreperet? Vide de virtutibus his cardinalibus B ſuis locis. Claudit meritò Dominus; *hæc ſunt*, (nimirum quæ explicui, quæque obſeruantiam poſcunt) *quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Cum verò ad rem magis videretur clauſula; ſi dixiſſet; non autem quod per os intrat, coinquinat hominem: notat Angelicus C ita concluſiſſe, vt principali intentioni reſponderet. Perſpectè quidem; quoniam de incuſatione aduerſùm diſcipulos, quòd non lotis manibus manducent, nullam pronunciauerat antea ſententiam. Aliàs etiam ſatis innotuerat, ex ſermone præmiſſo, quæ intrant per os, non coinquinare hominem. Vnde extendit etiam aduerſùs humanam traditionem Phariſæorum atque Scribarum, quod definitiuè aſſeruerat; nempe ſola peccata coinquinare hominem; *homicidia*, &c. Non ſolùm ergo quod per os intrat, non ſordidat; ſed neque inablutis manducare manibus coinquinat hominem. 25.

B p. 2. 61. 2. 1.

C D. Th. hic.

26. Etſi dicas quid fuit neceſſe in lege ad inſtruendos homines de vitijs & peccatis, quæ ſordidant animam, ſic quaſi ænigmaticè de eis ſub typo ciborum

immundorum fieri inhibitionem: præsertim quia palam in Decalogo tanquam prohibita promulgantur? Respondeo, non id factum esse ad agnoscenda l c figuraliter vitia; quæ literaliter iam patebant; sed vt ediscerent sibi in lege vires non esse, quibus præcepta in lege possent implere. *Per legem enim*, Roman. 3. *cognitio peccati*; at non sic per legem gratia; quia Ioannis 1. *lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Constantissimum quippe est dogma Theologis, D idque aduersus etiam hæresin Pelagianorum, non posse hominem absque gratia sanante, & sanctificante implere legis mandata. Et sic etiam non potest homo in statu naturæ corruptæ, totum bonum E virtutis etiam acquisitæ per sua naturalia implere. Vnde in huiusmodi statu, nisi per gratiam F infusam reparetur, tanquam infirmus, nequit aliquando non labi in peccatum. Et hoc est quod ait Apostolus; Rom. 8. *nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*: scilicet propter infirmitatem carnis, quæ erat in homine ex corruptione fomitis: ex qua proueniebat, quòd etiam lege data homo à concupiscentia vinceretur. Ignarus suæ miseriæ populus ille, audacter nimis aiebat Exodi 19. *cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*; & cap. 24. *quicquid præceperit Dominus, faciemus*. Vbi glossa, *ac si dicerent, non deest qui impleat; sed deest qui iubeat*. Igitur præterquamquod cessurum erat, in veram Christi Domini agnitionem, legisque gratiæ in obsequium; decuit illud executioni mandari, quod legitur Iudith 6. *præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias; quemadmodum, non derelinquis præsumentes de te*. Sic ergo voluit Deus eos commonere de imbecillitate virium & impotentia; vt ita corporalibus addicti obseruantijs, deprehenderent se ad spiritualia minimè idoneos: detentique exercitamentis puerilibus, discerent se ad virilem virtutum disciplinam nondum prouectos: signisque & figuris conclusi, experirentur inuiti, non eis à natura datum, vt ad figurata pertingerent. Non desunt, quæ suffragentur loca Scripturæ. Galat. 3. *prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi; in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit*. Ad Coloss. 2. *nemo autem iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi*, &c. *quæ sunt vmbra futurorum*: & Hebr. cap. 9. *in cibis & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*. Quamuis ergo lex vetus contineret G præcepta moralia: plura etiam H superaddita ad Decalogum; quinimmo de actibus I omnium virtutum: postquam homo est instructus per legem, conuicta est eius superbia L de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoscebat. Et ideo Apostolus, vt nuper vidimus Roman. 8. ait, *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum*, &c. Inde est legem veterem M fuisse quidem bonam, sed imperfectam, Hebr. 7. *nihil ad perfectum adduxit lex*. Vnde præcepta legis moralia N iustificare non poterant homines iustitiam causando. Et sic nec cæremoniæ vim O habebant iustificandi: sed poterat mens fidelium tempore legis per fidem coniungi Christo incarnato & passo; & ita ex fide Christi iustificabantur. Cuius fidei quædam protestatio erat huiusmodi cæremoniarum obseruatio, in quantum erant figura Christi. Pulchra huc attinet ad Gal. 5. sententia, vt expenditur ad Rom. *euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis*. Et Augustinus in ps. 129. non data est lex quæ posset viuificare: de quibus vide ad Galat. 3. l. 7. Ephes. 1. l. 3. Titi 1. l. 1. Subdit autem; hoc ipsum, quod veteris legis cæremoniæ à corporalibus immunditijs expiabant, erat in figuram expiationis à peccatis, quæ fit per Christum. Sic cum in figuram quorundam peccatorum prohiberentur, vt diximus, illa animalia, satis poterat colligi, expectandum esse Christum, per quem gratiam & virtutes adepti, non typo vitia elongarentur, sed veritate. In lege enim Euangelica sunt homini proposita vel scripto vel verbo documenta & præcepta ordinantia affectum humanum & humanos actus; p. 2. 106. a. 1. Certè arcanum quid portendebat prohibitio animalium non facilè reperiendorum, & ægrè, etiam, data cuique venia, edendorum, vt patet Leuitici 11. de mure, de lacerta, de talpa, &c. Nunc tempore gratiæ, quando diffunditur charitas in cordibus nostris, huiusmodi seruari cæremonias vetitum est: eoquòd sine illis obseruantijs iam viam mandatorum Dei currimus; iuxta ps. 118. vaticinium; *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*; scilicet P per donum gratiæ & charitatis. Sed fusè in Syntaxi. Per antiphrasin autem quæ immunda *intrarent* in os, significabant quæ moraliter coinquinantia *exeunt* à corde & ab ore. Quanquam, quæ immunda perciperentur, per egestionem comperta immundiora, possint etiam, quæ exeunt de corde, *cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes*, &c. turpi egressu, indicare. Cum & de luxuriosis exponatur illud Ioelis 1. Q *computruerunt iumenta in stercore suo; quod est, homines in fœtore luxuriæ suæ vitam finire*: quod ait Gregorius.

D p. 2. 109. 4. & 1. Cor. 12. l. 1.
E ibi art. 2.
F ibi art. 8. & Rom. 8. l. 1.
G p. 2. 99. 2.
H p. 2. 100. 11.
I ibi a. 2.
L p. 2. 98. 6.
M ibi art. 1.
N p. 2. 100. 12.
O p. 2. 103. 2. Rom. 3. l. 3.
P p. 2. 98. l. 3.
Q ps. 8. & opusc. 41. l. 5. c. 51.

VERS. XXI. *Et egressus inde Iesus secessit*, &c.

VERS. XXII. *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa*; &c.

Tyrus R vicina erat terræ promissionis. Eratque 27.
ex Remigio metropolis Chananæorum; Sidon terminus eorundem respiciens ad Aquilonem. Tacet autem Matthæus ingressam fuisse mulierem Domũ, vbi & erat Dominus, quem egressum deinde secuta est clamans, quia Syntaxi conferebat, vt adnotabimus. Opportunè autem, alijs prætermissis causis, Mulier *gentilis*, quod ait Marcus, seu *Chananæa* vt Matthæus habet, introducitur; quia sic via sternitur ad legalium obseruantiarum, ciborum & huiusmodi futuram abrogationem: siquidem quantum ad illa, quæ lex vetus superaddebat ad legem naturæ, solus Iudæorum Populus obligabatur: S (quanquam etiam extranei ad eandem legem prudenter admitterentur.) Multi quippe Gentiles, (non sub lege) sicut dicit Dionysius 9. capit. Cœlestis Hierarchiæ, per Angelos sunt reducti in Deum. Porrò quoad *iustitiam Dei, quæ est per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt in eum*, vt dicitur Roman. 3. *non est distinctio*; T inter Iudæum & Gentilem. Et mox; *arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? immo & Gentium*. Liceat ergo sic Pharisæis obijcere: Gentiles, nec lauare manus nec discernere cibos tenebantur; cum lex sit specialiter constituta populo Iudæorum: neque præceptum erat Gentilibus, vt Iudæi fierent quoad ritus & cæremonias: arbitrio enim eorum remittebatur; iuxta quod Exodi 12. legitur; *si quis peregrinorum in vestram voluerit transire Coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum genus*, &c. Cum ergo non minus sit Deus Gentilium, quam Iudæorum; fit inde manifestè, non adeò futuram fuisse inconcussam cæremonialium eorum obseruantiam, qua perpetuum esset à Gentibus Iudæorum diuortium; quando vni Deo æque per fidem subijcerentur. Non enim Deus iussit Gentiles circumcidi, nisi cùm vellent transire in Iudæorum *Coloniam*. Quid ergo scandali, si olfactam legalium vobis edicit Dominus cessationẽ; dũ ait; *quod intrat per os non coinquinat hominem*: alio adhuc sensu in ea adsociatiua dictione, *con*; quasi

R ps. 44.
S p. 2. 98. 5.
T Rom. 3. l. 3.

dicat;

dicat; etsi Iudæos, attento legis ritu, inquinari immunditia quadam corruptionis contingat, stante legis mandato, quibusdam ex cibis: non ita de omnibus hominibus fasciculo veluti vno fas est opinari; quia sicut ante mandatum, nec Iudæi inquinabantur; ita nec Gentiles, quibus mandatum non est, animalia ea inquinant. Inquinant ergo hominem; Iudæum scilicet: at non coinquinant, Gentili non comprehenso. Manifestè & Petrus Actorum 10. post visionem illam lintei vasis, in quo erant omnis generis immunda, vtique in figuram Gentilium, quam ad tempus non perceperat ipse Petrus, *aperiens os suum dixit: in veritate comperi, quia non est Personarum acceptor Deus*: & mox de Christo; *hic est omnium Dominus*. Quo nihil Paulo cohærentius dicenti; *an Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Immo & Gentium*. Quoniam quidem vnus est Deus; qui iustificat circumcisionem (idest Iudæos) ex fide, & præputium per fidem, (idest Gentiles.) Rom.3. Vtique. Et ecce mirabiliter à Chananæa quoque sic appellari; *miserere*, inquit, *mei Domine*: licèt sim Gentilis ego; tu quoque meus es *Dominus*. Planè communitate vnius fidei; de qua loco citato Paulus. Vnde, *& filium Dauid* vocat; & meretur audire à Domino; *magna est fides tua*.

28. Deprehenditur autem fidei mulieris huius magnitudo, si vis inuocationis eius expendatur. *Dominum* vocat; sed non sicut Sara Abraham *Dominum* vocabat, quod recolit Diuus Petrus in prima cap.3. sed altiori intelligentia: ex quo tanta commendatur fides. Nimirum fulgens veritatis radius eam perdocuit, quod Iudith 16. legitur; *Dominus nomen est illi*; & in psal.67. *Dominus nomen illi*. Tetragrammaton *Iehoua*, seu *Ioua*, quod est maximè proprium Dei nomen, V impositum ad significandam ipsam Dei substantiam (vt sic liceat loqui) singularem; quæ consueuit exprimi & efferri, vt patet exercitatis, per hoc nomen *Dominus*. Aiunt quippe ore vno Iudæi, suos Maiores ab ipso vsque Moyse, cui primùm traditum est, semper pronunciare solitos in Biblijs *Adonai*, quod est *Dominus*. Deo tamen soli tribui; vt *Adon* quemlibet *Dominum* significat. Et sic Septuaginta, Apostoli ac Euangelistæ, quod hebraicè scribitur *Ioua*, *Kirion*, hoc est *Dominum* perpetuò reddunt. Ambrosius ait, nomen *Dominus*, esse à potestate dictum. Titus; esse *nomen Maiestatiuum*. Redit in idem; quia Maiestas propriè X est summa Potestas. Ex hoc agnouisse Christi Diuinitatem pro comperto sit: quando Isaiæ 6. legimus de Deo, *plena erat omnis terra Maiestate eius*. Sed adhuc pressiùs fuisse illuminatam haberi potest, ex eo quod obiecit Saluator Pharisæis infra c.22. dicens, *quomodo Dauid in spiritu vocat eum* (Christum) *Dominum, dicens*; (psal.109.) *Dixit Dominus Domino meo? &c. si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere verbum*. Robur autem tantum obtinuit apud eos quoque isthæc auctoritas; *vt ex ea die* non fuerit *ausus quisquam eum amplius interrogare*. Dum ergo non de hoc mulier interpellatur, quando immo vtrumque iungit; *filium Dauid*, & *Dominum* ipsum vocitans; quid nisi mysterij compos ostenditur; cum Apostolo confessa nedum *Dei filium*, sed *factum ei ex semine Dauid secundùm carnem*. Ita & glossa; *Deum credit, vbi Dominum vocat; hominem, vbi dicit filium Dauid*. Ad hæc Hieronymus; *inde nouit vocare filium Dauid, quia egressa iam fuerat de finibus suis; & errorem Tyriorum ac Sidoniorum, loci ac fidei commutatione dimiserat*. Hoc ipsum agnoscit & Angelicus dicens, A etiam Chananæam admissam fuisse propter excellentiam fidei & deuotionis. Ob hanc excellentiam quamuis Dominus, supra c. 10.

V p. p. 13. 11. ad 1.

X Hebr. 1. l. 2.

A 3. p. 42. l. 3.

dixerit discipulis, *in viam Gentium ne abieritis*: quiquè mox subdit; *non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israel*: in persona scilicet, sic vt eis B se ipsum exhiberet; seu personaliter eas C visitaret; ac personaliter seu corporaliter D prædicaret: quia oportebat primùm aduentum Christi nunciari Iudæis; ne iustam haberent excusationem dicentes, se Dominum eiecisse: Ex quo ab Apostolo Rom.15. dicitur Christus *minister circumcisionis*; hoc est Prædicator & Apostolus: ob hanc inquam excellentiam impetrauit E quod erat supra legem; dictu, vt non esset posterior quàm ouium Israel, eius vocatio. Apud Angelicum ad Galat. ex Augustino; Christus in carne existens prædicauit Iudæis principaliter, Gentibus autem perfunctoriè.

B Rom. 15. l. 1.

C ps. 17. ad finem.

D Isaiæ 1. & Io. 10. l 4.

E D.Th. hic. Galat. 4. l. 3.

Mirabitur quis, (quod certè animaduertit Augustinus) cur Matthæus, sicuti Marcus facit, non adiecerit fuisse Christum *in Domo*, cùm ad eum venit hæc mulier? optaueritque fortasse; vt immo de Domo meminisset Matthæus etiam, relatu quodam ad illam de qua Act.2. *& repleuit* (adueniens spiritus) *totam Domum, vbi erant sedentes*; quando tanto spiritu feruet mulier isthæc; quando nedum fides, sed dona micant sapientiæ & intellectus. Respondet Augustinus, nihil officere, tacuisse Matthæum *de Domo*, ad quam priùs mulier properauit. Sed ambulantem postea secuta Dominum, ea quæ Matthæus enarrat, deprecatoria ad eum habuit colloquia. Verùm adhuc in Syntaxi arcanum quid effodietur: neque enim perperam tacuit Matthæus *de Domo*, qui aliàs supra cap. 8. & 9. tam frequens est in commemoranda hac vel illa Domo. Cæterùm in eo quod ait, *& clamabat*, omnia insinuat: fidem profectò manifestam: quia non iam in figuris & ænigmate, F vt ait alibi, denunciabatur. Ideo enim Baptista clamabat. Item clamor G sonat magnitudinem interioris affectus. Quoniam verò habet psalm. 28. *iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum*: quod de paupere spiritu longè à superbia, etiam H intelligitur: fas sit clamorem mulieris huius à nobis accipi de profundo humilitatis: ex qua tantam comparauit sapientiam, vt Christum Deum & hominem salutaret; Prouerb. 11. *vbi autem est humilitas, ibi & sapientia*. Dicente enim ei Domino; *non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; I probata est eius humilitas. Visus est contumeliam inferre Genti suæ; sed humilitatis est concedere contumeliam dictam. Præterea ille dixerat *canes*, ipsa dicit *catellos*. Item Saluator dixerat Iudæos *filios*, ipsa dicit *Dominos: quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*. Adde ly *de micis*, cum Dominus prænduxerat *panem*. Benè autem studiosa fit humilitatis; quia Ecclesiastici 25. *oratio humiliantis se, penetrabit nubes*; & psal. 101. *respexit in orationem humilium*. Quare cùm pariter Isaiæ 65. dicatur; *& erit, antequam clament, ego exaudiam*: liceat præexauditam asserere priusquam clamaret; & ad nostram doctrinam scripta hæc esse, reluctantiæ tam grandis ostensione: vt aptetur nobis illud Isaiæ 58. *clama ne cesses*; neque enim cessabat, de qua non legitur *clamauit*, sed *clamabat*. *Multum quippe valet deprecatio iusti assidua*: Et Ecclesiastici 3. *qui diligit Deum, in oratione dierum exaudietur*, non dicit *diei*. Denique Act.12. cùm *Petrus seruaretur in carcere, oratio fiebat, sed sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Fauet Chrysostomus; *mulieris filiam cum multa tarditate curauit, vt eius virtutem ostenderet*. Opportunè autem missis alijs capitibus sublime adeo specimen humilitatis Chananæa pratulit; dum à Diaboli malè torqueri filiam suam exposuit; quia, quod ait Angelicus, L *sola humilitate vincitur Diabolus*; iuxta illud psal.135. *in humilitate nostra memor fuit nostri; & redemit* 29.

F Ioa. 1. l. 9 & 12.

G Isaiæ 6. & psal. 28. lit g.

H ps. 18.

I D.Th. hic.

L Apoc. 2. Comm. 1.

nes ab inimicis nostris. Sic & in Sermone postquam docuit moraliter hac dæmoniaca intelligi animam
M Serm. Dom. 2. in Quadragesim. peccatricem; item postquam M percensuit septem vitiorum dæmonia, quæ multifariam eandem vexant, maleque torquent, subdit; valent autem ad liberationem huius dæmoniacæ quinque; primo humilitas; ibi; *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*: secundò patientia; quæ notatur in hoc, quòd tam patienter portauit improperium sibi à Domino illatum: tertio oratio; *miserere mei fili Dauid*: quarto perseuerantia: quod notatur; quia non cessauit donec obtinuit: quintò fides, ibi; *o mulier magna est fides tua*. Si ista quinque habueris, ab omni dæmonio, idest peccato liberaberis. Quod nobis præstet Christus; Amen.

30. Post hæc, nequit qui attentè considerat, ab his expediri contextibus, nisi explanari videat, quæ coarceruari possunt quæstiones. Cur scilicet durum responsum huiusmodi, similitudine canum, in malum aliàs inducta, Chananææ dederit? Similiter quid de pane introferri sermonem? cum expediens videretur magis; si quod Samaritana Ioan. 4. protulit, respondisset; nempe, *non coutuntur Iudæi cum Gentilibus*. Tertiò, quid Iudæos, quos paulo ante dixerat Hypocritas, nobili adeo decorare titulo, vt *filij* nominentur? *non est*, inquit, *bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus*. Quòd si exaudiri mulierem significauit, *non esse bonum*; cur mox mutata sententia, filiam ad votum liberat, Matremque de fide commendat?

31. Vt his fiat satis; si probat qui legerit, velim Dominum hic eo mulieri occurrere tropo, qui Rhetoribus Ethopœia dictus est. Nimirum, *cum certis quibusdam Personis, verba accommodatè adfingimus, vel ad improbitatem earum demonstrandam, vel ad dignitatem*; seu etiam; *est, affectuum quorumlibet, dictorumque imitatio, non sine reprehensione*. Latinè dicitur *figuratio*, vel *expressio*. Vt peritè tradit Caussinus; *de eloquentia sacra, & humana*. Scio peregrinam esse meditationem meam: at spero, cuique arrideat; si cuncta, prout decens est, perpendantur. Neque nunc primò in sacra Scriptura id genus tropi inuenitur. Esto exemplum: Ecclesiastes 3. *vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia; & nihil habet homo iumento amplius*. Et paulo post; *quis nouit; si spiritus filiorum Adam ascendat sursum; & si spiritus iumentorum descendat deorsum*? Certè
N p. p. 75. a. 1. ibi loquitur Salomon ex Persona insipientium, N vt exprimitur Sapientiæ 2. vbi palam præmittitur his, quæ leguntur in Ecclesiaste: *dixerunt cogitantes apud se non rectè*: & sequitur; *quia ex nihilo nati sumus; & post hoc erimus tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo, scintilla ad commouendum cor nostrum; qua extincta, cinis erit corpus nostrum: & spiritus diffundetur tanquam mollis aer* &c. Trahit autem
O 2. cont. G. c. 79. Angelicus O alibi etiam necessitatem huius expositionis; quoniam in fine libri Ecclesiastes, quasi determinando concludit, cap. scilicet vltimo: *& reuertatur puluis in terram suam; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Verum (& sit per transennam) vel ex ipso phrasis tenore, euincitur in persona dici quod supra, impiorum; quia indigna est Salomonis: (de quo cap. eodem 12. *cum esset sapientissimus*) quandoquidem conglomerantur verba sine vlla emphasi nugatoriè; puta; *vnus est interitus hominis, & iumentorum*: & mox; *sicut moritur homo, sic & illa moriuntur*: præterea interserit; *& æqua vtriusque conditio*. Quare satis constat, esse insipientium, ac impiorum inconstantem cogitationem expressam: eoquòd *impij, quasi mare feruens*; Isaiæ 57. *quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius*. Profectò in præfatis verbis apparet manifestè vitiosa Rhetoribus redundantia, quæ pleonasmus dici consueuit. Idcirco etiam fluctuationem mentis fatentur; cum prius firmassent, quasi asseueranter suam impietatem, subdunt enim; *quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? etsi spiritus iumentorum descendat deorsum?* Dum neminem hoc scire asseritur; qua prudenti intelligentia, paulo prius terque quaterque contrarium euomitum est; deinde, *vnus est interitus hominum & iumentorum* &c. Nihilominus adijcit ibi *contra Gentes* Angelicus aduersus eos, qui sic extorquent Scripturam; *infinitæ etiam sunt authoritates sacræ Scripturæ, quæ immortalitatem animæ protestantur*. Immò innuitur satis, hæc ethopœia, seu expressio aut figuratio impiorum, diligentium vanitatem, quærentiumque mendacium, vt dicitur psal. 4.
quia inibi *filij hominum* nuncupantur; in quorum *corde* se locuturum insinuat Salomon, dum præmittit, *dixi in corde filijs hominum*: non *in corde suo*; quinimmò immediatè ante scribit; *dixi in corde meo; iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit*. Quare nostrates aliqui scioli hanc silent sententiam? De immortalitate animæ nostræ eruditissimè D. Antoninus in prima parte titulo 1. c. 5. Immo & Seneca in lib. de remedijs fortuitorum; *mors hominis pœna est non natura*. Huiusmodi passim arcanam reperies figuram, in psalmis præsertim; in quibus Psaltes modo in Persona Christi, modò in Persona Apostolorum, modo in persona Ecclesiæ concinens altam condit sapientiam.

Reuertendo itaque ad textum; pro intelligentia sciendum est ex Augustino in psal. 58. *Gentes canes appellatos propter immunditiam*. Certè pro immundo adeo, habitus fuit in veteri lege canis, vt nedum non offerri, sed nec redimi pretiò, offerrique pretium posset. Quod de alijs immundis lex non horrebat. Hinc Leuitici 27. *quod si immundum est animal; redimet qui obtulit*. At de cane Deuteronomij 23. *nec pretium canis*. Assignat huius rationem Angelicus; quia Idololatræ P canibus vtebantur in sacrificijs. Ad hæc immunditiam aliam notat Rabanus dicens; *canes autem Gentiles propter idololatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, & cadaueribus mortuorum, vertuntur in rabiem*. Adde canes dici etiam immundos; quia vagus, & in propatulo est canum coitus. Et quod ait de immunditia sanguinis Rabanus patet, ex quo aduersum Achab Regem Israel, pronunciatur a Domino sententia; *in loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum* 3. Regum cap. 21. Et sic factum est; nam sequenti cap. *linxerunt canes sanguinem eius*. Hisce de causis accumulata immunditia, impuris etiam moribus Gentilium respondet; qui impudentissimè in Sacris Veneris & Priapi, Q pudenda honorabant: ritumque habebant, vt circa sanguinem congregatum, R adunarentur ad comedendum in honorem Idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse. Cæterum quemadmodum Gentilibus turpissimè idololatriæ deditis, meritissimum erat improperium vocari canes: non tam merito ab idololatria conuersis videtur id exprobrandum. Non ita equidem Apostolus ad Corinthios mitissimè loquens; *scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes*. Cur ergo Dominus duriora hæc Chananææ obiecerit (de me patientiæ ac perseuerantiæ tyrocinium, & exemplum) non apparet. Hinc Augustinus loco præfato in psalm. 58. considerans fuisse conuitium, & præueniens, quod posset quis

32.
P 2. 2. 86. 3. 2.
Q p. 2. 102. 5. 1. R ibi a. 6. ad 1.

quis admirari, ait; *suscepit humiliter conuitium, & meruit beneficium. Neque enim conuitium illud dicendum erat, quod à Domino dictum erat. Dominus autem, cùm tale aliquid sermo dicat, dignatio potiùs dici potest.* Quod si in ore Iudæorum, quos Dominus figuret, ponatur verbum, omne cessat mirum. Quis scit non fuisset vulgare prouerbium Iudæorum in Gentes, quas semper exosas habuisse constat; vt omnes indiscriminatim promiscuè canes dicerent, etiam si idololatræ non essent? quo canis nomine Augustinus lib. 2. *locutionis de Exodo*, & lib. 7. *quæstionum super Iudicum*, contemptibilem ignobilem extremum hominem, elegantissima locutione, tradit significari. Vnde *Dauid, vt se tanquam contemptibilem abijceret, canem se appellauit loquens ad Saul.* Sic idem Augustinus, superbum Pharisæum notans ad Magdalenæ accessum ait; *ex illo genere erat hominum superborum, de quibus Isaias Propheta dicit: qui dicunt; recede longe à me, noli me tangere, quoniam mundus sum.* Iudæi hodie adhuc in contemptum, nos *Goim* hoc est *Gentes* vocant. Tanta erat Iudæorum auersio, vt coactus fuerit Apostolus, ad vniuersalissimam recurrere dignitatem dicens Rom. 3. *an Iudæorum tantum Deus est? nonne & Gentium; immo & Gentium;* Vnde Iudæorum nonnulli, quamuis conuersi ad fidem, mirabantur gentiles aliquos cœlesti gratia donatos: iuxta quod Act. 10. *& obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro,* (quando cecidit *Spiritus-Sanctus super omnes, qui audiebant verbum*) *quòd & in nationes gratia Spiritus-Sancti effusa est.* Sanè, si quis hos tunc obstupescentes rogasset de nationibus, seu de gentilibus, quid? respondissent; *non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus.* Hoc ergo præfigurans Dominus, quod futurum sine dubio erat, Gentium ab Iudæis improperium, vt Syntaxis pandet procursus, ait ex illorum persona in Chananæam, *non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.*

33. Id multiplici ab obseruatione colligo. In primis propositionem hanc protulit, instantibus discipulis, vt eam dimitteret. Et quia, vt sentit Angelicus, S non poterant & ipsi pati importunitatem mulieris; nactus hinc Dominus occasionem; quasi duritiæ illorum condescendens, non autem probans, Iudæorum agit personam, eorumque malam ad Gentes affectionem in futuro quoque deprehendendam, suis ipsorum verbis, ipsorumque veluti ab ore præsignat. Videtur autem Sanctus Euangelista subtiliter hoc tetigisse. Nam ter locutum commemorat hoc in facto Dominum. Cum dixit Dominus; *non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt Domus Israel,* præmittit demonstratiuum pronomen *ipse*: nimirum; *ipse autem respondens ait.* Cùm dicturus fuit, *o mulier magna est fides tua*; præmittit non pronomen, sed salutare sanctumque nomen dicens; *Tunc respondens Iesus.* Cùm asperam debet audire Mulier à se repulsam; nec nomen Iesu, nec pronomen aliquod præmittitur; sed solùm fertur; *qui respondens ait; non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Quasi non suo nomine, sed relatu quodam ad perseueraturam Iudæorum à cœtu, & conuictu Gentium auersionem. Sic non modò ait modò negat; quod in prouerbio est; & posset minus pio videri: sed negat figurando Iudæos Gentium osores; concedit autem se ipsum Iudæorum & Gentium ostendens factorem. Sic quod ait Hieronymus indolem Iudæorum callens aduersum Gentes; *non de superbia Pharisaica, nec de Scribarum supercilio*; non respondisse verbum mulieri primò accedenti; valeat etiam de dura responsione; *non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; quia non ipse ipsa, quasi sensum eorum habens, hoc ei respon-

S D. Th. hic.

derit, sed figurare eos intenderit sic conuitiatus. Et iuuet respectiuè de discipulis clamantem fastidientibus sic opinari, vt ethopœiæ & ipsi subseruirent; ad plenam Iudæorum expressionem: nam hoc attento tropicæ locutionis modo, excusantur planiùs ab impatientiæ nota, atque à commiserationis, charitatisque defectu. Quam labem ne quis eisdem inureret, studuit Chrysostomus sic eos honestare: *æstimo autem & discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos; sed tamen non sunt ausi dicere; da ei hanc gratiam; sed dimitte eam: sicut & nos cùm voluerimus alicui persuadere, multoties contraria dicimus.* Adeo ergo vrget capientis mentem durus hic sermo, vt huiusmodi excogitet euasiones. Sed absque hac figuræ *concessionis* specie (quam tamen nescio an aliquantò infirmet vel comprobet id quod sequitur, *quia clamat post nos*) felicius emergimus, admissa de qua dictum est, ethopœia: cui adhuc suffragari videtur ly *filiorum*: de quo Iudæi arroganter præsumebant. Patet supra c. 3. *& ne velitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham.* Quocirca Ioann. 8. eos increpans ait Saluator; *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et mox audacter dicentibus; *vnum Patrem habemus Deum*; negando subiecit, *vos ex Patre Diabolo estis.* Non ergo verosimile fuerit hic nobili adeo titulo Iudæos extolli, vt ex ore Domini *filij* dicantur; (quanquam eorum vt apud Apostolum Roman. 9. sit *adoptio filiorum*) quoniam *non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis*: Et paulo ante; *non omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.* Quare dum sic absolutè auditum facit; *non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*, Iudæorum corda & voces effingit, quibus impetituri erant ac abiecturi Gentes iam iam vocandas.

Erudimur de his ab Angelico, qui exponens illud Apostoli ibidem Roman. 9. *& erit in loco, vbi dictum est eis; non plebs mea vos; ibi vocabuntur filij Dei viui*, ait; T Iudæi gloriabantur de dignitate filiorum Dei; propter hoc quod dicitur Isaiæ 1. *filios enutriui, & exaltaui*; & Deuteronomij 32. *nonne ipse est Pater tuus?* Gentiles autem non dicebantur filij. Subdit autem filiationem pertinere ad eos, qui ex amore Deo seruiunt, *& spiritu Dei aguntur*, supra c. 8. Igitur, aio ipse, quod hic habet Dominus, non ex sua sententia promit; *non est bonum sumere panem filiorum* &c. sed Iudæorum in persona: nam Iudæi sic habuerunt in morem Gentiles contemnere, vt quasi ex persona Dei loquentes, dicerent Gentiles, neque populum esse Dei. V Ita; in eo quod subdit Apostolus ex Osee; *& erit in loco, vbi dictum est eis; non plebs mea vos.* Præsumptuosè, vt vides, adeò coram Deo, ausi Deum ipsum quasi repræsentare, obloquebantur Iudæi in Gentes: non mirum, si præsens gentilis mulieris vilipendium, eorum in persona Dominus proferat: vel ex hoc capite, vt innotescat, quod aliàs scribit Ioannes c. 4. quomodo Iesus erat *sciens omnia, quæ ventura erant.* Sic enim Iudæa repudiatura erat Gentes, ceu canes immundos. Quocirca, adhuc ideo hic prælusum est; quia implendum erat antiquum per os Moysi vaticinium Deut. 32. prout legit Apostolus ibidem ex persona Dei; *ego ad æmulationem vos adducam in non Gentem, in Gentem insipientem*; &c. seu vt litera nostra habet, *ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in Gente stulta irritabo illos.* Conuitiatos ergo Iudæos Gentibus oportuit huc introferre, vt accepta Chananæa, typo Gentilium, (quod fusius in Syntaxi,) futura Iudæorum æmulatio ira & inuidia tangerentur. Non patiebatur autem Euangelica series, vt enarraretur prolixe dictum Moysi, componereturque ex Osee Iudæorum in Gentes conuitium;

34.
T Rom. 9. l. 5.
V loco citato.

tiam; multò minus locus erat, vt interfecaretur, per Iudæos interlocutores, tantum Chananææ mysterium; ideo antiquitas duntaxat exprobrationis iudaicæ per os Domini tangitur, vt fecuturæ exinceps eiusdem iudaicæ æmulationis iræ & inuidiæ radix, ab olim fucta exprobratione, qua *non plebem* apud Osee, & *canes* ex vulgo Gentes vocitabant, haberetur.

35. Neque insurgat scrupulus, quasi condecens minimè fuerit, vt Dominus Iudæorum personam ageret obduratorum, sancto suo ab ore conuitia proferens, quæ contemptores superbi contumeliosè in Gentes euomebant. Quandoquidem in Iacob Genesis 37. nō absimile accidit, vt Sanctissimus Patriarcha hac ethopœia Iudæam figuraret: Audito quippe somnio Ioseph, quasi Sol, Luna, & Stellæ vndecim adorarent eum; *increpauit eum Pater suus*; Vbi Sanctus Ambrosius; *obiurgatio autem Patris, quid significat, nisi duritiam populi Israel? quem hodieque Deum esse non credunt, nec volunt adorare quasi Dominum.* Sic ipsemet Dominus Lucæ 24. quando *se finxit longius ire*; ex quo discipuli *coegerunt illum dicentes; mane nobiscum, quoniam aduesperascit*: absit vt per duplicitatem quidquam, vel egerit, vel potuerit agere; quando de illo ait Petrus in 1. c. 2. *qui peccatum non fecit; nec dolus inuentus est in ore eius*; sed *finxit se longius ire*, figurando & exprimendo peregrinum, qui velit abire. Omnis quippe qui hanc figuram exercet, fingit, idest exprimit eum pro quo stat. Quòd si fieret animo decipiendi, mendacium esset; sed quia factum est ad eorum extimulandum affectum officiumque hospitalitatis experiendum, tropica veritas fictioque seu effictio, sine falsitate fuit. Si quis ita fingens deceptionem intenderet, mendax esset; quia verò ad aliud astruendum, peregrinus figuratur abscedens, vacat mendacio. Sic idem Sanctus Patriarcha Iacob hœdinis opertus pellibus simulasse videtur, sed sine falsitate, personam indigni fratris sui Esau: vnde fuit facti ethopœia; ad illud relata mysterium; vt *per hœdinas pelles peccata; per eum verò, qui se operuit, ille significaretur, qui non sua, sed aliena peccata portauit* vt docet Augustinus lib. contra mendacium cap. 10. Quid ergo mirum, si Christus ipse Dominus, qui vt ait Apostolus Rom. 8. missus est *in similitudinem carnis peccati* præuaricantium Iudæorum in aliquo dicendo subeat vices; quando pertulerat à Diabolo tētari, & passurus erat à membris Diaboli (quod perpendit Gregorius) crucifigi: Quamuis autem non fuisset quoad *panis* largitionem apud Iudæos vsurpata locutio, sed solùm oblocutio frequens *de canibus*, pro Gentilibus: attamen, mirè à Domino adiectum est; *quia vnus panis, & vnum corpus multi sumus*, vt edicit Apostolus 1. ad Corinth. 10. de quo in Syntaxi. Et per hæc claret responsio ad superius quæsita.

VERS. XXVIII. *O mulier magna est fides tua!*

36. Mulier hæc gentilis certè Iudæorum supercilio visa fuisset, mereri potiùs reiectionem, quàm ei permitti accessum; eoquòd immunda: sed Dominus iàm non immundam prænouerat, & nunc talem pronunciat, magnificata ipsius fide. Quomodo maior sit in vno quàm in alio fides, & ex parte obiecti quoad materialiter credita, magisque explicitè; & ex parte subiecti, quoad intellectus firmitatem, & voluntatis promptitudinem, deuotionem & confidentiam: vide mox in primo loco. Ait autem Petrus Act. 15. *fide purificans corda eorum*, in primis ab impuritate erroris; X quo contingit immundum fieri, si quis inordinatè inhærens rebus se inferioribus, vult intellectu secundùm rationes rerum sensibilium metiri diuina. Expurgatur autem si tendat in id quod est supra se, scilicet in Deum: in quo quidem motu, primum principium est fides; quoniam *accedentem ad Deum oportet credere*; vt dicitur Hebr. 11. Aiebat ad hæc Gregorius; *minus de Deo sentit, qui solum de eo sentit, quod suo metitur ingenio*: Iob. 11. *excelsior Cœlo est, profundior inferno; longior terra mensura eius, & latior mari*. Sed quando fides, subdit ibi Angelicus, per charitatem formatur; tunc nullam impuritatem secum compatitur, quia *vniuersa delicta operit charitas*; vt dicitur Prouerb. 10. sed perfectam puritatem causat, nullis scilicet vilioribus, cuiusmodi sunt temporalia & corporalia, patiens immistionem. Quare, si magna est mulieris huius fides, cuius est purificare corda, magna præpolleat etiam charitate necesse est. Habes ex Apostolo 1. Cor. 13. charitatis epitheta, quæ in muliere hac reperias; charitas *patiens est*; *benigna est*; *non æmulatur*; &c. *non inflatur*, *non irritatur*, &c. Quare autem in hanc ductus sit Dominus admirationem exclamans, *ò Mulier, magna est fides tua!* in Syntaxi scrutabimur. Interim charitatis ardorem in Chananæa dignoscimus, quia vexationem filiæ sibi reputat; ideoque ait, *miserere mei, & adiuua me*: non sic sequenti c. 17. Pater lunatici, qui prouolutus dixit, *Domine miserere filio meo*; non æquè passus in filio miseriam. Non minus autem relucet in ea spei virtus; nam spes, ait Sanctus Doctor, A secundùm quòd est virtus theologica, respicit arduum, alterius auxilio assequendum. A 2.2.17. 5. ad 4. (Nota ex psal. 118. *adiutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum superspe-raui*. Et ps. 145. *beatus cuius Deus Iacob adiutor eius; spes eius in Domino Deo ipsius*.) Et ecce mirè ab Euangelista referri, dixisse mox mulierem; *Domine adiuua me*. Nisi profundum sic intelligamus sermonem, non creuisset, sed elanguerat oratio. Emicat item spes; quia cùm principaliter innitatur B diuinæ omnipotentiæ & misericordiæ; postquam misericordiam pulsauit exclamans, *miserere mei*, omnipotentiam tangit dicens, *adiuua me*. Ad hæc Chrysost. B 2.2.18. 4. 2. *non dixit, roga vel deprecare Deum; sed, Domine adiuua me*. Quamuis enim spes C principaliter respiciat beatitudinem æternam; secundariò respicit bona præsentis etiam vitæ tam spiritualia, quàm temporalia, in ordine ad beatitudinem æternam. Et hinc adhuc confitetur Deum, quem adorat; *at illa venit & adorauit eum*; & sequitur, *Domine adiuua me*: C 2.2.17. 2. 2. quia tanquam à Superiori deposcit præsenti suo in defectu adiuuari. Habet quippe Angelicus D conceptis verbis: naturalis ratio dictat homini, quòd D 2. 2. 85. 1. alicui Superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo Superiori, eget adiuuari & dirigi: & quicquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Repetamus ergo; *ò mulier magna est fides tua!* dum (quod ait de Sancto Thoma Gregorius) *hominem vidit, & Deum confessa est*.

X 2. 2. 5. 4. 1. 2. q. 7. 2. corp. & ad 2.

VERS. XXIX. *Et cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi.*

37. In Syntaxi dicemus, non contemnenda obseruatione, quare transeat, ascendat in montem & sedeat. Interim moraliter ad indicandum, in quam altitudinem sapientiæ elata esset mulier; nam Ecclesiastici 37. *anima viri sancti enunciat aliquando vera; quàm septem circumspectores, sedentes in excelso ad speculandum*. Ad hæc Rabanus; *vt scilicet auditores suos erigat ad superna & cœlestia meditanda. Et sedet, quia in Cœlestibus requies solummodo est quærenda*. Adde qui à Dæmonio refugit vexari, sublimia petat: Diabolus enim, qui interpretatur *deorsum ruens*, de altitudine montis, cum superbè dixit Isaiæ 14. *sedebo in monte testamenti*, deiectus est. *Galilæa* interpretatur *transmigratio*. Transmigrauerat *Chananæa à finibus illis egressa*, de

de infidelitate ad fidem. Hoc ergo fieri debet ab ijs, qui Christum requirunt: & adhuc, vt transmigrent de vitijs ad virtutes. Literaliter Galilæa E erat Prouincia, vbi Christus præcipuè prædicabat. Consuetudo quippe illi erat F, vt parum moraretur in Iudæa, sed citò transibat in Galilæam. Erat & hæc Prouincia G in terra Iudaica; quanquam Iudæa dicatur aliquando illa sola pars, quæ in dotem tribus Iudæ cesserat: in cuius Iudææ finibus erat Ierusalem, tribus Beniamin.

E Matth. 4. in calce F Matthæi 26. G Matthæi 19.

VERS. XXX. *Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos*; &c.

38. Isaiæ 30. legimus, *expectat Dominus vt misereatur vestri*: & Osee 3. *expectabo te*. De cæco in via Ambrosius lib. 8. in Lucam, *quem Dominus miseraturus expectat*. Idcirco fortè vt expectationem suam indicet, sedere dicitur; *& ascendens in montem, sedebat ibi*. Loco præfato Isaiæ, comminatur Dominus; *donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis*: in signum sic euitandi H naufragij. Quis scit, huc respiciens Dominus, non ascendat idcirco in montem? vtrobique enim extat propositum miserendi; nam & hic ait; *misereor super turbam; quia triduo iam perseuerant mecum*; & Marci 8. *sustinent me*. In Isaia autem ibidem; *beati omnes qui expectant eum*. Et sic reciprocè etiam in Osee; *expectabis me, sed & ego expectabo te*. Ex accessu autem tot male se habentium, quos tam benignè curat, claret si ad Chananæam tardè flexit, fuisse in probationem virtutis; vt quasi antiperisticè pulsa, maiori appropiaret conatu. Quod suprà dictum est; *non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus*, exponitur etiam, *filiorum*, I idest iustorum, & dare peccatoribus. Quare arridet, vt istiusmodi læsi accedentes, in typum sint peccatricis multipliciter animæ; quam homo secum habet, *habentes*, inquit, *secum*, à peccato vario curandam. Cæcus cogitationis; mutus locutionis; claudus operis culpam videntur prodere suo vnusquisque proprio defectu. Triplum hoc ad conuersionem trahit Remigius dicens: *quia peccata commissa per pænitentiam corrigentes, cogitatione locutione & opere, conuertuntur ad Dominum*. Non est cæcus mysticè, qui praua cogitatione non obscuretur. Defectum linguæ habet moraliter, ad Dei laudes mutus, qui peccat verbo. Claudus qui peccat opere; non enim incedit in operibus bonis; *quæ præparauit Deus*, Ephes. 2. *vt in ijs ambulemus*. Si mauis etiam dic; quoniam Theologis trifariam peccat quis; ignorantia, in filium; infirmitate, in Patrem; malitia, in Spiritum-Sanctum; iuxta diuina Personarum attributa: Patris enim attributum est Omnipotentia, Filij Sapientia, Spiritus-Sancti Bonitas. Hac de causa commemorentur; muti quidem malitiæ reatu; secundum illud psal. 30. *muta fiant labia dolosa*; vnde Machab. 2. cap. 3. impius ille Heliodorus malitiæ culpa insignis, *per diuinam visionem iacebat mutus*: claudi *infirmitatis* humanæ relapsibus: ex quo claudus infirmus Act. 14. dicitur: *& quidam vir Lystris infirmus pedibus, sedebat claudus ex vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat*. Quamuis esse possint cæci ex parte malitiæ; iuxta illud Sap. 2. *excæcauit illos malitia eorum*: vnde Paulus Act. 13. seductori mago dixit, *o plene omni dolo & omni fallacia; ecce manus Domini super te, & eris cæcus*: muti subinde in typum ignorantiæ; *sapientia* enim, quæ certè ignorantiam pellit, *aperuit os mutorum*, vt dicitur Sap. 10. Ad hoc glossa; *prius sunt remouenda peccata; & postea anima verbis Dei nutrienda*. Quoniam autem sequitur; *& proiecerunt eos ad pedes eius: & curauit eos*; liceat cum Chrysologo dicere; *ad pedes vadit, qui etiam veniam requirit*. Quid mirum, *si turbæ mirarentur videntes*? &c. curatis, fas sit credere, ob sanitatum gratiam, stupentibus. Sequitur; *& magnificabant Deum Israel*. Huc facit quod dignè legitur in Ecclesiastico cap. 43. *terribilis Dominus, & magnus vehementer; & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis; superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis; maior enim est omni laude. Quis videbit eum & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa absconditá sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius. Omnia autem Dominus fecit: & piè agentibus dedit sapientiam*. Videntur autem turbæ attigisse mysticè curatos illos ad gratiam iustificantem; dum sic magnificant Deum: quandoquidem inde, alijs præ causis, debet magnificari Deum: quia ex Augustino tract. 72. in Ioann. *maius est opus, vt ex impio iustus fiat; quàm creare Cælum & terram*: & deinde; *iudicet qui potest; Vtrum maius sit iustos Angelos creare, quàm impios iustificare. Certè si æqualis est vtrumque potentiæ; hoc maioris est misericordiæ*: de quo vide L Angelicum. Et ecce mox se misericordem ostendit dicens; *misereor turbæ*.

H Isaiæ 30. I opusc. 41. l. 3. c. 5.

L p. 1. 113. a. 9.

VERS. XXXII. *Conuocatis discipulis suis, dixit: misereor turbæ* &c.

Facturus secundum hoc miraculum de tot saturandis, misericordiæ tangitur sensu; Hebr. 2. *debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret*. 39.
Conueniens quippe fuit, M vt corpus Domini defectibus corporalibus subiaceret; vt morti, sic & fami & siti. Præcedenti in capite, *misertus est eis, & curauit languidos eorum*; (Hinc in hymno; *vt Deus noster miseratus omnem pellat languorem, tribuat salutem*) sed hic miseretur; *ne deficiant in via*. Nunc autem opportunum fit quærere, cur sicuti fertur turbas vidisse mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos credentes; non item dicatur de debilibus? Hieronymus ex voce græca *cyllos* nollet esse generale nomen debilitatis, sed infirmitatis specialis. *Cyllos* certè ex Lexicis idem est quòd *debilis, claudus, habens genitalia crassa, mutilatus, varus*. Placet quod noster legit interpres *debiles*, idest *habentes defectus virtutis*, vt notat N Angelicus. Infra cap. 18. & Marci 9. debilis dicatur, cui abscissa sit manus. Et si miretur quis, non visos etiam debiles curatos? (quamuis Pagninus & alij codices apud Nouarinum, addant *& mutilos sanos*) Responderim; quia nondum erant debiles omnes robur adepti & vires; nondum patrato miraculo de panibus; ne in via deficerent. De pane quippe in psal. 103. *& panis cor hominis confirmet*; psal. etiam 104. *& omne firmamentum panis contriuit* & Isaiæ 3. *robur panis*. Quod eo magis deprehenditur, quia hi panes non dicuntur fuisse hordeacei sicuti in præcedenti miraculo apud Ioannem. Panis autem triticeus O est ad carnem maximè nutritiuus; quia puritate naturali, & compatibilitate communi, & viscositate sui, maximè membris adhæret nutrimentum exinde sumptum. Explode hic mi lector, quod vulgi corruptela disseminat; scilicet, *omnis repletio mala; panis autem pessima*: quandoquidem vt Salernitana recognouit, quod dici debet est: *omnis nauseatio mala; panis autem pessima*. Reuertendo autem, commune est Sanctis Patribus, quia septem perhibentur panes, de septiformi Spiritus intelligi gratia: ita ex glossa; cui assentiens Angelicus P ait; significatur spirituales refici debere septiformi gratia Dei. Mirè autem D. Gregorius in 1. Moralium vt fertur, Q pergit de singulis Spiritus-Sancti donis, ad panem, atque ad refectionem exponere. *Sapientia*, inquit, *mentem de æternorum spe & certitudine reficit. Intellectus in eo quod audita penetrat reficiendo cor, tenebras eius illustrat. Consilium ratione animum replet. Fortitudo*,

M 3. p. 14. 1. N D. Th. hic. O opusc. 58 c. 10. P D. Th. hic. Q p. 2. 65. 6. 2.

tudo, confidentiæ cibos apponit. Scientia, ignorantiæ ieiunium superat, in ventre mentis. Pietas cordis viscera, misericordiæ operibus replet, Timor cibos spei confortat; quod nedum pertinet ad statum præsentem quantùm ad spem; sed potest etiam ad statum futurum pertinere, quantum ad confortationem de rebus hic speratis, & ibi obtentis. *Ne* ergo *deficiant in via*, sacro hoc panum septenario dic refectos. Et de qua via? psal. 66. *vt cognoscamus in terra viam tuam*. Constat nos omnes esse hìc viatores; *in via sumus qua ad Patriam pergimus*, ait idem Gregorius; & Rabanus explicans ly *triduo perseuerant*, ait; *in toto sæculo triplex tempus est, quo gratia datur: primum ante legem; secundum sub lege; tertium sub gratia; quartum est in Cœlo, ad quod tendens reficitur in via*. Adhuc autem non ineptè dicitur per triduum intelligi posse tres theologicas virtutes, quæ tenebras infidelitatis desperationis & peccati disiectas tollunt. Et hoc ad præmissa in Chananæa muliere cohærenter: nam animus hominis,
R p. 2. 68. 4. 1. ait Sanctus Doctor, R non mouetur à Spiritu-Sancto, nisi ei secundum aliquem modum vniatur: sicut instrumentum non mouetur ab artifice, nisi per contactum, aut per aliquam aliam motionem. Prima autem vnio hominis est per fidem, spem, & charitatem. Vnde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum. Vidimus autem trium harum virtutum theologicarum clarum specimen in Chananæa, de qua Dominus *ò mulier, magna est fides tua*. Ergo rectè de illa scribit Matthæus; subindeque attexuit de panibus numero septem. Et sanè habet psal. 142. *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Sedent super terram turbæ, iussu Domini; *& præcepit turbæ, vt discumberent super terram*: vel ad illam beatæ promissionis terram insinuandam, ad quam futuri possessores, (*possidete Regnum* Matthæi 25.) dirigebantur; vel ad stabilitatem ex septem donis in panibus significandam: aliàs poterant sine dubio & stantes comedere: nam & Iudæi *stantes* vt notat Chrysostomus hom. 60. *agnum cum festinatione comedebant*. Præterea tamen vt debiles agnoscantur, egereque spiritali confortatione.

40. Huc mire facit quod docemur etiam, S vbi quæ-
S p. 2. 68. 2. ritur, *an dona sint necessaria homini ad salutem?* Etsi enim ratio hominis perficiatur per virtutes theologicas, vt benè sequatur instinctum diuinum; imperfectè id assequitur; imperfectè enim diligimus & cognoscimus Deū. Id autem quod imperfectè habet formam aliquam aut virtutem, non potest per se operari, nisi ab altero moueatur. Sol qui est perfectè lucidus, per se ipsum potest illuminare: luna autem, in qua est imperfectè natura lucis, non illuminat nisi illuminata. Medicus etiam, qui perfectè nouit artem medicinæ, potest per se operari: sed discipulus eius qui nondum est plenè instructus, non potest per se operari, nisi ab eo instruatur. Itaque in ordine ad finem vltimum supernaturalem, ad quem ratio mouet, secundùm quòd est aliqualiter & imperfectè informata per virtutes theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus, & motio Spiritus-Sancti; secundum illud Rom. 8. *qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt & hæredes*: & in psal. *spiritus tuus bonus deducet me in teram rectam*; quia scilicet ad hæreditatem illius terræ Beatorum, nullus potest peruenire, nisi moueatur, & deducatur à Spiritu-Sancto. Hæc Diuus Thomas. Ex quibus satis liquet, quomodo debiles essent & imperfecti, ideoque *ne in via deficerent*, mysticè septem panibus saturandi. Hoc ipsum loquens de gratia san-
T p. 2. 109. 9. ctificante, magis explanat T dicens, esse gratiam aliqualiter imperfectam, in quantum hominem non totaliter sanat. Et hoc propter conditionem status humanæ naturæ; quæ licet per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam *seruit legi peccati*, vt dicitur Rom. 7. remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu; secundùm quam, (vt etiam dicitur Rom. 8.) *quid oremus sicut oportet, nescimus*. Propter varios enim rerum euentus; & quia etiam nosmetipsos non perfectè cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat; secundùm illud Sapientiæ 9. *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*. Et ideo necesse est nobis, vt à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia nouit & omnia potest. Ecce autem quomodo in præsenti, omnia nosse, omniaque posse Dominum clarè habetur; nam & nouit eorum indigentiam, & patrat miraculum. Et de via fit mentio: certè ad dirigendum eos *ne deficiant*; quoniam dirigi opus habet qui in via est: vt passim Scripturæ; *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*; Lucæ 1. & in psal. 5. *dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam*.

Verùm vltra huiusmodi directionem in viam salutis, quæ ex Dei donis habetur; cum etiam dona intellectus & sapientiæ V nedum sint speculatiua, sed etiam practica; concupiscit cor meum doceri, quænam esse possit adhuc hæc *via*, in qua timet Dominus; præsertim quia non fuit curæ Matthæo referre, quod ex Marco protulit idem Dominus, *quidam enim ex eis de longè venerunt*. Et præterea, si non omnes sed *quidam de longè venerunt*, non fuerat omnibus misericordiæ affectu *ne deficerent in via*, prouidendum: ij enim qui de propinquo venerant, breui reuersi fuissent ad propria. Latet ergo sublimis intelligentia, dum indiscriminatim & promiscuè de omnibus præscius futuri periculi habet; *ne deficiant in via*. Vbi ait Apostolus; *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*; pro vijs intelliguntur X processus, quibus in creaturis operatur. Etsi creaturæ sint homini notæ; tamen modi quibus Deus in creaturis operatur, ab homine comprehendi non possunt: psal. 76. *in mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis; & vestigia tua non cognoscentur*. Præterquam in plurali viæ istæ enunciantur; hic autem de via singulariter; *ne deficiant in via*. Igitur ex nobili Iob sententia, sternitur nobis via, qua viam euangelicam inueniamus. Sic in cap. 26. *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius. Et cùm vix paruam stillam sermonum eius audiuerimus; quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Hanc sublimem diuinæ Scripturæ sententiam in Procemium assumit Angelicus *contra Gentes* ad librum 4. A mirèque vberrimè illam versans declarat, qualiter via multiplici intellectus humanus ab inferioribus creaturis incipiens, gradatim in Dei cognitionem proficit & ascendit. Verùm vltra huiusmodi naturales vias, per quas ad Dei cognitionem intellectuali quodam quasi intuitu pertingere poterat homo; vt firmior esset hominis de Deo cognitio; ex superabundanti sua bonitate, quædam Deus de se ipso, quæ intellectum humanum excedunt, reuelauit. De hac autem cognitione reuelata, astruit ibi, secundùm congruentiam hominis, quendam ordinem seruari; vt paulatim de imperfecto veniat ad perfectum: edisseritque quomodo tandem mens humana eleuabitur ad ea quæ sunt reuelata, perfectè intuenda; cum prima veritas cognoscetur, non sicut credita, sed sicut visa; & non modicum de diuinis mysterijs percipietur, nec veritas aliquibus velaminibus occultata, sed ipsa Maiestas diuina videbitur; & omnis bonorum perfectio, & veritas manifesta. Auditis ergo diuinis in Sacra Scriptura sermonibus ad credendum, dum ad mysteria in eis reuelata, vtcumque non perfectè, studiosè, vt ipse ait,

41. V 2. 2. 8. & q. 45. 1.
X Rom. 11. l. 5.
A 4. cont. Gent. c. 1.

ait, peruenimus; certè viam quandam, quæ tandem in claram cognitionem terminetur, viatores terimus. Hanc viæ metaphoram etiam de reuelata cognitione, quæ ad nos descendit, conceptis verbis in calce illius capitis vsurpat; dicens; *est autem eadem via, ascensus & descensus:* & sub initium eiusdem cap. *nam & in corporalibus motibus, eadem est via, qua descenditur & ascenditur, ratione principij & finis distincta*. Ne ergo deficiant fideles in hac via: Spiritus-Sancti dona, qui *septiformis est munere*, nobis dantur: inter quæ primum locum obtinent *sapientia & intellectus*, vt patet Isaiæ 11. Donum intellectus vt ait Gregorius lib. 1. moralium c. 32. *de auditis mentem illustrat:* & sicut fides importat assensum B ad ea quæ proponuntur; ita intellectus importat quandam perceptionem veritatis, penetratæ ad liquidum. Sapientiæ donum etiam facit rectitudinem iudicij C circa res diuinas, vel per regulas diuinas de alijs; non quidem inquisitione rationis; (hoc enim pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis) sed secundùm quandam connaturalitatem ad res diuinas, seu per quandam compassionem. Fertur exemplum: nam de ijs, quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem, iudicat ille, qui didicit scientiam moralem; sed per quandam cōnaturalitatem ad ipsam, rectè iudicat de eis ille qui habet habitum castitatis. Profectò sine his Spiritus-Sancti donis, dum 2. Cor. 5. *per fidem ambulamus*, periculosum nobis est deficere. Sequitur enim absque dono intellectus, mentis hebetudo, per quam mens ad intima penetrare non potest; & stultitia, quæ peruersè iudicat circa communem finem vitæ, ex opposito ad Sapientiam, D quæ facit rectum iudicium circa vniuersalem causam.

B 1.2.8. 1.& 2.4. 3.& 2.5.3 — C 2.2.45. 2.1.& 4. — D 2.2.8. 6.1.

42. Dum ergo ait Dominus Ioann. 6. *omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me*: cum per intellectum E audita addiscamus & penetremus: procuIdubio dicendo *venit*, planè per viam, illustrat, quæ sit via de qua hic loquitur. Quæ quidem recta plana & facilis fideli sternitur, si diuina per intellectum percipiat, si iudicet secundùm rationes diuinas, quod est sapientiæ, vel F per rationes humanas, quod est doni scientiæ: & sic dicas si alijs ducatur donis. Comprobo autem *viæ* metaphoram adhuc, quoniam dona Spiritus-Sancti perficiunt animam G secundùm quod est benè mobilis à Spiritu-Sancto. Vnde & intellectuale lumen gratiæ, ponitur donum intellectus in quantum est benè mobilis à Spiritu-Sancto. Huiusmodi autem motus consideratio in hoc est, quòd homo apprehendat veritatem circa finem. Vbi motus, vbi finis concernitur; viam præintelligi necesse est. De hac via loquitur Dominus; præsertim, quia dona sic perficiunt in via, vt remansura sint secundùm suam essentiam H & in Patria. Arridet autem, & panis metaphora: quando ex Gregorio lib. 1. Moral. c. 32. per filios Iob, qui in conuiuio semetipsos I inuicem pascunt, significantur dona Spiritus-Sancti. Ex quo etiam probari solet, dona Spiritus-Sancti esse connexa. Repetatur ergo, *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, psal. 142. & præcipi turbis, vt discumbant *super terram*; ad significandum qualiter, cùm *terra in æternum stet*, vt dicitur Ecclesiastes 1. spiritus Dei, secundùm illud Sapientiæ 7. (quo ducuntur fideles) licèt sit *mobilis*, est tamen *stabilis certus securus*; quemadmodum & de spe inquit Apostolus Hebr. 6. *quam sicut ancboram animæ habemus tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminus*. Non ergo sedent fideles firmati donis, super debile ac leue fœnum, vt præcedenti in miraculo, sed fixi Deo; qui eis per donorum largitionem, in lubrico humanæ intelligentiæ, ne labantur erroribus, est baculus. Et ecce cur, etsi prænominati sint debiles; *habentes secum, mutos, cæcos, claudos & debiles*; non dicatur turbas vidisse adhuc debiles qui euasissent fortes; quia scilicet, nondum commemoratum fuerat de septem mysticis panibus; vnde cognitio reuelata, ne nutet, vires acquirit. Et iam præcedentem nostram in Dei cognitione debilitatem conceptis item verbis contestatur, loco allegato L Angelicus, maiorem certè ante reuelationem, dicens; *quia igitur debilis erat Dei cognitio*; (per vias scilicet naturales) *ex superabundanti Dei bonitate, vt firmior esset hominis de Deo cognitio, quædam de se ipso hominibus reuelauit, quæ intellectum humanum excederent*. Quàm *superabundanti Dei bonitate*! dum nedum reuelauit, sed reuelata Spiritus-Sancti donis roborauit: & iterum, quàm *superabundanti*, dum, *quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas*. Et ecce adhuc quàm appositè, dum hac firmitate & securitate de diuinis perceptis fertur mens nostra, intellectuali quodam motu via incedens æthera in ipsum Deum, quàm appositè inquam de panibus introfertur: nam Prouerb. 15. *secura mens, quasi iuge conuiuium*. Quæ Salomonis sententia, quamuis M exponatur de securitate conscientiæ & quiete illius: item de securitate N spei comite, quæ non confundit innixa Deo: nihilominus, & de securitate firmitateque ex robore donorum, præsertim ad partem intellectiuam spectantium, æquè bene accipi potest; cùm præmittatur ibi, *cor sapientis quærit doctrinam; & os stultorum pascitur imperitia*: & c. 20. *aperi oculos tuos, & saturare panibus*; scilicet sacra doctrina, O vt item Angelicus ait hunc textum versans. Nunquid donis sapientiæ & intellectus, oculos nostræ mentis non aperimus? Immo Dominus aperit; sicut Lucæ vltimo, *aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas*: quod P ad rem fertur. Hæc securitas, seu certitudo incessus nostri dum *per fidem ambulamus* 2. Cor. 5. specialiter per fructum est, qui ad Galat. 5. inter fructus spiritus recensetur, *charitas, gaudium, pax, &c. & fides*; quæ quidem Q distinguitur à virtute fidei, tanquam vltimum & delectabile: in quo accipitur nomen ratioque *fructus*. Huiusmodi autem fructus fidei certitudo ibidem, respondet dono, immo donis sapientiæ, intellectus, & scientiæ: sequitur enim ad intellectum quædam fidei certitudo, ait Sanctus Doctor. Habitis ergo donis non nutamus *debiles*, securi pergimus, certi sumus, (pani attribuitur vt dictum est; *robur*; Isaiæ 3. *robur panis*) fortes efficimur, qui priùs eramus *debiles*; ex quo monet Petrus 1. c. 5. *resistite fortes in fide*. Deuiarunt toto Cœlo vt dicitur aberrantes, quotquot fuerunt hæretici hisce Spiritus-Sancti donis non confortati.

E ibi art. 5. — F 2.2.45. a. 3. — G p. 2. 68.1.& 2. Item 2.2. 8.5. — H p. 2. 68.6. — I ibi ar.5. — L 4.cont. G.cap.1. — M 2.2. 75.1.3. ser. Dom. 7. post Pent. & opusc. 58. 12. — N opusc. 41.1.2.c. 5. — O serm. etc. — P 2.2.8. 2. — Q 1.2.8. 8.

VERS. XXXIV. *Et paucos pisciculos*.

Difficilis est, si mysticè interpretari velimus, textus præsentis intelligentia. Apud Lauretum in *Sylua allegoriarum*, secundùm Hilarium significatur diuersitas donorum Spiritus-Sancti. Quod quidem deberet accipi, non de donis de quibus hucusque diximus, qui numero sunt septenario; sed de diuisionibus gratiarum, quas enumerat Apostolus 1. Cor. 12. *alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ &c.* Verùm cùm hæ sint gratiæ gratis datæ, ad communem Ecclesiæ vtilitatem, quæ promiscuè non dantur omnibus; non omnino quadrare videtur cum indiscreta quatuor millium hominum satietate. Secundùm Hieronymum pisciculi pauci, sunt libri noui Testamenti. Sed si operosius inquiratur, in quo clareat allegoria: præsertim quia etsi in duobus mandatis vniuersa lex pendeat & Prophetæ; nihilominus de primo, quod est *diliges Dominum Deum tuum, &c.* infra c. 22. ait Dominus; *hoc est maximum & primum* 43.

mum mandatum. Quomodo maximum per paruum significatur? Quamuis sciam aliàs dici Augustino; *omnia grauia & immania, leuia & quasi nulla facit amor*. Angelicus in Sermone vbi supra; *pisciculi*, inquit, *sunt gaudia, quæ habent iusti de præsentia Sanctorum*; R qui sunt abstracti iam de amarissimo mari huius sæculi. Et ita glossa; quę addit; *& exemplo suo nos reficiunt, ne in via deficiamus*. Ad hæc; quia pisciculi sunt, fert Angelicus illud Iacobi capit. 2. S *nonne Deus elegit pauperes in hoc Mundo, diuites in fide?* aduertit ex psal. 8. *volucres Cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris*; idest huius Mundi. Cæterùm etsi probem humiliter cuncta, coharentiam ad priùs dicta libet rimari. Iam dictum est capite præcedenti, per pisces significari fidem fideique mysteria; quæ latent non minus quàm pisces maris: vnde & Petro Lucæ 5. dictum est; *duc in altum*, scilicet quod exponit Ambrosius, *in profundum disputationum*. Adde, aquæ corpus diaphanum, non tamen lucidum, subobscurum fidei lumen bellè adumbrare. Velim itaque fidei nostræ mysteria fideique articulos, hos dici paucos pisciculos; neque satis fuerat dixisse alterum, vel *paucos*, vel *pisciculos*; sed vtrumque & *paucos* & *pisciculos* quoque; vt vtriusque quantitatis paruitas & numero & magnitudine, haud quaquam magna reuelata nobis esse; indicaretur. Sed ecce vix verbum protuli, & paradoxa loqui ingentia videbor, dum parua & pauca quæ Dei sunt, perhibeo nuncupari. Nunquid non magnum Sacro-Sanctæ Triadis arcanum? Nunquid incarnati Verbi mysterium summum non est? Quomodo non magna, quæ ineffabilia? quomodo non magna, quæ de Deo dicuntur, qui ter optimus maximus vel ipso nomine colitur? *Mirabilia opera tua*, inquit Psaltes; canitque Virgo; *quia fecit mihi magna qui potens est*. Non ergo possunt hæc significari pisciculis. Respondeo, allegatis quæ Dei sunt, ea nedum magna, sed & maxima esse, suaque præexcelsa magnitudine ceu pelago profundissimo mentem obrui; ideoque immenso ex lumine *scrutatorem Maiestatis opprimi à gloria*, Prouerb. 25. Et tamen stat adhuc de infinitis illis perfectionis sapientiæ atque potentiæ thesauris, modicum immò nobis reuelari, cuius proinde pisciculi ijque pauci sint in figuram. Ibi quidem *arcana sunt verba, quæ*, vt ait Apostolus, *non licet homini loqui*: vtque effatur Iob, vbi supra cap. scilicet 26. *qui potuerit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Ecclesiastici etiam 43. *quis magnificabit eum sicuti est ab initio? multa abscondita sunt maiora his*. Sed nos dum in via sumus, *vix paruam stillam*, vt præmittit Iob, *sermonum eius audiuimus*. Non fuit satis ei dicere stillam, quæ certè exiguum quid effluens est; sed vt vtrique exiguitatis similitudini in pisciculis, ijsque paucis præluderet, adiecit *paruam*. Quocirca Angelicus; T quia non omnia mysteria, inquit, quæ in prima veritate visa Angeli, & alij beati cognoscunt, sed quædam pauca nobis reuelantur, signanter addidit *paruam*. Et iterum; cum enim veritatem vix audiuerimus in sermonibus Sacræ Scripturæ, quasi stillam paruam ad nos descendentem. Rursus; *cum videbimus eum sicuti est* 1. Ioan. 3. tunc non aliquid modicum de diuinis mysterijs percipietur; sed ipsa Maiestas diuina videbitur & omnium bonorum perfectio; Exodi 3. *ego ostendam tibi omne bonum*.

R Serm. Dom. 7. post Pët.

S D. Th. hic.

T 4. cont. G. c. 1.

44. Vide ergo mi lector, an *pisciculi* ijque *pauci*, significent conuenienter sua paruitate mysteria, quæ nobis Deus viatoribus reuelauit? quando tanta est in Scripturis asserta paruitas, vt *stillæ paruæ* fiat comparatio? quæ paruitas decrescit etiam, mox addito de magnitudine; *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Quæ de Deo scimus, vel per negationem scimus, vel per superexcessum, quod aiunt Scholæ ex Diuo Dionysio. Dicit enim etiam de mystica Theologia cap. 1. *ille qui melius vnitur Deo in hac vita, vnitur ei sicut omnino ignoto*: ignoramus enim in hac vita V de Deo quid est: licèt reuelatione plenius ipsum cognoscamus; in quantùm plures & excellentiores effectus eius nobis demonstrantur; & in quantùm ei aliqua attribuimus, ad quæ ratio naturalis non pertingit, vt Deum esse Trinum & Vnum. Fas ergo ab ore Saba Reginæ ad rem vsurpare, cum vidit omnem sapientiam Salomonis: 3. Reg. 10. *verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis*, (*stillam*, inquit Iob, *sermonum*) *& super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi; donec ipsa veni, & vidi oculis meis; & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia & opera tua, quàm rumor, quem audiui*. Salomon in multis locis Christum refert, typusque fuit Christi resurgentis, & felicissimè post resurrectionem regnantis; Regina Saba in figuram etiam est animæ, vt in Sylua Laureti. Quare consentit nostræ expositioni sacra & historia: vt, cùm pauca, minimaque in hac vitæ cognitione diuinitus acceperimus, si ad sublimia, cùm *videbimus eum sicuti est*, fiat collatio, rectè per pisciculos eosque paucos, eadem intelligantur. Præterea dici potest idcirco per pisciculos significari in præsenti fidei mysteria; quia cùm per donum intellectus, quod lumen Spiritus-Sancti est, percipiat fidelis & penetret, quamuis non perfectè, quæ sunt Dei, vt docemur X in præfata quæstione; pertingit quodammodo ad lucem & ad visionem; sic vt quamuis permaneat in eo fides, profundam obscuritatem non subeat. Pisciculi autem ad magnorum discrimen, qui *perambulant semitas maris*, supernatare sua ex leuitate videntur, & quasi in lucis continio, aquarum superficie expatiari. Hac perfusus luce Ceciliæ Sponsus Martyr Valerianus, viso in Scriptura mirifica: *vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*, voce magna clamasse fertur; *non est aliud quod veriùs possit credi*.

V P. P. 12. 13.

X 2. 2. 8. a. 1. & alijs.

VERS. XXXVI. *Et accipiens septem panes &c. fregit*; &c.

45. Hæc piscium quoque fractio & distributio; quæ minus desideranda videbatur, cùm essent pisciculi; quos potius visum fuisset conueniens multiplicari, quàm diuidi; hæc inquam fractio videtur innuere quod priùs; nimirum parua paucaque esse, quæ de Deo accepimus. Perfectiones enim, (doctrina est Angelici A) quæ in Deo præexistunt vnitè & simpliciter, in creaturis recipiuntur diuisè & multipliciter: & ideo ex his diuersa, non vnum tantùm, nomina de Deo dicimus. Et huc facit, quod ait Dionysius primo capitulo Cœlestis Hierarchiæ; *impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*. Opportunè autem tenuitatem cognitionis nostræ etiam reuelatæ, voluit Dominus præsenti pisciculorum velamine adumbrari; vt altiora de Deo audientes longèque maiora, promptiùs assentiremur traditis; quæ cùm sint nihilominus grandia terrere possent: nisi quòd erudimur, *Deum Magnum*, vt dicitur Iob 26. *vincere scientiam nostram*: ac si nobis denunciatum esset exiguitate pisciculorum paucorum; *obstupescite diuinis auditis mysterijs*, ac de pelago immenso Diuinitatis; quia reuera *mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus* psal. 92. Verùm, minimè fidem infirmet vestram magnorum enarratio; quoniam *vix paruam stillam sermonum eius audistis: quoniam tanquam momentum stateræ*, (Sapientiæ 11.) *sic est ante eum Orbis terrarum; & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram*. Quamuis aliàs Sap. 13. dicatur; *à magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit*

A P. P. 13. 4.

Creator videri. Vnde & hoc ex capite pergit psaltes vbi supra dixerat: *mirabilis in altis Dominus; testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Liceat ergo dicere, ad paucos referendo pisciculos, cuique fideli; *quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*. Pro quo monens Ecclesiasticus cap. 3. ait; *non est tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis: plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi*. Cæterùm alia de causa videntur frangi & panes. In primis ergo munificentiæ diuinæ in signum; *dat enim omnibus affluenter*, vt dicitur Iacobi 1. Præterea, quia sicuti Roman. 12. *vnicuique diuisit mensuram fidei*; (hinc & pisces vtroque miraculo diuidit,) ita & sua dona, iuxta quod Ephes. 4. legimus; *vnicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*. Sapient. 7. *spiritus vnus & multiplex est*. Item non seorsim dat panem aut piscem, sed mistim de septem panibus, & paucis pisciculis; vt videtur haberi, quia *tulerunt quod superfuit de fragmentis*: fortasse ad insinuandam donorum in panibus con-
B p. 2. 65. 5. nexionem: sunt enim B in charitate omnia septem connexa. Et sic pariter quæ sunt fidei in piscibus.
C 2. 2. 5. 3. Vnde qui vel vnum articulum discredit, nec de alijs fidem habet, sed suam opinionem.

VERS. XXXVII. *Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas*.

46. Benè supersunt quæ distributa fuere. Prouerb. 11. *alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*. Infinitum dicitur Philosophis, in quo accipientibus restat aliquid accipere. Indeficiens ergo Dei lux & sapientia, atque etiam bonitas, & munificentia clarere hinc potest. Hieronymus relatus Marci 8. excitatus hoc numero septenario, scripsit; *septem autem sportæ, septem Ecclesiæ*. Ioannes certè in primo capite Apocalypsis habet; *Ioannes septem Ecclesijs quæ sunt in Asia*. Duplex est Asia, vt notat glossa; maior scilicet, quæ continet tertiam partem Mundi; & minor, quæ est quædam pars maioris, quæ continet septem ciuitates, Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardim, Philadelphiam, Laodiciam; inter quas Ephesus erat metropolis. Gilbertus Pictauiensis habet in sua Præfatione; *scribit Ioannes septem Ecclesijs Asiæ, & earum septem Episcopis; in eis totam generalem Ecclesiam docens*. Angelicus noster, in primo, vt reor, Com-
D Apoc. c. 1. mentario; per illas septem Ecclesias D intelliguntur vniuersæ Mundi Ecclesiæ: tum propter numerum septenarium, qui est numerus vniuersitatis; quia omne tempus septem diebus agitur, quo regitur Ecclesia; tùm propter ternarium numerum animæ, & quaternarium corporis. Vel quia in fide Trinitatis fundatæ sunt omnes Ecclesiæ per quatuor partes Mundi diffusæ; vel propter septiformem gratiam Spiritus-Sancti, quo illustrantur omnes Ecclesiæ. Hoc postremum apprimè consonat nuper dictis de septenario numero panum. Et non sine causa adiectum est, *plenas*. Quò facit quod ait Apostolus; *at vbi*
E Gal. 4. 1. 2. *venit plenitudo temporis*: dicitur enim plenum E tempus istud propter plenitudinem gratiarum, quæ in eo dantur: item propter impletionem figurarum veteris legis. Certè Act. 2. Spiritus-Sanctus *repleuit totam Domum*: & Ioan. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*. Nemo prudens opinabitur, eiusmodi quasi minutula perperam ab Euangelistis commemorari: si enim non superstrueretur mysterij alicuius altitudo, referebat parum, an sportæ septem essent, euasissentque plenæ. Satis erat dixisse, *collegerunt quod superfuerat abundanter*. Indiuidua ergo facti circunstantiarumque descriptio aliquò collimat. Quare sicuti plenæ sunt sportæ, ita ple-

na esse mysterijs cuncta omnino crediderim. Quoniam igitur supra gratiam F virtutum & donorum, F 3. p. 62. 2.
(quæ addunt super gratiam sanctificantem habitualem, certum quid perfectionis determinatæ ad perficiendos proprios potentiarum actus,) sunt effectus quidam speciales in vita Christiana, ad quos ordinantur Sacramenta: videlicet G ad tollendos G ibi a. 5.
defectus præteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu & remanent reatu: & iterum ad perficiendam animam, in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundùm Religionem vitæ Christianæ: optassem symbolum aliquod Sacramentorum tangi hoc in capite; sicuti & de virtutibus Theologalibus præcipuè, & de donis luculenter, vt vidimus, præmissum est. Cur enim in doctrina euangelica, vbi opportunè præcipuè poterat insinuari, fuisset prætermissum? Præterquam, quòd possent fideles pulsare ad gratias desuper obtinendas, nisi ad Sacramentorum officinas? Has profectò nobis instruxit Dominus tanquam pretiosiores auri & argenti fodinas; vt cùm ipse ad Cœlum ascendisset, qui per gratiam excellentiæ, Sacramentorum causauerat toties effectus; (de quo 3. p. 64. 4.) non deesset nobis, vnde *de plenitudine eius acciperemus*. Velim igitur septem in sportis, septem Ecclesiæ innui Sacramenta: è quibus gratia, vel gratiæ augmentum, virtutes, dona, mirificaque Spiritus-Sancti charismata prouenirent. Consuescunt appellari *fidei* Sacramenta: benè ergo & de pisciculorum, (qui in typum fidei) fragmentis in eis reconditur; cùm ex passione Christi virtutem habeant Sacramenta 3. p. 62. 5. virtus verò passionis eius copuletur nobis per fidem; Roman. 3. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundùm quòd dicitur Ezechielis 9. *vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua*; H gratia est in Sacramento, si- H 3. p. 62. 3.
cut in vase. Et quidnam absurdi, si vasorum vices (postquam sic tulit occasio itinerantium cum Domino discipulorum) subeant sportæ? Fragmenta huiusmodi non erant reponenda in Cellario; (quod vbi permanenter seruentur, indeque penu promantur, Domi esse solet) sed in persunctorio veluti receptaculo fuerant colligenda: quia scilicet virtus spiritualis, quæ astruitur in Sacramentis, non est in eis per modum I virtutis permanentis, sed sicut I ibi a. 4.
transiens ex vno in aliud; fluens nimirum L à causa L a. 3. a. 1. & 3.
per instrumentum.

Neque amoueat consideratio vilitatis materiæ sportarum: quia sicut docet Dionysius capitulo 2. Cœlestis Hierarchiæ; magis est conueniens, quòd 47.
diuina in Scripturis M tradantur sub figuris vilium M p. p. q. 1. 9. 3.
corporum, quàm corporum nobilium. Et hoc propter tria. Primò, quia per hoc magis liberatur humanus animus ab errore: manifestum enim apparet, quòd hæc secundùm proprietatem non dicuntur de diuinis: quod posset esse dubium, si sub figuris nobilium corporum describerentur diuina; maximè apud illos, qui nihil aliud à corporibus nobilius excogitare nouerunt. Secundò, quia hic modus conuenientior est cognitioni, quam de Deo habemus in hac vita: magis enim manifestatur nobis de ipso, *quid non est*, quàm, *quid est*. Et ideo similitudines illarum rerum, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æstimationem, quòd sit supra illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertiò quia per huiusmodi, diuina magis occultantur indignis. Hæc tu mi lector adapta rei de qua agimus. Dic ergo, quòd sicut in sacra Scriptura Deus, metaphoricè aliquando significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem: N & iudicio Spiritus-Sancti determinatum N 3. p. 60. 5. 1.

Ff est,

est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis, res spirituales significentur; itemque ex diuina institutione determinatum est, quæ res ad significandum assumantur, in hoc vel in illo Sacramento: ita fas sit opinari de sportarum vilium assumptione, in Sacramentorum diuina continentium typum seu figuram. Pulchrè autem meditationi meæ suffragatur; quòd fragmenta sint, quæ replent sportas; quia
O 3. p. 62. 5. Sacramenta virtutem O habent ex passione Christi, vt dictum est: nam fractio quæ fit hostiæ in Missa significat
P 3. p. 83. 5. 7. diuisionem gratiarum P procedentium ex passione Christi; vt Dionysius dicit 3. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Vnde & significat expressius diuisionem corporis Christi, quæ facta est in passione. Præterea, cùm fragmenti nomine intelligatur pars aliqua de toto: & plenitudo gratiæ solummodo in Christo sit; Ioann. 1. *plenum gratiæ & veritatis*; *de plenitudine eius omnes accepimus*; (quia scilicet
Q Ioan. 1. l. 10. in eo, est Q plenitudo effluentiæ & efficientiæ) Sacramentaque sint R instrumenta separata; sola
R 3. p. 62. 5. enim humanitas est instrumentum coniunctum Diuinitati: non mirum fuerit, si fragmenta contineant gratiarum. Solùm Eucharistiæ Sacramentum hanc participationem in se non habet: quia idcirco dicitur
S 3. p. 83. 4. *Eucharistia*, idest *bona gratia*, quoniam realiter S continet Christum, qui est plenus gratia. Nihilominus quis neget locum habere quod dicitur fragmentum, vel ex parte fidelium, qui accedentes plus minusue recipiunt de gratiæ augmento? Aliàs scimus ex Apostolo: *panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Vbi & aliàs glossa ait; *per partes manducatur in Sacramento, & manet integer in Cœlo*. Christus enim
T 1. Cor. 10. l. 4. T qui est impartibilis, manducatur per partes Sacramenti, non verò per partes sui. Satis tamen indicatur diuinissimi Sacramenti huius eminentia; eo quòd cùm sit
V 3. p. 63. 6. *finis & consummatio omnium Sacramentorum*, V vt Dionysius dicit 3. c. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: illius gratia agnoscitur esse sportas; sicut locus est gratia locati: finis verò Philosophis est *cuius gratia*. Discipuli autem tulerunt quod superfuit de frag-
X 3. p. 82. 1. mentis; quia X consecrare hoc Sacramentum est proprium Sacerdotis.

VERS. XXXVIII. *Erant autem, qui manducauerunt, quatuor millia hominum; extra paruulos & mulieres.*

48. *Hic numerus*, inquit Hieronymus, *semper in laudibus ponitur: & quadrangulus lapis non fluctuat, non est instabilis; & ob hanc causam etiam Euangelia in hoc numero consecrata sunt*. Glossa; *propter quatuor virtutes, quibus spiritualiter muniuntur fideles: temperantia, prudentia, fortitudine & iustitia*. At libet ad sacri textus intelligentiam prærequiri: cur nihil de potu hic agatur? Mirum certè tot turbas lassas etiam diuque ieiunas sitim non passas. Populus in deserto non sic. Eadem autem facilitate, poterat Dominus sicut in nuptijs Canæ Galilææ aquam in vinum conuertere: vel fontem aperire, vt Sancto Clementi, vnde surgerent aquæ. Certè immo certo certius latet mysterium. Et quodnam? nimirum vt intelligeremus saturitatem præstitam, panemque multiplicatum, præsertim spiritualiter. Huius ergo peregrinæ quæstionis solutio trahenda est ex ijs quæ tradit Angelicus de gratia Spiritus-Sancti: videlicet dici quandoque ignem,
A Ioa. 4. l. 2. lit. a. quandoque aquam; A vt ostendatur, quod nec hoc, nec illud dicitur secundum substantiæ proprietatem; sed secundum similitudinem actionis: nam ignis dicitur, quia eleuat cor per feruorem & calorem; & quia consumit peccata: aqua verò dicitur propter purgationem, & propter refrigerationem ab æstibus tentationum; & propter satietatem contra sitim terrenorum & quorumcumque temporalium. Sic dixerim ego; in præsenti de pane fit mentio, non vero de potu; vt vel coactè intelligamus, non tam panem ad literam, quàm mysticè donorum Dei, distributionem, vt expositum est. Sic & Dominus ibi Ioannis 4. postquam de aqua dixerat, adiecit Samaritanæ; *si scires donum Dei*. Vbi ergo panis allata est metaphora pro Dei donis signandis, subintellectus est etiam potus mysticè: in cuius signum, nihil de siti hominum, quamuis tot essent, edissentque ad saturitatem: eo quòd, quemadmodum sequuta est mysticè saturitas, *& saturati sunt*; ita & tacitè sitis omnis extinctio. Quoniam si de terrenis loquamur, nedum post cibum, sed & post potum largum, siti affligimur: moraliter etiam corporalis vel carnalis cupiditatis & concupiscentiæ ardore; *omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*, ibidem Dominus: si autem de mystica satietate fiat sermo, neutra metaphora famem aut sitim patimur; quia, *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*; quia ita ipsa gratia Spiritus-Sancti datur homini, quòd tamen B ipse fons gratiæ datur, scilicet Spiritus-Sanctus: B Ioan. 4. lect. 2.
nam ipse Spiritus-Sanctus est fons, à quo omnia dona gratiarum effluunt, estque fons vitæ nunquam deficiens: ibidem, *fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam*; idest *salire facientis*. Alius est quippe cursus aquæ materialis scilicet deorsum, alius istius spiritualis; quia ducit sursum. Cum ergo, aio ipse, hic apud Matthæum de motu agatur, *ne deficiant in via*; quamuis non sub similitudine aquæ sed panis, qui *cor hominis confirmet*: subintellecto attamen potu; sicuti & Eliæ panem subcinericium & vas aquæ attulit Angelus; dicens ei *surge & comede*: (nihil de potu) ex quo *ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad Montem Dei Horeb*, fas fuerit memoratam in Euangelio viam, pro eadem accipere de qua Eliæ dictum est; *grandis tibi restat via*. *Horeb* interpretatur *mensa*: & significat C satietatem cœlestis gloriæ, vbi est altitudo securitatis, & satietas beatæ dulcedinis. Con- C opusc. 58. 21.
fortatus est autem & Elias ab illo pane: & *ambulauit in fortitudine cibi illius*. Dic itaque; etsi memorentur in Euangelio *debiles*, sine dubio facti sunt fortes à Domino, *ne deficiant in via gloriæ*. At cœlestis illa Regia Apocalypsis 21. *in quadro posita est*: quoniam scilicet D quatuor sunt latera eius; fides, spes, charitas, & operatio. Vnde Hugo; *quantum quisque credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur*. In quadro igitur Ciuitas posita est; quia robusta fide, longanimis spe, ampla charitate, efficax opere. Vel quadrum Ciuitatis sunt quatuor principales E virtutes; prudentia scilicet & temperantia, fortitudo, iustitia; quæ æquales debent esse in homine. Hisce stantibus documentis, dum *ne deficiant in via*, sic antonomasticè singulariter considerata (non dicit *in viis*) Dominus eos pascit; quid prohibet de illa via intelligi, de qua Numeri 21. *via regia gradiemur*: quò facit illud Bernardi; *sequamur iter humanæ conuersationis Iesu; si Diuinitatis gloriam volumus intueri, & habitare in domo eius æterna*. Quid prohibet rursus credere, idcirco *quatuor millia* denunciari, qui saturati sunt; vt vel per numerum intelligeretur, quò terminat illa via? nimirum ad Ciuitatem, *quæ posita est in quadro*. Idcirco Matthæus noluit sicut Marcus diminutione quadam eorum referre numerum dicendo, *quasi quatuor millia*; sed absolutè *quatuor millia*, vt notando verborum discrimen, non tam attenderetur historia, quàm signaretur mysterium.

D Apoc. 21. vtroq. Com.
E loc. cit. & p. 2. 66. a. 1. & 2.

Sequi-

Sequitur, *extra paruulos & mulieres*.

49. Sic & in præcedentis capituli miraculo; exceptis mulieribus & paruulis. Recolo & Exodi 12. *profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis*. Hic & mulieres non supputantur. Missa littera, secundùm quam præterito proximè capite, probauimus quod ait glossa, *quia in veteri & nouo Testamento, non admittuntur ad Dominum, qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium*; (hoc ad paruulos) *vel leuitate mentis*: hoc ad mulieres. Placet magis quod habet Angelicus; F quia imperfecti & infirmi, à vera doctrina excluduntur. Sed cum sine dubio manducarent & paruuli & mulieres, altiùs libet rimari, cur hæc fiat ab hominibus, paruulorum ac mulierum discretio? nam expeditius visum fuisset dicere, nisi mysticus sublateret sensus, *qui manducauerant fuerunt tot*. Consecutiuè igitur ad prædicta de Spiritus-Sancti donis, cum gratia gratum faciente; (de qua potest etiam intelligi G illud Apostoli 1. Corinth. 7. *vnusquisque enim habet proprium donum à Deo; alius quidem sic; alius autem sic*.) dicendum mihi videtur; quòd sicuti vnus abundat (vt ibi habet Sanctus Doctor) omnibus virtutibus plusquam alius, propter maiorem abundantiam prudentiæ vel etiam charitatis; in qua connectuntur omnes virtutes infusæ: Et sicut quidam altiori gradu H percipiunt sapientiæ donum; & quantùm ad contemplationem diuinorum; in quantum scilicet altiora quædam mysteria, & cognoscunt, & alijs manifestare possunt: & etiam quantùm ad directionem humanorum secundùm regulas diuinas; in quantum possunt secundùm eas, non solùm se ipsos, sed etiam alios ordinare: (dic tu inde elucere magis quid significet panum fractio) sicut inquam præcellunt aliqui; ita aliqui ex aduerso deficiunt: & isti per paruulos & mulieres intelliguntur. Planiùs tamen adhuc addi potest: & quidem ex eodem Angelico; qui quærens *vtrum donum intellectus insit omnibus habentibus gratiam* I. & obijciens qualiter quidam habentes gratiam patiuntur mentis hebetudinem; respondet; ita esse quandoque circa aliqua, quæ non sunt necessaria ad salutem: admittitque quosdam non plenè intelligere ea quæ proponuntur credenda: quamuis intelligant per donum intellectus ea esse credenda; & quòd ab eis nullo modo est deuiandum. Hos ergo profectò dixerim denotari per mulieres; quæ etiam natura minùs pollent ratione. Vnde optimè sexus iste adsumitur ad præfatos non adeo illustratos significandos. Sic infra L quærit de dono Sapientiæ; *an sit in omnibus habentibus gratiam*? Et obijcit; multi habentes gratiam sunt naturaliter stulti, vt patet de amentibus baptizatis; vel qui postmodum sine peccato mortali in amentiam inciderunt. Et respondet quòd amentes baptizati, sicut & pueri, habent quidem habitum sapientiæ, secundùm quòd est donum Spiritus-Sancti; sed non habent actum, propter impedimentum corporale, quo impeditur in eis vsus rationis. Pueri autem, qui nec in statu innocentiæ mox nati habuissent perfectum M vsum rationis, sunt meritò nedum in se ipsis, sed & in typum quorumcumque habentium virium sensitiuarum impedimentum. Vnde est, vt quamuis hi omnes manducauerint, donaque receperint, adhuc à numeratis hominibus, perfectis scilicet, etiam quoad vsum donorum dicantur excepti: *extra*, inquit, *paruulos & mulieres*. Etiam illud præteritum plusquam perfectum *manducauerant*, (vt correctiora videntur habere exemplaria, sicuti apud Marcum & Ioannem) perfectum quid sonat; plusquam ly *manducauerunt*: quod quidam negligunt discernere; cum tamen iota & apex non vacent mysterio: sicut supra c. 5. ait Dominus; *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*.

F D.Th. ... G p. 2. 66. 2. 1. H 1. 2. 45. 5. I 1. 2. 8. 4. ad 3. & 2. L 1. 2. 45. 5. 5. M p. p. 101. 2.

VERS. XXXIX. *Et dimissa turba, ascendit in nauiculam, & venit in fines Maghedan*.

Diuus Augustinus *de Cons. Euangel.* animaduertens, apud Marcum cap. 8. haberi, *& venit in partes Dalmanutha; non est*, inquit, *dubitandum, eundem locum esse sub vtroque nomine. Nam plerique Codices non habent etiam secundùm Marcum, nisi Maghedan*. Mirum est autem quomodo Matthæus tanto breuiloquio se expediat. Lauretus in Sylua: *Maghedan, nomen loci ad mare Galilææ: & ab aliquibus Matthæi 15. legitur Magdala*. Hilarius Can. 25. in Matthæum huc est aduocandus; quippe qui ait; *frequenter admonuimus, proprietates verborum & locorum esse contuendas, vt momenta præceptorum cœlestium consequamur*. Poterat quis præfata calumniari; quasi gratis, eoquòd septem sint panes, quos & auget & partitur Dominus, gratis inquam ex sola numeri conuenientia, trahi significationem ad septem dona. Vt ergo obstrueretur os loquentium iniqua; nonne decuit Matthæum interpretationem vel acu tangere? Ecce quid Maghedan sonat. Profectò radix vocis huius hebraica est *Meghed*. Scribunt autem linguæ periti in hæc verba: *vocatur & ros; Meghed Samaim, idest nobile donum cœleste; quia inter pluuias salutares tenet primas*. Deus bone! Nonne expressa sic fit mentio donorum? nonne in collecta orat Ecclesia dicens; *Sancti Spiritus quæsumus Domine corda nostra mundet infusio; & sui roris* (ecce *Meghed* pro rore) *intima aspersione fœcundet*? Quò facit etiam, *in labore requies, in æstu temperies*; quod in *Sequentia*. Cur non dixerimus consultò maluisse Matthæum scribere *Maghedan*, non verò *Dalmanutha* sicuti Marcus? Et iterum quia desiderandum videbatur, vt postquam de donis numero septenario dictum fuerat, non omninò sileretur de fructibus Spiritus-Sancti. Et ecce radicem *Maghedan*, quæ est *Meghed*, significare *dulce, delicatum, dulce pomum*. Deuteronomij 33. *de pomis Cœli & rore atque abysso subiacente; de pomis fructuum solis ac lunæ; de pomis collium æternorum*: vbi ly *de pomis*, hebraicè *mimmeghed*. De quo alia ibi. Et Kimhi dicit significare nobilitatem, & dignitatem cuiuslibet rei, siue sit fructus terræ, siue aurum, siue gemma, aut vestis pretiosa. Quare compendio vnius vocis, nedum fructus Spiritus-Sancti, sed & dona & virtutes, quibus tanquam habitibus pretiosis decoratur anima, intelligenda sunt. Fortè autem noluit numero aliquo duodenario palàm eos indicare, quos percenset Apostolus ad Galat. 5. *charitas, gaudium, pax, &c.* quia potuissent vel plures N vel etiam pauciores fructus enumerari; quanquam omnium donorum & virtutum actus, possint secundùm quandam conuenientiam ad duodecim illos reduci. Denique cum factus esset sermo de via; *ne deficiant in via*, oportuit de fine insinuari; ideo in *fines Maghedan*. Cur non adnecti potest quod in psal. 147. de Cœlesti Hierusalem: *qui posuit fines tuos pacem*? illo enim tendit viator spiritualiter indefessus: eo vel maximè quòd dona O quantùm ad suam essentiam perfectissimè erunt in Patria. Ad quam etiam ex quodam fructu finaliter peruenitur; iuxta illud Roman. 6. *habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*. Præterquamquod est, vt fructus dicatur hominis, P id quod homo adipiscitur; non autem omne id, quod adipiscitur homo, habet rationem fructus, sed id quod est vltimum delectationem habens; habet enim homo agrum & arborem, quæ fructus non dicuntur, sed solùm id quod est vlti-

50. (margin, at "Diuus Augustinus")

N p. 2. 70. 3. 4. O p. 1. 68. 6. P p. 2. 70. 1.

vltimum; quod scilicet ex agro & arbore homo intendit habere: & secundùm hoc fructus hominis dicitur vltimus finis, quo debet frui. Sapient. 3. *bonorum labiorum gloriosus est fructus*. Facit etiam quod ait Rabanus; *est autem Maghedan regio contra Gerasan*. De *Gerasa* autem apud Lauretum in Sylua habetur, quòd est ciuitas trans lacum Genesareth, & tangit interpretationem, quæ à radice *garad*: ex qua *gher*, *peregrinus*; & *gheruth*, *peregrinatio*, *exilium*. Si ergo *Maghedan*, in cuius fines venit Dominus, ex aduerso est peregrinationi & exilio, certè non nisi Patriam versus iter faciebat: cuius gratia, *ne deficerent in via*, turbas pauit.

SYNTAXIS

Ad Caput Quintumdecimum.

VERS. I. *Tunc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes; quare discipuli tui*, &c. vsque ad v. 4.

1. Attexitur caput hoc præcedenti, non minus tanquam prædictio prædictioni, quàm sicut prænarratæ historiæ sacræ nouum factum. Postquam enim *nonnullorum* Iudæorum ad Christi fidem conuersio, vel in satiatis doctrina ipsius quinque millibus delineata est; nonnullorum inquam, quandoquidem, vt habet Apostolus Rom. 11. *aliqui ex ramis fracti sunt; & cæcitas ex parte contigit in Israel*; hoc est, non vniuersaliter A sed ex aliqua parte; conueniens fuit, vt qua ex causa potissimè increduli fuissent auersi, pertractaretur. Subinde, quia, vt ibidem Paulus, *illorum delicto salus est Gentibus, & amissio eorum reconciliatio est Mundi*; per occasionem B scilicet: decuit de vocatione Gentium insinuari: Vt nimirum sic vtrinque collectis fidelibus, iuxta quod prius cap. 9. item Apostolus; *quos & vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*; impleretur nedum Scriptura Osee, *vocabo non plebem meam, plebem meam*; sed quod subditur Ephes. 2. *ipse* (Christus) *esset pax nostra faciens vtraque vnum, & reconciliaret ambos in vno corpore, Deo, duosque conderet in semetipso in vnum nouum hominem*; (quid pro Matthæi scopo diuinius, de quo supra cap. 1. ibi; *liber generationis Iesu Christi?*) & denique quod legitur Ioann. 10. *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus Pastor*. Quò plaudens Ecclesia canit; *Baptisma cruce consecrans, cunctos fideles generans*. Sicut autem diximus ad Syntaxin duodecimi capitis in principio; Iudæi libenter voluissent Crucem C prædicari, si legalia quoque obseruanda, ediceretur. Quare huc impingebant ij qui fidem non susceperunt. Vnde licèt nonnihil tactum sit hac de re illo in capite, cùm spicas die Sabbati discipuli vellerent, hîc veluti ex professo, quia de respuentibus ideo fidem, deque Gentilibus introeuntibus agitur, quæstio dirimitur. Immo, vt notat Angelicus ad Rom. 16. ex hoc quod quidam conuersi ex Iudæis prædicabant legalia, sequebantur dissensiones & sectæ; offendicula, & scandala. Fit ergo hic horum præoccupatio, Quoniam verò nondum tempus venerat iuridicæ cessationis eorundem legalium, non mandat D in præsenti Dominus, vt ciborum discretio non obseruetur. Sed quod mihi videtur, solummodo viam sternit, vt postea cæremonialium inobseruantia sit expers calumniæ. Hinc tecto veluti sensu rem exequens, propugnat solum, cibos secundum suam naturam non esse immundos; vt eo loci animaduertit E Angelicus. In huius signum, nec immediatè Scribis & Pharisæis tunc rem edisserit, sed turbæ & discipulis; eosque Pharisæos *cæcos* denunciat, immò & *cæcorum Duces*; quia non tam præsentem, quàm futuram Pharisæorum cæco ductu contentionem de verbo hoc designabat. Idcirco, cùm & discipuli adhuc cibos discernerent; vnde & in Actis cap. 10. fixus istiusmodi obseruantiæ Petrus dixit *in mensis excessu; quia nunquam manducaui omne commune & immundum*, idcirco inquam permittit Dominus de inobseruata traditione insultari discipulos, seque in illis; *quare discipuli tui transgrediuntur leges Seniorum; non enim lauant manus suas cum panem manducant?* Qua ex occasione transit suauiter ad duriorem intelligentiam legis; atque ad inserendum fidelium animis, ab Iudæis malè extorteque accipi. Vnde & hodie diuina hac ex doctrina, stat eludens insultus, Christianus Achilles. Et ecce aduerbij illius *tunc* arcanam significationem; quia futura prospiciens Euangelista, *tunc* cùm cœperit Iudæorum numerus in quinque millibus insinuatus, secuturam præmonet Scribarum & Pharisæorum contradictionem: iuxta illud Isaiæ 65. ex Apostolo Roman. 10. *expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*. Vbi & è contra quod Gentibus euenturum erat, prædicitur.

A Rom. 11. l. 4.

B ibi l. 2.

C Rom. 15. l. 3. Gal. 5. l. 2. Ga. 6 l. 5 Rom. 16. l. 2.

D p. 2. 107. 2. 8.

E loc. cit.

VERS. IV. *Nam Deus dixit; honora Patrem* &c. vsque ad versum 7.

2. Ad hominem ergo in primis Iudæorum impetum cum Domino reprimere possumus. Fortis quippe via est ad infirmandam, quam quis prætendit, asserti veritatem, eum in potioribus errore captum monstrare: neque enim sanus facilè credendus est, qui constanter claudicat. Quid de Moysi legis intellectu gloriantur, qui erronea traditione, nedum *transgrediuntur*, sed *irritum* quoque *faciunt mandatum Dei*? Cæterum, quia non deerant mandata alia ex quibus malè intellectis possent redargui, vt diximus ad cap. 5. recoliturque ab Angelico, F & de homicidio & de adulterio; in quorum prohibitione Scribæ & Pharisæi, non intelligebant, nisi exteriorem actum prohibitum, insurgit sacra curiositas, quare de hoc quarto decalogi instare complacuerit Domino? Nam Deus dixit; *honora Patrem* &c. Profundissima ergo est in verbis Domini, quæ ad sui gloriam corusect, intelligentia. Dixit enim; *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Deus bone! Scio ab Angelico; quod G materialiter commune est omnibus peccatorum speciebus, vt dicantur transgressiones, quia per quamlibet speciem peccati mortalis, homo transgreditur aliquòd præceptum diuinum. Verùm transgressio (ibidem) propriè dicitur, ex eo quòd aliquis agit aliquid contra præceptum negatiuum: sicut omissio H contrariatur præcepto affirmatiuo. Et hæc magis explicans I inquit, sicut peccatum transgressionis opponitur præceptis negatiuis, quæ pertinent ad declinandum à malo; ita peccatum omissionis opponitur præceptis affirmatiuis, quæ pertinent ad faciendum bonum. (de quo dixerat art. 1.) Cùm ergo res ita se habeat, si præceptum de honore Parentum affirmatiuum est, vt clarè patet; quare Dominus, qui proprietate verborum infinita scientia locu-

F p. 2. 107. 2.

G 2. 2. 79. 2.

H ibi a. 1.

I ibi ad 3.

locutus est, *trasgredimini*, ait, non potiùs *omittitis?* Nunquid omittendi verbum non alibi vsurpatur à Domino? Infra 23. *hæc oportuit facere*, (Scribis & Pharisæis item dicit,) *& illa non omittere*. Innocentius sextus de Angelico, *huius Doctoris*, inquit, *doctrina, excepta Canonica, habet proprietatem verborum*. Præpollet ergo Scriptura: atqui Angelicus propriè loquens, non scripsisset, *quare & vos trasgredimini*, stante præcepto affirmatiuo; ergo multò minùs Matthæus, cuius calamum duxit Spiritus-Sanctus; vterque dixisset potiùs, *quare omittitis?* Profectò ita est; si in negatiuum præceptum, inconsulta vel praua traditione, non degenerasset, quod erat affirmatiuum. Vidimus in expositione literæ, quomodo trahebant Scribæ & Pharisæi Dei mandatum, vt sonaret, non esse inhonorandos Patrem & Matrem. Si hoc duntaxat importat ly *honora*, hoc est *non inhonores*; proculdubio transgressio, tanquam contra negatiuum incurritur, non verò omissio. Propterea, non dixit Dominus solùm *trasgredimini*, sed adiecit *propter traditionem vestram*: sicut enim traditio vertit affirmatiuum in negatiuum, ita omissionem transfert in transgressionem. Expensa ergo vis verbi huius *transgredimini*, mirè illustrat intelligentiam relatæ traditionis: quæ primo intuitu difficilis est; *munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit Patrem suum aut Matrem suam*. Nam sic minùs reuerentialis verborum tenor, positiuaque inhonoratio, aut dedecus videbantur prohibita. Ex quò altè concludit Dominus; *& irritum fecistis mandatum Dei; propter traditionem vestram*. Ac si diceret; non est dubium, & huiusmodi à Deo vetita fuisse in Patrem aut Matrem; sed ad aliud potiùs mandatum attinent; *non occides*. (Ita planè, vt constat supra c. 5. vbi declarat, & *irasci* & fratri suo dicere *racha*, vel *fatue* ad quintum pertinere) sed nisi tanquam affirmatiuum accipitis, *irritum fecistis mandatum, honora Patrem*, &c. Irritum enim est, quod esse destitit: illorum autem traditio, e medio sic quartum tollit mandatum, reuocatque ad quintum, vt diximus; *non occides*.

8\. Subtilis hæc enucleatio, eo ampliùs acceptabilis est, quo ab ea trahi potest causa, quam supra requisiuimus, cur Dominus de hoc eos increpauerit. Sciendum est igitur aliud & quidem cantatissimum esse discrimen præceptorum, quæ affirmatiua sint, & negatiuorum. Affirmatiua enim L etsi obligent

L p. 2. 71. 5. 1. & q. 88. 1. 2. & 2. 4. 79. 3. 3. *semper*, non tamen *ad semper*, sed ad tempus determinatum. Obligant autem pro loco & tempore, secundùm alias circunstantias debitas; secundùm quas M oportet actum humanum limitari, ad hoc

M 1. 2. q. 3. 2. quòd sit actus virtutis. Quoad legalium autem obseruantiam, non est alia inter nos, & Iudæos discrepantia; nisi quòd ipsi vellent esse obligatoria, nedum *semper*, sed & *ad semper*, quod habent exigere præcepta negatiua: Nos autem veraciter intelligimus, obligasse quidem *semper*, sed non *ad semper*, quod est affirmatiuorum. Duplex est ergo in hac de honore parentum traditione caput, ex quo à Domino aperitur eorum lapsus; primò ne ipsorum cæco ductu fideret quis deprehensæ in similibus fallaci doctrinæ: deinde, vt discerent arcana ab interpretatione sacri huius contextus, in quo notandi essent errores, cùm de legalibus agendum foret; nimirum de perpetua prætensa obligatione; nedum *semper*, sed etiam *ad semper*; dum affirmatiuum à pari præceptum de honore parentum, traxerunt in negatiuum: fasque sit suspicari, immò affirmare, postquam Dominus eos notat hypocrisis, ea intentione, vt pro muneribus ac oblationibus eorum auaritiæ offerendis, posthaberentur Religionis colore, etsi indigerent subuentione Parentes: sicque & *transgrediebantur* præceptum expositum negatiuè; & *irritum* quod reuera Dei est, reddebant, confundendo, vt innui, cum quinto.

Porrò obijcies, videturque pro eis. Loquendo inter legalia de ciborum discretione, negatiuum videtur certè fuisse præceptum Leuitici 11. ne hæc vel illa ceu immunda eis essent in cibum. Respondeo in primis, legalia plurima circa cæremonialia, & iudicialia affirmatiuè esse iniuncta, vt claret. Verùm descendendo ad ciborum discretionem, dicendum, reuera seiunctim negatiuè toties dari mandatum; *non comedetis*; *non vescemini*: sed tamen adhuc interferuntur palam affirmatiua præcepta de his vel ijs comedendis. Et mirum est, qualiter in exordio denarrationis, in qua tot potissimè prohibentur, quasi præludio affirmatiuè edicatur; *hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ*. Etsi enim nonnulla ibi concedantur, plura tamen sunt quæ singillatim vetita sunt: vnde videretur fuisse opportunius ex aduerso, potiùs in limine scribi; *hæc sunt, quæ comedere non debetis*. At Spiritus-Sancti calamus omni perspicaci humano stylo infinitè acutior, affirmatiuam præmisit; vt magis intendi innotesceret positiuum delectum, quàm in discernendis repudium. Quod quidem, si ad subintellectum virtutum specimen reuocemur, manifestissimum est. Etsi enim in cultu virtutis præcepto, vitium ex consequenti negatiuè prohibitum sit; nihilominus, vim non amittit præcepti affirmatiui; quia sic affirmatiua omnia confunderentur omnino cum negatiuis. Quare, minimè dubium est, certè in honore parentum, subinde vetitam esse inhonorationem, etiam omissiuè; sed tamen, non propterea transferri præceptum de affirmatiuo in negatiuum. Cuius ratio est; quia facere bonum N & vitare malum pertinent ad omnem virtutem. Vnde, N 2. 2. 79. 1.
sicuti præceptum de die festo sanctificando simpliciter affirmatiuum est; quamuis consectariò adiectum sit; *nullum opus seruile facietis in eo*; quia hoc ad illud ordinatur; ita cùm cauenda in cibis immunditia, ad munditiæ seruandæ normam directa sit; totum affirmatiui mandati naturam sapit: proinde, quod, etsi obligarit *semper* eo pro tempore, non tamen *ad semper*; præcipuè si ad futurum expectationis Gentium aduentum ly *ad semper* protrahi sonaret. Vnde quemadmodum ly *nullum opus seruile facietis in eo*, licèt negatiuum sit, non obligauit *ad semper*; quia affirmatiui gratia, de die festo sanctificando appositum est: & sic Lucæ 14. legimus; *cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati?* ita, & hæc de cibis respuendis inhibitio ad affirmatiuum reducenda erat, vt non obligaret *ad semper*. Quæ quidem vno verbo monuit Dominus ibi Leuitici 11. post longam seriem immundorum, claudens; *sancti estote, quoniam ego sanctus sum*. Sanctitatem ergo, & munditiam animarum tyrocinio quodam ibi eos edocet, vitando hoc vel illud: sed *animalis* Iudæus, *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. Adhuc etiam ex superabundanti dici potest, negatiua esse *semper & ad semper*, cum de *per se malis* traduntur; non sic *in malis, quia prohibita*: quod quidem in re ita est; quoniam nullus cibus per se est malus aut immundus, sed sola significatione discernitur; iuxta quod ait Apostolus 1. ad Timoth. 4. *omnis creatura Dei bona est: & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Satis hoc ipsum indicante Domino, dum paulò post ait; *non quod intrat in os, coinquinat hominem*; vt in capite diximus. Etiam quid intelligendum esset, apertè habetur in ipso etiam Leuitico; *nolite contaminare animas vestras ne polluatis animas vestras*. Stultum est autem credere suillam carnem per se animam contaminare;

ita vt idcircò prohibita sit. Aliàs tot sæculis sine vera notitia eorum quæ animam polluunt Mundus in cæcitate, non sine culpa Maiorum, & quoad Hebræos, non sine incuria Patriarcharum fuisset.

VERS. VII. *Hypocritæ; benè prophetauit de vobis Isaias*; &c. vsque ad v. 11.

5. Vbicumque exteriori exigenti & contestanti non respondet interius, hypocrisis est & fictio. Vno autem modo contingit, quæ alijs fictio, qua demonstratur quis esse, quod non est; O cùm non credit quod agit. Huiusmodi autem reuera erant hypocritæ; sic vt de eis dici possit, quod ait Augustinus Tract. 26. in Ioannem, *quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant*. Hoc est quod profundè videtur significare subsequens verbum; v. 9. *sine causa colunt me*; &c. legalium enim, inter quæ potissimè cæremonialia, nulla conquisita causa insistebant obseruationi & cultui, fortèque ex negligentiæ habitu, venerant in contemptum. Pulcherrima doctissimaque & vberrima est Angelici Quæstio, P de cæremonialium præceptorum causis, quas lepidè & literaliter & figuraliter per totam declarat: præmisso Q fuisse absolutè figuralia: *primò* quidem *& per se*, R vt posteriùs tradit, ad discrimen iudicialium præceptorum, quæ solùm erant figuralia ex consequenti; sicut & omnia populi illius facta, secundum illud 1. Corinth. 10. *omnia in figuram contingebant illis*. Erant autem cæremonialia ad hoc instituta, vt aliquid S figurarent pertinens ad cultum Dei pro illo tempore, & ad figurandum mysterium Christi. Sic igitur, vt supra T docuerat, rationes præceptorum cæremonialium veteris legis dupliciter accipi possunt: (quàm nobilis succinctè excursa doctrina!) Vno modo ex ratione diuini cultus, qui erat pro tempore illo obseruandus; & rationes illæ sunt literales, siue pertineant ad vitandum idololatriæ cultum; siue ad rememoranda aliqua Dei beneficia, siue ad insinuandam excellentiam diuinam; vel etiam ad designandam dispositionem mentis, quæ tunc requirebatur in colentibus Deum. Alio modo possunt eorum rationes assignari, secundùm quod ordinantur ad figurandum Christum; & sic habent rationes figurales, & mysticas; siue accipiantur ex ipso Christo, & Ecclesia, quod pertinet ad allegoriam; siue ad mores populi Christiani, quod pertinet ad moralitatem; siue ad statum futuræ gloriæ, prout in eam introducemur per Christum; quod pertinet ad anagogiam. His perceptis, quis non videat, de ignorata causa huiusmodi notari Pharisæos & Scribas? & quidem, de ea quæ literalis dicta est, quoad cultum; dum ait *colunt me*; & de mystica quoque seu figurali, dum præmittit *sine causa*. Causa quippe potissima, & Philosophis, est causa finalis. Torpentes ergo in nullius speculatione finis detenti, vtcumque cultum Deo exhibebant; cùm tamen *finis legis*, Roman. 10. *Christus sit*: & 1. ad Timoth. 1. *finis præcepti est charitas*. Has causas hos fines, in lege illa (V idcircò dicta *mandatorum* Ephes. 2. quia mandatis & præceptis continebatur) minimè considerabant in Dei cultu. Non mirum quia, vt ibidem, passionibus perturbatur *cor purum, conscientia bona, & fides non ficta*. Pergit Apostolus, (1. Timoth. 1.) *à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium; volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Vbi adnectit Angelicus X ex psalm. 81. *nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*; & Sapient. 5. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Recessus autem à charitate, causa est falsæ doctrinæ; quia qui non amant charitatem, cadunt in mendacium. Ecce quàm concinnè ad Euangelicum textum, vbi subiunctum est; *docentes doctrinas & mandata hominum*; (præmisso *sine causa colunt me*) & paulo post de ipsis Dominus; *sinite illos: cæci sunt, & Duces cæcorum*. Omittebant ergo cæremoniarum causas religiosè scrutari, immemores, quod *in lege Domini meditandum est, die ac nocte*; ps. 1. Et iterum; *& meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis*. Et *lex tua meditatio mea est*; ps. 118. Sic respectiuè quoad manuum ablutionem: ex qua ad cæremonialia de cibis transit Dominus.

O 3. p. 63. 9. — P p. 2. 102. — Q p. 2. 101. 2. — R p. 2. 104. 2. & 2. 2. 87. 1. — S p. 2. 104. 2. — T p. 2. 102. 2. — V 2. Tim. 1. l. 2. — X ibi l. 3.

VERS. XI. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*; & v. 12.

Hæc Domini sententia, non solùm quia vera profertur; sed vt inde cogatur carnalis Iudæus, excogitare, sperato Dei lumine, causam aliquam discretionis ciborum: atque adeo non vltra colere *sine causa* Deum. Si enim suaptè natura cibus potis non est coinquinare animam, nonnulla necesse est, subsit ratio, vel figuralis, ex qua prohibitus hic vel ille sit. Ad hæc subdit Apostolus vbi supra; *quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur*: psal. 18. *lex Domini immaculata*: Roman. 7. *lex quidem sancta est, & mandatum sanctum & iustum & bonum*. Requiritur autem quòd homo ea benè vtatur. Adhæc Angelicus, A cæremonialia quidem in figuram Christi & Ecclesiæ sunt data: sed indigent, vt non intelligantur solùm carnaliter; sed etiam spiritualiter, & in figuram futurorum; & vt scias quòd non sunt perpetuò seruanda; sed cessant veritate veniente: Ieremiæ 31. *Et feriam Domui Israel, & Domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus eorum*; &c. Hæc ergo verbo vno est causa: quia figuralia fuerunt: secus irrationabilia fuissent. Nam ait Angelicus, B obseruantiæ veteris legis possunt dici sine ratione, quantùm ad hoc, quòd ipsa facta in sui natura rationem non habebant; puta quòd vestis non conficeretur ex lana & lino. Poterant tamen, ex ordine ad aliud; in quantùm scilicet, vel aliquid per hoc figurabatur, vel aliquid excludebatur. Dic ergo aduersus Scribas & Pharisæos; vos irrationabiliter, *sine causa* Deum colitis, nisi figuram aliquam percipiatis, in ijs quæ mandantur; quia in sua natura, (exempli gratia:) *quod per os intrat, non coinquinat hominem*. Et ita de istis ait Apostolus; *nemo vos iudicet in cibo aut in potu*. C Potum nominat etiam, quia vas quod non haberet operculum, immundum erat, & quicquid in eo erat. Isti nesciebant, quo fine esset data lex. Ecce ergo iterum, quid sonet ly *sine causa*. Quamuis in eo quod subdit ibidem; *nemo vos seducat*, &c. *ambulans frustra*, exponatur in quantùm opera illa (legis) non prosunt ad vitam æternam. Et idem, vt vides, importare videtur ly *sine causa*. Veruntamen quoniam de legalium cessatione plura dixi in Prologo ad Deuteronomium: possuntque adhuc videri loca præcipua hic D è regione, in quibus Sanctus Thomas quæstionem accuratissimè versat & soluit; idcircò à repetendis abstineo; pergens, prout exposcit litera, nonnihil specialius quoad cibos animaduertere. 6.

A 1. Tim. 1. l. 3. — B p. 2. 102. 1. l. — C Coloss. 2. l. 4. — D p. 2. 101. 2. q. 103. 2. 3. & 4. & q. 104. 3.

VERS. XII. *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt*, &c.

VERS. XIII. *Omnis plantatiô*, &c. vsque ad v. 21.

Quousque ignorantia laborat quis, cur spirituale aliquod bonum fiat, si scandalizetur exinde, pusilli est scandalum, præcauendum omninò, donec reddatur causa, differendo scilicet opus, vel occultando. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret; iam videtur ex malitia esse: proinde contemnendum: doctrina est E Angelici. Quare dum in præsenti scandalum eorum tale contemnitur, necesse est dicere, præredditam fuisse rationem, prout Dei gratia expendimus, inuolutam in ipsa 7.

E 2. 2. 43. 7.

Do-

Domini ſententia, quæ euaſit eis in ſcandalum; *non quod intrat in os coinquinat hominem*. Nihilominus, quia in futurum potiùs proſpicit Dominus, cùm ex his inſurrecturi eſſent in nos Iudæi; dignatur, quamuis profundo intellectu, ſententiam noua ſententia roborare: cujus quidem connexio ad priùs dictam, adhuc Interpretibus in aperto non eſt, *Omnis*, inquit, *plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur*. Quorſum Deus bone, interiecta iſthæc propoſitio? Nunquid eradicandos intendit Iudæos? Sed non; quia adhuc ſunt & erunt vſque ad finem: ſunt enim, vt ait Auguſtinus, *noſtri Scriniarij*; neque enim apud infideles, non confićta à nobis, haberetur Scriptura, niſi tam acerrimi noſtri hoſtes eam ſeruarent. Et præterea, dicente Apoſtolo ad Romanos 11. *ſi enim amiſſio eorum*, (Iudæorum qui extiterint increduli) *reconciliatio eſt Mundi; quæ aſſumptio; niſi vita ex mortuis?* exponit Angelicus, F [F Rom. 11. 14.] ideſt quòd Iudæi reaſſumantur à Deo, ſecundùm illud Zachariæ 11. *aſſumpſi mihi duas virgas*; quid inquam faciet talis *aſſumptio*? niſi quòd Gentiles reſurgere faciat ad vitam? Gentiles enim ſunt fideles, qui tepeſcunt; Matthæi 24. *quoniam abundauit nequitia; refrigeſcet charitas multorum*: vel etiam qui totaliter cadent, decepti ab Antichriſto, Iudæis autem conuerſis, in priſtinum feruorem reſtituentur. Scimus etiam aliàs Iudæos dici à Dei plantatos; de quibus Iſaiæ 5. *Et plantauit eam* (vineam) *electam*. Quocirca Ambroſius lib. 9. in cap. 20. Lucæ; *euidenter Iſaias vineam Domini Sabaoth, Domum Iſrael vineam eſſe memorauit*. Et quænam eſt huiuſmodi metaphora de plantatione introducta? & quònam collimat, quam interſerit, proſecuturus poſtea de Phariſæis Dominus? Nunquid diſparatum diſſutumque verbum eſt? *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur*. Cohærentiùs, me iudice, nihil excogitari poteſt. Quare velim ſenſum hunc extrahi in præmiſſæ ſententiæ probationem; ac ſi dixiſſet palam, *quod intrat in os, non coinquinat hominem*; quia vitium ſolummodo coinquinat, vt mox rem magis ediſſerendo, manifeſtum fiet; nimirum; *cogitationes malæ, homicidia, adulteria* &c. atqui cibi huiuſmodi in lege vetiti, virtutibus non contrariantur, ergo vitioſus minimè eſt eorundem eſus. Aſſumpta minor probatur ex tacitè ſubintellecta propoſitione; in eo quod ait; *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus*, &c. Quod eſt dictu; ſubintelligi hanc propoſitionem. Vbicumque contin- [G p. p. 79. 12. & de verit. 16. q. 2.] git contrariari virtutibus; Syntereſis ex officio G remurmurat; ſicuti è contra inclinat inſtigatque ad bonum, & ad virtutem. Sed ſi quis olim manducabat indiſcretè cibos, ſyntereſis non remurmurabat; ergo. Eſt ſyntereſis ex Auguſtino, *naturale iudicatorium, in quo ſunt quædam regulæ & ſemina virtutum*, H [H p. p. cit. arg. 1. p. 2. 63. 2. 1. Iob 10. l. 2.] *& vera & incommunicabilia*. In Lexicis ſyntereſis dicitur attentio, conſeruatio; & pars animæ, quæ ſemper aduerſatur vitijs, à verbo *ſyntereo*, ideſt *conſeruo*. Et ſic etiam eſſe in nobis quædam ſeminaria virtutum aſtruit in p. 2. & in Iob ad illa verba, *vitam & miſericordiam tribuiſti mihi*; ſimul cum anima rationali infunduntur homini diuinitus quædam ſeminaria virtutum; aliqua quidem communiter omnibus, aliqua verò ſpecialiter aliquibus; &c. Ex dictis iam incipit eluceſcere, qua ex cauſa ſub ænigmate plantationis voluerit Dominus confirmare ciborum quorumcunque prohibitionem vel eorundem eſum; neque virtutis, proinde è contra neque vitij rationem habere; cognatione attenta ſeminis & plantationis: vt vbi inſitum non eſſet in virtutum ſeminario, (hoc in ſyntereſi) quicquam de hac ciborum diſcretione; minimè dubitaretur, extraneo ſolum ex capite, (nempe ad figurandum aliquid) eam eſſe inuectam. Et ſi quis fortaſſe dicat, planiùs magiſque ſimilitudinarium fuiſſe; ſi loco *plantationis* vſurpata eſſet vox *ſemen*: puta dicendo *omne ſemen, quod non ſeminauit Pater meus cœleſtis, effodietur*. Reſpondeo in primis, in ſyntereſi quæ ſeminarium eſt, foueri veluti ſemen; atque virtutes plantarum gerere vices. Deinde pro eodem veluti accipi, dum canit Eccleſia in matutinis Paraſceues; *ego quidem plantaui te vineam meam electam, omne ſemen verum*. Tertiò, quia tali plantationis vocabulo, voluit Dominus nos vocare ad primam hominis creationem; ac ſi diceret, vt infra c. 19. conceptis verbis; *ab initio autem non fuit ſic*. Recolite, cùm primò factus eſt homo, cùm plantatus eſt, nullam fuiſſe ciborum diſcretionem, præterquam de ſcientiæ boni & mali ligno. Potius datum eſt eis tràſacto diluuio, vt omnibus indiſcriminatim veſcerentur; Geneſ. 9. *omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum; quaſi olea virentia tradidi vobis omnia*. Neque obſoleta eſt vox plantationis in Scriptura, cum de creaturæ conditu agitur: vnde in pſal. 93. *qui plantauit aurem non audiet?* Hinc & Sanctus Doctor ſimili aliquando modo loquitur dicens; I [I 3. p. 9. 6.] nihil eorum quæ Deus in noſtra natura *plantauit*, defuit humanæ naturæ aſſumptæ à Dei Verbo.

Verùm pro pleniori intelligentia ſcrutandum eſt, 8.
quænam fuerit illa plantatio, *quam plantauit Pater cœleſtis*; Ea enim nuſquam eradicanda aperiet literæ ſenſum. Certè legimus 2. Geneſis; *plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio*. Scripſit Auguſtinus, vt & refert Angelicus, L [L p. p. 102. 1.] 8. ſuper Geneſin ad literam; *Tres ſunt de Paradiſo generales ſententiæ. Vna eorum, qui tantummodo corporaliter Paradiſum intelligi volunt: alia eorum, qui ſpiritualiter tantùm: tertia eorum, qui vtroque modo Paradiſum accipiunt. Quam mihi fateor placere ſententiam*. Et in 13. de Ciuitate Dei c. 21. eandem verſans materiam, dolet de addictis ſolummodo ſpirituali intelligentiæ in hæc verba: *quaſi præterea non potuerit eſſe Paradiſus corporalis; quia poteſt etiam ſpiritalis intelligi: tanquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar & Sara, & ex illis duo filij Abrahæ, vnus de ancilla, alius de libera; quia duo Teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus*; (Gal. 4.) *aut ideo de nulla petra, Moyſe percutiente aqua defluxerit: quia poteſt illic figurata ſignificatione, etiam Chriſtus intelligi; eodem Apoſtolo dicente; petra autem erat Chriſtus*. Probat ergo & intellectum; quem ad rem noſtram, iuuat exinde colligere. Itaque refert (fueruntque Origeniſtæ, vt notatur in 2. ſent. d. 17. q. 3. a. 2. quod pro errore reputat Epiphanius Cypri Epiſcopus) *qui ad intelligibilia referunt, arboreſque illas & ligna fructifera, in virtutes vitæ moreſque conuertunt*. Subditque; *nemo itaque prohibet intelligi Paradiſum vitam bonorum*: (ſic aiebat Sanctus Doctor M [M 2. 2. 164. 2. 5.] ſaluis ſpiritualis ſenſus myſterijs) *quatuor eius flumina, quatuor virtutes: prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iuſtitiam: & ligna eius, omnes vtiles diſciplinas; & lignorum fructus, mores piorum; & lignum vitæ, ipſam bonorum omnium Matrem Sapientiam; & lignum ſcientiæ boni & mali, tranſgreſſi mandati experimentum*. Et poſt alia, quæ aſtruit intelligi poſſe in Eccleſia; claudit; *hæc & ſi qua alia commodius dici poſſunt; de intelligendo ſpiritaliter Paradiſo, nemine prohibente dicantur; dum tamen & illius Hiſtoriæ veritas, fideliſſima rerum geſtarum narratione, commendata credatur*. De hac ergo myſtica plantatione ſit Domini ſenſus: ac ſi diceret; *plantauit Pater meus cœleſtis* virtutum Paradiſum à principio; ille myſticè nùquam explantandus eſt. Omnia quippe præcepta moralia, quæ ſunt etiam N [N p. 2. 100. 2. 2.] de omnibus actibus virtutum, pertinent ad legem naturæ,

Et

O p. 1. 94. 1. P ibi 2. 6. Et id ipsum docuerat supra; o quia, vt dicit Damascenus, *virtutes sunt naturales*. Absolutè autem lex naturæ non potest p à corde hominis aboleri. Et quia inter virtutes, exempli gratia, est temperantia; Q p. 2. 49. 1. 1. quæ vt ibi tangit q est etiam circa concupiscentias naturales cibi & potus; hæc planta nunquam eradicabitur. Dic tu; & sic nec legalia, in quantum, vt etiam ait, ordinantur ad bonum commune morale. Si huiusmodi ergo ad mores & ad naturam excipias, quæ *plantauit Pater cœlestis*; *omnis alia plantatio* R p. 2. 94. 4. 2. *eradicabitur*. Et quia, vt refert, r dicitur in Decretis dist. 1. quod *ius naturale est, quod in lege & in Euangelio continetur*; in quantum ea, quæ sunt de lege naturæ, plenariè in lege & Euangelio traduntur; *quisque enim iubetur alij facere, quod sibi vult fieri*: ideo dic tu, Euangelium etiam nunquam eradicandum; etsi multa tradantur in eo, vt notat Angelicus ibi, supra naturam. Vide qua arcana via sublimique veritate, adimatur legalibus cunctis, & ad rem, discretioni ciborum, asserta ab Iudæis perpetuitas.

§ 9. Neque videatur isthæc nostra literæ expositio violenta; quandoquidem in Sacris literis nec vocula prætereunda est, quasi perperam posita sit. Esto exemplum de illo Iob 26. *& cum vix paruam stillam sermonum eius audiuerimus*. Super quem lo- S 4. cont. G. c. 1. cum ait Sanctus Doctor; s quia verò imperfecta nostra (de diuinis) cognitio effluit ab illa perfecta cognitione, qua diuina veritas in se ipsa videtur; dum à Deo nobis mediantibus Angelis reuelatur: rectè nominat *stillam*. Vis ergo facienda fuit in illa voce *plantatio*. Nec minus perpendi debet quod ait, *Pater meus*, addendo *cœlestis*; non enim semper adiecit hoc; dicens alibi, *Pater maior me est*; & *Pater meus agricola est*. Quare, vt innueret plantationem virtutum, credendum est esse appositam. Pro cuius intellectu sciendum est ex Dionysio cap. 1. de diuinis nominibus; qualiter Deum ex creaturis nominamus; quod quidem nedum verum est in meta- T p. p. 13. 6. phoricis locutionibus, sed etiam t in ijs, quæ metaphoricè de Deo non dicuntur; præsertim, si ea nomina causaliter de Deo dicantur, sic vt dicatur sapiens & bonus, in quantùm est causa sapientiæ & bonitatis. Sic nominant Scholastici Deum Auctorem naturalem, & item supernaturalem. Dum ergo ait *Pater meus cœlestis*, non videtur referri debere ad Paradisi, prout vocatur, terrestris plantationem; prout est locus quidam nemorosus propriè loquendo, vt ait Augustinus 12. de *Genesi ad lit.* qui proindè passim dicitur terrestris; in quo posuit hominem, quem de limo terræ formauerat. Referenda est potiùs *plantatio*, translato verbo, dum *Pater* inde nominatur *cœlestis*, ad paradisum, non terrenis arboribus, sed ordinata virtutum plantatione à Deo consitum. Et ecce, in quo emicat *cœlestis Pater*; quia vt homo benè ordinetur, ad communicationem cum V p. 1. 100. 2. Deo, ratione seu mente, v in qua est imago Dei, necesse est, eandem rationem virtutibus omnibus X p. p. 95. 1. ordinari. Et quia in primo homine fuerunt virtutes omnes, ad hunc x immo finem, vt Deo esset ratio subiecta, & inferiores vires rationi; ideo ex hoc capite dicitur *Pater cœlestis*. Et eo magis, quia infusæ vir- A p. 2. 63. 2. 3. tutes fuerunt, de quibus a suo loco. Quis scit fortè ad huiusmodi ordinationem significandam, non ideo vsurpetur etiam hæc vox *plantatio*? quæ certè ordinem quendam, & seriem plantarum importat. Et hinc non fuerit improprium cùm de huiusmodi subintellecto Paradiso dicitur Genesis 2. *in quo posuit hominem quem formauerat*, interpretemur etiam; vt inuertatur, dicendo, *quem posuit in homine* &c. figura scilicet dicta *Hypallage*; qua, oratio inuersa B Hebr. 9. 1. 1. vice profertur. Huius exemplum animaduertit b in Apostolo dicente ad Hebræos 9. *Tabernaculum* &c.

in quo erant *candelabra & mensa, & propositio panum*, idest panes propositionis, per Hypallagen, inquit; sicut, *perflauit fistula buccas*. Benè autem Paradisus nuncupatur etiam mysticè *voluptatis*; quia ex Ambrosio in libro de Paradiso, *opera virtutum suos possessores sancta & syncera delectatione reficiunt*. Nec displiceat, dici primum hominem ita voluptatis Paradisum; quando Christus Dominus ad eum nouo cultu excolendum, dignatus est dici ager, Patremque suum agricolam nominare. Ioan. 15. *Pater meus agricola est*. Quod quatuor modis fuisse declaratur; c primò omnia virtutum semina in eo seminando; secundò gratiarum aquis irrigando; tertiò ipsum fodi permittendo; quartò fimum sputorum, & opprobriorum poni dimittendo. Quid prohibet, aio ipse, *Patrem* quoque, in ordine ad reparandum mysticè Paradisum, (hoc est hominem) dici *cœlestem*, noua virtutum plantatione? *Omnis alia plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*. In quo fas sit notare terrenam plantationem, quando missas, vtique in terra, euellendas esse inquit radices. Lex vetus autem radices in terra habuit. Quærit Angelicus; d *an lex vetus debuerit inducere ad obseruantiam præceptorum per temporales promissiones?* & affirmat iuxta illud Isaiæ 1. *si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*: imperfectorum enim est, quòd temporalia bona desiderent, etsi in ordine ad Deum. e E contra lex noua temporalia non habet promissa, sed dicitur habere promissa spiritualia & æterna, quæ sunt obiecta virtutis, præcipuè charitatis. Dic ergo meritò fuisse plantationem illam veterem eradicandam, quæ nonnisi ijs qui terrena saperent, constituta est. Ad quam quidem, condescendens illorum statui, se habuit æternus sua prouidentia Pater (Sap. 14. *tua autem Pater prouidentia gubernat*) quasi terrenus; se tamen præstiturus aliquando Patrem cœlestem: ea veluti distinctione, qua Ioan. 3. ipsemet Dominus ait; *si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Futura autem erat *plenitudo temporis*, in quo palam ad cœlestia, cùm prædicandum fuerat primo in limine *Regnum cœlorum*, eleuaremur. Hebr. 11. *nunc autem meliorem appetunt patriam, idest cœlestem*. Vtrobique tamen plantationis vox vsurpata est, quia *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*. *Plantatio*, non *sylua* incomposita. Olim fuit quidem nonnullius temperantiæ studium in discretione ciborum; nunc obtentis per Christum infusarum de cœlo virtutum donis, vix eisdem de terra acquirendis animus esto. Habemus exemplum ex Angelico f hac de re. In sumptione, inquit, ciborum, ratione humana modus statuitur; vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum: secundùm autem regulam legis diuinæ, requiritur, vt homo castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, per abstinentiam cibi & potus & aliorum huiusmodi.

C Ser. in festo Sancti Marci. — D p. 2. 99. 6. — E p. 2. 107. 2. 1. — F p. 2. 63. 4.

9. Sed dices. Ex his videbatur potiùs denunciandum; *omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis*, perficienda est, postquam Hebr. 7. *nihil ad perfectum adduxit lex*; comparaturque idcirco populus ille puero sub pædagogo existenti, Galat. 3. Vnde & lex ipsa quæ disponebat ad Christum, g sicut imperfectum ad perfectum, sic dicta est. Non consueuit autem sic dici de perficiendo, illud eradicandum esse. Respondeo, secundùm id quod lex vetus de morali continebat, minimè extirpandam, aut eradicandam fuisse; nam secundùm moralia simpliciter & absolutè dicitur h esse in æternum; iuxta illud Baruch 4. *hic est liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum*. Nam moralia non soluit, sed adimpleuit, superaddendo consilia, & exponendo ea, quæ Pharisæi & Scribæ malè intelligebant;

G p. 2. 98. 2. & 99. 6. — H p. 2. 103. 3. 1. Ephes. 2. 1. 5. & p. 2. q. 107. 2.

bant;

bant; vt patet Matthæi 5. Ita ad Ephes. Et quia etiam fides Christi auxilium gratiæ confert ad implenda moralia præcepta legis; vt ait Roman. 3. l. 4. Non sic
I p. 2. 104. 3.
est de cæremonialibus, quæ sunt adeò I euacuata, vt non solùm sint mortua, sed etiam mortifera obseruantibus post Christum; maximè post Euange-
L p. 2. 107. 2. c. & ad 4.
lium diuulgatum. Vnde quia eorum obseruantia L totaliter excluditur per imperfectionem, nihil de eis commemoratur Matthæi 5. Et ad hoc innuendum totaliter scilicet L cessatura esse legalia, in passione
L p. 2. 103. 3. ad 2. & 2. Cor. 3. l. 3.
Christi, *velum Templi scissum est* Matthæi 27. Et tu nota, non dici dissutum, sed *scissum*; quod certè sonat non vltra reficiendum; & videtur scissio illa consonare præsenti eradicationi. Quæ tantò magis arrident, quantò morituras plantas, quæ eradicantur apprimè constat; mortua autem passim (& tandem mortifera) dicuntur à Sancto Doctore, & quidem sana fide, legalia. Cum sint autem eradicata, claret, si quid de illis reuiuiscat, conentur homines, id totum ab hominibus esse. Quæ mirè adinuenimus docuisse Apostolum, qui de his tractans, præsertim *de cibo & potu* ad Coloss. 2. dicit de illorum obser-
M Coloss. 2. l. 4.
uantijs; *quæ sunt omnia in interitum ipso vsu*; quia mortifera M post passionem Christi &c. pergit Apostolus; *secundum præcepta & doctrinas hominum*. Et ecce admirandum; quasi Paulus à Matthæo accepisset; qui idem ab ore Domini refert, *docentes doctrinas & mandata hominum*. Sed iam ipsemet contestatur de Euangelio quod euangelizabat ad Galat. 1. *quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi*. Dic ergo reuelasse Paulo, quod hic dictauit Matthæo. Vnde sicuti in præsenti adiecit, *sine causa autem colunt me*; indicans, quid euenturum erat Iudæis incredulis; ita & Apostolus subiunxit, *rationem habentia sapientiæ in superstitione*. Constat autem ad cultum diuinum
N 2. 2. 92. 1. corp. & ad 3.
esse superstitionem; in quantùm N fit aliquid, quod fieri non debet, vel modo quo non debet. Et iam mirabiliter, superstitionis speciem declarans, ait,
O ibi a. 2. ad 3.
O ferens hunc locum ad Coloss. cum glossa, *simulata religio ibi dicitur, quando traditioni humanæ nomen Religionis applicatur*: (ecce de traditionibus introducit; quod ipsum Dominus versat in hoc capite) Vnde ista simulata Religio, (subdit Angelicus) nihil est aliud, quàm cultus vero Deo exhibitus modo indebito: sicut si aliquis tempore gratiæ, vellet colere Deum, secundum veteris legis ritum. Benè ergò inquit Dominus *sine causa colunt me*; hanc tangens superstitionem, de qua Paulus. Quò
P Coloss. 2. l. 4.
facit illud adiectum ab Angelico; P vana sunt, quæ non innituntur rationi, nec authoritati; non rationi, quia supra modum, & extra tempus; ex quo, nec auctoritati; sunt enim præcepta quidem, inquit, à Deo, sed quousque veniret veritas. Ecce proinde, vt vides, asseuerari figuralia; vtique ad finem figuratorum. Ignorant Iudæi hunc finem; & ideo *cæci*; quia qui cognoscit causam,
Q p. 2. 101. 1. sed contra.
Q lucidus est: ex quo in psal. 18. dicitur *præceptum domini lucidum*; certè habens causam. Sublato au-
R Prologo sent.
tem fine, (sententia ex Diui Thomæ R) relinquitur vanitas. Ecce iterum superstitionem, cultumque *sine causa*. Sed impleto etiam fine figurati, relinquitur vanitas, eradicata figura. Et sic 2. Cor. 3. de eorum cæcitate; *vsque in hodiernum diem; (cæci sunt, consecutione suorum, & duces cæcorum) idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum; quoniam in Christo euacua-*
S 2. Cor. 3. l. 3.
tur; idest S tollitur per Christum, implendo in veritate, quod Moyses tradidit in figura. Profectò quod vacuum est, & vanum dicitur; & sic vanè etiam & *sine causa* testamento veteri insistunt. Et dum subdit ibi ad Colossenses Apostolus, postquam dixit *in superstitione*, dum subdit inquam, *& humilitate*;
T Coloss. 2. l. 4.
scilicet T simulata, affatim respondet, Domino dicente hic eis, *Hypocritæ* &c. increpans certe etiam *Scribas*, quos tanquam profitentes doctrinas hominum, videtur notare Apostolus, dum ait de eorum præceptis & doctrinis; *quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ: sed in superstitione*: &c. Vt cum causa, non verò *sine causa* Deum colerent, scire eos oportebat, quod tradit Angelicus in psalm. 50. ibi *si voluisses sacrificium*: sacrificia, inquit, mandauit fieri, non propter se, sed quia erant figura interioris sacrificij, quo Christus se obtulit: & signa interioris sacrificij, in quantùm homo animam suam offert Deo. Et iterum fuerunt instituta propter rudes, qui Deum non nouerant: & ideò oportebat, quòd in rebus honorarent, & cognoscerent Deum; ne sacrificia Idolis immolarent: ad quod erant multùm proni.

Superest vt aperiamus quidnam figuræ lateret in 10.
hac discretione ciborum. Et iam singillatim percurrit Angelicus singula, nedum literaliter; sed & figu-
raliter; V scilicet in figuram peccatorum; nam por- V p. 2. 102. 6. 1.
cus exempli gratia, vt ait Augustinus, significatione immundus est; sicut agnus è contra mundus. Literaliter etiam quoad cultum diuinum pro tempore illo obseruandum, cæremonialia omnia suam
intelligentiam habebant; siue pertinerent X ad vi- X p. 2. 101. 2.
tandum idololatriæ cultum, siue ad rememoranda aliqua Dei beneficia, siue ad insinuandam excellentiam diuinam, vel etiam ad designandam dispositionem mentis, quæ tunc requirebatur in colentibus Deum. Sciendum est enim, cum promissio facta fuisset priscis Iudæorum Patribus, vt ex eis Christus
nasceretur, A decuisse, vt populus ille ex quo Chri- A p. 2. 98. 4.
stus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret. Vnde Leuitici 11. post denarratam ciborum diuersitatem *Sancti estote*; *quia ego Sanctus sum*. Et Deuteronomij 4. *quæ est alia Gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia B & vni-* B ibi art. 5. 2.
uersam legem? Igitur quoniam ad cultum Dei ordi-
nabantur, & debita etiam C præparatio exigebatur, C p. 2. 101. 1. 1.
vt essent idonei cultores; idcircò erant in lege præcepta de vestibus & cibis, & de alijs huiusmodi.
Quocirca: D ex parte colentium, duo possunt con- D p. 2. 101. 2. 4.
siderari; scilicet eorum institutio ad cultum diuinum; quod fit per quandam consecrationem vel populi vel ministrorum; & ad hoc pertinent (veteris legis) Sacramenta: & iterum eorum singularis conuersatio, per quam distinguuntur ab ijs, qui Deum non colunt; & ad hoc pertinent obseruantiæ; puta in cibis & vestimentis. Hæ certè, vt vides mi lector, causæ sunt adhuc literales huiusmodi ciborum discretionis: & prudenti quidem consilio, ad elongandos eos à mensa quoque Gentilium, quibus cibi omnes communes erant. Hinc à Samaritana Ioan. 4. dictum est; *non contuntur Iudæi Samaritanis. Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis?* Verè enim corruptelæ est periculum, vbi communis sit conuersatio & contubernium malorum; eo quod Ecclesiastici 13. *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*; & psal. 17. *cum peruerso peruerteris*. Et sic experimento compertum est; vnde in psal. 105. *commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum; & seruierunt sculptilibus eorum; & factum est illis in scandalum*. Vt hoc ergo præcaueretur, iussi sunt singulariter conuersari; ne scilicet eorum moribus inquinari possent. Patet autem ad hanc singularem conuersationem à Gentibus alienam, fuisse huiusmodi legales obseruantias; quia circumcisio, quæ vt
ait Angelicus, E erat legalium professio, (iuxta quod E Coloss. 2. l. 4.
ait Apostolus 5. ad Gal. *testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*) Circumcisio inquam, vbi solitariè

riè viuerent, nec esset alea dubia contaminationis,
F Rom. 4.l.2.& 3. p.70.2.& 4. omissa est F, vt in deserto: nam Iosue 5. legimus, *populus autem, qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit*; vt notat Angelicus. Ex quo fas est credere, neque discretionem ibi seruasse ciborum, quæ hanc potissimè habuit causam singularis conuersationis à Gentibus, nec cum eis mensæ communicare. Quoniam autem potuisset Dominus verbo vno commistionem Gentilium prohibere; sicuti Deuteronomij 12. *quando habitaueris in terra earum*, (Gentium) *caue ne imiteris eas*: sicut etiam breui Apostolus 1. ad Cor. 5. ait; *cum huiusmodi nec cibum sumere*; certè per Moysen animalia tot immunda percensens, varios Gentium corruptos mores carpere voluit, de quibus Chrysostomus in Matth. 21. *fuerunt homines ante Christi aduentum, idololatriæ passionibus diuersis immundi*; &c. Ne ergo inficerentur, sed potiùs horrori essent huiusmodi mores, in vestibus & cibis eos sic seiunxit. Hinc generosus ille Eleazarus Machab. 2. cap. 6. cum compelleretur carnem porcinam manducare, & ab amicis suaderetur, vel saltem simulare, prælegit gloriosè mori; *ne iuuenes arbitrantes, eum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi deciperentur*. Ecce quomodo contestatio quædam erat alienationis à vita moribusque Gentilium, discretio ciborum.

11. Verùm hæc omnia etsi verissima, ad huc tamen literam sapiunt. Figuræ quid erat absconditum.
G p. 2. 101.1. Erat ergo figuralis obseruantia, G quatenus mores populi Christiani præsignabat. Certè sanctitatem inculcat, vt dictum est Leuitici 11. post cibos vetitos; *nolite contaminare animas vestras; sancti estote, quia ego sanctus sum*. En ergo quò tendit immundorum prohibitio, ad sanctitatem; de qua Zacharias in Cant. *in sanctitate & iustitia coram ipso*: & Diuus Petrus in 1. cap. 1. *& ipsi sancti sitis; quoniam scriptum est; sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum*. Et deinde sequenti cap. 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Et certè Deuteronomij 14. vbi iterum de cibis dictum est immundis, præmittitur de sanctitate; *quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo*. Immo de filiatione; *filij estote Domini Dei vestri*: quam etiam commemorat Petrus dicens, *quasi filij obedientiæ*: quod pressè ad legem gratiæ respicit, iuxta illud Ioan. 1. *dedit eis potestatem, filios Dei fieri*. Et dum ibidem Deuteronomij subditur; *omne quod mundum est, comedite*, positiuè sanctitas
H Opusc. 58.c.19. intenditur; vt scilicet actiones exempla & opera sanctorum H ad imitandum diligenter considerentur, & quasi spiritualiter masticentur.

12. Figurale aliud erat quod magis Iudæos arctet.
I p. 2. 101.2.1. Per eorum, inquit, obseruantias, I (vtique in cibis etiam) figurabatur conuersatio populi nouæ legis. Singularis ergo Iudæorum conuersatio Gentiles ceu immundos respuens, (de qua in corpore dixerat) conuersationem nostram præsignabat. Sed valdè animaduertendum est, qualiter non dicit *conuersatio singularis populi nouæ legis*, quemadmodum priùs in corpore dixerat de conuersatione Iudæorum *singularis conuersatio*; quia populus nouæ legis non erat futurus singularis, duntaxat vnius nationis, sed vniuersarum omnium nationum; futurum enim erat omnium *ouile vnum*, Ioan. 10. *& vnus Pastor*. Iuxta quod & in psalm. 18. prædictum fuerat, *in omnem terram exiuit sonus eorum*. Et Ezechielis 37. *non erunt vltra duæ Gentes; nec diuidentur amplius in duo Regna*; & paulò posteà *Pastor vnus erit omnium eorum*; & priùs; *Rex vnus erit omnibus imperans*. Quod vaticinium refert Angelicus L ad il-
L Ephes. 2.l.5. lud Apostoli Ephes. 2. *ipse est Pax nostra, qui fecit vtraque vnum; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem*; quia scilicet Christus vtrumq; populum, videlicet Iudæorum colentium verum Deum, & Gentilium ab huiusmodi Dei cultura alienatorum, coniunxit in vnum. Nec est vnde possint Iudęi hanc improbare expositionem; quia aliunde ab Apostolo confunduntur. Dicit enim ad Rom. 3. *An Iudæorum Deus tantùm? nonnè & Gentium? Immo & Gentium*. Videri posset M alicui, per hoc quod dicitur Exodi 5. *Deus Hebræorum vocauit nos*. Sed dicendum quòd Iudæorum tantùm Deus erat per specialem cultum ab eis Deo exhibitum: erat tamen omnium, per commune regimen vniuersorum secundùm illud psalm. 46. M Rom. 3.l.4.
Rex omnis terræ Deus. Certè Genesis 49. Messias prænunciatur *expectatio Gentium*: & passim in Prophetis de salute Gentium; vt videre licet apud eundem Apostolum Rom. 15. Quæ ita cum sint, effugium non habent Iudæi, quoniam si perpetuas pertinaciùs velint has obseruantias, (oportebit etiam in vestibus) perpetuam etiam coguntur constituere à Gentibus alienationem; eo quòd vt perspectum est, ad conuersandum seorsum à Gentibus huiusmodi obseruantiæ præceptæ sunt: cessante autem causa, potissimùm finali, cesset quoque necessarium est, quod erat illius finis gratia. Quod autem hoc fine, præ alijs, mandatum sit de discretione ciborum, constat, quia vt supra, *quod in os intrat, non coinquinat hominem*, vt ostensum est ex Sacra Genesi cap. 9. Et quamuis non sic manifestè appareat ratio figuræ, sed solummodo, mandatam fuisse huiusmodi ciborum obseruantiam ad tempus; subest tamen, si profundè consideretur. Quod sic declaro. Nam certum est euasuras fuisse Gentes in Dei populum prædixisse Prophetas; In psalmis enim apertè hoc legimus; in 21. *annunciabitur Domino generatio ventura; populo, qui nascetur, quem fecit Dominus* & in ps. 101. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum* & iterum ps. 116. *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes Populi*. Cur ergo sicut vaticinio sermonis hæc prædicta sunt, non debuerunt & factis significari? Cur collectio Iudaici populi in vnum, ad veri Dei cultum, non potuit præludere collectioni in vnum Ecclesiæ magnæ? de qua in eodem psalm. 21. *confitebor tibi in Ecclesia magna*. Cur status ille Iudaicus sic ab idololatris auersus, non potuit statum Gentium præfigurare, postquam ab idolorum turpitudine ad Deum sunt conuersæ? Ita equidem addecens fuit, ne minùs crederetur esse Dei curæ vniuersus terrarum orbis populus, quàm vna Iudæorum Gens in Mundi spatiolo. Accedit elongationem mysticam ab ijs immundis omnibus profiteri moraliter Christianum nomen. Vnde & hoc tropologicè implendum erat. Quod etiam ad figuralem rationem attinet N vt ait N p. 2. 102.2.
Angelicus. Stultum est autem & mendax, si quis, quod erat futuri in signum, velit adhuc postquam quod signabatur aduenit, seruatum iri. Esset etiam in præiudicium fidei; quia per hoc haberetur, vt aliàs deducit O Angelicus, quòd status prioris populi O p.104. 3.
adhuc duraret, & quòd Christus nondùm venisset.

Sine tamen figurarum ænigmatibus licet in noua 13.
adhuc lege, cùm iuridicè de aliquorum minus christiana vita probatum est, exequi quod præcipit Apostolus; *nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere*.
Et illic subdit: Angelis P infidelibus, qui aliquando P 1. Cor. 5.l.4.
fideles fuerunt, vel Sacramentum fidei receperunt, sicut hæreticis & apostatantibus à fide, subtrahitur omnino communio fidelium; & hoc in eorum pœnam. Præcipitur etiam Christianis; quod refert D. An-

D. Antoninus 3. p. tit. 22. c. 5. §. 9. vt Iudæorum conuiuia vitent, nec eos ad sua conuiuia recipiant. 28. q. 1. cap. *omnes*. Quòd prius ad verbum allegauit Angelicus Q dicens; cum Iudæis comedere prohibitum est. *Omnes deinceps, siue clerici siue laici, Iudæorum conuiuia vitent, nec eos ad conuiuium quisquam recipiat: quia cum Iudæi apud Christianos cibis communibus non vtantur; indignum atque sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi*. Aliàs tamen, cum figurarum sit consummatum mysterium, absolutè ibidem Apostolus inquit; *si quis vocat vos Infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate*. De Gentilibus R loquitur. Non enim prohibemur communicare Infidelibus, S qui nunquam fidem receperunt. Cauendum tamen aliquibus scilicet infirmis, propter eorum cautelam, ne seducantur. Illi verò qui sunt firmi in fide, possunt eis licitè communicare, & dare operam conuersioni eorum. Et huc facit illud Petri in prima c. 2. *conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam*; & 1. Thessal. 4. *vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt*.

Q 1. Cor. 10. lect. 6.
R ibid.
S 1. Cor. 5. l. 3.

13. Exigit vberior materiæ huius notitia, vt afferatur in medium quæstio famosa vtique de legalium quorundam obseruantia imposita Actor. 15. per Apostolos Gentilibus conuersis. Decretum quippe fuit illud, irrefragabilis auctoritatis; nedum tanquam ab Apostolis, Spiritu-Sancto in die Pentecostes desuper illustratis; sed etiam quia non perfunctoriè, sed consultissimè res tractata est; nam, inquit Diuus Lucas; *cùm autem magna conquisitio fieret*; &c. Conuenerant enim *Apostoli & Seniores videre de verbo hoc*; eo quòd *surrexerant quidam de hæresi Pharisæorum, dicentes, quia oportet circumcidi eos*, (Gentiles qui crediderant) *præcipere quoque seruare legem Moysi*. In definienda tamen controuersia; altè pronunciauit Apostolicum tunc primò Concilium; *visum est Spiritui-Sancto & nobis*, &c. Aliqui, quos recolit Angelicus T sic rigidè intellexerunt, vt ad literam essent adhuc seruanda huiusmodi legalia de quibus in Actis; vt fit apud Græcos, fuitque aliquando apud Latinos. Arguit hanc opinionem; quia V ibidem Titi 1. *omnia munda mundis*. Instat etiam; quoniam ait Apostolus Roman. 14. *nihil commune* (idest *immundum*) *per ipsum*, (idest per Christum) *nisi ei, qui existimat aliquid commune esse; illi commune est*: X additque esse hanc opinionem contra rationem; quia cum hoc præceptum (in Actis) non sit morale, quia naturalis ratio illud non dictat; oportet quòd sit cæremoniale: & ideo eius obligatio non manet, magis quàm aliorum. Alij opinati sunt, non esse definitionem Apostolicam accipiendam, nisi secundùm spiritualem intellectum, non verò de sanguine A animalis, & de suffocato animali: & ita de effusione sanguinis, quæ fit per homicidium, & de suffocatione pauperum. Similiter in Matthæum; B ad literam aiunt de fornicatione; moraliter à sanguine abstinerent, ne sanguis innoxius effunderetur; & à suffocato, vt nullus alij calumniam inferret. Bonum est C vt per sanguinem intelligatur homicidium, & pro suffocato oppressio pauperum. Vera est D & hæc expositio. Sed est contra Hieronymum, qui Ezechielis 18. post ipsam mysticam E expositionem, ponit literalem, quam dicit Apostolos etiam intendisse. Hanc opinionem, vt in prohibitione sanguinis, intelligatur prohibitio homicidij; in suffocato, prohibitio violétiæ & rapinæ; in prohibitione immolatorum intelligatur prohibitio idololatriæ, acceperunt F ex quibusdam glossis, quæ huiusmodi præcepta mysticè exponunt. Sed quia homicidium & rapina, etiam apud Gentiles, reputabantur illicita; non oportuisset super hoc speciale mandatum dari ijs, qui erant ex Gentilitate conuersi ad Christum. Alij dixerunt, ad literam quidem huiusmodi esse prohibita; sed non propter obseruantiam legalium, G sed propter gulam comprimendam. Sed quia sunt quædam cibaria magis delicata & gulam prouocantia; non videtur ratio, quare fuerint hæc magis quàm alia prohibita. Diuus Hieronymus, qui sensit, statim post Christi passionem, euasisse legalium obseruantiam, nedum mortuam sed mortiferam (sic vt peccaret mortaliter, quicumque ea obseruabat) dicit Apostolos H post passionem nunquam secundum veritatem legalia obseruasse, sed solùm quadam pia simulatione, seu dispensatione, vt *omnibus* 1. Cor. 9. *omnia fierent*; ne scilicet scandalizarent Iudæos, & eorum conuersionem impedirent; In Matthæum I videtur huiusmodi scandalum admittere tanquam causam prohibitionis. Sed in prima secundæ non probat L huiusmodi simulationem, indecens reputans, quòd Apostoli propter scandalum occultarent ea, quæ pertinent ad veritatem vitæ & doctrinæ; & quod simulatione vterentur in ijs quæ pertinent ad salutem fidelium. Sic ergo dixit Hieronymus, simulasse Paulum, quando Act. 16. circumcidit Timotheum, & c. 21. purificatus per legem Templum intrauit. Additque quieuisse Apostolos in Sabbato, non propter obseruantiam legis; sed propter quietem: item abstinuisse ab immundis, non propter obseruantiam legis, sed propter alias causas, M puta propter abominationem, & aliquid huiusmodi. Vt si quis pelliculam virilis membri abscinderet propter sanitatem N non causa legalis circumcisionis obseruandæ.

T Titi 1. l. 4.
V D. Th. hic.
X 4. sent. d. 1. q. 2. a. 5. ad 5.
A 4. sent. cit.
B D. Th. hic.
C Titi 1. l. 4.
D D. Th. hic.
E 4. sent. cit.
F p. 2. 103. 4. 1.
G loco proximè citato.
H in 4. sent. cit. ad tertiã & p. 2 cit. ad 1. & ad Gal. 2. l. 3.
I D. Th. hic.
L p. 2. 103. 4. ad 1. & in 4. sent. ad tertiam.
M in 4. sent. cit. & ad Gal. 2. l. 3.
N p. 2. 103. 4. 1.

14. Veruntamen hac in re Augustinum potiùs sequitur Angelicus noster, vt syncerè & ex intentione mandata sit ab Apostolis memoratorum obseruantia ob hanc perpetuò causam, vt pacis inter Gentiles & Iudæos esset locus. Erat, inquit, O quædam prouisio ad conseruandam pacem, & communem vitam Gentilium & Iudæorum fideliũ. Erant enim conuersi quidam ex Iudæis, quidam ex Gentibus: & ideo oportebat ad hoc quòd vnus Populus ex eis fieret, quòd P vni condescenderet alius; vt Iudæis, quibus abominabile erat comedere sanguinem, condescenderetur: & ita pro tempore illo. Non ergo ad obseruandum cæremonias legis, Q sed ad hoc, quòd posset coalescere vnio Gentilium & Iudæorum insimul habitantium. Iudæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum erant abominabilia. Comestio autem immolatorum simulacris poterat in Iudæis aggenerare circa Gentiles suspicionem reditus ad idololatriam. Et ideo ista fuerunt prohibita pro tempore illo; in quo de nouo oportebat conuenire in vnum Gentiles & Iudæos. Procedente autem tempore cessante causa, cessat effectus; manifestata Euangelicæ doctrinæ veritate: in qua Dominus docet, quòd *nihil quod per os intrat, coinquinat hominem*. Fornicatio autem prohibetur specialiter, quia Gentiles non reputabant eam esse peccatum. In horum appendicem animaduerte, non esse eiusdem rationis fornicationis prohibitionem, sanguinis & suffocati; secundùm se enim illicita est & mala. Gentiles in quibus lex naturæ R obfuscata erat, accedere ad concubinam malum non reputabant, sed passim fornicatione quasi re licita vtebantur; sicut & alijs, quæ erant contra cæremonias Iudæorum: & ideo Apostoli immiscuerunt prohibitionem fornicationis cæremonialibus propter discretionem, quæ erat in vtroque inter Iudæos & Gentiles. Sic & in 2. 2. fornicatio illis connumeratur, non quia habeat eandem rationem culpæ cum alijs, sed quantùm ad hoc, quòd ex ijs quæ ibi ponuntur, S similiter poterat dissidium generari inter Iudæos & Gentiles; & eorum vnanimis consensus impediri: quia apud Gentiles, fornicatio simplex non reputabatur illicita propter cor-

O 4. sent. 1. 1. 5. ad 4.
P Titi 1. l. 4.
Q p. 2. 103. 4. 1.
R 4. sent. 33. q. 1. a. 2. q. 1. ad 1.
S 2. 2. 154. 2. 1.

corruptionem naturalis rationis; Iudæi autem ex lege diuina instructi eam illicitam reputabant. Alia verò quæ ibi ponuntur Iudęi abominabantur propter consuetudinem legalis obseruationis. Vnde Apostoli ea Gentilibus interdixerunt, non quasi secundùm se illicita, sed quasi Iudæis abominabilia. Vt ergo vides, constans est Angelicus vbique in sua sententia. Sed pro pleniori intellectu, scias sanguinem & suffocatum dici abominabilia Iudæis propter antiquam consuetudinem, quia nedum prohibita fuere in lege Leuitici 19. & Deuteronomij 12. & 15. sed quoniam ab initio Genes. 9. inhibitum fuerat, *carnem cum sanguine non comedetis*. Quædam enim cæremonialia ex Angelico T fuerunt per inspirationem diuinam à Patribus instituta & seruata. Quamuis huiusmodi inspirata Noe & filijs eius obseruantia, per manus deinde tradita, fuerit nedum mysticè; (vt si sanguis designet corruptum amorem; vel si sanctum amorem significet, in quo est sedes spiritalis vitæ, non comedatur commistus cum carne, V idest cum carnali opere vel affectu sanguinis morticiniorum:) sed adhuc, ad elongandum homines ab omni crudeli sanguinis voracitate; & ad vitandam crudelitatem; quia animalia suffocata vel strangulata X multùm affliguntur; vt per hos magis recederent à crudelitate hominis, habentes exercitium pietatis etiam circa bestias. Præterquam carnes, quibus sanguis coagulatus & mortuus, est commistus, sunt communiter abominabiles, & fortè nimis sanæ; A quia non est facta debita grossarum fumositatum euaporatio. Dic per transennam, etsi eo loco Genesis non vetita sit sanguinis effusi comestio, sed solum carnis cum sanguine, subintelligi: & tunc post diluuium, ob fratricidij scelus, adhuc in memoria: & fortè diuturnum in scandalum ea ex causa, sanguinis sitim famemque fuisse. Cæterùm non vim vniuersalis habuisse legis; eoquòd non fuit promulgata; (quod requiritur B) nisi à tempore Moysi, qui sacram Genesin scripsit totumque Pentateuchum Iudæorum populo. Et sic docemur promulgationem extendi C per firmitatem Scripturæ, quæ quodammodo semper eam promulgat. Vnde Isidorus dicit quòd *lex à legendo vocata est, quia scripta est*.

T Genesis 37.
V Gen. 9.
X p. 1. 102. 6. 1.
A Gen. 9.
B p. 2. 90. 4.
C ibi ad 3.

15. Pro rei huius grauis vtique absoluta definitione, ipse fidus Angelici Doctoris, Augustinique assecla non probo, quam excogitauit Hieronymus etsi piam Apostolorum circa legalia simulationem, sed potiùs veraciter esse adhuc ab ipsis, primitiua in Ecclesia legem quoad aliqua cæremonialia seruatam. Quod quidem euincitur, dicente Petro Act. 10. in visione; *nunquam manducaui omne commune & immundum*; ea prudenti existimatione, quam recolit Sanctus Doctor D, ne omnino videretur lex vetus reprobanda; si statim quasi idololatria exploderetur. Et hoc modo erat Mater Synagoga deducenda ad tumulum cum honore. Quod repetens ex Augustino E ait, instinctu Spiritus-Sancti permissum est, vt legalia modico tempore seruarentur (etiam post passionem) vt per hoc ostenderetur, legalia bona fuisse, nec pari passu ambulare, cum idololatris, qui statim ab idolorum cultura prohibebantur. Et iterum; ideo noluit Spiritus-Sanctus, vt statim inhiberetur ijs, qui ex Iudæis conuertebantur, obseruatio legalium, sicut inhibebatur ijs, qui ex Gentilibus conuertebantur, Gentilitatis ritus; vt quædam differentia F inter hos ritus ostenderetur. Nam Gentilitatis ritus repudiabatur, tanquam omnino illicitus, & à Deo semper prohibitus, ritus autem legis cessabat, tanquam impletus per Christi passionem, vtpote à Deo in figuram Christi institutus. Adde id etiam licuisse; quoniam nondum promulgata erat lex Christi, cuius vi, prior in figuram cessabat. Non tamen sic, vt in eis quis spem poneret, quasi legalia sibi reputaret necessaria ad salutem; quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset, vt animaduertitur locis citatis.

D 4. sent. 1. 2. 5. ad 3. & Gal 2. l. 3.
E Ad Gal. loco cit.
F p. 2. 103. a. 4. ad 1.

Verùm penitius mihi videtur introspiciendum, si 16.
Apostolici decretum Concilij velimus capere plenius. Neque enim punctum hoc versabatur quod iam Iudæis moris erat, an adhuc legalium ritus perduraret. Neque circa hoc ipsum fuerat necesse, vt *magna conquisitio fieret*, conuentu Apostolorum & Seniorum ad videndum *de verbo hoc*: iam enim, vt dixi, præacceptum erat, vt aliquando legalium vel aliquorum vigeret obseruantia. Aliud ergo requisierunt, quia *oportet circumcidi eos*; (Gentiles conuersos) *præcipere quoque seruare legem Moysi*. Nota ly *oportet*, & *præcipere*. Noua erat quæstio: quasi etsi seruarentur passim adhuc legalia, non tamen, tanquam de necessitate, *oportet*, nec tanquam *in præcepto*; sed dispensatione quadam, vt visum est. Igitur cum de præcipienda legalium obseruantia tractaretur, non potuit Apostolicus Petri thronus, (idcirco legimus, *surgens Petrus*) id de quo instabant decernere: quin potiùs auctoritatiuè repressit, astruens minimè necessarium id esse; quandoquidem, vt ait, *nihil discreuit Deus inter nos & illos*. Quæ verba idem sonant, atque quod supra c. 10. dixerat; *in omni Gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi; quia non est personarum acceptor Deus*. Sic ergo præmisit, non esse imponendum legis *iugum super ceruices discipulorum*, quos *credimus* inquit insimul, *per gratiam Domini Iesu Christi saluari*. Sic etiam Iacobus; *ego iudico, non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum*. Quare minimè intenderunt Apostoli legalem obseruantiam mandare. Vnde in Epistola quam miserunt Antiochiam hac de re, nec verbum de lege Moysi. Cumque *tacuerit omnis multitudo*, argumento est, acquieuisse Apostolicæ sanctioni; quæ non erat de Moysi lege obseruanda, sed de alijs necessariò promulganda. Constat etiam nihil de lege Mosaica, vt tali, imponi; quia, quæ imponuntur in Epistola vocantur *necessaria*. Quod admitti non potest, nisi quantùm ad sensum mysticum prætactum, vel quantum ad obseruandam communitatem vitæ inter Iudæos & Gentiles, quo pacto G exponitur glossa. Sed vt mihi videtur; quamuis consecuta sit hoc ex decreto aliqualis Iudæorum Gentiumque pax & concordia; nihilominus, non putarim de ea fuisse tunc solicitos Apostolos; qui tacentem multitudinem viderant, proinde acquiescentem, vt iugum legis non imponeretur discipulis; sed eò intendisse arbitror, vt omnino ab idololatriæ specie, ab scandalo, & corruptis moribus Gentiles denuò conuersi elongarentur. Et quia hoc totum morale erat non cæremoniale, ideo *benè agetis* inquit Epistola, & dicuntur imponi etiam *necessaria*. Vno verbo intendit Apostolica Spiritu-Sancto congregata Synodus, fideles auertere nedum à malo, quod in fornicatione, sed & à specie mali, *ab omni specie mala abstinete vos*; 1. Thess. 5. Et ecce in primis, *ab immolatis*, inquiunt, *simulacrorum*. Huc attinet quod habet Apostolus 1. Cor. 8. *de escis autem, quæ Idolis immolantur, scimus*, scilicet H scientia vera, quòd in se sunt licitæ. Nihilominus licentia comedendi huiusmodi prudenter vtendum est. *Videte* (ibidem) *autem, ne fortè licentia vestra offendiculum fiat infirmis*. Quare præcauetur de scandalo infirmis I in fide, qui nondum sciant idolū nihil esse. Vnde contingere potest, vt frater videns peritū sacrificata idolis *in Idolio*, idest, in præsentia Idoli, comedentē (quod est publicè recumbere ad manducandum) scandalizetur; comedatque & ipse idolothytum, sed in Idoli reuerentiam. Impudenter, & indiscretè comestionem idolothytorum prædicabat Nicolaus ille vnus ex septem Diaconi-

G 4. sent. 1. 2. a. 5. 4. ad 2.
H 1. Cor. 8. l. 1.
I ibi l. 2.

conibus, (de quibus Act. 6.) de quo fit mentio increpando negligentiam Episcopi Apocalypsis 2. tacto antiquo Balaam scandalo; *ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Quopcirca Angelicus; L aut idolothytum manducatur cum veneratione Idoli, aut non: si sic; graue peccatum est, & sic loquitur hic: aut non; & tunc, aut comedit quis cum scandalo Christiani infirmi, qui videt comedentem, & credit comedere cum veneratione Idoli, & tunc comedit illo modo: aut non cum scandalo, & tunc comedere huiusmodi non est peccatum, quantum est de se. Apostolus autem vbi supra intelligit Idolum nihil esse in Mundo, quia imagines illæ, quæ Idola dicebantur, M non erant animatæ, aut aliquam virtutem Diuinitatis habentes, sicut Hermes ponebat; quasi esset aliquid compositum ex spiritu & corpore. Et similiter intelligendum est, quòd Idolis (cap. 10.) non est aliquid immolatum, quia per huiusmodi immolationem, carnes immolatitiæ neque aliquam sanctificationem consequebantur, vt Gentiles putabant; neque aliquam immunditiam, vt putabant Iudæi. Ecce ex hac Diui Thomæ doctrina: vnde poterat infirmus fide perire, nondum Christiana doctrina plenè imbutus. Et ecce etiam, qua ex causa *necessarium* fuit Gentilibus immolata prohibere: non tam propter imaginariam immunditiam apud Iudæos, vel figuratiuam legalem, quàm propter scandalum, & speciem mali: cùm posset etiam exinde Iudæis aggenerari suspicio de Gentilibus, ne ad idololatriæ ritus vellent reuerti.

L Apoc. 2. Com. 3.

M 1. 1. 94. 1. ad 1.

17. Sic à suffocato & sanguine impositum est Gentilibus abstinere, non tam ad obseruationem legis, quod erat veluti consecutiuè accidens, quàm ad eliminandam & in hoc idololatriæ consuetudinem. Moris quippe illorum erat, N vt circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse. Et ideo Dominus mandauit, quòd sanguis effunderetur, & quòd puluere operiretur. Et propter hoc etiam prohibitum est eis comedere animalia suffocata vel strangulata, quia sanguis eorum non separatur à carne. Generaliter ergo O obseruabatur à Iudæis, quòd sanguis non veniebat in vsum Sacerdotum, neque in vsum offerentium; sed sanguis effundebatur ad crepidinem Altaris, in honorem Dei: cuius ratio vna fuit, ad excludendam idololatriam: idololatræ enim bibebant de sanguine victimarum; Deuteronomij 32. *de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum*. Ecce mi lector caput, vnde potuit hoc etiam Gentibus imponi, ne vita illorum vltra saperet idololatriam. Quod profectò non tam legale Iudæorum, quàm morale quid est fidelium. Quod & hodie obseruari non esset illicitum, quando iam legalia diuulgato Euangelio mortifera sunt, dum ab idololatris, si qui extant, impiè huiusmodi ritus esset inuectus. Durauit hæc Apostolorum prouida sanctio primis ferè sæculis vt fert Act. 15. Iacobus Tirinus. Sed Augustinus scribit suo tempore non ampliùs in vsu fuisse in partibus Africanis. Iam certè vbique Gentium, si Græcos demas, expirasse deprehenditur probato in contrarium vsu. Similiter aliàs quædam olim cæremonialia, seruantur hodie in Ecclesia, sed non tanquam antiquæ legis documenta, sed nouo ritu. Sacerdos quippe celebrans abluit manus, quod Exodi 30. Aaron & filijs eius præceptum erat; thurificatur etiam in Missa; quod itidem Aaron mandatum fuerat; vt scilicet adoleret incensum suaue fragrans super Altare ante Propitiatorium. Sed fiunt hæc P non tanquam in lege cæremonialia, sed tanquam instituta ab Ecclesia, conuenienti aliquo fine; nec eodem modo. Sic & in facto abstinentiæ à sanguine, nuda

N p. 2. 102. 6. ad 1.

O p. 2. 103. 4. ad 1.

P 1. 2. 23. 1. ad 1. & 4.

imponitur obseruantia; non vt effundant ad Altaris crepidinem, non vt operiant puluere: quod palam fuisset eis iudaizare; sed ne vel suspicione Idola colerent. Ad quorum cultum magis exufflandum trahi potest etiam quod adiectum est de fornicatione; quia comestio immolatorum, & fornicatio simul fiebant. Nam Apocalypsis 2. legimus; *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere & fornicari*: & mox, *fornicari & manducare de idolothytis*. Balaam enim Numeri 25. vt expressè cap. 31. consilium dedit Regi Moabitarum iniquo Balac, vt per mulieres prouocaret filios Israel ad esum idolothytorum & fornicationem simul. Et sic Numeri 25. *fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt & adorauerunt Deos earum*. Quod recolens Diuus Thomas, exponit postea ly *fornicari* nedum cum mulieribus, sed cum Dæmonibus per errorem Q vel ad peccatum mortale. Constans est autem dici fornicationem in Scripturis etiam spiritualiter, vt pluries R meminit Angelicus ex Ieremiæ 3. Ezechielis 16. & Osee 2. Sed præcipuè in 4. Sentent. vbi recolens illud Osee 2. *sponsabo te mihi in fide*, ait; S in sacra Scriptura specialiter per fornicationem idololatria & infidelitas designantur: sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes. Et iam conceptis verbis Ezechielis 16. *nunquid parua est fornicatio tua? immolasti filios tuos*, &c. Dixerim ergo etsi peregrina vera tamen interpretatione huc spectasse Apostolicum decretum in his prohibendis: ad omnino idololatriam explodendam; quam tamen fornicatio etiam carnalis, potuisset vt olim Numeri 25. introferre. Absit proinde opinari esse fornicationem licitam, quasi solummodo inter legalia inhibitam. Non enim sine causa, vbi in Apocalypsi citato 2. capite agitur de comestione idolothyti, Moabitarum fornicatio de Numeri 25. commemoratur. Quare cum & in Actis de immolatis Simulachrorum cautum sit, id ipsum intenditur. Quod tandem ex Actis ipsis habetur; nam cap. 21. decretoria repetita Epistola dicitur; *de his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes, vt abstineant se ab Idolis, immolato, & sanguine, & suffocato & fornicatione*. Vbi auersio *ab Idolis* potest sciunctim accipi, & deinde ab *immolato*: eoquòd ab idololatriæ cultura potissimùm elongari iussi sunt. Et idcirco fortè Diuus Iacobus Act. 15. votum suum consentiendo promens, ad mysticam insinuandam fornicationem, postquam dixit, vt abstineant se *à contaminationibus simulachrorum*, quasi ad idem statim adiecit *& fornicatione*. In quo quanto graue sit scelus idololatria innotescit; qua à Deo fornicatur impiè infidelis dæmonij socius. Claudo materiam hanc voce Christi Domini Apocalypsis 2. minimè pondus legis probantis; *non mittam super vos aliud pondus*. De hoc enim legalium onere T interpretatio est. Quare si aliquid inuenitur in veteri Testamento, quod Gentibus indicatur seruandum, referendum V est ad intellectum spiritualem: sicut dicitur Isaiæ 19. *colent eum in hostijs & muneribus*. Quod totum est spiritualiter intelligendum.

Q Apoc. 2. Com. 2.

R 1. Cor. 6. l. 3. 2. 2. 151. 2. & alibi.

S 4. sent. 39. q. 1. 6. ad 2.

T Apoc. 2. Com. vtroque.

V Hebr. 8. l. 2.

VERS. XXII. *Et ecce mulier Chananæa*, &c. vsque ad v. 29.

18. Prohibitio immundorum ad literam idcirco etiam, vt tetigimus supra, facta est, quo abominationes Gentilium detestarentur: nam Gentiles X & præcipuè Ægyptij, inter quos erant Iudæi nutriti, huiusmodi animalia prohibita Idolis immolabant, vel eis ad maleficia vtebantur. Dic ergo, vel ex hoc capite, vel etiam quia Gentiles, vt ait Chrysosto-

X p. 2. 102. 6. 1.

 mus

mus in Matth. 21. *erant idololatriæ passionibus diuersis immundi*; immunda hæc animalia in typum assumpta Gentilium; cum quibus commercia nulla, conuictum nunquam Iudæi haberent; Ioann. 4. *non enim coniunctur Iudæi Samaritanis*. Ad hæc Diuus Petrus Act. 10. *vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo, coniungi aut accedere ad alienigenam*. Quæ verba protulit postquam immunda generis omnis viderat imaginario eo in linteo; audieratque; *surge Petre, occide & manduca*; responderatque; *absit Domine; quia nunquam manducaui omne commune & immundum*. Sed postquam vox iterum secundò ad eum; *quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*, intellexit tandem visionem, dixitque Cornelio, *conuocatisque cognatis eius, & necessarijs amicis; mihi ostendit Deus, neminem communem & immundum dicere hominem: propter quod sine dubitatione veni accersitus*. Se se ergo comitantur consummatio legis de immundis, & Gentilium admissio; qui vt idem ait Chrysostomus *facti sunt de immundis animalibus, homines sancti*. Idcirco crediderim Leuitici 11. postquam percensita sunt immunda, subiunctum vt supra dictum est; *sancti estote*. Et Deuter. 14. vbi item de immundis, præmissum est; *quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo*. Vide ergo, quàm mirè quasi manifesta in tabella, id quoque Matthæus depingat. Statim enim post traditam de immundis, non in se immundis doctrinam, proinde non adeo cæco studio in æuum repudiandis; ad immundam Gentem transitur; nam *secessit Saluator in partes Tyri & Sidonis; & ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa*. Constans est hìc Patrum sententia, vt pro Gentilitate sit Chananææ clamor. Non

A D. Th. hic lit. b. & c. enim A arctatur ad vnum populum sed etiam ad salutem Gentilium sufficit; liberanturque Gentiles à potestate dæmonum. Chrysostomus; (in Catena,) *considerandum est autem, quod quando ab escarum obseruatione Iudæos eripuit, tunc & Gentibus ianuam aperuit: sicut & Petrus prius in visione iussus est hanc legem soluere, & post ad Cornelium mittitur. Chananæi enim qui expulsi fuerant, vt non peruerterent Iudæos*, (en immunditiam) *hi Iudæis apparuerunt prudentiores; vt exirent à terminis suis, & accederent ad Christum*. Super illud psalm. 44. *& filiæ Tyri in muneribus vultum tuum*

pl. 44. *deprecabuntur*; hoc impletum est, inquit, B quando *mulier Chananæa egressa à finibus Tyri*, venit ad Iesum. Ad hæc Rabanus; super illud *ò mulier, magna est fides tua!* dicit; *cum Gentes nec lege fuerint imbutæ, nec vocibus Prophetarum instructæ, ad prædicationem mox Apostolorum, in auditu auris obediunt; indeque salutem impetrare meruerunt*. Sic & Augustinus & Hilarius hic pro filia Chananææ Gentes intelligunt. *Chananæa* Diuo Thomæ

C D. Th. hic. C idem est ac *mutata*. Hieronymus addat; *mira rerum conuersio! Israel quondam filius, nos canes: pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur*; & Hilarius, *ex Gentibus mulier in populi alterius nomen excedens*. Hanc mirabilem mutationem adducit in medium Apostolus secundum literam Se-

D Rom. 9. l. 5. ptuaginta, vt ibi animaduertit Angelicus; D *vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Vbi nostra habet, *miserebor eius, quæ fuit absque misericordia; & dicam non populo meo, populus meus es tu*. Et ecce mirè Iacobus, in Actis cap. 15. vbi vt vidimus de cessatione legalium tractabatur; *Simon*, inquit, *narrauit, quemadmodum primum Deus, visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo*. Et iam in prima sua Canonica idem Petrus capit. 2. ait; *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*. Hac *misericordiæ* voce profundè Gentilium conuersio tacta est: ideo admirandum qualiter Chananæa de hoc tantum rogat; *miserere mei Domine fili David*. Apostolus enim cum de conuersione Gentium sermonem habet, sic loquitur; *Gentes autem super misericordia honorare Deum* Roman. 15. Licèt enim conuersio Iudæorum sit etiam effectus diuinæ misericordiæ; hoc enim misericordiæ fuit E quod Deus Patribus promissiones E Rom. 15. l. 1.
fecit de ipsorum salute; vnde 1. Timoth. 1. *misericordiam*, inquit Paulus, *consecutus sum*: attamen cùm de vocatione Gentium, non ita promissiones factæ sint, sed vaticinia; non ita veritas, vt in Iudæis, sed misericordia claret. Sic & alibi, F iustitia & misericordia Dei apparet in conuersione Iudæorum & Gentium; sed aliqua ratio iustitiæ apparet in conuersione Iudæorum, quæ non apparet in conuersione Gentium; sicut quod saluati sunt propter promissiones Patribus factas. Licet in vtrisque saluatio habuerit, & iustitiam & misericordiam; iustitiam quæ est secundum decentiam diuinæ bonitatis; decuit enim, G vt Deus rationalem creaturam, quam ad beatitudinem fecit, non totaliter perderet: misericordiam verò, quia in neutris merita præcesserunt, quæ adhoc sufficerent; secundum illud Titi 3. *non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit*. Cæterum ex hac præpollentia misericordiæ in Gentes, videtur Chananæa supplex esse. Et iam paulo post ipsemet Dominus; *misereor*, inquit, *turbæ*. Et quia misericors alterius miseriam H quasi suam reputat: ecce Chananæam filiæ miseriam, sibi propriam reputare, dum clamat; *miserere mei*: quo ad obtinendam Domini misericordiam nihil efficacius; quando supra c. 5. *misericordes misericordiam consequentur*.

F p. p. 21. 4. 1.

G 4. sent. 46. q. 2. a. 2. a. 3.

H 4. sent. 46. q. 2. a. ad 2.

19. Sed nedum hoc ex capite imploratæ misericordiæ, de Gentium salute hìc agi deprehenditur, mira enim & multiplex id innuit sermonis consideratio. *De finibus illis egressa*. Cur id adiecit Matthæus? vel enim, vt ait Prouerbium, *non sufficit, vel non requiritur*. Neque enim scitur an de Sidone, vel de Tyro egressa esset. Quòd si specialior Patriæ ipsius mulieris notitia nobis non obuenit; satis erat dixisse, Chananæa. At non ita; sed *de finibus*. Certè cum de Gentium toto Orbe disseminatarum salute agitur, fines Orbis terræ memorantur; ps. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*. Sic Isaiæ 49. dedi te *in lucem Gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ*; quod recolitur ad rem Act. 13. Vnde ipse Dominus Actor. 1. perhibetur dixisse; *eritis mihi testes, &c. vsque ad vltimum terræ*. Hoc ipsum insinuare videtur illuminata mulier dicens *miserere mei Domine*. Planè signanter, & Sancti Magi, in cantatissimam vocationis Gentium figuram etsi requirerent, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* subiecerunt, *& venimus adorare Dominum*. Iam & hic *Chananæa venit & adorauit eum dicens, Domine adiuua me*. Iteratò cum compellat Dominum. Ita & Petrus in Actis cap. 10. præmissò de vocatione & acceptatione Gentium, memorato Iesu Christo, statim subdit; *hic est omnium Dominus*. Psalmi concinunt *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* & iterum, *Domini est terra, & plenitudo eius*. Angelicus in officio Augustissimi Sacramenti, dominatum respectu Gentium agnouit dicens; *Christum Regem adoremus, dominantem Gentibus*; quasi qui Rex Iudæorum, extenderit ad Gentes imperium. Et iam cum ex Ambrosio, *nomen sit potestatis*, mox vt sibi datam promulgauit Saluator potestatem infra

c. vltı-

c. vltimo, ad Gentes discipulos direxit; *data est mihi omnis Potestas in Cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes Gentes*. Sed quoniam timorem incutit nomen Dominus, quia *nomen est potestatis*, iuxta illud Roman. 13. *vis non timere potestatem?* &c. & Lucæ 12. *timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*. *Dominus* (Regum 1. capit. 2.) *mortificat & viuificat; deducit ad inferos & reducit: Dominus pauperem facit & ditat; humiliat & subleuat*: ideo timorem sibi comparat Chananæa, cùm vocat Dominum, edocta desuper quod aiebat itidem Petrus, Gentium salutem commendans; Act. 10. *in omni Gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. Operatus est autem ibi iustitiam Cornelius, in quantum de eo dixit Apostolus; *exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei*. Quæ quidem in Chananæa dignoscimus, dum orat ardenterque adeo filiæ eleemosynam spiritualem deposcit, sub typo saltem eleemosynæ; dum mensæ micas recipere instar Lazari cupit: *qui diuitis iacebat ad ianuam* (Lucæ 16.) *cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis*.

20. Hanc eandem Gentium salutem præsignat Chananæa, quæ etsi domum priùs ingressa fuerit, vt apertè ait Marcus cap. 7. *intrauit & procidit ad pedes eius*, vix auditur in Domo. Vnde exeuntem pergentemque Dominum sequitur clamans pro filia. Tacet hoc quod ad historiam attinet Matthæus; quia earundem Gentium salutem delineabat. Ait autem Chrysostomus in Sermone de passione Domini, ferturque ab Angelico quærente, *vtrum Christus fuerit conuenienti loco* I *passus? noluit Dominus pati sub Tecto, non in Templo iudaico, ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare; ne putares pro illa tantùm plebe oblatum sacrificium, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio*. Et sicut quia virtus passionis eius ad totum Mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit, idest in Ierusalem psalm. 73. *operatus est salutem in medio terræ*; idest in Ierusalem, quæ dicitur esse vmbilicus terræ: Ita fas sit dicere ad hanc Gentium vniuersalem vocationem significandam Domo exisse. Et hoc magis roboratur, si expendamus filiam Chananææ non moueri loco; quia salus mysticè erat ei donanda vbique locorum, dicente Hieronymo; *ego filiam Chananææ puto animas esse credentium, quæ malè à Dæmonio vexabantur, ignorantes Creatorem, & adorantes lapidem*. Vnde Augustinus de Quæst. Euangel. *quòd puerum Centurionis & filiam Chananææ mulieris, non veniens ad Domos eorum sanat, significat Gentes, ad quas non venit*, (intellige in persona) *saluas fore per verbum suum*. Et iam Sophonias cap. 2. id prædixerat; *& adorabunt eum viri de loco suo*. Non ergo vltra petituri Ierusalem, sicut proselyti euntes ad habitandum cum Iudæis; quia *veri adoratores*, vt ait Dominus, Ioannis 4. *adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Et priùs; *venit hora, quando neque in Monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*; vt obseruat Angelicus L ad illa verba; *& adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium*. Et hoc ipsum attestatur etiam vocationi Gentium, remanente vexata filia in Domo, minimèque adeunte Dominum. Nam impletum deprehenditur, quod habetur Isaiæ 64. *inuenerunt, qui non inquisierunt me*. Vbi Apostolus ad Rom. 10. *inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant*. In quo præter merita M & intentionem Gentilium, ostenditur fuisse eorum conuersio. *Palam apparui*, Gentilibus, *qui me non interrogabant*, idest qui meam doctrinam non quærebant. *Palam* etiam, quia non apparuit Christus Gentilibus in ænigmatibus & figuris legis, sed in manifesta veritate. Iam dixi in Capitis huius expositione, *clamasse* idcirco Chananæam. Et iam Dominus palam filiam iustificat, quia *sanata est filia eius in illa hora*. Et mira Matthæi cum Isaia consonantia; eo quod attexit Propheta de Israel; *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*: nuper enim Matthæus retulit contradictionem Iudæorum, & de inablutione manuum, & de eo quod dixerat de cibis, *non quod intrat in os coinquinat hominem*. Verificatur attamen, & venisse in filia Chananææ, Gentiles ad Christum, quamuis tractos specialiùs; *nemo venit nisi tractus*, ait Augustinus, super illud, *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; iuxta quod supra cap. 8. dixit, *multi ab Oriente & Occidente venient*. Et Lucæ 13. *& venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & recumbent in Regno Dei*; & Matthæus; *& recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno Cælorum*. Quæ causa potest esse, cur Dominus, mox de mensa attexuerit sermonem; qui aliàs præmissæ petitioni disparatus visus fuisset. Sed fuit apprimè metaphora opportunior; nedum, vt quam misericordiam imperiturus esset, & in quorum figuram, vexatæ filiæ; sed vt per panem, qui ex multis granis fit, incorporandas in fidei Ecclesiæ vnitatem Gentes acciperemus; *vnus panis & vnum corpus*, vt habet Apostolus 1. Corinth. 10. *multi sumus*; & ad vtramque vocatæ sunt Gentes Ecclesiam, & militantem scilicet & triumphantem; vbi diuina est, in via scilicet & in Patria, mensa. Ad hæc Angelicus, N *ecce panis Angelorum factus cibus viatorum*: (in via non in Domo colloquium fit Christi & mulieris) *verè panis filiorum, non mittendus canibus*. Iob 38. *& iubilarent omnes filij Dei*; O quod de Angelis semper exponitur. Quamuis de filijs per adoptionem gratiæ, de quibus Osee 1. *ibi vocabuntur filij Dei viui*; qui ex amore Deo seruiant P & *spiritu Dei agantur*; Rom. 8. Et quoniam Mulier irradiatione diuina nouerat, quod asseuerat Apostolus Roman. 9. *non omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine*, conscia desuper vaticinij præfati Osee; *ibi vocabuntur filij Dei viui*, animosè respondet, *etiam Domine*. Quod mihi sonare videtur; *quinimmo*; scio enim quòd *potens est Deus* (Matth. 3.) *de lapidibus istis suscitare semen Abrahæ*; qui scilicet Q eius fidem & opera imitentur. Nec immeritò altam huiusmodi mulieris intelligentiam agnosco, quando primo in limine misericordiam petit; *miserere mei*; & Osee priusquam adijciat, ibi, *vocabuntur filij Dei viui*, præmittit ex ore Dei, *vocabo non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Vtrumque enim patet in Chananæa, quam vix idcircò primò videtur admittere; sed deinde plenissimè ad votum exaudit.

Sed hic non sistit mysterium, dum enim vel ænigmate tangitur de Eucharistico pane, immundis minimè dando: (quocirca Augustinus Tract. 26. in Ioannem; *iudicium sibi manducat & bibit, qui immundus præsumit accedere ad Christi sacramenta; quæ alius non dignè sumit, nisi qui mundus est; de quibus dicitur; beati mundo corde*:) ipsaque mulier cum filia carpi videtur de extrema immunditia, quando immundis canibus comparantur: sciens de cibis immundis, fuimet in figuram, legis euacuationem; *neque immundum fore quod Deus purificauit*; vt dicitur Actor. 10. vna cum filia, fide se præmundatam insinuat; Actor. 15. *fide purificans corda eorum*, in eo quod subijcit; *nam & catelli*, inquit, *edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum* 21.

I 1.p.46. 10.

L ps. 21. & Rom. 9.l.5.

M Rom. 10.l.5.

N in Sequentia.

O Iob 38. Rom. 9. l.2 & Apoc. 10. Com 1.5. Angelus

P Rom. 9.l.5.

Q Rom. 9.l.2.

suorum. Mirè *canes* non repetit, sed *catelli*, in quibus quia tenellis constat neque coitus abominationem, neque vomitus immunditiam, (*canis reuersus ad suum vomitum* Prouerb. 26. & 2. Petri 2.) obseruari. Ac si diceret; tu qui de immundis mundos facis; *in cuius conspectu*, (Iob 15.) *Cæli mundi non sunt*; *cor mundum* (psal. 50.) potes creare, immo creasti *in nobis*, vt iam non canes, quos sordidos lingentes etiam sanguinem, immo vlcera horreant homines, sed catelli simus, potiùs delicium Dominis: sed & catelli *edunt*, non ingluuie, vt deinde euomant, vorant; sobriè parcèque admodum, non tam micas, quàm de micis, vtique triticei panis; quia de mensa Dominorum suorum. Quis neget ad munditiam & puritatem confugere mira subtilitate, suo responso Mulierem, quando de micis triticeis attexit? Granum tritici, vt assumit Angelicus R maximè purum est, quia hæc species sola inter alias attingit complementum, idest summam puritatem. Nam vt dicunt Alchimici, idest aurifices, in speciebus quibusdam, licèt multæ species esse videantur; tamen vna est, quæ attingit complementum, & aliæ sunt differentes ab ea quibusdam ægritudinibus; sicut patet de auro; nam omne metallum purgatione materiæ in aurum dicunt transmutari. Sic etiam videmus de granis, quòd bonitate terræ purgatur siligo, & in triticum nobilitatur. Et ideo simpliciter & absolutè panis triticeus est panis propter excellentiæ puritatem, siue nobilitatem. Subdit Sanctus Doctor in panis triticei commendationem de ipsius communitate, quia competit sanis & infirmis; immo omni animali panem comedenti: auibus; vt patet in columbis: bestijs, vt catulis, magis competit panis triticeus; quia libentiùs eo vescuntur. Nihil ergo, vt vides lector, poterat mirabilius introduci, quàm de pane & de micis panis, in munditiæ ac puritatis indicium relatu ad Gentes, quarum causa etiam immundi, qui supra, cibi reputabantur. At in Chananææ filia, abrogata legalia huiusmodi iam habentur.

R opusc. 58. 10.

22. Porrò in huiusmodi solerti mulieris responsione; *nam & catelli edunt de micis quæ cadunt* &c. adhuc profundior videtur esse intellectus. Quandoquidem cum probetur Sanctis Patribus, vt diximus, accessus Chananææ in exemplar Gentium; non potuit ab ipsa ignorari, quomodo subintroierint Gentes Iudæis amissis. Non semel autem allegatum est quod habetur Act. 13. ex ore Pauli & Barnabæ, qui Iudæis *constanter dixerunt*; *vobis oportebat primum loqui verbum Dei*; *sed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus* (Isaiæ 49.) *posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ*. (Sidon ex Hieronymo erat terminus Chananæorum: quare figura Synecdoches non potuit ex parte ad totum, extremum terræ, ab eo termino significari?) Ad Romanos autem qua forma id factum sit manifestat, dicens quoad Iudæos excæcatos; *nunquid sic offenderunt, vt caderent? absit: sed illorum delicto, salus est Gentibus*; in quantùm S non inutiliter ceciderunt; sed occasionaliter salus Gentibus facta est; Ioan. 4. *salus ex Iudæis est*. Deinde subdit Apostolus: *quod si delictum illorum diuitiæ sunt Mundi*; idest Gentilium, quia scilicet delictum Iudæorum redundauit in spirituales diuitias Gentilium; &c. Tandem; *si enim amissio eorum reconciliatio est Mundi*: idest incredulitas & inobedientia eorum; (sicuti dicitur seruus amissus, quando sub cura, & obedientia Domini refugit esse) prouenit in salutem Gentium; &c. Exponit autem qualiter subsecutum id sit; & quidem tripliciter; primò quia delictum, quod occasione Christi commiserunt, est subsecuta salus Gentium per redemptionem sanguinis Christi 1. Petri 1. *non enim corruptibilibus* &c. Secundò potest intelligi de delicto, quo doctrinam Apostolorum repulerunt; ex quo consecutum est, vt Apostoli Gentibus prædicarent Act. 13. Tertiò de hoc quòd propter suam impœnitentiam sunt in omnes Gentes dispersi. Et sic Christus & Ecclesia vbique à libris Iudæorum testimonium habuit fidei Christianæ: aliàs Gentiles suspicari potuissent prophetias de Christo, quas prædicatores fidei inducebant, esse confictas, nisi probarentur testimonio Iudæorum. Ex his igitur videtur mihi, Chananæam idcirco de micis quæ cadunt subiecisse, præsciam futuræ salutis Gentium; quasi per accidens & *occasionaliter*, in primitiua statim Ecclesia subsecutæ. Quod enim *cadit*, non directa intentione, sed veluti consecutiuè sumentis est. Et quamuis Dominus dixisset de dando pane; *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; mulier, quæ poterat promptiùs respondere; *des saltem micas catellis*, mysterium tangens, casum micarum considerat: quo & casum Iudæorum, (*nunquid sic offenderunt vt caderent?*) non inconueniens fuerit simul adumbrasse. Et quod cohærenter hæc dicta sint, patet ex præmissis ibidem ab Apostolo, qui excæcatos notans, ex Dauid profert de psalmo 68. *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*. Mensa est T sacra Scriptura Iudæis apposita. Dic; ab hac mensa, quæ Iudæorum euasit in scandalum, micas, de quibus Gentes ederent, cecidisse: atque *de mensa Dominorum suorum*: quod apprimè Apostolis quadrat, de quibus psal. 44. *constitues eos Principes super omnem terram*. Principatus enim & Dominium, vt innuit V Angelicus, idem sonant. Operæ-pretium est autem recogitare, quàm meritò delictum Iudæorum amissos eos fecerit: & quidem cumulatis reatibus; nam vt recolitur, Christum conati sunt vituperare hic cap. 13. *nonne hic est fabri filius?* Secundò doctrinam improbarunt Lucæ 23. *hunc inuenimus subuertentem plebem* &c. Tertiò vitam blasphemarunt; supra cap. 9. *quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Quartò miracula peruerterunt; supra 12. *non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum*. Quintò discipulos occiderunt; infra 23. *ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas*: *& ex illis occidetis*; &c.

T Rom. 11. l. 1.

V opusc. 20. l. 4. c. 1.

S Rom. 11. l. 2.

Nemo autem putet subtiles huiusmodi verborum reflexiones, quasi coactas; quandoquidem pro me Angelicus, vbi monet Apostolus; *nolite pueri effici sensibus*, ait: X videtur Apostolus excludere pallium excusationis aliquorum; qui ideo docent quædam rudia & superficialia, quasi ostendant se volentes viuere in simplicitate; & ideo non curantes de subtilitatibus, ad quas secundum rei veritatem non attingunt. Et cur non omnia excogitabilia encomijs digna de hac muliere dicantur, cuius fidem miratus Dominus exclamat, *ò mulier, magna est fides tua!* Accedit, quòd vt ait Remigius; *allegoricè hæc mulier sanctam Ecclesiam significat de Gentibus congregatam. Per hoc enim quòd Dominus, relictis Scribis & Pharisæis, venit in partes Tyri & Sidonis, præfigurabatur, quia relicturus erat Iudæos, & transiturus ad Gentes*. Sic & Sanctus Beda lib. 4. c. 49. in Lucæ 11. ibi, *extollens vocem quædam mulier*; *Ecclesiæ*, inquit, *catholicæ hæc mulier typum gessit*. Verùm sicut sapientia mulier dicitur supra c. 13. v. 33. in Syntaxi, non propter fragilitatem, sed propter fœcunditatem, ita & Ecclesia; quæ alias 1. Timoth. 1. *columna & firmamentum est veritatis*. Ad hæc Augustinus; *intelligenda est quæ rogat persona Ecclesiæ, quæ sibi est, & Mater & filij*: *nam simul omnes, quibus constat Ecclesia, Mater dicitur*; *singuli autem ijdem ipsi, filij appellantur*. 23.

X 1. Cor. 14. l. 4.

Hac

Hac distinctione attenta, recolo ad illud psalm. 44. *audi filia; & vide, & inclina aurem tuam*, vocari

A ps. 44. A futuram Ecclesiam filiam. Quare præaccepto quòd sicut est vna fides antiquorum & moderno-

B 4. sent. 37. q. 1. a. 3. rum, B ita vna Ecclesia; apparet filiam hanc vexatam significare posse singulos à Dæmone gentilitatis errore captos, de quorum vexatione instar dilectorum, mœrens Ecclesia, clamat ad Dominum; *filia mea malè à Dæmonio vexatur*. Meritò autem *clamat*; quia eos parturire iterum nitebatur ad fidem. Nam & Apostolus ad Galat. 4. *filioli*, inquit, *mei, quos iterum parturio*. Habet autem Isaias c. 26. *sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis*. Conuersio quippe

C Gal. 4. l. 6. hominis C ad lucem fidei partus dicitur. Sic Mulier Apoc. 12. in vtero habens clamat parturiens, & cruciatur vt pariat; exponiturque de fœcunditate

D Apoc. 12. Com. 3. Ecclesiæ, quæ nouos filios Christo sponso parit; D clamatque in maioribus, in prædicatoribus, in Pastoribus bonis, cum affectu, qui in clamore intelligitur.

24. Etsi autem potuerit factum accidere in filio, diuina dispensatione reor fuisse filiam, vt Ecclesiæ, quæ Mater est fidelium, comprehendatur dilectio; quia ex Philosopho 9. Ethicor. c. 6. & lib. 8. cap. 12. Matres magis sunt amantes filiorum, quàm Patres. Aliàs cum Ecclesiastici 13. *omne animal diligat simile sibi*: plus filiam quàm filium minùs sibi similem Mater diligit. Præterea fœminei sexus iterum parturienda præfertur proles, ad insinuandum à dæmone seductam: nam 1. Timoth. 2. *Adam non seductus, mulier autem seducta*. Omnis autem seductio, siue in vniuersali, siue in particulari eligibili,

E 1. Tim. 2. l. 3. E fundatur in ignorantia. Et ideo Diabolus aggressus est hominem ex parte debiliori, tentans fœmi-

F opusc. 2. 189. nam F in qua minus vigebat sapientiæ donum vel lumen. Intendit ergo Ecclesia, me iudice, ignorantiam gentilitatis, in eo quod filiam dicit, prætendere; vt inde ad misericordiam prouocet; *miserere mei Domine fili Dauid*. Nam & Apostolus 1. ad Tim. 1. professus est; *misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu*. Nam fecit ibi effectum fidei per

G 1. Tim. 1. l. 3. dilectionem operantis, vt G exponit Angelicus. Cuius fidei & dilectionis speciem, non est qui non videat in Matre Chananæa. Dic tandem filiam esse Ecclesiæ vniuersæ, Ecclesiam Gentium, non anili in ætate (Apostolus Ephes. 5. *non habentem maculam, neque rugam*) quia fœcunditate magna florere debuerat; iuxta illud Isaiæ 54. *quoniam multi filij desertæ, magis, quàm eius, quæ habet virum*.

H Gen. 21. ps. 28. & 10. Matth. 3. & Ioann. 2. l. 12. Qui locus passim exponitur H de gentilibus conuersis: sed nullibi vberiùs, atque ad Galatas cap. 4. vbi legit Apostolus secundùm literam Septuaginta, *lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filij desertæ* &c. vbi de militante Ecclesia respectu Gentium, ante conuersionem, per quam generamur, & de triumphante in

I Gal. 4. l. 8. cuius filios regeneramur, fit sermo. Sterilis autem I erat Ecclesia Gentium, quæ non offerebat filium Deo sed Diabolo: vnde ad Babylonem dicitur Isaiæ 47. *sterilitas & viduitas venerunt tibi*. Steriles dolent, eo quòd non pariunt 1. Regum 1. *cum esset Anna amaro animo*; sed tu lætaberis in multitudine filiorum; Isaiæ 60. *tunc dilatabitur & mirabitur cor tuum*, lætitiam mentis extra ostendens. (Obserua lætitiam hanc tangi, dum dicitur, *& ecce Mulier*

L Apoc. 5. Com. 2. *Chananæa*; siquidem, *ecce* L nota est gaudij) Pergit Angelicus; trahitque ly *clama* ad vocem laudis, Sed cum præanimaduerterit, quomodo duo sunt in partu; scilicet, dolor ex ruptione reticulorum, quibus continetur fœtus in matrice, & clamor ex ipso dolore; liceat hìc Chananææ clamorem, vt supra dictum est, commemoratum accipere; vt parturitionis Ecclesiæ, quæ est conatus ad partum, vt ibidem ait, esset indicio, 1. Regum 2. *donec sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata est*. Dicit autem Propheta, *magis quàm eius, quæ habet virum*; scilicet Synagogæ, quæ habebat virum, scilicet Moysen; Ecclesia autem deserta erat à Sponso Christo, non dilectione, sed partu postposito. Dic idcirco, & erit consentaneum, videri desertam Mulierem Chananæam, de cuius viro nulla fit mentio. Nihilominus, neque vidua dicitur, vt Lucæ 7. *& hæc vidua erat*, quia Ecclesia Sponsa Christi est; Ioan. 3. *qui habet sponsam, sponsus est*: psal. 18. *tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Osee 2. *sponsabo te mihi in fide*. Hinc licentia veluti vxoria, ad sponsum (*libera* est etiam Ecclesia militans ad Galat. 4.) liberè ingreditur, prout Marcus denarrat dicens cap. 7. *ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim, vt audiuit de eo*, &c. *intrauit, & procidit ad pedes eius*. Quod certè admirandum est; neque enim sic consueuerat esse ad Christum aditus liber: vt patet Ioan. 12. vbi *quidam Gentiles accesserunt ad Philippum, & rogabant eum dicentes, volumus Iesum videre. Venit Philippus & dixit Andreæ; Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu*. Neque legitur admissos ad eum fuisse.

Consectarium autem est pro Matthæi scopo, vt audiamus de hac Muliere præaltè Remigium. *His verbis*, inquit, *datur nobis exemplum catechizandi & baptizandi pueros; quoniam hæc Mulier, non ait; salua filiam meam, aut adiuua eam; sed miserere mei, & adiuua me. Hinc etenim descendit consuetudo in Ecclesia, vt fideles pro suis paruulis fidem Deo promittant; quoniam ipsi non sunt tantæ ætatis & rationis, vt per se fidem Deo promittere valeant: quatenus sicut fide istius mulieris, sanata est filia eius; ita & fide virorum Catholicorum, peccata paruulis relaxentur*. De quo & Diuus Thomas 3. p. 68. q. 1. pueri nondum habentes vsum rationis, quasi in vtero Matris Ecclesiæ constituti, non per se ipsos, sed per actum Ecclesiæ fidem suscipiunt. Quis scit, pro hoc innuendo, diminutiuum *catelli*, responsum non coaptarit? & nedum *catuli*, sed à *catulo* diminutiuè adhuc *catelli* sacra habeat translatio? ad significandum scilicet, quid baptizandos deceat, nedum ante baptismum, sed post. Baptizandi enim non solum pueri, sed etiam adulti, suscipiuntur ab Anadocho, (quod est ex græcis fideiussor, nobis Patrinus) qui vices Pædagogi M subeat, quasi res- M 4. sent. 6. 2. 1. & 3. p. 67. 7.
pectu paruulorum ad eos instruendos, ceu nouitios in fide, de ijs quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam. 1. Petri 2. *sicut modò geniti infantes lac concupiscite*. Vnde, vt mihi videtur, hoc in Chananeæ facto præluditur exteriori formæ, qua ad Ecclesiam credentes accessuri erant; quemadmodum & cap. præcedenti, de modo interioris fidei deque illius assensu, vt vidimus pratactum est. Sicut autem ibi de Iudæis sumptum est veluti paradigma pro fidei elucidanda materia, & quidditate; quia Iudæa fide credidit; ita hic quia de catechismo, & instructione, præuio & subsecuta peragitur, Gentiles in Chananæa prodeunt tanquam doctrinæ & eruditionis diuinæ maximè indigeni. De paruulis altè loquitur Augustinus, quem refert Angelicus; N *paruulis* N 3. p. 69. 6. 1. & q. 71. 1. 2.
Mater ecclesia, aliorum pedes accommodat, vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguam, vt fateantur; immo & aliorum aures vt audiant, & intellectum vt per alios instruantur. Itaque pueri credunt non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur. Et huius fidei virtute conferuntur eis gratia & virtutes. Vide quomodo

graphicè hæc ab Euangelista pingantur; neque enim Chananææ filia, mouetur loco, neque loquitur, neque audit; immo neque credit, nisi fide Matris: cui meritò dicitur; *magna est fides tua*: cuius virtute, *sanata est filia eius ex illa hora*. Quæ etiam fides manifestè baptismum indicat; quia baptismus O ipse est fidei Sacramentum, cùm sit quædam professio fidei Christianæ. Cohærenter autem ad hos exteriores ritus baptismi signumque fidei, adnectitur satis palam de comite baptismi exorcismo. Quocirca P obiectio fieri solet huiusmodi; exorcismus contra energumenos, idest arreptitios ordinatur; sed non omnes, qui accedunt ad baptismum, sunt tales; ergo; &c. Respondet Angelicus enurgumenos dici interius laborantes, ab *en* quod est *in*, & *ergos*, quod est *labor*, ex intrinseca operatione Diaboli. Litera in 4. Sent. dicit ab *ergen*; sed reor vitio Scriptorum. In Lexicis *energòs*, significat laboratum, cultum, strenuum. *Enurgumeni* verò dicuntur obsessi à dæmonibus. Quamuis autem non omnes accedentes ad baptismum corporaliter à diabolo vexentur, omnes tamen non baptizati, potestati dæmonum subijciuntur, saltem propter originalis peccati reatum. In sententiarijs verò ait, omnes non baptizatos interius laborare vel infirmari propter infectionem fomitis, Diabolo in eis potestatem habente. Vbi tria sunt animaduertenda; primum proprijssimè ad rem vti verbo vexationis; quod ipsum vsurpat & Matthæus ab ore Mulieris; *filia mea malè à dæmonio vexatur*. Quam vocem historiæ fortè magis intentus, non verò Matthæi mysterijs addictus tacuit Marcus, dicens; *rogabat eum, vt dæmonium eijceret de filia eius*. Item superfluere videtur ly *malè*, nisi ad exaggerandam vexationem; neque enim contingit vexari à dæmonio, & non malè. Sed cùm in non baptizato sit & peccatum originale, & peccati fomes; ly *malè* ad culpam quæ simpliciter malum est, videtur posse referri; ly *vexatur* ad fomitem. Et si dicas, quid de peccato, de fomite, de baptismo, cùm superius de his actum sit? Respondeo; quasi per transennam ad hæc excurri, vt de Gentilium fide Syntagma substrueretur. Vnde & Dominus, fidem gentilis mulieris magnificat; *ò mulier, magna est fides tua*!

O 3. p. 70. 1. & q. 71. 1.

P 4 sent. 6. 1. 3. 1 & 3. p. q. 71. 2. 1.

26. Vlterius autem ad prælibati notitiam sciendum est, non potuisse non tangi de fide, quando de incorporatione Gentium ad mysticum Christi corpus agendum erat, vt dicitur, ex professo. De quo plane summatim Angelicus: Q nunquam homines potuerunt saluari, etiam ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi, quia vt dicitur Actuum 4. *non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Sed ante aduentum Christi homines incorporabantur per fidem futuri aduentus; cuius *fidei signaculum* erat circumcisio, vt Apostolus dicit Rom. 4. Antequam verò circumcisio institueretur, sola fide, vt Gregorius dicit, cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur, secundùm illud Ephes. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Sed alio signo manifestatur fides rei iam præsentis, quàm demonstraretur, quando erat futura: sicut etiam alijs verbis significatur præsens præteritum & futurum. Et ideò licèt ipsum Sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem; fides tamen, cuius baptismus Sacramentum est, semper necessaria fuit. Ex hac doctrina clarè habemus, dum magnificè resolitur Chananææ fides; & de incarnationis mysterio, & de incorporatione Gentium, nedum implicitè sed & explicitè illustratam fuisse; sicque de alijs: nam in hoc pariter R maior

Q 3. p. 68. 1. 1.

R 2. 2. q. 4.

dicitur esse fides in vno, quàm in alio. Immo quoniam, nedum appellat filium Dauid, quod est agnouisse Christum: iuxta quod infra Pharisæis dicit cap. 22. Dominus; *quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? dicunt ei Dauid*; sed & attigisse Christi Diuinitatem, consubstantialem filium Patri; dum memorata filiatione vocat eum Dominum; non dicens; *miserere mei* duntaxat; sed *miserere mei Domine fili Dauid*. Quod certè cohærere videtur subiunctæ vbi supra quæstioni à Saluatore; *quomodo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens; Dixit Dominus Domino meo?* In spiritu ergo liceat asseuerare, & Chananæam, (præsertim quia in persona Ecclesiæ vt diximus,) eum *Dominum* compellare. Et quia concernitur in hisce de spiritu, operæ-pretium est contemplari, quid specialiter spiritu assecuti sint Apostoli, Ecclesiæ ipsius fundamenta, immo ipsamet Ecclesia. Ephes. quippe 3. hæc promit Paulus; *alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu; esse Gentes cohæredes & concorporales, comparticipes promissionis in Christo Iesu, per Euangelium*. Dic ergo *alijs generationibus*, (idest alijs temporibus S, vel alijs hominum generationibus) non fuit reuelatum, sicut in ista; quam videtur innuere Chananæa in sua filia regeneranda, Ioan. 3. *oportet vos nasci denuo*. *O mulier* ergo *magna est fides tua*! Pergit Angelicus; T sunt Gentiles recepti per fidem; primò quantùm ad participationem hæreditatis; Matthæi 8. *multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent, cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum*; ideo ait *cohæredes*: secundò ad speciale collegium fidelium; & quantùm adhoc dicit, *concorporales*, idest in vnum corpus: tertiò ad participationem gratiæ repromissæ; & quantum ad hoc dicit *comparticipes*; scilicet promissionum; Roman. 15. *ad confirmandas promissiones Patrum*.

S Ephes. 3. l. 1.

T ibi

Hæc tria sine dubio apparenti quadam reluctantia negantur Mulieri a Domino dicente; *non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; nam filijs est hæreditas; filij succedunt in repromissis; & vbi de pane agitur, tangitur de incorporatione, capiendo in physico mysticum. Sed prudens illuminataque mulier, immò & ad hæc admitti honestè & conuenienter deberi, sua instat eleganti responsione; immo *comparticipes*, & sic *de micis*; particula mica est, *de micis* tamen in partem, non micas omnes. In quo & *concorporales* contendit, esu eodem: *cohæredes* etiam; mensæ nimirum cœlestis; *sedebitis super mensam meam*; nam proxima est mensæ, dum micas, quæ cadunt de mensa, edere cupit. Verùm quoniam in hoc quod ait *concorporales*, includi videntur duo alia, iuxta quod in ps. 118. *particeps ego sum omnium timentium te*: & Ioann. 10. *fiet vnum ouile & vnus Pastor*: hocque est præcipuè intentum hic à Matthæo; fas sit, secreta quadam ideoque mira, obseruanda proinde allusione, credere adhuc à Chananæa insinuatum, dum ait *catelli*. Nam *catulus* hebraicè *ghur* à radice *ghor* seu *ghar* trahit significatum: à qua nedum *gher*, quod sonat *peregrinum, aduenam, proselytum*, qui ex Gentibus conuertitur ad Hebraismum; sed præterea inde consignificatio cum verbo *cauatz*, quod idem valet atque *collegit, congregauit, dispersa in vnum reuocauit*. Et inde etiam horreum, area; quæ ad idem referri possunt: de quibus relatu metaphorico ad Ecclesiam militantem simul & triumphantem supra c. 3. *permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum*. Quod quoniam futurum erat combustis paleis; *aliquibus ramis fractis*, vt ait Apostolus Roman. 11. subdens *vide ergo bonitatem & seueritatem Dei*; vt inducat V in diligentem consi-

27.

V Rom. 11. l. 3.

dera-

deratione diuinorum iudiciorum: *in eos quidem qui ceciderunt seueritatem*, scilicet in Iudæos; *in te autem* inquit, scilicet in Gentilem, *bonitatem*; quasi nec ipse Apostolus perfectè sufficeret ad istorum inuestigationem, exclamat admirando diuinam sapientiam; *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Videtur ergo mihi, cùm simus apud Matthæum in eadem materia, subintrantis Gentilis populi in Chananææ accessu, ad hoc ipsum altè insinuandum tanquam admiratione prædignum exclamare Dominum pro nobis. *O mulier, magna est fides tua!*

28. Mulier autem typo credentium de sursum illuminata monitum præaudiuisse ibidem Apostoli videtur, dicentis, *noli altum sapere sed time*: dum subiungit *catelli*: nam ab eadem radice *ghor*, à qua *ghur* idest *catulus*, ab eadem *veteri expauescere*, *timor*, *pauor terror* dimanant; vt periti sanctæ linguæ, qua Matthæus scripsit, affirmant. Neque *altum sapere* nititur, si ad pedes dominorum suorum, (Vox ista *Dominus*, timoris est incussiua, Malachiæ 1. *Si Dominus ego sum, vbi timor meus?* Marcus ad hæc non vocatus mysteria, ait *de micis puerorum*) cadentes micas attendit. Quadrat autem reflexio, quia & Diuus Petrus Act. 10. vbi de Gentium admissione agebatur post eam lintei visionem, prompsit; *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni Gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Dat autem clarum specimen & iustitiæ mulier hæc, dum quod aliorum est, minimè concupiscit surripere, aut sibi dari; sed solùm de micis neglectis, *quæ cadunt de mensa*. *Iustitia* quippe ex D. Ambrosio, *est, quæ vnicuique quod suum est tribuit*, X *alienum non vendicat; vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat.* Et quoniam Philosophus de iustitia inquit A quòd *præclarissima virtutum videtur esse iustitia; & neque est hesperus, neque lucifer ita admirabilis*; fortè & ad hanc respiciens, exclamat Dominus, *ò mulier, magna est fides tua!* nam soboles fidei est iustitia, cùm ad Galat. 5. *fides sit, quæ per charitatem operatur*. Inquit autem alibi B Angelicus: per donum Spiritus operamur iustitiam, tangens quod habet Apostolus 2. Cor. 3. *multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria*. Quocirca animaduertat qui legit, commendatam à Diuo Petro iustitiam, *qui operatur iustitiam*, non esse veterum mandatorum legalem, sed moralem: siquidem de antiqua legali è contra inquit Diuus Paulus Roman. 9. *Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem, quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.* Quod postremum dicitur C de *lege spiritus vitæ*, per quam homines iustificantur; ad quam Iudæorum populus non peruenit; quam tamen sectabantur obseruando vmbram huius spiritualis legis, quæ consistit in obseruationibus legalibus. Et *quare? quia non ex fide*, scilicet Christi, quærebant iustificari, sed quasi ex operibus legis: sequebantur enim figuram, & repudiauerunt veritatem: Rom. 3. *ex operibus legis, non iustificabitur omnis caro.* Hactenus Sanctus Thomas. Quo Apostoli textu nihil ad rem opportunius; nam in hoc Matthæi capite, de obseruantijs legalibus inaniter custoditis agitur, & de præcellentia Gentilis fidei. Vnde tangit Apostolus etiam de Iudæorum scandalo: *sicut scriptum est; ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali*: quod item Matthæus recolit; *audito hoc verbo scandalizati sunt*. Dumque sequitur, apud Apostolum; *& omnis qui credit in eum, non confundetur*, videtur ad literam Chananææ memorata fides; ex qua minimè confusa, magis commendata est; *ò mulier, magna est fides tua!* In quo intelligitur ipsius iustificatio; iuxta illud Roman. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi* non vt quasi per fidem mereamur iustificari, D quasi ipsa fides ex nobis existat, & per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt; sed quia, (id nunquam memoria excidat) in ipsa iustificatione, qua iustificamur à Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem, vt dicitur Hebræor. 11. *accedentem ad Deum oportet credere*, &c. De qua fide Act. 15. *fide purificans corda eorum*; quod vt vides immundorum animalium extinguit obseruantiam, & Gentilium sic mundatorum probat accessum: quo attento, subdit Apostolus *in omnes & super omnes, qui credunt in eum, non enim est distinctio*: communitatem E huius iustitiæ insinuans, quia non in carnalibus obseruantijs, *& Iustitijs carnis* Hebr. 9. *vsque ad tempus correctionis impositis*; sed in corde.

VERS. XXIX. *Et cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ; & ascendens in montem, sedebat ibi*: vsque ad versum vltimum.

Curandi plurimi erant, *muti, cæci, claudi*, &c. 29.
Iam dixi in capite, moraliter qui sint isti: sic enim & glossa pro peccatis accipit dicens; *prius Dominus aufert debilitates, & postea cibat; quia prius sunt remouenda peccata, & postea anima verbis Dei nutrienda.* Appositè: quia & in psal. 145. *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos*: sequiturque *Dominus diligit iustos*. Quod satis indicat, in præmissis compeditis cæcis elisis intelligendos esse peccatores, de quibus iustos facit, quos diligendo immo facit. Et pergit; *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet.* Et in hoc tangi videtur de turbis, quæ accesserunt ad Iesum; quas ad Gentiles referri dubium non est. Ait autem Augustinus in eundem psal. (vbi nos legimus; *Dominus custodit aduenas*, dicit *proselytos*) *Proselyti aduenæ sunt. Omnis Ecclesia Gentium proselyta est.* Dic ergo huiusmodi, mutos, cæcos, claudos, debiles & alios multos, esse veluti sobolem filiæ sanatæ: vtique ex fide, seu per fidei Sacramentum, quod est baptismus. Per baptismum enim F omne peccatum tollitur. Et hoc etiam mundari est; Ezechielis 36. *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et ecce iterum antiquari antiquam immundorum ciborum discretionem: Act. 10. *quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Verùm dum sanatos tot legimus, non possumus non mirari quòd in montem ascenderit; quò nonnisi laboriosè, ac morosius poterant turbæ tot adducere infirmos: præsertim, quia vt notat Ambrosius lib. 5. in Lucam cap. 6. descendit aliàs ad turbas; dicens; *vbi descendit inuenit infirmos. Sic enim & Matthæus docet*, (cap. 4. priusquam sermonem haberet in monte cap. 5.) *in inferioribus debiles prius esse sanatos.* Sed præsens, quam versamus, materia de Gentium salute, syntagma quæstionem soluens altè declarat. Postquam enim præmissum fuerat de Gentilibus in Chananæa, eiusque in filia, Deo acceptis; conueniens erat, vt quando felix auspicium eorum fides habitura esset præsagiretur. Erat autem futura Gentium conuersio, postquam ascendisset in Montem, ibique sederet, quia postquam in Cœlum ascendit, seditque ad dexteram Patris, ad Gentes Apostolica missio facta est. Marci quippe vltimo sic legimus; *& Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris Dei; illi autem profecti prædicauerunt vbique*: iuxta quod etiam Matthæi vltimo ipsis iniunxerat, tacto suo ascensu, deque sui iuris Cœlo; *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes Gentes*; &c. Fauet Augustinus meis dictis; siquidem serm. 14. *de verbis Domini*, considerans Dominum aliàs ascendisse in Montem, inquit; *Mons altitudo est: quid enim in hoc*

Marginal notes: X 2. 2. q. 58 11. — A ibi art. 12. — B p. 2. 106. 2. 3. — C Rom. 9. 15. — D Rom. 3. l. 3. — E ibidem. — F 3. p. 69. 1.

hoc Mundo altius Cœlo? Quis verò in Cœlum ascendit, nouit optimè fides vestra. Adstipulantur etiam textus infra c. 18. *nonne relinquit nonaginta nouem in Montibus,* Vbi Arabica legit; *in Monte*: & ita S. Chrysostomus.

30. Et videtur etiam suffragari, eoquòd commemoratur Galilæa; *secus mare Galilææ*. Nam secundùm quandam interpretationem dicitur reuelatio; & G intelligitur gloria cœlestis. Certè ipse ascendit in Cœlum de Monte Oliueti; vbi & discipuli ab Angelis dicuntur Galilæi; *Viri Galilæi quid hic statis aspicientes in Cœlum?* passim autem *Galilæa* etiam dicitur *transmigratio*. Transmigrauit autem Dominus, eo sensu, quo Ioannes refert; *sciens Iesus, quia venit hora, vt transeat ex hoc Mundo ad Patrem*. Et ipsemet, *vado ad Patrem*; *vado ad eum qui misit me*. Porro Ioan. 6. Angelicus; mysticè autem tunc ascendit in Montem, quando turbæ refectæ paratæ erant ei subijci: quia tunc ascendit in Cœlum, quando populi parati erant, se veritati fidei subijcere: secundum illud psal. 6. *& propter hanc in altum regredere*; idest, vt circumdet te Synagoga populorum, regredere in altum. Sed hac ex Galilææ interpretatione salus Gentium quoque signatur. Sic ibi H *in crastinum voluit exire in Galilæam*, idest ad Gentes saluandas. Seu quia Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad Gentes, ex August. vt fertur 3. p. Gentiles etiam prædicatione Apostolorum I transmigrarunt de statu Gentilitatis ad statum fidei. Et tempus transmigrationis huiusmodi videbatur insinuandum, quando & de Chananææ filia tempus describitur; *& sanata est filia eius ex illa hora*. Sanè cum Ioannis 12. *Quidam Gentiles accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ*, cupientes videre Iesum, præsagium L fuit de Gentibus conuertendis. Tunc autem dixit Dominus; *venit hora, vt clarificetur filius hominis*. Ideo autem dixit supra cap. 2. *nondum venit hora mea*: quia nondum parata erat M deuotio Gentium sicut modò. Prius enim oportuit Christum resurgere, & in Cœlum ascendere, & sic clarificatum mittere Spiritum-Sanctum in Apostolos, per quos Gentes conuertendæ erant. De quo & in 3. p. mirabiliter; Christus, inquit, per Crucis victoriam meruit potestatem, & dominium super Gentes: Apoc. 2. *qui vicerit dabo illi potestatem super Gentes; sicut ego accepi à Patre meo*: & Philipp. 2. dicitur, quòd *quia factus est obediens vsque ad mortem Crucis; Deus exaltauit illum; vt in nomine eius, omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur*. Et ideo ante passionem suam noluit Gentibus prædicari suam doctrinam. Propter quod vt legitur Ioan. 12. cum imminente passione quidã de Gentibus vellent Iesum videre, respondit; *nisi granum frumenti* &c. Dic tu hic ideo *ascendere in Montem*, pro Caluario, & sedere. Ab *Iaschab* hebraicè *sedit*, est *ieschach*, *humiliatio*; Sessio enim humilitatem passionis significat. Vnde ex eius persona dicitur psal. 138. *tu cognouisti* idest approbasti, *sessionem meam*, idest humilitatem meæ passionis, sicut glossa exponit, fertque Sanctus Thomas 3. p. 49. 6. & q. 53. a. 1. & rationem aperit Hebr. 1. l. 2. quia sedens inferior est stantibus. Quod repetens Ioan. 4. l. 1. inquit; mysticè sessio humilitatem passionis Christi designat. Et quia & ibi sedebat supra nudam terram, vt notat, ad idem humilitatis indicium; non mirum, si & hic *præcipit turbæ, vt discumberent super terram*: Rom. 8. *si compatimur* &c. Et ecce tu lector, mox à Matthæo subiunctum de septem panibus; quia post acceptum munere septiformem Spiritum-Sanctum, profecti sunt Apostoli ad Gentes: cœptaque est Gentium salus per sensibilem Spiritus-Sancti missionem: sicut Act. 10. habetur; *adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus-Sanctus, super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro; quia & in Nationes gratia Spiritus-Sancti effusa est*. Sequitur; *audiebant enim illos loquentes linguis & magnificantes Deum*. Quod & ad literam recolit Matthæus dicens, *& magnificabant Deum Israel*; mirabanturque turbæ *videntes mutos loquentes*; qui quoniam primo in loco ponuntur, prælusisse censendi sunt dono linguarum, cùm de panibus sacræ doctrinæ euangelicæ attexebatur.

G Ioan. 4. l. 1. lit. d. Ioan. 6. l. 2. lit. b.
H Io. 1. l. 16. 3. p. 35. a. 4.
I Io. 12. l. 4. lit. b.
L Io. loc. cit. 3. p. 42. 1.
M loco cit. lit. d.

31. Arridet autem Syntaxi, panis multiplicatio. Nam Augustinus ad illud Ioan. 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; inquit; *ipse Dominus Iesus erat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide populorum*. Quid ad rem diuinius? Sed quod mirabilius emicat, est dixisse Dominum verba hæc, cum accesserunt Gentiles, quod nuper diximus, vt eum viderent. Quare dum hic multiplicantur panes, de grani mortificatione præsumitur; Et sic ly, *nisi granum frumenti cadens in terram*, &c. *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; intelligitur de grano prout est semen; ex quo N maxima seges pullulare debebat, ac si dixisset; nisi ego moriar, fructus conuersionis Gentium non sequetur; nam secundùm Dei determinationem, non erat conuertenda multitudo Gentium nisi post mortem Christi. Vides lector fieri panis multiplicationem; quod idem est atque mortuum fuisse granum frumenti. Vnde consecutione fit, de Gentibus arcanam esse intelligentiam. Et quia post mortem descendit ad inferos; Et habet Apostolus Ephes. 4. *quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* congruentissimè dum hic *ascendit in montem*, expositum est de ascensione in Cœlum; cohæretque quod dicebamus de septenario donorum in septem panibus; quia ex eodem Apostolo Ephes. 4. *ascendens in altum dedit dona hominibus*, quod ait & Psaltes. Vt in Cœlorum sede quasi Deus, & Dominus constitutus, O exinde diuina dona hominibus mitteret: & sic ly *vt adimpleret omnia*, quod addit Paulus, scilicet *donis suis* intelligit glossa.

N Io. 12. l. 4 lit. e.
O 3. p. 57. 6.

32. Arridet etiam Syntaxi, vt suprà dicebamus, quia Gentes specialiùs dicuntur vocari ex misericordia; non enim ex promissione, sicut Iudæi: Rom. 15. *Gentes autem super misericordia honorare Deum*: ideo ait; *misereor turbæ*. Sequitur autem, *quia triduo perseuerant mecum*, seu vt apud Marcum; *quia ecce iam triduo sustinent me*. Genesis quippe 49. de Messia legimus, *& ipse erit expectatio Gentium*. Quod autem ait *triduo*, exponi potest; vt primus dies intelligatur tempus legis naturæ; secundus tempus legis scriptæ; tertius verò dies tempus gratiæ: vt aliàs P considerat Angelicus. Sic ad illud Esther c. 1. *Tertio igitur anno Imperij sui fecit* (Assuerus) *grande conuiuium*; Rex, inquit, iste significat Christum Q, qui non primo vel secundo anno, idest ante legem, vel sub lege, sed tertio, idest tempore gratiæ facit conuiuium &c. Habes autem ex psal. *quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præterijt*.

P Io. 3. l. 1. & hic.
Q opusc. 58. c. 19.

33. Arridet etiam numerus; quia, *erant qui manducauerant, quatuor millia hominum*. Nam Gentes à toto Orbe vocandas innuit Sanctus Beda relatus in Catena Marci 3. ait enim de discipulis, *vt per vniuersas quadrati Orbis partes baptizarent*. De vniuersis enim partibus Mundi R sunt electi; sicut significatur Isaiæ 43. *ab Oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni da: & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ*; adde ex ps. 106.

R Apoc. 7. Com. 2.

de

de regionibus congregauit eos: à Solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari.) Et iam Marci 8. ex ore Domini; *quidam ex eis de longè venerunt*: scilicet ex
S Ephes. 2.l.4. Gentibus S de regione dissimilitudinis, & statu Gentilitatis; Isaiæ 6. *filij tui de longè venient*: elongati à Deo non loco, sed merito. Chananæam idcirco animaduerte *a finibus illis egressam*: Isaiæ 42. *laus eius ab extremis terræ*. Neque enim sine causa videtur abstinere Matthæus ab eius Patria notanda, quod Marcus potiùs historiæ addictior exequitur, dicens c. 7. *erat autem Mulier Gentilis Syrophœnissa genere*. Sed subdit Apostolus; *vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè*. Et quia hoc per Apostolos facturus erat, quos Duces nostros appellat Dionysius, ideo Mulier clamabat post eos; & per manus discipulorum fit miraculosi cibi distributio: *dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo*. Dic quadruplicis muneris ministerio; quoniam *ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores*. Quod adnectitur præfatæ sententiæ *ascendens in altum* (Ephes. 4.) *dedit dona hominibus*. Et quia, ibi pergit Apostolus, ad quid hoc fiat ministerium, scilicet *ad consummationem Sanctorum*; (idest ad perfectionem eorum qui iam sunt T
T Ephes. 4.l.4. sanctificati per Christi fidem) *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum* &c. (quod etiam mysticè accipitur
V ibid. & hic. attenta spirituali perfectione, secundùm quam V corpus Ecclesiæ dicitur corpus virile) ecce cur *extra*
X hic. *paruulos & mulieres* fiat supputatio: indicando X imperfectos & infirmos. Alibi vbi fertur dicens Dominus; *vos eritis mihi in filios & filias*, filios expo-
A 2.Cor. 6.l.3.fine. nit A quantùm ad perfectos, filias quantùm ad imperfectos. Et ad rem nostram videtur & Apostolus ibi ad Ephesios discreuisse; quia postquam dixit *in virum perfectum*, mox subiunxit, *vt iam non simus paruuli fluctuantes* &c. complectens in paruulorum
B opusc. 58.c.19. imperfectione etiam mulieres. Alibi B in paruulis incipientes, in mulieribus proficientes, in viris perfectos intelligit.

34. Sed quoniam postquam Apostolus Ephes. 2. prompsit; *vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope*, adiecit *in sanguine ipsius*: non fuerit absonum, dum ijs *qui de longè venerunt* de cibo succurritur, suæ sanctissimæ passionis & mortis, quod est sanguinis, specimen dari. Olfactum certè præsensit Ambrosius lib. 6. in caput 9. Lucæ diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum, *passionis suæ memoriale perenne*, vt ait Angelicus; dicens; *gratiæ cœlestis impartitur alimentum: Et, nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Vt priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: postea alimonia mensæ cœlestis exuberet: quanquam nondum validioribus hæc turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore & sanguine, ieiuna solidioris fidei, corda pascantur*. Hac eadem allusione, inquit Angelicus; quasi sub vnica specie moneret communicandum laicis, multitudini hominum panem sine potu distribuit. Certè Ioannis 6. post primum de multiplicatione quinque panum miraculum, attexit Dominus sermonem de sui corporis sanguinisque mysterio, etsi nondum illud instituisset: ad præparandos fidelium qui credituri erant animos. Neque gratis hoc dici quis reputet: quandoquidem multifariam multisque modis intelligentia isthæc subradiat sacro ex textu. Consentiuntque tanti miraculi circumstantiæ omnes. Ipse in primis ait; *misereor turbæ*. Cur non cohæreat sermo eius psalmo in quo legimus; *memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se?* Quod propheticè de Sacramento accipit Ecclesia. Pauit Deus populum in solitudine Manna, quod cantatissima extitit Eucharistiæ figura: hic etiam deserto sunt in loco. Hinc ad nos erudiendum dixisse videntur discipuli: *vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam?* Sic psal. 77. *nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* In solitudine Exodi 16. *apparuit minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram*: hic præcepit *turbæ, vt discumberent super terram*: cur non ad illud manna relatu? Septenarius numerus panum, nonne redolet septem ad Eucharistiæ ministrationem ordines? Et cum ex D. Dionysio cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Eucharistia sit *finis & consummatio omnium Sacramentorum*; ad eadem septem tangenda Sacramenta, cur non dicamus septem fuisse panes? Si *fregit, & dedit discipulis suis; & discipuli dederunt populo*: cur non referatur ad id quod in Actis cap. 2. factum est? quando baptizati *erant perseuerantes* (& hic *perseuerant* inquit *mecum*) *in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*? Canitur in Sequentia; *sumit vnus, sumunt mille*; quemadmodum & in præsentia, millia hominum percensentur. Sic tamen vt per numerum millenarium, qui est numerus perfectus, (quia terminat numeros præcedentes, nec vltra eum est alius numerus nisi per resumptionem) intelligatur vniuersitas; sicut exponit Augustinus c. 20. de Ciuitate Dei, inducens illud psal. C Apoc. 20. Com. 2.
104. *verbi quod mandauit in mille generationes*; idest *in omnes*. Et quia subditur in Sequentia; *nec sumptus consumitur*: ecce ad hoc indicandum adhuc postquam *comederunt omnes, & saturati sunt; tulerunt septem sportas plenas*. Et dum inquit *de fragmentis*, videtur astruere, *tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*. Addo, *ne deficiant in via*, prouideri eis de cibo; vtique ad eorum succurrendum debilitati; & sic illud apertè reuocari ad memoriam, factum certè præfiguratiuum mysterij, quando 3. Regum c. 19. Elias fortitudinem cœlesti ab alimento assecutus est, *ambulauitque in fortitudine cibi illius vsque ad Montem Dei Horeb*. Angelicus in Sequentia; *ecce panis Angelorum factus cibus viatorum*. Adstipulatur ipsius Sacramenti nomen quod D 3. p. 73. 4.
est Viaticum, quia D præbet hic nobis viam perueniendi ad Patriam, in qua Dei fruitio: seu quoniam
E in via reficiens, ad Patriam vsque perducit. Pisci- E opusc. 58. 23.
culi autem tanquam obsonium distribuuntur: dic ad significandum, hoc esse mysterium fidei, quasi fidei obiectum: qua de causa ponitur ly *mysterium fidei* in calicis consecratione, ex traditione Domini,
F quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit. Pisci- F 3 p. 78. 3. ad 6. & 9.
culi autem & pauci adfuisse videntur mihi, in detestationem effrænis Iudæorum concupiscentiæ, qua nauseantes Manna de Cœlo, dixerunt Numeri 11. *recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis*. Multoque magis in increpationem carnalium, cùm ibidem contra Moysen dixere, *da nobis carnes*. Meritò autem admissi recoluntur & paruuli ad huiusmodi cibum; quia & pueri per baptismum
G ordinantur ab Ecclesia ad Eucharistiam, cuius G 3.p.73. 3. & 4. 79. 1. 1.
voto & intentione quanquam paruuli eam desiderant.

Verùm adhuc aliò potissimùm ex capite decuit sic impræsentiarum tangi de Sacramento Eucharistiæ, 35.
cuius Sacramenti res, H vnitas est corporis mystici H 3. p. 73. 1 & Io. 6. l. 7. lit. c.
Domini nostri. Habet enim significationem respectu Ecclesiasticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum. Et secundùm I hoc nomi- I 3.p.73. 4.
natur *Communio*, vel *Synaxis*. Dicit enim Damascenus 4. lib. Ort. fid. c. 14. quòd dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carne & Deitate, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipsam. Hinc Au-

L ibi 3.4. ad 1. Augustinus; L *hunc cibum & potum societatem vult intelligi corporis & memborum suorum*. Cum ergo præcipuus Matthæi scopus, vt aliàs diximus, iste sit, vt de Iesu Christo suis cum membris mysticè vno, texat generationem; *Liber generationis*, &c. cùm præterea, vt vidimus in hoc & præcedenti capitulo, de Gentilium Iudæorumque vocatione ad fidem agatur, quo *fiat vnum ouile & vnus Pastor* Io. 10. non potuit vel per ænigma miraculi facti in panibus non subinnui de Sacramento Ecclesiasticæ M 4. sent. d. 45 q. 1. a. 1. c. vnionis: quod, vt exprimit Angelicus M continet illum, in quo tota Ecclesia vnitur, & consolidatur, scilicet Christum. *O signum vnitatis! o vinculum charitatis!* ait Augustinus. Et hoc est quod cohærenter subdit Apostolus ad Ephes. 2. hanc Ecclesiæ vnionem firmans: *& veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis; & pacem his, qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem*. Et ita dio tu verè impleri, *à fructu frumenti vini & olei sui, multiplicati sunt* ps. 4. iuxta N opusc. 57. quod periphrasin habes in Angelico, N *à fructu frumenti & vini multiplicati fideles, in pace Christi requiescunt*. Nam vt ex eodem Apostolo, *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*. Ad quam vnionem fortè innuendam in primo miraculo quinque fuerunt panes, hic septem, vt duodenario numero, qui passim vniuersitatem significat, vniuersitas eorum, qui credituri erant, & ex Gentibus, intelligeretur. Quem numerum in duodecim Cophinis, non abs re dixeris: nec enim sine mysterio, quot fuerint vtrobique panes recolitur sequenti cap. & Marci 8. *nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia: & quot cophinos fragmentorum*, &c. *dicunt ei, duodecim*. Hinc & Moyses in Cantico Deut. 32. *constituit*, inquit, *numerum populorum iuxta numerum filiorum Israel*. Sic Leuitici 24. duodecim panes erant propositionis: qui Hebr. 9. l. 1. significant doctrinam duodecim Apostolorum. Tunc erant pro duodecim tribubus, Et sic non signantur solùm de genere Iudæorum, sed & de Gentibus, fidem Iacob imitantibus; *non enim* Rom. 9. *omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ*; vt considerat Ange- O Apoc. 7. com. 2. licus O in numero signatorum duodenario 7. Apocalypsis: & profundè idem Apostolus Rom. 4. exequitur; loquutus de Abraham; *vt sit Pater omnium credentium per præputium; vt reputetur & illis ad iustitiam*: &c. *qui sectantur vestigia fidei; quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ; non enim per legem promissio Abrahæ & semini eius, vt hæres esset Mundi, sed per iustitiam fidei*. Et priùs c. 2. *non enim qui in manifesto Iudæus est; neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio; sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu*, &c. Ad rem autem nostram facit, (attento duplici alimoniæ miraculo) quod ait Augustinus in serm. de Epiphania de Magis & Pastoribus: *Isti autem Magi qui fuerunt, nisi primitiæ Gentium? Israelitæ Pastores: Magi Gentiles: illi propè, isti longè* (Marci 8. *quidam enim ex eis, de longè venerunt*) *Vtrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt*. Et nunc potissimùm claret, me iudice, cur diuina dispensatione factum sit, vt Dominus in *Bethlehem*, quæ interpretatur *Domus panis*, nasci voluerit; quia vtrumque populum, panis symbolo, collecturus erat. Dicit quippe Augustinus Tract. 26. in Ioannem; *sicut etiam ante nos, hoc intellexerunt homines Dei; Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis vnus panis efficitur*; &c. ad pacem & vnitatem scilicet astruendam. Experimento quippe triticeus panis præ alijs non friatur, suæ quasi tenax vnitatis. Merito ergo est ecclesiasticæ in symbolum, Executioni ergo mandatur, dum mirabiliter vterque populus pane pascitur, quod in Natiuitate *Bethlehem* præindicauerat. Quia scilicet, & coadunandi erant Gentiles cum Iudæis; & in panis miraculo fideles multiplicandi: & Christi Sacramentum, quod signum est vnitatis, in pane erat instituendum; & tandem ad fidei doctrinam, ad panem vitæ & intellectus erat vniuersus Orbis conuocandus. De quo post Manna commemoratum. Sap. 16. dicitur; *vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines; sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conseruat*.

Eiusmodi miraculosa panis distributione, dum vel materia consecrationis tractatur, illud recolitur sacrificium, de quo Malachiæ 1. *ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*. Quod de Sacrificio P Altaris exponitur. Vbi iteratò inquit Dominus; *magnum est nomen meum in Gentibus*. Inchoauit hoc Christus in suis discipulis, ait Angelicus; Q secundum illud Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*. Nec in hoc terminabatur eius intentio; sed vt per eos diuulgaretur in Mundum vniuersum: vnde postea subdit; *vt Mundus credat, quia tu me misisti*. Quod quidem per Apostolos & Successores eorum continuè agit; ideo dic per discipulos turbis dari. Sed mi lector, est, quod adnectamus; nam Malachias ibi habet priusquam de oblatione munda subijciat, *munus non suscipiam de manu vestra*. In quo sicut aduentante lumine cessat vmbra, cæremonialium omnium consummatio quoad victimarum ritus videtur insinuari. Et sic in panum miraculo, (quandoquidem panis, vt dixi, materia est Eucharistiæ) excluditur omnis alia, de qua in hoc capite disceptatum est, antiqua obseruantia. Ideo fortè in præcedenti de quinque panibus, tacet Matthæus, quòd Ioannes expressit, fuisse hordeaceos, quia triticeus duntaxat est Sacramenti. Quomodo autem omnia consummentur in hoc sacrificio, accipe in quantum, eius qui in ara Crucis oblatus est, incruenta fit in Altari sacrificatio. Et sic Tertullianus *de pudicitia*, ad parabolam prodigi redeuntis ait; *& rursus illi mactabitur Christus*. Et paulo post de non relapso, subdit; *opimitate Dominici corporis vescitur*. Confundatur hæresis negans esse Altaris sacrificium. Quoad Crucis autem holocaustum, quod commemoramus quotidie, docet Angelicus, R legis præcepta omnia in eo impleta. Moralia quidem quæ in præceptis charitatis fundantur, in quantum Dominus passus est, & ex dilectione Patris; Ioan. 14. *vt cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc*; scilicet ad locum passionis: & etiam ex dilectione proximi, secundum illud Galat. 2. *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Cæremonialia præcepta legis, quæ ad sacrificia & oblationes præcipuè ordinantur, impleuit Christus sua passione, in quantum omnia antiqua sacrificia figuræ fuerunt illius veri Sacrificij, quod Christus obtulit moriendo pro nobis. Vnde dicitur Coloss. 2. *nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ; quæ sunt vmbra futurorum; corpus autem Christi*: eoquòd scilicet, Christus comparatur ad illa, sicut corpus ad vmbram. Præcepta verò iudicialia legis, quæ præcipuè ordinantur ad satisfaciendum iniuriam passis, impleuit Christus sua passione: quoniam, vt in psal. 68. dicitur, *quæ non rapuit, exoluit*, permittens se ligno affigi pro pomo, quod de ligno homo rapuerat contra Dei mandatum. Hæc Diuus Thomas. Quæ cuncta videntur acu tangi, dum illud de Domini morte Ioann. 12. *nisi granum frumenti ca-*

Marginalia (right column): 36. — P opusc. 58. c. 13. — Q opusc. 2. p. 2. c. 8. — R 3. p. 47. 2.

cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Nam hic quasi cecidisset granum frumenti in terram multiplicatur: & quidem *in fide populorum*, vt dictum est ex Augustino Tract. 51. in Ioannem. Vnde non est quòd de antiquis traditionibus instent Scribæ; non est cur *colant* vltra *Deum sine causa*; cur doceant *doctrinas & mandata hominum*: cur denique scandalizentur. Sed *Verbum Crucis*, in qua Ioa. 19. dixit Dominus moriens, *consummatum est*,
loc. cit. (quia s in morte eius vt diximus lex vetus consummata est.) *pereuntibus stultitia est*; Christusque crucifixus *Iudæis scandalum*, vt dolet Apostolus 1. Cor. 1. Ex quo, *cæci sunt, & duces cæcorum*.

37. Vnum superest elucidandum: cur scilicet, de solo cibo prouideatur à Domino; nihilque dicatur de potu. Iam suprà dixi, ideo fortassè nihil de potu commemorari, vt potiùs ad mysticam miraculi intelligentiam extolleremur; quàm literaliter saturatos esse innotesceret. Deinde dici potest subintelligi quoque potatos: iuxta quod Lucæ 14. legimus intrasse Iesum *in domum cuiusdam Principis sabbato manducare panem*. In pane, quia potissimus est homini esus inuoluuntur fercula & potus. Diximus etiam, vt quasi ænigmate, non duplici specie, necessarium quis duceret communicare. Sed adhuc quartò respondeo, subticeri de potu, quoniam hic & in præcedenti miraculo agitur de coadunatione, consocietateque Ecclesiæ vtrique militantis, ex Iudæis & ex Gentibus, vt dictum est. Quemadmodum autem *saturati dicuntur*, ita perhiberentur inebriati. Spiritualiter autem accepta ebrietas triumphantem potius innuit Ecclesiam, quàm militantem. De illa quippe legimus psal. 35. *inebriabuntur ab*
T psl. 35. lit. d. *vbertate domus tuæ*. Vbertas donorum Dei T in hac Ecclesia, imperfecta est; in alia verò triumphante, perfectissima est abundantia omnium bonorum. Et quod plus est, *inebriantur*, in quantum supra omnem mensuram meriti desideria implentur. Ebrietas enim excessus quidam est. Isaiæ 64. *oculus non vidit*, &c. Cant. 5. *inebriamini charissimi*. Et qui sunt ebrij, non in se sunt, sed extra se. Sic ad illud Eccles. 24. *inebriabo prati, seu partus mei fructum*.
V Prologo 1. sent. Quibus verbis V notatur inductio in gloriam. Partus ipsius Christi sunt fideles Ecclesiæ, quos suo labore, quasi Mater parturiuit. Fructus autem istius partus sunt Sancti, qui sunt in gloria. Istos inebriat abundantissima sui fruitione & ebrietate; psal. 35. *inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ*. Et dicitur ebrietas, quia omnem mensuram rationis & desiderij excedit. Vide ergo cur de potu sermo non sit Euangelicus. De viatoribus agitur, *ne deficiant in via*. Nondum aperta per suam passionem ianua Cœli; de quo 3. p. 49. 5. non erat de potu & ebrietate diuinæ fruitionis, quæ comprehensores lætificat, ac in perennem trahit ecstasin, subijciendum. Qui plenus est, ait Angelicus, x diuino amore in x ps. ... lit. b.
ecstasim factus est. De quo potu ipsemet Dominus loquitur dicens infra c. 26. *cum illud bibam vobiscum nouum in Regno Patris mei*; vt ibi dicemus

VERS. XXXIX. *Et dimissa turba, ascendit nauiculam, & venit in fines Maghedan*.

Maghedan ex Rabano, Regio est contra Gerasan, 29.
quæ est Ciuitas trans lacum Genesareth. Geraseni, vt notat Lauretus in Sylua non admiserunt Christum in Ciuitatem suam: nam supra c. 8. Geraseni *rogabant eum, vt transiret à finibus eorum*. Reuera hic ab eorum finibus transit veniens Maghedan, quæ vt dicebamus est contra Gerasan. Sed vt fert idem Lauretus designat Gerasa Iudæos, qui Christum non receperunt. Nihil certè ad Syntaxin magis appositum. Et ideo Matthæus quò abierit conscensa Nauicula (in typum iam collecti in Ecclesia populi) scribit; vt vnde abscessisset studiosè perquireretur. Etsi enim quoque etiam ex Iudæis crediderint; iuxta Scripturæ diuinæ etiam vaticinia, Isaiæ 49. *ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas*: quia nedum super *Gentes*, sed & *super nos*, vt dicitur in psal. 116. coadunatos scilicet Iudæos cum Gentibus *confirmata est misericordia eius*. Vnde & Simeon in Cantico; *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Vnde ex Chrysostomo; *in Cruce expansis manibus moritur, vt altera manu veterem populum; altera eos, qui ex Gentibus sunt, trahat*. *Nihilominus*, quoniam, vt dicitur Rom. 11. *aliqui ex ramis fracti sunt*, eos reliquit incredulos. Et bene si *rami fracti sunt*, recedit qui fructus quærit, transitque *Maghedan*, quæ interpretatur *poma vel fructus*: de quibus Apostolus Rom. 1. *vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut in cæteris Gentibus*; & Coloss. 1. *verbum veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & vniuerso Mundo est, & fructificat*. Et ecce præcipuam causam ob quam Matthæus præ Luca & Ioanne secundum hoc de septem panibus denarrat miraculum; quia ad ipsum ex instituto pertinuit, de conuocatione Gentium ad coædificandam Ecclesiam ex vtroque populo, euangelizare. Quamuis autem & Marcus, ambo hæc miracula referat; non Matthæi scopo se immiscuit, sed substrata historia, hominis restaurationem quoad vires inferiores inchoatam perficiendamque à Domino, edisserere intendit, vt ibi Deo dante dicemus.

CAPVT XVI.

1 *ET accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum, vt signum de* Mar. 8. b. 11.
cælo ostenderet eis. 2 *At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit,* Luc. 11.
rubicundum est enim cælum: 3 *Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum*. 4 & 14.
Faciem ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala, & adul- Sup. 12.
tera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et relictis illis, abijt. g. 39. Ionæ 2.
5 *Et cum venissent discipuli eius trans fretum obliti sunt panes accipere*. 6 *Qui dixit illis. In-* Mar. 8. b.
tuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. 7 *At illi cogitabant intra se di-* 14. Luc. 12. a.
centes: Quia panes non accepimus. 8 *Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ* 1.
fidei, quia panes non habetis? 9 *Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quin-* Sup. 14. c.
que millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? 10 *neque septem in quatuor millia hominum,* 17. Io. 6. b. 9.
& quot sportas sumpsistis? 11 *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cauete à fer-* Sup. 14. d.
mento Pharisæorum, & Sadducæorum? 12 *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à* 34. Mar. c. 27
fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum. 13 *Venit autem Iesus in* Luc. 9. c. 18.
partes

partes Cæsareæ Philippi : & interrogabat discipulos suos , dicens : Quem dicunt homines esse
Filium hominis ? 14 At illi dixerunt : Alij Ioannem Baptistam , alij autem Eliam , alij ve-
rò Ieremiam , aut vnum ex Prophetis . 15 Dicit illis Iesus . Vos autem quem me esse dicitis ?
Io.6.g.69 *Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei viui . 16 Respondens autem Iesus dixit*
ei : 17 Beatus es Simon Bar-Iona : quia caro , & sanguis non reuelauit tibi , sed Pater meus , qui
Io.1.f.42. *in cælis est . 18 Et ego dico tibi , quia tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*
Isa.22.g.24. *meam , & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam . 19 Et tibi dabo claues regni cælorum . Et*
Io.20.c.23. *quodcumque ligaueris super terram , erit ligatum & in cælis : & quodcumque solueris super ter-*
ram , erit solutum & in cælis . 20 Tunc præcepit discipulis suis , vt nemini dicerent , quia ipse
esset Iesus Christus . 21 Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis , quia oporteret eum ire Ieroso-
lymam , & multa pati à senioribus , & Scribis & Principibus Sacerdotum , & occidi , & tertia
die resurgere . 22 Et assumens eum Petrus , cœpit increpare illum dicens : Absit à te Domine : non
Mar.8.d.33. *erit tibi hoc . 23 Qui conuersus , dixit Petro : Vade post me satana , scandalum es mihi , quia non*
Sup.10.d.38. *sapis ea , quæ Dei sunt , sed ea , quæ hominum . 24 Tunc Iesus dixit discipulis suis . Si quis vult*
Luc.9.g.23. *post me venire , abneget semetipsum , & tollat Crucem suam , & sequatur me . 25 Qui enim vo-*
& 14.f.17. & *luerit animam suam saluam facere , perdet eam , qui autem perdiderit animam suam propter me ,*
17.g.33. *inueniet eam . 26 Quid enim prodest homini , si mundum vniuersum lucretur , animæ verò suæ*
Io.12.d.25. *detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ? 27 Filius enim*
Act.17.g.31. *hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis , & tunc reddet vnicuique secundum ope-*
Ro.2.a.6. *ra eius . 28 Amen dico vobis , sunt quidam de hic stantibus , qui non gustabunt mortem , donec*
Mar.9.a.1. *videant Filium hominis venientem in regno suo .*

Luc.9.c.27. Mar.9.a.2. Luc.9.d.28.

VERS. I. *Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes ;* &c.

VERS. II. *At ille respondens ait illis: Facto Vespere , dicitis , serenum erit ;* &c.

1. Planum est , quod ad naturalem philosophiam attinet : quia vt ait Hieronymus ; *ex elementorum ordine & consonantia , possunt & sereni & pluuiosi dies prænosci* . Rubedo serotina A est signum serenitatis , ex diffusione radiorum Solis super vapores subtiles , quos possunt penetrare . Necesse est autem vt igneum dominetur , vaporesque pauci : tunc enim rubeus color apparet : & sic præsagitur serenitas . Cum autem vapores sunt multi , nec possunt radij penetrare , fit color niger in aere ; & quia contingit mane illos in pluuiam solui , signum est , rutilante ob alterationem tristi Cœlo , tempestatis . Sic Ecclesiastici 32. *ante grandinem præibit coruscatio* . Quoniam verò supra cap. 12. quidam de Scribis & Pharisæis dixerunt *Magister volumus à te signum videre* : quibus etiam *de Iona* respondit Dominus : dicamus cum Augustino lib. 2. de Cons. Euang. cap. 51. *etiam atque etiam retinendum esse , sæpius Dominum eadem dixisse : vt quod , existente contrario , solui non potuerit , bis dictum* (hoc scilicet de Iona) *intelligatur* . Certè hìc accesserunt *Pharisæi & Sadducæi* , ibi *quidam de Scribis & Pharisæis* . Ex contextu tamen eadem est denarratio hìc Matthæi & Marci 8. Sicuti eadem quæ supra c. 12. apud Matthæum , cum Lucæ 11. Interim in præsenti quoque , non qualecumque signum rogant tentantes , sed *signum de Cœlo* , Sanctus Beda lib. 4. c. 48. in cap. 11. Lucæ : *vel in morem Eliæ , ignem de sublimi venire cupiebant , vel in similitudinem Samuelis , tempore æstiuo mugire tonitrua , coruscare fulgura , imbres ruere . Quasi non possent & illa calumniari , & dicere , ex occultis & varijs aeris passionibus accidisse . At tu qui calumniaris ea , quæ oculis vides , manu tenes , vtilitate sentis ; quid feceris de ijs quæ de Cœlo venerint ? Vtique respondebis , & Magos in Ægypto multa signa fecisse de Cœlo* . Non mirum , si vt apud Marcum , *ingemiscens spiritu ait : Quid generatio ista signum quærit ?*

A ex D. Th. hic.

2. Verum quod difficultatem hìc ingerit , est eorundem increpatio , quoniam *faciem* , inquit , *Cœli dijudicare nostis* ; (de sereno scilicet futuro , & de tempestate) *signa autem temporum , non potestis scire ?* Et quorum temporum signa ? Deinde quis est de sereno & tempestate , ad huiusmodi signa temporum ratiocinatiuus processus ? Esto illam Cœli faciem nouerint ; non inde signa temporum si ignorent arguendi videntur . Neque enim de signis naturalibus Dominus loquitur , quo pacto Genesis 1. *luminaria* sunt *in signa & tempora , & dies & annos* . Hieronymus ad rem ait ; reprehendi , quoniam ex Prophetarum vaticinio non cognoscerent Saluatoris aduentum . Augustinus comparat sereno Cœlo primum aduentum ; eoquòd rubicundum veluti fuerit Cœlum sanguine passionis Christi , indulgentiaque peccatorum data sit : (quod refert tu ad serenitatem) tempestati autem aduentum secundum ; quando igne præcedente venturus est . Sic & glossa . Sic & Chrysostomus addens signa in Cœlo seruari tempori secundi aduentus ; in primo signis quæ in terra sunt opus fuisse ; quia nunc sicut Medicus venit , quasi occultus ; tunc sicut Iudex cum multa diuulgatione , quando *virtutes Cœlorum mouebuntur* . Sic & Angelicus adstipulatur his dicens ; vespere Mundi Christum passum ; B deinde venturum quasi tempestate , ex illo Malachiæ 3. vbi de vtroque aduentu palam ; de primo quidem ; *statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator , quem vos quæritis , & Angelus Testamenti quem vos vultis* ; vt pluries exponit . C De secundo autem ; *quis poterit cogitare diem aduentus eius ; & quis stabit ad videndum eum ? ipse enim quasi ignis conflans* , vt etiam passim D interpretatur . Sed quoniam etsi plura præcesserint signa aduentus primi : supra c. 11. ex Isaia *cæci vident , claudi ambulant ; leprosi mundantur* : secundi autem aduentus , signa nequimus , nisi proximi fuerimus , obseruare , quoniam Act. 1. fertur dixisse Dominus ; *non est vestrum scire tempora , vel momenta* , &c. ideo , explicandi sunt Sancti Patres , reprehensos fuisse quòd vel indeterminatè non agnoscerent aduentum ad iudicium .

B D. Th. hic.

C hic c. 3. & 11. & Io 1. l. 9. & ser. de purificatione.

D opusc. 41. 1. 3. hic c. 24. & p. Cor. 9. l. 1.

Porrò ipse literæ accomodatiùs vellem de tempore legis , atque de tempore gratiæ intelligi quod hìc ait Dominus ; cui certè expositioni quadrat magnopere quod præiactum est , & de sereno tempore , & de tempestate . Aliàs habet Augustinus serm. 14. de Sanctis ; *mane & vespere posita esse pro eo , ac si dicere-* 3.

teretur prius & posterius. Hæc tempora dolet Dominus eos nescire. Priùs triste rutilauit Cœlum, tempestatem & portendens & ferens; nedum in datione legis, sed toto priscæ legis statu. Pro cuius intelligentia recolendum est, quod habet Apostolus ad Hebræos 12. *non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum*. Vbi mirè totus legendus esset Angelicus:

E Hebr. 12. l. 4. E quem summariè colligendo dicimus in primis cum Augustino; *breuis est differentia legis & Euangelij: timor & amor*. Terribilis enim fuit lex vndequaque. Nam in lege magnitudo comminationum, grauitas præceptorum, & multiplicatio ipsorum. Sicvt Moyses ipse diceret, *exterritus sum, & tremebundus*: quia scilicet lex non dabat gratiam, sed tantùm ostendebat culpam. Hoc ipsum alibi

F 3. sent. 40. 1. 1. ad 2. F tradit; lex, inquit, vetus in ostensione diuinæ potestatis, quæ timorem incutit, initium sumpsit. Vnde & in ipsa legislatione, propter fulgura voces & tonitrua, terror audientes inualit: & ita data est

G Rom. 8. lect. 3. Galat. 3. l. 2. G in timore & spiritu seruitutis; vt dicitur Roman. 8. De quo dixi Exodi 19. t. 16. vbi legitur; *& ecce cœperunt audiri tonitrua & micare fulgura, & nubes densissima operire Montem*: & cap. 20. *cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul*. Ad hæc facit

H p. 2. 99. 6. quod lex vetus H conuenienter per comminationes & promissiones manuducebat homines ad Deum:

I Hebr. 12. l. 4. Designatur ergo I differentia noui & veteris Testamenti; quia vetus Testamentum datum fuit in terrore, vt corda Iudæorum, quæ prona erant ad idololatriam, terrerentur: nouum autem datum est in amore; Rom. 8. *accepistis spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus; Abba, Pater*. Vnde & Christus non terrores in principio prædicationis suæ præmisit; sed *Regnum Cœlorum* promisit: Matth. 4. *pœnitentiam agite; appropinquauit enim Regnum Cœlorum*: Prouerb. vltimo; *lex clementiæ in lingua eius*. An non vides mi lector, palam ex Domini exemplo, timoris tempus in lege insinuari dum ait *hodie tempestas; rutilat enim triste Cœlum*: item amoris; quia *serenum erit; rubicundum est enim Cœlum*. Hoc est quod dolet; *signa autem temporum non potestis scire?* Signum quippe serenitatis (Tobiæ 3. *non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis*) erat Regni Cœlorum prædicatio. Quod ipsum & Ioannes Matthæi 3. intonuit; *appropinquauit enim Regnum Cœlorum*. De quo Chrysostomus apud Metaphrastem; *sum signum; significabo Christi aduentum; sum tubæ, proferam filij Dei in carne dispensationem. Nondum aspicit lucem, & Solem indicat*. Et iterum ad Elisabetham: *lux venit; solue matutinum: Sol oritur; prius lucebit Lucifer: in foribus lux est; & voce est opus*. Quid sunt hæc rogo? nisi *serenum erit; rubicundum est enim Cœlum*. Dic rubedine pretiosi sanguinis, flammaque amoris; *sic enim Deus dilexit Mundum*, Ioan. 3. *vt filium suum Vnigenitum daret*.

L Hebr. 9. l. 4. Rubeo quippe colore significatur L charitas; *dilectus meus* (Cantic. 5.) *candidus & rubicundus*. Hæc ergo tempora veteris nouique Testamenti si distinxissent, de Domino redemptore non dubitassent. Satis hoc eis erat signum de Cœlo; cum dictum sit per Prophetam Isaiam cap. 45. *rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum*: cum visam fuisse à Magis in ipsius ortu stellam poterant vel per Maiorum traditionem, non ignorare: cum Matthæi 3. baptizato Iesu, *aperti sunt Cœli: & ecce vox de Cœlis dicens; hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Verùm signum tunc nouum, quod petebant, non eis dedit; quia vt ait Cyrillus, relatus in Catena Lucæ 4. *tentantibus non largitur Deus auxilia; & tentantibus eum Christus non ostendebat miracula*. Neque conueniebat ei, qui omnia M in statum pacis & tranquillitatis reuocare M 3. p. 41. 4. 3.
venerat, turbationem aeris faceret. Vnde Apostolus Hebr. 12. *non accessistis ad tractabilem & accessibilem ignem, & turbinem & caliginem & procellam*. Ad hæc Angelicus quæst. 5. de potentia a. 6. ad 6. reprehensio Domini pertinet ad eos, qui determinatum tempus primi aduentus non cognouerunt. Sic Lucæ 19. *eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ*.

VERS. IV. *Generatio mala & adultera. Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*.

Quamuis supra cap. 12. hæc ipsa verba dixisse feratur Dominus: attamen non ad idem, sed iuxta 4.
petiti exigentiam. Neque enim ibi ad tentandum Dominum signum petierunt: potius cum reuerenti sunt dicentes *Magistrum*. Quare increpari vtique, & erudiri debuerunt; hic meruerunt confundi: præsertim quia impræsentiarum sunt etiam tentantes Sadducæi. Sadducæi, vt habemus infra cap. 22. *dicunt non esse resurrectionem; immò neque Angelum neque Spiritum*, vt patet Act. 23. Subdit autem Origenes relatus in Catena infra cap. 22. *non solum autem carnis resurrectionem negabant, sed etiam animæ immortalitatem tollebant*. Et ita Hieronymus; *resurrectionem corporum non credebant, & animam putabant interire cum corporibus*. Hos ergo Ionæ signum, impletum implendumque cum hoc diceret, in ipso Domino resurgente à mortuis, re ipsa confutat. Et id eis obijcit tanquam salutis præambulum: nihil enim prodest signa quæque videre de Cœlo; *si spiritus filiorum Adam*, vt in Sadducæorum persona dicitur Ecclesiastes 3. *non ascendat sursum*. Cæterùm ostendit per Ionæ factum signata Domini resurrectio, id quod asumpsit de signis temporum obseruandis: scilicet tempus notari serenitatis, post triste Cœlum, tempusque tempestatis, vt declarauimus: tempus inquam, quo *appropinquauit regnum Cœlorum*. Et sic videtur deduci. Ipse à mortuis tertia die resurgam; resurgamque sed non iterum moriturus: Roman. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*: Apocalyps. 1. *fui mortuus, & sum viuens in sæcula sæculorum*: sed locus debet esse proportionatus locato: (doctrina est Angelici N) cum ergo Christus post resurrectionem vi- N 3. p. 57. 1.
tam immortalem, & incorruptibilem inchoauerit; & locus in quo nos habitamus, sit locus generationis & corruptionis, locus autem cœlestis sit locus incorruptionis: non fuit conueniens quòd Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conueniens fuit quòd ascenderet in Cœlum. Idcirco O O 3. p. 55. 1.
noluit continuè post resurrectionem cum discipulis conuersari, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat. Per suam itaque ascensionem nos quasi P in possessionem Regni cœlestis P 3. p. 49. 4.
introduxit; Michææ 2. *ascendit: pandens iter ante eos*. Quoniam autem per suam Q passionem & Q 3. p. 49. 6.
mortem, non solum ipse meruit exaltari, quantum ad ascensionem in Cœlum; Ephes. 4. *descendit primum in inferiores partes terræ: qui autem descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes Cœlos*: sed & aperuit nobis ianuam Cœli per eandem passionem & mortem: ideo videtur Dominus hic etiam de Ionæ signo meminisse; vt attento mysterio, mortis, resurrectionisque ad vitam immortalem, subinde ascensionis in Cœlum: *signum* hoc eis esse futurum innueret, quod quærere debuissent *de Cœlo*: quando præuiso rubicundo, prasciri potest *serenum*; signumque temporis à tempore priori

diuersum notari, quando *triste* erat Cœlum, furebatque tempestas comminationum, lege existente timoris: dum per eius mortem, *vespere facto*, promulgata lege amoris, allicimur Cœlesti præmio, potius quàm terreamur minis; prædicato nimirum Regno Cœlorum. Quare ergo signa temporis nesciérunt? *tempus* enim, Ecclesiastes 3. *est occidendi, & tempus sanandi; tempus dilectionis, & tempus odij: tempus belli, & tempus pacis.* Nisi autem essent *generatio mala & adultera*, scire possent, R discerentque sufficienter, per multa argumenta, euidentiaque signa, ostensam fuisse veram eius resurrectionem: & etiam resurrexisse S propria virtute, ratione scilicet Diuinitatis. Et sic esse verum Deum, verumque hominem; (in quo hærentes signum cupiunt de Cœlo) vt *mori ex vno*, quod ait Leo Papa Sermon. 1. de Natiuitate Domini, *& resurgere posset ex altero*. Possent autem nedum resurrectionem scire; quia vt ostendit Diuus Petrus Act. 2. & Paulus cap. 13. ex psalm. 15. *neque derelictus est in Inferno, neque caro eius vidit corruptionem*: sed erudiri quoque quòd in Cœlum ascenderit: vt Petrus subinfert ex psal. 109. *non enim David ascendit in Cœlum; dixit autem ipse; dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*. Præmittitque, *prouidens locutus est Patriarcha David, cum esset Propheta, & sciret, quia iure iurando iurasset illi Deus*; (psal. 131.) *de fructu lumbi eius, sedere super sedem eius*. At dic tu Sapient. 1. *in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Isti autem sunt *generatio mala & adultera*. Sequitur; *Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Isti accesserunt *tentantes*. Præmittitur autem ibidem Sapient. 1. *sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum; quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum*. Et quia pergit Sapientia vt diximus, *effugiet fictum & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*: ecce in textu Euangelico; *relictis illis abijt*.

R 3. p. 53. a. 5. & 6.

S 3. p. 53. 4.

VERS. V. *Obliti sunt panes accipere*.

VERS. VI. *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*, vsque ad v. 13.

5. Excidit memoria discipulorum delatio panis ad reficiendum, dispensatione diuina; vt inde occasionem nactus Dominus eos erudiret, vt à doctrina Pharisæorum cauerent. Quod assecutus est, quia *tunc intellexerunt*, vt dicitur v. 12. *quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*. Chrysostomus profundè considerans inquit: *quare non dixit; attendite à doctrina Pharisæorum, manifestè?* Adde: sicuti capite præcedenti: *sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Respondet, *quia vult commemorare ea quæ facta sunt; scilicet de multiplicatione panum; etenim nouerat eos esse oblitos. Quod facit occasione ab eis recepta*. Sed ipse tantum Doctorem humiliter veneratus, ægrè, simpliciter oblitos duplex tam grande miraculum acquiesco: nisi de actuali reminiscentia intelligatur; iuxta quem sensum sint increpatoria Domini verba: *neque recordamini quinque panum*, &c. ideo & *modicæ fidei*. Cogitatio ergo (*quid cogitatis inter vos?*) aliò eos distraxit. Et hoc est non recordari. Sed aliud est non recordari hoc vel illud: aliud obliuisci, quasi memoria aboleri. Altiori ergo fine, reor introductum de panibus, sic singillatim per recensitas circumstantias commemoratis. Quod fortius adhuc intendo; quoniam alias scimus sanam esse doctrinam; non deberi ad miracula recurri, nisi vrgeat necessitas: secus est potius tentare Deum: quemadmodum supra capit. 4. dictum est Diabolo requirenti, vt se mitteret deorsum; *non tentabis Dominum Deum tuum*. Igitur videtur mihi loquutus hæc Dominus in stabilimentum doctrinæ fidei. Ac si dixisset cum de indigentia mystici panis agitur, præsto sum. Ad me recurrat fidelis: nam sicut multiplicaui bis panes, non secus ac articuli fidei secundum incrementa temporum (hoc tradit T Angelicus) quodammodo, scilicet per explicationem creuerunt; ita denuo, quotiescumque necessium sit, faciam. Etsi enim (idem V Angelicus) in doctrina Christi & Apostolorum, veritas fidei sit sufficienter explicata; tamen quia peruersi homines apostolicam doctrinam, & cæteras doctrinas & scripturas peruertunt ad sui ipsorum perditionem, vt dicitur 2. Petri vltimo, necessaria est temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores. Habes hinc lector fidelis Cathedræ necessitatem contra Lutherum. Igitur Christus Dominus, (vt innotescat ad ipsum rem attinere, quoties occurrat) quod est mysticum in miraculo panum, se patraturum declarat. Et quidem opportunè admodum, quando insurgentem Pharisæorum & Sadducæorum doctrinam carpere intendit. Nisi hanc à Domino sperent discipuli assistentiam, diffidunt de prouidentia, in cuius fide includuntur, inquit Sanctus Doctor, X omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem. Hanc ergo spiritualem prouidentiam insinuat in prouidentia de panibus corporali. Et hinc vocat eos, *modicæ fidei*: nam Hebræor. 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quod inquirentibus se remunerator est*; sonatque prouidentem esse. Quia verò de impetenda sic a Pharisæis & Sadducæis doctrina fidei cauendum monet; ideo illorum doctrinam comparat fermento. In fermento duo possunt considerari ex Angelico; A primò sapor, quem tribuit pani; & secundùm hoc, per fermentum significatur sapientia Dei: secundò in fermento potest considerari corruptio. Falsa B doctrina vocatur fermentum. Spiritualis intellectus est panis, non fermentum. Vnde per panem vera doctrina.

T 2. 2. q. 1. 7.

V ibi 2. 10. ad 2.

X 2. 2. q. 1. a. 7. c.

A 1. Cor. 5. 1. 2.

B D. Th. hic.

6. Dic ergo, idcirco similitudine fermenti vsum fuisse Dominum, vt falsæ doctrinæ effectum insinuaret. Quocirca Apostolus; *nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Non ergo hic voluit conceptis verbis dicere de doctrina, sicuti capite præcedenti *docentes doctrinas & mandata hominum*; quia ibi etiam de doctrinis & mandatis præter Dei mandata, posset intelligi; cuiusmodi erat, *non enim lauant manus suas cùm panem manducant*: hic autem de fidei substantia, Pharisæorum & Sadducæorum ad literam contradictio est. Vnde quia qui discredit vel vnum articulum fidei, C fidem de alijs articulis minimè habet: ideo ob habitus fidei amissionem, mentisque corruptionem, conueniens fuit de fermento, quod corruptum quid est, inficitque totam massam, metaphoram introferri. Sine hac autem loquitur, ad idem, Apostolus ad Timotheum: *hi resistunt veritati homines corrupti mente, reprobi circa fidem*: D *corrupti mente*, idest potentia rationali. Vnumquodque enim tunc dicitur corruptum, quando deficit a propria virtute: propria autem mentis perfectio est cognitio veritatis. Vnde dicitur corruptus mente, qui deficit à cognitione fidei. Esto quoad præsens, dici eum fermentatum. Et iam de fide se loqui Dominus satis indicat, dum ait; *intuemini & cauete*. Nihil enim prohibet illud *intuemini* de fidei accipi intuitu: quemadmodum Lucæ 18. cum dixit cæco, *respice*, inquit Chrysostomus *à duplici cæcitate fuisse liberatum, corporali scilicet*

C 2. 2. q. 5. 1.

D 1. Tim. 6. 1. 2.

licet & intellectuali : neque enim glorificaßet vt Deum, nisi credidiſſet. Et ſic expedit hunc locum interpretari : quoniam Hebr. 12. legimus, *aſpicientes in Authorem fidei & conſummatorem Ieſum*. Eſt autem Author fidei, docendo verbis, & eam in cor-
B Hebr. 12.1.1. de imprimendo: E & conſummator fidei, eam miraculis confirmando. Dic ergo confirmaſſe eos in fide dum ait; *intuemini* : neque enim aliàs cùm cauendùm eis ab hypocriſi Phariſæorum Lucæ 12. monuit attenderent, præmiſit *intuemini*. Et nihilominus adhuc ab eis cauendum præcipit : quia illorum doctrina fermentum eſt, incapax dandi ſaporem, quando iam præconfectus eſt panis. Et mihi videtur ſubtili arcanaque de cauſa introductum eſſe de panibus; quorum ſe Authorem magnificè recolit, vt colligant, non poſſe quicquid adijciant Phariſæi & Sadducæi, vel obijciant, non poſſe inquam, niſi corruptionem aduehere : fermentum enim confecto pani admiſceri, corrumpi eſt ipſum panem, iam ſatis ſapidum. Conſuetum eſt quidem maſſæ ſeu con-
F 1.Cor. 5.1.2. ſperſioni (conſperſio F eſt commiſtio aquæ & farinæ nouæ antequam admiſceatur fermentum) fermentum apponi; at nuſquam pani. Ac ſi diceret Dominus; iam prouiſum eſt vobis de panibus, & quinque & ſeptem : quando opus eſſet, iam adſum, vt frangam iterum & ſic multiplicem, myſticè ſic frangendo ea quæ ſunt fidei. Ideo ergo vobis cauendum, quia non farinam, non conſperſionem prouidi, quæ fermento egent, ſed panem : pane confecto fermentum corruptionem adferret, non dilatationem & ſaporem, quæ panis præhabuiſſet. Vel dic, omne etiam fermentum intelligi à Chriſti pane expurgatum, quia fides eſt *in azymis ſynceritatis & veritatis*, 1. Corinth. 5. & Philipp. 1. *quidam Chriſtum annunciant non ſynceré*. Apoſtolus autem 2. Corinth. 6. exhibebat ſe miniſtrum Dei, *in verbo veritatis*.

VERS. XIII. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?*

7. *Generatione ſecundùm carnem* ait Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 1. *Chriſtus filius hominis eſt : quod etiam ſe ipſe ſæpiſſime appellat, commendans nobis, quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis*. Hieronymus : *non dixit, quem me eſſe dicunt homines; ſed quem dicunt eſſe filium hominis? ne iactanter de ſe quærere videretur. Et nota, quòd vbicumque in veteri Teſtamento ſcriptum eſt, filius hominis; in hebræo poſitum eſt, filius Adam*. Et hoc diuinæ ſapientiæ atteſtatur;
G 1. p. 4.6. vt enim docet Angelicus G ex Auguſtino; *poterat Deus hominem alium ſuſcipere, non de genere iſtius Adæ, qui ſuo peccato obligauit genus humanum; ſed melius iudicauit, vt de ipſo, quod victum fuerat, genere, aſſumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum*. Conueniens
H loc.cit. & q. 31. a.1. ergo fuit multis de cauſis, H vt carnem ſumeret ex materia ab Adam deriuata. Vnde Corpus Chriſti fuit in Adam ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, quia ab Adam materia corporis Chriſti deriuata eſt : licèt non ſecundùm ſeminalem rationem, quia non eſt concepta ex virili ſemine. Dic itaque ad hoc innuendum, ſic ſe compellare *filium hominis*. Præterea in Sanctiſſimæ Virginis Matris ſuæ laudem ſic conſueuiſſe de ſe ipſo loqui crediderim, aduerſus hæreticos, qui vt ait Sanctus Beda lib. 4. cap. 49. in Luc. 11. *negando Mariam ſemper Virginem Sancti Spiritus operante virtute, naſcituro cum humanis membris Vnigenito Dei, carnis ſuæ materiam miniſtraſſe, verum conſubſtantialemque Matri, filium hominis fateri non debere dixerunt. Non ergo caro Verbi Dei ſecundùm carnem naſcentis, à carne Virginis Matris extranea eſt : alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ab homine*.

Hæretici quos præ alijs rationibus hæc Domini aſſertio confundit, fuere Manichæus & Valentinus. 8.
Primus dixit Dei filium non verum corpus ſed phantaſticum aſſumpſiſſe; vnde nec verus homo eſſe potuit, ſed apparens. Neque ea, quæ ſecundùm hominem geſſit; ſicut quòd natus eſt, quòd comedit, bibit, ambulauit, paſſus eſt & ſepultus, in veritate fuiſſe; ſed in quadam aſſimilatione, conſequuta. Et ſic patet quòd totum incarnationis myſterium ad quandam fictionem deduxit. Ita apud Angelicum I; Valentinus voluit, quòd Chriſtus non terrenum corpus habuit, ſed de Cœlo portauit. Et ſic Spiritus-Sanctus poſuerit in Beata Virgine illud corpus Cœleſte tanquam in loco. Et quòd Chriſtus nihil de Virgine Matre accepit; ſed per eam, quaſi per aquæductum tranſiuit. Apoſtolus Roman. 9. habet; *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*. Contra Manichæos, qui dicunt habuiſſe corpus phantaſticum, & non verum : habet enim veram carnem. Lucæ vltimo : *ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere* : & contra Valentinum, quia de maſſa humani generis *ex Iudæis ſecundum carnem* L. Vtriuſque poſitio ex falſa proceſſit radice vna; quia credebant, quòd hæc omnia terrena à Diabolo ſint creata. Et ita non competebat filio Dei, vt de creatura Diaboli corpus aſſumeret. Subdit autem in calce capitis Sanctus Doctor : *oſtenſum eſt in ſecundo libro, quod iſta corporalia, non à Diabolo, ſed à Deo ſunt facta*. Ipſe quippe pſal. 145. *fecit Cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt*. Vberiùs Manichæos euictos vide Geneſ. 1. num. 7. & 45. vbi plura Diui Thomæ retuli loca. Sed conſidera, qua ſenſus altitudine, Dominus ſe *filium hominis* præſumit, interrogans ſubinde diſcipulos, quemnam homines ipſum eſſe dicerent? Hilarius hic inquit, *ſignificauit præter id quod in ſe videbatur, eſſe aliud ſentiendum*. Ita planè, ſed aio ipſe, id vi interrogatoriæ ſuggeri; ſe enim dicit *filium hominis*, profectò diſcretione ab alijs, quos mox item vocarat homines : *quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Specialiter ſe eſſe hominem innuit; ſicque taliter eſſe filium hominis, vt idem ſit filius Dei; ratione ſcilicet diuini ſuppoſiti, ſeu perſonæ. Sic Stephanus Act. 7. qui *vidit Ieſum ſtantem à dextris Dei*, ſignanter dixit, *ecce video filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei*. Contra Neſtorium, qui poſuit alium eſſe filium hominis, alium Dei : Rom. 9. *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus*. Sic Ioann. 3. poſtquam dixit; *nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo*; adiecit; *filius hominis, qui eſt in Cœlo*. In quo oſtendit ſe ita M deſcendiſſe de Cœlo, quòd tamen in Cœlo eſſe non deſierit. Hoc autem proprium Deitatis eſt; vt ita in terris ſit, quòd & Cœlum impleat. Ieremiæ 23. *Cœlum & terram ego impleo*. Dicamus ergo cum Hieronymo; *dum interrogat, inſtruit*. Et cum Rabano : *non autem quaſi neſciens, de ſe ſententiam diſcipulorum vel extraneorum inquirit; ſed vt confeſſionem rectæ fidei digna mercede remuneret*. Et ex gloſſa; *confirmaturus in fide diſcipulos, prius opiniones & errores aliorum, à mentibus eorum voluit remouere*. Quocirca Chryſoſtomus; non ſenſum Scribarum & Phariſæorum quæſiſſe, quia eorum opinio plena erat multa malitia; ſed plebis mentem, quæ ad malum prona, & inflexa non erat, inueſtigaſſe, putauit. Hieronymus; *homines vult, dicto: eſſe, humana opinantes*. Nō auſim improbare : ſed nec abnuerim poſſe ad præfatos Sadducæos Phariſæoſque retorqueri; qui vi ſignorum conuicti, dæmonum inſtar, qui *credunt & contremi-*

I opuſc. 6. & 4. cont. G. 29.

L loc. cit. & cont. G. c. 30. & Rom. 9. l.1.

M 4. cōt. G. c. 10.

tremiscunt, Iacobi 2. Etsi vera non pollerent fide, iactabantur fluctuanti animo, signum idcirco quærentes de Cœlo, in ipsa incredulitate anxij.

VERS. XIII. *At illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam*; &c.

9. Miratur Hieronymus, *quosdam Interpretes causas errorum inquirere singulorum; cum Turbæ sic errare potuerint & in Elia & in Ieremia, quomodo Herodes errauit in Ioanne*. Supra scilicet c. 14. *hic est Ioannes Baptista; ipse surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo*. Quidam enim N posuerunt transcorporationem. Credebant esse Ioannem; quia sicut Ioannes supra cap. 3. ita Dominus c. 4. intonuit, *pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum*: Eliam; propter potestatem sermonis, & virtutem prædicationis, Ecclesiastici 48. *surrexit Elias Propheta, quasi ignis; & verbum ipsius quasi facula ardebat*; & de Christo dicitur supra cap. 7. quòd *erat docens eos, sicut potestatem habens; & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi*: Ieremiam, & propter eminentiam vitæ; & quia cap. 40. honoratus erat Gentibus: sic Christus in reuerentia ab extraneis habebatur. Dic simili de causa, *aut vnum ex Prophetis*. Quamuis ergo ab aliquibus blasphemaretur, sic vt dicerent; *in Beelzebub Principe Dæmoniorum eycit Dæmones*; nihilominus aliqua istiusmodi de ipso opinio, omnium volitabat per ora; sic vt ad aures discipulorum suorum communiter peruenisset. Quamuis Ioan. 7. *nemo palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Quidam* tamen *dicebant; quia bonus est; alij autem dicebant; non, sed seducit turbas*. Quis autem crederetur, respondent discipuli.

N D.Th. hic.

VERS. XV. *Vos autem, quem me esse dicitis?*

10. *Verus venerator & pius cultor est*, inquit Sanctus Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate Domini, *qui nec de Incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum. Paris enim periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas. In vtraque enim natura, idem est Dei filius nostra suscipiens, & propria non amittens*. Subiungat Hilarius; *editis, quæ diuersæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant quærit: occultum enim erat de quo quærebatur, in quod se credentium fides debebat extendere*. Pulchrè considerat Chrysostomus; *quando Dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent: sed omnibus discipulis interrogatis, Petrus, tanquam os Apostolorum & caput, pro omnibus respondet*. Certè non absque alto mysterio silent cæteri omnes. Quod vehementer adstipulatur primatui Petri. Consentit autem mirè alius diuini eloquij contextus Act. 15. vbi, ipsemet Petrus *dixit ad eos: viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangely & credere*. Quomodo per os Petri *audire Gentes & credere?* Supra cap. 13. Paulus & Barnabas dixerant Iudæis: *ecce conuertimur ad Gentes*. Si Philippus priusquam alij, vt notat Angelicus, O prædicauit ijs qui erant extra ritum Iudæorum, scilicet Samaritanis; vt habetur Act. 8. *Philippus autem descendit in Ciuitatem Samariæ, & prædicabat illis Christum*; Si Paulus constanter habet 1. ad Timotheum 2. *positus sum ego Prædicator & Apostolus, (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide & veritate*: & sic 2. ad eundem Timoth. 1. *in quo positus sum ego Prædicator & Apostolus & Magister Gentium*. Si Roman. 11. dixit *quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*; vnde Angelicus, P specialiter Paulus in omnes Gentes Apostolatum acceperat, vt ei competere possit, quod dicitur Isaiæ 49. *parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: dedi te in lucem Gentium*. Præterea si ad Galat. 2. apertè legimus, *cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis*: & mox; *vt nos* (Barnabas & ipse) *in Gentes; ipsi autem* (Iacobus & Cephas, & Ioannes) *in circumcisionem*: quomodo Apostolus Petrus, vbi supra assumit, *per os meum audire Gentes verbum Euangelij & credere?* Et quod mirum est, ibi Act. 15. adfuisse deprehenditur, nedum Barnabam, qui nihil obiecit sed probauit; immo & Paulum, qui cum Barnaba venerat Ierosolymam: prænarrata per eos facta conuersione Gentium. Quid ergo sibi vult *per os meum audire Gentes & credere*; nisi constitutum à Deo esse, vt ipse Petrus os esset illud, & sic Successores eiusdem Petri in Cathedra; à quo vno tandem, oracula, quæ ad fidem pertinerent, acciperentur? Vt quamuis discipulis omnibus iniunctum sit Matthæi vltimo, *euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; Ioannis 15. *posui vos vt eatis*; Actor. 1. *eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*: nihilominus *per os* Petri dicantur omnes locuti. Et idcirco prout mihi videtur, non dixit *ab ore meo*, sed *per os meum*: non enim omnibus Gentibus prædicauit fidem Petrus, sed ipsius ob ore prædicatio probata est. Sicut Diuus Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* de Diuo Marco ait; *iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium: quod cum Petrus audisset; & probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit*. Et sic Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 2. cap. 13.

O Ioan. 21. l. 4. lit. c.

P Rom. 3. l. 4.

Verùm huiusmodi Petri primatum, vt profundiori effodiamus arcano, arduam primo aspectu quæstionem excitari necesse est: quomodo scilicet Petrus ibidem Actorum 15. assumpserit; *vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij & credere*. Non enim hoc *ab antiquis diebus*, sed nouissimè institutum esse videtur, sed nouissimis à diebus, iuxta quod Hebræor. 1. dicitur; *nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*: nec multi decurrerant dies à Petri vocatione: quando Ioannis 1. *intuitus eum Iesus dixit; tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*: nec anni fluxerant, vnde esset *à diebus antiquis*, postquam ei hic dixerat; *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: aut Lucæ 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: aut Ioan. 21. ter, *pasce agnos, pasce agnos, pasce oues meas*. Satiùs ergo, prout videtur, fuisset, diceret Petrus; *vos scitis quoniam Deus* &c. omisso ly *ab antiquis diebus*. Quòd si dicas, ab antiquis diebus credituras Gentes, fuisse prænunciatum, vt Apostolus Roman. 15. probat inductione auctoritatum; neque ex illis habetur, per os Petri, id futurum fuisse. Præterquam ibi subdit Paulus de se ipso; *vt sim minister Christi Iesu, in Gentibus sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta*. Et Ephes. 3. *mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare*. Quare non potius Petro, quàm Paulo adscribendum videtur, audituras Gentes *verbum Euangelij & credere*: immo, non magis his, quàm toti Apostolorum cœtui; quandoquidem, omnes mittendos, quemadmodum missi sunt, ad Gentes Scripturæ concinunt: potissimaque est Isaiæ vltimo; *mittam ex eis, qui saluati fuerint* (scilicet ex Iudæis) *ad Gentes* &c. *& annunciabunt gloriam meam Gentibus*, vt exponit Q Angelicus; quia Gentibus prædicauit, & Gentes adduxit R per Apostolos. 11.

Q l. p. 42. 1. R Io 10. l. 4. lit. c. & c. 11. l. 4. lit. b.

Fateor

Fateor ita futurum fuisse: & propter vnionem Capitis ad membra, æquè id de Christo Domino & de Apostolis dici: vnde Act. 13. Paulus & Barnabas ad Gentes ituri contestati sunt Iudæis in hæc verba: *ecce conuertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus: posui te* (Isaiæ 49.) *in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ*: & ideo specialiter hoc Sanctis Apostolis reuelauit Deus: sicut habet Paulus Ephes. 3. *alijs generationibus, non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis in spiritu; Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium*. Sed nihilominus iure ait Petrus *per os meum*; quia sicut Christo defertur Gentium salus tanquam Capiti, quamuis obtenta sit membrorum ministerio; vt patet allata ex Isaiæ 49. auctoritate; *dedi te in lucem Gentium*: ita tanquam vice-Capiti Petro omnium Apostolorum prædicatio adscribenda est: inde ait *per os meum*.

12. Quoniam autem hoc, quod assumimus, duo inuoluit; scilicet per os vnum duntaxat: & iterum per os Petri, Gentium, proinde totius Mundi fidem futuram fuisse: quod est monarchicum & regale futurum fuisse Ecclesiæ fidelis imperium, Petrumque in eo suffectum: operæ-pretium est vtrumque *ab antiquis diebus* præconizatum in Scripturis deprehendere. Quoad primum, nemini dubium esse potest, quin Christus Dominus monarchicum sit Ecclesiæ Caput, de quo psal. 2. *postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: & priùs *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*. Ezechielis 37. *Rex vnus erit omnibus imperans: Pastor vnus erit omnium eorum*: Ioann. 10. *erit vnum ouile & vnus Pastor*. Et priùs ipsemet Ezechiel cap. 34. *& suscitabo super eas Pastorem vnum*: atque adeo Doctorem; Ioelis 2. *lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit vobis Doctorem iustitiæ*: quod de Christo Domino S passim exponitur: de quo Ieremiæ 23. *regnabit Rex, & sapiens erit*. Hoc autem spirituale Christi Regnum sempiternum Scripturæ asseuerant; Isaiæ 9. *super solium Dauid, & super regnum eius sedebit*, &c. *amodò & vsque in sempiternum*: Danielis 7. *potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur; & Regnum eius, quod non corrumpetur*. Lucæ 1. *& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius; & regnabit in Domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*: quod mutuatis vocibus ab Archangelo canit Ecclesia; *cuius Regni non erit finis*. Cùm ergo ipse in Mundo hoc visibili terreno perpetuò apud nos visibilis permansurus non esset; dicente Petro in Actis cap. 3. *quem oportet Cœlum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus* &c. cur plures, non potius vnum sui Regiminis Doctrinæque Vicarium substitueret? per quem videlicet in sempiternum in terris etiam, quousque duraturum est sæculum, regnaret. Quia ergo in Scripturis perenne huiusmodi Christi Regnum in se & in suffecto sibi, non semel præcinitur: ideo Petrus ait *ab antiquis diebus*. Ad hæc allegat Angelicus Osee 1. *congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi Caput vnum*.

S 3. p. 9. 4. 1. 3. sent. 12. 3. 2. Matth. 21. Ioa. 1. l. 1. & 6. l. 5.

13. Hanc autem ex Capite vnitatem videtur singulare ipsum nomen *os* importare. Quod etiam cum de pluribus agitur, ad consensum significandum, aliàs studiosè quidem exprimi legimus: vnde Lucæ 1. *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*: Act. 3. *quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum*: & iterum, *quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à sæculo Prophetarum*; vt intelligantur Prophetiæ instar illorum Cantici, qui Danielis 3. *quasi ex vno ore, laudabant & glorificabant & benedicebant in fornace Deum*; vt sic præsignaretur vnitas fidei. Si quis autem dicat (verba sunt Diui Thomæ T) quòd vnum Caput & vnus Pastor est Christus, qui est vnus vnius Ecclesiæ sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quòd omnia Ecclesiastica Sacramenta, ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cuius virtute corpus eius in Altari consecratur: & tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus, præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, vt supra dictum est: eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit vt alicui committeret, quòd loco sui vniuersalis Ecclesiæ gereret curam. Pergit Angelicus: non potest autem dici, quòd etsi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios non deriuatur: manifestum est enim, quòd Christus Ecclesiam sic instituit, vt esset vsque ad finem Sæculi duratura; secundùm illud Isaiæ 9. *super solium Dauid & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodò & vsque in sempiternum*. Manifestum est igitur, quòd ita illos, qui tunc erant, in ministerio constituit, vt eorum potestas deriuaretur ad posteros, pro vtilitate Ecclesiæ vsque ad finem sæculi: præsertim cum ipse dicat Matthæi vltimo: *ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*. Addo aliunde constare, Ecclesiæ suæ in futurum aliàs prouidisse; dum palam Ioann. 17. dicit; *non pro eis autem rogo tantùm; sed pro & eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Rationem autem horum præ alijs posuerat ante dicens; quia ad vnitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conueniant; circa verò ea, quæ sunt fidei, contingit quæstiones moueri: per diuersitatem autem sententiarum diuideretur Ecclesia, nisi in vnitate per vnius sententiam conseruaretur: exigitur ergo ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam, quòd sit vnus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessarijs non defecit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit: cùm & de Synagoga dicatur per Dominum; *quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Isaiæ 5. non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi vnus toti Ecclesiæ præsit. Hanc eandem rationem ponit quærens; *an ad summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare?* Quia scilicet V vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. ad Corinthios 1. *idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: quod seruari non potest, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest; vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio symboli: sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi: quia vt ait q. 11. authoritas vniuersalis Ecclesię principaliter residet in Summo Pontifice: ad quem maiores & difficiliores Ecclesiæ Quæstiones referuntur, vt ex Decret. dixerat quæst. 1. *Per os* ergo, non *per ora*.

T 4 cont. Gent. c. 76.

V 2. 2. q. 1. 10. & q. 11. 2. 3.

Quoad secundùm: scilicet Petro reliquisse Dominum huiusmodi auctoritatem, probat Angelicus; quia Petro ante passionem dictum est Lucæ 22. *& tu aliquando* X *conuersus confirma fratres tuos*: addit ibi contra Gentes, ante Ascensionem dictum ei, *pasce oues meas*, Ioannis vltimo; & Petro soli hic *tibi dabo claues Regni Cælorum*; vt ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Dicitur quippe 14.

X loc. cit. & 4. cont. Gent.

A 2. 2. 11. 2. 3. pe 24. Quæst. 1. cap. *quotiescumque*; *A quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & coepiscopos, nonnisi ad Petrum, idest ad sui Nominis auctoritatem referri debere*. Hinc Hieronymus ad Damasum Papam: *hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia: in qua si minùs peritè aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur; quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit*. Iam ergo mi lector vides, nedum *per os*, sed *per os meum* benè dixisse Petrum *elegit Deus* audire Gentes Euangelium & credere. Idcirco puto speciatim hoc prænotari nomine in Actis, dum loquitur: vt præfato loco cap. 15. *surgens Petrus dixit*. Vnde signanter Actorum 10. dictum est Cornelio; *accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere*: expende illud demonstratiuum *hic*. Quod certè primatui adstipulatur. Et vt emicet clarè non perperam nuncupari *Petrum*, dum de verbo Euangelij audiendo à Gentibus facta est mentio: Iacobus paulo post de quæstione disserens vocat eum *Simonem*. Cùm de ipso alij loquuntur, fas est primo vocari nomine *Simon*: cum ipse de rebus fidem concernentibus verba facit *Petrus* est: signanter sic nuncupatus à Domino paulo post: *& ego dico tibi, quia tu es Petrus*; prout pollicitus ei fuerat, Ioan. 1. *tu vocaberis Cephas*; *quod interpretatur, Petrus*. Benè ergo ait *per os meum*: sicut Rex operatur per Baliuum: (exemplum est Diui Thomæ exponentis B vim præpositionis huius
B 1. p. 36. 3. *per*) *Baliuus* idem est ac *Præses*. Sed adhuc *ab antiquis diebus*: quoniam *ab antiquis diebus* Christus dictus est Petra: 1. Corinth. 10. *petra autem erat Christus*. Et etiam quomodo *ab antiquis diebus* electus sit à Deo, mox dicit in Actis Iacobus, subdens, *huic concordant voces Prophetarum*. Quod in ordine ad Ecclesiam dictum est de Christo, *ab antiquis diebus*, æquè de membris præcipuèque de Apostolis, & de Petro etiam pressius accipiendum est. Sic Augustinus super psal. 86. *fundamenta eius in montibus sanctis. Quare sunt Apostoli, nedum fundamenta sed portæ? quia per ipsos intramus ad Regnum Dei; & cùm per ipsos intramus, per Christum intramus: ipse est enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Ierusalem: & vna porta Christus, & duodecim portæ Christus*. Ecce quomodo, quod *ab antiquis diebus* prædictum est de Christo, ad se potuit & debuit quoque referre Petrus; dicens *per os meum*. Non absimiliter Ieremiæ 15. *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*. Et ita supra cap. 3. dictus est Baptista vox Christi; *ego vox clamantis*: vbi Origenes; *dicit autem Ioannes se esse vocem, non clamantem, sed clamantis; eius scilicet, qui stabat, & clamabat; si quis sitit, veniat ad me, & bibat*. Claudo cum Angelico: per hoc
C 4. cont. G. c. 76. autem excluditur C quorundam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri: Successorem eius Romanum Pontificem, vniuersalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes.

VERSV eodem XVI. *Tu es Christus filius Dei viui*.

Ioannis 1. fertur *Messiam* interpretari *Christum*.
15. Græcè quippe *Christòs*, latinè *vnctus* dicitur, hebraicè *Messiach*, à radice *Massach*, quod est *vnxit*.
D Ioa. 1. l. 15. lit. g. & hic. Hoc totum D habes in Angelico. Inunguntur autem Reges & Sacerdotes & Prophetæ vt diximus c. 1. ibi *liber generationis Iesu Christi*. Expectabatur verò Messias Rex, Ieremiæ cap. 23. *regnabit Rex*, promiscuè ab Iudæis. Sed Petrus, non materiali vnctione vnctum fatetur, sed *oleo lætitiæ* prout in psal. 44. propter plenitudinem Spiritus-Sancti: & inuisibili vnctione: (doctrina passim E Angelici) & ita E 3. p. 72. a. 2. & 3.
præ alijs participibus suis; quia non ad mensuram Ioan. 3. Patet autem, sic altè locutum Petrum; quoniam Act. 10. dixit, *Iesum à Nazareth; quomodo, vnxit eum Deus Spiritu-Sancto & virtute*; iuxta quod cap. 3. *leuauerunt vocem, & dixerunt; conuenerunt aduersùs sanctum puerum Iesum, quem vnxisti*. Et Isaiæ 61. *spiritus Domini super me, eoquòd vnxerit me*. Denique quia nedum dixit; *tu es Christus*, sed adiecit *filius Dei viui*. In qua vnctione subinde intelligitur vnio Diuinitatis ad humanitatem; F aliqui enim dicuntur vncti; sed non ita F Titi 2. l. 3.
quòd habeant essentiam Diuinitatis vnitam; sed quia participant eius aliquid: sed Christo est vnita Diuinitas; psal. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus*. Est autem animaduertendum, non dici posse Verbum Dei vnctum Spiritu-Sancto; quia sic G Spiritus-Sanctus G 4. cont. G. 34. & 22. & hic.
esset maior Filio, vt sanctificans sanctificato. Refertur igitur vnctio ad humanitatem: & sic exponit etiam illud Isaiæ 67. *eoquòd vnxerit me*, H scilicet H Ioa. 1. l. 6. lit. d.
hominem. Hinc in Serm. in Cathedra Sancti Petri fert Damascenum dicentem: *vnctionem ad humanitatem pertinere, nemo qui sanè sapiat, dubitat. Ipse enim in quantùm homo vnctus est oleo spiritus*. Hunc ergo vnctum, secundùm quòd homo est, fatetur Petrus Dei viui filium. Et alta responsione confutat insurrecturas hæreses Nestorij & Fotini. Ambo isti, vt fert Angelicus in calce illius capitis *contra Gentes*, hominem Christum, asserebant Deum dici propter inhabitationem Dei in illo per gratiam, maiori tamen plenitudine quàm in alijs Sanctis. Circa generationem æternam dissentiebant è regione, quia Nestorius eam confitebatur, Fotinus eam negabat omnino. Confutat ergo vtrumque Petri responsio: si profundè intelligatur. Si enim dixisset solummodo, *tu es Christus*: posset credi filius, vt illi somniarunt per adoptionem, ex gratia scilicet sanctificante, secundùm quod Ioannis 1. c. 2. *vos vnctionem habetis*: (idest gratiam I Spiritus- I 1. Ioa. 2.
Sancti: per quam L adoptamur in filios Roman. 8. L p. p. 41. 3.
spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.) de qua, Ecclesiæ Sequentia & hymnus; *tu spiritalis vnctio*: & iterum *infunde vnctionem tuam clemens nostris mentibus*: sed non hoc fuit contentus dixisse, sed addidit, *filius Dei viui*: quod superfluè adiectum esset, si de adoptiua filiatione acciperetur, quæ ex gratiæ vnctione ab hominibus habetur. Item si solummodo dixisset, *tu es filius Dei*, & etiam *Dei viui*, posset extorqueri, vt de filiatione adoptiua fieret sensus; sicut ad Roman. 9. fertur; *ibi vocabuntur filij Dei viui*: & Ioannes in prima cap. 3. *videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus*. Sed hoc posset satis præhaberi in eo quòd *Christus*, siue in eo quòd *vnctus*. Vnde claret, quòd dum vtrumque dixit, & *Christum*, & *filium Dei viui*, inhabitantem quidem gratiam in eo quòd *Christum* dixit, confessus est; sed vlterius addens, *filius Dei viui*, docuit in ipso *inhabitare etiam omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter*, vt ait Apostolus Coloss. 2. Quam auctoritatem violenter trahit ad suum errorem Nestorius. Habitabilis dicitur enim Christus, non quasi alius sit qui habitat, M & qui inhabita- M Colos. 2. l. 2.
tur: sed ipse est & homo & Deus, in quo habitat plenitudo Diuinitatis. Quocirca considerat N quo- N 3. p. 2. 10. ad 2.
niam gratia habitualis est solùm in anima; sed gratia, idest gratuitum Dei donum, quod est vniri diuinæ personæ, pertinet ad totam naturam humanam, quæ componitur ex anima & corpore: & per hunc modum dicitur, *omnis plenitudo Diuinitatis in Christo corporaliter habitasse*, quia est vnita diuina

uinæ natura non solùm animæ, sed etiam corpori.
O 3. p. 2. 6. Hinc sexta Synodus sic habet; O *Sancta Ecclesia vtriusque perfidiæ*, (Eutychetis & Nestorij) *impietatem reijciens, vnionem Verbi Dei ad carnem, secundùm compositionem confitetur, quæ est secundùm subsistentiam*. Et in Ephesina Synodo fertur auctoritas Felicis Papæ & Martyris; *credimus in Dominum nostrum Iesum Christum, de Virgine Maria natum; quia ipse est Dei sempiternus filius & Verbum: & non homo à Deo assumptus, vt alter sit, præter illum; neque enim hominem assumpsit Dei filius, vt alter sit præter ipsum* P.

P 3. p. 4. 3. in sed contra.
16. Et ecce mirè sic pronunciasse Petrum; *tu es Christus; & tu ipse, filius Dei viui*. Quam ad idem expressionem notat Angelicus Q in Apostolo ad Philipp. 2. dicente; *hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*: statimque de ipsomet; *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*. Vbi & obseruat nunquam ante incarnationem Domini, quemquam in Scriptura nominari Christum (sæpè quidem Rex olim etiam dicebatur Christus.) Deum aut Dei Verbum: multo minus, *æqualem Deo*. Dicamus itaque cum Diuo Ioanne in ea prima c. 2. *Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, & Patrem habet*. Per Apostolum Petrum edocta Ecclesia, quotidie in Prima canit; *Iesu Christe fili Dei viui*. Quæ particula *viui*, quamuis rectè exponatur aduersùs Gentiles, ex Hieronymo, qui quosdam homines mortuos dicebant Deos; vt Iouem, &c. aliaque inanimata, vt *ignem, nimiam aquam, Solem*, &c. Sapientiæ 13. Nihilominus mihi arrideat, idcirco appositam esse, vt veram generationem filij Dei confirmet. Propriè namque generatio (doctrina R apud Angelicum) in viuentibus est, significatque originem alicuius viuentis à principio viuente coniuncto; & hæc propriè dicitur natiuitas. Processio autem Verbi in diuinis talis est, vt fit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, &c. Obseruo autem, cùm in Scriptura dicimur & nos *filij Dei viui* vt ad Rom. 9. præmissum esse *vocari; vocabuntur*; neque enim esse Dei viui recipimus: cum autem Scriptura vt primæ Ioan. 2. nos esse, nedum vocari, affirmat, *vt filij Dei nominemur & simus*; abstinet ab ea particula *viui*; quia Dei viui esse filium, Christi solius est. Nos, si Dei esse perhibemur filij, non ita Dei viui: si autem etiam *Dei viui* exprimamur filij, vt in Osee c. 1. & Rom. inde 9. non tam *esse* quàm nuncupari legimus. Osee quippe ait; *dicetur ei; filij Dei viuentis*; & ad Romanos; *ibi vocabuntur filij Dei*. Vt semper adoptiua intelligatur nostra filiatio; Ephes. 1. *in adoptionem filiorum*, qui fiunt *conformes*, Rom. 8. *imaginis filij sui; vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: quia filius Dei voluit

S Rom. 8. 1.6. S conformitatem suæ filiationis alijs communicare; vt non solùm sit ipse filius, sed etiam primogenitus filiorum. Et sic qui per generationem æternam est Vnigenitus; Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*; secundùm collationem gratiæ, fit *primogenitus in multis fratribus*. Habet Christus enim nos fratres, quia nobis similitudinem filiationis communicauit: participando ius hæreditatis, (*si filij & hæredes*) itemque suum splendorem; ipse enim est genitus à Patre tanquam *splendor gloriæ*; Hebræor. 1. Vnde per hoc quòd Sanctos illuminat, de lumine sapientiæ & gratiæ, facit eos fieri conformes sibi.

VERS. XVII. *Beatus es Simon Bar-Iona*.

17. *Bar-Iona* ex Hieronymo, in lingua nostra sonat, *filius columbæ*. Alij ex eodem volunt, scriptorum vitio, vnam excidisse syllabam; sic vt prius legeretur *Bar-Ioanna*, iuxta alterius loci interrogationem (Io. vlt.) *Simon Ioannis diligis me plus his*? Sicut autem columba significat Spiritum-Sanctum; (Lucæ 3. *descendit Spiritus-Sanctus, sicut columba in ipsum*. Quod notat etiam Angelicus T) ita *Ioanna*, quod interpretatur *gratia*, donum significat Spiritus-Sancti. Consequenter dicitur, indicari hanc confessionem esse non potuisse nisi à Spiritu-Sancto. Quod certè verissimum est. Sed quoniam mox Patri suo qui *in Cælis est* eam adscribit Dominus: *caro & sanguis non reuelauit tibi*, placet dictum huiusmodi doctrinaliter accipi; vt sit in confirmationem filiationis Christi Domini, non adoptiuæ sed naturalis consubstantialisque Patri; à qua deriuatur adoptio nostra. Ac si diceret; Benè confessus es me filium Dei viui: ex quo tibi *Bar-Iona* esse, filium columbæ, aut *Bar-Ioanna*, filium per gratiam communicatum est. Ex hoc quippe liquet me naturalem filium Dei esse; quia secus, me tu quoque prædixisses filium columbæ. Quod planè constat; quia adoptio V fit per Spiritum-Sanctum iustificantem animam: & ita Apostolus ibidem; *accepistis Spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus; Abba Pater*. Chrysostomus aliter deducit; *vt ita naturaliter sit Christus filius Dei; sicut Petrus filius Ioanna; eiusdem substantiæ cum eo, qui genuit*. Mirabitur autem quis; cur dixerit eum *felicem*, seu *Beatum*, quod idem est: cum Marthæ, quæ ita etiam effata est, Ioann. 11. *vtique Domine; ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc Mundum venisti*; non hanc prænunciarit beatitudinem. Sed facilis est responsio, si, vt innuimus, dicamus, hic ad nostram doctrinam eloqui Dominum. Filiatio ergo adoptiua plenius enucleatur; vt fidelis capiat, dici filios adoptiuos, (ita ex Angelico X) secundùm quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum; Rom. 8. *si filij & hæredes*. Vbi secundùm similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident, (consummata dic filiatione) *gloriamur* ait Rom. 5. *in spe gloriæ filiorum Dei*. De qua & Roman. 8. *& ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes*; quoniam A adoptio hic inchoata per Spiritum-Sanctum, consummabitur per ipsius corporis glorificationem: *redemptionem corporis nostri*; vt sicut spiritus noster redemptus est à peccato, ita corpus nostrum redimatur à corruptione & morte. An non ergo, mi lector, altè dictum esse à Domino *Beatus es*, deprehendis, quando ad felicitatis seu beatitudinis possessum iure gratiæ per adoptionem vocati sumus? Et quia de glorificatione ait Augustinus; *nunc in spe est, in re autem futura est*: ideo Petro dicit; *Beatus es*. Nam & de spe adnectit ibi Apostolus post præmissam adoptionis filiationem; *spe enim* inquit, *salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes*. Vbi Angelicus; quia spes ex fide quodammodo oritur, attribuit spei opus illud, quod est fidei; scilicet esse de non visis. Sic dum de fidei confessione commendatur Simon, quod obedientem sonat; (Apostolus Rom. 1. *ad obediendum fidei*) appositè de obiecto spei fit mentio: *Beatus es Simon*: vt vno verbo colligatur quod Hebræorum 11. *fides est substantia sperandarum rerum*: Aiebat aliàs Augustinus; *felix qui te nouit, etsi alia non nouit: infelix qui te non nouit, quamuis cætera nouit*.

T D.Th. hic.
V Ro 8. l. 5.
X p. p. 33. 3.
A Rom. 8. l. 5.

VERS. eodem XVII. *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi*.

Caro & sanguis pluries in Scriptura exprimitur, 18.
multiplicemque potest habere sensum. Quandoque quidem, vt sonet vitia carnis & sanguinis, vitiaque carnalia; Gal. 5. *caro concupiscit aduersùs spiritum*; & 1. Cor. 15. *caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt*: Ita B Angelicus. Hoc pacto hic non accipitur: quanquam Scriptorum vitio ad Hebræos 2. l. 4.

B Gal. 5. l. 4. & Hebr. 2. l. 4.

l. 4. posita sit hæc Matthæi auctoritas, seu transposita, loco illius ad Corinthios; quoad carnis concupiscentiam. Quandoque caro & sanguis sonant corpus & animam; C non quòd anima sit ipse sanguis, (C Hebr. 2. l. 4.) sed quia non conseruatur in corpore sine sanguine. Et quia Christo inest caro & anima; dicitur Hebr. 2. *quia pueri communicauerunt carni & sanguini; & ipse similiter participauit eisdem*. Hunc sensum patitur textus præsens. Vnde Hilarius de Petro; *non id quod ex carne & sanguine erat contuens*. Et Hieronymus videtur probare dicens, *quod caro & sanguis reuelare non poterat*. Ex quibus, velim, posse verbo vno exprimi dicendo, *humanitas non reuelauit tibi*: neque enim vi humanitatis Christi, quæ *caro & sanguis est*; siue corpus & anima, potuit ipsius agnosci Diuinitas. Et iterum *caro & sanguis*, idest, vi tuæ humanitatis *Simon Bar-Ioanna*, seu *Simon Ioannis*, hanc non es adeptus notitiam; quia nec corporeorum seu carnalium sensuum exterius exploratione; nec interius, (quemadmodum sanguis interius latet) vi facultatis alicuius interioris, ab anima, quæ dicitur esse in sanguine, tam altum auspicari potuisses volatum, vt me filium Dei viui contestareris. Aliàs scitur ex Philosopho in lib. de somno & vigilia c. 3. vbi assignat causam apparitionis somniorum, in spiritibus sensibilibus permanere impressiones sensibilium obiectorum, & nonnisi descendente sanguine ad principium sensitiuum, descendere & impressiones in spiritibus; qui quidem, vt aiunt, defæcatissima sunt sanguinis substantia. Benè ergo ad significandam vim interioris cognitionis, accipi potest, vt dicatur nedum *caro* sed & *sanguis*. Sic quippe Angeli boni vel mali D possunt mouere (D p. p. 111. 3.) hominis imaginationem. Denique non absonum fuerit; (Quod innuit hic Sanctus Doctor) vt omne intendat Dominus secludere humanum studium? quod cum duplex esse contingat, siue per inuentionem, siue per disciplinam Maiorum; nec *caro*, hoc est, carnalium sensuum vestigatio; nec *sanguis*, hoc est, nec Patrum carnalium documenta potuerunt tibi reuelare. Progenitores, in sanguine, (vnde & consanguineus est aliquis) intelligi possunt; Ioan. 1. *qui non ex sanguinibus*: & Profanus; *sate sanguine Diuum*. Et ita dum ait Apostolus Gal. 1. *continuò non acquieui carni & sanguini*, exponitur E de carnali affectu & amore ad sibi carnaliter coniunctos. (E Gal. 1. 14.) Quem quid in affectum omnino exuisse Petrum, nulla dubitatio est; quando veræ fidei perceptionem poterat præpedire. Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem, & vxorem*, &c. *non potest meus esse discipulus*.

18. Sed adhuc si hanc Domini teramus sententiam, est quod miremur. Cur scilicet locuturus de carne & sanguine vsus fuerit verbo eo reuelauit? Potius videretur illi fuisse dicendum: *caro & sanguis non obumbrauit, non obnubilauit, non alienauit*. Quicquid etiam attentis carne & sanguine attingimus, non congruè dicitur nobis *reuelari*, benè verò *cognosci*. Potius ergo iungendum fuerat ly *reuelauit*, hemistichio sequenti, *sed Pater meus*: vt diceretur *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non te intra naturæ limites detinuit: sed Pater meus tibi reuelauit*. Vel saltem; *caro & sanguis non potuit reuelare* vt periphrasi ait Hieronymus. Reuera enim nedum non reuelat, sed nec potest reuelare. Nihilominus diuinæ sapientiæ ab ore deriuata isthæc propositio alto duplici sensu enunciata est. In primis, non satis fuisset dicere *Pater meus, qui in Cœlis est, reuelauit tibi*, ad notandum quæ & qualis esset veritas reuelata. Quandoque enim Deus miraculosè, (doctrina est Angelici F) per suam (F p. 2. 109. 1.) gratiam aliquos instruit, de his, quæ per naturalem rationem cognosci possunt; sicut & quandoque miraculosè facit quædam, quæ natura facere potest. Dic ergo: vt innotesceret reuelationem Simoni factam, esse de supernaturali arcano, nimirum de mysterio Trinitatis, consubstantialitatisque Filij, ideò præoccupasse, negando, vim omnem naturæ quicquam præstitisse; *caro*, inquit, *& sanguis, non reuelauit tibi*: vim etenim nullam habet, nec insitum aliquod principium, vnde ad tam sublimem supernaturalem fidei cognitionem queat extolli. Ad ea quippe, quæ non excedunt naturam, caro & sanguis quodammodo adniti possunt; quia vel habitus, qui innatus est primorum principiorum aliquantò inclinat; & *omnis homo* (in principio Metaph.) *natura scire desiderat*: in ijs autem quæ pertinent ad fidem; *nemo potest dicere Dominus Iesus; nisi in Spiritu-Sancto*: vt ibi G Angelicus: quod ait Apostolus 1. Cor. 12. (G loc. cit. ad 1.) Cæterùm vltra huiusmodi causam alia excogitari subtiliter, conuenienter attamen potest, cur sic negatiuè præmissum sit, *caro & sanguis non reuelauit tibi*: tam alta enim, tam sublimis, tam ineffabilis ex parte obiecti reuelati est reuelatio, vt ne positiuè quidem enunciari possit: sed solummodo non esse reuelationem carnis & sanguinis. Ad hæc quod ait Damascenus apud Angelicum H *oportet singulum eorum, quæ de Deo dicuntur, non quod est secundùm substantiam significare, sed quid non non est, ostenderi*. (H p. p. 13. 2. 1.) Item ex Dionysio 2. cap. cœlestis Hierarchiæ; *negationes* I *de Deo sunt veræ; affirmationes verò incompactæ*, seu secundum aliam (I p. p. 13. 12. 1.) translationem, *inconuenienter*. De superioribus quippe rebus in scientijs, maximè tractatur L per (L p. p. 88. 2. 2.) viam remotionis. Sic enim corpora cœlestia notificat Aristoteles per negationem proprietatum inferiorum corporum. Sic dicas tu in præsenti. *Caro & sanguis non reuelauit*. Vt sublimissima ex hac negatione & remotione, intelligatur esse reuelatio.

Est quidem figura quæ dicitur græcè *lyptote*, seu *litotes*, cùm minus dicitur, & plus intelligitur, vt 19. Georg. 2. *nec mihi displiceat*, idest *valde placeat*: quæ certè alias in Scripturis deprehenditur; vt cùm Sap. 8. de sapientia legitur; *non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius*: & Ecclesiastes 12. *antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas; non mihi placent*. Neque enim tam diminutè de dulcedine sapientiæ, & de grauamine senectutis oblitæ Deum, nisi tropo fuerat loquendum. Sed vbi hyperbole non sufficit rei magnitudini, ad attenuationem confugitur. Sic, *caro & sanguis non reuelauit, sed Pater meus, qui in Cœlis est*. Subticet quodammodo, nec exprimit quid egerit Pater, soloque relatu ad præmissa intelligitur reuelasse: sed adeo mentem obruit vix insinuatum mysterium, quòd *Dei viui sit filius*, vt reuelationis plenæ sustinendæ impotens humana in terris capacitas censeatur: & propterea, quo id innotescat negationem potius profert; *caro & sanguis non reuelauit tibi*. Sicut non absimiliter dixit Apostolus 2. Corinth. 12. *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Tunc attamen positiuè dici poterit mysterium Sanctæ Triadis reuelari; cum non sublucido lumine fidei, sed clara videbitur visione, 1. Corinth. 13. *facie ad faciem: nunc videmus per speculum in ænigmate*. Quoniam verò de arcano Sanctissimæ Trinitatis mysterio edoctus fuerat, confessionemque fecerat Petrus, dicendo; *tu es Christus filius Dei viui*: nam Spiritus-Sanctus cùm sit Amor M Patris & Filij subintelligitur: ne de hoc posset dubitari, mox Dominus de Spiritu-Sancto mentionem fecit; dicens *Bar Iona*; hoc est *filius columbæ*. (M ferè in omnium Epist. Pauli c. 1. l. 1.) Et hoc etiam, vt & ipsi Spiritui-Sancto tribueretur reuelatio; quæ nedum Patris est, nedum Filij, (supra 11. *neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reue-*

reuelare) sed ipsiusmet Spiritus-Sancti; secundùm illud Hymni: *per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium, Te vtriusque Spiritum credamus omni tempore*. Opera quippe Diuinitatis ad extra indiuisa sunt. Quia verò adhuc ait Augustinus, fer-
N Io. 14. 16. lu. c. turque Ioan. 14. N in Trinitate est personarum distinctio, & essentiæ vnitas: ideoque aliquando fit mentio de tribus Personis ad insinuandam distinctionem personarum; aliquando autem de duabus tantum ad insinuandum essentiæ vnitatem: ecce hoc ipsum compleri; nam Petrus nihil de Spiritu-Sancto dixit; mox autem Dominus subijcit: quia ad capessendum fide plena mysterium, iam fuerat eleuatus.

VERS. XVIII. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*; &c.

20. Apud Ioannem c. 1. *intuitus Simonem Iesus dixit; tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*. Augustinus arbitratus est, tunc accepisse nomen hoc; non verò in præsenti. Alcuinus è contra; tunc præsignatum, nunc verò ei impositum. Vtramque commemorat opinio-
O D.Th. hic & Io. 3. l. 15. nem Angelicus; O & neutram præeligit. Nihilominus ipse propendeo hic cœpisse ob impositionem ei factam appellari: ibi enim futurum esse denunciat, vt Petrus appelletur: *vocaberis*. Et præterea hic inquit, *& ego dico tibi*: quod pronomen *ego* maiorem
P 3. p. 66. 3. 1. expressionem intentionis importat: idcirco licet P non sit de substantia formæ in baptismo, à nobis dicitur. *Ego te baptizo*. Græcè & latinè *Petrus*, Syriacè *Cephas*; ait Beda. Angelicus pergit dicens Q
Q Ioan. loc. cit. *Cephas* græcè *Caput*: congruereque mysterio, vt ille qui debebat esse aliorũ caput & Christi Vicarius, firmitati inhæreret. Albertus Pighius in sua Apologia aduersus Martini Buceri calumnias, circa sui aurei libelli medium; *Ipsum*, inquit, *Cepham appellauit: quod latinè saxum quoddam ingens, ingentem petram, rupem, aut scopulum dixeris, immenso alicui ferendo ædificio idoneum. Vnde & Iosephus in sua Ierosolymitani belli historia, scopulosum quendam collem, vnde Ierosolyma liberè conspicua etiam grauiter vrgebatur ab obsidentibus Romanis, Cepham dicit fuisse appellatum*. In hoc nomine vt sa-
R opusc. 20. lib. 3. c. 10. & hic. cri exponunt Doctores, R sicut Hilarius & Augustinus; Dominus potentiam Petri insinuauit; quia à petra, quæ est Christus, vt dicit Apostolus, cuius confessionem Petrus præmiserat, Petrus est appellatus; vt secundùm quandam etiam participationem, nomen acquirat & potestatem. Quare autem *Cephas* à Domino dictus sit Simon, Syriaco idiomate; & non potiùs hebraico nomine *petræ* immediatè ipsum donauerit, curiosè indagari haud illiceat; non est enim credibile vacare mysterio: præsertim cùm *tzhur* hebraicè significet saxum, silicem, & lapidem fortem: & similiter *selang* sonet petram, saxum, & aliquando vt scribunt linguæ professores capiatur pro *fortalitio*. Cum ergo non deesset vox hebraica, cur ad Syriacam flexit Dominus? Lego in Ferdinando de Escalante in suo Clypeo Concionatorum lib. 5. c. 25. compertum esse, in captiuitate Babylonica Iudæos sensim mistim chaldaicè locutos: & laxata captiuitate, & in Patriam dimissis, hebraicum eorum idioma in syriacum degenerasse: solùmque incorruptus restabat hebraismus in lege, Prophetis, & alijs sacris libris, qui in eorum canone collocantur. Plura Euangeliorum nouique Testamenti loca ab vngue probare id videntur: Matthæi 6. *Mammona* cap. 27. *Golgota*, seu potius *Gulgoltha* vt habent vetusta Exemplaria latina, secundum Matthæum cap. 27. vt eruditiores ferunt, & *sabacthani*: Marci 5. *Talitha*; Act. 1. *Aceldema*: 1. Cor. vltimo, *Abba*: quæ omnia sunt vocabula syriaca. Quare Cornelius Iansenius c. 23. *Concordiæ* his conuictus ait; ex plerisque Euangelij locis colligi, Dominum Iesum Christum plebeijs locutum fuisse non purè hebraica, sed syriaca lingua, qua tunc Iudæi vt vernacula vtebantur: viris autem doctis linguam purè hebraicam retinentibus, hebraicè. Sed datis his, quæ coniiciunt rationabiliter, gratis: hæc vox *Cephas* specialiter vsurpata est à Domino alloquente Simonem; cum prius *intuitus* esset eum, quod ait Ioannes: vnde alto certè considerationis iudicio. Dicamus ergo, symbolicam ad græcum vocabulum *Cephalæon*, quod caput significat, voluisse capere vocem, vt Ecclesiæ suæ Caput futurum esse doceret: itaque ait
Angelicus S in græco *Caput*. Et in opusculo T S Io. 1. l. 15.
beatus Petrus, inquit, dictus est *vertex*. Dic tan- T Opusc.
quam Vicarius eius, Ephes. 4. *qui est Caput Christus*; 6. §. 12.
ex quo totum corpus connexum, & compactum per omnem iuncturam &c. Sed adhuc, cùm apud Lauretum in Sylua, *Syria* hebraicè *Aram*, ex Sanctis Patribus Gentilitatem soleat significare: conueniens fuit, vt Ecclesiæ potissimum ex Gentibus, extranea voce designaretur Simon futurus Caput. Quare non probo quod ait Iansenius, vulgò consueuisse Dominum loqui syriaca lingua: nec ignotam vulgo fuisse tunc hebraicam: sed quia omnium linguarum noti- V 3. p. 7.
tiam habuit, vt declarat V Angelicus, sibi compla- 7. 3.
cuit ad referenda fidei arcana, quandoque extraneis vocibus vti. Quanquam quia hebræis etiam transierant in vsum, syriacæ voces dicantur hebraicæ Ioan. 19. *hebraicè autem*, inquit, *Golgotha*; etiam à primæua radice *Galal*. Et ideo nihil prohibet ad græcam significationem quoque referri posse ly *Cephas*: quamuis certius ex Syriaca interpretandum sit; *Petrus ex petra*.

VERS. eodem. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

Hic exclamat Hilarius: *O in nuncupatione noui* 21.
nominis, felix Ecclesiæ fundamentum! dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. Et Augustinus serm. 28. de Sanctis; *dignus certè qui ædificandis in Domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentandum*. Eget nihilominus litera, vt pro quo supponat ly *hanc petram* perscrutemur. Augustinus in lib. retract. sic habet: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra ædificata est Ecclesia: sed scio postea sæpissimè sic exposuisse, vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus: ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur. Non enim dictum est illi; tu es petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus est Simon, sicut & tota Ecclesia confitetur. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector*. Ipse video
certè, quod & distinguit Angelicus, X Christum X hic &
esse per se & principale Ecclesiæ fundamentum; op. 6. §. 12.
iuxta illud 1. Corinth. 3. *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*. Secundum fundamentum per Christi concessionem sunt Apostoli: Ephes. 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*: Et Apoc. 21. recoluntur *muri Ciuitatis fundamenta duodecim; & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni*: indeque dicitur Ecclesia
Apostolica. Sed addo ex eodem Angelico A referri A opusc.
quoque ad Apostolorum doctrinam fierique conspi- cit.
cuè sensum, *super hanc petram*, scilicet B confes- B 2. 2.
sionis tuæ, ædificabo Ecclesiam meam: super reuela- 174. 8.
tione enim facta Apostolis de fide vnitatis & Trinitatis fundatur tota fides Ecclesiæ. Et sic in secreta: *quos in Apostolicæ confessionis Petra solidasti*. Syntaxis & Harmonia Petro, vt dicemus, specialiùs patrocinatur. Adde ex Augustino Tom. 2. Epist. 50.

Ec-

Ecclesia Christi non litigiosis opinionibus figitur, sed diuinis attestationibus comprobatur. Denique ex opusc. 20. c. 10. In hoc nomine, *tu es Petrus*, exponunt Doctores, sicut Hilarius & Augustinus, insinuari Petri potentiam; quia à petra quæ Christus est, appellatus, & nominis & potestatis est factus particeps. Ex Leone Papa; Petrus, & ipse Petra de Petra Christo soliditatem accepit, quam in suos quoque transfundit hæredes.

VERSV eodem; *Et portæ Inferi non præualebunt aduersus eam.*

22. Multifariam exponitur. Portæ Inferi C sunt curiæ Tyrannorum & persecutorum Ecclesiæ, vt tradunt Sacri Doctores. Spiritualiter portæ mortis sunt D hæretici. Item sunt peccata: Item E hæretici & dæmones; & Tyranni. De peccatis psal. 106. *appropinquauerunt vsque ad portas mortis*: de dæmonibus, Iob. 38. *nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis?* de hæreticis, ibidem, *aut ostia tenebrosa vidisti?* De Tyrannis eodem psal. *contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*; idest Tyrannos humiliauit. Adhuc in opusculo; F apparet firmitas Domus, si conquassata non potest destrui, nec à persecutoribus: (immo persecutoribus durantibus magis creuit; & qui eam persequebantur, deficiebant; Matthæi 21. *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*) nec ab erroribus: (immo quantò magis errores superuenerunt, tantò magis veritas manifestata est; 2. Tim. 3. *homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient*) nec à tentationibus dæmonum; Ecclesia enim est sicut Turris, ad quam fugit, quicumque pugnat contra Diabolum; Prou. 18. *Turris fortissima nomen Domini*: & ideo diabolus principaliter conatur ad destructionem eius: sed non præualet, quia Dominus dixit; *& portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam*; quasi dicat; *bellabunt aduersùm te*, (Ieremiæ 1.) *& non præualebunt*. Sic & Sancti alij Patres, vt videre est in Catena. Quoniam autem legimus in Scriptura, vt Genesis 22. *possideat semen tuum portas inimicorum suorum*; & sic c. 24. (Quocirca Angelicus, G per portas, tanquam per aditum & fortalitium Vrbium, designantur synecdochicè ipsæ Vrbes) velim hunc fieri sensum; quiuis fortiores Inferni astus conatus, incursus & impetus non præualebunt. E portis quippe Ciuitatum, quas milite armisque fortioribus instruunt, solent audacter obsessi in aggressus erumpere. Quòd si per portas ingressus pateat hosti, victo præsidio Vrbs capta est; Genesis 22. *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* In nuncupatione Catenæ aureæ ad Vrbanum quartum, de hac Principis Apostolorum fide; *tu es Christus filius Dei viui*, exclamat Sanctus Thomas; H ò beata confessio, quam non caro & sanguis, sed Pater cœlestis reuelat! hæc in terris fundat Ecclesiam, &c. & contra eam portæ non præualent Inferorum. Memor sine dubio huius dominicæ institutionis sub petræ metaphora, aiebat idem Apostolus in sua 1. c. 2. de Domino; *ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum; & ipsi tanquam lapides viui superædificamini*, &c. monetque in secunda cap. 3. *ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate*: glossa interlinearis; *fidei, quæ est petra, supra quam fundatur Ecclesia.*

C opusc. 20.3.10. D ps. 9. lit. i. E ser. in Cathedra S. Petri. F opusc. 6. §. 12. G Genes. 22. H In Epist. liminari Catenæ.

VERS. XIX. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum*, &c.

23. *Tibi*: ei enim soli I promisit: & comprobat ex alijs locis; Lucæ 22. *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; & Ioannis vltimo; *pasce oues meas*: quem scilicet summum L Pontificem constituit. Hinc Hilarius; *O beatus Cœli Ianitor! cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur; cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in Cœlo: vt quæ in terris aut ligata sunt aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in Cœlo.* Sic & Ecclesia in Hymno; *Ianitor Cœli, Doctor Orbis pariter*, &c. Sunt autem claues Ecclesiæ, authoritas M discernendi & potestas iudicandi. Rursus; ad iudiciariam potestatem duo requiruntur; scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, & potestas N absoluendi vel condemnandi: & hæc duo dicuntur duæ claues Ecclesiæ; scilicet scientia discernendi, & potentia ligandi & soluendi. Cœlum enim vnicuique clauditur & aperitur, O per hoc quod peccato subiacet, vel à peccato purgatur: vnde & vsus harum clauium dicitur esse ligare & soluere, scilicet à peccatis. Alibi; clausio ianuæ est obstaculum quoddam prohibens homines P ab ingressu. Prohibebatur autem homo ab ingressu Regni Cœlestis propter peccatum; quia sicut dicitur Isaiæ 35. *via illa sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus.* Quomodo autem liget Sacerdos & absoluat; vide suis locis. Q Vbi solùm libet expendere argui ab Angelico in Opusculo illo 22. c. 2. temeritatis & præsumptionis quendam, asserentem non debere Sacerdotem vti hac forma *ego te absoluo*, sed deprecatoriè se gerere. Inter alia cap. 5. audacter falsòque inquit, vix triginta annos esse, ante quos omnes hac forma vtebantur; *Absolutionem & remissionem*, &c. Subdit Sanctus Doctor: quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Sed hoc certum est, quòd iam sunt mille ducenti anni & amplius quòd dictum est Petro: *quodcumque solueris*, &c. Ipse addiderim; si tam recens fuisset formæ in absolutiuam mutatio: quomodo in re tam graui & noua, non sexcenti acuissent calamum & linguam? quomodo, non fuissent acerrimæ concertationes? Quomodo sic sub silentio, nullo controuertente aut reclamante, conniuente, obmutescenteque Ecclesia, tantæ rei negotium in rem iudicatam transisset? Dicamus ergo cum turbis Matthæi 9. vbi præmiserat Dominus; *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terram dimittendi peccata*; glorificandum esse Deum, *qui dedit potestatem talem hominibus*: neque enim mihi minus verosimile videtur: vel nescientes quid dicerent instar Caiphæ, qui prophetauit nesciens, turbas quasi propheticè talia prompsisse. Nunquid enim est abbreuiata manus Domini, (apud Angelicum ibi cap. 3.) vt qui in baptismo ab omnibus peccatis mundat, in Sacramento Pœnitentiæ hoc non faciat? *soluite iussu* (non deprecatione) *quæsumus*; habet Hymnus. Deprecatoriè olim dimissio peccati fit sperabatur, quod patet in Leuitico, *orabitque Sacerdos* &c. vt expenditur in p. 2. q. 103. a. 2. Nunquid gratiæ Sacramenta potiora non sunt? *Remittere & soluere aut ligare*, certè potestatis est.

I 4. Cont. G. 76. L 2. 2. q. 1. 10. M opusc. 25 ad finem. N 4. cõt. G. c. 72. O 4. cõt. G. c. 74. P 3. p. 49. 5. Q in 4. sent. 22. q. 1. & 3. p. 84. 3. Et opusc. 22.

24. Non autem sic intelligitur Petro commisisse (de quo Augustinus serm. 28. de Sanctis; *solus Petrus meruit audire, tu es Petrus*, &c. *vt esset clauis ad Regnum*) quasi R ipse solus haberet claues: sed vt per eum deriuarentur ad alios: aliàs non esset sufficienter fidelium saluti prouisum. Et quidem ei soli nihilominus promisit S ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Sicut enim se habet potestas Imperatoris T ad potestatem Proconsulis, ita se habet potestas Papæ ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia; quia ab ipso Papa, gradus dignitatum diuersi in Ecclesia & disponuntur & ordinantur: vnde eius potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum, vt patet Matthæi 16. Ad hæc est quod iterum in 4. sent. V ait; cum tota Ecclesia sit vnum corpus, oportet, si ista vnitas debet conseruari, quod sit aliqua potestas regitiua totius Ecclesiæ, super potestatem Episcopalem; & hæc est potestas Papæ. Huc autem reuocari po-

R 4. cont. G. c. 72. & hic. S ibi c. 76. T 2. sent. d. 44. ad finem. V 4. sent. 24. q. 1. a. 2. ad 3.

potest difficulas; an potestas huiusmodi à Petro deriuata sit etiam ad alios Apostolos: quos illi pares fuisse, plura secundum quid probant; sed enim,esto, quod hic ait Petro, dixerit etiam alijs c. 18. *quæcumque alliganeritis super terram, erunt ligata & in*
X 2. 3. 13.4.2. *Cœlis; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*. Et Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt*. Esto dicat glossa ad Gal. 2. super illud; *cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem*
X Gal. 2. l. 3. *ei restiti*, scilicet *tanquam par*; quantùm x ad fidei nimirum defensionem: siue in executione, non in auctoritate regiminis: nihilominus Apostolorum aliorum personale aliquod priuilegium, qui à Christo immediatè acceperunt, *missique* ab eo idcirco dicuntur, (non emanata per Petrum ad eos personali Apostolica auctoritate) non obstat primatui simpliciter donato Cephæ: publica nominis ad fundandam Ecclesiam mutatione. Vt quid enim tot specialia de eo edixisset? Hinc Angelicus; A quamuis
A 4. sent. d. 24. q. 2. a. 2. ad 3. omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi & soluendi; tamen vt in hac potestate ordo

aliquis significaretur, primò soli Petro data est: vt ostendatur, quòd ab eo in alios, debeat ista potestas descendere. Fert præterea Eusebius lib. 1. Ecclesiast. historiæ Clementem *in 4. Dispositionum volumine*, qui dicit Cepham, de quo ibi, fuisse vnum ex septuaginta discipulis. Et scribit etiam Oecumenius, *in Collectaneis explanationum*. Et fauet contextus, quando de Petro Apostolo, paulo ante tam honorificè præfatus est Paulus nomine Petri; *qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes*. Caietanus Tom. 1. Opusc. Tract. 1. c. 2. 3. & 4. rem hanc diligenter examinat. Dico autem ipse vno verbo; vbi exemit Dominus secundum aliquid à vulgo ouium ipsos Apostolos; hac quasi exceptione firmare regulam in contrarium; neque enim extat in Euangelio; vnde Apostolorum prærogatiuæ transeant ad loco illorum Successores Episcopos; sicuti palam, de transitu specialis auctoritatis Petri fit mentio; ædificanda enim erat Ecclesia, & superædificanda; confirmandi erant fratres, pascendi agni & oues; quæ cuncta processum demonstrant auctoritatis, ac in posteros qui Petro succederent, traductionem. Denique quod valde reor æstimandum; etsi plura æque Petro & alijs dicta videantur à Domino; soli tamen Petro claues Regni Cœlorum pollicitus est.

VERS. XX. *Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus*.

25. Ingerit hæc Domini inhibitio difficultatem: præsertim quia supra c. 10. dixerat eis; *prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum Cœlorum*. Quamuis possit illud cap. 10. trahi ad tempus post passio-
B D. Th. hic. nem: vnde sequitur, B *& ad Præsides & Reges ducemini propter me*. Chrysostomus suo acumine; *si quod plantatur, euellatur, non potest ita cito plantari. Vnde si plantata fuisset fides, & euulsa fuisset in passione, post, non fuisset tam cito plantata*. Vnde multa non sunt dicenda propter scandalum vitandum. Et sic Ambrosius in Luc. c. 9. suo cap. 39. *fortasse quia sciebat Dominus difficilè passioni & resurrectioni etiam discipulos* (supple *alios*) *credituros*. Ipse dixerim, idcirco vetuisse discipulis ne dicerent, quia mysteria huiusmodi, non tantùm sunt dicenda, sed simul edissēenda. Hinc aiebat Hieronymus lib. 2. Comment. in cap. 13. Matthæi; *ad primam quippe doctrinam, fidem non habet veritatis, hominem Deum*, &c. Ad hoc enim, vt quis fi-
C 3. p. 71. 1. dem accipiat, requiritur C quòd de fide instruatur. Vnde catechismus debet præcedere baptismum. Nondum autem erat tempus, vt mitterentur discipuli ad prædicandum: præsertim nondum peracta Christi Iesu passione; cuius merito, nobis gratia fidei donatur: nondumque confirmati erant Apostoli per Spiritum-Sanctum; nec ipsi, vt Christus, tanquam potestatem habentes docere adhuc valebant; Supra c. 7. *erat docens eos tanquam potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi*. Dic etjam, donec ipse mortalis in terris degeret, decuisse discipulos silere: non secus ac Iob 29. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo*; Iob loquente, & Act. 15. loquente Petro *tacuit omnis multitudo*. Satis ipsemet multitudine miraculorum, & efficacia doctrinæ, vt mox dicemus, se Christum Iesum probabat. Præterea futurum erat consilio suæ sapientiæ, vt fides prædicaretur *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, vt dicitur Marci vltimo: quorum signorum credendum est nondum venisse tunc horam. Hinc habemus manifestè, nouisse & alios Apostolos quod Petrus fassus est; *quia ipse esset Iesus Christus*. Iesus enim ex Damasceno, significat D Deum humanatum; D opusc. 60 2. 1.
Christus verò è contra hominem Deificatum. Sed sicut confessio & contestatio per Petrum facta est; ita (quod adstipulatur eius primatui) innotescit; non priuatorum ab ore, sed Pontificis Summi ab oraculo quicquid fidem concernat esse accipiendum. Nemini ergo quicquam dicatur fidei quin prius *aperuerit Petrus os suum*, vt patet in Actis cap. 11. vt ipsemet edicit c. 15. *elegit Deus in nobis, per os meum audire Gentes Verbum Euangelij & credere*. Denique dici potest, instar inhibitionis de visione in Monte c. sequenti apud Angelicum 3. p. q. 45. a. 3. ad 4. noluit hoc quod viderant alijs annunciari; ne, vt Hieronymus dicit, & incredibile esset pro rei magnitudine; & post tantam gloriam sequens Crux scandalum faceret. Sed cum essent Spiritu-Sancto repleti, tunc spiritualium testes essent. Et certè præceptum hoc tacendi amplius exaggeratur Lucæ 9. *at ille increpans illos præcepit, ne cui dicerent hoc, dicens, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & Principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere*. Fortè garrulos nouerat.

VERS. XXI. *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis; quia oportebat eum ire Ierosolymam, & multa pati*; &c.

Quoniam agitur de futura Domini redemptione, 26.
iuuat ab Angelico recolere; E qualiter apud Iudæos, E 3. p. 47. 5.
quidam erant maiores, & quidam minores. Maiores quidem, qui eorum Principes dicebantur, vt dicitur *in lib. 1 pist. veteris & noui Testamenti*, cognouerunt eum esse Christum promissum in lege; omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura Prophetæ: mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant: sed ignorantia quodammodo affectata, videbant enim euidentia signa Diuinitatis ipsius; sed ex odio & inuidia Christi ea peruertebant. Minores verò idest populares, qui mysteria Scripturæ non nouerant, non plene cognouerunt, ipsum esse nec Christum nec filium Dei. Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitauerunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem & efficaciam doctrinæ, vt habetur Ioan. 7. tamen postea decepti fuerunt à Principibus; vt eum non crederent, neque filium Dei, neque Christum. Hactenus D. Thomas, qui quod ait de more Scripturis firmat. Postquam ergo specialitis hic illustrati sunt discipuli, vtique de minorum classe, Scripturarum mysteria non cognoscentes (Act. 4. *videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto, quod homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur*) incipit Dominus eis sic fide illuminatis, futura redemptionis, non dicere, sed *ostendere*: (notat id hic Angelicus) puto autem magistra-

straliter eis enucleasse causas conuenientiæ & necessitatis incarnationis, de quibus F Angelicus, itemque necessitatem passionis; & quod *sanandæ nostræ miseriæ conuenientior alius modus non fuit* ex Augustino; vt apud G eundem Angelicum. Forte autem, non ita Scripturas, quæ de eo erant, edisseruit: vel ad summum cœpit illas eis interpretari: ait enim *cœpit ostendere*. Colligo autem necessitatem huiusmodi ostendisse; quoniam inquit *quia oporteret eum, ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi & tertia die resurgere*. Dixi autem non ita de his plenè saltem explanasse Scripturas; quoniam manifestè Ioan. 20. legimus; *nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere*: vbi de Petro & de Ioanne sermo est.

F 3. p. q. 1. a. 1. 2. & 3.

G 3. p. 46. a. 1. & 3.

VERS. XXII. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum: dicens; absit à te Domine, non erit tibi hoc.*

26. Apud Hieronymum; in græco dicitur; *propitius sit tibi Domine, non erit hoc*. Arias Montanus; *clemens tibi Domine*. Audita Christi Domini responsione potiùs acri; *vade post me, &c.* redditur textus mirabilior; quandoquidem immediatius tanta extitit Petri commendatio; *beatus es Simon, &c.* & mox ita deijcitur; vtique meritò. Chrysostomus ita discurrit; *vt discas, quod neque illa, quæ de Christo confessus fuerat, ex se locutus est; vide qualiter in ijs, quæ non reuelata sunt, turbationem patiatur; humana enim & terrestri cogitatione, quæ sunt Christi considerans, æstimabat turpe & indignum esse ei, quod pateretur*. Hilarius autem refert Petri verba in Diabolum, vt fert hic Angelicus: *Diabolus videns, quod ipse nunciauerat passionem suam, & cognoscens testimonia Prophetarum, incitauit Petrum, ad hoc vt dissuaderet. Et ideò sciens Dominus diabolicæ artis instinctum Petro ait; vade &c.* Et ita in Diabolum duriora Domini verba dirigit; *satana &c. scandalo mihi es: non enim, inquit, conuenit existimare Petro Satanæ nomen, & offensionem scandali deputari, post indulta illa beatitudinis, & potestatis tantæ præconia*. Hieronymus non credit *instinctu diaboli loquutum Petrum; sed increpasse amantis affectu: sæpe enim diximus, nimis ardoris amorisque quàm maximi fuisse Petrum in Dominum Saluatorem*. Et quoniam dura videtur Domini subiuncta reprehensio; *vade post me Satana &c.* demulcere nititur eam, ex nominis interpretatione, vt sonet *aduersarium*; in quantum locutus fuerat Petrus contraria voluntati Saluatoris. Subdit etiam dictum illi, *vade post me, idest sequere me, qui contrarius es voluntati meæ*. Diabolo autem supra c. 4. dictum duntaxat fuisse; *vade Satana: vt subaudiatur, in ignem æternum*. Nihilominus adhuc scrupulus angit animum de tanta crisis Iesu mutatione: modò enim *beatus*, modò *Satanas* dictus est. Itemque de reuelatione & ignorantia; quam ignorantiam prætexit de illo Origenes, tanquam desistente ire post Christum, & contrarium sentiente; *non erit tibi hoc*. Mirum etiam quomodo ausus sit increpare Dominum, quem paulo ante fassus fuerat, *filium Dei viui*: quamuis increpasse dicat Hieronymus *amantis affectu*: quoniam 1. ad Timoth. 5. dicitur, *seniorem te ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem*: videturque locum habere Iob 15. sententia, quam recolit Angelicus; *arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit*.

27. Igitur vt ardua tot exanthlemus, reor dicendum; vtique ex amore in Dominum in hæc prorupisse Petrum: vnde ly *assumens eum* exponit Hieronymus, scilicet in affectum suum. Amoris passio ingentis noluisset Dominum amantissimum pati & occidi. Eodem amoris impetu Matthæi 26. idemmet Petrus, vt exprimitur in Ioanne capit. 18. *habens gladium, eduxit eum, & abscidit auriculam Malchi dexteram*: audiuitque à Domino, *calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et in Matthæo; *quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Nota ly *oportet* quod & in præsenti præmissum est; *quia oporteret, &c.* Ideo Ioann. 21. securus respondit ter, *tu scis quia amo te*. Hæc quippe præbuerat sui amoris præ alijs argumenta. Pertractus ergo hoc affectu *cœpit increpare* Dominum. Non semper increpatio dicitur dura: secus superflueret adijci ab Apostolo aduerbium Titi 1. *increpa illos durè*: & Iacob Genesis 37. qui *diligebat Ioseph super omnes filios suos, increpauit eum*, dulciter quidem; nam *rem* (somniorum) *tacitus considerabat*. Ad exigentiam itaque materiæ ac personæ increpatio mollis est vel duriuscula. Petrus autem dulciter eum deprehenditur increpasse, dum ait; *absit à te Domine, non erit tibi hoc*. Noluit autem sacer Euangelista vti verbo alio, puta *cœpit dissuadere*, vel *dehortari*; quia intendit Petri sensum & affectum insinuare: vt *strepitu quodam*, & sui ipsius *inquietudine* isthæc verba Domino dixerit. Ab *hamah* hæbræa voce, quæ & *crepare* & *increpare* importat, significata huiusmodi deriuantur: immo eadem vox, quæ latine *crepo* per translationem, *queri* seu *conqueri* sonat. Vnde nihil dissonum si increpasse dicatur Dominum, quasi indoluerit, & conquestus sit. Quod si vis fiat in verbo; non increpauit, sed *cœpit increpare*: quod exiguum vel minimum increpationis exordium videtur indicare: & hoc ex amoris affectu: vnde minimè irreuerenter, vel iniuriosè Domino. Quod constat; quia vnà simul ipsum Dominum Deum esse adhuc retinuit; quando in suum fert arbitrium & potestatem, cuncta Scribarum & Principum Sacerdotum eludere tentamenta: dicens *non erit tibi hoc*. Concupierat ergo Petrus, vt alio modo Dominus hominem liberaret; nam simpliciter & absolutè poterat fieri, absque omni satisfactione pro peccato: H quia, *non est impossibile apud Deum omne verbum*. Lucæ 1.

H 3. p. 46. a. 2.

VERS. XXIII. *Vade post me Satana; scandalum es mihi; &c.*

28. *Satanas* ab hebræo *Satan* communiter pro *aduersario* exponitur, appropriaturque diabolo. Apocalyps. 20. *apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas*: 1. Petri 5. *aduersarius vester Diabolus*. Cuius præcipuum membrum, vicesque potiùs gerens Antichristus 2. ad Thessalonicenses, capit. 2. *aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*: sed ex quadam particulari causa de alijs dicitur, vt in præsenti de Petro; qui I bonæ voluntati Christi aduersabatur: & nitebatur propositum eius impedire, L circa passionem subeundam. Quoniam verò *Satan* significat etiam inimicum, vt peritis notum est, aperio cur dici *Satan* Petrus meruerit. Nouerat Patris reuelatione Christum filium Dei; moxque audierat palam de mysterio redemptionis: vnde reuera amicum suum specialiter eum declarauerat: secundum quod ipse Dominus edocet Ioann. 15. *iam non dicam vos seruos; quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Dic ergo Petrum hoc sibi donatæ amicitiæ genio, suscepisse, *separatim*, vt exponit Hieronymus, Christum; amicitiæque titulo, (vtique virtutis non voluptatis aut vtilitatis) ausum fuisse increpare: putasseque se legibus amicitiæ ad id teneri. Quod sic ex subiecta increpationis materia colligi potest. Ex Philosopho, prout refert Angelicus M 9. Ethicorum cap. 4. multa sunt amicitiæ propria: vnusquisque

I In calce 1. sententiarum.

L 2. 2. 43. 5. 1.

M 2. 2. 25. 7.

que enim amicus primò vult, suum amicum esse & viuere; secundò vult ei bona; tertiò operatur bona ad ipsum; quartò conuiuit ei delectabiliter; quintò concordat cum ipso, quasi cum eo delectatus & contristatus. Vides emicare ferè hæc omnia in verbis Petri: volebat enim tanquam amicum Christum esse & viuere &c. Et quia amor passio quædam est habens N impetum; ideo increpare dicitur. Dominus autem eo audito aperit in amicitiæ præcipuo defecisse: nempe quòd eadem amicus eligat, vt ex eodem Philosopho: *amicorum enim est idem velle & nolle*; propterea *Satanam* dicit, seu *inimicum*, voluntati Saluatoris *aduersantem*: (*oblatus est*, ait Isaias cap. 53. *quia ipse voluit.*) Nihilominus alio ex capite *Satanas* dictus credatur: nàm, vt ait Angelicus O secundùm glossam, (quæ dicit, *error Apostoli ex pietatis affectu venit, potius, quàm ex incentiuo Diaboli*) videtur quòd Petrus non peccauerit volens passionem Christi impedire. Dic ergo, non tam ad eum carpendum; quàm ad erudiendum, satanico studio per Diabolum huic ipsi inhiandum fore impedimento. Certè Matthæi 27. vbi Pilati Vxor, *misit ad eum dicens, nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum, propter eum*; non dissentit Angelicus Rabano P, vt *Diabolus intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulerat; ita per mulierem vult Christum de manibus Iudæorum liberare; ne per eius mortem mortis amittat imperium: concupiscens impedire passionis fructum*. Dic ergo præscium Dominum futurorum Satanam vel ex nomine appellasse: quasi Satanæ exordiretur astus, etsi non illius malitia: nihilque prohibet opinari, Dominum ista humiliato cohibitoque discipulo exposuisse.

N 2. 2. 27. 2.
O 4. sent. 38. q. 2. a. 2. 1. 2.
P Matth. 27.

Sequitur; *Scandalum mihi es*.

29. Scripsit Angelicus Q hoc loci, scandalum largè accipi pro quolibet impedimento: volebat enim Petrus Christi passionem impedire quodam pietatis affectu. Augustinus in Enchiridio; *tantum bonum fuit quòd Christus pro nobis occisus est, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipso, qui occisus est, diceretur*. Subdit Magister Sententiarum: *ecce manifestè habes, magnum bonum fuisse, quòd Christus occisus est; & hoc bonum quia Petrus nolebat, ideo redargutus est*. Repetit autem Sanctus Thomas R *Satanas*, idest aduersarius, in quantùm sua bona voluntate, ex pietate bonæ voluntati Christi aduersabatur. Et si quis contenderet non significari per vocem illam *scandalum*, duntaxat impedimentum, satis præsignificatum in verbo illo *Satana*: Dic, non reincidere in idem, quia impedimentum effectus est aduersantis: vnde & Apostolus 1. ad Thess. 2. *impediuit nos Satanas*. Dicerem ipse; *scandalum mihi es*; idest tuum mihi affectum obijcis; qui, si passionibus ego abduci possem, me à proposito impediret. Sed quia amorem nolo sed dilectionem; Ioan. 21. *diligis me plus his?* (amor est motus appetitus, S & si quidem reguletur appetitus ratione, sic est amor voluntatis, qui propriè est dilectio, quæ sequitur electionem: si verò non reguletur ratione, dicitur amor) *vade post me*: vt fiat sensus, *posthabeo huiusmodi amorem*: & ita mihi videtur sonare ly *conuersus dixit Petro*: sicut Maria Magdalene Ioan. 20. *conuersa est retrorsum*. Quamuis Origenes aliter accipiat, vt ad ipsum Petrum conuersus sit; *beatus ad quem conuertitur Christus, etiamsi corripiendi causa conuertitur*. Dico adhuc non repugnare, sumi ly *scandalum* presè; non quia S ex facto eius scandalizatus sit Dominus; sed quia Petrus, quantum in se fuit, aliquo modo ei scandalum dedit: ea proportione locutionis, qua dictum est infra; *dabunt signa magna & prodigia; ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Si fieri posset, scandalum iam esses mihi, adeò ardenter amanterque dehortaris me à morte. Subdo; scandalum offendiculum est in itinere: dum pergo ad passionem (*exultauit vt gigas ad currendam viam*, ps. 18.) nec impediri patior inordinati vi affectus; te amoue, nec præcedas, *vade post me*. Sic impactio esse non potest pedis, sublato de anteriori via offendiculo: quod fortè allusione quadam ad improperandum ei nominis noui abusum, adhuc dixerit Dominus. Te *Petram* dixi, sed lapis euadis offensionis, & petra scandali. *Vade post me*; T sequere, voluntatem meam imitando.

Q 2. 2. 43. 2. 2. & a. 5. 1.
R 1. sent. in calce.
S Ioa. 21. l. 3.
S 4. Sent. 38. q. 2. a. 1. ad 1.
T Ioann. 11. l. 2.

Sequitur; *Quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*.

Petrus refugit carnis mortem, V sed spiritus Dei non: Ioann. 15. *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Considero tamen non dici à Domino, *nescis*, sed *non sapis ea quæ Dei sunt*. Cùm enim paulo ante, tam altam reuelationem habuerit, non videtur intellectualiter statim euasisse exoculatus; sed quantumuis cognitione eorum *quæ Dei sunt* polleret, *non sapiebat ea quæ Dei sunt*: ex parte affectus enim humana potius ei sapiebant. Dicebat meritò Augustinus ad Dominum; *fac me sentire per affectum, quod sentio per intellectum*: neque enim satis est cognoscere, sed oportet percipere: perceptio, inquit Sanctus Doctor, X experimentalem quandam notitiam significat: & hæc propriè dicitur *sapientia*, quasi *sapida scientia*; secundùm illud Ecclesiast. 6. *sapientia doctrinæ secundum nomen eius*. Sapientia saporem A importat: hoc enim inuoluit significatum: etsi non similitudine nominis in omni lingua, sed in lingua latina duntaxat: de quo & B alibi. Quia verò certum est, propter passionem, illum qui habet scientiam vniuersalem, impediri, ne possit sub illa vniuersali sumere, C & ad conclusionem peruenire; sicut incontinens scit nullam fornicationem esse faciendam, quod est vniuersale; sed ex passione, non subsumit, nec concludit: ergo hæc fornicatio non est committenda; ita & Petrus passione pertractus est, ad Christi mortem, quam tamen nouerat salutiferam, impediendam. Etiam Christus Dominus in Horto secundùm partem inferiorem dixit, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*; sed tamen irreprehensibiliter; tum quia *de naturæ nostræ communione* vt ait Leo Papa, *cœpit pauere tædere & mæstus esse*; tum quia propassiones, non passiones fuere Christi, clauum immobiliter, ne exorbitarent tenente parte Superiori; quæ nec actu nec habitu deduci poterat: tum denique quia expressè adiecit, *non mea voluntas, sed tua fiat*. Petrus passionem pertulit, quamuis non contumaci reluctantia; secus peccasset grauiùs. Sapiebat ergo *ea quæ sunt hominum*. *Homo* quandoque accipitur in Scriptura D prout significat conditionem infirmitatis humanæ; Sapient. 9. *homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum*. Ibi Apostolus; *humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*. Quare posset exponi; *ea quæ sunt hominum*: quasi hominum animalium, 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit quæ Dei sunt*: nam Spiritus-Sanctus E accendit affectum ad diligendum spiritualia bona, sensibilibus bonis contemptis. Dicit autem pluraliter, *quæ sunt hominum*, nimirum id quod communiter, & vt in pluribus euenit, sapere. Bonum quippe quod excedit communem statum naturæ inuenitur F vt in paucioribus, & deficitur ab hoc bono, vt in pluribus. Principale in homine est mens rationalis; secundarium est natura sensitiua & corporalis; quorum primum Apostolus G 2. Corint. 4. nominat *interiorem hominem*, secundum nominat exteriorem.

30.
V D. Th. hic.
X p. p. 43. 5. 2.
A 1. sent. 35. 1. a. 1. 1. ad 1.
B 2. 2. 45. 2. 2.
C p. 2. 77. 2. 4.
D Rom. 6. l. 4.
E 1. Cor. 2. l. 3.
F p. p. 23. 7. 3.
G 2. 2. 25. 7.

Ii Dic

Dic ergo; sapiebat Petrus ea, *quæ sunt hominum* exterius; non quæ Dei; qui mentem illabitur. Cur Dominus permiserit hic & nunc Petrum deficere: curque scandalum obortum Christus doluerit, scrutabimur in Syntaxi, latente mirabiliter causa.

VERS. XXIV. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.*

31. Propriæ voluntatis sensum obiecerat Petrus Domino: vtique passionum, mortisque horrore. Vtrumque autem Christus è contra indicit. *Abneget semetipsum.* Abnegatio sui ipsius, secundum Basilium est *recessus à proprijs voluntatibus.* Et sic Gregorius in homilia; *tunc benè animam nostram* H *odimus, cùm eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, cùm eius appetitus* I *frangimus*: vbi subdit Angelicus; sicut homo dimittens diuitias, vel personas coniunctas eas abnegat; ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui ipsius Dominus est, seipsum abnegare inuenitur. Quoad secundùm, ibidem Chrysostomus super Matthæum: *qui negat alium, vel fratrem, vel famulum, vel quemcumque, etsi flagellatum viderit, & quæcumque patientem, non assistit, non adiuuat; ita vult corpori nostro nos non ignoscere; vt etsi flagellauerint, vel quodcumque aliud fecerint, non parcamus. Et ne existimes,* (subditur) *quòd vsque ad verba tantùm & contumelias oportet abnegare seipsum, ostendit, quòd oportet abnegare seipsum vsque ad mortem, etiam turpissimam, scilicet Crucis*: quod significatur in eo quod dicit, *tollat crucem suam, & sequatur me.* Petrum præ alijs mihi videtur Dominus commonere, qui Crucem tandem subijt. Quamuis vt apud Lucam cap. 9. *dicebat ad omnes.* Crux à cruciatu L dicitur; in qua mors est acerbissima, & turpissima; Sapient. 2. *morte turpissima condemnemus eum.* Hæc prætensum Petri amorem confundunt. Nam ex Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus; *diuinus amor est exstasin faciens*; idest M extra seipsum ponens, non sinens hominem sui ipsius esse, sed eius quod amatur: Galat. 2. *viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*: quasi suam vitam, non suã existimans, sed Christi: 2. ad Cor. 5. *pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*

H opusc. 17. c. 9.
I opusc. 18. c. 10. & Serm. de beata Margarita.
L D. Th. hic.
M opusc. 18. 10.

VERS. XXV. *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam.*

32. Pro anima intelligi fas est vitam corporalem: N Iob 2. *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Quæ dicitur anima, quia O vitæ corporalis est anima principium. *Saluam facere* (non abnegando, non P tollendo crucem) *perdet eam*; ad sensum, quo Osee 13. dicitur, *perditio tua Israel.* Cùm enim articulus venerit, aut faciendi contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandi: perdit æternùm, qui saluare vult temporè. Vel reciprocè contrario sensu: qui voluerit saluare in æternùm animam, perdet propter me temporaliter. Sententia Domini vtroque modo ad rem facit. Sed tamen ad reprimendum inordinatum vitæ huius amorem primum hemistichium loqui videtur de salute corporali; cuius gratia Petrus Dominum increpauerat: ex quo comminabatur Petro, vt dicitur Marci 8. Et ita de æterna perditione pronunciat. Alia eiusdem hemistichij interpretatio, illectiua esset, non comminatoria: dicendo, qui voluerit saluari, perdet in casu spernetque temporalem vitam. Sed ad illiciendum transit in secunda sententiæ parte. *Qui autem perdiderit animam suam, propter me inueniet eam.* Sicut tot Sanctis Martyribus contigit.

N opusc. cit.
O D. Th. hic.
P D. Th. hic.

VERS. XXVI. *Quid enim prodest homini si vniuersum Mundum lucretur?*

Quandoque tyrannis mos fuit, & terrere minis, & inuitare blanditijs. Sic adolescentiorem filium Machab. 2. c. 17. Antiochus arbitratus est flectere, dum *cum iuramento affirmabat, se diuitem & beatum facturum.* At quid prodest, si *animæ suæ detrimentum* quis inde *patiatur?* Sap. 5. *quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia ista tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens,* &c. Hoc ipsum paucis exequitur Dominus; ne metu mortis frangamur: *conuocata turba,* quæ audiret Marci 8. *cum discipulis suis.* Sequitur; *aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Vnde omne præcluditur effugium, omne consilium exploditur. Prouerb. 6. *non accipiet pro redemptione dona plurima.* Intonat quotidie Sancta Mater Ecclesia: *in inferno nulla est redemptio.* Deuter. 28. *& non erit qui emat.* Consectarium est huic verbo Domini, vt ipse moreretur ad redemptionem: vt esset *copiosa apud eum redemptio. Quòd si vellet obniti,* ait Serm. 8. de passione Leo Papa; *nihil impiæ manus possent: sed Mundi redemptio differretur: & nullum saluaret illæsus, qui pro omnium erat salute moriturus.* Videat Petrus in quale scandalum impingat, factus ipse scandalum, Agni obstans occisioni: *absit à te*: si cadat in peccatum anima, quod item perdi est: nulla excogitabilis est commutatio: venundata sub peccato in æternum perit: quandoquidem ipsemet Petrus Epist. 1. c. 1. correctus prompsit: *scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento, redempti estis* &c. *sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* Ecce quomodo Petrus totus mutatus ab illo, Christi mortem extollit. Cæterum quoniam vel tacitè instari poterat adhuc, non fuisse Christo moriendum, quamuis hominibus omni studio curandum, ne animam in æternùm perdant: præoccupans Dominus quæstionem, credendus est dixisse sub disiunctione alio sensu; *aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Velles me non pati, non occidi. Si tua exaudiero vota: quis redimet Mundum? Aiebat Apostolus Rom. 7. communem respiciens humanæ naturæ lapsum: *ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*: scilicet Q vel primi Parentis, vel proprio: venundatus, quia peccator se ipsum vendit in seruum peccati, pretio propriæ voluntatis implendæ: Isaiæ 50. *ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.* Constantissimum est sacræ Theologiæ, incarnatum esse Dei filium ad liberandum hominem R à seruitute peccati. Quod quidem ex Augustino 13. de Trinit. c. 13. fieri debuit sic, vt diabolus iustitia hominis Iesu Christi superaretur; quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere: tum quia S tota natura humana erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personæ vel etiam plurium poterat per æquiparantiam, totius naturæ detrimentum recompensare: tum etiam, quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet, ex infinitate diuinæ Maiestatis. Liberari quippe hominem T per passionem Christi, nedum misericordiæ sed iustitia conueniens fuit: quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis. Et ita homo per iustitiam Christi liberatus est. Diabolus, inquit ibi a. 3. iniustè inuaserat hominem: & homo iustè propter peccatum derelictus erat sub eius seruitute. Conueniens ideo fuit, vt per iustitiam homo liberaretur Christo satisfaciente: ad vincendam etiam superbiam Diaboli, qui est desertor iustitiæ, & amator potentiæ. Et sic Christus Diabolum vicit, & hominem liberauit, non per solam potentiam Deitatis, sed etiam per iustitiam & humilitatem passionis, vt dicit Augustinus. Hinc ex Damasceno lib. 3. Orthod. fidei cap. 1. emicat diui-

33.
Q Rom. 7. l. 3.
R 3. p. 1. 1. c.
S ibi ad 2.
T 3. p. 46. 1. 3.

V 3. p. 2. 1. na iustitia, V quoniam *homine victo, non alio quàm homine, fecit vinci tyrannum*. Elucet etiam Sapientia, *quoniam inuenit Deus difficillimi pretij decentissimam solutionem*. Adde 1. Corinth. 6. *empti estis pretio magno*. *Possidebat*, ait Augustinus Tract. 52. in Ioannem, *diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum: per sanguinem autem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli*. Benè ergo & Leo Papa in Serm. 1. de Natiuit. *vt quod nostris remedijs congruebat, mori posset*, &c. Apostolus etiam ad Coloss. 2. *delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci*. Et Sanctus Petrus 1. cap. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*. Nec mihi quis exprobret; si quod dicitur, in psal. 88. *exprobrauerunt commutationem Christi tui*, prout ferunt Scholastici, ad iustitiam commutatiuam, quæ in Christi morte completa est, referatur. De rigore enim iustitiæ, etsi superabundanter satisfecit. Hac dempta, repetamus cum Domino: *quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

VERS. XXVII. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui*, &c.

34. Subdit, futurum esse, vt pro meritis, vel præmia, vel supplicia decernat. Hæc certè expectatio iudicij credentes vehementer exstimulat, ad posthabendam quoque vitam; ne pereant in tremendo iudicio: & ita, cum causæ articulus venerit, præeligant Deo dilecto emori, quàm offenso viuere. Vbi etiam de iusto Dei iudicio introducitur, commutationis cuiusuis negotio locus non est: ideo præmisit: *quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Vlterius tamen hoc adiectum crediderim alijs de causis. In primis, vt spe retributionis confisi, minimè expauescerent propter eum mori. Deinde, vt sui ipsius quoque innocenter morituri exaltationem insinuet.
X 3. p. 49. 6. Nam præ alijs ex sua passione X exaltatus est ad iudiciariam potestatem; iuxta illud Iob 36. *causa tua, quasi impij iudicata est: causam iudiciumque recipies*. Nam & ex merito eandem iudiciariam pote-
A 3. p. 59. 3. statem obtinuit: vt scilicet A secundum Dei iustitiam Iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit & vicit, & iniustè iudicatus est: Apoc. 3. *ego vici & sedi in throno Patris mei*: per thronum autem intelligitur iudiciaria potestas; psalm. 9. *sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam*. Præterea, quia inquit, *cum Angelis suis*; nedum velim intelligi Angelorum obsequentissimum comitatum, aut de illis etiam promeritum Christi iudicium: habet enim iudiciariam potestatem etiam super omnes Angelos &
B 3. p. 59. 6. bonos & malos: B in cuius signum dicitur Apocalypsis 7. quòd *omnes Angeli stabant in circuitu throni*: sed arridet, per Angelos intelligi ipsos Apostolos; nam illud Isaiæ 33. *Angeli pacis amarè flebant*
C p. p. 111. 7. 1. C allegoricè exponitur de Apostolis, & prædicatoribus, qui flent pro peccatis hominum. Angelus idest
D Apoc. 8. comm. 2. in initio. D nuncius Dei, annuncians & prædicans, quæ sunt salutis. Malach. 2. *labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est*. Apostoli autem venturi sunt cum Christo ad iudicandum, 1. Corint. 6. nescitis, *quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* Sap. 3. *iudicabunt Sancti nationes*. Quod erit
E 1. Cor. 6. l. 1. E nedum Apostolorum, sed similium, qui contemptis rebus Mundi, solis spiritualibus adhæserunt. Vnde videtur mihi præludere dicendis apertius infra c. 19. *cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Quod quidem ne-
F epist. 6. §. 10. dum F intelligitur de discipulis, sed etiam de omnibus sequentibus Apostolos, & de apostolicis viris: Isaiæ 3. *Dominus ad iudicium veniet cum Senibus populi sui, & Principibus eius*. Et quia ob res Mundi huius contemptas, hanc sortientur iudicij dignitatem, G vltra causas alias: ecce in textu hoc tangi: G 4. sent. 47. 1. 2. 1. 2.
quid enim prodest homini si vniuersum Mundum lucretur? Et apud Marcum de prædicatione, *qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium*. *Euangelij* nomen *Angelos* seu *Nuncios*, eosque *bonos* declarat; est enim Euangelium bona nunciatio.

VERS. XXVIII. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno suo*.

In Ioanne cap. 8. ait Dominus, *si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*. 35.
Iudæi subiunxerunt; *& tu dicis, non gustabit mortem in æternum*. Incauti & maligni auditores H non H Ioan. 8. 1. 8.
reperunt eadem verba. Quamuis autem quantum ad eorum intentionem idem sit, tamen quantum ad verum intellectum differt, vt Origenes dicit, inter mortem gustare, & videre. Nam videre mortem est eam perfectè experiri: gustare autem est aliquem mortis gustum, seu participationem habere. Et subdit Angelicus, aliquos neque gustare mortem, qui in alto sunt cum Christo: scilicet in intellectuali loco statum seruant: & affert hunc Domini textum: *sunt de hic stantibus*; &c. Quoniam autem præsens litera videtur quosdam in superficie eximere à morte: quod nemini concessum est, Hebr. 9. *statutum est hominibus semel mori*: vnde & ipsemet Ioannes c. 21. quia *exijt sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur*; monet; *& non dixit ei Iesus, non moritur*: ideo traxit interpretes in varia, prout in Catena aurea videre est. Ipse considerans exceptos esse quosdam, non omnes Apostolos, ad proximam transfigurationem refero. Et quidem cum Leone Papa, qui *in Homilia de transfiguratione* ait; *& ideo propriè signanterque promiserat, quosdam de astantibus discipulis, non prius gustare mortem, quàm viderent filium hominis venientem in Regno suo, idest in regia claritate*. Difficultas autem oboriri potest: cur præoccupet; *sunt de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant* &c. cum statim post sex dies hanc facturus esset gloriæ suæ ostensionem. Videtur enim aliquid polliceri post tractum temporis; quo decurrente, non sint morituri, qui eum destinabantur visuri in Regno suo. Idcirco D. Gregorius pro Regno Ecclesiam intellexit: sic vt aliqui discipuli mortem non essent subituri, nisi visa ea dilatata, & contra Mundi gloriam erecta: quam interpretationem non respuit hic Sanctus Doctor. Sed quoniam transfiguratio in Monte typus fuit sui aduentus cum gloria ad iudicium, vt exponit Chrysostomus hom. 57. in Matthæum: & iudicij dies ignotus est: idcirco crediderim noluisse signare tempus sex vel octo dierum: sed dixisse, *non gustabunt donec videant* indefinitè. Neque vt mihi videtur, de morte ex intentione primaria texit: quia recto ordine de morte ante iudicium fuisset præmittendum: dicente Apostolo ibidem Hebræor. 9. *semel mori: post hoc autem, iudicium*: sed luminosa sententia, dum expectationem videndæ gloriæ indicit, tangit mortis suauitatem, si eius gratia moriantur; *qui autem perdiderit animam suam propter me*: Gustant enim Christo emorientes mortem, plusquam moriantur. Si enim licuit profano dicere, *dulce & decorum est pro Patria mori*: quæ dulcedo, qui gustus erit mori pro Domino, quos manet *corona iustitiæ, quam reddet Dominus ijs qui diligunt aduentum eius?* Etsi ergo diceretur Ecclesiast. 41. *o mors, quam amara est memoria tua!* postquam Dominus degluriuit gutture suo suauissimo mortem, *deglutiens mortem* ait Petrus: postquam ipsemet pro om-

nibus gustauit mortem, quod ait Paulus; iam mors, vt ait Bernardus, *expectatur sine formidine, exoptatur cum dulcedine, excipitur cum deuotione*. Quamuis etiam aliàs dicatur in Iob 6. aut *potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Sic Sancti *cupiunt dissolui & esse cum Christo*. Gustari ergo perhibet mortem, ne discipuli *aut sua, aut Domini morte doleant, & maximè Petrus*: quod ait Chrysostomus hom. 57. in Matthæum. Liceat, quemadmodum canit Ecclesia, *ò felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* liceat inquam vocem extollere dicendo: felix Petri ad Dominum affectus humani compassio, quæ tot à Domino audire potuit arcanæ sapientiæ documenta.

SYNTAXIS
Ad Caput Sextumdecimum.

VERS. I. *Tentantes rogauerunt eum, vt signum de Cœlo ostenderet eis.*

1. Postquã impugnare conati sunt Christi scholam Iudæi suarum cæremoniarum instantia, præcedenti capite, consecutione quadam ad primum de panum multiplicatione miraculum, ipsis & re tunc & repræsentatione sobolis eorum exhibitum: insurgunt iterum, post secundum miraculum simile, Gentilibus significatione ostensum, Pharisæi & Sadducæi, *signum de Cœlo* quærentes, ad præmissa increduli. Par est, vt cùm Euangelica series non tam præsentia tangat, quàm futura prænunciet; tentatores isti nedum Iudæos sed & Gentiles præseferant, vtpote quia & Gentiles in Christi fidem erant insurrecturi. Cogor sic typicè, pro Sadducæis intelligere Gentes, (absque vlla quæstione planiùs Pharisæorum secta Iudæos refert) multis de causis. In primis, quia nisi hoc astruatur, non facilè apparet, quomodo Pharisæi & Sadducæi amicabiliter adeo consensissent ad tentandum Dominũ: siquidem concordes vix esse poterant: patetque Actorum 23. vbi Paulus violentiam declinans, *exclamauit in Concilio; viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum: sciens quod vna pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos.* Sed quia prædixerat Dauid psal. 2. *fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania: astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum & aduersùs Christum eius*: ecce conuenientes conspirant. Quem locum proferens Act. 4. Petrus simul exponit dicens; *conuenerunt enim verè in Ciuitate ista, aduersùs sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & Populis Israel.* Quod certè ad futuras Ecclesiæ persecutiones trahi nihil prohibet: ab vtrisque enim sæuissimas passura erat nascens proficiensque Christiana Religio. Et hoc innuere videtur nedum idem Diuus Petrus, qui cap. 2. de Iudæis locutus adiecit, quasi euentura prospiciens, *saluamini à generatione ista praua*: & cap. 4. *aduersùs sanctum puerum tuum Iesum*, quasi teneræ Ecclesiæ statum signans: sed & Dominus ipse, qui ait, *generatio mala & adultera*, sobolem progenitoribus similem præcognoscens: sic vt ly *mala* ad Iudæos, ly *adultera* retorqueatur ad Gentiles, qui dijs adhæsere alienis.

2. Aliud caput comprobans pro Sadducæis Gentiles, est cognatio errorum: nam Sadducæi; qui Act. 23. *dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*, putabantque animam, vt vidimus in expositione Capitis, interire cum corpore, Gentilibus æquiparantur semiatheis: quales erant amici illi Sancti Iob, qui vt ex eorum disputatione claret, notatque expresse Angelicus, A non credebant aliam vitam esse, nisi istam. Et currit amicorum Iob & Sadducæorum collatio, quia *Sadducæi*, ex Hieronymo (in Catena cap. 22.) interpretantur *iusti*: illi autem Iob amici, vt patet legenti, iustitiam iactabant; ex qua præmiari contingeret in hoc Mundo; secus puniri & affligi: quod certum esset demeriti & iniustitiæ argumentum.

A Iob 10. l. 3.

Tertium caput ex quo æquè benè stent Sadducæi pro Gentilibus, est signi de Cœlo tentatio: reiectis sine dubio innumeris quæ aliàs patrauerat Dominus. 3.
Etsi autem secundùm historiam increduli, immo blasphemi Beelzebub attribuentes prodigia, quod claret supra c. 12. de eiectione dæmonum, etiam Pharisæi; & sic Principes Sacerdotum malè sentirent de Domino, sic vt & facie mutari arte magica posset; B vnde, idcirco quidam putant, dedisse Iudam eis signum, *quemcumque osculatus fuero, ipse est*: attamen adhuc etiam proteruiùs calumniatui erãt miracula Gentiles. Sciendum est enim C sicut Augustinus dicit in 1. de Consensu Euangelistarum, aliquos Gentiles existimasse, *Christum quosdam libros scripsisse, continentes quædam magica, quibus miracula faciebat: quæ disciplina Christiana condemnat. Et illi tamen, qui Christi libros tales se legisse affirmant, nulla talia faciunt, qualia illum libris talibus fecisse mirantur. Diuino enim iudicio sic errant, vt eosdem libros ad Petrum & Paulum dicant, tanquam epistolari titulo prænotatos: eoquòd in pluribus locis simul eos cum Christo pictos viderunt. Nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt: toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius.* Quam calumniam supra c. 12. num. 22. & infra confutauimus. Quomodo autem Christi miracula sufficienter eius Diuinitatem D ostenderint, vide, è regione. Sed quia hoc non ita euidenter ostenditur E per transmutationes corporum inferiorum, quæ etiam ab alijs causis moueri possunt; sicut per transmutationem cursus cœlestium corporum, quæ à solo Deo sunt immobiliter ordinata: vnde dicit Dionysius in Epist. ad Polycarpum: *cognoscere oportet, non aliter aliquando posse aliquid peruerti cœlestis ordinationis & motus, nisi causam haberet ad hoc mouentem, quæ facit omnia & mutat secundùm suum sermonem*: his de causis fidem negantes terrenis, de Cœlo signum requirunt. Se sic produnt Pharisæi Iudæos, quoniam 1. Corinth. 1. *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt*; (per Græcos omnes Gentiles dat intelligere F qui à Græcis mundanam sapientiam acceperunt.) Sic aio in persona Gentilium perhibitos Sadducæos, quoniam illi se se profitebantur sapientes, & per altam causam, de cœlo cupiunt cuincí. Reuoluebant autem primitiuæ tempore Ecclesiæ Gentiles corde incredulo, quod exprimit ibi Angelicus, Christum crucifixum, *stultitiam*, quia contra rationem humanæ sapientiæ videtur, quòd Deus moriatur: quòd Omnipotens violentorum manibus subijciatur quòd homo iustus & sapiens se voluntariè turpissimæ morti exponat, impossibileque reputabant hominem mortuum resurgere.

B Matth. 26.

C 1. P. 41. 4.

D 3. P. 21. 4.

E 3. P. 44. 1.

F 1. Cor. 1. l. 3.

Quar-

4. Quartum caput accipiendi hos pro Gentilibus & Iudæis descendentibus, est tactus amborum error; dum vtrisque ait Dominus arguens; *signa autem temporum non potestis scire?* Nam Gentiles signum futuri iudicij nullum capiebant: hoc est comprobationem secundi aduentus: Iudæi autem primum ignorare aduentum affectarunt. Act. 15. *disputante Paulo de iudicio futuro, tremefactus est Felix*, Præses Regis, vtique Gentilis. *Fleuit* etiam Dominus Lucæ 19. *super Ierusalem, eoquod non cognouerit tempus visitationis suæ*. Et iam nobili paradigmate eos tacitè admonet de vtroque aduentu: quod quidem summopere intelligerent oporteret Iudæos, qui potissimè in hoc oberrant: nam legentes Malachiæ vltimo; *mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, videntes Eliam nondum comparuisse, diem Domini plenitudinemque temporis venturi Messiæ, putant nondum venisse. Sic ly *Deus manifestè veniet*
G 3. p. 36. 1. 1. psal. 49. intelligitur G de aduentu Christi ad iudicium prout glossa exponit. Pharisæos ergo reprehendit, H quòd tempus primi aduentus non cognouerunt: fuit enim rubicundum Cœlum, serenumque tempus; quoniam *apparuit humanitas & benignitas Saluatoris*. Titi 3. apparuit *lex clementiæ in lingua eius: in manu eius ignea lex*; iuxta quod supra cap. 5. *diligite inimicos vestros*; pertransijt *benefaciendo, & sanando omnes, qui erant oppressi à diabolo*, Act. 10. Misericordiam docuit, misericordiam fecit: *calamum quassatum non confregit, linum fumigans non extinxit: non fuit tristis neque turbulentus: tanquam ouis ad occisionem ductus est; quasi agnus coram tondente se, obmutuit*, vt cecinerunt diuina oracula. Signa huius temporis sereni adeo, noluit agnocere Iudaica gens. Sed Gentiles, nec hoc nec aliud, scilicet iudicij expectationem. Cur enim si quandoque *triste cœlum rutilat* tonansque terret, non ita expectandum est aliquando horribilis diei iudicium? *Triste Cœlum rutilat*. Alludere videtur Prophetæ Isaiæ vbi supra; *non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium*. Tempestatem ergo, quæ quandoque terrena concutit, in præsagium assumi liceat, quando *ignis*, vt in psal. 96. *ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos: illuxerunt coruscationes tuæ Orbi terræ, commota est & contremuit terra*, psalm. 76. *quando Cœli mouendi sunt & terra*. Aurea extat Augustini sententia: si Deus in hoc Mundo nullum puniret, nulla videretur esse illius prouidentia: si puniret omnes, nullum expectandum esse post hanc vitam iudicium. Scatent auctoritatibus sacræ paginæ: sed quia Gentiles scripturas non recipiunt, audiant *rutilare triste Cœlum*: nonnullum enim est diuini iudicij vestigium, cum quosdam hic inexpectatò corripit: tunc fulguratio quædam est, quæ superstites moneat: & reuerberatione, vnius animaduersio, percutit eos, de quibus non sumitur vltio: nec enim impune delinquant, rationabile est: quinimmo vt dicitur 2. Machab. cap. 6. ad vtrumque mirabiliter: *etenim multo tempore, non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. Non enim sicut in alijs nationibus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat; ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet*.

H de potentia q. 5. 6. 6.

VERS. IV. *Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*.

5. Signum Ionæ tunc consummatum est, cum mori dignatus est Dominus & resurrexit, vt dictum est supra vberius 12. capite. Diuus Chrysostomus astruens condescensurum Dominum Sadducæorum atque Pharisæorum tentationi, sentit promitti concomitanter signum de Cœlo, sed opportunitùs. *Hoc est*, inquit, homil. 89. *signum quod petentibus promittebat dare, crucem significans & resurrectionem: etenim multò mirabiliùs est in eo, qui crucifixus est, hoc fieri, quàm eo ambulante super terram*. Loquitur autem, quando *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*; cum, vt ait Leo Papa Serm. 8. de passione, *obscuratis luminaribus Cœli, terra quoque motibus quateretur insolitis*. Ex quo, Angelicus, allatis quæ supra ex Chrysostomo præmisit; I tunc præcipuè oportebat in Christo Diuinitatem per miracula ostendere, quando in eo maximè apparebat infirmitas secundum humanam naturam. Verùm pergendo Syntaxin enucleare: in quo insudandum esset, quodque potissimè obijciendum foret, Gentilibus atque hæreticis (*Pharisæi*, qui *separati* interpretantur, benè hæreticos referunt;) resistendo, admonere videtur dicens de Iona. Nimirum resurrectio sua (subinde & nostra) pro basi præcipua stabiliendæ Christianæ fidei collocanda erat. Vnde quia, vt ait idem Leo Papa hom. de Transfiguratione; *ad hoc Iesus Christus discipulos suos, doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, vt & Vnigenitus Dei & hominis filius crederetur*: cùm hæc, impleto Ionæ signo deprehensa, nedum Gentiles, sed & hæreticos feriant, ideo speciatim attexit de signo illo Dominus. Mors Christi Domini ipsum verum hominem manifestè ostendit: confodiunturque hoc vno Valentinus & Manichæus, de quibus Sanctus Beda lib. 4. cap. 49. in Lucæ 11. *Hæretici postea negando Mariam semper Virginem, Sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris Vnigenito Dei carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemque Matri, filium hominis fateri non debere dixerunt*. Vis autem sic mihi facienda videtur. Ionæ factum fuit in figuram, dicente Apostolo, *omnia in figuram contingebant illis* 1. ad Corinth. 10. igitur cum verus homo ille fuerit, verum hominem belluæ marinæ faucibus deglutiendum significauit: piscisque ille grandis nonnisi in figuram mortis potest assumi. Quam licèt Ionas non subierit die tertio viuus euomitus, non propterea, non verè mortuus Christus dicendus est, sed Diuinitati eius, quæ immortalis est, in ventre immanis illius Ceti prælusisse. Et ecce mirabili hoc ex portento, nedum hæreticos sed & Gentiles torqueri; dum resurrexisse Dominum, vtique virtute Diuinitatis, vel coactè fateri coguntur. Secùs instent Iudæis, hac de re in sua incredulitate solicitis, vt sepultum reddant. Fortè Dominus sic vno verbo tangit impræsentiarum de Iona, non ita fusè vt supra cap. 12. quoniam Gentiles impetendi erant, minimè Scripturis credentes. Vnde potiùs facto, quàm auctoritate, aduersùs illos monet futuro tempore fuisse pugnandum. Isaiæ quippe 11. legimus; *& erit sepulcrum eius gloriosum*: quod de Christo interpretatur & Angelicus L super illud 1. Corinth. *& quia sepultus est*. Quocirca lepidè animaduertit Chrysostomus, spectatis hominum monumentis consuetum dici: *hic est, hic iacet iste vel ille*: ad Christi autem sepulchrum, è contra, *hic non est Christus*: vnde Angelus dixit, *surrexit, non est hic: venite & videte locum vbi positus erat Dominus*. Repetamus ergo; ex hoc quòd mortuus & sepultus est, claret humanitas; ex hoc quòd resurrexit, Diuinitas: consummatum hoc Ionæ signum contra Gentiles contraque hæreticos perstat: & quia, vt supra cap. 12. in Syntaxi diximus, hic est impactio seu scandalum Iudæorum Gentibus in hoc consentientium; 1. Corinth. 1. *prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*; ideo vt eis possit occurri, tangit rursùs de resurrectione.

I 3. p. 44. 2. 1.

L 1. Cor. 15. l. 1.

6. Consentiunt quæ sequuntur in capite huic meditationi: nam paulo post de his duobus conflat suam confessionem, protestationemque Petrus: *tu es Christus, filius Dei viui*: inuoluto in ly *tu*, iuxta interrogationem *filius hominis*. Nam vt ait vbi supra Sanctus Leo Papa; *vnum horum sine altero, non proderat ad salutem: & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solùm hominem credidisse, cum vtrumque esset pariter confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera Diuinitas.* Idcirco vt prætactum est in expositione Capitis huius, *testimonium resurrectionis Iesu Christi virtute magna reddebant Apostoli*; prout legitur Act. 4. Hinc, vt ibidem c. 4. *loquentibus illis ad populum, superuenerunt Sacerdotes & Magistratus Templi & Sadducæi, dolentes, quòd docerent populum, & annunciarent in Iesu resurrectionem ex mortuis.* In qua quidem annuncianda eloquentiores deprehenduntur Petrus & Paulus: Petrus quidem, capite 1. dicens, *oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati &c. testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Et cap. 2. *hunc Iesum resuscitauit Deus; cuius omnes nos testes sumus*: allegato prius Dauid in psalmo 15. *qui prouidens locutus est, de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in Inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Paulus etiam Actor. 17. vbi *Epicurei & Stoici Philosophi disserebant cum eo*: blasphemantibus nonnullis, *quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis*: palam contestatus, & Christi, & mortuorum resurrectionem. Cui quidem dogmati iungit Petrus; quod hic fassus fuerat; *tu es Christus filius Dei viui*, dicens Act. 2. *certissimè sciat ergo omnis Domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Nedum enim Christum, sed & Dominum esse perhibet. In hoc autem quòd resurrexit (Apocalyps. 1. *& viuus, & fui mortuus; & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.*) probari ipsius Diuinitatem, claret vndique: nàm vt idem ait Paulus, *crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*: 2. Corinth. vlt. Et iterum, *resurgens ex mortuis, iam non moritur: quod enim viuit, viuit Deo.* Vnde & Deo attribuitur ipsius resurrectio, antonomastica quadam ratione: Act. 2. *quem Deus suscitauit, solutis doloribus Inferni: iuxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo.* Nota ly *impossibile*. Vbi & adnectc de ascensione, subdens; *non enim Dauid ascendit in Cœlum; dixit autem ipse; Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: de quo & Paulus Hebræor. 1. Christi probans Diuinitatem ait; *ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* Vide quæ in expositione capitis huius dicta sunt, de consecutione ascensus in Cœlum post resurrectionem: & sustine ad Syntaxin Sancti Euangelistæ Marci: &, si Dominus dederit, ad caput 20. Ioannis: vbi quomodo Diuinitatis sit argumentum, Christi resurrectio, vberius palam fiet. Resurrexit quippe, fuitque necessarium præ alijs causis, M vt resurgeret; quia per eius resurrectionem, confirmata est fides nostra, circa Diuinitatem Christi. Et ecce cur ad signi huius ostensionem duntaxat, quasi ad analysin postremam reducat omnia; quia *si Christus non resurrexit*, (1. Corinth. 15.) *inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Hinc Augustinus super ps. 120. *fides Christianorum resurrectio Christi est.*

M 3. p. 53. 3.

7. Et si roges: cur, (cum tot suppetant ad Christi firmandam resurrectionem Scripturæ: nam *resurrexit secundùm Scripturas*, vt in Symbolo Niceno confitemur; & Apostolus ibi dicit conceptis verbis) hanc de Iona in medium hic & supra cap. 12. potiùs adduxerit? respondeo, vt innui, quia pluis cum Paganis, quàm cum alijs futura erat de Christi resurrectione concertatio: qui Scripturas non probabant; & ideo non tam ex Scriptura, quàm ex facto in Iona exemplificato, significat cum eis disserendum: idcirco enim videtur parcè admodum hic tangere Ionæ historiam: vt ea accepta veluti Archetypo, adscitis naturali ex ratiocinatione causis, quæ possibilem resurrectionem demonstrent; cum Gentibus decertetur. Quocirca Augustinus; *non eras; & es; & factus, non eris?* Præterea, quia Ionæ historia prædicationem eius factam Niniuitis inducit; quandoquidem, vt & fert Dominus ipse supra capit. 12. *pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: & hoc etiam implendum monet Christi resurrectio; quæ item necessaria fuit ad informationem N vitæ fidelium; secundùm illud Roman. 6. *quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*: & infra; *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur; ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.* Vnde & Petrus postquam edisseruit de Christi resurrectione de ascensu in Cœlum, sessioneque ad dexteram Patris Act. 2. iis compunctis adiecit, *pœnitentiam agite.* Nihil enim obnubilat, immo obtenebrat mentem, ne cor fidei præbeat, ac horror peccati, quod spiritalis quædam tenebra est lumini gratiæ sanctificantis obiecta, luminique fidei infensa. Idcirco *dilexerunt*, inquit Dominus Ioan. 3. *homines magis tenebras, quàm lucem*, (quæ vt ait, *venit in Mundum*) quia *erant mala opera eorum.* Et Ioannis 7. ex aduerso; *qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, cognoscet de doctrina; an ego à me ipso loquar, vel ab alio missus sim.* Hæc est causa, quare præmiserit; *generatio mala & adultera signum quærit*; &c. quo scilicet vellet quasi cogi ad doctrinæ eius credendum: sed vnicum fortius signum, est pœnitentiam agere tot de culpis; bona opera patrare; voluntatem Patris facere; Ionæ prædicationi obtemperare. Si secus fecerint, signo Ionæ qui ad pœnitentiam hortatus est, neglecto & contempto; nullum aliud expectent signum: eoquod superuacaneum ijs fieret, de quibus mox idem Petrus, quasi Domino accinens adiecit; *saluamini à generatione ista praua.* N loc. cit.

VERS. VI. *Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.*

Cùm *Pharisæi* vel ex nomine *separati* dicantur, hæreticos meritò referunt, qui amissa fide nec de corpore sunt Ecclesiæ, à cuius vnitate recedunt; quique anathemate, quo plecti digni sunt, à communione fidelium separantur. Docet quippe Angelicus in 4. Sentent. dist. 13. q. 2. a. 1. ex Isid., nomen hæresis græcum esse, & diuisionem importare: vnde & hæretica diuisiua dicuntur. Et quia in electione fit diuisio vnius ab altero, electio prohæresis dicitur; vt patet 3. Ethic. Latinè autem ab hærendo dicitur hæresis; quia suæ opinioni vehementer hæret. Hos, vt Sadducæos, quosque scilicet infideles, vbi de fidei dogmatibus agitur, amanter monet cauendos fermenti metaphora. Quā crediderim vti multis de causis. Primò quia vt dictum est supra, qui discredit articulum vnum, ad nullum retinet fidem: & sic rectè inducitur similitudo; quia modicum fermentum totam farinam, cui inijcitur, massam corrumpit; vniuersamque conspersionem mox suo sapore commaculat: suaque corruptione homines *corruptos mente* 1. Timoth. 3. significat. Secundò, quia dum fermentum, quo panis conficitur, exprimit, *cum huiusmodi nec cibum sumere* 1. Corinth. 5. commonemur. Tertiò ad intelligendam *in azimis* 8.

synce-

synceritatis & veritatis, fidei puritatem. Lepra etiam ex Augustino lib. 2. quæst. Euangeliorum cap. 40. falsam doctrinam insinuat; *Leprosi*, inquit, *non absurdè intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris*. Verùm non sic emicat ab opposito lepræ, puritas fidei, vt è regione ad fermentatum, in azimo pane. Benè autem *cauendum* præcipit: quando vt ibidem Augustinus, *nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat*. Vnde vera falsis inordinatè permista discerni oportet. *Intendite* inquit Dominus, nec dicit quò. Porro antonomasticè reor accipi; vt scilicet in Cœlum interioris hominis aciem intendamus. Sic in Collecta vigiliarum Ascensionis: *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, vt nostræ mentis intentio, quò solemnitatis venturæ gloriosus Auctor ingressus est, semper intendat*. Et Stephanus in Act. c. 7. *intendens in Cœlum vidit* &c. *& ait; Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei*. Illuc intendendum est, vt ab erroris fermento caueatur: nam *omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum*. Iacobi 1. Dicit autem Apostolus *fides Dei Donum est*, Eph. 2. & iterum; *vobis datum est non solùm, vt in eum credatis*; &c. Philipp. 1.

VERS. XII. *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*.

9. Quare fermenti similitudinem voluerit Dominus vsurpare, liquet ex paulo ante dictis; cùm potuisset vno verbo, nec tropicè dicere; *cauete à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*, sicuti c. præcedenti palam loquutus est: *sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum*. Sed insurgit adhuc quæstio, cur post fermenti metaphoram, curæ Matthæi fuerit ipsam conceptis verbis exponere intellectam à discipulis? *cauendum* scilicet esse *à doctrina Parisæorum & Sadducæorum*. Tot quippe sunt in Euangelio, quæ relicta sunt Sanctæ Ecclesiæ interpretanda, vt mirum videatur, sic æquiuocationem permissam discipulorum *de fermento panum*; vnde fieret Euangelistæ occasio soluendi ænigma fidelibus, dicendo ad literam de doctrina illorum intelligi. Respondeo ergo alto id factum esse consilio: quia cùm mox de Christi Domini vera humanitate ac Diuinitate requirendi essent discipuli, *quem dicunt homines esse filium hominis?* responsurusque Petrus esset: *tu es Christus filius Dei*; oportuit præmoneri, de reali & non metaphorica contextuum acceptione.

O 4. cōt. G. c. 29. Pro quo sciendum est ex Angelico, O fuisse quosdam qui veritate incarnationis negata, quandam fictitiam incarnationis similitudinem introduxerunt. Dicebant enim Manichæi, Dei filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse; vnde nec verus homo esse potuit, sed apparens. Neque ea quæ secundùm hominem gessit, sicut quòd natus est; quòd comedit, bibit, ambulauit, passus est & sepultus, in veritate fuisse; sed in quadam adsimilatione, consecuta. Et sic patet; quòd totum incarnationis mysterium ad quandam fictionem deducebant. Postquam autem cœpit errorem huiusmodi confutare; subdit Sanctus Thomas. Posset autem aliquis dicere Scripturæ Sacræ veritatem non deesse, dum id quod apparuit refert, ac si factum fuisset; quia rerum similitudines, nominibus ipsarum rerum æquiuocè ac figuratè nuncupantur; sicut homo pictus æquiuocè dicitur homo: & ipsa Scriptura consueuit hoc modo loquendi vti: vt est illud 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*: plurima autem corporalia in Scripturis de Deo inueniuntur dici propter similitudinem solam; sic cùm nominatur agnus, vel leo. Instat nihilominus fortiùs Sanctus Doctor subditque. Licèt rerum similitudines æquiuocè rerum sibi nomina interdum assumant: non tamen competit Sacræ Scripturæ, vt narrationem vnius facti totam sub tali æquiuocatione proponat; ita quòd ex alijs Scripturæ locis manifesta veritas haberi non possit: quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur; &c. Esset præterea tota euangelica narratio poetica & fabularis, si rerum similitudines apparentes, quasi res ipsas narraret; cùm tamen dicatur 2. Petri 1. *non enim doctas* (ex græca *sophisticas argutas*, & ad fallendum confectas) *fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem*. Deinde adijcit, quòd si quandoque veritas in Scripturis sub similitudinibus occultatur, inueniuntur aliqua in eisdem propriè dicta, per quæ veritas expressè manifestatur. Et si de veritate eorum, quæ de humanitate Christi dicuntur, sermo sit, sustinet, quòd nulla authoritas Sacræ Scripturæ hanc veritatem (dic, ne quidem vi metaphoræ vel similitudinis) excludit. Cum ergo, aio ipse, nedum de Christi humanitate, ac Diuinitate, sed & de ipsius morte & resurrectione attexendum esset; *quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere*; ne fortè ad solam apparentiam, exclusa veritate traherentur, præoccupare studuit Euangelista Matthæus falsum huiusmodi intellectum, astruens sub ipsis etiam similitudinibus subesse rei veritatem, & *in fermento* intelligentiam Pharisaicæ re ipsa doctrinæ. Non secus ac Diuus Petrus scripturus de Christi Domini transfiguratione loco nuper citato, præmisit; *non enim doctas fabulas secuti*. Cur non & Matthæus, qui mox cap. 17. trasfigurationem denarrat, præmoneret solerti studio de rerum attexendarum veracitate, quando realiter de doctrina fit sermo, etiam vbi similitudo fermenti præludit? Hinc itaque claret verè esse filium hominis; verè esse filium Dei; verè passum; verè occisum, verèque resurrexisse. Sic, ne in quadam adsimilatione acciperetur ambulasse, venisseque *in partes Cæsareæ Philippi, relictisque illis abijsse*, veri sensus grauidam esse metaphoram fermenti Matthæus aperit.

VERS. XVI. *Respondens Simon Petrus dixit; tu es Christus*; &c.

10. Docet Angelicus, P quomodo, cum credenda pertineant & ad fidem Trinitatis, & ad fidem Incarnationis, prius debemus credere ea quæ ad fidem incarnationis pertinent; deinde quæ ad Trinitatem. Meritò quidem, quia inquit ipse Dominus; *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*. Distinctio quippe emicat Personarum diuinarum etiam ex hoc, quod *Verbum caro factum est*, non autem Pater aut Spiritus-Sanctus. Habet item Hieronymus; ibi, *Filij Dauid, filij Abraham; vt per hominem Deum discere incipiamus*. Hic autem difficultas exurgit, de hac Petri confessione, quid specialiter habeat: ex quo prædicari *beatus* Petrus, *clauesque Regni Cœlorum* recepturus, immo possessurus esse meruerit. Certè Ioannis 1. v. 34. Baptista, dixit palam; *ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*: & Nathanael v. 49. respondit; *Rabbi tu es filius Dei*. Quocirca quædam glossa fertur, Q quod Nathanael fassus est non solum magistrum sed & filium Dei; ex eo quòd cognouit Christum absentem vidisse, quæ ipse in alio loco gesserat: quod est indicium Deitatis. Præterea Martha c. 11. ait illi; *vtique Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc Mundum venisti*. Dato enim, quosdam alios, (vt ij, qui erant in nauicula supra cap. 14. *verè filius Dei es*,) solummodo filium ex adoptionis gratia, putasse; hoc de Baptista certè, & etiam ægrè de Martha dici potest. Quid ergo prærogati-

P p. Cor. 15. L. 1.

Q de verit. q. 11. a. 3. ad 8.

gatiuæ habet Petri confessio, vt tot à Domino priuilegijs donandus sit? Respondeo prout mihi videtur, neque enim legi, qui aliàs quæsito occurrant, cariorem fuisse cunctis alijs Petri confessionem, quia inter fluctuantes hominum opiniones, tanquam immo tum medio mari saxum fidem professus est: idque publica veluti solemnique confessione: dixerimque non secus fecisse Dominum, ac consuescat Episcopus plurium admisso concursu exactoque examine, meritorum appensa trutina, hunc potiùs quàm illum Diœcesis curæ præficere. Sic Christus vni Ecclesiam suam commissurus, vbi & quando opus esset, Petrum prælegit. Consecutiuè autem ad præmissa duo miracula, de panis multiplicatione, instatur de fidei confessione; quia Christus Dominus, nedum in *Bethlehem*, quæ *domus panis*, natus est, suisque in fidelibus renascitur, sed *Bethlehem Iuda*: Iudas autem interpretatur *confessio*: supra c.2. *cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda*.

VERS. XVIII. *Et ego dico tibi; quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

11. Etsi *Cephas* dicatur *Petra*: quia viro nomen inditur, vt notat Tirinus, congruit, *Petros* græcè, latinèque *Petrus* dicatur; idem enim prorsus significant, puta saxum vel rupem. Sciendum tamen hebraicè petram saxum dici *selang*. Vnde *Chepha* Chaldaica vox est, significans petram. *Selang* autem aliquando capitur pro fortalitio. Et ideo non fuerit incongruum etiam *Chepha* id subinnuere, quia *portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam*. Radix Chephæ, *chil*. Quoniam verò, vt diximus, varia est loci huius interpretatio; pro quo nimirum supponat ly *super hanc petram*, arridet impræsentiarum magis, vt pro Petro confitente supponat; cuius confessionis professores solidè constanterque futuri erãt fideles. Ducor; quia decuit, visibilis Ecclesiæ, visibile relinqueret Dominus Caput; dum ipse mortalium oculis se subtraheret. Et ita Augustinus serm. 28. de Sanctis; *dignus certè* (de Petro loquitur) *qui ædificandis in Domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum*. Deinde quoniam vbi Amos 9. legitur; *in illa die suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit; & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo; & reædificabo illud sicut in diebus antiquis*, quod de spiritali tabernaculo Dauid, idest de Ecclesia Christi filij Dauid, nedum exponit Hieronymus; sed & communiter Orthodoxi cum Vigilio Papa in Concilio Romano ad literam interpretantur; vt videre est apud Tirinum ibidem Amos 9. (Nota nedum in Amos, sed & in psal. 5. tangi de tabernaculo mysticè, dum dicitur *in æternum exultabunt & habitabis in eis*. Item Leuit. 26. *ponam tabernaculum meum in medio vestri*. Quod ferens Apostolus 2. Cor. 6. legit; *quoniam inhabitabo in illis*, &c. Denique & Ezech. 37. *& erit Tabernaculum meum in eis*. Vnde Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*, Nam Deus habitat in Sanctis Eph. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Et Ierem. 14. *tu in nobis es Domine*: vt apud D. Thom. lo. 14. l. 1. lit. c.) Sanctus Iacobus Act. 15. ad Petri paulo ante præmissam narrationem confirmandam dicit; *Simon narrauit; quemadmodum primùm Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo: & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid* &c. ex Amos vbi supra cap. 9. Petrus autem pronunciauerat; *ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes Verbum Euangelij, & credere*: igitur, cùm nonnisi in doctrina sana ædificanda esset Ecclesia: fideique euangelicæ doctrina per os Petri diffundenda esset in Gentes, in Petro ipso, ipsiusque confessione videtur omnino hic perhiberi mysticè ædificandum: de quo Apostolus; *Dei ædificatio estis*: & iterum, *ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum; ipso*, tamen *summo angulari lapide Christo Iesu*. De quo etiam, fitque in confirmationem literæ Amos, ait Ezechiel c. 37. *fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, & erit tabernaculum meum in eis* &c. Sic & Sanctus Leo Papa Homilia de transfiguratione; *tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus sacram inuiolabilis Petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis Inferi, & mortis legibus præualeret: nec in soluendis aut ligandis quorumcumque causis, aliud ratum esset in Cœlis, quàm quod Petri sedisset arbitrio*. Et iterum; *soliditatem accepit de Petra Christo etiam ipse Petra*. Sic & Hilarius in Matth. can. 16. ait, *ò in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum!* &c. Iuxta ea quæ supra diximus, quanquam aliàs & de Ecclesia & de Petri primatu, minus apertè tactum est, vt cap. 10. de Conuocatione discipulorum, vbi *primus Simon, qui dicitur Petrus*, & de *Domo & Ciuitate*: nunc expressius ad literam, de Ecclesiæ ædificatione ac de Petri præfectura mentio fit: deque ea inconcussa, & immobili ac innutante, prout exposcit ratio fundamenti. Suffecturus autem Dominus loco sui Petrum, per cuius os, vt in Actis cap. 15. Gentes audirent *verbum Euangelij & crederent*, videtur mihi, idcirco tunc præcipere discipulis, *vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus*; vt caperent futuri fideles, quæcumque fidei sunt, Petri ab ore pendere, nec pro arbitratu fas esse de his quicquam firmare, nisi Petri ab oraculo esset acceptum; nisique eiusdem iussu ad prædicandum mittantur fidei verbum. Quod quidem futura textus satis prænindicat, temporis fixo aduerbio; nempe *tunc*: *tunc*, cùm de Petri indiuidua potestate promissio facta fuerat *super terram*: adiecto, *& tibi dabo claues Regni Cœlorum*. Adde prærogatiuam huiusmodi Simoni fuisse prædestinatam Ioann. cap. 1. *vocaberis Cephas*, præ alijs gratanter dandam ei merito confessionis. Quæ cogunt, speciale quid datum Petro, præ Apostolis alijs fateri. Dic primam clauem ad aperiendum Cœlum fidem esse: ideo commissis Petro Regni Cœlorum clauibus, ipsius esse dicere ex tripode, quæ sunt fidei. Taceant alij, quemadmodum loquente Petro Act. 15. *tacuit omnis multitudo*: taceant; ita præcipit Dominus discipulis, dum, *præcipit vt nemini dicant, quia ipse est Christus Iesus*. Et si loquitur Iacobus in Actis; non nisi *postquam tacuerunt*; immo nonnisi referendo se ad Petrum, dicens *Simon narrauit*; &c. vel ipso *Simonis* nomine, monens *ad obediendum* fidei; quandoquidem interpretatur *obediens*.

VERS. XXI. *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret* &c. *multa pati & occidi*.

Mirabilis Euangelici contextus ordo! Adnectit 12.
de sui passione ac nece, postquam de clauibus Regni Cœlorum locutus fuit: & qua de causa? Audi Angelicum: R claues à passione Christi efficaciam habent; per quam Christus aperuit nobis ianuam Regni Cœlestis. Sic & in Summa, S vbi quærit; *vtrum Christus sua passione aperuerit nobis ianuam Cœli?* quod affirmans inquit; per passionem Christi liberati sumus, non solum à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantùm ad culpam, & quantum ad reatum pœnæ, ipso soluente pretium pro nobis; sed etiam à peccatis proprijs singulorum, qui communicant eius passioni per fidem, & charitatem & fidei Sacramenta. Et ideo per passionem Christi aperta est nobis ianua Regni Cœlestis. Et hoc

R 4. cont. G. c. 72.
S 3. p. 49. 5.

hoc est quod Apostolus dicit Hebræor. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta*: & cap. 10. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet cœlestium, *in sanguine Christi*. Accedit compactionis euangelicæ caput aliud, quia præmissum est de Ecclesia: Ecclesiam autem *acquisiui*. vt dicitur Act. 20. *sanguine suo*. Ecclesiæ ergo suæ, se *sponsum sanguinum* facit Exodi 4. vt eiusdem fœcunditatem insinuet. Quam etiam supra columbæ typo *Bar-Iona*, Spiritus-Sanctus dicendus est fœcundare: cui subinde perpetuò adstare credendus est; neque enim seiunguntur in Symbolo articuli: *credo in Spiritum-Sanctum; Sanctam Ecclesiam*: ex quo & robur habet in hostes; ne præualeant Inferi portæ: iuxta quod in Collecta dicitur: *Da quæsumus Ecclesiæ tuæ, vt Spiritu-Sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur*. Quoniam autem de suæ passione ac morte iterum dicit infra cap. 20. & apud Marcum cap. 10. nec non Lucæ 18. & Lucas addit; *erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur*: immò prius; *ipsi nihil horum intellexerunt*, reor omnino historiæ non seruari ordinem, sed prænarrari à Matthæo hic quod postea secutum est, vt Syntaxin, quæ sic exigebat, subindicet.

VERS. XXII. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum*, &c.

13. Quemadmodum ait Lucas, *& erat subditus illis*: vbi Ambrosius; *non vtique infirmitatis, sed pietatis subiectio ista est*: ita & hic se Petro tanquam verum filium hominis, quasi morem gerere gaudet, sinens seorsum sumi, ac veluti de nimio amore increpari. Prout hominem ergo Petrus sic audet alloqui: sed Deum non obliuiscitur esse, dum ipsius in arbitrium refundit occidi & non occidi; dicens, *absit à te Domine; non erit tibi hoc*. Passus est autem Dominus excedere Petrũ, vt reor, alto mysterio: primò ne morum etiam improbitas officere vsquam credatur Cathedræ auctoritati; quando vix instituendus renunciatur Petrus Pontifex, lapsus nonnullius est capax, mereturque retroagi ceu aduersarius. Distingui oportet Sacerdotium à Sacerdote. Quantumuis sit Pontifex culparum labe notatus: non ideo desinit esse Christi Vicarius: neque enim Christus Petrum etsi reiectione dignum de Sede amouit. Oblatrent perduelles hæretici notantes Ecclesiæ Hierarchas, nec summo parcentes Pontifici: personas lacessent vtique, sed Muneri detrahere nequibunt: *omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite, secundum autem opera eorum nolite facere*, sententia Domini est. Deinde animaduertamus oportet, deliquisse Petrum, sed non cum publicè loquitur. Si priuatim, vt priuatus, inquiunt, Doctor, quid pronunciet, errore labi potest fallique & fallere: non ita cùm discipulorum omnium in persona loquitur, quod est vniuersalis Ecclesiæ subire vices: editis, discussisque subinde, aliorum opinionibus; vt in præsenti capite introductum est: *Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam*, &c. Benedictus Dominus, qui nostram ad informationem permisit, Petrum personaliter priuatim culpari, vt ex opposito inerrans haberetur concredito sibi in officio. Vnde cum Lucæ 22. dixit ei Dominus singillatim; *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: quia sermo est de fide eius relatu ad membra, seu fideles: quos imbuturus erat firmaturusque præceptis fidei, adiecit: *& tu aliquando confirma fratres tuos*: ac si dicat; tuum erit non aliorum, definire ac sancire quod credant: & vniuersaliter, vi illius dictionis associatiuæ *con*, *confirma fratres tuos*.

14. Quare autem ad hæc inductus sit Petrus? Respondere liceat; solerti quadam captum contemplatione; qua sui, & membrorum fidelium mortem ex causa fidei cauere optarat. Audita quippe Christi Domini futura nece, non potuit non deprehendere, instar illius discipulos morituros; (prænunciata sua passione inducere voluit discipulos ad suæ passionis sequelam ex Angelico 3. p. q. 45. 1.) sapiensque *ea quæ sunt hominum, non vero quæ Dei sunt*, instat veluti mutari de sua morte decretum: *absit à te Domine*: ne patiaris occidi: *non erit tibi hoc*: idest fiet consectariò, vt nec in membris, quæ tibi decet esse conformia, occidaris. Carnalis amor, timorque mortis, vt ita loqui, seu potius obloqui auderet, impulere Petrum. Qui tamen ex proximè adiectis à Domino, eruditus nedum, sed etiam viriliter animatus: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*, potuit deinde fidelibus ista sua prima intimare; *Christus passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*: & iterum; *Christo igitur passo, & vos eadem cogitatione armamini*. *Nec enim*, quod ait Leo Papa ser. 9. de Quadr. *dubitare debemus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in iis qui aderant, vniuersaliter audiebat*. De quo si praxin cupias, audi diuinum Ignatium Antiochenæ Ecclesiæ post Petrum, tertium Episcopum: fixus enim verbis Domini, dicentis hic: *quid enim prodest homini, si Mundum vniuersum lucretur?* nedum generoso & inflexibili animo, horribilem aggressus est mortem leonibus adiudicatus; sed iisdem à Domino mutuatis vocibus dixit, *ignes, cruces, ferarum concursus, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant; tantummodo vt Christum nanciscar. Nihil me iuuabunt fines Mundi, nec Regna huius sæculi. Melius est mihi emori propter Iesum Christum, quàm imperare finibus terræ*: quæ postrema verba resonant quod ait hic Dominus: *quid enim prodest homini si vniuersum Mundum lucretur*. Ad hæc Chrysostomus in hom. 57. in Matthæum, *Quoniam*, inquit, *multa de periculis, multa de passione sua, de morte & de cæde discipulorum locutus est Dominus; & aspera complura atque ardua eis iniunxit*, &c. *cum de Regno & de gehenna disseruerit; (nam in eo, quod dixit; qui inuenit animam suam perdet eam: & quicumque perdet eam gratia mei, inueniet ipsam; & in eo, quod ait reddet vnicuique secundum opera sua, Regnum & gehennam designauit) rudioribus ac ineptioribus, vt gehenna cerneretur, necessarium fuisset; sed cum illi probi essent ac perspicaces, satis fuit à melioribus confirmari*. Tangit mox secutam transfigurationem. Ita dixerim ego, mox à Domino dici de gustu mortis: *sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem; donec* &c. Introducit de morte, vt dulcem assuat illis futuram, qui *perdiderint animam suam*, sicut vitam præsentem propter eum. Certe quod gustatur, vel primoribus delibatur labiis, vix sentitur: vel gustu oblectat & sapit. Species mi lector in Ignatio, an mors illi visa sit mors, non potius gaudium. Sic Dorothea dixit, *nunquam in tota vita mea lætata sum sicut hodie*. Sic Agatha *lætissime & glorianter ibat ad carcerem; & quasi ad epulas inuitata agonem suum Domino precibus commendat*. Sic Vincentius *moras carnificum arguendo, ad pœnam alacriter properabat*. Et de Agnete Ambrosius; *non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum; læta successu, gradu festina, Virgo processit*. Hoc profectò, aut vix est sentire mortem, ideoque gustare: aut immo gustare, frui, delectari de morte. Et ad hunc sensum liceat sic exponere verba Domini, *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in*

Re-

Regno suo : ac si diceret ; gustare cupitis mortem, vix eam sentire immo appetere? nunquam id vobis dabitur, nisi ad æternam gloriæ mercedem oculo mentis feramini. Qui certæ spei intentione gloriam viderit, is mortem gustare poterit; secus non. Stephanus, qui *vidit Cælos apertos* oculis etiam corporeis, mortem non tam subijt, quàm gustauit. Nonnulli ex vobis accendentur ardore patiendi ad gustandam mortem, quia me transfiguratum in gloria videbunt. Nec ante ad vitæ contemptum, immo ad illud *cupio dissolui* eleuari poterunt, (quod est mortem gustare) quàm *videant*, oculo fidei, *filium hominis venientem in Regno suo*, vt dicant se concupiscere esse cum Christo. Ab his prælectis, qui ad tantam celsitudinem animi conscenso monte poterunt efferri discite omnes, vnde trahendus sit gustus mortis cuius aliàs *memoria amara est*. Sic attexit Dominus de libamine æternæ gloriæ; vt vbi de Ecclesia militante, contra quam nec *portæ inferi præualebunt* dictum fuerat, de eadem triumphante nonnihil præsagiretur. *Vt eius* (ita Leo Papa serm. de Transfig.) *sibi honoris consortium membra promitterent, qui in Capite præfulsisset: & totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum: in quo spes Sanctæ Ecclesiæ diuina prouidentia fundabatur*. Quod planè continuè Matthæi filum tenere est, qui *librum generationis Iesu Christi*, prout Caput est etiam Ecclesiæ, Euangelium suum nuncupat.

CAPVT XVII.

1 *ET post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit*
illos in montem excelsum seorsum : 2 & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit fa-
cies eius sicut Sol : vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. 3 Et ecce apparue-
runt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. 4 Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum : Do-
mine, bonum est nos hìc esse ; si vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum,
& Eliæ vnum. 5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, di-
2. Petr. 1. *cens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. 6 Et audientes*
d. 17. Sup. 3. d. *discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. 7 Et accessit Iesus, & tetigit eos : di-*
17. *xitque eis : Surgite, & nolite timere. 8 Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi so-*
lum Iesum. 9 Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens : Nemini dixeritis vi-
Matt. 9. b. *sionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. 10 Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes:*
11. *Quid ergo scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire? 11 At ille respondens, ait eis:*
Mal. 4. b. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. 12 Dico autem vobis, quia Elias iam venit, &*
5. Sup. 11. b. *non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic, & filius hominis passurus est*
14. *ab eis. 13 Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. 14 Et cum venis-*
Sup. 14. a. 9 *set ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens : Domine miserere filio*
Mar. 9. c. 17. *meo, quia lunaticus est, & malè patitur : nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam, 15 &*
Luc. 9. e. *obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. 16 Respondens autem Iesus, ait : O ge-*
38. *neratio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos? Afferte huc illum*
ad me. 17 Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.
18 Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt : Quare nos non potuimus eijcere illum?
Luc. 17. b. 6. *19 Dixit illis Iesus : Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fi-*
dem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, transibit, & nihil impossibile erit
Mar. 9. c. *vobis. 20 Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium. 21 Conuersantibus au-*
31. Luc. 9. e. *tem eis in Galilæa, dixit illis Iesus. Filius hominis tradendus est in manus hominum : 22 &*
44 Infr. 20. c. *occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. 23 Et cum venissent Caphar-*
18. *naum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei : Magister vester non*
soluit didrachma? 24 Ait. Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens : Quid
tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alie-
nis? 25 Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Iesus : Ergo liberi sunt filij. 26 Vt autem non
scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum : & eum piscem, qui primus ascenderit, tol-
le : & aperto ore eius, inuenies staterem : illum sumens, da eis pro me, & te.

VERS. I. *Et post sex dies, assumpsit Iesus Petrum, &c.*

1\. Quisnam fuerit mons iste, non exprimunt Euangelistæ, reor, ne in litera sistamus. Creditur tamen fuisse Thabor, pluries in veteri Testamento commemoratus. Suaderi potest; (A Genes. 49. ibi Nephtal.) quia Nazareth ex Hieronymo, (Matthæi 4. in Catena) vicus erat, iuxta hunc Montem Thabor. Et in eodem apud Angelicum A pluries manserunt Prophetæ. Diuus Petrus in sua 2. cap. 1. sic loquitur, *cum essemus cum ipso in monte sancto*. Ieremiæ 31. memoratur *mons sanctus* : ibi D. Thomas; idest mons Sion; ex eo enim doctrina legis & iudicium in totum Regnum diffundebatur propter Sacerdotes & Reges, qui ibi morabantur. Tu necte illud Isaiæ 2. *de Sion exibit lex* : vnde, quia de nube, vox Patris dixit *ipsum audite*, ad doctrinæ Christi diffusionem signandam, vt videbimus : ideo, *in monte Sancto*. Hinc psal. 2. *super Sion montem Sanctum eius*. Porro vbi conuenientiùs poterat specimen gloriæ ostendi, ac in monte? *Mons altitudo est : quid altius Cælo?* Inquit Matthæus *in montem excelsum*. Cumque perhibeatur in Sylua Laureti, miræ rotunditatis, perennitatem figura indicat. Et quia vertex eius campestris est planusque ad viginti stadia, varijsque generibus arborum consitus, meritò locus electus vi

quo-

quoque nominis extitit, vt amœnas Paradisi delicias præmonstraret. Interpretatur autem nedum *electio*, nedum *puritas*, sed *veniens lumen*; quod recolit Augustinus in psal. 88. eoquòd Christi splendor inde clarere debuit. Et quia etiam splendoris gloriæ facta est ostensio: de qua psal. 14. *quis requiescet in monte Sancto tuo?* ideo Petrus dicit; *in monte Sancto*. Trita est difficultas de consensu Matthæi Marcique cum Luca dicente *post dies octo*; quando inquiunt isti *post sex dies*. Sed hic ex Hieronymo occurrit Angelicus, à Luca enumerari extremos quoque dies; ab alijs verò intermedios duntaxat. Vtrobique certè non sine mysterio. Immò pressius notat Lucas tempus dum ait cap. 9. *factum est autem post hæc verba, ferè dies octo; & assumpsit Petrum*, &c. quia ipse octonarium numerum præ oculis habuit, vt mihi videtur, ex eo quod docet Angelicus; B nimirum obseruantiam dici Dominicæ successuram ex constitutione Ecclesiæ & populi Christiani obseruantiæ Sabbati. Quamuis, cùm octauo die C celebraretur festum cœtus atque collectæ: in quo colligebantur à Populo ea, quæ erant necessaria ad expensas cultus diuini, & significabatur adunatio Populi; & figuraliter congregatio fidelium in Regno Cœlorum, vt ibi tradit; ideo dici queat, addidisse ly *ferè*. Quoniam nonnisi post consummationem sæculi octaua dies completa erit & ætas, qua *configuremur corpori claritatis Christi*. Et dicit *ferè*, quia parui temporis est interiectus etsi multum videatur, iuxta illud Ioan. 16. *& iterum modicum & videbitis me*. Incepit autem percurritque octaua dies octauaque ætas resurrectionis & glorificationis, in Christo & priuilegiata Virgine & alijs, sed nondum completa est: ideo *ferè dies octo*. Matthæus autem etsi hoc tangat, aliò refert Saluatoris transfigurationem, vt commonefaciat in Petro fideles, ne mortem etiam atrocem expauescant, spe gloriæ fisi: quandoquidem immo *post sex dies* ea cernitur. Quod mihi liceat illustrare, ex illo Iobi cap. 5. *in sex tribulationibus liberabit te; & in septima non tanget te malum*: quod exponens D habet: *in sex tribulationibus* scilicet præsentis vitæ, quæ per sex ætates distinguitur, *liberabit te: in septima non tanget te malum*; Apoc. 7. *non esurient neque sitient amplius* &c. Interseritur autem ad rem E *de tribulationibus*; quia, Christus per suam passionem ad hoc peruenit, vt gloriam obtineret, non solùm animæ, quam habuit à principio suæ conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud Lucæ vltimo; *hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: ad quam etiam perducit eos, qui vestigia suæ passionis sequuntur; secundum illud Act. 14. *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnū Cœlorum*. Clauditque Angelicus cum Beda: *pia prouisione factum est, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortiùs aduersa tolerarent*. Quod & psal. astruit dicens; *cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum*. Dic ergo, benè *post sex dies*. Quod etiam Marci fuit significanter notare; quippe qui exantlatas miserias carnis nostræ pro scopo habet. Non desunt aliæ dierum horum interpretationes: Rabani, quia *post sex ætates futura est resurrectio*: Origenis, *quia sex diebus totus perfecti numeri factus est visibilis Mundus. Vnde qui transcendit omnes res Mundi, potest ascendere super Montem excelsum, & gloriam respicere Verbi Dei*. Sed germanior cohærentiorque vt constat nostra est expositio: nam capite præcedenti Petrus qui beatus fuerat renunciatus, optauerat necem declinari; dicens *absit à te Domine: non erit tibi hoc*. At *post sex dies*: ac si narratione huiusmodi exprimeretur; *potestis bibere calicem*, Matthæi 20. & Marci 10. *quem ego bibiturus sum*, vbi de Regno fit mentio: *dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam & vnus ad sinistram in Regno tuo*. Et ita etiam ex Apostolo Rom. 8. *si tamen compatimur, vt & conglorificemur*. Vnde & Augustinus serm. 44. de Sanctis, loquens de Martyre ait; *cuius glorificationi sicut congaudet Ecclesia; sic eius proponit sequenda vestigia; si enim compatimur & conglorificabimur*.

B 2. 2. 111. q. 4. ad 4.

C p. 2. 102. 4. ad 10.

D opusc. 7. §. 11.

E 3. p. 45. 1.

At dicet quis, cur Lucas planiùs non scripsit *die octauo transfiguratus est?* quemadmodum cap. 1. de Baptista; *& factum est die octauo venerunt circumcidere puerum*? Respondeo voluisse Euangelistam, vt attentè consideremus transitum prærequisitum ad gloriam: nam vt dicitur Iudith. 8. *Sic Isaac sic Iacob sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles*. Si scripsisset Matthæus *die octauo*, non sic eminuisset exactio transitus huius pœnalis atque mortiferi. Et si roges iterum, cur adiecerit Lucas ly *ferè*: adhuc dicendum ad literam; quia potuisset aliàs accipi transfiguratum esse die nona, quæ sequitur post dies octo: studuit autem intra octauam diem contineri intelligentiam; quia octaua dies est reuersionis nostræ ad nostrum principium; quandoquidem, post diem septimam, qua Deus Genesis 2. *requieuit*, nihil superest, nisi ad primam reuerti; & ad principium, ac finem omnis Creaturæ, qui Deus est, glorificatos congregari. 2.

Quare assumpserit delegeritque inter alios Petrum Iacobum & Ioannem: Respõdet Angelicus ex Chrysostomo F assumpsisse eos tanquam potiores. Nam Petrus excellens fuit in dilectione, quam habuit ad Christum; & iterum in potestate sibi commissa: Ioannes verò in priuilegio amoris, quo à Christo diligebatur propter suam virginitatem; & iterum propter prærogatiuam euangelicæ doctrinæ: Iacobus autem propter prærogatiuam martyrij. Non secus G & in præsenti, dicens; quia Petrus magis feruidus erat: Ioannes quia specialiter dilectus: Iacobus quia præcipuus debellator erat aduersariorum fidei. Vnde Herodes eum occidit. Act. 12. Ambrosius in Euangelium Lucæ lib. 7. c. 41. *Petrus ascendit, quia claues Cœlorum accepit: Ioannes, cui committitur Mater: Iacobus, qui primus solium Sacerdotale conscendit*. Verùm quoniam ex eodem Chrysostomo præ alijs rationibus adducuntur H Moyses & Elias in medium: eo quod isti morti se exposuerunt pro Deo: nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni, Elias verò Regi Achab: & hoc, vt confirmaret discipulorum animos de sua passione & morte: liceat cohærenter dici, propterea istos delectos; quia Petrus noluerat paulo ante audire de nece: *absit à te Domine non erit tibi hoc*: & sic ab exemplo Moysi & Eliæ reuinceretur: Iacobus autem & Ioannes adhuc minus eruditi cupiebant, vt retuli, Regnum immemores calicis, hoc est passionis mortis. Discant ergo qua via pertingere possint ad gloriam, vbi Moyses & Elias, qui vitam pro Deo contempserunt, testes adsunt. Dicamus etiam quod aliàs habet Chrysostomus: *ne aut sua aut Domini morte doleant: & maximè Petrus*. Et sanè ducens eos in montem præcelsum, laborem & fatigationem docuit; post quas duntaxat quies æterna eos maneat. Quod fuit exercere eosdem in præuijs morti: iuxta quod Adæ labores sudoresque mortis nuncia definiti fuere: Genes. 3. *in laboribus comedes ex ea* &c. *in sudore vultus tui*, &c. *donec reuertaris in terram*. 3.

F 3. p. 45. 3. 4.

G D. Th. hic.

H 3. p. cit. a. 3.

VERS. II. *Et transfiguratus est ante eos* &c.

Deitatis ineffabilem & inaccessibilem visionem, quæ in æterna vita mundis corde seruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati, intueri poterant & videre; nimirum discipuli: verba sunt Leonis in homilia transfigurationis. Quare dicendum est, I claritatẽ, quam Christus in transfiguratione assumpsit; 4.

I 3. p. 45. 2.

psit, fuisse claritatem gloriæ, quæ in corpore glorioso ab animæ claritate deriuatur: in Christi autem corpore deriuata est etiam à Diuinitate. Ad suæ ostensionem Maiestatis sensit D. Leo ibidem se transfigurasse. Verum si ad præmissa reuertamur, & modum transfigurationis perpendamus, alio speciatim fine facta esse deprehenditur, quem pariter tangit dicens; *cum de Regno & gehennâ dissereret; in eo quod ait, reddet vnicuique secundum opera sua, Regnum & gehennam designans; Regnum quidem vt oculis cernatur concedit; gehennam autem minimè;* &c. scilicet, vt præhabet, *ne sua morte* (discipuli) *doleant*. Timor quippe animam inuadit, auditis passione ac nece, (supra; *multa pati à Senioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum & occidi.*) prout dehortatione Petri agnoscitur; *absit à te Domine* &c. Sed retributionis promissio animos addit; cuius nimirum specimen transfiguratus hic exhibet. Ac si diceret, si necari propter me eueniat, animamque vnà cum corpore angi & torqueri, haud refugiatis martyrium, illius potiùs flagretis desiderio; quandoquidem futurum est, vt in mercedem & anima & corpus glorificentur; spectate me facie instar Solis resplendentem, vestimenta dealbata sicut nix. Pro facie quis ambigat animam accipi, quando Deus creans hominem Genes. 2. *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; & factus est homo in animam*
L p.p.91. 4.4. *viuentem?* nempe quia ex D. Thoma, L operationes vitæ magis manifestantur in facie hominis propter sensus ibi existentes. In vestimentis cur non significari intelligatur corpus? quando Apostolus ad eundem sensum ait; *ingemiscimus habitationem nostram, quæ de Cœlo est, &c. si tamen vestiti, & non nudi inueniamur; eo quod nolumus expoliari;* ita vt
M 2.Cor. 5.l.1. non corrumperetur M corpus nostrum post mortem. Pertinuit autem ad Euangelistam Matthæum de facie resplendente sicut Sol docere prius, ad innuendum animam ante corpus glorificari; contra errorem quorundam Græcorum, qui vt refert Ange-
N 4.Cõt. Gent. ca. 91 in calce. & p.p. q. 64 4. ad 3. & 2. Cor. 5. & Ioan. 14. l. 1. in calce. licus, N somniarunt animas ante corporum resurrectionem, non ascendere ad Cœlum, sed beatitudinem differri, vsque ad diem iudicij. Etsi autem vtrumque statim apparuisse credendum sit; faciem scilicet instar Solis, & vestimenta instar niuis: attamen, dum sic discretè prænarratur de facie, videtur innui præcedere beatitudinem animæ, corporis autem expectandam: Ex quo factio commemoratur in qua tempus insumi solet; *vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*. Et ad idem Marcus morosum exemplum attulisse putandus est, dum inquit; *candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere*. Quòd si numero dierum ætates Mundi accipiantur, *post sex dies* fit transfiguratio, non expectata octaua ætate resurrectionis; animabus Sanctis post mortem huius sæculi in quo currit sexta ætas, glorificatis. Quod autem admirabilius ostendit, per faciem, quæ *resplenduit sicut Sol*, animæ claritatem notari, sicut in vestimentis claritatem corporis; est Marci textus; in quo nulla fit mentio de faciei splendore, sed solùm de vestimentis; quia scilicet ipse regenerationem corporis habet in scopo sui Euangelij, non autem animæ regenerationem, quæ Matthæo propria est: quamuis Matthæus hic faciem habeat, vel per transennam, Leonis; Sacramentum secundæ regenerationis tan-
N 3. p. 45.4.2. gens, vt loquitur N Diuus Thomas. (Ambrosius lib. de mysterijs initiandis cap. 7. *Christi erant candida vestimenta sicut nix, cum resurrectionis suæ gloriam in Euangelio demonstraret*). Lucas ad neutrius nec Matthæi nec Marci declinans scopum, sic rem versat; vt factum denarret sistendo in apparitione, quasi abstinens ab ijs, quæ in apparitione præsagiebantur; *facta est*, inquit, *dum oraret species vultus eius altera, & vestitus eius albus & refulgens*.
Dicitur autem resplenduisse facies Domini sicut Sol O propter excellentiam claritatis; nulla enim creatura tam lucida est vt Sol. O Apoc. 1. Com. 1.

Sed obijcit hic P quia *iusti fulgebunt sicut Sol*; 5.
vt patet supra cap. 13. ergo splendor Christi maior non erit alijs. Respondet; dico, quòd sic; sed quia in his sensibilibus non est clarius, cui possit comparari; ideo Soli comparatur. Et hoc est responsum Chrysostomi in Catena. Et in allegata Apocalypsi fert Hilarium dicentem; immo plus centies quàm Sol Christi faciem resplenduisse. Verum, quia non additur hic prout in Apocalypsi *sicut Sol in virtute sua*, idest Q in meridie, in centro Cœli, sublatis nubibus; liceat nobis existimare idcircò parcè locutum Euangelistam; quoniam Dominus, non omnino refulgere voluit in facie sua gloriam, sed attemperare dignatus est gloriæ redundantiam, ne aspectum discipulorum offenderet. Quamuis aliunde hoc præcautum esset; nimirum, ex Angelico, R quia claritas illa erat similis claritati gloriosi corporis, quæ visum non corrumpit, sed permulcet: vnde Apocalypsis 21. comparatur claritati iaspidis, qui lapis item visum mulcet & delectat. Nota ex eodem S claritatem vultus Moysi non fuisse eiusdem rationis cum fulgore corporum glorificatorum, quamuis extiterit similis; & ideo vt dicitur Exodi 34. *posuit Moyses velamen super faciem suam*; eo quòd *non possent filij Israel* (2. Cor. 3.) *intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius*, &c. Quocirca radicem tradit discriminis dicens; T claritas intensa non offendit visum, in quantùm agit actione animæ; sed secundùm hoc magis delectat; offendit autem in quantùm agit actione naturæ, calefaciendo & dissoluendo organum visus, & disgregando spiritus. Et ideo claritas corporis gloriosi, quamuis excedat claritatem Solis, tamen de sua natura non offendit visum sed demulcet. Vlteriùs coercuisse crediderim splendoris excessum, quia non tam sui, quam nostram futuram studuit ostendere claritatem; qua præostensa, & pati & mori pro illo haud dubitaremus. Ac si tacens dixisset Dominus; *Ecce mercedis æternæ exemplar mea lucet in facie*. Et fortè signanter scribit Euangelista de facie instar Solis; quia referendo ad animæ claritatem, quæ immortalis est; decuit incorruptibilem creaturam aduocari in similitudinem: & quia corpus natura sua corruptibile est, ipsius candor typo vestimentorum, niuis, quæ facilè corrumpi potest proportione signatur. Planè Sanctus Doctor, V assumpsit, inquit, claritatem in figuram futuræ claritatis, quæ erit in Sanctis. Denique quod docet Angelicus, claritatem transfigurationis non fuisse per modum qualitatis immanentis & afficientis ipsum corpus; X sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cum aer illuminatur à Sole; dic emicare in simbolo niuis, quæ vel vbi Sol irradiauerit, transit dum soluitur. D. Dionysius de diuinis nominibus cap. 1. nostram futuram Christiformem claritatem hinc exemplicat dicens: *sicut circa discipulos in illa diuinissima transformatione manifestissimis circa nos splendoribus*.

P D.Th. hic & in Apoc. — Q Apoc. ibi. — R 3. sent. 16.q.2.a. 1.4. — S ibid. a. — T 4 Sent. 46.2.4.q. 2.2. — V 3. Sen. 16.2.1.1. — X 3.p.45. 2.

VERS. III. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias*.

Plures colligit rationes A præsertim ex Chrysostomo, cur potissimùm Moyses & Elias adducantur in medium; prima; quia turbæ dicebant, eum esse *Eliam vel Ieremiam, aut vnum ex Prophetis*, ideo Capita Prophetarum secum ducit; vt saltem hinc appareat differentia seruorum & Domini. Secunda; quia Moyses legem dedit; Elias pro gloria Domini æmulator fuit. Vnde per hoc quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudæorum accusantium Christum, tanquam transgresso- 6. A 3. p. 45.3.3.

rem

rem legis, & blasphemiam: &c. Sanctus Leo Papa in Sermon. ait; *vt verissimè in illa quinque virorum præsentia compleretur, quod dictum est, in duobus vel tribus testibus stat omne verbum.* Sed Sanctus Thomas in Ioannem cap. 3. l. 4. ideo coram ijs transfiguratum ait, vt intelligeretur in futura illa gloria & noui & veteris Testamenti iustos gauisuros. Sciendum est autem apparuisse Moysen per aliquod B corpus assumptum ab ipsius anima, sicut Angeli apparent; non verò suum resumpsisse corpus: Elias autem apparuit in proprio corpore; non quidem de Cœlo Empyreo, allato, sed de aliquo eminenti loco, quò fuerat in curru igneo raptus. Scitè Ecclesia; *Deus qui fidei Sacramenta, in Vnigeniti tui gloriosa transfiguratione, Patrum testimonio roborasti.*

B 1. p. 45. 3. 2.

VERSV eodem; *Cum eo loquentes.*

7. Exprimit de quo esset collocutio solus Lucas capit. 9. *& dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Matthæus id subticet, & Marcus. Ratio potest esse arcana; quia Matthæus noluit coarctari crederetur colloquium, ad solius passionis & mortis confabulationem; ampliorem enim in vniuersum fuisse sermonem ipsorum ad inuicem tacitè commonere nos voluit, prout euangelici sui procursus exigebat connexio, de qua in Syntaxi. Marcus etiam ibi cap. 9. abstinet à colloquiorum materia, eo quòd ipse pro instituto magis habuit de Christi resurrectione, vt patet, & de consectarijs ad illam, quàm de ipsius passione ac morte euangelizare. Præterquam Lucæ potiùs, quàm Marci mortem Domini erat annunciare, vtpote de cuius mysterio pressius erant euincendi Iudæi increduli, quibusque futura erat Crux Christi, *scandalum*; iuxta quod ait Apostolus 1. Corinth. 1. *nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum.* Iudæos quippe speciatim aggreditur Lucas, qui legem euacuatam veterem contendit ac demonstrat. Et quod iterum mireris in Marco est; commemorari ab ipso prius Eliam, deinde Moysen; quod nec Matthæus nec Lucas fecere: ait enim; *& apparuit illis Elias cum Moyse*; dum è contra ab alijs Moyses præponitur. Nunquid casu, aut inaduertentia? absit; quando nec iota nec apex prætereundus est iciunè; vt de lege firmat Dominus Matthæi 5. Fas sit ergo rimari causam ex Diuo Thoma, qui memorans Henoch & Eliam, quorum neuter mortuus creditur, habet; c data sententia mortis, voluit Dominus ducere homines in spem vitæ: quod fecit in Patribus vtriusque status, scilicet naturæ ac legis; immò & gratiæ. In primo statu, dedit spem euadendi necessitatem mortis, in Henoch; tempore legis, in Elia; tempore gratiæ, in Christo; nam *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Dic ergo ex hac doctrina, qualiter Marcus occasionem nactus in Elia tangendi spem immortalis resurrectionis, nondum mortuum, & in spem vitæ æternæ seruatum, Eliam prætulerit Moysi iam præmortuo & antiquiori. Et nota mirabilius. Quia enim Dominus Saluator adhuc noster dicitur, prout corporum nostrorum est reparator; iuxta illud Osee 13. *de morte redimam eos*; & Philipp. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*; vt Saluatori, hoc acceptum referat singulariter Marcus pro suo Instituto, Saluatoris nomen bis repetit in contextu dicens; *& erant loquentes cum Iesu*: & iterum; *& respondens Petrus ait Iesu: Rabbi, bonum est*, &c. Quod quidem in alijs Euangelistis haud inuenies. Nomen enim *Iesu*, qui Saluatoris est; Matthæi 1. *vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, vt saluationem etiam corporis nostri, per ipsum insinuet; signanter recolit. Quanquam dici possit, idcirco exprimi; quoniam literæ insistit historiali, vt personaliter *cum Iesu* collocutos Eliam, & Moysen nobis consideret. Quod quidem Matthæus, ad aliam nos trahens intelligentiam pro Syntaxis continuatione, tacere maluit, dicens, *cum eo loquentes.*

C Hebr. 11. l. 1.

VERS. IV. *Respondens autem Petrus*; &c. *Si vis faciamus hic tria tabernacula; tibi vnum*, &c.

Textus hic ægrè solubilem inuoluit quæstionem: collaudant enim nonnulli Sancti Patres Petri desiderium; sed altera ex parte, trahuntur alij in increpationem, ex eo quod Lucas post Petri verba adiecit; firmans de ipso, *nesciens quid diceret.* Remigius ad hæc: *visa Domini Maiestate & duorum seruorum, Petrus adeo delectatus est; vt cuncta temporalia obliuioni traderet, & ibi in perpetuum vellet manere. Si autem tunc Petrus sic accensus est, quanta erit suauitas & dulcedo videre Regem in decore suo, & interesse Choris Angelorum, & omnium Sanctorum? In eo sanè quod ait Petrus; Domine si vis; deuotionem subditi & obedientis ostendit.* Sanctus Leo Papa in Serm. de Transfiguratione, similiter ait; *his ergo Sacramentorum reuelationibus Petrus Apostolus incitatus, mundana spernens, & terrena fastidiens, in æternorum desiderium, quodam mentis rapiebatur excessu; & gaudio totius visionis impletus, ibi cum Iesu optabat habitare, vbi manifesta eius gloria lætabatur.* Sanctus Thomas D etiam habet; *ex nimio feruore videns gloriam, ita affectus erat, quòd nunquam voluisset separari, si Deus voluisset; & quid erit de illis, qui in gloria erunt perfecta? Vnde existentes in illa beatitudine, nunquam volent separari; psalm. 72, mihi autem adhærere Deo, bonum est: dicens autem, si vis; benè dixit, quia voluntatem nostram debemus submittere voluntati diuinæ.* 8.

D D. Th. hic.

9. Hisce tamen non obstantibus, non possunt Patres non incusare Petrum, quasi oblocutum. Hieronymus; *erras Petre: noli tria Tabernacula quærere, cum vnum sit Tabernaculum Euangelij, in quo lex & Prophetæ recapitulanda sunt. Si autem quæris tria Tabernacula, nequaquam seruos cum Domino confer; sed fac tria Tabernacula, immo vnum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; vt quorum est vna Diuinitas, vnum sit & in pectore tuo Tabernaculum.* Remigius; *errauit etiam, quia voluit, vt Regnum electorum constitueretur in terra; quod Dominus promiserat dare in Cœlis. Errauit etiam, quia oblitus est, se & socios esse mortales, & absque gustu mortis, voluit subire æternam felicitatem.* Rabanus; *errauit & in eo quòd Cœlesti conuersationi, Tabernacula facienda putauit; in qua Domus necessaria non est, cum scriptum sit; Templum non vidi in ea.* Has omnes expositiones recolit, ornatque sententijs materiæ opportunis, E Diuus Thomas. Origenes (vt in Catena) reputat id dixisse, desiderio adhuc ne Christus moreretur; & hoc post increpationem non ausus palam, occultè insinuat. *Cogitauit enim, quòd si hoc fieret, non ascenderet Ierosolymam: ibi enim solebat Scribas insidiari ei. Cogitabat etiam, quòd Elias aderat, qui in monte ignem descendere fecit: & Moyses, qui intrauit nebulam, & Deo locutus est: vnde occultari poterant, vt nullus persecutorum sciret, vbi essent.*

E D. Th. hic.

10. Verùm, & adhuc sumus in angustijs; quandoquidem durum videtur Petrum errore multiplici lapsum credere, postquam tanto irradiatus fuit lumine, vt filium Dei viui Christum hominem fassus sit, Absonum quoque est Lucæ conniuere sententiam, qua prompsit; *nesciens quid diceret*. Itaque operæ-pretium est, accuratiùs rimari finem gloriosæ huiusmodi transfigurationis: qui profectò præcipuus etiam fuit ex Chrysostomo Homilia 57. vt *confirmarentur discipuli ad tolerantiam passionum & cædis propter Dominum; ne sua morte dolerent; & maximè Petrus*. Hac prælibata animaduersione, qua eosdem discipulos *probos & perspicaces* asseuerat, ideoque non symbolo aliquo gehennæ, (de qua tamen Dominus prædisseruerat) sed à melioribus, hoc est visu gloriæ confirmatos; consectarium sine dubio est, suaderi, reddidisse eos quodammodo ferreos & adamantinos ad tolerantiam verberum sectionum & necis. Quod tandem re ipsa compertum est: cuius in martyrio præcellentiæ indicium potuit esse ipsorum delectio: eoquòd vt ait Diuus Ambrosius libr. 5. Comm. in Lucam; *omnes magni, omnes sublimes montem ascendunt. Quare in Euangelio inuenies, solos cum Domino montem ascendisse discipulos*. Adde ad rem nostram, sic eloqui Marcum; *duxit illos in montem excelsum seorsum solos*. Dicendum igitur ipsos mortem non vltra timuisse. Et certè *consideratio præmij minuit*, quod ait Gregorius, *vim flagelli*. Non potuerunt vltra timere mortem, qui Pastores erant instituendi boni, dum *bonus Pastor* Ioann. 10. *animam suam ponit pro ouibus suis*. Et hoc ipsum præcipuè de Petro credendum est: vnde audacter dixit; *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Veruntamen quoniam Spiritus-Sancti robur humanitate non exuit homines, fit, vt quamuis ratio deliberata sciens & prudens minimè mortem etiam atroci inflictam supplicio pro Christo timeat; nihilominus sensualitatis motu, naturæque voluntate eam homo refugiat: vt hac de veritate erudirentur in Petro fideles, voluit Dominus, vt per Petrum talia proferrentur verba, quæ humanum affectum proderent Athletarum omniū, heroicæ quoque fortitudinis indiuisum comitem. Sic ergo, vt quod ait Petrus; *Domine, si vis, faciamus hic tria Tabernacula*, ad nostram doctrinam idem sonet, ac, *Domine adhuc motu sensualitatis & voluntate naturæ mors refugitur*. In cuius signum, quòd ita responderit, omnino absque vlla increpatione Dominus passus est.

11. Hoc vt clareat, considerandum, quidnam sit, & significet Tabernaculum: manifestum enim fiet inde, quàm appositè huiusmodi periphrasi, Petri verba inuertemus. Plura de Tabernaculo diximus Exodi 26. & alibi. Nunc recolamus, Tabernaculum F ad militantes attinere. Vnde milites post victoriam Tabernacula deponunt G, & ad proprias domos redeunt. Per Tabernaculum etiam antiquæ legis, ante ædificationem Templi, significabatur H status præsentis vitæ mutabilis. Et sic, me iudice, dum Petrus inquit *faciamus hic tria Tabernacula*, nihil aliud intelligit & intendit, nisi moremur in vita præsenti, nec moriamur, *si vis*. Quare, cum peregrinorum quoque sit in Tabernaculis esse: vnde Hieronymus in psalmo 14. *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo?* legit *quis peregrinabitur?* Quid mirum, si peregrinari Petrus desideret? Sanctus Paulus 2. Corinth. 5. habet; *dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Ergo si Petrus optabat Tabernacula fieri, in quibus euenit peregrinari, optabat, vno verbo, non mori. Et quidem indulgendum ei erat; quandoquidem si

F ps. 45.
G 2. Petri 1.
H p. 2. 10a. 4. 6.

Apostolus Paulus locô allato, huiusmodi peregrinationem in corpore, audacia certè, timoris expulsiua solummodo spernit; cur Petrus arguendus, si peregrinari in corpore adhuc desideret, quando (quod Paulo non dabatur) præsentia Domini, ibi transfigurati frui poterat? Ne ergo mortem subiret Petrus cum discipulis, sed viueret potius in sui corporis Tabernaculo, de Tabernaculis meminis. Et hanc esse legitimam verborum eius de Tabernaculis intelligentiam, ex eo quoque claret, quod in sua *Epistola secunda*; vbi Christi transfigurationem mox commemorat, præmittit, de corporis sui Tabernaculo, dicens; *velox est depositio Tabernaculi mei &c. dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, &c.*

Et si vrgeas. Quare de ipso sic loquente, dicatur apud Lucam; *nesciens quid diceret*? Respondeo: non esse scriptum in Petri reprehensionem, sed ad nostram doctrinam. In primis, quia nescientia, etsi vulgari sensu culpabilis videatur, inculpata est. Ignorantia quippe ex Angelico I in hoc à nescientia differt, quòd nescientia dicit simplicem scientiæ negationem. Vnde cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas; secundum quem modum Dionysius in Angelis nescientiam ponit. Ignorantia verò importat scientiæ priuationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire. Quocirca, vt erudiamur, quandonam sit ignorantia culpabilis seu vincibilis, quando inuincibilis & inculpabilis; recolamus oportet egregiam Sancti Thomæ doctrinam. Quærit in p. 2. q. 76. a. 2. *vtrum ignorantia sit peccatum*. Objicit autem sic. Omne peccatum per pœnitentiam tollitur; nec aliquod peccatum transiens reatu, remanet actu, nisi solum originale; ignorantia autem non tollitur per pœnitentiam, sed adhuc remanet actu, omni reatu per pœnitentiam remoto: ergo ignorantia non est peccatum; nisi fortè sit originale. Respondet. Ad quartum dicendum, quòd licèt transeunte reatu per pœnitentiam remaneat ignorantia, secundum quòd est priuatio scientiæ; non tamen remanet negligentia; secundum quam ignorantia peccatum dicitur. En ergo ex quo fit quis culpandus si nesciat: cum scilicet negligenter se gerit, in eorum perquisitione & examine, quæ tenetur & potest intentè ac studiosè perscrutari. Tunc enim, ex eodem Angelico in 2. 2. q. 54. a. 1. & 3. negligit, cum ex quadam remissione voluntatis, ratio non solicitatur de agendis, vt præcipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet. Importat quippe negligentia debitæ solicitudinis defectum. Sed quoniam quis posset instare debuisse Petrum scire illa, ex quibus paulo ante à Patribus, vt vidimus, incusatus est: ideoque ignoranter locutum. Dico non solum gratis confundi proprietates vocum nescientiæ & ignorantiæ, quando Lucas in eodem capite aliàs ignorantiæ verbo vtitur, dicens; *at illi ignorabant verbum istud*. Quod valde perpendendum est in Luca humanis etiam literis excultissimo. Sed vlterius pergens addo; nihil aliud voluisse significare Lucam, cum ait, *nesciens quid diceret*, nisi homines in Petro, quantumuis fideles futuros Martyres, eisdem subijciendos carnis affectibus, de quibus edocet Paulus Roman. 7. dicens; *quod enim operor, non intelligo*. Et adhuc in subiecta materia; quia mors ratione deliberata non refugiebatur à Petro, sed motibus sensualitatis & naturæ; qui quoniam iudicium rationis non concernunt, esse à nesciente dicuntur: & ita, *nesciens quid diceret*. Quod & ex Marco c. 9. deducitur aiente; *non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti*.

12.

I p. 2. 76. 2.

 

13. Nec videatur violenta & extorta huiusmodi nostra

stra expositio: quandoquidem constans est doctrina, quam suprà tetigimus, de triplici actu hominis erga mortem, sensualitatis scilicet, naturæ, & voluntatis deliberatæ. De quibus rursus Angelicus M hæc tradit. Voluntas simpliciter hominis, est rationis voluntas; hoc enim simpliciter volumus, quod secundùm deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus secundùm motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur vt natura, non *simpliciter* volumus, sed *secundùm quid*; scilicet si aliud non obsistat; quod per deliberationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas, magis est dicenda velleitas quàm absoluta voluntas; quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret. Vides, mi lector, quomodo hæc & in textu clarent; non enim Petrus simpliciter Tabernacula expetit, sed sub regula Christi voluntatis, dum ait, *si vis*. Nouerat enim obsistere posse diuinum ipsius beneplacitum. Et in hac animi ad ipsiusmet nutum præparatione, voluntas Petri deprehenditur deliberata: cui contraria minimè euadit aliena naturæ & sensualitatis velleitas. Quòd si velleitatem huiusmodi agnoscimus, non video cur tam acriter de errore Petrum notemus; cùm non asserat Lucas errasse, sed nescijsse; *nesciens quid diceret*.

M 1. p. 21. 4.

14. Dic ergo permisisse Saluatorem, vt in verba hæc Petrus erumperet, ad fidelium qui animam suam pro ipso ponerent, eruditionem; ne turbarentur, quandoque correpti, naturæ aut sensualitatis timore, deliberata ratione ac voluntate impauida stante. Ex appetitu naturæ N ait Sanctus Doctor, surgit timor mortis. Et alibi O inter animam & corpus est adeo naturalis amor, quòd nunquam vellet anima à corpore separari, nec è conuerso; 2. Cor. 5. *nolumus expoliari, sed superuestiri*; Matthæi 26. *tristis est anima mea vsque ad mortem*. Cæterùm hoc non obstat, quin homo ratione deliberata morti obuiet, mortemque gustare queat; immo alta consideratione, & Christi qui pro nobis mortuus est, & æternæ mercedis fide, mortem re ipsa gustet. Ad quem perfectionis statum euehere discipulos intendit Dominus dicens capite præcedenti, *non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno suo*: nihil omnino officiente quod legitur Iob 6. *aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* cui ex aduerso per gratiam extat illud Philipp. 1. *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*; tanta quandoque Sanctorum fortitudine; vt timor omnis abierit deuictus audacia: iuxta quod ibidem ad Corinthios; *audemus*, inquit, *& bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*: quò Angelicus; P vbi timor, non est audacia; quæ ex appetitu gratiæ surgit. Hoc videtur animaduertisse Petrus relinquens sanctæ huic audaciæ locum: siquidem parcè admodum locutus est vitæ desiderio, dicens *bonum est nos hic esse*; dum spiritus in Paulo de mortis dissolutione ait, *esse cum Christo, multò magis melius*. Humanum ergo nostrum in Petro contemplari docemur; non enim tam in ipsius persona, quàm pro nobis in ipso, mortis fugam crediderim deprehendi. Sic quippe de martyrij nece illi dicitur; *alius te cinget, & ducet te quò tu non vis*. Quomodo, *quò tu non vis?* Nunquid mori noluit pro Domino? absit. Recolit Angelicus Q qualiter cum Paulus vellet suscitare seditionem contra Neronem, & eruere Petrum, ipse repressit. Igitur *quò tu non vis*, motu naturalis affectionis, seu naturæ instinctu: quia sic, inquit, est naturalis, vt nec ipsa senectus potuerit eum auferre Petro. Alibi recolit R Petro fugienti Neronem, prænunciasse Dominum; *venio Romam, iterum crucifigi*; de quo supra c. 13. num. 55.

N 2. Cor. 5. l. 2. O Io. 21. l. 4. P 2. Cor. 5. l. 2. Q Ioan. 21. l. 4. R 2. Petri 1.

Et si dicas; vel in hoc errasse Petrum, quoniam tria petijt fieri Tabernacula, cùm vnitas Tabernaculi potiùs esset præ oculis habenda. Respondeo; ita planè si antiquum Tabernaculum spectasset: de quo certè ait Angelicus; S ratio vnitatis etiam Tabernaculi fuit & literalis, & figuralis: literalis quidem ad exclusionem idololatriæ, quia Gentiles diuersis Dijs, diuersa templa constituebant. Et ideo vt firmaretur in animis hominum fides vnitatis diuinæ, voluit Deus, vt in vno loco tantùm sibi sacrificium offerretur. Figuralis autem ratio esse potest, quia per hoc significabatur vnitas Ecclesiæ vel militantis vel triumphantis. Sed Petrus non ita de Tabernaculis loquitur, sed magis ad fugam mortis, vt dictum est; & quoniam triplex est huiusmodi motus, vt pariter declarauimus; ideo quod mihi videtur, Christo, Moysi & Eliæ, idest in eorum obsequium tria exorat fieri Tabernacula: quæ mirè correspondent illi triplici motui. Ac si dixisset. Tu Domine potestatem habes mortis & vitæ, quippe qui crederis offerendus, quia vis; sed absque vi; Isaiæ 53. *oblatus est quia ipse voluit*: Ioann. 10. *nemo tollit eam* (animam) *à me; sed ego pono eam à me ipso*. Voluntate rationis, in hoc quòd tibi Tabernaculum fiat, cupio; (si tamen tuum sit beneplacitum) & ego non mori: iuxta illud Pauli; *eo quòd* (2. Corinth. 5.) *nolumus expoliari, sed superuestiri*; *vt absorbeatur quod mortale est à vita*: cuius absorptus specimen, gloriosè transfiguratus exhibuisti. Moyses mortuus est; sed dum apparet vel assumpto corpore vt homo; emicat, quale sit animæ ad corpus, corporisque item ad animam naturalis vnionis vinculum: voluntate ergo naturæ nec mori vellem; *faciamus* Moysi Tabernaculum, quod hoc indicet. Elias ascendit curru igneo sensus mortis adhuc expers & nescius: eia ne (voluntate sensualitatis) morte fiam obuius; *faciamus* & illi Tabernaculum vitæ refugium. Si sic meum & aliorum in me probes desiderium, fiet, vt mysticè acceptis potiùs Tabernaculis, illud Isaiæ queat impleri cap. 32. *sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in Tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Hæc libens dixerim, vt Petrum, quem adeo extulit Dominus paulo ante, *Beatus es Simon Bar-iona* &c. à tot errorum notis vendicem, quibus, Lucæ pertracti sentẽtia *nesciens quid diceret*, eoquòd in superficie grauis sit, ipsum Patres nonnulli subijciunt. Cæterùm ne quid venerationis debitæ ijs demptum sit, neue eorundem authoritati quidquam depereat, do humiliter deliquisse Petrum, idque Saluatoris permissu; quo inde innotesceret, vbi ex cathedra non loquitur, posse errare & deficere; cùm minimè sit, in quantùm priuatus Doctor, regula fidei.

15.

S p. 2. 102. 4 ad 3.

VERS. V. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos*; &c.

16. Dum adhuc Petrus loquitur, de Christi filiatione, Dei Patris auditur vox: & quidem conuenientissima de causa, ad euincendum confirmandumque Petrum, & in eo quosque fideles, ne renuant pro Christo animam ponere; quandoquidem adoptionis filij nominamur & sumus, ex ipsius filiatione: *hic est filius meus dilectus*. *Si filij, & hæredes* Roman. 8. Benè de hæreditate, vbi & de filiatione; nam gloria æterna, cuius specimen ostensum est, nostra facta est hæreditas; 1. Petri 1. *in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam*. Ex hoc autem quòd filij simus, haud debemus non ei conformari, quem *oportuit sic pati* Lucæ 24. *& intrare in gloriam suam*. Ne ergo te Petrum appetitus sensuali-

ſualitatis, aut naturæ voluntas, poſt prælibatam gloriam, à paſſione ac à morte amoueat, Tabernaculorum deſiderio; quia immo ea gloriæ viſio ſicuti primogenito ita & fratribus, per paſſionem & mortem, parata eſt. Hoc attigit planè Apoſtolus, qui de ipſo ait Roman. 8. *vt ſit primogenitus in multis fratribus*: & prius; *ſi autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; ſed conditionem apponit; *ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur*. Didicit pro nobis veritatem hanc Petrus, adhuc contraria cogitans, per Tabernacula. Et nihilominus, pergit Paulus; *exiſtimo quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*.

17. Eiuſdem obtinendæ gloriæ intuitu, proteſtatur vox Patris, Chriſti filiationem, prænotato articulo *hic* ad omnium diſcrimen filiorum præter ipſum adoptiuorum; quia ſic agnoſcitur radix vitæ æternæ, ſeu potius æterna ipſa vita declaratur: obiectiuè quidem; iuxta illud Ioann. 17. *hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: effectiuè etiam Ioann. 10. *ego vitam æternam do eis*; & meritoriè; ibidem; *ego veni; vt vitam habeant, & abundantius habeant*. meritoriè inquam, vt homo eſt: quo pacto, & de filiatione, T ipſe Angelicus docet. Denique nubes lucida eiuſdem gloriæ ſymbolum opportunum eſt: quia tunc protegemur V ab omni æſtu: ſeu etiam X refrigerium dabitur nobis ab omni malo: quæ duo in claritate gloriæ electos manent; ideo nubes eſt lucida. Et quoniam venit Chriſtus, gratiam quidem actualiter dare, gloriam verò A promittere verbo, propterea adiecit vox Patris *ipſum audite*: à quo ſuperſedit, vox de Cœlo (quamuis aliæ non deſint cauſæ) in baptiſmate, ſupra cap. 3.

T 1. ſent. 16. 2. 3.
V D. Th. hic.
X 3. p. 45. 4. 2.
A 3. p. 45. 4. 3.

VERS. VI. *Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.*

18. *Timore exterritos* diſcipulos refert & Marcus; ſic & Lucas inquit, *& timuerunt*. Porrò tam ſolemniter eorum timorem magnificat Matthæus duntaxat. Veroſimile eſt, timuiſſe adhuc antè vocem Patris, transfigurato coram eis Domino, apparentibuſque Moyſe & Elia, vel ea ratione, quam expendit aliàs Angelicus; B quia ſcilicet, ex hoc ipſo quòd homo ſupra ſeipſum eleuatur, (dic tu ita contingere in huiuſmodi viſionibus) pars eius inferior debilitatur; ex quo prouenit perturbatio: ſicut etiam calore naturali ad interiora redacto, exteriora tremunt. Verum timorem eis inde incuſſum concitent Euangeliſtæ; & ex voce inſinuant ſolummodo correptos timore Marcus, & Lucas; Matthæus palam, dicens; *& audientes diſcipuli*, exaggerando; quia *ceciderunt in faciem ſuam*: acceſſiſſe ſubinde Dominum Ieſum, eos tetigiſſe, & animaſſe dixiſſeque eis, *ſurgite, & nolite timere*. Chriſoſtomus (in Catena) omnia quæ facta ſunt colligit in vnam timoris cauſam; *quia ſcilicet ſolitudo, altitudo, & ſilentium erat multum, & transfiguratio ſtupore plena, & lumen purum, & nubes extenſa: ex quibus omnibus ſtupor in eis congregabatur*. Hieronymus; *triplicem autem ob cauſam pauore terrentur: vel quia ſe errasse cognouerant*; (hac de re diximus) *vel quia nubes lucida operuerat eos; vel quia Dei Patris vocem loquentis audierant*. Reuera ſacer textus habet; *& audientes diſcipuli*. Ideo ſubtilius Sanctus Doctor; coarctans cauſam timoris tanti ad Patris vocem ait; C conueniens fuit diſcipulos voce paterna terreri, & proſterni; vt oſtenderetur, quòd excellentia illius gloriæ, quæ tunc demonſtrabatur, excedit omnem ſenſum, & facultatem mortalium; ſecundum illud; Deuteronomij 33. *non videbit me homo, & viuet*. Hic D commemoratur, etſi corruptè ex typis, quod legitur Deuteronomij 5. *quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audiuimus, & poſſit viuere?* Certè conueniens fuit, vt vel ſymbolo quodam ac ſignificatione, æternæ gloriæ magnificentia diſcipulis pro Domino morituris, inſinuaretur: vt illius ſpe roborati mortalem vitam contemnerent. Etſi autem ſpecimen claritatis animæ & corporis in transfiguratione attigiſſent, Deum ipſum beantem, non ita intuiti fuerant. Huc Leo Papa, vti dictum eſt; *nam illam ipſius Deitatis ineffabilem & inacceſſibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo, mortali adhuc carne circumdati, intueri poterant & videre*. Prior igitur viſio eò non pertigit. Quare inuolucro nubis, Patriſque voce adumbrata eſt. Palam Petrus in ſua ſecunda cap. 1. adſtipulatur dum ait, *vocem delapſam ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria*. Cuius gloriæ etſi tantillam, non intuitiuam perceptionem, ideo in nube: (Marci 9. *nubes obumbrans eos*; Lucæ 9. *intrantibus illis in nubem*) ſenſiſſent diſcipuli, ferre non ſuſtinuerunt humanitus; ſed *ceciderunt* audita ſolum voce *in faciem ſuam*. Vox Patris aliàs Ioann. 12. cùm *venit vox de Cœlo; clarificaui, & iterum clarificabo*, viſa eſt tonitruum: *turba ergo, quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum*. Vbi autem Iob 26. dicitur, *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* exponitur ab Angelico E de cognitione, quæ prima veritas cognoſcitur, non ſicut credita, ſed ſicut viſa; cùm Maieſtas diuina palam videbitur: ideo ait *intueri*. Et ſignanter ad manifeſtationem inſinuandam, tonitrui metaphora aſſumitur. Tu dic impræſentiarum ſimiliter; non potuiſſe diſcipulos vocem *magnitudinis eius intueri*; nam & hoc verbum vſurpat Petrus dicens, *ſpeculatores facti illius magnitudinis*. Dic etiam *cecidiſſe in faciem ſuam*; quoniam impotes debuerunt intelligi oculi ad intuendum: & niſi nube fuiſſent obumbrati, & quaſi velo protecti, dic defeciſſent, magnifica gloria per vocem reuerberante.

B 1. p. 10. 3. 3.
C 3. p. 45. 4. 4.
D D. Th. hic.
E Proœmio 4. cont. G.

VERS. VII. *Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis; ſurgite, & nolite timere.*

Reſpondent apud Angelicum F aliæ ſententiæ; pſalm. 22. *non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine*. Matthæi 13. *ego ſum nolite timere*. De tactu; Iſaiæ 40. *qui dat laſſo virtutem*. Danielis 10. *& ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea*. Epheſ. 5. *ſurge qui dormis*. Et quia fragilitatis fuit humanæ his affici, ſubdit; G ab hac fragilitate ſanantur homines per Chriſtum, eos in gloriam adducendo: quod ſignificatur per hoc quod dixit eis; *ſurgite, nolite timere*. Porro non poterit quis non mirari; quare cùm, *ſolo verbo*, quod conteſtabatur Agatha, *reſtauret vniuerſa*, voluerit Ieſus, vt animos diſcipulis redderet, tot facere: *acceſſit enim, tetigit eos, &c.* Reſpondeo veruntamen cohærenter ad ea, quæ nuper retuli ex Diuo Thoma; ideo acceſſiſſe ad eos, quia dum de gloriæ aliquando futura adeptione agebatur, neceſſe erat ijs præludi, quæ apud Ioannem dixit ipſemet Dominus: *iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum*. Iterum ſe venturum pollicetur, poſtquam in Cœlum abijſſet, intraſſetque in gloriam ſuam. Et quid eſt *iterum veniam*, niſi *acceſſit ad eos?* Vtrobique autem terminus à quo eſt gloria: nam hic glorioſè transfiguratus eſt. Habet eo loci Angelicus, certè ad rem; H *accipiam vos ad me ipſum*, glorificatos in anima & corpore. Quid appoſitè magis? Dic ergo *tetigiſſe* eos, & erexiſſe; vt glorificandum corpus

F D. Th. hic.
G 3. p. 45. 4. 4.
H Io. 14. lect. 1. ſup. finem.

noſtrum

nostrum per eum ostenderetur; nam quod tangitur corpus est: rursumque dixisse illis *nolite timere*; vt animam, cuius passio est timor, per seipsum quoque claritate gloriæ donandam insinuaret: cuius gratia timor omnis huiusmodi longè erit. Nisi ad hanc altè feramur meditationem, ægrè quæ fecit, dixitque Dominus elucidantur; præsertim, quia vel tantillam irradiationem cœlestis gloriæ timore ac tremore subire, consentaneum fragilitati nostræ omnino est. Cur ergo eis dictum à Domino; *nolite timere?* nisi vt statum futuræ per eum gloriæ graphicè pingat? in quo, vt legitur Prouerb. 1. *absque terrore requiescet; & abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Quam adhuc abundantiam dum eos *tetigit* posset innuisse; quandoquidem Ioann. 3. *omnia dedit ei Pater in manus*. Iob 5. *in sex tribulationibus liberabit te; & in septima non tanget te malum*. Quomodo enim tanget malum quos *tetigit* Dominus? Qualis autem timor maneat in Patria, vide I.

I 1.2. 19. 11.

20. Sed iam æterni Patris vocem pro tenui capacitatis nostræ modulo, humili scrutatione meditemur. Aurea est Leonis Papæ periphrasis. *Dicente Patre: Hic est filius meus dilectus; in quo mihi benè complacui; ipsum audite: nonne euidenter auditum est? Hic est filius meus dilectus, cui ex me, & mecum esse, sine tempore est: quia nec genitor genito prior, nec genitus est genitore posterior. Hic est filius meus dilectus, quem à me non separat Deitas, non diuidit potestas, non discernit æternitas. Hic est filius meus non adoptiuus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus coæqualis. Hic est filius meus, per quem omnia facta sunt; & sine quo factum est nihil; quia omnia quæ facio, similiter facit; & quicquid operer, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. Hunc ergo, in quo mihi per omnia mihi complaceo; & cuius prædicatione manifestor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite; quia ipse est veritas & vita; ipse virtus mea, atque sapientia*. Verùm magnifica æterni Patris verba, quæ dignatus est nobis resonare, nunquam satis ab imbecillitate nostra queunt enucleari. *Dilectus filius* assecuratur; quia L Spiritu-Sancto, qui Amor est ab vtroque procedens, mihi connexus. Dic tu meritò vbi de felicitate æterna prælibatum nonnihil fuerat, de arcanæ Trinitatis mysterio fieri verba; quoniam vt dixit Dominus Ioann. 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Nec facit mentionem de Spiritu-Sancto; quia vbicumque M ponuntur Pater & Filius, præcipuè in ijs, quæ ad Maiestatem Diuinitatis pertinent, cointelligitur Spiritus-Sanctus, qui est nexus amborum. Et idem Ioannes in sua prima capit. vltimo; *vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius: Hæc est vita æterna*. Et sic Ioannis 3. *qui credit in filium, habet vitam æternam*: nam cap. 5. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso*. Sed est quod adhuc altiùs contemplemur in eo quod ait *dilectus*. Certè Ioan. 3. & 5. ipsemet prompsit; *Pater diligit filium*. Item Apostolus Coloss. 1. habet, *transtulit nos in Regnum filij dilectionis suæ*, N idest filij sui dilecti: vel in quantùm à Deo est O superabundanter dilectus. Caue tamen ab errore; ne fortè crederes Filium Dei æternum, qui *ante Luciferum* genitus, per actum voluntatis procedere, quasi Amorem; quod est proprium Spiritus-Sancti: vel voluntate, non natura; quod est hæresis Ariana: vel quasi procederet à dilectione, idest à Spiritu-Sancto, qui est amor notionaliter: quæ habes in Angelico P edoceri. Alio ergo sensu contestatur Pater filium dilectum: & quidem singulariter, vt alibi Q notat. Hinc apud Marcum; *hic est filius meus charissimus*: & primò quidem, vt Pater dicatur diligere filium, proinde filius dilectus *ad intra*; sicuti declarat idem Angelicus, R Patrem & filium se diligere Spiritu-Sancto. Et de hac Patris dilectione hic & supra cap. 3. vbi pariter auditum est; *hic est filius meus dilectus*, indicat fieri sermonem Angelicus S loco cit. Secundò, vt dilectus perhibeatur filius, Christus Deus & homo. Hæc quippe apud eundem T est etiam hominis Christi gratia singularis, quòd est Deo vnitus in vnitate Personæ: & hæc gratissimum Deo facit. Et quia, vt reor, hoc etiam significare vox Patris intendit; ideo dilectum dicit filium: nec exprimit reciprocum ad intra amorem; de quo Augustinus prallegata in prima Parte: *Spiritus Sanctus est, quo Genitus à Generante diligitur: Genitoremque suum diligit*.

L 2.Petri 1.
M Ioan. 17.l.2.lit. 6.
N Colos. 1. l.3.
O p. p. 42. a. 1.
P p.p.27. 4. & Ioa. 3. l. 6. & Io.5.l.3.
Q opusc. 2. c. 214.
R p. p. 37. a.
S Ioan.5. l.1.
T opusc. 2. c.214.

Sequitur; *In quo mihi benè complacui*.

21. Si *ad intra* intelligatur, recipit expositionem huiusmodi; V quia in ipso maximè charitas Patris quiescit. Sed si ad gratiam vnionis reuocemur, designabit, quòd X dona hominis Christi, non erant ex facto seu meritis, vt dicit Photinus, sed ex diuinæ voluntatis complacentia, assumentis hunc hominem in vnitatem Personæ. Ita super illud Apostoli; *quia in ipso complacui omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare*. Et ideo gratis A datum est, quia & naturæ facultatem excedit: & hoc donum merita nulla præcedunt. Cæterùm in eodem Opusculo agnoscit Diuus Thomas gratiam vnionis; exinde vnionis effectum, scilicet gratiam habitualem cum alijs omnibus donis; tertiò redundantiam gratiarum eius in alios; prout ex Ioanne colligitur dicente; *Verbum caro factum est; & vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre*: (ecce de gratia vnionis) *plenum gratiæ & veritatis*: (ecce de donis gratiatiarum habitualibus) *& de pleni udine eius omnes accepimus*: (ecce de redundantia eius in alios. Liceat eadem ad vocem Patris comparare. Planè dum inquit; *filius meus dilectus*: gratia vnionis tangitur; nam vt eò loci inquit Angelicus; est Vnigenitus à Patre Christus, in quantum *Verbum caro factum est*. Dum subdit; *in quo mihi bene complacui*, plenitudinem gratiæ & veritatis significare potest: vtpote in quo sic donis cœlestibus locupletato, non solum sibi placeat, sed propter omnimodam plenitudinem, sibi complaceat tota Trinitas. Denique dum adiectum est, *ipsum audite* de redundantia plenitudinis eius satis dicitur; quia à Christo ad alios gratia & veritas deriuantur. Sic & apud Apostolum hæc tria secundùm Angelicum deprehendes: namque ait; *& ipse est primogenitus ex mortuis: in ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare*; ratione plenitudinis gratiarum; B *& per eum reconciliare omnia*: quod est esse caput Ecclesiæ ratione influxus. Porro, si *per eum* vt subditur, reconciliata sunt *omnia in ipsum per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cœlis sunt*: cur non audiatur de Cœlo, *in quo mihi benè complacui?* ita vt ly *in quo* accipiatur discretiuè, idest non in alio, nam vt dicitur Ecclesiastes 7. *virum de mille vnum reperi; & eramus omnes*, vt ait Apostolus Ephes. 2. *natura filij iræ*.

V 1.sent. dist.6. in exposit. t.
X Colos. 1. l.3.
A opusc. cit.
B Colos. 1. l.5.

22. Potest autem oriri quæstio, cur nec Marcus nec Lucas, interposuerint illud, *in quo mihi benè complacui*? Sed responsio sit; prætermisisse, quoniam de gratiæ plenitudine, in qua sibi benè complacet Pater, non erat Marci scribere; quippe qui de gratia per ipsum sanctificante animam, quaque regeneramur in Dei filios, nouerat Matthæum ex instituto peragere. Similiter abstinuit & Lucas ab huiusmodi narratione, eoquòd documenta veteris legis in nouos transijsse Euangelicæ legis ritus, quibus ve-

tus impleta est, edisserere duntaxat intendit. Prætereaquam ly *in quo mihi benè complacui*, Christum Dominum sonat Caput, in quo sibi complaceat de membris: quam considerationem sibi asciuerat Matthæus, vt pluries in Syntaxi animaduertimus; non verò Marcus & Lucas. Cùm autem de personali passiua complacentia sermo diuinus auditur, vt eiusdem Lucæ cap. 3. *baptizato Iesu*, ad ipsum directa vox de Cœlo fertur, *tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Et fortè quoniam hanc à Capite influentiam solus Matthæus pro scopo habet, ideo ipse refert cum aduerbio *benè*; *benè complacui*; (quod non recolitur in Epistola à Petro) quia scilicet in bono sui diffusiuo, nedum complacendum est; sed benè complacendum. Et si dicas; neque à Matthæo supra c. 3. appositum esse ly *benè*. Respondeo; ita planè; quia non sibi benè complacet Deus de nobis in Christo tantùm regenerandis baptismate, (quod ibi præintellectum) nisi regeneremur complete in filios secundùm similitudinem gloriæ; *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, Roman. 5. tunc benè & complete sibi Deus in nobis complacet. Et quoniam hoc ex professo Matthæus versat in præsenti; ideo auditur ly *benè* & exprimitur, quod alibi & ab alijs supprimitur. Huc facit doctrina Angelici C dicentis; adoptio filiorum Dei est per quandam conformitatem imaginis ad filium Dei naturalem: quod quidem fit dupliciter; primò quidem fit per gratiam viæ quæ est conformitas imperfecta (dic tu cur apponeretur ly *benè* vbi imperfectio est, Matthæi 3.?) Secundò per gloriam Patris, quæ erit conformitas perfecta, secundùm illud 1. Ioann. 3. *nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.* (cur hic non audiatur, apponaturque titulo communicationis, ly *benè*?)

C 3. p. 45. 4.

Sequitur; *ipsum audite*.

23. Discretiuè ait; D quia ex glossa *nullus ei succedet Legislator*. Remigius ad idem; *ac si alijs verbis diceretur; recedant vmbræ legales ac typi Prophetarum; & solùm coruscum lumen Euangelij sequamini*. *Siue ideo ait, ipsum audite, vt illum esse ostenderet quem Moyses*, Deuter. 18. *prædixerat; Prophetam suscitabit Deus, de fratribus vestris, tanquam me audietis ipsum*. Hunc Deuteronomij locum fert & Petrus Act. 3. & Stephanus cap. 7. Quocircà quoniam vberiùs egi ibidem de huiusmodi Prophetæ in Christi Domini Personam prædictione, nunc supersedeo: solummodo animaduertens impios non paucos huic auditioni, suggerente diabolo fuisse infensos; cum dicebant Ioann. 10. *quid eum auditis?* Sed cùm, vt ait Apostolus Rom. 10. *fides sit ex auditu: auditus autem per verbum Christi*, non fuerit mirum, si fidei lumen largiturus Pater luminum, vt credatur de auditu moneat: *ipsum audite*: quod est & discipulos fidei suæ præcones audire: iuxta illud Lucæ 10. *qui vos audit me audit*: & Act. 15. *elegit Deus per os meum* (sic Petrus) *audire Gentes verbum Euangelij, & credere*. Et benè de auditu fidei attexit vox Patris; quando, quæ altè intonuerat de Trinitatis Redemptionisque mysterijs, sola fide à viatoribus teneri possunt. *Ipsum audiri* etiam iubet, cùm glorificationis præhabita est visio; vt causam nostræ configurationis ad ipsum insinuet; secundùm quod Ioan. 5. ipsemet ait; *mortui audient vocem filij Dei; & qui audierint viuent*: Et iterum; *omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei; processuri qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ*. Sequitur in Deuteronomio; *qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit; ego vltor existam*.

D 2. Petri 1.

VERS. VIII. *Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum*.

Ex Hieronymo; *rationabiliter factum est; ne si Moyses & Elias perseuerassent cum Domino, Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium*. Sic ex Luca; *& cum fieret vox, inuentus est Iesus solus*. Pergit Hieronymus: *vident etiam Iesum stantem, ablata nube, & Moysen & Eliam euanuisse; quia postquam legis, & Prophetarum vmbra discesserat, vtrumque in Euangelio reperitur*. Planum est autem & ex Diuo Thoma E hic, quod & ait Leo Papa, *Moyses & Elias, lex scilicet & Prophetæ*: Et sic Ambrosius in Lucam lib. 7. c. 41. nam vt & Ioannes habet cap. 1. *lex per Moysen data est*. Elias autem tanquam Caput meritò Prophetarum comparuit; cuius encomia promit c. 48. Ecclesiasticus dicens; *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula ardebat*: & post magnalia adijcitur; *& quis potest similiter sic gloriari tibi?* &c. Dic etiam, *viderunt solum Iesum*; quia supra ex ore Domini cap. 11. *omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*. Non est, vt audiatur Propheta vlterior, quando factum est quod ait Daniel cap. 9. *vt impleatur visio, & prophetia*: quando ipsemet repetit Lucæ 24. *quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me*. Sicut autem loquitur Leo Serm. 7. de passione; *& legalis festiuitas dum mutatur impletur*; abeunt Elias & Moyses, solusque remanet Iesus: immo dum adsunt est solus Iesus; quia nimirum fuerunt figura & imago Saluatoris, Prophetia & lex: idem est autem motus in imaginem & imaginatum: solusque videtur Cæsar in imagine, quamuis adsit in qua videtur imago. Porro ad hæc leuari oculos necesse est, (*leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum*) è regione ad Iudæos, brutorum more deflexos: de quibus Deuteronomij 33. *oculus Iacob in terra frumenti & vini*: vbi significatur populus F carnaliter sapiens & quiescens in carnalibus: inquantùm G lex vetus non faciebat stare, sed curuabat ad terrena. Dic tu terrenam Iudæorum intelligentiam notari in eo etiam quòd *Iacob* interpretatur *calcaneus* vel *planta*. Non sic eis eueniret; si leuarent & ipsi oculos; scilicet sapientiæ & intellectus: de quibus Deuteronomij 4. *hæc est enim vestra sapientia & intellectus*: quo sub similitudinibus & figuris latentem altè perciperent veritatem. Qua de re videatur H Diuus Thomas.

24. E D. Th. hic.

F Ioan. 6. l. 1.

G 1. Cor. 15. l. 1.

H 2. 2. q. 8. 1.

VERS. IX. *Et descendentibus illis de Monte, præcepit eis Iesus dicens; nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat*.

24. Non possumus non mirari de huiusmodi inhibitione; cui promptè obtemperarunt, vt ait Lucas; *& ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus, quidquam ex his quæ viderant*. Sancti Patres huc illuc meditatione rapti sunt; scrutari cupientes, quo fine sic eis præceperit, cùm potiùs videretur consulendum, vt visionis participes facerent, si quos nossent Domino deuotos atque propensos. Quòd si pauci inuenti essent, sat fuisset vnus. Cur ergo *nemini* inquit, nemine excepto? Diuus Hieronymus; *non vult ergo in populos prædicari, ne & incredibile esset pro tantæ rei magnitudine, & post tantam gloriam, apud rudes animos, sequens crux scandalum faceret*. Sed humiliter obiecerim, tres Apostolos contestes in narratione potuisse vel apud nonnullos obtinere fidem: qui inde mysterium edocti, non scandalizarentur de ipsius morte. Remigius sic habet: *quia si Maiestas illius diuulgaretur in populo, populi impedirent dispensationem passionis eius, resistendo Principibus Sacerdotum; & sic redemptio humani generis retardaretur*. Sed nec huic acquiescit animus responsioni: quandoquidem vel singulariter aliquibus, vel addictis pijsque mulieribus manifestari, fal-

tem

tem licuerat. Hilarius; *silentium etiam rerum gestarum, quas viderant, imperat, vt cum essent Spiritu-Sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes*
I 1. p. 45. a. 4. *essent.* Hæc omnia colligit, probatque I Angelicus. Sed quoniam, vt patet, ex aliorum sententia loquitur: dum non omnino responsionibus istis contenta est quæstio; libet profundius sensum præcepti huius venari. Videtur itaque mihi sic exponendum, vt idem valeat, ac si dixisset; quamuis *Apostolos* hoc est *Missos*, vos nominauerim; Lucæ 6. *elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit*, Apostolici tamen muneris vsum & exercitium, sciatis nonnisi postquam resurrexero à mortuis, vobis esse præscriptum & iniunctum; cùm scilicet vobis commisero (Matthæi vltimo) *euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; prout & Marci 16. memoratur. Ioannis 20. *sicut misit me*
L Rom. 1. lect. 1. *Pater, & ego mitto vos*; L idest ex eadem dilectione, & cum eadem potestate. Et sanè cùm, vt in Collecta legitur, *fidei Sacramenta gloriosa transfiguratione roborarit, fidesque*; ex Apostolo Rom. 10. *sit ex auditu; quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Nemini ergo dixeritis visionem*; quia nondum aduenit tempus prædicationis vestræ: dum interim ipse munus hoc obeo, qui *missus sum ad oues* (supra c. 15.) *quæ perierunt Domus Israel*; qui Apostolus præcipuè dictus sum; Hebr. 3. *considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum*; idest missum. Exodi 4. *obsecro Domine, mitte quem missurus es*; qui doceo *sicut potestatem habens*, Matthæi 7. *minister* scilicet Rom. 15. *circumcisionis*. Prædicare ergo nondum oportet vos; simplicem narrationem prohibeo; *nemini dixeritis visionem*. Veniet hora postquam à mortuis resurrexero; cùm per Crucis victoriam (hæc verba
M 3. p. 42. 1. sunt ex Angelico M.) meruero potestatem & dominium super Gentes; ideo enim ante passionem suam noluit Gentibus prædicari suam doctrinam: tunc fas erit vobis aperire os; *cum accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa* (Act. 1.) *& Samaria; & vsque ad vltimum terræ*.

25. Et si dicas, nonne profuisset, vt sic priuatis colloquijs panderent aliquibus quæ magna in monte viderant? Respondeo; maiestatis & veritatis mysteriorum fidei esse vt palam prædicentur; iuxta illud Mar-
N ibi a. 3. ci 4. *nunquid venit lucerna*, idest N vera & honesta doctrina, *vt sub modio ponatur?* Nam ipsemet ait Ioan. 28. *ego palam* (interrogatus de doctrina) *locutus sum Mundo; ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil*. Falsa doctrina præcipuè inde suspecta haberi potest, quia è contra in angulis traditur. De hac etiam intelligitur illud Prouerbiorum 9. *aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis abscon-*
O loc. cit. & pl. 11. lit. e. *ditus suauior:* vt exponitur O. Quamuis nonnisi P falsa dulcedo sit: Iob 24. *dulcedo illius, vermes*.
P opusc. 18. 19. Ideo monet Dominus infra, vt caueamus à pseudo prophetis; *si quis vobis dixerit; ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere*. Vbi An-
Q Matt. 24. gelicus; falsa doctrina semper quærit angulos; Q *aquæ furtiuæ* &c. & ad idem ly *in deserto est*; *ecce in penetralibus*: ex aduerso Prou. 1. *sapientia foris prædicat; in plateis dat vocem suam*. Et sic idem Dominus supra c. 10. *dicite in lumine & prædicate super tecta*; quemadmodum in publicitatis huius maio-
R 3. p. 42. 3. ris præludium, ipsemet, vt animaduertitur, R omnem suam doctrinam vel turbæ toti proposuit, vel omnibus suis discipulis in communi. Vnde Augustinus dicit super Ioannem: *quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur? præsertim si* *hoc loquitur paucis, quod per eos vult innotescere multis*. Et tu dic præterea, falsam doctrinam, etsi postea quærat disseminari; attamen ab initio clanculum se se ingerere, vt sensim subrepat. Christus Dominus nusquam latibula, cum docturus esset, amauit, *palam locutus Mundo*. Ecce igitur quid intendat cùm inhibet; *nemini dixeritis visionem:* prædicanda erat, non autem tantummodo secretò dicenda, ne falsitatis nota posset inuri. Idcirco Angelicus, postquam erroneam, & pestiferam doctrinam auertentium homines à Religionis ingressu expugnauit; subdit: S *si quis autem his contradicere voluerit, scribat & Scripturam proponat in publico*: aperitque publicitatis desideratæ causam; *vt scilicet ab intelligente dyudicari possit quod verum est; & vt quod erroneum est, auctoritate veritatis confutetur*. S opusc. 17. in calce.
Sic tu accipe etiam quod præhabetur supra cap. 16. *tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus*. Quanquam vbi legitimè præhabita sit rerum notitia, reprehensibile sit etiam priuatis nuncijs negare assensum. Vnde Marci 16. exprobrat discipulis *incredulitatem & duritiam cordis*.

Et si roges; cur si priuatim sic vetuit tradi alteri veritatem, cur inquam Andreas, inueniens *primum fratrem suum Simonem*, dixit ei; *inuenimus Messiam?* Et Philippus similiter ad Nathanaelem; *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum?* vt dicitur Ioannis c. 1. Respondeo; credendum esse speciali dispensatione factum, quia prænouerat, qualis data eis esset puritas cordis: sicuti cap. 2. adiecit Ioannes cap. 2. *eo quod ipse nosset omnes*, &c. *ipse enim sciebat, quia esset in homine*. Sed priuilegia paucorum non faciunt legem communem. Vnde quemadmodum Baptista, *missus a Deo* potuit mox Christum annunciare *vt omnes crederent per illum*: ita fas est dici, motos interius & Andream & Philippum, vt de Christo dicerent: non secus ac Actor. 8. ad eundem Philippum ixit Angelus: *surge & vade contra Meridianum* &c. & mox eidem Philippo spiritus, *accede & adiunge te ad currum istum*, vt euangelizaret Eunucho Iesum. Fortasse hoc prælectionis priuilegio, potuerunt Apostoli conferre quod viderant toti Collegio; cui iam prænotum fuerat cap. præcedenti *ipsum esse Christum*. Et ita præceptum tacendi (iuxta illud Ecclesiastes 3. *tempus tacendi, & tempus loquendi*) ad extraneos præsertim nondum credentes referretur: prudenter quidem, quoniam priuatæ communicationis secreti fidei lucrum spirituale non est; quia nonnisi missis à Deo præstanda est fides, quæ possit ad vitam æternam credentes perducere. Ieremiæ 23. *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant*. Hinc Apostolus 2. Corinth. 12. ne de ipsius missione quis hæreret, ait; *signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigijs, & virtutibus*. Sine his præterea tangit facilè minus dispositos incredulitas: in cuius rei ostensionem, ignorata Saluatoris missione, qua, vt ait Hieronymus in Prologo Sophoniæ, *mulieres fecit Apostolorum Apostolas*, non crediderunt discipuli; sicut deinde nec duobus ambulantibus in via crediderunt. Vnde *recumbentibus vndecim*, nouissimè apparuit; *& exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*; vt dicitur Marci vltimo. Nisi huiusmodi exigeretur missio, quilibet suo pro arbitratu posset dogmatizare. Qua fortissima præ alijs, de causa, explodit Ioannes Barclaius in sua Parænesi Lutheri ausus; quippe qui nec *ordinaria*, quia homo fuerat priuatus claustri incola, nec *extraordinaria* aliqua fulgere potuit auctoritate aut iurisdictione, vt ei noua ... Ecclesiamque dilanianti crederetur. ... in eiusdem, quali-
ter
26.

ter Deus Exodi 4. miraculorum edendorũ Moysi potestatem fecit, dicens; *vt credant, quod apparuerit tibi Dominus Deus Patrum tuorum*. Miraculum autem à Luthero editum, necdum vllus commentus est. E contra inducit Matthæi 11. *cæci vident, claudi ambulant*; & Ioan. 5. *ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Subditque; *magna res, & ex diuinæ institutionis clementi prouidentia, noluisse vnquam Deum, vt sibi temerè crederetur*; ita lib. 1. cap. 2.

27. Vna superest ad primum obiectio; quia iam missi erant Apostoli ante passionem & mortem Domini; iuxta quod supra c. 10. legimus; *hos duodecim misit Iesus, &c. sed potius ite ad oues, quæ perierunt Domus Israel*. Quam quidem missionem recolit Lucæ 22. v. 35. *quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Respondeas, tunc missos fuisse ad prædicandum vtique quia *appropinquauit Regnum Cœlorum*, & ad gratias sanitatum virtutesque faciendas: cæterùm vt Christum ipsum palam prædicarent, nondum fuerant missi: ad quod expectandum erat tempus resurrectionis; quo ipsius Diuinitatem publicè annunciarent; & sic de transfiguratione præuisa testes essent. Dic tandem moraliter; de gloriæ adeptione minimè prædicandum esse, nisi de passione ac morte sit præhabitus sermo; quia & sic *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam* Lucæ 24. & Rom. 8. *si tamen compatimur, vt & conglorificemur*.

VERS. X. *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?*

VERS. XI. *At ille respondens ait eis; Elias quidem venturus est, & restituet omnia*.

28. Quare attexatur de venturo Elia, Syntaxis elucidabit. Quanquam Diuus Hieronymus adnectat præuisæ transfigurationi: *ac si dicerent, si iam venisti in gloriam; quomodo præcursor tuus non apparet? maximè autem hoc dicunt, quia viderant Eliam recessisse*. Planiùs dic, viso Elia, recordatos fuisse sensum Scribarum: neque enim videbatur eis aliquo pacto Eliam præcessisse; cùm ignorarent, *in spiritu* Baptistam fuisse Eliam ipsum; sicut dixerat Angelus Lucæ 1. Vel si hoc tenebant ex ore Domini supra c. 11. nihilominus adhuc fluctuabant de dicto Scribarum, cum intuiti essent Eliam paulo ante, an iterum esset venturus. Dat autem Dominus, secundum tangens aduentum, veram prophetiæ intelligentiam; vt tunc sit venturus in persona Elias, *antequam* scilicet *veniat dies magnus & horribilis*; Malachiæ 4. Pro *horribili* Chaldæus habet *terribilem*: Septuaginta *illustrem*. Quod quadrat in secundum Christi aduentum, vt & Ioel c. 2. v. 11. & Sophonias c. 1. v. 15. nunciant. Et tamen monet, vt præludens Eliæ, venerit iam Præcursor Baptista; & ipse ante diem iudicij, admodum ante. Nam & de Ioanne Baptista Prophetia exponitur à Gabriele Archangelo Lucæ 1. & à Domino Marci 9. vbi ait; *sicut scriptum est de eo*; Et ideo lapsus est Maluenda, qui de Antichristo lib. 9. c. 7. putauit Gabrielem Archangelum per accommodationem Baptistæ attribuisse quæ Eliæ.

29. Mittamus de Baptista disserere: potiusque de intellectu sententiæ Domini studium sit nostrum; dum ait de Elia venturo; *restituet omnia*. Augustinus apud Diuum Thomam; T quia veniente Antichristo omnes seducentur, sed mortuo Antichristo, omnes restituentur ad fidem per prædicationem Eliæ. Seducendos autem fideles per falsam miraculorum operationem patet ex illo capitis 13. Apocalypsis, *& fecit signa magna*: 2. ad Thess. 2. *cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus*; & Matthæi 24. *ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Præterea, vt animaduertitur ad illud, *nisi venerit*

T D.Th. hic.

discessio primùm V secundùm glossam à fide, quam prius Mundus receperit; 1. ad Tim. 4. *in nouissimis temporibus discedent quidam à fide*; & sic Matth. 24. *refrigescet charitas multorum*. Et sic etiam discessio ab imperio spirituali, hoc est, à fide catholica Romanæ Ecclesiæ; & Ecclesiarum à spirituali obedientia eiusdem. Sensim defectionem huiusmodi lugeamus. Daniel c. 8. habet; *cum creuerint iniquitates*. Hinc Apostolus deceptionis causam Christianorum malorum (dic tu & Iudæorum) indicat, *eoquòd charitatem veritatis non receperunt*. Si ergo & credentes prius, sed seductos, & Iudæorum reliquias conuertet Elias ad Dominum; sine dubio *restituet omnia*. Origenes; X *quilibet est debitor mortis: & quia Elias nondum est mortuus; cùm venerit, restituet omnia, & reddet debitum mortis*. Visa resurrectione eius post mortem, A multi conuertentur. Quanquam conuertentur etiam visis eius miraculis B iuxta illud; *& leuabit signum in nationes*.

V 2. Thes. 2. l. 1. & opusc. 60. a. 25.

X D. Th. hic.

A Apoc. 11. 4. & seq. primus. com. 1.

B Isaiæ 11.

Specialiter quid sit facturus Elias, exprimit Malachias c. 4. *conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*: & periphrasi quadam memoratur à Gabriele Archangelo Lucæ 1. in Ioannis encomium; *conuertet corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum*. Difficilis planè sententia vtrobique. Malachiæ literam exponit Angelicus, C vt dispersa in vnum reducenda prænuncientur, ita quòd ex Gentibus & Iudæis fiat *vnum ouile*. Alibi refert ly *cor filiorum* conuertendorum ad Patres D ad finem vtique Mundi; in quantùm, *qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ*, vt ait Apostolus; hoc est; qui naturali origine pertinent ad Gentem Iudæorum reducentur ad dignitatem Gentis suæ E; *conuertet corda Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*. *Per oliuam* autem intelligit, quod & per *radicem*, scilicet fidem primam Iudæorum. Sed hinc, vt consideranti patet, non apparet reciproca conuersio; sed solummodo filiorum ad fidem Patrum physica; moralis autem affectu quodam conuersio Patrum ad filios. Verùm Sanctus Thomas videtur solùm aptare Apostolico textui, postremum sententiæ Malachiæ; nempe *cor filiorum ad Patres*. Quod si velimus cor Abraham Isaac Iacob, &c. conuertendum fuisse ad filios: Lucæ 1. (in Catena) exponit Sanctus Beda, in quantùm *antiquorum Sanctorum spiritualem scientiam infudit Baptista populis prædicando*; & quasi vicissim *incredulos conuertit ad eosdem Patres Sanctos*, seu *ad eorum prudentiam; ne per iustitiam legis præsumerent, sed ex fide salutem quærerent*. Verùm non omnino quiescit animus, cur sic locutus sit Malachias, *conuertet corda Patrum ad filios?* Græcus conniuet ly, *& cor filiorum ad Patres eorum*; quod reciprocum quid sonare videtur: & pro Patribus acceptis Ioannis Baptistæ & Apostolorum Iudæis maioribus; sentit ad propriam iustitiam & prudentiam, tam Ioannem, quàm Apostolos, ceu filios benignè ad se reduxisse: & ita interpretatur Gabrielem. Sed ægrè, aio ipse, quadrare Malachiæ, qui nedum Patres ad Filios, sed & filios conuersos prædicit ad Patres. Igitur vt meam proferam meditationem, reor sine dubio duplicem in Malachia, & Lucæ 1. deprehendam relationem, prout palam litera sonat: at non mutuam, (quæ minus locum habet in Patribus Sanctis ad filios: neque enim, si Turca conuertitur ad Petrum; Petrus Ecclesiæ caput conuertitur ad Turcam, nisi affectu: vnde esset æquiuoca in textu sacro conuersio) sed disparatam: ita vt sit sensus; *conuertet corda Patrum ad filios*; idest Iudæorum genus remanens, qui pro conuersorum Iudæorum & Gentilium sunt veluti Patres, nam *salus ex Iudæis est*, Ioannis 4. & ijdem Pa-

30.

C Genesis 1. ad finem.

D Rom. 11. l. 1.

E ibi l. 3.

Patres considerati vt filij priscorum Sanctorum Abraham Isaac & Iacob, conuertentur ad Patres: quia *est eadem fides nostra & antiquorum*, vt ait Gregorius: & Apostolus 2. Cor. 4. *habentes eundem spiritum fidei*. Et ita censeo Malachiæ hemistichium, *& cor filiorum ad Patres eorum*, esse probationem legitimæ conuersionis prius factæ ad Apostolos: nam si Iudæi conuertuntur ad nos tanquam nostri Patres; hoc ipso conuertuntur ad antiquos Patres, ceu eorum filij. Si secus esset, vt corda Patrum nostratum, non essent conuersa tanquam filiorum corda ad Antiquiores, non esset bona, neque cordis conuersio: quod dictum sit de corde, quia *corde creditur ad iustitiam*, Rom. 10. atque Actor. 15. *fide purificantur corda*. Fas sit, hoc explicari ex Logicis, cum species eadem & prædicabilis dicitur & subijcibilis; & similitudine quadam dici posset Mater, prout prædicabilis, filia verò quà subijcibilis. Hæc forte præscius Gabriel reserare voluit, dum reciprocam mutuamque supprimens relationem, quæ posset intelligentiam obnubilare, adiecit, *& incredulos ad prudentiam iustorum*: vt dum conuertuntur Iudæi qui Patres nostri sunt Religione, ad fidem Apostolicam, seu filiorum, intelligantur hoc ipso, conuerti tanquam increduli ad fidem sublimem priscorum antonomasticè Iustorum; neque enim temerè, sed prudentissimè ij crediderunt. Pater quippe qui Pater est filij, respectu Auorum suorum dicitur filius. Stet ergo vt in Malachia ijdem sint subiecto, seu supponant pro eodem Patres & filij.

31\. Quomodo autem redactis per Eliam ad fidem, qui lapsi fuerint Christiani, Iudæisque conuersis, tam amplè dicatur *restituisse omnia*, adhuc non ita liquet. Arabica versio apud Nouarinum habet, *docebit vos omnia*: ipse legit *instaurabit*. Bellè consectarium ad præmissa de fide, si dicamus cum Chrysostomo hom. 34. in Matthæum; ad illud; *estote ergo prudentes sicut serpentes &c. sed inspiciamus, quam prudentiam exigit; serpentis certè. Nam quemadmodum serpens totum se ipsum tradit, nec minimum curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit; dummodo caput suum integrum seruet: eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures; siue pecunias, siue corpus, siue etiam vitam ipsam profundere necesse sit: fides enim caput est & radix, qua seruata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus, maiore cum gloria recuperabis*. Dic igitur; si Elias tam potens erit pro fide recuperanda; *restituet omnia*. Et iterum mirabiliter pende, quàm sublimi arcanaque elocutione Gabriel legerit *& incredulos ad prudentiam iustorum*; neque enim in superficie antithesis extat inter incredulos, & prudentiam: sed profundè scrutanti perspectum est, in serpentis prudentia signari fidei tutamen.

32\. Sed quoniam hæc de re agitur & in Ecclesiastico, vbi cap. 48. post alia multa de Elia, subditur; *qui scriptus est in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob*: iam lucescit quidnam intellexerit Dominus dicens; *restituet omnia*. Restitutis etenim tribubus Iacob ad veram fidem, abiurata Antichristi nequitia: reuiuiscet veri Dei cultus, exaltabitur Christi Iesu nomen, offeretur iuge Altaris Sacrificium, peribit impietas, psallentium audientur Chori, reflorescet morum honestas; iucundabitur suis in filijs Ecclesia, pace ac tranquillitate, post tantam tempestatem quiescet. An non tibi videtur hoc pacto *restitui omnia*? Adde sanum Scripturæ intellectum, solidam legis Moysi declarationem, germanum Prophetarum sensum, ipsorum cum Euangelio Christi consensum: quæ cuncta cum Dæmonis arte, Antichristi dolo ceu mortua iacuerint, de tenebris denuo per Eliam irradiante Domino, reuocanda ad lucem; comprobat iterum quomodo *restituet omnia*. Vnum animaduerte ex glossa apud Angelicum F in Apocalypsin, dum de duodecim tribubus sermonem habet Ioannes, non loqui de ipsis secundum literalem sensum; quia sic videretur quod tantum Iudæi saluandi essent; sed secundum spiritualem. *Iacob enim*, qui dictus est *Israel*, fuit Patriarcha Sanctissimus, & magnæ fidei, magnæq; patientiæ in aduersis, magnæ etiam ad Deum familiaritatis, vt patet in Genesi: vnde oportet, vt per imitationem simus ipsius filij, & de eius progenie spiritualiter: & sic de illius tribubus agitur ratione mysterij. Hæc ibi. Et certè paulo ante edisserit Sanctus Thomas, qui gradus electorum mysticè in tribubus illis deprehendantur: nempe incipientium proficientium, perfectorum ac perseuerantium. Inde collige qualiter Elia ministerio; *restituentur tribus Iacob* ex Ecclesiastico; *restituenturque omnia*, voce Domini. F Apoc. 7. Com. 2.

VERS. XII. *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*

Constat ex dicendis infra c. 21. Principes Sacerdotum & Seniores populi, non credidisse Baptistæ, cum turba haberet Ioannem sicut Prophetam. Et sic ex Chrysostomo, G Pharisæi inuidebant Ioanni, quòd baptizaret. Et idcirco glossa dicit, quod Pharisæi H incitauerunt Herodem ad incarcerationem Ioannis & mortem. Sic se passurum ab his, iterum prædicit hic Dominus; *sic & filius hominis passurus est ab eis*. Sed hoc in præsenti de sua morte tangit; vt indicet, in quo potissimùm Elias ante secundum Domini aduentum sit adlaboraturus; nimirum, vt ostendat verum Messiam ac Redemptorem pati, & mori turpi morte oportuisse. Hoc accipe ex Marco, cap. 9. vbi fertur respondisse Dominus in hæc verba; *Elias, cum venerit primo, restituet omnia; & quomodo scriptum est, in filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur*. Vnde colligi potest Antichristum sic decepturum tunc populos, vt Iudæis sit crux scandalum, Gentibus autem stultitia. Sed Elias ostendet, *quomodo scriptum est in filium hominis; vt multa patiatur & contemnatur*. Theophylactus aliò trahit sententiam. Vide in Catena. 33. G Io. 4. l. 1. l. c. b. H ibi lit. a.

VERS. XIV. *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens; Domine miserere filio meo; &c.*

Supra etiam cap. 4. de lunaticis curatis à Domino mentio fit. Quòd Dæmones I secundum certa augmenta lunæ homines vexant, contingit propter duo. Primò quidem ad hoc vt infament creaturam Dei, scilicet lunam, vt Hieronymus & Chrysostomus dicunt; (in hoc scilicet L quod credantur dæmonibus creaturæ seruire; & per hoc homines in errorem mittant) secundò, quia cum non possint operari, nisi mediantibus naturalibus virtutibus, in suis operibus considerant corporum aptitudines ad effectus intentos. Manifestum est autem, quòd cerebrum humidissimum est omnium partium corporis; vt Aristoteles dicit: & ideo maximè subijcitur operationi lunæ, quæ ex sui proprietate habet mouere humorem. In cerebro autem perficiuntur vires animales: & ideo dæmones secundum certa augmenta lunæ perturbant hominis phantasiam, quando considerant cerebrum ad hoc esse dispositum. *Sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam*: habemus apud Marcum; *spiritus allidit illum, & spumat*; & apud Lucam; *elidit & dissipat eum*, &c. *dilanians*. Dominus non retrahit manum suam in periculis: M iam esset mortuus, nisi Dominus manum suam extendisset; vt de Iob legitur cap. 2. *veruntamen animam illius serua*. Moraliter: Origenes; *de inconstantia peccatoris dicitur; stultus vt luna mutatur. Et est videre in talibus, impetus quosdam quasi operum bonorum subrepe-* 34. I p. p. 115. 5. 1. L de potentia q. 6. 10. ad 7. M D. Th. h. c.

repere; aliquando verò, quasi quadam abreptione spiritus à passionibus comprehenduntur; & cadunt à statu bono in quo stare putabantur. Augustinus de hoc, *sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam*, dicit; *ignis ad iram pertinet, eoquòd alta petit; aqua ad voluptatem carnis*. Adde ex Angelico N quoad iram, Deut. 32. *ignis accensus est in furore meo*: & quoad cupiditatem in aquam luxuriæ; Genes. 49. *effusus es sicut aqua*: vt ibi exposui. Certè Ecclesiastici 27. *homo sanctus in sapientia manet sicut Sol: nam stultus sicut luna mutatur*. Lucas nihil refert de hoc. Latet certè mysterium pro scopo Matthæi, vt in Syntaxi clarebit. Et sic pro Marco.

N D.Th. hic & lec. Dom. 2. in Quad.

VERS. XV. *Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum*.

35. Quoniam Marci 9. interrogauit Dominus Patrem; *quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait; ab infantia*: quadrare potest in eum, qui peccat ex consuetudine. O Et sic discipuli non potuerunt expellere malignum spiritum à quodam, in quo fuerat ab infantia. Difficilè ex Augustino surgit, quem moles malæ consuetudinis premit: ideo in resuscitatione Lazari, quo figuratus est assuetus peccatis, Dominus infremuit, lachrymatus est, clamauit. Dic tu: habitus est difficilè mobilis; & Ieremiæ 13. *si mutare potest Æthiops pellem suam, & Pardus varietatem suam: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Hinc alibi; P difficilè est, vt homo cuius affectus semper fuit in peccatis, in momento iustitiam amplectatur. Interrogant paulo post discipuli Dominum secretò; *quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: propter incredulitatem vestram*. Mirum certè; quomodo discipuli omnes fide laborarint. Chrysostomus; *manifestum est hinc, quoniam & discipuli in fide infirmati sunt; sed non omnes: columnæ enim illæ non aderant, scilicet Petrus Iacobus & Ioannes*. Et Hilarius; *crediderant quidem Apostoli; nondum tamen erant perfectæ fidei*: & requirens causam addit; *nam Domino in monte demorante, & ipsis cum turbis residentibus, quidam tepor eorum fidem retardauerat*. Teporem huiusmodi comprobat, quod subiecit Dominus; *si habueritis fidem sicut granum sinapis*; feruidam Q non tepidam: quia reuera granum istud R feruidum est. Non est dubium, fidem quæ consequitur donum gratiæ, quod non est æqualiter in omnibus, esse posse S maiorem in vno, quàm in alio, nedum ex parte voluntatis propter maiorem promptitudinem, seu deuotionem vel confidentiam; sed etiam ex parte intellectus, propter maiorem certitudinem atque firmitatem. Sed tamen omnibus huiusmodi defectum insedisse discipulis, adhuc mirum est: præsertim cùm inter eos Andreas esset, cuius fides, vt recolit Angelicus, T à Gregorio commendatur, eoquòd nullis miraculis visis crediderit: ex promptitudine scilicet credendi, quæ tanto maior fuit, quanto minoribus adminiculis indiguit ad credendum. Quod ipsum potes mi lector & de Philippi fide dicere; *quem inuenit Iesus: & dixit ei; sequere me*. Quare libens in eam eo sententiam, vt cum Apostoli arguuntur hic aut alibi de incredulitate, non sit quasi amiserint fidem infusam, quæ quidem, sola dubietate de obiecto aliquo fidei, amittitur; cùm *dubius in fide sit infidelis*; sed quoniam fiduciam seu confidentiam de obtinenda obsessi liberatione non plenè habuerint. Itaque, absit, vt vniuocè dicatur discipulis; *propter incredulitatem vestram*; & turbæ; *ô generatio incredula & peruersa*. Patet ex dura istius increpatione; *quousque ero vobiscum? vsquequò patiar vos?* Planè dissonum videtur, vt Apostoli, quibus paulo ante cap. præcedenti, præceperat, *vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus*; nunc obliti altam Petri confessionem; *tu es Christus filius Dei viui*, increduli essent de Christi omnipotentia; sicut Pater Lunatici; qui Marci 9. dubitanter dixit Iesu; *sed si quid potes, adiuua nos*; & mox; *credo Domine; adiuua incredulitatem meam*. Et ideo quia virtute infusæ fidei nullatenus deliquerunt; ideo Marci 9. nec eis improperatur; sed solummodo animantur ad ieiunium & orationem. Denique mirabile nedum esset omnes & singulos discipulos fuisse incredulos, sed nec reatum suum aliquem cognouisse: vnde causam à Domino percontati sunt. Verosimile est autem vt miraculo obstiterit Patris turbæque incredulitas, quæ Apostolorum fiducia vinci potuisset, si, constantiùs innixi clementiæ Domini expulsionem dæmonij sperassent: Iacobi 1. *postulet autem in fide nihil hæsitans*; Matthæi 21. *si habueritis fidem, & non hæsitaueritis*. Et Marci 11. *omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis*: & priùs, ferens quod hic ait de monte, subijcit; *quicumque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare; & non hæsitauerit in corde suo; sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei*. Ecce quam desiderat adhuc fidem, vt æquiualeat fiduciæ seu confidentiæ: quocirca & Ephes. 3. legimus; *in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius*. Et 1. Paralipomenon c. 17. *idcirco inuenit seruus tuus fiduciam, vt oret coram te*. Videtur quippe orans sic fidenter, quasi se subijcere munificentiæ diuinæ vt exaudiatur: sicut aliàs habet Angelicus de motu fidei præuio iustificationi; *ex eo quòd credit homo in Deum iustificantem, iustificationi eius subijcit se; & sic recipit eius effectum*. Et alibi; V oratio vacua est, nisi certæ spei innitatur. Et hoc est quod ait Theophilactus in Catena Marci 11. *qui ex vero affectu credit in Deum, erigit cor suum, & illi coniungitur; & certificatur cor eius calefactum, quasi suam petitionem iam consecutum: quod quidem intelligibile est ei, qui passus est hoc*. Cur autem discipulorum conatus non eo pertigerit, quando præsertim ibidem Marci 9. & Lucæ 9. dixit Ioannes: *magister vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum*, alta sunt Dei iudicia: nisi quod Syntaxis fortè causam permissionis diffidentiæ huius aperiet; per præsentia enim, quæ potuit discipulorum pati humanitas, futura sæculorum nostrorum signare voluit. Supra etiam c. 14. dixit Petro; *modicæ fidei, quare dubitasti?*

O opusc. 41. §.5.c. 6.

P 4. sent. 20. q. 1. a. 8.

Q Iacobi 1. in calce

R Matth. 11. & hic.

S 2. 2. q. 5. 4.

T De potentia qu. 6. a. 9. ad 17.

V ps. 30.

VERS. XIX. *Si habueritis fidem, &c. & dicetis monti huic, transi hinc illuc, transibit*.

Chrysostomus materiam hanc versans; *Si autem dixeris; vbi Apostoli montes transtulerint? Illud dicam, quia multa maiora fecerunt, mortuos plurimos suscitantes. Dicuntur autem post Apostolos Sancti quidam Apostolis minores, montes necessitate imminente transtulisse. Si autem Apostolorum tempore Montes non sunt translati; hoc non fuit, quia non potuerunt, sed quia noluerunt, vtilitate non imminente. Nec Dominus dixit, quòd essent facturi, sed quòd facere possent. Probabile tamen est, factum esse, sed scriptum non esse: neque enim omnia miracula, quæ fecerunt, scripta sunt*. Sanctus Beda Marci 11. *solent autem Gentiles, qui contra Ecclesiam maledicta scripsere, improperare nostris, quia non habuerunt plenam fidem Dei, qui nunquam Montes transferre potuerunt. Quibus respondendum est, non omnia scripta esse, quæ in Ecclesia sunt gesta; sicut & de factis ipsius Christi Scriptura testatur. Fieri autem potuit, si necessitas id fieri poposcisset; quomodo factum legimus precibus Gregorij Neocæsariensis Episcopi* (Thaumaturgi) *cuius precibus mons tantum spatij reliquit structoribus Ecclesiæ, quantum opus habuerant*. Quod refert hic etiam Sanctus Doctor. 36.

ctor. Angelicus ad illa verba; *& si habuero omnem fidem; ita vt montes transferam*, X *omnem fidem*, idest perfectam fidem. Obijciunt autem aliqui, quòd cum multi Sancti perfectam fidem habuerint, nullus legitur montes transtulisse. Quod quidem soluitur per id, quod suprà c. 12. dictum est; *vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*: illo enim modo, loco, & tempore, miracula per gratiam Spiritus-Sancti fiunt, quo Ecclesiæ requirit vtilitas. Fecerunt autem Sancti multa maiora, quàm translationem montium, prout erat fidelibus vtile; puta suscitando mortuos, diuidendo mare, & alia huiusmodi opera faciendo: & hoc etiam fecissent, si necessitas adfuisset.

X 1. Cor. 13. l. 1. & hic.

In contentiosè autem negantes, non desunt de patrato aliquando & huiusmodi signo eruditiones. Petrus quippe de Natalibus *in Catalogo Sanctorum* c. 19. hæc habet: ad Iudæorum suggestionem odio persequentium Anianum Diui Marci Euangelistæ Alexandriæ Successorem ac discipulum, Rex Babylonis mandauit, vt quia in Euangelio Christianorum continetur, quòd habentes fidem sicut granum sinapis, montes transferre possunt, quatenus Christiani montem magnum de loco suo transferrent; alioquin aut fidem abnegarent tanquam falsam, aut capitalem sententiam omnes subirent. Episcopo igitur cum omnibus Christianis ex hoc admodum afflicto, & Deum pro fide sua suppliciter exoranti, per Angelum reuelatur: neminem ad hoc ex fide sua idoneũ, nisi monoculum Anianum. Vocatur igitur ab Episcopo, omnique populo, indicto ieiunio triduano, ipse confisus in Domino monti mandauit. Mons continuo moueri cœpit de suo loco recedens; tantaque celeritate versus Babylonem veniens, quanta nauis per æquora vento pellitur; eousque diuinitus delatus, donec ad preces Regis monti mandauit vt figeretur; ne in Ciuitatem irrueret & eam opprimeret: sicque ibidem fixus vsque hodie manet. Propter quod miraculum Rex cum omni populo conuersus Ecclesiam principalem in Babylone in honorem Dei Genitricis ædificauit, aliasque plurimas. Hæc Petrus. Obijt autem Sanctus Anianus anno salutis 87. vt scribit Baronius. Simile miraculum anno 125. apud Tartaros refert Henricus Gran in speculo exemplorum dist. 9. exemplo 145. sed videtur omnino idem. Aliud etiam translati montis miraculum in Regno Mosul, comminante Sarraceno Rege omnibus fidelibus eiectionem e suo Regno, referunt Marcus Polyt. *nauigation*. lib. 1. cap. 18. & Maiolus, *de admirand. natur. reb. colloq.* 16. §. *Post hæc omnibus sæculis*. Sanctus autem Beda, quod supra, sic factum denarrat: *cum enim, volens* (Beatus Gregorius Neocæsareæ Ponti Antistes) *ædificare Ecclesiam in loco apto, videret eum angustiorem esse, quàm res exigebat; eo quòd ex vna parte, rupe maris; ex alia monte proximo coarctaretur; venit nocte ad locum; & genibus flexis admonuit Dominum promissionis suæ, vt montem longius iuxta fidem petentis ageret. Et mane facto reuersus inuenit montem tantum spatij reliquisse structoribus Ecclesiæ, quantum opus habuerant*.

VERS. XX. *Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium*.

37. Glossa; *hoc genus; idest ista carnalium voluptatum mutabilitas, non vincitur; nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per ieiunium maceretur*. Hieronymus ad hæc; *ieiunio passiones corporis & oratione pestes sanandæ sunt mentis*. Et prius; *ira oratione depellitur*. Sanè si secundùm Philosophum, vt fert Angelicus, A *in ludo, in risu, in festo, in prosperitate, in consummatione operum, in delectatione non turpi, & in spe optima homines non irascuntur*. Præterea, si ex eodem, *maximè irascuntur infirmi & egentes, & qui non habent id quod concupiscunt*: quomodo in hunc iræ ignem cadet, qui diuitias delicIasque omnes, quæ mentis desideria spiritualiter complent, in oratione consequitur? Aiebat Chrysost. B *considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria tributa; orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia: optare quod velis; quod desideras postulare*. Elatus ad tantam celsitudinem animus, quam iniuriam arbitrabitur vsquam pati, vnde ex terrenis ad iram accendi possit; quando & in humanis per eundem Philosophum 2. Rhet. 2. cap. *qui se putant multum excellere, quantumuis despiciantur*, iacturæ quasi incapaces, *ne irascantur, non curant*? Quoad ieiunium; adeo manifestè claret exigi, ne quis carnalibus obruatur delectationibus; (quod fit *in aquam* cadere) vt superfluè quidquam dicatur. Certè ieiunium ordinatur ad reprimendas carnis C concupiscentias. Ideo Apostolus 2. Cor. 6. habet, *in ieiunijs & castitate*; quia per ieiunia castitas conseruatur: nam ex Hieronymo, *sine Cerere & Baccho, friget Venus*. Quinimmo vtrumque ad coercenda petulantis naturæ irritamenta, necessarium videtur remedium; ieiunium scilicet & oratio. Videatur omnino quod de remedijs huiusmodi scripsit Angelicus opusc. 18. c. 9. interimque referantur aliunde eius verba; D *si enim duo pugnarent & velles vnum iuuare, alteri vero non; oportet primo auxilium dare, secundo vero subtrahere: inter spiritum autem & carnem est prælium continuum: vnde vt spiritus vincat, oportet ei dari auxilium per orationem; carni vero subtrahi; & hoc fit per ieiunium: nam caro per ieiunium debilitatur*. Aiia ibi. Contemnantur ergo huiusmodi obscœna, quæ animæ altiora desideria satiare nequeunt; proinde, nefas in eis hominis constituere finem: nec alto extolli, vbi dulcedo spiritus patefacit experienti, quàm sit amarus mellitus luxuriæ cibus. Præsentissimum esto in angustijs remedium ad Deum, ad Deiparam Virginem, ad Custodem Angelum feruens recursus.

A p. 2. 47. 3.

B 2. 2. 83. 2. 3.

C 2. 2. 147. 1.

D opusc. 4. ad finem.

VERS. XXI. *Filius hominis tradendus in manus hominum; & occident eum, & tertia die resurget*.

Priusquam in altum ducamus ingenioli nauim, turgentibus Spiritus-Sancti afflatu humanis velis; quod humillime vbi *mirabiles sunt elationes maris, mirabilis que in altis Dominus*, implorandum est, donetur expositione ly *tradendus*. Quæritur. E *An Deus Pater tradiderit Christum passioni*. Certè, nam Rom. 8. *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: nedum æterna sua voluntate sic præordinante ad humani generis liberationem: nedum inspirando ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem; sed non protegendo eum à passione, exponendoque persequentibus: quo sensu in Cruce pendens dicebat, *Deus meus, Deus meus*, infra c. 27. *vt quid dereliquisti me*? quia scilicet potestati persequentium eum exposuit, vt Augustinus dicit, *de gratia noui testamenti*. Porrò, non dicit à quibus F tradendus est: quia tradidit se ad Galat. 2. *qui tradidit semetipsum pro me*; traditus est à Patre; Rom. 8. Item à Iuda; supr. 10. *Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum*. Item à Dæmonibus; Ioan. 13. *cum Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*. Hoc præmisso: pulsat animum quæstio, cur Dominus hic repetierit, quod paulo ante c. 16. prompserat de sua passione & morte? *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere*. Origenes in Catena, ne repeti omnino admittat, notat verbum illud *tradendus*; quod c. 16. non apposuerat. Non improbat hic Diuus Thomas.

38.

E 3. p. 47. 3.

F D. Th. hic.

mas. Sed prærerquam mox ante, hoc in loco prædixit Dominus, *sic & filius hominis passurus est ab eis*, vrgetur; quia infra c. 20. iterum ait; *Ecce ascendimus Ierosolymam; & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis; & condemnabunt eum morte: & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurget*. Quæ quidem ibi duodecim discipulis secretò assumptis dicta sunt, Deinde grauior est difficultas; quoniam ferens Lucas c. 18. hoc ipsum ait; *assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis. Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum: & tertia die resurget*. Subditque Euangelista mirabile: *& ipsi nihil horum intellexerunt*; & non contentus; addit; *& erat Verbum istud absconditum ab eis*; & rursus; *& non intelligebant, quæ dicebantur*. Quomodo autem, etiam non intellexerint, quod in præsenti ait; firmat idem Lucas c. 9. *at illi ignorabant verbum istud; & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc verbo*. Marcus breuius se expedit dicens item suo cap. 9. *at illi ignorabant verbum; & timebant interrogare eum*. A quibus omnibus, etsi idem verset verbum, Matthæus abstinet; dicens solummodo, *& contristati sunt vehementer*. Vnde rogo tanta ignorantia? Cum primo cap. 16. prænunciauit Dominus similia, non sic perhibentur ignari: immo Petrus, re audita, statim resilijt dicens; *absit à te Domine; non erit tibi hoc*; scilicet vt occidaris. Et nunc deindeque ascendentibus Ierosolymam, adeo obtenebratum est cor discipulorum, vt verbum non intelligant: neque vlla sit exceptio, Petri saltem Iacobi & Ioannis? nunquid Petrus passus fuerat obliuionem? Cur cap. 16. cum primò hoc audiunt discipuli, non interrogant; si non illico capiunt? Denique tantæne erant altitudinis, vt sonant verba, vt ignorarent nihilque intelligerent discipuli? Quod obscurius videtur, est ly *filius hominis*; vt supponat pro Christo: sed hoc optimè perceperant, audita Petri confessione: *tu es Christus filius Dei viui*: postquam *præcepit eis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus*. Hæc libuit exaggerare, ne difficultatis vim subterfugere, aut conniuere putaremur: quanto enim magis in angustias redigi videmur, eò amplius feliciter emergendo laudabitur diuina Maiestas, quæ vt superbos humiliet, humanitus ineffabilia, voluit sacro in textu latere; vt nonnisi diuina credantur esse, cum producuntur in lucem.

39. Sancti Patres, vt videre est in Catena, Beda & Cyrillus, duas reliquerunt responsiones. Prima Bedæ; *hæc ignorantia discipulorum non tam de tarditate ingenij, quàm de amore nascitur Saluatoris: quia carnales adhuc, & mysterij Crucis ignari, quem Deum verum cognouerant, moriturum credere nequibant. Et quia per figuras & parabolas eum sæpe loquentem audire consueuerant; in ijs quæ de sua passione apertè loquebatur, horrentes euentum mortis eius, ad aliud allegoricè referendum esse putabant*. Verum ægrè admitti potest discipulos non credidisse facilè, moriturum, quia Deus erat; cum scirent esse quoque filium hominis: nisi dicas ex eodem Beda relato Lucæ 18. considerasse eum hominem, *innocentem*: proinde occidendum non fore. Sed tamen audiebant etiam resurrecturum: vnde scrupulis suis occurrere poterant: præsertim quia non adeo rudes omnes habendi erant; vt nullus eorum sciret, qualiter & Abel innocens fuerat occisus; Isaias, Ieremias & alij. Igitur etsi verum sit, quandoque euenire potuisse discipulis, quod ait Sanctus Beda, vt patet Io. 10. de Pharisæis, quibus postquam prouerbium dixit seu similitudinem, de fure, de Pastore, de Ostiario, & de ouibus, subdit Ioannes; *illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis*: sicut discipulis Ioan. 4. dixit sub tropo, *cibum habeo manducare, quem vos nescitis*: & Lucæ 12. *baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* attamen, cum nihil prouerbij saperet, verborum Domini tenor, aperta omnino expressione: nimis fuissent discipuli figuris affecti, detorquentes tam manifesta ad allegoriam. Et quod vrget magis, est, omnes notari, nemine excepto, hac inscitia; & omnes consensisse in arbitrando quæ dixerat esse parabolam. Nam si aliò non recurramus, etiam Petrum ignarum facit superficies literæ, Lucæ 18. quando assumptis duodecim, sequitur indiscriminatim; *Et ipsi nihil horum intellexerunt*; &c.

40. Igitur dicendum mihi videtur, absolutè accepisse & propriè intelligentiam; sed relatiuè quorsum hæc repeteret, *ignorabant*: nam Lucæ 9. fertur præmisisse: *ponite vos in cordibus vestris sermones istos; filius enim hominis, futurum est, vt tradatur in manus hominum*. Instabat ergo, vt cordibus eorum arctius impressum esset, quoniam erat tradendus. *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud*: Verbum scilicet de sua traditione: hoc enim duntaxat, refert ibi Lucas, & vt hoc ponerent ipsi in cordibus suis; *ponite vos*, &c. Cœperunt ergo, vt opinor, intra se dicere; *futurum est*, nedum vt occidatur, sed vt *tradatur*: & hoc commendat nobis speciatim, vt cordi sit. Iam cordibus nostris nimis amarè impressum est: ipse, qui corda nouit iam videt. Vt quid nos de hoc admonet? immo non admonet, docet; (*docebat discipulos suos*, ait Marcus) per modum docentis eloquitur: doctrinam vult igitur profiteri nos de ipsius traditione ac nece; non simplicem denarrationem. Est ne fortasse doctrinæ huiusmodi ostium ly *tradetur*, quam ex abundantia cordis, idcirco in *cordibus nostris*, deinde loquamur? *Ignoramus verbum: est velatum ante nos, & non sentimus illud*. Quorsum hæc adeo inculcet *timemus interrogare eum* Marci 9. Lucæ 9. *contristati* interim sumus *vehementer*: ita Matthæus. Supra cap. 16. cœpit ostendere nobis quia *oporteret* hæc fieri: occasionem nactus de Ioanne Baptista sub Eliæ typo discurrens, paulo ante hæc tetigit; *sic & filius hominis passurus est ab eis*. Quid nunc tanquam doctrinam qualificat, Magisterium instituit, Cathedram his de rebus erigit? dum docet nos: *docebat discipulos suos* (Marci 9.) *ponite vos* (nota ly *vos* Lucæ 9.) Non enim otiosè ponitur; sicut non perperam mulieribus, infra c. 28. *nolite timere vos*, dixit Angelus; *in cordibus vestris* &c. Aliàs Petrus Lucæ 12. auditis saluberrimis monitis, & intellectis, interrogauit; *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* Quid ergo Lucæ arctatur ly *vos*? Syntaxis faciet satis discipulis. Vidit Beda difficultatem prætensæ prout exponit ignorantiæ, tacitè obijciens; quia Iudæi, audito Ioannis 12. *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, satis intellexerunt, sine allegoriæ aut parabolæ phantasia, de morte Crucis: vnde responderunt; *nos audiuimus ex lege; quia Christus manet in æternum*; Et occurrit quod quia *in necem eius conspirauerant*, de passione illius acceperunt. Sed cum turba ibi respondeat, nec turba sic esset auersa Christo, non omnino acquiescit animus: quanquam Angelicus ibi G vtique ad Bedæ mentem similiter dicat; *eis verborum istorum intellectum, non aperuit acumen scientiæ, sed stimulata conscientia malitiæ*. G Ioan. 12. l. 6.
Certè sine metaphoræ vmbra, infra c. 27. Principes Sacerdotum & Pharisæi verba Domini memoria tenebant, cum Pilato dixerunt; *recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam*.

gam. Minoris ergo intelligentiæ faciemus discipulos quàm hostes? absit. Immo claret percepisse, quia singillatim vetuerat eis, Lucæ 9. post Petri confessionem, *ne cui dicerent, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus &c. & occidi & tertia die resurgere*. Sustine & audies, pleniusque in Syntaxi percipies, cur non censenda sit simplex suæ passionis & mortis repetitio. Sicut nec pura est prænunciationis iteratio, infra Matthæi 20. seu Lucæ 19. vbi tempus iam imminere eos edocet, dicens; *ecce ascendimus Ierosolymam*, &c. & particularia distinguit; *flagellabitur, conspuetur*.

41. Cyrillus alia via incedit; Lucæ 9. ac 18. *Dicet autem aliquis forsan, qualiter ignorauerunt discipuli Crucis Christi mysterium; cum per vmbram ipsorum legis, in pluribus locis tangeretur? Sed vt Paulus commemorat, vsque ad hodiernum diem, quando legitur Moyses, velamen adiacet cordi eorum: discipuli autem nondum nouerant exquisitè, quod Prophetæ prædixerant; sed postquam resurrexit, aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas. Expedit ergo accedentes ad Christum dicere; detege oculos meos, & contemplabor mirabilia de lege tua*. Responsio hæc optimè arridet, si nouissimo hac de re sermoni, Matthæi 20. & Lucæ 18. prætacto aptanda sit. Ibi certè meminit Prophetarum dicens; *consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. Et sic pressè accepto verborum sensu Ioannis 20. agnoscitur; *nondum enim sciebant*, inquit, *Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere*. Sciebant certè resurrecturum; toties enim audierant: sed *Scripturam*, quæ specialius hoc prædixisset, *nondum sciebant*. Inter Scripturas de Christi resurrectione, cantatissima erat illa, quam introducit Paulus Actor. 13. & Petrus 2. vbi ait; *prouidens locutus est* (Dauid) *de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*; præadducto psalm. 15. *prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi ne commouear: propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe*. Sed fortasse altera subinnuitur typo relictorum in sepulchro, cùm viderunt Ioann. 20. *sudarium, quod fuerat super caput eius*: dignum profectò symbolum Diuinitatis, iuxta illud 1. Corinth. 11. *caput Christi Deus*: eoquòd resurrexit quia Deus: 2. Corinth. 13. *nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*: quod profundè videtur tangere Scriptura psalm. 3. *ego dormiui, & soporatus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Quocirca Haymo in psalmum 1. *& exurrexi quia Dominus suscepit me; idest iunctus est meæ humanitati. Nisi enim Deitas humanitati coniuncta esset, humanitas more aliorum hominum mortua remaneret*. Folengius in psalm. 3. & alij vbi nos dicimus *suscepit me*, legunt, *sustentauit me*: vt & hebræi. Sic Ecclesia in Athanasij symbolo: *vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*. Nam, vt præ alijs locis, docet Angelicus in *Compendio Theologiæ*; H persona diuina assumpsit per quandam ineffabilem vnionem humanam naturam; sic vt anima & corpus trahantur ad personalitatem personæ diuinæ: potestque exemplum aliquale in creaturis inueniri; quandoquidem accidens trahitur ad personalitatem subiecti, vt sit persona eadem hominis & albi. Vnde quidam propter huiusmodi similitudinem dicere præsumpserunt, quòd humana natura in Christo degenerat in accidens; & quòd accidentaliter Dei filio vniretur; veritatem à similitudine non discernentes. Parergum hoc seu digressio sit ad erudiendum, qualiter

H opusc. 2. c. 211.

ignari perhibeantur discipuli ab alijs Euangelistis hoc in contextu.

VERS. XXIII. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum; & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? ait; etiam*.

Prænotanda est ad literam I differentia inter tributum & censum: tributum enim est de agris & vineis; census autem de capite datur. Vnde in signum suæ subiectionis, debet aliquid homo qui est subiectus; & hoc dicitur census. Illustratur ex Chrysostomo textus: *cum enim*, inquit, *primogenita Ægyptiorum interfecit Deus; tunc tributum Leui pro eis accepit: deinde, quia primogenitis Iudæorum minor numero erat tribus Leui; pro deficientibus, in numerum siclum iussit inferri: & ex tunc tenuit consuetudo, vt primogeniti vectigal hoc inferrent. Quia igitur primogenitus erat Christus; videbatur autem discipulorum primus esse Petrus, ad eum accedunt. Et vt mihi videtur, non in vnaquaque Ciuitate hoc expetebant: ideoque in Capharnaum adeunt Christum, quia eius Patria existimabatur*. Hieronymus; *post Augustum Cæsarem Iudæa facta est tributaria; omnes censi capite ferebantur: vnde & Ioseph cum Maria profectus est in Bethlehem. Dominus autem nutritus fuerat in Nazareth, quod est Oppidum Galilææ subiacens Capharnaum Vrbi*. Affirmatiuum vel negatiuum trahitur in sensum, quod ait Petrus *etiam*. Sentit Hieronymus *malitiosè interrogasse; vtrum reddat tributa; an contradicat Cæsaris voluntati*. Quorum prauitas deprehendi videtur; quia Dominus dignatus est soluere, ne scandalizarentur, seu ruerent in malum, donans illorum ignorantiæ aut infirmitati: quod notat L Angelicus. Super illa verba Roman. 13. *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*: ab hoc, inquit, debito M liberi sunt clerici ex priuilegio Principum. Sed ne gratiosum omnino credatur priuilegium, subdit: quod quidem æquitatem naturalem habet. Vnde & apud Gentiles liberi erant à tributis illi, qui vacabant rebus diuinis: legitur enim Genesis 47. quòd Ioseph subiecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis; quibus & statuta cibaria ex horreis publicis prabebantur. Et infra dicitur; *vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur; & factum est quasi in legem: absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit*. Hoc autem ideo æquum est, quia sicut Reges solicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita Ministri Dei in spiritualibus: & sic per hoc quòd Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi, quòd pro eorum pace laborat.

42. I D. Th. hic.

L D. Th. hic.

M Rom. 13. l. 1.

Quod miremur est, non eò recurrisse Dominum, vt se exemptum ostenderet discipulis, cùm esset *Pontifex in æternùm secundum ordinem Melchisedech*, vt dicitur ad Hebræos cap. 7. sed se liberum præsefert, immò in vniuersum liberos esse filios, in alienorum discrimen asseuerat. *Reges terræ* (Petrum interrogat) *a quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus; ergo liberi sunt filij*. Si fortè occurras subintelligi de Sacerdotio; iuxta quod Petrus habet in sua prima cap. 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium*, &c. instantia est; quia ibi non ad literam dicuntur Altaris visibilis Sacerdotes promiscuè fideles, vt patet ex præcedenti contextu: sed eo sensu quo dicitur Apocalyps. 5. *fecisse nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes*. Et præterea, fieret consecutio, vt fideles omnes exempti forent; quod arguit Angelicus N dicens; cum filij secundùm spiritum sint omnes Christiani, omnes essent 43.

N D. Th. hic.

essent liberi, contra illud Apostoli, *cui tributum tributum*, &c. Dic ergo altiori de causa, quam aperiet Syntaxis, non ad Sacerdotium, nec ad filiationem suam, qua filius est Patris: (psal. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.*) sententiam protulisse, sed alterius generis libertatem spectasse; quamuis allegoria quadam ad legitimos Regum filios, qui non soluunt. Si de sua naturali filiatione introduceret, ipse tantùm erat immunis & liber; sed pluraliter loquitur, *ergo*, inquit, *liberi sunt filij*. Si inuoluit sermo adoptiuam filiationem nostram per gratiam; fideles omnes à solutione tributi liberi forent: quod erroneum est. Et ita hinc videtur, planius futurum fuisse, si ad Sacerdotij dignitatem recursum esset: quanquam adhuc est difficultas, quoniam discipuli nondum erant Sacerdotes. Diuus Thomas O alibi aliò vergit dicens; Christus loquitur de se & suis discipulis, qui nec seruilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus suis Dominis obligarentur ad tributa soluenda. Et ideo non sequitur quòd omnis Christianus huius libertatis sit particeps, sed solum illi, qui sequuntur apostolicam vitam, nihil in hoc Mundo possidentes, & à conditione seruili immunes. Huc facit, quæ fuit Hieronymi, glossa; P *tantæ Dominum fuisse paupertatis, vt vnde tributa pro se & Apostolo redderet, non haberet.* Adnectitur autem Q ex 2. ad Corinth. cap. 8. *quoniam propter vos, egenus factus est, cum esset diues: vt illius inopia, vos diuites essetis.* Et quamuis pecuniæ aliquid seruaretur: vnde Ioannis 12. Iudas *loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat*; attamen vt ait Hieronymus, *rem pauperum in vsus suos conuertere, nefas putauit; nobisque idem tribuit exemplum.* Chrysostomus admiratus cur ad mare miserit, vt daret tributum, inquit; *vel ideo non ex repositis iubet dare, vt ostendat quòd maris & piscium dominetur.* Porro si placet: recolant hinc Prælati sibi à subditis, quorum sunt piscatores, suppeditari eleemosynas: sed has pro necessarijs accipiant: Nec euiscerandos esse fideles; sed quæ promptè libenterque *aperto* exhibent *ore* fieri nostri vsus.

O 2. sent. d. 44. q. 2. a. 2. ad 1.

P 3. p. 40. a. 3. opusc. 19. c. 6. & prius opusc. 17. c. 15.

Q D. Th. hic.

VERS. XXVI. *Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem*, &c.

44. Maldonatus ex Chrysostomo: *ita Christus tributum soluere voluit vt neque publicanos offenderet*, (dic exactores) *neque suum perderet priuilegium; dum non ex suo, sed ex inuento solueret.* Fertur Theophylactus inquirere ad illud infra cap. 22. *reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*, causam; *quare reddite, & non date?* Certè quia redditio ius & obligationem inuoluit. Signanter ergo hic Dominus abstinet à verbo illo *redde*, Petroque iniungit sub alia forma; *da eis pro me & te.* Pulchra est ad rem doctrina R de actu *dandi*: quod enim transfertur per debitum æquitatis, sicut in iustis venditionibus & permutationibus rerum, & remuneratione laborum; magis redditur, quam detur: actus dandi est actus liberalitatis & gratiæ. Concionator quidam modernus facit etiam familiares Christi à tributo liberos; quia & in humana politica non tantùm filius ipse Regis, sed etiam familia eius à tributis libera esse solet. Sed fortiùs Apostoli filij Regis erant Christi, qui & Rex, & Rex Regum secundum Scripturas. Verum, vt etiam perpenditur, mirabile admodum est: cur, cum posset Dominus sexcentis modis alijs ad manus Petri soluendam pecuniam transmittere, miraculum in pisce quem piscaretur patrare voluerit? Non desunt responsa tropologicè, quæ videat lector. Hieronymus habet; *quid primum in hoc loco mirer, nescio: Vtrum præscientiam aut magnitudinem Saluatoris: præscientiam qua nouerat habere piscem in ore staterem, & quòd primus ipse capiendus esset: magnitudinem atque virtutem, si ad eius verbum stater in ore piscis creatus est; & quod futurum erat, ipse loquendo fecerit.* Est qui lepidè factum trahat, ad Ecclesiasticorum immunitatem: vt scilicet innotescat, Petrum non tanquam Apostolum, sed tanquam piscatorem soluturum: proinde, vbi Deo famulentur homines diuinis ministerijs mancipati, iniustè tributa exigi. Fauet illius piscis nomen, de quo Adamus Conthzen: *piscis est apud Plinium, qui faber dicitur, & piscis Sancti Petri Christianis.* Faber autem vel ex nomine, non Dei cultum, sed rerum humanarum constructionem per artificum operam importat. Vnde & piscis, qui tributum suppeditet, nonnisi quia operarius, capiendus est. Porrò quoniam plures adhuc emergunt difficultates: cur scilicet nunc hamo piscari iusserit? quando ait Sanctus Proclus de Apostolis, *non ferreum tractant hamum*: & Ambrosius in Lucam cap. 4. *benè apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quia captos non perimunt, sed reseruant.* Præterea, quare in primi piscatione piscis hocce prodigium? Cur ad mare misit, non sub terras? vbi immo nummi vel cadere vel condi consuetum est. Cur in ore inuenitur stater, non potius in ventre? difficilius enim poterat hamo capi. Christus Dominus, qui omnia quæcumque fecit, diuinitus operatus est; sine vlla dubitatione & hoc egit mysterij profunditate. Dignetur ipsomet aperire nobis sensum, vt obstupescat fidelis de Dei sapientia: qua voluit de prodigioso huiusmodi euentu, à Matthæo hic narrari: vbi connexio ad præcedentia emicat nulla: cum tamen certissimè credendum sit profundiorem futuram, & compagem subesse & intelligentiam: quam dum humiliter venatur mox Syntaxis: accipe ex glossa *staterem pondus esse duarum didrachmarum*: & ex Hieronymo super Ezech. 4. Drachmam esse nummi genus, qui æquivaleat octauæ vnciæ parti; drachmæ enim octo latinam vnciam faciunt: didrachma continet duas drachmas. Siclus quatuor habet drachmas, idemque est ac stater. D. Augustinus libr. Quæst. noui & veteris Testamenti quæst. 75. claudat; *didrachma Capitum solutio intelligitur*: & paulo post: *Saluator cum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur; quia sicut in Saluatore erant omnes causa Magisterij; ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit Caput eorum.*

R opusc. 71. c. 4.

SYN-

SYNTAXIS
Ad Caput Decimumseptimum.

VERS. I. *Et transfiguratus est ante eos*, &c.
1. Quomodo concernat Matthæi scopum Domini transfiguratio, prout speciatim ab ipso denarratur, resplendente facie Iesu instar solis (quod ad animam spectat, quæ lucet in facie) dictum est in Capituli expositione. Et præterea in calce Capituli eiusdem ex Leone, vt *eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset*. Vbi meritò, dic, perfecto numero tres assumpsisse discipulos, vt esset indicio, iuxta quod ait Augustinus Sermon. 174. de tempore; quia *sicut ille ascendit, nec recessit a nobis; sic & nos cum illo ibi iam sumus: quamuis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Nam propter vnitatem, qua Caput nostrum est, & nos corpus eius; cùm ascendit in Cœlum, nos ab illo non separamur.* Hoc ipsum mysticè signant *vestimenta*, (coniunctiùs enim gestamus) *quæ facta sunt alba sicut nix*. A. 1. F. 45. 2. 2. ad 3. & psal. 50. lit. d. Quocirca Gregorius; *vestimenta Christi facta sunt splendentia, quia in supernæ claritatis culmine, Sancti omnes ei luce iustitiæ fulgentes adhærebunt: vestium enim nomine iustos, quos sibi adiunget significat; secundum illud* Isaiæ 49. *his omnibus velut ornamento vestieris*. Adde quod habet Augustinus in psal. 147. ad illud; *qui dat niuem sicut lanam: quomodo enim dicitur Ecclesia corpus Christi, dicitur & vestimentum Christi ipsius Ecclesia*. Et iterum, *qui prædestinauit nos, dedit terræ niuem ipsos nos. Fulgebat vestis Christi sicut nix*.

VERS. III. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes*.

2. Continuari ad præhabita sic accipito. Postquam enim Iudæos præcipuè nascenti Ecclesiæ progredientique vidimus insultantes, adscitis etiam in oppugnationem Gentibus, prout supra capite 15. & 16. proximè dictum est: supererat Scripturarum examen, quas cùm detorquent, quasi spicula in nos intorquere conantur: at recidit sagitta in sagittarios. Hoc planè demonstrat discipulorum interrogatio, Scribarum nomine, tacita quasi obiectione versu 10. *quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?* Nam id vnum est inter alia, quo labuntur Iudæi, rati Messiam nondum venisse, cùm Elias nondum venerit. De Scripturis ergo cum Iudæorum peruicacia præadmonet Matthæus disceptandum: & in hac Malachiæ, cæteras innuit omnes proferri posse. Sed quid validè aduersum Dominum valeant promere; quando Moyses & Elias, lex scilicet & Prophetæ, cum eo locuti sunt? Apud Lucam *dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*: Matthæus à particulari omni abstinet: quia Scripturarum omnium consensum (*cum eo loquentes*) voluit intelligi. Benè Leo Papa: *quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cuius prædicatione veteris & noui Testamenti concinit tuba; & cum euangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi inuicem vtriusque fœderis paginæ; & quem sub velamine mysteriorum præcedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum, præsentis gloriæ splendor ostendit*. Necte quod habet *Serm. 7. de Natiuitate: diuina est auctoritas, cui credimus; diuina est doctrina, quam sequimur. Quoniam siue legis testificationi*, (ecce, Moysen) *siue oraculis Prophetarum*, (ecce, Eliam) *siue euangelicæ tubæ, interiorem admoueamus auditum*; (ecce, *vox de nube dicens, hic est filius meus dilectus*, &c. *ipsum audite*) *verum est quod beatus Ioannes plenus Spiritu-Sancto intonuit; in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & similiter verum est, quod idem Prædicator adiecit; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Magnæ certè vis apparitio! quando & Lucæ 16. ait *Abraham; Moysen habent & Prophetas; audiant illos*: & rursum; *si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si quis à mortuis resurrexerit, credent. Disceptate*, inquit Augustinus in psalm. 147. *vtrum audiendus sit Moyses & Prophetæ, qui fidei suæ testimonia tanta exhibuerunt; cùm videamus sic currere res humanas, vt ab ipsis prædicta sunt*. Quid dixit Moyses? *in semine tuo benedicentur omnes Gentes*. Quid dixerunt Prophetæ? *commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ*. Certè huc spectare Moysi & Eliæ apparitionem non obscurè ipsemet Petrus in sua secunda cap. 1. indicat; dum post relatam transfigurationem subdit; *& habemus firmiorem propheticum sermonem*.

Et quia non latebat Petrum quod dixerat Dominus Lucæ 24. *quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & psalmis de me*: ideo quoties occurrit, vt in Actis videre est, testimonia profert Scripturarum: contestatus in genere Act. 10. *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum*. Cui similiter accinit Paulus cap. 13. dicens; *qui habitabant Ierusalem & Principes eius, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt*; &c. Quò & idem Petrus Act. 3. *Deus autem, quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit*. Et mox iterum, *quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à sæculo Prophetarum*. Et deinde, *omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos*. Vbi mi lector, expende iterum singulare ly *os*: qua animaduertentia Zacharias quoque in Cantico ait: *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*. Quod etiam altiùs videtur & Beata Virgo insinuasse cùm cecinit; *sicut locutus est ad Patres nostros*; vnumque duntaxat expressit, *Abraham; & semini eius in sæcula*. Vbi fas sit accommodari quod ait Paulus ad Galatas 3. *non dicit, & seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno*. Quoniam enim vno eodemque *Spiritu-Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, vt ait Petrus loco laudato: & Paulus, 1. ad Corinth. 12. *idem autem spiritus*: ideo vno veluti locuti sunt ore; quia concors omnino de Christo est eorum locutio. Nam vnà simul ad Euangelium direxerunt sermonem, secundùm quod ait Apostolus Roman. 1. *in Euangelium, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo*.

4. Porrò absit putet aliquis, dum Patris vox de nube singulariter indicit, *ipsum audite*, audiendos non forè vltra Prophetas: nam hoc ipsum quod est Christum audiri, vicissim est audiri Prophetas; & è conuerso. Hinc teste eodem Moyse Deuteronomij 15.

dixit Deus; *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui*, &c. Et præmisso ad populum, *ipsum audies*, sequitur; *qui autem verba mea quæ loquetur, audire noluerit, ego vltor existam*. Quem locum refert & Petrus Act. 3. *Prophetam* &c. *ipsum audietis*; & Stephanus cap. 7. Et iam ipse Dominus reciprocam hanc auditionem commendat Ioannis 5. *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim, ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Veruntamen, quamuis constans sit quod dixit Nathanaeli Philippus Ioannis 1. *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum*, &c. quamuis nouum testamentum contineatur in veteri secundùm Gregorij expositionem B super illud Ezechielis 1. *rota erat in rota*; nam lex noua est in veteri, sicut fructus in spica; nihilominus speciatim iniungi oportuit, *ipsum audite*; quia ab ipso est, qui Lucæ 24. *interpretabatur* Ammoni & Cleophæ, *in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis*, ab ipso est inquam doctrinæ Sacræ illustratio. Quare & Petrus vbi supra; *omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*: vbi glossa C *sicut Prophetæ non sua, sed Dei verba scribebant; ita lector non sua interpretatione, vel propria expositione vti debet, ne à fide exorbitet*. Dic ergo opportunè apparuisse capita Prophetarum, vbi refulgere potuit à Christo splendor, quo Moyses & Elias omnino refulgerent. *Exinde* nato Domino, ait Leo Serm. 1. de Epiphania *nobis Christum loquentia scripturarum arcana patuerunt*. Et cum eodem in Serm. 7. de passione; *oportebat, vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio; vt ergo vmbræ cederent corpori*, &c. & Serm. 8. *scissum est templi velum, vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur*: ibique *obumbratas* iterum vocat antiquas *significationes*. *Lucerna* ex Petro est propheticus sermo, *lucens in caliginoso loco*. Prouerb. 6. *mandatum lucerna est, & lex lux*, scilicet Euangelij, vt ibi 2. Petri Angelicus. Vmbram quippe aliquam simplex lucerna relinquit post se, paruumque est lumen. Et Ioannes Baptista, qui *lucerna erat ardens & lucens*, Ioannis 5. *non erat ille lux* Ioan. 1. *ipsum* ergo cuius *facies resplendet tanquam Sol* quique est *lux Mundi*, meritò iubentur discipuli audire; quo non audito, nec Moyses nec Elias audiuntur. Itaque opportunè de Moyse & Elia introductum est in typum Scripturæ ad Iudæos confundendos, quia 2. ad Timoth. 3. *omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*.

B p. 3. 107. 3.

C 2. Petri 1. 1.

5. Et ne gratis id astruere videamur, animaduertat pius lector paternæ vocis discrimen hic & in baptismate. *Iesu* enim *baptizato*, vt patet Matthæi & Lucæ 3. *vox* equidem *de Cælo facta est: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: quod & in præsenti: cæterum, ibi adiectum non est, *ipsum audite*. Ad idem, symboli varij diuersitas, quam notat Angelicus; D In baptismate, inquit, facta est missio visibilis ad Christum sub specie columbæ, quod est animal fœcundum; ad ostendendum in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem generationem: in transfiguratione autem sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuperantiam doctrinæ: vnde dictum est; *ipsum audite*. Similiter scripserat in Sententias; E In specie columbæ facta est ad eum missio Spiritus-Sancti, ad significandam fœcunditatem spiritualem; quia columba animal fœcundissimum est. Et sic ad similitudinem filiationis eius per baptismalem gratiam in filios adoptionis regeneramur. Ad insinuandam verò redundantiam gratiæ ex ipso in alios per modum doctrinæ, apparuit Spiritus-Sanctus super ipsum in nube lucida. Subdit autem similitudinis rationem; quia nubis lucidæ est lumen spargere: inducitque ex Iob cap. 37. auctoritatem; *nubes spargunt lumen suum*: in quo significatur, inquit, effusio doctrinæ per prædicationem, secundùm Gregorium: & hoc in transfiguratione secundùm glossam Augustini & Bernardi: ideoque additum est; *ipsum audite*. Memorat locum Iob alibi F, & addit ad Hebræos, per nubes Prædicatores & Apostolos intelligi; Isaiæ 60. *qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Coronat autem expositionem quod dicitur Ecclesiastici 39. *ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ*. Cohæretque rem totam illustrans præuius in Iob contextus, *frumentum desiderat nubes*: vbi idem Gregorius; G *electi sunt frumentum Dei, cœlestibus horreis recondendi; frumentum nubes desiderat; quia electus quisque præsentiam sanctorum Prædicatorum exoptat*. Huiusmodi auditionem à Domino; *ipsum audite*, infixam discipulorum cordibus legimus 1. Ioann. 1. *quod fuit ab initio, quod vidimus & audiuimus*: Hebræor. 2. *quæ*, (salus) *cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Et Sanctus Lucas cap. 1. *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*. Est autem quod adhuc consideremus de nube, quæ *lucida* perhibetur. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, psal. 17. fuit doctrina legis H & Prophetarum: obscura enim est, quia velamen habet; 2. Corinth. 3. *vsque in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti, manet non reuelatum; quoniam in Christo euacuatur*. Sed doctrina noui testamenti est clara; Ephes. 3. *alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu*, &c. Quamuis eodem spiritu Prophetæ prædixerunt futura, quo Apostoli annunciabant facta. Vnde glossà; I *spiritus in Prophetis, spiritus in Apostolis*. Hoc lector figat cordi; nam Euangelij cum veteri testamento compertus ad amussim cócentus, Scripturarum intelligentiæ priscarum summopere, eas implendo, adstipulatur.

D p. p. 43. 7. ad 6.

E 1. sent. 16. q. 1. a. 3.

F Rom. 1. l. 1. Hebr. 13. l. 3.

G opusc. 58. c. 10.

H ps. 17. Isaiæ 45. 2. Petri 1. Ioan. 1. l. 12.

I 1. Petri 1. 4. his confestatur.

Mirabitur autem fortè quis, cur de nube & de Cœlo doctrinæ Christi factum sit testimonium, cum per se ipsum potuerit Dominus altam suæ doctrinæ æstimationem discipulis imprimere? nam Matthæi 7. *admirabantur turbæ super doctrina eius*, & Lucæ 4. *stupebant in doctrina eius*. At in promptu est, ex Angelico responsio; L quia cum principaliter confirmanda & propaganda esset fides per Apostolos; ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus-Sancti, ad Apostolos & ad aliquos primitiuos Sanctos; in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur. Vnde sub linguis igneis ad ostendendum officium doctrinæ, dic fuisse missionis Pentecostes præludia, & visa & audita in Monte. Quia tamen *de plenitudine eius, qui plenus est gratiæ & veritatis, omnes accepimus*, vt dicitur Ioann. 1. redundantiam doctrinæ eius nedum in Apostolos, sed in apostolicos viros omnes deriuandam fuisse indubium est: sic vt quemadmodum de ipso ait Ieremias c. 23. *regnabit Rex, & sapiens erit*: & quia Ecclesiast. 9. *verba sapientium audiuntur in silentio*, ideo *ipsum audite*: ita de Sanctis Apostolis impleatur illud item Ieremiæ 3. *dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*. Et hinc 1. Petri 3. *parati semper ad satisfactionem, omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*. Nam vt dicit ipsemet Ioan. 6. de quo Ioelis 2. *filij Sion exultate in Domino Deo vestro, quia dabit vobis doctorem iustitiæ*; colligique videtur ex illo Isaiæ 54. *ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*, vt ipsemet quoque ait; 6.

L p. p. 43. 7. ad 6.

scri-

scriptum est in Prophetis; erunt omnes docibiles Dei. Vnde & Petrus Act. 2. *non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia; sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel: & erit in nouissimis diebus, dicit Dominus; effundam de spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ; & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.* In hoc enim quod dicit *filij & filiæ* successionem Apostolicæ doctrinæ, à Christo acceptæ (Hebræorum 1. *locutus est nobis in filio*) demonstrare videtur; visionumque & somniorum typo superam, non acceptam à sensibus, illuminationem, iuxta quod Numeri 11. legimus; *si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Cuius mysterij notandi gratia, crediderim contigisse quod fertur Lucæ 9. in transfiguratione; *Petrus vero, & qui cum eo erant, grauati erant somno.* Cuius somni considerationem relinquit piæ meditationi fidelium; cum aliàs occasionem aperuerit, vt in horto, *dormientes*, inquit, *præ tristitia.* Nisi mauis dicere, populi personam gessisse *Petrum*, eos, sic suppressis nominibus, (*qui cum eo erant*) moraliter ad doctrinæ Euangelicæ prædicationem excitaturum: iuxta illud Prouerb. 6. *discurre, festina, suscita amicum tuum*, secundum

M opusc. 19. c. 10. glossam M *à somno peccati*: quia excitatur aliquis à somno peccati per prædicationem. Et quia *audientes discipuli ceciderunt in faciem suam*, fas sit, hoc ipsum ad audientes prædicationem referri: quo pacto ait Paulus 1. Corinth. 14. *infidelis & idiota*, &c. *cadens in faciem adorabit Deum; pronuncians quod verè Deus in vobis sit.* In faciem enim cadit ele-

N 1. Cor. 14. l. 5. ctus, N quia videt vbi prosternitur, in signum reuerentiæ. De reprobis legitur quòd cadunt retrorsum; Prouerb. 4. *via impiorum tenebrosa; nesciunt vbi corruant. Timuerunt valde:* sicut & Paulus Act. 9. *cadens in terram*, factus est *tremens ac stupens.* Quid etiam non caderent in figuram populi, ac in symbolum prostratæ impietatis? quando ipse Dominus, quem audiri nunc Pater iubet, pollicitus est Lucæ 21. *ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij eius:* sicut Actor. 6. *disputantes cum Stephano, non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.*

VERS. IV. *Bonum est nos hic esse*, &c.

7. Cohærenter ad hactenus dicta, congruam subit textus præsens expositionem: hæc enim dixit Petrus, teste Luca, *nesciens quid diceret*: non notatur ignorantiæ, sed nescientiæ: quæ vt diximus ex Dionysio

O p. 1. 76. 2. importat O simplicem scientiæ negationem, sicut ignorantia culpandam sciendorum priuationem. Nesciuit Petrus, quò portenderet Moysi & Eliæ apparitio; quæ in typum erat doctrinæ legis & Prophetarum. Propterea *illo adhuc loquente*: (non perperam circumstantia hæc describitur) *ecce vox de nube dicens; ipsum audite:* illico quasi reprehenditur seu potius eruditur. Quid morari hic exoptas in tabernaculis? audiendus est filius meus, totoque terrarum Orbe audiendus est: immo per te (Act. 15. *audire Gentes per os meum*) præ alijs audiendus. Ecclesia ædificanda est: toto Orbe, non tabernaculum; firmiter, non perfunctoriè, vt vsus fuit tabernaculi. Iam tibi dictum est, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: huc alludit apparitio Moysi & Eliæ mecum loquentium: nescisti hactenus allusionem: discas. *Nubes* (vt Iob cit. cap. 37.) *lustrant*

P opusc. 19. c. 10. *cuncta per circuitum*, inquit glossa; P *quia prædicationis luce, Mundi fines illuminant.* Quid in Monte, in tabernaculis cupias moras trahere? *In omnem terram* psal. 18. exiturus est sonus tubæ euangelicæ. (Nota lector reconditam eruditionem; vox hebræa *Kauam* psal. 18. sumitur & pro *ædificio*, à radice *Kiuab*, quod est, *ædificauit:* & à radicaliori *Kauab*: vnde & *congregauit*, & *collectio*, & *congregatio*. Quare legi potest, *in omnem terram, exiuit ædificatio eorum*: quod notat Maluenda noster de Antichristo lib. 3. cap. 27. 1. Corinth. 3. *Dei ædificatio estis.*) Bellè huc Gregorius apud Angelicum;

Q *hi qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minimè permittuntur: hi autem, qui amore Domini in prædicatione discurrunt; rotæ eius ignis ardens sunt; quia ex eius desiderio per varia loca discurrunt: vnde ipsi ardent, & alios incendunt.* Et rursus: *alia sunt castra prædicantium, qui huc illucque pro colligendis animabus in sancti operis procinctu laborant.* Iob 38. legitur; *quis dedit vehementissimo imbri cursum?* quod de cursu prædicationis glossa exponit, & Gregorius. Zachariæ etiam 6. *qui autem erant robustissimi, exierunt, & quærebant discurrere per omnem terram:* quod glossa de Apostolis & alijs Prædicatoribus exponit. Ecce quomodo nesciebat quid diceret, me iudice, Petrus: ideo per nubis symbolum, & per præceptum indiscretè omnibus de auditione; *ipsum audite*, edocetur. Monitus tacitè adhuc loquens Petrus, illustratusque cum Iacobo & Ioanne de mysterio, potuit post lapsum confortatus à Domino, sic intra se, quæ *à magnifica gloria* audierat, examinare. *Ipsum audiri*, iubet: at ipse caput est Ecclesiæ vnumque cum membris: ipse Prophetæ Moysi promisit, (Exodi 4.) *ego ero in ore tuo:* Ieremiæ item (cap. 1.) *ecce dedi verba mea in ore tuo*, & cap. 15. *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Ezechielis 3. reflexè, *nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Igitur mox est audiendus: descendamus de Monte, exordiamurque ab enarata visione: qui nos audient, ipsum audient. Sic discurrisse Petrum, aut cum Iacobo & Ioanne ita collocutum esse, quid prohibet? Satis probari potest; eoquòd mox Dominus, eis vetat visionem dicere: sine dubio quia secus præuiderat eam dicturos: *nemini dixeritis visionem:* quia quamuis futurum esset, vt ipse in discipulis audiretur; Lucæ 10. *qui vos audit, me audit;* nondum venerat tempus prædicationis.

Q loc. cit.

VERS. XI. *Elias quidam venturus est, & restituet omnia.*

Hanc Domini altissimam sententiam exposuimus aliquantulum in capitis nuper excursi interpretatione. Verùm non adhuc satis, neque enim ex ibi dictis plenè intelligitur, quid sibi velint, hoc loci verba Domini: præsertim si, vt contendimus astruere, cieatur de Scripturis pugna cum Iudæis. Negantibus ipsis proteruèque instantibus nondum venisse Messiam, quia nondum visus sit Elias præuiè vt inquiunt promissus, frigidè admodum videtur instantiæ occurri, si superficietenus tantùm Christianus respondeat; *Elias restituet omnia.* Immo, nisi velimus conniuentia quadam dissimulare, suffragari potius sibi arbitrabuntur; sperantes, restituat subinde omnia, quæ amiserunt; templum, Sacerdotium, Arcam, libertatem. Absit autem vt Saluator fomitem incredulitati eorum præbuerit: absit, vt quando soluenda erat obiectio, germana in medium prolata interpretatione ad tactum Malachiæ vaticinium, nihil legitimo de sensu diceretur à Domino; solummodo quasi extra rem adiecto, *restituet omnia.* Cur non palam de duplici aduentu distinctum est? Quod quidem in ore habent propugnatores Christiani, ad redimendum scilicet mitissimi Agni, ad iudicandum vero seueri Iudicis. Quod præterea consonat textui; nam subditur; *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis:* & initio capitis, quod fertur etiam ad iudicij diem R *ecce enim dies veniet succensa*, 8.

R Apoc. 14. 5. & vidi com. 1.

censa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula; & inflammabit eos dies veniens; dicit Dominus exercituum, qua non derelinquet eis radicem & germen. Sed quoniam hæc responsio vtique vera est, sed infideles effugium possunt forsan habere, dicendo inibi etiam loqui Prophetam de primo Christi aduentu; *orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius;* S (*ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster.*) Quoniam similiter reuera de Baptista in spiritu Eliæ præcursore, probat Dominus intelligi Prophetiam: vnde non negatur venturum fuisse, officio non persona Eliam, ante Christi primum aduentum: ideo Dominus, hac missa duplicis aduentus distinctione, tanquam non omnino obiectionis vim euacuante, profundius Iudæos confutat dicens, *restituet omnia.* Decet quippe suaderi hisce verbis explanari adeo Malachiæ dictum, vt immò retorqueatur iaculum, confodiatque sagittarios.

S pf. 18. & Cant. 1.

9. At altus est sermo Domini. Operæ-pretium est prius dictum Ecclesiastici, quod vtique huc etiam facit, rursus expendere. Ibi enim cap. 48. de Elia sic legitur: *qui scriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini: conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* In Matthæo & Marco vsurpat Dominus etiam verbum, *restituo.* Ecclesiasticus addit, *tribus Iacob.* Benè interpretatum est spiritualiter in Capite nuper exposito; sicut Ieremiæ 50. dicitur, *grex perditus factus est populus meus;* & Apostolus Roman. 11. *si enim eorum amissio,* (scilicet Iudæorum non credentium &c.) idest incredulitas & inobedientia eorum: T sicut dicitur seruus amissus, quando sub cura & obedientia Domini refugit esse. Et ita ly Iacob posset accipi in datiuo casu; *restituet tribus Iacobo,* à cuius sancta fide aberrarint: non secus ac Isaiæ 59. legimus; *& venerit Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob; idest,* inquit Haymo, *ad consortium illorum, quibus supplantare vitia, singulare studium est.* De qua finali reuersione ab iniquitate Apostolus scriptum esse contestatur illud met Isaiæ, secundum Septuaginta in hæc verba, vbi supra Roman. 11. *veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob:* Michææ vltimo; *quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transfers peccata reliquiarum hæreditatis tuæ? reuertetur & miserebitur nostri.* Quanquam non repugnet etiam carnaliter de Iudæis intelligi; nam vt considerat Angelicus, V propter suam impœnitentiam, sunt in omnes Gentes dispersi. Sed quamuis futura ita sit Iudæorum *assumptio* apud Apostolum, vt assumantur à Deo; immo tunc pariter Gentilium, vel refrigescentium charitate, vel deceptorum ab Antichristo, restitutio in feruorem pristinum; nihilominus non adhuc claret, quomodo implendum, intelligendumque sit, *restituet omnia.*

T Rom. 11. l. 2.

V loc. cit.

10. Igitur vt hoc assequamur, penitissimè introspiciamus necesse est, quid Malachiæ verba velint; *conuertet,* inquit, *cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.* Oportet elucidari prius, qui sint Patres qui filij. Angelicus in psalmum; X *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij:* filios primitiuæ Ecclesiæ dicit Apostolos, eorumque successores, quos etiam nihil prohibet Patres nuncupari 1. Corinth. 4. *in Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui.* Vel Patres boni fuerunt Prophetæ: Ecclesiastici 44. *laudemus viros gloriosos, & parentes nostros.* Patres pro Apostolis conuerti ad cor filiorum nemo adlaboret; quia nunquam fuerunt auersi. Immo Act. 4. *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna:* certè & cum Patribus suis Apostolis, *ante quorum pedes, ponebant pretia eorum quæ vendebant.* Si de Patribus, origine sermo esset Malachiæ, à quibus filij eorum praeextitissent alieni; (de quibus Patribus Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto* &c. Et 1. Corinth. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt:* institutores nimirum A fidei nostræ) de his viget difficultas quomodo cor eorum dici queat conuerti in filios; cùm conuersio, ex Angelico, B importet quandam condescensionem; seu trahi C ad aliorum voluntatem: iuxta illud Ieremiæ 15. *conuertentur ipsi ad te; & tu non conuerteris ad eos.* Multo minus de antiquioribus sanctioribusque Patribus Abraham Isaac & Iacob, nec mysticè accipi potest, vt *cor eorum* conuertatur per Eliam *in filios:* potius è contra: nam Sancti illi Patriarchæ fuerunt in sublimitate sanctitatis; Osee 9. *in cacumine eius vidit Patres eorum,* vt exponit Angelicus Serm. in festo omnium Sanctorum. Superest itaque Patres alios exquirere, aliosque filios, de quibus possit & debeat intelligi Malachiæ oraculum: inter quos etiam notoriè deprehensa sit inimicitia; quam præcedere necesse est, & exui, si conuertenda sunt *corda Patrum in filios.* Profectò filiorum nomine Gentiles accipi possunt; quemadmodum & Iudæi Gentilium Patres dici queunt, non origine sed Religione. Sic ait Dominus Ioann. 4. *salus ex Iudæis:* quia quantum D ad doctrinam veritatis omnes Gentes fuerant in erroribus: Iudæi autem in veritate permanebant: *quia* Rom. 3. *tradita sunt illis eloquia Dei.* Deinde quantum ad spiritualia dona; nam Prophetia, & alia dona Spiritus-Sancti, prius eis data fuerunt, & ex eis deuenerunt ad alios; Roman. 11. *tu,* scilicet Gentilis, *cum esset oleaster, insertus es in illis,* scilicet Iudæis: & c. 15. *nam si spiritualium eorum, scilicet Iudæorum, participes facti sunt Gentiles.* Benè notat Gregorius homil. 22. in Euangel. *ad Dei cultum priorem esse Synagogam, quàm Ecclesiam Gentium.* Quid ergo prohibet, nos filios, Iudæos verò huiusmodi de causis vocari Patres? præsertim cùm primi filij, nempe Apostoli origine quoque filij reuera essent Iudæorum; & Apostolici viri, fidelesque omnes vnam constent Ecclesiam, cantatam idcirco Apostolicam? Nos filij Iudæorum ex primæuis per eos traductis fidei de vero Deo doctrinis. Filij dicuntur E mysticè nasci per doctrinam: ad insitum germen, parentis vices obit radix, cui ramus iungitur. Tales Iudæi fuerunt ad Gentes: vnde ab initio Christiani, ob acceptos Moysen & Prophetas, & ob hanc ab Iudæis deriuationem alijsque de causis (vt retuli Deuteronomij 30. num. 6. ex Maluenda lib. 8. de Antichristo c. 1.) quanquam Gentiles essent, Iudæi appellabantur. Palam Angelicus F Gentiles, filios Iudæorum Sanctos dicit; ibique & Apostolus; *salus est Gentibus, vt illos æmulentur;* quod in Iudæorum inuidiam referri potest: quippe qui paulo post *inimici secundum Euangelium* dicuntur; quia G doctrinam Euangelij impugnant. Ecce ergo ex quo claret Iudæorum auersio, quam nec ipsi inficiari queunt: at nequeunt pariter negare ipsos potius esse Patres, nos verò filios; ergo cùm Elias conuersurus sit prius, *cor Patrum in filios.* prius ipsi ad nostram conuertentur fidem, quàm filiali amore nos inde illos prosequamur. Nam quousque auersi sint, indignantur, ex Angelico H Gentiles Iudæis, propter incredulitatem eorum psal. 118. *vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Et ne crederetur, conuertendum cor Patrum in filios, solo affectu non verò legis gratiæ acceptatione; conuertendos clarè innuit ex legalibus: ideo (& mirum est) immediatè mox præmisit; *mementote legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb;* & tamen quia legi illi non erat insistendum, *cor Patrum conuertet in filios.* Rectè autem de cordibus fit mentio; quia & de fide, corde

X pf. 44.

A 1. Cor. 10. l. 1.

B Ioa. 11. l. 5. lit. c.

C 2. 2. 35. 6. 4.

D Ioa. 4. l. 4. lit. b.

E pf. 44. lit. 1.

F Rom. 11. l. 2. in calce.

G ibi l. 4.

H ibi l. 2.

corde enim creditur ad iustitiam, Rom. 10. & Act. 15. *fide purificans corda*. Cum itaque germanior alia Malachiæ interpretatio ægrè possit excogitari: iam conuincuntur, non tunc expectandum esse Messiam, sed ab eis agnoscendum; quando cor suum conuertent in eos filios, qui ex ipsis præorti, quinimmo Messiam receperunt. Inanis Iudæorum expectatio, potius è contra exposceret locutum Prophetam, *conuertet cor filiorum ad Patres eorum*: cùm tamen præconuertendos Patres ad filios denunciet. Sic Osee mirabiliter c. 3. *post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum; & pauebunt ad Dominum in nouissimo dierum*. Et post quæ? Iam præmiserat; *sedebunt dies multos filij Israel sine Rege, & sine Principe & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine theraphim*. Et c. 9. *abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum; & erunt vagi in nationibus*. Quod est graphicè pingi, & præsentem miserrimum eorum statum, & futuram resipiscentiam: quia vt ait Apostolus Rom. 11. *potens est Deus iterum inserere illos*. Quò refert Angelicus I quam præ manibus habuimus Malachiæ prædictionem.

I ibi l. 3. in calce.

11. Quæ cum ita sint euentura; cur non dicat Dominus de Elia *restituet omnia?* infirmam scilicèt in Christianis, & abnegatam in Iudæis, foturus, ac inserturus fidem. Fidem fundamentum esse omnium ad animæ salutem pertinentium quis ignoret? Vbi spes, vbi charitas, vbi opus bonum aliquid sine fide? *Sine fide*, ait Apostolus, (Hebr. 11.) *impossibile est placere Deo*. Vbi mirè colligit, quæ multa virtuti fidei attributa sint; astruensque eam esse substantiam sperandarum rerum: nedum omnia, sed & potiora bona, restituta fide restitui, consectariò (quod ait Dominus) comprobat. *Omnia* ergo, & quæ singillatim fideles tangunt, & Ecclesiam, & Deum ipsum adorabilem cultu, instaurata, reparata fide, *restitui* claret: nedum Iudæi (quod ait Sanctus Thomas L) in suum statum restituentur; sed quæcumque mysticis fuere præfigurata miraculis, oraculis prænunciata propheticis, omnia decorem in pristinum è tenebris infidelitatis, aut è modicæ fidei vmbraculis reducentur ad lucem; agnosceturque in vniuersum, qualiter *lux venit in Mundum, & dilexisse*, non paucos *magis tenebras quam lucem*. Vbi autem lux exorta est, quæ deperdita fuerant quodammodo mersa caligine, *restitui* non immeritò dici queunt. Dic etiam proprio certè sensu: *Elias restituet omnia*: hoc est, vltimam manum sua prædicatione & doctrina dabit ad omnium completam renouationem. Non quòd cuncta singillatim tunc sint renouata, sed nonnulla, quæ exciderint, quorum gratia, titulo completionis, *omnia* benè dicantur renouari & *restitui*. Qua ratione crediderim dixit Petrus Act. 3. de Iesu Christo, *quem oportet quidem Cælum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium*, (completiue nimirum incessanti ac indisiuncta ministrorum opera) *quæ locutus est Deus per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*. (Apud Augustinum in psal. *Dixit Dominus* sic legitur: *quem oportet Cælum repetere, donec impleantur tempora Gentium*. Sed reor esse non improbandam potiùs interpretationem; in quantum Prophetæ de Gentibus prædixere.) Dic tandem restituturum *omnia* fidelibus auribus: *omnia*, inquam, *quæ* (Lucæ 24.) *scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me*: quæ cuncta è medio tollere, fuerit, post mysticos præcessores, Antichristi conatus infringere. Videtur hoc dignanter per Marcum innuisse Dominus: vbi ait; *Elias cum venerit primo restituet omnia: & quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur*: qua vna via *conuertet cor Patrum in filios*, finali in Ecclesia; sicuti & primitiuæ progredientisque initia atque procursus ex duobus populis Iudæis & Gentilibus processere vexillo Crucis, conuersis mutuò cordibus: quo modo ait Apostolus Ephes. 2. *ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum, solutis in carne sua* amborum *inimicitijs*; reconciliatis ambobus, *in vno corpore, Deo per Crucem*. Arabica versio habet, *docebit vos omnia*: vbi nostra; *restituet omnia*: restituta Iudæis intelligentia scripturarum. *Auferetur à vobis Regnum*. Esto in paradigma, ex Malachiæ auctoritate, qualiter Ecclesia eludit quæ obijciunt Iudæi argumenta, minimè intellectis Scripturis proteruè deprompta. Dicamus in eos quod ait Paulus *vbi Scriba?* idest peritus in lege: M vbi verba legis ponderans? Isaiæ 33.

L loc. cit.

M 1. Cor. 1. l. 3.

VERS. XIV. *Miserere filio meo quia lunaticus est*.

12. *Diabolus qui* (Apoc. 11.) *seducit vniuersum Orbem*; quique & coram Domino Scripturam deprauare ausus est; quo ipsum tentaret, se deorsum mittendo, allegata psal. 90. auctoritate; *Angelis suis Deus mandauit de te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*; Diabolus inquam, obliquum Malachiæ intellectum Scribis Saluatorem calumniantibus immiserat; quod opinor; quia vt ait Dominus Ioann. 8. *mendax est, & Pater mendacij*: sicut è contra ex Ambrosio; *omne verum, à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est*. Quid mirum mox Dæmoniacus introferatur? Gradatim se habent: nam & Ioann. 13. postquam *Diabolus misit in cor, vt traderet eum Iudas Iscariotes: post buccellam introiuit in eum*. Aptè Origenes; *quamobrem nobis cauendum est, ne Diabolus intrudat in cor nostrum aliquod ignotorum telorum suorum: nam si intruserit, insidiatur deinde; vt & ipse introeat*. Physicus ergo iste dæmoniacus, sit spiritaliter pro obsesso à Dæmone; qui dixit 3. Regum vltimo, *egrediar & ero spiritus mendax*; &c. *cui dixit* (permittendo) *Dominus: decipies & præualebis: egredere, & fac ita*. Neque fuerit absonum, vt in typum nostratum etiam Iudæorum sit lunaticus iste; quando illius occasione, exclamat Dominus præsentia nedum tangens, sed futurum prospiciens; *O generatio incredula & peruersa! quousque ero vobiscum?* Ad eos locutus: *vsquequo patiar vos?* hodiernos præincrepans: nam sequitur *increpauit illum Iesus*. De Iuda (Lucæ 22. in Catena) Titus; *in Iudam Satanas intrauit patulum inueniens ostium*. Meritò ergo increpatur, qui diabolum admisit. Pro Iudæis incredulis esse lunaticum istum comprobatur ex Marco, vbi Pater *dixit; attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum*: Dominusque in eius liberatione adiecit, *surde & mute spiritus*: eoquòd infidelis non audit; Isaiæ 53. *Domine quis credidit auditui nostro?* Roman. 10. *fides ex auditu*. surditasque est in causa, cur quis mutescat; sicuti è regione in psal. 115. *credidi propter quod locutus sum*: & Apostolus, 2. Cor. 4. *credimus; propter quod & loquimur*. Fortassè ne quasi ponat in numero Dæmonium hocce cum homine infideli, ducuntur discipuli paulo post in interrogatione ad casum masculinum; *quare nos non potuimus eijcere illum?* vbi interpres Theophylacti, maluit dicere *illud*. Nisi dicamus ad literam; *illum*, scilicet *spiritum*, vt Marcus habet. Aliàs si literam tantum sequamur, asperum esset, in eam incidisse discipulos Dæmonis inobedientiam, qua Iudæis Exorcistis respondit Act. 19. *vos qui estis?*

13. Mirabile est autem, nec Marco nec Lucæ visum fuisse, notandas adeo circumstantias tangere, quas Matthæus narrat: *Lunaticus est; &c. sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam*. Quamuis apud Marcum, extet: *& frequenter eum in ignem, & in aquas misit*. Historialiter satis. O eloquij diuini altitudinem!

nem! Ad Matthæi subtegmen attinuit, vt lunaticus diceretur; quia Ecclesiam & impugnare & fœdare Iudæus tanquam lunaticus, in morem & ab initio habuit, & habiturus est vsque in finem; propterea ægerrime sanandus. *Luna*, aiebat Gregorius, *pro defectu carnis ponitur; quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat*, Leo Papa, quod Iudæo proprium est epithetum attribuit in serm. de Passione; dicens; *lugeat carnalis Iudæus; sed spiritalis gaudeat Christianus: & festiuitas, quæ illis conuersa est in noctem, nobis coruscet in lucem*. An si nox eis superuenit, non sub lunæ dominatu erunt, quæ præest nocti? Ait Matthæus; *& male patitur*: fiat ex Leone apposite interpretatio; *quia Crux Christi eadem est, & credentium gloria, & non credentium pœna*. Igitur, *ò generatio incredula!* Duo autem adhuc sublimis intelligentiæ, in eo quòd lunaticus adest, effodiuntur. *Primum*, animaduertendo in veteri lege N iterari con-
N p. 2. 102.4. ad 19. suenisse quolibet mense festum Neomeniæ: (hoc est nouilunium) per Neomeniam autem, quæ est incensio nouæ lunæ, significabatur illuminatio primitiuæ Ecclesiæ per Christum; eo prædicante & miracula faciente. Dic modò vulgatum esse, Ecclesiam lunæ comparari: *pulchra vt luna*, Cant. 6. Ex illa, quæ pulchritudine tanta, sacris ritibus christianoque cœtu decora est, Iudæus *male patitur*; immo *spumat, stridet dentibus, & arescit*; vt alij adnectunt Euangelistæ. In tribulatione (Act. 11.) *quæ facta fuerat sub Stephano*, Act. 7. certè *stridebant dentibus in eum*: Et c. 5. etiam *dissecabantur*. Hinc Ambrosius Rom. 11. suo cap. 38. *cruciabantur videntes Gentes profiteri cum gaudio; consequutos repromissionem Abrahæ; factaque est in illa die* (cap. 8.) *persecutio magna in Ecclesia*. *Secundum*, recolendo
O loc. cit. O in lunæ plenitudine, Idololatris consuetum fuisse eidem sacrificare. Possidebat ergo & Gentilem populum tanquam lunaticum diabolus. Quid prohibet sic Iudæos & Gentiles Ecclesiæ infensos vno lunæ significato comprehendere; si iunctim vno persecutionis furore in eam à primis diebus exarserunt? Iam collectos vidimus cap. præcedenti & Pharisæos & Sadducæos; non secus ac prædictum esset in psal. 2. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*; vt expenditur Act. 4.

14. Lunaticus nihilominus præcipuè Iudæus sit, quippe qui inconstans huc illuc, fidei argumenta conatus effugere, trahitur, ideoque ab infidelitatis suæ spiritu haud liberatur. Supra 12. capite, *generatio hæc mala & adultera* signum etiam contentiosè petijt. *volumus à te signum videre*. Mox cap. 15. de transgressione Seniorum traditionum discipulos arguunt. Scribæ deinde fluctiuagi hoc ex capite Scripturis, vt de Malachia, Christum impetunt. Certè vario huiusmodi assultu, dum insultant instar lunæ mutantur. Nunc lunaticus it reditque ad priora, repetita impactione; *sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam*. Quid lector mi? quæ arcani sensus mysteria? Iam iam Deo auspice aperiam. Tunc *cadit* Iudæus *in ignem*, cùm legis antiquatam obseruantiam indiscrete zelatus, transgressionis reos facit christianos. Sic Actor. 5. *Princeps Sacerdotum, & qui cum illo erant, repleti sunt zelo*: (Ambrosius ad Romanos 11. suo cap. 38. *zelo excæcati sunt putantes legem factorum nunquam debere cessare*, postque, *denunciauerunt cæsis Apostolis, ne omnino loquerentur in nomine Iesu*. Elias qui sancto zelo claruit dicitur Ecclesiastici 48. *surrexisse quasi ignis: & verbum illius, quasi facula ardebat*. Tunc *cadit in aquam*: quando passionem mortemque turpissimam Crucis Redemptoris versat incredulus. Decantat David eiusmodi aquarum metaphora Saluatoris transitum; ps. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: omnes fluctus tuos* psal. 87. *induxisti super me*. De huiusmodi aiebat ipse Dominus Lucæ 12. *baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Sic psal. 109. *de torrente in via bibet*. Vbi Augustinus; *quis est iste torrens? profluxio mortalitatis humanæ. De hoc torrente bibit Christus; non est dedignatus nasci & mori*. Cadit infidelis Iudæus in hanc aquam: quia *nos prædicamus Christum crucifixum*, 1. Cor. 1. *Iudæis quidem scandalum*. Sic & *in ignem sæpè*. Ioan. 9. dicebant ergo ex Pharisæis quidam: *non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit*: & priùs cap. 5. *Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere; quia non solum soluebat sabbatum* &c. Et Actorum 15. dixerunt; *quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi*. Duplex iste Iudæorum lapsus, de quo & Roman. 11. *nunquid sic offenderunt vt caderent?* vno impactionis seu scandali nomine significatus est 1. Petri 2. *lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt*: ecce impræsentiarum: *ò generatio incredula!* Isaiæ 8. *in lapidem autem offensionis, & in petram scandali*, &c. *Et offendent, ex eis plurimi*: (ecce pro plurimis, *generatio*:) *& cadent*: (ecce, *sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam*:) *& conterentur*: (ecce Lucæ 9. *& elidit*; Marci 9. *Et elisus in terram*:) secundum quod & Dominus ipse dicit infra Matthæi 21. *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur*. Et quidem ab infantia lunaticus iste edicitur; quia mox Iudæa in Dominum Saluatorem cæco pede deprauati affectus impegit: vnde ad hoc innuendum recolitur à Marco; *& cum vidisset eum* (Iesum) *statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram, volutabatur spumans*: quæ volutatio reuolutam Iudæorum innuit cogitationem: Ioannis 11. *ab illo ergo die, cogitauerunt, vt interficerent eum*. Et nota vbi ait Dominus *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*; præmisisse; *auferetur à vobis regnum Dei*, idest ex Hieronymo, vt tetigi, *notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam*: qua restituta eis per Eliam, tanti zeli futurum Prædicatorem, fiet, vt *restituat omnia*: quid enim concipi potest eis remansisse, quoad spiritus diuitias, & quoad animarum salutem, Scripturæ ignaris? Perennant duriores adhuc hodie sua in incredulitate; nec passim, qui apostolicas gerunt vices, infidelitatis spiritum ab eis possunt expellere. In nostram figuram arbitror contigisse discipulis, *non potuerunt*, inquit, *curare eum*: & ipsi ad Dominum, *quare non potuimus eijcere illum?* Vbi Apostolus Rom. 11. secundum literam Septuaginta ad cap. 59. Isaiæ: *veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob*, habet Angelicus, P *ex Sion*; non quia ibi sit na- P Rom. 11. l. 4.
tus; sed quia inde doctrina eius exiuit in vniuersum Mundum, per hoc quod Apostoli in Cœnaculo Sion Spiritum-Sanctum receperunt; Isaiæ 2. *de Sion exibit lex*: dicit autem *eripiat* propter paucos, qui nunc difficulter, quasi cum quadam violentia, conuertuntur; Amos 3. *quomodo si eruat Pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel*. Vide mi lector in praxi difficultatem. Et huc facit quod ab initio allegauerat idem Apostolus; *dedit eis Deus oculos, vt non videant, & aures vt non audiant*; additque *vsque in hodiernum diem*. Et quia Dominus hic de tali generatione ait; *generatio incredula & peruersa*; vbi præmissum est in Prophetia: *dedit illis Deus spiritum compunctionis*; exponitur, Q quoad peruersitatem affectus: ex quo Q ibi l. 1.

est

est mala compunctio scilicet inuidiæ, qua quis dolet de bonis aliorum: compunctio enim importat quandam cordis punctionem. Et ecce in præsenti legi; *& malè patitur*. Mysticè expulso dæmonio spiritu infidelitatis à Domino, non mirum, quod legitur in Marco, *factus sit sicut mortuus; ita vt multi dicerent, quia mortuus est*: ad eum sensum, quo di-
R Gal. 2. 16. xit Apostolus ad Galat. 2. *legi mortuus sum*: tunc enim moritur quis legi, quando abijcit legem R solutus à lege: iuxta illud Roman. 7. *mortuo viro, soluta est mulier à lege viri*. Verùm subdit Apostolus: *in fide viuo filij Dei*: quod ignorantes Iudæi non conuersi ad fidem; putant Christianum in fide filij Dei viuentem, *mortuum esse*, vt in textu: sed *Iesus tenens manum eius eleuauit eum, & surrexit*: Adde illud Deuteronomij 33. *in dextera eius ignea lex*. Tactus à Domino itaque iure surrexit; quia, *lex spiritus vitæ in Christo Iesu* (Rom. 8.) *liberauit eum à lege peccati & mortis*.

VERS. XIX. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicitis monti huic; transi hinc illuc, transibit: &c.*

15. Notat discipulos, vt dictum est, de aliquo defectu confidentiæ: nam aliàs ad hanc eos excitat dicens Ioan. 16. *confidite*, &c. vel de aliquo tepore fidei: vnde Lucæ 17. *dixerunt Apostoli Domino, adauge nobis fidem*. Quod augendum petitur, præextare dignoscitur: neque enim dixerunt, *da nobis fidem*; Necesse autem erat, vt fide eminerent, quando vincenda erat peruersa incredulitas. Nam cum durius est passum, eo fortior in agente desideratur virtus; quo illud sibi quantumuis resistens subijciat. Sanandi nacti legem in Actibus c. 14. quando Paulus *intuitus claudum illum, videns quia fidem haberet, vt saluus fieret*, sanauit eum. Et deinde; & *in fide nominis eius* &c. *& fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum*. Est veruntamen stupore dignum, hic quoque à Domino [illegible] de montis transitu: quod iterum dicturus erat infra c. 21. *tu & si monti huic dixeritis; tolle & iacta te in mare, fiet*. Quocirca & Marcus c. 11. *amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, tolle & mitte te in mare &c. fiet ei*. Rursus stupendum est, Lucam nihil de hoc retulisse, licet nec Marcum. Præterea, quæ phrasis est hæc, *transi hinc illuc, & transibit*? Denique cur speciatim reliquerunt [illegible] Matthæo hanc narrationem? ipsi etiam similitudinem de grano sinapis? Quam tamen alia in occasione productam esse Lucas commemorat c. 17. cum de arbore Moro miraculosè eradicando, & transplantando sermo fit.

16. Hæc certè profundam monent subesse intelligentiam; quæ eadem quippe est cum mysterio de arefacta ficu Matthæi 21. & Marci 11. vnde & hic apud Marcum c. 9. de hoc dæmoniaco fertur, *& arefit*: eadem etiam cum significatione transplantandæ Mori: quia & ibi, & Marci 11. & Matthæi 21. & hic Matthæi 17. semper adiectum est prænomen demonstratiuum seu ostensorium: *huic monti, huic Moro*. Facile fuerit, adesse Arborem Mori, vt dici possit *huic*: verum non adeo verosimile in promptu ob oculos esse Montem, quem ostendens diceret *huic Monti*. Præterquam, quid refert, patrari signum in vnius aut alterius montis translatione? Paulus 1. Cor. 13. latius ideo locutus est: *& si habuero omnem fidem, ita vt montem transferam*. Aggerari possunt etiam difficultates, cur de huiusmodi miraculo solicitus sit Dominus verba facere? dum maiora fieri possint, qualia sunt cæcos illuminari, mortuos suscitari? qualia & ipsemet discipulis Ioannis supra c. 11. exposuit; *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*. Addet quis ex Scholis; quia Deus vtique mouere potest S immediatè materiam ad formam vt resuscitare hominem, aut res quascumque in esse producere. Non sic materia T corporalis obedit Angelis ad nutum. Benè verò corpora obediunt Angelis V ad motum localem. Cum ergo translatio Montis spectet ad motum localem, etsi prodigiosè fieret, non tantæ est argumentum fidei; quin maiora maiori fide patrari possint. Hinc in Catena Lucæ 17. exponit Chrysostomus illud, *si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*; in quantum *carnalibus hoc magnum videbatur propter eminentiam corporis*.
S p. p. 105. 1.
T p. p. 110. 3.
V ibi a. 1.

17. Explanabuntur hæc omnia, si assequamur fideliter, quis sit vel pro quo stet mons iste, de quo Dominus loquitur. Liceat dicere admouisse pectori diuino sanctissimam suam manum, cum prompsit *huic monti*: hoc est mihi. Quippe sum ego in Scripturis: psalmo 3. *& exaudiuit me de monte sancto suo*; V idest de me monte sancto; de quo Isaiæ 2. *erit præparatus mons Domus Domini* &c. & psal. 23. *quis ascendet in montem Domini?* mons X est sublimitas Christi: psal. 47. *in Ciuitate Dei nostri in monte sancto eius*; A hic mons est Christus. Ferè autem semper affert præfatam Isaiæ authoritatem; *erit præparatus mons Domus Domini*: quam pergens exponere etiam in Procemio super Matthæum in Catena; *in vertice montium*; idest B super omnes sanctos, qui à monte Christo, montes dicuntur. Porrò de Christo Domino Danielis 2. manifestè dictum est; *lapis qui percussit statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersum terram*: profectò C literali sensu. Opportunus de monte ex lapide sermo, postquam de offensione in hunc lapidem & de casu Iudæorum dictum est. Quid prohibet ergo interpretemur textum, *transi hinc illuc*, dici à Domino de semetipso; vt scilicet de Iudæa incredula iuxta Isaiæ vaticinium c. 53. *Domine, quis credidit auditui nostro?* transiturum se significaret ad Gentes? Sic & Paulus Act. 19. *cum quidam indurarentur &c. segregauit discipulos* &c. Audi Hieronymum (in Catena, Marci 11.) *Christus igitur qui est mons crescens de lapide abscisso sine manibus*, (Danielis 2.) *tollitur, & mittitur in mare, quando Apostoli vicinum dignè, transferamur ad Gentes alteras; quia vos indignos iudicastis audientes verbum Dei*. Sic & B da Lucæ 17. de Moro. Tetigit autem Hieronymus Actor. cap. 13. vbi Paulus & Barnabas dixere Iudæis; *ecce conuertimur ad Gentes*. Idcirco crediderim memorari à Matthæo ex ore Domini similitudinem fidei ex grano sinapis; quia supra cap. 13. in parabolis, ea ad multiplicationem Ecclesiæ signandam exposita est. Non exprimitur autem de mari apud Matthæum: reor, vt raperemur arctius ad intelligentiam transitus mysticè subintellecti, non ad miraculum. Porro cum miraculose opportunius sensui, non obruendus forte profundo, transferendus videretur mons in plano, aut in valle aliqua; & diceretur *in mare*; non verò ablatiuo *in mari*, non desunt similitudines inter mare ac Gentes, suis locis legendæ. Pronunc sufficiat Augustinus serm. 14. de verbis Domini; *cogitate fratres turbulentum mare hoc sæculum*: Leoque Papa serm. 1. de Sanctis Petro & Paulo; vbi ad Petrum conuersus ait; dum Romam adijt; *turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quàm cum supra mare graderetis, ingrederis*. Honestat expositionem hanc altè Dominus; vbi ait generationi incredulæ; *quousque ero vobiscum?* Quamuis enim primis Ecclesiæ temporibus, non pauci conuersi sint; vt patet in primis Act. 2. cum *compuncti corde dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos, quid faciemus viri fratres? & appositæ sunt in illa die, animæ circiter tria millia*; & c. 19. *multique credentium veniebant confiten-*
17.

V ps. 3. lit. c.
X ps. 23.
A ps. 47. & Matthæi 5. S. non potest Ciuitas.
B Proœmio Catenæ aureæ.
C Quodl. 7. 15. ad 1.

ten-

tentes & annunciantes actus suos: nihilominus præscius idem Petrus futurorum dixit; *saluamini à generatione ista praua*. Et tamen hos hodie quoque suffert Dominus, qui hic inquit, *vsquequo patiar vos?*

18. Rogabit aliquis; cur rudi prout videtur, minúsque decenti phrasi, si Christus ipse sit mons, exprimatur, ei dicendum ab Apostolis, *transi hinc illuc*. Respondeo multa. Imperij potius est vox: quia sensus allegoricus, qui reuerentialis præsumitur, latitat in literali faciendi miraculi; quod iussu in nomine Christi fuisset patrandum. Deinde pronunciationis modus, quem non delineat sacer textus, credendus est obsequij plenus: sicuti cum alij dixerunt ei Ioann. 7. *transi hinc & vade in Iudæam*, non temerè locutos fuisse putandum est; nam & ipse vt extat in Actis c. 10. *pertransijt benefaciendo*. Deinde pro Monte hoc D optimè potest intelligi Ecclesia; cui possint apostrophe quadam dixisse Apostoli; *transi hinc illuc*. Immo dic, sibimetipsis veluti iniuncturos, *transeamus ad Gentes*, vt patet Act. 13. allegato. Vnde ne de conuersione diffiderent, adiecit hic eis Dominus; *& nihil impossibile erit vobis*. Cæterum sic ituris euntibusque Apostolis Christus transibat; iuxta illud Lucæ 10. *misit illos binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus*: nam vt ait Gregorius; *Prædicatores suos Dominus sequitur*: Et aliàs etiã Chrysostomus in ser. apud Metaph. *quomodo Christum portastis?* & de Paulo dixit ipse Dominus Actor. 9. *vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel*. Nec nouum videatur propter vnionem membrorum, & capitis, seu Christi & Ecclesiæ *quæ est*, vt ait Apostolus Ephes. 1. *corpus ipsius*; sibimetipsis Apostoli dicant, *transi hinc illuc*, dum hoc dicere videntur Christo; quia palam Act. 13. dixerunt; *sic enim præcepit nobis Dominus*; (conuerti ad Gentes) *posui te in lucem Gentium*: (Isaiæ 49.) *vt sis in salutem vsque ad extremum terræ*: quod tamen in superficie, soli Christo personaliter sonat dictum.

D ps. 42. lit. b. Matth. 5. initio Apoc. 24. Gom. 3.

VERS. XX. *Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium*.

19. Ingessit difficultatem Sanctis Patribus textus iste. Vnde Diuus Chrysostomus, intellexit non solum de lunaticis, sed de quibuscumque dæmoniacis: in quorum curatione, indubium est, prodesse non parum, orationem atque ieiunium. Sed si arctè adeo verba Domini intelligamus, & monitum hoc Exorcistis directum sit; Apostoli nunquam viuente Domino Dæmones expulissent; qui tunc temporis ieiunio minus erant intenti; iuxta quod dictum est supra c. 9. *nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum eis est Sponsus?* cùm tamen etiam *septuaginta duo*, Lucæ 10. *cum gaudio reuersi sint dicentes; Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*. Opportunè autem ieiunio etiam consecrati sunt; vt patet Act. 13. *tunc ieiunantes & orantes*; &c. Verum si stemus literæ, non dicit vti Tobiæ 6. *omne genus Dæmoniorum*; sed *hoc genus*. Quare ex vna parte; oratio & ieiunium, ampliare videntur, ad omnia dæmonia; proficuum enim est ieiunium & oratio vniuersaliter: altera ex parte ly, *hoc* indubitanter adlimitat: quid ergo dicendum?

20. Respondeo, præsertim, quia Dominus & hic & apud Marcum abstinet ab expressione vocis huius *dæmoniorum*, solumque dicit; *hoc genus*, mihi arridere, vt mysticè intendat loqui de infidelibus; de Iudæis præsertim incredulis, de quibus nuper: quanquam transituris etiam ad Gentes, normam eandem conueniat promulgare; vt scilicet nedum ieiunent sed orent; qua vna via disponi possunt ad fidem. Vnde velim hoc non ad ipsos referri spiritualiter Exorcistas, quarum opera Princeps Mundi huius de Mundi corde eijciendus erat, sed ad mysticè seu moraliter obsessos, spirituque incredulitatis vexatos. Huc facit quod ait Remigius; *vel ieiunium hic intelligitur generale, quo non solum abstinemus à cibis, sed ab omnibus illecebris carnalibus, & peccatorum passionibus. Similiter oratio intelligenda est generalis, quæ in pijs & bonis operibus consistit; de qua dicit Apostolus; sine intermissione orate*. Augustinus tract. 17. in Ioannem; *ieiunium autem magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus*: Et Ecclesia canit; *ieiunet vt mens sobria à labe prorsus criminum*. Et Isaiæ 58. *nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis*. Et post aliqua; *frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam; cùm videris nudum, operi eum*; &c. Ecce quomodo adnectit moralem bonorum operum orationem, de qua Remigius paulo ante dixit; & ritè quidem, quandoquidem connexa sunt mutuò, *declina à malo, & fac bonum*. Duobus hisce præiactis fundamentis, ædificatio speranda est domus spiritualis, extruso infidelitatis dæmone, cæcitatisque tenebris expulsis ad radium Solis. Mirè pergit Isaias; *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te*. Et post alia; *orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies*. Hæc omnia paucis dixit Dominus; *Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium*. Mirè quoque praxi totum hoc deprehenditur in Cornelio: qui Act. 10. refertur *religiosus ac timens Deum, cum omni Domo sua; faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*. Ecce palam de ieiunio & oratione, vt nuper exposui: & ecce mox admiranda ipsius ad Christi fidem conuersio; quia *orationes eius, & eleemosinæ* ipsius, *ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Quod retulit ipsemet Cornelius ex ore Angeli Petro his verbis; *Corneli exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei*. Nisi hæc præfuissent, non eiecta fortè narraretur ab eo infidelitas: quia, *hoc genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium*. Quamuis veluti miraculosè iustificetur aliquando quis impræparatus; vt de Sauli conuersione docent Theologi. Cornelius gentilis erat, vt constat: vnde & benè sentientes Iudæi ibidem, *glorificauerunt Deum dicentes: ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*: ex quo clareat magis ly *hoc genus*, nedum ad Iudæos sed ad Gentes reduci, quibus indiscriminatim opus est, hisce medijs rectas facere semitas Dei nostri. Quòd si velimus orationem pressius accipere, iam vis eius, (sed non sine ieiunio, hoc est sine operibus bonis, odio habendo mala) in Isaia loco citato describitur; *tunc inuocabis; & Dominus exaudiet: clamabis; & dices; ecce adsum*. Idemque in Cornelio. Reuera, *si omne datum optimum, & omne donum perfectum* (Iacobi 1.) *desursum est descendens à Patre luminum*; vbi præmittitur; *nolite errare fratres mei dilectissimi*; antonomasticè de fide accipiendum est: quippè quæ lumen in via salutis est, fugatque infidelitatis tenebras; estque præ alijs cantatissimum Cœli munus: Ephes. 2. *Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur*. Pro ea ergo orandum. Dicat quisque saltem excitatus; (cuius exemplum est in Marco, de Patre pueri) *credo Domine; adiuua incredulitatem meam*: & paulo, ante adhuc incredulus; *adiuua nos, misertus nostri*. Specimen huiusque dictorum habes in psalm. 118. *viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei: viam veritatis elegi*: &c. *adhæsi*, deinde, *testimonijs tuis Domine*. Quæ *testimonia credibilia facta sunt nimis*. Et Habacuc 2. aperitur origo incredulitatis; *ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso*. Incipit autem rectificari ani-

anima per ieiunium à peccatis. Isaiæ 58. *solue fasciculos deprimentes*. Cadebat ideo Lunaticus, rectus non manens.

21. Difficultas oriri adhuc potest altera, quisnam tropologiæ sensu Pater sit pueri lunatici. Origenes; (in Catena) *forsitan ergo Angelus, qui sortitus est huius lunatici custodiam, Pater huius appellatur, deprecans quasi pro filio medicum animarum*; &c. Sed dum Patris increpatio, fideique defectus haud quaquam custodiæ angelicæ congruunt; hac ipsa de causa in typum Abrahæ esse nequit: quandoquidem Abraham antesignanus est fidei, Rom. 4. *credidit Abraham Deo*; &c. *vt sit Pater omnium credentium*, &c. Et præterea Galat. 4. *Abraham duos filios habuit; vnum de ancilla, & vnum de libera*: Pater autem hic Lucæ 9. ait; *Magister obsecro respice in filium meum, quia vnicus est mihi*. Igitur in eam deueni opinionem; vt stet pro Moyse. A parentis munere alienum esse non potuisse Moysen respectu iudaici populi, velut sui filij, audi ex libro Numeri c. 11. Ait enim ipsemet ad Deum: *nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vt dicas mihi, porta eam in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* Vis Moysen, vt hic Patrem pueri, incredulitatis notatum labe? Non dicam Numeri 11. de carnium prouidentia pro populo: qua audita respondit Moyses; *sexcenta millia peditum huius populi sunt; & tu dicis; dabo eis esum carnium mense integro? nunquid ouium & boum multitudo cædetur?* &c. fortè enim admirationis potius fuit verbum: sed Numeri 20. palam deliquisse recolo *ad aquas contradictionis*: cùm percussit prima vice petram; aquisque non exeuntibus cum Aaron diffidit. Vnde palam improperatur eis à Domino; *quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*. Ad humiliationem eorum ibi scripsimus sic Deum permisisse. Ecce in præsenti Patrem hunc in figuram: humilis coram Domino, *accessit ad eum homo genibus prouolutus*. Orat autem pro filio; cohærenter; nam de Moyse ait Angelicus; E fuit de populo solicitus, efficax in orando: vnde Exodi 32. dixit, *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Ideo fortasse quia homo iste apud Matthæum asciscitur in persona Moysi, *Dominum* Saluatorem dicit; quod silent ambo alij Euangelistæ, expresso, loco *Domini*, *Magistri* nomine. Ad literam enim, & secundum historiam nondum verè credebat Pater pueri: vnde Marci 9. adiecit rogans; *si quid potes*. Meritò *generatio incredula* dicitur *& peruersa*; quando Num. 20. dixit eis & Moyses; *audite rebelles & increduli*.

E Ieremiæ 15.

VERS. XXI. *Filius hominis tradendus est* &c. *& occident eum, & tertia die resurget*.

22. Circumstantiam præmittit loci dicens; *conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus; Filius hominis*; &c. Cæteri Euangelistæ hoc non dicunt; nisi quòd Marcus ait; *inde prætergrediebantur Galilæam*: & stat vtrumque, vt dum illuc transibant conuersarentur: at Matthæi Syntagmati valde contulit conuersationem notare; vt id per transennam tunc factum, apostolicæ præalluderet conuersationi, de qua Act. 11. *& annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia & docuerunt turbam multam*. (Quemadmodum cap. 19. Paulus *segregauit discipulos, quotidie disputans in Schola; & hoc factum est per biennium*, &c.) Et quidem *ibi*, hoc est Antiochiæ: vtique inter Gentes: Antiochia enim Ciuitas erat Gentilium in Syria; vt patet Act. 15. *Apostoli & Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem*. De Christo Domino canit etiam Ecclesia in Hymno; *Et in Mundo conuersatus, sparso verbi semine*; iuxta Baruch vaticinium; *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*: non vtique sola familiaritatis seu consuetudinis causa, sed eo sensu, quo dixerunt Apostoli Act. 6. *non est æquum nos derelinquere verbum Dei: nos orationi & ministerio verbi instantes erimus*. Huiusmodi salutarem Apostolorum futuram conuersationem inter Gentes insinuat Matthæus; ideo signanter inquit *in Galilæa*. Audi Angelicum F *Galilæa* secundum vnam interpretationem dicitur *transmigratio*; & significat Gentilitatem ad quam Christus à Iudæis vadit. Et sic exponit illud Ioann. 1. *voluit exire in Galilæam*; G scilicet à Iudæa in Galilæam ad Gentes. Et quando dixit: *præcedam vos in Galilæam*, postquam surrexit à mortuis; intelligitur H præcessisse discipulos ad Gentes, corda mouendo. Dic ergo, cum supra legis, *transi hinc illuc, transibit mons*, scilicet Christus, hanc indicari in Galilæam, seu ad Gentes transmigrationem. Vnde cohærenter admodum, adnectit Matthæus, derelictam Iudæam insinuans *conuersantibus illis in Galilæa*.

F Matth. 4. in hunc. Ioan. 4. l. 1. in d.
G 10. 1. l. 16. lit. a.
H Matthæi 26.

23. Rebus itaque hoc pacto prouectis, vt ad Gẽtes iam transgressos Apostolos condat litera: quid eis inibi prædicandum præscribit, de morte videlicet ipsius & resurrectione; quæ duo humanitatem ad Diuinitatem ipsius certatim produnt; *vt mori ex vno*, aiebat Leo Papa, *& resurgere posset ex altero*. Et vt mihi visum est, non sine alta consideratione, de sui traditione adiecit, *filius hominis tradendus est*; quia Gentibus hoc potissimum erat edisserendum; quandoquidem vt animaduertitur 1. Cor. 1. Christus crucifixus Gentibus reputabatur stultitia; quia vt exponit Angelicus; I contra rationem humanæ sapientiæ videbatur eis, quòd Deus moriatur, & quod homo iustus & sapiens se voluntariè turpissimæ morti exponat: omnemque doctrinam eis propositam intendebant secundum regulam humanæ sapientiæ iudicare. Igitur erudimur, qualiter ab Apostolis prædicandum erat Gentibus, Christum voluntariè in mortem traditum; sed vlterius traditum, vt dicit Petrus Actorum 2. *præscientia Dei*, Roman. item 8. *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ex quo causa finalis aperienda erat, qua conuenientissimè crederetur in mortem traditus: diuersa tamen intentione; quia Pater L tradidit eum ex charitate: ipse se ipsum ex obedientia simul cum charitate: idest M voluntariè se tradi permittendo; ibi, *tradebat autem iudicanti se iniustè*. Iudas ex cupiditate & proditoriè. Adde Iudæos ex inuidia: *sciebat enim*, Matthæi 27. Pilatus, *quod per inuidiam tradidissent eum*: Actorum 3. *Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti*. Item Roman. 8. tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari & pati statuendo, & humanæ eius voluntati inspirando charitatis affectum, qua passionem spontaneus subiret: vnde ipse se ipsum tradidisse dicitur Ephes. 5. Iudas & Iudæi exterius aliquid operando ita lect. 6. Prædicandum ergo vtique quod præscius vaticinatus est Isaias cap. 53. *tradidit in mortem animam suam*: sed addendum cum Apostolo ad Galat. 2. *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: immo Ephes. 5. *tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*: immo ex eodem ibidem, *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, &c. Ex quibus emergit occasio enucleandi, quomodo fuerit, & conueniens & necessarium Deum incarnari: de quo N suis locis. Quæ tamen doctrinæ annunciatio nedum Gentibus, sed & Iudæis salutaris est; vtpote qui lunatici symbolo, *crebro cadunt in aquam*, immemores mysterij Ionæ (quod non semel eis in signum

I 1. Cor. 1. l. 3.
L Gal. 2. l. 5.
M 1. Petri 2.
N 3. p. q. 1. a. 1. & 2.

gnum inculcat Dominus) qui cap. 2. ait; *& proiecisti me in profundum in corde maris; & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt: circumdederunt me aquæ vsque ad animam: abyssus vallauit me; pelagus operuit caput meum*. Per huiusmodi similitudinem aquarum
O Prologo ad 1. Thessalon. opusc. 4. §. 1. constat tribulationes significari, o Cant. 8. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Quocirca exponitur in persona Christi, p vt dicat Ecclesiæ; tribulationes multæ
P Cant. 8. Commentario dicto quantum ad quantitatem numerosam, & quantum ad magnitudinem pœnosam, non potuerunt extinguere meam dilectionem; *nec flumina* quantum ad impetuositatem, *obruent illam*.

VERS. XXII. *Et contristati sunt vehementer*.

24. Cur non alij hoc referunt compassiuæ affectionis argumentum? Paulò ante cap. 16. vberiùs de sua passione & morte locutus est. Lucæ 18. item: immo tantùm abest, aliàs contristatos, saltem omnes, quod litera hic sonat; vt infra cap. 20. relatu proliziori passionis, sicuti & Marci 10. Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, de corregnando cogitauerint; cupientes hinc & hinc secum sedere in Regno suo. Adde ex Leone Papa Serm. de Passione; *Quamuis persequentium furor nihil aliud in Dominum Maiestatis operatus sit, quàm atrocem crudelitatem & immite supplicium: redemptis tamen hac Domini passione verior iustiorque lætandi est ratio, quàm dolendi*. Quid ergo *contristati sunt*, ac *vehementer*? Ratus sum silentio inuoluisse Matthæum contristitiæ causam, vt eam humiliter explorando miraremur altum Dei eloquium. Contristantur *vehementer* quantùm mihi videtur; quia in Galilæa sunt; quia transituros ad Gentes præsignat Dominus, & sic transituros; vt Iudæos tot deserant. Supra c. 10. dixerat eis Dominus; *in viam Gentium ne abieritis &c. sed potius ite ad oues, quæ perierunt Domus Israel*. Olfactam habuit Matthæus hac in historia conuersionem Apostolorum ad Gentes; (Act. 15. *ecce conuertimur ad Gentes*) idcirco contristatos memorans, quamuis audita passione id accidisset, tacere maluit causam, vt ea suppressa posset pius lector adnectere pro Syntaxi, quæ inde innotesceret magis. Elucidet Paulus omnia Rom. 9. *veritatem dico & non mentior*; &c. *quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem; qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa: quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem*. Hanc tristitiam præsagiens Euangelista, futurorum præscius, seu potiùs præsentium inspector cum scriberet, voluit arcana intelligentia subinnuere. Et vbi Paulus habet; *tristitia magna*; ipse ait *vehementer*. Quod si Paulus addit, & *continuus dolor cordi meo*; non deest Pagninus qui hic legat, *dolore affecti sunt*: Vatablusque, *mœrore affecti sunt vehementi*.

VERS. XXIII. *Accesserunt qui didrachma accipiebant*; &c.

25. Quis non hæreat suspensus cogitans à solo Matthæo factum hocce narrari; voluisseque Spiritum Sanctum, (dato etiam non statim accidisset,) hisce Matthæi textibus adsui. Quòd si immediatè hoc euenit, miremur adhuc, quasi disparatum narrari secundùm historiam: cui addictum aliàs non esse Matthæum, vel hoc vno constat, quòd vocationem suam distulit referre ad nonum caput; quando sermoni in Monte cap. 5. cum alijs teste Luca indubitanter & ipse adfuerat. At cohærentius nihil esse posse sic accipe. Lunaticus *sæpe in ignem cadebat, crebrò in aquam*. Nisi mysticè sensus sublateret, quasi neglectu culpandus esset Pater, qui se vnici filij perhibet peramantem? Sed iam exposui quid ignis in lunatico, quid aqua. Ne cadat in aquam vlterius, constanter de Christi Domini passione & morte doctrinam tradendam esse monuimus; protestantesque resurrexisse, tollimus è medio, ex parte scandalum, quod Iudæi patiebantur; quia scilicet Q desiderabant virtutem miracula facientem, & videbant infirmitatem Crucem patientem, 2. Cor. vltimo, Q 1. Cor. 1. l. 3. ad finem.
crucifixus est ex infirmitate. Vnde & Dominus, vt dictum est, hoc illis semper obijcit signum; quod causam, cur quærant signa, obtruncat; nempe scrupulum infirmitatis; quandoquidem surrexit; *viuitque ex virtute Dei*, vt ibidem Apostolus. *Ipsis* enim *vocatis Iudæis, Christum Dei* (1. Cor. 1.) *virtutem*. Supererat ergo præcauendum, ne cadant *in ignem*, ignoranti zelo correpti: de onere legis, nedum antiquæ sed antiquatæ plus æquo anxij & soliciti. Lex illa (cæremonialem figuralemque loquor) dicebatur lex seruorum: nam Rom. 8. *non enim accepistis spiritum seruitutis*: Ad Galat. 4. *quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo*: & deinde; itaque non est *seruus sed filius*: iterum *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: hæc enim sunt duo testamenta; vnum quidem in seruitutem generans* &c. seruitute scilicet R lega- R Gal. 4. l. 8.
lium obseruantiarum. Lex quippe vetus data est in timore, quod significabant s tonitrua & alia huiusmodi, quæ facta sunt in datione veteris legis Exodi S Rom. 8. l. 3.
19. Et ideo lex vetus per inflictionem pœnarum inducens ad mandata Dei seruanda, data est in spiritu seruitutis. Cogi metu pœnæ seruorum est: & timor iste dicitur propriè seruilis; quia seruiliter facit hominem operari. Notandum quòd in populo Iudaico, aliqui erant simpliciter serui; illi scilicet, qui propter timorem pœnæ, & cupiditatem temporalium, quæ lex promittebat, legem seruabant. Aliqui verò erant, T qui non erant serui simpliciter, T Galat. 4. l. 1.
sed quasi serui existentes, erant verè filij & hæredes: qui licèt attenderent exteriùs ad temporalia, & vitarent pœnas; nihilominus in eis finem non ponebant, sed accipiebant ea, vt figuram spiritualium bonorum. Vnde licet viderentur nihil exteriùs differre à seruis, in quantùm cæremonias & alia legis mandata seruabant; tamen erant domini, quia non ea intentione eis vtebantur vt serui; quia illis vtebantur amore spiritualium bonorum, quæ præfigurabant. Serui autem, principaliter timore pœnæ, & cupiditate terrenæ cupiditatis. Recole tu ex Augustino: *breuis est differentia legis & Euangelij; timor & amor*. Christus Dominus (qui Philipp. 2. *formam serui accepit*) *factus est sub lege*, ex Apostolo, *vt eos qui sub lege erant redimeret*: (Matthæi 5. *non veni soluere sed adimplere*,) ly *sub* potest dicere v solam ob- V Galat. 4. l. 2.
seruantiam legis; & sic *Christus fuit factus sub lege*, quia circumcisus fuit, & in templo præsentatus: (Nota lector; quoniam fortè idcirco his de rebus hic *præuenit Iesus Petrum*, ipsum interrogans, *quid tibi videtur?*) alio modo ly *sub* denotat oppressionem; & hoc modo nec Christus, nec viri spiritales dicuntur esse sub lege. *Vt adoptionem filiorum reciperemus*. Et postea, *itaque fratres, non sumus ancillæ filij sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit*. Iacobi 1. lex noua dicitur *perfectæ libertatis*. Quomodo cessarent debuerintque tandem omnino dimitti legalia, vberrimè dixi etiam in Prologo Deuteronomij. Quali processu sic essent eadem legalia extinguenda, vide suis locis x. Quocirca quoniam X p. 1. 103. a. 1. & 4.
vrgebant semper Iudæi, lapsi ideo *in ignem*, indiscreti scilicet zeli, vt supra dictum est; ideo dignatus est Dominus hoc didrachmarum facto, & ipsorum occurrere instantijs, & suos discipulos in praxi, quomodo se gererent hac in re, erudire; nosque post

ipsos

ipsós veritatem per ænigma adeo insolitum, de pisce primo deque statere in eius ore inuento, edoceret. Et claret; quoniam idcirco examine veluti quodam, ad ipsum instituendum, interrogat Petrum, *quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis?* Verùm ne in exprimenda suimet ac filiorum exemptione suspicetur quis derogari aliquo modo generali obedientiæ; tunc immò eam præ oculis se habere ostendit dicendo *Simon*, non aut Petre: *quid tibi videtur Simon?* quod interpretatur *obediens*.

26. Sed quia vt vidimus duplex fuit Sanctorum Patrum intelligentia de solutione didrachmæ, adstipulatur nostræ iam iam producendæ expositioni, Chrysostomi interpretatio, vt esset legale potius, quàm Cæsareum, vectigal huiusmodi. Igitur Dominus palam se ipsum protestatur exemptum, ex quo subinde, (quod notat Hieronymus) *& secundum carnem, & secundùm spiritum, se filium Regis demonstrat, vel ex stirpe Dauid generatum, vel Omnipotentis Patris Verbum*. Sed tacitè Petrum etiam non teneri probat, dum ait; *vt autem non scandalizemus eos*, pro vtroque soluendum. Immunitatem adhuc ostendit, in eo quod ait, *da eis pro me, & pro te*, non enim dicit, *redde*: vt aliàs *reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari*; nam vt diximus *dare* liberalitatem inuoluit, non obligationem concernit, vt verbum *reddo*. Et sic filiationem spiritualem sibi ipsi conformem, in Petro item exempto satis ostendit: Ioann. 1. *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* &c. Rom. 9. *ibi vocabuntur filij Dei viui*: ex Osee 1. Et si roges, cur non interserat Dominus de seruis, sed de *alienis*? Respondeo: quia non omnis tributi redditio seruum esse arguit in rigore: vnde Iudæi Ioan. 8. dicebant, *nemini seruiuimus vnquam*: quamuis Romanis tributa soluerent. Adde, Iudæos qui erant priùs filij, alienos factos esse, Isaiæ 1. *filios enutriui*, &c. Et psal. 17. *filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt*: dum veteris legis adhuc tributum soluunt. Esse verò Regis filios, nedum libertatem à tributis exposcit, sed omnem seruitutem excludit. Huiusmodi tamen stateris solutio, quomodocumque legalis esset, assumitur rationabiliter hic, ad comprobandam in vniuersum, in filijs legalium omnium deobligationem: eoquòd hæres est *Dominus omnium*, vt dicitur ad Galat. 4. vtque introducit Petrus Act. 10. *(hic est omnium Dominus)* cùm liber à lege *introiuit ad viros præputium habentes, & manducauit cum illis*: quod ei obijciebát alij c. 11.

27. Nihilominus, vt idem habet Apostolus; *hæres quanto tempore paruulus est, nihil differt à seruo, sed sub tutoribus & actoribus est*; quia *sub lege* A factus erat Saluator, *vsque ad præfinitum tempus à Patre* soluit; & ita lex determinatum tempus habuit à Deo, quandiu deberet durare, & quamdiu populus Iudæorum esset sub ea. Huc necesse est recolamus quod aliàs tactum est; distinxisse quoad durationem legalium Hieronymum duo tempora, B vnum ante passionem Christi, aliud post passionem: ante passionem nedum licuisse, sed debuisse obseruari: post passionem nunquam licuisse. Augustinus hac in re tria distinxit tempora: aliud vsque ad passionem; aliud diuulgati Euangelij; tertium tempus medium à passione Christi, vsque ad Euangelij diuulgationem. Post diuulgationem, nullatenus licuisse ea seruare. Crucifixo Domino, sed ante promulgationem licuisse ea obseruare, (quáquam non esset obligatio) Iudæis scilicet, qui conuertebantur ad Christum; ante passionem & licuisse & debuisse obseruari; quia nondum mortua erát. Stat ergo, vt completo redemptionis humani generis mysterio, C totaliter cessauerint legalia, quasi iam veritate eorum consummata; Ioan. 19. *consummatum est*: in cuius signum Matth. 27. *velum templi scissum est*. Ante passionem Christi, Christo prædicante, & miracula faciente, currebant simul lex & Euangelium, quia iam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum: & propter hoc mandauit Christus Dominus ante passionem leproso, vt legales cæremonias obseruaret. Hæc D. Thomas. Hæc omnia videtur mihi Dominus in hoc facto præmonstrare; tanquam futura in alijs, in se ipso autem etiam de præsenti: de præsenti, inquam, quoad se; quia nulli legi tenebatur supremus legum omnium Dominus; quanquam dignatus sit legi subesse, vt visum est: (Et ideo quanquam non omnino id intelligens respondit illis Petrus; *etiam*: id est, adhuc tempus est, vt soluat:) de futuro quoad alios: nam ante ipsius passionem, mortua non erant legalia, vt concordant vbi supra Hieronymus & Augustinus; mortua, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiatiuam pro suo modo: vnde dic tu, tenebantur circumcidi, &c. Mihi arridet, vt dicamus, ex tam familiari Apostolorum cum Christo consuetudine, etiam ante passionem fuisse discipulos priuilegiatos, vt legi simpliciter non tenerentur: & fortè re ipsa quandoque non obseruarunt; præsente Domino qui quæcumque ex lege, poterat *potestate excellentiæ* supplere: quod colligo, nedum ex facto præsenti, dum ait *da eis pro me, & te*: non dicit *redde*; sed etiam quia & à ieiunijs eos exemit, dicens supra c. 9. *nunquid possunt filij Sponsi lugere, quandiu cum illis est Sponsus?* Post abscessum & ascensum Domini in Cœlum, Apostolos legalia non abiecisse constat; (non sic tamen vt in eis spem ponerent, quòd ea reputarent necessária D ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare nó posset) quia Petrus in visione Act. 10. & 11. respondit; *absit Domine, quia nunquam manducaui commune & immundum*. Verùm si obseruantiam legalium tunc ante Euangelij promulgationem admiserunt, fuit & ad sepeliendam Synagogam cum honore, vt aliàs dictú est; & ne Iudæi hanc ob causam scandalizarentur. Quocirca Hieronymo visum fuit, pia quadam simulatione id fecisse, ne secus Iudæorum conuersionem impedirent, siue ne scandalizarent eosdem: sed non vera intentione obseruandi. Quicquid fuerit; non enim probat D. Thomas E huiusmodi simulationem: (quanquam simulationem aliquam admitti necesse est ex litera Apostoli 2. ad Galat. Dic tu vel simulata ex opere, spe in legalibus; vel simulata nimia diligentia, circa eorundem legalium obseruantiam, ne scandalizaret Iudæos.) Certum est, licet tunc non obligarentur, ob scandalum vitandum ea seruasse. Et vnde hoc didicerunt? Liceat mihi occurrere dicendo; ex præsenti Domini facto, examinatis circumstantijs doctrinæ exemplo. Ecce, *vt autem*, inquit, *non scandalizemus eos*. Sed nunquid hodie, ne scandalizemus eos, debemus legem seruare? Absit. Documento erit piscatio, non qualiscumque, sed *primi piscis*. Primitiua in Ecclesia, cùm facti piscatores hominum primò cœperitis eos ad fidem conuertere, nondum promulgato per Orbem terrarum Euangelio, poteritis legi *dare* tributum, non *reddere*, quasi teneamini: tunc, cum hamo singillatim paucos capietis fideles, licebit: non cum retia toto Orbe expanderitis: *& mitte hamum*. Piscem symbolum esse fidei supra c. 14. vidimus; F latet enim in aqua, quemadmodum abscondita sunt mysteria fidei: Luc. 11. *quis autem ex vobis Patrem petit piscem; nunquid pro pisce serpentem dabit?* vel propter aquam Baptismi, qui est sacramentum fidei, ex Augustino, de Quæstionibus Euangelicis: neque enim loco piscis, venena nobis dabuntur fallaciæ serpentinæ: sicut *serpens seduxit Heuam*. At solutio tributaria, tunc post passionem, potius exterius fiebat, quàm interius eam profiterentur: in ore ergo potius, quàm corde: ecce inquit

A Gal. 4. 1. 4.

B p. 3. 103. 4. ad 1. & alibi.

C p. 2. 103. 3. ad 2. & a. 4. ad 1.

D p. 2. 103. 4. ad 1.

E p. 2. 103. 4. 1. & ad 2 & ad Galat. 2. l. 3. fusè.

F Matth. 7 & Ioa. 21. l. 2.

aperto ore eius inuenies staterem : non erit è visceribus illa obseruantia. Post primitiuæ tempora, postquam (Lucæ 5.) *impleuerunt ambas nauiculas*, nunquam inuenerit in ore piscium staterem; quia subdi nō vltra licebat legi; immo *aperto ore*, legalia & mortua & mortifera, euacuataque omnino, indicendum erat. Iamq; non est, vnde soboles Iudæorum lunatica zelum habens sed sine scientia *cadat in ignem*, immemor futurum fuisse, vt legis obseruantia antiquaretur; Ierem. 31. *feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum*; &c. Et Deuter. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius*; & multis alijs locis, vt ait Angelicus G. Hæc nouæ legis verba, spiritus libertatem commendant: quia, vt ait Angelicus, H gratia Spiritus-Sancti est sicut interior habitus nobis infusus, inclinans nos ad rectè operandum, sic vt liberè operemur ea, quæ conueniunt gratiæ, & vitemus ea, quæ gratiæ repugnant. Et ideo lex noua dicitur lex libertatis dupliciter: vno modo, quia non arctat nos ad facienda, vel vitāda aliqua, nisi quæ de se sunt, vel necessaria, vel repugnantia saluti: quæ cadunt sub præcepto vel prohibitione legis. Secundò quia huiusmodi præcepta vel prohibitiones, facit nos liberè implere, in quantùm ex interiori instinctu gratiæ ea implemus: & propter hæc duo lex noua dicitur *perfectæ libertatis*; Iacobi 1. Recole tu, supra quingenta numerari antiquæ legis mandata cum prohibitionibus. Deniq; apud Lauretum in Sylua allegoriarum; verbo *drachma*, significatam fuisse subiectionem legis, ad quam Christus non tenebatur; vt exposui.

G Galat. 2. l. 6.
H p. 2. 108. a. 1. ad 2

CAPVT XVIII.

Mat. 9. e. 34. Luc. 9. f. 46. Inf. 19. b. 14. 1. Cor. 14. d 20. Mar. c. 9. f. 42. Luc. 15. a. 4. Luc. 17. a. 1. Supr. 5. c. 29. Marc. 9. g. 4. 17. 5. 3 a 5. Luc. 19. b. 10. Luc. 17. a 3. Leuit. 19. d. 17. Eccl. 19. b. 13. Iac. 5. d. 19. Deut. 19. b 15. 2. Cor. 13. a. 1. Hebr. 10. c. 28. Io. 8. c. 17. 2. Tnes 3. d. 14. 1. Cor. 5. b. 9. Ioan. 20. e. 23. Luc. 17. a. 4.

1 IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas, maior est in regno Cælo-
rum? 2 Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, 3 & dixit: Amen
dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum
cælorum. 4 Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.
5 Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit: 6 qui autem scandaliza-
uerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo
eius, & demergatur in profundum maris. 7 Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant
scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit. 8 Si autem manus tua, vel
pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debi-
lem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. 9 Et
si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum tibi est cum vno oculo in vitam
intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. 10 Videte ne contemnatis vnum
ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei:
qui in cælis est. 11 Venit enim filius hominis saluare quod perierat. 12 Quid vobis videtur? si
fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonagintanouem in montibus,
& vadit quærere eam, quæ errauit? 13 & si contigerit vt inueniat eam: Amen dico vobis, quia
gaudet super eam magis, quàm super nonaginta nouem, quæ non errauerunt. 14 Sic non est vo-
luntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. 15 Si autem pec-
cauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus
eris fratrem tuum: 16 si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore
duorum, vel trium testium stet omne verbum. 17 Quòd si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem
ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. 18 Amen dico vobis, quæcumque
alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt
soluta & in cælo. 19 Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de om-
ni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est. 20 Vbi enim sunt duo, vel
tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 21 Tunc accedens Petrus ad eum, di-
xit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? 22 Dicit illi
Iesus: Non dico tibi vsque septies: sed vsque septuagies septies. 23 Ideò assimilatum est regnum
cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. 24 Et cum cœpisset rationem
ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. 25 Cum autem non haberet vn-
de redderet, iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habe-
bat, & reddi. 26 Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, &
omnia reddam tibi. 27 Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit
ei. 28 Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum dena-
rios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. 29 Et procidens conseruus eius, ro-
gabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 30 Ille autem noluit: sed
abijt, & misit eum in carcerem donec redderet debitum. 31 Videntes autem conserui eius quæ fie-
bant, contristati sunt valdè: & venerunt, & narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant.
32 Tunc vocauit illum dominus suus: & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quo-
niam rogasti me: 33 nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus
sum? 34 Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debi-
tum. 35 Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de
cordibus vestris.

VERS.

VERS. I. *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: quis putas maior est in Regno Cœlorum?*

1. Diuus Chrysostomus, in huiusmodi interrogatione sibi visus est agnoscere nonnihil humanum: quod veluti defectum facit cuiusdam passionis, ex collato scilicet honore vni Petro. Hoc clarè Hieronymus exprimit dicens; *quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum; ex æqualitate pretij arbitrati sunt, omnibus Apostolis Petrum esse prælatum.* Admisso sensu Hieronymi; contenderat Chrysostomus quomodo exinde, *nihil eorum quæ sunt in terris quæsierunt:* (rogant quippe de *Regno Cœlorum*) *nos neque ad defectum eorum contingere possumus; neque enim quærimus, quis maior in Regno Cœlorum, sed quis maior est in Regno terræ.* Sed quid? A nonne quærenda est excellentia in Regno Cœlorum? Respondet Angelicus; non esse malum, iuxta illud 1. Corinth. 12. *æmulamini charismata meliora:* nisi præcedat adsitque propria existimatio, quod est superbiæ; contra illud Philipp. 2. *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Sic glossa in ipsis admittit elationem & indignationem. Ipse nisi recolerem aliàs Lucæ 22. *factam inter eos contentionem, quis eorum videretur esse maior,* libentiùs dicerem, præsentem discipulorum disputationem (*siquidem disputauerant in via inter se,* Marci 9.) & nisi commoneret hic etiam eos Dominus, quamuis suauissimè; libentiùs inquam dicerem disputationem officiosam, ita vt non affectaretur, sed potiùs studio esset fuga primatus: ac si instar Baptistæ responderent sibi vicissim, *ego non sum; ego non videor certè maior in Regno Cœlorum:* dirimenda per sententiam Domini amica lite. Reor etiam, non omnes rem hanc tractasse, sed aliquos duntaxat eorum. Et fortè aliqui eorum inuicem disputauerant, quis esset maior de tribus, de Petro scilicet, de Iacobo, de Ioanne: vt videtur innuere Origenes, dicens; *ex multis magnis, quis esset maior:* & ita non de se ipsis, sed de alijs, quasi ob hoc irreprehensibiles, disquirebant. Vnde & Dominus, qui Lucæ 9. *vidit cogitationes cordis illorum,* neminem ipsorum increpat, tanquam exorbitauerit; sed conditionatè eloquitur, salubrem cœlestis celsitudinis viam ostendens dum ait; *si quis vult primus esse,* (Marci 9.) *erit omnium nouissimus:* siue *quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste; hic est maior in Regno Cœlorum;* & apud Lucam; *qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* Nihilominus, quoniam præmittitur in textu; *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum;* non ausim aliquot eorum omnino excusare; (quamuis fortè possem; eoquòd Marcus dicit, *residens vocauit duodecim,* docetque Sanctus Thomas Ioann. 7. l. 5. stantem docuisse turbas, quasi ad eas conuertendas, sed discipulos sedendo ad quandam potiùs commemorationem) *aliquot eorum* dixi, vt paulo ante; nam hoc videtur trahi ex Diuo Marco, qui postquam narrauit interrogatos à Domino, *quid in via tractabatis?* inquit, *residens vocauit duodecim:* habemus ergo vocasse quidem duodecim, sed non duodecim interrogasse. Et si quæras, qua culpa deliquerint? respondeo; absit opinari mortaliter tantos discipulos: præsertim quia de contentione secuta inter eosdem Lucæ 22. quando *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior;* neque additur *in Regno Cœlorum;* docet Angelicus B quòd inter discipulos Christi, non erat contentio, cum intentione impugnandi veritatem, quia vnusquisque defendebat, quod sibi verum videbatur: sed erat solùm in eorum contentione inordinatio; quia contendebant de quo non erat contendendum; scilicet de primatu honoris; nondum enim erant spirituales, sicut glossa dicit ibidem. Vnde & Dominus consequenter eos compescuit.

A D.Th. hic.

B 2.2.q.38. a.1. ad 1.

Quæret quis de consensu Euangelistarum; nam Matthæus habet; *in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, quis putas maior est in Regno Cœlorum?* Marcus ait; *cum Domi essent, interrogabat eos, quid in via tractabatis? at illi tacebant:* Lucas; *at Iesus videns cogitationes eorum.* Sed facilis est concordia: Saluator non semel perhibetur vidisse cogitationes cordium, quippe, qui nouerat omnia, etiam ventura; Ioan. 18. *sciens omnia, quæ ventura erant super eum:* & c. 2. *ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Primò ergo eos interrogat excitans, vt ad ipsum recurrerent: sed discipuli reuerenti quadam adhuc affecti verecundia timent. Porro *vocatos duodecim* rationabile est, respondisse: immo fortè antequam vocarentur, & resideret: nam signanter ait Marcus, *tacebant,* non dicit *tacuerunt,* quod nunquam respondisse significaret: tacebant, quasi mox responsuri. Et quia illorum responsio calcar sine dubio habuit interiùs, ad cognoscendum & ediscendum verum de re controuersa; ideo Matthæus, eorum intentionem, suamque fortè speciatim significare volens, factum denarrat ijs verbis; *accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, quis putas maior est in Regno Cœlorum?* Quod quidem periphrasi possemus sic reddere; Domine interrogasti nos, quid tractaremus in via: reluctabamur timore quodam correpti quæstionem prodere: Sed iam acceptis animis cor aperimus: disputabamus ad inuicem de præcellentia, deque causis, quæ possent ad eam facere: hinc & hinc varius noster erat sermo, nec definitum est. Tu Domine, qui scis omnia, da veniam, si audemus nimium, quo doceamur nimirum de re tam grandi: *quis putas maior est in Regno Cœlorum?* Ecce quomodo missis præambulis, quæ quisque valet concipere, Matthæus ideam duntaxat clausulamque interrogatoriam, resecans quæ superfluerent, referre studuit. Cur autem fuerit solicitus de notando tempore: *in illa* inquit *hora,* in Syntaxi. 2.

VERS. II. *Et aduocans Iesus paruulum,* &c.

VERS. III. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.*

Dicitur paruulus iste fuisse beatus Martialis C. 3. Sed quare statuerit eum *in medio;* & hoc ob oculos voluerit præbere exemplum, item Syntaxis erit. Certum est, in paruulis huiuscemodi, deprehendi, quæ ad Cœli ingressum præexacta sint. *Sicut paruulus iste* (Hieronymus) *non perseuerat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat & aliud loquitur; sic & vos nisi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis Regnum Cœlorum intrare.* Et similiter Hilarius: *nonnisi reuersos in naturam puerorum, introire Regnum Cœlorum Dominus docet: idest per simplicitatem puerilem, vitia corporum nostrorum animæque curanda: hi enim Patrem sequuntur, Matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt; non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur;* &c. Aiebat & Apostolus 1. Cor. 14. *malitia paruuli estote.* Ideo hoc ipsum firmat positiuè Dominus sequenti capite dicens; *sinite paruulos ad me venire; talium est enim Regnum Cœlorum.* Et cohæret dictis supra c. 5. *beati pauperes spiritu,* idest humiles, *quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum;* Prouerb. 29. *humilem spiritu suscipiet gloria.* Saul humilis D in Regem est sublimatus 1. Reg. 15. *nonne cum esses paruulus in oculis tuis, Caput in tribubus Israel factus es?* dixit ei Samuel. Verùm quia subdit; *quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in Regno Cœlorum,* enascitur difficultas; quia plures possunt humiliari sicut paruulus ille; & non satis videtur

C D.Th. hic.

D opusc. 41. l. 1. c. 6.

tur adhuc explicari; quis eorum esset maior. Denique maior gradus gloriæ correspondet potiùs charitati quàm humilitati: vnde viso dubio occurrit Sanctus Doctor E per illationem, vbi maior est humilitas, augeri Dei charitatem. Sed plenius nequit textus comprehendi, nisi Syntaxis affulgeat: præsertim quia nec Marcus, nec Lucas quidquam exprimunt de pueri imitatione: dicit enim Lucæ 9. *nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est*. Et Marci 9. item cap. per locum à contrario respondere videtur interrogationi; *si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus & omnium minister*: licet conuersione habeatur, euadere primum, qui se nouissimum ac ministrum facit.

VERS. V. *Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.*

4. Vox ista *suscipere*, seu *recipere*, vt apud Marcum, non ita suo significato ad rem plana est. Idcirco Chrysostomus traxit ad honorem exhibendum huiusmodi paruulis, declinatque suo discursu tandem, vt non despiciantur; quia *multi pusillanimes, ex eo quòd despiciuntur, scandalizati sunt*. Constat itaque quasi in vnam, triplicem Domini sententiam, de suscipiendis, de non scandalizandis, deque non contemnendis; quod postremū aliquantulùm post prompsit Dominus; versu 10. *videte ne contemnatis vnum ex his pusillis*. Sed quoniam non omnino distinguit sensum suum Chrysostomus; an scilicet sua expositio cadat super paruulos physicè seu ætate, an de paruulis, hoc est humilibus: & vtrinque oritur difficultas; quia paruulis ætate, non apparet cur insistendum sit de præstando eis honore, maioribus senibusque magis debito: & ex altera parte paruuli, hoc est humiles, (quorum est Regnum Cœlorum, quique tali virtute maiores fiunt; *hic est maior*) vix possunt scandalum pati; vt ait Hieronymus, *maiores scandala non recipiunt*. Ideo alia mihi videtur via incedendum; scilicet vt dicamus primò sermonem Domini fuisse de paruulis metaphoricè, quales sunt humiles:

F Ephes. 3. 1.5. qui in signum humilitatis F flectunt ad Deum genua, & quodāmodo paruificant se; *nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli*. Deinde cū dicit; *quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste*, metaphoram liquidò exposuisse, moralemque materiam apertè versasse. Tertiò vnà simul & physicam & moralem paruitatem considerasse. Itaque *qui susceperit vnum paruulum talem* (*in medio eorum* constituerat paruulum) *in nomine meo*, ad instituendum eum, ad eum erudiendum, ad formandum, ad excolendum virtutibus bonisque moribus, elongandumque à vitiorum periculis; idque *in nomine meo*, idest in ordine ad salutem, nam *vocatum est nomen eius Iesus* Lucæ 2. & Matthæi 1. *vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*,

G Ioa. 14. 1.3. (vt ex Augustino quoad petitiones G decernitur: *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*) ille verè *me suscipit*. Innotescere autem potest vis verbi illius, *susceperit*, ex ritu in sancto baptismo, quando puer suscipitur. Quocirca ait Dionysius 2. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ; *Sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem Susceptori & Duci*; & c. vltimo; *diuinis nostris Ducibus* (idest Apostolis) *ad mentem venit, & visum est, suscipere infantes, secundùm istum sanctum modum: quòd naturales pueri parentes, traderent puerum cuidam docto in diuinis pædagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub diuino Patre, & salutationis sanctæ susceptore*. Ecce de salutatione; *in nomine meo*: ecce

H 3. p. 67. 7. de susceptore; *qui susceperit*. Vnde H Angelicus; nam ille qui in baptismo puerum de sacro fonte leuat, implet vicem obstetricis, nutricis, & pædagogi. Dic mi lector, si obstetrix nutrix suscipit puerum, nec ne? Porrò hic de susceptore nedum ex charitate, sed ex munere loqui Dominum, Syntaxis ostendet. Vt autem adhoc salutare præstandum paruulis beneficium sanctæ susceptionis, nos excitet, sibi acceptum munus perhibet, nō secus ac infra c. 25. *quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*.

VERS. VI. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt; expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius*; &c.

Antithesis de scandalo probat susceptionem præmissam intelligi è contra in studium salutis. Maiores 5.
siue perfecti soli Deo inhærent. Vnde quantumcunque videant alios I inordinatè se habere dictis vel I 3.2. 41. 5.
factis, ipsi à sua rectitudine non recedunt. Et ideo, in his qui perfectè Deo adhærent per amorem, scandalum non inuenitur; nisi secundùm aliqua peccata venialia ex infirmitate carnis quandoque impingant, & appropinquent ad scandalum; ps. 72. *mei penè moti sunt pedes*. Igitur dic verba fieri de imperfectis; & paruuli significationem physicam trahi ad moralem. Hos etiam imperfectos præmonuit tanquam paruulos suscipi; non secus ac in baptismate. Quocirca obiectum & responsio dat intellectum. Arguitur etenim; in Sacramentis Ecclesiæ nihil derisorium fieri debet, sed hoc derisorium videtur, quod adulti baptizati, qui se ipsos sustentare possunt, & de sacro fonte exire, ab alio suscipiantur; ergo &c. L Ad hoc L 3. p. 67. 7. ad 3. & in c.
dicendum, quòd baptizatus non suscipitur à Patrino de sacro fonte propter imbecillitatem corporalem; sed propter imbecillitatem spiritualem. Nam spiritualis regeneratio quæ fit per baptismum assimilatur quodammodo generationi carnali; 1. Petri 2. *sicut modo geniti infantes*, &c. Et ideo requiritur qui fungatur vice nutricis & pædagogi informando, & instruendo baptizatum quasi nouitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam. Qui scandalizat, dic tu, ex diametro susceptioni huiusmodi repugnat. Quòd inde erat ei præoptandum morte damnari potiùs; sed genere insolito; vt inde culpæ grauitas eluceret; neque satis in tantæ molis, qualis est mola asinaria, pondere. Sed adhuc vltra latet intelligentia. Præmitto ex Beda, memoratq; hic Angelicus, in Catena Luc. 17. vbi item de lapide molari: *secūdum morem Prouinciæ Palæstinæ loqui Dominum; cùm maiorum criminum, apud veteres Iudæos fuerit pœna, vt in profundum ligato saxo demergerentur*.

Porrò dum apud Marcum etiam de mola introducitur c. 9. & apud Lucam item de lapide molari, quo 6.
scilicet granum teritur in farinam, (Isaiæ 47. *tolle molam, & mole farinam*) vtiq; in cibum; necesse est subsit aliqua ad significādum allusio. Sic ergo accipe altero ex loco, vt indicare velit personarum genus, quæ passim scandalo consueuerunt esse pusillis. *Paruuli* certè, Thren. 4. *petierunt panem*. Theophylactus (in Catena Matth. 24.) ibi, *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram*, inquit; *vel sermonem doctrinæ, quo pascantur animæ; vel operum exemplum, quo vita informetur*. Cyrillus, *spiritualia* intelligit *cibaria & escas*. Hanc spiritalem farinam, molere tenentur prædicatores, suis auditoribus: ita ex Hieronymo Ecclesiastes 12. ad illa verba, *& otiosæ erunt molentes in minuto numero*. Verùm quia prædicandi munus etsi committatur Episcopis deriueturq; sic ad alios, vt ostendit Angelicus; M nihilominus M opusc. 19. c 4. 2. 2. 185. 1. arg. 3.
primitùs ipsis Episcopis conuenit, qui successores sūt Apostolorum, vt firmat glossa Lucæ 10. vt ibidem in opusculo: ideo liceat, pro huiusmodi molentibus, tanquam principalibus eosdem accipere Episcopos: Episcoporum quippe est ex 2. 2. frumenta spiritualia dispensare: & sic mysticè exponitur illud Prouerb. 11. *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*. Vnde si contingat, vt farinæ spiritalis molendæ vice, terāt prauitatis exempla, quibus pusilli subditi scandalizantur: vt innotescat quo deliquerint, quia Sap. 11. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, ideo non quo-

quouis suspenso saxo demerguntur, sed lapide molari potiùs; si vel præuenti morte, ne euadant scandalo, vel eadem correpti, ne diu scandalizent. Nec mireris supplicij grauitatem: quia peccata, tanto
N p. 2. 75. 10. magis alicui imputantur, N propter exemplum seu scandalum. Hinc Isidorus; *tanto maius cognoscitur peccatum esse, quanto maior qui peccat habetur*; &

Gregorius in Pastorali part. 1. cap. 2. *in exemplum culpa vehementer extenditur; quando pro reuerentia gradus, peccator honoratur. Ad plurium enim notitiam perueniunt peccata Maiorum, & magis homines ea indignè ferunt.* Hinc idem Gregorius; *cum Pastor per abrupta vitiorum graditur; necesse est vt in præcipitium grex sequatur.* Et homilia 17. in Lucæ 10. *nullum puto, fratres charissimi, ab alijs maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium, vertimus ad ambitionis argumentum, Dei causam relinquimus, ad terrena negocia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* Dicamus.

VERS. VII. *Væ Mundo à scandalis. Necesse est enim, vt veniant scandala: veruntamen væ homini, &c.*

7. Ingessit intelligentiæ difficultatem, quod ait Dominus; *necesse est.* Sed non est intelligendum de necessitate absoluta; benè verò de necessitate conditionis: qua scilicet necesse est, præscita vel prænunciata à Deo, euenire; si tamen coniunctim accipiantur, vt in primo lib. dictum est.
O 2. 2. 43. 8. 1. O Vel, *necesse* est euenire scandala, necessitate finis, quia vtilia sunt adhoc, vt qui probati sunt, manifesti sint. Vel *necesse* est euenire scandala secundùm conditionem hominum, qui sibi à peccatis non cauent. Sicut si aliquis Medicus, videns aliquos indebita diæta vtentes, dicat, necesse est tales infirmari: quod intelligendum est sub hac conditione; si diætam non mutent. Et similiter *necesse est*, euenire scandala, si homines conuersationem malam non mutent.
P 4. dist. 38. 2. 2. 2. q. 1. ad 1. Hoc ipsum in Sententijs; P vbi ad inclinationem fomitis etiam recurrit: adducitque Chrysostomum; *cum dicit, necesse, non spontaneum potestatis destruit, neque libertatem electionis.* Certe non absimiliter in Apocalypsi; *quæ oportet fieri citò*: glossa,
Q Apoc. c. 1. com. 8. Q *idest ineuitabile est*; vel ratione finis, fructus nempe tribulationum. Sed prout mihi exploratum videtur, germaniori solutione emergimus; ex eo quod supra ex Gregorio; *dum Pastor per abrupta graditur, necesse est, vt in præcipitium grex sequatur*: nimirum impossibile est moraliter, dum vt aiebat Seneca, *ad exemplum viuitur malorum.* (fertur 1. Corinth. 5. ibi *expurgate vetus fermentum*)
R 1. Cor. 5. l. 2. Similitudo illa fermenti ad hoc inducitur; R quia per peccatum vnius, alij prouocantur. Dic, apposito fermento in farinæ massa, nonne necesse est totam corrumpi? Similiter ad Galatas dixit Paulus
S Gal. 2. l. 3. *si tu cum Iudæus sis, cogis Gentes iudaizare*; S non quidem imperio, sed tuæ conuersationis exemplo, quia secundum quod Leo Papa dicit; *validiora sunt exempla, quam verba.* Æquipara tu mi lector ly *cogis*, cum illo *necesse est.* Et reuera hanc intelligentiam Dominus ipse suggerit; non enim ait; *necesse est vt veniat scandalum*, sed *scandala*. Primum scandalum, possibile est vitari: sed eo viso, impossibile moraliter est, non alia subsequi; non sic impossibile est moraliter primum caueri: veruntamen, *væ homini illi per quem scandalum venit.* Obserua: *scandalum*, inquit, *venit*: pergit ergo & permeat ab vno in alios. Sic, non dixit, *necesse est fieri*, aut *esse*, sed vt *veniant* scandala, quasi proueniant scandala. Ac si diceretur; vbi mouens est, necesse est esse & motum. Exempla procul dubio T nata sunt mouere; & non solùm exempla Maiorum, inquit Angelicus, sed etiam æqualium & minorum nata sunt mouere: in psalm. ad rem; *mei autem penè moti sunt pedes.* T 4. sent. 38. 2. 3. in calce. Nequit esse actiuum scandalum, quin natum sit agere in passum; immo non agit, sed impellit: impellunt nos ad casum V exempla cadentium. V 1. Cor. 10. l. 4. Iob 41. describitur corpus Diaboli mysticum, vt sit *compactum squamis*, sed, *inuicem se prementibus*, per quod X significatur consensus malitiæ. X opusc. 58. 14. Vbi sit agens mouens, premens impellens, & cogens; necesse est venire scandala: quod altè, vno verbo *veniant*, & *venit* significat Dominus. *Væ* ergo *Mundo à scandalis*; *quia* & glossa, *imminet æterna damnatio, inundans propter scandala.* Sequitur speciatim; *veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Si ex Philosopho; *propter quod vnumquodque tale, & illud magis: væ illi*, qui veluti fons & origo subsecuti scandali, immo & scandalorum est. Etsi enim possit exponi pro indiuiduo vagè, quicumque ille fuerit: nihilominus non repugnat quasi antonomasticè vnum significari; ob adiectum scilicet pronomen *ille*: non secus ac Ioann. 1. interrogantes Baptistam dixerunt; *Propheta es tu?* vbi A græcè extat articulus: an esset Propheta ille, quasi antonomasticè. A Ioa. 1. l. 12. Sed hoc sustine ad Syntaxin.

VERS. VIII. *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum, & proijce abs te, &c.* cum v. 9.

Marcus nihil de manu scandalizante hic dicit; solùm de pede & oculo. 8.

Lucas, quod mirere magis, in contextibus hisce nihil de scandalo, sed differt, ad caput 17. tot alijs, à materia quam versamus de *paruulis & pusillis*, per quinque sequentia capita à nono ad decimum septimum, interiectis. Matthæus iam supra cap. 5. de oculo scandalizante eruendo, & de manu dixerat, arcto sermone, dexteris. Cur hæc repetantur in præsenti si quæras? certè credendum est bis à Domino de his introductum esse, vt constat ex contextu habiti cap. 5. & hic sermonis. Verùm, quia non per transennam nec perfunctoriè, sed ex professo de huiusmodi rursus hic verba fiunt, dicendum est latere profundius causam, ex qua iterare voluerit de hisce partibus; quam vt aliquantulum olfactam desideraremus, tacuit de manu Marcus, de cunctis Lucas; inde enim excitamur ad vestigandum. Quocirca vt excuteremur à somno, differenter satis & dictum à Domino, & descriptum à Matthæo fuit priùs cap. 5. Neque enim sine mysterio hic exactior fit anatome veluti corporis nostri de manu, de pede, de oculo. Quòd si literaliter tantummodo moniti essemus, cur non & de lingua, quæ immo inordinate loquens scandali est auctrix? vnde est vt scandali descriptio sit, esse *dictum vel factum minus rectum* B *præbens occasionem ruinæ*, vt ait & Hieronymus. B 2. 2. 43. 1. Syntaxis, Deo dante, ab his omnibus angustijs libera emerget. Interim accipe ex glossa; *per oculos intelligi Doctores & Consiliarios* C. C opusc. 19. c. 3. Et iterum; in manu & in dextero oculo, possunt accipi D fratres, vxor, propinqui, filij. D 4. sent. 39 1. 6. 3. arg. Per oculum etiam intelligitur intentio peruersa, E quæ inquinat opus iustitiæ: & in his oculo, manu, pede, ex Augustino diuersi hominum gradus. E opusc. 20. l. 3. 11. Amputamus quippe manum, vt conseruetur cor & cerebrum, in quibus principaliter hominis vita consistit. Isaiæ 64. in calce. Fuga Ioseph Genesis 41. relicto pallio, docet moraliter in praxi, quandoque vtilia & necessaria

relinquenda eſſe à nobis, propter ſcandalum. Et
ſic, ſi vxor magnam præſtat occaſionem ruinæ viro
ſuo, vt vir probabiliter ſibi de periculo timeat, po-
F 4. ſent. cit. teſt ſe ab eius conuerſatione ſubtrahere F. Sicut
etiam ſi periculum immineret ſeductionis Domino
ex ſeruo infideli; *(ſi pes tuus)* eijciendus eſt.

VERS. X. *Videte, ne contemnatis vnum ex his
puſillis*; &c. *quia Angeli eorum*, &c.

Arcana eſt cohærentia cum prædictis de ſcandalo;
9. dum ait *ne contemnatis*. Quoſque enim fideles in-
tendit pius Dominus ab actiuo ſcandalo elongare.
Quod quidem ex Angelico G variè accidit; nam
G 2. 2. 43. 4. quamuis poſſit eſſe peccatum veniale ex genere, alijs
occaſio; vel quia actus aliquis habere poteſt, etiamſi
non ſit malus, aliquam ſpeciem mali; ſicque cum
aliqua indiſcretione leui committitur: nihilominus
eſt etiam ſcandalum actiuum mortale, non ſolum
ex ſuo genere aliquando, in proximi ruinam; ſed
quia contemnit ſalutem proximi: & explicans exem-
plo contemptum ſubdit; *vt ſi pro ea conſeruanda,
non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit*.
Si textum ad pedem literæ voluiſſet exponere, nequi-
bat perſpicuè magis ſenſum Domini aſſequi; *ne
contemnatis*. Audiant qui ſibi licentiam faciunt,
laxatis ad agendum ad dicendum, quodcumque ſibi
libuerit, habenis. Recolant illud Eccleſiaſtici 12. *&
mandauit illis vnicuique de proximo ſuo*. Horreant
& abominentur Cain abalienatum, dicentemque
nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Recolant pro-
fanum etiam Apuleium Platonicum, *lib. de Politico
& Ciuili*, ſcriptum reliquiſſe; *ſocius vulpinus eſt,
qui ſocio ſuo non præcauerit à periculo & delicto*.
Nos autem *vocati ſumus* (1. Corinth. 1.) *in ſocie-
tatem filij eius Ieſu Chriſti*. Recolant pro circum-
ſpectionis exemplari vnum illum de primoribus Scri-
barum Eleazarum; (2. Machab. 6.) qui rogatus ab
amicis *iniqua commiſeratione commotis*, vt vel ſi-
mularet, quo mortem effugeret, ſe carnem porci-
nam manducaſſe, ſcandalum ob oculos habens, re-
nuit dicens; *non enim ætati noſtræ dignum eſt finge-
re: vt multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum
nonaginta annorum, tranſiſſe ad vitam alienigena-
rum, & ipſi propter meam ſimulationem, & pro-
pter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipian-
tur*. Quod expendens Cyprianus de exhortatione
martyrij cap. 11. conceptis verbis ait, factum eſſe
ne cæteri ſcandalizarentur. Quo pacto & Apoſto-
lus (1. Corinth. 8.) proteſtatus eſt; *ſi eſca ſcanda-
lizat fratrem meum, non manducabo carnem in æ-
ternum*: fixus nimirum in doctrina, quam tradit 1.
Theſſal. 5. *ab omni ſpecie mala abſtinete vos*: vbi
H 1. Theſ. 5. l. 2. dicit *ſpecie*, H quia etiam quæ habent ſimilitudi-
nem malitiæ, vitare debemus: quæ ſcilicet non poſ-
ſumus ſeruare coram hominibus abſque ſcandalo
eorum. Quàm cautus pauiduſque de ſcandalo ma-
gnus Sanctus Antiſtes fuit Martinus; *qui cum* (pro-
ximus morti) *rogaretur à diſcipulis, vt ſaltem ſibi
vilia ſineret ſtramenta ſupponi*: *non decet*, inquit,
*filij, Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori: ego
ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccaui*.
Egregij Heroes iſti, altè retinebant, quod hic edidit
monitum Saluator; *videte, ne contemnatis vnum
ex his puſillis*.

VERSV eodem X. *Dico enim vobis, quia An-
geli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris
mei, qui in Cælis eſt*.

10. Intelligitur, dum ait *Angeli eorum* I de cuſtodi-
I p. p. 113. 2. bus Angelis: quod & firmat gloſſa interlinearis.
Verum quoniam creduntur cuſtodes eſſe infimi Or-
dinis, exponenda eſt Chryſoſtomi auctoritas, di-
L ibi n. 3. 1. centis, *non de quibuſcumque Angelis* L accipi di-
ctum à Domino, *ſed de ſupereminentibus*: vt ſcili-
cet ſentiat fuiſſe de ſupremis vtique, ſed tamen infi-
mi Ordinis: quia vt dicit Dionyſius; in quolibet
Ordine ſunt primi, medij, & vltimi. Eſt autem
probabile, quòd maiores Angeli deputentur (ſub-
iungit Angelicus) ad cuſtodiam eorum, qui ſunt ad
maiorem gradum gloriæ à Deo electi. Dicit autem
N alibi; etſi ad exteriora officia mittantur, ab inter- N Serm. S. Michae. lis.
nis contemplationibus nunquam recedunt. Poſſet
autem alicui videri quaſi ſuperuacaneum quod Do-
minus ſubiunxit, de viſione Patris, ceu quid prorſ-
ſus notorium. Sed abſit redundare apicem ab ore
Verbi. Duos explodit iſthæc ſententia errores; eo-
rum in primis, O qui vltra Angelos in Cœlo, dæ- O Apud D. Tho. hic.
mones ponebant in medio, noſtros adminiſtrato-
res: aliorum etiam, qui putauerunt Angelos inferio-
res, nunquam Eſſentiam Dei videre; P ſed per illu- P 2. ſent. 9. q. 1. a. 3.
minationem Superiorum, qui eum immediatè vi-
dent, Dei notitiam capere.

Potior autem enaſcitur difficultas; quænam ſit ſa- 11.
cri contextus relatio: neque enim primo intuitu cla-
ret, quæ ſit conſecutio; *ne contemnatis*; quia eorum
Angeli beati ſunt. Angelicus tulit omne punctum;
Q illi, inquit, quorum Deus tantam habet curam, Q D. Th. hic.
non ſunt contemnendi: vnde ſi Dominus ita largè
paruulis prouidet, non ſunt contemnendi. Ad hæc
Hieronymus; *periculosè ille contemnitur, cuius de-
ſideria ac poſtulationes ad æternum & inuiſibilem
Deum, Angelorum famulatu ac miniſterio perue-
huntur*. Et cum eodem; *magna dignitas anima-
rum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis, in
cuſtodiam ſui Angelum delegatum*. Aiebat Bernar-
dus de anima; *nobilem hoſpitem habet caro mea,
nobilem valde*. Dic ergo, vbi paruulorum huiuſ-
modi tangitur dignitas, culpatum magis eſſe con-
temptum; immò reatus expertem, nec eſſe negle-
ctum. Sed quoniam adhuc videretur ſatis memora-
ri Angelorum cuſtodiam, ſicut ſatis dixit Cecilia,
*Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo, cu-
ſtodit corpus meum*; quid fuit neceſſe in propoſito,
vt vis fieret maior in eo, quo viſionem, potius quàm
cuſtodiam commendat? Arbitror factum eſſe pri-
mò ad exaggerandam cuſtodiæ attentionem; dum
in Dei viſione, quæ cuncta ad miniſterium attinent
clarè vident. Secundò, ne ſibi quiſpiam ſuaderet,
latere Angelos tutoreſque paruulorum, quæ quis
oſcitanter etiam eis obijcit ſcandala. Tertiò, vt
amantiſſimos perhiberet eos, proinde zelotes; quan-
do, non mercenario miniſterio, ſed dilectione con-
ciuium ſuorum, ſoliciti cuſtodis officium implent,
iam felicitate beati. Dum ergo paruulos purgant,
illuminant & perficiunt; R mala remouendo, in- R Serm. 2. de S. Michaele.
tellectum illuminando, affectum perficiendo ex Di-
uo Dionyſio; quis auſit eos contemnere quos diri-
gunt & diligunt, tanta cum cuſtodum iniuria?
Vnus, ergo, *erit ædificans* (per cuſtodiam) *& vnus
deſtruens*; (per ſcandalum) *quid prodeſt?* Eccleſia-
ſtici 34. cùm tamen, vt ait Bernardus, *adſint vt pro-
tegant, adſint vt proſint*: adſunt, dic ex pſal. 90. im-
mò in manibus portant; *ne fortè offendant ad lapi-
dem pedem ſuum*: tu offendiculum ponis, quo im-
pingant corruantque, non curans: *videte ne contem-
natis*: Leuitici 19. *nec coram cæco pones offendicu-
lum; ſed timebis Dominum Deum tuum*: nam *ma-
ledictus* (Deuteronomij 27.) *qui errare facit cæ-
cum in itinere: & dicet omnis populus; Amen*. Cæ-
cus eſt autem, qui ſcandalizatur ex ignorantia:
quando autem ſcandalum procedit (de paſſiuo ſer-
mo eſt) ex infirmitate vel ignorantia, S ſcandalum S 2. 2. q. 43. 7.
puſillorum eſt: propter quod ſpiritualia etiam bona,
ſunt interdum vel occultanda vel differenda, vbi pe-
riculum non imminet; quouſque reddita ratione, hu-
iuſmodi ſcandalũ ceſſet. Sic tẽporalia oportet dimitti
ſi propria ſint, vel non repetenda T ſcandalo non ſe- T loc. cit. a. 8.
dato. Tãtum abeſt, vt liceat vſquã puſillos contẽnere.

VERS.

VERS. XI. *Venit enim filius hominis saluare, quod perierat.*

12. Iubilet fidelis quisque comprobans experimento, quæ prompsit constanter Apostolus scribens Galatis; *notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me; quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud; sed per reuelationem Iesu Christi*; 1. Tim. 1. *Christus Iesus venit in hunc Mundum peccatores saluos facere*. Reuelauerat ergo ei Iesus Christus, cùm de pusillorum scandalo agitur: vt posset fortissimo renisu auerti ac è medio tolli: consideratione videlicet magni pretij pro anima quacumque soluti: 1. Cor. 6. *empti estis pretio magno*. In sermone *de Natiuit. Domini* Leo Papa; *pretium tuum sanguis Christi est*. Christus Dominus *venit saluare quod perierat*: & quod ipse venit saluare, perdere non pauebit frater, fratrem *contemnens*? qui vt dictum est, V salute ipsius *contempta*, pro ea conseruanda non prætermittit facere quod sibi libuerit. Heu qualis miseria! Ecce Apostolum, miro contextus nostri consensu: ad Romanos quidem cap. 14. *si enim propter cibum frater tuus contristatur*; (præmiserat; *ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*) *iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Et quia hæc fortiùs retinebat infixa cordi; ecce iterum 1. Cor. 8. *videte autem, ne fortè hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem; nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*. Et ipse vocem Domini exprimit; *videte*. Non contemnebat Paulus salutem proximi, vel desidia & torpore; quando aiebat; *præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana* (2. Cor. 11.) *sollicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Hic præmiserat, sitiens anhelis pulmonibus animas, 1. Cor. 9. *factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*; &c. *ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) vt lucri-facerem eos, qui sine lege erant: factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*. Quid aliud est hoc, nisi ingenua periphrasis, Saluatoris verbo contenta, dum hic ait; *venit enim filius hominis saluare quod perierat*.

V 2. 3. 41. 4. (margin)

VERS. XII. *Quid vobis videtur, si fuerint alicui centum oues; & errauerit vna ex eis; nonne relinquit nonaginta nouem?* &c.

13. Constans est Patrum omnium sententia, in oue hac intelligi humanum genus. Patet præsertim ex illo psal. 118. *erraui sicut ouis, quæ perijt*; & primæ Petri cap. 2. *eratis enim sicut oues errantes*. Claret etiam ex præmisso & sequenti contextu, de non contemnendis pusillis; *venit filius hominis saluare quod perierat*: & deinde, *si peccauerit in te frater tuus*; &c. Comprobat etiam hoc ipsum parabolæ procursus apud Lucam, vbi inuenta ouis imponitur humeris inuentoris. Hunc Gregorius in homilia facit Saluatorem; *quia humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portauit*. Dixerat prius Ambrosius in Lucam: *quasi Pastor reuehit. Humeri Christi, Crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui*. Recole vbi Isaiæ 53. palam dicitur; *omnes nos, quasi oues errauimus*, legi quoque, *& iniquitates eorum ipse portabit; & ipse peccata multorum tulit*. Et supra; *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Dicitur autem singulariter hic ouis, vt ait Hilarius, quia *in vnius Adæ errore omne genus humanum aberrauit*. Et sic Ambrosius: *ouis illa, quæ perierat in Adam, leuatur in Christo*. Idem Ambrosius: *diues igitur Pastor, cuius nos centesima portio sumus! Habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominantium, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit*. In montibus, idest X in cœlestibus; Ezechielis 34. *pascam eos in montibus Israel*. X D.Th. hic.
Libens do manum, vt pro nonaginta nouem Sancti Angeli intelligantur, qui non errasse deprehenduntur, sicut hæc ouis vna: & sic mox de gaudio, *gaudet super eam magis, quàm supra nonaginta nouem, quæ non errauerunt*, inquit hic Dominus. Exponitur in Catena de huiusmodi maiori gaudio respectiuè ad Angelos. Audi Augustinum præexpositum; A *iudices qui potest; vtrum maius sit iustos Angelos creare, quàm impios iustificare. Certè si æqualis est vtrumque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ*. A p. 2. 113. 9.
Dic accedere etiam gaudium de victo triumphatoque humani generis hoste. Et cum gaudium sit quies complementumque desiderij; satis indicat, quàm ardenter concupierit reparare ouem: & praxi quadam maius esse innotescit super ea gaudium, quod experiendi occasionem non præbuere inerrantes oues. Similiter aiebat Augustinus 8. Confess. c. 3. *quanto fuit maius periculum in prælio, tanto maius est gaudium in triumpho*. Et in Soliloquijs; *O Domine, quoties benè agimus, gaudent Angeli, & Dæmones tristantur. Quoties à bono deuiamus, Diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo desiderio defraudamus*; &c.

Sed cur parcè admodum sit apud Matthæum isthæc de centum ouibus similitudo, quæ Lucæ valde latiùs introducta est, non poterit quispiam non mirari: præsertim cùm prius Matthæus, suum Euangelium condiderit; cur nihil de impositione in humeros suos? nihil de regressu in domum; *& veniens domum*? nihil de conuocatione, *conuocat amicos, & vicinos*? Quod si sobriè immo Matthæus hoc narrauerit, quia breuiùs Dominus hoc in loco, vberiùs autem Lucæ 15. parabolam versarit; remanet adhuc difficultas ex qua humiliter Dominum rogemus. Dicendum mihi videtur, bis Dominum de recuperanda oue verba fecisse, vt contextus ipsi demonstrant, & occasiones; apud Lucam etenim, *murmurabant Pharisæi & Scribæ, quia hic peccatores recipit & manducat illis*. Quare Saluatori, qui vt ait dulciter Apostolus 1. Tim. 1. *venit in hunc Mundum peccatores saluos facere*, opportunè profectò visum est, ipsorum lincare insipientiam, allata nedum ista, sed & de decem drachmis, immo & de duobus filijs parabola: ex quibus posset initiádus quisque agnoscere vel conuenientiam ineffabilis sui aduentus; quem presciēs Dauid aiebat de acceleratione supplex; *quære seruum tuum Domine: erraui sicut ouis quæ perijt*. Et ideò, quæ multa consecuta sunt post ouis inuentionem, hoc est, post Crucis mysterium, tangit Lucas: quorum aliqua, quasi mutuata, paulo antè præmisimus. Itaque sentiendum mihi videtur, hic non appropriari similitudinem directè Domino: quod claret, quia mox antea palam fuerat locutus dicens; *venit enim filius hominis saluare quod perierat*: & etiam quia subiunctum est; *& si contigerit vt inueniat eam*: qua sub dubietate, minimè de ipsius redemptione, seu ouis humani generis inuentione fuerat loquendum; cum soluto pretio sui sanguinis, *conuersi te ipsa simus ad Pastorem & Episcopum animarum nostrarum*, vt inquit 1. cap. 2. Petrus: siue, vt ait Paulus, 2. Cor. 5. quoniam *Deus reconciliauit nos sibi per Christum*. Vnde alio in sensu introductum est hic de oue; estque huiuscemodi.

Postquam Dominus omne damnauit scandalum, nedum ex attentione, sed etiam ex culpabili neglectu, contempta salute proximi, *ne contemnatis*; pro qua 15.

qua conseruanda, vt loquitur Angelicus, non prætermittit aliquis facere quod sibi libuerit: dignatus est Dominus anteuertere scandalizantium fugam; quæ talis poterat esse. Quandoque pusilli isti prælapsi sunt: libertas igitur nobis erit quodcumque agendi; neque ipsorum de causa, cauendum erit, aut prætermittendum quod libeat. Tunc saltem fas nobis fuerit eos non curare. Absit. Vade, quære: *vadit quærere eam*: vel ad hominem, mundana ex praxi resilientes impellit, ad ouem rationalem quærendam; & quidem accurato studio; si fortè inueniat: *& si contigerit*, inquit. Quamuis autem id esse noscatur præcipuè Apostolici muneris; iuxta quod 2. Cor. 5. *dedit nobis ministerium; & posuit in nobis verbum reconciliationis*: Ephes. 6. *fungimur legatione pro Christo*; nihilominus adhuc apprimè consonum est, vt ad vnumquemque indiscriminatim fidelem similitudo quærendæ ouis pertineat: & ideo ad vnam ouem errantem priuatim, quasi esset ille qui centum habet, dirigitur. Et si dicas, habere oues Pastorum esse. Respondeo (quod hic reuera quadrat, etsi in vniuersum accipi, minùs placeat) ex Tertulliano *de pudicitia*: *quare centum oues; & quid vtique decem drachmæ? Necesse erat, qui vnius peccatoris salutem gratissimam Deo volebat exprimere, aliquam numeri quantitatem nominaret; de quo vnum quid perijsse describeret*. Dic ergo ex hac similitudine sensibili vtique excitari nos ad non negligendum; immo ad solicitè curandum de errante pusillo, quando terrenorum zelus passim compertus in hominibus eos anxios reddit. Sequitur autem; *sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis*. Istud crediderim dicit per figuram litotes: ad designandum fore Deo Patri gratissimam ouis vnius reuocationem, vtpote cuius salutem tam vehementi zelatur amore: vt quasi ineffabilis, consultò oratione tenui ad innuendam emphasin exprimatur. Hinc quod supra dictum est; *vnicuique mandauit illis Deus de proximo suo*: etenim *in idipsum pro inuicem* debent esse *membra*; 1. Cor. 12. vt in Syntaxi magis elucesceret. Et hoc ingentis est meriti *ante Patrem*, iuxta illud Iacobi 5. *fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate* (sic in Matthæo, *& errauerit vna ex eis*) *& conuerterit quis eum; scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*; vnde ait Chrysostomus, *vna anima recuperata, poterunt mille peccata deleri*. Ideo interserit Dominus; *gaudet super eam magis, quam supra nonaginta nouem*, &c. Quod quidem nedum ad gaudium cordis hac in vita consecutum referri velim; quo pacto aiebat Apostolus 2. Cor. 7. *nunc gaudeo, quia contristati estis ad pœnitentiam*; sed ad gaudium cœlestis præmij longè maius; de quo Ioan. 16. *tristitia vestra vertetur in gaudium & gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemò tollet à vobis*. In cuius futuri gaudij signum & certitudinem hic non simpliciter ait *gaudet*, vt Lucæ 15. *imponit in humeros gaudens*, sed addit firmæ pollicitationis verbum dicendo; *Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis*: sicut & Ioannis 16. de æterno illo gaudio locuturus præmisit, *Amen amen dico vobis*. Gaudere autem dicitur in præsenti; vel quia in hac vita incipit participari æternum gaudium, à quærentibus errantes oues; vel quia *spe* illud habent, etsi *re* nondum: vel denique ad innuendum, certam propemodum esse illorum in cœlesti Patria retributionem. Quod quidem sic prælibari fuit expediens, vt intuitu præmij alacriùs feruentiusque quisque in errantis ouis salutem, conatu omni, improbo veluti studio, nedum contemptus aut neglectus, sed fatigationis nescius, insisteret ac insudaret.

VERS. XV. *Si autem peccauerit in te frater tuus: vade & corripe eum.*

Vltra pergit Dominus. Nedum si errauerit ouis 16.
in alium peccans, sed & si in nos peccauerit; quærenda est: modusque vna simul præscribitur. (Leuitici 19. *publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Vbi Septuaginta; *correptione corripies proximum tuum*. Nihil de arte lucrandi præceptis traditur.) Lucrum hic illius intendendum nobis decernit. Nimirum, ne quæratur ouis obliquo fine: tunc enim non lucrum eius fit, sed maior perditio. Sic Scribæ & Pharisæi delinquebant, de quibus infra c. 23. *væ vobis hypocritæ; quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum; & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos*: finis enim illorum erat quæstus, vt oblationes augerentur B. Et irrefragabile D. Thomæ signum est non fieri ex charitate, cùm quis salutem propriam non curat: neque enim potest qui talis est, aliorum inhiare saluti; quia quilibet magis se diligit quàm alium. Constat quippe correctionem fraternam C esse actum charitatis imperantis. Et emicat dilectio huiusmodi charitatis ex ipso Domini themate, qui ait; *si peccauerit in te*: cuius quidem sensus geminus esse intelligitur: *in te*, D vel quia tu læsus es; vel quia ad tui notitiam tantummodo peccatum venit. In his quippe casibus constat ibidem præ oculis haberi proximi famam, dum secretò corrigendus est, quod charitas præcipit; itemque donari offensam, immo reparationem intendi; quod charitatis est. Augustinus de verbis Domini; *si solus nosti, quia aliquis peccauit in te; & eum vis coram hominibus arguere, non es corrector, sed proditor*. Huc trahit Angelicus E tropologicè factum Domini, qui Matthæi 9. puellam suscitauit intra domum: E per quod, occultum peccatum intelligitur. Vnde & tunc eiecit turbam. Vt autem innuimus, quanquam minimè in nos peccauerint fratres, hoc est, nos non læserint, tenemur eis succurrere charitate: quia & ex Philosopho 9. Ethicorum, tanto magis debet homo ferre auxilium amico ad vitandum peccata, F nedum ad vitandum damnum pecuniæ, quanto virtus affinior est amicitiæ. Nota ly *frater tuus*: nam talis hic dicitur propter fidei vnitatem: non autem est verè frater ob charitatis defectum, qui est in peccato mortali. Ideo ab Apostolo dictum est; *si is qui frater nominatur*. 1. Cor. 5. l. 3.

B Matthæi 11.

C 2. 2. 33. 1.

D ibi a. 7.

E 1. Tim. 5. l. 3.

F 4. sent. 19. 2. 1. de virtutib. q. 3. a. 1.

Quoniam autem proximus noster peccando, qua- 17.
drupliei esse potest in statu; vel sic vt peccatum sit iam iam perpetraturus: vel sic, vt illud perpetrarit: deinde post perpetratum; vel sic, vt ad illud ipsum conseruet adhuc voluntas affectum & adhæsionem; vel sic, vt cessarint absolutè ad illud adhæsio & affectus. Qui sic exuit affectum ad commissum peccatum, reus est vtique adhuc coram Deo, nisi verè conteratur; sed dici potest transijsse *actu* peccatum, quamuis non *reatu*. Dicendum est ergo de quarto statu, nobis non præcipi correctionem; quia nec actu peccat, nec est in periculo aliquo peccandi: quamuis laudabile meritoriumque sit admonere ac hortari, vt ad pœnitendum confugiat: & in hoc sensu intelligendum videtur illud Ecclesiastici 19. *corripe proximum, ne fortè iteret*. Verùm addendum cum Suarez 3. p. q. 90. a. 4. sect. 5. instare præceptum correptionis, etiam quoad istum, quando vitanda occurreret impœnitentia, puta Paschatis tempore; vel periculum vitæ, subindeque mortis æternæ. Et demptis his etiam casibus, addo teneri ad correptionem, quando fratri sic nondum iustificato, possent casus repente occurrere ad peccandum; nam in repentinis homo operatur secundùm habitum præexistentem, vt etiam ex Philosopho, docet G Angelicus: nam facilè est ac periculosum relabi ratione volun-

G p. 2. 109. 8.

tatis

ratis deordinatæ. Et nihilominus hoc quod dixi presse accipiatur in casu repentino imminenti; nam tunc admonitione excitatur attentio peccatoris, vt possit deliberare amplius ante consensum. Aliàs cum singula mortalia, quamuis nondum iustificatus possit per liberum arbitrium Deo commissum vitare, non videmur teneri correptione, sub mortali ad reuocandum fratrem, sic solum reatu peccatorem, ad pœnitendum; quia aliàs multo magis teneretur ipse mox pœnitere: quod tamen simpliciter definire non visum est Diuo Thomæ, H *nisi ad hoc speciali aliqua ex causa teneatur*: quod diximus.

H de verit. q. 24. a. 12. ad 17.

18. Quoad tertiò positum statum, vbi peccator habeat post patratum peccatum adhuc affectum, & adhæsionem (actualem loquor) ad ipsum; peccat continuato actu cuiusdam complacentiæ ac obstinationis, & impœnitentiæ. Quare sicut in quarto statu, peccatum dicebatur transactum aut præteritum, vt doctè animaduertit Magister Ioannes à Sancto Thoma, in libello suo aureo, *de praxi & methodo adiuuandi moribundos* c. 6. ita è contra in tertio statu adhuc peccatum actu est; ideoque hac de causa instat correptionis simpliciter præceptum, si forte lucremur, dum audiat, fratrem nostrum. Verum cum huiusmodi peccati continuatio nobis possit innotescere, vel ex actus externi mali indesinentia, vel quia tantummodo conscientiam suam detexerit nobis frater: si secundo hoc modo acciderit, corripere quidem tenebimur ad lucrandum; sed non remanebit vlterius procedendum, aut testes adhibendo aut dicendo Ecclesiæ: saperet enim magis internum quid, quàm externum, proinde Ecclesiæ non subiectum, quæ iudicat de exterioribus. Si exteriùs innotescat perseuerare in peccato, viget correptionis ordo.

19. Quoad statum secundum ferme nihil addi oporteret, quoniam post patratum peccatum plerunque deuenit peccator ad tertium statum, vt adhuc inhæreat affectu; vel vt exuat affectum ad illud, estque quarto in statu. Nihilominus quia post perpetrationem peccati vnius, puta post periurium, (quamuis qui falsò iurauit, affectum ad tale peccatum non habeat) fortè vel passione ductus periurabit iterum, ideo tunc directè correptionis consurgit obligatio: quæ proinde vrget similiter, vbi periurandi sit habitus. Et sic admonitione primò erit corripiendus tunc frater, qui in te peccauit. Cuius quidem correptionis exemplar habemus Ecclesiastici 23. *iurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur, sic omnis iurans & nominans in toto à peccato non purgabitur. Vir multùm iurans implebitur iniquitate; & non discedet à domo illius plaga. Et si frustrauerit, delictum ipsius super ipsum erit: & si dissimulauerit, delinquit dupliciter; & si in vanum iurauerit, non iustificabitur: replebitur enim retributione domus illius*. I Angelicus distinguit nobiscum de peccato perpetrato, & perpetrando. In perpetrando, (ecce primum statum) est operam dare, vt non fiat; at non oportet seruari ordinem correptionis. Dic tu certè non posse ad Ecclesiam deferri, nec adhiberi testes. Sed tamen quia non prohibens Dei offensam, & non impediens cum possit, Deum non diligit omnibus viribus suis, desiderata fortitudine sua, vique irascibili qua propulsantur contraria, peccat si omittat; Roman. 1. *digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. In lege*, inquit Hieronymus (*lib. 1. Comm. in Cap. 1. Matthæi*) *præceptum est; non solum reos, sed & conscios criminum obnoxios esse peccati*. Actor. 5. non perperam animaduertitur; *Ananias cum vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua*: glossa 23. q. 3. c. *qui potest*, habet; *qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit; nihil est aliud, quàm fauere impietati; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare*. Hæc optime quadrant peccato etiam perpetrando. Quod si perpetratum sit; iam tunc, prout diximus, instat correptionis præceptum. Ecclesiastic. 4. *ne reuerearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis*. Deuteronomij 22. *si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicies sed subleuabis cum eo*. Diuus Bernardus; *cadit asina, & est qui subleuet; perit anima, & non est qui curet*. Et Augustinus: *sunt ne viscera christianæ charitatis in te, qui plangis corpus à quo recessit anima, & non plangis animam, à qua recessit Deus?* Idem in serm. de tempore Barbarico tomo 9. *Audis blasphemantes & patienter fers Christiane quod Rex Nabuchodonosor alienus non potuit sustinere dicens; qui dixerit blasphemiam in Deum Sidrach Misach & Abdenago, in interitum erit: Vides frequentare spectacula & non reuocas; vides luxuriantes, & non verberas. Tota hoc Ciuitas fecit, quæ tota consentit. A se ipso omnis homo in anima intus occiditur, videndo, consentiendo, non prohibendo: omnes remansimus rei*. Hinc Prouerb. 10. *qui autem increpationes relinquit, errat: via vitæ* (quod prius dixit) *custodienti disciplinam*. Nec retardare debet ab huiusmodi tantæ charitatis opere, quod si *sapiens corde præcepta suscipit*, (ibidem) *stultus cæditur labijs*: quoniam Prouerb. 28. *qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit*. Et c. 27. *melior est manifesta correptio; quàm amor absconditus; & meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*.

I D. Th. hic.

Cæterum vitari potest, nec difficilè, fratris qui debet corripi exacerbatio, si eo modo fiat correptio, quo Apostolus monet ad Gal. 6. *huiusmodi*, inquit, *instruite in spiritu lenitatis*; & 2. ad Timot. 2. *seniorem te ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem*. Summa quippe dexteritate agendum est, vbi non auctoritatis metu, sed charitatis motu capiendus est proximus. Marci 9. ad illa Domini verba; *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*, fertur Hieronymus; *vt salsedinem correptionis amor proximi temperet; & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat*. Quocirca & de Prælatis sic fraternè suos interdum subditos corripientibus inquit; L *consuetudo boni Pastoris in correptione subditorum est, asperis dulcia miscere; ne scilicet ex nimia seueritate frangantur*. Lucæ 10. de Samaritano legitur, quod in curatione sauciati, *infudit vinum & oleum*. Vlterius præ oculis habendæ sunt circumstantiæ temporis loci & personæ; non enim infirmi omnes vno modo curantur. Contueatur vnusquisque prudentissimam Prophetæ Nathan solertiam, qua studuit Deo dirigente 2. Regum 12. rapere Dauid; exemplo illo ouiculæ viri pauperis, quo prius Regem de æquitate conuicit, flectendum mox, edisserta parabola ad pœnitentiam. Hæc profectò via est securior; vbi corripiendus vel non omnino nouit, vel non perpendit culpæ suæ grauitatem, hinc vel hinc occupari obijcereque vnde emicet; tunc enim vix potest voluntas reluctari, quando ratio acquieuit. Non ergo semper conceptis primo in limine verbis fratres sunt corripiendi, sed circui quodam vel similitudinis vel Ethopœiæ vallandi, vt sic vel vno pede, in honestatis decoris que & iustitiæ compedem quasi subdolè tracto, nequeant expanso rete, resilire. Docuit hoc & Philosophus Ethicorum 10. posse scilicet, qui discessit à via rectitudinis, reduci per timorem turpis aut odium ipsius: vt cum quis turpitudinem peccati abo- 20.

L Gal. 4. l. 5.

M 4.sent. 19.q. 2.2. 1.

abominatur, & confusionem exinde consequentem, resipiscat. Et modus iste propriè M dicitur correptio; ea enim rapi dicuntur, quæ subito auferuntur. Vnde etiam syllaba corripi dicitur, quæ raptim & quasi subitò pronunciatur: cum correctio quandam potius inuoluat violentiam, quasi vsque ad rectitudinem perducens vel pœnis, vel minis pœnarum. Errant ergo qui apertè illico proximum arguunt, nisi dispositum viderint: debemus enim, aio ipse, quasi quibusdam insidijs amanter lucrari. Et reuera signanter dixit Dominus *corripe*, non autem *corrige*: adiecitque, *lucratus eris fratrem tuum*: vt, quemadmodum qui ludit, quo colludentem vincat, nullam omittit artem, studium nullum; sic & nos in corripiendo ac ad rapiendum industrij simus: liceatque sanctè vsurpari prouerbium & hic; *amor versutias docet*. Importunè igitur nunquam, nisi opportunè: nam Prouerb. 9. dicitur, *noli arguere derisorem, ne oderit te*. Vbi glossa; *non timendum, ne tibi derisor cùm arguitur contumelias inferat; sed hoc potiùs prouidendum, ne tractus ad odium, peior fiat*.

21. N De virtutibus q. 3.a.1.

Tandem ad hæc Diuus Thomas: N præcepto affirmatiuo præcipitur actus virtutis, ad cuius rectitudinem multæ circunstantiæ concurrunt, quia bonum consurgit ex vna & tota causa, sicut Dionysius dicit 4. cap. *de diuinis nominibus*. Vnde illud quod cadit sub præcepto affirmatiuo, non est pro omni tempore, & quolibet modo obseruandum; sed seruatis debitis conditionibus & personarum & locorum, & causarum & temporum. Et sic correptio fraterna cadit sub præcepto secundùm debitas circunstantias; secundum quod est actus virtutis. Has autem circunstantias determinare sermone non est possibile; eoquòd earum iudicium in singularibus consistit, & pertinet ad prudentiam; vel experimento & tempore acquisitam, vel magis, infusam; secundùm illud 1. Ioann. 3. *vnctio docebit vos de omnibus*. Dic tu; cùm de re tam graui agatur, nimirum de salute proximi, non esse posthabendum quodcumque studium, nec perfunctoriè causam examinandam, instar Sacerdotis illius, qui viso saucio plagato ac semiuiuo, *præteriuit*: sicut & Leuita *pertransijt*: Lucæ 10. ò *crudelitatem*! Potius ergo, vt accuratè circunspectè tempestiuè lucrum salutis fiat, euigilandum; ne factis, quanquam non verbis impiè dicamus; *nunquid custos fratris mei sum ego?* Immo custos: vnde Samaritanus qui custos interpretatur, *alligauit vulnera eius, & curam eius egit. Vade & tu fac similiter*. Et ecce & in Luca ly *vade*, quod & in præsenti extat apud Matthæum; *vade & corripe eum*: quo eundum, si ad enarrationem, iam prope erat, *si peccauerit*, inquit, *in te?* Ad literam fieri vtique potest, vt tu veluti in faciem lædaris à fratre tuo; sed etiam vt absens fortuito noueris ipsius lapsus. Verùm morali sensu, quantumuis præsens offensus fueris, tibi indictum est; *vade*; vel in quantùm vt ait Augustinus, *non mouetur anima pedibus sed affectibus: pes meus amor meus; eò feror quocumque feror*; vel etiam quia non illico, nisi inspirante specialiter Domino, cum adhuc exardet, tentanda est fratris curatio; sed quasi absentes essemus, prudenti mora, vtique pro circunstantijs pensandis, sistendum: medicari enim concocta oportet; vt prosit infirmo. Sequitur autem, *inter te & ipsum solum*: eo quòd, vt ait Augustinus de verbis Domini: *si solus nosti, quia aliquis peccauerit in te, & eum vis coram hominibus arguere, non es corrector sed proditor*.

VERS. XVI. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos*; &c.

22. Sapiens medicus à remedijs incipit lenioribus. Quoniam verò Aphorismus est; *applicata iuuant, continuata sanant*: ne credat quis semel admonito fratre, nec emendatione secuta, procedendum statim vlterius: debet enim bis ter aut etiam pluries, quandius spes probabiliter habetur de ipsius correctione, admoneri & corripi. Chrysostomus relatus in Catena Lucæ 22. *non autem discedendum est à fratrum admonitione, quanquam nihil propter nostra verba eueniat; nam & riuuli etsi nullus hauriat, fluunt: & si forsan non persuaseris hodie, poteris forsan cras. Piscator enim per totam diem vacua trahens retia, circa sero piscem capit*. Ex quo autem probabiliter iam cognoscere possumus, quòd secreta admonitio non valet, (hoc est non audiri) ad fortiora ad validiora, post habito formæ dispendio, recurrendum. Conscientia quippe famæ est præferenda; quia testimonium conscientiæ est in conspectu Dei, famæ autem testimonium pertinet ad officium humanum. Hic resiliere quidam dicentes, si peccatum omnino sit occultum, neque correctio profuerit, nihil vltra agendum. Quod autem adiecit Dominus de adhibendo vno vel altero, intelligendum esse quando peccatum occultum, iam incipit indicijs ad plurium notitiam peruenire. Hos non probat Angelicus: nam saluti præponunt famam: cuius quidem zelator est ipse Dominus, mediam viam statuens, priusquam titulo desperatæ nondum emendationis deferatur Ecclesiæ: à qua & corripiendus, & corrigendus ius famæ amittit. Præterquam dici potest minimè de tali iactura famæ curandum, quando qui Dominus est vitæ & mortis sic præcipit. Est enim Eccles. 4. *confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam*. Sic Dominus ipse, (Hebr. 12.) *sustinuit crucem confusione contempta*. Itaque fas est post infructuosam secretiorem admirationem, paucis qui possint prodesse, fratris peccatum indicari: hoc præcipit Dominus. Nihilominus in eo quod ait *adhibe*, insinuare videtur, si qui sunt scientes, eos esse adhibendos, si vel eos tecum audiat; non autem nescientibus reuelandum. Attamen cautè nimis incedendum est, ne forte exinde irascens deterior fieret: quia vbi hoc timeatur, totaliter est potiùs à correptione cessandum: finis enim est emendatio, non ruina. Fortè enim præ verecundia incipiet defendere peccatum suum, & quem vis facere meliorem, facis peiorem. Hinc Augustinus; *corripe eum inter te & ipsum solum*, inquit, *studens correctionem parcens pudori*. Immo hac de causa dicit in Regula: *prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi: ne fortè possit secretius correctus non innotescere cæteris*. Prælatus secundùm quod est singularis persona, prodesse potest magis quàm alij: dic; priuatim corripiendo; nondum in forma Ecclesiæ corrigendo. Animaduerto tamen hoc siluisse Dominum; fortè ne si dixisset, indica peccatum Prælato, confusa esset intelligentia, cum post præcepturus esset; *dic Ecclesiæ?* sed quis scit? dum ait *adhibe vnum*, deinde *vel duos*; quis scit inquam noluerit eo in *vno* comprehendere singularem Prælati personam, quæ, prius quàm indicetur duobus vel tribus, possit fratrem lucrari? Quæri solet, quorsum adhuc sit duorum inductio? Et responsio est; propter tria; vel ad ostendendum, quòd hoc sit peccatum, de quo aliquis arguitur, vt Hieronymus dicit; vel ad conuincendum de actu, si actus iteretur, vt ait Augustinus in Regula; vel ad testificandum, quòd frater admonens fecit quod in se fuit, vt Chrysostomus dicit.

VERS. XVII. *Quòd non si audierit eos, dic Ecclesiæ*.

Ecclesiæ; idest Prælato, sicut in loco iudicij residenti. 23. Quocirca Augustinus; *longe grauiorem habent pœnam Ecclesiarum Præpositi, qui in Ecclesijs constituti sunt, non vt parcant obiurgando peccata: quia ad eos pertinet non solùm charitatiua correctio sed coactiua*. Igitur postquam conati sumus fratrem emen-

emendare, vel ſecretis admonitionibus, vel conſcio-
rum, vnius ſeu duorum ope, & fruſtramur fructu:
delato Eccleſiæ delicto, quamuis durè agatur, ipſius
proſpicere ſaluti neceſſe eſt. Et quoniam præmiſit
Dominus; *vt in ore duorum vel trium teſtium, ſtet
omne verbum*; conſtat præcipere, vt in forma iudicij
in eum procedatur. Et tunc Prælatus ſeruato iuris
ordine tenetur ipſum punire: vt etiam contemnen-
tem, à peccato ſi fieri poteſt, liberet; ſicut Medicus
furioſum ſtudet ſanare ligando & verberando. Quod
ipſum 2.6.q.33.2.2. ad 1. docet dicens; medicus qui-
dem coactione vtitur in phreneticum, qui curam
eius recipere non vult. Et huic aſſimilatur correctio
Prælatorum, quæ habet vim coactiuam. Quæ hucuſ-
que à verſu 16. diximus fermè delibata ſunt ab Ange-
O 2.2.33. 6.7.&8 & de virtutibus q.3.a.1. & 2. & hic. — lico, O qui vberiùs hæc omnia verſat.
Cùm autem per huiuſmodi fratris peccantis dela-
tionem ad Prælatum, fiat quis actor in reum, ex quo
adſunt teſtes; poſſet minùs prudens exiſtimare, non
teneri, quoniam ad accuſandum de delictis quibusli-
24. bet non tenemur, vt patet P. Verùm attentè conſi-
P 2.2.68. 1. — derandum eſt, non præcipi accuſationem, ſed de-
nunciationem: vnde ait *dic Eccleſiæ*, non arctans
ſcripto deponi, ſed tantùm referri. Accuſatio autem
Q ibi a.2. — de iure Q ſcripto fit. Ratio autem, ex qua com-
prehenditur procedi in huiuſmodi peccatis, denun-
ciatione, præhabito ex fine claret: qui alius non eſt
niſi emendatio peccantis; non verò punitio. Nam
R ibi a.1. & q.33.a.6. — & in vniuerſum, pœnæ R præſentis vitæ non per ſe
expetuntur, quia non eſt hic vltimum retributionis
tempus, ſed in quantùm ſunt medicinales. Finis
autem huiuſmodi, nimirum emendatio, ſicut fuit
ab initio à corripiente intentus, ita perſeuerat. Non
ſic tamen intelligendum eſt, vt intenta nudè emen-
datione à Prælato, coactioni per inflictas pœnas par-
catur: nam & in eiſdem infligendis pœnis ſic ince-
ditur, vt emendatio præ oculis habeatur. Quod in
accuſatione non per ſe penditur; in qua potius bo-
num Reipublicæ intentum eſt: cui expedit vt malefi-
S 2.2.67. 4.3. & q.68.1. — cia puniantur, ad hoc quòd peccata S vitentur: ſi-
cut Deuteronomij 13. poſt pœnam ſeductoris ſubdi-
tur: *vt omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam
vltra faciat quippiam huius rei ſimile*. Iuſtum eſt
T 2.2.33. 7. & 3.p. 69.2.3. & 4.ſent.19. q.1.a.3. ad 2. — enim homines T ædificari de pœna, ſicut ſunt ſcan-
dalizati de culpa. Hinc non mihi diſſonum videre-
tur, ſi Prælatus hac via denunciationis recipiens pec-
cata ſubditi, primò ſolis minis terreret; (ſicuti cùm
corripit frater,) adhibendo teſtes: Immò & ipſe pri-
mo corriperet; Eccl. 19. *corripe proximum antequam
commineris*: deinde, eo non emendato, mitiùs pu-
niendo ageret: deniq; grauiores pœnas infligeret. Vn-
de ait Angelicus de huiuſmodi correctione; *tum quia
ſi propria ſponte emendari non velit, cogendus eſt
per pœnas, vt peccare deſiſtat*. Quamuis enim ſit
incorrigibilis, per hoc prouidetur bono communi;
dum ſeruatur ordo iuſtitiæ, & vnius exemplo, alij
deterrentur. *Peſtilente* quippe *flagellato* Prouerb.
V opuſc. 41. lib. 1. c.5. — 19. *ſtultus ſapiens efficitur*. Vnde V & leoni timor
incutitur, flagellato coram eo cane. Caueant ergo
Prælati: nam ait Iſidorus; *Sacerdotes populorum ini-
quitate damnantur; ſi eos aut ignorantes non eru-
diant, aut peccantes non arguant*: 3. Regum 20. *quia
dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit
anima tua pro anima eius*. *Heli Sacerdos*, ait gloſ-
X Apoc. 2. com. 1. — ſa, X *bonus fuit, & tamen damnatus eſt, quia fi-
lios corrigere noluit*. Nec enim ſatis fuit eos verbis
commonuiſſe; quod quidem non frigidè fecit dicens;
*quare facitis res huiuſmodi, quas ego audio, res peſ-
ſimas, ab omni populo?* (1. Regum 2.) *Nolite filij
mei; non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt
tranſgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit
vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Do-
minum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Priuata
correptione fortiùs nequiuit admonere: ſed ad
ipſum, qui ſummus Sacerdos erat, pertinebat etiam
correctio coactiua; quæ vt inquit A eſt actus iuſti- A 2.2.q.33.a.3.
tiæ, per quam intenditur bonum commune: quod
non ſolùm procuratur per admonitionem fratris, ſed
etiam interdum per punitionem; vt alij à peccato ti-
mentes deſiſtant. Prælati quippe non ſolùm habent
admonere, ſed etiam corrigere puniendo. Hinc Do-
minus ibi c.3. *prædixi ei*, inquit de Heli, *quòd iudi-
caturus eſſem domum eius in æternum; eoquòd noue-
rat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos*.
Quaſi nihili æſtimanda ſit linguæ increpatio, vbi ma-
nus flagello etiam non corrigit. Ideo cap. 4. horri-
biliter *cadens de ſella retrorſum, fractis ceruicibus
mortuus eſt. Sed & filij eius Ophni & Phinees in
pugna mortui ſunt*: eoquòd, vt ſupra c. 2. *non audie-
runt vocem Patris ſui*: iuxta illud Prouerb. 15. *qui
increpationes odit, morietur*. Sequitur.

VERSV eodem 17. *Si autem Eccleſiam non au-
dierit; ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*.

Ethnicus eſt, vt ait Auguſtinus, *gentilis & paga-* 25.
nus. Publicani ex Hieronymo, *qui ſæculi ſectantur
lucra & exigunt vectigalia, per negociationes &
fraudes, ac furta ſcelerata atque periuria*. Et Chry-
ſoſtomus, hom. 31. in Matthæum; *publicanorum
autem ſtudia & exercitatio impudentiæ ac crudeli-
tatis plena ſunt: quæſtus nota illiberalis, turpis
quædam mercatura, immo rapina lege ſæculari con-
ceſſa*. Difficultas autem inſurgit de genuina verio-
ri verbi Domini intelligentia: quomodo ad praxin
deducendum ly habeatur, ſeu potiùs *ſit tibi tan-
quam Ethnicus & publicanus*. Diuus Auguſtinus
de verb. Domini, non ideo contemnendum docuit;
nam & Ethnicorum ſalutem ſemper inquirimus.
Certè hoc palam monuit Apoſtolus ad Coloſſ. 4. di-
cens; *in ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt*;
& Diuus Petrus in ſua prima c.2. *conuerſationem ve-
ſtram inter Gentes, habentes bonam*, &c. *vt glorifi-
cent Deum in die viſitationis*. Hinc Origenes ad
rem: *vtrum omnino pereat, pronunciare non poſſu-
mus; quia qui ter argutus non obediuit, poteſt in
quarto obedire*: ideoque ſubiungit, abſtinendum eſ-
ſe ſic ab incorrecto, *vt confundatur*: & Auguſtinus,
non eſſe habendum *in numero fratrum; nec tamen
ſalutem eius negligendam*. Immo hoc ipſum, quod
eſt haberi tanquam Ethnicum & publicanum, cum
poſſit eſſe in ipſius vexationem, reuocabit: nam
Iſaiæ 28. *& tantummodo ſola vexatio dabit intelle-
ctum auditui*. Hinc Auguſtinus hom. 4. in lib. 50.
homiliarum; tomo 10. *ſi nulla coercentis cenſuræ
increpatione tenueris, pernicioſa erit ei hæc bonitas
tua, qua permittis perire peccantem, quem poteras
ſaluare correctum*. Immo infideles etiam & publica-
ni, & ipſi, quia non deſperandi, corripiendi ſunt:
nulli enim inquit Angelicus B *quamdiu viuit hic,* B 2.2.8.7.3.
ſubtrahendum eſt correptionis; ſeu etiam quod ait
*correctionis beneficium; ſicut nulli eſt denegandum
orationis ſuffragium*. Quare quamuis correctio, vt ibi-
dem dicit, qua fratres corrigimus, effectum habeat in
prædeſtinatis, non in reprobatis, ſecundùm illud Ec-
cleſ. 7. *conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrige-
re, quem ille deſpexerit*: nihilominus, quia *non poſ-
ſumus*, vt inquit Auguſtinus, *prædeſtinatos diſtin-
guere à reprobatis*, dixit optimè nunquam ſimplici-
ter correptionem eſſe omittendam. Quod ergo ha-
bet Dominus, *ſit tibi tanquam Ethnicus & publica-
nus*, etſi excommunicationem eius prætendat, vide-
tur mihi interpretandum iuxta Angelici Præceptoris
doctrinam, quæ huiuſmodi eſt. Conſiderandum in-
quit, C vtrum emendatio peccantis expectari proba- C 4.ſent.19.2.a.3. ad 2.
biliter poſſit, aut non. Quod quidem facilè aduerti
poterit, ſi conſideretur, vtrum aliquis ex electione vel
paſſione peccauit; ſiue ex malitia, vel infirmitate: quod
idem

idem est. Quod quidem perpẽdi potest ex conditione peccantis, & iteratione actus. Quia si aliquis frequenter, & quasi improhibitè sine fræno, in aliquod peccatum lapsus est; signum est, quòd ex malitia vel electione peccat, & non facilè emendetur. Si autem semel occasione peccandi oblata, in peccatum ruit; & postea tristitiam & verecundiam de peccato ostenderit; signum est, quòd sit peccatum ex passione vel ex infirmitate, & quòd de facili emendetur. Dic ergo ex hac doctrina, *sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus*; cuius vix per admonitionem speratur correctio. Ideo ait, *tibi*: ac si diceret, eximeris, considerato quòd iste Ecclesiæ etiam surdescit, ab vlteriori secundum præsentem statum correptione. Vtpote quia nullus erit fructus, quando Ecclesiam non audit. Nam correptio, vt ibidem, D fraterna, lenis consueuit esse; quia non ex auctoritate officij, sed ex charitatis affectu exhibetur. Vbi Prælati vis coactiua non profuit, quid tibi sperandum? Quærendum esset an ex timore, (vtique graui) vel ob cupiditatem temporalium, possit correptio sine mortali prætermitti? de quo Angelicus in 2. 2. Et breui dico, absolutè teneri nos sub mortali, futura temporalia posthabere. Cupiditas autem & timor ad futura feruntur, quæ possunt inanes esse passiones, multis de causis: vnde non excusamur à correptione, cum spe lucri, siue, vt ait D. Thom. in ea q. 33. a. 2. ad 3. quando aliquis præsumit probabiliter de aliquo delinquente, quòd posset eum à peccato retrahere; & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit. Quando autem timor & cupiditas tardiorem faciunt, ad corripienda delicta fratris, omissio huiusmodi est peccatum veniale, vt ibidem sentit Diuus Thomas; qui mox exponit tarditatem hanc de negligentia. Et si instes, quia negligere lucrum fratris etiam videtur mortale: respondeo, non tam arctè teneri nos ad lucrum fratris, vt mox & incunctanter, (vbi ad summum probabiliter lucrum præsumimus) obligatio insurgat posthabendi cupiditatem & timorem: grauius enim est omittere, quàm negligere: grauius omittere simpliciter, quàm omittere ad tempus neglectu quodam, dum timor & cupiditas retardant. Si nedum probabiliter præsumeretur, sed constaret de lucro, ex Diuo Thoma esset neglectus & tarditas mortalis. Moderni ex graui incommodo simpliciter excusant. An rectè? nescio. Si autem nec timor nec cupiditas adsit, scilicet timor mali, & cupiditas boni, videtur teneri quisque ad correptionem; quamuis non præsumat probabiliter lucrum, sed sit tantùm dubius. Cur enim sine vllo discrimine, proximi lucrum non tentet? Prælati videntur teneri cum graui etiam incommodo, quamuis non præsumant probabiliter, sed solùm dubij sint de fructu. Denique nulli quandiu viuit hic subtrahendum est correctionis beneficium, vt dictum est. Quod intelligo *simpliciter*: sicut nulli denegandum orationis suffragium.

D ibi, ad tertiam 2. 2. 33. 2. 1.

VERS. XVIII. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo.*

26. Tametsi *tibi* non vltra sit insudandum, non ita desistendum Ecclesiæ. Quæ immo vbi occurrat, gladio vti debet excommunicationis, quæ separet contumaces à fidelibus: quæque, vt ait Sacrum Tridentinum sessione 24. cap. 3. *neruus est Ecclesiasticæ disciplinæ*. Et quia neruus etiam vinculi quoddam genus est, Iob 13. & 33. *in neruo pedes meos*: ecce de alligatione dici, *quæcumque ligaueritis*: iuxta quod & excommunicatus absoluitur *à vinculo excommunicationis*. Est certè, vt ibidem Concilium, excommunicatio *ad continendos in officio populos, valdè salutaris. Sobriè tamen, magnaque circumspectione exerendus est* huiusmodi *gladius*. Nam pro sola E contumacia debet homo excommunicari. Ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali; F nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium; vel ante terminationem iudicij sine licentia recedendo; vel determinationi non parendo: tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur; & excommunicari debet à Iudice iam non habente, quid contra ipsum faciat amplius. Et huic alligationi præludit, vt dixi, illud *sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*; nam G Ethnici extra Ecclesiam sunt. In hisce contextibus agnoscitur excommunicandi facultas penes Ecclesiam. Et ideo, videtur mihi dixisse *alligaueritis* composito verbo, non verò *ligaueritis* vt supra verbo simplici dixerat Petro cap. 16. *quodcumque ligaueris super terram*: quia hìc directè de vinculo censurarum, quæ ad aliquid agendum, vel non agendum ligant, comminatoriæ: latæque sic ligant, vt in foro exteriori sint extra Ecclesiam. Et doctrinam huiusmodi quoad arcendos per vinculum excommunicationis contumaces ceu incorrigibiles tradit ad Titum 3. cap. Apostolus: *hæreticum*, inquit, *post vnam & secundam correctionem deuita*. Sic enim fit in Ecclesia H in excommunicationibus. In tertia quippe, seu præmissa tertia canonica admonitione, consueuerunt excommunicari, nisi resipiscant *ipso facto*. Fortè quoque crediderim ibi ait, *post vnam & secundam correctionem*, fraternæ correptionis non immemor, *inter te* scilicet *& ipsum solum*, deinde adhibitis testibus: post has enim sine fructu, sequitur *deuita, sciens quia subuersus est*. Quanquam si hæreticus talis sit, vt priuatim homines auertat à fide; 2. ad Timoth. 2. *sermo eorum vt cancer serpit*, vix locum habere possit fraterna correptio; quia inquit Angelicus, non solum I *in te* peccat, sed etiam *in alios*: vnde oportet statim procedere ad denunciationem. Idcirco nouissimè per Summi Pontificis præceptum declaratum est, teneri mox hæreticum denunciare. Quod si velimus accipere quod ait ad Titum de fraterna correptione vna & secunda, dicendum est tunc ita laudatum fuisse; quia nondum plene edissertis rebus fidei, poterat quis facilè sine contumacia errare. Nunc autem iam examinatis accuratissimè quæ sunt fidei, ac promulgatis, quisquis pro suo arbitratu suoque consilio, eligit hoc vel illud ceu sibi visum, illico deprehenditur contumax, atque adeo denunciandus. Sic Angelicus 1. Corinth. 7. l. 3. docet Iudæam conuersam debere dimittere virum Iudæum cohabitare volentem: nec est contra Apostolum dicentem, *non dimittat virum*: quia tempore primitiuæ Ecclesiæ spes erat conuersionis viri; nunc autem potiùs est periculum subuersionis propter obstinationem infidelium. Et ita ibi ex glossa. Vnde quod dedit Apostolus *post vnam & secundam correctionem*; si de fraterna intelligatur, supererogationis est: quādo is frater non est, vt diximus sed *nominatur*, vt 1. Cor. 5. inquit idem Apostolus. Gentiles etiam, qui ob defectus fidei fratres non sunt, illico indispensabiliter sunt sistendi Ecclesiæ, cui reconciliantur; & propterea in ipsis, qui fratres non sunt, correptionis fraternæ deficit methodus, qua quisque potest priuatim fratrem lucrari. Cohabitare autem cum viro infideli in primitiua Ecclesia consilium erat mulieri fideli, non præceptum: vt ait 1. Cor. 7. l. 2.

E D.Th. hic.

F 4 sent. 18. q. 2. a. 1. ad 3.

G ibi quæstiun. 2. in sed contra.

H Titi 3. l. 2.

I 2. 2. q. 33. a. 7.

VERS. XIX. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*; &c.

Ad efficaciam orationis refert communis expositio Domini verba. Requirit autem huiusmodi consensum, vt insinuet quod ait & Apostolus orandi præcepta tradens; nimirum, *vt sine ira & disceptatione*: pax enim cum proximo I necessaria est orationi. Et ideo aliqui non accipiunt, quia non habent 27.

I 1. ad Timot. 2. l. 2.

L D.Th. hic. M Hebr. 13. l.3. & hic. habent cum proximo L vinculum pacis. Et præterea quia sicut dicit glossa; *impossibile est*, M quod sonat, *difficile est valde*, preces multorum non exaudiri: ideo idem Apostolus ad Hebræos inquit; *orate pro nobis*; & Roman. 15. *obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus Sancti, vt adiuuetis me in orationibus vestris*; & 2. Corinth. 1. *adiuuantibus vobis in oratione pro nobis, vt ex multarum personis facierum; &c. gratiæ agantur pro nobis*. Quod ibi interpretatur Angelicus dicens; N per diuersas facies intelliguntur diuersæ virtutes orantium, vt facies vnius dicatur illa virtus, in qua præeminet, sicut facies Iob patientia, facies Dauid humilitas, &c. Vides lector, quæ causa sit, plurium in vnum orationes exaudiri. Alibi; per dualitatem geminatio perfectionis O seu modorum viuendi, qui sunt actiuus & contemplatiuus; qui enim eiusmodi est, potest certitudinaliter promissa Dei postulare. Arcanus autem est nexus sententiæ huius Dominicæ ad præcedentia. Sed claret, si excommunicatio, de qua mox ante dixerat, consideretur. Concors quippe Doctorum est sensus, excommunicatione priuari hominem nedum participatione Sacramentorum, sed suffragijs quoque & orationibus Ecclesiæ. Vt ergo quantum damni incurrit excommunicatus subostendat, extollit Ecclesiæ orationes, quæ certissimè impetrent. In hoc enim quod ait, *si duo ex vobis consenserint super terram*, satis locum indicat ad conueniendum: idcirco enim determinatus est hic aut illic, vt concursu P multorum ibi orantium, sit magis oratio exaudibilis. Orationes quippe publicas Ecclesiæ, Q intelligit Angelicus hoc contextu. Non tam ergo est miser ille rebellis & contumax, excommunicatus, quàm *traditus Satanæ*, vt ait Apostolus 1. Corinth. 5. scilicet vi eiusdem excommunicationis; per quam aliquis separatur à communione fidelium, R & à participatione Sacramentorum; & priuatur Ecclesiæ suffragijs, quibus homo munitur, contra impugnationem Satanæ: propter quod de Ecclesia dicitur Cant. 6. *terribilis vt castrorum acies ordinata*, scilicet Dæmonibus. Et sequitur *in interitum carnis*: quo scilicet ab Ecclesia separatus, & tentationibus Satanæ expositus liberius ruat in peccatum; secundum illud Apocalypsis vltimo; *qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Habet tamen Ecclesia terrens permissu ruinæ huiusmodi piam sanctamque intentionem: *vt spiritus saluus fiat &c.* vt vel peccatum suorum turpitudinem cognoscens, confundatur, pœniteat; & sic sanetur.

N 2.Cor. 1. l.3.

O Daniel. 9. ad finem.

P 2.2.84. 3. 2.

Q 3. p. 64. 1. 2.

R 1.Cor. 5. l.1.

VERS. XX. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo; ibi sum in medio eorum.*

28. Ne quis excommunicationis ferendæ aut latæ ab Ecclesiæ Prælatis, robur, ipsorumque authoritatem possit detrectare aut eludere, dat firmitatem sententiæ probatiua laudatiuaque sui præsentia. Et ideo vt ait Angelicus, S firmiter hisce ex verbis, tenendum est, quòd ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundùm sapientiam Christi. Porro cùm supra, *dic Ecclesiæ*, interpretati simus, idest Prælatis, quorum certè auctoritas est excommunicandi; cautè & circumspectè monet procedere. Præuisum est, ex Tridentino Sessione 25. *sobriè magnaque circumspectione, gladium excommunicationis esse exerendum; cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari; & perniciem potius parere, quam salutem.* Hoc ergo quod palam monet Concilium tangitque Dominus, ita executioni mandatum scribit Apostolus. *Iudicaui*, inquit, *vt præsens cum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ &c.* Obstupescat admirabundus lector, quomodo iisdem conceptis verbis, quod ait Dominus, qui ab ipso didicerat, reddit. Nam & de *congregatis*, & de Christi *nomine* interserit. Vbi Angelicus, T ostendit modum iudicandi: ea enim quæ grauia sunt, multorum concordi deliberatione punienda sunt: & (ad rem subdit) auctoritate principalis Domini, scilicet Iesu Christi, ex qua iudicium Ecclesiæ habet robur firmitatis. Et ecce lector, & hic legi *in nomine meo*: & mox *ibi sum*; & quasi non satis foret adesse, iungit, *in medio eorum*. Quæ cuncta vlterius, prout mihi videtur, admonent, nedum non esse sine maturo consilio censuram fulminandam: sed congregari debere Prælati consiliarios, syncero salutis animarum zelo; nomen enim ipsius, est nomen salutis: item continua recordatione diuinæ præsentiæ; cuius gratia, vt in psal. 16. impleantur desideria; *de vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem*. Hinc illud Prouerb. 18. *frater qui iuuatur à fratre quasi Ciuitas firma*. Et Ecclesiastes 4. *melius est esse duos, quàm vnum; habent enim emolumentum societatis suæ*. Vnde vt Philosophus 1. Cœli & Mundi refert, antiqui Philosophi in conuentionibus diuersis veritatem de Cœlestibus inuestigauerunt. Et huiusmodi æquitatis specimen quasi exhibere velit ipse Dominus; non solùm dixit, *ibi sum*; quod satis visum fuisset, sed adiecit *in medio eorum*; quandoquidem medium est, quod æquè distat ab extremis. Huc facit quod legit Apostolus Hebr. 1. de Christo; *virga æquitatis, virga Regni tui*: & in psal. 44. *virga directionis, virga Regni tui*. Isaiæ 30. *hæc est via; ambulate in ea; & non declinetis, neque ad dexteram neque ad sinistram*. Quàm benè sistere se dicit *in medio*! Vt neque per excessum, neque per V defectum quis deuiet. Qui non diligit iustitiam, non ducit ad bonum: qui non odit iniquitatem, non punit malum.

S 3.p.72. 12.

T 1.Cor. 5. l.1.

V ps. 44. lit. 6.

VERS. XXI. *Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit frater meus, & dimittam ei? vsque septies?*

VERS. XXII. *Dicit illi Iesus; non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.*

In primis non contemnenda exurgit quæstio; quid nam sit, quòd Petrus interrogat, an septies sufficiat dimittere fratri peccanti: cùm supra cap. 5. edoctus esset diligendos esse inimicos, hisque qui oderunt nos, benefaciendum? quomodo concipere potuit, charitatis esse mensuram, sic vt postquam septies dilectionis argumenta peccanti data fuissent, dubitandum remaneret, an vltra esset illi ignoscendum? Si de personali offensa sermo sit, compertum est, de corde esse dimittendum, vt Dominus ipse in calce capitis claudit, minatus; *sic Pater meus cœlestis faciet vobis; nisi remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Nec videtur recurri posse ad iustitiæ satisfactionem, de qua fortè dubitaret, quoties ex dilectione, posthabenda esset fratris iustè puniendi vindicta: nam præterquam paradigma subiunctum de seruo ad conseruum suum perducit ad internam *de corde* remissionem; videretur nocere bono communi, nunquam peccantes subire definiendam iustè pœnam: daretur enim malis peccandi occasio; (vt in simili ait Sanctus X Doctor) quoniam vt aiebat Bernardus lib. de Consideratione; *impunitas est incuriæ soboles, insolentiæ Mater, transgressionum nutrix, radix impudentiæ*: & Chrysostomus; *patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit; & non solùm malos, sed etiam bonos inuitat ad malum.* 29.

X 2. 2. 41. 8.

30. Huic difficultati, quam subtiliter emergentem prætereunt Expositores, occurrendum puto, dicendo Petrum minimè rogare de dimissione iuridica iustitiæ: quia potuisset ei responderi; tua non interest; neque enim qui offenditur, euadit Iudex. Quòd de dimittenda iniuria in iudicio roget *quoties*, non probat responsio Domini; quandoquidem iusta vltio nec septies relaxanda est. Stat ergo, vt interrogauerit de consecuto remissionis internæ effectu, sic vt socia charitate quis fratri peccanti communicet, sicut Ioseph fratribus suis; consuetudinem non euitet, amanterque vt prius se se gerat: quoties generosa adeo obliuione *dimittam ei? vsque septies?* Quoties, non dico interiori animo, hoc enim scio semper agendum, sed exterioribus fraternitatis indicijs, ei indulgendum? Respondet Dominus; *non dico tibi septies, sed septuagies septies.* Quare si licuit

A 2. 2. 25. 9.

ad nostram eruditionem disquiri ab Angelico; A *vtrum sit de necessitate salutis, quòd aliquis signa & effectus dilectionis inimico exhibeat:* tertius potuit ab ore Saluatoris Petrus humiliter petere, num sufficeret septies huiusmodi signa charitatis ostendere: præsumens vtique exhibenda, etiam extra necessitatis casum, studio perfectionis; sed an semper expedirent quodammodo hærens. Et si obijcias, non posse sic de exterioribus dilectionis effectibus intelligi quod rogat Petrus; quoniam Dominus in calce Capitis ad remissionem *de cordibus* conuertit sermonem. Dico Dominum vltra interrogata, ad nostram instructionem respondisse; ne scilicet *quis*, (quod habet Augustinus) *blandus esset ore, & crudelis corde.* Nam qui huiusmodi est inter iracundos etiam ex Philosopho 4. Ethich. cap. 5. *amarus* dicitur, qui tristitiam & iram intra viscera clausam tenet: de quo 2. 2. q. 158. 5. vnde & Leuitici 19. *non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

30. Percontaberis fortè, cur Petrus sic septenarium figeret numerum? Respondeo; censendum probabile, tenuisse Petrum memoria, septem annorum hebdomadas, quæ annorum septem numerabantur Leuitici 25. quas iubilæi seu remissionis annus complebat. Vnde canit Ecclesia; *sacro dierum numero, quo lege fit remissio.* Ideoque septem vicibus videbatur Petro satis, si offensori dimitteret. Vel ex Angelico, recoluit quando 4. Reg. 5. Elisæus præcepit Naaman, quòd septies lauaret se in Iordane. At non septies præcipit Dominus, sed *septuagies septies.* Diuus Augustinus accepit verbum Domini vt significet, *septuaginta septem vicibus.* D. Hieronymus ducit septem multiplicando septuaginta; ex quo emergunt quadringentæ nonaginta vices. Vel ergo *aggregatiuè*, vel *multiplicatiuè*; vt hic ait D. Thomas. Et sic vno verbo toties dimittendum esse,

B Genesis 4. sub finem, & hic.

quoties peccauerit frater. Sumitur ergo B determinatum pro indeterminato; vt sit sensus non septies, sed longè plus. Sic cum Apocalypsis 1. legitur; *septem Ecclesijs quæ sunt in Asia:* intelligitur scribi

C Isaiæ 4.

Ecclesijs omnibus: C secundùm regulam tetragonismi & cubi. Et addi potest ex Augustino numerum septenarium pro toto poni, *quia septem diebus voluitur tempus.* Item lex per decem; peccatum per vndecim; nam vndecima vnitas transgressio denarij

D Matth. 1.

est. Itaque per vndecim D intelligitur transgressio decalogi. Ideo Sanctus Lucas ponit generationes septuaginta septem. Et ratio est, quia per septem significatur septiformis gratia, per quam fit remissio peccatorum. Consurgit autem numerus septuaginta septem, vt dictum est, ex ductu septem in vndecim. Quandocumque ergo peccauerit, quasi te non offenderit, obliuiscere: hocce documentum est Domini indulgentissimi. Origenes memor fortassis Lucæ qui cap. 17. euangelizat dixisse discipulis Dominum; *si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te: & septies in die conuersus fuerit ad te dicens; pœnitet me: dimitte illi;* memor inquam sententiæ huius Origenes hic in Catena relatus, arctat præsens ex Matthæo præceptum perfectionis in hæc verba: *vult etiam docere, faciles nos esse ad indulgendum eis, qui nocuerunt nobis: maximè si satisfaciant, & deprecentur sibi veniam dari.* Sed hic non loquitur Dominus sub hac conditione. Quare dicendum ex Augustino lib. 2. de consensu Euangelistarum suo cap. 61. bis Dominum de huiusmodi condonatione verba fecisse. Satis claret ex contextibus: & præterea quia Lucæ relatio diuersa non parum est: vt intuenti patet. Neque enim dicit *septuagies* vt hic: hic verò neque dicit *increpa*, nec peccantis in nos pœnitudinem flagitationemue exposcit. Quamuis autem & ibi præmittat de scandalo, prematque de pusillis, vt in præsenti apud Matthæum: alia certè hic & illic fuit occasio. Et si demus semel sic de scandalo fuisse locutum; certè non ita verisimile est de dimissione offensæ locutum semel. Cur autem huc transtulerit Lucas, velim Syntagmate in Lucam explorari. Mihi igitur suasibile fuerit, præcoci quadam & Lucæ expositione, ibi de offensæ iuridica punitione à Domino tractari. Neque enim de offensis vltio seruato iuris ordine semper omitti debet, sed rationabiliter opportune sumi; sic vt læsus fiat actor. Hac in re igitur, si lædens deprecatus fuerit veniam, non semel aut bis; sed pluribus septenario ex numero vicibus, remittendum est: neque ad iudicem differendam monet causam, si cum pœnituerit. At hoc est discriminis sententiarum Domini, quoniam secundùm Matthæum sistitur omnino intra limites priuatæ offensæ, cordisque penetralia expurgantur; quoad istud caput, nullo admisso limite dimissioni. Secundùm Lucam rationabile est, spectari aliqualiter commune bonum, quod planè elucet: dum prauis ita correctis, alij terrentur. Si semper sic exteriori in foro esset indulgendum, salubris periret disciplina, laxatisque habenis fratri esset frater nocuus. Dimittatur igitur septies: hoc est multoties ei dimittatur, pax ei donetur si veniam postulet: non ita si fuerit contumax. Pulchrè Augustinus homil. 4. Tomo 10. *& quæ tandem vincendi ratio erit, quæue iustitia erit, vt solutior lenitas cohibentiam non præbeat pectori, aut si moderata seueritas à lapsu non reuocet delinquentem?*

Docet Angelicus, E vindictam sententia iudicis laudabilem esse, eoquòd tendit ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius; ad quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, ac ad Dei honorem. Nec obest haberi Leuitici 19. *non quæras vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum:* & Ecclesiastici 28. *qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam* &c. Nam etsi libidine exsaturandi odij illicita sit, F laudatur vbi ex zelo iustitiæ. Quemadmodum & ipse Deus cum punit non delectatur de pœna inimici, sed de iudicio, vt ait glossa. Et huc facit doctrina de pœnæ relaxatione, quando ille G qui passus est iniuriam, velit reo ius suum donare. Ex quo poterit saltem Iudex mitius agere.

E 2. 2. 108. 2. 1. & 2.

F Apoc. 6. Com. 2.

G 2. 2. 67. 4.

VERS. XXIII. *Ideo assimilatum est Regnum Cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis;* vsque ad finem capitis.

Præsens Domini parabola, quæ prima sui parte dulcior est melle & fauo, posteriori denarratione, terroris plena est; tum in seruo, tortoribus tradito, tum minaci ea in clausula; *sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis,* &c. vbi Hieronymus meritò; *formidolosa sententia!* Supra cap. 5. 31.

cum

cùm odium vellet damnare inimicorum, eorundem immo dilectionem præcipere, non tàm durè locutus est. Dices, hic seruum in conseruum sæuire, socium potiùs & amicum, cui centum commodauerat denarios; idemque abominabiliùs plusquam hostem suffocat. Rursus paulo ante dictum est de fratris correptione, cur non corripitur priùsquam damnetur, seruus nequam de scelere? Dices peccasse
H de virtutibus, q. 3. a. 2. ad 1. publicè quod notat Angelicus H ibi *videntes autem conserui eius*: ait autem Apostolus 1. Timoth. 5. *peccantes coram omnibus argue; vt & cæteri timorem habeant*. Iterùm, si mox dixerat Petro, *non solùm septies, sed septuagies septies*; quomodo tam seuerè punit? Dices hic iuris ordine incedi: accusatus est enim conuictusque seruus nequam; dum *conserui venerunt, & narrauerunt Domino suo, quæ facta fuerant*: iuxta quod Leuitici 5. legitur; *si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit portabit iniquitatem suam*. Responsa probo: addoque vlteriùs seruum istum nequam, nec procidisse coram increpante Domino, nec vel minimum dedisse pœnitentiæ signum; indeque exaucta culpa, desperata quasi venia, iustitiæ rigori addictum. Sed nihilominus adhuc valde considerandum est, sub latere grauissimum peccatum, nedum in conseruum, quem crudeliter adeo vexat, sed in Re-
I D.Th. hic. gem; estque peccatum ingratitudinis vt hic I notat: nedum in quantum egit, contra formam L be-
L 3. p. 88. a. 2. neficij præstiti; dum ipsi remisso debito, fratri petenti similiter non remittit; sed fortè in quantum contempsit confiteri; tacuit enim: fortè etiam speciali ratione ingratitudinis in contemptum Dei & suscepti beneficij; aut etiam apostatando à fide: quæ
M ibi a. 1. & 4. sunt veluti species ingratitudinis, vt M ibidem. Horum omnium se reum iudicat seruus hic nequam manifestè ingratus, manifestè impœnitens, & dici potest manifestè apostata. Nec mireris lector; quandoquidem *nequam* ex hebræo *belijangal*, nedum malum & iniquum significat, sed & Apostatam, absque iugo & præuaricatorem. Quidni ab huiusmodi seruo *nequam* reuocatione indultorum, cumulatis in vno reatibus cunctis, solutio totius debiti exi-
N 3. p. 88. gatur? Quomodo redire dicantur peccata N vide in præfata quæstione. Excrescit etiam culpa; quia *egressus* &c. non enim *post multum tempus*, vt animaduertit Chrysostomus, *sed confestim, adhuc quasi in auribus habens beneficium, in malitiam abusus est, liberatione à proprio Domino sibi data*. Meritò igitur tortoribus traditur, idest *Dæmonibus*, ex Remigio.

32. *Sed nunquid postquam aliquis demersus fuerit in æternam damnationem, poterit inuenire spatium corrigendi aut aditum exeundi? non: sed ly quousque redderet vniuersum debitum, ponitur pro infinito: & est sensus, semper soluet, sed nunquam persoluet, & semper pœnam luet*. Chrysostomus; *per hoc ergo ostenditur, quòd continuè, idest æternaliter punietur, neque reddet aliquando*. Si enim, inquit
O D.Th. hic. Angelicus; O nullus sine gratia potest satisfacere, qui decedit sine charitate, nunquam poterit. Æternaliter peccata diuino iudicio puniri iustum esse ex
P Rom. 3. l. 2. tribus demonstrat P. In primis ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur; tantò enim quis grauiùs peccat, quantò maior est dignitas Personæ in quam peccatur; sicut plùs peccat qui percutit Principem, quàm qui percutit priuatam Personam. Et sic cùm culpa peccati mortalis sit quodammodo infinita, oportet quòd ei infinita pœna respondeat: & sic cum non possit esse infinita secundùm intensionem, relinquitur quòd sit infinita secundùm durationem. Secundò apparet ex voluntate, per quam peccatur: quicumque enim mortaliter peccat auersus ab incommutabili Bono, finem constituit in bono commutabili; sicut fornicator in delectatione carnis, auarus in pecunia. Et quia finis per se appetitur, quicunque appetit finem, fertur in illum (nota lector) volens illum semper obtinere, si aliquid aliud non obsistat. Vnde ille qui peccat mortaliter, voluntatem habet perpetuò in peccato manendi; nisi fortè per accidens, sicut quando timet pœnam, vel aliquod aliud impedimentum. Vnde conueniens est, vt ex quo homo secundùm suam voluntatem peccatum perpetuò obtinendum appetit, æternaliter pro illo puniatur. Deus enim qui est inspector cordis, præcipuè ad voluntatem peccantis attendit. Tertiò ex parte effectus peccati, qui est subtractio gratiæ: ex qua sequitur, quòd homo quantùm est de se perpetuò maneat in peccato; à quo exire non potest, nisi per auxilium gratiæ. Non est autem conueniens, vt durante culpa, cesset pœna: & ideo in perpetuum durat pœna. Quam secundò expendit æternitatis Inferni rationem, Augustinus in libr. *de vera & falsa pœnitentia*, ad finem, attigit in hæc verba; *qui impœnitens moritur vel finitur, si semper viueret, semper peccaret. At Dei est miserentis, qui operatur finem peccantis. Ob hoc etiam sine fine torquetur, quia nunquam ditatur virtute, semper plenus iniquitate: semper sine charitate, torquetur sine fine*. Quæ est tertia Diui Thomæ ratio. Huic postremæ rationi addi potest aliundè doctrina Q quæ Q p. 2. q. 87. a. 4. ad 3.
talis est: duratio pœnæ respondet durationi culpæ, non quidem ex parte actus, sed ex parte maculæ: qua durante manet reatus pœnæ. Qua de re videatur tota illa Quæstione, & locis è regione in margine allegatis.

Constat autem ex tenore parabolæ tormentorum 33.
perennitas; quia suprà dictum est, *cum autem non haberet vnde redderet*: cùm ergo tortoribus traditus sit *quoadusque redderet*: si non præhabuit vnde redderet, non est vnde postea possit habere. Et vndenam illi speranda *decem millia talenta*? Talentum *chichar* si vulgare sit, continere inquiunt sexaginta libras. Talentum Sanctuarij duplum est ad vulgare. Ingens profectò irreddibileque debitum; cui nec pro minimo satisfiat, quamuis & vxor & filij, & omnia quæ haberet, venundentur. Quod est, meo sensui, quidquid fecisset boni, suique iuris esset, pro exigua satisfactione, retracto quasi pretio, subhastari. Quantum enim quis vel moraliter, etsi non meritoriè ad vitam æternam, boni gessit, tantundem minoratur debitum eius. Et nihilominus ingens infinitumque est debitum: nam ex Chrysostomo; *tanta differentia est peccatorum, quæ committuntur in hominem, & quæ committuntur in Deum, quanta est differentia decem millium talentorum, & centum denariorum. Magis autem & multò plùs patet ex differentia personarum, & à prauitate peccantium: homine enim vidente & desistimus, & pigritamur peccare, Deo autem vidente, secundùm vnumquemque diem, non obsistimus, sed agimus informidabiliter omnia & loquimur. Non hinc autem solùm grauiera patent peccata in Deum, sed etiam à beneficio, quo sumus potiti ab illo: fecit enim nos esse, & omnia propter nos, operatus est*. Quamuis autem videatur Dominus durè loqui, dulci est: nam dat *metuentibus se* psal. 59. *significationem, vt fugiant à facie arcus*. Non absimiliter Apostolus Hebræorum 6. de terra humani cordis duriusculè inquit; *proferens spinas & tribulos reproba est, & maledicto proxima, est; cuius consummatio in combustionem*: sed postea subiungit; *confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur*: vbi Angelicus R assignat rationem, quare ita durè locutus fue- R Heb. 6. l. 3.
rat, scilicet ex desiderio salutis ipsorum: & deinde, ait;

ait; *vt non segnes efficiamini*, &c. Ideo Dominus comminatur; *sic & Pater meus Cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Et quanquam dicatur *iratus*, considera non dici iratum, postquam audiuit à conseruis *omnia quæ facta fuerant*; neque cum seruum nequam alloquitur, planè ad pœnitentiam reuocans, sed *iratus* fertur postea: dic quia non pœnituit; ex quo iustè puniri eum oportuit. Irascitur quoniam puniendi non ipsi est ingenium; *cui proprium est misereri semper & parcere*: & ne ira nostra crescat in odium, quod tantæ perditionis creditur causa, remittamus *de cordibus* præcipit: coquòd, *felix quem faciunt aliena pericula cautum*. Denique inculcans remissionem, vno verbo admonet de eo quod Ecclesiasticus plorat cap. 28. *homo homini reseruat iram; & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam; & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam. Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata soluentur*. Et tamen quæ Syntaxi respondeant, pulchriora latent.

SYNTAXIS

Ad Caput Decimumoctauum.

VERS. I. *In illa hora accesserunt discipuli dicentes: quis putas maior est in Regno Cœlorum?*

1. Diuus Hieronymus interrogationis huius causam refert in tributi æqualitatem; quatenus ex nupera solutione videbatur Petrus alijs esse prælatus. Veruntamen, nedum hinc excitatos crediderim ad conquirendum de primatu, sed ex præmissis ante tributi solutionem, vbi se Regem Dominus asseuerat seu filium Regis: *Reges*, inquit, *terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, a filijs suis, an ab alienis?* psalm. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis*: Ieremiæ 23. *regnabit Rex*: Ezechielis 37. *Rex vnus erit omnibus imperans*. De quo Isaias cap. 9. *super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, amodo & vsque in sempiternum*: cui Prophetæ accinit Gabriel dicens Lucæ 1. *dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius; & regnabit in Domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*: vnde & in Symbolo; *cuius Regni non erit finis*. De hoc ergo Christi Domini Regno cogitantes discipuli, *in illa hora*, mox scilicet postquam hæc præhabita fuerant; disputationem exorsi sunt, *quis maior esset in hoc Regno Cœlorum?* siue in Ecclesia sua, in qua Christus regnat. Notum est, *Regnum Cœlorum* ex Diuo Gregorio præsentis temporis Ecclesiam dici. Sic & Remigius; vbi postea subiungit Dominus parabolam de Regno Cœlorum; *Regnum Cœlorum*, inquit, *congruè sancta Ecclesia dicitur*. Et sic Hebr. 1. l. 4. Sanctus Thomas: ibi ex psal. 44. *virga æquitatis virga Regni tui*. Ecclesia, inquit, quæ est Regnum eius, durat vtique ad finem Mundi: in qua regnat Dominus, vt homines dirigat ad vitam æternam. Vnde ait Ioa. 18. *Regnum meum non est de hoc Mundo*. Cohæret etiam quia paulo post Ecclesiæ fit mentio cum præcipitur; *dic Ecclesiæ*. Neque enim adeò fixum est, vt solummodo de Cœlesti Regno, ac de primoribus in illo essent soliciti. Aliàs etiam apprimè nouerant supra c. 13. Ecclesiam assimilari Regno Cœlorum, cum dixerunt ad illud *intellexistis hæc omnia? etiam*. Cumque orationem Dominicam didicissent supra c. 6. non poterant obliuisci petitionem; *adueniat Regnum tuum*. Permittit autem Dominus vt hac de re disputent, atque interrogent; vt inde suppetat sibi occasio edisserendi, quomodo & prouehi & dilatari, seruari & restaurari, eiusdem Ecclesiæ Regnum possit & debeat. Quisnam subinde in hoc Regno maior sit, radicitus explicando, cœlestem Patriam magis tangit dicens postea; *melius est tibi ad vitam ingredi*, &c. Postquam igitur duriores non paucos & ex Gentibus & ex Iudæis præcedenti tandem capite, in persona lunatici accepimus; qualiterque euacuandi sint obices, vnde vtrique resiliunt, edocti sumus; nimirum Crucis mysterium, cessationemque legalium contestando; ibi, *filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget*: ibique *ergo liberi sunt filij*, vt exposuimus: cum pateat Ecclesiæ ostium, quidnam indispensabiliter exactum sit, vt & credere & ingredi possint homines, magisterio definit. Igitur

VERS. II. *Et aduocans Iesus paruulum*; &c.

VERS. III. *Amen dico vobis; nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli*.

Certè ad credendum vera fide, quæ Dei sunt, necessaria est humilitas: *credidi*, ait & Psaltes, *propter quod locutus sum*; sed mox, *ego autem humiliatus sum nimis*: & psal. 18. vbi de propagatione fidei Ecclesiæque dilatatione per Apostolos; *Cæli enarrant gloriam Dei*; dicitur, *testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis*; & ps. 118. *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*. Ipsemet Dominus supra cap. 11. *confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*, idest *humilibus, non de se præsumentibus*, ex Augustino. Deuteronomij 33. *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*. Ideo vbi superbiæ mordeat prurigo, longè abit sapientia; Ecclesiastici 17. *dixi; sapiens efficiar: & ipsa longius recessit à me, multò magis, quàm erat*: Rom. 1. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. Quia enim vulnus ignorantiæ, nonnisi humilitate sanatur; ideo Prou. 11. *vbi est humilitas, ibi & Sapientia*; & Ecclesiastici 3. *Synagogæ superborum non erit sanitas*. Hinc Apostolus 2. Corinth. 10. *destruentes omnem altitudinem extollentem se, aduersus scientiam Dei; & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi*: intellectus enim noster in ijs quæ fidei sunt, A captiuatur, quia tenetur terminis alienis, & non proprijs: quasi vi suæ cogitationis, & inquisitionis assentiat. Et ad hunc sensum admonet Ecclesiasticus cap. 6. *iniice pedum tuum in compedes illius*; B idest in documenta fidei. Et ad signandam humilitatem, *& in torques illius collum tuum. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est illa, & vincula illius alligatura salutaris*. Et hoc est quod & Rom. 1. ait Apostolus; *ad obediendum fidei*; in ijs enim obedientia locum habet, C quæ voluntariè facere possumus: ijs autem quæ sunt fidei, voluntate consentimus, non ex rationis necessitate, cum sint supra rationem. Respondent quæ hucusque diximus Scholasticæ quoq; theologiæ qua docemur D gradum humilitatis esse obedientiam. De Christo quippe dici-

2.

A de veritate q. 14. 1. corpor.

B 2. Cor. 10. l. 1.

C Rom. 1. l. 4. & 2. 2. 4. 7. 5.

D 2. 2. 161. 4. 4.

dicitur; *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem* Philipp. 2. Item quia requiritur ad fidem tanquam remouens prohibens præuia humilitas, quæ superbiam destruat; E per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei. Huius humilitatis specimen videtur exhiberi cùm quis baptizandus est; nam si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquæ paucitatem, vel F propter aliquam aliam causam, oportet caput perfundere. Ad idem frequentat Ecclesia; *humiliate capita vestra Deo*: & è contra legitur Iob 15. *cocurrit aduersus eum erecto collo*; & Isaiæ 3. *pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion; & ambulauerunt extento collo*. An non ergo tibi videtur, mi lector, conuenientissimè introduci à Domino de paruulis; *nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum?* super quo licet non requisiuissent, instruit Dominus, priusquam qualificet maiorem in eodem Regno Cœlorum, siue in Ecclesia. Quamuis enim in virtutibus directè fides prior sit, eo quòd primus accessus ad Deum est per fidem, Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere*; ideoque G ponatur fides fundamentum spiritualis ædificij nobilius: attamen ipsa quoque humilitas, in quantùm remouet prohibens, expellit superbiam, & euacuat eiusdem inflationem; & ex quo reddit hominem subditum & paratum ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ, prior esse dicitur; & sic in ordinata congregatione virtutum, ædificio comparata, est fundamentum. Itaque, vt fundamenta nedum insinuet Ecclesiæ, vtque in ipsam ex fide ingressum, profectumque commonstret, inquit, *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum*. Vnde quod ait *& efficiamini sicut paruuli*, videtur esse expositio requisitæ humilitatis, ad hoc vt quis conuertatur ad fidem, intretque Ecclesiam; secus *non intrabitis in Regnum Cœlorum*: quo verbo & Apostolus vsus est Roman. 11. dicens; *donec plenitudo Gentium intraret*: scilicet ad fidem, vt ibi lect. 4. Angelicus. Quocirca notanda est adhuc doctrina; H Deus mouet animam hominis conuertendo eam ad se ipsum, vt dicitur in psal. 24. secundum aliam literam; *Deus tu conuertens viuificabis nos*: & sic conuertimur motu mentis in Deum; prima autem conuersio in Deum, vt diximus, est per fidem secundum illud Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere, quia est*; &c. Cur ergo non dicas lector, dum inquit Dominus, *nisi conuersi fueritis*: hoc sensu loqui; nisi *fidei motum in Deum habueritis*; sed *& efficiamini sicut paruuli*; quia vbi humilitas absit, fides adesse nequit, vt declarauimus; & ideo *non intrabitis in Regnum Cœlorum*. Infideles quippe foris sunt I prout exponit, idest omnino extra Ecclesiam; *nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit*. Erudimur ergo ex verbo Domini, si qui non conuertantur ad fidem, proximè esse ex superbia, postquam audierint: cuius quidem superbiæ ac inanis gloriæ, filia L est contentio, ex qua non acquiescunt ijs, quæ sunt fidei: sicuti loquitur Apostolus Roman. 2. *his autem qui sunt ex contentione*, (contra M fidem) *& qui non acquiescunt veritati* &c. Accessorium est quoque, hac ex similitudine paruulorum, quod ait Beda in expositionem illius sententiæ Lucæ 12. *nolite timere pusillus grex*; *nominari pusillum gregem electorum: quia videlicet Ecclesiam suam, quantalibet numerositate iam dilatatam; tamen vsque ad finem Mundi, humilitate vult crescere*. Denique ait Hilarius; *pueros etiam credentes omnes per audientiam fidei nuncupat: hi enim dictis credunt, & quod audiunt, verum habent*.

E 2. 2. 4. 7. in corp. & ad 1.

F 3. p. 66. 7. 3.

G 2. 2. ibi 2. 5. ad 2.

H p. 1. 113. 4.

I 1. Cor. 5. l. 3.

L 2. 2. 38. 2.

M Rom. 2. l. 2.

3. Superest quod ad rem facit, cum tamen minus consueuerit examinari, quidnam sibi velit, aduocatum paruulum *statutum* à Domino discipulorum *in medio?* Aduocatum quidem facilè percipimus, iuxta dictorum seriem; nam & Apostolus ait Roman. 9. *quos & vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*. Et Isaiæ 41. *quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum, vt sequeretur se?* cohæretque huiusmodi vocatio, seu ad se vocatio, *aduocans*; cohæret inquam præmissis, nisi *conuersi fueritis*, quia vt docet Angelicus N hæc vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se ad Deum conuerteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret; Ioan. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*; Thren. 5. *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Sed cur ad se vocatum statuit *in medio?* Dic tacitè nos reuocasse ad reminiscentiam dicti Dauidici psal. 21. & Hebr. 2. *in medio Ecclesiæ laudabo te*. Vnde posset innotescere ipsum esse medij studiosum & amatorem; quia O non ad vnum populum tantùm, sicut Moyses missus fuit. Porro, dum latinis, *tolli, vel de medio pelli, est fieri extra consortium*; per locum à contrario fas sit, accipi quod fit à Domino, *statuit eum in medio*, in quantum quos vocat humiles, in consortium fidelium recipit: ideoque *in medio eorum*, qui Ecclesiæ specimen referebant, ceu *congregati in nomine eius*: quod postea dicturus erat: *vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Dic iterum, statutum puerum *in medio*, quia voluit eum *secus se*, vt inquit Lucas cap. 9. immo *complexus est eum*, vt apud Marcum cap. 9. Dominus autem passim in sacris Scripturis *in medio* esse dicitur; quippe qui psal. 71. *operatus est salutem in medio terræ*: & quia P sicut columna in medio domus ipsam sustentat; lucerna in medio domus illuminat; cor in medio corpus viuificat; ita Christus in medio Ecclesiæ. Dic etiam alto consilio fuisse paruulum à Christo vocatum *in medio*, quia fundamentum ædificij medio constituitur in loco: hic autem de fundamento fidei, & de humilitate, quæ vt diximus, fundamentum cuiuscumque virtutis est, sermo erat. Arridet autem quod legimus *statuit*: quandoquidem à radice hebræa *iasar* quæ significat, fundauit, seu *fundamentum posuit* deriuatur *isar*, quod grammaticis idem est atque *statuit*. Dum ergo Christus paruulum *in medio statuit*, alludit indubitanter fundamento. Et sanè cùm humilitatem deceat profundum, situ illo medio indicari nil prohibet profundum ipsum & imum, seu medium, quo tanquam suum ad centrum grauia tendunt. Dic tandem *in medio*, sicut Isaiæ 7. legitur; *ponamus Regem in medio*: sic enim Regem qui olim eligebant, annunciabant plebi; vt ait Hieronymus relatus Isaiæ 8. Diadema ergo Regni Cœlorum, hoc est Ecclesiæ, datum Petro, vt mox dicemus, ostendit.

N Rom. 8. l. 6.

O Hebr. 2. l. 3.

P Hebr. 2. l. 3.

VERS. IV. *Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste; hic est maior in Regno Cœlorum*.

4. Iam directè quæsito respondet. Certè vi consecutionis habetur humillimum fuisse paruulum, quem quicumque imitaretur, maior fieret. Fert Angelicus Q ad literam secundùm quosdam fuisse Sanctum Martialem. Sed si plures eum æmularentur; plures fierent maiores: inter hos adhuc remanet postulandum, quisnam sit inter eos maior. Censeo igitur & ad mentem etiam discipulorum, voluisse Dominum de vno duntaxat loqui; quem *in Regno Cœlorum*, hoc est in Ecclesia, maiorem seu primum intendit circumscribere & sic designare. Et quoniam ipsemet Dominus caput est Ecclesiæ: Coloss. 1. *& ipse est caput corporis Ecclesiæ*: Ephes. 1. *ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*: idcirco, qui maior post ipsum in Ecclesia sit, eum indicat, qui sui ipsius imitetur, vtique plusquam cæteri, humilitatem. Habet Angelicus; R quis sit

Q D. Thõ hic.

R D. Th. hic.

 iste

iste paruulus, exponitur etiam de Christo; qui se statuit in medio; vt infra cap. 22. dixit; *ego autem in medio vestrum sum. sicut qui ministrat.* Appositè omnino; siquidem Isaiæ 9. *paruulus natus est nobis*, Philipp. 2. *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Et quoniam, vt ait Marcus, *complexus est puerum*, liceat vnionis hypostaticæ imaginem complexu in eo contemplari: ex qua, *Deus magnus Dominus* pro nobis factus est paruulus; sicuti canimus in Sequentia; *Verbum ens Altissimi conformatur hyssopo, valle nostra.* Et iam paulo post, per hunc paruulum, vel se ipsum significari denotat cùm ait; *& qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo me suscipit.* Sit ergo in hæc verba sensus. Rogatis discipuli, quisnam in Ecclesia maior, quisnam meas obeat vices? qualificatum accipite humilitate, mei ad imitationem, qui paruulus factus sum. Recolite Regem primum in Israel exaltatum, quia paruulum: 1. Regum 15. dixit Samuel ad Saul; *nonne cum paruulus esses in oculis tuis, Caput in tribubus Israel factus es?* Lucæ 1. *deposuit potentes de Sede, & exaltauit humiles:* infra capit. 23. *qui se humiliat exaltabitur.* Immo gradus & celsitudinis custos sola est humilitas; Ecclesiastici 3. *quanto magnus es, humilia te in omnibus;* & cap. 32. *Rectorem te posuerunt; noli extolli.* Poterant statim colligere discipuli, quis esset in Ecclesia præferendus, quis Christi Vicarius; & quare: nimirum præcellentia humilitatis: qua vtique desuper donatum Petrum credere, consectarium est. Certè primo in limine humilem Petrum nobis satis innuit Dominus, dum Ioannis 1. adductus ab Andrea fratre suo; forte enim non audebat solus accedere, *intuitus est eum Iesus:* ipse enim vt dicitur in psalmis, *excelsus Dominus humilia respicit: quis enim sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in Cælo & in terra?* Sic etiam postquam negauit, raptus ipsius humilitate, *respexit Petrum:* sicque suo intuitu etiam non humiles humiliat, Iob 14. *respiciens omnem arrogantem humilia.*

5. Conspirant autem alia ibi in primordialem Petri humilitatem: primò quia sortitus est à natiuitate *Simonis* nomen, quod *obediens* interpretatur: modus autem humiliationis, ex Sancto Doctore, s ibi; *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, & signum humilitatis est obedientia; quia proprium superborum est sequi propriam voluntatem; quia superbus quærit altitudinem: ad rem autem altam pertinet, quòd non reguletur alio, sed ipsa alia regulet: & ideo obedientia contrariatur superbiæ. (subtilis deductio!) Deinde consentaneum genialeque sibi nomen aliud tanquam humili, sed humile superponitur, *vocaberis Cephas*, vt exposuimus cap. 16. in fundamentum. Eo loci Ioann. 1. dicitur etiam *filius Iona*; vel *Ioanna*, aut Ioannis vt apud Euangelistam Ioannem cap. 21. Si *Bar-Iona* hoc est *filius columbæ*, vtique Spiritus-Sancti; quis ignorat inde commendari vt humilem? quando Isaiæ 11. *requiescit Spiritus Sanctus* in hominibus per sua dona: inter quæ timor filialis, T qui vltimum locum tenet descendendo contra superbiam: & licèt non idem sit cum virtute humilitatis, est tamen principium illius. Si autem legamus; *tu es Simon filius Ioanna;* nihil minùs ad humilitatem sermo dirigitur: *Ioanna* enim interpretatur communiter *gratia*. Ait autem Iacobus nedum cap. 4. sed & ipse Petrus in sua prima cap. 5. *humilibus dat Deus gratiam.* Hanc humilitatis virtutem excoluisse Petrum toto vitæ decursu ex multis claret: nam quanquam familiaris sic esset Domino, nunquam vt filij Zebedæi regnum poposcit: Increpatus ab ipso c. 16. *vade post me Satana: scandalum mihi es; quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*, humiliter tacuit: Lucæ 5. conclusa piscium multitudine; *procidit ad genua Iesu dicens, exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Vbi Ambrosius: *admirabatur enim dona diuina; & quod plus meruerat, hoc præsumebat minus.* Solus refertur ablutioni pedum stupefactus restitisse; *Domine tu mihi lauas pedes! non lauabis mihi pedes in æternum.* Sed mox obediens Simon: *Domine non tantum pedes, sed & manus & caput.* Nec alia magis arridens concipi potest causa permissæ triplicis negationis: nam ex hoc quòd iustus cadit, resurgit V cautior & humilior: vnde glossa; *qui cadunt, sibi humiliores redeunt atque doctiores.* An sic esset de humilitate plenè eruditus, nostram ad institutionem dignatus est Dominus, ipsum examine rigoroso probare. Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his?* ternæ siquidem interrogationi ter ingenti humilitate respondet; *etiam Domine; tu scis quia amo te:* nam de proprijs viribus victus X non audet confiteri suum amorem, nisi sub testimonio, & protestatione Domini, humilians se Christo. Notandum etiam secundum Augustinum, non respondisse, *diligo* sed *amo te.* Amor enim differt à dilectione: in quantum quidem motus iste appetitus regulatur ratione, est actor voluntatis, propriéque dilectio sequens electionem: si non reguletur ratione, dicitur amor. Et inde est quòd bruta propriè non dicuntur diligere. Timet ergo, vt vides lector, ex humilitate vti verbo dilectionis; non ausus tantum de se præsumere aut opinari: nec vnquam relatu ad alios, quod Dominus interrogabat, respondet; neque se alijs comparare vult, minus præferre. Gaudens autem Dominus de tam humili Petri renisu, minime increpat, si tertiò ad rem non respondeat: immo vt ait idem Angelicus, Petro sic humiliato fit finalis commissio Ecclesiæ; *pasce agnos meos; pasce agnos meos; pasce oues meas.* Et ideo non abs re putarim, quòd Dominus non ipsum dicit *Petrum*; sed *Simon Ioannis diligis me plus his:* vt suo & Patris nomine, humilitatis ei recordationem suggereret: quod supra diximus. Quid mirum si Petrum maiorem in Ecclesia declaret; quando legimus Danielis 4. *Dominator excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.*

S Philip. 2. l. 2.

T 2. 2. 19. 9.

V Rom. 8. l. 6. 3. p. 89. 2. 1.

X Ioa. 21. l. 3.

6. At contenti minimè sumus hisce humilitatis Petri altis argumentis, nisi reconditam conemur scrutari sententiam, ex qua humilitatis eiusdem emicat magis profunditas. Verbum ergo Domini operæ-pretium est humiliter examinare, quod eidem sancto Apostolo post resurrectionem prompsit ac prænunciauit; est enim sublimi grauidum intelligentia, difficileque intellectu; sicut de quibusdam Pauli doctrinis affirmat idem Sanctus Petrus in sua secunda Canonica cap. 3. Postquam igitur solicitum se se ostendit Dominus de ipsius dilectione, ter interrogans *diligis me plus his?* mox subdit asseueranter ac definitè; *Amen amen dico tibi: cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* Certè alta profunditas. Diuus Ioannes compendio monet: *hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Et planè mortuus est Cruce, in qua extendit sine dubio manus. Sed quid est quod adnectit Dominus; *& ducet quò tu non vis?* vt literæ detenti Sancti Patres, reluctantiam naturæ, infirmitatis affectum, quo mortem vnusquisque refugit, inde agnoscunt; ita vt *solutus quippe à corpore vellet esse cum Christo; sed si fieri posset, præter mortis molestiam, vitam concupiscebat æternam; ad quam molestiam nolens venit: sed volens eam vicit:* quod ait Augustinus. Iam supra ad caput 17. ibi, *nesciens quid diceret*, in transfiguratio-

ratione prætactum est, quomodo voluntate naturali, & sensitiuæ partis appetitu, refugiatur ab vnoquoque mors; non item voluntate deliberata: ad eum sensum, quo dicit Paulus 2. Cor. 5. *ingemiscimus grauati, eoquòd nolumus expoliari, sed superuestiri; vt ab-sorbeatur quod mortale est à vita*: deponere enim
A 2. Cor. 5. l. 1. corpus A ita est contra naturale desiderium, vt dicat Augustinus, quòd nec ipsa senectus à Petro timorem mortis potuit auferre. Hæc vtique, si naturam spectemus, verissima sunt: veruntamen non omnino quiescit animus, quòd in Apostolo Petro id fuerit specialiter notandum: quando aliàs tam promptus fuerat ad mortem; *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; infra 26. & Lucæ 22. *Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*. Vnde claret potuisse vsurpare quod ait ibi & Paulus; *audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Neque enim inopinabile videtur, & nunc retinuisse cor illud; quamuis pro humilitate siluerit. Nam vbi scripsit; *certus sum, quòd velox est depositio tabernaculi mei* (in secunda cap. 1.) *secundum quòd & Dominus noster Iesus Christus reuelauit mihi*, nihil timoris indicat; cùm tamen terrere soleat mors quæ proxima est; sed constanti animo adiecit; *dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*. Quare cum timorem mortis debellauerit Dominus, iuxta illud Hebr. 2. *vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti*: præsertim post acceptam Spiritus-Sancti plenitudinem, non sic mihi videtur talem passus timorem, vt debuerit præ Sanctis alijs martyribus humanior declarari. Fauet ipse Augustinus in serm. 1. de ipso, tomo 10. *Iam timere non debuit: videbat enim in carne viuentem, quem viderat in ligno pendentem. Resurgendo Christus abstulit mortis timorem*. Consecutiuè fit, arcanum quid sublatere in verbis Domini; *& ducet quò tu non vis*: præsertim quia minimè reprehenditur à Domino; cum saltem potuisset ei repeti quod supra cap. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: & Lucæ 14. *& qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*. Quamuis enim deinde dixerit illi, *tu me sequere*; non in obiurgationem certè, quasi resiliuisset Petrus, sed vt sibi non alijs intenderet, dictum est.

7. Itaque mea interpretatio, ne quidquam feruoris Petro ad moriendum pro Christo fortè adimatur, talis esto. Conscius Petrus pluribus ex sermonibus Domini, se aliosque discipulos, mortem pro Christo aliquando subituros; nam palam Zebedæi filijs dixerat; *calicem quidem meum bibetis*: omnibusque persecutiones & pressuras prænunciauerat, mittendosque tanquam oues in medio luporum; bonumque Pastorem animam suam ponere pro ouibus suis; horum inquam conscius, suis in Epistolis adcinit dicens in prima c. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, munitque si qui essent timidos cap. 4. *Christo igitur passo, & vos eadem cogitatione armamini*: memor deinde pristini sui ardoris, meditabatur sine dubio, vt *in meditatione sua exardesceret ignis*, ps. 38. qua morte foret Domino consecrandus: crucemque Saluatoris præ oculis habens, quis neget concupierit crebrò *sequi vestigia eius*? Hisce dulciter captus desiderijs, non potuit humiliationis studio, non cam appetere crucem, in qua se adeo *humiliauit Dominus factus obediens vsque ad mortem, mortem item crucis*. At cum nosset martyrij donum esse prædilectionis diuinæ magnum signum, quis dubitet tantam gloriæ palmam, si Domino placuisset, ex optasse, quinimmo enixè rogasse? Neque enim vero-simile fuerit, minùs quàm frater suus Andreas, mysteria & ipsum Crucis extulisse: sed vna custoditæ humilitatis clausula, vt deorsum verso capite affigeretur: vt sic vel corde figeret oscula illius sanctis pedibus, qui suos lauare dignatus, surgens à cæna ante ipsum procubuit. Vbi pariter humillimus visus est Petrus, vt tactum est, dum solus admirabundus adiecit; *tu mihi lauas pedes! non lauabis mihi pedes in æternum*. Coxerat, recoxerat immo, ardenti clibano mentis, tantæ rei memoriam: idcirco firmiori proposito (si Dominus exaudiret clementer suum feruens votum) liceat consectariò suaderi, votum vouisse Domino; minimè se iturum ad mortem, prout Christus mortuus est; nec nisi inuitè reluctanterque passurum, vt caput loco capitis Domini iungeret. Instanter id petijsse Petrum ab impio carnifice dubitari nequit, cùm obtinuerit: sed & carnificem insolito huic mortis modo, non nisi post multa, ægrè tandem acquieuisse, consonum est: immo denegasse pluries, perduxisseque Apostolum ad crucem, vt communi more cruci configeretur; tandemque importunis precibus sæue indulsisse. En dulcem verborum Domini commentarium: *alius te cinget, & ducet quò tu non vis*: scilicet *quò tu Simon*, hoc est obediens & humilis; tu *Simon Ioannis* ex gratia similiter danda humilibus: tu noles mori, sicut ego mortuus sum: violenter traheris ad mortem, eamque Crucis, nisi humiliùs eam obeas. Mori voles, sed noles modum: crucem voles, sed non quæ mihi: *gaudeas Petre*, (adsit Chrysostomus) *cui datum est, vt ligno crucis Christi fruereris. Et ad Magistri quidem similitudinem voluisti crucifigi: non recta quidem figura, vt Christus Dominus*, (ecce lector quid sonat *quò tu non vis*) *sed capite in terram verso, tanquam qui à terra in Cælum iter faceres*. Mirè autem, vt mihi videtur, de præsenti ait Dominus, *quo tu non vis*; quoniam scrutator cordis eius, nouerat, quæ iam tot ante annos præmeditabatur Apostolus: qui intra se fortè passim reuoluebat; si moriar pro Domino meo, & cruce moriar; certè nolo mori, nisi capite in terram verso; neque enim dignus sum capiti eius sanctissimo, quod Diuinitatem præmonstrat, appropinquare: *adorabimus in loco* psal. 131. *vbi steterunt pedes eius*. Ad hæc Augustinus, serm. 5. de ipso, tomo 10. *in illa itaque cruce imitari metuens sacrificium Redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ; honorari etiam supplicij genere pertimescit; & qui non recusat dominici tormenta patibuli, similitudinem expauescit triumphi!* Ecce igitur, quod supra assumpsimus, quis sit, & cur sit maior in Regno Cœlorum. Nam de Cœlesti Patriæ Regno satis aliàs sermo præextitit Domini supra c. 5. *qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum*.

Post hæc liceat aliquantulùm digredi ad enucleanda quæ adnectit ibi Ioan. 21. Dominus, Petri mortem 8.
qualificans. Ait enim; *cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas; & alius te cinget, & ducet quò tu non vis*. Neque enim plana est intelligentia verborum horum. Quorsum, dicet quis, præmittendum fuit, quid ageret, quidue non ageret iunior? Etsi enim quasi metaphoricè diceretur ad significandam propriæ libertatis culturam, in iunioribus minimè laudatam, vt ex Angelico ibi lectione 4. adhuc restat difficultas, cur recolatur *cingebas te*? quod item tropo eodem exponit: quia à semetipso cohiberi amauerit, proprioque arbitrio duntaxat, cohiberi quandoque à minùs licitis & superfluis: hoc siquidem nihil ad antithesin facit, *alius, cùm senueris, cinget te*, etiam secundùm quorundam opinionem, quam noluit improbare Angelicus, vt crucifixus fuerit

rit

rit non cum clauis sed funibus: æquiuocè enim diceretur prius à semetipso moraliter cinctus, cinctusque physicè ab alio. Nonne satis fuerat prædixisse illi, *alius cinget te, cùm senueris*, quamuis de iuniori pristino illo vsu nihil dictum esset? Præterea, si in eo quod ait *alius cinget te*, de alligatione ad crucem è regione intelligitur, postponeret Dominus quod prius est; nam primò ducendus erat, deinde cingendus, si ly *cinget te*, ad vincula crucis refertur. Quam obiectionem anteuertens Angelicus ait; notandum quòd hoc quod dicit *ducet*, debet præcedere hoc quod dicit, *alius cinget te*; quasi dicat *cinget*, quia *ducet te quò tu non vis*. Et hanc ipsam transpositionem verborum videns Augustinus, (fertur in Catena) acutissimè scripsit in solutionem: *priùs dixit, quod fieret, & deinde quomodo fieret: non enim crucifixus, sed crucifigendus quo nollet est ductus*.

9. Vt ab his difficultatibus Dei manu feliciùs emergamus, velim quod primò ait Dominus; *cùm esses iunior cingebas te*, literaliter propriéque accipi: nam cùm piscator esset, fermè nudus, (præsertim iunior) proculdubio insistebat piscationi. In eodem quippe c. 21. *cùm audisset Simon Petrus, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare*. Beda: *dicitur autem Petrus nudus fuisse, comparatione cæterorum vestimentorum, quibus vti solebat: sicut solemus dicere cùm aliquem simplici vestimento videmus indutum: quare nudus incedis? siue potest intelligi, quod more piscatorum, studio piscandi nudus incesserit*. Theophylactus: *præcinxit se Petrus lineo amictu, quem Phœnices & Tyrij piscatores, circumuoluunt sibi, cùm nudi sunt; & etiam cæteris indumentis apponunt*. Sanctus Thomas ait; erat enim nudus & propter caliditatem terræ & propter expeditionem operis. Habemus Isaiæ 20. ad comminationis ostentum, Dei iussu, incessisse Prophetam nudum: *vade & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis: & fecit sic, vadens nudus & discalceatus, Et dixit Dominus; sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus & discalceatus*. Fortius quippe imprimi debuissent minæ Propheticæ, considerando, nonnisi Deo iubente, id à sancto nobilissimoque Propheta fieri potuisse: quod sit obiter dictum. Nihilominus nuditas isthæc [illegible] non fuit in pudendis, vt notat Ferdinandus de Escalante in suo *Clypeo Concionatorum*: non enim exuit femoralia, quæ viris Asiaticis in vsu sunt. Rationabiliter quidem, quia Dominus nuditatem eiusmodi operuit; quando Genesis 3. *Adæ & vxori eius fecit tunicas pelliceas, & induit eos*. Præsignauit tamen eiusmodi Isaiæ corporis nuditas, ignominiæ nuditatem, quæ Ægyptijs imminebat; quibus non solùm pedum & pectoris nuditas, sed & verenda nudanda prædicuntur, *discoopertis*, inquit, *natibus ad ignominiam Ægypti*. Isaias femoralibus, Petrus etsi perhibeatur nudus, indubitanter cinctorio aliquo, subligari, seu lumbari operiebatur: hoc est ergo, me iudice, quod ait Dominus *cingebas te*: siquidem à verbo *cingo*, græcè (quo idiomate scripsit Ioannes) *zonnvsco zonnymi*, & *zonnyo*, deriuatur *zona* & *perizoma*: vnde *perizonnyo*, valet *præcingo*, & *ambio*, & *perizomation*, quod est *paruum lumbare*. Sed dices curiosiùs, cur memorari, de lumbari Petri, *cingebas te, cum esses iunior*? Nunquid non satis erat, *alius cinget te, & extendes manus tuas* ad significandam ipsius in Cruce mortem? Respondeo; satis fuisset: at Dominus, suggerere voluit ei, de mari; nam piscaturi consuescunt hoc pacto cingi: mare autem, vel ab amaritudine & impetu sibi innato, passionis acerbitatem insinuat; psal. 68. *veni in altitudinem maris*; sicut & aquæ in vniuersum tribulationes; *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, Cant. 8. Docet quippe Angelicus, B

B 1. p. 46. 6.

qualiter mors confixorum in Cruce est acerbissima, quia configuntur in locis neruosis, & maximè sensibilibus; scilicet in manibus, & pedibus: & ipsum pondus corporis pendentis continuè auget dolorem: & cum hoc est etiam doloris diuturnitas; quia non statim moriuntur; sicut hi, qui gladio interficiuntur.

Dices adhuc, cur introduci & illud, *ambulabas vbi volebas, cùm esses iunior*: cur & hoc contraponi? Respondeo (quod ad Dei fuerit gloriam; quandoquidem, *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*) antithesin & hanc induxisse, ad indicandam Petri coarctationem: sicut dicebat Paulus Philipp. 1. *coarctor autem è duobus; desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis meliùs: permanere autem in carne, necessarium propter vos*: in homine enim est duplex motus, naturæ & gratiæ: C naturæ ad non moriendum; 2. Cor. 5. *nolumus expoliari* &c. gratiæ, seu dilectionis, quæ mouet, vt simus cum Christo: 2. Cor. 5. *audemus autem*, &c. *magis peregrinari à corpore*. Sed licèt doctrina huiusmodi de Petro in casu nostro ab Angelico explicetur; vnde subdit hemistichium Domini, *ducet te quò tu non vis*: attamen detur mihi, vt coarctatum dixerim Petrum è duobus, vtrisque ex motu gratiæ: nam vna ex parte voluisset in Cruce mori, charum imitatus magistrum; sicuti & frater eius Andreas tanto cordis affectu & concupiuit & amplexus est Crucem: altera ex parte, noluisset in Cruce mori, indignum se reputans alto humilitatis suæ sensu, *honorari etiam supplicij genere* vt dixi ex Augustino *pertimescens*. Ideo mihi videtur dixisse Dominus, *quò tu non vis*: ac si diceret, cordis tui arcana mihi aperta sunt: præ humilitate refugis, ardore patiendi appetis: vt pia fidelibus innotescat animi tui pugna, te colo quando priori tua in ætate nullatenus confligebatur spiritus, sed simplici trahebaris motu huc aut illuc; *ambulabas vbi volebas*, nec te ambulantem contrarius aliquis sensus repellebat. Humanarum est rerum conditio, præsertim vbi vulgaria versentur, rarius in ancipiti esse, faciliusque deliberari ad alterutrum: Sic ambulat homo vbi vult: at vbi de sublimioribus agitur, de diuinis, nutat humana imbecillitas; nam & *quid oremus sicut oportet nescimus* Rom. 8. Vt ergo per locum à contrario edoceret nos Dominus, non trito calle, nec communi martyrij cursu, Petrum moriturum, sed attacta heroicarum virtutum meta, testem suæ redemptionis futurum; perplexitatem insinuat, quæ tandem in humanis vincitur, non sic humano consilio cùm de diuinis. *Ambulabas ergo vbi volebas: cùm senueris alius ducet te, quò* adhuc *non vis*. Vis pro me mori, omnium Apostolorum fidelissimus, sed adhuc cruci non assentis: vis etiam crucem, quia pœnarum dolorumque ferax; sed non vis crucem, quoniam in ea mei ipsius crucifixi te terret maiestas: adhuc itaque *vis*, adhuc *non vis*: ipse cordis tui litem dirimo: cruce moriturus es; *extendes manus tuas, & alius ducet te, quò tu non vis*. Cedit Petrus Domino prænuncianti humiliter obtemperaturus: sed meditatur nouum effugium; vt si in Cruce mori debeat instar sui Domini, ducique vbi non vult; moriatur saltem deorsum verso capite, humilitatemque ita colens, quòd non vult, velit: sibique non vltra sit discors, quando acerbitate supplicij, (*beati claui*, inquit Chrysostomus, *qui sancta illa membra penetrarunt!*) simulque humilitatis studio sua implet vota.

C Philip. 1. lect. 1.

Dices adhuc, cur introduci & illud ... 10.

11. Dices tertiò; cùm dixisset Dominus *extendes manus tuas*: nónne satis innuerat qua morte esset Deum clarificaturus? Quid vltrà, *alius cinget te*? Respondeo, notari meritum nouum Petri, vt expoliatus crucifigeretur dedecore nuditatis; siquidem ait Chry-

Chrysostomus, non consueuisse nudari nisi viliores: vt ergo præsignaret mortis suæ circunstantiam, nimirum confusionis & contemptus, (quæ cuncta inuincibili vinceret suum ad votum humilitate:) *alius* inquit, *cinget te*: ac si dicat, nexibus, membris deuinctus, postquam nudatus fueris vel coacto pudore, cingent te; tu *confusione contempta* instar mei, *sustinebis crucem*: quod Hebr. 12. exprimit Apostolus. Dic ergo prænunciato mortis genere cùm dixit *extendes manus tuas*; quæ exterius futura erant; quæque interiùs voluebat animo, detexisse. Vno verbo intelligentiæ nostræ planiori: Morieris cruce: at tanquam vilioris notæ homo nudaberis: non enim cingi consueuit tegmine nisi nudus: *quò tu non vis* de præsenti: en cordis tui arcana panduntur: & hujus reluctantiæ studio quo refugis honorari, iam collige, me quoque præscium miræ tuæ humilitatis implendæ, verso ad terram capite.

12. Dices denique cur de iuniori illius ætate? nam satis erat dixisse *olim cingebas te*. Respondeo in primis, iuniorum esse ad piscationem sic cingi: tum ob seniorum leuamen, qui passim in aquam descendere, vel ad expandenda, vel ad trahenda retia, non consueuerunt, fatigati satis; tum ob maiorem decentiam; etsi enim castè, non tamen libenter quisque gaudet nudari. Hoc autem iunioribus competens, opportunè subiunctum probat de Petri senio; *cum autem senueris*: vnde & tempus & horam mortis eius, se iam prænosse diuinitus sic ostendit. Præterea cùm verbum *zonnyo* græcè, latinè *cingo*, etiam *arma induere* significet: ex quo *zona*, *baltheus*, *cingulumque militare*; non fuerit absonum opinari, voluisse Dominum, de iuniori Petri ætate verba facere, ad innuendum, quomodo moraliter iunior spiritu, nimis audens toties quoties occurrisset, in procinctu, ad mortem inconsultò *cingebat se*: *paratus sum in carcerem, & in mortem ire*; *si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: ac si diceret; *cùm iunior esses*, quasi præceps, consilium quasi negligens, *cingebas te*. Non cogitabas ardore ductus, quod deinde Paulus Philipp. 1. *mori lucrum*. *Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est; & quid eligam ignoro*. Igitur cùm senueris, cùm profeceris sapientia; attentior in considerando eris, an *manere in carne, necessarium* sit propter alios; *alius cinget te*; agnosces non esse sponte sua morti accurrendum: *alius cinget te*; Dei expectabis nutum, quo & Neroni permittat. Nec *cinges te*, dices potiùs: *Domine, iam satis est, quòd hucusque certaui*: *sed quoad ipse iusseris militabo*: *at si parcis ætati, bonum est mihi*. Tantum autem abest, vt postea *cinxerit se* ad mortem, eam quasi spernens, vt timore Neronis Roma aufugeret: vnde horam sibi Domino reuelante audiuit; *venio Romam iterum crucifigi*: sacro eo in loco ipsum sistens, qui tantæ apparitionis memoria, traxit in nomen Petri interrogationem; cum videns sibi Christum occurrere dixit; *Domine quo vadis?* Quot, in paucis Domini verbis, latitant sensa!

VERS. V. *Et qui susceperit vnum paruulum*, &c.

13. Quoniam, *non minor est virtus, quàm quærere parta tueri*; postquam conflatam accepimus Ecclesiam, ex vtroque populo & Gentium & Iudæorum: in qua subinde maiores sunt & minores: *quis putas maior est in Regno Cœlorum?* immo & paruuli; quos tamen pauit, pascendosque monuit supra cap. 14. & 15. nunc eos suscipiendos indicit; & quoniam *vnum corpus sumus in Christo*; se susceptum in eo paruulo contestatur apud alios Euangelistas; titulo charitatis, vel ingentis remunerationis nutu; apud Matthæum gratia mysticæ vnitatis, quò series eius collimat. Dicit ergo, *qui susceperit*, ad eum sensum quo & Apostolus Roman. 15. propter quod, *suscipite inuicem, sicut Christus suscepit vos*; vt vnus D alium suscipiat, & secundùm charitatis affectum, vt scilicet vnus sustineat ea quæ sunt alterius, sicut & vult se sustineri; quantùm tamen charitas permittit: & vt vnus alium suscipiat adiuuandum & promouendum: *sicut & Christus suscepit vos*, in sua protectione & cura. Sic & capit. 14. *infirmum autem in fide assumite*. Iam ex Hilario diximus, *paruulos appellari fideles per audientiam fidei*: consentitque textus, *qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt*. Verùm quia vnitas Ecclesiæ E consistit nedum in vnitate veritatis fidei, sed in rectitudine bonæ operationis: placet ly *susceperit* exponi ad mentem Apostoli alibi; *suscipite infirmos*; F scilicet in visceribus charitatis fouendo eos, quorum est virtus debilis, vel ad resistendum malis, vel ad faciendum bona. Et totum hoc comprehendi videtur in eo quod ait idem Apostolus 1. Cor. 12. posuisse Deum quosdam tanquam *opitulationes, & gubernationes*; qui scilicet opem ferunt G maioribus Prælatis ad regimen Ecclesiæ, sicut Archidiaconi Episcopis, & sicut Parochiales Sacerdotes; Philipp. 4. *cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis*. Et huc glossa; *opitulationes dicit eos, qui maioribus ferunt opem. Vt Titus Apostolo vel Archidiaconi Episcopis. Gubernationes, scilicet minorum personarum. Prælationes, vt sunt præsbiteri, qui documento sunt.* Et sic in ordinatione Sacerdotum Episcopus dicit; *quanto fragiliores sumus* scilicet Apostolis, *tanto magis his auxilijs indigemus*.

D Rom. 15. l. 1.

E Philip. 3. l. 3.

F 1. Thes. 5. l. 2.

G 1. Cor. 12. lect. 5. opusc. 18. c. 25. in fine.

VERS. VI. *Qui autem scandalizauerit*; &c.

14. Dolet Dominus Isaiæ 49. *venerunt structores tui, destruentes te*: contra quos Apostolus Rom. 14. *quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus*; & 1. Thess. 5. *ædificate alterutrum*; & 1. Cor. 14. *ad ædificationem Ecclesiæ*. Destruit planè qui scandalizat; quia scandalum est occasio ruinæ alterius. Ad hæc idem Apostolus; vbi præmiserat, quod diximus *suscipite infirmos*, adiecit postea; *ab omni specie mala abstinete vos*: & dicit *specie*, H quia etiam quæ habent similitudinem malitiæ, vitare debemus: quæ scilicet non possumus seruare coram hominibus, absque scandalo eorum. Potestas quam Maioribus dedit Dominus, *dedit in ædificationem* (Ecclesiæ I) *& non in destructionem*. Dic modo, si graue adeo est, pusillum substructionis perdere lapidem, qui coædificatur; Ephes. 2. *coædificamini*; quid erit, si quis ea quæ creuerunt destruxerit? *omnis ædificatio constructa in Christo* (ibidem Ephes. 2.) *crescit in Templum sanctum*. Statim à principio L cum quis charitatem habet, Templum Dei est: 1. Cor. 3. *nescitis, quia Templum Dei estis; & spiritus Dei habitat in vobis?* & quanto magis proficimus, tanto magis Deus habitat in nobis. Vide lector, quàm grande sit piaculum; templum Dei scandalizando, teneram surgentem ecclesiam in pusillis, aut quæ creuerit in prouectioribus destruere; dictis vel factis minus rectis, seu prauo exemplo. Hinc idem Apostolus timens suo Timotheo aiebat; in prima c. 4. *exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*: & Titi cap. 2. *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum; in doctrina in integritate in grauitate*: & Petrus vno verbo in prima cap. 5. *forma*, inquit, *facti gregis ex animo*.

H 1. The. 5. l. 2.

I 2. Cor. 10. l. 2.

L Ephes. 2. l. 6.

Sequitur; *Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius*.

15. Expedit mori: sed cum bifariam possit intelligi; primò sic vt expediat fuisse præmortuum, antequam scandalo esset: non videtur hic genuinus contextui esse sensus; quandoquidem de quibuscumque peccantibus id nedum expedire, sed exoptari laudatum est, iuxta illud Sap. 4. *raptus est, ne malitia mutaret*

ret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius: ſicut Regina Blancha Sancti Ludouici Regis Galliarum parens, frequens dicebat; *mallem te, fili mi, te mortuum cernere, quàm Creatorem tuum mortali crimine offendentem*. Secundò ergò ſic accipi poteſt, vt ſignificet nedum, illi qui ſcandalizauerit *expedit* naturaliter mori, ne vlterius ſcandalizet; ſed vt morte violenta puniatur, vt qui ſcandalizati ſunt culpa, pœna ædificentur; quod ſupra in cap. ad t. 22. ex illo Lucæ 17. diximus. *Expedit*; ſic enim aliqualiter morbo ſerpenti occurritur. Mirabile eſt autem adhuc de necis circunſtantia, vt ſit mola ei appenſa aſinaria. Et dixerim in gyrum volui molarem lapidem, perenni, ex figura quæ circularis eſt, motu; ideoque inceſſantis ſuapte natura peccati deſcribi ſcandalum. Sic ex iniquis naſcitur iniquitas, vt colligitur Sap. 4. verſu 6. Et hac de cauſa dicit Dominus Exodi 20. *ego ſum Deus zeloter viſitans iniquitatem Patrum in filios*, (ecce *in filios* tranſitiuè) *in tertiam & quartam generationem*: quod intelligitur in quan-

L 1. 2. 108. 4. 1. tùm L peccatum vnius deriuatur in alterum, per imitationem. Aiebat enim & Seneca; *hæc eſt ſumma malorum, quod ad exemplum viuitur malorum*; & c. 1. Eſther, Gentiles etiam hoc præ oculis habuerunt: *egredietur*, inquiunt, *ſermo Reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit, vt Regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit: atque hoc exemplo, omnes Principum coniuges Perſarum atque Medorum, paruì pendent*

M 3. p. 59. 2. 5. *imperia maritorum*. Ex Pelagio ait Angelicus M adhuc pullulat infidelitas. Stupendum eſt, cùm filij non pereunt exemplo parentum. Quod quidem videtur firmari Numeri 26. vbi legitur; *factum eſt grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirent*; cap. 16. vbi factum eſt de Core ſpectaculum. An non ergo ad ſignificandam motionem ſcandaloſam neſciam finis, introducendum erat de mola aſinaria? Quod etiam ait *in collo eius*, de quibus nunc loquatur ſcandaloſis indicat, de Maioribus vtique; nam eminet membris alijs collum. Et ſic exponitur ly *Collum tuum*, in Eccleſia, *ſicut Turris eburnea*;

N Cant. 7. ideſt N doctores Sancti, qui verba vitæ populi annunciant, & alimentis doctrinæ cœleſtis auditores nutriunt. Qui hoc in munere deliquerunt, collo ſuſpenſa mola demergantur, dum non fuerunt farinam molentes, vt darent tanquam fideles prudenteſque ſerui, tritici menſuram familiæ, ſed pabula mortis. Ideo de probis Paſtoribus Ieremiæ 3. *dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina*. Et 1. Petri 5. *paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*. Contra malos è contra ingentes non deſunt increpationes: Ieremiæ 23. *in Prophetis Ieruſalem, vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij; & confortauerunt manus peſſimorum, vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua*. Et hoc

O 1. 2. 186. 10. exponitur propter O ſcandalum, quoniam ad horum vitam plures reſpiciunt. Inde Ezechielis 34. *væ Paſtoribus Iſrael*; vbi poſt alia; *gregem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis; & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt, non alligaſtis; & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat non quæſiſtis*. Et ſic Dominus Lucæ 11. *væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis*. Vno ergo ſcandalizato; *qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis*, vno duntaxat, veneficio quodam multi vel ab illo ſcandalizantur. Hinc Apocalypſis 22. *foris venefici*, ideſt

P Apoc. 22. malorum P perſuaſores: hinc Iob 41. myſticum Diaboli corpus ſub typo Leuiathan, dicitur *compactum ſquamis inuicem ſe prementibus* vt ſupra dictum eſt. Denique Eccleſiaſtici 11. *à ſcintilla vna augetur ignis*: quod appoſitè ad rem facere, non eſt qui non videat. Quibus de cauſis, dicit Hieronymus; *nihil eſſe remedij, ſed Maiorum exempla ad tartarum ducere*: & Dominus vniuerſaliter, quorumcumque ſcandala notans, ſiue à maioribus ſiue ab alijs: nam & æqualium & minorum exempla, recole ex Angelico, Q ſunt apta mouere; *Væ mundo*, inquit, *à ſcandalis*. Q 4. ſent. 38. q. 2. a. 3. in calce

VERS. VI. *Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit*,

Primitiua Eccleſia valde habuit, quod caueret atque admoneret, de ſcandalis, vt patet Roman. 14. & 1. Corinth. 8. imminente legalium exploſione, de quibus in calce capitis præcedentis dictum eſt, ſub didrachmæ ſpecie. Non mirum fuerit, ſi Dominus hunc attexit ſermonem. Sed admirabilius planè; quomodo poſt tot quæ dicta ſunt, adiecerit adhuc, & ſingulariter; *væ homini per quem ſcandalum venit*. Immo non ſolùm væ homini, ſed væ *homini illi*, pronomine nimirum adiuncto demonſtratiuo, *illi*. Nonne ſatis videtur fuiſſe, *væ homini*, quemadmodum paſſim aliàs in Scripturis? Signanter proculdubio, appoſitum eſt, ad innuendum ſingularem aliquem hominem, de illoque dolendum: ſicuti ſignanter cùm de proditore Iuda loqueretur, dixit Matthæi 26. *væ autem homini illi per quem tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*. Quis igitur ille ſit operæpretium eſt, humiliter ſcrutari. Conſidero mox dici à Domino; *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & proijce abs te*, &c. *Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te*. Hinc oritur difficultas; quoniam de his egerat ſupra c. 5. Vt quid eiſdem diſcipulis eadem repetit? Myſterium dico pro reſponſione. Ibi de membris hominis vnius phyſicè loquitur; & figuratè; prout expoſuimus; hic de corpore myſtico totius Eccleſiæ, deque membris ipſius potioribus 1. Cor. 12. conſtat de huiuſmodi myſticè accepto corpore; *multa quidem membra, vnum autem corpus*. Matthæi 5. contextus indicat ſermonem fieri de homine particulari; ſiquidem antequam de oculo ſcandalizante præciperet, dixerat de viſu mulieris ad eam concupiſcendam. Et præterea de oculo dextero ac manu diſcretio fit vbi ſupra Matthæi 5. quod quidem in hominibus phyſicè obſeruatum eſt, in quibus & læua debilior: hic ab eodem ſpiritu, & *in eodem ſpiritu* vt ait Apoſtolus, vnumquodque membrum ſuum actum habet, non eſt læuæ dexteræque diſtinctio. Denique nihil ibi de pede; quia cùm ſignet affectum, quo mouetur anima vice pedis; iam in particulari homine, cum oculo coincidit, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*: hic autem quia in corpore myſtico proprium obit munus, de pede diſtinguitur. Igitur cum præmiſſum fuerit de maiori in Eccleſia, quæ eſt Regnum Cœlorum; de membris eiuſdem fuerat conſecutiuè dicendum. Sentio itaque dum ait, *væ homini illi, per quem ſcandalum venit*, notare illum, quem maiorem in Eccleſia declarauerat; cui tanquam viſibili capiti cæteri tanquam membra iunguntur. Docuit Plato, quæcumque plura ſunt, ab vno deriuari. Vnde ergo oriri poſſint ſcandala & multiplicari, iam aperit: neque enim dicere voluit, *væ homini illi qui ſcandalizauerit*; ſed, *per quem ſcandalum venit*: præpoſitio enim illa *per*, cauſalitatis vim habet R multiplicis, vt aliàs tradit Angelicus: & ſic vim quoque motiuam denotat & impellentem. Sic dicitur, quòd Baliuus operatur per Regem; quia virtus Regis facit, quòd actio Baliui conſequatur effectum; & vt probat *in corpore articuli*; ly *per* notat auctoritatem principalis. Et in opuſc. reperio hanc ipſam ſimilitudinem, in qua elucet Epiſcopalis cauſalitas deſignata in illa præpoſitione *per*: inquit enim; Præsbyteri curati, vel etiam Archidiaconi ha- R p.p. 36. 3. opuſc. 18. c. 21. ad finem.

bent

bent aliquas administrationes sub Episcopis; & se habent, sicut Baliui vel Præpositi ad Regem. Tu nota Baliuatum dici Prouinciam. Exempla quippe

S 4. sent. 18. q 1. a. 3. fine. s maiorum præsertim mouent; Impellunt nos ad casum exempla cadentium, sicut Angeli T ad exemplum Luciferi. Supra cap. 2. *Herodes Rex turbatus*

T p.Cor. 10. l.4. *est, & omnis Ierosolyma cum illo*: patet inquit Bernardus, *quantum noceat iniqua potestas; quomodo caput impium subiectos quoque conformat impietati*. Dic Ecclesiastici 10. *secundum Iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis Rector est Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*. Omne malum à capite. Væ ergo capiti, dum quod est obliuiscitur, humanaque sapiens, ea quæ Dei sunt, non curat & destruit. Petro supra c.16. *non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*; si scandalizet propriè, quando tunc etiam illi dictum est à Domino, *scandalum es mihi*, heu quantum hominem redolet! heu quantùm diligit mundum! Ioan.1. c. 2. *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. Nam Mundus pro hominibus qui diligunt mundum accipitur, ibi *vos estis lux mundi*, Matthæi 5. Huc facit illud Apostoli 1. Cor. 3. *nonne carnales estis, & secundùm hominem*

V p.Cor. 3. l.1. *ambulatis*? scilicet secundùm naturam humanam, sibi V à Dei spiritu derelictam. Dic ergo *væ homini illi*; signanter *illi*, vt exposuimus in capite: ac si diceret *væ* meo Vicario carnaliter ambulanti, in quo scandala nidificant, dum per eum scandalum venit. Noluit autem, prout mihi videtur, sic comminatoriè loqui, dicendo *væ tibi Cephas*, sed suppresso nomine, adhuc alia de causa, ne dignitati esset dedecus. Nefas est enim vel audiri, ab Ecclesiæ Capite scandalum prouenire. Non absimiliter docuit An-

X 4. sent. 46. q. 2. a. 2. q. 2. ad 5. gelicus X peccatum summi Sacerdotis Aaron consentientis olim populi idololatriæ, occultè duntaxat fuisse punitum, propter scandalum, quod inde accipi poterat, vitandum. Dic tu, si innotuisset punitio, certius agnoscebatur ipsius culpa: & sic facile in scandalum. Quousque enim incertum erat de vindicta, incertum adhuc erat de culpa, vt aliqua de causa excusandus esset: & sic nondum comperto an peccasset, adimebatur alijs ansa peccandi.

VERS. VIII. *Si autem manus tua, &c.*

17. Intellexisse credendus est Petrus, quo collimaret isthæc Domini sententia: ideo proposito cauendi firmissimè fixus, cœpit intra se cogitare, quid sibi faciendum de membris sibi in corpore Ecclesiæ mysticè iunctis, si quando essent scandalo. Videns autem Dominus cogitatum eius fluctuansque iudicium, quidnam esset illi agendum decernit. At si diceret, tria tibi erunt præcipuè vnita membra ceu capiti: (1. Regum 15. *nonne cum paruulus esses in oculis tuis; Caput in tribubus Israel factus es?*) aut enim manus, aut pedis aut oculi munia gerent, qui tecum in ædificationem Ecclesiæ adsciti sunt. Tria hæc potissimùm tangit Apostolus membra, 1. Cor. 12. *non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo; aut iterum Caput pedibus; non estis mihi necessarij: vt in idipsum pro inuicem solicita sint membra*. Per

A p.Cor. 12. l.3. & Cant. 4. oculum significantur A contemplatiuæ vitæ deditì, qui per se ipsos veritatem habent respicere, suntque doctores: per pedes, ibi, satis intelligendi sunt subditi & inferiores: per manum, quæ *organum organorum est*, actiui. Augustinus relatus supra in Catena Matthæi 5. *quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu actio rectè intelligitur*. Veruntamen quoniam hic non describitur corpus Ecclesiæ, sed in quo possit Ecclesia detrimentum pati, aperitur, diuersimodè aliquantulum dicendum: per oculum quidem Doctores omnes: hi si falsam imbuerint doctrinam, mox eruendi sunt; neque enim fieri potest quin scandalizent, *te* inquit: quod pronomen, si Petrum alloqui teneamus, non refertur ad ipsum in persona, sed ad ipsum suis in membris; quorum, vice Christi, Caput futurum erat: nam Petrus, vt traditur, dilexit plusquam alij B Christum in membris

B p.p.q. 20. 4. ad 3. eius; Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Vnde Apostolus 2. Cor. 11. aiebat, *quis scandalizatur, & ego non vror*? ex vehementi charitatis affectu. Hoc etiam titulo; in Petrum fertur quod ait Dominus: *Si oculus tuus scandalizat te: erue eum*; hoc est abdica munere; ne obtenebratus falsæ doctrinæ erroribus insit corpori Ecclesiæ: & quoniam semel malus in eodem genere mali talis prudenter timetur: ad scandali tollendum periculum, ne iterum ad munus docendi speret assumi, *projice eum*, metaphoricò sensu, longius amandando, ne fortè ouile inficiat: Neque enim debes admittere oculos, *nisi columbæ, super riuulos aquarum, quæ lacte sint lotæ*: propter C innocentiam & simplicitatem. Dic tu, appositè C Cant. 5.

memorari, quando de paruulis introducitur: & sic Apostolus 1. Cor. 3. *lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*. Et Hebræor. 5. *qui lactis est particeps, paruulus est: perfectorum autem est solidus cibus*. Quod dicit de manu & pede iunctim, *si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te*, quod non fit Marci 9. neque Matthæi 5. velim ad actiuos in vnum pertinere. Qui enim sancta fidelibus ministrant, manus esse videntur: ij quibus dixit Dominus; *posui vos vt eatis*, scilicet ad euangelizandum, cito solicitoque gradu, referunt pedes. Isaiæ 57. & Roman. 10. *quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Et Naum 1. *Ecce super montes, pedes euangelizantis, & annunciantis pacem*. Quia ergo doctrina & moribus possunt fideles ita scandalizari; prouidet Dominus, quid de his agendum. De scandalosis huiusmodi oculis D. Ioannes in sua secũda: *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in Domum, nec Aue ei dixeritis*. Vno verbo; *erue eum & projice abs te*. Item de eisdem Sanctus Petrus in sua secunda c. 2. *fuerunt verò & pseudo-Prophetæ in populo; sicut & in vobis erunt Magistri mendaces*. Et Diuus Paulus; *ego scio; quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se*. Itemque 2. ad Tim. 3. *Seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes*. De scandalosis manu ac pede, potest accipi, quod præmittit; *in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, cupidi elati & blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores incontinentes, immites, sine benignitate, proditores proterui tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. De his dicit ibidem, *& hos deuita*. Quorum omnium præscius Dominus, *erue*, inquit, *& abscinde eum*. Cuius documenti hæres Ecclesia decernit, vt apud Angelicum; *Si quis amodo Episcopus Præsbiter aut Diaconus fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit, D à proprio gradu decidat*.

D opusc. 18. c. 23. Item; *si quis oblitus timorem Domini, & Sanctarum Scripturarum quæ dicunt; qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & post hanc constitutionem magni Concilij, fœnerauerit, vel centesimam exceperit, aut ex qualibet negocio inhonesto turpis lucri quæsierit; aut per diuersas species vini vel frugis, vel cuiuslibet rei, emendo vel vendendo, aliqua incrementa susceperit, de gradu suo deiectus, alienus habeatur à Clero*. Sic Clemens Papa IV. ob nefariam doctrinam Vuielmum de sancto amore Sigeriumque magistros Parisienses, posuit de Cathedra, expulsosque de Parisiensi studio, omni dignitate priuauit, vt fertur Prologo opusc. 19.

VERS.

VERS. VIII. & IX. *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum; cum vno oculo;* &c.

18. Chrysostomus; (in Catena c. 5.) *vult Christus, vt non solum de periculo nostri peccati curemus, sed etiam ne ad nos pertinentes turpe aliquid agant: quia non solum pro nostro peccato, sed etiam proximorum, quos prohibere possumus, dabimus rationem.* Veruntamen præmittit, quod rei nostræ apprimè accommodabitur ad intelligendum: inquit enim; *secundùm Prophetam; non est sanitas in carne nostra; quot membra quis habet, debet abscindere: si enim dexter oculus scandalizat, sinister quid facit? nunquid contradicit dextro, vt quasi innocens reseruetur?* Sed hic iam aperietur causa, cur de oculo singulariter dictum sit: nimirum ex præsumptione, vt Petrus, quà Summus Pontifex, quem tacitè alloquitur, minimè (absit secus euenire) scandalizet. Ipse enim oculus est præcipuus pes & manus. Quod quidem dictum velim à paritate. Nam Canticorum 4. de Ecclesia legimus; *dentes tui, sicut greges tonsarum:* vbi Angelicus; per dentes, Ecclesiæ Doctores figurantur; E dentibus enim cibos commolimus, & masticamus; & Sancti Doctores, benè dentibus conformantur, quia spirituales cibos, quos simplices capere nequeunt, ipsi quodammodo exponendo comminuunt. Dens Ecclesiæ præcipuus erat Petrus, cui dictum est in visione; (Act. 10.) *surge, occide & manduca:* hos quos ad fidem conuerteris, *occide* ab eo quod sunt, vt desinant esse peccatores; *& manduca;* hoc est, transfer in corpus Ecclesiæ. Hæc Diuus Thomas; ex quibus claret, quo sensu accipi possit, vnum remanere oculum, pedem vnum, vnam manum. Sed dices, si vnus huiusmodi scandalizans oculus eruitur; &c. cum non sit abbreuiata manus Domini, debet alius orthodoxus loco proiecti assumi; sicuti fert Sanctus Petrus in Actis subrogato Iudæ Matthia; *Et episcopatum eius* ex ps. 108. *accipiat alter.* Non ergo huc debuit deuenire sermo, vt monoculus ad vitam sic ingrediatur, vnimanus, & vnipes: & tamen verissimum est, cum vno oculo bonum esse ad vitam ingredi. Arcanus est ergo sensus. Diuus Iacobus c. 3. *nolite plures magistri fieri:* Augustinus; F *multi magistri dicuntur, quia contraria docent; & multi docentes vnum, vnus Magister sunt.* Et sic contrarietas, non pluralitas Doctorum prohibetur: seu, *plures* G idest diuisi: quia in eo quòd vera dicunt, omnes Magistri, vnus Magister sunt; quia officium vnius Magistri Cœlestis peragunt; Matthæi 23. *vnus est enim Magister vester qui in Cœlis est.* Sic itaque non intelligitur, Ecclesiam in suo corpore mystico, quæ *tota pulchra est,* Cantic. 4. exoculatam dextero vel sinistro ad Cœlum ingressuram; sed non nisi probata vnitate doctrinæ, illuc peruenturam. Sic ibidem; quanquam pluraliter prædictum sit, *oculi tui columbarum,* subiunctum est; *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum:* vt per hoc H vnitas Sanctorum Doctorum exprimatur. Hinc Augustinus 18. de Ciuitate Dei cap. 41. *denique,* inquit, *Auctores nostri; in quibus non frustrà sacrarum litterarum figitur & terminatur Canon, absit, vt inter se aliqua ratione dissentiant.* Qua quidem aurea sententia præuenit Sanctus Antistes Lutheri falsum assumptum, in suarum Assertionum procemio, dicentis, *cur Augustinus & Sancti Patres quoties pugnant?* &c. neque enim digladiantur, sed vnitate spiritus missis contentionibus conueniunt, vbi de Cathedra Petri successor intelligentiam decreuerit. Ideo singulariter dixit Apostolus 1. Cor. 12. *diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & interpretatio sermonum. Hæc omnia operatur, vnus atque idem spiritus.* Ephes. 4. *vnum corpus, & vnus spiritus:* & 2. Cor. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei; & nos credimus propter quod & loquimur.*

E Cant. 4.

F opusc. 19. c. 2. ad finem.

G Iacobi 3.

H Cant. 4.

Quàm bene etiam singulariter aiebat Leo Papa in sermone, *ab illuminato fidei oculo, humanæ sapientiæ fumus abscedat!* Et vide supra c. 5. quia de persona dixit; *si oculus tuus scandalizat te;* subdit; *expedit tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum,* &c. non vt hic diuisionem explosit, quæ cum Ecclesiæ fideique vnitate stare nequit.

Hoc ipsum liceat deducere de pede vno, vnaque manu. Vbi enim vnum perhibetur opus, vnitas inde & manus accipi potest. Act. 13. *segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et in Missæ præfatione de Apostolis; *quos operis tui Vicarios:* quanquam alias dicatur; *annunciauerunt opera Dei:* nam & Dominus dixit; *multa opera operatus sum;* sed tamen Apostolica annunciatio fuit vno ab ore; non ore bilingui: hinc forte singulariter Roman. *quomodo audient, sine prædicante?* deinde, *quomodo prædicabunt?* Et Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum:* & hos omnes non inquit ad opera, sed *in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Liceat adferre quod legitur 3. Regum 6. *& opus vnum erat in duobus Cherubim:* Et de ædificatoribus Ierusalem Esdræ 2. cap. 4. *ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium, vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Quod quamuis exponatur I de profectu spiritali cuiuscumque animæ: nihil prohibet ad Ecclesiam allegoricè referri; sicque vnitati manus adstipulari. Similiter dicendum de pedis vnitate: *quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Ezechielis certè 1. de pedibus Apostolicis pluraliter legimus; *pedes eorum pedes recti:* sed mox ad vnum pedem deflectitur; *& planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Cur non ait; *& planta pedum eorum, vel plantæ pedum eorum?* sicuti Apostolus Ephesiorum 6. habet; *& calceati pedes in præparationem Euangelij pacis?* Sed vbi eodem spiritu, eodemque vestigio pergitur, pes meritò dicendus est vnus: 2. Corinth. 12. *rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne eisdem vestigijs?* Si vt ait Augustinus amor & affectus pedis munia gerit; *pes meus, amor meus:* vbi eadem est charitatis ratio, idem erit vnius pedis incessus. Hinc Iob 13. *vestigia eius,* L scilicet Christi, *secutus est pes meus.* Neque quod dicit; *bonum est tibi ad vitam ingredi debilem,* ex abscissa manu, *vel claudum* ob abscissum pedem, imperfectionem designat: quandoquidem & Iacob Genesis 32. post figuram diuinæ luctæ, *claudicabat pede* mysterio; quia id post contemplationem: necesse est enim M *vt debilitato amore sæculi, conualescat quis ad amorem Dei;* vt Gregorius dicit super Ezechielem: & ideo vnus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat: omnis enim qui vno pede claudicat, solum illi pedi innititur, quem sanum habet. Dicatur ergo sancta isthæc claudicatio, sancta debilitas; coaptetur que illud Apostoli 2. Cor. 12. *cum infirmor, tunc potens sum,* & priùs ab ore Domini; *virtus in infirmitate perficitur.* Condecens autem fuit, vt eiusmodi de vno oculo paradigmate vnitati Ecclesiæ præluderetur, de qua mox palam, *dic Ecclesiæ:* quoniam vera Ecclesia non foret, quæ vna non esset; est vna fides & vnus Deus: Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma:* vnde & de vno paruulo introducitur per baptismum spiritualiter renato; Io. 3. *nisi quis renatus fuerit,* &c. Ad quam etiam oculi, pedis, manusque vnitatem, facit quod ait Augustinus Tract. 36. in Ioannem; *in quatuor Euangelijs, seu potiùs in quatuor libris vnius Euangelij:* nec non quod habetur Esdræ 1. cap. 3. *congregatus est ergo Populus, quasi vir vnus in Ierusalem.*

19.

I 2. 2. q. 24. 9. 1.

L 2. Cor. 12. 1. 5.

M 1. 2. 180. 7. ad 4.

VERS.

VERS. X. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis &c.*

20. Quam subdit causam cautè præcauendi contemptus excurrimus in capite: sic enim claret, sanctos Angelos omnes N videre immediate naturam diuinam; aliàs non essent beati; cum in sola visione diuinæ Essentiæ, rationalis creaturæ beatitudo consistat. Præmiserat; *bonum tibi est ad vitam ingredi*: consectarium erat, vt tangeret, quidnam sit hæc vita, quæ tanquam præmium promerendum ad quæque in eum finem agenda nos pelliceret: *hæc est* ergo *vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum &c.* Sed cùm quicunque vident Deum, confirmati sint in bono, vt summariè tradit; O eoquòd Deus est vniuersale Bonum, & ipsa Bonitas: vnde nihil boni deest, quod alibi quæri possit: surgit difficultas, quasi redundet ly *semper*: satis enim videbatur dici *vident faciem Patris mei*. Sed multiplex est responsio. Primò, idcirco additum ly *semper*; ad hoc immo, vt præfata theologica veritas de inamissione beatitudinis haberetur. Secundò vt caperetur (quod notat Angelicus P dici & in Symbolo) *vitam æternam*, non solùm propter durationem, sed magis propter æternitatis fruitionem. Quod dulciter meditatus nobis quoque ebibendum profert 1. Thessal. 4. *& sic semper cum Domino erimus*. Quis ergo vbi de tam ingenti perenni bono agitur, pusillum queat contemnere? insinuat his verbis Dominus æternitatem contemni summi Boni. Quis hæc recolens, non firmiter statuat, audiens Apostolum 1. Corinth. 8. *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Tertiò dici potest, in eo quod ait; *semper vident faciem Patris mei*, signanter locutus sit: ad edocendum, etiam circa pusillorum salutem superiores, supremos immo administrare Angelos: nam etsi, vt diximus, Q idque etiam ex Gregorio, omnes qui mittuntur exteriùs pro nostra salute assistant; videantque faciem Patris: nihilominus superiores, supremique Angeli, speciali quadam ratione assistere semper dicuntur; eoquòd non mittuntur exteriùs: & quoniam isti etiam nostræ cooperantur saluti multifariam, vt ex eodem Angelico, R ideo, vt quanti pretij esset pusilli anima innotesceret, cui cœlestis tota Curia insisteret, tactum est de supremis: quandoquidem vel ad illuminandum, (Hebr. 1.) *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Et ita figura liptotes, accipiendum erit ly *non contemnatis*: idest summa in æstimatione habeatis: neque enim potest, non esse præcelsæ conditionis, qui tantum meruit ministerium, quique in Cœlesti Patria beatis ijs agminibus sociandus est. Quòd si Angeli suum pusillis impendunt ministerium: si (quod sequitur) *& filius hominis venit saluare quod perierat*: quis tantæ fuerit vecordiæ, præsertim si ex officio incumbat ei, sicut Angelis (*Angelus* officij nomen est, non naturæ, vt ait Gregorius) vt negligat, vt contemnat, quod Cœlum tanti facit, tantumque Dominus ipse zelatus est? Vt ergo in quod solicita debeant esse inuicem Ecclesiæ membra, nempe ad altiorem gloriæ finem, innotesceret; Angelicam solicitudiné & custodiá ob oculos exposuerit Dominus. Et ecce quartò, Syntaxi subseruiens admodum, cur de Angelis attexuerit. Nam Ecclesia, quæ est congregatio fidelium secundùm statum viæ, S est congregatio comprehendentium secundùm statum Patriæ. Et sic ad eundem finem diuinæ fruitionis T ordinantur homines sicut & Angeli: vnde corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus; sed etiam ex Angelis. Dic ergo, vt Ecclesiæ latitudinem, sublimitatem quoque demonstraret, semetipsumque caput nedum hominum, sed & Angelorum, vt ibi, ostenderet, de Angelis introduxisse.

N Ephes. 3. l. 3. & p. p. 112. 3.

O opusc. 2. c. 166. & p. 1. 5. 4.

P opusc. 2. c. 184.

Q p. p. 112. 3.

R ibi a. 2. ad 1. & 2. & art. 3.

S 3. p. 8. 4. 2.

T ibi in corp.

VERS. XI. *Venit enim filius hominis saluare quod perierat.*

A fortiori veluti arguit Dominus; ac si diceret: 21.
Medicus qui ægrotum sanare venit, quem sanum fecit infirmari, nonnisi ægrè patitur: & dum Domum solo æquatam, denuò ædificat, ne iterum destruatur attentè curat. Exemplum veruntamen sumit de ouibus, vt Pastoris munus commendet. Ipse quippe est *Pastor bonus* Ioann. 10. *qui posuit animam suam pro ouibus suis*: immo Pastorum omnium Caput; sicut ait Diuus Petrus *in prima* cap. 5. *& cum apparuerit Princeps Pastorum*: nimirum, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlo*: Ezechielis 34. *pascam eas* (oues) *in montibus Israel*; V idest in Cœlestibus. Hæc vna ouis, quam quærere venit Dominus, centesima X reputatur; quia de hominibus reparabitur ruina Angelorum; vt eorum numerus integer sit. Sed ipse in eo quod ait *montibus*, Pastoris conditionem velim significari; nedum quia Prælatus, quod ait Angelicus A secundùm gradum & conuenientiam debet omnes alios excedere, & conuersatione & contemplatione: sed quia Pastor non tantùm esse debet, sed Episcopus: nam huiusmodi est etiam Christus Dominus, 1. Petri 2. *eratis sicut oues errantes; sed conuersi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*. Episcopi profectò dicuntur, vt notauit etiam Augustinus, B eo quòd superintendant. Nempe ab *epi* quod græcè est supra; & *scopes*, idest intentio. Hoc nomine donat etiam Diuus Paulus Actor. 20. Præsbyteros Ephesinæ Ecclesiæ; *attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, (hac de re vide C suis locis) *quam acquisiuit sanguine suo*. Ad hominem ergo, palpabili experimento ab humanis accepto, admonet Dominus de cura & solicitudine, vt Prælati præsertim augmento insudent Ecclesiæ. Quocirca Ephes. 4. *crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus*. Ne dura increpatione, quis audiat; Ieremiæ 13. *vbi est grex, qui datus est tibi: pecus inclytum tuum?* Et Ezechielis 34. *quod infirmum fuit non consolidastis; & quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis; & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis*. Vbi Septuaginta; *errans non reduxistis, & quod perijt non quæsistis*.

22. Verùm Dominus notanter dicit, *inuenta oue* gaudere admodum, qui iuit ad eam quærendam; quo insinuet dilectionem; nam ad charitatem sequitur gaudium: omnis D enim amans gaudet, ex coniunctione amati: vnde sequela charitatis est gaudium; Galat. 5. *charitas, gaudium*. In hoc autem Ecclesiæ, quæ ouile Christi est, completur ædificatio. Nam parum prodesset præhabitum fuisse de puritate doctrinę, morumque exemplo in oculo pede ac manu; nisi & in corde insinuaretur dilectio, quæ est gaudij parens. Profundè Angelicus astruens fidem esse simpliciter primam virtutum, sic ait; E ad rationem fundamenti, non solum requiritur, quòd sit primum, sed etiam quòd sic alijs partibus ædificij connexum; non enim esset fundamentum, nisi ei aliæ partes ædificij cohærerent. Connexio autem spiritualis ædificij est per charitatem; secundùm illud Coloss. 3. *super omnia charitatem habete; quod est vinculum perfectionis*: & ideo fides sine charitate fundamentum esse non potest. Tu animaduerte subinde, veritatem doctrinæ ac fidei, passim cum charitate requiri, mutuoq; iungi. Ephes. 4. *veritatem autem facientes in charitate*, Ioan. 3. c. 3. *in veritate, & charitate*: & 2. Thess. 2. *eoquòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent*. Sic 2. Cor. 13. ad illa verba; *idem sapite*; constat, inquit, F quòd corpora non possunt seruari & ordinari, nisi membra ordinentur ad inuicem: est autem duplex vnio necessaria ad membra Ecclesiæ

V D. Th. hic.

X Apoc. 12. ibi in solitudi-ne com. 1.

A 1. 2. 185. 1. ad 1.

B 2. 6. 184. 6. 1.

C loc. cit. & opusc. 18. c. 21. & 23.

D p. 2. 70. a. 3.

E 2. 2. q. 4. 7. ad 4.

F 2. Cor. 13. l. 3.

vnienda: vna est interior; vt scilicet idem sapiant per fidem, quantum ad intellectum idem credendo; & per amorem quantum ad affectum idem diligendo. Et ideo dicit *idem sapite*, idest idem sentiatis de fide; & idem diligatis affectu charitatis: alia est exterior scilicet pax; & ideo dicit *pacem habete*. Sic & ad Ephesios; ibi *solliciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis*: G charitas est coniunctio animorum: nulla autem rerum materialium coniunctio stare potest, nisi ligetur aliquo vinculo. Eodem modo, nec coniunctio animorum per charitatem stare potest, nisi ligetur; huiusmodi autem verum ligamen est pax. Et quia subdit Apostolus; *vnum corpus, & vnus spiritus*; sic exponit; *vnus spiritus*, vt habeatis spiritualem consensum, per vnitatem fidei & charitatis: *vnum corpus*; in quantum fideles sint ordinati ad inuicem, sicut membra vnum corpus constituentia: quo ordine, vt dixerat, pax emicat; quæ ex Augustino est *tranquillitas modi speciei & ordinis*. Sic super illud Ephes. 4. *ex quo totum corpus est compactum* inquit in 2.2. q.183.a.2. ad 1. *compactum*, scilicet per fidem, *& connexum*, scilicet per charitatem; *per omnem iuncturam subministrationis*, dum scilicet vnus alij seruit. Et ita ad Coloss. 2. vt expendit 2.2. q.39.1.

G Ephes. 4. l.1.

23. Vide lector admirabiliter, quod sic edisseritur ex Apostolo, apud Matthæum in verbis Domini reperiri. Postquam enim de vnitate fidei doctrinæ, morumque Christianorum præcautum est, sub titulo deuitandi scandali, seu ruinæ, ne corruant fideles lapides; de quibus & in Hymno; *tunsionibus pressuris expoliti lapides*, transitur ad reædificanda diruta, mysticè sine dubio, prout Act.15.præsertim ex Amos 9. legitur; *post hæc reuertar, & reædificabo Tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo*; &c. Rom. 14. *quæ ædificationis sunt inuicem custodiamus*. Et sic de subministratione: de qua tacitè, *si pes tuus, si manus tua, si oculus tuus*. Quàm benè connexio isthæc innuitur etiam ibi; *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*! dum ait Angelicus schisma damnans 2.2. q.39.a.1. vnitas particularis aliquorum ad inuicem, ordinatur ad vnitatem Ecclesiæ: sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis vnitatem. Et sic fit transitus ad vnitatem charitatis; videlicet ad correptionis fraternæ exercitationes. *Si peccauerit in te frater tuus: vade*: non mouetur anima pedibus, sed affectibus ex Augustino: *pes meus amor meus*: intellectus trahit res ad se; voluntas, in qua dilectio, trahitur à rebus. Ecce de charitate inculcari. Repetat Bernardus; *cadit asina; & est qui subleuet: perit anima; & non est qui cogitet*. Augustinus etiam; *sunt ne viscera Christianæ charitatis in te, qui plangis corpus à quo recessit anima, & non plangis animam, à qua recessit Deus?* Correctio autem fraterna, quæ est spiritualis quædam eleemosyna, decernitur propriissimè esse actus charitatis; H & potior quàm sit curatio corporalis infirmitatis; vel subuentio, qua excluditur exterior egestas: nam ad charitatem pertinet procurare fratris bonum: & remouere malum alicuius eiusdem rationis est, sicut bonum eius procurare. Ibidem autem docet, quomodo adhibere remedium peccato, in quantùm vergit in nocumentum aliorum, qui ex peccato læduntur vel scandalizantur; vel in quantùm est in nocumentum boni communis, pertinet ad iustitiam. Vide quàm cohærenter postquam dictum est de scandalo, subiectum sit de correctione fraterna, quæ ordinatur duntaxat ad bonum ipsius delinquentis. Opportunè autē de vtrisque, vbi de Christi Regno agitur; *adueniat Regnum tuum*, Regnumque Cœlorum dicitur Ecclesia; quia, *misericordia & veritas* Prou. 20. *custodiunt Regem*: sed additur; *& roboratur clementia thronus eius*. Et ecce paulo post, Dominum

H 2.2. q. 33.1.

summæ clementiæ similitudinem adferre; quando ei qui debebat decem millia talenta, debitum dimisit. Et quoniam hanc clementiam docet Petrum; qui interrogauerat; Domine *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* collige, præ tot alijs, hoc etiam forti argumento, Petri primatum: quandoquidem ex Seneca lib. 2. de clementia cap.3. *clementia est lenitas superioris aduersùs inferiorem*: est enim moderatiua exterioris punitionis; de quo I suis locis. Hoc autem quod introducitur de clementia, adnectitur charitati, de qua diximus in Ecclesiæ stabilitatem; quia clementia ex Angelico L maximè ad charitatem accedit.

I 2.2.157. a 1.

L 2.2. 157.4.

24. Sed illa debitoris similitudine multas alias virtutes, quæ ad proximi dilectionem attinent, desiderat sua in Ecclesia Dominus: quæq; concurrunt in eundem effectum, qui est prohibere mala proximorum, Exigit itaque pietatem, quæ remouet mala proximi, ex reuerentia quam habet quis ad aliquem Superiorem: exigit misericordiam, quæ remouet mala proximi ex hoc, quod in eis aliquis contristatur; in quantum æstimat ea ad se pertinere; quod prouenit ex amicitia, quæ facit amicos de eisdem gaudere & contristari: exigit clementiam, quæ hoc agit ex animi lenitate: mansuetudinem, quæ hoc facit in quantùm remouet iram incitantem ad vindictam. Ita M ex Angelico. Quæ si cupis, mirè in sacro textu reperies. De pietate: *nonne oportuit & te misereri conserui tui; sicut & ego tui misertus sum?* De misericordia: *videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde*. De lenitate: *debitum dimisit ei*. De mansuetudine: *si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*; ira enim est accensio sanguinis circa cor. Sic dum amouet à cordibus nostris, quæcunque charitati in proximum repugnant; additque respondens Petro, dimitte *non solum septies, sed septuagies septies*: iuxta illud Ecclesiastici 10. *omnis iniuriæ proximi ne memineris; & nihil agas in operibus iniuriæ*: itemque Prou. 20. *ne dicas; reddam malum*: quis dubitet, quin intendat ad concordiam & pacem promouere? vt Ecclesiam nedum vnitate fidei ac doctrinæ, nedum vinculo charitatis, sed animorum concordia per pacē stabiliat & firmet. Hebr. 12. *pacem sequimini & sanctimoniam; sine qua nemo videbit Deum*. Cohærenter quidem ad præmissa quoad correptionē; *vt salsedinem correptionis amor proximi temperet*, quod ait Hieronymus ad illud Marci 9. *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*. Vbi & Sanctus Thom. N præcepit charitatis & vnitatis pacem seruandam. Qualitercumque pax accipiatur O inquit Angelicus, & in gloria æterna, & in regimine, & in conuersatione, finis est pax. Et iterum; P finis, inquit, Euangelij est pax in Christo. Siue ergo consideretur Ecclesia tanquam Ciuitas, talis dicitur, quasi *Ciuium vnitas*, Q quia ab hoc scilicet ab vnitate Ciuium nominatur: siue dicatur Domus, pacem præsefert; iuxta illud ps. 67. *qui habitare facit vnius moris in domo*; secundùm aliam literam; R *vnanimes in domo*. Et hoc insinuatur satis in eo quòd fratres compellantur: *si peccauerit in te frater tuus*: & iterum; *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* secundùm quòd & in psal.132. *ecce quam bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*. Quanquam frater dicatur quis S propter fidem; Matth. 23. *omnes vos fratres estis*: 2. Cor. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater*. Et etiam ratione charitatis, *frater qui adiuuatur à fratre* Prouerb.18. *quasi Ciuitas firma*. Quid mirum si suis in Epistolis Paulus, primo in limine, post gratiam imploraverit pacem? *gratia vobis & pax*. Qua de causa etiam ad Gal. 3. scripsit; *non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus, neque liber; non est masculus, neque fœmina; omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu*.

M ibid 3.

N Io. 20. l. 6.

O 2. Cor. 1 l. 1.

P Ioa. 16. l 8.

Q Ps. 45. lit. c. & Hebr. 11. l. 1.

R Rom. 15. l. 1.

S 2. Cor. 1. l. 1.

Ad

25. Ad hæc facit quod dicitur Ecclesiastici 25. *concordia fratrum, & amor proximorum probata sunt coram Deo & hominibus*. Ideoque zelo huiusmodi Ecclesiasticæ vnitatis ac societatis docemur ex glossa super illud 1. Corinth. 5. *si is, qui frater nominatur, est fornicator*, &c. *cum huiusmodi nec cibum sumere*, docemur inquam *non temere & quolibet modo, sed per iudicium auferendos malos esse ab Ecclesiæ communione; & si per iudicium auferri non possunt; tolerentur potius*: vt refert T Angelicus; *non enim à communione quenquam prohibere possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico vel sæculari, nominatum atque conuictum*. Quoniam verò Ecclesia militans triumphantis exemplatum est: cur non commendanda fuerat pax & concordia? quando de triumphante propriè legitur psal. 147. *qui posuit fines tuos pacem*; & Isaiæ 32. *sedebit populus in pulchritudine pacis*, vt notat V Angelicus. Quocirca & Augustinus Tract. 26. in Ioannem; *in societate Sanctorum; vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta*. Hanc Ecclesiæ Sanctæ vnitatem ac pacem subinde commendat dicens de diuinissimo Sacramento, quod Christum Dominum continet, in quo ipsamet Ecclesia consolidatur: *propterea quippe, sicut etiam ante nos, hoc intellexerunt homines Dei; Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur; ex multis namque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit*: exclamatque; *ò sacramentum pietatis! ò signum vnitatis! ò vinculum charitatis!* Ad hanc amoris societatem ira indignatione & vindicta in fratres longè amandatis, comminatione seuera fideles cogit; *sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*: sed præcipuè in Petri monitum cedit, quem Ecclesiæ suæ successurum in caput destinauerat; nam & Moyses, qui Dux extitit populi, erat vt legitur Numeri 12. *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*: cuius mansuetudinis gratia dicit Dionysius in Epistola ad Demophilum, fuisse Dei apparitione dignum habitum. Quoniam aliàs habet Dominus Marci 13. *quod autem vobis dico, omnibus dico*: neque Petrus interrogat de hac debitoris similitudine, quemadmodum fecit Lucæ 12. *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* certissimè tenendum est, omnes discipulos alloqui; *sic & Pater meus cælestis faciet vobis; si non remiseritis*: vnde supra Matthæi 10. dixit eis; *ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*, vultque eos *simplices sicut columbas*. Vbi Chrysostomus homilia 34. *mansuetudinem ouium ostendite, quamuis ad lupos ituri; nec ad lupos duntaxat, sed in medio luporum. Nec verò ouium tantum mansuetudinem habere iubet, sed etiam columbæ simplicitatem. Erubescamus igitur, qui longè diuersa facientes, tanquam lupi in aduersarios ruimus.*

T opusc. 19. c. 3. ad finem.

V Hebr. 11. l. 3. & alibi.

26. Sanctus Doctor, recolens X Apostolos Cœlis adsimilari Iob 26. *Spiritus Domini ornauit Cœlos*; præ alijs capitibus id explicat, quia concordes; fertque illud Iob 25. *qui facit concordiam in sublimibus*. Quæ auctoritas licèt exponatur A de Angelis: nihilominus conuenienter accipitur etiam de cœlis propriè: B in inferioribus enim creaturis discordia multiplex inuenitur; tam in creaturis rationalibus, vt patet per contrarios motus humanarum voluntatum; quàm in creaturis corporalibus, vt ex earum contrarietate apparet; per quam generationi & corruptioni subduntur: sed in superioribus corporibus nulla contrarietas reperitur: vnde & incorruptibilia sunt. Vides ergo lector, quod in corporibus cœlestibus extat, intellectualibus aptari. Et hinc eruc intelligentiam sententiæ Domini, in hoc eodem capite; *quæcunque alligaueritis super terram, erunt alligata & in Cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*: Cur enim singulariter *in Cœlo?* quando paulo ante cap. 6. dixit Petro; *erit ligatum & in Cœlis; erit solutum & in Cœlis?* Origenes respondet; *non dixit in Cœlis, sicut Petro, sed in Cœlo vno, quia non sunt tantæ perfectionis sicut Petrus*. Verùm si velimus penitiùs circunstantias rimari, animaduerte; vnicuique Prælato licere incorrigibilem anathemate coercere; sed non nisi vt dictum est, consilio maturaque deliberatione. Tunc quod ille Prælatus fecit, toti Ecclesiæ probatum est; quia prudenter præsumitur fecisse; quando *duo vel tres fuere Christi nomine congregati*. Voluit ergo Dominus Ecclesiam, quæ paulo ante dicta fuerat Regnum Cœlorum, Cœli similitudine decorare: vt tota placidis moribus concordi animorum sensu, paceque imperturbata Cœlum æmularetur. Et sic dum *in Cœlo* intelligitur Ecclesia, qualificatur. Nec nouum sit Ecclesiæ Symbolum Cœlum esse: siquidem ibi C *factum est prælium magnum in Cœlo*; C Apoc. 12. idest, inquit, in Ecclesia, quæ claritate, sublimitate & stabilitate est Cœlum: in ipsa enim pugnant sancti Angeli pro hominum salute contra malos Angelos.

X Serm. vig. Pentecostes.

A p. 2. 102. 4. 6. 2. sent. 11. 1. 5. & Danielis 10.

B Iob 25.

Dic ergo Cœli huius concordiam, hoc est totius Ecclesiæ pacem inculcari à Domino, ab ipsoque in Canone Sacrificij peti; *quam pacificare custodire adunare digneris, toto Orbe terrarum*. Sanè & profanis probatum est; *concordia res paruæ crescunt, discordia res etiam maximæ dilabuntur*. Non potuit ergo, vt Ecclesiæ suæ firmitatem astrueret ac fundaret, exutis odijs, iniurijsque dimissis, pacem fratris ad fratrem, non præordinare. Quod quidem connexione manifesta ad id quod præiactum est, iungitur; nam qui mansuetus & mitis est, euadit humilis; humilisque vicissim mitis deprehenditur, supra, *discite à me* (cap. 11.) *quia mitis sum & humilis corde*. *Fundamentum* autem *aliud nemo potest ponere* (1. Corinth. 3.) *præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*. Ideo in præsenti; *qui humiliauerit se sicut paruulus iste*: &; *si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Adeo mitis mansuetusque fuit Petrus, vt *in carcere vinctus catenis duabus*, quasi inoffensus tranquillo quiesceret somno: vnde *excitauit eum Angelus, percusso latere*: quantùm humilis, supra copiosè visum est. Pontifices Summi Successores, ad imitandum humilitatis exemplum benè se seruos seruorum Dei nuncupant: & Episcopis omnibus, fratris domesticum nomen consueuerunt (ob ipsorum etiam D dignitatem) impertiri. O Petre humilis reuera quanquam caput dum inquis! *Domine* (te seruum recolens) *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Firmat Dominus sensa tua humilia, dum Lucæ 22. pronunciat; *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: ac si diceret, fratres tui dicentur fideles omnes: nedum fide, vt ibi E; sed & tui humilitatis dignatione. Et quid ly *conuersus?* fortè ad hanc de qua loquimur mansuetudinem, ita omni proculnam vbi Exodi 25. de Cherubim legitur; *respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est Arca*, profundè ait Angelicus; F mutuò se respicientes ad designandam concordiam eorum ad inuicem. Sic fit vt Christo vniamur; ex quo ait puto Augustinus; *non potest esse concors cum Christo, qui discors est à Christiano*. Ecclesiæ vnitas in duobus attenditur (ita 2. 2.) scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad inuicem seu communicatione: & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad vnum Caput. Hoc autem Caput est ipse Christus; cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex.

27.

D 1. Cor. 1. 1.

E loc. cit.

F p. 1. 101. 4. ad 6. 2. 2. 39. 1.

CAPVT XIX.

Marc. 14. a. 1. *ET factum est, cum consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & 2 venit in*
Marc. 10. a 1. *fines Iudææ, trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. 3 Et*
accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem
Genes. 1. d 27. *suam, quacunque ex causa? 4 Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem*
Genes. 2. d 21. *ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit: 5 Propter hoc dimittet homo patrem, &*
Ephes. 5. g. 31. *matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: 6 itaque iam non sunt duo, sed vna*
caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. 7 Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit
1. Cor. 6. d. 16. *dare libellum repudij: & dimittere? 8 Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri per-*
Deut. 24. a. 1. *misit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. 9 Dico autem vobis, quia*
Supr. 5. e. 32. *quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui di-*
missam duxerit, mœchatur. 10 Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non
Marc. 10. b. 11. *expedit nubere. 11 Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.*
Luc. 16. d. 18. *12 Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab ho-*
1. Cor. 7. b. 18. *minibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere*
Marc. 10. b 13. *capiat. 13 Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem in-*
crepabant eos. 14 Iesus verò ait eis. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: ta-
Luc. 18. c. 15. *lium est enim regnum cœlorum. 15 Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. 16 Et ecce vnus*
Supr. 18. a. 3. *accedens, ait illi. Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? 17 Qui dixit*
ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serua
Marc. 10. b. 17. *mandata. 18 Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis:*
Luc. 18. d. 16. *Non facies furtum: Non falsum testimonium dices: 19 Honora patrem tuum, & matrem tuam,*
Exod. 20. c. 13. *& diliges proximum tuum sicut teipsum. 20 Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuen-*
tute mea, quid adhuc mihi deest? 21 Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ ha-
bes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. 22 Cum audisset au-
tem adolescens verbum abijt, tristis: erat enim habens multas possessiones. 23 Iesus autem dixit di-
scipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. 24 Et iterum
dico vobis. Faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cæ-
lorum. 25 Auditis autem his, discipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit saluus
esse? 26 Aspiciens autem Iesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem
omnia possibilia sunt. 27 Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & se-
cuti sumus te: quid ergo erit nobis? 28 Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui
secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos
Infr. 20. b 16. *super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. 29 Et omnis, qui reliquerit domum,*
Marc. 10. d. 31. *vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter no-*
Luc. 13. f. 30. & 18. c. *men meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. 30 Multi autem erunt primi no-*
uissimi, & nouissimi primi.

VERS. I. *Migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem.*

VERS. II. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos, ibi.*

1. Etiam Galilæa, à qua migrat, in Prouincia Iudææ generaliter loquendo extat; sicut Samaria necnon Decapolis & aliæ regiones Israelitarum. Specialiter autem Iudæa dicebatur, in qua habitabat tribus Iuda & tribus Beniamin in meridionali plaga. Ita ex Beda A & Remigio. Ad hanc non ascendit adhuc; sed in terminos seu fines eius: nam vt dixerat Luc. 4. *quia & alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare.* Marcus cap. 10. palam refert iterum quæ conuenerant, qu.que secutæ erant eum, vt Matthæus inquit, docuisse turbas. Porrò Matthæus subticet de documentis; solumque dicit vno verbo sanasse eos: & quod mirum est, addit *ibi*: quæ loci circunstantia, nisi Syntaxi mirè honestaretur, quasi dixerim, redundans esset.

A D. Th. hic.

VERS. III. *Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa?*

2. Responsis diuinis Pharisæos reprimit tentantes; dixisse in primis Deum, *propter hanc dimittet homo Patrem & Matrem.* Adam vt à Deo inspiratus B hoc dixit: & sic Genesis 2. *dixitque Adam* &c. Deus autem vt Adam inspirans & docens. Quoniam verò de contextuum horum materia quoad libellum repudij atque indissolubile vinculum matrimonij, nedum Deuteronomij 24. sed supra cap. 5. ad versum 31. & 32. plura diximus; eò remittimus lectorem: hoc vnum animaduertentes, non sine mysterio iterum hic prolixiorem fieri à Domino sermonem de vxoris dimissu, prout in Syntaxi explicabitur. Vnum tantummodo stabiliendum est, nimirum sententiam Domini, cùm ait; *quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; non eum facere sensum, quasi liceat, ea dimissa propter fornicationem eius, aliam ducere: nam quamuis liceret, vt notat Angelicus C antiquitus in repudio legali, viro contrahere cum alia, quia poterat vir vnus habere plures vxores: & etiam quia per repudium soluebatur matrimonium: non sic in noua lege, etiam facto diuortio: vnde illud *nisi ob fornicationem*, cadit supra diuortium, quod sola fornicatio

B Ephes. 5. l. 10.

C 1. Cor. 7. l. 5.

faciat

faciat licitum, non autem supra id quod sequitur, *& aliam duxerit:* quasi vbi præcessit diuortium fornicationis causa, fas sit aliam ducere. Ita breuibus
D 4.sent. 35.q.1.a.5.4. Sanctus Thomas. D Siquidem cùm proposuisset argumentum ex hac auctoritate, sic infert; ergo videtur, quòd si causa fornicationis dimissa vxore aliam duxerit, non mœchetur. Respondet autem; ad quartum, dicendum, quòd exceptio illa, quæ est in verbis Domini, refertur ad dimissionem vxoris: & ideo obiectio ex falso intellectu procedit. Dic ergo in antiqua lege, vt notaui supra cap. 5. multis de caussis licuisse, vel indultum potiùs esse separari: non sic hodie, *permansiuè* intelligo, nisi causa fornicationis: nam ob periculum necis, posset separari à viro mulier & toro & cohabitatione, sed hæc periculi causa cessare potest: ideo ei ad tempus occurritur non definito diuortio; sicut in fornicatione, quæ matrimonij fidem irreparabiliter fregit. Supra c. 5. nihil dixit Dominus, de hoc quod est aliam ducere; sed solùm; *qui dimiserit vxorem excepta causa fornicationis, facit eam mœchari*, vt exposui ob cooperationem: nihilominus in eo quod adiecit; *qui dimissam duxerit adulterat*, satis decreuit esse indissolubile matrimonium; atque adeo vtrique coniugi, etiam post fornicationem, illicitum esse denuò contrahere, nouamque inire copulam. In no-
E 1.Cor. 7.l.3. ua tamen lege per glossam, coniux fidelis E licitè potest dimittere infidelem: quod exponit de infideli, qui caret non solùm habitu fidei, sed etiam Sacramento: quod ipse intelligo de Sacramento baptismatis, quia baptisma est Sacramentum fidei, vt aliàs dictum est. Et ideo subiungit; catholica non potest dimittere hæreticum. Vnde & Tridentinum Sessione 24. canone 5. *si quis dixerit propter hæresin dissolui posse matrimonij vinculum; anathema sit.* Et nota sermonem esse post matrimonium contractum inter duos infideles, quorum alter baptizetur: nam si baptizatus contrahat cum non baptizato, irritum est; ob impedimentum quod est *cultus disparitas*. Et nihilominus; si post contractum inter infideles alter fidelis fiat, alterque nolit cohabitare sine contumelia nominis Christi, dimitti debet, quia contumelia Creatoris matrimonium sol-
F ibi l.4. uit secundum glossam; F & potest fidelis contrahere: Et hoc ex Apostolo qui habet; *si infidelis discedit, discedat; non enim seruituti subiectus est frater vel soror in eiusmodi.* Quocirca iterum docet etsi matrimonium soluatur, remanere impedimen-
G ibi l.3. tum G in discedente infideli. Dic tu sic iustum esse: ne infidelis ex sua infidelitate reportet commo-
H 4.sent. 35.1.5. dum: vt in H simili de adulteris dici solet.

VERS. X. *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.*

3.
I D. Th. hic. Moti sunt ad hoc dicendum, quoniam audierant non posse vxorem dimitti, nisi ob vnam causam; I cùm tamen multæ aliæ causæ reddant matrimonium onerosum; immunditia, vt lepra, & huiusmodi: (intersero ex Hieronymo, *quid si vxor temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus?*) Aliàs Ecclesiastici 25. *commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Hinc ipse colligo propensos ad cælibatum discipulos. Nec secus esse
L 3.d.3. q.1.a.2.q.1. ad 4. potuit conuersantibus Domino: L nam si de beata Virgine scripsit Ambrosius subscribitque Angelicus; tantam fuisse ipsius puritatem, *vt ipsam inuisentibus castitatis insigne conferret*: id certè magis de Christo. Sed valde profundum est quod subdit; *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Nam non omnino arridet, referri sententiam Domini ad continentiam, de qua mox loquitur: potius videtur spectare ad discipulorum expressam difficultatem, vt non expediat nubere, si res ita se habeat, vt solùm ob fornicationem &c. Itaque velim hunc fieri sensum; *non omnes capiunt verbum istud*, de non dimittenda vxore, &c. Difficilis profectò est definitionis huiusmodi tenor, vtpote, quæ quasi sonat, vbi sit causa fornicationis solui matrimonium, vt supra ex Diuo Thoma obiecimus: quamuis appositè expositum; vt veluti parenthesi quadam adiectum sit, *nisi ob fornicationem*; quo cadat supra dimissionem seu separationem, non supra nouam ducendam. Et legitimè sic interpretari patet ex Diuo Marco qui cap. 10. refert, sine illa clausula, *nisi ob fornicationem; quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Planius fuerat, si Matthæus quoque de fornicatione nihil dixisset: vel planiùs enunciari poterat, dicendo exempli gratia sic: *posthac nunquam licebit dimittere vxorem, nisi ob fornicationem: veruntamen neque in hoc casu licebit aliam ducere.* Cur sic interiectum est, *nisi ob fornicationem?* Quod verbum certè posset contumax trahere ad eum sensum, vt vbi præfuerit fornicatio, liceat ducere aliam: propterea *non omnes capiunt verbum istud*, qua scilicet arcana intelligentia inuolutum sit allegoricè, fas esse ob fornicationem, nedum vxorem dimittere, sed & aliam ducere: exceptaque illa causa, non admittendum esse diuortium. Sed hæc ad Syntaxin sustine.

VERS. VII. *Sunt enim Eunuchi, qui de Matris vtero sic nati sunt*, &c.

Tetigerat capite præcedenti Dominus de consilijs; nam dum dixit; *non solum septies sed septuagies septies* dimittendum fratri, quando iustè possit exigere quis vindictam, consilium M est, vt notat Angelicus, quo quis in aliquo facto, non sequitur voluntatem suam, cùm licitè posset. Et ideo nunc pergens, ad obseruanda consilia simpliciter, & non in aliquo casu, simpliciter ea proponit. Et quidem hic incipit de continentia perpetua aduersus Iouinianum, qui N matrimonium adæquauit virginitati. Et quia hoc continentiæ consilium confert ad perfectionem O instrumentaliter & dispositiuè; intuitu pariter perfectionis, P non sit in nouo testamento permissio libelli repudij; Hebræorum 6. *ad perfectum feramur.* Prædictum autem consilium, (sicut & alia duo, paupertas voluntaria & obedientia) etsi quantùm est de se, sit Q omnibus expediens, nihilominus ex indispositione, fit vt alicuius affectus, ad illud non inclinatur; ideo Dominus mentionem facit de idoneitate dicens, *qui potest capere capiat:* Et similiter Apostolus 1. Corinth. 7. præmisso consilio virginitatis dicit; *porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam.* Arduum est quippe: R & quia ab eius consecutione deficit hominum virtus communis; & quia non nisi dono Dei ad eam peruenitur. Vnde dicitur Sapientiæ 8. *sciui quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det*; & Apostolus ibidem, hac de re; *vnusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic:* vbi apertè continentiæ bonum dono Dei adscribitur. Sed ne rursus ad hoc donum consequendum, aliquis secundùm suas vires conari negligat; Dominus ad hoc hortatur communiter: & primò quidem exemplo; cùm dicit; *sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt; non membrorum abscissione* ex Chrysostomo, *sed malarum cogitationum interemptione.* Et deinde inuitat proponens præmium, cùm subdit; *propter Regnum Cælorum*; vnde dicitur Sapient. 4. *casta generatio in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Vltimò hortatur verbo cum dicit; *qui potest capere capiat:* quæ vt Hieronymus dicit, *hortantis Domini vox est; & milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis; quasi dicat; qui potest pugnare pugnet, superet ac triumphet.* Huc nota secundum Statuta Nicæni Concilij,

4. M p. 2. 108. 4. N ibi. O 2. 2æ 186. 2. P 1.Cor. 7. l.1. Q p. 2. 108. 4. ad 1. R opusc. 18. c. 8.

cilij, S [S 2.2.65. a. 3. & opusc. 18. c. 9] puniri eos, qui se castrauerunt propter castitatem seruandam. Quocirca idem Chrysostomus; (homil. 63. in Matthæum) *maledictioni est obnoxius, qui membrum abscindit; etenim homicidæ sunt, qui talia præsumunt: neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma, quod in nobis est: & præcipuè à proposito incontinenti, & mente negligente; nec ita abscissio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frænum*: Ecclesiastici 20. *concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam*. Propterea Apostolus 1. Corinth. 7. *melius est nubere, quam vri*. Sicut autem non expedit cuilibet à matrimonio omnino abstinere; T [T 3. cont. Gent. c. 136.] ita nec expediens fuit omni tempore; quando necessaria fuit multiplicatio generis humani: vel propter hominum paucitatem, sicut in principio, quo humanum genus cœpit multiplicari; siue propter paucitatem fidelis populi; quando oportebat ipsum per carnalem generationem multiplicari, vt fuit in veteri testamento. Et ideo consilium de continentia perpetua obseruanda, reseruatum est temporibus noui testamenti, quando spiritualis populus per spiritualem generationem multiplicatur. Ne tamen spes perueniendi ad perfectionem tolleretur, V [V 2. 2. 186. a. 4. ad 1.] assumpsit ad perfectionis statum etiam illos, quos inuenit matrimonio iunctos; sicut Petrum, qui Matthæi 8. Socrum habuisse perhibetur: non autem poterat absque iniuria fieri, quòd viri vxores desererent: & ideo Petrum, quem inuenit matrimonio iunctum, non separauit ab vxore; Ioannem tamen volentem nubere à nuptijs reuocauit.

5. Qui vult castitatis seruandæ fouere disciplinam, audiat Angelicum dicentem; X [X 3. cont. Gent. c. 136.] debilitantur concupiscentiæ per abstinentiam, & alia exercitia corporalia, quæ conueniunt ijs, qui continentiæ propositum habent. Et in opusc. A [A opusc. 18. 9.] fusè de præseruatiuis remedijs, habes quo muniaris: neque enim sine huiusmodi adminiculis, quæ corpus macerent, impinguent animam; neque sine frequenti mortis cogitatione, mentisque ab hisce terrenis eleuatione crebroque ad Deum recursu, poterit quis vita cælibe Angelicis spiritibus æquiparari: (Virginitas vt ait ibi *contra Gentes*, dicitur, *Angelis esse cognata*.) ita Hieronymus: benè verò id sibi sperari de sursum licuerit, si carnis illecebris, spiritus delicias obiecerit: fiet enim vt voluptates despiciat omnes, dum semel gustauerit, quoniam *dulcis est Dominus*; iuxta illud psalm. 33. *gustate & videte, quoniam suauis est Dominus*; & 1. Petri 2. *si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*. Quid enim diuinæ dulcedini cinis iste? de quo Augustinus; *respersisti delectationes meas amaritudinibus*. Vide B [B 3. cont. Gent. c. 136.] Angelicum de eorum errore, qui perpetuam continentiam impugnant. Contra hos siquidem reor introduxisse Dominum de eunuchis de matris vtero, & de ijs qui facti sunt ab hominibus, scilicet ex Hieronymo, *quos captiuitas facit, vel deliciæ matronales. Excogita*, inquit Chrysostomus, *si ab alijs excisus esses, quid vtique faceres? voluptate quidem priuatus, mercedem non haberes*. Nota: *Eunuchos* græcum verbum esse; & sic dicitur à custodiendis & asseruandis cubilibus diuitum matronarum: quamuis alio etymo, dicatur coeundi impotens. Hebraicè castratus dicitur *Saris*. Est autem duplex castratio: in vna adimuntur testes, in altera, virga. Castratio prohibita erat in Israel quocumque modo; Deuteronomij 23. *non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis, vel abscisso veretro, Ecclesiam Domini*. Excludebantur autem, vt ibi ex Angelico C [C p. 2. 105. 4. 2.] dixi & explicui, ob defectum honoris, qui Paternitati debetur; & præcipuè in populo Iudæorum, in quo Dei cultus conseruabatur per carnis generationem: tamen quantùm ad ea, quæ ad gratiam Dei pertinent, Eunuchi ab alijs non separabantur. Isaiæ 56. *non dicat Eunuchus, lignum aridum sum ego*. Habemus autem, qualiter quanquam ex suis non, aliunde tamen habuerunt Reges Israel Eunuchos, quos vel à Gentibus receperunt, vel qui ob infirmitatem tales facti erant, quos mulieribus præfecerunt 4. Regum 8. & deinceps. Solebant enim Eunuchi emi à Principibus & opulentis ciuibus; vt in conclaui assidentes vxoribus & filiabus, asseruarent ne quispiam stuprum inferret. Euincit itaque Dominus generationis carnalis, in qua voluptas exorbitat, non astrui posse necessitatem; quando vel natura vel arte contingit fieri euiratos. Carnaliter autem, *abscindere membra, dæmoniacæ tentationis est*, vt ait Chrysostomus. Quare nec puerilis conseruandæ vocis gratia exsectis ouis, licitum est castrari: neque enim quisquam dominus est membrorum suorum. Præterquam iniurium est naturæ, ipsam fraudare suo fine; quando altioris finis intentione, defectus prolis castratione mystica non compensetur. De virginitate autem, quomodo licita sit; sit virtus; excellentiorque D [D 2. 2. 152. a. 3. 3. & 4.] matrimonio, copiosè legito. Qua de re satis diximus Genesis 1. ad versum 28. Eunuchi non semper in Scripturis dicuntur veri spadones; sed illi omnes qui officijs illis quibus olim spadones præfici solebant, præficiebantur. Cùm enim securitatis causa solerent spadones præfici cubiculis Reginarum & heroinarum, atque explorata eorundem fide & industria, postmodum alijs quoque admoueri, etiam primis aulæ muneribus; maximè verò custodiæ regiæ: hinc nomine Eunuchorum postea dicti sunt, quotquot illis officijs fungebantur; etsi veri Eunuchi, seu spadones non essent. Patet ex Putiphare, qui licet vxorem haberet & liberos, Eunuchus Genesis 37. vocatur.

VERS. XIII. *Tunc oblati sunt ei paruuli*, &c.

Puerorum oblatio, quadam cohærentia præmissorum de vetito libello repudij, sic potest accipi. 6.
Permissio libelli repudij E [E 1. Cor. 7. l. 1.] non fit in nouo Testamento ob ipsius perfectionem: erat ergo nonnihil de hac perfectione tangendum. Hanc perfectionem, paruulorum paritate declarat & Apostolus dicens 1. Corinth. 13. *cùm autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli*. *Lex* Hebræorum 7, *nihil ad perfectum adduxit*: ideo vt docet F [F p. 3. 102. 5. ad 3. 3. p. 72. a. 1. ad 1. & 4. sent. d. 7. 1. 2. 1. quæst. 1. ad 3.] Sacramento confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit respondere in veteri lege aliquod Sacramentum. Quid ergo prohibet dicamus, insinuari de Sacramento confirmationis? Certè Angelicus probat hoc in facto, innotescere G [G 4. sent. loco cit. ad 1.] Christi institutionem: ait enim: probabilior videtur aliorum opinio, qui dicunt hoc Sacramentum, sicut & omnia alia à Christo fuisse institutum: quod patet ex hoc quòd ipse etiam Dominus manus pueris imponebat. Vel aliquo modo præfiguratum fuit H [H ibi a. 1. q. 1. ad 1.] hoc Sacramentum in ea manuum impositione. Claret autem impositionem manuum in Sacramentis Ecclesiæ I [I 3. p. 84. 4.] fieri ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum: quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus-Sancti. Et ibidem L [L ibi arg. 2.] videtur tacitè probare hoc in contextu esse confirmationis exemplar.

Verùm quoniam præmissum est de eunuchis, *qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Cælorum*; 7.
adhuc videtur, hoc paruulorum accessu significari, quidnam sit castrari se ipsos: nimirum, vt alias inquit Hilarius, *reuerti in naturam puerorum*. Quocirca & Hieronymus; *sicut iste paruulus non videns pulchram mulierem delectatur*; &c. *sic & vos, nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem*,

tem, non poteritis Regnum Cœlorum intrare. Angelicus hic: Dominus commendauerat castitatem: & quia in paruulis est castitas & puritas; ideo credentes ei complacere, offerunt paruulos. Et August. in lib. *de virginitate*; inquit; *sequimini agnum, ne bonum virginitatis à vobis pereat*. Augustinus item in psal. 112. *laudate pueri Dominum*, inquit; *ne arbitremini ad vos istam exhortationem non pertinere, quia iam corporis pueritiam supergressi, vel iuuenili decore virescitis, vel senili honore canescitis*. Et deinde; *sit senectus vestra puerilis*. Et in libro de sancta virginitate; *pergite sancti Dei pueri ac puellæ; pergite perseueranter: in fine vos afferetis ad nuptias Agni; vbi canticum, quale nemo poterit dicere, nisi vos*. Apocalypsis 14, *hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno: primitiæ,*
M Apoc. 14. com. 3. M quia primordia vitæ suæ obtulerunt Deo. Ecce hic apud Matthæum de oblatione ipsorum; *oblati sunt ei paruuli*. Et quia ibi in Apocalypsi dicitur; *sequuntur agnum quocumque ierit*: ecce sequelę huius specimen in hoc sacro textu; *finite paruulos; & nolite eos prohibere ad me venire*. Nihil proinde obest, si sequitur *abijt inde*, quandoquidem, *sequuntur eum quocumque ierit*. In hymno; *quocumque pergis, Virgines sequuntur*; &c. Augustinus in eodem lib. de Virginitate; *ecce ille agnus graditur in itinere virginali: vos ergo vos ite post eum virgines eius: quia propter hoc vnum, quocumque ierit, se-*
N 2. 2. 152. 5. 2. *quimini eum*: quia scilicet imitantur Christum N non solùm in integritate mentis, quod nobilissimum animæ est; sed etiam in integritate carnis; ex ipsomet Augustino. Dum autem perhibetur Dominus imposuisse pueris manus: immo vt dicit Marcus; *complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos*: quid moraliter hoc est, nisi quod ipsemet loquitur Augustinus 8. confessionum cap. 11. *aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem; extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ; ibi iuuentus multa, & omnis ætas; & graues viduæ & virgines anus. Irridebatque me irrisione exhortatoria, quasi diceret: tu non poteris quod isti & istæ? an isti & istæ in semetipsis possunt, & non in Domino Deo suo? Quid in te stas, & non stas? proijce te in eum: noli metuere. Non se subtrahet vt cadas: proijce te securus, & excipiet te & saluabit te*. De quo 2. 2. 189. a. 10. & opusc. 17. c. 9.

8. Porrò cùm vt supra dictum est, dederit Dominus
O p. 2. 108.4.1. consilium perpetuæ castitatis; O *sunt Eunuchi qui se castrauerunt*: dum hic subdit de oblatis pueris, pro ætate sine dubio vix sui iuris; & veluti ad nutum Maiorum, obedientiæ plenariæ consilium tetigisse videtur. Indicatur multipliciter. In primis in eo quòd simpliciter *oblati sunt*: illi enim vt ait Angeli-
P 2. 2. 186. 5. 1. cus, P qui in sæculo viuunt, aliquid sibi retinent, aliquid Deo largiuntur; & secundùm hoc obedientiæ Prælatorum subduntur; Hebr. vltimo *obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*: alij verò totaliter se & sua tribuunt Deo, vt ij qui viuunt in Religione. Deinde in eo quòd legimus; *vt manus eis imponeret: & cum imposuisset eis manus*: per ma-
Q Iob. 1. 1.2. num quippe significatur Q potestas: Iob 2. *ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt*. Vbi autem est potestas, subiectio arguitur, iuxta illud Rom. 13. *omnis anima potestatibus superioribus subdita sit*.
R 2. 2. 186. 8. 1. & a 5. ad 5. & corp. S Hebr. 6. l. 1. Sanè qui obedit R sequitur alterius voluntatem; Aliàs imposuit sæpè Dominus manus S miracula faciens: & prout diximus, imponitur manus ad gratiæ abundantiam: sed denuò ad obedientiæ subie-

ctionem. Denique consilium obedientiæ includitur
T 2.2. citata. T in ipsa Christi sequela. In Christo autem V maximè commendatur obedientia; Philipp. 2. *factus obediens vsque ad mortem*; quem sequimur non solùm imitando opera, sed etiam obediendo mandatis ipsius, Ioannis, X 10. *oues meæ vocem meam audiunt & sequuntur me*: ideo dixit Dominus; *& sequatur me*. Dic ergo, cùm ait *finite paruulos ad me venire*, huic perfectioni obedientiæ prælusisse. Quocirca Ambrosius Lucæ 5. *sequi iubet non corporis gressu, sed mentis affectu*. Iam paulo post adiunxit, *& sequere me*: Petrusque adiecit, *& secuti sumus te*. Gloria certè magna Ecclesiastici 23. *est sequi Dominum*. Ideo videtur subiecisse; *talium est enim Regnum Cœlorum*. Quod nedum velim referri ad ipsos Angelos, quorum est iam Regnum Cœlorum; quibusque tanquam cognatione quadam iuncti sunt Virgines: nedum quia *Virgines in vita æterna*, vt ait Isidorus lib. 2. de summo Bono *feliciores erunt*: (quod probat ex illo Isaiæ 56. ad eunuchos; *dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum; & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*;) sed etiam quia votum obedientiæ est inter alia Religionis vota præcipuum; quia vt ait Gregorius, A *per obedientiam voluntas propria mactatur*. Vnde si promPsit Dominus supra c. 7. *qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum*; proculdubio *talium* obedientium *est Regnum Cœlorum*.

V 2. 2. 186. 5. in sed contra.

X p. 2. 108. 4. ad 3.

A 2. 2. 186. 8.

Priusquam autem vltra pergamus, est quod ingerat admirationem: nimirum discipulos increpasse offerentes, immò vt apud Marcum cap. 10. comminatos offerentibus. Dicit Chrysostomus; *quis enim mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo simplex infantia?* quid igitur hoc zeli discipulorum? 9.
Marcus addit; *quod cum videret Iesus, indignè tulit*. Idem Chrysostomus videtur culpare Apostolos, qui obliti puerilis innocentiæ, quam ante modicum tempus commendarat; *nisi efficiamini sicut paruuli* &c. vetabant pueros ad Christum quasi indignos accedere. Veruntamen ipse nolim ad duodecim retorqueri, sed ad alios; nam vt ait Hilarius ferturque supra cap. 8. *discipulorum nomen non duodecim tantum Apostolis conuenire æstimandum est; nam præter Apostolos, plures fuisse discipulos legimus*: ibi; *alius autem de discipulis eius ait illi; permitte me primum ire & sepelire Patrem meum*. Et Theophylactus; *discipulos vocat* (Lucas) *non solùm duodecim aut septuaginta, sed omnes qui Christum sequebantur; seu causa miraculorum, seu ad aliquam delectationem doctrinæ, quibus ingeri pueri potuerunt; vt narrant alij Euangelistæ*. Lucæ 19. *turbæ descendentium discipulorum*: & supra c. 6. *turba discipulorum eius*: hic autem quoque legimus; *& secutæ sunt eum turbæ multæ*. Hoc ipsum de discipulis communiter; quòd ab eo discerent, quod ad æternam vitam pertineret, sentit Augustinus 2. de consensu Euang. cap. 17. Iuxta hanc interpretationem, libet accipere quod ait Hieronymus; *non quia nollent eis Saluatoris & manu & voce benedici; sed quòd nondum habentes plenissimam fidem, putarent eum in similitudinem aliorum hominum importunitate offerentium lassari*. Addit Angelicus; B quia magnam opinio- B D.Th. hic & op. 12. c. 4.
nem habebant de Christo: ideò videbatur eis minus decere, vt paruuli accederent ad ipsum. Quanquam consuetudo inualuerat, vt pueri offerrentur antiquis, quos benedicerent, orando in signum quòd benedictio est à Deo; vt ait Remigius.

Cæterum quod hic denarratur de prohibentibus pueros, ne Christo offerrentur; alta Saluatoris prouidentia factum arbitror: quo inde edocerentur fideles, propheticè veluti occursum esse ijs erroribus, quos Diabolus in Ecclesia, sed præsenti sententia 10.

Do-

Domini extirpandos, disseminaret. Præscius fuit indubitanter hic Dominus; insurrecturos Iouinianum Romæ, Vigilantium in Gallia; vt ait Augustinus lib. de agone Christiano, (ferturque opusc. 17. c. 1.) *quæ antea errorum monstris caruerant; qui pari vesania virginitati matrimonium, paupertati diuitum statum præsumpserunt æquare; manifesta perfidia, euangelica & apostolica consilia, quantum in ipsis est, reddentes inania: Si enim diuitiæ paupertati, virginitati matrimonium comparantur ex æquo, frustra vel Dominus de paupertate seruanda, vel eius Apostolus de virginitate custodienda dedit consilium. Vnde insignis Doctor Hieronymus, vtrumque eorum efficaciter confutauit.* Subdit Angelicus: C insurgunt iteratò in Gallia noui Vigilantij à consiliorum obseruantia multipliciter & astutè homines retrahentes: primò namque proponunt, nullos consiliorum obseruantiam, per Religionis introitum debere assumere, nisi priùs in mandatorum obseruantia exercitatos: per quorum dictum, & pueris & peccatoribus, & nouiter conuersis ad fidem, accipiendæ perfectionis via præcluditur. Ipsemet Angelicus Doctor ex instituto pluribus locis rem hanc profundè tractat, D impios confundens; quærens *an pueri sint recipiendi in Religione*. Nihilominus, quanquam vbique perdoctè, fortiùs nullibi atque in opusculo præfato E; nunquam oblitus, quod in præsenti factum est de puerorum oblatione. Et planè etiam ex Philosopho id comprobat, addens ex communi hominum consuetudine clarere; secundùm quam homines à pueritia applicantur officijs vel artibus, in quibus vitam sunt acturi. Sicut qui futuri sunt clerici, mox à pueritia in clericatu erudiuntur: qui futuri sunt milites, oportet, quòd à pueritia in militaribus exercitijs nutriantur, si ut Vegetius dicit *in lib. de re militari*; qui futuri sunt fabri, fabrilem artem à pueritia discunt: cur igitur in hoc solo regula fallet, vt non à pueritia Religioni exerceantur? Quinimmo necesse est vt quantò aliquid est difficilius, tantò ad illud portandum magis homo à pueritia consuescat: clauditque Caput illud, dicens; sic igitur manifestè apparet, quod in pueris locum non habet quod dicunt; oportere aliquem priùs in mandatis exerceri, quàm ad consilia transeat Religionem intrando. Quis enim dicat F volenti continentiam vel Virginitatem seruare, vt priùs in matrimonio castè viuat? quis dicat paupertatem pro Christo volenti subire, vt priùs in diuitijs iustè viuat? quasi per diuitias animus hominis ad paupertatem præparetur, & non magis propositum paupertatis impediant. Ostendit autem, G quòd prædicta assertio neque locum habet in ijs, qui de nouo conuertuntur ad fidem. Denique neque habere locum in peccatoribus per pœnitentiam conuersis H. Ex quibus subiungo ipse, paruulorum nomine, nedum qui tales ætate sunt, sed & per audientiam fidei, ad fidem conuersos, vt supra c. 18. ex Hilario intelligi: immo & peccatores ad pœnitentiam vocati, puerorum nomine donari possunt; iuxta illud Isaiæ 40. *deficient pueri & laborabunt*; I qui scilicet sunt in statu proficiendi; quia & incipientes proficiunt, quamuis principalior cura sit vt resistant peccatis, L quorum impugnatione inquietantur. Eo in articulo, quo quærit de charitate incipiente proficiente & perfecta, comparatur incipientium status infantili ætati: quid prohibet his omnibus se facilem adiri voluisse ostendere Dominum, hæreticorum, qui supra, prophetica expugnatione? Si enim, vt ait Angelicus, M illorum hæreticorum nefarium conatum præfigurauit Pharao; cur non præfiguratum hoc dicamus increpatione huiusmodi, in verbis factisque Domini? Sane Exodi 5. Pharao obiurgans Moysen & Aaron volentes populum Dei de Ægypto educere dixit; *quare Moyses, & Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis; ite ad onera vestra.* Vbi dicit glossa Origenis; *hodie quoque si Moyses & Aaron; idest propheticus & Sacerdotalis sermo, animam solicitet ad seruitium Dei exire de sæculo, renunciare omnibus, quæ possidet, attendere legi, audies amicos Pharaonis dicentes: videte quomodo seducuntur homines & peruertuntur adolescentes.* Et postea subdit; *hæc erant tunc verba Pharaonis; hæc nunc amici eius loquuntur.* Et si roges, cur isti vocantur discipuli? Respondeo cum Diuo Ioanne in prima cap. 2. *ex nobis prodierunt; (baptizati, inquit glossa, & sacro chrismate vncti) sed non erant ex nobis.* Erant enim de Ecclesia N numero, non merito; Sacramentorum perceptione, non charitatis communione: *prodierunt autem ex nobis*, glossa; *ab vnitate catholica recedentes.* Hos igitur vel impedientes vel dissuadentes, ne tenelli physicè & mysticè, excolendi Religionem adeant, reprimit indignè ferens Dominus dicens; *finite paruulos; & nolite eos prohibere ad me venire*: quasi vel id exigens, vt si renuant inducere ad ingressum Religionis; (quod ostendit Angelicus simpliciter O meritorium esse: tu excipe, quando sit laxata obseruantia, & ignorata perfectio) saltem permittant.

Praxin oblationis huiusmodi puerorum memorat Angelicus ex Gregorio in 2. Dialogorum libro; vbi narrat de alumnis Sancti Benedicti pluribus, ei oblatis nutriendis, de Mauro nominatim & de Placido: P Maurus enim erat duodennis, & placidus septennis. Fert etiam in præfatis locis auctoritatem Gregorij præsumentis licitum esse, sic in infantiæ annis offerre filios aut filias intra septa monasterij; habeturque 20. q. 1. cap. *addidistis*. Vide ibidem hoc ipsum ex Concilio Toletano, & Triburiensi. Et quidem laudabiliter adeo, vt etiam ex Isidoro ibidē, minimè liceat oblatis inde exire. Quod mihi videtur intelligendum, vbi duo adfuerint; & paterna deuotio, nisi votum; & puer in choro iam cœpit *canere & legere*, vt ait Triburiense Concilium: tunc enim censetur parentibus acquieuisse. Aliàs, vt in eadem quæst. 1. cap. 10. Marcellus Papa inquit; *illud statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij Monasterio oblati fuerint, & sacram tonsuram vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt quintodecimo anno à Prælatis moniti inquirantur; vtrum in ipso habitu permanere cupiant; an non: si verò permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti possunt: sin autem ad sæcularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur; quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur.* Quocirca ipsemet Angelicus; legitima ætas, Q ad hoc quòd aliquis tondeatur cum voto solemni Religionis, est tempus pubertatis; (anni pubertatis, vt frequentiùs, R sunt quatuordecim circiter in pueris; in puellis circa duodecimum: status pubertatis est, S cum iam incipit posse generare) in quo homo potest vti spontanea voluntate: sed ante annos pubertatis, potest esse legitima ætas ad hoc, quòd aliquis tondeatur in Religione nutriendus. Et si percontaris cur hodie à Summo Pontifice vetitum est, ante quintodecimum annum recipi pueros? Respondeo ad hoc; ò tempora, ò mores! Animaduertit Summus Pontifex, Maiores passim humanis ex causis pueros in Monasterio relegare, finemque educationis vix cogitari, solummodo domos suas exonerari, quomodocumque intenta professione: ideo, vt in quo delinquunt Maiores, non corruant pueri, rubore potiùs, quàm spiritu claustro addicti; maior decreta est ætas, vt deliberatione propria suscipiant habitum; 1. Ioann. 4. *probate spiritus, si ex Deo sint.* Huc etiam respicit hodie Pontificum prouida circumspectio. Sicut ex Gre-

C opusc. 17. c. 1.
D Quodlib. 3. 5. 11. quodlib. 4. a. 23. & 2. 2. q. 189. a. 5.
E opusc. 17. 3.
F opusc. 17. c. 6.
G ibi c. 4.
H ibi c. 5.
I Isai. 40.
L 2. 2. 24. 9. 5.
M opusc. 17. c. 1.
N p. Io. 2.
O 2. 2. 189. 9. & quodl. 3. a. 11.
P opusc. 17. 3. & quodl. 4. a. 23.
Q 2. 2. 189. 5. 1.
R 2. 2. 189. 5.
S 2. 2. 24. 9.

Gregorio vbi supra; *quia autem dura est in Insulis congregatio Monachorum, prohibitum est recipi ante decimum octauum annum.* Morali sensu Origenes adhuc recolitur in hæc verba. *Qui videntur perfectiores, priusquam discant* T *rationem iustitiæ, reprehendunt eos, qui pueros & infantes adhuc minus eruditos offerunt Christo. Dominus autem hortatur discipulos suos, condescendere vilitatibus puerorum. Hos ergo debemus attendere, ne æstimatione sapientiæ excellentioris, contemnamus quasi magni pusillos Ecclesiæ; prohibentes pueros venire ad Iesum.* Thren. 3. *bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua:* Ecclesiastes 12. *memento Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ:* item psal. 118. *in quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos;* nam reuera Prou. 22. *prouerbium est; adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Quare ne Cain simus imitatores, de quo Genesis 4. *factum est autem post multos dies, vt offerret Cain;* incunctanter primitias nostri, quemadmodum *Abel obtulit de primogenitis suis*, debemus offerre Domino; vt hic *oblati sunt ei paruuli:* sicut Anna 1. Regum 1. Samuelem puerum obtulit Domino: Michææ 7. *præcoquas ficus desiderauit anima mea:* V in quo datur intelligi, quòd Deus specialiter diligit illos, qui à iuuentute seruiunt ei. Hinc & iste qui mox Dominum interrogat, *Magister bone*, &c. contestatus est; *omnia hæc custodiui à iuuentute mea:* sed sermo est de præceptis vt constat, quorum obseruantia necessitas est non consilium. Et ita cum Dominus, quasi liberum reliquerit accessum paruulorum ad se, dicens *sinite*; manifestum fit, loqui de consilijs, quibus non omnes addici necessum est; tantummodo, *qui potest capere, capiat.*

T Quodlib. 4. art. 23. & 2. 2. q. 189. 5. & hic.

V Ioan. 21. l. 5.

VERS. XVI. *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?*

12. Ostendit se de perfectione solicitari: vnde posteà dixit; *quid adhuc mihi deest? perfectum* enim dicitur è regione, *cui nihil deest.* Ex 3. Physicor. t. 64. Et quoniam præcipuè facit ad Matthæi scopum; hac de re nihil Marcus; tacetque Lucas hanc interrogationem; quamuis eam subinnuat dicens, adiecisse Dominum, *adhuc vnum tibi deest:* & palam hic apud Matthæum, *si vis perfectus esse; vade, vende quæ habes & da pauperibus:* Ecclesiast. 31. *Beatus diues qui post aurum non abijt &c. qui probatus est in illo, & perfectus est.* Diuite immo ditissima eruditione pertractat Angelicus, de huiusmodi voluntaria paupertate, X hunc memorans ex Augustino iuuenem, qui *abijt tristis*, vt mox dicitur, quia magnas diuitias habebat. Origenes super Matthæum narrat; scriptum esse in Euangelio A secundum hebræos; quòd cum Dominus dixisset ei; *vade & vende omnia quæ habes, cœpit diues scalpere caput suum. Et dixit ad eum Dominus; quomodo dicis; feci legem & Prophetas? scriptum est in lege; diliges proximum tuum, sicut te ipsum; & ecce multi fratres tui filij Abrahæ amicti sunt stercore, morientes præ fame; & domus tua plena est multis bonis; & non egreditur aliquid omnino ex ea ad eos.* Subdit Sanctus Thomas; nihil prohibet dicere, eum prius imperfectè præcepta seruasse; & quantùm ad hoc eum non fuisse mentitum; *(omnia hæc custodiui à iuuentute mea)* sicut Chrysostomus & alij expositores dicunt. Subdit autem Saluator; *& veni, sequere me.* Christianæ Religionis propositum B in hoc præcipuè videtur consistere, vt à terrenis homines abstrahat, & spiritualibus faciat esse intentos. Hinc est quòd Auctor fidei, & consummator Iesus in hunc Mundum veniens sæcularium rerum contemptum, & facto & verbo suis fidelibus demonstrauit. Facto quidem; quia sicut dicit Augustinus in lib. de catechizandis rudibus: *omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Iesus, vt contemnenda monstraret; natus enim de Matre, quæ quamuis à viro intacta, concepit, semperque intacta permansit, attamen desponsata erat fabro, omnem typum carnalis nobilitatis extinxit; natus in Ciuitate Bethleem, quæ inter omnes Iudææ Ciuitates erat exigua, noluit quemquam de terrenæ Ciuitatis sublimitate gloriari. Pauper factus est, cuius sunt omnia; ne quisquam, cùm in eum crederet, de terrenis diuitijs auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri; quia humilitatis ostendebat viam.* Pergit Angelicus; hoc ipsum in verbis ostendit; nam in suæ prædicationis exordio, non aliqua Regna terrena, sicut in veteri Testamento, sed Regnum pœnitentibus repromisit: discipulis primam beatitudinem in spiritus paupertate constituit: in qua etiam perfectionis iter esse monstrauit dicens, quærenti iuueni: *si vis perfectus esse*, &c. Hanc viam eius discipuli sunt secuti, tanquam temporaliter *nihil habentes*, sed spirituali virtute *omnia possidentes: habentes enim alimenta, & quibus tegebantur, his erant contenti.* Adde si placet 2. Cor. 8. *quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues*; iuxta illud Zachariæ 9. *ecce Rex tuus veniet tibi, iustus & saluator: ipse pauper:* & Iacobi 2. *nonne Deus elegit pauperes in hoc Mundo?*

X 2. 2. 186. 3.

A opusc. 17. c. 7. in principio & 2. 2. 189. 1. 1.

B opusc. 17. c. 1.

Recolendum ex eodem Angelico, C Vigilantium hæreticum fuisse antiquis temporibus Diui Hieronymi, qui consilium de paupertate seruanda destruere omnino ausus est. Vnde Hieronymus de eo dicit: *quòd autem asserit eos meliùs facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, quàm illos, qui possessionibus venundatis, simul omnia largiuntur: non à me, sed à Deo respondebitur; si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus.* Pergit Angelicus: hic autem error per successiones errantium, vsque ad hodierna tempora peruenit, & in hæreticis quibusdam, qui Cathari nominantur, permansit, & adhuc permanet; sicut patet in quodam Tractatu cuiusdam Desiderij Hæresiarchæ Lombardi nostri temporis, quem edidit contra catholicam veritatem: in quo inter cætera condemnat statum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Christo. Nuper autem, quod est horribilius, antiquus error renouatus est, ab ijs qui fidem defendere videbantur: qui more errantium in peius procedentes, non sunt contenti diuitias paupertati æquare, vt Iouinianus, vel diuitias paupertati præferre vt Vigilantius; sed paupertatem totaliter condemnare; dicentes non esse licitum, sua omnia pro Christo relinquere; nisi talem Religionem intret, quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit, qui labore manuum viuere intendat. Asserunt etiam paupertatem laudari in Scriptura, non actualem, qua quis se rebus temporalibus expoliat; sed habitualem, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, etsi re possideat. Hos errores, ibi expugnat profundè & fortiter. Et iterum ex professo, D vbi ex Augustino; *terrena diliguntur arctiùs adepta, quàm concupita;* & ex Chrysostomo; *appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido.* Dicit autem idem Diuus Augustinus ad Deum loquens; *minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* 13.

C opusc. 19. c. 6.

D 2. 2. 186. 3.

Probat autem Angelicus huiusmodi consilia decere, E meritoriumque magis esse si voto firmentur. Sicut in genere probauerat magis esse laudabile & meritorium, F facere aliquid ex voto, quàm sine voto; quia facere aliquid ex voluntate firmata in bono, pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet etiam per Philosophum 2. Ethic. cap. 4. sicut & peccare mente obstinata aggrauat peccatum; &c. Difficultas autem videtur insurgere posse; vndenam huiusmodi voto- 14.

E opusc. 17. c. 12. & 2. 2. 186. 6.

F 2. 2. 88. 7.

voto-

votorum emissio ex auctoritate habeatur. Sed ex veteri Testamento libet præ alijs adferre psal. 21. *vota mea reddā in conspectu timentium eum*, vbi ex glossa Augustini, loquitur Dominus de corpore suo, quod est Ecclesia. Ex nouo extat illud Lucæ 9. *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Dei*: neque enim ex solo proposito
G 2.2.88. 1.1. to benefaciendi G ponit quis manum ad aratrum: quando verò promittit, incipit iam se exhibere ad faciendum; vnde tunc ponit manum ad aratrum. Hinc ergo satis claret non sufficere propositum in via Dei, & Christi sequela. Et si vrgeas dicendo; sufficiet saltem operari de facto, sine promissione seu voto. Respondemus Christum satis insinuasse
H 2. 2. 186. a. 6. 1. de immobilitate H suæ sequelæ; nedum in eo quod dixit, seu cauit, *ne respiciamus retro*; sed in eo quod palam hic legimus, *& sequere me*: neque enim qualitercumque vult eum sequamur, sed vt vlterius retro non abeamus. Quocirca Petrus, interroganti Domino; *nunquid & vos vultis abire*, respondit loco aliorum; *Domine ad quem ibimus?* Sed mirè de hac votorum obligatione adhuc in textu. In primis,
I 2.2.88. 2. quia votum I propriè loquendo fit de meliori bono. Introducitur autem manifestè de meliori bono, & intenditur ab hoc iuuene; quia commemoratis à Domino præceptis, quæ necessitatis sunt, *dicit illi adolescens; omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest*; supple ad perfectionem; ideo, ait illi Iesus; *si vis perfectus esse*. Nota consectarium esse, vt cùm primò rogauit; *vt habeam vitam æternam*, intelligendum subsit, secundùm quod loquitur Beatus Petrus in sua prima; *sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi*. Ideo ipse Dominus, priùs recoluit quæ necessitatis; *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, ipsumque deinde trahens in expressionem desiderij perfectionis, adiecit, nedum ingressurum in vitam æternam; sed habiturum *thesaurum in Cœlo*. In quo innuit specialem ob dimissas diuitias retributionem; thesaurum scilicet pro spinis pro luto. Et ecce ampliùs de voti materia scilicet *de meliori bono* insinuari; dum hanc speciem mente reuoluens, (*ex abundantia cordis os loquitur*) dicit; *Magister bone*; & addit; *quid boni faciam?* planius fuerat, dixisset, quid meliùs faciam? Sed scire oportet, comparatiua & superlatiua in lingua hebræa non extare, sed quadam circumlocutione indicari per particulas quasdam, puta *min*; *vt, boni amores tui præ vino* ad Cant. 1. *touim mijain, boni præ vino*; quod nos diceremus; *meliores vino*; vt Bellarminus tradit in Institutionibus linguæ hebraicæ parte 2. capit. 2. Et iam emicat aliquantulum isthac comparatio, dum subiecit de præceptis; *omnia hæc custodiui à iuuentute mea*: hæc certè bona fecerat; interrogans ergo *quid boni faciam*, intelligit *præ his*; & ecce comparationem; ex qua proinde loquitur *de meliori bono*, quod propriè voti est materia. Et quia superlatiuum, etiam geminato positiuo nonnunquam apud hebræos significatur: vide qualiter bis fortè ad hoc subinnuendum fit mentio boni; *Magister bone, quid boni?* Et alta Dei dispensatione, sic loqui adolescenti huic datur, vt Religionum, in quibus perfectionis præcipuè studium est, status insinuetur. Et cùm vnusquisque proficiat, vt ad summum perueniat, vt astruit Angelicus opusc. 17. c. 7. liquet concerni & in hoc sermone de superlatiuo. Status Re-
L 2. 2. 186. 5. ligionis L est quædam disciplina vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicunque autem instruuntur vel exercitantur, vt perueniant ad aliquem finem, oportet quòd directionem alicuius sequantur; secundum cuius arbitrium instruantur, vel exercitentur, vt perueniant ad aliquem finem, quasi discipuli sub Magistro. Hæc D. Thomas. Et miraberis lector; si adolescens hic, primo in limine, dixerit *Magister bone?* Subdit Angelicus allegatque ex 7. q. 1. c. *hoc nequaquam* quod dicitur; *monachorum vita subiectionis habet verbum & disciplinatus*: in quo quidem intelligit obedientiam. Quod fas sit interpretari: quia vt docet, M votum obedientiæ est M ibi & 3. cont. Gent. c. 130.
præcipuum inter tria vota Religionis. Et nota ex 3. contra Gentes, ad amputandam solicitudinem hominis circa se ipsum, dari consilium obedientiæ, per quam homo dispositionem suorum actuum committit Superiori. Propter quod dicitur Hebræorum vltimo; *obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*. De quo & 2. 2. q. 186. 7. Concernitur autem castitatis etiam, quia onus matrimonij subire nequit, qui quæ habet largitur pauperibus.

Responsio autem Domini ad præfatam perfectionem mirè collimat. Et primò quidem loquitur de 15
mandatis; nam perfectio, vt pariter docet N consistit in præceptis: secundariò autem, & instrumentaliter perfectio consistit in consilijs: quæ omnia, sicut & præcepta ordinantur ad charitatem: sed aliter, & aliter, vt ibidem edisserit. Adnecte proinde de bono; dicens; *quid me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus*. Quocirca est adhuc doctrina: quia triplex perfectio considerari potest: vna quidem absoluta; O quæ attenditur non solùm secundùm totalitatem ex parte diligentis, (totum & perfectum idem sunt 3. Physicorum t. 64.) sed etiam ex parte diligibilis; prout scilicet Deus tantùm diligitur, quantum diligibilis est: & talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ; sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter & essentialiter inuenitur. Ita ibi Diuus Thomas. An non tibi videtur satis intelligi, cur hoc in colloquio præoccupauerit Dominus dicens; *vnus est bonus, Deus*? Pergit Angelicus; alia autem est perfectio, quæ attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis; prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum; & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in Patria. Ex hac doctrina, collige mirabiliùs, cur Dominus iuueni non solum dixerit, *vende quæ habes*; sed *vade*: significans se doctrinam ei tradere, de perfectione *viæ*. qua itur ad Patriæ perfectionem. Augustinus in libr. de perfectione Iustitiæ ante medium tom. 7. *non rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur*. Perfectionem autem Patriæ nihilominus tangit; (ò Euangelici textus arcanam sublimitatem!) dum ait, *& habebis thesaurum in Cœlo*: ac si diceret, in Cœlo postea, perfectionem habebis, totalitatis absolutæ ex parte diligentis; in quantùm affectus tuus secundùm totum suum posse semper actualiter tendet in Deum; prout ex loc. cit. diximus; P & hoc exprimo similitudine Thesauri: P 2.2. cit.
vbi enim thesaurus tuus, (supra cap. 6.) *ibi est & cor tuum*.

Non desunt aliæ sensus Domini expositiones, dum 16.
ait, *quid me interrogas de bono? vnus est bonus Deus*, significans ex Hieronymo hominem, quamuis sanctum, in comparatione Dei non esse bonum. Q Per quod dedit intelligere, quòd ipse secundùm Q 3. p. 20. 1.
humanam naturam, non pertingebat ad gradum bonitatis diuinæ. Et ita Marci 10. *nemo bonus, nisi solus Deus*: bonus scilicet R excellenter & per essentiam; nam ipsa natura diuina est essentia bonitatis, per Dionysium 4. capit. *de diuinis nominibus*: natura autem creata S habet quandam participationem diuinæ bonitatis, quasi radijs illius bonitatis subiecta. Non absimiliter Augustinus in psal. 101. considerans dixisse Deum Exodi 3. *ego sum, qui sum*, inquit *non esset tibi nomen ipsum esse, nisi quicquid est aliud, tibi comparatum inueniretur non esse*. Sic illæ voces; *vade, vende quæ habes, & da pauperi-*

R Rom. 16. | 2. & de diuinis nominib. c. 4. l. 1.
S 3. p. 20. 1.

T 2. 2. 184. 1. 1. *peribus* T ponuntur quasi via ad perfectionem. Vnde Origenes; V *qui mutauit pro diuitijs paupertatem, vt fiat perfectus, non in ipso tempore, quo tradiderit omnia sua pauperibus, fiet omnino perfectus; sed ex illa die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes*. Hoc modo in Religione, non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes. Considero autem adhuc, ad votum emittendum spectari, dum ei dicitur; *vade*: nam promissio procedit X ex proposito faciendi; propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Quare cùm ad vouendum requiratur deliberatio & voluntas, quia, (vt ibi) votum à voluntate accipit nomen, quasi à primo mouente; ad potentiæ motiuæ actum dixerim animari; *vade*: & addo non vacare mysterio, quod ait *vende*, scilicet quas habebat *possessiones*: in quo certè satis claret specimen voti: nam qui vouet aliquid & facit, plus se subijcit Deo, quàm ille, qui solum facit: A subijcit enim se non solum quantum ad actum, sed etiam quantùm ad potestatem; quia de cætero non potest aliud facere; sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantum, vt dicit Anselmus in lib. de similitudinibus. Dic ergo vt vendat præcipi, quo discat, nedum actu, sed & potentia, quod suum erat, non esse. Quod voti naturam sapit.

V 2. 2. 186. 1. 4.

X 2. 2. 88. 1.

A 2. 2. 88. 6.

VERS. XVIII. *Non homicidium facies*; &c.

17.

B D. Th. hic. Quærit Angelicus, quare mentionem non facit B de præceptis primæ tabulæ? Respondetque ex Remigio, quia pronum videbat ad dilectionem Dei, ideo non fuit necesse: item quia hæc sunt præuia ad Dei dilectionem. Et primò quidem negatiuum commemorat, deinde affirmatiuum: & incepit à maiori, quod est contra vitam in actu: *non adulterabis*; quod est contra vitam in potentia; (nota vt dictum est Genes. 2. in calce, si fuit adultera prægnans contingere periculum abortus in nouo coitu) *non furtum facies*, contra bona personæ; *non falsum testimonium*, contra ipsam personam: affirmatiuum est; *honora Patrem*, &c. Deinde ponit radicem; *& diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Intellige radicem proximam obseruantiæ prædictorum mandatorum; nam alias inquit C dilectio proximi includitur in dilectione Dei, tanquam effectus in causa. In hoc sensu ait Apostolus Roman. 13. *qui diligit proximum legem impleuit*; nam proximus D diligitur propter Deum; & ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu. Subdit Paulus; *& si quod est aliud mandatum; in hoc verbo instauratur; diliges proximum tuum sicut te ipsu*. Erudimur ibi ab Angelico, de mandatis, quæ adnexa intelliguntur enumeratis. Quare autem Apostolus negatiua mandata percenseat, dicit; quia scilicet sunt hæc magis vniuersalia, vtpote quæ obligant semper & ad semper: & etiam, quia qui diligit proximum, deprehenditur magis arctiusque abstinere à nocumento illius, quàm illi beneficium impendat. Compendio quodam habemus hæc in psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* &c. Et in psal. 23. *quis ascendet in montem Domini?* &c. *Qui ingreditur sine macula*; &c. *Innocens manibus*; &c. Gratis Origenes putauit ab aliquo additum; *& diliges proximum tuum sicut te ipsum*; victus quòd iam esset perfectus; ignorans duplici ex capite perfectionem, ex mandatis scilicet & ex consilijs. Et præterea impleri mandatum dilectionis proximi, vel perfectè vel imperfectè: 2. 2. 189. 1. 1. Quibus attentis subiunctum est ei à Domino; *si vis perfectus esse*. Marcus autem & Lucas hoc tacuerunt, tanquam subintellectum. Et alia de causa, in Syntaxi. Syrus autem etiam hoc habet; *diliges proximum tuum, vt animam tuam*. Glossa alia apud Angelicum E vbi

C Rom. 13. 1. 2.

D ibid.

E opusc. 17. 2. & opusc. 19. 6. & quod lib. 4. 24. ad 5.

enunciantur præcepta hæc, dicit; *ecce vita actiua*; vbi subijcitur; *si vis perfectus esse* &c. *ecce vita contemplatiua*. Profectò quoad nos, E vita actiua prior est, quàm contemplatiua, via generationis; E 2. 2. 182. 4.
quia disponit ad contemplatiuam. Et sic Gregorius; *cùm contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, F priùs se in campo operis per exercitium probent; vt soliciti sciant, si nulla iam mala proximis irrogant*. Ecce vno verbo complexus est Gregorius, quod hic edisserit Dominus. Exercitium quippe moralium virtutum hominis ad se ipsum, F ad vitam actiuam pertinet etiam secundum Philosophum 10. F opusc. 17 c. 7. & 2. 2. 181. 3.
Ethicorum; & præterea ex Augustino 12. de Trinitate: nisi enim homo per morales virtutes habeat animam à passionibus depuratam, quod pertinet ad vitam actiuam, non est idoneus ad diuinam veritatem contemplandam. Cohæret autem materia isthæc contextui; *quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* quoniam in Cœlo, vitæ contemplatiuæ est consummatio; secundùm quod ait Gregorius; *contemplatiua autem, hic incipitur, vt in cœlesti Patria perficiatur*; de quo G Diuus Thomas. Et ecce G 2. 2. 181. 4.
causam fortasse, cur nihil de primæ tabulæ præceptis præmissum sit; quia secundæ tabulæ mandata ad ad actiuam pertinent. Et quoniam hic speciatim Matthæus intendit perfectionis altæ studium versare; quod Dominus protulit, ad senarium numerum retulit; addito *diliges proximum tuum*: quandoquidem senarius numerus H pro perfectione ponitur; H Cant. 6.
quia sex diebus perfecit Deus opera sua.

VERS. XX. *Dixit illi adolescens, omnia hæc custodiui à iuuentute mea*.

18.

Secundùm quosdam mentitus creditur, I quia si dilectionem proximi præhabuisset, quasi non erat necesse animari ad erogandum pauperibus. Sed tamen Chrysostomus & alij expositores censent minimè mentitum fuisse; quoniam vel imperfectè impleuerat: quod & supra dixi. Consilia ordinantur, ibi inquit, vt præcepta perfectiùs custodiantur. Et reuera nescio, quo pacto mendacium potuerit astruere, dum apud Marcum c. 10. *procurrens genu flexo rogabat eum*; & postquam ita respondit, *Iesus intuitus eum, dilexit eum*. Mirum est autem, quomodo Matthæus distulerit adolescentiam huius prodere, nunc soluminodo cùm respondit; *omnia hæc custodiui à iuuentute*; scribit enim; *dicit illi adolescens*: opportuniùs enim visum fuisset ab initio narrationis dixisset Euangelista, *& ecce adolescens vnus accedens* &c. & tamen non ita describit, sed ait; *Et ecce vnus accedens ait illi; Magister bone* &c. Sed adest in promptu ratio: nimirum, quia is etiam, qui implet mandata, quando non aliud præstet, adhuc, nisi paruulus dicatur, adolescens est; seu in numero est incipientium. Doctrina est constans Angelici L infimum diuinæ dilectionis gradum esse, vt nihil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter Deo diligatur. Fortè hunc excesserat gradum, qui perhibetur adolescens, non vero dictus est paruulus: sed vix incipientium de classe, ad proficientium statum progrediebatur. Ideo crediderim non dici Principem, vt apud Lucam 18. cap. *& interrogauit eum quidam Princeps dicens*; nam tropologicè Princeps non erat, qui inter Reginas nondum recensebatur: Cantic. 8. *sexaginta sunt Reginæ, octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*: quidam enim M sunt incipientes, quidam proficientes, quidam perfecti. Et in Commentario, priori vt opinor, in Apocalypsin; *sexaginta sunt Reginæ* ecce perfecti N iam coronati; *concubinæ*; ecce proficientes, qui iam cubant cum sponso; *& adolescentularum non est numerus*: ecce incipientes. Nec mihi displiceret illud huc referri psal. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos*: adhuc

I Quodl. 4. 2. 14. ad 1.

L 2. 2. 184. 3. ad 2.

M Cant. 6. comm. recens im-pressi.

N Apoc. 9. ibi. so-num terra.

adhuc enim iunior est, non perfectus spiritu, non *spiritu principali* psal. 50. confirmatus, qui custodiendo mandata sermonesque Dei, à peccatis cauet solummodo.

VERS. XXI. *Si vis perfectus esse, vade &c. & sequere me.*

19. Præcepta sunt de ijs, quæ necessaria sunt ad consequendum finem beatitudinis: consilia O sunt de illis, per quæ meliùs & expeditiùs potest homo consequi finem prædictum. Sic quòd homo totaliter abijciat ea quæ sunt Mundi, non est necessarium; sed expeditiùs perueniet ad eundem finem, totaliter bona huius Mundi à se abdicando. Bona huius Mundi quæ pertinent ad vsum humanæ vitæ, in tribus consistunt: scilicet in diuitijs exteriorum bonorum, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum: & in delicijs carnis; quæ pertinent ad concupiscentiam carnis: & in honoribus, quæ pertinent ad superbiam vitæ; vt patet 1. Ioan. 2. Huiusmodi autem abdicatio, seu *renunciatio*, vt ait Diuus Basilius *lib. Regul. ad interrog. 8. initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti à possessionibus. Est ergo vinculorum terrenæ huius ac temporalis vitæ solutio, atque ab humanis negocijs liberatio; per quam ad ineundam viam, qua ad Deum peruenitur, aptiores & promptiores efficimur*: affertque non duntaxat præsentem Domini sententiam, sed cohærentem Lucæ 14. *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Ad felicitatem quippe vitæ contemplatiuæ etiam in humanis, P diuitiæ non multum operantur, sed magis impediunt; in quantum sua solicitudine impediunt animi quietem, quæ maximè necessaria est contemplanti. Et hoc est quod Philosophus dicit in 10. Ethic. c. 8. quòd *ad actiones multis opus est; speculanti verò nullo talium*, scilicet exteriorum bonorum, *ad operationem necessitas; sed impedimenta sunt ad speculationem*. Per se autem diuitiæ Q habitæ natæ sunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum & distrahendo. Et ideo difficile est charitatem inter diuitias conseruare. Ad amputandam ergo solicitudinem circa res exteriores, datur homini R in lege diuina consilium paupertatis. In eo autem quod ait; *si vis perfectus esse*, indicat satis se loqui ad iuuenis illius institutionem, vtque de statu perfectionis; sed præmittendo conditionem humanæ voluntatis, ad perfectionem ex votis ipsum euocat. Cum enim ex Angelico perfectio status S triplex sit; *ordinis* scilicet *Prælationis*, ac *Religionis*: certè neque ad perfectionem ordinis, neque ad Prælationis, licet alicui dicere *ita volo*; nam, vt ait Apostolus Hebr. 5. *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Vnde reliquum est, intelligatur, ex ea vocula *si vis* de perfectionis aggressu, qui nostra sit in potestate; quemadmodum perfectionis huiusmodi instrumenta vouere. Notat autem alibi, T non in ipsa dimissione diuitiarum perfectionem posuisse, sed suis verbis ostendere, esse quasi quandam perfectionis viam; vt ipse modus loquendi indicat; *vade &c. & sequere me*: quasi in sequela Christi consistat perfectio, dimissio verò diuitiarum sit perfectionis via. Quem quidem sequimur non V passibus corporis, sed affectibus mentis. *Nudum Christum*, aiebat Hieronymus in Epistola ad Rusticum Monachum, *nudus sequere*. Quomodo autem Christus paupertatis sese præbuerit exemplar, vide suis locis: X vbi errorem caluminamque in voluntariam paupertatem profundè elidit. Hinc in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, vt refertur, A *bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum solicitudine egere cum Christo*.

O p. 1. 108. 4.
P 2. 2. 186. 3. 4.
Q ibi ad 4.
R 3. cont. Gentes c. 130.
S Matth. 5. in calce
T opusc. 18. c. 7.
V De virtutibus q. 2. a. 11. ad 5.
X 3. p. 40. a. 3. opusc. 19. c. 6.
A Quodlib. 3. a. 11. 2.

VERS. XXII. *Cùm audisset autem adolescens verbum, abijt tristis.*

Ecclesiasticus cap. 6. ipsum admonet; *fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam*. 20. Dominus in eo quod præmiserat; *& habebis thesaurum in Cælo*, præoccupat ipsius concupiscentiæ renisum: nam asseritur B hoc quasi præmium concupiscibilis. Augustinus in Epistola ad Paulinum, & Therasiam; *terrena cum superfluè diliguntur, arctiùs adepta, quàm concupita constringunt. Nam vnde iuuenis iste tristis discessit, nisi quia magnas diuitias habebat?* (sanè hic & Marci 10. legitur; *erat enim multas habens possessiones*) *Aliud est enim*, C *nolle incorporare quæ desunt; aliud, incorporata diuellere*: illa enim velut extranea repudiantur; ista verò velut membra præciduntur. Verùm, quod dicit hic Dominus, si ille *tristis abit*, audiamus impleamusque alacri studio nos. Chrysostomus de huiusmodi; *si tantum propter illos scripta fuissent, scripta non essent: nunc autem dicta quidem sunt propter illos, scripta verò sunt propter nos*. Verba enim Scripturæ D non solùm præsentibus, sed futuris loquuntur. Sic & Christus Dominus Marci 13. *quod vobis dico, omnibus dico; vigilate*. Sic & præsens consilium paupertatis, non illi solùm datum est, sed vniuersis: quod patet ex sequentibus; nam vniuersaliter præmium omnibus statuit dicens; *& omnis qui reliquerit Domum &c.* Vnde alibi idem consilium vniuersaliter tangens, dicit; *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*. Vbi Chrysostomus; *commune hoc dogma Orbi terrarum proponit; si quis vult, idest, si vir, si mulier, si Rex, si liber, si seruus*. Abnegatio autem sui ipsius secundùm Basilium, est *totalis præteritorum obliuio, & recessus à proprijs voluntatibus*. Et sic patet quòd in hac abnegatione sui ipsius, intelligitur etiam depositio diuitiarum, quæ per voluntatem propriam possidentur. Sic igitur consilium adolescenti à Domino datum, æquè est accipiendum, ac si omnibus ex ore Domini proponeretur. Hucusque Angelicus. Fortè ideò non exprimitur quisnam fuerit sed vagè sic; *& ecce vnus accedens ait illi &c.* Quamuis autem Abraham E diuitias possidens, fuerit perfectus; non ideo inutile fit de paupertate consilium: magna enim fuit virtus Abrahæ, qui etiam diuitias possidens liberum animum habuit; sicut & magna virtus fuit Samson, qui absque armis eum sola mandibula asinæ, multos hostes prostrauit: nec tamen consilium inutiliter datur militi, vt ad bellum accedens assumat arma ad hostes vincendos: nec ergo inutiliter datur consilium perfectionem desiderantibus, vt dimittant diuitias; quia in diuitijs Abraham potuit esse perfectus. *Facta enim admirabilia, non sunt ad consequentiam trahenda; quia infirmi ea magis mirari & laudare possunt, quam imitari*. Vnde Ecclesiastici 31. *Beatus diues qui inuentus est sine macula, nec sperauit in pecunia & thesauris; quis est hic & laudabimus eum?*

B Serm. de Sancto Andrea.
C 2. 2. 186. 3. & opusc. 18. c. 7.
D opusc. 17. c. 9.
E opusc. 18. c. 7.

VERS. XXIII. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in Regnum Cælorum.*

Sanctus Propheta Dauid intrare Regnum Cælorum cupiebat, vestigijs inhærere Domini exoptabat; 21. psalm. 16. *perfice gressus meos in semitis tuis*: & ps. 62. *adhæsit anima mea post te*. Iob etiam cap. 23. *vestigia eius secutus est pes meus; viam eius custodiui, & non declinaui ab ea*. Non sic adolescens iste, *qui abijt tristis*. Quanquam autem, consilio paupertatis acquieuisset; nisi hilariter illud implesset, minus acceptus fuerat Deo. Apostolus 2. Cor. 9. *vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Et quia sumus in materia erogationis

tionis in pauperes subdit; *dispersit dedit pauperibus*. Et prius, *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Adnectas illud ad Galat. 6. *qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*. Hinc ergo sententia est Domini, *diues difficilè intrabit in Regnum Cœlorum*: sanè si non alio ex capite, quia vt supra cap. 13. *solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum; & sine fructu*
F 2. 2. 186. 3. ad 4. *efficitur*. Intelligitur autem prior hæc sententia F de eo qui actu habet diuitias. Hilarius; *graue onus innocentia subit; incrementis opum occupata: rem enim solius famulatus Dei, non, sine sæculi diuitijs, assequetur*. Sed quare difficile sit diuitem intrare in Regnum Cœlorum, adhuc mihi videtur esse præpotens ratio; quoniam difficile est quin habitæ diuitiæ amentur; & quidem inordinatè. *Diuitijs omnia possidentur*; Ecclesiast. 10. *pecuniæ omnia obediunt*: igitur difficile est quin consurgat amor. Sed si velimus funditus penetrare, quando-nam sit amor hu-
G p. 2. 114. 10. iusmodi inordinatus, recolamus oportet, G temporalia bona in tantum esse simpliciter bona, inquantum vtilia sunt ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam: in quantum verò ab hac directione deficiunt, considerenturque solùm vt bona alicui hic & nunc, non sunt simpliciter bona. Sic dicito de diuitijs: cum non in eum finem amantur, inordinatè amantur; neque simpliciter quid boni sunt. (En fortassè adhuc qua de causa Dominus assumat; *vnus est bonus, Deus*; quia non nisi in ordine ad Deum, bonum est, quicquid, bonum dicitur.) Difficile ergo quin insurgat amor
H 2. 2. 188. 7. inordinatus: qui si insit; ecce, vt notat H, inanis gloria vel elatio, quæ ex diuitijs nascitur: 1. Timoth. 6. *diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum*; psal. 48. *qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*. Vbi autem elatio seu superbia nidificat; Ecclesiast. 10. *initium omnis peccati superbia*. Ex Isaiæ 28. *væ coronæ superbiæ, ebrijs*
I Apoc. 2. comm 1. *Ephraim, & flori decidenti*: rosæ siue flores I de quibus fit *corona*, sunt diuitiæ temporales, deliciæ carnales, honores sæculares; *corona* etiam; quia su-
L opusc. 41. 6. 8. perbia non venit sola, sed L adducit magnam vitiorum phalangem, ad modum Regis. Huc aduoca
M Serm. 2. Andreæ. illud supra cap. 6. *non potestis Deo seruire & Mammonæ*: Iob 18. *immisit in rete pedes suos*; M primum enim rete diaboli sunt diuitiæ sæculares: 1. Timoth. 6. *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. *Væ ergo vobis diuitibus*; (Lucæ 6.) *quia habetis consolationem vestram*. Et tandem quod hic secunda sententia consectariò promit Dominus; *dico vobis; faciliùs est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum Cœlorum*: vbi secundùm Chrysostomum,
N 2. 2. 186. 3. 4. ps. 48. lit. a. N loquitur de eo qui non solùm habet actu diuitias, sed affectum in eis ponit. Sanè Sap. 5. in damnatorum persona legitur; *quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Lucæ 16. *mortuus est diues, & sepultus est in Inferno*. Qui est diues actu, sed non affectu, potest esse sanctus sicut Abraham & Ludouicus Rex *Franciæ*. Non sic qui est diues actu & affectu; ita in psal. adnotato.

22. Quod etiam diuites exagitare debet, verbum est Domini Lucæ 11. *quod superest, date eleemosynam*.
O 4. sent. 15. 2. 1. 4. & 2. 2. q. 32. a. 5. Qua de quæstione videri potest, in 4. sent. & O alibi. Sed, nisi in Summa locutus sit pressiùs, satis indulgere deprehenditur alio P in loco; dum ait; præ-
P 4. sent. 12. q. 3. a. 1. q. 4. cepta affirmatiua, non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum. Non quidem ex hoc quòd tunc commodè impleri possint; quia sic si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocunque pauper offerretur, peccaret mortaliter; quod falsum est: sed ex hoc quod tempus necessitatem vrgentem adducit. Veruntamen terret *in Summa*; in qua disiunctim astruere videtur duplicem obligationem; primò vbi appareat euidens & vrgens necessitas; in qua certè aio ipse, tenemur etiam de non superfluis: altera ex parte dantis, cùm habet superflua; quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Et reuera ibi ad secundum definit bona temporalia, quantùm ad proprietatem esse illius qui ea possidet; sed quantùm ad vsum non solùm debent esse eius, sed etiam aliorum, qui ex eo quod superfluit, sustentari possunt. Et in corpore articuli concludit; *sic ergo dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto: & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*. Itaque vbi necessitas occurrat, præceptum est, quamuis non suppetant superflua: vbi superflua nobis sunt, adest præceptum, etiamsi non sit vrgens necessitas. De hoc infra c. 23. n. 23. Quoad Ecclesiasticos autem; citra omne dubium tenentur de superfluis eleemosynas facere. Hinc Diuus Hieronymus, fertur-
que in Sermone, Q *Ecclesiæ bona, pauperum sunt: quicquid præter victum vel vestitum reseruasti, sacrilegium est*. Hinc etiam; R peccat prodigus in alterum consumendo bona, ex quibus alijs deberet prouidere: & præcipuè hoc apparet in Clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant, prodigè expendendo. Et alibi S expressè dicit, Clericos teneri de superfluis. De Episcopis autem ita definit in hæc verba, *duodecima*, quæst. 2. cap. *de reditibus Ecclesiæ*; si aliquid T sibi retineat Episcopus, de ijs quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. Et præterea; V Episcopi ad hoc maximè tenentur, quòd omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cùm opus fuerit: vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam suorum bonorum cum gaudio sustinendo. Et hoc modo abrenunciare dicuntur propriis omnibus in præparatione animi; vt sint parati, si opus fuerit, omnia dimittere vel distribuere; vnde aiebat Apostolus; *scio & abundare & penuriam pati*.

Q Serm. S. Laurent. 17.
R 2. 2. 119. 3.
S Matth. 5.
T 2. 2. 185. 7.
V 2. 2. 184. 7. 1.

Superest solùm similitudinem explicare; *facilius est per foramen acus transire Camelum, quàm diuitem intrare in Regnum Cœlorum*. Vbi glossa, cuius auctor ignoratur X inquit Angelicus, dicit fuisse Ierosolymis quandam portam, quæ *foramen acus* vocabatur, per quam Camelus, nisi deposito onere, & flexis genibus, transire non poterat. Hebraicè *Gamal*, Camelus; sicuti & græcè *Camelos*, iumentum: quanquam *Camelus* quoque ex græco dicatur, funis nauticus & crassus, cui anchoram alligabant à similitudine Cameli animantis tortuosi. Sed hæc funis deriuatio, non videtur adeo plana in hebræa lingua: nisi quòd *Chebel*, quæ vox funiculum significans, hoc habet speciale præ alijs, vt trahatur ad nauium ductores, seu gubernatores, qui dicuntur inde *Chobelim*, quia trahunt tendunt & soluunt funes mali in naui. Fieri ergo potest vt translator Sancti Euangelistæ Matthæi, selectam hanc vocem *Chebel* considerans, illustratus sit ad reddendum pro illa *Camelum*, tanquam quoad naues attinet, funem crassiorem: ratus, quia Dominus hanc vocem vsurpauit, cum aliæ suppeterent, ad significandum funem, de maximo fune intelligi voluisse, vulgo de *Gomona*; & à paritate huiusmodi, diuitem qui diuitias deperit, difficillimè saluari. Quod fortiùs dicitur, si *Chibel* per alios spiram funium significet, hoc est funem nauticum in orbem conuolutum: nam inter funes nauticos, qui solet studiosè conuolui, camelus est. Accedit,

23.
X D. Th. hic.

Lucam Euangelium suum scripsisse græcè: si consuetum nauis funem accepisset in exemplo Domini, potuisset dicere *Kalos*; quod est funis vel rudens, quo velum contrahitur vel demittitur; seu *Schinos*; quod restem absolutè sonat seu funem: dum ergo scripsit Lucas ipse Camelum, Camelumque ex Luca transtulit latinus, sicut Camelum scripsit Marcus, qui latinè scripsit, dicendum est, nisi animal significetur, eum intelligi funem cui anchora alligatur. Theophylactus (Marci 10. *in Catena*) inquit; *Camelum siquidem oportet intelligere, aut ipsum animal, aut funem illum grossum, quo naues magnæ vtuntur.* Quomodocumque fuerit; ostenditur ingens difficultas, vt viri diuitiarum saluentur: adiecta similitudine, quæ impossibile, id esse prætexit; quia vt ait Angelicus, A sicut est contra naturam Camelum intrare per foramen acus, ita intrare diuitem huiusmodi in Regnum Cœlorum, est contra iustitiam diuinam. Et iam ipsemet mox adiecit; *apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et hoc nedum de habentibus, sed & de inhiantibus diuitijs intelligendum relinquitur. Et ita Augustinus de Quæst. Euangel. *Cum autem pauci sint diuites in comparatione multitudinis pauperum, omnes qui diuitias cupiunt, in numero haberi diuitum animaduerterunt.* Hinc Chrysostomus super Matthæum; *audite quicunque pauperes estis; magis autem qui ditari concupiscitis: non, pauperem esse, malum est; sed non velle pauperem esse*: cum scilicet admirati dixerunt; *quis ergo poterit saluus esse?* Diuus Ambrosius in Serm. 4. sic allegorizat; *sicut Cameli, animal quod est tortuosum atque deforme, peruersitas ipsius corporis per angustissimam acus cauernam præterire non patitur, ita & diuites oneratos auaritia, & cupiditate fœdatos, ipsa vitæ deformitas per arctam viam Regni, minimè introire permittit: ait enim idem Dominus*; (supra cap. 7.) *quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam! Rectè Camelo comparatus est diues; siquidem illum à transitu acus, corporis crassitudo reuocat, hunc ab ingressu Ecclesiæ patrimonij solicitudo detentat: & sicut illum paruum foramen non capit oneratum mole membrorum, ita & hunc introitus sanctus non suscipit grauatum cumulo delictorum. Vterque habet propriam sarcinam.* Augustinus & Chrysostomus mysticè exponunt de Christo. Quare considero, neque de fune nautico, neque de porta Ierosolymis, quæ diceretur *foramen acus*, Sanctos eos Patres quidquam concepisse.

A ps. 48. lit. a. & hic.

24 Veruntamen quoniam isthæc similitudo non ab ore hominis est, sed ab illius ore profertur, qui est Verbum Patris; absit inæstimabile non habere pondus, arcanumque sensum; absit inductam fuisse sine altiori mysterio: cur enim ad exaggerandam difficultatem diuitum saluandorum eam delegit? deerantne similitudines aliæ? puta; facilius est claudos ambulare, cæcos videre, & huiusmodi. Quæ enim excogitantur ab Interpretibus analogiæ inter Camelum animal ac peccatorem deformem gibbosum, suisque oneratum culpis, non modo diuiti, sed & alijs peccatoribus apprimè conueniunt. Vt igitur quod latet clarescat, attentè considerandum est, sententiam Domini, in diuitem qui tristis abierat, esse: vt quod in illum, & de illo diceret, omnibus per discipulos erudiendis fidelibus, foret instructioni. Eidem prædixerat Dominus; *si vis ad vitam ingredi*, nunc de Regni Cœlorum ingressu adhuc loquitur: de illo, & vt inquiunt, *ad hominem*, Dominus rem definit. Narrat sacer textus, abijsse tristem *ob multas possessiones*: quæ proxima tristitiæ causa esset, supererat aperiendum. Quas ergo voluebat diues ille tristitiæ suæ rationes, tegit, & humiliter pulsantibus aperit, paradigma: & quidem siue de Camelo animali, siue de nautico fune intelligatur. Prouidè enim vterq; clauditur sensus, vt hinc & inde vberior sit interpretatio. Imaginemur si placet, quidnam intra se diceret diues ille. Profectò similia. Præcipit, quem nuncupaui Magistrum, vt vendam quæ multa habeo, denique pauperibus: nihil omnino mihi seruandum. Si hoc egero, heu me miserum! cui non ero expositus necessitati? quibus non subijciar ærumnis? quæ me non manebunt iniuriæ probra & dedecora? Mundus turbulentum est mare, quibus non iactabor fluctibus, ventorum agitatus turbinibus in breuia allisus tandem & naufragus? Hæc omnia præcauent infortunia diuitiæ, hæ sunt securitatis meæ anchora. Hisce fidenter innixus nunquam periclitor; sine his vndequaque destituor, obruor pereo. Putas mi lector, non hæc diues ille perpenderet? Certè Prouerb. 10. *substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius*: & iterum cap. 18. *substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum.* Totum se fidit diues diuitijs suis: ps. 48. *qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Item Prou. 11. *qui confidunt in diuitijs suis corruent.* In huiusmodi confidentiam est verbum Domini: quod patet Marci 10. vbi ad rem loquens inquit; *filioli; quàm difficile est confidentes in pecunijs in Regnum Dei introire!* Apud profanos autem etiam anchora per translationem dicitur securitas; quia Nautæ tempestate iactati, quando feliciter nauigandi, nulla spes superest, ad anchoram confugiunt. Sed nunquid ferrum ipsum præbet securitatem spem confidentiam? nunquam gentium. Funis ille Nauticus spes est eorum, sine quo anchora ipsa inutile pondus est. Vnde funis ipse nauticus dicitur figuratè anchora; iuxta quem tropum dicunt, præcidi anchoras. Hanc itaque humanam confidentiam, spem, securitatem, hanc anchoram vituperare vult Dominus; & iuxta diuitum phantasiam, immo antithesi clara, taliter fiduciæ tali detrahit; vt fidentia huiusmodi in Regnum Cœlorum minimè inueniat introitum: *facilius est* enim *camelum*, seu funem anchoræ, *per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum Cœlorum.* Ad foramen acus autem fortasse complet similitudinem: quia, & ex hac parte qualificare intendit diuitias, supra cap. 13. significatas in spinis: sicut enim acus acuta pungit, sic & diuitiæ. Et huc traxerim quod ait Gregorius homil. 15. in Euangel. *diuitiæ spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant; & cum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.* Hæc diuitiarum periphrasis, aptanda est acui: dumque in eius foramen Camelus minimè intrare posse deprehenditur, nedum quòd non prosint, sed & quantum obsint diuitiæ fit manifestum. Prou. 11. *non proderunt diuitiæ in die vltionis.* Igitur hac Domini similitudine, erudimur, quidnam sint diuitibus diuitiæ, præfidentiæ quidem anchora, sed & acus pungens & lacerans: vnde materia suppetit similitudinis, *vt facilius sit camelum* anchoræ cui fidunt, *intrare per foramen acus*, qua sauciantur, *quàm diuitem intrare in Regnum Cœlorum.*

Si autem velimus pro Camelo animal accipere, 25
adhuc credendum est, non perperam, sed ex præconceptis diuitum speciebus, admonendi occasionem Dominum, qui scrutator est cordium, arripuisse. Sanè ex Philosopho 1. Politicorum c. 6. distinguente duo genera diuitiarum naturales scilicet & artificiales; satis liquet, animalium nedum prædiorum copiam ad naturales diuitias pertinere. Has ergo præ oculis habuisse tristem idcirco diuitem illum indubitatum est; de quo fertur, quia *multas possessiones habebat.* Inde vberrimam quoque messem, huc illuc asportandam pro venditione: & quo vehiculo?

vtique

vtique iumentorum. Ea quæ maximè deseruiunt ad onera deferenda, inquit Angelicus, B Cameli sunt. Itaque in onerariis huiusmodi præcipuis, quæcunque vecturæ sunt, intelligi possunt. Et quò consueuerunt frumenta segetesque ferri? certè vbi ementium sit numerus, victualiumque maior consumptio: populosas ergo in Vrbes: dic Ierosolymam. Cur non dicamus, qui inde *tristis abijt* iuuenem illum, hoc etiam intra se tunc dixisse. Præcipit Magister hic, vt vendam quæ habeo, demque pauperibus: nihil mihi subinde retinendum. Profundam igitur omnia, nedum artificiales, sed & naturales omnes distribuam diuitias? tot mihi sunt iumenta, ingens tot Camelorum numerus, quorum dorso possessionum redditus peruehuntur, Ierosolymisque & alibi retracta magna pecunia venduntur: durus est sermo. Prouerb. 13. *vult & non vult piger*: ideo *tristis abijt*. Igitur vt has omnes fluctiuagas exufflet Dominus cogitationes; quasi diceret, quid naturales diuitias tanti facis? quid lucrum ex eis huc illuc inuectis miserè deperis? *Ex verbis tuis condemnaberis*, supra cap. 12. Audias quem vocasti Magistrum: facilius est, *per foramen acus Camelum transire, quàm diuitem intrare in Regnum Cælorum*. Si angustiori Ierosolymis porta, Camelis transituris onustis haud patet transitus: scias, facilius id fieri posse, quàm similem tui *diuitem intrare in Regnum Cælorum*. Quandocumque vaniloquus de terrenis tuis bonis confidis, aut de diuitijs præsumis, habebis deinceps, quid ex deliramentis conijcias. Si anchoram tibi præfingis argentum & aurum, quorum innitaris ponderibus; ne te fugiat, diuitias ipsas comparari quæ pungunt sentibus: ideoque ad acum de punctionibus trahendo sermonem; *facilius esse per foramen acus*; &c. Sic ex Camelis fruges vehentibus, erudiare; & in causa lucri, *quid prodest homini*, supra cap. 16. *si Mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*? quando facilius est tale animans per portam *foramen acus* transire, quàm *diuitem* diuitiarum seruum, *intrare in* cœlestem Ierusalem, *in Regnum Cælorum*. Sequitur: *apud homines hoc impossibile est*: frequenter enim (item D. Thomas) C homines multa possidentes, dum ea, quæ possident immoderatè amant, eis tenacius vtuntur. Dic vlterius, ex huiusmodi tenacitate vix posse emergi: *crescit enim amor nummi quantùm ipsa pecunia crescit*. De hydropico Lucæ 14. *proprium est hydropici, quantò magis abundat humore inordinato, tantò ampliùs sitire. Comparatur diuiti auaro, qui quantò est copiosior diuitijs, quibus non benè vtitur, tantò ardentiùs talia concupiscit*. Quod si malè partæ sint; *væ*, inquit Habacuc cap. 2. *ei qui multiplicat non sua: vsquequo & aggrauat contra se densum lutum*: Iob 41. *sternit sibi aurum quasi lutum*: lutum dicit, D quia non de facili homo egreditur. Vno verbo dicamus cum Sancto Doctore alibi; quibusdam malum est habere diuitias, qui per eas à virtute retrahuntur, vel nimia solicitudine, E vel nimia affectione ad ipsas, vel etiam mentis elatione ex eis consurgente. Dic tu, *difficile esse*, vt diues in hæc non labatur. Quod si in his se se immerserit, *apud homines hoc impossibile est*; vt saluus fiat. Quod ipse sic intelligi velim; impossibile est apud homines; hoc est, ratio nulla humana tantæ potest esse efficaciæ, vt amantem verum diuitiarum, ab hoc amore, humano motiuo reuocet. Ab homicidio, à falso testimonio, non desunt, quæ & apud homines retrahant argumenta: ab amatis diuitijs quis queat disiungere? *apud Deum omnia possibilia sunt: multa Dei gratia*, inquit Chrysostomus. Postquam affectus diuitiarum occalluit; postquam animum peruerterunt *fallaces* idcirco etiam dictæ diuitiæ: postquam homines facti sunt *viri diuitiarum* psl. 75. contractu maritali vt F exponitur, radicatam cupiditatè solius Dei superhumanum excitamentum potest euellere. Priusquam vincant deuinciantque triumphatum cor, abijci possunt; *Crates*, inquit Hieronymus, *& multi alij diuitias contempserunt*. Esse autem contemnendas multiplici de causa suadet ex Scripturis Angelicus primò; propter earum inutilitatem; G Ecclesiastes 5. *qui amat diuitias, fructum*, scilicet vitæ æternæ, *non capiet ex eis*: Prouerb. 11. *non proderunt diuitiæ in die vltionis*; scilicet districtæ iræ. Secundò ob eas relinquendi necessitatem; psal. 75. *dormierunt somnum suum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*. Tertiò, quia ducent malè possidentem ad perpetuam inopiam Iob 27. *diues cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet; & apprehendet eum, quasi aqua, inopia*. Quartò quia contemptus earum ducet ad æternitatem: hìc *omnis qui reliquerit domum*, &c. Ibi multa videre ad rem poteris. Non omittam hìc referre Angeli Caninij opinionem, qui vt erat linguarum peritia exculcissimus, constanter negat vllum extare bonum græcum Auctorem, qui *Kámilon*, vel *Kámelon* pro rudente aut quouis fune vsurpet: funis græcè, inquit, *Kálos*, vel *Schinion* dicitur. Ex prouerbijs itaque de Thalmud excerptis, fert hoc; *non potest Elephantus ingredi per foramen acus*. Item de iactatoribus impossibilium, *immittunt Elephantum per foramen acus*. Contendit ergo, hoc vsurpasse Christum; sed pro Elephante, quem pauci viderunt, bestiam Syriæ notissimam Camelum dixisse.

VERS. XXVII. *Ecce nos reliquimus omnia; & secuti sumus te*.

Grandis fiducia! inquit Hieronymus; *Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat; & tamen loquitur confidenter, reliquimus omnia*. Sequatur Gregorius homil. 5. in Euang. *sed fortasse aliquis tacitis secum cogitationibus dicet; quid aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit? sed hac in re, affectum debemus potiùs pensare, quàm censum: multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit: multum reliquit, quando etiam desiderium habendi dereliquit*. Sanè supra cap. 10. audierant, *nolite possidere aurum* &c. Considerandum est autem ex Diuo Augustino lib. 2. *de Consensu Euangelistarum* suo cap. 17. ad finem, tunc simpliciter fuisse Petrum & Andream vocatos, deindeque filios Zebedæi Iacobum & Ioannem, cum vt Matthæus narrat cap. 4. & Marcus cap. 1. *binos vocauit, iussitque vt eum sequerentur: tunc enim non subductis ad terram nauibus, tanquam cura redeundi; sed ita eum secuti sunt, tanquam vocantem ac iubentem, vt eum sequerentur*. Sentitque cohærenter, non fuisse simpliciter vocatos Lucæ 5. quamuis dictum sit tunc Petro, quòd homines esset capturus: vnde apud Lucam *relictis* quidem *omnibus secuti sunt eum*; sed tamen *subductis ad terram nauibus*: cura vtique redeundi: & *datur* inquit *intelligere eos ad capturam piscium ex more remeasse; vt postea fieret quod Matthæus, & Marcus narrant*; &c. Augustinum memorat Angelicus H nisi quod vbi dicit *cura redeundi*, reperio, *causa redeundi*, subduxisse naues ad terram. Adiecit Petrus; *& secuti sumus te*: Hieronymus; *quia non sufficit tantùm relinquere, adiungit quod perfectum est; & secuti sumus te*. Consilium autem obedientiæ includitur in ipsa Christi sequela; I qui enim obedit, sequitur alterius voluntatem: & ideo magis pertinet ad perfectionem, quàm votum paupertatis. Apostoli ergo quando secuti sunt Christum relictis omnibus, intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionem M. Et in hoc quòd Christus assumpsit discipulos ad suum Collegium, exem-

B Iob 1. l. 1.
C Iob. 1. l. 1.
D opusc. 4. §. non furtum faci.
E 3-cont. G. c. 131.
F Apoc. cap. 19. ibi nuptiæ Agni.
G Serm. Dom. 18. ex Epist.
26.
H 22 2. 186.6.1.
I 2.2.184. 3.1.
L 2. 2. 186. 8. 1.
M 2. 2. 88. 4.4.

N opusc. 17. c. 4. plar consiliorum N perfectionis apparuit: & absque dubio cuiuscumque Religionis statum excessit. Pertinet autem ad perfectionem, quòd Dominum quis sequatur; non qualitercunque, sed vt vlterius retro non abeat: vnde & ipse dixit Lucæ 9. *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus* O 2. 2. 186. 6. 1. *est Regno Dei*. Et quamuis O quidam de discipulis eius retrorsum abierint; tamen Petrus loco aliorum Domino interroganti; *nunquid & vos vultis abire?* respondit; *Domine ad quem ibimus?* Distinguit autem Angelicus dicens, P quicunque voluntariam paupertatem vel castitatem seruant, habent quidem præparatorium perfectionis; sed non dicuntur habere statum perfectionis, nisi qui se ex solemni professione ad huiusmodi obligant: quod est enim solemne & perpetuum, dicitur habere statum. Sic Apostoli, dic tu, se obstrinxerunt Christo. Quod confirmari videtur ijs verbis; *Domine ad quem ibimus?* Hæc immobilitas sequelæ Christi, firmatur per votum ita 2. 2. Ecclesiast. 23. *gloria est magna sequi Dominum*.

P Quodl. 1. a. 14. ad 2. 2. 2. q. 186. 7. 1.

VERS. XXVIII. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, sedebitis & vos*, &c.

27. Dicunt quidam, quòd perfecti viri, quibus iudiciaria potestas promittitur, Q iudicabunt per honorabilem confessionem; & sic assessores iudicare dicuntur; quod est per quandam similitudinem, in quantùm ad similitudinem Iudicis sedentis in loco eminenti, & ipsi superiores cæteris in iudicio apparebunt, occurrentes *Christo obuiam in aera*. Sed istud non videtur sufficere ad promissionem Domini complendam, quia dicitur, *sedebitis iudicantes*; videtur enim confessioni superaddere iudicium. Et ideo est quartus modus iudicandi, qui perfectis viris conueniet; in quantum continentur in eis decreta diuinæ iustitiæ, ex quibus homines iudicabuntur: sicut si liber, in quo continetur lex, iudicare dicatur: vnde Apocalypsis 20. *iudicium sedit, & libri aperti sunt*. Itaque sententiam alterius auctoritate latam, in aliorum notitiam ducere, est velut sententiam latam pronunciare: & hoc modo perfecti viri iudicabunt, quia alios ducent in cognitionem diuinæ iustitiæ, vt sciant, quid eis iuste pro meritis debeatur; vt ipsa reuelatio iustitiæ, iudicium dicatur. Sic exponitur illud ps. 49. *& annunciabunt Cæli iu-* R ps. 49. lit. c. *stitiam eius*: R *Cæli* idest Apostoli; *Cæli*, quia eminent omnibus Choris Sanctorum, & illuminant totam Ecclesiam; ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*: *annunciabunt*, per iudicij auctoritatem promulgantes sententiam contra malos. Adde; quod fert in S opusc. 6. § inde venturus est. opusc. S Isaiæ 6. *Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius*. Alibi sic loquitur: intelligitur ista prolatio sententiæ, non vocalis, sed spiritualis: in quantùm per superiores Sanctos, inferiores vel etiam peccatores spirituali T quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ & qualia præmia eis debeantur: sicut etiam nunc homines illuminantur ab Angelis, vel etiam inferiores Angeli à superioribus. Et in opusc. V præmittens etiam quod docuerat in 4. vbi supra; scilicet per sententiæ approbationem, omnes iustos iudicaturos: Sapient. 3. *iudicabunt sancti nationes*; de Apostolis inquit, iudicabunt, in quantùm cooperabuntur ad hoc, quòd vnicuique appareat causa saluationis & damnationis tam sui, quàm aliorum; eo modo, quo superiores Angeli, Angelos inferiores, vel etiam homines illuminare dicuntur. Psalm. 149. *gladij ancipites in manibus eorum*. Sic Apocalypsis 3. *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in* X Apoc. 3. com. 2 *throno meo*; dicit mecum, X quia cum eo iudicabunt. Sessio notat auctoritatem vtendi iudiciaria potestate.

Q 4. sent. 47. q. 1. a. 2. in corp.

T 1. Cor. 6. l. 1.

V opusc. 2. c. 245.

28. Conuenientiam huius iudiciariæ potestatis, quam pollicetur Apostolis, vno verbo tangit A dicens; iudicabunt simul cum illo, velut Iudici assessores, qui ei præ cæteris adhæserunt. Et ideo Lucæ 22. de hoc ipso sermonem habens ait; *vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis &c. vt sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel*. Vbi Ambrosius; *non autem duodecim throni, tanquam aliqua sint corporalis receptacula sessionis; sed quia secundum diuinam similitudinem*, *sicut iudicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans impietatem condemnans; ita Apostoli in iudicium spiritale formantur, remuneratione fidei, execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes*. Et Sanctus Beda; *qui hic in tentationibus iniustè iudicati, cum Domino permanent, illic cum eo super tentatores suos, iusti iudices venient*. Verùm specialiùs adhuc exponit, cur sit delatum iudicium Apostolis; quia B iudicium erit de actibus hominum, qui terrenis rebus benè vel malè vsi sunt. Requiritur autem ad rectitudinem iudicij, vt animus Iudicis sit liber ab ijs, de quibus habet iudicare: & ideo per hoc quod aliqui habent animum suum à rebus terrenis totaliter abstractum, dignitatem iudiciariam merentur. Facit etiam ad meritum huius dignitatis, præceptorum diuinorum annunciatio: vnde Matth. 25. Christus cum Angelis ad iudicandum dicitur esse venturus; per quos prædicatores intelliguntur, vt Augustinus in lib. de pœnitentia dicit. Subdit autem ad Annibaldum: quod de pauperibus dicitur, etiam de perfectis alijs potest intelligi, eoquod paupertas est prima perfectionis pars. Sic in psal. illum C priusquam ferat quam prælibauimus expositionem de iudicio; *annunciabunt Cæli iustitiam eius, quoniam Deus Iudex est*; inquit *annunciabunt*; per doctrinam instruendo. Complectitur autem omnia in Quarto D dicens; paupertati debetur iudiciaria potestas specialiter propter tria: primo ratione congruitatis, quia voluntaria paupertas est eorum, qui omnibus quæ Mundi sunt contemptis, soli Christo inhærent: & ideo non est in eis aliquid, quod eorum iudicium à iustitia deflectat: vnde idonei ad iudicandum redduntur, quasi veritatem iustitiæ præ omnibus diligentes. Secundo per modum meriti, quia humilitati respondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem quæ hominem in hoc Mundo despectum faciunt, præcipuum est paupertas: vnde pauperibus excellentia iudiciariæ potestatis promittitur: vt sic qui propter Christum se humiliat, exaltetur. Adde Iob 36. *iudicium pauperibus tribuit*. Quocirca; non solùm duodecim, inquit, Apostoli, qui tunc erant cum Christo iudicabunt: nam Iudas non iudicabit; E neque Paulus, qui plus alijs laborauit, carebit iudiciaria potestate: sed ad illos propriè hæc dignitas pertinet, qui relictis omnibus Christum sunt secuti. Intelligitur ergo F etiam de omnibus sequentibus Apostolos, & de apostolicis viris: qui contemptis rebus Mundi solis spiritualibus inhæserunt; *spiritualis* enim G *iudicat omnia*, vt dictum est supra cap. 2. Per numerum ergo duodenarium, intelligitur H vniuersitas eorum, qui iudicabunt; sicut dicit Gregorius & Glossa. Augustinus etiam fertur 20. de Ciuitate Dei; *nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solum homines cum ipso iudicaturos putare debemus: alioquin, quoniam* I *in locum Iudæ traditoris Apostolum Matthiam legimus ordinatum, Paulus, qui plus alijs laborauit, vbi ad iudicandum sedeat non habebit. Vnde duodenario numero significata est vniuersa iudicantium multitudo, propter duas partes septenarij, scilicet tria & quatuor, quæ in se ductæ duodenarium faciunt: septenarius autem est numerus perfectionis*.

A 4. cont. Gent. cap. 96.

B opusc. 2. c. 245. & ad Annibal. 4. dist. 47. a. 2. ad 1.

C ps. 49. lit. c.

D 4. sent. 47 q. 1. a. 2. ad 2.

E opusc. 2. c. 245.

F opusc. 6. § 10.

G 1. Cor. 6. l. 1.

H Apoc. 3. c. c.

I 4. sent. 47. q. 1. a. 2. 2. ad 1.

Et

Et propter hoc etiam, quòd duodenarius constat ex duplici senario, qui est numerus perfectus: vel quia ad literam duodecim Apostolis loquebatur: in quorum persona hoc omnibus eorum sectatoribus promittebat. Igitur illa promissio etiam ad illos extenditur, L qui Apostolorum vestigia imitantur. Porro inquit Angelicus; non quibuscumque M pauperibus etiam voluntariè repromittitur potestas prædicta, sed illis qui relinquentes omnia sequuntur Christum, secundum perfectionem vitæ; progressu, dic, ad perfectionem semper intento, qui ab exteriorum dimissione incipit. Denique non æstimandum est, quòd soli Iudæi N qui ad duodecim tribus Israel pertinent, per Apostolos iudicentur: sed per duodecim tribus Israel omnes fideles intelliguntur, qui in fidem Patriarcharum sunt assumpti. Theophylactus interpretatur ly *iudicantes*; idest *condemnantes ex duodecim tribubus infideles*. Sic Hebræorum 13. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus*; idest O condemnabit. Claudat Sanctus Beda Homilia in Natali Sancti Benedicti; *in regeneratione; cum videlicet in vitam immortalem fuerimus resurgendo regenerati; qui in vitam caducam mortaliter eramus geniti. Iusta prorsus retributio, vt qui hic pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic à Christo Iudices glorificati singulariter cum eo assideant, qui à sequendis eius vestigijs nulla ratione poterant auelli. Nemo ergo putet duodecim tantum Apostolos, quia pro Iuda præuaricante Matthias electus est, tunc esse iudicaturos; sicut nec duodecim solæ sunt tribus Israel iudicandæ: alioquin Tribus Leui, quæ tertiadecima est, iniudicata recedet. Et Paulus, qui tertiusdecimus est Apostolus, iudicandi sorte priuabitur; cùm ipse dicat; nescitis quoniam Angelos iudicabimus; quanto magis sæcularia? Sciendum namque est; omnes, qui ad exemplum Apostolorum, sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos; sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum. Quia enim duodenario sæpè numero solet in Scripturis vniuersitas designari, per duodecim Sedes Apostolorum, numerositas iudicantium; & per duodecim Tribus Israel, vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur.* Quod quidem ex Augustino 20. de *Ciuitate Dei* acceptum est, vt vidimus.

L 4. cont. G. c. 96.
M 4. sent. 47. q. 1. a. 2. ad 2.
N opusc. 2. c. 247.
O Serm. Dom. 1. post Epiphan. 1. ex euang.

VERS. XXIX. *Et omnis qui reliquerit Domum, vel fratres, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

29. Vitam æternam sic verbo tangit: dic ex Augustino in lib. 1. de Serm. Domini in Monte; *illa omnimoda & in Angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis exponi potest*. Præmittit autem, *centuplum accipiet*; quia boni, P etsi in hac vita quandoque non habeant corporalia præmia, nunquam tamen deficiunt à spiritualibus etiam in hac vita. Hinc Bernardus aiebat; *videtis afflictiones nostras, & non videtis consolationes*. Et si aliud non nobis prægustandum daretur, *est*, quod inquit Gregorius, *initium retributionis, securitas mentis*. Regnum Cœlorum etiam, vt ex Augustino refertur, potest intelligi Q perfectæ sapientiæ initium, secundum quòd incipit in nobis spiritus regnare. Et sic aio ipse de vita æterna. Verùm, quia palam apud Marcum dicit Dominus; *nemo est qui reliquerit domum, &c. propter me & propter Euangelium, qui non recipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos &c.* Sicut & apud Lucam, *& non recipiat*, inquit, *multo plura in hoc tempore*; Augustinus ad hæc ait; 20. de Ciuitate Dei; hoc exponens quodammodo, *Apostolus dicit*, (2. Corinth. 6.) *nihil habentes, & omnia possidentes*. Vbi Angelicus profundiorem eruit intelligentiam dicens, omnia possidentes per interiorem magnitudinem cordis: & hoc ideo, quia ipsi viuebant non sibi: sed Christo: & ideo omnia quæ sunt Christi, reputabant vt sua. Vnde R cum Christo omnia sint subiecta, omnia possidebant, & omnia tendebant in eorum gloriam: affertque ad eundem sensum in confirmationem illud Iosue 1. *omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam*. Dic tu, calcandi verbum, mysticè pro rebus immo relictis atque contemptis, accipi posse. Et vide quomodo adcinit Hieronymus in Epistola ad Heliodorum: *licèt paruulus à collo pendeat nepos; licèt sparso crine & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat, Mater ostendat; licèt in limine Pater iaceat, per calcato perge Patre; siccis oculis ad vexillum Crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem*. Et postea subdit; *gladium tenet hostis vt me perimat; & ego de Matris lacrymis cogitabo? propter Patrem militiam deseram, cui sepulturam, Christi causa non debeo?* Quanquam autem ex necessitate hoc sit faciendum, vbi scandalo hæc sunt, vel proximè esse possunt: non in casu eiusmodi nunc loquitur Dominus: iam enim satis supra cap. 5. sub similitudine manus & oculi proijciendorum præceperat. Latior itaque isthæc est relictio; vtpote supererogationis; cui superexcedentem & in hoc sæculo nunc repromittit compensationem: non vtique materiali intelligentia; vt qui decem agros reliquit, centum decies recipiat; quia implicaret in adiecto de ipsius sequela, studio certè paupertatis, quia & ipse pauper: neque rationabiliter diceretur relinquenti Domum vnam, actuali possessu centum esse donatas. Præterquam multiplicatis sic filijs exempli gratia, non videretur in præpollens bonum cessisse abrenunciatio: nam si auctis cæteris rebus, etiam numerus filiorum auctus esset, non esset fortuna domus augmentata, quia eandem quantitatem in bonis eius, vnusquisque filiorum haberet, ac priùs: vt quoad filios Sancti Iobi S discurrit Angelicus; quos ei hac in vita non multiplicauit.

P p. 2. 69. a. 2.
Q loc. cit.
R 1. Cor. 6. l. 2.
S Iob 42. lect. vnica.

30. Adde ex Beda, qui iudaicam mille annorum fabulam post resurrectionem deridet; *quòd etsi in cæteris digna sit promissio, in vxoribus tamen centenis iuxta alios Euangelistas, appareat turpitudo*. Secundùm insinuatam ergo ab Angelico T doctrinam, de vtilitate, de solatio, de beneficijs, centenum reportandum promittit fructum, si ipsius gratia relicta sint; attentis tamen honestatis circumstantijs, locorum temporum causarum & personarum, dum interim ab ipsius potestate, *cuius est terra & plenitudo eius*, iure omnium fruantur. Eo sensu quo dicebat Paulus 1. Thessal. 2. *cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli*. Dic ergo, quas diuitias, quæ commoda, quas delicias, quas consuetudines quis reliquit propter Dominum, reperturum vberius sibi centies multiplicanda: vndecunque olim sibi essent, siue ab regia etiam domo, à fratribus, à sororibus, &c. ampla terrenorum quoruncunque enumeratione. Ita & Chrysostomus qui ait; *centies tantum merces, secundum communicationem & non secundum possessionem: hoc enim adimpleuit eis Dominus non corporaliter; sed alio quodam modo*. Et Diuus Hieronymus descendens ad praxin habet; *vxor in Domo circa viri cibum negotiatur & vestimenta. Vide igitur hoc & in Apostolis; multæ enim mulieres solicitæ erant de eorum cibo & vestimentis, & ministrabant eis. Similiter & Patres & Matres plurimas Apostoli habuerunt, scilicet eos, qui ipsos diligebant. Sed & Petrus vnam reliquit Domum: postea omnium discipulorum Domos habebat*. Passim autem hoc impleri constat in Religiosis; qui vbique terrarum fermè experiuntur, sibi suppetere ministerio fidelium plura, quàm ex priuatis familiæ opibus suppeditarentur.

T 1. Cor. 6. l. 1.

tur. Horum tamen mensura supremo dispensatori Domino humaliter relinquenda est: iuxta illud Petri in prima benè hinc edocti, dicentis; *omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum; quoniam ipsi est cura de vobis*. Et quis Dei se curæ committens sibi timeat? Prouerb. 10. *pauor pauperum, egestas eorum*. Si homini se dedat homo seruiturum, securus dormit, neque de tecto neque de pane diffidens: & trepidabit si Dei se seruitio consecret, ne fame pereat? Centuplum, si quando vrgeat necessitas, recipiet à Domino; qui potiora nobis dona spiritus, quotidie inexhausta largitate distribuit. Intelligitur autem non ad luxuriandum aut distrahendum, seu consumendum prodigi illius instar; sed ad sufficientiam; iuxta illud 2. Corinth. 9. *potens est enim Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis; vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes*; &c. Isaiæ 30. *dabitur pluuia semini tuo*: quò V & præsens allegatur textus; *omnis qui reliquerit*, &c. Sub disiunctione autem dicit *Domum, vel fratres, aut sorores*; &c. Non quòd impleat generosum huiusmodi repudium, qui vni duntaxat horum abrenunciat; adhuc enim alligatus esset, *si non renunciet omnibus quæ possidet*, vt ait Lucæ 14. sed relinquenda diuisit, quoniam non vnicuique collecta sunt. Quare qui vel vno ex his detinetur impedimentis, si re ab eo se extricet ac expediat, ab alijs autem affectu; centuplum etiam pro re non derelictis, sed animo, adhuc recipiet; sic tamen vt ad Deum manuducant, non vt auertant; sic enim de temporalibus vnicuique prouidet. X Sed abutimur. Iuuenis iste fortasse possessionibus magis, quam fratribus aut sororibus addictus erat; ideo de his vrget Dominus; *vade; vende quæ habes, & da pauperibus*.

V 2. Cor. 9. l. 2.

X p. 2. 114. 10.

VERS. XXX. *Multi autem erunt primi, nouissimi; & nouissimi, primi*.

31. Videtur esse primo intuitu amphibologia, an in primo hemistichio sensus sit, quòd primi sint habendi pro nouissimis, vel nouissimi sint habendi pro primis. Textus Syrus apud Nouarinum, *in Matthæo expenso* legit; *multi autem primi erunt nouissimi*: ex quo liquet subiectum propositionis esse ly *primi*; prædicatum verò ly *nouissimi*: ac si diceretur transibunt multi primi in nouissimos. Et reuera planior est intelligentia: vt quid enim transponendum fuerat subiectum in locum prædicati & è contra? Nihilominus, nisi translata sint hemistichia, apud Lucam cap. 13. alia occasione; ly *nouissimi* locum tenet subiecti, & ly *primi* stat pro prædicato; & sic dicit; *sunt nouissimi, qui erunt primi*: deinde secundo Hemistichio; *sunt primi, qui erunt nouissimi*. Item infra sequenti 20. capite dicit Dominus, *erunt nouissimi, primi; & primi, nouissimi*: vnde in priori parte ly *nouissimi* plana intelligentia stat pro subiecto: cur ergo hic stabit ly *nouissimi* pro prædicato? Dicendum mihi videtur, trahi impræsentiarum ly *primi* in locum subiecti, saltem ab adiecto præmissoque ly *multi*: inquit enim *multi autem erunt primi nouissimi*: ly enim *multi* nonnisi violenter trahi potest in prædicatum: Et concinat quod promit aliàs; *qui se exaltat* (ecce de primis) *humiliabitur: & qui se humiliat*, (ecce de *nouissimis, qui erunt primi*) *exaltabitur*. Est enim ordine generationis priùs humilianda superbia, deinde exaltanda humilitas. Etsi roges cur sequenti proximo capite, non ita assumuntur primi in subiectum primæ partis? Respondeo; quia de nouissimis murmurauerant; *hi nouissimi vna hora fecerunt*: ideo ab his exorditur Dominus. Sic Luc. 13. ad venientes, ab oriente, & occidente, & austro, & aquilone, descenderat sermo; ideo ab his nouissimis transituris in primos incipit propositio. In hoc autem textu deuenit Dominus, ad retribuendum ijs, qui pro ipso reliquissent omnia, proinde ex primoribus essent; idcirco, mox ad ipsos sententiam conuertens subdit; *multi erunt primi, nouissimi*: ac si diceret; videte, ne inanis gloria præsumptio tepor inconstantia, vos capiat, quia qui primi estis multi, in posteriores transibitis, in nouissimos: & è contra, ij, qui ad altiorem vestri statum non se extulerunt, sed vulgares inter homines vixere, sua in simplicitate transcendent; de nouissimis primi fient. Sic Sanctus Beda; *verum quia multi virtutum studia, non eadem qua incipiunt, intentione pietatis consummant, mox subinfertur; multi autem primi, erunt nouissimi; & nouissimi, primi*: (supple *multi* etiam in hac secunda parte) *quotidie enim videmus multos in laico habitu constitutos magis vitæ meritis excellere; & alios à prima ætate, spirituali studio feruentes, ad extremum otio torpentes lassescere; atque inerti stultitia, quod spiritu cœpere, carne consummare*. Videturque respexisse ad illud Apostoli; *sic stulti facti estis, vt cum spiritu cœperitis, carne consummemini*: quales sunt A qui incipiunt seruire Deo cum seruore spiritus; postmodum deficiunt; qui assimilantur statuæ Nabuchdonosor; cuius caput aureum, & pedes lutei; Danielis 2. Recole Ieremiæ 7. *facti sunt retrorsum, & non in ante*. Sanè contingit B quòd aliqui se obligant ad id quod non seruant, & aliqui implent ad quod non se obligauerunt, vt patet Matthæi 21. de duobus filijs quorum vnus Patri dicenti; *operare in vinea*, respondit *nolo*; *postea abijt: alter autem respondens ait; eo, & non iuit*. Et ideo nihil prohibet, aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis; & aliquos esse in statu perfectionis, qui non sunt perfecti. Dic ergo ex hac doctrina; *multi autem primi*, (ratione status) *erunt nouissimi: & nouissimi* (ratione status similiter) *primi*. Perfectio quippe etsi instrumentaliter C consistat in consilijs: vnde status Religionis est quoddam exercitium D & disciplina, per quam peruenitur ad perfectionem charitatis: nihilominus essentialiter consistit E perfectio Christianæ vitæ in charitate; principaliter quidem in dilectione Dei, secundariò autem secundum dilectionem proximi: de cuius dilectionis perfectione vide F progressus. Et sic prophetice Dominus quæ ventura prænunciat. De huiusmodi nouissimis, qui facti sunt primi, atque de ijs, qui reliquerunt domum, vel fratres, aut sorores, dicent sine dubio Sapient. 5. *in Inferno hi qui peccauerunt*, quæ prius leguntur: *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est*. Sed eis Iacobus c. 5. respondet; *agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit*.

A Gal. 3. l. 2.

B 2. 2. 184. 4.

C ibi a. 1.
D 2. 2. 186. 3.
E 2. 2. 184. a. 1. & 3.
F 2. 2. 184. 2. 3. & q. 186. 2. 2.

Immo ipsimet miserè conquesti; *quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis*? ibi Sapientiæ 5. Conuertuntur interpretes ad alias expositiones: sed hæc quæ supra, videtur genuina præ cæteris: præsertim quia quadrat Syntaxi, vt dicomus.

SYN-

SYNTAXIS
Ad Caput Decimumnonum.

VERS. I. *Et factum est; cum consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ.*

1. Postquam præcedenti capitulo, Ecclesiæ suæ Vicarium qualificauit, eiusdemque seruandæ ac dilatandæ ex mutua membrorum opera viam strauit, tum scandali deuitatione tum studio correptionis, tum pacis ac mansuetudinis ostensione: ea necessarijs hisce monitis quasi aggeribus præmunita; supererat de ipsius stabilitate disserere, definiendumque subinde nunquam ab ipso deserendam; iuxta quod cap. vltimo postea pollicitus est; *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Expediens autem fuit hoc firmare, quia, vt ait Beda lib. 2. cap. 28. in caput 6. Marci, *nonnunquam Ecclesia, tantis Gentilium pressuris, nedum afflicta sed & fœdata est; vt, si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur:* & iterum; quia ex defectibus in ea compertis; an defecisset, videbatur in dubium verti: neque enim, quæ præexigit supra, in fidelibus deprehenduntur. Deest humilitas charitas mansuetudo; adest ambitio, adsunt scandala, vindicta & odium: posset obijci, *quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* 2. Corinth. 6. Nec deerit, qui blasphemè violenterque illud Osee 2. contra Ecclesiam detorqueat; *iudicate, quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius.* Sanè Donatistarum fuit hæresis, quos pluries confutat Augustinus, Ecclesiam in sola Africa à sola Donati parte, qui fuit Episcopus Carthaginensis, remansisse: temereque ac proteruè aiebant, fuisse quidem antea Orbe toto diffusam, sed apostatasse & perisse Ecclesiam de omnibus Gentibus: vt in psalmum 101. refert idem Augustinus ac refellit. Neoterici quoque Hæresiarchæ non minus affectant Ecclesiam, quam Catholicam profitemur, defecisse, ipsiusque extimam faciem omnino disparuisse: qua de re fusè Canus de locis lib. 4. Et in istos quasi præscius idem Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ c. 12. loqui videtur, quanquam Donatistas redarguat. *Isti inquit volunt multa detorquere in Ecclesiam Dei, vt tanquam defecisse ac perijsse de toto Orbe videatur.*

2. Præoccupat ergo mirè in hoc capite Dominus hæreticorum blasphemias, vt alt istimæ doctrinæ apparatu queat fidelis deludere hostiles astus, ac de ipsis, inconcussa semper Ecclesia, triumphare. *Migrauit,* inquit, *à Galilæa & venit in fines Iudææ trans Iordanem.* Itinera quoque Saluatoris, vt aliàs admonuimus, scatent mysterijs. Per Galilæam, quæ interpretatur transmigratio A intelligitur ipsa Gentilitas: sic ad illud Ioan. 4. reliquit Iudæam; & abijt iterum in Galilæam: ad hanc Christus ex Iudæis, ad Gentes scilicet venit. Et idem habet Matthæi 26. *præcedam vos in Galilæam;* significante Domino transmigrationem discipulorum ad Gentes. Sic & Ioannis 1. ibi, *in crastinum voluit exire in Galilæam;* quia in die gratiæ, B scilicet Euangelij exiret ad Gentes saluandas. Hic è conuerso, migrat à Galilæa in Iudæam. Triplicem rationem transitus præsentis habes C in Diuo Thoma. Sed vt syntaxin astruamus, libet à nomine interpretationem rimari: etenim *Iudas confessionem sonat;* sed triplex est confessio, D vna gratiarum actionis. Alia est confessio peccatorum; quæ pertinet ad pœnitentiam. Tertia est confessio eorum quæ sunt fidei. Vnde 2. Thessal. 1. glossa, *confessio est propriè opus fidei.* Trasmigrationem ergo dic accipi posse ex infidelitate ad fidem. Et ecce de Iordane introduci, *in fines Iudææ trans Iordanem:* quia scimus E transitum Iordanis significasse baptismum, quantum ad hoc quod aperit ianuam Regni cœlestis, qui est principalior effectus baptismi, & per solum Christum impletus. Baptismus quippe F est quædam fidei protestatio: vnde dicitur *fidei Sacramentum.* Ad hæc Origenes; *sanabat autem Dominus turbas trans Iordanem, vbi baptismus dabatur: verè enim omnes à spiritualibus saluantur etiam in baptismo.* Hinc Ecclesia in octaua Epiphaniæ canit. *Creator omnium in Iordane expurgat nostra facinora.* Quod si ly *curauit,* curam & solicitudinem de illis habuisse significat; cum non exprimatur fuisse turbas omnes infirmas; dico fidem adhuc designari; quoniam qui credit, necesse est sciat G Deum habere prouidentiam de rebus: aliter subdit Angelicus, nullus iret ad ipsum: hic, *sequuntur eum turbæ multæ.* Sic alibi docet: H si qui saluati sunt de Gentilibus, quibus reuelatio non fuit facta; non fuerunt saluati absque fide mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia; credentes Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi placitos. Prouidentia autem & cura pro eodem stant; iuxta quod 1. Cor. 9. dicitur; *nunquid de bobus cura est Deo?* quod ad prouidentiæ de hominibus discrimen I dici, satis monemur. Ecce ergo & de baptismo, & de fide persunctoriè tangi. Et ideo prætermittit Matthæus, quod dicit Marcus, *& sicut consueuerat, iterum docebat illos:* quia in baptismo id præsumitur; infra Matthæi vltimo, *docete omnes Gentes:* vbi Hieronymus lib. 4. *primùm docent omnes Gentes: deinde doctas intingunt aqua: non enim fieri potest vt corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem.*

3. Et si roges, cur syntaxis baptismum iterum verset, dum supra cap. 3. de ipso dictum sit. Respondeo, nunc per transennam; vt recolatur, in fide (quandoquidem, vt vidimus, *est sacramentum fidei*) desponsationem esse Christi & Ecclesiæ: iuxta illud Osee 2. *sponsabo te mihi in fide:* Quam auctoritatem etsi tropologicè exponat inter L Deum & animam: alibi tamen M intelligitur & allegoricè de Christo & Ecclesia: iuxta illud Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Et sic extat coniunctio Christi & Ecclesiæ. Vnde ibidem Apostolus; *viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Subdit autem, istud Matrimonium fuisse in vtero virginali, quando Deus proprio filio humanam naturam vniuit in vtero virginali: vnde huius coniunctionis thalamus fuit vterus virginalis: psal. 18. *in Sole posuit tabernaculum suum; & ipse tanquam sponsus,* &c. De istis nuptijs dicitur infra c. 22. *Simile est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo;* tunc scilicet quando Deus Pater humanam naturam Verbo suo copulauit in vtero virginali. Publicatum autem fuit, quando Ecclesia sibi per fidem coniuncta est. Et ecce mi lector, qua de causa introducatur de vxoris dimissione, ad enucleandum scilicet ac definiendum, inter Christum & Ecclesiam locum non

Marginal notes: A Io. 4. l. 1 lud. — B Ioan. 1. l. 16. — C D. Th. hic. — D 2. 2. q. 3. 1. 1. — E 3. p. 39. 4. 1. — F 3. p. 66. 1. 1. — G Hebr. 11. lect 2. — H 2. 2. q. 2. 7. 3. — I p. p. 22. 2. 5. — L Serm. Dom. 1. post Epiph. — M Ioan. 1. l. 2.

non habere diuortium, nec libellum repudij. Vt quid enim nobis iterum doctrina hæc de non dimittenda vxore traderetur; cum iam supra cap. 5. præhabitum sit? sed dispensatione diuina factum est, vt *Pharisæi tentantes eum, interrogarent; si licet homini dimittere vxorem suam?* vt responso Domini obstrueretur os futurorum loquentium iniqua; & delirantium, Christum dimisisse Ecclesiam suam. Caluinus, referente Cano lib. 4. de locis prope finem, apud nos esse, modò ait, modò negat. Nunc Ecclesiam dicit nunquam fuisse intermortuam; nunc affirmat puram verbi Dei prædicationem ab aliquot iam sæculis euanuisse: Tunc asserit sub Romano Pontifice non esse Ecclesiæ nomen abolitum, sed sub eius quoque tyrannide Ecclesias manere; tunc è contra, nos omnes dicit idololatras. Considerarunt perfidi Caluinus ac Lutherus, se de nouo recentes comparere; ideoque vt haberentur ædificantes, & non Ecclesiæ insidiatores, moliti sunt phantasticis argumentis absurdum grauissimum, vt multis sæculis latuerit Ecclesia, velutque defecerit; quemadmodum & Synagoga temporibus astruere intuntur; vt ibidem ad sextum argumentum idem Canus. Sed garriant gannantque & grunniant *Pharisæi* & ipsi, hoc est *separati*; nunquam Ecclesiam intermortuam ostendent, nisi mentitum blasphement Christum, qui ait; *portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* nunquam ostendent Petri Sedem corruisse, cui dixit Dominus Lucæ 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Hinc est inquit Angelicus, N quod sola Ecclesia Petri, in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad prædicandum, semper fuit firma in fide; fide viget, & ab erroribus munda est. Ecclesiæ aliæ vituperari possunt per hæreticos; Ecclesia Romana nunquam fuit hæreticis deprauata, O quia supra Petram fundata est; rogauitque pro Petro Dominus. Nolim ipse Synagogæ etiam ante Christi aduentum derelictionem improbare, de qua putat Canus ibi in responsione ad 6. interpretari posse Danielis vaticinium: defecturam scilicet hostiam & Sacrificium. Sed cauendum est de æquiuocatione Synagogæ & Ecclesiæ; fuit enim tempore Synagogæ semper Ecclesia; sed non ideo Synagoga Ecclesia est. Ecclesia cœpit ab Abel Iusto; non ab Adam, quia interrupta fuisset, eo in peccatum cum Heua lapso; & inde tanquam vinea Domini, vt ait Gregorius, *quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit*. *Synagoga* quippe, *congregationem* ex græco sonat. Erant autem Synagogæ apud Hebræos P vt notat Angelicus; in quibus conueniebant ad laudem Dei, quoad doctrinam legis & Prophetarum. Verùm fides, quæ fundat Ecclesiam, sacrificiaque quibus Deus colitur, non ad Synagogam, sed ad templum & tabernaculum relationem habent. Et quantum ad fidem, dicendum mihi omnino videtur, nunquam illam etiam Synagogæ tempore defecisse: vnde nec Ecclesia; *vna enim est fides nostra & antiquorum*, quod ait Gregorius; & primò Apostolus 2. Cor. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei*. Ad hæc Angelicus: Q illi qui tempore Synagogæ Deo seruiebant, ad vnitatem Ecclesiæ, in qua Deo seruimus, pertinebant.

N opusc. 6. § 12.

O Matthæi 24.

P p. 2. 102.4.3.

Q 4.sent. 27 q. 3.1. ad tertiam.

4. Inconueniens ergo maximum astruere nituntur; dum Synagogam confundentes cum Ecclesia Dei, hanc veluti deformatam deperditamque vellent destituisse, vt Christi Ecclesiam priusquam ipsi venirent, intermortuam firmarent. Absit. Nullo temporis momento diuina Maiestas veros cultores amisit. Sanè dicit diuinum responsum Roman. 11. ex 3. Regum, *reliqui mihi septem millia virorum; qui non curuauerunt genua ante Baal.* Quòd si hanc turpitudinis notam studeant Ecclesiæ, quæ Christi decoratur appellatione, inurere, impiè obloquuntur, & Christo, vt dictum est, sunt increduli, quando ait, *ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi*: & ne locum haberet Hæresiarcharum rabies, interposuit *omnibus diebus*; nulla scilicet interruptione: & Ioannis 14. *alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*. Planè, neque *in æternum*, neque simpliciter mansisset spiritus in Ecclesia, si vnquam desijsset, aut desinere posset. Et ita illud Matthæi 24. *Dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*; quod Chrysostomus R exponit de generatione fidelium. Et hoc præscius Isaias c. 53. testatus est; *videbit semen longæuum*; vsque ad S finem Mundi filios sibi regenerari. Præterea blasphemum est imaginari, sic permisisse Christum Dominum de Ecclesia *quam*, Act. 20. *acquisiuit sanguine suo*; quæque 1. ad Tim. 3. decantata est *columna & firmamentum veritatis*. Nec obtendant Ecclesiam fuisse; sed occultam, & obscuram; ex illo psal. 44. extorte, *omnis gloria eius ab intus*: nam in primis; inibi est; *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*: vt notat Canus: quemadmodum Romanam Ecclesiam, semper patuisse. Addoque Christum Dominum visibilem Ecclesiam, visibileque caput consecrasse: prout sexcentis ex capitibus decet; sicut & visibilia instituit Sacramenta. Dato autem fingi posse defecturam Ecclesiam; diuortium Christi ab illa tunc foret, cum fides deficeret, qua sponsata est: atqui fides Petri nunquam deficiet; ergo nec Petri, Vicarij Christi Ecclesia deficiet vnquam. Videtur Dominus omnium hæreticorum anteuertere insultus, dum callidæ occurrens interrogationi, negat quacumque ex causa licere vxorem dimittere: & allegorico sensu, nunquam se dimissurum Ecclesiam sibi sponsam, *nisi quod absit, causa fornicationis*. Quam quidem exceptionem ideo interserit; quia est duplex fornicatio; vna carnalis, altera spiritualis T quæ est infidelitas: diciturque infidelitas adulterium V spirituale: propter quod definitum est, non solùm posse & debere virum fidelem factum, dimittere vxorem infidelem, quoad torum & cohabitationem; sed si vxor non abstineat à contumelia Creatoris, prorumpatque in verba blasphemiæ, & nomen Christi audire nolit; sic simpliciter eam potest debetque X dimittere, potestque aliam ducere; ex quo soluitur matrimonium quod fuerat cum infideli. De hac spirituali fornicatione alibi; A sicut fornicatur sponsa, cum præter sponsum suum carnalem, alium virum admittit; ita in Scripturis Iudæa fornicari dicebatur, quando Deum verum deserens idolis adhærebat; Osee primo; *fornicans fornicabitur terra à Domino*. Et cohærenter ad huiusmodi intelligentiam dicebant Iudæi, *fornicatione non sumus nati*: quasi dicerent; si aliquando B Mater nostra Synagoga à Deo recedens fornicata est cum Idolis; nos tamen non recessimus, nec cum Idolis fornicati sumus. Isaiæ 57. *semen adulteri & fornicariæ*. Quamuis autem, si delectabiliter contra debitum diuini ordinis coniungatur mens quibuscumque rebus, dicatur fornicatio spiritualis C ex Angelico; Ieremiæ 3. *tu autem fornicata es cum amatoribus multis*: dic quasi antonomasticè fornicationem appellari infidelitatem. Dic rursus, hanc fornicationem excipere Dominum, quæ si deprehensa fuerit, soluit etiam inter Deum & homines, & si per impossibile esset in Ecclesia inter ipsam & Christum, solueret spirituale connubium. Subinfer deinde, idcirco quasi parenthesi dixisse Dominum, *excepta causa fornicationis*; quia Synagogæ præsciuit infidelitatem. Infer secundò, nisi ostendant Sectarij, defecisse Ecclesiam nostram à Christi fide, vacuis semper bombis in nos conari; quia excepta causa fornicationis infidelitatis, non dimittitur vxor.

R p. 2. 106 4.

S Isaiæ 53.

T 4. sent. 35.q.1.1. ad 1.

V 4. sent. 39.1.4.

X ibi a.5.

A Ioa 8. l.5. lit.f.

B ibid.

C 2. 2. 151. 2.

Sed

5. Sed proterue audent Ecclesiam labefactatam erroribus, & hæresibus estruere. At hoc semper eis erit probandum: quia promissio Christi Domini extat, vt supra dictum est, de firmitate fidei & Ecclesiæ. Iactant impij post Concilium Basilcense, à quo Eugenius quartus de Pontificatu deiectus est, prædamnatus schismatis, rebellionis pertinaciæ: in quo pariter totus Cardinalium & Episcoporum grex, qui Concilio refragantur, similiter explosus est: iactant inquam, extinctam tunc Romanam Sedem, fidem denigratam; & adhuc nunquam reuixisse, quia ex illorum inquiunt Schismaticorum, rebellium, pertinacium gremio prodijt quicquid postea Paparum Cardinalium Episcoporum Abbatum Præsbiterorum fuit. Talia apud Canum de locis lib. 4. in fine primi capitis: quibus exufflandis blasphemijs differt ad lib. 4. ad 9. Argumentum versus finem primi item Capitis, doctrinas eruditionesque adferre. Tu dic vno verbo, legitimè asserta illa in sententia, minimè processisse, quorum Concilium in Conciliabolum degenerauerat: Pontifice legitimo inde illud reuocante. Constans quippe est breuique firmat Diuus Thomas in 2.2.q.1, a. 10. ad solam auctoritatem Summi Pontificis, vtpote qui toti Ecclesiæ præest, pertinere omnia, quæ concernunt totam Ecclesiam; vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi. Papæ profectò est, habere curam vniuersalis Ecclesiæ; 2.2.q. 89. a. 10. ad 3. Pro Petro singillatim, proque Petri successoribus rogauit Christus, *ne fides deficeret*, vtque ipse *confirmaret fratres suos*. Vbi adest auctoritate Petri confirmatio, inconcussæ euadunt definitiones; secus non item. Quare, vt Ecclesiam mutasse defecisseque astruant, in vanum & ex hoc capite laborant. Sed hic raptim tangimus; non ex professo discutimus controuersia. Stet, Catholicam statariam perpetuò esse futuram Ecclesiam sub Pontifice Romano suo Capite, quæ semel progressa, nunquam deficiet; sicut nec fides. Et hac ex fide Catholica, à qua desciuerunt omnes, qui aliunde nomenclaturam sibi assumpserunt, puta Luteranorum, Caluinistarum, (notatu dignum ex Hieronymo olim & Augustino apud Canum in calce 4. libri) ex hac inquam fide Catholica, permanet Christi cum Ecclesia Catholica connubium, & ex parte amor; iuxta illud Cant. 4. *vulnerasti cor meum soror*
D Ephes. 1. l. 8. & Cant. 4. recentiori expositione *mea sponsa*; soror scilicet D per naturam, & sponsa per gratiam; *in vno oculorum tuorum*: quod ad fidem, vt ibi in Catena dicit, attinet. Tunc inquit cogitationes nostræ Deo placent, cum sunt iunctæ per fidem. Et ecce, cur mira consecutione subijciat Dominus de Eunuchis *qui se castrauerunt propter Regnum Cælorum*: & hos in typum Ecclesiæ, quæ Virgo est. Augustinus lib. de Virginitate: *cum igitur vniuersa Ecclesia Virgo sit: quanto digna sunt honore membra, quæ hæc custodiunt in carne, quæ ipsa tota custodit in mente?* Hinc 2. Cor. 11. *despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*.
E 2. Cor. 11. l. 1. Ecclesia enim E exhibet se Christo Virginem, quando perseuerat in fide, & infra Sacramenta absque corruptione alicuius idololatriæ, & infidelitatis. Iuxta hæreticorum blasphemias Neotericorum Virgo iam non esset Ecclesia, prius corrupta, & per eos reformata. Vellent impij vt innuimus, eò confugere, vt Ecclesiam non semper fuerit necesse digito demonstrari; quin potius nulla apparente forma, potuisse in occulto consistere: in ipsisque tunc cum disparuit fuisse quærendam: vt idem Canus percurrit ab argumento 3. capitis primi, quarti libri. Posset addi speciètenus pro ipsis, quod fert idem Canus in responsione, illud Hieronymi, qui prius ingemuit dicens, *totus Orbis se Arianum esse miratus est*. Vide ibi multa. Ipse hoc vnum assero: Romanæ Ecclesiæ Catholicam fidem, nunquam latuisse, sed semper se se manifestè ostendisse & obiecisse (in 6. libro inquit Canus accuratius ostendetur) Apud eundem in responsione ad 12. *Cathol* dicatur *totum*, & à toto: indeque ex Augustino Catholica Ecclesia dicta sit, quod in toto Orbe, iuxta Prophetarum prædictiones diffusa sit. Inde ex Lirinensi; *ille est verus germanusque catholicus, qui quicquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi retinendum credendumque decernit*. Quare etiam Arianismi conflagratione, Rubum dic fuisse incombustum, conseruatam Ecclesiæ virginitatem: nec latere potuisse; quando is cui commissa fuit (Petro & successoribus, *pasce agnos & oues meas*, Ioan. 21.) nunquam latuit, nunquam siluit, nunquam cessit, certus quòd *vbi duo vel tres congregati erant in Christi nomine, in medio eorum ibi erat*, vt pollicitus est supra cap. præcedenti. Quomodo latuisse dicenda est, quæ diu conflictata Christi nomine, palam extinctis hostibus triumphauit?

VERS. XIII. *Tunc oblati sunt ei paruuli, &c.*

Sectarij apud Canum, vbi supra lib. 3. cap. 1. ab argumento 7. & deinceps, eo quòd Ecclesiam necesse sit credere immaculatam & sanctam, proinde, vt aiunt, ex solis prædestinatis etiam, ijsque viuis membris non mortuis, nituntur ipsamet solummodo probare incognitam, & veluti insensibilem coram Deo Christoque Domino sanctam ex pijs & iustis conflatam. 6.
Et eò collimat istorum lupina rabies, vt ceu quid ignotum Ecclesia vera, det eis campum negandi perfidè, nos quidquam caracteris Ecclesiæ monstrare posse: & sic in occulto eam statuendo, postea quam signaculum aut notam Ecclesiæ iactare nequeunt, fit ad inuisibilem sibi Ecclesiam fuga. Et sic nulla nunc temporis exterius esse, fuisse duntaxat; cùm diceba Ioannes in prima c. 3. *qui natus est ex Deo peccatum non facit; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. Quærunt subinde à nobis, cur in censenda Ecclesia insaniamus, cum Christus Ioannis 10. eam minimè dubio symbolo designarit; *Ego sum Pastor bonus: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me.* Qui ergo vocem Christi non audit, is ad Christi ouile non pertinet; ac proinde, ne pars quidem Ecclesiæ Christi est.

Vt astus eorum eludamus, ipse præmitto, minimè à catholicis negari quod in Symbolo profitentur, *sanctam esse Ecclesiam*: iuxta quod Ephes. 5. dicit Apostolus, *vt sit sancta & immaculata*; & in psal. 149. *laus eius in Ecclesia Sanctorum*: tametsi Psaltes de triumphanti magis videatur canere. Ideo Apostolus nedum Ecclesiam dicit *virginem*, supra 2. Cor. 11. sed & *castam*, quando F exhibet puritatem corporis & operis. Et ideo exponitur illud Cant. 4. *& in vno crine colli tui*: intelligendo per capillos affectiones G quæ tunc placent Deo, cùm sunt iunctæ per charitatem. Quantum ad hoc, si contumacia quadam negent in nobis elucere Sanctitatem; cum ex Christi Domini voce, *à fructibus earum cognoscantur arbores*, ad exterius solidæ sanctitatis, quæ inter tot ex nostris eluxit, quotidie elucet, & quidem heroicarum etiam virtutum splendore, eos prouocamus. Neque nisi blasphemè, dicunt tunc solùm deprehensam fuisse Ecclesiam, cum Ioannes cauentes à peccato, peccato auersos commendauit; nam & hodie, sunt qui peccatum non faciunt, & non possunt in statu gratiæ peccare, saltem procliuitatem non habent, quæ est in peccantibus; qui quouis labi seu potius relabi possunt momento. *Qui enim natus est ex Deo*, Dei gratia nixus; etsi possit, quia vertibilis est arbitrij grauiter quoque peccare; tamen non sic proxima est in potentia, seu pendentia ad peccatum,

7.
F 2. Cor. 11. l. 1.
G Cant. 4 recentio. et exposit.

catum, vt is, qui iam peccato est obnoxius. Qua de re vide 2. 2. q. 24. a. 11. ad 1. & Canum eo in lib. 4. Igitur & iuxta quod ipsi contendunt, manifesta est in nobis Ecclesia. Quòd si temerè velint peccatores è gremio eijcere Ecclesiæ, apertissimæ falsitatis arguuntur, vel ex similitudine illa Domini supra c. 13. *de sagena missa in mari, & ex omni genere piscium congreganti*. Item contradicunt eidem Christo Domino; dicenti, *finite vtraque crescere vsque ad messem*. Vbi Sanctus Augustinus aduersus Donatistas, ad vtrumque punctum, & de sanctitate adhuc in Ecclesia, vt à primis exordijs, & de mistione in eadem iustorum atque malorum ait Epistola 171. *quare credidit creuisse Zizania, & Mundum repleuisse; triticum autem decreuisse, & in sola Africa mansisse?*

H 3. p. 8. a. 1. c. & ad 2. Constans est Theologorum doctrina H Christū Dominum esse Caput principaliter quidem eorum, qui actu sibi vniuntur per gloriam: secundò eorum, qui actu vniuntur sibi per charitatem: sed tertiò eorum qui actu vniuntur sibi per fidem; quartò eorum qui sibi vniuntur solum in potentia, nondum reducta ad actum; quæ tamen est ad actum reducenda secundum diuinam prædestinationem: quinto eorum, qui in potentia sunt sibi vniti, quæ nunquam reducetur ad actum: sicut homines in hoc Mundo viuentes, qui non sunt prædestinati. Fatetur tamen Angelicus, eos qui subduntur peccatis, non esse membra Christi actualiter, sed potentialiter; nisi fortè imperfectè per fidem informem, quæ vnit Christo *secundum quid*, sed non *simpliciter*; vt scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ: *fides enim sine operibus mortua est*, vt dicitur Iacobi 2. Percipiunt tamen tales à Christo quendam actum vitæ, qui est credere; sicut si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine. Dic ergo; si Christus in fideles omnes influit, ceu Caput, sibique iuncti sunt per fidem ceu membra, eos quoque attinere ad Ecclesiam, qui subduntur peccatis. Hinc trahitur obiectionis alterius solutio: instant enim. admissis in Ecclesiæ gremio malis; cur sancta dici posset, & non potius dicenda esset iniqua? Sed in promptu est responsio, quia iusti arctius perfectiusque attinent ad corporis Ecclesiæ compactionem, vniti scilicet camento & glutino charitatis; cum alij peccatis subiecti, potius maceriæ conditionem præseferant; sed qui tamen non alieni sunt ab ædificio, vtpote qui fundamento eodem fidei nixi agglutinari possunt, perfectiusque vniri. Alias nouisse deberent denominationem esse à nobiliori. Vide *de fide ad Petrum*, August.

8. Hæc tanquam præambula sacro textui, in quo mirabiliter, prophetico dixerim stylo; vnde hæreticæ prauitati posset occurri, Dominus per Euangelistam voluit subministrari: vt extra telorum iactum à qua *mille* immò *clypei pendent, omnisque armatura fortium*, præmunitam Ecclesiam suam commonstraret. Quid quærunt de sponsæ sanctitate? De Ecclesia quippe dicitur Apocalypsis 19. *venerunt nuptiæ agni; & vxor eius præparauit se; & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido*: vbi Angelicus; I *præparauit se*, in statu viæ per sanctitatem & merita ad illam coniunctionem obtinendam: & quia byssus est unum quoddam in Ægypto, de quo fit vestis candidissima, significat vitam sanctam & rectam, quæ sicut vestis, decenter ornat iustos: *splendenti* apud alios per fulgorem formæ; *& candido* in se per puritatem conscientiæ: *vt cooperiat se*, ad decorem; vt placeat Sponso. Nam castitas in ornatu sponsæ Dei, byssus est: vt ait in opusc. Et quia Ioannes pergit dicens; *byssinum enim sunt iustificationes sanctorum*; subdit Angelicus; byssus primò habet colorem terrenum, & post per multas transitiones ducitur ad candorem, & fit inde byssinum; sic cum in Ecclesia prius esset macula & obscu-

I Apoc. 19. opusc. 41. l. 5. c. 51.

ritas ex peccato originali, &c. Quòd si peccatum originale ipsiusq; communem maculam notat, proculdubio fiet vestis byssina per baptismum. Recole baptizatos indui candida veste. Ecce ergo Dominus, *finite paruulos ad me venire*: nam vt dicit Dionysius cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ relatus L pluries; *diuini nostri Duces*, scilicet, Apostoli, *probauerunt infantes recipi ad baptismum*. Dic fortè hinc edoctos; quando ipsos Dominus increpat, quòd eos qui offerebant paruulos, increpabant. Planè baptismi specimen emicat, quasi potestate excellentiæ paruulis nunc exhibito; quia de Sacramento pœnitentiæ hoc accipere M in paruulis non est. Et in eo quod dicit *offerebāt* Marcus, & Matthæus *oblati sunt ei paruuli*, baptismo alluditur. Quocirca Augustinus: N offeruntur paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam; &c. ab omnibus namque offerri intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur. Hinc audio Melchiorem Canum dicentem: *in paruulis adultisque nunc primùm per baptismum lotis, nulla prorsus quæstio est; quin Ecclesia sancta & immaculata sit*.

L 3. p. 68. 9. & opusc. 17. c. 3. & quodl. 3. a. 11.

M opusc. 22. 4.

N ibi ad 1.

VERS. XVI. *Et ecce vnus accedens*; &c.

Verum minimè arctandam esse Ecclesiæ sanctitatem ad recens baptizatos, videtur in sequentibus haberi. Fit enim, vt visum est, excursus ad consiliorum monita post castitatus mentionem, in paupertatis voto, ac obedientiæ in primis ex Christi sequela, *sequere me: si vis perfectus esse*; &c. Catholica Romana suo ex capite Ecclesia sanctitatem specialem & profitetur & possidet, pluribus Religiosorum Institutis, Debacchari studeat toto malignitatis spiritu Lutherus Apostata confundens crassa malitia Religionem cum Religiosis; quandoque dyscolis. Religio quæque ex se sancta & immaculata est; pœnitentiæ confugium, perfectionisque gymnasium. In quacumque etenim, velint nolint Apostatæ perduelles, tanquam à præclara stirpe germinarunt agmina Monachorum sanctitate & doctrina toti Orbi facta conspicua, quibus Ecclesia catholica plurimum illustrata refulget. Debueruntque plures esse Religiones, quicquid blateret, quasi deridens impiè Lutherus; quia cum suapte natura, status Religionis sit O quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis; sicut sunt diuersa charitatis opera, quibus homo vacare potest, ita etiam sunt diuersi modi exercitiorum: ideo in psal. 44. scribitur ad ornatum Reginæ pertinere, quod *sit circumamicta varietatibus*: & prius; *in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Hic etiam glossa, P *doctrina Apostolorum, & confessione Martyrum, & puritate Virginum, & lamento pœnitentium, ornatur Regina*, idest Ecclesia. Et hæc varietas statuum & officiorum videtur ad pulchritudinem Ecclesiæ pertinere; quæ in quodam ordine consistit. Vnde 3. Regum 10. videns Regina Saba *ordines* etiam *ministrantium Salomoni*: *non habebat vltra spiritum*. Ex diuersitate ergo statuum Q quædam Ecclesiæ pulchritudo consurgit. Et quia, vt docet vbi supra, R diuersitas statuum & officiorum, non impedit Ecclesiæ vnitatem, quæ perficitur per vnitatem fidei, & charitatis, & mutuæ subministrationis; (Ephes. 4. *ex quo totum corpus est compactum*, scilicet per fidem; *& connexum*, scilicet per charitatem; *per omnem iuncturam subministrationis*; dum scilicet vnus alij seruit) ecce (animaduerte lector) à Matthæo, post mandata Dei, in ordine ad proximum, expressè de dilectione charitatis adijci; *diliges proximum tuum sicut te ipsum*: quod alij Euangelistæ tacuerunt: certè vt inueretur deseruire ordini & harmoniæ Matthæi, quem Ecclesiam suppingere adnotamus. Dic ergo *talium esse Regnum Cœlorum*, accipiendo Regnum Cœlorum pro Ecclesia; ac si diceret; sanctam nedum reddunt paruuli, sed qui paruulis puritate & sim-

9.

O 2. 2. 188. 1.

P 1. 2. 183. 2.

Q ibi q. 184. 4.
R 2. 2. 183. 2. ad 1.

simplicitate æquiparantur: *talium &c.* Sic 1. Cor. 13. *malitia paruuli estote*.

10. Hinc tota capituli series ad rem facit: in qua Dominus se præscium ostendit, futuros semper, qui perfectioni sanctitatis insudent; dum ait *& omnis qui reliquerit domum vel fratres, &c.* Quod vsque ad Mundi finem futurum esse præsignat; dum paulo ante præmittit de finali iudicio; *sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Et in eo quod ait; *qui reliquerit*, satis insinuat pœnitentes reuersuros, qui cum aliquando ad Deum conuertendi sint, perperam excluduntur (si credant) per Sectarios ab Ecclesia quoad primam ipsius vnitatem, quæ est in fide; immo & in spe, vt ad Ephes. 4. ait Apostolus; *sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ; vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: quamuis & de charitate præmoneat. Et ita fit persæpe quod ait ad caput 5. Hieronymus, vt peccator currat ad medicum, & curentur vulnera ipsius, & fiat de Ecclesia quæ corpus est Christi: perfectè scilicet, vt supra à nobis dictum est. Et ecce in calce Capitis huius id innui à Domino, dum quamuis tradat multos primos euasuros nouissimos; nouissimos tamen addit futuros primos. Quandoque certè pœnitens

S 3. p. 89. 1. resurgit in maiori gratia, quàm prius habuerat. Cur ergo, qui quotidie incorporantur perfectè per charitatem, si præhabeant fidem, excludemus à corpore Ecclesiæ? Sanè Apostolus sæpe introducit *de ijs qui foris sunt*, 1. Cor. 5. Coloss. 4. 1. Thess. 4. & 1. ad Timoth. 3. intelligens infideles. Cæteri ergo qui in fide permanent, sunt intra Ecclesiam, quantumuis peccatores: vnde, & suffragijs Ecclesiæ comparticipant: certè de illius corpore. Absit ergo, vt Ecclesiæ species exterior disparuerit: absit, vt sponsus Christus Dominus eam dimiserit: absit vt, vbi fornicatio non soluat, solubile sit Christi & Ecclesiæ vinculum: cuius gratia tantummodo Matrimonium noua in lege est & dicitur Sacramentum.

11. Quoniam vero, vt supra vidimus, toto malignitatis spiritu debacchantur hæretici, Papatum Sedemque Romanam duobus ab hinc sæculis circiter commenti extinctam, cum in Basiliensi Conciliabulo deponere ausi sunt legitimum Pontificem Eugenium 4. accipe ex Simone Starouolscio in Epitome Conciliorum sub anno 1431. quomodo id acciderit. Ex præscripto Constantiensis Concilij Martinus V. firmauerat conuocandum aduersus Hussitas huiusmodi Basileæ Concilium. Eugenius minimè pigritatus illico indixit, Apostolicæ Sedis Legato Basilæam misso. Factum est autem, vt ex ijs qui interuenerant inchoato Concilio non pauci, cum de reformatione Ecclesiæ Romanæ tractari cœptum esset, molirentur & pertinaci studio contenderent, sub specie reformationis, eiusdem Ecclesiæ Romanæ priuilegia, & quidem magni momenti, tollere & antiquare. Certior igitur factus Eugenius qualiter inconcessa tentarent, Sedisque Apostolicæ iudicium sibi vsurparent, reuocato ad se legato, Concilium, cuius inchoationem probauerat, prudenter dissoluit, sua vsus quam habet Romanus Pontifex in totam sanctam Ecclesiam auctoritate. Transtulit ergo illud Ferrariam, ea quoque potissimum de causa, quòd Græci de vnione cum Romanis ineunda acturi, Ferrariam delegissent. Quanquam ob grassantem pestem Ferraria Florentiam itum sit. Sine Capite proinde facta inter eos coniuratione in Eugenium, pertinaciter Concilium continuarunt, reuera Conciliabolum vsque ad sessionem 45. Eugeniumque Papam sess. 24. Pontificatu conatu inani priuarunt. Subrogarunt autem Amadæum Ducem Sabaudiæ Eremitam, Felicis V. sub nomine. Qui tamen postea, instante Imperatore Friderico 3. sponte se, asserto Pontificatu abdicauit: multique Cardinales & Episcopi ad Eugenium petita venia redierunt. Vt autem in Indice idem refert Auctor, Basiliensis huiusmodi congressus nihil ratum & probatum est; nisi quædam dispositiones circa beneficia. Reliqua omnia, atque ipso conuentus reprobantur in Concilio Lateranensi vltimo, sess. 2. quemadmodum fecere Nicolaus V. Pius II. & Leo X. Mussitent ergo & ringant fremantque pro sua carnali rabie perduelles in Romanam Ecclesiam; in Christum temerè latrant. Basilæense Concilium ob defectionem à legitimo Papa, meritò Conciliabuli nomen sortitum est. Si enim pro tali habitum non fuisset, incessanter illius propugnatores reclamassent pro suo intruso Pontificatu; neque summa Ecclesiastici regiminis, refractarijs extinctis, tot annis impetita exinceps perstitisset.

CAPVT XX.

1 *Simile est regnum cælorum homini patri familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* 2 *Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* 3 *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,* 4 *& dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.* 5
Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam, & nonam horam: & fecit similiter. 6 *Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?*
7 *Dicunt ei. Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.* 8 *Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos.* 9 *Cum venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.* 10 *Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.* 11 *Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias,* 12 *dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus?* 13 *At ille respondens vni eorum, dixit. Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum?* 14 *Tolle quod tuum est, & vade: volo autem, & huic nouissimo dare sicut tibi.* 15 *Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* 16 *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* 17 *Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis:* 18 *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum,* 19 *& flagellan-*

Sup. 19. d. 10. Mar. 10. d. 38. Luc. 13. f. 31. Mar 10. d 31. Luc. 18. e. 31.

Mar. 10 c.35. *landum, & crucifigendum, & tertia die resurget.* 20 *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebe-*
dæi cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. 21 *Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic*
vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. 22 *Re-*
spondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus
sum? Dicunt ei: Possumus. 23 *Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexte-*
Mar. 10. c. 41. *ram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* 24 *Et*
Luc. 22. c. 25. *audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* 25 *Iesus autem vocauit eos ad se, & ait:*
Scitis, quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.
26 *Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister:* 27
Phil. 2. 2. 7. *& qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus:* 28 *sicut filius hominis non venit mini-*
Mar. 10. c. 46. *strari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis.* 29 *Et egredientibus il-*
Luc. 18. l. 35. *lis ab Iericho, secuta est eum turba multa,* 30 *& ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt,*
quia Iesus transiret: & clamauerunt, dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid. 31 *Turba au-*
tem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri fili
Dauid. 32 *Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis, vt faciam vobis?* 33 *Dicunt*
illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. 34 *Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum.*
Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

VERS. I. *Simile est Regnum Cælorum homini Patri-familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.*

1. Hanc parabolam, vt claret, fert Matthæus solus. Quare indubitanter scopo suo principaliter subseruit, vt in Syntaxi elucidare conabimur. Iste Pater-familias Deus est: A ex similitudine gubernationis; Sap. 14. *tua autem, Pater, prouidentia gubernat.* Chrysostomus & Remigius: *homo Pater-familias Christus est: cui Cæli & terra vna est domus;* &c. Plane in 3. p. q. 8. a. 1. comparat Angelicus Christum qui caput est Ecclesiæ, Patri-familias. Moraliter autem ex eodem Chrysostomo Vinea iustitia est, in qua distinguuntur quasi vites, variarum iustitiarum & virtutum species. Sed siue de nobis, siue de Ecclesia cum Gregorio fiat allegoricè sermo, erudimur operandum nobis esse, pro nobis & ad aliorum vtilitatem mystica in vinea. Sic infra c. 21. *homo quidam habebat duos filios;* & vtrique *dixit; fili, vade hodie operari in vinea mea:* vbi declarat voluntatem Patris impletam ab eo, qui operabatur. Certe paulo post, non alio nouit nomine, quibus merces reddenda fuit, nisi operariorum: *voca,* inquit, *operarios.* Ioannes in Apocalypsi Regnum Cœlorum Ciuitatis metaphora exponens cap. 21. ait; *Ciuitas posita est in quadro:* vbi Hugo, *quatuor sunt eius latera; fides, spes, charitas, & operatio:* B *quantum quisque credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur.* Egregiè commendat opera Iacobus in sua Canonica; sufficiat ex cap. 1. *qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.* Exigit ergo Deus à nobis opera. Sed vt ait Augustinus; *benignus exactor est; & qui non crescat ex redditis; sed in se faciat crescere redditores:* vt enim canit psaltes; *bonorum nostrorum non eget.* Hinc Lucæ 17. *sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis; dicite, serui inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus:* Dum autem sub parabola inquit *primo mane,* intelligi C potest, quam de nobis habet, solicitudo.

A D.Th. hic.

B Apoc. 21.

C D.Th. hic c. 21.

VERS. II. *Conuentione autem facta cum operarijs;* &c.

3. Materia, quam versat Dominus sensibili hac parabola, sublimis est, quia concerni videtur sermo de diuinæ gratiæ dono, item de prædestinationis arbitrio, vt patebit ad versum 15. subinde etiam de æterna remuneratione, vt plures Sancti Patres exponunt. Est ergo difficilis valde. Ex vna parte, claret retributionem in gloriæ dari ex iustitia, iuxta quod ait Apostolus ad Timotheum Epistola 2. c. 4. *reposita est mihi corona iustitiæ.* Ideoque merces dicitur alibi sæpe, sed & hic à Domino; *voca operarios, & redde illis mercedem:* & prius vocatis circa horam tertiam: *& quod iustum fuerit dabo vobis.* Ex altera parte, Roman. 6. dicitur *gratia Dei vita æterna;* itemque cap. 7. *non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam:* & Dominus hic liberè & gratiosè nouissimis denarios tribuit, dicens, *aut non licet mihi quod volo facere?* Dicendum in retributione æterna interuenire gratiam itemque meritum proindeque iustitiam. Nam opera humana D possunt considerari dupliciter: vno modo secundum substantiam operum, & sic non habent aliquid condignum, vt eis merces æternæ gloriæ reddatur: Alio modo possunt considerari secundum principium, prout scilicet ex impulsu Dei aguntur, secundum propositum Dei prædestinantis; & secundum hoc debetur merces prædicta. Non secus in articulo; E in quo quærit *Vtrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam æternam ex condigno?* respondet, opus meritorium secundum quod procedit ex libero arbitrio, non habere condignitatem: (*non sunt condignæ passiones,* &c.) si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus-Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno: sic enim valôr meriti attenditur secundum virtutem Spiritus-Sancti mouentis nos in vitam æternam. Et nihilominus vt ibi *ad secundum,* F quantum ad primam causam perueniendi ad vitam æternam, est miseratio Dei: meritum autem nostrum est causa subsequens. Sic & Sanctus Iudas in sua canonica habet; *expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam;* quantum scilicet G ad radicem meriti, quæ est gratia: & quantum ad mensuram remunerationis, quæ est supra. Vbi Angelicus innuit commune proloquium; *Deus punit citra condignum, & præmiat vltra condignum.* De hoc alibi. Quia tamen, vt ait Augustini glossa relata *argumento eo secundo,* quemadmodum dixit Apostolus, *gratia Dei vita æterna; posset rectè dicere stipendium iustitiæ vita æterna; sed maluit dicere gratia Dei vita æterna, vt intelligeremus Deum ad æternam vitam pro sua miseratione nos perducere, non meritis nostris:* ecce in parabola vtrumque introduci, & de gratia, dum ait, *aut non licet mihi quid volo facere?* & de iustitia, vt supra obseruauimus; *redde illis mercedem.*

D Rom. 4. lect. 1.

E p. 2. 114. 1.

F loc. cit. ad 2.

G In Epistolam Iudæ: in fine.

Ro-

3. Rogabis; si de prædestinatione intelligeretur parabola; possetne aliquo pacto verificari, *quod iustum fuerit dabo vobis; redde illis mercedem; tolle quod tuum est?*

H Rom. 8. l. 6. Respondeo ex doctrina Angelici: H si prædestinatio respiceret tantùm vitam æternam, quæ datur meritis, posset præscientia meritorum esse ratio prædestinationis: & sic fas esset sententias præallegatas, vt vides, prædestinationi coaptare. Sed, vt inquit, sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, (notatu dignum) quod est homini ab æterno diuinitus præparatum: vnde eadem ratione, omnia beneficia, quæ nobis confert ex tempore, præparauit nobis ab æterno. Dic ergo, quod cùm causa prædestinationis diuinæ I non sit necessitas ex parte Dei, nec debitum ex parte prædestinatorum; sed magis *secundùm propositum voluntatis suæ*, quod ait Apostolus; de quo alibi: L dic inquam, ad prædestinationem referri vtique posse illud, *aut non licet mihi quod volo facere*, non autem sententias alias, quæ sonant iustitiam & meritum.

I Ephes. 1. l. 1. L p. p. q. 23. 5.

Rogabis iterum. Cum dicitur, *redde illis mercedem suam*, potestne aliqualiter exponi de gratia sanctificante?

Respondeo: absit. Ait quippe Apostolus Roman. 11. *si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin, gratia iam non est gratia*. Constans est Angelici ad hoc doctrina, M non posse quempiam sibi mereri primam gratiam. Præparatio tamen nonnulla prærequiritur ad gratiam, sed non sine Dei auxilio, vt suis locis N.

M p. 2. 114. 5. N p. 2. 111. 2. & 113. 2. 4.

4. Rogabis etiam. Quidnam sit isthæc conuentio? Si enim ex condigno per gratiam meretur quis vitam æternam, quid conuentionis, seu pacti opus est? de quo & postea; nonne ex denario conuenisti mecum?

Respondeo, cauendum esse, ne quid fortasse ordinis naturæ valere putemus ex pacto ad mercedem æternam: hoc enim maximè dedecens esset, derogans iniuriumque dignitati gloriæ; & consequens foret, gratiam quodammodo pendere à natura, fierique illius pedissequam: quod absurdum est. Sic nefas, vbi valor intrinsecè operi non inesset, neglecta veluti gratia sanctificante, sola acceptatione extrinseca, vi illius dari gloriam. Non ita illicitè diceretur, nonnihil quasi conuentionis & pacti in his admitti posse; quatenus, vt docet Angelicus, O non tantùm bonum est in quantitate virtutis, quantum præmium gloriæ, quod est finis eius. Nihilominus gratia Spiritus-Sancti, quam in præsenti habemus; P etsi non sit æqualis gloriæ in actu, est tamen æqualis in virtute; sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem. Vnde aliò recurrendum mihi videtur; nimirum vt metaphoricè dictum sit de conuentione. Non secus ac ex Diuo Thoma, P inuenitur quandoque à Sanctis dici, quòd bonis operibus Regnum Cœlorum emitur. Et similiter Apocalypsis 3. legitur; *suadeo tibi emere aurum ignitum:* vbi Angelicus, hoc Q propriè falsò diceretur, quia diuina carent pretio; Iob 28, *nescit homo pretium eius*. Accipitur ergo verbum emptionis largè: & per hoc ostenditur, quòd magna oportet facere hominem. Et fit huiusmodi loquutio, vt magis ad industriam liberi arbitrij excitetur homo; per quam disponatur ad sapientiam, siue charitatem, siue ad ipsum Christum, qui est thesaurus iustorum. Et si se disponat, ita sibi datur, ac si emisset. Et iuxta hunc modum loquendi, dicitur Prouerb. 23. *veritatem eme*. Sic priùs, ad illa verba; *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, ibidem R ait; loquitur secundùm illud, quod est ex parte hominis. Quantumcunque enim sit prædestinatus, oportet quòd per industriam liberi arbitrij se disponat ad coronam: alioquin non est prædestinatus, nec saluabitur: Deus enim prædestinans exigit conatum liberi arbitrij; vt homo diuinæ gratiæ cooperetur. Sic Lucæ 13. interrogatus; *Domine si pauci sunt qui saluantur; dixit ad illos, contendite intrare per angustam portam*; &c. Ex his tu solidam conuentionis & pacti huius euangelici trahe intelligentiam; meminerisque quod habet Augustinus, *qui creauit te sine te, non iustificabit te, sine te*. In quo concernitur gratia cooperans: de quo S suis in locis.

O 2. sent. 27. q. 1. a. 5. P 2. sent. 27. q. 1. a. 5. Q Apoc. 3. R Apoc. 3. S p. p. 111. 2.

Rogabis denique, quisnam sit verior parabolæ huius intellectus?

Respondeo, quantùm ad exordium parabolæ, sensisse Gregorium, homil. 19. in Euangel. vineæ similitudine *vniuersalem* intelligendam esse *Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine Mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit*. Et ad idem; *mercedem denarij, non nisi qui intra vineam idest Ecclesiam laborauerunt, acceperunt*: vt fertur Apoc. 2. Sed quoniam qui conducuntur ad vineam excolendam, operarij prædicuntur, non videtur accipi de conductione ad fidem, sed de conductione fidelium ad operandum; ne scilicet vt stabant, permanerent diutiùs ociosi: *vidit alios stantes in foro ociosos; quid hic statis tota die ociosi?* fideles ergo præsumuntur operarij, quos exit Pater-familias conducere, quia Gal. 5. fides est, *quæ per charitatem operatur*, adeoque ad opus est ordinata, vt Iacobus scripserit cap. 2. *quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? vis autem scire homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?* Et vt alia habet litera, exponitque etiam Angelicus, *fides sine operibus ociosa est:* quo certè opportunius nihil ad præsentem nostram interpretationem, quando bis in parabola exprimuntur ociosi. Nec dissentit Gregorius ipse, qui ante vineæ similitudinem considerat Patrem-familias, vt sit *conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc Mundo possidet, quasi subiectos Dominus in Domo:* claret autem Ecclesiam Domum vocari. Ad domum ergo spectabant ceu operarij Patris-familias conducendi. 5.

Respondeo rursus, minimè posse intelligi de conductione ad primam gratiam; nimirum de manuductione ad gratiam habitualem, seu sanctificantem, quia nullus T potest sibi mereri primam gratiam; quia immò gratia est principium cuiuslibet boni operis; neque prima gratia merces esse potest, vt suprà diximus. Et sic remanet disquirendum de procursu parabolæ, quidnam sit ille denarius, qui pro mercede operarijs retribuitur. Passim & vbique Sancti Patres, quos etiam comprobat Angelicus, pluribus in locis, vt videbimus, æternam remunerationem intelligunt. Sed quoniam multiplex inde exurgit difficultas, cur similitudine denarij tradita sit? quanquam Diuus Vincentius serm. 5. in Septuagesima ob rotunditatem dicat, quæ caret principio ac fine, in typum perpetuitatis gloriæ. Item cur hæc sit prælecta similitudo? Item, cur de vnitate mercedis solicitus fuerit Dominus nos edocere, magis, quàm de diuersitate? quæ certè in beatis est; cum sint *mansiones multæ in Domo Patris*. Denique quidnam sit, quod murmur introducatur, vbi de felicitatis æternæ possessu præhabitum est? ægrè enim cohærere potest quæuis expositio. His & alijs de causis, quid quadret magis toti parabolæ, scopoque ipsius, elucidabit Syntaxis: vno verbo, vt intelligatur pro denario augmentum charitatis & gratiæ. Vbi expendemus, quare *ex denario* facta dicatur conuentio, non verò *de denario*. 6.

T p. 2. 114. 5.

VERS. III. *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes*, &c. vsque ad v. 9.

V Serm. Domin. Septuag.

Angelicus multipliciter V dici Dominum egressum eruditissimè recolit. Nunc *egressus est in salutem populi sui*, Habacuc 3. ad conducendum homines in viam iustitiæ, familiæ suæ & rebus prouisurus: quod infinitæ ipsius est bonitatis. Diuus Gregorius: *ad erudiendam autem Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere; quia & prius per Patres, & postmodum per legis-doctores; deinde per Prophetas; ad extremum verò per Apostolos, quasi per operarios, in vineæ suæ cultum laborauit. Mane autem Mundi fuit, ab Adam vsque ad Noë; tertia hora à Noë vsque ad Abraham; sexta hora ab Abraham, vsque ad Moysen; vndecima verò hora ab aduentu Domini, vsque ad finem Mundi.* Nota ex Baronio, post alios, apud Hebræos dies in quatuor æquas dispertitos partes; singulas tribus horis contentas. Sortiebantur nomen ab hora, qua capessebant initium: alijs placet non ab hora, qua initium, sed in quam desinebant, nomen sortitos. Idem Gregorius; *mane nostrum pueritia est; hora tertia, adolescentia; nona, senectus intelligitur; vndecima verò est ea ætas, quæ decrepita vel veterana vocatur. Qui ergo vsque ad vltimam ætatem Deo viuere neglexerunt, etiam ipsos Pater-familias vocat. Qui proximum suum in vitijs iacere conspicit, desperare non audeat; quia diuinæ misericordiæ diuitias ignorat.* His omnibus, *cùm serò esset factum* (& potest intelligi, vel X de fine ætatis, vel de fine sæculi) datur merces: datur autem per procuratorem Domini. Variant Interpretes, quisnam Procuratoris nomine intelligatur. Arridet quoniam de mercede gloriæ accipitur secundùm communem, vt Procurator sit cum D. Thoma A Christus. Procurator certè est dispensator, & negociorum gestor; siue qui aliena negocia mandato Domini administrat: ipse autem de se ait hic cap. 21. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: & Ioann. 13. *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*. Nec desunt Auctoritates ad idem: Roman. 1. *per quem accepimus gratiam & Apostolatum*: Ephes. 4. *vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi*: 2. Petri 1. *per quem maxima & pretiosa promissa nobis donauit*: denique supra cap. 16. *filius hominis venturus est*; &c. *& tunc reddet vnicuique secundum opera eius*. Quòd si Procuratorem hunc dicamus Christum; claret dignosci Deum esse, vtpote qui auctoritatiuè dat etiam nouissimis singulos denarios. Instrumentaliter tamen conuenit etiam Christo secundum quòd homo dare gratiam, in quantum eius humanitas instrumentum fuit Diuinitatis 3. p.

X D.Th. hic & Io. 20. l. 4.

A D.Th. hic 3. p. 8. 1. 1. & q. 48. a. 6.

7\. Quod admirationem potest ingerere, est in remuneratione præfixus ordo; ait enim, *incipiens à nouissimis vsque ad primos*: cùm enim exiguum esset priuilegium, vt primis potius redderetur merces, non apparet cur fiat vice versa. Chrysostomus perpendens misericordiam eluxisse in nouissimis ampliorem, in eandem refert non contaneri ordinem: & ita ad significandam gratificationem & gaudium; non secus ac prodigo filio, tot fiunt signa lætitiæ Lucæ 15. præponuntur nouissimi. Angelicus pro nouissimis cum Gregorio intelligit Apostolos, *qui mercedem plenam & tardè venientes acceperunt*. Dixerim ipse, cohærenter præuocari nouissimos; vt in quo & primi accepti coram Deo fuerint innotescat; nimirum nouissimum tempus; Hebræor. 1. *nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*: cuius nouissimi temporis intuitu & spe laborauerunt etiam primi in vinea; prout Hebræor. item 11. *iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes*: videntes enim Sancti Patres B per fidem Christum venturum, & gloriam, quam per ipsum consecuturi erant, salutabant, idest venerabantur ipsum. Circunstantia ergo nouissimi temporis in documentum adsumitur, posthabitis primis.

B Hebr. 11. l. 4.

VERS. IX. *Cum venissent ergo, &c. acceperunt singulos denarios.*

VERS. X. *Venientes autem & primi, &c. acceperunt & ipsi singulos denarios.*

De hac mercede inquit; C est autem communis omnibus, & propria singulorum: communis quidem, quia idem est quod omnes videbunt, & quo omnes fruentur, scilicet Deus, secundum illud Iob 22. *super omnipotentem delicijs afflues, & leuabis ad Deum faciem tuam*; & Isaiæ 28. *in illa die, erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*: ideo omnibus laborantibus in vinea, datur vnus denarius. Propria verò merces erit singulorum, quia vnus alio clariùs videbit, & pleniùs fruetur, secundum determinatam sibi mensuram. Vnde & Danielis 12. illi qui docti sunt comparantur splendori firmamenti, *qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ*. Hinc est, quòd Ioan. 14. *in domo Patris mei, mansiones multæ sunt*. Propter quod etiam dicitur; *vnusquisque propriam mercedem accipiet*. Sic in sententias; D ex obiecto operationis, in qua beatitudo consistit, est omnium par gaudium, & beatitudo æqualis; quia ex eadem diuina essentia visa & amata: & propter hoc dicitur vnus denarius. *Mansiones multæ* sunt ibi, ob diuersos gradus beatitudinis, secundùm diuersam quantitatem charitatis & luminis gloriæ: *mansiones* propter diuersos modos, quibus collocantur in fine. In Ioannem locupletiùs edisserit, quomodo tripliciter beatitudo erit vna; E primò quidem propter vnitatem obiecti; (quod dictum est) & hæc est sententia beati Gregorij 22. moralium. Secundo propter eandem æternitatis mensuram, secundùm Augustinum; quia omnes habebunt æternam beatitudinem. Tertiò propter charitatem, quæ omnia vnit, gaudia singulorum faciens omnium, & è conuerso. Adde ex Apostolo 2. Corinth. 6. *eandem habentes remunerationem.* 8.

C 1. Cor. 3. l. 2.

D ad Annib. 4. d. 49. 4. 1. & in alio scripto q. 1. a. 4. ad 2. & hic & p. 2. q. 5. a. 2. 1.

E Ioann. 14. l. 1.

9\. Cæterum etsi hæc omnia verissimè dicantur, haud decet conniueamus difficultatem superiùs prætactã; cur Dominus vnitatẽ potiùs voluerit edocere, quàm diuersitatem visionis? ex qua, vt ex professo F, fit quis beatior. Præsertim quia non defuturi erant errantes, vt refert Angelicus, G qui dicerent omnia præmia esse æqualia. Et iterum quoniam inde tepescere posse fideles facile est, cum videant minus laborantes æquiparari: è contra, potiùs feruere, *æmularique charismata meliora*, vt monet Apostolus 1. Cor. 12. Denique cum infra c. 25. sub parabola hominis peregrè proficiscentis, seruis suis variè diuiserit talenta; nam vni dedit *quinque, alij verò duo, alij vero vnum*; dicatque Apostolus Rom. 12. *vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei*, & vt vidimus 1. Cor. 3. *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; semper remanet quærendum, cur hic ad vnitatem potiùs mercedis deflectat. Et quod subtilius fortiusque est; nedum ratione obiecti, vt expositum est, nedum secundùm æqualitatem proportionis, vt alibi H explicat; sed secundùm gradum videntur operarij æquari: secus non esset, vnde occasionem murmuris accepissent; *& pares illos nobis fecisti*.

F p. p. 12. 6.

G 3. cont. G. c. 58.

H 1. Thes. 1. l. 2.

10\. His omnibus verbo occurrimus, dicentes operæpretium fuisse, naturam gratiæ diuinæ, diuinorumque auxiliorum, gratuitæque prædestinationis firmare; vt scilicet Pelagiana hæresis, quam adeo debacchari meritorumque buccina inflari, futurum nouerat Dominus, exploderetur. Stabiliendum itaque erat, vbi præsertim ad æternam retributionem paratur via, illud Apostoli 1. Corinth. 4. *quid autem habes*,

habet, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quid iactant rebelles diuinæ gratiæ, *portauimus pondus diei & æstus? Nunquid* (Isaiæ 10.) *gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur?* Solida hinc doctrina Angelici;

I 2. 2. q. 63. a. 1. ad 3. & hic.

I alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui, quod non debetur. Et talis est collatio munerum gratiæ, per quæ peccatores assumuntur à Deo. Et in hac donatione non habet locum personarum acceptio; quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare, quantum vult, & cui vult; secundum illud Matth. 20. *aut non licet mihi, quod volo facere?* Sic & de prædestinatione his donis affini:

L p. p. q. 23. a. 5. ad 3.

in ijs, quæ ex gratia dantur, L potest aliquis pro libito suo dare, cui vult plus, vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præiudicio iustitiæ; & hoc est quod dicit Pater-familias, *aut non licet mihi quod volo facere?* Intererat ergo, vt Catholica hæc veritas fidelium cordibus altè infigeretur: ideo, vbi etiam diuturnitas non præfuisset operis, vbi immo essent nouissimi, largissimè donantur denario; ne cæteri de priuatu glorientur, immemores conductionis. *Facile*, quippe, (Ecclesiastici 11.) *est in oculis Dei, subito honestare pauperem.* Sicut & psalm. 17. hanc docemur profundè theologiam: *saluum me fecit, quoniam voluit me:* sed mox; *& retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam;* &c.

VERS. XI. *Et accipientes murmurabant*, &c.

11. Fallax eorum iudicium, quo arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi, fuit in causa murmuris. Vnus illorum fortassè loquacior audaciorque præ alijs obloquebatur; cui dignatur Pater-familias paterna eruditione facere satis: iuxta quod legimus: *at ille respondens vni eorum dixit;* (audientibus certè alijs) *amice non facio tibi iniuriam.* Remigius ait, amicum dici ob fidem. Angelicus;

M D. Th. hic.

M amicum vocat, quia ad se traxerat. Non ergo crediderim, vt aliàs Iudam, & non indutum veste nuptiali, quasi per improperium dixisse amicum; quandoquidem vt ait Poeta; *nomen amicitiæ barbara corda mouet:* sed simpliciter; quia hæc fundatur

N 2. 2. 23. 1.

N in communicatione hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat. Diximus autem de beatitudine in denario fieri mentionem. Error ergo intellectus, non prauitas aliqua voluntatis corrigi videtur in parabola; & quidem *in spiritu lenitatis* ad Galat. 6. reddita scilicet, seu detecta ratione, cuius præoccupatus ignorantia, vnà cum alijs deliquerat.

VERS. XIII. *Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum?*

12. Nisi præfuisset conuentio: & quidem sine iustitiæ labe: nam mox sequitur; *& quod iustum fuerit, dabo vobis;* posset oboriri suspicio iniuriæ. Itaque ex parte ipsorum, quasi fraudentur promerita mercede, non est vnde obmurmurent. Sed neque ex parte nouissimi prædonati: *volo & huic nouissimo dare sicut & tibi.* Nota, vbi res exactè examinanda est, vsurpari à Patre-familias verbum *do*: quod ex

O opusc. 73. c. 4.

opusculo O essentialiter inuoluit liberalitatem & gratiam. Adnectit *sicut & tibi* neque ait *dedi*, aut *reddidi*; ne secludat meritum, dicendo *dedi*; ne gratiam tollat, dicendo *reddidi*. Vtrumque certè deprehenditur; iuxta quod in Sacro-Sancto Tridentino Concilio definitum est, voluisse diuinam bonitatem, *nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Ita Sessione 6. Vnde & in Canone 32. *si quis dixerit, hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona, ipsius iustificati merita,* &c. *anathema sit.* Doctrina Catholica ex Augustino de Ecclesiasticis dogmatibus tomo 3. *tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & pro ijs, quæ largitur est, æterna præmia sit donaturus.* Reuertendo igitur ad literam, claret nullam illi irrogari iniuriam: quia quod huic nouissimo dat, non est ei ablatum: neque minimam inde patitur iuris sui iacturam, quia non de illius mercede, sed de Domini largitate & superabundantia est, quod nouissimo datur. *Aut non licet mihi quod volo facere?* Dicit Sanctus Chrysostomus; *in his quæ mea sunt.* Dic ergo ea vna hora, qua fecit, tantum diuinæ bonitatis munus recepisse, vt in eo & per illud operans mercedem meruerit denarij; non minùs ac illi, qui cœperant primo mane operari; quique *portauerant pondus diei & æstus.* Sequitur titulo alio increpatio; *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Libet pro oculo considerationem ipsius intelligere; iuxta illud psal. 93. *aut qui finxit oculum, non considerat. Nequam* apud latinos, non semper pro iniquo sceleratumque reo ponitur, sed pro inutili. Hebraicè à radice *Bal*, iniquum, malum, apostatam, absque iugo, præuaricatorem potest significare, vt dicatur *nequam, beliangal*, seu *belial*, vt sacris latinis Biblijs consueuit scribi. Hic, si consentaneè contextibus exponere velimus, videtur de iniquitate considerata & concepta reprehendi: cuius certè Patris-familias bonitas nullatenus potest astrui causa vel occasio, vt intuenti patet: nulli enim fit iniuria, cum quis se suaque munificè largiter liberaliterque effundit. Inuidorum solummodo est de aliorum bonis dolere, ac de sibi ademptis. Nequit nisi obtenebratus concipere iniquè distribui, quod saluis aliàs cuiuscunque iuribus, pro bonitate diffunditur ac dispensatur. Sed *quæcunque scripta sunt*, Roman. 15. *ad nostram doctrinam scripta sunt.* Prodest nobis permissa isthæc murmuratio; ex quo erudimur de gratia, & de gratiæ donis. Nota tamen pro vberiori doctrina ex Philosopho in 8. Ethicorum, quem refert Angelicus opusc. 19. c. 7. mercedem operanti deberi dupliciter; vno modo ex debito legalis iustitiæ; sicut quando pactum interuenit inter operantem, & eum cui operatur; ita quòd operarius potest alium cogere ad soluendum: Alio modo, ex debito iustitiæ amicabilis; sicut quando aliquis amicabiliter alteri de suo labore seruit: debitum est, vt alius suo modo vicem rependat; quamuis non possit eum per iudicium compellere.

VERS. XVI. *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.*

Suprà in calce præcedentis capitis exposuimus si- 13.
milem Domini sententiam; *multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi;* vt nouissimi digniores fiant quàm primi: nunc ait Chrysostomus sensus est, *vt coæquentur, & nulla sit inter eos differentia temporis causa.* Verùm non adhuc quiescit animus, cur hoc dicatur: satis enim enucuerat coæquatio, cum *receperunt omnes singulos denarios.* Videtur ergo mihi vlterius, non per modum enunciationis simplicis proferri; sed emphasi quadam ad fixiorem iacti contemplationem: sic vt euocet animum in admirationem. Et iam vocula illa *sic* id videtur exigere. *Sic erunt nouissimi primi:* nam vt ait sequenti cap. *publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei.* Sic Sanctus Dimas in Cruce tot alijs factus est prior, quanquam vna veluti hora fecerit; cui dictum est; *hodie mecum eris in Paradiso:* quem memorat ad hæc Chrysostomus *in homilia.* Sic & de Centurionis præcellentia supra cap. 8. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Totum hoc referunt Sancti Patres nonnulli ad gentilem iudaicumque populum. Remigius; *per hunc vnum, possunt intelligi omnes, qui ex Iudæis crediderunt:* quibus dictum sit; *volo autem & huic nouissimo, id est*

Gentili populo dare secundùm meritum, sicut & tibi. Hieronymus; *vel omnis retrò vocatio Gentilibus inuidet.* Hilarius; *& secundùm insolentiam populi iam sub Moyse contumacis, hoc murmur operantium est.* Sic & in Genesin cap. 25. Pharisæi, inquit, contra Apostolos murmurabant: *hi nouissimi vna hora fecerunt.* Videtur faueri hisce sensibus, quod ipsimet introducunt dicendo; *qui portauimus pondus diei & æstus*, iuxta eundem Chrysostomum super Matthæum; *aut pondus totius diei dicit onerosa legis mandata: à quibus omnibus Gentiles liberi extiterunt Christo credentes; & per compendium gratiæ ad plenum saluati.* Hinc ex Act. 15. *iugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Et sicuti hic *murmurabant*, ita Act. 10. *obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus-Sancti effusa est.* Potest etiam accommodari quod sequitur de paritate; *& pares illos nobis fecisti:* quod corrigens quasi Apostolus Roman. 3. in persona Iudæorum respectu Gentilium conuersorum ait; *quid igitur? præcellimus eos? nequaquam:* vbi excludit P præcellentiam personarum, quia illi qui diuina beneficia receperunt, non sunt illis debitè vsi. Addè factos esse nouissimos primos: nam Diuus Iacobus Actor. 15. prompsit; *Simon narrauit, quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo:* factique sunt consequenter *primi nouissimi*; iuxta quod cap. 13. prædixerunt Paulus & Barnabas ad Iudæos locuti; *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Exinde Remigius; *Iudæi, qui nequam habuerunt oculum, scilicet intentionem, & de salute Gentium dolebant, de capite versi sunt in caudam; & nos de cauda mutamur in caput.* Planè Deuter. 28. legimus; *ipse erit in Caput, & tu eris in caudam.* Gens tamen Iudaica in aliquibus eorum primum conuersa est, vt patet in Actis ab initio 2. & 3. cap. quando plurimi baptizati sunt; quod recolit Angelicus 3. p. 47. 4.

P Rom. 3.l.2.

14. Quæ cuncta etsi vera sint, non tamen arrident omnino scopo parabolæ; multòminus cohærentiam præseferunt aliquam, cum præcedenti capitulo; nec olfactam reddunt quam scrutamur Matthæi Syntaxin: quam Domino largiente assequi speramus. In qua elucidabitur etiam quò feriat Verbum Domini: *multi enim sunt vocati, pauci verò electi:* quanquam Chrysostomus super Matthæum, ad Gentes retorqueat; *quoniam ex ipsis Gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi: ad fidem enim*, subnecte ex Gregorio, *plures veniunt, & ad cœleste Regnum pauci perducuntur.* Sed hæc vt humiliter veneror ab insignibus adeo Patribus dicta: ita scio, *soli Deo notum esse numerum electorum in superna felicitate* Q *locandum*, vt definit Diuus Thomas: vnde cum ægrè parabolæ quadrent, vbi denarium nemo illorum amittit, intelligentiam aliam meditatur Syntaxis, quomodo sint pauci, qui electi. Posset autem consectariò ad præmissa quæri, quonam pacto pauci sint electi, si multi vocati; quandoquidem ex Apostolo; *quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & magnificauit.* Sed distinguit Angelicus; quia R vocatio interior, quæ nihil aliud est, quam quidam instinctus, quo cor hominis mouetur a Deo, ad assentiendum ijs, quæ sunt fidei vel virtutis; &c. est efficax in prædestinatis; &c. In Apocalypsin autem ibi; *beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt;* S sic ait; est multiplex vocatio; scilicet prædestinationis, inspirationis, & prædicationis: hic inquit loquitur de vocatione prædestinationis: aliæ autem vocationes quandoque non habent plenum effectum. Diceres, apud Matthæum indefinitè sententiam Domini esse; *multi sunt vocati; pauci verò electi.* Sed quoniam Lucæ 13. *ait quidam; Domine si pauci sunt, qui saluantur:* ipseque neque ait, neque negat; solummodoque adiecit, *contendite intrare per angustam portam:* ideo ignotum id esse credendum: & si aliàs hoc ipsum quod & impræsentiarum, vsurpet, vt cap. 22. *multi sunt vocati, pauci verò electi*, fortasse eructat amanti è corde; quia summè esurit & sitit nostram salutem; vtpote, qui 1. ad Timoth. 2. *vult omnes homines saluos fieri.* De cuius tamen intellectu sententiæ T vide suis locis. Iacob etiam Genesis 29. *seruiuit pro Rachel septem annis; & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.*

Q p. p. 23. 7.

R Rom. 8. l.6.

S Apoc. 19. com. 2.

T p. p. 19.6.1. & in Ioann. c.6. l.5.

VERS. XXVII. *Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis,* &c.

15. Duplex hinc enascitur, & quidem vrgens vtraque difficultas. Primò cur iterum meminerit coram discipulis de passione: *filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum?* &c. Quandoquidem paulo antè recolitur cap. 17. *dixisse illis, filius hominis tradendus est in manus hominum & occident eum:* item priùs cap. 16. cùm Petrus ausus fuit increpare ipsum; *quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati, & occidi.* Angelicus hoc animaduertens ait; V frequenter commemorauit suam passionem, vt eam reduceret ad memoriam. Planè de hoc fuit solicitus; vnde & passionis suæ memoriale perenne, reliquit sui amoris futuræque gloriæ pignus, Diuinitatisque ostentum in vltima cœna: *hoc facite in meam commemorationem*; vt scilicet quod ait Ieremias threnorum 3. inculcaretur; *recordare absynthij, & fellis.* Diuus Chrysostomus, etiam *vt memoriam præscientiæ huiusmodi in cordibus recondant.* Aliàs cum ipso dicere possumus, constantiam ostendisse, dum ait, *ecce ascendimus Ierosolymam:* Et ideo dic rursus de sua morte tangere, quia iam imminebat: ly enim *ecce* nota est propinquitatis & gaudij, vt alibi X tradit. Adde circunstantias adijcere; tradendum scilicet *Gentibus*; A conueniens enim fuit, vt à Gentilibus quoque pateretur; itemque genus mortis declarat; nimirum Crucis: quod supra non fecerat. Non enim licebat Iudæis crucifigere. Quæ duo in Syntaxi magis explanabuntur: vbi & arcanam aliam causam commemoratæ crucis detegemus.

V D.Th. hic.

X Apoc. 5. com. 3.

A 3. p. 47. 4. & ad 3.

16. Secunda difficultas, est de aduerbio illo *secretò:* cur enim secretò nunc, quando alibi absque hac circumspectione de sua morte locutus est? Certè minùs videtur fuisse necesse, id cauere in præsenti: quia paulo post palam debuit fieri mysterium. D. Chrysostomus *in homilia* considerat, alias *dictum fuisse ad multos, tamen occulte: sicut ibi; soluite Templum hoc: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ: discipulis autem manifestè exposuit.* Et super Matthæum: *ideo duodecim Apostolis in secreto mortis suæ annunciauit mysterium: quia semper pretiosior thesaurus, in melioribus vasis includitur; si autem alij audissent passionem Christi futuram: viri forsitan turbarentur propter infirmitatem fidei; & mulieres propter mollitiem suæ naturæ, ex qua in tali negotio ad lacrymas excitantur.* Sed si velimus adhuc profundiùs causam scrutari, præsertim quia nec Marcus c. 10. nec Lucas c. 18. hanc apponunt notam *secretò:* Dicendum mihi videtur, esse specialiter per Matthæum expressam, ad indicandum futurum finale tempus, prope iudicium, quod in præmissa parabola occulitur; solummodoque tantisper insinuatur in eo quod dictum est; *cùm serò autem factum esset, dixit Dominus procuratori; voca operarios; & redde illis mercedem suam.* Tunc ergo signat parabolam complendam esse, cum *secretò* duntaxat, fiet passionis

& mor-

& mortis eius commemoratio: dic, quando tremendum & viuificum Missæ Sacrificium clam & secretò dumtaxat celebrabitur. Sanè tempore illo finali, (sic dicto, quia non erit cur non possit propediem esse, iam reuelato homine peccati, filio perditionis, 2. Thess. 2.) cessaturum auferendumque iuge sacrificium cap. 8. 11. & 12. exequitur Daniel. At ibi obij-
B Daniel. 8. cit Angelicus; B cum in Ecclesia Dei, non sit aliud iuge sacrificium, nisi sacrificium Altaris; videtur quod tunc illud debeat cessare: quod est contra illud Matthæi vltimo; *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem Sæculi*. Respondet autem; tunc cessabit, quantùm ad solemnitatem solùm; quia tunc Missæ publicè non celebrabuntur; sed occultè, sicut fuit in primitiua Eccle-
C 2. 2. 1. 9. 6. sia. Ad hoc refer quod alibi C requirit; quare scilicet Symbolum Patrum duntaxat in Missa publicè cantetur; non verò Symbolum Apostolorum? satisfacitque satis dicens, in primis Symbolum Patrum esse declaratiuum Symboli Apostolorum. Vnde hoc publicè tanquam regula fidei cantato, Apostolicum quoque concinitur. Sed addit; Patrum Symbolum conditum fuisse fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente: propter hoc publicè in Missa cantari. Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occultè dicitur: subditque, in Prima & in Completorio dici, quasi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum. Dic ergo; an non, dum *secretò* dicitur Symbolum Apostolorum serò, an non inquam præludit & iugi Sacrificio occultè celebrando? an non respondet vnà simul alloquio, quod hic secreto habet Dominus ad discipulos?

VERS. XX. *Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filijs suis.*

Hæc nomine fuit Salome. D Iuuat huc adferre,
17. D D. Th. hic. quod habetur Lucæ 19. *hæc illis audientibus adijciens dixit parabolam; eo quòd esset prope Ierusalem; & quia existimarent, quòd confestim Regnum Dei manifestaretur*. Vbi Eusebius; *æstimabant quidam in primo Saluatoris aduentu Regnum Dei venire; & hoc putabant mox, tunc fieri, cum ascensurus erat Ierosolymam: adeo obstupefecerant eos miracula diuina, quæ fecerat*. Augustinus ad illud Ioannis 6. *vt facerent eum Regem*, inquit; *Discipuli autem & turbæ credentes in eum, putauerunt, sic venisse, vt iam regnaret*. Theophylactus: *sed Dominus ostendit eis, quod vana quædam æstimarent; non est enim sensibile Regnum Dei*. Non desunt autem sacræ Scripturæ loca, in quibus de Christi Regno prædictum est: Isaiæ 9. *& super Regnum eius sedebit*; Ieremiæ 23. *regnabit Rex, & sapiens erit*: Ezechielis 37. *& Rex vnus erit omnibus imperans*: Danielis 7. *& dedit ei potestatem & honorem & Regnum*: Zachariæ 9. *ecce Rex tuus veniet tibi*. Et palam Dauid hoc accepit promissum; 2. Regum 7. *& Regnum tuum vsque in æternum*; prout recolitur ps. 88. *vsque in æternum præparabo sedem tuam; thronus eius sicut Sol in conspectu meo*; & ps. 131. *iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Hinc ps. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis*: & ipsemet psal. 2. *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*. Denique Lucæ 1. id ipsum firmauit Archangelus dicens; *dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*. Regem autem esse Christum, quanquam impij nossent Iudæi, detrectabant; immo in culpam ei obijciebant, excæcati inuidia. Vnde accusabant eum Lucæ 23. *hunc inuenimus subuertentem gentem nostram*, &c. *& dicentem se Christum Regem esse*. Falsò imposuerunt hoc illi: nunquam enim se Regem appellauit: immo Ioann. 6. *cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Se Christum vtique in lege & Prophetis prænunciatum asseuerauit: Ioan. 5. *scrutamini scripturas*, &c. *quæ testimonium perhibent de me: si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Sic Messiam, se confirmauit mulieri Samaritanæ dicenti; *scio quia Messias venit: ego sum qui loquor tecum*. Sic passim se missum à Patre testatus est; proinde qui vaticinio Iacob Genes. 49. *mittendus erat*. Ex his & similibus; ex plausu populi; præsertim in die palmarum, cùm Lucæ 19. & Ioan. 12. *conclamauerunt turbæ; benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*: ex quo *Pharisæi ad semetipsos dixerunt; ecce Mundus totus post eum abijt*: ex his inquam potuerunt arripere occasionem ipsum incusandi, quòd Regnum affectaret. Ipse autem rogatus se palam Regem professus est; cum Ioann. 18. Pilato respondit; *tu dicis, quia Rex sum ego*; sed cæcitas Iudaica in contumeliam salutabat eum indutum purpura ad irrisionem; Matthæi 27. & Marci 15. *aue Rex Iudæorum*: & improperando; *si Rex Israel est, descendat de Cruce*. Verùm ipsemet priùs Ioann. 18. rem diremit dicens; *Regnum meum non est de hoc Mundo: si ex hoc Mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent; vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc*.

Ambrosius relatus ab Angelico, E constanter 18.
sentit Christum super solium Dauid sedere Regno E D. Th. hic c. 1.
spirituali, non corporali: nisi in quantum per Regnum Dauid corporale, significatur spirituale. Nam Ieremiæ 22. immo de Iechonia dicitur, *scribe virum istum sterilem, virum*; &c. *nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid*; &c. non autem negatur de semine Iechonia posteros nascituros, & ideo de semine F eius Christus. (vt Mat- F 3 P. 31. 2. 3.
thæus contexuit dicens; Iechonias genuit Salathiel) Sed quòd regnauit Christus, non contra Prophetiam est: non enim sæculari honore regnauit. Ipse quippe dixit, *Regnum meum non est de hoc Mundo*. Sic alibi; G in huiusmodi promissionibus, per Re- G Genes. 49.
gnum oportet intelligi iurisdictionem Catholicæ fidei, & spiritalem sedem diuini cultus, in electis Dei in æternum mansuram; quamuis non semper sit in hac terra vel illa. Et ad Timoth. H specialiter in H 2. Tim. 4. 1. 1.
sanctis regnat in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Ad hunc sensum I exponitur secun- I opusc. 7.
da petitio; *adueniat Regnum tuum*. Et hac de re Beda relatus in Catena Lucæ 19. *non autem Rex Christus dicitur, ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed quod mentes regat, & quòd in Regnum Cælorum credentes perducat*. Sic & Augustinus *lib. de cathechizandis rudibus* declinando ad finem: *Ciuitatis cælestis Ierusalem Rex est Dominus Iesus Christus, Verbum Dei, quo reguntur summi Angeli, & Verbum hominem assumens, vt eo regerentur & homines; qui simul omnes cùm illo in æterna pace regnabunt*. Hinc in præfato opusc. 7. exponens quid sit Regnum Dei, ait; sanctos quærere quòd *adueniat Regnum Dei*, est quòd ipsi totaliter subijciantur ei,

& mandatis eius. Sic Hieronymus *lib. 4. Comm. in Matth. in fine*, inquit super illa verba; *data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra; vt qui ante regnabat in Cælo, per fidem credentium regnet in terra*.

Cæterùm adhuc alia de causa regnare dicitur, 19.
quia per eum Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; Prouerb. 8. Et quia Ieremiæ 23. legitur; *faciet iudicium & iustitiam in terra*: nam Christi legi subijciunt suas leges Reges: neque iudicij

 sen-

sententias pronunciant; quin innocetur Christi nomen. Habet etiam Christus Dominus, qui sui obeat vices Regiminis in terra, summum Pontificem. Cui quamuis, sicut & Christo ipsi, tenuant subijci plures; attamen *oportet illum regnare* 1. Corinth. 15. *donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*: L nam homines dupliciter subijciuntur Christo aut voluntarij, aut inuiti. Et sic omnia Regna M ei subijcientur, & volentia, & nolentia; psal. 109. *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Nihilominus quamuis spiritualiter sic sit Rex, nedum Iudæorum: Matth. 2. *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*? sed & Gentium; sicuti ps. 2. statim ac præmissum est; *ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius*; subditur; *postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*: adhuc temporalis regni iure, vt homo gaudet. Ita in opusc. N vbi considerat nonnihil principatus sui ostendisse ab initio, quando visa est Magorum coram eo prostratio; cui scilicet, tanquam vero Mundi Domino & Monarchæ se subiecerunt. Quocirca in *Summa* O Christus quamuis esset Rex constitutus à Deo, non tamen in terris viuens terrenum Regnum temporaliter administrare voluit. Causa scilicet præsertim edocendi P Principes humilitatem: iuxta illud Zachariæ 9. *ecce Rex tuus veniet iustus & saluator; ipse pauper, & ascendens super asinam; & super pullum filium asinæ*. *Hinc* tamen non est Regnum eius de hoc Mundo, vt ait Ioann. 18. quia non ab hominibus, sed à Deo recepit: *habens in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex Regum & Dominus dominantium*; vt dicitur 1. Timot. 6. & Apocalyps. 19. Et in hymno; *hic ille Rex est Gentium, plebisque Rex iudaicæ*.

L opusc. 7.
M 2. Timoth. 4. l. 1.
N opusc. 20. lib. 3. c. 14. & 15.
O 3. p. 59. 4. 1.
P opusc. cit. c. 14.

20. His prælibatis, exquiritur, an de temporali Regno, seu potius de spirituali, sit mulieris huius petitio. Nam sacro ex textu pro superficie videntur temporalem sedem petijsse, dum audiunt, *nescitis quid petatis*, responsum acre: altera ex parte de cœlesti attexitur Regno: *sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo*. D. Thomas sustinens spiritualia petijsse inquit; Q licet viderentur participationem diuinæ gloriæ postulare; tamen ex quadam gloria, seu elatione, procedebat eorum petitio. Alibi; R quærebant præ alijs stare apud ipsum: vel excellentiam habere præ alijs in participando iudiciariam potestatem eius. Sic sentit Chrysostomus: & *nescitis* consequenter exponitur; S vel quia non præmeditantur de merito, vel alio ex capite. Neutram intelligentiam improbat hic Sanctus Doctor. Veruntamen, quia vt animaduertit Augustinus lib. præfato de cathechizandis rudibus; *antiquorum pauci ad spiritualem eiusum erigebantur: vnde perductus est ille populus ad terram promissionis, vbi temporaliter carnaliterque regnaret pro modo desiderij sui: quod tamen Regnum, Regni spiritalis imaginem gessit*: satis sit credere, ad temporale Regnum deflexisse discipulos vnà cum Matre, atque ad dignitatem seu *gloriam* Regni, vt ait Marcus cap. 10. respexisse: quos simul quodammodo increpet Dominus dicens; *nescitis quia petatis*. Sic Hieronymus; *putauit enim mulier post resurrectionem illico regnaturum: & auiditate fœminea præsentia rapit, immemor futurorum*. Ipse dixerim, suggessisse Matrem Filijs hanc petitionem. Mulier, inquit Angelicus T est à natura gloriosa, gloriæque cupida. Quis scit, non ideo subticeri eius nomen; solumque ideo exprimi Matrem: vnde ait Ambrosius; *matrem considerate, matrem cogitate: etsi error; pietatis tamen error est*. Certè immoderatam cupiditatem eius exaggerat: quamuis excuset; quia *sexum fragiliorem, nondum Dominus propria confirmauerat passione*. Ita lib. 5. *de fide ad Grat*. cap. 3. Non secus de discipulis Chrysostomus super Matthæum: *frequenter Dominus patitur discipulos suos, aliquid non rectè aut dicere, aut agere, aut cogitare; vt ex illorum culpa occasionem inueniat exponendi regulam pietatis; sciens, quia error eorum* (alta consideratio) *non nocet præsente Magistro; & non solum in præsenti, sed etiam in futuro doctrina eius ædificat*. Hinc ipsis suadenti Matri consentientibus; accessisse dicuntur Marci 10. *Iacobus & Ioannes filij Zebedæi*. Non fuerit verecundum, discipulis atque Matri non plenè Christi mysteria eousque callere; & idcirco humanum quid passos, ratosque sanguinis cognatione, licere sibi exoptare alijs præponi. Sed *nesciunt* quid petant. Et quare? audi Gregorium in Pastorali: *plerunque in occupatione regiminis, ipse quoque boni operis vsus perditur, qui in tranquillitate tenebatur; quia quieto mari, rectè nauim etiam imperitus dirigit; perturbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis? in qua, cogitationum semper procellis, nauis cordis quatitur, & huc illucque incessanter impellitur; vt per repentinos excessus oris & operis, quasi per obuiantia saxa frangatur*. Nescientiæ ergo fortè quæ inculpatæ ignorantiæ tanguntur nota: sed mox Magistri verbo de lapsu eruditos fuisse credendum est: quando inquit Dauid; *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Magnus profectò, & admirabilius est*, inquit alias Chrysostomus, hom. 34. in Matthæum, *mentem commutare, & animum in diuersum transferre*. Sic eis obtigisse, deque carnali in spiritalem sensum traductos eorum animos, cur ambigamus?

Q Rom. 8. l. 5.
R 3. p. 58. 4. 4.
S D. Th. hic.
T Genesis 3.

Igitur tanquam cœlesti repentè imbutos disciplina, diuinus eos interrogat Magister; *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ac si dicat; cœpistis de cœlesti Regno audire: ad illud illustratione mentis iam erigimini: *excellentiorem viam* (quod ait Paulus 1. Corinth. 12.) *vobis demonstro*: scilicet charitatem, X qua directiùs in Deum itur. Charitati quippe respondet merces essentialis, præmij scilicet fruitionis & visionis diuinæ: A vnde dicitur Ioann. 14. *qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Et qui plus habebit de charitate, perfectius B Deum videbit, & beatior erit. Quoniam autem C martyrium inter omnes actus virtuosos, maximè demonstrat perfectionem charitatis, seu est maximæ charitatis signum; secundum illud ioan. 15. *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; ecce mox illis de martyrio, atque de illius constantia proponi: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Pro calice autem intelligitur passio; infra cap. 26. *transeat à me calix iste*; amaricans D inebrians & sanans: & quia sicut calix inebriat E & perturbat, sic & passio: & ex Hieronymo adstipulatur psalmus, vbi postquam dictum est; *calicem salutaris accipiam*; statim infert, *quis sit iste calix? pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. Sequitur; *dicunt ei possumus*. Non mirum si adeò promptè respondeant; quia martyrium est actus charitatis vt imperantis, fortitudinis autem, F vt elicientis. Et inde est quod vtramque virtutem manifestat. Pertinet quippe ad actus harum virtutum, vt G in præparatione animi sustineatur, superueniente casu, martyrium. Sanè sicut ait Augustinus Sermon. 12. de Sanctis: *habebat Leuita Vincentius in sermone fiduciam*; sic de sanctis hisce Apostolis dicendum est. Sed addendum; *nemo de suo corde præsumat; quia vt bona prudenter loquamur, ab illo est, non nostra sapientia; & vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia*.

21.
X 1. Cor. 12. l. 3.
A 1. Cor. 3. l. 2.
B p. p. 12. 6.
C 2. 2. 124. 2. 3.
D Serm. S. Iacobi
E 1. Cor. 11. l. 6.
F 2. 2. 124. 2. 2.
G ibi art. 1. 3.

H p. 2. 109. 4 ad 2.

Id verò quod poſſumus H cum diuino auxilio, non eſt nobis omnino impoſſibile, ſecundùm illud Philoſophi in 3. Ethicorum; *quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus*: & alibi, quod ad rem facit ob ly *poſſumus*: ſi in poteſtate hominis dicatur aliquid I excluſo auxilio gratiæ; ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt, ſine gratia reparante; ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulis fidei: ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Profundam huiuſmodi cognitionem, aſſecutos diſcipulos illuſtrante eos Domino, ſuadet nihil hæſitans ipſorum quaſi certatim reddita reſponſio; *poſſumus*; ac ſi dixiſſent; *poſſumus*, ſed in te, & per te: quemadmodum aiebat & Paulus Philipp. 4. *omnia poſſum in eo, qui me confortat*: & ad Romanos 8. *certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Vnde autem excitati fuerint promptè ad martyrium, claret ex eo quod adiecit Dominus, *quem ego bibiturus ſum*: imò *quem ego bibo*, vt apud Marcum. Aiebat Gregorius; *ſi paſſio Domini ad memoriam reuocetur; nihil eſt adeo durum, quod non æquo animo toleretur*: quod inde inculcat Petrus in ſua 1. cap. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne; & vos eadem cogitatione armamini*. Ipſe aut Dominus ſponte ſe ſe oblaturus; *oblatus eſt quia ipſe voluit*, Iſaiæ 53. iam calicem bibebat: iuxta quod Lucæ 12. dixerat; *baptiſmo autem habeo baptizari*; (de quo & apud Marcum nunc meminit) *& quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Sed calix importat iam baptiſmum ſanguinis de quo 3. p. 66. a. 12. ideo ſubintelligitur, quod fert Marcus, dixiſſe Dominum de baptiſmo.

I 2. 2. q. 2. 5. ad 1.

VERS. XXIII. *Calicem quidem meum bibetis.*

22. *Quæritur*, inquit Hieronymus; *quomodo calicem martyrij Zebedæi filij biberint? Sed, ſi legamus Eccleſiaſticas hiſtorias, in quibus fertur, quod & Ioannes propter martyrium miſſus ſit in feruentis olei dolium; & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti Athleta proceſſerit; ſtatimque relegatus in Pathmos inſulam ſit; videbimus martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Ioannem calicem confeſſionis. Refert autem Tertullianus*, (ita contra Iouinianum lib. 1.) *quod Romæ miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quàm intrauerat*. Angelicus etiam; L non bibit vſque ad mortem, ſed flagellatus fuit, in oleo poſitus, & relegatus: item multas pœnas paſſus eſt. Videtur non fuiſſe verè martyrem, quia ad M perfectam rationem martyrij requiritur, quòd aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum. Sed tu intellige, vbi non ad mortem vſque quis exponitur: ſed quando tormenta ſunt ſuapte natura mortifera, etſi miraculoſè quis ſuperuixerit, vt contigit in Ioanne, reuera martyrij emeret meritum; vt indicat ibi ad 4. Vitam enim contempſit Ioannes pro Domino; nihil minùs ac cæteri quicunque Martyres ipſam Domino conſecrarent. Porro an deinde centeſimo vigeſimo anno ſuæ ætatis, verè obierit; & an mortuus, ſpeciali gratia reſurrexerit; vide Thomam Maluendam de Antichriſto lib. 9. cap. 11. omni eruditione locupletiſſimum. Locus rei huius proprius erit Ioann. 21. ad illa verba; *ſic eum volo manere donec veniam*.

L D. Th. hic.

M 2. 2. 124. 4.

VERSV eodem; *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*

23. Hac etiam ſententia errorem tueri ſuum conabatur Arius, dicens; in natura Patris N nullus defectus eſſe poteſt, ſed in filio inuenitur defectus poteſtatis; dum ait *non eſt meum dare vobis*: non igitur videtur eſſe filius eiuſdem naturæ cum Patre. Reſpondet Angelicus fusè in hæc verba: Non eſt credendum, quod in Dei filio, O ſit aliquis poteſtatis defectus, cùm ipſe dicat; *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra*. Vnde in præfatis verbis, non oſtendit quòd filius diſtribuendarum cœleſtium ſedium poteſtatem non habeat: cum per huiuſmodi ſeſſionem participatio vitæ æternæ intelligatur, cuius collationem ad ſe pertinere oſtendit Ioan. 10. *& ego vitam æternam do eis*. Dicitur etiam Ioannis 5. quòd *Pater omne iudicium dedit filio*: ad iudicium autem pertinet, vt pro meritis, aliqui in cœleſti gloria collocentur. Vnde & Matthæi 25. dicitur, quòd filius hominis *ſtatuet oues à dextris; hædos autem à ſiniſtris*: pertinet ergo ad poteſtatem filij, ſtatuere aliquem, vel à dextris, vel à ſiniſtris: ſiue vtrumque referatur ad differentem gloriæ participationem; ſiue vnum referatur ad gloriam, & alterum referatur ad pœnam. Oportet igitur vt verbi propoſiti ſenſus ex præmiſſis ſumatur. Præmittitur namque quòd Mater filiorum Zebedæi acceſſerat ad Ieſum petens, vt vnus filiorum eius ſederet ad dexteram eius, & alius ad ſiniſtram: & ad hoc petendum mota videtur, ex quadam fiducia propinquitatis carnalis ad hominem Chriſtum. Dominus ergo ſua reſponſione non dixit, quid ad eius poteſtatem non pertineret, dare quod petebatur; ſed quod ad eum non pertinebat illis dare, pro quibus rogabatur. Non enim dixit; *ſedere ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare alicui*: quin potiùs oſtendit, quod ſuum erat, paratum à Patre ſuo. Non enim hoc dare ad eum pertinebat, ſecundùm quod erat filius Virginis, ſed ſecundùm quòd erat filius Dei; & ideo non erat ſuum, hoc dare aliquibus, propter hoc, quòd ad eum pertinebat, ſecundùm quod erat filius Virginis, ſecundum propinquitatem carnalem; ſed propter hoc, quòd pertinebant ad eum, ſecundùm quod erat filius Dei; quibus ſcilicet paratum erat a Patre per prædeſtinationem æternam. Pergit deinde Sanctus Doctor, oſtendere huiuſmodi præparationem ad filium pertinere. Auguſtinus videtur præluſiſſe 1. de Trinitate; ſic exponens; *non eſt meum dare vobis*; ideſt P non eſt humanæ poteſtatis hoc dare: vt per hoc intelligatur dare per quod eſt Deus, & æqualis Patri. Vno verbo dixerim ex his ego: *non eſt meum dare vobis*, filij Salomæ, proinde mihi cognatis ſecundum carnem, neque enim eſt hac in re perſonarum acceptio. Veruntamen non nego ſimpliciter vobis cœleſtem ſedem, quam meum erit vobis dare, tanquam quibus parata eſt à Patre meo: proinde à me quoque, qui vnum cum Patre ſum. Quod vt percipiatis; non dico eſſe *Patris mei*, quamuis reuera ſit eius, eam vobis dare, ſed à Patre meo dico paratam, per me à me dandam vobis, ſicut ab eo. Matthæus autem quaſi impactionem Arij vellet è medio tollere, præmiſit, adoraſſe oratricem: *adorans & petens*: Deum agnoſcens & arbitrum ac Dominum rerum omnium: fortè etiam conſcia nuperæ de Patre-familias ſimilitudinis; in qua Procurator ſuo pro arbitratu, quod condictum erat cum primis operarijs, dedit etiam propria auctoritate nouiſſimis. Si enim Procurator plenam æqualemque cum Patre-familias auctoritatem non haberet: non ſibi hanc vſurpaſſet de denario nouiſſimis licentiam. In qua mirè laudata, plenitudo Poteſtatis paternæ exercita eſt; dicente mox Patre, *aut non licet mihi quod volo facere?*

N 4. cont. Gent. c. 6.

O ibi c. 8.

P opuſc. 70. q. 5. a. 4 ad 7. & hic.

VERS. XXIV. *Et audientes decem indignati ſunt, de duobus fratribus.*

Chryſoſtomus; *ſicut autem duo carnaliter petierunt*, (Iacobus & Ioannes) *ita & decem carnaliter contriſtati ſunt*. Beda; *illi immoderata quæſierant; & iſti dolent ſuper illorum deſiderio*. Sanctus Thomas; Q ſicut ex quadam elatione duo fratres ſuperiores eſſe volebant; ſic ex quadam elatione iſti indignati ſunt. Decem, aio ipſe, detrectant temporaliter 24.

Q D. Th. hic.

ter sobjci; vbi duo temporaliter anhelauerant præfici. Quod ingerit admirationem est, supra cap. 16. fuisse Petrum clarè prælatum alijs, *tibi dabo claues*; &c. *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; nec cæteri propterea turbati sunt: cur modò indignantur? Præterea Lucæ 22. passionis tempore, *facta est iterum contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*: vnde Dominus iterum, eos quo & hic sermone, compescit, dum ait, *Reges Gentium*; &c. quid iterum ebullit hæc passio? Passus est Dominus, prout censeo iterum relabi discipulos, vt improbum esse morbum indicet, humani ambitus pruriginem, cui proinde non semel, sed iterum atque iterum mederi opus esset. Hieronymus aiebat, *tolle ambitionem à clero, & facilè omnia vitia resecabis*. Et Diuus Petrus in sua 1. c. 5. Pastoribus normam præscribens habet, *neque dominantes in cleris*. Hinc infra c. 24. eum qui præest familiæ seruum vocat, reprehenditque si *cœperit percutere conseruos suos*. Sic vbi Apostolus, de Episcopo habet; *non superbum, non iracundum, non percussorem*; exponitur, R ex illo Ecclesiastici 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis: non percussorem*; idest non crudelem. Quæ certè Dominus, non semel præmonet, quia qui alijs principantur, facilè in hæc labuntur; vt considerat Gregorius in Pastorali; *David, Auctoris iudicio, penè in cunctis actibus placens*, (1. Regum 13. *quæsiuit Dominus sibi virum, iuxta cor suum*, dixit Samuel: de quo & Act. 13.) *vt principatus pondere claruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte viri crudeliter rigidus: prius ferire comprehensum persecutorem noluit; & post cum damno exercitus deuotum militem sub studio fraudis extinxit*. Huc facit, quod alibi S docet; nimirum regale regimen propter magnam potestatem quæ Regi conceditur, de facili degenerare in tyrannidem; nisi sit perfecta virtus, cui talis potestas conceditur; quia non est, nisi virtuosi, bene ferre bonas fortunas, vt Philosophus dicit in 10. Ethicorum; perfecta autem virtus in paucis inuenitur. Hinc quia Iudæi crudeles erant, & ad auaritiam proni; ideo à principio Dominus eis Regem non constituit, cum plena potestate. Est autem vlterius sciendum ex eodem Philosopho 1. *Politicorum*, (recoliturque in prima parte, T) duplicem adhuc esse dominatum; politicum scilicet seu regalem, quo aliquis principatur liberis, qui etsi subdantur regimini Præsidentis; tamen habent aliquid proprium, ex quo possunt reniti præcipientis imperio; despoticum præterea, quo aliquis principatur seruis; qui non habent facultatem in aliquo resistendi imperio præcipientis, quia nihil sui habent. Apud hebræos in vocibus non ita claret discrimen significationis dominij: veruntamen græcè dicitur & *despotis*, & *Kyrios*: primus relatiuus est serui, secundus liberi. Ecce isthæc omnia deprehendi monitu Saluatoris, & Lucæ 22. & impræsentiarum: vtrobique enim introducit de Regum ac Principum potestate, in sibi respectiuè subiectos. Potestas enim ex radicibus hebræis vim etiam, qua quis præualet, importat: & hunc indicat sensum litera, dum ait, *potestatem habent super eos*, Lucæ 22. & hic, *potestatem exercent in eos*: particula siquidem *in* videtur in malam partem accipi, pro *aduersus*, *contra*; & sic ly *super eos*: contra quod Eccles. 32. *noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis*. Quanquam & in bonum alias accipiatur, iuxta illud infra c. 24. *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*: nempe, *vt det illis in tempore tritici mensuram*. Sequitur; *non ita inter vos*. Præcesserat de Regno petitio: opportunè hic de regiminis corruptela, quæ tunc in Gentibus innotuerat, attexitur.

R Titi 1. 1.2.

S p. 2. 105. 2.2.

T p. p. 91. 4.1.

Sed quod miremur, est, per hoc paradigma de Principibus Gentium, nihil dici de positiuo inter eos primatu. Crediderim ipse, quia non oportuit: neque enim adhuc inter eos exorta erat contentio, *quis eorum videretur esse maior*, quæ Lucæ 22. describitur: *indignati enim erat solummodo decem*, de præaffectata sessione *ad dexteram & sinistram*; ex qua speciatim corregnarent Christo Regi. Vnde non opus erat quidquam de præmissis tangere; quando c. 16. Petro dixit; *tu es Petrus: & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues Regni Cœlorum*: quæ ipsum etiam respectu totius Collegij Apostolici Prælatum, saltem sub dubio, poterant insinuare. Non ergo de hoc conqueruntur decem *de duobus fratribus*, sed de postulato consessu pro regimine vniuersali, ad quod Petro vbi supra promissum, alij pro nunc saltem, modestia quadam contenti non adspirabant. Præuenit veruntamen Dominus, in quantum præuidet fore aliquando, nimirum mortis suæ tempore, vt opus sit; obuiatque inordinatæ qualicumq; regnandi libidini. *Quicumque*, inquit, *voluerit inter vos, maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus*. *Non enim qui fuerit maior in honore, iustior est, sed qui fuerit iustior, maior est*; vt habetur 40. dist. c. *multi*. Quibus in verbis duplici ex latere exufflat flatum superbiæ: in munere & conditione personæ, *minister*, & *seruus*. Vbi isthæc gemina humilitas syncerè insederit animo, qui maior primusque esse voluerit, ambitione longè amandata, etsi velle ei adieceerit, acceptus erit Deo suis in votis; quia non studuerit *sumere sibi honorem, sed vocabitur à Deo tanquam Aaron*, vt dicitur Hebræor. 5. Arguit ergo discipulos primatum quærentes, ostendens, vt ait Chrysostomus, *quòd gentile est primatus cupere: & sic Gentium comparatione, eorum animam æstuantem conuenit*. Atqui non his contentus, sententiam suam corroborat, illustrat, & coronat suimet exemplo dicens; *sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*; quemadmodum ait Apostolus Rom. 15. *dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*; &c. Hinc Bernardus; *qui me totum, & semel dicendo fecit, in me reficiendo & dixit multa, & fecit mira, & pertulit dura*. Idcirco adiecit; *& dare animam suam redemptionem pro multis*: denuò recolens mortem suam, postquam bis eam commemorauit supra ibi, *& condemnabunt eum morte*; ibique *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*: vt cum Maiores fuerint, & Primi, (neque enim id eis denegat, cum esset eos constituturus *Principes super omnem terram* psal. 44. & psal. 138. *nimis confortatus est principatus eorum*: Et in hymno; *Ecclesiarum Principes*) sciant quo pacto se se gerere debeant sacro in principatu, effusuri scilicet etiam sanguinem pro subditis suis: nam *bonus Pastor animam suam dat* Ioan. 10. *pro ouibus suis*. Sanè 1. ad Timoth. 3. *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; quia tunc, vt notat Gregorius in Pastorali, V *qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur*. Episcopos Dionysius *de diuinis nominibus*, appellat *Hierarchas*, quod est *sacros Principes*. Cur autem dixerit, *pro multis*, & non expresserit, *pro omnibus*? cur à principatu simpliciter eos non excludat? Syntaxis ostendet.

25.

V 2.2. 185.1.1

VERS. XXIX. *Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa; & ecce duo cæci*; &c.

26. Præsens litera grauem adfert difficultatem: quoniam Marcus cap. 10. & Lucas cap. 18. discrepare videntur, nedum ad inuicem, sed à Matthæo in relatu cæcorum. Lucas vnum cæcum commemorat; sed ait, cùm Dominus *appropinquaret Iericho*: qua de causa Diuus Augustinus, non obstantibus circumstantijs aliquot similibus, *& de consensu Euangelistarum*,

starum, & *de quæstionibus Euangeliorum* censet Lucæ aliud esse miraculum. Quoad Marcum autem, esse factum narratumque vnius cæci miraculum, idem omnino cum narratione Matthæi: sed Marcum recoluisse potissimum cæcum duntaxat: vnde & Patrem eius *Timæum* scribit, relicto cæco altero, quasi ignoto. Beda relatus Marci 10. visa quæstione ait; *nemo saltem sapiens putet Euangelistas sibimet contraria scribere, sed alium plenius scribere, quæ alter omisit*. Certè in factis adeo notorijs, & quorum difficillima est obliuio, cùm palpabilia sint, neque somniculosus scriptor deliquisset. Quare non est, vnde vel infidelis possit calumniari, cùm narratio rerum huiusmodi impactionis sit incapax, quoniam plana est. Dicendum ergo, Lucæ fuisse alterum ab his duobus, cum appropinquaret Iericho, quò mox introiuit perambulans, vt pergit scribere Lucas, qui & de Zachæo: mihique si verum fatear, arridet, & cæcum Marci ab hisce duobus Matthæi esse alterum; quamuis, & illum egrediens de Iericho, vt hos duos, illuminauerit. Moueor autem, quoniam vt ait Hilarius can. 25. in Matth. *proprietates verborum contuendæ sunt, vt momenta præceptorum cœlestium consequamur:* in narratione autem Matthæus, & Marcus, etsi in aliquibus conueniant, in alijs diuersi valde sunt; nam Matthæus inquit, *tetigit oculos eorum*: Marcus hoc non refert, sed dixisse; *vade; fides tua te saluum fecit*. Deinde bis dixerunt cæci; *Domine miserere nostri fili Dauid*: *Bartimæus* verò; *Iesu fili Dauid, miserere mei*; & secundò; *fili Dauid miserere mei*. Non est certè oscitanter negligendum, duos vocem *Domini* expressisse; nam de duobus alijs cæcis supra cap. 9. qui primò exclamauerunt; *miserere nostri fili Dauid*; & deinde Dominum dixerunt; *vtique Domine*, scribit Chrysostomus; *quia enim dixerant eum filium Dauid, erudit, quòd oportet de eo maiora sentire: vnde sequitur; vtique Domine*: (interrogati, *creditis, quia hoc possum facere vobis?*) *non vltra filium Dauid eum vocant; sed altiùs eleuantur, & dominationem confitentur*. Sic tu animaduerte in præsenti. Rursùm apud Matthæum; *stetit Iesus, & vocauit eos*: apud Marcum, *præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei; animæquior esto; surge; vocat te: qui proiecto vestimento exiliens venit ad eum*. Circunstantias istas Matthæus non tangit: cur eas complexus esset Marcus, qui aliàs dicitur Matthæi abbreuiator; nisi diuersum esset miraculum? His de causis, quia non clamauit *Domine*, quamuis postea ei *Domine* dixerit; quia non tetigit oculos eius; & fortiùs, quia non egrediens, sed appropinquans ingressurus Iericho Lucæ 18. cæcum illuminauit; indubitanter alius est ab his duobus. Sic diuersi omnino deprehenduntur cæci, de quibus supra c. 9. Quare autem patratis his quatuor miraculis prope Iericho, non cuncta vnusquisque scripserit Euangelista: quare etiam potiùs duos Matthæus hic cæcos commemorauerit, vnumque seorsim Marcus & Lucas, quadrans nulla potest esse responsio, nisi ad arcanum sublimemque contextus euangelici ordinem recurramus, quem nimirum in Syntaxi scrutari nitimur. Dicere enim memoria excidisse, ægrè satisfacit; cùm nos semel audita, isthæc vix ac ne vix quidem obliuisci possimus: quò tandem vt vidimus in Isagoge confugit pro discrepantiæ causa Augustinus. Sed cùm & ipse asseueret, credidisse Euangelistas, ita velle Spiritum-Sanctum, vt quæ recordarentur narrarent, restat semper desiderandum, quis lateat finis obliuiosæ præteritionis à Deo intentæ, ex qua passim discrimine tanto, memorabilia tot omitterent, variéque ordinarent. Sit ergo

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimum.

VERS. I. *Simile est Regnum Cœlorum homini Patri-familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.*

1. Postquam Dominus præmisso cap. docuit Ecclesiæ suæ dignitatem variumque perfectionis ornatum, quo species eius ac pulchritudo claret, nec vnquam potest esse repudij suspicio; pergit qualificare suam sponsam, vt eius, quam semper adamauit, cuique indissolubili connubio iunctus est, faciem vnde agnoscatur, ostendat. Astruendum autem erat potissimè, Ecclesiam, quæ Christi sponsa est, quæque Dei est Ecclesia, (Apocalypsis 21. *paratam sicut sponsam ornatam viro suo*; 1. Timoth. 3. *in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui*) nouam non esse, sed ab initio in omni floruisse ac refloruisse sæculo; quia huiusmodi calumnia præcipuè, insurgere in eam ausi sunt infideles. Planè Eusebius Pamphilus *de præparatione Euangelica* lib. 1. c. 2. quæ solent obijci à Gentibus & Iudæis, eorum ab ore sic euomit. *Quid hoc monstri est? aut quænam est noua viuendi ratio? Nec enim, inquiunt, Gentilium comprobatis Religionem, nec Iudæorum moribus vos viuere videmus*. Dominus hisce obuiat sua sublimi parabola obiectis. Neque enim monstrosi quidquam referre potest Religio fides ac Ecclesia, quæ ab initio cœpit, duratque in finem. Ecce quò collimat vineæ similitudo, in qua excolenda vnus fuit semper operariorum labor; vnusque operarios mittit Pater-familias: *Qui habet vineam*, inquit Gregorius, *vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine Mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit*. Ecclesia quippe catholica cœpit ad Abel, x qui fuit primus innocens & immaculatus: Et si ab Adam cœpisset, fuisset discontinuata; quia cum peccauerunt Parentes primi, nullus extabat iustus in terra. Decuit etiam esse Virginem spiritualiter, non temeratam. Et ita hanc vniuersitatem temporis agnoscens in hac eadem parabola Gregorius ait; *mane Mundi fuit ab Adam vsque ad Noe; hora verò tertia à Noe vsque ad Abraham; sexta quoque hora ab Abraham vsque ad Moysen; nona à Moyse vsque ad aduentum Domini; vndecima verò ab aduentu Domini vsque ad finem Mundi*. Missis autem pluribus [illegible] notis, quibus vnam sanctam semper fuisse Ecclesiam, in qua nunc Christi fideles sunt, euinci potest; breuiter dicimus, in primis haberi ex vnitate fidei. *Vna est* quippe, quod ait Gregorius, *fides nostra & antiquorum*: & Fulgentius *de fide ad Petrum*: *fides, quam Sancti Patriarchæ atque Prophetæ ante incarnationem filij Dei, diuinitus acceperunt, quam etiam Sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt, & Spiritus-Sancti magisterio instructi non solùm sermone prædicauerunt, verùm etiam ad instructionem saluberrimam posterorum, scriptis suis inditam reliquerunt, vnum Deum prædicat Trinitatem, idest Patrem & Filium, & Spiritum-*

x opusc. 6. § 12. & Gen. 4.

tum Sanctum. Et hoc est quod ait Apostolus 2. Cor. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei*; & Hebræor. 11. *iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes*
A Hebr. 11.1.4. *& salutantes*, idest A venerantes. Quomodo autem hanc fidem, siue implicitè, siue explicitè mundus habuerit, non vacat edisserere. Videatur Angelicus B suis locis.
B 2. 2. q. 1. 7 & q. 2. 2. 7. & 174. 6.

2. Operosius autem quærendum est; cur Dominus, cum tot suppeterent, Ecclesiæ vniuersalis epingendæ similitudines, hanc delegerit de vinea; in qua scilicet multiplices vites sunt; quamuis nihil prohibeat in ea quoque arbores esse; vt dicitur Lucæ 13. *arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua*. Et quidem asserere liceat, hanc ideo, missis alijs, de ædificio; *Dei ædificatio estis* 1. Cor. 3. de agricultura; *Dei agricultura* (ibidem) *estis*; proposuisse; quia in vinea, vnitas nedum, sed identitas operis omnino est: quicunque enim laborant in vinea, eidem operi incumbunt: æque siquidem ab vnoquoque vitis colitur, putatur foditur, religatur propagatur, munitur, spinisque purgatur: quibus beneficijs destituendam comminatur Dominus Isaiæ 5. *auferam sepem eius, & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationem: Et ponam eam desertam; non putabitur, non fodietur, & ascendent vepres & spinæ*. &c. Eodem autem genere operis, quo ab initio exculta est mystica hominum vinea, Christi lege in æuum excolitur, quò fortè aspexit Dominus, dicens Ioann. 4. discipulis: *alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*; eadem scilicet manu, opere eodem, fine vno: de eisdem erudiendo præceptis, eisdem imbuendo moribus, eadem resecando vitia, easdem inserendo virtutes; quia æque fuit semper *lex Domini immaculata* psal. 18. nonnisi iustum, nonnisi rectum, nonnisi honestum præcipiens, contrariumque vituperans prohibens & damnans. Hoc est quod ait Gregorius; *cum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laborauit*: & Angelicus C quolibet tempore
C 2. 2. q. 174. 2. 6.
instructi sunt homines diuinitùs de agendis, secundum quòd erat expediens ad salutem electorum: item Boetius *de Trinitate* post Proœmium, vbi fidem catholicam dicit appellari, *propter vniuersalium præcepta Regularum; quibus eiusdem Religionis intelligatur auctoritas*. Quod licèt exponat ibi; D quia de omnibus curam gerens fides catholica, omnibus
D opusc. 70. post Proœmia.
præcepta accommoda tribuit: non fuerit absonum ad vniuersalia rectitudinis documenta referre. Puritas ergo magisterij, sine macula, gloriosam ostendit Ecclesiam, tum fide tum probis moribus omni tempore: psal. 44. *lex Domini immaculata conuertens animas: iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda*. Nam & cor purum interiusque animorum rectificat. Quocirca vtrunque iungens Gregorius adiecit; *Quisquis cum fide recta, bonæ prædicator actionis extitit, huius vineæ operarius fuit*. Verum non ideo adhuc instent proterue Iudæi carnales, quasi Ecclesia, legalibus relictis, non eadem sit: quandoquidem ante legalium obseruantiam in lege indictam, extitit Ecclesia; nam
E Rom. 4.1.1.
Abrahæ E ex Apostolo *reputata est fides ad iustitiam*, quia adhuc incircumcisus existens iustificatus est, vt patet Genes. 15. *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*; nulla facta tunc, sed postea c. 17. circumcisionis mentione. Et præterea, quia in similitudine Domini, non diuersa est vinea; quamuis aliqui *portauerint onus diei & æstus*: quasi iugo alludatur, de quo Act. 15. *quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*: verè enim fuit eis in onus, sed salubre, vt ijs addicti ab idololatria & superbia, ob virium imbecillitatem elongarentur:
F p. 2. q8. 1. 1. q. 101. 3. & 1. sent. 40. 1. 4. 1.
vt suis F locis videre est. Sancti Patres tamen, non insistebant Sacramentis legalibus, tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus, & vmbris futurorum. G Idem autem est motus in imaginem, in quantum est imago, & in rem; vt patet per Philosophum *in lib. de mem. & reminisce*. Et ideo antiqui Patres seruando legalia Sacramenta ferebantur in Christum, per fidem & dilectionem eandem, qua & nos in ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus. Obstruantur ergo Iudæorum calumniantium ora, quia vna est quæ semper fuit vinea.
G 3. p. 8. 3. 3.

3. Porrò infideles Gentium, & Mahometistæ & Pagani non conueniunt nobiscum in auctoritate alicuius Scripturæ, per quam possint conuinci; sicut contra Iudæos disputare possumus per vetus Testamentum; contra hæreticos per nouum; hi verò neutrum recipiunt: vnde necesse est ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assentire coguntur; quæ tamen in rebus deficiens est. Hæc H Diuus Thomas. Ex quibus liceat profundius adhuc rimari, qua de causa prælegerit hic Dominus similitudinem vineæ in typum Ecclesiæ, relictis alijs metaphoris de domo, de ciuitate, de corpore mystico; quæ aliàs Ecclesiam decent. Voluit nimirum hinc nobis suggerere, qua via possimus, veram nostram probare Ecclesiam; quæ sola vinea nuncupari queat, non sic eorum Cœtus satanici. Planè sententia est Tullij; *res à natura profectas, & à consuetudine approbatas legum virtus & religio sanxit*. Sic quippe ius ciuile subseruit; quo iuris naturæ modus censura quadam præscribitur. Vbi ergo mores humani naturam sapiant, naturæque consentiant, ij probi sunt; secus, si dictamini legis naturæ auersi fuerint, non mores, sed morum corruptelæ dicendi sunt. Iura Gentium vt recolit Eusebius lib. 1. de præparatione Euangelica, *ante aduentum Saluatoris tetra fœda immania erant. Persæ Matres suas nefandis nuptijs cognoscebant; Scythæ humanis vescebantur carnibus, charissimos liberos falsa religione impulsi iugulabant. Massagetæ ac Deibices propinquos atque affines suos, qui senectute conficiebantur, immolabant, & carnibus eorum epulabantur. Tibareni viros seniores suos præcipitabant. Hircani rapaci generi auium, Caspij canibus projciebant*. Nunquid truculentissima isthæc, naturæ conuenientia quis dicet? Apud Germanos olim I latrocinia non reputabantur peccata, vel etiam vitia contra naturam; quod Apostolus dicit ad Romanos 1. Hæccine, dicant modò, sunt consentanea insito iuri? Potiùs deletur quodammodo hisce deliramentis, vt ibidem docemur, lex naturæ. Degenerant quippe sensim, vel ob malas persuasiones, vel propter prauas consuetudines, & habitus corruptos, humani mores, in belluinos syluestres incultos & efferatos. Si oliua prius erat homo, factus est oleaster, idest L arbor infructuosa; quemadmodum de gentili habet Apostolus; & sic Ieremiæ 17. transisse dicuntur in virgulta syluestria; *erit quasi myrica in deserto*: & non vltra vinea viribus consitis: sed in agrestes syluestres & erraticas versa, seu in labruscas: de quo Isaiæ 5. *an quòd expectaui quòd faceres vuas & fecit labruscas?* idest vuas M syluestres, ab hoc dictas, quia in labijs viarum nascuntur; Dic ergo, dum de vinea introducit, ad quam excolendam tot mittit operarios; indubitanter suam comprobasse legitimam ideo Ecclesiam; quia vinea est: qua similitudine donari nequit, vt vidimus, degenerans gentilitas. Vinea ergo isthæc militantem significat Ecclesiam: de qua Cant. vltimo *vinea fuit pacifico*. Vt autem dicitur in psalm. 95. *correxisse Orbem terræ*: atque de imperfectione legalium Apostolus Hebr. 9. *vsque ad tempus correctionis impositis*; sic assumit hanc exculta vineæ parabolam.
H 1. cont. Gent. c 2.
I p. 2. 94. 4. & a. 6.
L Rom. 11.1.3.
M Gen. 9.

4. Cæterum multiplex apud Angelicum vinea est. Ad

N Isaiæ 5. N Ad rem nostram. dici potest vinea fidelis animæ, Cant. 2. *vineæ floruit*: cuius vinum est prius pœnitentiæ Lucæ 10. *appropians alligauit vulnera eius, infundens vinum & oleum*: (psal. 59. vt considerat Ioannis 2.l.2. *potasti nos vino compunctionis*: quia mordicat, vt ait in sermone Conuersionis Sancti Pauli, & alibi ob austeritatem:) deinde, (vt vidimus) vinea militantis Ecclesiæ: cuius vinum primò est, spiritualis ablutionis; Numeri 15. *& vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ*: secundò fructuosæ prædicationis; psal. 4. *a fructu frumenti, vini*, &c. tertiò deuotæ confessionis; Cant. 7. *guttur tuum sicut vinum optimum*. Sed est, quod adhuc in vino specialiter expendamus; nimirum esse illi proprium causare hilaritatem. Missis autem quæ in Apocripho Esdræ 3. c. 3. dicuntur; *omnem mentem conuertit in securitatem, & iucunditatem*, &c. extant ex Sacris literis testimonia de hac lætitia. Eccles. 31. *vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio: exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum*: psal. 103. *& vinum lætificet cor hominis*. Dic ergo Ecclesiam Dei vineam esse; quia in ea, & intra eam duntaxat fideles, tum in credendis, tum in agendis lætitia perfusi sunt. Sanè Ambrosius in psal. 118. ad illa verba, *in via testimoniorum tuorum delectatus sum*, (vbi Augustinus legit *iucundatus sum*, pro eodem;) sic habet: *alij in auro, alij in argento, alij in vestibus, alij in possessionibus, vineis, oleis, segetibus; alij in operibus picturæ, marmorum; in diuersis denique singuli delectationes habent: spiritalis in via testimoniorum cœlestium delectatur*. Non secus dixerim, de quod sequitur: *hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum quia exultatio cordis mei sunt*. Nec absonat illud psal. 4. in quo post præmissa opera iustitiæ, *sacrificate sacrificium iustitiæ*: sequitur, *dedisti lætitiam in corde meo*; quasi non extet in iusti anima, signaculum fidei, iustitiæque fortius, lætitia & exultatione cordis. Nec deest Apostolus hoc firmans Rom. 7. *condelector legi Dei secundum interiorem hominem*: nullus
O Rom. 7. l.4. enim delectatur, O nisi in eo quod est sibi conueniens: homo autem secundùm rationem delectatur in lege Dei, ergo lex Dei est conueniens rationi. Igitur mihi dicendum videtur, magni momenti esse ad comprobandum Ecclesiam Christi esse veram, quia dogmata illius, & morum normæ, rationi concordant, vt & supra digessimus; & hilaritatem gaudiumque fidelibus pariunt: ceu vineæ vinique proprium: psal. 96. *lux orta est iusto, & rectis corde lætitia*. Huiusmodi lætitiam, qua vis alia asserta Ecclesia & Religio, minimè profectò habere potest; quandoquidem nec vera pace cordis, quæ gaudij complementum est, vnquam fruuntur; sicuti neque vera lætitia: idque propter conscientiam remordentem,
P 1. 2. q. 25. a. 7. 5. vt notat Angelicus de malis; P iuxta illud psal. 49. *arguam te, & statuam contra te faciem tuam*.

Et si obijcias; quia infideles non habent aliquem remorsum conscientiæ de sua infidelitate: proinde non est vnde cordis lætitia perturbata in eis sit: atque adeo, poterunt & ipsi contendere Ecclesiam suam
Q de veritate q. 16. a. 1. esse vineam. Respondeo cum Angelico, Q revera ob errorem, qui est in ratione eorum superiori, non remurmurare perturbatione cordis conscientiam, quia iudicium synteresis illi particulari non applicatur. Veruntamen non ideo fit, vt insit eis constans lætitia: quoniam cum errorem ab intrinseco respuat anima, ratioque aduersetur malo, non potest non pati stimulos aliquando, de minimè consentaneis naturæ: scintillas enim veri luminis, non desinit diuina pietas excutere; quia *signatum est super nos, lumen vultus sui*; psal. 4. non secus ac dicitur à Philosopho; *ratio semper deprecatur ad optima*: etsi quandoque taceat sopita passionibus. Porrò demus non contristari, extincta *secundùm quid*, non *simpliciter synteresi*; absit vt verè lætari, & gaudere queant, ea lætitia, quam *nemo nouit, nisi qui accipit*; quæque est inchoatio illius, de qua Petrus in 1. c. 1. *credentes exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum*. Quò etiam spectat fortè parabola, vt Ecclesiam, quæ quandoque triumphans erit, in vinea etiam
R Isaiæ 5. indicet; iuxta quod tradit Angelicus, R dicens; est vinea cœlestis Patriæ; cuius vinum est deliciæ fruitionis; Cant. 5. *bibi vinum meum cum lacte meo*: (Matthæi 26. *non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in Regno Patris mei*;) item interioris repletionis Hesther 1. *vinum quoque vt magnificentia regia dignum, erat abundans*: tertiò Sanctorum cunctorum congratulationis; Cant. vlt. *dabo tibi poculum ex vino condito*: ex ijs vuis terræ promissionis; de quibus Num. 13. legitur: *absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri*. De quo & psal. 35. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*; quia illa æterna fruitio S omnem mensuram rationis, & desiderij excedit. Stet ex his alta de causa vineæ similitudinem introduci. S Prolog. 1. sentent.

Consectarium post præmissa est, de diei partitione: non enim sine sublimi etiam mysterio, in partes veluti secatur dies; cum *primo mane*, hi omnes in vineam mitti potuissent. Sciendum est ergo, statum veteris Testamenti comparari nocti; statum T verò noui Testamenti comparari diei; secundum illud ad Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appropinquauit*. Tempus ergo gratiæ V per diem significatur, Tempus noui Testamenti, quia repellit vmbram noctis legis X dicitur dies. Comparaturque tempus gratiæ diei etiam, eo quòd A illuminatum est à Sole iustitiæ. Dies quidem materialis ex præsentia Solis causatur: Sol autem iustitiæ, B est Christus Deus noster, Malachiæ 3. *vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ*. Vnde ipse Dominus dicit C *me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est*: & postea subdit; *quandiu in Mundo sum, lux sum Mundi*. Præsens autem fuit nobis, D aliquando quidem corporali præsentia: exinde nobis est præsens per gratiam: de quo dic gratiæ 2. Corinth. 6. *ecce nunc tempus acceptabile*; E *ecce nunc dies salutis*. Dicendum est ergo pressius quoque voluisse Dominum Ecclesiam notare, quæ gratiæ tempore viret. Nam vt docet Melchior Canus de locis, lib. 4. cap. 2. dupliciter Ecclesia potest dici: primum eam vocat Ecclesiam, quam fidelium omnium, ab initio Mundi, vsque in finem congregatio conficit; quomodo Diuus Thomas de Ecclesia loquitur 3. p. q. 8. a. 3. illique omnes, qui esse nunc eandem Ecclesiam dicunt, quæ fuit & in populo Iudæorum sub lege Moysi, & in hominibus pijs sub lege olim naturali. In quem sensum Cathecumeni sunt membra Ecclesiæ verissima: non enim hæc baptismi Sacramento secernitur, sed fide: quæ omni tempore populum Dei ab infidelium cœtibus discriminauit. Deinde & ea Ecclesia dicitur, quæ in Christi nomine per baptismum cogitur: qui & fidei Sacramentum est, & propriè Ecclesiæ membra partesque facit, & Christi Ecclesiam à Synagoga distinguit. Dic ergo mi lector, hanc velle Dominum graphicè delineare; vt ex quo prout talis oppugnatur ab impijs, eam semper inconuulsam, efflorescentem, fructusque parturientem tueatur ac propugnet. Huc apprimè facit, quod traditur in Canticorum expositione; F Ecclesia enim potest tripliciter considerari; primò quoad statum primitiuum; secundò quantùm ad statum vltimum: & quia non est dare extrema sine medio, ideo præter statum primum & vltimum, est dare medium. De hoc triplici statu distinguere videtur Apostolus Rom.

6. T 1. 2. 147 7 1. V 4 sent. 13. q. 1 1. ad 4 X Hebr. 1. l. 2. A Hebr. 8. l. 1. B Ioann. 9. l. 1. C Rom. 13. l. 1. D Ioann. 9. l. 1. E Serm. 1. F Cant. c. 1. in initio. Comment. 1.

Roman. 11. cum ait; *nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc; (vt non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel*; quantùm ad statum primitiuum; *donec plenitudo Gentium intraret*, quantum ad medium; secundùm quem Ecclesia proficit; *& sic omnis Israel saluus fieret*, quantùm ad statum vltimum. Itaque, cùm toto noui Testamenti tempore, hoc est vsque in sæculi finem, permansura sit Christi Ecclesia; iuxta illud Matthæi 24. *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*,
G p. 2. 106. 4. quod Chrysostomus G exponit de generatione fidelium: & ab initio, hoc est in primitiua; & in intermedia, & in finali, semper prouisum fuisse, esse, & iri de operatijs ostendit. Ideo *primo mane*; ecce primitiuæ specimen: *circa horam tertiam, sextam, & nonam*: ecce progredientis cursus: *circa horam vndecimam*; en de finali. Etsi autem, vt inquit Augustinus tract. 124. in Ioannem, *duas vitas, sibi diuinitus prædicatas & commendatas, nouerit Ecclesia*, actiuam scilicet, & contemplatiuam; videtur hic potissimum præferri vi parabolæ actiua, dum operarij quæruntur. Et ecce de labore introduci: *portauimus pondus diei & æstus*: & cap. sequenti, *vade hodie operare in vinea mea*: & iterum; quia hic agitur de mercede; *redde illis mercedem*; ex primæ autem Corinth. 3. merces respondet labori; *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: de actiua autem habet Augustinus; *vna in labore*, *altera* (contemplatiua) *in requie*: & Gregorius, hom. 3. super Ezechielem; *actiua in vsu præsentis operis laborat*. Et ab opposito videtur innui, dum de otio sit sermo; *quid hic statis tota die otiosi*? Nam contemplatiua 19. de Ciuitate Dei cap. 19. otium sanctum dicitur; *otium sanctum, quærit charitas veritatis; negotium iustum* (scilicet
H 2. 2. 182. 1. 3. vitæ actiuæ H) *suscipit necessitas charitatis*. Quamuis litera, quæ hoc tangit, turpiter otiosos etiam possit notare: quibus appositè dicat Gregorius hom. 17. in Lucæ 10. humiliter se ipsum nec eximens; *nulla animarum lucra quærimus*; (ecce *otiosi stant tota die in foro*) *ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium*, (ecce *operarij* dicuntur: *in opus ministerij* Ephes. 4.) *vertimus ad ambitionis argumentum: Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur*. An non satiùs obaudiant; *ite & vos in vineam meam*?

7. Verùm quoniam *stantes* semel & iterum dicuntur inuenti *in foro*, quando aliàs supra cap. 11. legimus alios sedere; *similis est pueris sedentibus in foro*, libet, vltra præhabitum Prælatorum documentum, qui vecordia, inerti otio, ac neglectu culpabili sua omittunt munia, *stantes* moraliter intelligere, vt quanquam otiosi sint, vitæ addicti contemplatiuæ, adhuc in gratia sint. Sicuti 1. Cor. 10. inquit Apostolus; *itaque qui se existimat stare, videat ne ca-*
I p. Cor. 10. lect. 3. *dat*: vbi Angelicus; I *se stare*; idest quòd sit in gra-
Apoc. 21. post initium: tia & charitate, *videat*, diligenti attentione, *ne cadat*, peccando; vel alios faciendo peccare. Et sic il-
comm. 1. Ioa. 5. l. 1. lud psal. 121. *stantes erant pedes nostri*, in gratia, per quam quasi per atrium intratur ad gloriam. Ita in Apocalypsin: & Ioannis 5. iusti non iacent, sed recti ad cœlestia stant. Neque obsit perhiberi *in foro*, quod contemplatiuis minimè videtur congruere; quia immò, & ipsorum est negotiari spiritualiter; iuxta illud Bernardi; *nostrum otium, magnum habet negotium*. Claustrum quippe, contemplatiuorum dici potest forum, quando ex plenitudine contemplationis deriuatur doctrina & prædicatio, vt tradi-
tur L ab Angelico, qui subdit; sicut maius est illuminare, quàm lucere solum; ita maius est, contemplata alijs tradere, quàm solùm contemplari. Hinc L 2. 2. 188. 6.
mihi arrideat, vt contemplatiuos lucentes quidem tota die, sed non illuminantes, excitet ac euocet ad egrediendum; *ite & vos in vineam meam*: quid vbi operarijs vinea opus habet, tota die otiosi statis? Pulcherrima est adnotatio, super illud; *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*: potest contingere, inquit, M quòd opus virtutis, non est huic aut illi M Rom. 8. l. 5.
congruum: sicut alicui, qui vtiliter possit in actione proficere, non expedit contemplationis quies; & è contra; vt Gregorius dicit in moralibus, super illud Iob 5. *ingredieris in abundantia sepulchrum*. Adde ex Decretali; N *sicut maius bonum minori bono præ-* N 2. 2. 188. 6. 1.
ponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati præfertur. Et in hoc casu, rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti. Ecce habes in praxi, quod ait Dominus, *quid hic statis tota die otiosi? ite & vos in vineam meam*; nempe ad laborem. Et quoniam Religio aliqua, vt ibidem per Angelicum, hoc habet pro instituto, vt contemplata alijs tradat, ordinetque ad actiuam sua studia; aliqua verò vt Monastica, soli vacat contemplationi, orationi & lectioni, vtriusque alumnis dictum sit, vbi necessitas vrgeat excolendæ vineæ, *quid hic statis tota die otiosi?* si quidem Dominicano de cœtu, acriori sensu; quia deficit aliàs à scopo, qui salus est, animarum; si autem Benedictinæ familiæ, mitiùs; quia soli (nisi in casu) insistit contemplationi. Ambo tamen dicantur stare, quid *hic statis*, hoc est non ideo in peccatum lapsi, si animi promptitudine operarij sint; quoniam, vt idem dicit Augustinus 19. illo de Ciuit. c. 19. *quam sarcinam*, nempe vitæ actiuæ, *si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati*: (vide hìc non increpari, etsi respondeant, *quia nemo nos conduxit*) si autem imponitur, *suscipienda est, propter charitatis necessitatem*. Et in Epistola 81. *neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis*. Deprehenduntur autem adhuc prætereà *stantes*, quia missioni non restiterunt: vt cap. sequenti filius primus; cui cum dixisset; *vade hodie, operare in vinea mea; respondens ait; nolo*: Alius autem *respondens ait; eo Domine & non iuit*. Roman. 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur*? Mittuntur autem aliqui à Domino dupliciter; vno modo immediate ab ipso Deo,
o per inspirationem internam, sicut ibi de Isaia, & O Rom. 10. l. 2.
Baptista: alio modo mittuntur à Deo, mediante auctoritate Prælatorum. Benè ergo dicant; *quia nemo nos conduxit*. Quocirca Chrysostomus in hom. hæsit, dicens super hoc eorum responsum, *non oportet omnia scrutari, quæ in parabolis sunt*: ratus huiusmodi conductionem esse ad Regnum, miratusque, quòd *non omnino simul eos Deus conduxerit*. Videtur autem Dominus, dum & *otiosos* mittit in vineam vt exposui, anteuertere obiecta impugnantium Religionem, negantium posse aut deberi committi prædicationis officium Monachis: quod versat Angelicus opusc. 19. cap. 4. fusè; instatque de Equitio Monacho, diuino iudicio reputato idoneo, vt Beatus Gregorius narrat in Dial. & de Beato Benedicto. Et quia Innoc. III. ante Concilium generale, quosdam Cistersiensis Ordinis misit ad prædicandum in partibus Tholosanis.

Hisce prælibatis, sentio, in præsidium ac propugnationem Ecclesiæ exponi parabolam, qua præuenit Dominus, quæ forent aliquando ab hæreticis obijcienda. Contendit nimirum ipsorum prauitas & malignitas de Roma triumphatrice triumphare. Refert Melchior Canus noster de locis lib. 4. c. 1. argumento 6. vt supra dictum est, quæ ganniant & garriant aduersùm nos: vt scilicet, nulla primæ Ecclesiæ 8.

facies

facies effulgeat: vt Deus Pastores atque oues stupore ac cæcitate percusserit; Ecclesiæque exteriorem notitiam ab hominum aspectu abstulerit. Hic, hæretici, quasi re confecta insultant, nosque miris modis irrident; translata, inquiunt, Samaria est. Et cùm Ierusalem externis laruis inhærens, templum, cæremonias, sacerdotium, sacramenta, scripturasque iactaret, ipsa quoque translata est. Ita, quod de orientali Ecclesia accidit, idem occidentali obuenerit: vt forma eius, vel in fumos abeat, vel certè omnino delitescat. Trahunt autem in argumentum suæ defectionis, quam prompsit Dominus sententiam Lucæ 18. *veruntamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem super terram?* Phalangem autem instruunt obiectionum, prætensis prauis nostrorum moribus, (quasi ipsi sint homines frugi, omnisque generis probitate excultissimi) quasi iam nulla veri spiritus ac pietatis, zeli ac Religionis nota simus insigniti; ideoque à nobis disparuisse migrasseque Ecclesiam, vnà cum fide, quam sensim defecturam extorto ab ipsis sensu prænunciet Dominus. Sanè cum in nobis Pastores præsertim omnis impietatis incusent, fidem & ab eis abrogant, indeque recessum Ecclesiæ.

9. Prouidit Dominus, quo hisce similibusque assultibus resistamus, audacesque calumniatores reijciamus: quoad sanctitatem attinet ac meritum coram Deo. Etsi enim cursu decliui temporis egeat potiùs Ecclesiæ vinea operarijs, haud quaquam destituta est; quando, quauis diei hora, *exit Pater-familias conducere operarios in vineam suam*. Nedum *primo mane*, hoc est, primitiuæ tempore, sed & prouectæ, & finalis; circa horam quoque vndecimam, audiendum perhibet, *ite & vos in vineam meam*; &c. Et ne vniuersis affricent quod infra ait ipse Dominus, *& quoniam* (nempe cap. 24.) *abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*; nedum ibi perseuerantes exprimit; *qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*: sed & hinc relatu parabolæ emicare facit, feruentem charitatis gradum, parem ac promeriti sint in primitiua Ecclesia primi, in intermedijs etiam & in nouissimis affatim reperiri: vt sic abruptam defecisse aut defecturam in fine mentiantur Apostatæ. Huc ergo, me iudice, spectat, quod ait, *acceperunt singulos denarios: hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti*: vt intelligatur, in promerito augmento gratiæ & charitatis paritas. Quocirca sciendum est, (quandoquidem introducit parabola de mercede; *redde illis mercedem*,) sub merito de condigno, cadere non solùm vitam æternam; sed & charitatis augmentum, vt conceptis verbis P docet Angelicus; quia illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit; extenditur autem nedum ad terminum, qui est vita æterna, sed & ad totum progressum, qui est secundùm augmentum charitatis vel gratiæ: secundum illud Prouerb. 4. *iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem*; qui est dies gloriæ. Quare de æterna illa mercede, non ita constans est primò exponendam esse parabolam: in qua dicitur, *cum serò autem factum esset*. Receperunt ergo mercedem serotinam, quæ alia esse nequit, nisi augmentum: viam vtique & mensuram mercedis deinde æternæ. De huiusmodi augmento charitatis habes alibi Q quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum: non tamen statim augetur; sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum. Et Sacrum Tridentinum Session. 6. capit. 10. palam decernit de acceptæ iustificationis incremento: iuxta illud, *da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*, vt sancta petit Ecclesia. Et Canone 24. *si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ; non autem ipsius augendæ causam: anathema sit*. Quolibet quippe actu meritorio R meretur homo augmentum gratiæ. Quamuis autem passim fiat, vt gratia maior sit in vno quàm in alio; S quia *vnicuique nostrum data est gratia*, Ephes. 4. *secundùm mensuram donationis Christi*; eo quòd Deus diuersimodè sua dona dispensat, ad hoc vt ex diuersis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesiæ consurgat: sicut etiam diuersos gradus rerum instituit, vt esset Vniuersum perfectum: nihilominus in præsenti, (quod est mirandum) vbi iuxta Syntaxin de Ecclesia agitur, in hisce operarijs, non curat diuersitatem pulchritudinemque subinde micare, sed paritatem: *pares illos nobis fecisti*, in gratiæ suæ donis, in promeritoque augmento: certè non alia apposita magis de causa, nisi vt obstruatur os loquentium iniqua, qui languescere sensimque deficere Ecclesiam effutirent. Poterat vtique præsumptiuè mercedis inæqualitatem quisquam attendere, visa denarij solutione nouissimis. Et hoc vnum videtur significare, quod interiectum est; *& accipientes murmurabant aduersus Patrem-familias*: ac si diceretur, parabolæ inductio talis est, vt emergat ex narrationis serie murmurandi occasio ignaris donorum Dei; non quod re ipsa operarij obmurmurarent. Et ita scripsit Chrysostomus; *non autem oportet, ea quæ in parabolis sunt, secundum totum, quod dicitur inuestigare; sed intentionem, propter quam compositæ sunt, intelligere*. Sed vrgere debuit magis præcautione, deprehenso in dies ministros ac operarios tepescere omnes & singulos, euanescere aliquando, timeretur Ecclesiam. Cœlum hocce primæ magnitudinis stellas etiam nouissimo tempore ostendet: profusis desuper gratiæ donis, per quæ primitiuæ sanctioribus viris Apostolicis, nouissimi æquiparentur: vt mox adiecit Dominus, post expressam largitatis suæ libertatem dicens; *sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi*; ad eundem augmenti gratiæ charitatis, & perfectionis euecti gradum; vt vel in eis, quanquam interdum paucis, emineat Ecclesiæ sanctitas eadem, & dignitas. Nec obstet paucos tantum attingere augmentum; quia *multi sunt vocati, pauci vero electi*. Quanquam de electis ad gloriam explicuerit textum hunc Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 18. cap. 48. & alij post eum. De fidelibus in finali Ecclesia exponitur illud Apocalypsis 1. *& pedes eius similes orichalco, sicut in camino ardenti*: pedes T vltimi fideles. Orichalcum quanto magis incenditur, tanto amplius coloratur. Sed in primo, vt reor, Commentario, ad rem magis: V per pedes intelliguntur vltimi fideles, qui erunt tempore Antichristi: ideo orichalco comparati, & non auro, quia quamuis sint eiusdem meriti & virtutis, sicut primitiui fuerunt; non tamen ita lucebunt miraculis sicut illi; & ideo meliores reputabuntur viliores.

Vide mi lector, quomodo arridet parabolæ: in qua huiusmodi meritorum paritas secreta est; quando fertur de primis; *arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi*, & murmur ea in verba erupit, *pares illos nobis fecisti*; dum & *nouissimi acceperunt singulos denarios*. Diuus Ioannes certè X librum propheticum conscripsit de fine Ecclesiæ. Per pedes autem, vt primo loco tradit, significatur multiplex fortitudo; quandoquidem totum corporis pondus portant: decoquendi, vt in secundo, ait, in camino ardenti multiplicium tribulationum. Tanto 10.

P p. 2. 114. 8.
Q 2. 2. 24. 6. 1.
R p. 2. cit. ad 3.
S p. 2. 112. 4.
T Apoc. 1. comm. 2.
V ibi cõment. 1.
X 2. 2. 174. 6. 1.

tò pulchrior autem erit eorum fortitudo, vt notat supra de orichalco ignito, quod pulchrius fit. Vnde liceat illud ipsis congruentissimè ceu euangelicis Prædicatoribus coaptare cum Apostolo Roman. 10. *quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Sic ad psalmum; *omnis*
A ps. 44. *gloria eius ab intus in fimbrijs aureis:* fimbria A innuit finem: dicit autem glossa, quòd illi qui inuenientur in fine Mundi, erunt perfecti & sancti. Sic primitiua in Ecclesia, *primo mane*, excoluerunt vineam ipsam Apostoli, & post eos apostolici pectoris ac spiritus viri plurimi, sanctitate doctrinaque, vel infusa conspicui. Et vide quomodo donorum innuit largitionem diuinorum, dum mox dicit, *quia ego bonus sum*. Bonitas quippe, vt dicit Dionysius, est diffusiua omnium, quæ recipiuntur in creaturis à Deo; & appropriatur Spiritui-Sancto. Planè ad rem nostram. Huc adsciscamus quæ scripsit Augustinus de Ciuitate Dei lib. 18. capit. 50. *primum se ab Ierusalem diffudit Ecclesia; & cum in tota Iudæa, & Samaria plurimi credidissent:* (iuxta relatam ibi Domini prædictionem Actor. 1. *& eritis mihi testes in Ierusalem* &c.) *& in alias Gentes seminatum est, eis annunciantibus Euangelium; quos ipse, sicut luminaria & aptauerat verbo, & accenderat Spiritu-Sancto. Denique per ipsos, non solùm, qui eum & ante passionem, & post resurrectionem viderant & audierant, verum etiam & post obitum eorum, per posteros eorum;* (tu, si placet dic, *circa horam tertiam*, primis deinde sæculis vsque ad Constantini tempora) *inter horrendas persecutiones, & varios cruciatus ac funera Martyrum, prædicatum est toto Orbe Euangelium: vt Populi Gentium* (ecce vineæ cultum) *credentes in eum, qui pro eorum redemptione crucifixus est, Christiano amore venerarentur sanguinem Martyrum, quem diabolico furore fuderant; ipsi Reges, quorum legibus vastabatur Ecclesia, ei nomini salubriter subderentur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt.* Intermediæ etiam siue *modernæ* (vt loquitur Angelicus expositione altera in Cantica Canticorum) Ecclesiæ tempus tangit idem Augustinus ibi capit. 51. dicens inter persecutiones Mundi *procurrit Ecclesia*, hæreticorum facta mentione. Quocirca præmittit: *inimici omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur; si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: si tantummodo malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam: vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam; aut etiam beneficentiam: siue suasibili doctrina cum eis agatur; siue terribili doctrina vel disciplina.* Dic si placet, *circa sextam & nonam horam*, ad expurgandam vineam operarios misisse sanctos Ecclesiæ Doctores: Gregorium Augustinum ipsum, Hieronymum Ambrosium, plures successiuè alios; vnumque Doctorem pro mille Angelicum: de quo Pius V. Beatus Pontifex inquit; *factum est diuina prouidentia, vt Angelici Doctoris vi & veritate doctrinæ, qua, Apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis erroribus illustrauit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, conuictæ & confusæ dissiparentur. Quod antea & liquidò nuper in Sacris Tridentini Concilij decretis apparuit.* Et Paulus V. *splendidissimum* vocat *catholicæ fidei Athletam: cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit.* De vndecima hora, finalique Ecclesia præfatus sum.

12. Hisce igitur, pluribusque operarijs mirè denarrat parabola redditos æquè singulos denarios. Paritatis causam rimari oportet: quæ primo intuitu abstrusa est; cum potius debuisse videri possit elucere disparitas, inæquali ac impari ex labore: edicente palam Apostolo; 1. Corinth. 3. *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Porrò non omnis labor incrementum proportione maius dat gratiæ aut gloriæ: quia non augetur quouis labore meritum. Sanè docemur B B 2. 1, 27. 8. 3.
ad rationem meriti & virtutis, plus facere bonum, quàm difficile. Vnde non oportet, quòd omne difficilius sit magis meritorium. Hoc ipsum habet alibi C dicens; ratio virtutis consistit magis in bono, C 2. 2. 123. 12. ad 2.
quàm in difficili. Certè si vbi maior absolutè grauat labor, maius esset meritum; recolo me aliàs expendisse inconueniens; vt qui sine habitu temperantiæ, exempli causa, ieiunat, plus mereretur, quàm qui habitu abstinet vt temperatus. Rem plenius enucleat ad Corinthios. D Nam potest intelligi labor esse potior tripliciter. D 1. Cor. 3. l. 2.
Primò quidem, secundum formam charitatis, cui respondet merces essentialis præmij, scilicet fruitionis & visionis. Vnde qui ex maiori charitate laborat, licèt minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiet. Secundò ex specie operis: sicut enim in rebus humanis, ille magis præmiatur, qui in digniori opere laborat, sicut Architector, quàm artifex manualis, licèt minus laboret corporaliter: ita etiam in rebus diuinis; ille qui in nobiliori opere occupatur, maius præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogatiuam præmij accidentalis; licèt fortè minus corporaliter laboret: vnde aureola datur Doctoribus, Virginibus, & Martyribus. Tertiò ex quantitate laboris: quod quidem contingit dupliciter. Nam quandoque maior labor maiorem mercedem meretur, præcipuè quantum ad remissionem pœnæ; puta quòd diutius ieiunat, vel longius peregrinatur; & etiam quantum ad gaudium, quod percipiet de maiori labore: vnde Sapient. 10. dicitur; *reddidit Deus*, scilicet iustis, *mercedem laborum suorum:* quandoque verò est maior labor ex defectu voluntatis; in ijs enim, quæ propria voluntate facimus, minorem laborem sentimus: & talis magnitudo laboris non augebit, sed minuet mercedem: vnde dicitur Isaiæ 40. *assument pennas vt Aquilæ, current & non laborabunt; volabunt & non deficient:* & ibi præmittitur, *deficient pueri & laborabunt*. Ad vberiorem intelligentiam, iuuat illud expendere 2. Cor. 9. *qui parcè seminat, parcè metet.* Vnde monet; *non ex tristitia; hilarem enim datorem diligit Deus*. Cohærenter ad vineæ parabolam. Quocirca Angelicus ibi lect. 1. Omnis inquit remunerator remunerat ea, quæ sunt remuneratione digna: hæc autem sunt solùm actus virtutum. In actibus autem virtutum duo sunt; scilicet species actus & modus agendi, qui est ex parte agentis. Et licèt apud homines, qui non vident nisi ea quæ parent, sufficiat operari nos actum virtutis; tamen apud Deum, qui intuetur cor, non sufficit, nisi etiam delectabiliter & cũ gaudio. Et ideo hilarem approbat & remunerat, & non tristem & murmurantẽ. Ecce hic *murmurabant*.

Ex nobili hac profundiorique doctrina, intelligi potest; si ad Iudæos retorqueatur; *portauimus pondus diei & æstus*; quare diutiùs etiam laborando, 13.
(nonnisi timore legis antiquæ stimulo) mercede minimè, quia nec merito excesserint: quare satis fuerit diuturnitate operis ægrè impleti, sic compensari defectum voluntatis, vt æquiparari potuerint nouissimis spontaneis ad legem amoris spectantibus & feruentioribus. De nouissimis legimus eorum ex ore, *vna hora fecerunt*: non inquiunt, *laborarunt*: Isaias vbi supra; *current & non laborabunt*. Quare fas est deducere diuturnitatem operis compensasse promptiori voluntate, vrgentiori zelo, maioriq; cona-

conatu spiritus: vnde factum est, vt æquè ac præcedentes vtique remissiores, denarium promeruerint. Referenda est veruntamen felicior hæc sors, in diuinum primitus beneplacitum. Quamuis

E p. 2. 112. 4. enim ex parte subiecti, (doctrina E est Angelici) gratia possit suscipere magis vel minus, prout scilicet vnus perfectius illustratur à lumine gratiæ, quàm alius: idque aliqualiter ex parte præparantis se ad gratiam; qui enim magis se ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit: nihilominus prima causa huius diuersitatis accipienda est ex parte ipsius Dei; quia præparatio ad gratiam, non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium præparatur à Deo, qui diuersimodè suæ gratiæ dona disponit. En mi lector, quàm sublimi eloquio dicit hic Pater-familias; *aut non licet mihi quod volo facere?* Stat veruntamen, vt vbi tepor absit & remissio in laborante, quo maior est labor, *secundum laborem suum mercedem propriam vnusquisque accipiat*, vt ait Apostolus.

24. En ergo vnde ruit obiectio, vt defectura sit aliquando Ecclesia Dei, *quam acquisiuit*, vt dicitur Act. 20. *sanguine suo*: quamuis *pulchra vt luna* in

F Cant. 6. præsenti vita, aliquando concessa sibi pace F & securitate crescat; aliquando aduersitatibus obscurata decrescat: & ita neque lex noua quasi senescens, prope interitum vsquam potest esse: quamuis status

G p. 2. 106. 2. 4. eius G diuersificetur secundum diuersa loca, tempora, & personas; in quantum gratia Spiritus-Sancti perfectius vel minus perfectè ab aliquibus habetur. Dic tu, quia etsi concutiatur Ecclesia, *non præualent portæ inferi aduersus eam*: dic; quia etsi pereant vineæ nonnullæ vites, plantantur aliæ, operariique non desunt, qui in ea laborent, nouellasque plantent, pastinent, circumfodiantque vites: & sic quotidie impleatur quod legitur in psalm. 79. *respice de Cœlo, & vide, & visita vineam istam*, vt de Ecclesia exponitur ab Augustino. Minùs consultus ergo scripsit Caietanus; *timeo diminutionem Christianæ fidei, quam videmus, non solum inchoatam, sed valde extensam non esse restaurandam, sed potiùs extendendam. Magna siquidem Mundi pars Mahumetana est: & parua pars Christianis relicta, tot hæresibus & schismatibus, ac prauis vsibus repleta est, vt exiguus verè fidelium numerus, iam apparere videatur. Verè autem fideles dico, professores Christianæ fidei, verbis & factis.* Subdit Thomas Maluenda de Antichristo lib. 8. cap. 16. *sed vt minùs iam eius ceu vaticinium pertimescamus, facit amplissima per nouum Orbem fidei propagatio; & quæ etiam hoc tempore paratur Sinarum conuersio, plantato iam Euangelio in Iaponijs Philippinis, & innumeris nouis tum Insulis, tum Regionibus: atque etiam nostris temporibus, Ecclesiarum Ægypti & Æthiopiæ atque etiam Ruthenorum ad Ecclesiam, mira Dei benignitate, facta aggregatio.* Quocirca lib. 3. cap. 8. recolit ingenti Dei beneficio anno ortus Christi 1595. qualiter *Ecclesia Alexandrina olim schismate abrepta, cum suo Patriarcha Gabriele, post Marcum nonagesimo septimo, eiuratis erroribus, & ferali schismate profligato, accepta fuit in communionem Catholicam Romanæ Ecclesiæ, à Sanctissimo Patre Clemente VIII. Accessißeque vnà cum illa, vniuersam Ecclesiam Æthiopicam in sinum pijssimæ Matris, exultante Mundo, & omnibus bonis immensas Deo gratias pro tanto munere referentibus. Extat res gesta, in publica Acta, relata.* Addit; *Celebres autem & insignes Religionis Christianæ propagationes in Congo, Ialophis, Nigritis, Senaga, Tungubutu, Mandinga, Manicongo, Sofala, Inbambana, Manopetama, Mosambique, Quiboa, Melinde, & totis littoribus Africæ, atque in his adiacentibus Insulis, opera Christianissimorum Lusitaniæ Regum per verbi Dei legatos* (dic ex præsenti parabola *operarios*) *Dominicanos, Franciscanos, Iesuitas, & alios, mirificè, nostra & Patrum, & Auorum memoria peractas, nimis esset prolixum, si singillatim persequi vellemus.* De quo, inquit, videri possunt Hieronymus Osorius, Ioannes Petrus Maffeius, & alij. Item Bozzius de signis Ecclesiæ lib. 4. integro. Dic Augustino consentiens de Sanctæ Ecclesiæ vinea, ex eodem psalmo: *dux itineris fuisti in conspectu eius; plantasti radices eius, & impleuit terram.* Sic vt nisi hactenus impletum sit, impleatur in dies illud psal. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*: illudque Apostoli omnino sit expectandum, Roman. 11. *vt plenitudo Gentium intret.* Quod futurum fuisse apertè contestatur psal. 2. *& dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Iuxta quod orandum monemur psal. 66. *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Quod quia mox repetit, indicat duplicem Mundi ad Christum conuersionem: primam, quæ fuit, quæque ex parte defecit præsertim post Mahometem; secunda quæ futura est, cum *plenitudo Gentium intrauerit.* Sit sic si arrideat, dic bis octauo psal. repeti; *Domine Dominus noster; quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* & psalm. 18. priùs, *in omnem terram*; posteà; *& in fines Orbis terræ.* Et sic in ps. 2. Ecclesia expectatur fundanda.

Quamuis res ita sit, inficias nemo fidelis ire potest, futuram ante Antichristi tempus defectionem, 15.
de qua 2. Thessal. 2. *ne quis vos seducat vllo modo; quoniam nisi venerit discessio primum; &c.* vbi loquitur de tempore finali, *quasi instet dies Domini.* Quæ discessio intelligitur Romani Imperij H temporalis vel Ecclesiastici. Alibi glossam refert; *non veniet ad iudicium Dominus, nisi prius fiat discessio à Romano Imperio*; I *siue Ecclesiarum à spirituali obedientia Romanæ Ecclesiæ; vel hominum à fide.* Itaque triplex intelligi potest discessio; sed temporale iungens cum spirituali obijcit; L quomodo est hoc, quia iamdiu Gentes recesserunt à Romano Imperio; & tamen nec dum venit Antichristus? Respondet; Romanum Imperium nondum cessauit, sed est commutatum de temporali in spirituale, vt dicit Leo Papa *in Sermone de Apostolis*: & ideo dicendum est, quòd discessio à Romano Imperio debet intelligi, non solùm à temporali, sed à spirituali, scilicet a fide Catholica Romanæ Ecclesiæ. Et ita, vt audis mi lector, tandem ad fidei defectionem, seu discessionem, reducit. Fidem ergo defecturam negari nequit; ait enim 1. ad Timoth. 4. *spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* Quod quamuis possit intelligi, prope finem Mundi, cohærenter ad interpretationem sententiæ nuperæ ad Thessalonicenses; quia sicut in primitiua Ecclesia M propter propinquitatem ad Christum, & Sacramenta recenter instituta, fuit feruentissima fides; sic in nouissimis temporibus, *discedent quidam à fide*: nihil tamen prohibet, accipi etiam de nostris temporibus, quia *nos sumus* 1. Corinth. 10. *in quos fines sæculorum deuenerunt*: & sic hæc vltima ætas (subintellige, postquam alia mutatio quasi ætatis expectanda non est) dicitur nouissimum tempus. *Discedent* ergo, prædicit Apostolus, *quidam à fide*. Plures quippe Prouincias in Septentrione hæresis abstulit: vltra antiquas hæreses. Verùm, quia vt supra tetigimus, in nos defectum huiusmodi retorquent hæretici; ex illo Lucæ 18. *filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* gratis vtique

H Apoc. 11. ibi de abysso comm. 1.

I opusc. 6c. 25.

L 2. Thes. 2. l. 1.

M 1. Tim. 4. l. 1.

quia maiori facilitate ipsis quadrat: dicimus pro vberiori eruditione, hebraica phrasi, significari posse veritatem fidelitatem synceritatem, stabilitatem, probitatem in dictis & factis: quasi dicat; omnia erunt plena dolis fraudibus imposturis, hypocrisi, fuco; nihil syncerum, nihil integrum ac probum, &c. Quam expositionem multis exornat Maluenda loco cit. lib. 8. cap. 16. de Antichristo. Vbi etiam fert Diuum Hieronymum lib. contra Luciferianos, sanctumque Augustinum de vnitate credendi cap. 13. interpretatos, non de fide infusa simpliciter, sed de eximia quadam & excellenti fide, quæ in paucis reperitur, atque in paucioribus inuenietur tempore Antichristi. Canus de locis cap. postremo libri 4. addit ex Augustino, propter iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, quæ in illa potissimum ætate erunt, ita Dominum fuisse locutum. Et quasi ex ore nostro tunc ita dicendum; vt sic figuraret dubitationem nostram; neque enim ipse, qui sciebat omnia, sic anceps pronunciasset. Dicit etiam Canus Hieronymum exposuisse de illius generis fide, qua dictum est; *quid simile est is modicæ fidei?* Quicquid autem sit, vt hisce sæculis defecerit, futurumque sit finaliter, postquam etiam *plenitudo Gentium intrauerit* Rom. 11. vt fides rara fuerit, quæ sine operibus mortua dicenda sit; non ideo Ecclesiæ facies disparuerit, quoniam personarum erit languor, non vero dogmatum, quæ ad fidem spectant, corruptio. Ideo non firmat Dominus, quasi dicat, non inueniet fidem in terra; quia in non paucis viuet & vigebit. Quamuis *multi* vt dictum est ex 1. ad Timoth. 4. *deficient à fide: multi* non omnes; quandoquidem tempore etiam sæuissimæ illius finalis tribulationis erunt electi, propter quos *breuiabuntur dies illi*. Præterquam post mortem Antichristi, fluxuri creduntur plures anni, antequam adueniat dies iudicij, vt sentiunt multi apud Iacobum Tirinum Ezechielis 39. quo tempore (quanto solus Deus nouit) Iudæi omnes ad Christum conuertentur, adducti ex visa plenitudine Gentium: quod ait Apostolus Roman. 11. *cum plenitudo Gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet*: vt supra diximus. Vnde in vniuersum non deficiet fides, sed exanimis pronunciatur & informis, cum Dominus venerit. Quod si in supremo illo excidio pars erit Domini; si tot in alijs primitiuæ Ecclesiæ Tyrannorum attritionibus, non perijt, neque euanuit granum sinapis; quid inauditæ perfidiæ est in hostibus efferatis, adeo Catholicæ Romanæque Ecclesiæ infensis, vt commenti sint de fideli in infidelem ac meretricem abijsse; & hoc passus sit Dominus?

16. Reclamitant aduersus impios Euangelica Testimonia: quæ nec momento deserendam firmant semel acquisitam Christi sanguine Ecclesiam: quia *nec portæ Inferi præualebunt*; quia *vobiscum*, inquit, *sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*; quia *non præteribit generatio hæc*; quia *alium paraclitum* daturus erat nobis Pater, *qui maneat* (Ioannis 14.) *vobiscum in æternum*. Denique, quia *rogaui pro Petro vt non deficiat fides eius*; & ipse *aliquando conuersus confirmaturus erat fratres suos*. Resiliunt, proteruè detrectant, quòd velimus successoribus Petri, ipsorumque successiuè primatum singulis iure coaptare: sed ægrè fugere possunt. Quod si euadere putant, non ideo sibi somnient victoriam; quia semper remanet eis tantundem posse ostentare, vnde quod sibi arrogant de Ecclesiæ reformatione, & quasi in ipsis de nouo apparitione, possit vt effutiunt honestari. Punctum sanè præ oculis habendum: student enim nos improbos, & infideles adulterosque calumniari: cum adhuc, per impossibile hoc euicto, superest, vt se verè credentes legitimos, & probis exculsos moribus demonstrent. Prodant Caluinistæ Lutherani, huiusque farinæ sectarij, quos habeant caracteres, quas notas, quæ insignia, vt non sit eorum coadunatio Satanæ Synagoga: si solo enim, vt alias supra retulimus, Scripturarum genuino sensu, quem iactant assequi, se se venditent intra Dei Ecclesiam, omni repudiata Cathedra Magisterij, quia nostram respuunt, & propriam nequeunt erigere; iam Christum negare debent; quia proprio solummodo marte acquiescunt Euangelio; nec est in Scriptura veteri, quod tam palam Euangelio faciat fidem: sic vt qui duræ ceruicis est, quemadmodum sunt Iudæi, cogatur acquiescere. Scio equidem legem nouam implere veterem, N & in veteri contineri, non secus ac arbor tota continetur in semine: cæterum *non omnes obediunt Euangelio*. Roman. 10. Isaias enim dicit, *Domine quis credidit auditui nostro?* Quare vt schismatum ancferretur occasio, prudentissimi suauisque consilij fuit, ab vno penderent omnes; in quo finis posset esse digladiantium controuersiarum. Quod quidem solide assumitur ab Angelico Thoma Aquinate dum ait; O ad vnitatem Ecclesiæ, requiritur, vt omnes fideles in fide conueniant. Circa verò ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moueri: per diuersitatem autem sententiarum diuideretur Ecclesia, nisi in vnitate per vnius sententiam Maioris conseruarentur: exigitur ergo ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam, quòd sit vnus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiæ in necessarijs non defecit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit; cum & de Synagoga dicatur per Dominum Isaiæ 5. *quid vltra potui facere vineæ meæ, & non feci?* non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi vnus toti Ecclesiæ præsit. Nec obest quòd Papa vniuersalem Pontificem se vocari prohibeat: vnde dicitur in Decretis dist. 99. *nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur*. Et hoc idem habetur in sequenti cap. Quod solent ad iaidem recolere hæretici. Quia hoc dicitur; non quòd Papa non habeat auctoritatem immediatam & plenam in qualibet Ecclesia, sed quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, vt proprius & specialis illius Ecclesiæ Rector; quia sic cessarent omnium aliorum Pontificum potestates. Et hoc inducitur ibi pro ratione: vt notat Angelicus opusc. 19. capit. 4. Pergit ibi Angelicus id ipsum strenuè demonstrare. Nos præsenti ex capite deprehendimus etiam, in quo vnus perhibetur esse Pater-familias; vnusque Procurator eiusdem vineæ. Quod si ad praxin rem libeat examinare, esto exemplum: hic ait Dominus, se venisse *dare animam suam redemptionem pro multis*: sic & in Cœna, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*. At Ioannes in 1. cap. 2. de Iesu Christo loquens inquit; *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi*.

N p. 1. 107. a. 2. & 3.

O 4. cont. Gent. 76.

Certè nisi prouisum esset à quo res foret definienda, hinc & hinc essent de vero sensu placita; quia *velle suum cuique est, nec voto viuitur vno*. Et 17. hoc de sexcentis dici potest, quæ nisi ex tripode resoluantur, distrahent ingenia, & varias abripient in sectas. Quod profectò etiam in veteri lege sancitum est, vt supra retulimus; nempe Deuteronomij 17. *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, & Iudicum intra portas tuas, videris verba variari; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*, ve-

veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco. Vbi quia singulariter & pluraliter loquitur, sciendum est apud eundem Sanctum Thomam; P in loco principali eo electo fuisse Summum Sacerdotem, qui determinaret dubia, circa cæremonias diuini cultus; & Summum Iudicem populi, qui determinaret, quæ pertinent ad iudicia hominum: sicut & nunc per appellationem, vel per consultationem, causæ ab inferioribus Iudicibus, ad superiores deferuntur. Et sic maiores & difficiliores Ecclesiæ Quæstiones referuntur ad Summum Pontificem; vt videre est in Decret. apud D. Thomam *in allegata secunda secundæ*. De quo videatur *opusc. contra errores Græcorum* §. 33. & infra. At Lutherus impius, quod in humanis passim pro quiete Reipublicæ fiunt ab aliquo Superiori decreta, decere pertinax negat fieri in Ecclesia: quam proinde impossibile est vnam inconcussam, firmamque esse. Videtur autem peruicaciæ fauere iudaicæ, ne fidei acquiescant: siquidem quod Christianis licet iuxta Lutheri blasphemiam, ad solam prouocare Scripturam, contempta cathedra omni, & Magisterio, sibi quoque fortius astruent; impudenterque iactabunt se spiritum habere intelligentiæ, & nos errare. Altera ex parte excrescet Lutheri audacia veluti à pari: si enim, inquiet, cum de Iudæis conuertendis agitur, nonnisi per Scripturas agitur; cur & hoc non fuerit inter Christianos sufficiens? Quid Pontificis Romani oraculum opperiri? Subdola est amborum euasio, sed capiuntur effugio. Respondeo itaque Iudæos quidem reliquum esse, vt veteris Scripturæ testimonijs aggrediamur, quando tot alia quæ sanctæ fidei suffragantur rebelles lumini respuunt: nec adest Cathedra, cui se se debere submittere, fiat eis conspicuum. Vnde prout possumus Scripturis eos exagitamus prævalidis: quæ equidem enicarent fortius, si vel tanquam humanam historiam Euangelium auscultarent: quandoquidem *velum Templi scissum est*, & aperta, quia *consummata sunt omnia, quæ scripta sunt*, Lucæ 18. *per Prophetas de filio hominis*; ex quo aiebat Ioan. 5. *scrutamini Scripturas, quæ testimonium perhibent de me*: at id non nisi implorato diuino auxilio; iuxta illud psal. 118. *da mihi intellectum & scrutabor legem tuam*: &, *reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Verum hoc ipso ex capite, quia nullum agnoscunt Magisterium, se cæcos palpantes parietem possent recolere: destitutos videlicet Duce & Capite, quem in arduis consulere, petereque in ambiguis lex ipsa statuit. Iam hinc expugnari queunt; eoquod nunc aduenerit tempus, olim prænunciatum à Iacob Genesis 49. *non auferetur Sceptrum de Iuda & Dux de femore eius*; seu *& Scriba de inter pedes eius*, quo rectà incedat; *donec veniat, qui mittendus est*. Sanè Iudæorum perditio, vel ex eo constat quòd absque sacrificijs, absque templo, absque sacerdotio derelinquuntur: dicit autem Malachias cap. 2. *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*. Has ergo miserrimi Iudaici status tenebras, dum absque vllo pædagogo, huc illuc aberrant, ne studeat Christianis impius Hæresiarcha effundere; nosque acephalon facere; quoniam illi deciderunt à Duce, nos Ducem habemus, qui *via est, veritas & vita*; quique Procuratorem habet, qui vineæ præsit.

18. Et vt peregrinum quid prodam, addo præterea, nec in hac summa cum Iudæis controuersia defuisse Cathedræ oraculum; quod, vt monui, vel tanquam humanam historiam, tenentur & Iudæi aliquali donare fide: siquidem Summus Sacerdos diuinitùs, quod mirandum est, sedens prompsit definitiuam sententiam, nesciens personaliter quid diceret de Christo vero Messia. Nam *collegerunt Principes & Pharisæi Concilium* Ioann. 11. *vnus autem ex ipsis* sic collectis, *Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis; vos nescitis quidquam, nec cogitatis; quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo; & non tota Gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro Gente: & non tantum pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. Sublime Spiritus-Sancti studium, quando vbi collecti erant, vnum illius anni Pontificem, vult controuersiam dirimere, cui proinde sit standum. Quare tunc temporis, hac erant excusatione spoliati, vt non esset cuius sententiam audirent: seque velle solummodo scripturarum allegationibus pugnare. Has quidem proferre fas est in medium; atqui adsit oportet, qui controuersa, & ambigua in eis decernat. Non alio equidem fine; nisi vt vnitas inconcussa permaneat in cunctis credentibus. Qua de causa crediderim, sic à Ioanne factum denarrari, vt pluries memoretur. Ait enim, *vnus ex eis Caiphas nomine*; cum expeditiùs visum esset dicere, *Caiphas anni illius Pontifex*: item subdit; *expedit vt vnus moriatur homo*: cur non dixit *expedit*, vt *hic homo*, vt paulo ante dixerant Pontifices & Pharisæi? Denique claudit, *vt congregaret in vnum*. Discant hæretici ab huiusmodi vno Pontifice (*cum esset Pontifex*: hanc enim expendendam causam monet tacitè Euangelista) oracula manare, infallibilia, quasi pronunciata prophetica: Nec permisisse, vt quidquam cæteri pronunciarent, quanquam consuluissent, *quid facimus?* &c.

Quòd si roges, ante legem quidnam fuerit? Respondere liceat ex legis documentis trahi posse; tunc 19.
etiam controuersias fidei ad Maiores pro tempore delatas fuisse: quia quæ vrgent, præsidentiæ huius, causæ in lege veteri & noua, æque, seruata notitiæ proportione, in lege quoque naturæ vim habebant
eandem: ne scilicet quisque pro suo arbitratu, quid credendum, quidue rectè esset agendum sibi præfigeret, nullo in quo conuenirent attento, ceu veritatis indice, lydio lapide. Itaque cum etiam ante legem scriptam, & ante Sacerdotium Aaron, primogenitus ex iure Q haberet honorem Sacerdotalem, Sacerdotisque fungeretur officio, R vt apud Hieronymum hebræi ipsi tradunt; cum etiam legamus Malachiæ 2. *labia Sacerdotis, custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*: verosimile est, tunc quoque, ad Maiores natu, si quando exorirentur dubia, fuisse recursum. Quod si mutuò primogeniti familiarum dissentirent, ad antiquiorem seniorémue inter eos rem esse delatam; præsertim forte standum fuisse, (iuxta quod ait Apostolus Titi 1. de Episcopo, cuius sanctos mores percenset, *vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*) standum inquam fuisse Sanctioribus, quos communis probasset prætulissetque plausus. Hinc in psalmo, quasi sic à Senibus accepta fuerint olim dogmata, inquit, *super senes intellexi*: & deinde *hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum*. Deuteronomij etiam 32. *interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; Maiores tuos & dicent tibi: quando diuidebat Altissimus Gentes, quando separabat filios Adam*: & Isaiæ 38. *Pater filijs notam faciet veritatem tuam*. Augustinus legit, *super seniores intellexi*; &c. Et quia vt ibidem ait; *solent iunior & senior, ad se inuicem dici minor & maior*; legit illud Deuteronomij Ambrosius in eo loco; *interroga seniores, & dicent tibi*. Et iam in Ecclesiastico c. 8. memoratur isthæc disciplina; *non te prætereat*

P p. 1. 105. a. 1. ad 7 & 2. 2. q. 1. a. 10.

Q Hebr. 2. l. 3. & c. 12. l. 3.
R Genes. 25.

teret at narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Pa-
tribus suis. Præsertim, dixi, vbi morum adesset san-
ctiorum ornatus: quo circumposito fit quod ait ibi-
dem Ambrosius; *cum sit ætas senectutis* (Sapient.
4.) *vita immaculata, doctrina vitæ immaculatæ*
senilem præstet ætatem; eueniteque quod subditur
Sapient. 8. *habebo propter sapientiam hanc, cla-*
ritatem ad turbas, & honorem apud seniores iu-
uenis.

20. Quocirca adhuc recolendum est; S ante legem,
S 1. 2. Abraham, & alios Patres, prophetice fuisse instru-
174.2.6. ctos, de his, quæ pertinent ad fidem Deitatis: excel-
lentius autem Abraham, cuius tempore cœperunt
homines à fide vnius Dei deuiare, ad idololatriam
declinando; ante enim non erat necessaria talis re-
uelatio, omnibus in cultu vnius Dei persistentibus.
T 2. 1. 9. Sobria tamen erat diuinorum notitia; T quæ dein-
1. 7. de per incrementa temporum creuit. Et ita, aio
ipse, non crebrò tot erant requirenda à Maioribus;
vt postea, quando & in lege veteri, & in noua, quæ
Dei sunt erudientius fuit magis populus. Absit er-
go, vt vnquam fuerint fideles sine Capite. *Caput*,
inquit Ambrosius, *vt formam generis humani con-*
sideremus, est quod fouet membra omnia; & diligit
atque implet sensibus; sensus enim Sapientis in ca-
pite eius. Inde ductus venarum, meatusque spiri-
tus, sanguinis vires in totius partes corporis deriuan-
tur, lustrat omnia, ornat omnia. Sublato capite, cor-
pus sine nomine est: non agnoscitur, nec vlla superest
vsura viuendi. Propterea, qui in aliquo damnan-
tur crimine, eo quod ornamentum est totius corporis,
Capite abdicantur. Et quia turpi vel scelesto reatu,
belluinæ obscœnitatis illuuiem, vel bestialis imma-
nitatis horrorem commisisse detecti sunt, tanquam
hi, qui proposito humanæ moderationis exciderint,
formam quoque humanæ conditionis iubentur exue-
re. Reciso enim capite reliqui corporis truncus bestia-
rum corpori comparatur; & sapientiæ arce frauda-
tur, qui sapientiæ non potuit tenere rationem; sepe-
litur igitur sine decore suo corpus. In capite enim vi-
gor vitæ, in capite est gratia venustatis. Perfectio-
nem capitis expendit etiam Angelicus 3. p. q. 8. a. 1.
quia in capite vigent omnes sensus, & interiores &
exteriores; cum in cæteris membris sit solus tactus:
virtutem verò; quia virtus & motus exteriorum mem-
brorum, & gubernatio eorum in suis actibus est à
capite, propter vim sensitiuam & motiuam ibi do-
minantem. Eant ergo gloriosi Schismatici, sine hi-
sce prærogatiuis Romanum Pontificem Caput ad
summum fassi; & Nouatores, qui suæ fidei secta-
rumque separatarum nullum possunt vel confingere
Ducem ac directorem, qui capitis obeat vices visi-
bilis: cum visibile regimen esse oporteat, vbi qui re-
guntur visibilia conuicia constant, vtpote homines
humano more sub disciplina sub norma erudiendi
prius, deinde custodiendi. Iuuat autem repetere ex
V 4. cont. Angelico, V qui ad hæc ait. Si quis autem dicat,
G. c. 76. quod vnum Caput, & vnus Pastor est Christus:
non sufficienter respondet. Manifestum est enim,
quod omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus
perficit: ipse enim est, qui baptizat; ipse est qui pec-
cata remittit, ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit
in ara Crucis, & cuius virtute corpus eius in altari
quotidie consecratur: & tamen quia corporaliter
non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futu-
rus; elegit ministros, per quos prædicta fidelibus di-
spensaret. Eadem igitur ratione, quia præsentiam
corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit vt
alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ
gereret curam. Hactenus Diuus Thomas. Cuius
quidem doctrinæ veluti praxin allegoricè nobis obij-
cit præsens parabola; siquidem Pater-familias, quan-
quam exierit ipse ad conducendum operarios in vi-
neam suam, suum habet Procuratorem: *dixit vi-*
neæ Procuratori suo.

Rogabis primò, quis queat apposite intelligi hic 21.
Procurator? Respondeo, Patres vario sensu locu-
tos. Chrysostomus super Matthæum accepit pro
Spiritu-Sancto, cui filius dicat; *voca operarios*, &c.
Glossa; *vel si volueris; dicit Pater Filio: qui scili-*
cet Pater operatur per filium; &c. Origenes; *vel di-*
cit Dominus Procuratori suo, idest alicui Angelo-
rum, qui super mercedes retribuendas est positus.
Remigius; *vel Dominus Iesus Christus ipse est Pa-*
ter-familias, & vineæ Procurator; sicut ipse est O-
stium & Ostiarius. Verum cohærentius præmissis,
sit Christus Pater-familias, sit eius Procurator vi-
neæ Summus Pontifex; qui Christi Domini nomi-
ne reddit mercedem quam diximus gratiæ charitatis-
que promeritum augmentum; per fidei scilicet Sa-
cramenta; quæ in persona Christi, ceu primus in
terris minister opportunè dispensat. Sicut Aposto-
lus 2. Corinth. 2. inquit; *nam & ego, quod donaui*
(si quid donaui) propter vos in persona Christi: X X 2. Cor.
quia non debet fieri auctoritate propria, sed Chri- 2. 1. 2.
sti, qui remittit peccata auctoritate; alij verò qui-
bus commissum est, ministerio, & sicut membra
Christi. Vide autem lector, quomodo subtilis Euan-
gelistæ narratio ministerium videtur sacerdotale in-
nuere: dum, non tam reddidisse Procuratorem,
quam accepisse operarios dicit semel & iterum, *ac-*
ceperunt singulos denarios: cur planius dictum non
est; *dedit eis singulos denarios*? iuxta quod Pater-
familias commiserat; *redde illis mercedem suam*.
Ratio esse potest, quia minister non in persona pro-
pria dat: & possemus hanc doctrinam hinc elicere
quòd abstinet Euangelista signanter, nec dicit dedit
aut reddidit, sed *acceperunt*: bene verò postea Pater-
familias iure vocem illam vsurpat; *volo autem &*
huic nouissimo dare, sicut & tibi. Adde; deprehen-
di ministrum per Sacramenta, quæ quantam gratiam
dent venientibus ad ea, Minister ignorat. Vnde nu-
nimè dicitur illi à Patre-familias, redde nouissimis
denarium, sed *redde mercedem*: nec requirit Procu-
rator quantam; quia ministri non est id scire, aut
interrogare. Et ecce consensum literæ; quia non
murmurant aduersùm Procuratorem, sed aduersùm
Patrem-familias; exprimentes nescij, partem non
habere Procuratorem seu Ministrum, quamuis pri-
marium. Quod tamen certè in humanis apud No-
strates accideret, vt queruli de Procuratore dolerent;
præsertim, si aliqualiter prænouissent, non fieri Pa-
tris-familias mandato: sicut in parabola reuera, non
ei committitur, vt hanc murmuris occasionem det.
Sed felix culpa, ex qua factum est, vt donorum gra-
tiæ, liberalissimus intelligatur Deus largitor; vtpo-
te, qui dat nobis *velle & perficere*; quique vt supra
dictum est, *vult esse nostra merita, quæ tamen sunt*
ipsius dona.

Huc facit quod ait Pater-familias Procuratori; *vo-* 22.
ca operarios: quamuis enim possit exponi morali mo-
nito; *non morabitur opus mercenarij tui apud te*
vsque mane, Leuitici 19. quia mercenarij, qui lo-
cant operas suas, pauperes A sunt, de laboribus suis A p. 2.
victum quærentes quotidianum; & quia qui debet 105. 2. 6.
pecuniam creditori B debet eum requirere, cum B 2. 1.
tempus fuerit, vt ei debitum reddat: Nihilominus 11. 2. 4.
allegoriam sequendo; vocantur Domum, quæ in ty-
pum sit sacræ Ædis, vbi nimirum ex instituto mer-
ces redditur de spiritali Sacramentum ærario: cu-
ius claues vni Procuratori Pater-familias commisit.
Dum autem ait, *voca operarios, & redde illis mer-*
cedem, non tàm singulariter id ipse exequitur Pro-
curator, quàm per alios inferiores ministros. Nam
sicut ait Dionysius cap. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ:
Is qui secundum nos summus est Sacerdos, per suos
mini-

ministros aut Sacerdotes purgans aut illuminans, ipse dicitur purgare aut illuminare, alijs in ipsum reponentibus proprias sacras actiones. Sanè legimus 2. Paralipomenon cap. 30. quòd *Ezechias Rex misit nuncios ad omnem Israel & Iudam; & scripsit Epistolas ad Ephraim & Manassen; vt venirent in domum Domini in Ierusalem.* Sic Ioelis 2. *vocate cœtum, congregate Populum.* Huic certè vocationi præ alijs obtemperare dici queunt proficientes, quales dixi hos operarios in gratiæ & charitatis augmentum; nam proficere moueri est & procedere, & quò vocamur venire; *venientes autem & primi*: & priùs; *cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam.* Dum etiam ait *voca operarios*, Ecclesiam innuit: *est autem Ecclesia*, vt eruditè animaduertit Canus lib. 4. de locis c. 2. *& locus ipse: quo multitudo confluit, & ipsa propriè multitudo. Congregari pecora solent: vnde & greges dicimus, non hominum propriè, sed pecudum aut bestiarum: at conuocari nisi homines non solent.* Vocat autem primitùs Summus Pontifex, successor verè illius, qui os præ cæteris aperit, quippe Act. 15. dixit; *vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.*

23. Rogabis secundò: cur *circa horam tertiam*, & sic *circa sextam & nonam*, itemque *circa vndecimam*, parabola nullum certum tempus describit? Dic ita indefinitè induci tempus; quoniam de Christi Ecclesiæ duratione allegoricus sermo est: quamuis autem certum sit permansuram, vsque ad sæculi finem; quando *verò erit factum*; attamen quantum temporis percurrendum sit, vult nos ignorare; nec posse à nobis prænunciari, nunc fixè, tertia, sexta, nona aut vndecima sæculi, & generationis fidelium hora est; quia vt dixit ijs qui conuenerant Act. 1. *non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit* (en hic Pater-familias) *in sua potestate.* Fortassè ergo sumus adhuc circa horam tertiam. Hinc
C opusc. 19. c. 14. Angelicus; C non potest quantumlibet spatium determinari, paruum vel magnum tempus, quo finis Mundi expectetur. Et ibi fert Augustinum dicentem lib. 83. q. q. 60. *ætas igitur vltima generis humani, quæ incipit à Domini aduentu vsque ad finem sæculi, quibus generationibus computetur, incertum est.* Et in Epistola ad Hesitium: *dixisti; Euangelium dicit, de die illa & hora nemo scit. Ego autem pro possibilitate intellectus mei, dico neque mensem neque annum aduentus ipsius, scire posse.* Et proponens tres aduentum Domini expectantes; quorum vnus citius, alter tardiùs, tertius suam ignorantiam confitetur: hunc magis commendat; primum verò magis increpat. Si hæc, & quod diximus vim facientes in eo aduerbio *circa*, considerassent, non ausi fuissent diuinare, vt commemorat 18. de Ciuitate Dei cap. 53. illudenda sanè prædictione, annos sæculi ab Ascensione Domini, vel quadringentos, vel quingentos, vel etiam mille. Et sic de Paganis, qui cap. sequenti, vana assertione Christianæ Religioni spatium trecentorum sexaginta quinque annorum temerè præfixerunt. Quomodo autem exponenda sint Scripturarum loca, in quibus videtur asseuerari vltimum iam esse tempus & horam; vide, quæ diximus in Genesin cap. 40. v. 1. Quibus omnibus adde; *nouissimam esse horam*, vt ait Ioan. in sua 1. cap. 2. nosque esse, *in quos, fines sæculorum deuenerunt* vt 1. ad Corinthios 10. quia nihil obest, quin possit esse talis; quando ante Christi Domini aduentum, nouissima hora, vel tempus esse nequibant; cùm priùs ex Scripturis fieri ineffabile Incarnationis mysterium, necesse foret. Cum quod expectemus inter iacens nihil est, nouissima imminere potest hora; quæ donec promissa compleantur præuia, minimè timeri potest nouissima.

Rogabis tertiò. Pater-familias, qui conducit ope- 24.
rarios in vineam suam, quinario tempore conducit; nempe, primo mane, circa horam tertiam, circa horam sextam, circa horam nonam, & circa vndecimam: cur Euangelista duas horas nectit in vnum dicens; *iterum autem exijt circa sextam & nonam horam*: si enim compendio gaudebat vti, poterat paucioribus enarrare, dicendo vel iungendo etiam de hora vndecima. Posset quis fortè occurrere: idcirco de vndecima speciatim, quia hi nouissimè excusationem sui otij prætexunt; *quia* inquiunt; *nemo nos conduxit*; quod alij non fecere. Verum excusatio isthæc non incongruè alios etiam tenuit, quamuis expressum non sit: sicuti de ijs *qui circa horam tertiam* legimus, *illi autem abierunt*: quod certè de alijs quoque intelligitur. Propterea tamen haud negauerim posse finali tempore facilius verificari; *quia nemo nos conduxit*; quod vt deploremus, precibusque enixè si fieri potest præpediamus, scriptum nunc est. Ne scilicet sub tempus illud calamitatibus tot insigne, humano correpti pauore, refrigescenteque zeli ardore, ij quorum interest, subministros adsciscere, extimulare ac vrgere, vt vineæ opitulentur semirelictæ, Dei causam negligant: Quod est operarios nec quærere nec operarios conducere. Verùm ad quaternarium redeundo numerum sub quo exijsse dicitur quater Pater-familias, constat soliditatem insinuari; nam quaternarius, primus solidi naturam ostendit. Nam in vnitate censetur punctum, quod vocant geometræ; in binario linea; si accedat longitudini latitudo, fit superficies ad ternarium pertinens; hæcque quo minus sit corpus natura solidum, vna destituitur altitudine, qua iuncta ad ternarium, fit quaternarius. Planè Apocalyps. 21. *Ciuitas* illa Cœlestis, seu triumphans Ecclesia *in quadro posita est.* Fertur Gregorius homil. 9. secundæ partis super Ezechielem. *lapis quadrus est, & quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet perturbatione non habet.* Nemo non videt, quantùm quadret syntaxi, hoc subtiliter tangi; vt vbi quater exire describitur Pater-familias, manum suam per operarios, quos conducit, daturus vineæ, hoc est Ecclesiæ; minimè pertimescamus de casu de exturpatione aut incendio: Quod est alia metaphora; *portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam*; supra 16.

Rogabis quartò. Quare cùm murmurarent plu- 25.
res aduersùs Patrem-familias, *vni eorum* duntaxat *dixit; amice* &c. Respondeo notam facere altiorem de diuinæ gratiæ donis resolutionem; appositè idcirco amicum vocat: Ioannis 15. *iam non dicam vos seruos; quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunque audiui à Patre meo. nota feci vobis.* Insinuat ergo, vnum diuino magisterio edoceri: qui deinde alios informet: & sic ab vno dogmata fidei deriuanda; *ne plures*, quod monet Apostolus Iacobus cap. 3. *Magistri fiant.* Ab vno ergo discamus; quia ipse à Patre-familias accepit. Non sint in nobis schismata. A Damasceno quippe, & à Dionysio nuncupatur Petrus *summa & antiquissima prouectissima Theologorum summitas.* Et soli Petro dicitur, *duc in altum; hoc est, in profundum disputationum.*

VERS. XVII. *Et ascendens Iesus Ierosolymam*; &c.

Passionis mortisque suæ iam prope imminere di- 26.
spensationis tempus, aperit, *secretò* vt vidimus. Connexio pie scrutantibus non sit ignota. Si enim de Ecclesia sub vineæ parabola præmissum est; non poterat non tangi de pretio, quo *eam acquisiuit*; nempè *sanguine suo*, vt Act. 20. legimus. Denarij etiam redditio, quouis modo explicetur, siue de gloria siue de gratia, exigebat memorari passionem Saluatoris;

ris; quia *gratia & veritas per Iesum Christum* Ioan. 1. *facta est: per quem*, subdat Petrus in 2. cap. 1. *maxima & pretiosa nobis promissa donauit; vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*. Docet
D 3.p.46. 3.& q.48. quippe Angelicus, D Christum nobis promeruisse & gratiam iustificantem, & gloriam beatitudinis. *De plenitudine* etenim *eius* Ioan. 1. *omnes accepimus*. Mirum autem videbitur iterum de vocula illa *secretò*, quam solus Matthæus adiecit; non ita Marcus cap. 10. & Lucas c. 18. Item quòd hac occasione tangitur de Gentibus; *tradent eum Gentibus*. Hoc enim non apposuit Dominus supra cap. 16. & 17. sed supersedit vsque huc: Ad horum intelligentiam sciendum est, exquiri ab Angelico;
E 3. p. 47. 4. E *Vtrum fuerit conueniens, Christum pati à Gentilibus?* Respondet autem affirmans; quia in ipso modo passionis Christi præfiguratus est effectus ipsius: primò enim passio Christi effectum salutis habuit in Iudæis, quorum plurimi, in morte Christi baptizati sunt, vt patet Act. 2. & 3. secundò vero, Iudæis prædicantibus, effectus passionis Christi transiuit ad Gentes. Et ideo conueniens fuit, vt Christus à Iudæis pati inciperet;& postea Iudæis tradentibus, per manus Gentilium eius passio finiretur. Hunc ordinem vberius exequitur Matthæus sicut & Marcus: Lucas innuit solum de Iudæis dicens; *tradetur enim Gentibus*, &c. subintellige à Iudæis. Matthæi 27. *sciebat enim*, (Pilatus) *quod per inuidiam tradidissent eum*; & Ioan. 18. *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi*. Maior autem fuit charitas Christi patientis,
F 3.p 48. a.1. quàm malitia crucifigentium. F Et ideo plus potuit Christus satisfacere sua passione, quàm crucifixores offendere occidendo. Dic ergo signanter nunc de Gentibus prænunciari *ad illudendum & flagellandum*, &c. quia salus hinc illis erat immo potenti clementiæ brachio iam donanda. Quod est, eos etiam, vel inter vineæ, hoc est Ecclesiæ vites, seu suimet qui vitis est, (*ego sum vitis vera, vos palmites* Ioan. 15.) palmites enumerandos, atque ad operandum in vinea fuisse conducendos; vel vt actiua vita in vinea laborarent, vel iuxta quod ex Gregorio diximus, in quantum *quisquis cum fide recta bonæ prædicator actionis extitit, huius vineæ operarius fuit*

27. Et videtur inde exponi, quod in parabola dictum est, inuenisse scilicet *alios*, & *alios*; poterat enim dicere *quosdam*, & *quosdam*: constabat enim satis, non esse eosdem quos tertia prius, deinde sexta nona vndecimaque hora conduxit; sed voluit, *alios*, & *alios* nuncupare, vt de Gentium collectione ad vineam Ecclesiæ intelligeretur. *Alius* quippe, nihil prohibet, præsertim hebraicè pro alieno accipi. Nam vocem ipsi non habent, quæ alium significet; benè verò quæ alienum significet, duplex est, *zar* & *nochri*: hoc, vt ferunt discrimine, vt *zar* significet eum, qui est de alia tribu, sed de eadem Gente; *nochri* verò sit alienum significet, vt non sit de Gente Iudæorum: quem nos dicimus congruè alienigenam. Pro alienigena autem intelligi gentilem, vel ex eo patet, quod Petrus Act. 10. accedens ad Cornelium dixit; *vos scitis quomodo abominatum sit vero Iudæo, coniungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum*. Alienigenæ ergo, siue græcè Allophyli, vt legit Augustinus psalm. 59. *mihi alienigenæ, subditi sunt*, sunt alij & alij quos conducit Pater-familias, nam *allos* græcè, latinè *alius*. Qui quanquam alienigenæ sint, coadunantur in vinea. Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio*. Hinc Augustinus in psal. 67. *venient legati ex Ægypto; Æthiopia*; &c. *Non ergo de solis Israelitis, vnde Apostoli electi sunt, sed etiam de cæteris Gentibus futuros prædicatores Christianæ pacis, hoc modo mysticè prophetatum est*. Roman. 10. *non enim est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium*. Ad Galat. 3. *omnes enim filij Dei estis* per fidem; &c. *non est Iudæus neque Græcus*. Et Coloss. 3. *vbi non est Gentilis & Iudæus; circumcisio & præputium*: &c. Et Petrus Act. 15. *nihil discreuit inter nos & illos*. Hinc nota mirabile. Marcus inquit, *interficient eum*; Lucas *occident eum*. Reliquerunt Matthæo, vt exprimeret qua morte; vnde inquit *ad crucifigendum*. Quæritur an Christus pati debuerit in Cruce? G Respondet conuenientissimum fuisse: præsertim ex Gregorio Nysseno, quia G 3. p. 46. 4.
hoc competit vniuersali saluationi totius Mundi; in quantum figura Crucis à medio tractu in quatuor extrema partita, significat virtutem & prouidentiam eius qui in ea pependit vbique diffusam. Tu recole quod dixi, de quadernario egressu ad conducendos operarios in vineam suam. Sed addo, exinde ex Chrysostomo; *In Cruce expansis manibus moritur, vt altera manu veterem populum, altera eos, qui ex Gentibus sunt trahat*. Isti ergo sunt alij, & alij quos conducit.

VERS. XX. *Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi*; &c.

Sanè si Ecclesiastes 8. *omni negocio tempus est & opportunitas*, videtur importunior esse non potuisse mulier hæc: vt *tunc*, quod expendit Euangelista, postulet corregnum. Patitur Dominus hunc fieri transitum, neque Matthæus arguit Matrem ceu importunam; quia opportunè vel nescia *tunc* immo suam adnectit petitionem: moriturus iam prope est Dominus; ergo & regnaturus. Audi Angelicum; H Regnum Christi consummatum est præcipuè in eius passione. Meruit quippe per suam passionem I exaltari. Meruit autem præ alijs iudiciariam L potestatem, vt scilicet secundum Dei iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia iniustè iudicatus est. Hæc autem iudiciaria potestas regia est; ideo cohærenter de throno. Apoc. 3. *ego vici, & sedi in throno Patris mei*; psal. 9. *sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam*. Et Augustinus, *sedebit Iudex qui stetit sub Iudice*. Quàm ergo opportuno tempore petit! Ideo venturus est in forma gloriosa; *cum potestate magna & Maiestate*. Et sic implebitur illud Iob. 36. *causa tua quasi impij iudicata est; causam iudiciumque recipies*: vt & in opusculo M notat. Vbi & considerat præhumiliationem sub iniusto Iudice, nempe sub Pilato signanter exprimi in Symbolo; & adnectit de apparitione ad iudicium, promeritum ex passione, Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt*, *Rex*, aliàs, *qui sedet in solio iudicij* (Prouerb. 20.) *dissipat omne malum intuitu suo*: & Sap. 11. *hos quidem tanquam Pater monens probasti; illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti*. Benè ergo tunc cum de imminente passione & morte dictum fuerat, fortè adhuc sermonis huius inscia quia *secretò* dixerat, exponit ad nostram doctrinam; *dic vt sedeant hi duo filij mei; vnus ad dexteram tuam & vnus ad sinistram in Regno tuo*. Non dicit & *alius* ad sinistram, sicut supra, conduxit *alios & alios*, causa quam diximus. Conscius autem, & desuper illustratus Sanctus Latro; *tunc* & ipse, cum vidit eum pendere de Cruce dixit, *memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*.

Et ecce lector mirabilius, cur Matthæo hac in circunstantia temporis, fuerit in corde, vt diceret *ad crucifigendum*; nempe ad commendationem Regni. 29.
Regnat enim Christus, sed per crucem, & à Cruce. Sic psal. 95. *dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit, à ligno*, vt antiquitus sine dubio legebatur. Quanquam Catholica Religio, minimè velit, quod fortè malitia Iudæorum abrasum est, restituere; ne videa-

Marginal notes (right column): 28. (beside "Sanè si Ecclesiastes 8."); H 3. p. 55.7. 1. & luc.; I 3.p.49. 6.; L 3. p. 59. 5.; M opusc. 2. c.241.

videatur dictamini Sancti-Spiritus, manum calamumque admouere suum. Audiamus veruntamen Augustinum, qui in eum psalmum sic habet. *Quo nondum porrectum est Romanum Imperium, iam Christus possidet. Quod adhuc clausum est eis, qui ferro pugnant, non est clausum illi qui ligno pugnat: Christus de Cruce sua vicit Reges, & subiugatis eis, ipsam Crucem in fronte fixit, & gloriantur de illa. Et post multa; dicite in nationibus, Dominus regnauit a Ligno:* sequitur; *an forte hi obtinebunt, & dicent, se regnare a ligno; quia fustibus Circumcellionum regnant? De Cruce Christi regna; si à ligno regnaturus es: nam lignum hoc suum, ligneum te facit; lignum Christi per mare te traijcit.* Circumcelliones dicti sunt Monachi circum cellas vagantes. Arguit autem Augustinus Donatistas, qui Christi Regnum ad aliquot regiones Africæ arctabant. Ad rem igitur nostram; postquam dictum est, *ad crucifigendum*; opportune de Christi regno introducitur.
N Ioan. 19. l. 1. Hinc Angelicus ibi, N *baiulans sibi crucem*: portat Christus Crucem, vt Rex sceptrum: in signum gloriæ, quæ est vniuersale rerum dominium; *& factus est principatus* Isaiæ 9. *super humerum eius*; psal. 95. *dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit a ligno:* Sanè & in hymno quotannis; *impleta sunt, quæ concinit David fideli carmine, dicens in nationibus; Regnauit a ligno Deus.* Canus etiam noster de locis lib. 2. c. 13. *circa medium*, notat, quomodo Iustinus Martyr Triphonem Iudæum disputans euicerit, à Iudæis multa Prophetarum loca fuisse detruncata: & hoc inter cætera testatur detractum, contenditque ly *a ligno* extitisse in psal. 95. Cum de facto regnet per Crucem, cur non fuisset hoc etiam prophetatum? à David præsertim, qui vt censiderat Angelicus 2. 2. q. 174. a. 4. ad 1. plenius cognouit & expressit mysteria incarnationis Christi. Dic tu, patere hoc scrutantibus psalmos.

30. Veruntamen alto adhuc mysterio de vinea est ad Regnum transitio. Et quidem in primis roboratur fortius quod diximus de vnius præsidentia Ecclesiæ
O 4. com. G. c. 76. toti. Quocirca Angelicus; O nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ Regimen sit optimè ordinatum, vtpote per eum dispositum, per quem *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt:* optimum autem Regimen multitudinis est, vt regatur per vnum, quod patet ex fine Regiminis, qui est pax: pax enim & vnitas subditorum est finis regentis: vnitatis autem congruentior causa est vnus quam multi: manifestum est igitur Regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, vt vnus toti Ecclesiæ præsit. Deinde transfertur Euangelicus textus ad Regni mentionem, quia vineæ similitudo non satis erat, quæ Ecclesiæ firmitatem probaret: quandoquidem fragile vitis est lignum: Ezechielis 15. *quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus?* Idcirco sub hac metaphora non in perpetuum stare videretur Ecclesia. De Synagogæ vinea exponitur ab Augustino illud psal. 79. *vineam de Ægypto transtulisti:* & postea, *vt quid destruxisti maceriam eius?* seu munitionem: *& vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?* Venerunt Gentes, destructa maceria, inuasa est vinea, & deletum Regnum Iudæorum: *& exterminauit eam aper de sylua*, quanquam, subdit, *perfice vineam istam, quam plantauit dextera tua: & super filium hominis, quem confirmasti tibi:* Quòd, vt animaduertit ibi, diuersa non sit vinea, sed eadem, quæ fuerat perficienda; quia, *salus ex Iudæis*, Ioan. 4. inde Christus; inde primi credentes, & pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponentes. Act. 2. & 4. Hæc Augustinus. De Ecclesia autem sub Regni similitudine passim auctoritates emicant, quibus inconcussa, firma, stabilis, ac perpetua denunciatur. Isaiæ 9. *super solium David, & super Regnum eius sedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum.* Danielis 2. *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur; & Regnum eius alteri populo non tradetur: & ipsum stabit in æternum:* psal. 88. *& thronum eius sicut dies Cœli: & thronus eius sicut Sol in conspectu meo; &c.* Denique ex ore Archangeli Lucæ 1. *& regnabit in Domo Iacob in æternum; & Regni eius non erit finis:* prout & in Symbolo canitur; *cuius Regni non erit finis.* Ex aduerso considerat Augustinus in psal. 88. *Regnum Iudæorum quæris? non est: altare Iudæorum quæris? non est: sacrificium Iudæorum quæris? non est: Sacerdotium Iudæorum quæris? non est.* De Regno autem Christi, iterum in psal. 144. *Regnum tuum Regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Vbi idem Augustinus; *hæc repetitio vel omnem generationem significat, vel generationem illam, quæ erit post hanc generationem.*

Posthac, opportunè quod supra tactum est de vocula illa *secreto*, edisseri oportet. Et quidem hactenus dicta de Christi Regno sternunt intelligentiæ viam. Nam regnaturus erat, non solum in populo Iudæorum, ad literam etiam, iuxta suæ titulum crucis; nam hoc parum est, vt dicit Isaias cap. 49. *parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas;* sed & super Gentes; vnde in psal. 2. *postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam:* psal. 17. *eripies me de contradictionibus populi, constitues me in Caput Gentium:* & psal. 46. *Regnabit Deus super Gentes.* Et Isaias cap. 55. *ecce testem populis dedi eum, Ducem ac præceptorem Gentibus.* Quæ cuncta communiter intelliguntur de Christo prænunciata: quem Ephes. 1. *dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius.* Hac de re; scilicet, *Gentes esse cohæredes, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium:* (quæ verba sunt Apostoli ad Ephesios 3.) præmittit idem Apostolus; *quod alijs generationibus non est agnitum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis & Prophetis eius in spiritu.* Nam vt ait Gregorius hom. 16. in Ezechielem; *per successionem temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum.* Et licet, Prophetis P Deum olim in generali P p. 17. a. 3.
reuelauerit, quæ facturus erat circa salutem humani generis: quædam tamen specialia Apostoli circa hoc cognouerunt, quæ Prophetæ non cognouerant. Et glossa; *i. a plene* Q *sicut nunc*. Declarat autem ali- Q opusc. 6. a. 1.
bi, quomodo: quia scilicet Apostoli acceperunt reuelationem immediatè à Domino; Prophetæ autem, vel per Angelos, vel per similitudines. R Item quia R Ephes. 3. lect. 1.
Apostoli, *reuelata facie gloriam Domini speculati sunt;* (2. Cor. 3.) Prophetæ vero in ænigmatibus futura præuiderunt mysteria. Tertio, quia Apostoli constituti sunt executores & dispensatores huius Sacramenti: supple, quod non fuit iniunctum, cum plenitudo temporis nondum venisset, Patriarchis aut Prophetis. Pergit Angelicus enucleare, *Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium.* Veruntamen quoniam, *Gentes super misericordia honorare Deum*, vt dicitur Romanorum 15. satis agnitum erat ex Scripturis, quas ibi fert Apostolus; *propterea confitebor tibi in Gentibus Domine; & nomini tuo cantabo: lætamini Gentes cum plebe eius: laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi: & rursus Isaias ait; erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt;* non acquiescit animus adhuc, vt pro sola counione Gentium cum populo Iudæorum, prompserit ad Ephe-

Ephesios 3. *non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, esse Gentes cohæredes & concorporales, & cōparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium*. Sanctus Doctor ibidem affirmat, quantum ad singulares & determinatas circunstantias, fuisse Apostolos priuilegiatos: cæterum non descendit quæ fuerint. Quare cum, *non esse agnitum olim*, dicat Apostolus, pro secreto aliquo arcano littera stat. Quod quale fuerit dignetur Dominus nobis aperire; nam Diuus Petrus in sua secunda cap. 13. ait; *sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu*.

32. Recolendum ergo, non solum esse concorporales

Iudæis Gentes, sed quo modo quaque occasione fuerint concorporatæ. De hoc autem ait ad Romanos 11. *Quod si aliqui ex ramis*, (de Iudæis loquitur) *fracti sunt: tu autem* (de gentili subdit) *insertus es in illis*: & postea; *dico ergo, fracti sunt rami, vt & ego inserar*. Et prius; *sed illorum* (Iudæorum) *delicto, salus est Gentibus*. Exponit autem Angelicus;
S Rom. 11. l. 3. s *insertus es in illis*; idest loco ipsorum; Iob. 34. *conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*. Sic enim in locum Angelorum cadentium
T p. p. q. 23. a. 6. ad 1. Apoc. 3. Com. 1. substituti sunt homines; T & in locum Iudæorum Gentiles: non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat: Quod ex glossa. Et sic,
V Rom. 11. l. 2. absit, vt inutiliter caderent; V sed magis *illorum delicto*, scilicet Iudæorum, *salus Gentibus* facta est occasionaliter. Hoc autem eget adhuc vberiori expositione ex illo Apocalyps. 3. *tene quod tuum est, ne alius accipiat coronam tuam*. Quocirca Augustinus *lib. de correct. & gratia* cap. 13. tom. 7. *alius non est accepturus, nisi iste perdiderit*: in quantum ait An-
X p. p. cit. gelicus, x alius loco eius subrogatur. Non abnuere videtur psalmus 11. vbi præmittit; *in circuitu impij ambulant*: & illico quasi occasione alios subrogari; *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*. Itaque, non quod Deus suæ voluntatis causam possit habere extraneam, cum quæcunque Dei sunt, incausata, immo incausabilia sint; sed
A p. p. q. 19. a. 5. quia *vult esse hoc, propter hoc*, A *etsi non propter hoc, velit hoc; quia vult ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem; quanquam velle finem, non sit ei causa volendi ea quæ sunt ad finem*. Sic de Apostolatu Iudæ de quo in psal. 108. *& Episcopatum eius accipiat alter*, orantes dixerunt Apostoli Act. 1. *ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas*. Sicut etiam Rom. 9. *quod si Deus, &c. sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*,
B Rom. 9. l. 4. *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*. Sententia, siue constructio B defectiua & suspensiua. Altitudinem videtur mihi pandere mysterij: vt aliquot vasa misericordiæ substituta sint. Redeundo verò ad Iudæos, exclamat; *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ
C Rom. 11. l. 5. eius: quia homo C non potest comprehendere rationem diuinorum iudiciorum; *& inuestigabiles* idest non perfectè ab homine vestigabiles, *viæ eius*; idest processus eius, quibus in creaturis operatur. Præcesserat autem vt vidimus, sermo de subrogatione Gentium ad Iudæos fractos. Arcanum ergo fuit Dei iudicium, quoad *quid est*; sed neque quoad *an est*, fuit *alijs generationibus agnitum filijs hominum*; (Ephes. 3. vt dictum est) *Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium*; supple *ordine & modo*, quo hæc facta sunt. Quamuis enim hæc de subrogatione nonnihil olfacti fuerint alijs generationibus; puta ex illo Deuteronomij 28. *ille erit in caput, & tu eris in caudam*: & c. 32. *ego prouocabo eos, in eo qui non est populus*. Item ex illo Iob 34. *conteret multos, & innumerabiles; & stare faciet alios pro eis*. Item fractionem Iudæorum *ob incredulitatem*, ex illo Isaiæ 8. *in lapidem offensionis & in Petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem: & offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur & capientur*. Nihilominus perspectam agnitionem, immo exinde mox (ecce circunstantias temporis) tanquam ex occasione, subrogandos inserendosque gentiles, non habuere; *sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis* &c. sicut dixerunt palam & *constanter Paulus & Barnabas* in Actis c. 13. *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus; posui te in lucem Gentium* (Isaiæ 49.) *vt sis in salutem vsque ad extremum terræ*. Vbi considero illud; *sic enim præcepit nobis Dominus*; trahorque in opinionem, vt Dominus ipse exposuerit adhuc in humanis vel post resurrectionem degens, Isaiæ locum: qui capax est, non solum conuersionis Gentium simpliciter, sed quatenus subrogata fuerunt, in locum fractorum ex ramis, radici bonæ oliuæ, idest consociata Patriarchis & Prophetis, vt exponitur; D iuxta illud
Matthæi 8. *multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham*. Quare sicut aliàs oracula Prophetarum encomians Augustinus 18. de Ciuit. Dei c. 28. inquit, *prophetica altitudine prænunciari oportebat*: ita fas sit credere sublimi quoque de causa apposuisse Matthæum aduerbium illud *secretò*; vt vel ab apice deprehendi posset, arcanum quid concerni, in eo quod tradendus erat postquam Iudæis, *Gentibus*, prout vidimus: præsagio quodam ordinis conuersionis Gentium in locum Iudæorum; qui immo in Ierusalem, & de Ierusalem, vbi Gentes cum crucifigerent, erant propter incredulitatem frangendi. Posset etiam dici, non fuisse hoc *agnitum filijs hominum*, neque Prophetis in vniuersum, quanquam alicui illorum hoc arcanum de Iudæorum lapsu, quem gentes illico cœperint compensare, fortè innotuit; puta Isaiæ. At si de Apostolis fiat sermo, non vni aut alteri, sed omnibus reuelatum est. Quod tamen in futurum, vel post resurrectionem, vel post aduentum Spiritus-Sancti in die Pentecostes impletum sit; implendumque sonet sacer hic textus: & sic Iudas, conscius horum, etsi nunc audierit secretò Dominum, minimè fuerit.

D Rom. 11. l. 3.

VERS. XXI. *Dic vt sedeant hi duo filij mei*; &c.

Christi Domini Regnum nedum in triumphante Ecclesia, sed in ipsamet militante sua iura exercet; 33.
iuxta quod ipse ait infra cap. vltimo, *data est mihi potestas in Cœlo & in terra*. Vtrobique autem non dedignatur admittere conregnantes; in primis generali quadam ratione; secundum illud infra cap. 25. *possidete paratum vobis Regnum*: vbi inquit Angelicus E non solum erunt omnes liberi, sed erunt Reges; Apoc. 5. *fecisti nos Deo nostro Regnum*: cuius ratio est: quia omnes erunt eiusdem voluntatis cum Deo; & Deus volet, quicquid Sancti volent; & Sancti quicquid Deus voluerit; vnde cum voluntate Dei fiet voluntas eorum; & ideo omnes regnabunt; quia omnium voluntas fiet, & Deus erit corona omnium: Isaiæ 28. *in illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*. Huc facit Ephes. 2. *conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*. Adhuc autem & speciali ratione; titulo quidem iudiciariæ potestatis, vt diximus c. 19. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim*. Deinde conregnantes facit ad rem nostram, ob partam de tyrannis victoriam effuso san-

E opusc. 7. §. aduen. niat Regnum tuum.

sanguine: iuxta illud Apoc. 3. *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius*. Quod quamuis item exponi soleat de iudiciaria potestate regali; nihilominus ei competere dicitur, F quia iniustè iudicatus est. Vnde Augustinus de verbis Domini; *sedebit Iudex, qui stetit sub iudice, damnabitque reos, qui falsò reus est factus*: & merito passionis. Propter victoriam ergo & Sancti Martyres participatione quadam, conuenienti suorum meritorum gradu honoris & dignitatis specialius decorabuntur. Et ita ly *ad*, quod est præpositio transitiua, de creaturis loquendo, hunc accessum dignitatisque gradum importat; (*sedere autem ad dexteram meam vel sinistram*) vt habetur G ab Angelico. Quia ergo non promiscuè cum cæteris, Matthæi 25. *statuet oues à dextris*, ad dexteram aliqui specialius sublimandi erant ad Christi consessum; qua via regiam hanc dignitatem obtinere possint, aperit dicendo, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ipse quippe Dominus, prout diximus etiam supra, Regnum peculiari promeruit merito, nimirum passionis. Sed quod mireris est, praxi ostensum fuisse. Spineam posuerunt, in passione, super caput eius coronam, induerunt purpura, arundinem sceptri loco in manu eius: & tunc vt ait Marcus c. 15. *cœperunt salutare eum, Aue Rex Iudæorum*. Quanquam enim, vt ait Athanas. *per contumeliam ista faciebant, tamen ignorabant, quod etiam, nolentes spoliabantur ab eo*. Hinc Ecclesia; *Summum Regem gloriæ spinis coronatum, videt plebs perfidiæ, morti condemnatum*: fertque illud Cant. 6. *egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum Mater sua*. Et quia regnat nedum in Cœlo, sed & in terra, ideo & in via ad Caluarium, vbi titulus erat figendus *Rex Iudæorum*, fert Crucem, secundum Isaiæ vaticinium; cap. 9. *& factus est principatus super humerum eius*, idest H crux. Igitur, qui vestigia sequuntur Apostolica 1. Corinth. 11. *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, etiam I in tolerantia passionis: vnde Petrus in 1. cap. 2. *Christus*, inquit, *passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, possunt ad consessum Domini; *dic vt sedeant*, &c. peruenire: non quidem cognationis intuitu: nam vt supra diximus, *aliqui ex ramis* Iudæorum, (*ex quibus* Roman. 9. *est Christus secundum carnem*) *fratres sunt*; sed merito passionis & mortis, præuio diuinæ prædestinationis beneplacito, & sic, ceu *quibus paratum est à Patre meo*: non secus ac infra cap. 25. *possidete paratum*, (de quo aliàs dixit; *& ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*) *vobis Regnum à constitutione Mundi*. Et ideo in Antiphona; *gaudent in Cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt; ideo cum Christo regnabunt in æternum*. Quocirca Hieronymus de Paulo in Epistolam ad Rom. considerans sententiam 2. ad Tim. 4. *liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in Regnum suum cæleste*, ait; *quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium*. Vnde pro his Augustinus psal. 67. *Martyres in Ecclesijs summum locum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt*.

F 3. p. 49. 6. & q. 59. 1. & ad Hebr. 4. l. 2. lect.
G 3. p. 58. a. 1. & 3.
H Matthæi 17.
I 1. Cor. 11. l. 1.

34. Cæterum quia nuper præmissum est, etiam quoad regimen Ecclesiæ visibile non reijci a Christo Rege adsessores; expendamus oportet verborum Domini pondus. Neque enim solum interrogat, an possint subire martyrium tropo calicis trito in Scripturis, sed adijcit, *quem ego bibiturus sum*: postéaque subiungit; non duntaxat, *calicem bibetis*, sed *calicem meum*. Nunquid & passionis Christi acerbitate, & duræ ignominia Crucis moriendum est, eratque discipulis, vt calicem eius biberent pro æterno consessu? Non video, qui hæc perquirat. Scio, Sanctum Cyprianum lib. 2. Epist. 6. ita de martyribus loqui: *quam lætus illis Christus fuit, quam libens in talibus seruis suis, & pugnauit, & vicit!* Et sic de Beato Stephano qui Act. 7. *vidit filium hominis stantem à dextris virtutis Dei*, dicit Gregorius in hom. *Ascensionis* relatus ab Angelico L *sedere iudicantis est, stare vero pugnantis vel adiuuantis*. *Stephanus ergo in labore certaminis positus stantem vidit, quem adiutorem habuit*. Adde (sitque parenthesis) suaderi posse, idcirco primum Martyrem *Stephani* sortitum fuisse nomen, quod *coronam* significat; vt Martyres Regnum inire edoceremur; nam coronari M Regum est. Hinc Angelicus; N Christus dicitur passus in Paulo membro suo; & sic in alijs. Porro altiorem libet extundere intelligentiam; vt scilicet voluerit Dominus eiusmodi locutionis phrasi, ad militantem, de qua mox ante, nos rapere Ecclesiam: in qua, quod est martyrum adhuc Christi est, & quod Christi, similiter martyribus referri potest; *quia Christus & Ecclesia est vna persona mystica, cuius caput est Christus, corpus, omnes iusti*. Verba sunt Diui Thomæ, qui exponere intendit ex no O, difficilem illam sententiam, ad Colossenses; *adimpleo ea quæ desunt passionum Christi*, quia Christi, idest totius Ecclesiæ O adimplebat quæ deerant. Deus enim ordinauit in sua prædestinatione, quantum meritorum debet esse per totam Ecclesiam, tam in capite, quam in membris; sicut etiam prædestinauit numerum electorum: & inter hæc merita, præcipuè sunt passiones Sanctorum: Christi scilicet Capitis, merita sunt infinita; quilibet verò Sanctus exhibet aliqua merita secundum mensuram suam. Subdit quippe Apostolus, *pro corpore eius quod est Ecclesia*. Dic ergo, vt innuatur mystica hæc vnitas Ecclesiæ & Christi martyrium, Iacobi & Ioannis nuncupasse calicem suum. Subest igitur in huiusmodi Saluatoris cum discipulis dialogo, prærequisita notari ad vtrumque regimen, siue ad conregnandum cum ipso in gloria; 2. ad Timot. 2. *fidelis sermo: nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus*; siue ad præsidendum & assidendum pro ipso in Ecclesia, iuxta quem sensum dictum accipiamus à Petro; *etiam si oportuerit*, infra 26. *me mori tecum, non te negabo*. & Thomas Ioann. 11. *eamus & nos, vt moriamur cum eo*; & Apostolus Rom. 8. *certus sum enim, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*.

L 3. p. 58. 1. 1.
M psal. 8.
N Colos. 1. l. 6.
O Colos. 1. l. 6.

35. Itaque videtur Dominus de vtriusque Regni adeptione pro merito interrogare, *potestis bibere calicem?* complexu interrogationis & subiectionis. Cum subijcit; *calicem quidem meum bibetis*, martyrij præscius illorum, dignos declarat Regno parato, nimirum eis a Patre suo: cum autem rogauit; *potestis bibere calicem?* quæ ad regimen, seu conregimen militantis Ecclesiæ desideretur conditio, manifestauit. Vide mi lector, quomodo assessores non repulit, sed qualificauit: martyres re ipsa, fortitudinis experimento, charitatis & fidei, pro Regno Cœlorum: promptos ad bibendum calicem pro regimine Ecclesiæ. Quare dixerim eam graphicè delineare, quam sui vice Regnantem in Petri solio præsumit; quæ etiam alios ad dexteram & sinistram, addictos & ipsos regimini admittit. Dicebat planè sano sensu Apostolus 1. Cor. 3. *Dei adiutores sumus*. Sic Christi Regis suo in vice-Rege Petro & successoribus, decet esse adiutores. Vbi latina Ioannis 21. habet *pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas* ex græca, *rege agnos meos* &c. Regit ergo Petrus, sed regunt & alij; Act. 20. *attendite vobis & vniuerso*

uerso gregi, in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Benè de sanguine Christi, vt in Euangelico interiectum est contextu. Qui sunt isti qui regunt? Respondeo, ad dexteram & ad sinistram, adstare antiquissimo ritu Cardinales collaterales communiter dictos, atque Summi Pontificis coadiutores, siue cooperatores. Priusquam de consessu det responsum, poscit Dominus; *potestis bibere calicem? Dicunt ei; possumus.* Nisi hac animi polleant Cardinales fortitudine, minimè consessu illo digni sunt. At quod ore silent, loquitur indumentum. In consesso est scriptoribus; idcirco rubro galero, purpuraque amictos incedere caligis quoque ipsis rubricatis; vt feruore charitatis accensi cruore pro fide fuso, prompti sint immo cupidi consignari.

36. Et sanè quòd iteratò figuram vsurpat *calicis*, non vacat mysterio. Scio enim plures afferri posse causas; quia ex charitate patientis dulcedinem habet,
P Ioan. 18. lect. 2. P sed ex natura sua amaritudinem, sicut & medicina sanatiua propter spem sanitatis dulcis est, sed amara
Q D.Th. hic & 3.p. 78.a.3.ad 1. propter saporem. Item Q quia inebriat ad similitudinem calicis passio; Thren. 3. *inebriauit me absynthio.* Et alibi, quia turbat ex natura sua mors passioque imminens. Item, vt Ecclesiam insinuaret; cuius vnitas inde claret, vt ait Augustinus, quia *ex multis racemis vinum confluit.* Verùm placet adhuc ad sanguinis profusionem significandam: qua metaphora Genesis 49. legimus; *lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum:* & Isaiæ de Christo Domino pariter; *quare ergo rubrum est indumentum tuum? & vestimenta tua sicut calcantium in torculari: torcular calcaui solus; &c. & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea;* &c. Si eiusmodi sit iuncta *canalibus* sacra purpura, erit digna throno, *sicut purpura Regis*, vt dicitur Cant. 7. Videtur autem mihi præterea quasi sub ænigmate, Cardinalium creatio insinuari; dum solo quasi nutu, vt assumantur deposcit mulier, *dic vt sedeant hi duo filij mei*, quasi instantia adumbretur Ecclesiæ ad Summum Pontificem, quem etiam adorat, *adorans & petens aliquid ab eo:* nam sicut Deus *dixit & facta sunt* per creationem; ita dicitur Papa eos creare; quos etiam nuncupat fratres; quemadmodum, & hic fratres nominantur, *indignati sunt, de duobus fratribus.* Si dicant interrogati, *possumus*, scilicet vt aiebat Apostolus Philipp. 4. *omnia possum in eo, qui me confortat*, quanquam coniuncti cognatione, non erit personarum acceptio, eos ad consessum Regnique administrationem euocare: quia cum consanguinei sunt æquè digni vt alij, licitè possunt alijs præferri; quia saltem in hoc præeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum
R 2. 2. 63.a.4. negotia Ecclesiæ tractet: R quæ doctrina est Angelici. Esset tamen, inquit, hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, &c.

37. Veruntamen, non multùm curandum de sanguine, minus lenis responsio Domini monet; nam & Lucæ 14. dixit, *cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites*, &c. sed *sedere in throno* participari debet ei *qui vicerit* (Apoc. 3. *sicut ego*
S Apoc. 3. com. 1. *vici*) Mundum S per charitatem, carnem per virginitatem, diabolum per humilitatem: 2. ad Tim. 2. *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*, corona scilicet Prælationis. Sed heu hodie paucis datur corona Prælationis, nisi victis à Mundo per cupiditatem, à carne per voluptatem, à Diabolo per ambitionem: cum solis victoribus debeatur corona. Duriuscula est hæc Diui Thomæ increpatio: sed præterquam Titi 1. dicitur; *increpa illos durè*, dolentis sunt potius verba, & corripientis; quia Prouerb. 13. *qui parcit virgæ odit filium*, vtque sint in monitum quia Iacobi 13. *Deus elegit pauperes in hoc Mundo.* Ecclesiastici officia duo habent adiuncta, T scilicet opus, & dignitatem vel honorem: ratione honoris laudabiliter recusantur; opusque tunc sine ambitionis periculo potest desiderari, quando separatur (supple cordis affectu) à dignitate: Sic ait Apostolus 1. ad Tim. 3. *qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat.* Quocirca Gregorius *in Pastor. Tunc*, dicit, V *laudabile erat Episcopatum quærere, quando per hunc, dubium non erat, quemquam ad supplicia grauiora peruenire; siquidem qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur.* Cùm autem non vni Ecclesiæ, sed toti Ecclesiastico spirituali Christi Regno cupiant hi duo discipuli assidere: quam molem adeo onerosam roborati Atlantis humeri vix sustentare, & portare valent; ideo, & de præparatione animi ad subeunda supplicia mortemque ipsam, cohærenter vtrique muneri, requiruntur: præmittiturque *nescitis quid petatis*; tam altum scilicet in Ecclesiastica Hierarchia gradum: quandoquidem, vt ait Angelicus X prædicationis (& sic Prælationis) officium tutiùs declinatur. Permittit autem Dominus, vt lubricè adeo respondeant rogati de calice, an possint illum bibere, *possumus*: quo futuram corruptis sæculis procliuitatem, ad inhiandum sacro Regimini commonstret. Et dum *decem* suppresso quouis alio nomine perhibentur *indignati de duobus fratribus*, neque enim ait Euangelista decem discipuli, vel hic, aut ille, sed *decem*: velim numerum sumi determinatum pro indeterminato; sicut Genesis 31. legimus, *mutauit mercedem meam decem vicibus*: & Iob. 19. *en decies confunditis me*: idest pluries, vt visum est in Genesin: & ita *decem indignati sunt*; quia hodie indignè fert vniuersitas populi, quòd ambientibus quandoque Regalis Sacerdotis dignitas, gradusque ad dignitates etiam præeminentes; (neglecto Christi examine; *potestis bibere calicem*) planus adeo ac facilis factus sit. Hic, quoniam diximus, occasione mulieris, quæ *accessit adorans*, &c. adorari Pontificem, sciendum est adorari quidem religiosa, non tamen latreutica adoratione: vnde quia Cornelius Act. 10. *procidens ad pedes Petri* visus fuisset Iudæis quasi latriæ adorationem ei impendere, dixit ei Petrus ne fieret scandalo; *surge, & ego ipse homo sum.* Aliàs Abraham Gen. 24. adorauit filios Heth; & Alexander ex Iosepho 11. antiquit. cap. 8. adorauit Iaddum Pontificem Iudæorum.

T opusc. 19.c.4. fine.

V 2. 2. 185.1.

X loc. cit. ad 4.

VERS. XXV. *Iesus autem vocauit eos ad se;* &c.

Firmat Dominus, quæ hucusque diximus, humilitatem pressè commendans. Quis scit in eo quod 38.
ait, *vocauit eos ad se*, non innuat, ad rem quam versamus, illud Pauli Hebr. 5. *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vbi etiam subditur; *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret* &c. Vocare, inquit, alibi, A ad imperium pertinet. Cui certè dictu, respondet obedientia. Et vtinam sicut de Sancto Philippo Nerio legitur; *Sacerdos ex obedientia factus*, de Hierarchia tota dici posset. Pulchrè huc facit Gregorij sententia hom. 9. in Euang. *tanto ergo esse humilior, atque ad seruiendum promptior quisque esse debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Quæ duo manifestè hic exigit Dominus dicens; *quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus; sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Planè habet Chrysostomus hom. 35. in Matthæum: *primatus fugientem se desiderat, desiderantem se odit.* Via ergo ad primatum est seruitus, viaque ad gradum

A Iob 14. 14.

dum maiorem est ministerium: cumque terminus motuum idem sit, qui in fieri, & in facto esse, innotescit consequens fieri, vt Primatus nihil aliud sit quàm seruitus & ministerium. Rabanus tres gradus humilitatis expendit: primus est, *subdere se maiori, & non se præferre æquali*: secundus, *subdere se pari, & non præferre minori*: tertius, *subdere se minori, & nulli se præferre*. Ex quo autem, quis ministerio addictus est, sic ex munere tenetur ad ministrandum, vt animam suam ponat. Quo certè facit illud Regum 3. capit. 20. *custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius*: & illud Prouerb. 6. *si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam*.

B 2. 2. q. 185. 5. 1. & q. 189. 7. 1. Quocirca Gregorius in Pastorali relatus B ab Angelico, *spondere pro amico, est animam alienam in periculo suæ conuersationis accipere*: hoc enim est

C Hebr. 13. l. 3. maximum periculum, C hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. Et sic Ieremiæ 13. *vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Iam aliàs scimus Ioann. 10. *bonus Pastor animam suam ponit*: idest, ponere tenetur

D 2. 2. 189. 5. D *pro ouibus suis*. Certè ministri hoc est, & serui; nam & ministerium hanc seruitutem concernit, *Sceretb* quippe radix hebraica, *ministrauit*, & *mesareth*, *minister, seruiens*. Seruus autem, vt ex Philosopho, alterius gratia est, quicquid est; nimirum Domini sui. Hinc planè satis retundi potest in Ecclesiastica hierarchia ambitio & primatus; cùm seruitus & ministerium à primis & maioribus sit exhibendum, ac re ipsa præstandum.

39. Sed aliud est quod miremur sublatens in verbis Domini. Quodnam enim, dicet quis, est huiusmodi Regnum, vbi qui regit debeat ministrare? Regis potius est habere ministros: Ecclesiastici 10. *secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius*. Et tamen Apostolus 2. Corinth. 4. aiebat; *nos autem seruos vestros per Iesum*: & prius in prima cap. 9. *cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci*. Indicatur ergo satis Regimen esse animarum, finemque ministerij ecclesiastici esse altiorem, earundem nimirum æternam saluationem. Si enim commen-

E 1. Cor. 9. l. 4. dabile est, inquit Angelicus, E seruire propter lucrum temporale, quanto plùs in spiritualibus pro-

F 1. Cor. 4. l. 2. pter lucrum spirituale? Et inde est, F quòd minister Ecclesiæ, qui non quærit honorem Dei, & vtilitatem subditorum, non dicitur verus Rector, sed tyrannus. Dic ergo; quia finis est potior, ideo potiora exigi; nam toti præponderat Orbi animæ salus; iuxta quod supra cap. 16. præhabitum est: *quid prodest homini, si Mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Huius gratia vocantur in ministerium & Angeli; nam *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, Hebr. 1. Huius gratia Dominus ipse flectere dignatus est Maiestatem *formam serui accipiens*, factus pro nobis, vt hic perhibet, minister; sicut eum Paulus Rom. 15. dicit *ministrum circumcisionis*. Ideo cùm pro his, necesse sit, eos qui præsunt, vbi occurrat vitam exponere; requirit desiderantes Regnum; *potestis bibere calicem?* præsumptum esse debere monens de voluntate vitam quoque exponendi: non enim dicit *vultis*, sed *potestis*: sicut è conuerso notat Hieronymus de leproso supra capit. 8. dicente; *Domine si vis potes me mundare; qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat*. Ecce cur de Principibus introfert: *scitis; quia Principes Gentium dominantur eorum*, &c. ne scilicet sibi suadeant, vel cum austeritate imperare: quod vituperatur Ezechielis 34. *cùm austeritate imperabatis eis, & cum potentia*, & 1. Petri 5. *neque dominantes in cleris*; sicut hic subdit; *potestatem exercent in eos*: & vlterius ne putent remissum esse posse ecclesiasticum regimen: quemadmodum deficienter regunt Mundi Reges, qui suis legibus, neque cohibent cuncta vitia, nec omnes virtutes G præcipiunt, neque pro subditorum salute vitam suam tenentur exponere. Nam neque priuatus homo, nisi ei immineat cura de salute proximi, H tenetur corpus suum exponere pro eiusdem salute proximi: nisi in casu. G p. 2. 96. 2. 2. & 3. H 2. 2. 26. 5. 3.

Non est autem conniuenter pertranseundum, quod promit Dominus, scilicet, venisse *dare animam suam redemptionem pro multis*. Forte impingunt hic etiam Neoterici, commenti Christum non pro omnibus mortuum esse: quod hæreticum & nouissimè declaratum est. Sicut si quis dicat Christi passionem non sufficere ad redemptionem, I est hæreticus; quia sanguis Christi est sufficiens ad redemptionem etiam multorum Mundorum. 1. Ioann. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi*. Sic & Ambrosius Serm. 15. in psalm. 118. *passio*, inquit, *Saluatoris omnes redemit*; & Chrysostomus relatus Hebr. 2. l. 3. pro omnibus hominibus generaliter mortuus est; quia omnibus pretium sufficit. Et si omnes non credunt; ipse tamen quod suum est impleuit, ad illud; *vt pro omnibus gustaret mortem*. Sic in Hymno; *Iesu redemptor omnium*; in Collecta; *fidelium Deus omnium conditor & redemptor*; 1. ad Timoth. 2. *vnus enim Deus; vnus & mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et sanè quomodo diceretur *copiosa apud eum redemptio?* Quomodo diceret de se ipso; *ego sum lux Mundi*, qui omnibus non luceret? *erat lux vera*, inquit Ioannes cap. 1. *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. (Sanè supra cap. 5. *Solem suum oriri facit super bonos, & malos*.) Quomodo verum esset, Roman. 5. *vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia?* Item quomodo staret quod ipsemet loquitur; *non enim misit Deus filium suum in Mundum*, (Ioann. 3.) *vt iudicet Mundum; sed vt saluetur Mundus per ipsum?* si quorundam in Mundo non est dicendus Redemptor? *Alioquin*, vt aliàs ait Apostolus Roman. 3. *quomodo iudicabit hunc Mundum?* Quomodo, non pro omnibus mortuus est; si pro omnibus, oremus monet Apostolus 1. ad Timoth. 2. *hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Et Titi 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus*, &c. Denique Ioann. 1. *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*. 40. I Coloss. 1. l. 6.

41. Igitur remanet explicandum, quo sensu ex altera parte dicat Dominus *pro multis*. Quod etiam repetit in cœna dicens; *qui pro multis effundetur*. Itaque in primis dico, nouum non esse in Scripturis, vt quasi confundantur ly *omnes*, & *multi*. Nam Apostolus Roman. 3. dicit, *omnes enim peccauerunt*: & rursus cap. 5. *in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*; & paulo post; *sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituuntur multi*; 1. Corinth. 15. *omnes quidem resurgemus*; & ipsemet Dominus Ioann. 5. *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei*: Danielis verò 12. (quamuis alia esse possit latens causa, ad excipiendos à clausula sequenti eos, qui erunt in lymbo, qui *neque in vitam æternam, neque in opprobrium*) *& multi de his, qui dormiunt, in terræ puluere euigilabunt*. Similiter 1. Corinth. 12. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*, &c. *& omnes in vno spiritu potati sumus*. Et tamen

 paulo

paulo ante cap. 10. dixerat; *vnus panis, vnum corpus, multi sumus*. Sic infra Matthæi 24. *super omnia bona sua constituet eum*: & cap. 25. *super multa te constituam*. Dico deinde ly *omnes* vsurpari posse etiam vbi sint pauci: infra cap. 3. *omnes autem vos fratres estis*; & cap. 26. *tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt*: sed hi erant pauci. Vt ergo erudiremur mortuum non solùm esse pro omnibus hominibus, quasi paucis, puta pro omnibus tunc viuentibus, sed pro ingenti ac innumerabili multitudine hominum, & qui ab initio Mundi fuerant, & præsentium & futurorum vsque in sæculi finem, maluit dicere *pro multis*, quàm *pro omnibus*. Huc facit quod ait Augustinus in psalm. 138. ibi; *dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*, de credentibus; *ecce tanta nata est multitudo, quòd iam sicut arena numerari non potest, nisi à Deo*. Dic ergo pro omnibus quidem *venisse dare animam suam, redemptionem*, sed iis non paucis, sed *multis*: vt ergo, nedum hominum redemptio, sed quot hominum redemptio, esset cordi nobis infixa: *pro multis*, inquit. Quis scit quot sæculorum curriculis sit hominum propagatio protendenda? *vidit Ioannes turbam magnam*, Apocalyps. 7. *quam dinumerare nemo poterat*. Pro his omnibus mortuus, *pro multis* exaggeratione quadam, mortuus est. Et in eo quod ait *pro multis*, potiùs, quàm pro omnibus, videtur reuocare in memoriam, quod dixerat Abraham Genesis 22. *multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris*. Sic
L Danielis 12. ibi in Danielem L *multi* &c. idest multitudo hominum, qui debent in puluerem reduci.

42. Veruntamen adhuc superest quod pro Syntaxi contexturaque literæ prodamus. Potuisset enim simpliciter à Domino veraciter dici; *venit filius hominis, &c. & dare animam suam redemptionem pro omnibus*: sed sub quadam voluit restrictione loqui, ad fidelium cœtum, qui specialiùs de corpore Ecclesiæ dicuntur esse. Sic & 1. Timoth. 4. *speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium*. & sic Hebræor. 9. *oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Ratio est; quia talium secundùm rationem aliquam particularem ipse est Caput: in quantùm etsi vniti non sint
M 3. p. 8. 3. actu ipsi per charitatem; (M Doctrina est Diui Thomæ) actu tamen ei vniuntur per fidem; vel secundùm diuinam prædestinationem, vniendi ei sunt; quanquam potentia nondum in actum reducta sit. Est autem Christus *caput, super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius*, vt dicitur Ephes. 1. Infideles sunt solùm de Ecclesia, in potentia, quæ nunquam reducetur ad actum: & eatenus dicuntur esse in potentia, quatenus hæc primò & principaliter
N ibi ad 1. fundatur in virtute Christi, N quæ est sufficiens ad salutem totius generis humani; secundariò in arbitrij libertate. Vides ergo mi lector, quoniam subiecta materia, in qua pressiùs de Ecclesia tractatur, expetebat, vt *pro multis* diceret; ne si pro omnibus expressisset: æquè & Infideles reprobi, pro quibus tamen etiam animam posuit, censerentur esse de Ecclesia. Neque mirum videri debet, si non omnes, sed multos sic ad Ecclesiam attinere innuat, vel fide viuos: (sic Apostolus 1. Corinth. 12. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*, & D. Thomas in 3. p. q. 8. a. 4. ad 2. Ecclesia secundùm statum viæ est congregatio fidelium;) quia aliàs hac exceptione infidelium pertinacium orauit ad Patrem: nam Ioann. 17. prompsit, de discipulis; *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credi-*
O 3. p. 21. 4. 1. *turi sunt per verbum eorum in me*: quod arctiùs O etiam exponitur ab Angelico; quandoquidem addit; *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*; vt pro prædestinatis voluntate absoluta orauerit. Sed hic ly *pro multis* minus placet prædestinatis solis aptare; tum quia Ecclesia, quæ magna dicitur in ps. 34. *confitebor tibi in Ecclesia magna*; quæque est sagena supra cap. 13. *ex omni genere piscium bonos & malos congregans*, non solùm prædestinatos colligit; tum etiam, quia sic prædestinatorum numerus certò certiùs ingens esset; *pro multis*. Quod tamen etsi insinuatum sit, apertè fateri aut diffiteri, etiam rogatus sustinuit Dominus; quando Lucæ 13. *ait illi quidam; Domine si pauci sunt qui saluantur? ipse autem dixit ad illos, contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt*. Nihilominus quamuis vt aiebat Bernardus; *tutiùs mihi reputo timiditate, quàm temeritate periclitari*; haud excidat vnquam recordatione, quod habet Angelicus de peccantibus etiam in Spiritum-Sanctum; P considerandum, inquit, quòd aliquid in rebus inferioribus dicitur im- P de malo q. 3. 1. 15. corp.
possibile per priuationem potentiæ actiuæ inferioris; licet non excludatur potentia diuina: sicut si dicamus, quòd Lazarum surgere est impossibile, sublato vitæ principio creato: non tamen per hoc excludimus, quòd Deus ipsum resuscitare non possit. *Et in Summa*; Q per hoc tamen non præcluditur via re- Q 2. 2. 14. 3.
mittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei; per quam aliquando tales, quasi miraculosè spiritualiter sanantur. Non ergo consternat animum, neque desperationem excitet, quod ait, desidioribus; *multi quærent intrare, & non poterunt*.

Nihilominus, quia vtitur Dominus hac voce, 43.
in redemptionem, quæ sonat solutionem pretij; 1. Petri 1. *non corruptibilibus auro & argento redempti estis*; &c. sed *pretioso sanguine, quasi agni immaculati*: & id quod redimitur, reacquiritur vt sit Redemptoris: desierat autem homo esse Dei, per defectum vnionis charitatis ad Deum; Rom. 8. *si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius*, vt docet
R 3. p. 48. 4. 1. Angelicus: R ideo non fuerit absonum, si Ecclesiam sanctam voluerit adumbrare, dicens *pro multis redemptionem*; qui scilicet reuniuntur per charitatem. Et ita Augustinus Tract. 26. in Ioannem: *exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: vnus panis*, inquit, *vnum corpus multi sumus. Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi, corporis & membrorum suorum; quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis & fidelibus eius*; &c. Ergo si ad fideles, ly *multis* latè patet; si ad iustificatos, charitate vnitos, latè minùs; si ad prædestinatos, an *multi* sint, solus nouit, nec palam, eoquòd arcanum, minimè sciendum nobis, vnquam prodidit. Stat cum his hactenus dictis quod habet Angelicus;
S quantum ad sufficientiam pro omnibus; quantùm ad efficientiam pro multis. Sed aio ipse; *lux* S D.Th. hic.
in tenebris lucet, Ioann. 1. *& tenebræ eam non comprehenderunt*: & cap. 3. ex ore Domini, *lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; erant enim mala eorum opera*. Ergo Osee 13. *perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Tremenda sententia; vt, *sit perditio; quando non deest auxilium*. Quocirca 4. contra Gent. capit. 55. Incarnationis diuinæ virtus, sufficiens est ad omnium hominum salutem: sed quòd non omnes ex hoc saluantur, ex eorum indispositione contingit. Non enim erat subtrahenda hominibus libertas arbitrij, ne bonum hominis coactum esset: & propter hoc absque merito & illaudabile redderetur. Et ideo Ecclesia in hymnis quia contextus non coarctat, canit absolutè, *Iesu Redemptor omnium; Christe Redemptor omnium*,

Est

Eſt autem attentè conſiderandum, qualiter conſummetur de conſeſſu, ſeu aſſeſſu Domini in ſuo Regno diſcurſus. Neque enim eis quod expetierant, negatur; ſed neque manifeſtè conceditur poſitiuum in terris regimen, etſi cœleſte quaſi pro comperto admiſſum ſit; *quibus paratum eſt à Patre meo*. Immo quod miremur eſt, indignationi diſcipulorum decem vix occurſum fuiſſe; quandoquidem doluerant de affectata præcellentia duorum: hanc non ſupprimit re, ſed in modo ſolùm, ne ſuperbè eam cupiant, ſed humiliter: qua præiacta humilitate, primi & maiores eſſe poſſint. Sic etiam Lucæ 22. vbi planiùs *facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior*: neminem primis verbis maiorem decernit, ſed regiminis ſuauitatem, non more Gentium, & humilitatem in ſuſcipiendo munere commonet ac præfinit. Nunquid ſi omnes & ſinguli virtutum harum fuerint ſtudioſi, omnes maiores erant futuri & primi? Ita planè; nam de Apoſtolis exponitur; vt apud Auguſtinum, illud pſal. 67. *præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus*; & quod mox ſequitur; *Principes Iuda Duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtalim*: inquit enim; *Principes ſunt Apoſtoli*: & priùs ad illa verba, *dum diſcernit Reges ſuper eam*, ideſt ſuper columbam Eccleſiæ, aptari inquit primo loco Apoſtolis; Epheſ. 4. *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos*; &c. *Reges, vtique à regendo* moraliter exponit. Et in pſal. 138. legens; *valde confortati ſunt principatus eorum*, inquit, *facti Apoſtoli, facti Duces Eccleſiæ, facti arietes ducentes greges; valde confortati ſunt principatus eorum*. Et in Hymno *Eccleſiarum Principes, belli triumphales Duces*. Hinc fuere Apoſtoli, titulo Apoſtolatus, vt concedit etiam Caietanus *opuſc. de Romani Pontificis inſtitutione & auctoritate* cap. 5. æquales & in fundanda Eccleſia, & in clauibus iuriſdictionis & ordinis, & in robore doctrinæ, miraculorum & vitæ, quibus Eccleſiæ fortitudo ſolidaretur: quia ſcilicet ab ipſo Domino fuere miſſi; Ioann. 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, & tanquam ipſius legati, 2. Corinth. 5. *legatione pro Chriſto fungimur*; & Epheſ. 6. *legatione fungor in catena iſta*. Et ſic poterat quilibet Apoſtolorum ordinare, & de facto ordinarunt Epiſcopos, vt expendit idem Caietanus ibi cap. 10. & 12. Et ita præ alijs fertur cap. 3. Cyprianus, qui ait, *omnibus Apoſtolis, poſt reſurrectionem ſuam parem tribuit poteſtatem*. Nec fuerit abſonum ex Gregorio 1. Regum 2. ipſis Apoſtolis aptare, quod legitur; *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos Orbem*.

44. Duo autem ſunt hìc præcauenda. In primis, ne exinde primatui Petri in Eccleſia derogetur; cuius Paſtor ſuffectus eſt vice Domini reſpectu ouium, & ſic etiam Apoſtolorum, vt apud eundem Caietanum. Hinc Inuitatorium; tu es Paſtor ouium Princeps Apoſtolorum. Et Leo Papa Sermon. 1. de Sanctis Petro & Paulo; *beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij*. Et iam ſatis haberi poteſt miſſis tot alijs, quoniam 1. Corinth. 12. agnoſcit Paulus in corpore Eccleſiæ caput poſitum in corpore, quemadmodum alia membra, *ſicut Deus voluit: quod caput non poteſt dicere pedibus; non eſtis mihi neceſſarij*. Chriſto capiti neceſſarij eſſe non poſſunt, benè verò vice-capiti, Petro: & quia Lucæ 22. poſt ſedatam contentionem diſcipulorum; recurſu ad Agni manſuetudinem & humilitatem, de quo Iſaiæ 16. *emitte Agnum Domine dominatorem terræ*: ſtatim praexaltatur Petrus; cum ſubditur; *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Quæ verba in ipſum ſpecialiter cadunt; quia immediatè ante pluraliter dixerat; *Satan expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum*: & præmittit *Simon, Simon*: certè vt inculcet, eius futurum fuiſſe, vt de alijs cogitaret: quod eſt ſui muneris inconcuſſa fide; dato, vt ſi opus eſſet, etiam Apoſtolos, quos fratres dixerat Matthæi 23. *omnes vos fratres eſtis*, confirmaret. Quocirca non eſt negligenda vis verbi *conuerſus*: neque enim niſi ſignanter appoſitum eſt. Certè capitis eſt huc illuc verti & conuerti; & ratione duntaxat capitis corpus conuerti dicitur: immo ſola capitis conuerſione, quis rectè dicitur conuerſus; ſed de hoc vberiùs in Lucam. Et ita Chryſoſtomus dicit ſuper Act. Apoſtolorum, *Petrum eſſe verticem ſanctiſſimum beati Apoſtolici throni*, vt fert Angelicus T in opuſc. contra errores Græcorum: vbi ad id ex Sanctis Patribus plura: quæ etiam eruditè accumulat Caietanus in eo opuſc. capit. 14. cum auctoritatibus Conciliorum. T opuſc. 1. vel 2. 5. 17.

Deinde animaduertendum eſt; ne quod Apoſto- 45.
lis ſemiplena conceſſum eſt independentia; Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores idcirco ſibi arrogent. Meruerunt Apoſtoli priuilegiari, quia vt ait Paulus Roman. 8. *primitias habuere ſpiritus*. Vbi ex Angelico; T Apoſtoli ſunt omnibus alijs Sanctis, quacunque prærogatiua præfulgeant, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ, ſiue martyrij, præferendi; quia Spiritum-Sanctum & tempore priùs & cæteris abundantiùs habuerunt: & electi ſunt ad hanc dignitatem, vt immediatè ab ipſo Chriſto accipientes alijs traderent ea, quæ pertinent ad ſalutem; & ſic in eis Eccleſia quodammodo fundaretur; ſecundùm illud Apocalypſ. 20. *murus habebat fundamenta duodecim, & nomina Apoſtolorum erant in eis ſcripta*. Et 1. Corinth. 12. *Deus poſuit in Eccleſia primùm quidem Apoſtolos*. Et ideo Deus eis abundantiorem gratiam præ cæteris tribuit. Præterea ipſi fuerunt Eccleſiæ columnæ; pſalmo 74. vbi dicitur; *ego confirmaui columnas eius*, vt exponit gloſſa: metaphoricè; ſicut enim totum ædificium V ſuſtentatur per columnas, ita per ipſos tota Eccleſia. Sic autem fuerunt confirmati, vt X poſt gratiam Spiritus-Sancti certò non peccarent mortaliter. Aderat quippe cuſtodia diuinæ prouidentiæ; vt quandocunque occaſio peccati ſe ingereret, eorum mens A diuinitus excitaretur ad reſiſtendum. Columnæ ergo fuere, quia recti, erecti, & fortes: recti per fidem, B erecti per ſpem, fortes per charitatem. Recti dico per fidem, quia fides oſtendit rectam viam veniendi ad Patriam: (tu nota cur orthodoxi dicantur fideles, ideſt *recti fixa ſententia*) vnde ſignificatur per columnam nubis; Exodi 13. *Dominus autem præcedebat eos, ad oſtendendam viam per diem in columna nubis*; fides enim ad modum nubis habet obſcuritatem, quia cum ænigmate; diſſolutionem, quia euacuatur; humiditatem, quia excitat ad deuotionem. Erecti per ſpem; ſpes enim dirigit ad ſuperna: vnde ſignificatur per columnam fumi, de qua dicitur Iudicum 20. *viderunt quaſi columnam fumi, de ciuitate aſcendentem*; ſpes enim ad modum fumi ex igne, ideſt ex charitate prouenit; in altum aſcendit; in fine deficit; ideſt in gloria. Fortes per charitatem; Cant. 8. *fortis eſt vt mors dilectio*: vnde ſignificatur per columnam ignis, qui omnia conſumit; de quo Sapient. 18. *ignis ardentem columnam, ducem habuerunt ignotæ viæ*.

T Rom. 8. l. 5.
V Gal. 2. l. 2.
X ibi l. 3.
A diſp. de lib. arbitrio 2. 9.
B prolog. ad Epheſios.

46. Dic ergo ex priuilegio licuiſſe Apoſtolis, quod eorum ſucceſſoribus Epiſcopis minimè licet: niſi fortè poſt Apoſtolos Epiſcopi eandem ſibi præſumant cœlitus datam donorum largitionem; & ſic vltra ſanctitatem inconcuſſam, ex qua abſque erroris periculo, poterant ædificationi Eccleſiæ inſiſtere, quaſi Petri directione exempti, commendant ſe quoque vt Apoſtoli habere donum linguarum,

Paucorum priuilegia, non sunt in consequentiam trahenda; sicut enim in humanis quædam sunt leges, etiam ex Philosopho 5. Ethicorum cap. 7. in singularibus, quæ dicuntur priuilegia, & quasi leges priuatæ, quia respiciunt singulares personas; ita dixerim ego, de Apostolorum independente in aliquibus facultate. Cuius tamen in Euangelio non adeo aperta fit mentio; nisi quòd hic & Lucæ 22. contentione quadam oborta, primatum inter eos non palam decernit; quia Petro non omnino, instar aliarum de grege ouium, egregij sanctitate & sapientia infusa insignes, non omnino inquam in cunctis erant subijciendi. C p. 1. q6. 1. 1.

47. Et si dicas cur priuilegium Petri, in Successores transit; quando aliorum Apostolorum auctoritas Episcopos successores non sic inuestit?

Respondetur, non esse rationem parem, quia vt inquit Caietanus in eo opusc. cap. 12. non est legatorum vendicare sibi Successores: fuitque priuilegium attinens ad munus Apostolicum: dixerim ego personale: quod nulla vrget ratio, vt in Successoribus Episcopis astruamus, seu confingamus. Petri autem priuilegium fuit reale, & non solùm personale: quod, patet, quia diuina Saluatoris clementia, quæ Ioan. 21. Pastorem ipsum tanta solemnitate instituit in exordio suæ Ecclesiæ, non minus prouidit ouibus, toto eiusdem Ecclesiæ cursu ad finem vsque.

48. Et si dicas iterum Sede vacante mortuo Papa, remanere debent claues in Ecclesia, secus neque esset à quo traderentur Summo Pontifici: ergo ab initio possunt & debent in eadem esse Ecclesia; in qua planius perpetuò conseruentur, absque capitis alicuius designatione.

Respondeo à Caietano cap. 3. argumento quarto, hæc tangi. Responderque; cum Papa eligitur neque secum claues affert, neque ab Ecclesia illas accipit, sed à Christo non noua traditione sed antiqua, illamet, qua tradidit Petro: Ecclesia autem ministerio electionis Personam deputat, quæ Petro succedat. Iactat etiam difficultatem istam Caluinus, vt fert Canus lib. 4. de locis cap. 1. argumento 12. cui occurrit cap. vltimo, dicens; mortuo Summo Pontifice, vnam manere Ecclesiam, sed mancam & imminutam sine Christi Vicario, suoque Pastore. Spiritum veritatis etiam manere in Ecclesia: at si controuersiæ fidei oriantur, Ecclesiæ iudicia sine capite in terris non adeo certa erunt. Ita Canus. Verumtamen liceat mihi, quæ soliditate non minori polleat aliam afferre doctrinam ac responsionem. Dico in primis argumentum hocce nullius momenti esse, quia vt dici solet in Scholis, nimis probat, seu potius nimis improbabileque contendit probare; ideo futile est, nihilque probat: hac enim instantia nihil minùs probaretur, non potuisse à Domino suæ Ecclesiæ institui Caput & Pastorem, nisi ipsum vt Enoch & Eliam seruare voluisset immortalem: quo, vt constat, nihil absurdius: vel nisi successione sanguinis, vel ab ore morientis Pastoris fuisset subrogandus; ad quæ nulla cogit necessitas Christum condescendisse. Igitur dicendum mihi videtur, primò non esse Ecclesiam etiam Sede vacante, simpliciter mancam; quia neque viduata est; cum sponsæ virginis vir non desit, nimirum Christus; quanquam tunc visibiliter non ei adsit, quemadmodum, cum in terris esset. Christus quippe, vt ait Angelicus 3. p. q. 8. a. 6. est Caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundùm omnem locum & tempus & statum: Papa verò est Caput totius Ecclesiæ secundùm determinatum tempus sui Pontificatus, & secundum determinatum statum viatorum. Deinde dico, non deesse illi Christi Vicarium, electum in conspectu Dei ab ipsomet Christo, etsi nondum ab Ecclesia electum. Adfero quadrans exemplum, rem quidem hanc elucidans, ex Actis 2. capite, cum Apostolorum numerus perfectione careret, Matthias loco Iudæ proditoris suffectus est; vbi Petrus inter alios *exurgens in medio fratrum*, quid esset faciendum proposuit, cui etiam absque omni contradictione parendo orantes dixerunt ad Dominum: *tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas*. Nota ly *elegeris*; iam ergo Matthias erat electus à Domino; quod quia necdum innotescebat, orant Dominum, vt dignetur ostendere. Sic euenire dixerim in Pontificis almi ac Summi Successoris Petro electione; vt vel virtute isthæc fundatur ab Ecclesia oratio; *ostende quem elegeris*, Quandoquidem electorum *corda nosti*, nedum antequam eligant, sed priusquam essent. Quòd si præelegerat Deus Matthiam, iam duodenarius erat Apostolorum numerus. Sic iam coram Deo, quis sit successor Pontifex, speciali prouidentia, priusquam quis nominatus sit per vota, electus est; ostenditur autem cum Ecclesiæ accedit electio: ergo non est, vnde exultet hæretica prauitas.

Quod si in hoc interregno Pontificio exoriretur de fide quæstio, cuius definitio perurgeret, & moram omnem excluderet: Dico rarum esse casum: dico etiam, si viuat adhuc Pontifex, oriri posse, ipso grauiter decumbente, aut proximo morti, aut symptomate vel delirio ingruente. Et in hisce casibus ad epychiam recurri oportere; cuius iure, prætermissis verbis legis, licitè sequimur bonum, quod poscit iustitiæ ratio, & communis vtilitas, vt docet D. Angelicus. Esset enim in casu deuolutum veluti ius definiendi ad ipsam Ecclesiam. Et tamen, vt robur omne haberet persunctoria quasi definitio, attenderet iuremeritò à Summo futuro Pontifice confirmationem: iuxta vim verbi Domini Lucæ 22. *confirma fratres tuos*. Sicuti de Marci Euangelio scribit Hieronymus; *quod cum Petrus audisset & probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit*. Quid ergo infesti pulsant hæretici, adeo exosi Maiorem in Ecclesia vnum? quando; rogatus Dominus hic cap. 18, *quis putas maior est in Regno cœlorum?* hic cap. 20. indignationem videns aliorum decem; propè moriturus audiens Lucæ 22. contentionem, *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*; non vno verbo litem restinguit, negans admitti posse primatum; sed conniuet moderaturque potiùs; quam versant quæstionem de regimine, edisserens? & mox Petrum alijs præfert; *rogaui pro te Petre*, &c. Claudo, (nam per transennam veluti hæc acta sunt) plura certe extare in Sancto Euangelio Apostolis promissa, à quibus claret exceptum non esse Petrum: aliàs plura extant, quæ Petro ineluctabiliter conueniunt, non autem vnquam æquali euidentia alijs conueniunt, etsi insensi Romano Solio trahere ad alios conentur: ergo ad summum lis pendet, quanquam, nisi peruicacia deneget, trutina ex parte Petri depressa sit. Ad quem ergo spectabit rem istam dirimere? num vnusquisque pro suo arbitratu sedebit Iudex? Qui caracteres & insignia Maioris habet, definiat. Certè Petrus: nam nulli, vt dixi, quæ Petro commisit Dominus, alij Apostolorum iniunxit; *pasce, confirma, duc in altum*; nulli mutauit nomen, nec toties, silentibus alijs, nisi Petrus locutus est, Dominum interrogans eique respondens. Denique Actor. 10. dixit Angelus Cornelio de Simone; *hic*, (pronomine demonstratiuo, quod valde considerandum est) *dicet tibi quid te oporteat facere*. Et præmisit; *qui cognominatur Petrus*: non sine causa.

Qui-

Quibus omnibus sola potest obsistere pertinacia. Excursio isthæc nostra minimè incongruit; quia vt præmissum est, de Ecclesia fuit sermo primitiua, immo nascente. Inquit autem Augustinus in ps. 44. Apostolos genuisse Ecclesias, Regesque appellatos, quorum Ecclesiæ per verbum veritatis toto terrarum orbe dicuntur filiæ. Opportunè ergo de ipsis, deque ipsorum Apostolica auctoritate introductum est.

VERS. XXIX. *Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa.*

50. Cohærentius nihil. Præfati sumus de Christi Regno in Ecclesia, deque confessoribus eius in sui primordio, nimirum de Apostolis conregnantibus: cur ad commendandam dignitatem & Regis & Regni, non adijceretur *de turba multa*? Prouerb. 14. *in multitudine populi dignitas Regis*: quam sententiam fert Angelicus; vbi de Ecclesiæ corpore cum Apostolo dixerat; sunt autem, inquit, in Ecclesia necessariæ non solùm manus, idest Prælati, per quos alij disponuntur; sed etiam pedes; idest subditi; *in multitudine populi*, &c.

VERS. XXX. *Et ecce duo cæci sedentes secus viam*; &c.

51. Christum Dominum venisse vt lumen mysticè afferret Mundo, testatur ipse dum ait, *ego sum lux Mundi* Ioann. 8. & 9. Scatet sacra Scriptura testimonijs. Zachariæ 3. *adducam semen tuum Orientem*; & cap. 6. *ecce vir, Oriens nomen eius*. Isaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*. Isaiæ 49. *ecce dedi te in lucem Gentium*. Lucæ 1. Zacharias; *illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent*: Ephesiorum 4. *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: & Petrus in prima cap. 3. *qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum*. Isaiæ 35. *Deus ipse veniet & saluabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum*: & cap. 42. *vt aperires oculos cæcorum*. Vnde & Dominus supra cap. 11. Ioannis discipulis, commemorauit primo in loco; *euntes renunciate Ioanni*, &c. *cæci vident*, &c. Et Euangelista cap. 4. illud recolit; *populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*. Vide quam bellè respondet sacer textus, dum eadem phrasi, quæ est in Isaia, inquiunt cæci, Domine, *vt aperiantur oculi nostri*. Non sine mysterio autem duo sunt cæci. Iudaicus populus laborauit cæcitate, iuxta illud Isaiæ 6. *excæca cor populi huius*; de quo E Angelicus. Sed Sapient. 2. vbi dixerunt, *morte turpissima condemnemus eum*, &c. *hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum*, 2. Corinth. 3. *vsque in hodiernum diem, id ipsum velamen, in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum*; &c. *cum legitur Moyses; velamen positum est super cor eorum*; & priùs, *obtusi sunt sensus eorum*. Corda eorum excæcata F ne cognoscant veritatem. De populo etiam gentili scribit ad Ephesios 4. *vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Duplex ergo cæcitas benè in duobus cæcis istis intelligitur. Et sic ex Remigio in Catena supra cap. 9. *duo populi, Iudaicus & Gentilis*. Ad hæc Augustinus 18. de Ciuitate Dei cap. 28. ferens illud Osee cap. 1. *& congregabuntur filij Iuda, & filij Israel, & ponent sibimet Caput vnum*. (Quem locum ad rem affert etiam Angelicus 4. contra Gent. cap. 76.) *Hoc si adhuc velimus exponere, eloquij prophetici obtundetur sapor. Recolatur tamen lapis ille angularis, & duo illi parietes, vnus ex Iudæis, alter ex Gentibus: ille nomine filiorum Iuda, iste nomine filiorum Israel; quia ipse quoque Populus Gentium spiritaliter est in filijs Abrahæ, ac per hoc rectè dicitur Israel*. Tangit autem quod ait Apostolus Roman. 9. *non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen: idest non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine*. Item Ephes. 2. *vbi Christus dicitur summus angularis lapis*, &c. in quo quidem vniuntur parietes, in eo, *qui fecit vtraque vnum*. Huc etiam attinet Ezechielis vaticinium cap. 37. *& faciam eos in Gentem vnam; & non erunt vltra duæ Gentes*: vt expendit G Angelicus. En ergo vnde *turba multa secuta sit Dominum*: en quid isti duo cæci significent; quia vt ait idem Remigius; *de vtroque populo in se credentes Christus illuminauit*. Et quia vt diximus Rex est, non solùm Pater-familias, ac vineæ procurator, Christus Dominus; ecce in Ezechiele; *nec diuidentur ampliùs in duo Regna. Et seruus meus Dauid Rex super eos*; & post *Pastor vnus erit omnium eorum*: & post aliqua iterum; *& Dauid seruus meus Princeps eorum in perpetuum*. Et sic Augustinus legit illud Osee, *& ponent sibi* (Caput) *principatum vnum*. Sicut supra cap. 34. præmiserat Ezechiel, *& suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid: & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum*.

E 2.2.15. & 3.cont. G.c.162.

F 2. Cor. 8.l.5.

G Ephes. 2.l.5.

Quòd si velis; quomodo sibi consonent Prophetarum oracula & Euangelium nosse; recole hic perhiberi cæcos *sedentes in via*. Sed & in Ezechiele præallegato cap. 37. legimus; *saluos eos faciam; de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt*. Ecclesia etiam canit; *ò oriens splendor lucis æternæ sol iustitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris, & vmbra mortis*; vt & Zacharias in Cantico; *in tenebris & in vmbra mortis sedent*. Diuturna die cæcitate; nec ab humanis collyrium quærentes aut sperantes. Et quia Propheta huc adsciscit *Dauid*, non cessant clamare & isti, *fili Dauid*; nam increpante turba *vt tacerent, magis clamabant*. Dicit Zacharias; *per viscera misericordiæ*, Lucæ 1. *Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris*, &c. Ecce clamant, *miserere nostri*: & mox, *misertus autem eorum Iesus*. Sed adhuc prætereundum non est, vno ore vnoque sermone ab vtrisque clamari: eadem enim ipsissima promunt verba: quia vt visum est, Ezechielis 37. *non erunt vltra duæ Gentes*. Et Christus ipse *fecit vtraque vnum*. Et Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides*. Et quia *fides ex auditu*, Roman. 10. ecce *audierunt, quia Iesus transiret. Stetit Iesus, & vocauit eos*. Roman. 9. *quos & vocauit, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*. De hac vocatione ad Galat. cap. 1. *cum autem placuit ei*; &c. *& vocauit per gratiam suam*. Diuina quippe gratia H causat in nobis fidem: Ephes. 2. *gratia saluati estis per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum est*. Ambos etiam simul interrogat, spiritu oris sui: eoquòd inquit Paulus 1. Corinth. 12. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles*; &c. *& omnes in vno spiritu potati sumus*. Ephes. 2. *per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu*. Fasque sit addere 2. Corinth. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei*; quando simul nedum filium Dauid, quod humanitatem concernit; sed *Dominum* quoque vocant, semel & iterum; *Domine miserere nostri fili Dauid*, quod Diuinitatem declarat. Sic Gregorius de Diuo Thoma Apostolo respondente *Dominus meus & Deus meus*; inquit, *hominem vidit & Deum confessus est*: psalm. 67. *Dominus nomen illi*; & Iudith 9. *Dominus nomen est tibi*. 52.

H 3.cont. G.c.152.

53. Hæc autem etiam in Canticis mirè potiùs manifesta cernimus, quàm ænigmatibus tecta perscrutemur. Legitur quippe cap. 8. de Ecclesia militante; *vinea fuit pacifico, in ea, quæ habet Populos. Pacifico* I idest Christo qui pacem attulit Mundo; Isaiæ 9. *Princeps pacis: quæ habet populos*, quia Ecclesia omnes Gentes, intra suum capacissimum gremium recepit. Et quod notatu dignum est, comparatur prius Synagoga muro, in quantum in esse spirituali nondum erat perfecta; quia quanquam staret, ostij perfectiorem metaphoram non subibat; vnde etsi staret, instar muri, alios introducere minus potis erat. *Si murus est*; &c. *si ostium est*; &c. responsio est, *ego murus*. Consectarium autem erat, vt tropologia consimili, & Gentes *paries* dicerentur; vt vterque murus in angulo vniretur. Nam in angulo, inquit Angelicus L duo parietes vniuntur; sic in Christo populus Iudæorum & Gentium vniti sunt. Hinc expendamus, quod dicitur; *stetit Iesus*, non enim vacat mysterio; nam supra capit. 9. *secuti sunt eum duo cæci clamantes*; neque *stetit*. Morale sit; ideo stetisse gradu, quia vt dicitur Isaiæ 30. *propterea expectat Dominus vt misereatur vestri*. Ita & Ambrosius lib. 8. in Lucam, *Dominus miseraturus expectat*. Misericorditer autem se gessit geritque erga Iudæorum populum, iuxta illud Virginis; *suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ*: similiter & respectu populi Gentium, vt ait Apostolus Roman. 15. *Gentes autem super misericordia honorare Deum*: quamuis aliqua ratio iustitiæ apparet M in conuersione Iudæorum, quæ non apparet in conuersione Gentium: sicut quòd saluati sunt propter promissiones Patrum. Dic illud psal. 97. *recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ Domui Israel*. Nihilominus adhuc stat quod cecinit Zacharias Lucæ 1. *ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris*. Et Isaiæ 54. *in miserationibus magnis congregabo te. Et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Moraliter etiam stat, vt tanquam viæ salutis meta terminus ac finis, viam ostendat; tametsi ipse quoque est via veritas & vita, Ioan. 14. Sed quod allegoriæ nostræ deseruit est, ideo stetisse; quoniam solus est lapis angularis, ac fundamentum Ecclesiæ: *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*; 1. Corinth. 3. 1. Petri 2. ex Isaia cap. 28. *ecce pono in Sion lapidem summum angularem*: in Hymno; *Angularis, fundamentum, lapis Christus missus est, qui parietum compage, in vtroque nectitur*. Constat autem, & fundamenti, & lapidis angularis stabilitatem firmitatemque esse. Dicitur autem in ps. 33. *accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum*. Quemadmodum cæci isti quasi vnus *clamabant*: & *accesserunt*. Et Hebræor. 11. *accedentem ad Deum oportet credere*: nam N prima conuersio in Deum est per fidem. Sic Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum ait; *fide verè acceditur ad Iesum*. Accessus ergo interioris, exterior est index, quandoquidem, credunt, propter quod loquuntur; immo clamant, *Domine fili Dauid miserere nostri*. Vnde, & exteriorem vocationem, præcessit sine dubio interior. Et ecce quomodo respondet sacra pagina paginæ. In prima enim sua cap. 2. Diuus Petrus, & de accessu & de vocatione introducit; *ad quem*, inquit, *accedentes lapidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui, superædificamini Domus spiritualis*: & paulo post; *vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum*. Quanquam speciatim ibi loquatur de Gentibus, dicens; *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*. Quam sententiam ex Osee expendit & Paulus Roman. 9. vt hic de tenebris vocati clamant; *miserere nostri*.

I ex vtraque expositi. Cãt. 8. & Isaiæ 9.

L Ephes. 2. 1. 6.

M p. p. 11 4 2.

N p. 2. 113. 4. & 3. p. 85. 5.

Verùm prius memorans lapidem, *ab hominibus* inquit *reprobatum*. Et ecce huius etiam specimen hoc in facto: nam *turba increpabat eos, vt tacerent*. 54.
Quid enim isthæc increpatio? Augustinus de verbis Domini ad morale trahit; *bonos enim Christianos volentes facere præcepta Dei, Christiani mali & tepidi prohibent*. Et huc facit illud psal. 37. *qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*. Nos tamen vlteriùs allegoriæ atque Syntaxi insistentes reperimus, qui increpent, vtroque in populo, & Gentium scilicet & Iudæorum. Vbi enim Genesis 37. *increpauit Ioseph Pater suus*, habet Ambrosius *libro de Sancto Ioseph: obiurgatio autem Patris, quid significat nisi duritiam populi Israel, ex quibus Christus secundùm carnem; quem hodieque Deum esse non credunt, nec volunt adorare quasi Dominum?* Quid mirum, si turba isthæc increpat cæcos mente iam præilluminatos, quòd inclament *Dominum*? Obiurgatio quoque Gentilium qui non credunt innuitur. Ab vno disce omnes. Præfectus quippe Olybrius Virginem Margaritam sic reprehendit: *quid stultius, quàm vt Deum sibi quis faciat crucifixum?* At illa, virtute, etsi non voce magis clamabat, ad hominem vt inquiunt, obuia seductori. *Vnde, dic oro, didicisti Dominum Iesum fuisse Crucifixum? tum Præses; ex libris Christianorum. Cui Margarita; quænam verecundia est, vt cum in eisdem libris legatur, & pœna Christi, & gloria; alterum credatis, alterum respuatis?* Porrò præuiderunt Prophetæ incredulorum perfidiam: Isaias enim cap. 52. ait; *quis credidit auditui nostro; & brachium Domini cui reuelatum est?* Quem locum fert expenditque Ioann. c. 12. Vnde Apostolus Roman. 10. *non omnes obediunt Euangelio*. Et 2. Corinth. 4. *quòd si etiam opertum est Euangelium; in ijs, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi*. Et 1. Corinth. 1. *Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Vtrinque autem deprehenditur non credentium credentes obiurgantium cæcitas. Roman. 11. *cæcitas ex parte contigit in Israel*: de Gentium autem immò stultitia in eos retorquenda; Roman. 1. *dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt*; præmittitur; *obscuratum est insipiens cor eorum*: additque cap. 2. Ecclesiastes, *stultus in tenebris ambulat*. Credentes ergo futuri erant, & non credentes. Hinc Petrus in 1. cap. 2. ecce *pono in Sion*, (ex 28. Isaiæ) *lapidem summum, angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli* (de hoc supra dixi) *& lapis offensionis & petra scandali, his qui offendunt verbo*. Et quo verbo? Liceat accipi de verbo, quod hi promunt cæci; *Domine fili Dauid, miserere nostri*. Cæcorum autem obiurgantium, & non credentium, non fuit vitare impactionem seu scandalum, quia cæcitas ipsa impingit; iuxta illud Leuit. 19. *nec coram cæco pones offendiculum*. At Osee 13. *perditio tua Israel*. Passiuum est, vt inquiunt, infidelium scandalum, de quo Isaiæ 9. *in lapidem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israel*; &c. de quo & Rom. 9. Apostolus.

Possumus hinc habere, cur Dominus præmiserit; 55.
se *venisse dare animam suam redemptionem pro multis*. Nos autem dicamus cum Apostolo Coloss. 1. *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit, in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem*, &c.

Ecce vt hic apud Matthæum, *de redemptione*, vtique *pro multis*; non pro omnibus: siquidem non omnes translati sunt, *in Regnum filij*: de quo Regno paulo ante apud Matthæum. *In partem sortis*: libet exponere secundum alium textum, quam maximè ad rem: Hebræorum enim 3. ibi, *fratres sancti vocationis cœlestis participes*: dicit *participes*, O quia non solum Iudæi vocati sunt ad gratiam fidei, & noui testamenti, sed etiam Gentes. Porrò dum dignos nos fecit *in partem sortis*, referendum est beneficium diuino iudicio; sors enim P nihil aliud est, nisi diuino iudicio quidquam committere. psal. 35. *iudicia tua abyssus multa*. Rom. 11. *quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius*! Sed psal. 18. *iudicia Domini vera iustificata in semetipsa*. Et psal. 118. *cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua*. Notat autem Augustinus in psal. 138. exclamasse Paulum, *ò altitudo* &c. quia supra dixerat; *cæcitas ex parte contigit in Israel*. *Ergo*, Roman. 9. *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Dicamus ad significandam hanc diuinæ electionis felicissimam sortem describi cæcos istos *sedentes in via*: non enim quærebant Dominum; quem inuenerunt: eo fortè sensu, quem profert ex Isaia Apostolus Roman. 10. *inuentus sum à non quærentibus me*. Superest vt rogemus cum Psalte psal. 66. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis*; *illuminet* (siquidem de cæcis agitur) *vultum suum super nos, & misereatur nostri: vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus Gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*: quod iterum repetitur, vt liceat impletum videre plenius, *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi*, psal. 116. Iudæi enim dicuntur populus, Q quia cum lege & sub lege Dei erant; alij dicebantur Gentes, quia non erant sub lege Dei: & quidem communionis fidei societate; vnde subdit, *quoniam confirmata est super nos misericordia eius: Et Veritas Domini manet in æternum*: quod ad Ecclesiam mihi videtur posse referri; vtpote quia ipsa est 1. Tim. 3. *columna & firmamentum veritatis*. Cohærenter textui de cæcis; dum veritas lumen est. Dicit autem Angelicus, ibi *illuminare Ierusalem*; R Ecclesia illuminatur lumine sacræ doctrinæ, spiritualis intelligentiæ, gratiæ, gloriæ, lætitiæ, & diuinæ substantiæ; 1. Tim. vltimo; *qui solus habet immortalitatem, & lucem inaccessibilem*.

O Hebr. 3. l. 1.
P Coloss. 1. l. 1.
Q psal. 2.
R Isa. 60.

56. Quæ hactenus dicta sunt, possent fermè omnia non ægre duobus cæcis supra c. 9. à Domino illuminatis accommodari. Et illi enim duos possunt referre populos, Iudaicum & Gentilem: de quibus aliàs etiam considerauimus c. 14. & 15. cùm turbas miraculosè annona multiplicata saturauit. Quamuis autem, vt dicit Augustinus, sacris litteris magna sit dignitas, quòd eadem res, omni amandata occasione tædij, varijs prodatur modis: nihilominus, hic de duobus populis ad Christum accedentibus, vt innotesceret compactum ex eisdem corpus Ecclesiæ, dixerim introduci. Et præterea, (quod vberiùs exponendum est, vt primitiuæ Ecclesiæ tempus, sub quo id futurum erat, profundiùs alijs cum circunstantijs insinuaretur. Itaque Syntaxi adlaborandum. *Egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa; & ecce duo cæci*. Sanctus Beda relatus Marci 10. inquit *passioni appropinquans, multos ad fidem adduxit; non enim primis incarnationis suæ temporibus, sed paucis antequam pateretur annis mysterium verbi Mundo exhibuit*. Cæterùm quoniam præmittit, *veniens in carne*; potiùs quadrat sententia hæc Instituto Lucæ, qui ait c. 18. *cum appropinquaret Iericho: cæcus quidam*, &c. quando ex Gregorio hom. 11. in Euang. Iericho luna interpretatur, *luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur*. Et ita, dum *Diuinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen quod amiserat recepit*. At hic egrediuntur de Iericho. Vnde tempus illud oportet intelligi, quo post resurrectionem suam, *Redemptor noster iam præsentis vitæ corruptionem transierat*. Immo Ascensionis transitu; quia tunc omnino de Iericho Mundi huius egressus est: & tunc vt patet in Actis & Iudæi & Gentiles cœperunt Ecclesiæ limina terere; cum de Iudæis c. 2. vna die *appositæ sunt animæ circa tria millia*; & c. 4. *factus est numerus virorum, qui crediderunt, quinque millia*. Et sic cap. 10. de Gentibus Cornelius. Vnde postea *cecidit Spiritus-Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro; quia & in Nationes gratia Spiritus-Sancti effusa est*. Et cap. 14. legitur; *cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei*. Ad hæc mirè Augustinus in psal. 138. vbi ad illa verba, *posuisti super me manum tuam*, expendit nobiscum conuersionem Iudæorum, postquam *transijt de hoc Mundo* (Ioan. 13.) *ad Patrem*; quando Actor. 2. *compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos; quid faciemus viri fratres?* Igitur *primò sæui, postea pij; primò irati, postea timidi; primò duri, postea flexi; primò cæci, postea illuminati*. Nec Gentium vocatio secernitur in sequentibus. Vnde ait; *puto quod agnoscamus & in hoc psalmo voces huiusmodi etiam Gentium recordantium infidelitatem suam*. Hinc & Gregorius serm. 2. de Ascensione Domini; *hanc fidem ascensione Domini auctam, & Spiritus-Sancti munere roboratam*; &c.

Consectarium est autem intueamur, quomodo il- 57.
luminati misericorditer fuerint cæci isti, *tetigit* enim *oculos eorum*. Non enim Lucæ 18. cùm alterum cæcum illuminauit, tetigit oculos eius, sed dixit ei *respice*. Neque Marci 10. filio Timæi manum admouit; sed *ait illi; vade, fides tua te saluum fecit*. Supra quidem in Matth. cap. 9. *tetigit oculos eorum*, quod ibi exposuimus; recolique præterea debet S qualiter passio Christi per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem & fidei Sacramenta, secundùm illud Apostoli, (Roman. 3.) *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Veruntamen impræsentiarum aliud astruendum videtur: videlicet vt contactu manus, munus intelligatur Apostolicum; de quibus etiam in Actis cap. 5. *per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*. Vbi Paulus habet ad Corinthios; *non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo*: per manus, inquit, figurantur Prælati, T per quos alij disponuntur: itemque manus significat actiuos. Dic ergo per Apostolos, *quos primo posuit in Ecclesia*, illuminatum fuisse vtrunque cæcum. Et planè sic factum est; secundùm illud Ephes. 3. *mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi; & illuminare omnes*; &c. non solùm Iudæos, V sed etiam Gentiles, per prædicationem & miracula. Ecce iterum duos innui & hic cæcos. Sanè Apostolis dictum est supra cap. 5. *Vos estis lux Mundi*. ex quo canit Ecclesia; *Vos sæcli iusti Iudices, & vera Mundi lumina*. In Cantico Habacuc; *splendor eius vt lux erit; quid est*, inquit Augustinus 18. de Ciuitate Dei cap. 32. *nisi fama eius credentes illuminabit?* Rabanus supra c. 9. *Domino per hoc sæculum transeunte, & in domum suam reuertente, quæ est cœlestis Ierusalem, duo cæci secuti sunt eum; quia per Apostolos multi ex Iudæis & Gentibus, cœperunt eum sequi; & postquam Cœlum conscenderat, in Ecclesia illuminati sunt*. Certè Apostoli famam eius in omnem terram portauerunt; psal.

S 3. p. 48. 6. 1.
T 1. Cor. 12. l. 3.
V Ephes. 3. l. 2.

psal. 18. *in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines Orbis terræ verba eorum*. Et Act. 9. dixit Dominus Ananiæ de Paulo; *vade quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & filijs Israel*. Nam quantùm ad diuulgationem notitiæ Christi, prædicatum fuit Euangelium in vniuerso Mundo, etiam tempore Apostolorum, vt Chrysostomus dicit; licèt non cum pleno effectu, vt in qualibet Gente fundata esset Ecclesia; vt ait p. 2. 106. a. 4. ad 4. Et ecce psalmi 44. concentus; *memores erunt nominis tui*. Hic enim ponitur officium Apostolorum, quod est prædicare nomen Dei; *memores erunt*, idest facient haberi memoriam, *in omni generatione*, quantum X ad locum; X ps. 44. quia in omni parte Mundi; *& generationem*, quantùm ad tempus; quia *Cœlum & terra transibunt*; &c. Item Matthæi vltimo; *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Sequitur; *propterea populi confitebuntur tibi, in æternum, & in sæculum sæculi*: hic enim ponitur fructus; quia omnes populi confitebuntur Christo; & dicit *populi*; quia non solum vnus populus, sed omnes; psal. 66. *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*. Et ecce tangi in Euangelio: *& confestim viderunt, & secuti sunt eum*. Nam & in psal. 96. *annunciauerunt Cœli iustitiam eius*; Cœlorum nomine intellige Apostolos, de quibus psal. 18. *cœli enarrant gloriam Dei*. Sequitur psal. 96. *& viderunt omnes populi gloriam eius*. Inquit ibi Augustinus; *iam omnes populi gloriam Christi confitentur*. Qui hic cæci *confestim viderunt, secuti sunt eum*. Prudenter, quia ex Ioan. 12. *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*: Et quando Ioannis 6. *multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim; numquid & vos vultis abire? respondit ergo ei Simon Petrus; ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* &c. At Ioannes ait; *quod factum est in ipso vita erat; & vita erat lux hominum*. Quare videtur innuisse Petrus quod versamus de luce, quam cæcis, *qui eum secuti sunt*, impertitur. Et velim, præteritum, more cantatissimo Prophetarum, ad astruendam certitudinem, poni pro futuro: ac si diceret Matthæus; *secuturi sunt eum, qui viderunt*. Non hodie aut cras, sed *vsque ad consummationem sæculi*. Quare etsi apostatauerint plures; *quia lux venit in Mundum*; (Ioannis 3.) *& dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera*: quandoquidem psal. 96. *lux orta est iusto*; quandoquidem psal. 111. *exortum est in tenebris lumen rectis*; & Malachiæ 4. *orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ*: nihilominus, quia vt dicitur Ecclesiastes 11. *dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem*, nunquam deficient, qui Christum Solem iustitiæ verumque animarum lumen sequantur. Ipse qui vitem se perhibet; *ego sum vitis vera*, Ioan. 15. semper suos habebit palmites; ipse qui Dominus est ac Magister; Ioan. 13. *vos vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis; sum etenim*, nunquam destituetur seruis ac discipulis: ipse qui Hebr. 1. *hæres est vniuersorum*; psal. 2. *& dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, nunquam eo quod iuris sui est priuari poterit. Ipse denique qui se Pastorem asseuerat bonum Ioan. 10. *ego sum Pastor bonus*; immo 1. Petri 5. *Princeps est Pastorum*, oues qui eum sequantur ex vtroque semper cognoscet ouili: Ioannis 10. *oues illum sequuntur*; sicut hic cæci *confestim viderunt, & secuti sunt eum*.

58. Non sic dictum est, aut dicitur semper de impijs nebulonibus seu tenebrionibus, qui ausi sunt dicere, ex August. tract. 45. in Ioan. *nos sequimini, sectam nostram tenete*; quique vt dicitur Iob 24. *fuerunt rebelles lumini*; recole hæresiarchas tot vbi nam sectatores suos iactent. Videtur de illis impletum illud psal. 20. *fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum: quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*. Tandem *alienum* Ioann. 10. *oues non sequuntur*. Huc facit, quod pius ille Gabriel Actor. 5. dixit prudenter in Concilio, quando interficere cogitabant Apostolos. *Ante hos dies*, inquit, *extitit Theodas, dicens se esse aliquem; cui consentit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est, & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus, in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud; ne fortè & Deo repugnare inueniamini*. Quamuis autem Saulus, *secus pedes Gamaliel eruditus esset*, vt ipsemet Act. 22. testatur, non ei in hoc acquieuit, quoniam immo persecutus est Ecclesiam Dei: vnde Act. ibidem 22. dicit *hanc viam persecutus sum*: & vt fertur etiam cap. 9. onustus epistolis, *si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres*, vinctos inhiauit perducere in Ierusalem. Cohærenter *viam* exprimit, sicuti & cæci præsentes huius certè viæ perhibentur, *secuti Dominum*. Verùm vt ait Gregorius vbi supra Serm. 2. de Ascensione; *hanc fidem ascensione Domini auctam, & Spiritus-Sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt*. Hoc ipsum aliunde habemus; nempe Hebr. 13. *Iesus Christus heri & hodie; ipse & in sæcula*: *heri*, scilicet A in tempore primitiuorum Apostolorum: & hodie, scilicet in tempore isto: *ipse & in sæcula*; Matthæi vltimo; *ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi*. Et sic Isaia 53. *videbit semen longæuum*, vsque ad finem Mundi filios sibi regenerari, B ex virtute mortis eius. Ioan. 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, &c. Ipse Dominus supra cap. 13. *bonum verò semen, hi sunt filij Regni*. Et ecce in hac longæua filiorum sobole, non esse extra Chorum, vt dicitur, cæcos istos confestim donatos lumine; quia inquit ipsemet Dominus Ioan. 12. *dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis*. Haymo sic exponit; *videbit semen longæuum, idest verbum Euangelij in cordibus fidelium, quod æternum est; quia alia lex non succedet*. Lex noua quippe C ostenditur duratura, vsque ad sæculi consummationem. Proinde & Sacerdotium: alias, *translato Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat*. Hebr. 7. Christus autem est *Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech in æternum* psal. 109. vt expendit ibidem Apostolus. Denique Apocalypsis 14. *vidi alterum Angelum* &c. *habentem Euangelium æternum*; quia D nihil succedit per quod euacuetur; quia non succedit aliud Sacerdotium; & quia non succedit noua lex, sicut lex noua successit veteri: & propter fidem; Ecclesiastici 40. *fides in sæculum stabit*. Tu ergo mi lector conclude ex hisce & similibus firmitatem Ecclesiæ, Romanæ ex dignitate Sedis nuncupandæ, quam Diuus Ignatius Ioannis Euangelistæ discipulus Antiochenaque Episcopus appellat, nedum *illuminatam* sed *sanctificatam, Deo dignam, castissimam, Spiritu-Sancto plenam*. Cuius corporis mystici typum gerunt, vt vidimus, duo hi cæci, Christo inseparabiliter iuncti quem fide adhærentes, *secuti sunt*. Sicuti Act. 17. legimus; *quidam verò viri adhærentes ei* (Paulo) *crediderunt*. Ioan. in prima capit. 1. *si dixerimus, quoniam societatem habe-*

A Hebr. 13. l. 1.
B Isaia 53.
C p. 2. 107. 4.
D Apoc. 14. Com. 2.

habemus ad eum, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem.

59. Pro capitis huius coronide, remanet alta perscrutandum indagine, quidnam subsit causæ, quare primitiuæ conflandæ ex vtroque populo Ecclesiæ, tunc tempus fuerit, cum Christus Dominus egrederetur de Iericho? Profunda sanè quæstio; siquidem *omnia tempus habent*, Ecclesiastes 3. *tempus destruendi, & tempus ædificandi: tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* *Iudæa* quippe vt ait Gregorius hom. 20. in Euang. *pro culpa perfidiæ dispergenda erat, & Gentilitas colligenda.* Sub metaphora etiam lapidum in Ecclesiæ ædificationem loquitur Petrus in prima c.2. *& ipsi tanquam lapides viui superædificamini.* Vt ergo opportunum hoc tempus ædificandæ, seu potius superædificandæ Ecclesiæ, quo Dominus se ipsum nobis ablaturus erat, noscamus, egrediuntur de Iericho. Sciendum est autem, vt supra etiam diximus, Sanctam Ecclesiam, quamuis vna sit prout in symbolo, nihilominus duplicem habere statum, triumphantis scilicet, & militantis. De triumphante potissimum accipitur quod apud Apostolum Ephes. 5. *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*; &c. E *gloriosam* scilicet per claritatem animæ & corporis. Videtur omnino ad idem aspexisse Hebr. 12. *Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum.* Christus autem qui est Caput Ecclesiæ, quæ est corpus eius (Ephes. & Coloss. 1.) primò & principaliter est Caput eorum, qui actu vniuntur sibi per gloriam: Ecclesia enim secundùm statum viæ est congregatio fidelium; secundum statum Patriæ est congregatio comprehendentium. Christus autem non solùm fuit viator, sed comprehensor: & ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput, vtpote plenissimè habens gratiam & gloriam. Tunc autem si benè memineris lector, Christus Dominus congregauit fideles comprehensores, quando reliquit hunc Mundum. Ioan. 16. *iterum relinquo Mundum & vado ad Patrem.* Animas tunc Sanctorum, H quas de inferno eduxerat, in Cœlum traduxit; secundum illud psal. 67. *ascendisti in altum, cepisti captiuitatem* &c. quia scilicet eos, qui fuerant à Diabolo captiuati, secum duxit in Cœlum, bona captione captiuos. In sequentia; *redit turmis cum duabus, Angelis & animabus; captiua ducens spolia, redit cum victoria.* Christus enim idcirco *descendit* I *ad inferos*: & vt dicit Augustinus in serm. de Resurrect. in ordine 137. *qui originali peccato adstricti tenebantur, absoluit*: de quibus alibi, *omnes Sancti, qui ante aduentum fuere incarnationis Domini nostri Iesu Christi, fide non alia, nisi quæ nunc est, salui facti sunt.* Zachariæ 9. *tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu; in quo non erat aqua*; scilicet cœlestis refrigerij: L quos eductos de inferno, ad cœlestem Patriam deduceret. Hebr. 9. *introiuit semel in Sancta.* Et non solus, sed cum magno exercitu iustorum. Isaiæ 63. dicunt Angeli, *quis est iste, qui venit de Edom?* & post; *gradiens in multitudine virtutis suæ*: idest, ascendens cum multis fidelibus, quos de inferis potenter secum duxit. Certè quod miremur est, legi apud Marcum cap. 10. *proficiscente eo de Iericho*: cur non dicit proficiscentibus eis de Iericho? Noluit, quod facilè debuerat pluraliter loqui; nam pluraliter præmiserat *& veniunt Iericho*: sed sic pluraliter egressum de Iericho signanter præsupposuit soli Matthæo denarrandum; quia Matthæi erat triumphantem Ecclesiam lineare; cuius plura membra secum de Iericho Mundi huius transferret: de quibus crediderim dici & in psalm. 23. *hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob*: nam mox de ingressu Christi subiungitur; *attollite Portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Prouerb. autem 14. *in multitudine Populi dignitas Regis.* Et adhuc id ipsum voluit in cæcorum illuminatione indicari, quia hunc ascensum Domini, egressumque de Iericho, præcessit illuminatio eorum Patrum; Ecclesiastici 24. *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in Domino*; quia M iustos illuminauit: nam Abraham Isaac & Iacob, & cæteros iustos traduxit; idest N *longè ab hoc Regno tenebrarum ad Cœlum duxit*, vt glossa ibidem dicit. Et Apoc. 21. *vidi Ciuitatem, &c. habentem claritatem Dei.*

60. His prælibatis quæsito respondeamus decens est. Dicendum ergo; tunc fuisse opportunum tempus Ecclesiam militantem primitiuam in duobus adumbrare cæcis illuminatis, quando ipse cum suis de Iericho egressus est; quia militans Ecclesia exemplum est triumphantis, triumphans exemplar: triumphans est Prototypum, militans imago. Hinc Angelicus; O Ecclesia militans à triumphante Ecclesia per similitudinem deriuatur: vnde & Ioannes in Apocalypsi (cap. 21.) *vidit Ierusalem descendentem de Cœlo*; & Moysi (Exodi 25.) dictum est; *inspice & fac, secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exemplar quippe prius est exemplato: P quod propriè dicitur exemplum. Et naturaliter inferiora tendunt in similitudinem superiorum. Hinc non fuerit absonum, difficilem illam capere Domini sententiam Ioan. 16. *Si enim non abiero Paracletus non veniet ad vos*: expediens enim fuit, vt Ecclesiæ in terris pleniorem Spiritus-Sancti sanctificationem, præcederet (causa quæ supra) vnà cum Christo in Cœlum cum plenitudine gratiarum, Ecclesia sanctorum. Exigebat præterea dicendorum series nexusque dictorum, vt de Ecclesia triumphante, in Christi egressu de Iericho, tangeretur.

E Ephes. 5. l. 2. & 3. p. 1. 3. 1. 2.
F 3. p. 8. a. 3.
G 3. p. 8. a. 4.
H 3. p. 57. a. 6. & E. 4. l. 3.
I 3. p. 52. 5.
L opusc. 58. a. 8. & Apoc. 5. com. 1. in initio.
M 3. p. 52. a. 1.
N 3. p. 52. 5.
O 4. cont. Gent. c. 76. & 4. sent. dist. 49. q. 1. a. 1. in sed contra
P Hebr. 8. l. 1.

CAPVT XXI.

1 *ET cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad Montem oliueti: tunc Ie-*
sus misit duos discipulos, 2 *dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim*
inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi: 3 *& si quis*
vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. 4 *Hoc au-*
tem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. 5 *Dicite filiæ Sion:*
Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. 6 *Euntes*
autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus. 7 *Et adduxerunt asinam, & pullum: & impo-*
suerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. 8 *Plurima autem turba strauerunt*

Mar. 11. a. 1. Luc. 19. c. 20. Isai. 62. d. 11. Zach. 9. c. 9.

runt

Psal. 117. d. 26. runt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: 9 tur-
Mar. 11. b. 9. bæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid: be-
Luc. 19. g. 38. nedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. 10 Et cum intrasset Ierosolymam,
Io. 2. c. 14. commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? 11 Populi autem dicebant: Hic est Iesus Pro-
pheta à Nazareth Galilææ: 12 Et intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes,
Deut. 14. e. 25. & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: 13 &
Isa. 56. c. 7. dixit eis: Scriptum est. Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam
latronum. 14 Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. 15 Videntes autem
Ier. 7. b. 11. principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes:
Ps. 8. b. 3. Hosanna filio Dauid: indignati sunt, 16 & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit
eis: Vtique, nunquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? 17 Et re-
lictis illis, abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam: ibique mansit. 18 Mane autem reuertens in
Mar. 11. b. 13. Ciuitatem, esurijt. 19 Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam: & nihil inuenit
in ea, nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: Et arefacta
Mar. 12. c. 20. est continuò ficulnea. 20 Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuò aruit?
21 Respondens autem Iesus, ait eis: Amen dico vobis: si habueritis fidem, & non hæsitaueritis,
non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet.
Sup. 7. a. 7. 22 Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23 Et cum venisset in tem-
1. Ioa. 3. d. 22. plum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: In qua po-
Mar. 11. d. 24. testate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24 Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo
vos & ego vnum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc fa-
Luc. 20. a. 2. cio. 25 Baptismus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, di-
centes. 26 Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixeri-
Sup. 14. a. 5. mus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. 27 Et re-
spondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis, & ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate
hæc facio. 28 Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad pri-
mum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29 Ille autem respondens, ait: Nolo. Po-
stea autem pœnitentia motus, abijt. 30 Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille re-
spondens ait: Eo, domine, & non iuit. 31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei:
Primus. Dicit illi Iesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum
Dei. 32 Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei, publicani autem, & me-
retrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei. 33
Mar. 12. a. 9. Aliam parabolam audite. Homo erat pater-familias, qui plantauit vineam, & sepem circunde-
Luc. 20. b. dit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus
Isa. 5. a. b. est. 34 Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt accipe-
Ier. 2. d. 21. rent fructus eius. 35 Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt,
alium verò lapidauerunt. 36 Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.
37 Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. 38 Agricolæ
Inf. 26. a. 3. & 29. a. 2. videntes filium, dixerunt intra se. Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæredita-
tem eius. 39 Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. 40 Cum ergo venerit
Ioa. 12. g. 51. dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? 41 Aiunt illi: Malos malè perdet: & vineam suam
Ps. 117. d. 22. locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42 Dicit illis Iesus: Nunquam le-
Act. 4. b. 11. gistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A
Rom. 9. g. 33. Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: 43 ideò dico vobis, quia auferetur à
vobis regnum Dei: & dabitur genti facienti fructus eius. 44 Et qui ceciderit super lapidem istum,
1. Pet. 2. a. 7. confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. 45 Et cum audissent principes Sacerdotum,
& Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quòd de ipsis diceret. 46 Et quærentes eum tenere, ti-
muerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

VERS. I. *Et cum appropinquasset Ierusalem, &c.*

1. Ingressus Saluatoris nedum in Ierusalem denarratur, sed super iumento sedisse; iuxta quod Zacharias cap. 9. prædixerat. Quamuis autem factum hoc in sui exordio potuisset videri ignobile: nihilominus vt ait Basilius; *sic quoque docet nos, & infima opera plurimo cum affectu & studio aggredi, scientes, quòd quicquid intuitu Dei fit, non est paruum, sed dignum in Regno Cælorum*: Hinc Chrysostomus; *non quidem quòd ex necessitate à monte Oliueti vsque Ierusalem, super pullum ire Dominum oportebat; cum Iudæam & omnem Galilæam pedes perambulauerat; sed signum erat, quod fiebat.* Et iam non multam fuisse distantiam indicat Euangelista dicens; *& cùm appropinquasset Ierusalem*: nam Bethphage in latere montis Oliueti vno milliario distabat ab Ierusalem; vt ait Remigius. Porro Zachariæ vaticinium, cùm Propheta Dei esset, factum extollit: cuius Prophetiæ impletiò latebat tunc etiam discipulos. Vnde scribit Ioannes cap. 11. *hæc non cognouerunt discipuli eius primum,*

mùm, sed quando glorificatus est Iesus. Operæ-pretium est autem expendamus Zachariam, non enim eadem sunt omnino verba, in Vulgata ac in Matthæo; sed certè sententia eadem est, quamuis Matthæus subticeat aliqua, pluraque vt de asina, solo commemorato pullo, cœteri prætereant Euangelistæ. Mitto quod Augustinus discurrit libro 2. *de consensu Euangelistarum* suo cap. 66. vbi studiosè curat Septuaginta Interpretum literam ab omni tueri labe, quanquam nihil de asina dixerint: neque enim tanti facit Ecclesia illorum conuersionem ex Hebræa. Igitur; *ecce*, inquit Zacharias, *Rex tuus veniet tibi, iustus & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*: præmittitque *exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem*. Matthæus sic. *Dicite filiæ Sion; ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis*. Exploratum est ab eadem radice, nedum pauper & inops, sed mansuetus ac mitis, verissimè dici: absque punctis tres literæ quarum vltima sit *iod* sonant pauperem: tres literæ similiter, quarum duæ priores sunt eædem, sed tertia loco *iod* sit *vau*, mansuetum significat. *Iod* & *vau* similes valde sunt; differunt solùm quia *vau* longior est, quàm sit *iod*. An Zacharias scripserit cum *vau nganu*, vel cum *iod*; *ngani*, sic & Matthæus, Deus scit. In Zacharia exemplaria ostendunt *iod*, ideo legimus *pauper*: In Matthæo credi potest fuisse *vau*; ideo translator posuit *mansuetus*. Nisi describentes fuerint diuersitatis in causa; quorum stylus *iod* loco *vau*, vel è contra exarauerit; sicuti & in psalmo 21. vbi nunc hebræa legit *chaari* cum *iod*, legendum rationabiliùs contêdimus *caru* cum *vau*: sed vitio Scriptorum seu potiùs oscitantia degenerasse literam *vau* in *iod*. Quicquid sit; Matthæus potuit Spiritu-Sancto ductus, quanquam *iod* esset in Zacharia, Prophetiam extensiùs enucleare apponendo *vau*; vnde legi seu transferri deberet *mansuetus*; quoniam & radix cohærentis intelligentiæ huius fœcunda est: neque radicis eiusdem vim, cùm scriberet Zacharias per *iod pauper*, voluit Spiritus-Sanctus sic præcidere, vt non posset Christi quoque mansuetudini adstipulari. Præsertim quia appropinquabat passioni: inter fructus autem Spiritus-Sancti enumeratur mansuetudo, quæ, vt docet Angelicus p. 2. q. 70. 3. efficit, vt æquanimiter tolerentur mala illata, dum cohibet iras. Ipse autem tanquam *agnus & ouis*, Isaiæ 53. sine iræ vllius motu iturus erat & passurus mortem.

2. Non sic impletum est, quòd alij, Matthæo excepto, nihil de asina dixerint Euangelistæ. Ait enim Augustinus; non esse repugnantiæ suspicionem, quamuis Matthæus de pullo taceret, solamque commemoraret asinam. Nam Ioannes etiam tacet, quemadmodum Dominus discipulos suos ad hæc animalia sibi adducenda miserit. Angelicus causam requirens inquit, A Matthæus Euangelium suum scripsit Iudæis, ideo mentionem facit de asina, per quam signatur Synagoga Iudæorum; quæ fuit quasi Mater Gentium in spiritualibus; quia *de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem*. Alij verò Euangelistæ, quia Gentibus Euangelium scripsere, faciunt mentionem de pullo: Asellus enim, quod est animal rude, significat populum Gentium. Sic fuit sensus Hieronymi; *Asina autem ista, quæ subiugalis fuit & edomita, & iugum legis traxerat, Synagoga intelligitur: Pullus asinæ lasciuus & liber, Gentium populus*. Chrysostomus ad idem; *Asina & pullus eius, Iudæi sunt & Gentes: Deum vel Dei filium non cognoscentes. Est enim animal hoc immundum, irrationabile, stultum & infirmum, & oneriferum magis. Sic fuerunt homines ante Christi aduentum, idololatriæ passionibus diuersis immundi*. Habes quoad iugum (ideo exprimit *subiugalis*)

A Ioan. 12. l. 3.

Act. 15. *iugum quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*; de iugo legalium cæremoniarum: quoad ignorantiam, dic in increpationem Iudææ Isaiæ 1. *cognouit Asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit*; & de Gentibus 1. Thess. 4. *non in passione desiderij; sicut & Gentes, quæ Deum ignorant*. Apud Marcum & Lucam de pullo ait Dominus; *super quem nemo adhuc hominum sedit*. Idem dic sedere super pullum, ac super eum ascendere: iuxta quod Isaiæ 21. legimus, Cyrum futurum fuisse *ascensorem asini, & ascensorem cameli*. Habet Marcus c. 11. *super quem nemo adhuc hominum sedit*. Quod & Lucas. Supra pullum Gentium, nemo adhuc hominum sederat, vel ascenderat. Ascendere metaphoricè dicitur Deus B in cor hominis, B 3. p. 57. a. 1.
quando cor hominis se subijcit & humiliat Deo: Sic, aliàs Angelicus. *Gentes*, ait Apostolus, Roman. 2. *quæ legem non habent*: non enim Gentibus data est lex, sed Iudæis; secundùm illud Eccles. 24. *legem mandauit Moyses in præceptis* C *iustitiarum*, &c. C Rom. 2. l. 3.
& Deut. 33. *legem præcepit nobis Moyses*; &c. Dic ergo nullum legislatorem sacrum habuisse eousque Gentes; ideo de pullo sic Dominus locutus est; *super quem nemo adhuc hominum sedit*: psal. quippe 9. canitur; *constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant Gentes quoniam homines sunt*. Opportunè autem ipsum Dominum nostrum Iesum, legislatorem hic agnoscimus; quia & Regem; *ecce Rex tuus* & iudicem, qui *malos malè perdet*: ergo non potuit non commendari legislator; quando Isaiæ 33. hæc tria iunguntur; *Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster; ipse veniet & saluabit nos*; sicut hodie clamant *Hosanna*. Vtrumque ergo populum dignatur Dominus colligere in vnum, & ad se ministerio Apostolico trahere, vt capite præcedenti diximus de duobus cæcis. Ita Chrysostomus super Matthæum *soluitis per doctrinam vestram & per miracula vestra, quia omnes Iudæi & Gentes per Apostolos sunt liberati*. Et Angelicus hanc vtriusque populi notat coniunctionem; D additque in Ioannem scripturam aliam Isaiæ 32. ad idem; *beati qui seminatis super omnes aquas; immittentes pedem bouis & asini*. Quamuis aliàs Deuteronomij 22. huiusmodi vetita essent, vt ibi expositum est; *non arabis in boue simul & asino*. Sed Haymo rem explicat; *bouis & asini pedem, idest Iudaici ac Gentilis populi: per bouem qui mundum animal est, & iugum trahit, Iudaicus populus designatur, qui præcepta Dei longa per tempora custodiens, mundus extitit, & graue iugum legis sustinuit: asinus autem immundus gentiles immundos, per varias idololatriæ sordes, significat*. Dic autem in Zacharia metaphoram inuerti, multiplici de causa, quam mox aperiam. D D.Th. hic & lo. 12. l. 3.

In primis itaque iumentorum duntaxat est introductio, quia in hisce, mansuetudinis specimen clarum est. Non ergo ferocem voluit equum ascendere, sed mite animal; quando tanquam Rex mansuetus ad nos venit, vt Matthæus exprimit. Sanè debuit esse mansuetus, de quo Isaiæ 16. *emitte Agnum Domine dominatorem terræ*. Crudelitas hominem bestialem facit. Seneca ponit exemplum de Rege Apum dicens; *iracundissimæ, ac pro captu corporis pugnacissimæ sunt Apes, & aculeum in vulnere relinquunt: Rex ipse sine aculeo est. Voluit ipsum natura nec sæuum esse, nec vltiones in magno constitutum petere; telumque detraxit, iramque eius inermem reliquit*. Deum ergo se ex hoc ostendit Saluator; quandoquidè Ioelis 2. *ipse benignus est & misericors & præstabilis super malitia*: Sap. 12. *parcis omnibus, quoniam tua sunt*. Accipe E ab Angelico & alia. Tempestiuè etiam mansuetus describitur; quia & Iudæorum & Gentium multiplicanda fides innuitur: 3. E opusc. 41. l. 1. c. 14.

ceci-

cecinit autem Dauid 2. Regum 20. *mansuetudo tua* F Ser. 4. *multiplicauit me*. F Vnde Bernardus; *omnino currimus post te bone Iesu, propter mansuetudinem tuã.* Sanè excelluit hac virtute Dauid; psal. 131. *memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Dicit autem Chrysostomus; *multoties Prophetæ Dauid Christum nuncupant, propter originem Christi ex Dauid secundùm carnem.* Et Augustinus 18. de Ciuit. c. 34. *Ezechiel quoque more prophetico per Dauid Christum significat, quia carnem de Dauid semine assumpsit.* Itaque idem Chrysostomus super Matthæum ait; *non vt propter potentiam timeretur, sed vt propter mansuetudinem amaretur: vnde non sedet in curru aureo pretiosa purpura fulgens, nec ascendit super feruidum equum discordiæ amatorem & litis, sed super asinam tranquillitatis & pacis amicam:* De iumentis Aug. in psal. 96. *iumenta mitia, non recalcitrantia, non collum superbum aduersùs iugum excutientia.*

4. Verùm adhuc addendum; ad humilitatis indicium, iumento vsum. Supra duo hæc iunguntur *discite à me quia mitis sum & humilis corde: ngani* autem & *nganú* nedum mansuetum sed & humilem significant. Dicit autem glossa ad illud Philipp. 2. *humiliauit semetipsum, &c. vsque ad incarnationem, vsque ad diaboli tentationem, vsque ad populi irrisionem, vsque ad vincula, vsque ad flagella, vsque ad sputa, vsque ad alapas, vsque ad mortem: & si parum est hoc; vsque ad mortem Crucis.* Hinc Hebræor. 5. *sic & Christus non semetipsum clarificauit,* &c. & ipsemet Ioan. 10. *ego gloriam meam non quæro.* Pauper etiam vbique dignosci voluit 2. Cor. 8. *propter vos egenus factus est:* quod plus est quàm G 2. Cor. 8. l. 2. pauper; G nam egenus dicitur ille, qui non solùm parum habet, sed qui indiget, seu necessarijs eget. Lucæ 9. *filius hominis non habet, vbi caput reclinet.* Et iam in litera; *dicite quia Dominus his opus habet.* Hac vel vnica Zachariæ prædictione prophetica, qua venturum Messiam dicit, mansuetum humilem pauperem, (*ngani* siquidem pauperem etiam & inopem significat) eliditur crassus Iudæorum error; quippe qui, vt Petrus Costus in hebræorum libris apprimè versatus, (quod refert Maluenda de Antichristo lib. 6. c. 22.) ait; *suum Messiam imperandi cupidum, & popularis gloriæ summè appetentem faciunt.* Sic Theophylactus in Catena Ioan. 12. *Iudæi expectabant quendam exurgere in Regem maiorem quàm secundum humanam naturam, saluaturum eos à Romanorum iurisdictione.*

5. Tandem cur Bouis non fiat hic introductio, quod quærebatur, qui robur & fortitudinem præsefert, (quamuis aliàs offerretur Christus in vitulo, vt ait H p. 2. 102. l. 2. glossa H propter virtutem Crucis) alia profundior esse potest ratio; quia vt ait Augustinus tract. 15. in Ioannem, *inuenimus virtutem Iesum, & inuenimus infirmum Iesum: fortem & infirmum. Condidit nos fortitudine sua; quæsiuit nos infirmitate sua.* Nunc quidem se fortem ostendit, præscius futuri, flexanimus, & acclamatus; sed quia morti obuius iam properat Ierusalem, suam quoque infirmitatem reuelat iumento vectus; eoquòd exaltandus erat præhumiliatus: Philipp. 2. *humiliauit semetipsum &c. propter quod & Deus exaltauit illum.* Et licet solo in asello infirmus potuerit ostendi, asinam adhuc adduci voluit; altiori mysterio, quod in Syntaxi scrutabimur. Grandis enim subest difficultas, cur asinam & pullum præcipiat, quando ad ingrediendum Ierusalem pullus sufficiens erat. Super eum enim sedit, de quo solo meminerunt alij Euangelistæ. Quocirca Hieronymus; *sed videtur, quòd super vtrumque animal in pauco itineris spatio Dominus sedere nequiuerit: ergo cum historia, aut impossibilitatem habeat aut turpitudinem, ad altiora transmittitur; idest ad mysticum sensum.* Angelici huc facit doctrina I & adnotatio. Prophetiæ, inquit, aliquando dicuntur de rebus, quæ tunc temporis erant; sed non principaliter dicuntur de eis, sed in quantùm figura sunt futurorum; & ideo Spiritus-Sanctus adordinauit, quòd quando talia dicuntur, inserantur quædam, quæ excedunt conditionem illius rei gestæ; vt animus eleuetur ad figuratum: sicut in Daniele multa dicuntur de Antiocho in figura Antichristi; quæ in Antiocho non sunt completa, complebuntur autem in Antichristo. Et exemplificat ibi, & alibi L de psal. 71. qui est secundùm titulum *de Regno Dauid & Salomonis*, sub quibus non sunt completa quæ cuncta dicuntur, sed in Christo. Non secus dixerim impræsentiarum, iussum esse de asina pro mysterio, quanquam in ea non sederit. Sed sustine ad Syntaxim; quomodo verum sit, quod ait Zacharias; *& ascendet super asinam & pullum filium asinæ:* itemque Matthæus; *sedens super asinam & pullum subiugalis:* & mox *imposuerunt super eos vestimenta sua*; non dicit; *super eum*.

I Prolog. Psalmos.

L Matth. 1. versus finem.

Occurrit autem hic primò quærendum, quidnam intelligatur pro filia Sion. Rabanus hic, *filia Sion historialiter dicitur Ierusalem ciuitas.* Sic & Augustinus relatus Ioan. 12. *in illo populo erat filia Sion; ipsa est Ierusalem.* Diuus Thomas; M plebs Ierusalem, quæ subiecta erat monti Sion. Sion autem erat Arx in Ierusalem N vbi erat habitatio Regis: filia ergo Sion est plebs Ierosolymorum: addit; & Iudæorum, qui subditi erant Regi Ierusalem. Item ad Romanos; Populus Iudæorum O significatur per Sion, quæ erat Arx Ierusalem; quæ est metropolis Iudææ. Quamuis autem nihil prohibeat, sic pro *filia Sion*, vniuersos Iudæos intelligi: vnde hoc solum de Zacharia sumpserunt Euangelistæ Matthæus & Ioannes: nihilominus Propheta distinxit dicens nedum, *exulta satis filia Sion*, sed *iubila filia Ierusalem*. Quare & hic lateat oportet secretior intelligentia; quæ pro Syntaxi. Huiusmodi autem phrasis hebraica passim inuenitur in Scriptura 1. Regum 26. *viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos.* Sed hoc exponitur P quia morte dignissimi erant, eamque valde merebantur. Item Isaiæ 1. *in cornu filio olei.* Quod exponitur dici Q propter abundantiam: & ita, *in cornu filio olei*, idest habentem multum oleum. Sic Zacharias ipse c. 4. *isti sunt duo filij olei.* Quocirca Maluenda de Antichristo lib. 9. cap. 14. *hebraica phrasi, quæ filium olei nuncupat pinguissimum, fertilissimum, vberrimum, opimum.* Sic Isaias terram sanctam appellat *cornu filium olei*; vbi Chaldæus *interpretatur terram pinguem; Septuaginta, locum pinguem.* Dic tu ob communicatam ab Arce Sion securitatem vrbi Ierusalem. Nam vt apud Lauretum in Sylua v. *Ierusalem; Collis Sion, seu mons, est in quo erat Arx munitissima Iebusæorum, quam cepit Dauid, & fortiorem reddidit.* Vide 1. Paralipomenon cap. 11. Erat ergo in tutamen Ierusalem Arx Sion, qua proculdubio muniebatur, & custodiebatur, sicut filiam custodit Mater, quæ prædilectam semper habeat ob oculos. Vnde & *Sion* interpretantur *speculam*. Fortis erat Sion, fortis ex Sion Ierusalem: vtrobique fortitudo, etsi vna ab altera: ecce filiationis similitudo. Illud inquit Angelicus, R quod habet magnam affinitatem ad alterum, dicitur in Scripturis eius filius. Et sic ibi ad Thessalonicenses habet Apostolus; *omnes vos filij lucis estis, & filij diei:* qui ergo participant multum S de die & luce, dicuntur eorum filij.

6.

M D. Th. hic.
N Ioan. 12. l. 3.

O Rom. 11. l. 4.

P 1. sent. 5. in expo sit. t. & 3. sent. 4. ex pos. t.
Q 1. Tes. 5. l. 1.

R 3. sent. 4. q. 3. expos. t.

S 1. Thes. 5. l. 1.

7. Occurrit secundò quæstio; quia inquit Zacharias; *ecce Rex tuus veniet tibi, iustus & Saluator.* Quo sensu hic memoretur *iustus*, non claret; cùm immo, vt dicitur Titi 3. *per suam misericordiam saluos nos fecit:* & iam ei acclamatur *Hosanna*. Sed sciendum

est,

est, non sic misericordem esse Deum, vt desinat esse iustus; psal. 24. *vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*; & psal. 111. *exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus*. Ve-
T p. p. 21. a.4. runtamen cùm virtus misericordiæ præualeat T, quia in opere misericordiæ fundatur opus iustitiæ, remanet adhuc requirendum, cur *iustus* prius dicat Zacharias, deinde *saluator*? Solutio est ex Angelico
V psl. 47. V ibi; *iustitia plena est dextera tua; lætetur mons Sion*: quia iustitiæ est, quòd promissio seruetur: &
X p. p. 21. 4.4. aliqua ratio iustitiæ apparet X in conuersione Iudæorum, quæ non apparet in conuersione Gentium; sicut quòd saluati sunt propter promissiones Patribus factas. Hinc Roman. 15. *propter veritatem Dei; ad confirmandas promissiones Patrum*. Quod tamen grano salis intelligendum est; quandoquidem Abrahæ promissa est etiam benedictio quoad Gentes; Genesis 22. *benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ*. Vnde ad Galat. 3. *vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu*. Hinc Hieronymus; ibi Matthæi 15. *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel; non hoc dicit, quin & ad Gentes missus sit; sed quòd primùm ad Israel missus est*. Cæterùm etsi hoc verè dicatur, non omnino euacuat difficultatem, neque iustitiæ promissionis eneruat vim, etiam ad Gentes, productæ. Quare vt discrimen eluceat, perpendendum est, quod exprimit
A 1. p. 42. 1. Angelicus; A vt ostenderet inquit per suum aduentum impleri promissiones; antiquitus factas Iudæis, non autem Gentilibus. Dic itaque de Gentibus etiam saluandis fuisse à Deo misericorditer promissum; sed promissio non fuit facta Gentibus: ideoque ipsæ Gentes nil iuris habebant, in quo possent vrgere diuinam elementiam: benè verò instare potuissent antiqui Patres, & de sobole Iudæorum conuenienter in-primis visitanda, & de Gentibus benedicendis, *propter veritatem Dei*. Ideo ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones*; Et prius Roman. 9. *quorum obsequium, & promissa*. De Gentibus autem dicit Ephes. 2. *promissionis spem non habentes*. Ecce ergo, quare *iustus* memoretur in Zacharia: cuius auctoritas hic inducitur ab Euangelista, dum ad Iudæos solemni quadam pompa sibi à populo exhibita ingreditur. *Dicite* ergo *filiæ Sion; ecce Rex tuus*; iuxta quoque illud psal. 2. *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*:
B psal. 2. idest B super populum Iudæorum, qui erat in Ierusalem; cuius Arx est Sion;

8\. Occurrit tertiò examinandum, quare Matthæus testimonium allegans ex Zacharia, tacuit illud *iustus*? Et respondendum videtur, quandoquidem Sancti Patres prætererunt; si de iustitia promissionum titulo intelligatur, satis innui in eo quod ait ex Propheta; *dicite filiæ Sion*: siquidem Iudæorum visitationem dici aut annunciari non poterat, nisi vi promissionum, proinde vi veritatis iustitiæque simul. Et ideo Zacharias Baptistæ Pater in Cantico, hoc nobis dicens; *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ*, mox adiecit; *iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum*; &c. Et Virgo similiter in Cantico; postquam dixit; *suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ*; quod *ad Israel carnaliter referri posse* ait Sanctus Beda, *ex quibus infiniti crediderunt*; adiunxit pro iustitiæ titulo; *sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula*. Inane enim esset quidquam dicere, nisi auctoritate Scripturæ firmatum esset. *Dicite* ergo *filiæ Sion*: hoc est recolite Scripturæ promissiones pro filia Sion. Quòd si ly *iustus* vindicatiuam, seu punitiuam concernat iustitiam, quæ secundo Christi Domini aduentu manifestabitur; potuit Matthæus vocem eam subticere; tùm quia primum aduentum in mansuetudine exhibebat: tum etiam quia paulo post iudicij iustitiam pandit, effectu secuto, quando *eiecit omnes vendentes & ementes in templo*, &c. & infra cùm inquit ex ore Domini; *Rex iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit*. Denique dico anagogicum subesse sensum, de quo in Syntaxi; ideo nec de speciali promissionis iustitia, nec de punitiua mentionem fieri ab Euangelista. Occurrunt circunstantiæ facti huius, certè magni momenti, vtpote à Matthæo non prætermissæ, ponderandæ: quemadmodum de omissione prophetici præludij; *exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem*. Sed ad Syntaxin attinent; vt Domino largiente edisseremus.

VERS. VIII. *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua*; &c.

Hoc præstiterunt Domino prompti ac officiosi animi obsequium: *strauerunt que viam ramis arborum pedibus asini, nec vbi offendat in lapidem, nec calcet spinam, nec labatur in foueam*, vt ait Hieronymus: subditque *cumque opere cuncta fecissent, vocis quoque tribuunt testimonium; nam sequitur, turbæ clamabant dicentes; hosanna filio Dauid*; &c. 9.
Chrysostomus, *hosanna*, inquit, *saluos fac* interpretatur. Augustinus; *hosanna vox est obsecrantis, magis affectum indicans, quàm rem aliquam significans*. Beda & Remigius astruunt vocem esse ex duplici alia compositam; scilicet ex *osi* corrupta voce, nam deberet dici *osinga* & ex *anna* integra voce, quæ est interiectio obsecrantis: vnde sonet *salua obsecro*: quamuis cum *h* aspiratione scribendum sit ly *hosi* & *hosinga*. Hieronymus recolit psal. 117. vbi legimus, *ò Domine saluum me fac*, in hebræo pronunciari *ngaanna adonai hosingah na*. Quapropter, vt adamussim rem examinemus; sciendum est apud hebræos verbum *hosiang*, quod est radix, significare *saluauit, liberauit*; à radice *iasang*: *Na* est interiectio precatiua, sicuti *anna*: vnde illud psalmi 117. *hosingah na*, reddit *salua quæso*. Ex quo hebræorum turba hic ita clamabat *hosingah na*: sed Nostri, vt periti radicum in Dictionarijs dicunt, chaldaico more verterunt *hosangna*: tu dic latino sono *hosanna*. Igitur *anna*, seu etiam *na*, valet pro interiectione *ò* obsecrantis: & interdum etiam *anna*, sonat nostrum latinum *ah*. Et quia in psalmo 117. vtrumque extat *anna adonai hosingah na*: non fuerit incongruum, si adhuc legeretur, *ah Domine salua quæso*. Quamuis in eo quod nos legimus, *ò Domine* &c. iam subintelligatur ly *quæso*; siquidem planius litera *ò* interiectio est obsecrantis. Et ideo inquit Hieronymus; *manifestius interpretatus est Symmachus*, dicens; *obsecro Domine, saluum me fac*. Verùm simplex exclamatio, *ò Domine*, indicat satis obsecrationem, quia de bono salutis adiectum est; *salua*, seu, *saluum me fac*. Diuus Thomas hic breui; *hosanna*; obsecro salua: *anna* affectum dicit obsecrantis: Sed addo interiectionem hebraicam *na* valere etiam pro *eia*.

Ex Angelico; C Spiritus-Sancti instinctu sic clamabant. Quod sane in dubium verti nequit: ita 10. C ps. 8.
vt fas sit dicere; vox populi, vox Dei. Quomodo enim nisi desuper illustratæ potuissent *turbæ, & quæ præcedebant, & quæ sequebantur*, elogia Domini vnanimiter decantare? Vnde nouerant Regem, vt procederent prius, quod ait Ioannes cap. 12. *obuiam ei*? Et de qua obsecrabantur salute? nunquid omnes infirmitate aliqua laborabant? Sanè non peterent ab eo salutem, quem non crederent Saluatorem. Loquuntur ergo eo spiritu, quo Ieremiæ 31. prædicitur canendum *hosang adonai; ngamecha*;

 salua

salua Domine populum tuum; & Iacob Patriarcha Genes. 49. animæ suspirio aiebat, *salutare tuum expectabo Domine*; non temporalem aliquam aut transitoriam salutem, sub Samsone vel Gedeone, quod excludit ibi & Paraphrasis Chaldæa, sed animæ. *Non expecto salutare Gedeon filij Ioas, quæ est salus temporalis; neque salutare Samson filij Manue, quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Christi, filij David, qui venturus est*, &c. *cuius redemptionem desiderat anima mea*: nam *Iesungadah* vt eruditiores probant, dicitur significare salutem in hoc seculo & in futuro: de qua toties, in psalmis præcipue; vt non nisi temere possit ab Iudæis detorqueri ad temporalia: ps. 118. *defecit in salutare tuum anima mea*: & iterum; *oculi mei defecerunt in salutare tuum*. Et rursus *concupiui salutare tuum Domine*. *De qua salute*, inquit Petrus in 1. c. 1. (*animarum*) *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ; qui de futura in vobis gratia prophetauerunt*, &c. Ex aduerso *prætereuntes blasphemabant* infra c. 27. *salua temetipsum*. *Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere: idipsum & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*: sic occæcati, vt nobilioris obliti, solius temporalis vitæ salutem considerarent. Non sic hodie diuinitus illustratæ turbæ prophetico spiritu imbutæ Baptistæ præconio, qui *præiuit ad dandam scientiam salutis*, Lucæ 1. nam tunc impletum est,
D ps. 21. quod David prophetauerat de Christo; D *ô Domine saluum me fac, ô Domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini*. Profunda locutio! nam Ioan. 5. ait ipse Saluator, *ego veni in nomine Patris mei*. Videtur autem Ecclesia ideo probare potius hebraicè dici *hosanna*, quia prægnans est verbum, à radice *iasang* significans plura, *saluauit, liberauit, redemit*, vt dicunt dictionaria, verbo *Pharac*. Neque perperam putemus notari ab Euangelista, turbarum ordinem, nam aliæ *præcedebant*, aliæ *sequebantur*. In primis; quia facta Christi sunt
E Ioa. 12. I. 3. & c. 20. l. 1. regula eorum quæ fiunt in nouo Testamento, E & præfigurata à Patribus veteris Testamenti. Recolit
F Ephes. 2. l. 4. Angelicus ad Ephesios F vltra loca alia, testimonium Baruch, de nouo Testamento; dum capit. 2. *& statuam illis testamentum alterum sempiternum*. Deinde *præcedebant*, & *sequebantur*: qui ante ad-
G D.Th. hic. uentum fuerunt G & post, vtrique petunt salutem, & habent à Christo. Nam ad gloriam æternæ beatitudinis adducuntur homines per Christum; non solùm qui post eum fuerunt; sed etiam, qui eum
H 3. p. 45. 1. præcesserunt: H Vnde eo ad passionem properante, tam turbæ quæ *sequebantur*, quàm quæ *præcedebant*, clamabant *hosanna*; quasi salutem ab eo petentes.

II. Quod miremur est autem de temporis circunstantia: neque enim opportunius poterant excitari turbæ ad sic clamandum. Hic Chrysostomus; *frequenter quidem Iesus venit in Ierusalem, sicut Ioannes testatur; nunquam tamen sibi adhibuit ministeria iumentorum, nec ramorum circa se virentia constituit ornamenta; nec ad terribilem laudem suæ Diuinitatis animos populi excitauit, nisi modò, quando vt pateretur ascendit. Ideo ergo cum tanta gloria est ingressus; vt amplius eorum aduersùs se excitaret inuidiam*. Deinde occurrit obiectioni: *ergo si Christus eos prouocauit, fortè de morte sua fecit eos innoxios? absit. Excitauit eos, non vt facerent quod ante noluerant, sed vt possent facere, quæ priùs volebant. Facultas eis data est; non mutata voluntas*. Iam & Leo Papa: *ita Dominus vsus est malitia Iudæorum, vt intentione facinoris, voluntas sit impleta miserentis*. Verum ex eodem Chrysostomo sciamus, qualiter *præceptum legis erat, vt decima luna primi mensis* (Exodi 12.) *agnus, siue hædus in domo recluderetur vsque ad quartam decimam lunam eiusdem mensis, quando ad vesperam immolabatur. Vnde & verus Agnus ex omni grege sine macula electus, pro populi sanctificatione immolandus, ante quinque dies, idest decima luna Ierosolymam ascendit*. Ad hæc idem Leo Papa; *hostia pecudis iram auertit vastatoris*. Inquit autem Angelicus; I per immolationem agni paschalis, significabatur immolatio Christi: 1. Corinth. 5. I p. L. 102 f. 2.
Pascha nostrum immolatus est Christus; sanguis verò agni liberans ab exterminatore, linitis superliminaribus domorum, significat fidem passionis Christi in corde & ore fidelium; per quam liberantur à peccato & morte. Dum ergo, mi lector, audis nunc à turbis implorari salutem, vides quò colliment eorum voces fideli corde prolatæ: quibus, etsi singillatim futura non norint; nam, ait Chrysostomus; *nec ipsi sciebant, sed spiritus subito ingressus in eos veritatis verba fundebat*; nos instruunt, qui Dei gratia credimus, qua via obuenerit nobis salus; dum *spiritus Christi* (1. Petri 1.) *prænunciat* nobis per turbas, *eas quæ in Christo sunt passiones*. Et ideo arridet mihi, vt *hosanna* sonet *eia salua*: vulgò nobis *hor su, hor via*; quia opportunè. Factus est quippe Deus homo, vt *mori ex vno, & resurgere posset ex altero*. Humanitatem fatentur ex Angelico, dum clamant; L *benedictus qui venit in nomine Domini*: sed Diuinitatem non silent, (sicut in psal. sequitur *Deus Dominus & illuxit nobis*) cum inquiunt *hosanna*; nam *Domini est salus*: psalm. 17. L 3. p. 83. 4.
& exaltetur Deus salutis meæ: psalm. 67. *Deus noster, Deus saluos faciendi*: vbi Augustinus: *quis saluus esset, nisi ipse saluaret?* seu *sanaret*, vt littera dicit, fortè mendosa. Isaiæ 33. *Dominus Deus noster, ipse veniet & saluabit nos*. Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos*; & cap. 45. *Deus iustus & saluator non est præter me*. Denique Petrus in Actis cap. 4. *& non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*: *vocabis* dixit Gabriel Virgini supra cap. 1. *nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*: Et addo ex psalm. 149. *exaltabit mansuetos in salutem*; mansueto ideo vectus iumento. Alta ergo obsecratio *hosanna filio David*: neque enim dicunt *fili David*, sed *filio*; vt ipsi duntaxat attribuatur hominum salus, tanquam auctori & consummatori: non secus atque dicatur Hebr. 12. *aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum*: & sicut ait Augustinus tract. 6. in Ioannem, de Baptista, vt *per columbam didicerit quandam proprietatem in Christo talem futuram; vt quanquam multi ministri baptizaturi essent, siue iusti, siue iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est; hic est, qui baptizat in Spiritu-Sancto. Petrus baptizet; hic est qui baptizat: Paulus baptizet; hic est qui baptizat*; Hinc 1. ad Corinth. 1. in recto dicitur, *factus nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Dicitur etiam in hymno; *sit salus illi, decus atque virtus*. Fons quippe creditur & plauditur salutis. Claudamus cum Augustino Tract. 14. in Ioannem, ad illa verba; *non enim misit Deus*, Ioan. 3. *filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum; sed vt saluetur Mundus per ipsum*; vbi inquit; *ergo quantùm in Medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta Medici obseruare non vult. Quare Saluator dictus est Mundi, nisi vt saluet Mundum? non vt iudicet Mundum. Saluari non vis ab ipso? ex te iudicaberis*.

Quod

12. Quod autem admiremur est; siquidem supra cap. 20. dixit se venisse *dare animam suam redemptionem pro multis*; exinde arcano studio redemptionem pluries insinuasse. Clamauerunt *hosanna*; quæ vox, vt diximus, redemptionem quoque significat: mittit discipulos in Castellum, hebraicè, vt dicemus in Syntaxi *Chopher*, à radice *Chaphar*; *Chopher* autem etiam *pretium*, *redemptionem* significat: prætereа; in eo quod ait; *& cum appropinquassent Ierosolymis*, si ad propinquitatem carnis referatur, secundùm quam dicitur aliquis affinis & propinquus, est à radice hebraica *gaal*, quæ *luit*, *vindicauit*, *redemit*, sonat; & inde *redemptio* quoque & *redemptor*: quia pertinebat ad affinem & propinquum redemptio possessionum. Et etiam *caran* radix propria, quæ significat *appropinquauit*, deriuatiua inuoluit, *oblationem munus sacrificium*. Christus autem, qui per carnis assumptionem factus est nobis propinquus: Cant. 4. *soror mea, sponsa*; M soror scilicet per naturam, & sponsa per gratiam: (Chrysologus Sermon. 50. *creator omnium rerum Deus, postquam se propter nos, nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam; cœpit ciuitatis iudaicæ esse ciuis; parentes habere cœpit*; &c.) *tradidit semetipsum* Eph. 5. *oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*: adde Hebræorum 9. *in redemptionem earum præuaricationum* &c. *vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*. Sic etiam pro redemptione Mundi propinquos & affines dicito Apostolos, vice sui tanquam legatos; Isaiæ 57. *misisti legatos tuos procul*, vt exponitur Matthæi 24. qui cum Domino *appropinquant* (pluraliter loquitur) *Ierosolymis*: quos mittit dicens, *ite in Castellum quod contra vos est*; scilicet in Mundum iuxta Hieronymum & Remigium: ex quo impletur vaticinium, Isaiæ vltimo, concernens quod intonant *hosanna*; *mittam ex eis qui saluati fuerint ad Gentes, & annunciabunt gloriam meam Gentibus*; scilicet N ex Iudæis ad Gentes. Ideo fortè, bis inclamant *hosanna*; vt innotescat primò ad Iudæorum venisse salutem; ex quo vocant filium David; *hosanna filio David*; iuxta quod Roman. 1. *factus est ei ex semine David, secundum carnem*; & Ioannis 4. *salus ex Iudæis est*. Et quoniam *illorum delicto* (Roman. 11.) *salus est Gentibus*, rursus auditur *hosanna*, additurque *in altissimis*: quandoquidem, de his exclamat Apostolus ibidem; *o altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Interim hos saluos fuisse credendum est; quoniam, vt ait idem Apostolus capit. 10. ex Ioele cap. 2. *omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. Exponitur etiam duplex *hosanna*; O des primò salutem in terris; & postea in Cœlis: ideo *in altissimis*, seu *in excelsis*, vt apud Marcum. Isaiæ 51. *salus autem mea in sempiternum erit*.

M Ephes. 1. L8.

N 1. P. 41. 1.

O D. Th. hic.

VERS. XI. *Et cum intrasset Ierosolymam*; &c.

13. Diuus Hieronymus admirationem hanc refert in turbæ plurimæ frequentiam & comitatum; subditque, *alijs vel ambigentibus, vel interrogantibus, nisi plebecula confitetur*. Mihi planè videtur elici documentum, ne quæ Dei sunt curiosa indagatione scrutemur; si assequi fidem cupiamus; primò quia de Deo, *an est* deprehendere possumus; solus enim *insipiens*, vt ait Psaltes, *dicit in corde suo, non est Deus*: at si *quid est*, vt inquiunt, veluti *à priori* quæramus, obruimur. Temerè itaque rogant, *quis est hic? Quid non sit*, accipere fas est; est siquidem immortalis immensus incorporeus infinitus; quæ negationem inuoluunt diuina attributa: & sic quod ait Gregorius; *diuina, vt possumus, balbutiendo resonamus*. Cæterum habet Chrysostomus, *Deus nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi*: ita hom. 2. in Matth. Hinc Damascenus, lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 4. *oportet singulum eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid est, secundùm substantiam significare, sed quod non est, ostendere*. *Excitauerat* autem *Iesus*, ex eodem Chrysostomo, *animos Populi ad terribilem laudem suæ Diuinitatis*, ingressurus Ierusalem; ideo audacter nimis; *commota est vniuersa Ciuitas dicens; quis est hic?* Sobriam tamen indulget Dominus ex ore populorum fidelium responsionem; *hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ*: *vt*, quod ait aliàs Hieronymus, *per hominem, Deum discere incipiant*. Saluatorem contestantur, cui clamauerant *hosanna*. Porrò Prophetam antonomasticè memorant; quem, vt notat Origenes, *Moyses sui similem* (Deuteronomij 18. & Act. 3.) *dixerat esse venturum*. Subdunt *à Nazareth*; quia ibi nutritus fuerat. Sed altiori sensu, crediderim præilluminatum populum hæc prompsisse; nimirum attenta vocis significatione, quæ à radice *nazar*, separatum à prophanis vsibus, proinde sanctificatum sonat. Ipse autem Hebræor. 7. perhibetur, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior Cœlis factus*. Quoniam verò vna duntaxat erat Ciuitas Nazareth, non vacat mysterio; cur adiecerint *Galilææ*. Cum enim interpretetur *transmigratio*, *quia Christi gratia*, vt ait Augustinus lib. 3. de Consensu Euangel. cap. 25. *de populo Israel transmigratura erat ad Gentes*, potuit prolata, suggerente Sancto-Spiritu, responsio eò collimare; vt sic quod futurum erat post Domini ascensum in Cœlum, prænunciarent; & inde typo Gentium latanter ista proferrent. Ideo dixerim pluraliter ab Euangelista nuncupari populos: *populi autem dicebant*; quia exaltandus erat Dominus in fide populorum; quia per Christum, *non ex dominatione Pharaonis vnus populus; sed ex Diaboli captiuitate, totus Mundus eruitur*: quod ait Leo Papa. Iam *Galuth* à radice Galilææ, captiuitatem etiam significat. Erudimur secundò illaudatam esse commotæ Ciuitatis interrogationem; quia fides non habet, vt docet Angelicus, P inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur; sicut ait Damascenus; *fides est non inquisitus consensus*. Quid ergo inquiunt commoti, *quis est hic?* actus iste, qui est credere, Q habet firmam adhæsionem. Vbi commotio interuenit; *commota est vniuersa Ciuitas*; firma certè, mi lector, adhæsio non est. Ista hæc adhæsio passim commendatur: psal. 118. *adhæsi testimonijs tuis Domine*: & Act. 17. *quidam verò viri adhærentes ei crediderunt*.

P 2. 2. q. 2. a. 1.

Q ibi in corp.

VERS. XII. *Et intrauit Iesus in Templum Dei*. 4. I

Disce ex Chrysostomo; *cum ingressus fueris in aliquam Ciuitatem, vt imitator Christi factus, primo ad Ecclesiam curras*. Idem Chrysostomus; *hoc erat boni Medici, vt ingressus ad infirmam Ciuitatem saluandam, primum ad originem passionis intenderet: nam sicut de templo omne bonum egreditur; ita de templo omne malum procedit. Si enim Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, tota fides marcida est. Sicut enim cùm videris arborem pallentibus folijs; intelligis, quia vitium habet in radice: sic cùm videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum*. Ad hæc Eusebius Emissenus Serm. Dom. 11. post Pentecosten; *quia enim narrauit mala ventura, (& quidem in hac die tua*, &c. Lucæ 19.) *templum ingressus est; vt de illo vendentes & ementes eijceret, profectò innotuit, quia ruina populi maximè ex culpa Sacerdotum fuit*. Et Hieronymus super Epistolam Titi c. 2. *vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos, quàm clericos*. Et ita ex aduerso legimus Machab. 2. cap. 3. *Igitur cùm sancta Ciuitas habitaretur*

in omni pace; leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent; &c.

VERSV eodem; *Et eijciebat omnes vendentes & ementes in Templo*; &c.

15. Quoniam paulo post, sequitur; *videntes Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit*; audiamus hic Hieronymum; *mihi inter omnia signa, quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabilius; quòd vnus homo & illo tempore contemptibilis, potuerit ad vnius flagelli verbera, tantam eijcere multitudinem: igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis eius; & Diuinitatis Maiestas lucebat in facie eius*. Et Origenes (vterque apud Diuum R Thomam) dicit super Ioannem, *hoc esse maius miraculum eo, quo aqua conuersa est in vinum: eo quòd illic inanimata subsistit materia; hic verò tot millium hominum domantur ingenia*. Non legitur (animaduertit S Angelicus) Christum in Euangelio tantam iram ostendisse, quantam ostendit, cùm vidit, quòd Templo non exhibebatur debita reuerentia. Vbi violatur loci sanctitas, dic tu meritò exardescere Dei zelum. Hinc Chrysostomus; *in ieiunijs proprijs patientem esse, laudabile; iniurias autem Dei patienter sustinere aut dissimulare, nimis est impium*. Sanctus Beda homil. 7. tom. 7. *Si ergo Dominus nec ea volebat venundari in Templo, quæ in Templo volebat offerri; videlicet propter studium auaritiæ siue fraudis; quod proprium solet esse negotiantium facinus: quanta putas animaduersione puniret, si inuenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos?* Adest Chrysostomus relatus T alibi: *quicunque rem comparat vt integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de Templo Dei eijcitur*. Et Cassiodorus; (ibidem) *quid est aliud negotiatio, nisi vilius comparare, & carius velle distrahere? negotiatores tales Dominus eiecit de Templo*. Dic, vbi tuam minimè impendas operam. Ioann. 2. prius eiecerat vendentes de Templo, dicens; *nolite facere Domum Patris mei Domum negotiationis*. Quomodo negotiatio turpis illicitaque sit, vide in loco allegato; Clericis potiori iure prohibita. Hic ait; *fecistis illam speluncam latronum*. Quare plus æquo venderent, credendum est; nonnisi lucrum, idemque minimè moderatum pro vltimo fine habentes: quod planè tanquam furtum vituperatur. Ex quo alia sequuntur scelera, quia vt ait Augustinus; *negotiator auidus acquirendi, pro damno blasphemat; pro pretijs rerum mentitur & peierat*.

R 1. p. 44. 3. 1.

S opusc. 41. lib. 3. 5.

T 2. 2. 77. 4.

16. Sed emicat alia criminis circunstantia, quia isthæc loco sacro afferebant iniuriam. Alibi tolerari queunt; in Templo, non: quando locus qui sanctus & terribilis est, quique Domus Dei dicitur, fœdè labefactatur. Ingens Creatoris offensa est: ad quam exaggerandam, Domus introducit similitudinem dicens; *scriptum est*; (Ieremiæ 7.) *Domus mea, Domus orationis vocabitur*. Domus, inquit Angelicus, V est tutissimum vniuscuiusque receptaculum. Solus Deus, dixerim ego, in tuto non est. Saluianus lib. 6. de gubernatione; *omnia amamus, omnia colimus: solus nobis in comparatione omnium, Deus vilis est*. Et Tertullianus lib. de idololatria cap. 4. *omnia colit humanus error, præter ipsum Conditorem*. Cùm tamen etiam ex Philosopho solus homo Deum veneretur & colat. Pretiosus naturæ nostræ instinctus; sed heu, neglectus. Et quoniam Domi est Pater-familias, honorem Deo deberi sic admonet; iuxta illud Malachiæ 1. *si ego Pater; vbi honor meus?* Porrò qui Patrem inhonorauerit, minitantem Dominum paucat; qui læsæ maiestatis crimen & grauissimè dolet & perquam seuerè punit. Ad idem Ieremiæ 7. *ego ego sum, ego vidi, dicit Dominus*. 1. Regum 2. *si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Sed iam propheticè in psal. 78. *polluerunt Templum sanctum tuum*. Vmbra fuit templum vetus, si ad legis nouæ Sanctuarium collatio fiat. Nihilominus diuinam non euaserunt vltionem, qui ipsum, aut sacra eius profanauerunt: vt claret in Baltassare Danielis 5. qui vasis Domus Dei abusus fuerat; de Heliodoro 2. Machab. 3. & de Antiocho c. 5. Scribit in opusculo: X cùm Pompeius venisset Ierosolymam, irruentes Romani equos in porticibus Templi stabulauerunt: ob quam rem Pompeius creditur de cætero nunquam pugnasse, quin vinceretur; qui hactenus fuerat fortunatissimus. Horret calamus, quæ sint hodie Christicolarum in Ecclesijs commissa sacrilegia. *Templum*, vt legitur 1. Machab. 2. *sicut homo ignobilis*. Effrænis in eo lingua manus concupiscentia. Scurrilitas turpiloquium lasciui amores, lenocinia in Templo inundauerunt. Dicam ex Machab. 2. cap. 6. *pessima & vniuersis grauis est malorum incursio: Templum luxuria plenum; & scortantium cum meretricibus*. Nequeunt tot tantaque flagitia, execrandaque scelera diuinæ sanctitati adeo infensa, nisi summum portendere, & Ecclesiarum & Ciuitatum exitium. Ieremiæ 7. *nolite confidere in verbis mendacij dicentes; Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est*: in quantum dicebant, A se propter sanctitatem Templi, omnes pœnas posse vitare. Cùm Machab. 2. c. 5. expoliaturus erat Antiochus Templum, præuenit sacer textus peccatorum prodere causam, subdens propterea; *non propter locum Gentes, sed propter Gentes locum elegit Deus*. Quare si in Mahometis Meschitas permittit Deus corrumpi Ecclesias, corrupti Christianorum mores, præsertim sacrarum Ædium violatio. id promeruit: quando in cumulum damnationis dies festos ad lasciuiendum desiderant. Prophetæ tantam malitiam declamant: & quidem ex ore Dei: Isaiæ 1. *calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea*: Amos 5. *odi & proieci festiuitates vestras; & non capiam odorem cœtuum vestrorum*. Marci 2. *sabbatum propter hominem factum est; & non homo propter sabbatum*.

X opusc. 41. lib. 2. c. 11.

A Ieremiæ 7.

Sublimi autem sensu videtur mihi Dominus, nedum eijcere de Templo, qui Templum temerant, 17.
sed & mensas numulariorum euertere; quia etsi aliàs sustineri possit auarus; at non in Templo; à quo extermínari debet, ceu Religioni aduersa omnis auaritia. Certè de hoc Apostolus Ephes. 5. *Auarus, (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei*. Coloss. 3. *& auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus*. Et Osee 8. *argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola*. Missis autem quæ ijs in locis de more sapienter scribit Angelicus; libet aliunde intelligentiam rimari. Quamuis enim in alijs etiam peccatis ponat homo finem suum in creatura, cui amore inhæret: nihilominus non ita fixè & immutabiliter; vt pecuniæ acquirendæ inhæret auarus. Cupiditas lucri inquit Angelicus, non propter res necessarias, sed propter ipsum lucrum, B terminum nescit, sed in infinitum tendit. Fauet Scriptura Ecclesiastes 5. *auarus non replebitur pecunia*: & profanus; *interea pleno dum turget sacculus ære, crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*. Studium ergo inordinatum lucri, æquiparatur cultui veri Dei, qui nunquam à fideli intermittitur: ideo auarus idoli censetur cultor, à pecuniæ amore nunquam alienus: & hanc interminam pecuniæ addictionem tangit psalm. 75. dicens *viri diuitiarum*, quasi sit connubij vinculum auari

B 2. 2. 77. 4.

auari ad diuitias. Arguit autem eos Dominus quòd speluncam latronum fecerint Dei Domum; quia sub oblationum prætextu lucro præcipuè intendebant: nam vendentes, inquit Angelicus, hic erant ministri Sacerdotum. Subditque, cum Clerici dispensationis officium retorquent ad quæstum, debent eijci de Ecclesia. Per columbas, intelligitur
C D.Th. hic. Spiritus-Sanctus: C vnde vendentes columbas sunt Prælati vendentes dona spiritualia, vt Ordinem, vel huiusmodi. Dic tu, quia isthæc occulta fiunt negotiatione, cum pudeat simoniæ labis; ideo speluncæ
D Hebr. 4.l.1. fit mentio, & latronum. Fures enim D sunt & latrones, qui intrant per simoniam. Sic Nahum c.2. de raptore; *impleuit præda speluncas suas*. Lucæ 6. *audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant auari; & deridebant eum.*

VERS. XIV. *Et accesserunt ad eum cæci & claudi*; &c.

18. Dum corrigit Dominus medetur. Cùm Actor. 9. deiecit Iesus Saulum ex equo, sermocinatur Augustinus in hæc verba, *percutiens eum & sanans, occidens & viuificans*. Non secus erudimur in præsenti; vt mysticè intelligamus, in quo culpandi essent quos eijciebat; & sanandi in templo, nempe à cæcitate, & claudicatione. Amor inordinatus terrenorum sine dubio excæcat. Excæcatus est Tobias
E opusc. 41. 5. 10. & 2. Petri 2. cap. 2. calidis stercoribus hirundinum; E temporalia vero Apostolus arbitratur stercora. Augustinus in lib. Confess. *spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*. Cæci autem speciatim erant, quia
F D.Th. hic. vt notatur hic, F munuscula ex mutuo accipiebant: quod Ezechielis 18. improbatur: *vsuram & superabundantiam non acceperit*. Ecclesiastici autem 20. *xenia & dona excæcant oculos iudicum*; & Deuter. 16. *munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum*. Sic erant claudi quos sanat; quia vna eorum pars ibat sursum, ex munere Sacerdotali; altera vero deorsum, auaro ex corde; Matthæi 5. *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*. Non
G Genes. 32. absimiliter loquitur Sanctus Thomas G ad illud Genesis 32. de Iacob, qui *claudicabat pede*. Huc Hieronymus; *nisi autem mensas numulariorum subuertisset, &c. cæci & claudi lucem pristinam, & concitum gradum in Templo non meruissent recipere*. *Accesserunt*, inquit, *cæci*: iuxta illud psal. *accedite ad eum & illuminamini*.

19. Animaduertendum est autem Ioan. 2. similem de Templo eiectionem fecisse: sed vt ex Augustino ait
H D.Th. hic. Angelicus, H bis patratum est hoc miraculum; hic imminente passione, ibi ante traditionem Baptistæ. Mirum est autem, Euangelistas alios, qui ante Ioannem scripsere, vltimi anni historiam denarrasse, Ioannem autem qui post omnes scripsit superioris temporis, antequam Baptista clauderetur in carcere, gesta scripsisse: cùm potius planum videretur, vt Matthæus & reliqui primò scribentes priora narrarent; Ioannes autem posterius scripturus posteriora euangelizaret. Æquè enim diaphonia, quæ videtur esse Ioannis cum cæteris attenta temporis varietate tolleretur. Erudit nos de hisce Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum: veruntamen cur primi temporis acta, reliquerint alij Euangelistæ pro Euangelio Ioannis non edisserit: Syntaxis nostræ studium facit satis; nimirum non pertinuisse ad Matthæi Marci ac Lucæ scopum, quæ gesta sunt nisi supremo vno anno: superioris autem temporis gesta speciatim intento Ioannis fuisse accommoda. Ad rem autem præsentem, eiectos esse simul vendentes & ementes, eo mysterio, quod mox in Syntaxi clarebit: ideo hanc eiectionem tulisse Matthæum, non illam Ioannis, in qua vendentes solummodo legimus eiecisse. Quicquid de historiæ ordine fuerit; nihil esset dissonum, si posterius esset Ioannis eiectio patrata, vt etiam possemus suspicari, quia flagello, seu contumaces expellit: quandoquidem historiæ ordinem seruare non intendunt vbique, sed subtextam Syntaxin subindicare. Vide Angelicum Ioan. 4. lect. 1. lit. d. & capit. 12. lect. 3. lit. b. & nos illic maneas.

VERS. XV. *Videntes Principes Sacerdotum mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo &c. dixerunt ei; audis quid isti dicunt?*

Mirabilia vident, & audiunt; sed quia increduli, 20.
implent illud supra cap. 13. *auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius: & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt*; &c. vt etiam Actorum 28. habet Paulus. Deprehenditur autem sacro ex textu defectus fidei; quia de ipsis non ait, *accesserunt*, sicut paulo ante de cæcis & claudis: si accessissent, credebant: siquidem Hebr. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere*. Subdola malitiæque plena est eorum interrogatio. Intendebant, inquit Angelicus, I quòd si reprimeret pueros, haberent propositum; (vt inuidiam suam satiarent) sin autem, haberent accusationem erga eum. Sed Dominus ita sapienter respondit; quòd nec pueros reprobauit; nec ipsi habuerunt, vnde calumniari possent. Chrysostomus super Matthæum; *nunquid mea culpa est; quòd tot ante millia annorum, hoc futurum Propheta prædixit?* psal. 8. *ex ore infantium & lactentium, perfecisti laudem*. I D.Th. hic.

VERS. XVII. *Et relictis illis abijt foras*.

Proloquium Theologorum est. *Deus non deserit, nisi deseratur*. Satis poterant suam indignationem (indignati enim perhibentur) compescere, & humiliari audita psalmi sententia; quam contemplari oportebat, suis cum contextibus; sed habet Chrysostomus; *sicut columna, si modicum obliquata fuerit, accepto pondere, amplius vadit in latus; sic & cor hominis, cùm peruersum fuerit, si alicuius iusti opera videat, non confirmatur, sed magis ad inuidiam concitatur*. Rursusque; *malum hominem melius dando locum, potest aliquis vincere, quàm respondendo; quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur; & ideo Dominus recedendo compescere studuit, quos respondendo non compescuit*. Terribilis est hæc derelictio: Ieremiæ 51. *curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam*. Maledicta mox ficulnea (in significationem Iudææ L) id ostendit. Abit veruntamen *in Bethaniam*, quæ *Domus obedientiæ*, ibique manet. Sed Rom. 10. *non omnes obediunt Euangelio; Isaias enim dicit; Domine quis credidit auditui nostro?* Lege ibi Apostolum præsentia mire innuentem. Nec vacat documento salutari, quod ait *ibique mansit*; iuxta quod subditur cap. 11. *vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius; & inuestigabiles viæ eius!* Viarum Dei vestigia dic quæ notat Euangelista dicens; *abijt foras extra Ciuitatem, ibique mansit: mane autem reuertens*; &c. Abijt autem ad literam; quia M pauper, nullique adulatus, nullum in tanta vrbe inuenit hospitium, sed apud Lazarum receptus est. Dic, inurbanè adeo idcirco se ad illum gessisse, vel quia mali erant, vel timore Sacerdotum & Scribarum, qui in Christum fremebant. 21. L 2. 2. 76. 2. 1. M opusc. 19. c. 7.

VERS. XIX. *Et arefacta est continuò ficulnea*. 22.

Audiamus Angelicum; N sicut Chrysostomus dicit super Matthæum; *cùm in plantis vel brutis aliquid tale Dominus operatur, non quæras qualiter iustè siccata est ficus, si tempus non erat: hoc enim* N 3. P. 44. 4. 1.

Tt 3 quæ-

quærere, est vltimæ dementiæ; quia scilicet in talibus non inuenitur culpa & pœna: sed miraculum inspice, & admirare miraculi factorem. Nec facit Creator iniuriam possidenti, si creatura sua suo arbitrio vtatur ad aliorum salutem; sed magis (vt Hilarius dicit super Matthæum) in hoc bonitatis diuinæ argumentum reperimus. Nam, *vbi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit; vbi vero in contumaces formam seueritatis constituebat, futuri speciem damnatio arboris indicauit;* & præcipuè, vt Chrysostomus dicit, in ficulnea, quæ est humidissima, vt miraculum magis appareat. Mysticè per ficum O designatur peccatum; ideo maledicitur habens folia & non fructum; Vnde Adam & Eua cum peccassent, Genesis 3. *consuerunt folia ficus;* &c. Vel ex Gregorio ficus legem significat; Ioann. 1. *cùm esses sub ficu,* idest sub vmbra legis, Nathanaeli ait Dominus. *Vmbram habens lex* Hebr. 10. *futurorum bonorum.* Quòd si roges, quomodo locum habeat maledictio? respondeo; quia arbor, quæ facit P frondes sine fructibus, ij sunt qui habent verba sine operibus. Et iam ad Galat. 3. *maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* S. Beda homil. 7. in Quadrag. tom. 7. *quod maledicendo ficum infructuosam per figuram fecit Dominus, hoc idem ostendit eijciendo improbos de Templo. Neque enim aliquid peccauit arbor, quòd esuriente Domino poma non habuit, quorum necdum tempus aduenerat; sed peccauere Sacerdotes, qui in Domo Domini negotia sæcularia gerebant, & fructum pietatis quem debuerant, quemque in eis Dominus esuriebat, ferre supersederant.*

O Ioan. 1. l. 16.

P Serm. Dom. 8. post Pascha.

VERS. XX. *Et videntes discipuli mirati sunt;* &c.

23. Mirantur discipuli nondum diuina illustratione vberiùs perfusi; non equidem de Saluatoris potentia, quam aliàs toties fuerant experti, quem etiam cum Petro supra cap. 16. confessi erant Filium Dei; sed de tam subita arefactione, quò portenderet nescij. Nos adhuc miramur, cur ad mysticam intelligentiam sit hæc arbor delecta. Cur enim non potiùs patratum est hoc miraculum, in vite aut oliua? Probat Angelicus Q homines comparari lignis, ex illo Iudicum 9. *ierunt ligna syluarum, vt vngerent super se Regem.* Vbi cùm de oliua, de ficu, & de vite, sermo fit: disquirendum remanet, quare Dominus, non potiùs oliuam exsiccauerit, aut viti maledixerit; præsertim quia sub oliuæ metaphora de Iudæis loquitur Apostolus Roman. 11. *socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es:* & Isaias capit. 5. sub vineæ similitudine dicens; *quid est quod vltra debui facere vineæ meæ?* Quòd si ad significata flectamus: cùm per vitem, R propter vini feruorem, intelligatur homo perfectæ charitatis: & in oliua, qui operibus misericordiæ insistunt: benè poterant Iudæi ob huiusmodi defectus in figuram maledici, & oliuæ & vitis. Adde, pinguedine oliuæ, Iudicum 9. *nunquid possum deserere pinguedinem meam;* & Ieremiæ 11. *oliuam vberem, pulchram.* &c. significari abundantiam gratiæ Spiritus-Sancti, S psal. 62. *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea:* de quo increpari meritò poterant, facto arefacta oliua spectaculo; sicut Act. 7. *vos semper Spiritui-Sancto restitistis.* Igitur ne perperam, (quod absit suspicari) videatur Dominus ficulneæ potiùs extinxisse humorem, duo supersunt dicenda. Primò, quia ficus, vt ex Chrysostomo dictum est, arbor est humidissima: gens autem iudaica præ cunctis à Deo donorum & gratiarum imbribus irrorata est: nam psal. 75. *notus in Iudæa Deus; in Israel magnum nomen eius;* nam psal. 147. *non fecit taliter omni nationi;* nam Deuteronomij 4. *quæ est alia natio tam grandis; quæ habent Deos appropinquantes sibi; sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris? quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia* &c. nam Roman. 3. *credita sunt illis eloquia Dei:* & cap. 9. *quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem.* Dulcedinem ergo hæc omnia debuerant proferre cœlestis irrigui perfusione; sicut aiebat psaltes; *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Sed Synagoga sola protulit folia, exteriori contenta cultu, quasi deesset radici humor, ex quo vberes parturiret fructus: *ecce* inquit Augustinus Tract. 43. in Ioannem, *ipsi Pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant; venturum sperabant; & præsentem non agnoscebant.* Arefacta est meritò in pœnam, quæ copioso adeo humore abusa est. Fortè præterea in ficulnea Iudæa maledicitur; quia eo sub tropo deliquit. In ficu significari sentit contemplatiuos; T qui Dei diuinorumque prægustant dulcedinem. In hoc autem defecerant Iudæi. Vnde illos arguit Ioann. 5. *scrutamini Scripturas,* &c. *quæ testimonium perhibent de me.* Et deinde; *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Sed vel non credebant, vt hinc colligere fas est; vel degeneris animi prauitate contemplantes extorquebant; siquidem Ecclesiast. 32. *qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea:* vt nunc fecere, neglecta, vel contempta psalmi intelligentia; quam eis suggessit Dominus, allegans illud, *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Itaque dum à contemplationis dulcedine abalienati exciderunt, merentur hoc in genere sterilescere omnino & exsiccari. Neque enim contemplari, quod dulcis ficulneæ interest, eis datur vltra, quando 2. Corinth. 3. *obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Sequitur; *nos verò omnes reuelata facie, gloriam Domini speculantes;* &c. dulcedine certè fruimur quæ ficui propria est. Respondet autem pœnalis hæc demortuæ ficulneæ arefactio, ipsorum culpæ; nam latrones inquit Angelicus V per prauam doctrinam occidunt. Isti autem paulo ante latrones dicti sunt: *vos autem fecistis illam speluncam latronum,* minoribus facti in necem spiritus, prauis doctrina & exemplo.

Q 1. Cor. 3. l. 2.

R opusc. 41. l. 2. c. 9.

S Rom. 11. l. 3.

T opusc. 41. 2. 9. & Apoc. 7. com. 1.

V Ioann. 10. l. 2.

VERS. XXI. *Sed & si monti dixeritis; tolle, & iacta te in mare; fiet.*

Affinior visa fuisset similitudo, maioris ad minus mirandum, si quod fertur Lucæ 17. hic dictum esset. 24. Ibi quippe ait Dominus Apostolis; *si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro; eradicare & transplantare in mare; & obediet vobis.* Aliàs autem grauis insurgit difficultas, cur Dominus hoc in loco, & supra cap. 17. vnam induxerit exaggerationem de monte; apud Lucam verò de arbore moro effatus sit; præsertim quia tam Matthæi 17. quàm item 17. Lucæ dixerat Dominus, *si habueritis fidem sicut granum sinapis:* quare igitur vtrobique non idem mirandum astruit, sed in Matthæo de monte, in Luca de moro? Interpretes non reperio, qui causam discriminis huius vestigare conati sint: profectò quia profundior est: & tamen quamuis lateat admodum, subesse dubitare quis audeat? quando isthæc diuina ad nostram eruditionem eloquia, non hominis quantumlibet sancti ab ore, sed ab ipso Patris Verbo, quod *caro pro nobis factum est,* prodiere. Prælibandum est ergo nonnihil Syntaxin spectans: hæc enim clauis est aurea, quæ aperit pleraque clausa. Matthæi scopus, vt vidimus, eò pergit vt post spiritalem adgenerationem fidelium, cohæ-

cohærentium instar membrorum Christo capiti, corpus conflari Ecclesiæ gradatim doceat: iuxta illud Ephes. 1. *ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius*. Hanc autem Ecclesiam sub alia metaphora ædificium esse nouimus: sic, 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis*; & Ephes. 2. *in quo omnis ædificatio constructa crescit*; &c. & sic supra Matthæi 16. *ædificabo Ecclesiam meam*: non vtique super arenam, sed super Petram 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*. Sed non super quemcunque lapidem, sed super lapidem angularem. Angularis in Scripturis cantatissimus, vt nedum recolit Apostolus Roman. 9. sed Diuus Petrus in prima cap. 2. ex Isaiæ 28. *ecce pono in Sion lapidem summum angularem*, Christus est. Idcirco autem dictus est angularis, vt explicatur Ephes. 2. *quia fecit vtraque vnum*; quatenus vtrumque populum, X Iudæorum scilicet & Gentilium comunxit in vnum. Quæ cum ita se habeant, quidnam mirandi aptius introduci poterat, sicut de monte, vtique saxeo? iuxta quod Danielis 2. *Lapis abscissus sine manibus, factus est mons magnus, & impleuit terram*. Quocirca Hieronymus. *Christus qui est mons crescens de lapide abscisso sine manibus; tollitur, & mittitur in mare, quando Apostoli dicunt*, Act. 13. *transferamur ad Gentes*. Hanc vtriusque populi vnionem, futuram hoc in electo lapide, satius innuere nequibat Euangelista Matthæus, quàm referendo mirandum, ad verba Apostolorum, de Christo lapide, in quo constructa ædificatio cresceret, cum de Ecclesiæ ædificatione allegoria procederet; supra quidem cap. 17. de re, hic autem ad temporis circunstantiam, post ingressum Domini in Cœlestem Ierusalem. Et opportunè vtrobique, cap. 17. post præmissam mysticè à corde Iudæorum nonnullorum Dæmonij expulsionem: & in præsenti, postquam à contumacioribus abierat: nimirum, vt sciremus nondum cap. 17. aliquot Iudæis liberatis; sed & hic nonnullis dimissis; adhuc esse futurum lapidem angularem, qui montis instar hinc illuc transiret; atque etiam in mare Gentium se iactaret. Etsi enim non pauci Iudæorum permanserint in incredulitate, plures tamen crediderunt: & ita complendum sub figura lapidei montis signatur illud, quod in Serm. 4. de Epiphania dicit Augustinus: *Pastores fuerunt Israelitæ, magi gentiles; illi prope, isti longe: vtrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt*. Et iam quæ hactenus meditati sumus, satis ipse Dominus probat, dum hoc in capite, sermonem iterans ait; *nunquam legistis in Scripturis; lapidem, quem reprobauerunt ædificantes; hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud; & est mirabile in oculis nostris*. Ecce mirabile quod mysticè duce fide, de monte in mare iactando, faciendum erat.

X Ephes. 2. l. 5.

25. At dices; esto non habuerit Lucas hunc Matthæi scopum, vt angularem montem, nempe Christum Dominum magnum in vtroque populo recoleret: quid ad rem Lucæ facit mori exemplum?

Respondeo pendere intelligentiam ab ipsa natura, mori contemplatione. Exprimitur quippe à moro non secus atque ab vua sanguineus veluti liquor. *Fructus mori*, inquit Ambrosius, super Lucam, *primò albet in flore; qui inde iam formatus erutilat; maturitate nigrescit*. Legimus 1. Machabæor. 6. vbi Elephantis præliabantur; *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium*. Necesse est, fateamur, hanc eis inesse naturæ proprietatem, vt visa sic specie sanguinis incendantur impauidi ad pugnam. Tropologicè hoc expendit Angelicus A pluries. Super illud; *vt plures è fratribus confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui*, inducit hanc Machabæorum auctoritatem. Et ibi ad Corinthios *tribulamur pro vestra exhortatione & salute; quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur*; inquit; B quia scilicet nostro exemplo, monet vos Deus ad passionum tolerantiam; subdens; *ostenderunt Elephantis sanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium*. Item hunc ipsum textum aptat allegoricè C ad Christi sanguinem in Sacramento; & quòd abigat Dæmones, & longè faciat D esse. In alio sermone intendit id ipsum astruere de passione Christi, E quæ nobis animos ad bella faciat: præmittens ex Bernardo; *considerate dolores Domini nostri, & leuiùs dolores vestros portabitis*: & ex Gregorio; *si passio Domini ad memoriam reducatur, nihil est adeo durum, quod non æquo animo toleretur*. Satis ergo liquet ex his quò collimet Saluatoris exemplum apud Lucam, vt sui ipsius exhibere voluerit specimen in moro, qui passus respersusque sanguine, Prædicatoribus suis semper erat præ oculis habendus: vt viso contemplationis oculo ipsius cruore, confortarentur ad toleranda quæque supplicia, redderenturque ad quæuis duriora certamina, & ad extremum martyrium fortiores; prout pergit in eo sermone *de mortuis* Angelicus considerare. Exigit autem Lucæ contextus, hanc ipsam de moro interpretationem; quoniam prædixerat habendam Apostolis fidem sicut granum sinapis. Augustinus super Ioannem; *quantum vas fidei attuleris quis ad fontem, tantum implet*. Granum sinapis F quanto magis atteritur, tanto magis eius fortitudo sentitur. Par ergo erat, vt mox vnde hanc possent haurire fortitudinem innotesceret. Et ecce de moro, *moro huic*, sibi scilicet; quemadmodum & hic eodem demonstratiuo articulo, *monti huic* induxit exemplum. Dicit autem de se ipso *moro & obediet vobis*; vel ipso verbo passionem mortemque suam memorans; qua factus est obedientiæ exemplar, prout habet Philipp. 2. Apostolus, *factus est obediens vsque ad mortem*. Lucas præ cæteris sanguinem Christi pro suo Instituto debuerat extollere, tanquam legalium omnium victimarum explentiuum. Et ita, solus sanguineum sudorem Domini in horto recolit. *Si enim* (Hebr. 9.) *sanguis hircorum & taurorum*. &c. *inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi* &c. *emundabit conscientiam nostram?* ideo ad ipsum pertinuit Domini verbum de moro euangelizare. Et quia coalescentiam ex vtroque populo non habuit Lucas pro scopo, quemadmodum Matthæus, sed solummodo translationem veteris legis in nouam, atque ad Gentes veritatis, non iam figuræ, euangelicæ traductionem; ideo lapidei montis tacuit mentionem; in quo vterque vnitus exprimitur populus, protulitque de mori eradicatione ab Iudæis incredulis, atque ad mare Gentium transplantationem. Si enim literæ corticem sequamur, quis arborem in mari vnquam transplantauit? Quod vt admoneat dicit *in mare*, quasi motu ad locum; non verò *in mari*; quasi statu in loco. Et quia insignior discipulorum missio fuit ad Gentes; Infra c. vlt. *docete omnes Gentes*: non abs re Lucas memorat dixisse *Apostolos*, qui interpretantur missi; *adauge nobis fidem*.

A Philip. 1. l. 2.
B 2. Cor. 1. l. 3.
C Serm. quadr. de mortuis.
D opusc. 58. 30.
E Serm. Sancti Iacobi.
F 1. Cor. 13. l. 1.

26. Facit ad rem Chrysostomi hom. 34. in Matthæum sententia, quæ prædicationis Apostolicæ fructum magnificat; vtique ad Domini mentem; *sed & si monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare: maius profectò atque admirabilius est, mentem aduersariorum commutare, & animum in diuersum transferre*. Sed nihilominus translatio montis ingens miraculum est, si fiat localiter, ita vt dicat Apostolus hinc edoctus 1. Cor. 13. *si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*. Quanquam enim simpliciter maior sit mortui suscitatio, vt G ibi habet Angelicus:

G 1. Cor. 13. l. 1.

H p. p. 105. 1. cus: & patet; quia, H solius Dei est; non autem dæmonis, aut Angeli, immediatè mouere materiam ad formam: (de hoc mirè ad Galatas cap. 3. l. 1. & 3. contra Gentes cap. 101. & deinceps) corpora autem
I p.p.110. 3. obediunt Angelis I ad motum localem: attamen inter miranda, quæ magis calumniæ sint expertia, maius sine dubio istud videtur; vt mons nedum relinquat locum priorem, sed alium occupet. Vnde Chrysostomus relatus in Catena Lucæ 17. exponens illud; *si habuero omnem fidem*, inquit, *Apostolus attribuit toti fidei montem transponere, non tanquam tota fides solùm hoc possit, sed quia hoc carnalibus magnum videbatur, propter eminentiam corporis*. Nota quod ait S.Th. in opusc. 10. art. 16. Certum est, quòd naturali sua virtute Angelus potest alicuius ponderis terram mouere; sed vsque ad quantum pondus, non potest à nobis determinari. Cæterum, quia vim facit adhuc ly *omnem*; nota, non dixisse *totam fidem*, quæ cum innitatur diuinæ omnipotentiæ per quam miracula fiunt, vt ibi docet Angelicus, non potest non esse tota, sed *omnem*; ac si diceret & *meam & hominum, maiorum & minorum*, qui ideò in eiusmodi sensibilibus signis, me sanctum probent; *si charitatem non habuero, nihil sum*. Denique dico maiorem expeti fidem, quia docemur *in summa* vbi quærit: *Vtrum vnum miracu-*
L p. p. 105. 8. *lum sit maius alio*: L tripliciter excedere aliquid facultatem naturæ; vno modo quantùm ad substantiam facti; sicut quòd duo corpora sint simul, vel quòd Sol retrocedat, aut quòd corpus humanum glorificetur: quod nullo modo natura facere potest; & ista tenent summum gradum in miraculis. Secundò aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit; sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, & potest præstare visum, sed non cæco. Et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ, quantùm ad modum & ordinem faciendi; sicut cùm aliquis subitò per virtutem diuinam à febre curatur, absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus: & cùm statim aer diuina virtute in pluuias densatur absque naturalibus causis; sicut factum est ad preces Samuelis & Eliæ. Et huiusmodi tenent infimum locum in miraculis. Hactenus Diuus Thomas. Si rem autem attentiùs examinemus; translatio montis attinere videtur ad primum miraculorum gradum; non absimiliter, ac si retrocedat Sol. Moueri enim etsi contingat ingenti aliqua sui mole terram, erit ruinæ motus, non propriè translatio: in qua interueniat oportet mirandum aliud, nimirum, vt eleuetur; vnde ait Dominus; *si monti huic dixeritis; tolle & iacta te in mare*; tolli autem aut eleuari contra naturam grauium sic est, vt ipsa ad id vim non habeant. Scio, quod animaduertit idem Sanctus
M p. 1. 113. 10.2. Doctor, M non quandocumque res naturalis mouetur contra suam inclinationem, esse opus miraculosum, (alioquin miraculosum esset, quòd aqua calefaceret, vel quòd lapis sursum proijceretur:) sed quando fit præter ordinem propriæ causæ, quæ nata est facere hoc. At dico id esse ingens miraculum; quia non apparet quæ vis naturæ queat montium immutare situm, vt auellantur, & locum, quem eis, iuxta grauitatis exigentiam Deus constituit: iuxta illud ps. 103. *ascendunt montes & descendunt campi, in locum quem fundasti eis*.

27. Et si instet contentiosus dicens, negari adhuc posse huiusmodi montis translationem esse miraculum, quoniam vis esse potest naturalis in Angelo ad huiusmodi aliquando facienda; sicut vis est in homine ad exiguum aliquod pondus transferendum hinc illuc, puta lapidem: quod certè miraculum non est.

Respondendum alia ex doctrina; nimirum quæ ad verbum talis est. N Quicumque intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus eius, quæ per se requiruntur ad perfectionem totius; non autem per se eligit aliquem numerum, in ijs, quæ non principaliter requiruntur, sed solùm propter aliud. Sic igitur considerandum est in Deo, respectu totius vniuersitatis, quæ est eius effectus. Præordinauit enim in qua mensura deberet esse totum Vniuersum; & quis numerus esset conueniens essentialibus partibus Vniuersi: quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem; quot scilicet sphæræ, quot stellæ, quot species rerum. Indiuidua verò corruptibilia non ordinantur ad bonum Vniuersi, quasi principaliter, sed quasi secundariò; in quantùm in eis saluatur bonum speciei. Vnde numerus vel boum vel culicum, vel aliquorum huiusmodi non est per se ordinatus à Deo: sed tot huiusmodi diuina prouidentia producit, quot sufficiunt ad specierum conseruationem. Hucusque Sanctus Doctor. Ex quo fas sit nobis dicere, Montes a Deo creatos esse de numero partium principalium & essentialium Vniuersi; vnde eos à suo loco & situ amoueri, esset præter eorum primæuam dispositionem; atque adeo miraculum, idque magnum. Non sic autem ad Vniuersi attinet perfectionem, hic vel illic esse, aut transferri hinc illuc partes alias Vniuersi minores; puta lapidem, nulla radice fixum, de loco ad locum; autem etiam sursum proijci, & detineri: & ideo hoc miraculum non est, quamuis ingentis sit ponderis, si virtute Angelica deferatur: benè verò si monti huic dicatur *tolle, & iacta te in mare*; idque fiat. Marcus Paulus, qui apud Maluendam de Antichristo lib. 3. cap. 7. ante trecentos fermè annos totum fermè Orientem perlustrauit; narrat montem quendam haud longè à Ciuitate Taurisij nunc nobilissima Persicorum Sophorum Regia, viri sancti oratione loco amotum: Saracenis Euangelium prius ridentibus; sed viso miraculo non exiguo numero conuersis. De his supra cap. 17. num. 36.

VERS. XXII. *Et omnia, quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis*.

Sanctus Hilarius; *quotiescunque autem petentes non exaudimur; ideo fit, quia vel contra auxilium nostræ salutis petimus; vel quia eorum pro quibus petimus peruersitas, vt non impetremus, obsistit; vel in futurum petitionis nostræ differtur effectus, vt desideria crescant, & perfectiùs capiant gaudia quæ requirunt*. Doctrina isthæc firmatur ex verbis Domini Ioannis 14. & 16. monentis vt petamus in eius nomine; O *in nomine meo*, idest ex Augustino, in ordine ad salutem; Matthæi 1. *vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Et quoniam Roman. 8. *quia oremus sicut oportet nescimus*; ideo Christi exemplo dicamus; *tua voluntas fiat*. Sic ad illud *dabit vobis*; P quia aliquando pro alijs non exaudimur, contrariantibus eorum demeritis. Item *dabit*; non enim oportet statim; sed tempore congruo; & vt crescat desiderium. Huc fertur illud Leuitici 26. *dabo vobis pluuiam temporibus suis*; & Ecclesiastici 4. *in oratione dierum exaudietur*. Petendum est autem *in oratione*; eleuata scilicet mente in Deum. Hic tamen videtur mihi Dominus loqui, in ordine ad effectum gratiæ gratis data, cuius modi est *operatio virtutum* 1. Cor. 12. *ad vtilitatem*: illo modo, loco, & tempore, Q quo Ecclesiæ requirit vtilitas.

N p. p. 23. 7.
28.
O Io. 14. l. 3. & c. 16. l. 6.
P Ioan. 16. l. 6.
Q 1. Cor. 13. l. 1.

VERS. XXIII. *In qua potestate hæc facis?*

29. Qua malitia & peruersitate increduli interrogent isti Dominum, aperit Lucas, qui cap. 19. his præmittit, *Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis*,

plebis, quærebant illum perdere. Quocirca Hieronymus; *quando dicunt; in qua potestate hæc facis? dubitant de Dei potestate; & subintelligi volunt, Diaboli eße, quod faciat: add ntes quoque, quis tibi dedit hanc potestatem? manifestißimè Dei filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus signa facere*. Deprauati deprehenduntur & mente & corde: mente quidem, quia visis tot signis in sua manent cæcitate; corde etiam, dum audacter accedunt, & austerè interrogant: non secus atque supra c. 12. dixerunt Scribæ & Pharisæi; *Magister volumus à te signum videre*. Non sic erat corruptus mente Nicodemus; qui Ioannis 3. *dixit ei; Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis; nisi fuerit Deus cum eo*. Nec sic petulanter rogauit quidam Lucæ 13. *Domine si pauci sunt qui saluantur?* Docentem Dominum adeunt; sed doceri demerentur minus idonei; quia Deuteronomij 33. *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*. Renuit Dominus eis satis facere; conscius prouerbij Ecclesiastici 32. *vbi auditus non est, non effundas sermonem*. Si ex sola admiratione quæsijssent, responsurus erat ei Dominus; sicut Ioannis 7. *respondit; mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*. Legimus ibidem Pharisæorum ex ore, *nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?* Nunquid si audijssent, illud supra Matthæi 11. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: aut Ioannis 13. *omnia dedit ei Pater in manus*: aut Matthæi vltimo; *data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*, acquieuissent? Vtique cum non essent docibiles Dei, subiunxissent; sicut illi Ioannis 6. *durus est hic sermo; & quis potest eum audire?* quando idiotæ ministri Ioann. 7. contestabantur proni pietati; *nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Implet ergo quod supra cap. 7. edixerat; *nolite Sanctum dare canibus*: interrogatque illos vt confundantur: *oportet* enim vt ait Chrysostomus, *tentantem rationabili percussione confundere*. Alias; *nihil proficeret, quia non potest sentire, quæ lucis sunt tenebrosa voluptas*: quod item Chrysostomus. Indigni sunt etiam audiendi quæ Dei sunt; quia Sap. 1. *Spiritus-Sanctus disciplinæ effugiet fictum*.

VERS. XXV. *Baptismus Ioannis, vnde erat; è cœlo, an ex hominibus?*

30. Ex præsenti contextu satis poterant deprehendere, quænam esset potestas Domini; quandoquidem arcana cordis eorum ipsi innotuerant. Neque enim huiusmodi interrogatio vim habuisset, nisi quæ cogitationes voluerent, prænouisset. Solius autem Dei est scrutari cor. Ieremiæ 17. *prauum est cor omnium, & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor*. Sequitur: *at illi cogitabant inter se dicentes; si dixerimus è Cœlo, dicet nobis; cur ergo non credidistis illi? si autem dixerimus; ex hominibus: timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem, sicut Prophetam*. Sapientiæ 1. iterum; *in cogitationibus impij interrogatio erit*. Habemus apud Ioannem cap. 2. *ipse enim sciebat, quid esset in homine*. Prænouit ergo ipsorum angustias; nec eis esse effugium. Mendaces adhuc se produnt; dum inquiunt, *nescimus*. Neque enim circa baptismum Ioannis dubij fuerant, sed increduli; iuxta quod paulo post eis improperat dicens; *venit Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei*. Vbi autem humiliari debuerant, detectis denuò cordis eorum arcanis, secundum duritiam suam & impœnitens cor, tot salutaribus contemptis monitis, excæcati malitia, quærebant eum tenere, vt dicitur in calce capitis; *sed timuerunt turbas; quoniam sicut Prophetam eum habebant*. Si cupis autem de Ioannis baptismo erudiri: vide suo loco; R Definitur enim ritum illum baptizandi fuisse à Deo: qui familiari Spiritus-Sancti reuelatione Ioannem ad baptizandum misit: quanquam effectus illius baptismi fuerit ab homine; quia nihil in eo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset: solum enim corpus mundabatur. Et ideo baptismus Ioannis denominatur ab ipso. Disponebat tamen S Ioannis baptismus ad gratiam: & doctrina, qua inducebat ad fidem Christi, & assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi; & præparando homines per pœnitentiam quandam & confessionem peccatorum; nam *confitebantur peccata sua*, vt dicitur Matthæi 3. & Marci 1. Et ita ait Hieronymus. *Quod consummatur per sponsum, initiatur per paranymphum*.

R 1.p.38. 2. & hic.

S ibi a.3.

VERS. XXVIII. *Homo quidam habebat duos filios; &c.*

Duobus parabolis insistit eos increpare Dominus, 31.
si fortè agnoscant reatum suum, humiliatique redeant ad cor. Introducit autem de homine habente duos filios; vt humanitatem benignitatemque Dei commendet, atque vt ostendat eò propendere, vt dulcissimas secum Patris obeat vices, interim sustinens Iudicis agere partes. Sap. 11. *hos quidem tanquam Pater monens probasti; illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti*. Huc etiam spectat de Baptista præhabita interrogatio; quia per baptismum regeneramur in filios Dei. Quocirca expendendus est Apostolus ad Titum 3. vbi ait; *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei; &c. saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Humanitas* &c. quod dupliciter potest intelligi; T vel secundùm quod significat humanam naturam; quasi dicat, *apparuit humanitas*, quando Deus ex benignitate est homo factus: vel secundùm quòd designat virtutem, quæ consistit in exteriori subuentione in defectibus aliorum. Vnde humanum esse, est condescendere; Act. vltimo; *Barbari autem præstabant non modicam humanitatem nobis*. Sic Deus condescendit nostris defectibus; psal. *ipse cognouit figmentum nostrum*. *Per lauacrum regenerationis*; V quia baptismus est spiritualis regeneratio. Regeneratur autem quis per baptismum in X filium Dei. Ioannis 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Ideo mox subditur; *Quis ex duobus fecit voluntatem Patris?* Ostendit autem eiusmodi paradigmate, Deo acceptum esse opus, quamuis friguerit intentio; primus enim filius, qui dixit, *nolo*; (operari in vinea) *postea pœnitentia motus abiji*: monet etiam, nudam non valere intentionem, nisi opere consummetur; vt claret in altero filio; qui respondens ait; *eo Domine & non iuit*: *Primus* enim, etiam ex eorum sententia, *fecit voluntatem Patris*. Hinc eis ipsorum praua indoles memoratur; Exodi enim 19. & 24. quadam leui promptitudine dixerant; *cuncta quæ locutus est, faciemus*: & rursus *omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus; & erimus obedientes*. Sed ex Isaia Dominus supra c. 15. *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me*. Superbiæ autem præsumptionem, vt notat A Angelicus, concernit isthæc eorum phrasis: sed *vbi verba sunt plurima*, (Prouerb. 14.) *ibi frequenter egestas*. Iacobi 1. *estote factores verbi, & non auditores tantum*. Roman. 2. *factores legis iustificabuntur*. Facit huc quod pergit Apostolus de huiusmodi declamare. *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege; & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis te ipsum esse lumen cæcorum: lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœ*

chan-

T Titi 3. l. 1.

V 3.p.65. 1 & q.69. 4.

X Titi 3. l. 1.

A Gal. 3. l.7. & alibi.

chandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis. Profectò, qui hæc omnia, vellet vno verbo complecti; satiùs exprimere non posset; quàm parabolæ verbis: *respondens*, alter, ait; *eo Domine, & non iuit.* Atqui non tantùm hoc dolet Dominus, quantùm quod pœnitentiam non habuerint postea, aliquando in se reuersi: sicuti primus filius, qui pœnitentia motus, suæ reluctantiæ compensauit excursum: & huius typo, publicani & meretrices: qui proinde præcedunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in Regno Cœlorum. Traducitur cum hac impœnitentia sensim in cor incredulitas.
B 2.2.39. a. 3. Quoniam, vt docet Angelicus B amissio charitatis est via ad amittendam fidem. Vnde 1. Timoth. 1. *à quibus, quidam aberrantes*, scilicet à charitate, & alijs huiusmodi, *conuersi sunt in vaniloquium.* Ratio autem perditionis tantæ est; quoniam amissa charitate, amittuntur dona Sancti-Spiritus; inter quæ,
C 2.2.8. a. 3. donum intellectus, qui C importat quandam perceptionem veritatis; qui non potest esse circa fidem, nisi in eo, qui habet gratiam gratum facientem: item donum Sapientiæ; quod facit rectitudinem iudicij
D 2. 2. 45. 3. circa res diuinas, ex quadam connaturalitate, D siue vnione ad diuina, quæ est per charitatem. Et hoc mihi visum est docuisse Dominum, cum Ioann. 7. prompsit; *si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina; vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* En quomodo cohærent sacri textus: hic rogat Dominus; *quis ex duobus fecit voluntatem Patris?* ergo iste secundùm allegata ex Ioanne *cognoscet de Christi doctrina*; proinde ac de potestate, de qua interrogant; *(accesserunt hic, ad eum docentem)* quia ipse, vt dicitur supra cap. 7. *erat docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* De hac potestatiua doctrina dixerim nunc quæsiuisse *Principes Sacerdotum, & Seniores Populi*: cuius ignorantiæ radicem reuelat Dominus, refertque in impœnitentiam; ex qua non fecerint voluntatem Patris; quæ vna via est ad cognoscendum de ipsius doctrina, vt apud Ioan. 7. subinde & de potestate. Ex Sanctitate etiam Ioannis poterant accipere, an esset baptismus eius à Deo. Nam de illo ait
E 3.p.38. a. 3. Angelicus; ipsa etiam E austeritas vitæ officium commendabat; quia vt Chrysostomus dicit super Matthæum; *mirabile erat in humano corpore tantam patientiam videre: hæc est enim*, recole ex Apostolo, 1. Thessal. 4. *voluntas Dei, sanctificatio vestra.*
F opusc. 2.p.2.c.8. Hinc Gregorius Nyssenus relatus in opusculo; F *quis est tam bestialis, qui videns in credentibus vitam puram, non glorificet nomen inuocatum in tali vita?*

32. Porrò sicuti Iudæorum aliqui increpantur, quòd promissa fefellerint; neque postea medelam pœnitentiæ vulneri suo adhibuerint; ita qui ex illis, post renisum quendam laborauerunt in vinea animæ suæ, de qua in capite præcedenti, grati Deo euaserunt: ea metaphora laboris & operis, qua Prouer. 24. dicitur; *præpara foris opus tuum; & diligenter exerce agrum tuum.* Quamuis aptè intelligatur Ecclesia, de qua in psal. 127. *vxor tua, sicut vitis abundans in lateribus Domus tuæ*; siue vt legit Augustinus; *vxor tua, sicut vinea fertilis.* Et in vtroque sensu laborarunt ex circuncisione credentes; Act. 10. *& obstupuerunt ex circumcisione fideles.* Et Act. 2. dicentes ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, *quid faciemus viri fratres?* audierunt à Petro; *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Quemadmodum & hic à Matthæo introducitur de baptismo præparatorio Ioannis; & qualiter hic primus filius *pœnitentia motus, abijt. Nunquid enim Deus* Roman. 11. *repulit populum suum? nam & ego*, inquit, *Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin*: quamuis enim *aliqui ex ramis fracti sunt*, vt ibidem ait; nihilominus Act. 20. legimus; *vide frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt*: vbi græca; *quot myriades sunt Iudæorum*; (myrias continet decem millia) & Sanctus Beda in Catena, Lucæ 1. *suscepit Israel*, ait; *potest etiam ad Israel carnaliter hoc adaptari; cùm ex eo infiniti crediderint.* Ex quo dixit Petrus ibidem Act. 3. *vobis enim est repromissio & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt; quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster.* Et quasi tangens de hoc altero filio *qui respondens ait; eo Domine, & non iuit*, subdit Petrus; *saluamini à generatione ista praua.* Et incredulos significari per hunc filium Iudæos, vel ex eo liquet, quòd Patrem, Dominum vocat; *eo Domine*; quasi adhuc sub lege prisca timoris. Malachiæ 1. *si Dominus ego sum; vbi timor meus?* Quem timorem explodens Rom. 8. Apostolus; habet; *non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus; Abba; Pater.* Malachias item; *si ergo Pater, ego sum; vbi honor meus?* Augustinus; *breuis est differentia legis & Euangelij; timor & amor.*

Porrò morale trahit Angelicus, dicens; G con- 33.
tingit etiam quòd aliqui se obligant ad id quod non G 2. 2.
seruant; & aliqui implent, ad quod non se obligauerunt; 184 a. 4.
vt patet Matthæi 22. de duobus filijs; quorum vnus dicente Patre: *operare in vinea, respondit nolo; postea abijt*; alter autem respondens ait; *eo, & non iuit.* Sed ipse libens applicationem probo vel ex parte, ad hodie pœnitentes; qui ad operandum in animæ suæ vinea, (quæ vinea Dei est; *in vinea* inquit *mea*: quia Ezech. 18. *omnes animæ meæ sunt*) quotidie garrula responsione, se se promptè offerunt & proponunt; sed vix à sancto confessionis tribunali recedunt, mentientes fidem nullam seruant. Qui eiusmodi inconstantiæ sunt, *imus*, inquiunt, *& non ierunt.* Et cùm tam dignanter accedat ad eos Dominus excitante gratia, (signanter hic dicitur, *accedens ad primum; & accedens ad alterum*) abutuntur Dei donis, neglecta vinea: nihil territi propheticis minis; *ponam eam desertam; non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres & spinæ; & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*, Isaiæ 5. Millies proposuimus emendari; nec vnquam factum est: votum vouimus Domino; nec impleuimus. Hinc Malachiæ 2. *irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* Sic parabolam exponit etiam de laicis & clericis seu religiosis; H quibus melius esset non vouere, quàm H D.Th. hic.
post votum promissa non reddere: & sic præeminent laici clericis ipsis. Innocentia & charitas, inquit alibi I frequentiùs audiuntur in maioribus, sed inueniuntur in minoribus: fertque illud psal. 131. *Ecce audiuimus eam in Ephrata; inuenimus eam in campis Syluæ.* Sed iam cap. sequenti 23. de Scribis & Pharisæis euulgat Dominus; *dicunt enim, & non faciunt.* I Apoc. 21. com. 1. ibi: *ipsa verò Ciuitas*, &c.

VERS. XXXIII. *Homo erat Pater-familias, qui plantauit vineam.*

Incedût variè sacri interpretes per singula parabolam explicantes; & quidem parabolæ caput de vinea 34.
adaptat Hieronymus Domui Israel, ex illo Isaiæ c. 5. *vinea Domini exercituum Domus Israel est*: consentitque Ambrosius & Chrysostomus; nec discors fuit Origenes; qui tamen subdit; *fortè in Euangelio, vinea est Regnum Dei, idest doctrina; quæ Scripturis inserta est.* Diuus Thomas L iustitiam, ex qua iusti sumus, ponit etiam pro vinea. Ipse huic postremæ libentiùs hæreo: sed ad eum trahendo sensum, quo Apostolus Roman. 3. dicit; *iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi*; in quantùm in ipsa iustificatione, qua iustificamur à Deo, M primus motus L D.Th. hic. M Rom. 3. l. 3.

tus mentis in Deum est per fidem; *accedentem enim ad Deum oportet credere*, vt dicitur Hebræor. 11. vnde & ipsa fides, quasi prima pars iustitiæ est nobis à Deo; Ephes. 2. *gratia estis saluati per fidem*. Verùm nolim parabolam arctari ad fidem, quæ per charitatem formatur; sed satius, vt etiam de fide informi accipi queat. Itaque me iudice vinea præsens est fides à Deo nobis infusa. Cohæret autem nostra interpretatio contextui; quia ad tollendam excusationem, mox ante concluserat Dominus aduersùm insidias eorum hisce verbis; *publicani & meretrices crediderunt ei* (Ioanni): *vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei*. Consequens ergo erat, vt supra fidem, quam illi non habebant, aliam proferret audiendam parabolam. Et hoc firmatur in eo quod sequitur, *auferetur à vobis Regnum Dei*: nam ex Hieronymo lib. 4. com. in Matth. in fin. *qui ante regnabat in Cœlo, per fidem credentium regnat in terra*. Sed quod mireris pie lector est, ab ore Domini priusquam proponat eis parabolam istam, captari veluti attentionem dicendo, *aliam parabolam audite*. sed absit, vt hic sistamus. Nusquam reperio præoccupasse sic Auditores; nisi semel alio in loco; nimirum supra c. 13. *vos ergo audite parabolam seminantis*. At tunc fuit expositurus parabolam; non mirum si ad attentionem excitet suos discipulos; hic verò solum proponit parabolam, non edisserit: cur ergo præponit; *audite?* Dic, & de mysterio lætaberis, insinuasse illa vocula, se de fide locuturum, & fidem exigere; Rom. 10. *fides ex auditu*. Auditus quippe ex Philosopho 1. Metaph. est sensus disciplinæ. Hinc & Isaias, vt fert Apostolus cap. 53. *Domine quis credidit auditui nostro? Plantauit ergo Pater familias hanc vineam*. Liceat mutuari verbum ex psal. 93. vbi ait psalmista *qui plantauit aurem, non audiet?* Vt plantatam ab initio fidem in corde hominis moneat: quam plantari decet; eo quòd sit *substantia* Hebr. 11. *sperandarum rerum*. Quod exponens in Com-
N opusc. 2. p. 1. c. 2. pendio Theologiæ ait; N substantia fides dicitur, sperandas res, idest futuram beatitudinem, per modum cuiusdam inchoationis subsistere faciens. Plantauit autem hanc vineam ab initio, fidem Adæ in-
O p. p. 91. a. 3. fundendo, vt O docet Angelicus. Et ante statum
P 1. 2. q. 1. a. 7. & 4. sent. 26. q. 1. expo lit. t. peccati homo habuit explicitam fidem P de Christi incarnatione; secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ; non autem secundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem & resurrectionem; quia homo non fuit præscius peccati futuri. Huic vineæ *sepem circumdedit*; quia circunquaque eam oportuit muniri; quando de Diabolo ait Petrus in 1. cap. 5. *circuit quærens, quem deuoret; cui resistite fortes in fide*. Quid autem sepis nomine intelligatur, accipe ab eodem Diuo Petro, qui cap. 13. ait: *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*; seu *fide & spe*, vt ab aliquibus lectum est: ad defen-
Q 3. sent. 24. q. 1. a. 2. dendum scilicet ea quæ fidei sunt. Q Sic ad resistendum ijs, quæ contra fidem dicuntur; siue ostenden-
R opusc. 10. q. 2. Proœmij a. 1. & in exposit. Prolog. 1. lect. do R esse falsa, siue ostendendo non esse necessaria. Et vt ait in exposit. Prologi Magistri; clypei sunt rationes & auctoritates Sanctorum. Quare quod hic introducitur de sepe, æquipollere videtur similitudini alteri ex Cantic. cap. 4. sicut *Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea; omnis armatura fortium*:
S Cant 4. commendatio sponsa. auctoritatibus enim S & articulis munitur fides nostra, quasi per quosdam clypeos notis lumine diuino; in quo est *omnis armatura fortium*; quia quicquid virtutis est in omni intellectu, peramplius & perfectius est in lumine diuino. Sic Magister Sententiarum in suo Prologo inquit; *fidem nostram aduersus errores carnalium atque animalium hominum, Dauidicæ Turris clypeis munire, vel potiùs munitam ostendere studuimus*.

Et ecce quomodo cohæret quod subdit hic Dominus; *& ædificauit Turrim. Fodit etiam in ea torcular*; quod mihi interiectum ideo videtur; quia voluit innuere, in fide mediatoris ac redemptoris, præcipuè fidem esse. *Quomodo intelligimus*, (ait Ambrosius lib. 9. in cap. 20. Lucæ) *quid sit torcular, nisi quia forte psalmi pro torcularibus inscribuntur; eo quòd in his mysteria dominicæ passionis, modo musti, sancto feruentis spiritu redundantiùs æstuarint*. Sanè Isaiæ 63. legimus; *torcular calcaui solus*: quod de Christi passione & morte cum Patribus T exponitur. Vbi Haymo; *torcular; idest passionis ac mortis pressuram; calcaui; idest sustinens superaui*. Et in nostræ interpretationis gratiam, excogitet quis, (si ei non arrideat,) cur de turre duntaxat & de torculari fiat mentio: cum turris non admodum necessaria sit vineæ cultoribus; & inter plura quibus rus eget instrumenta, vnum sit torcular. Adstipulantur alia Sacræ Scripturæ loca, siquidem Cant. 1. dicitur Christus; *botrus Cypri*; Apocalyps. 17. *vestitus erat veste aspersa sanguine*, & Genesis 49. *lauabit in vino stolam suam; & in sanguine vuæ pallium suum*. Potest autem considerari sanguis Christi V vt vinum spirituale; & secundùm hoc lauat, calefacit, & lætificat. Denique ait glossa; *sicut botrus, in ligno pependit*. Et huc facit, illud Numeri 13. quando *ad torrentem botri absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri*: vt exposui Numeri 13. & 14. Augustinus in psal. 8. *dictus est Dominus botrus vuæ, quem ligno suspensum, tanquam crucifixum attulerunt*.

Addo per Turrim posse significari Christum; iuxta illud Prouerb. 18. *Turris fortissima nomen Domini*: & sic etiam per torcular: sicuti enim ipse est Sacerdos & hostia; Ephes. 5. *se ipsum obtulit Deo in odorem suauitatis*; & Hebr. 9. *semetipsum obtulit immaculatum Deo*; sic est torcular, prælum & premens semetipsum in passione; *oblatus enim est*, Isaiæ 53. *quia ipse voluit*. Et idcirco dic vsurpari expressionem illam *fodit*, cum alias Isaia 5. dicatur, *extorcular extruxit in ea*; quia crucifigendus erat iuxta illud ps. 21. *foderunt manus meas & pedes meos*. Vt quæ concerneret vinea seu fides, in corde plantata credentium, insinuaretur; nempe humanitatem Saluatoris in fosso torculari, & Diuinitatem in Turre: non secus altitudo Cedri est Diuinitas; hyssopus humilis herba, humanitas: *Cedrus Libani, conformatur hyssopo*; vt in Sequentia. Quoniam verò, vt dicitur Roman. 8. *Deus proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*; propterea Pater-familias hic *fodit in ea torcular, & ædificauit in ea turrim*: quamuis, vt docemur, X vituperentur Iudas, qui tradidit ex cupiditate, Iudæi ex inuidia, Pilatus ex timore quo timuit Cæsarem.

Sequitur; *Locauit eam agricolis, & peregrè profectus est*.

Hanc vineam siue fidem, suapte natura sine spinis & vepribus, nulla putationis necessitate, eo quod purgatissima atque purissima, sic vt cor etiam emundet Act. 15. *fide purificans corda eorum*, plantauit diuina largitas in hominibus, in ipsa Mundi origine, vt in Adam diximus. Sic in alijs successu temporis: quemadmodum inducit Apostolus Hebr. 11. *iuxta fidem* inquit, *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus; à longè eas aspicientes, & salutantes*: qui deinde de mediatore cap. 12. adnectit dicens; *aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem Iesum*. Quousque in sua puritate permansit, minime in labruscas degenerans, etiam in populis, à Patribus recommissa filijs; iuxta quod ibidem cap. 12. minorum disciplinam memorans adijcit; *Patres quidem*

Margin notes (right column): 35. (beside "Et ecce quomodo"); T Io. 41. 1. & c 16. l. 8. & alibi.; V opusc. 18 c. 19. 12.; X 3. p. 47. 1. 3.; 36. (beside "Hanc vineam")

qui dem carnis nostræ eruditores habuimus; qui erudiebant nos; nec operis nec laboris nimij ad illam excolendam iniunctio fuit. In prima quippe Mundi ætate, A non fuit idololatria, propter recentem memoriam creationis Mundi: ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum. In secunda autem ætate, (hæc post diluuium accipitur) legitur esse inuenta, vel à Nembroth, qui, vt dicitur, cogebat homines ignem adorare; vel à Nino, qui imaginem Patris sui Beli, adorari fecit. Apud Græcos autem (vt Isidorus refert) Prometheus primus simulachra hominum de luto finxit. Iudæi dicunt quòd primus simulachrum de luto fecit Ismael. Hactenus D. Thomas. Postquam autem inscrutabili Dei permissu, per ignorantiam intellectus, & inordinationæ affectus, dæmonumque suggestione ac dolo, turpiter à vera veri Dei fide desciuerunt homines, (relictis sua in perditione Gentibus, de quibus psaltes; *dixit insipiens in corde suo, non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis*) complacuit sibi diuina clementia, merito fidelis Abraham, qui proinde Roman. 4. recolitur *Pater omnium credentium*, huiusmodi fidei excolendæ vineam agricolis locare. Cœpit autem cultus eiusdem vineæ seu fidei in circumcisione, sub hoc enim signaculo, inquit Angelicus B claudebatur secretum incarnationis Christi ex semine Abrahæ. Sed quia vt dicitur Deuteronomij 4. *dilexit Patres & elegit semen eorum post illos*, complacuit sibi postea Iudæis legem dare, vt cæremonijs in ea venturi Saluatoris fidem colerent. Decebat, inquit, C vt ille populus ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret. Et sic præ alijs prærogatiuas habuit; inter quæ legislatio, vt dicitur Roman. 9. & hoc propter reuerentiam Christi, D qui ex illo populo nasciturus erat. Sed fuisse huiusmodi legem præsertim quoad cæremonialia ad excolendam fidei vineam ex multis accipe. Nam in primis ait, E erant in illo populo, aliqui ad idololatriam proni: & ideo necesse erat, vt ab idololatriæ cultu per præcepta cæremonialia reuocarentur ad cultum Dei. Et quia multipliciter homines idololatriæ deseruiebant, oportebat è contrario multa institui ad singula reprimenda: & iterum multa talibus imponi, vt quasi onerati ex his, quæ ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriæ deseruire. Deinde; F data est lex ad edomandam concupiscentiam populi lasciuientis; vt fatigati cæremonijs, ad idololatriam non declinarent. Et ad Romanos; G cæremonialia ideo sunt multiplicata, ne liceret eis, Dijs alienis cultum superaddere. Ideo, vt notat alibi, H præcepta de sacrificijs non fuerunt data populo Iudæorum, nisi postquam declinauit ad idololatriam, adorando vitulum conflatilem; quasi huiusmodi sacrificia sint instituta, vt populus ad sacrificandum promptus, huiusmodi sacrificia, magis Deo, quàm idolis offerret. Vnde Ieremiæ 7. *non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi ei, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum*. Hinc Augustinus in Ioan. tract. 10. *sacrificia illi populo pro eius carnalitate & corde adhuc lapideo, talia data sunt; quibus teneretur, ne in idola diffluerent*. Deinde cæremoniæ veteris legis, causam habebant figuralem I siue mysticam, secundùm quòd ordinabantur ad figurandum Christum. Et vlterius, (quod caput est) cùm ordinarentur ad cultum Dei, repræsentabatur ordinatio mentis in Deum; secundùm quòd homo ex rebus suis, quasi in recognitionem, quòd haberet ea à Deo, in honorem Dei offerebat; secundùm quòd dixit Dauid 1. Paralip. c. 29. *tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Hoc pacto dic itaque locasse Patremfamilias *vineam suam agricolis*; vt fidem hisce exercerent cæremonijs; quæ nihil aliud sunt, nisi quædam protestationes fidei, vtque docet Angelicus: L & Augustinus, *nasciturum, passurum; resurrecturum Christum illa sacramenta quodammodo personabant*. Dic etiam in eiusmodi fidei vinea, Christum, qui de se ait; *ego sum vitis vera* Ioan. 15. præcipuam fuisse plantationem: iuxta illud Ephes. 3. *det vobis, Christum habitare per fidem in cordibus vestris*.

A 1. 2. q. 94. a. 4.
B Rom. 4. l. 2.
C p. 1. 2. q. 98. a. 4. in corp. & ad 1.
D loc. cit. a. 5.
E p. 1. 2. q. 102. a. 1.
F Gal. 3. l. 7.
G Rom. 5. l. 6.
H p. 1. 2. q. 102. a. 3. in corp.
I ibi a. 1. & 2.
L p. 2. 2. q. 103. a. 4.

37. Mirandum autem est, qualiter vinea hæc locari dicatur agricolis, & non potius vineæ cultoribus, aut vinitoribus; qui hebraicè *thoremim* dicuntur, sicut vinea dicitur *cherem*, sicuti Lucæ 13. vbi dixit ille *ad cultorem vineæ* de arbore fici sterili, *succide illam*; præsertim quia hebraicè agricola dicitur *ngobèd edamah*; quod sonat, *cultor terræ*. Sed ingens & hic ad rem mihi videtur latere mysterium. Nam *ngabad*, à qua radice deriuatur & cultus, & cultor, significat, nedum colere terram, sed & colere Deum. Dic ergo locari vineam agricolis, vt colant Deum per fidem vtique; nam Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere*; & primus motus mentis in Deum est per fidem M vt supra dictum est. Deinde alio arcano sensu; quandoquidem *edamah*, (*terra*) radicem habet, ab *adam*, quæ nedum *rubuit, rutilauit*, sed & hominem significat: quare ergo non Christum? de quo Apostolus 1. Cor. 15. *nouissimus Adam in spiritum viuificantem*: quare non Christum? qui vt dictum est Numeri 19. significabatur in sacrificio vaccæ rufæ, vt luculenter exponitur N suo loco: quæ signanter præcipiebatur rufa *adumah*, vt in ea voce figuratum esse hominem immolandum intelligeretur: quia ab *adam* deriuata est. Sed impræsentiarum dixerim agricolas appellari, non vineæ cultores, quia Christum, qui *adam* dictus est, atque à terra hominis nomenclaturam sumpsit, debuerant colere: quod est incarnationis mysterium, fidei brachijs voluere ac versare. Deut. 4. *quæ alia gens sic inclyta? vt habeat cæremonias*, &c. & c. 7. *te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram*. Rom. 3. *credita sunt illi eloquia Dei*: & c. 9. *quorum est adoptio filiorum Dei, & gloria & testamentum & legislatio*: coaptissima certè instrumenta ad vineæ seu fidei culturam. Sequitur; post hæc; *& peregrè profectus est*: vbi Hieronymus; *abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat*. Vel secundùm Chrysostomum, *peregrè profectus est; cum longanimitatem habuit, non semper eorum peccatis pœnas inducens*. Et hoc aliunde claret; siquidem semel & iterum seruorum suorum impios interfectores agricolas sustinuit. Dic peregrè etiam *perfectum* perhiberi, vt inde erudirentur agricolæ, recolerentque Patres suos, qui vt ait Apostolus Hebr. 11. *iuxta fidem defuncti sunt, confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram*. Hinc psaltes in 38. *quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes Patres mei*.

M Rom. 1. l. 4. & alibi.
N p. 2. 2. q. 102. a. 5. 5.

VERS. XXXIII. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas* &c.

38. Postquam diu exercuerunt cæremonijs ijs vineam fidei; prouidi Patris-familias erat exigere fructus: & quosnam? spei & charitatis in primis; nam secundùm glossam Matthæi 1. ibi, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob; fides generat spem, spes verò charitatem*. Ex quo illarum nexum O & ordinem exponit Angelicus. Verùm, nullus huiusmodi fuit eorum fructus. Causam accipe ab Apostolo 1. Corinth. 10. *nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt; & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari; & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt; & omnes eundem potum spiritalem*

O p. 1. 2. q. 62. a. 4. & q. 65. a. 4.

lem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus: sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Alij, è contra vt exemplificat Augustinus; *manducauit & Moyses; manducauit manna & Aaron; manducauit manna & Phinees; manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt. Quare? quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustauerunt, vt spiritaliter satiarentur.* Hoc ipsum aio & ego de cultu vineæ: non illam spiritaliter excoluerunt, quia carnaliter plerique illorum quæ in figuram data ei fuerant, intellexerunt. Vnde tantum abest, vt fructus spei charitatis, bonorumq; operum inde caperent, quin potius vineam ipsam, hoc est fidem extirpauerunt. Idem Augustinus; *quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant.* Sic in psalm. 105. *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem: non crediderunt verbo eius.* Ezechielis 2. *increduli & subuersores sunt tecum.* Vbi deficit fides, spes fluctuet, charitas tepescat necesse est. Bellè ait Hugo; *quantùm quis credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur:* quia in Apocalypsi, *Ciuitas posita est in quadro.* In sacro Euangelij textu, tantus fraternæ charitatis defectus, dum seruos missos vt acciperent fructus, crudeliter necant, arguit iam fidem perdidisse; si enim crederent Deum remuneratorem esse bonorum; subinde & retributorem malorum; non adeo impudenter, absque vlla causa sæuissent. Hebræor. 11. *credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Contumaci autem rebellique Dei iudicis odio, in *plures iterum* missos seruos *fecerunt similiter: apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt.*

39. Studuerunt hic sacri Interpretes ex scripturis ipsis colligere, quorsum memorata isthæc interfectionis variæ scelera collimarent. Mihi ab hac supersedere cura liceat. Quamuis eruditionem probo, tanquam parabolæ fundamentum. Subtilius velim, horum intelligentiam suffragante Domino assequi; dum non historiam intendit audiri sed parabolam. Mysticè igitur perhibentur agricolæ præfati seruos & percutere & occidere & lapidare: ad eum sensum quo super illud Exodi 1. dixit obstetricibus Pharao; *si masculus fuerit, interficite* adhuc tropologicè.
P opusc. 41. l. 5. c. 30. Quocirca in Opusculo; P cum per spiritum conceptit aliquis salubre propositum, magna crudelitas est, extinguere conceptum ipsius: herodiana malitia est, & babylonica crudelitas, paruulos natos extinguere. Ad eum dico etiam sensum; quo 1. Thessalonicensium 5. legimus; *spiritum nolite ex-*
Q 1. Thes. 5. l. 2. *tinguere.* Vbi sic Angelicus; Q Spiritus-Sanctus est persona incorruptibilis & æterna, vnde in sua substantia extingui non potest: sed tamen dicitur quis extinguere spiritum, cùm aliquis bonus motus surgit, & ipse impedit. Igitur in eo quod ait, *alium ceciderunt*, significat sanctam aliquam cogitationem, aut cœlestem motionem, seu ad credendum seu ad pœnitendum, quasi armis aggressos vulnerasse. Verbum enim percutere, & cædere, hebraicam non habet aliam radicem, nisi *cebichau*, à qua aliud deriuatur verbum, *cebachlal, rubricauit*; nam si quem ferias, rubricatur mox sanguine: Isaiæ 63. *quare rubrum est vestimentum tuum?* Sonat ergo diuinas inspirationes sic odio habuisse, vt vel seminuinas reliquerint; vel omnino extinxerint, *occiderunt*; tandemque ne accederent, à longe impetiuisse; *alium lapidauerunt.* Et quoniam per sanctos Angelos suos, ministros ac seruos Domini (Apocalyps. 19. & 22. *conseruus tuus sum*) immittit diuina clementia suas motiones; quod cum his agitur, cum seruis actum esse accipitur. *Iterum misit alios seruos, plures prioribus* (dic ob *diuitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis*; Roman. 2.; quia Ephes. 2. *diues est in misericordia*) *& fecerunt illis similiter.* De perfidia notantur; quoniam illud *iterum*, non bis aut ter, sed pluries misisse de sursum eis auxilia demonstrat, ugod enim hebraicè valet, *adhuc, ampliùs, plùs, iterum.* Vno verbo isthæc agricolarum contumacia exprimi posset cum Diuo Stephano in Actis capit. 7. *vos semper Spiritui-Sancto restitistis: sicut Patres vestri, ita & vos:* factique cohærentiam, perpetratis interfectionibus, improperat subdens; *quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de morte Iusti.* Sicut ergo ad illud Matthæi 7. *petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis*, sentit Augustinus, referri hæc omnia ad instantissimam petitionem: ita dixerim circumscriptione quadam, perfidiæ iudaicæ comprehendi pessimam indolem ad resistendum diuinis monitis: non secus ac legatur Iob 24. *ipsi fuerunt rebelles lumini*; & Ioann. 1. *lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quocirca Angelicus recolens quod nuper præmisit Dominus; *publicani & meretrices præcedent vos in* R 2. 2. 189. 1. 1.
Regno Dei, pronunciat; R faciliùs conuertuntur ad Religionem peccatores, quàm illi qui de sua innocentia præsumunt. Cum quo tamen stat, vt quasi propheticè insinuetur, quidnam futurum sit ab ipsis in seruos Domini, primitiua præsertim in Ecclesia; vt percurret Syntaxis.

Adstipulantur autem meditationi meæ de mystica percussione, occisione ac lapidatione, si attentè 40.
considerentur, verba Domini. Ait enim, *misit seruos suos ad agricolas*: & mox, *misit alios seruos.* An non satis innuit de Angelorum per internas inspirationes missione? Iam claret Hebr. 1. qui sint missi: nonne *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi?* Præterea, si superficiei tantummodo stemus; quid circumspectionis fuit, plures iterum mittere seruos; sed eos inermes, ad feros agricolas qui armis feroces, iterum insontes cæderent, lapidarent? An non priora homicidia, si opere perpetrata exhibet parabolæ tenor, satis hominum Deique iustitiam prouocarant? Quæ spes prudenter fuerat emendationis de tanta perfidia, cum ad solam fructuum exactionem tanto furore correpti seruos occiderant? Rabanus id attigit dicens; *mittitur seruus vnus, alter, & tertius; cum lex, psalmus, prophetia legitur; ad quorum monita benè quis operetur; sed missus cæditur & eijcitur, cùm sermo contemnitur; vel, quod peius est blasphematur. Hæredem quantùm ad se occidit, qui filium Dei conculcauerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit:* vt dicitur Hebræor. 10. accinitque illud Ephes. 4. *& nolite contristare Spiritum-Sanctum:* idest S nolite fugare, vel expellere per pecca- S Ephes. 4. l. 10.
tum.

VERS. XXXVII. *Nouissimè autem misit ad eos filium.*

Magnum discrimen, cui exposuisset prudens Pa- 41.
ter-familias filium. Sed eò collimat parabola, quò & Apostolus Hebr. 1. *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouissimè diebus istis, locutus est nobis in filio; quem constituit hæredem vniuersorum; per quem fecit & sæcula.* Iam & hic *dixerunt intra se; hic est hæres.* Quocirca, an & quomodo Iudæorum Principes Christum quis esset, cognouerint in Syntaxi examinabimus. Interim hæreditatis æternæ fidem, per Messiæ aduentum hominibus præparandæ, minimè habuisse credendum est; sed potius temporalibus terrenis addictos fuisse: crassa minerua legis intel-

ligendo promissa; cùm tamen per terram promissionis T Regnum Cœlorum significaretur. Et sic Hebr. 10. *vmbram habens lex futurorum bonorum.* Licet autem carnales Iudæi terrenis insisterent; tamen, vt habet Angelicus, antiqui Patres sancti non insistebant Sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus & vmbris futurorum: & V fuerunt aliqui in statu veteris Testamenti habentes charitatem & gratiam Spiritus-Sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales & æternas. Dic tu de his non fuisse agricolas istos: qui etsi adhuc nonnihil opinionis retinerent, temporalem bonorum hæreditatem per Messiam fore expectandam; nihilominus infirmiores effecti etiam hac in humana fide, (nam diuinam & infusam amisisse præsumimus) vtilius sibi putauerunt, qualemcunque dominatus seruare imaginem; quàm sub recepto Messia corregnare. Hinc aiebant (*trepidantes timore vbi non erat timor* psalm. 13. & 52.) *si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem*, Ioann. 11. Itaque *dixerunt intra se, hic est hæres.* En quomodo dignoscitur palam, non habuisse firmam fidem Scripturis de Messiæ aduentu: quia *intra se* aiunt; & *cogitauerunt intra se*; vt Lucas cap. 20. scribit: & apud Marcum cap. 12. *coloni dixerunt ad inuicem: hic est hæres:* quæ cuncta potius suspicicionem, vel ad summum opinionem quandam de Messiæ aduentu habuisse ostendunt: nullam enim Scripturæ auctoritatem recolunt colloquentes. Quod respondentes Herodi *vbi Christus nasceretur*, non omisere, Michæam allegando. Hinc de ipsis Diuus Stephanus impletam satis innuit parabolam dicens; *Patres vestri occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iusti; cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Ex qua Sententia notari possunt de infidelitate; quia, Ecclesiastici 32. *qui credit Deo, attendit mandatis; & qui confidit in illo, non minorabitur:* vt isti de loco & de gente minorari timuerant. Hoc etiam de ipsorum incredulitate haberi potest; quia *eiecerunt eum extra vineam.* Qua quidem eiectione, non solùm ex mystico intellectu vineæ, vt fidem significet, infideles se Deo prodiderunt; sed consensu Apostoli, qui ad Galat. cap. 3. ait; *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Dic non istos sub lege conclusos in fidem, quando *eiecerunt eum extra vineam, & occiderunt.* Mirè autem prædixerat Apostolus; *ò insensati Galatæ! quis vos fascinauit non obedire veritati? ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est.* Vbi ex Augustino, sic: X proscriptus est; idest expellitur & eijcitur de hæreditate sua; (tu nota, quomodo dixerunt; *hic est hæres*) qui illam in vobis amisit, idest vos ipsos. Huc facit Beda; *eiectus extra vineam; quia ab infidelium corde repulsus.* Sed fortè, his addo, prælusum esse quodammodo per hanc perhibitam eiectionem extra vineam, futuræ illorum perfidiæ; quando Ioannis 9. *iam conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Denique *eiecerunt extra vineam*; quia non mysticè vt seruos intra cordis arcana occiderunt; sed re ipsa, vt ait Diuus Petrus in Actis cap. 10. *occiderunt suspendentes in ligno.* Et prius cap. 4. *hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus; qui factus est in caput anguli.*

T 1. p. 39. 4.

V 1. p. q. 98 a. 3. 3. p. 2. 107 a. 3.

X Gal. 4. 1.

VERS. XL. *Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi; malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*

42. Primo intuitu dissonantia ingens inter Euangelistas videtur esse: cùm tamen in re adeò facili & plana, nec in humana historia quis eam admitteret; multò minus, vbi tot ex alijs sublimioribus causis agnoscuntur nonnisi inspirante Numine scripsisse. Lucas sic ait. *Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? veniet, & perdet colonos illos, & dabit vineam alijs: quo audito; dixerunt illi; absit.* Quod videtur contrarium omnino ipsi Matthæo. Augustinus pro consensu existimat plebem, quæ item adfuerit, dixisse; *malos malè perdet.* Principes autem Sacerdotum & Seniores, dixisse, *absit.* Et ita insinuatur in eodem Sancto Luca; qui mox adiecit; *ille autem aspiciens eos, ait; quid est ergo hoc quod scriptum est; lapidem quem reprobauerunt ædificantes; hic factus est in caput anguli?* siquidem per hoc quod scribit, *aspiciens eos*, innuuntur aliquot primores; non enim turbam sic dicitur quis aspicere, sed quasi indeterminato visu videre: & subijciens auctoritatem Scripturæ, nonnisi in Scripturis versatos indubiè alloquitur. Matthæus autem tacuit illud *absit* Maiorum; Sacerdotum scilicet & Seniorum; sed subintelligendum dedit, allegans eandem Scripturam: qua illorum *absit* arguitur. Neque suademus nobis, dixisse *absit* negando fore puniendos; nam stoliditatis esset nullam mereri vltionem tot tantosque reatus: sed dicendo *absit*, negarunt causam vltionis huiusmodi sibi posse imputari. Vnde ex præscientia psalmi euincuntur, futura fuisse aliquando scelera isthæc: proinde sibi timeant, sibi prospiciant.

Sed altissimè percontabitur quis. Qua de causa, 43.
sic variè scripsit Matthæus à Luca? Cur ab ea narratione abstinuit vt Maiores dicerent *absit?* Quod si necessarium non erat id recolere, cur non omisit & Lucas, ex quo discors posset existimari?

Vt subtilissimæ indagationi huiusmodi fiat satis, non video quò queat recurri nisi ad Syntaxin. Matthæus pro scopo habuit, in generatione spiritali membrorum Ecclesiæ, eiusdem ædificationem mysticam astruere, vt vtriusque populi, & iudaici & gentilis, quod pluries diximus, compactionem, & angularem lapidem Christum prædicaret. Ideo ad ipsum speciatim attinuit minimè, de fractis ramis, de Iudæis incredulis, de suum reatum negantibus, de dicentibus *absit* ex professo scribere. Sententiam quidem attulit ex psalm. 117. *lapidem quem reprobauerunt*; sed tàm vt reprobantes notaret, quàm vt piè credentes laudaret, qui angulo appropinquarent. Lucas è contra, transijsse veterem legem in nouam, cessasse legalia, immutatum Sacerdotium, derelictos iudæos incredulos, acceptos gentiles, sacra sua euangelizatione complectitur. Propterea ipsius fuit præ alijs impœnitens iudæorum quorundam cor vbique ostendere: & quia dicto ab eis *absit*; (vt culpati simus, proinde puniendi) hoc innotuit; ideo sibi proprium arbitratus est voculam illam perpendere. Quòd si etiam eandem psalmi versat auctoritatem, id efficit magis, ex illo hemistichio, *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes*, quàm propter sequentia videlicet; *factus est in caput anguli*, Matthæi propria.

Alia insurgit difficultas ex Marco, qui 12. capite 44.
narrans parabolam: postquam retulit interrogationem, *quid ergo faciet Dominus vineæ?* subiecit sine vlla interpositione personarum: *veniet, & perdet colonos; & dabit vineam alijs.* Diuus Augustinus, primò concordat; quia illa personarum interpositio potest intelligi, quamuis earum non fecerit Marcus mentionem. Secundo inquit, si eruatur ex tali omissione personarum, Christum Dominum, documento Marci, talem responsionem, *malos malè perdet*, &c. subintulisse;

bene

benè deduci; vel quia cùm verum dixerint, etiam hoc ipsum, ipse per illos respondit, qui veritas est; vel quia hoc quod dixerant membra, censetur ob vnitatem cum capite, dixisse & caput. Et certè, addiderim ipse, prægnantem adeo sententiam; *malos malè perdet*, &, *dabit vineam alijs*; & qui *reddant ei fructum temporibus suis*: quod postremum prophetiam sonat, nonnisi Domino interiùs dictante, potuisse proferre. Sed quare Marcus ab vtroque abstinuerit; nimirum, & ab illo *absit* apud Lucam; & ab interpositione personarum, qui sententiam protulerunt, operosiùs inquirendum est. Ratio potest esse hactenus, neque quæsita, neque reperta, diuersæ Syntaxis scopus nuper prætactus. Marcus enim nec iuxta ideam Lucæ, nec Matthæi secutus tenorem, suo textu incedit. Si personas plebis interposuisset dicentes *malos malè perdet*, &c. ad Matthæi declinasset institutum; quod erat ex his & gentibus conflanda Ecclesia; de quo Petrus in prima 2. capite ait ex Propheta Isaia 28. *ecce pono in Sion lapidem summum angularem*; &c. *vobis igitur honor credentibus*. Et Dominus hic; *dabitur Genti facienti fructus eius*. Si interiecisset ly *absit*; Lucæ obibat partes, abalienationem scilicet, derelictionem subinde in sua incredulitate Iudæorum: de qua, Actor. 13. *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*: & idem Diuus Petrus; *non credentibus autem, lapis, quem reprobauerunt ædificantes*, &c. *lapis offensionis & petra scandali*.

45. Et si roges; quorsum ergo Marcus se alijs immiscuit, ferens & ipse de psalmo; *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* &c. in quo significatur, vt ait Rabanus; *quia de vtroque populo, quotquot ipse voluit, sua fide coniunxit*; & secundùm Hilarium; *quia inter legem & gentes Christus est lateris vtriusque coniunctio*; quippe qui Ephes. 2. *fecit vtraque vnum*. Respondeo, ideo introduci & à Marco, quoniam ad ipsius quoque intentum eadem facit sententia. Marcus enim, qui, vt Domino largiente dicemus, regenerationem nostram præcipuè quoad corporum resurrectionem annunciare proposuit, non debuit vnitatem membrorum & capitis prætermittere. Hinc Apostolus ad Ephes. 2. non solùm dicit, Deus &c. *conuiuificauit nos in Christo*, &c. *sed conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*: spe

A Ephes. c. 1. 2. scilicet A nam Rom. 8. *qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra*: & ob certitudinem spei, vtitur præterito ibi ad Ephesios pro futuro. Et ita super hoc Apostoli dictum de conresuscitatione inquit alibi; B quia Christus est

B 3. p. 58. 4. ad 1. caput nostrum: quod collatum est Christo, est etiam nobis in ipso collatum. Et propter hoc, quòd Christus iam resuscitatus est, dicit Apostolus, quòd Deus quodammodo nos ei *conresuscitauit*. Ecce ergo quomodo pertinuit etiam ad Marcum, sententiam in qua vnio capitis & membrorum significatur adferre; non tamen se ingerere in discretione aliqua membrorum, credentium vel non credentium: vnum præ oculis habens, quod Origenes expressit; Christum scilicet *esse lapidem donatum à Deo, ædificio vniuerso*. Simili de causa; Matthæus duntaxat vberiùs sententiam attulit, addito, *qui reddant ei fructum temporibus suis*; quod nec apud Marcum, nec in Luca legitur; quia, vt mihi videtur, solius Matthæi fuit assumptum, Ecclesiam spiritali fidelium membrorum Christi generatione construere, subinde, & ipsius donationem indefinitis temporibus euangelizare. Vnde & clausit ab ore Domini in vltimo capite *ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*; quemadmodum de verbo Euangelij, quod potissimè in fidei vinea excolitur, aiebat Apostolus ad Coloss. 1. *in vniuerso Mundo est, & fructificat, & crescit*. Non abnuat fidelis lectoris pietas subtiles adeo interpretationes, quia solidæ sunt; sicuti valde leue est, credere nullam subesse causam mutilationis vnius alteriusque sententiæ; quando *Spiritu-Sancto, inspirati locuti sunt*, quod firmat Petrus in 2. cap. 1. *sancti Dei homines*. Præuenimus autem capitis huius secuturam Syntaxin: quia prælibata hæc concernunt Syntaxin potius in genere, quam decursam deductamquam ad circunstantiam temporis, vt capitis huius ordo, (quod mox exequemur) exigit.

VERS. XLIV. *Et qui ceciderit super lapidem istum*, &c.

Pulchras excogitarunt sacri interpretes expositiones; animaduerso discrimine cadentis super lapidem, & lapidis cadentis; quod postremum terribilius est; nam conteri maius est, quam confringi: vt animaduertitur ab Augustino & Chrysostomo: item ab Angelico, C ex psalm. 18. *& comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti*: & alibi; D confracta sunt, quæ diuiduntur in magnas partes; contrita in paruissimas; ibi *cor contritum*. Verùm non ita planum est, qui dicantur super lapidem cadere, & super quos lapis iste cadat. Ipse, quia subditur; *cognouerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi, quod de ipsis diceret*, reor parabolarum istarum præsentem clausulam ad maiores corripiendos referri. Prænoto autem non posse intelligi, nisi de ijs qui de corpore ipsius non sunt, nec permanent in mystica lapidis angularis compactione: si enim iuncti simus Christo, qui lapis dicitur, nec super eum cadere possumus, nec super nos Christus. Casum ergo subit, qui est separatus à Christo; nec periculum hoc incurrit ille de quo Ioann. 15. *manete in me, & ego in vobis*, dicit; *qui manet in me & ego in eo; hic fert fructum multum*: non secus ac dictum nuper est; *qui reddant ei fructum temporibus suis*. Sit ergo, *qui ceciderit super lapidem istum*; qui peccat offensam mihi faciens, semetipsum lædit: veruntamen non semper insanabilis est fractura; nec tanta est collisio; quia etsi quasi offensurus impingat; non tamen offensam intendit Dei, sed bonum commutabile cupit; quod inordinatè amatum, in Dei cedit iniuriam: dic; conuersione trahitur, non ita auersione: idcirco cadere dicitur, non irruere; quia non Deum vult directè offendere, sed sibi placere. Hoc autem, quod de Dei offensis in genere atque de consuetis fidelium lapsibus dictum est; fortè ad literam congruentius ad eos deuoluitur, qui fidem Christi vel præhabitam eiurant, vel nondum assecuti eam execrantur: hi enim in via salutis offendunt caduntque super lapidem, quod ait Dominus. Primis reliquit Apostolus Rom. 11. monitum, dicens; *tu autem fide stas: noli altum sapere*: alios deplorat super lapidem istum lapsos, *in eos qui ceciderunt seueritatem*; vnde 1. Corinth. 1. *prædicamus Christum crucifixum; Iudæis scandalum*. Scimus *scandalon* græcè idem esse, ac offensionem, offendiculum, à ruina dictum; quòd occasio sit cadendi si quid obstet eunti. Qui sic *ceciderit confringetur* apud Matthæum, Lucæ *conquassabitur*.

Difficilius intellectu est quod sequitur; *super quem verò ceciderit, conteret eum*; siue *comminuet illum*; quod ait Lucas. Quomodo enim conueniens est, vbi de Christo lapide angulari, vtique fixo & firmo, astruere motum, atque in motu ipso lapsum. Nunquid deerant similitudines, quibus grauior de infidelibus vltio ediceretur, absque metaphoræ huius vsurpatione? Diuus Petrus Chrysologus Serm. 93. cum punit Deus, cadentem mi-

Marginalia (right column): 46. (beside "Pulchras excogitarunt"); C D. Th. hic.; D ps. 50.; 47. (beside "Difficilius intellectu")

nimè facit, sed immo stantem & sedentem: *Deus*, inquit, *cùm stat corripit; cùm sedet, iudicat*. Sanè cùm venerit extremam redditurus vltionem in die iudicij Matthæi 25. *tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ*. Cadere debilium est: ipse autem *Dominus* est psal. 23. *fortis & potens; Dominus potens in prælio*. Quòd si ad conterendos hostes iustè pertrahitur, quid fuit necessum, de casu ipsius introduci? *super quem verò ceciderit;* cum toties memoretur in Scripturis impiorum contritio, nulla casus Dei super ipsos facta mentione. Ieremiæ 17. *duplici contritione contere eos Domine Deus noster*; & cap. 19. sic *conteram Populum istum & Ciuitatem, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari*: & psalm. 2. *reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos*. Et si ad lapidis confugias tropologiam, quasi ipsius sit conterere, & comminuere: instari adhuc potest & fortiùs; quoniam Danielis 2. vbi de hoc ipso mystico lapide facta fuit visio, legimus vtique monstrosæ illius Statuæ comminuisse pedes ferreos & fictiles; *& tunc contrita sunt pariter ferrum testa, æs argentum, & aurum; & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ: quæ rapta sunt vento; nullusque locus inuentus est eis*: at non legimus cecidisse lapidem: vbi opportunior videbatur casus expressio; siquidem *de monte* altiori quàm Statua *abscissus fuerat*; & quod amplius est, *sine manibus*; ex quo deorsum cadere diceretur: sed percussio tantum recolitur: *percussit Statuam in pedibus*: & mox; *lapis autem, qui percusserat Statuam factus est mons magnus*; &c. Quare ergo & hic non potius ait Dominus; *quem verò percusserit lapis iste conteret eum?* abstinendo ab eo verbo *cadere*: quod vlterius videtur præter intentionem contingere: Deus autem non casu reos punit, sed iustæ vltionis studio: Deuteron. 32. *mea est vltio, & ego retribuam*: & iterum, *reddam vltionem hostibus meis*: ex quo satius videretur dixisse; *super quem verò se proyciet, conteret eum*; non autem, *super quem ceciderit*; quasi impræmeditatò.

48. Non contemnenda tanta obiectorum congeries, cogit nos supplices luminum Patrem adire, vt mentis humanæ tenebras dignetur, illustrationis suæ radijs disiectas expellere, vt vel tantillum illuceat quidnam sublimius intelligentiæ, in verbo ab ore Dei & hominis prolato sublateat, vnde quæcunque vrgebant dispareant: indeque reuerentiali correpti stupore, laudemus, quanquam *omni laude sit maior*, Dei sapientiam; simusque diuinis eloquijs addicti, vt ea humiliter veneremur, deuotèque ijs obsequamur; certiores facti, vbi etiam sint inaccessa, sublimiora esse & profundiora. Prælibandum est autem, casum iter agenti accidere, eoquòd impingat in aliquid viam impediens: qua etiam similitudine, explicari solet impactio, quæ dicitur scandalum, E propter obicem, in via spirituali, qui causat spiritualem casum & ruinam. Quare si Christus Dominus, qui lapis est ex Scripturis cadere dicitur, oportet præconcipiamus, vt iter faciat, & impedimentum suis gressibus sit obiectum, vt ideo cadat. Sanè sicuti de ipso, cùm nobiscum vita mortali viueret, attestatur Petrus Act. 10. *qui pertransijt benefaciendo*; ita ipsemet, se huc illucque iterum pollicitus est profecturum; Lucæ 10. *designauit Dominus, & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem Ciuitatem & locum quò erat ipse venturus*. Vbi Gregorius hom. 17. *prædicatores enim suos Dominus sequitur; quia prædicatio præuenit; & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando exhortationis verba præcurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur*. *Hinc namque eisdem prædicatoribus Isaias dicit; parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*. Sicut autem à sanctis prædicatoribus via Domino sternitur; sic ab impijs seductoribus præpeditur. Vbi autem interiectus est obex, ibi sine dubio impedimentum, ibi scandalum; vel largè acceptum, vt exponit Angelicus verbum Domini ad Petrum Matthæi 16. *scandalum es mihi*; F inquantum volebat Petrus Christi passionem impedire; quamuis quodam pietatis affectu motus ad Christum. Vbi scandalum seu impedimentum est, vbi itineranti quidpiam aduersatur, nihil prohibet quin itinerans cadat. Igitur sit hic sensus oraculi: *super quem ceciderit lapis iste*: idest vbi spiritualem meam ad corda hominum, viam quis impedierit; vbi quis aduersatus fuerit (*Satanam* ideo dixit Petrum, seu aduersarium) væ illi: cadam super eum, & eum comminuam. Quando Scriptura nominat (doctrina est Angelici G) Dei brachium; non est literalis sensus, quòd in Deo sit membrum huiusmodi corporale; sed id quod per hoc membrum significatur. Sic dixerim in præsenti; casus non sic accipitur, quasi corporaliter casurus sit Dominus, sed impactionis in obstaculum, est ipsius casus significatiuus; nimirum impediri Dominum à suis itineribus. Qui ergo impediuerit seducendo animas, intelligitur quasi moliri casum Christo huc illuc venturo; nam vbi occurrit obex pedi, labi solemus: iuxta ænigmatis huius tenorem subiungit Dominus; *super quem* obicem & impedimentum *ceciderit lapis, iste conteret eum*: illi superest summum excidium & exterminium, vt luat sui maleficij pœnas, nec vltra impedire queat contritus dispersus in puluerem.

E 1. 2. 43. 1.

F 1. 2. 45. 2. 2.

G p. p. q. 1. 10. 3.

Quoniam verò, hoc quod est venire ad nos Christum, adnectit, nos quoque ire ad Christum: non secus atque Cantic. 5. dicitur; *veniat dilectus meus in hortum suum*; & illico; *veni in hortum meum soror mea sponsa*: non secus ac Thren. 1. *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*; & Zachariæ 1. *conuertimini ad me, & conuertar ad vos*: non secus ac Iacobi 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: ideo impedire Christum, ne ad nos veniat, idem est ac impedire ne nos eamus ad Christum. 49. Quapropter, quod ait hic Principibus Sacerdotum & Pharisæis, fidei suæ progressum impedientibus; Scribis & Pharisæis altera ex parte, quæ in idem prorsus recidit, comminatus est; dicens sequenti cap. 23. primo in limine, *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia clauditis Regnum Cœlorum ante homines; vos enim non intratis; nec introeuntes sinitis intrare*. Quod quidem in praxi innotuit; quando Ioann. 7. dixerunt Pharisæi ministris; *nunquid & vos seducti estis? nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt*: & cap. 9. cæco à natiuitate illuminato *maledixerunt, & dixerunt; tu discipulus illius sis*; &c. Super huiusmodi ergo impedientes sua seductione, ne credant, alios; neue ad hos veniat Christus *habitare per fidem in eorum cordibus*; cadit itinerans Iesus, qui lapis est, cuiusque *crura columnæ sunt marmoreæ*, vt ait in Canticis sponsa: quid mirum si conterendi sint & comminuendi? à lapidulo qui *factus est mons magnus* Danielis 2. *& impleuit vniuersam terram*. Dicebat Gregorius; *nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus animarum*: Chrysostomus; *vna anima recuperata; poterunt mille peccata aboleri*: iuxta illud Iacobi 5. *qui reuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte: & operiet multitudinem peccatorum*. Quid è contra credendum est de ijs, qui alios in infidelitate fouent, vtque permaneant, seducunt?

De

De maioribus idcirco Iudæorum vix nisi miraculosè spes vlla est: quoniam in eiusmodi; qui alios trahunt in perditionem, iam lata est sententia; *comminuet*, siue *conteret eos*: quod sit; dabunt extremam vindictam: nihil enim terribilius dici potest; quàm vt in psal. 18. *comminuam eos vt puluerem ante faciem venti*: & psal. 1. *impij tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*. Isti sunt quos paulo ante nuncupat *ædificantes*: quod maiorum est: nam ædificatio coopposita est ruinæ seu scandalo: *lapidem quem reprobauerunt ædificantes*: contra quos Isaiæ 49. *destruentes te, & dissipantes à te exibunt*. Cadere autem dicitur lapis Christus, & non se proijcit; quia ex 2. 2. q. 19. 1. ad 3. malum pœnæ est quidem à Deo actore, in quantum habet rationem boni, prout scilicet est iustum; secundùm quòd iustè nobis pœna infligitur: sed primordialiter hoc ex merito nostri peccati contingit; secundùm quemmodum dicitur Sapient. 1. *Deus mortem non fecit; sed impij manibus & verbis accersierunt illam*. Et ecce notata istorum perfidia; *quærentes eum tenere*: siue vt ait Lucas, *mittere in illum manus*, satis insinuari, exoptasse euangelizandi ei cursum impedire. Cur enim non quærebant iterum *perdere* sicut cùm expulit vendentes de templo, paulo ante memorat Lucas? Nunquid mitiores euaserant? absit. Sed eorum mala desideria parabolæ respondent; vt intelligatur ipsis Christum sistentibus, hanc promeritam esse vltionem, vt super eos cadat lapis, & nedum frangantur vt minores, sed conterantur. Et iam ad literam de Iudæis loquens Apostolus 1. Thessalonicensium 2. quæ hucusque dixi declarat, in hæc verba; *qui & Dominum occiderunt Iesum & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent; & omnibus hominibus aduersantur; prohibentes nos Gentibus loqui, vt saluæ fiant*. En Iudæos factos scandalum, seu impedimentum ipsi Domino, qui prædicatores suos sequebatur: quidni super eos tanquam lapis caderet ad conterendos? vt *impleant* (pergit) *peccata sua semper; peruenit enim ira Dei super eos vsque in finem*. Hanc Iudæorum oppositionem recolit Angelicus H ex illo Act. 11. *disceptabant aduersus Petrum, qui erant ex circumcisione, dicentes; quare introisti ad viros præputium habentes?* quòd iuisset ad Cornelium. Isaiæ 45. *væ qui dicit Patri, quid generas?* Claudamus ergo cum Isaia item 8. capite; vbi habet *& cadent & conterentur*: quo nihil sententiæ Saluatoris conformius esse potest. H 1. Thess. 2. l. 2.

VERS. XLV. *Et cùm audissent &c. cognouerunt quòd de ipsis diceret &c.*

Prouerb. 15. *stultus irridet disciplinam Patris sui*; sed, *qui increpationes odit, morietur*. Veruntamen Sapientiæ 12. *increpationibus non sunt correpti; dignum Dei iudicium experti sunt*. Aiebat Bernardus de huiusmodi; *mira peruersitas irascuntur medicanti*. Sequitur; *quærentes eum tenere, timuerunt turbas* Ecclesiastes 1. *peruersi difficilè corriguntur*. Væ illi ægrotanti, qui simul respuit cibum & medicinam: & vltra hoc, habet odio medicum. Sapientiæ 2. exprimuntur magis prauæ ipsorum affectiones: *factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: grauis est nobis etiam ad videndum*. *Sic quærentes hic eum tenere*, in dies illorum augebatur inuidia; vt ibidem innuitur; *inuidia diaboli mors introiuit in Orbem terrarum*; nam & Pilatus *sciebat, quòd per inuidiam tradidissent eum*. Quatuor ex causis I peccatum aggrauari scimus ex conditione personæ, quæ maior sit. Excrescit etiam eo amplius quo dignior est persona L in quam peccatur. Hinc 3. Regum 19. vituperatur specialiter peccatum, quod contra seruos Dei committitur; *Prophetas tuos occiderunt gladio*. Et ecce sacro in textu hanc eandem ipsorum perfidiam notari; nàm *timuerunt turbas, quia sicut Prophetam eum habebant*. Et aliàs maiores erant, & gradu ac ætate digniores; nimirum *Principes Sacerdotum, & Seniores populi*. Sed non nunc primò, quando & Danielis 13. *à Senioribus egressa est iniquitas*: dum hic viderant *mirabilia quæ fecit*, contempta Scripturarum allegatione & Christi monito; vt Ioan. 5. *scrutamini Scripturas; & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. 50. I p. 2. 83. 10. L ibi a. 9.

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumprimum.

1. VERS. I. *Et cum appropinquasset Ierosolymis; &c.*

Diximus in præcedenti capite, insinuari de Ecclesia triumphante, in exitu Saluatoris de Iericho Mundi huius: opportunè quidem, nam eò tandem collimat etiam Matthæus, vtpotè qui nostram secundùm spiritum regenerationem versat. Nedum enim dicimur filij secundùm similitudinem gratiæ; adoptiui, secundùm quòd ordinamur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ; Roman. 8. *si autem filij & hæredes*: sed *nominamur & sumus filij Dei*, secundùm similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possidemus; Rom. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*

A 1. p. 11. 3. Doctrina A est Angelici. Palam autem loquitur Apostolus ad Galat. 4. *illa autem, quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est Mater nostra*: generamur enim in præsenti Ecclesia militanti, B vt perueniamus ad triumphantem. 1. Petri 1. *benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem viuam; &c.* Vide in primis, quomodo contestentur hanc misericordiam turbæ in ramis oliuarum; nam in oleo, cantatissimum est significari misericordiam; Lucæ 10. *infundens vinum & oleum*. Vnde vnguntur Reges in signum clementiæ: Genes. 8. *columba venit ad vesperam, portans ramum oliuæ, virentibus folijs*. Declarat autem ibi, C quare triumphans Ecclesia Ierusalem dici mereatur, eo quòd pacifica: (pacem quoque referunt rami oliuarum) nam *Ierusalem* est *visio pacis*. Quod quidem competit Ecclesiæ triumphanti, vt habenti pacem perfectam psal. 146. *qui posuit fines tuos pacem*; & Isaiæ 32. *sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Recole Apocalyps. 21. *ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem*: itemque Hebræor. 12. *accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum*. Meritò fert Lucas, dixisse turbas discipulorum, *benedictus qui venit Rex in nomine Domini: pax in Cœlo*: sicut & Petrus vbi supra ad hæc intonuit; *benedictus Deus*; &c. Pacis huiusmodi beatæ symbolum præfert, quem dignatur ascendere asellus; non enim abs re belligerum exclusit equum, qui & in Castello inueniri potuisset. Absit. De illo Iob 39. *gloria narium eius terror, vngula terram fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis; contemnit pauorem*. B Gal. 4. l. 8. C ad Gal. loc. cit.

uxorem, nec cedit gladio: &c. *vbi audierat buccinam dicit; vah: procul odoratur bellum*; &c.

3. Hunc ascensum Christi Domini in Cœlum, gloriosè sic exaltato in caput etiam Ecclesiæ triumphantis; primò enim & principaliter est caput eorum, D qui vniuntur sibi per gloriam; hunc inquam ascensum, satis agnoscimus in ingressu Ierusalem; præ oculis habuerunt etiam nonnulli Patres 1. Beda; *eo nascente cœlestium agmina cantant; eodem autem Cœlis se redditura mortales vicem laudis rependunt:* Origenes notans illud *soluite*; subdit; *vnde & ascendens in Cœlum, iussit discipulis suis, vt soluerent peccatores*. Et Angelicus considerans quod sequitur; *& cùm intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens; quis est hic?* inquit; E non est mirum, si isti mirantur; quia etiam Angeli mirati sunt in sua ascensione dicentes; *quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Certè non sine causa factum est: quando etiam in ps. 23. secunda vice quæritur; *quis est iste Rex gloriæ?* ab Angelis: quæ interrogatio secundùm Dionysium est inferiorum Angelorum; F sicut illa Isaiæ, cui respondet ipse Dominus; *ego qui loquor iustitiam & propugnator sum ad saluandum*, proximiorum Deo est: ad illam autem ex psalmo, alius, non Deus ipse, respondet. Et iam audis in responso de salute, *propugnator sum ad saluandum*; sicuti & salus concernitur in eo quod clamant *hosanna*; in psal. *quis est iste Rex?* hic; *ecce Rex tuus*: in psalm. *Rex gloriæ*; hic; *gloria in excelsis* dixerunt prout inquit Lucas. Nonnullam autem ignorantiam quoad specialia mysteriorum Christi, passi sunt aliquando & sancti Angeli, vt locis allegatis ex Dionysio: cui videtur attestari præsens apud Matthæum præcisa responsio; *hic est Iesus Propheta, à Nazareth Galilææ*. Verùm mox liquet, an sit *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*: cùm tanta adeo fortitudine ac potentia, *eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit*. Vnde postea Principes Sacerdotum & Seniores populi dixerunt; *in qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem?* Præterquam in acclamatione qua dicunt *hosanna filio Dauid*, fortitudinem ipsius extollunt; tum quia *Dauid* interpretatur *manu fortis*; tum quia salutem obsecrant; de qua ceu de magno fortitudinis opere, Zacharias in Cantico, Lucæ 1. sub cornu metaphora; *& erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid*: addit *pueri sui* ob humilitatem, quod notorium est in Scripturis: sicut & nunc Dominus humilem ascendit asellum; vt *dispe*r*dat superbos mente cordis sui*.

D 3. p. 8. 3.

E D. Th. hic.

F p. p. 57. 5. & Ephes. 3. 3. & alibi, vt in ps. 23.

3. Mirè ad rem facit expositio in psalmum 7. *exurge Domine in ira tua*; idest appare in Mundo per incarnationem, vt puniens dæmones. Ioan. 12. *nunc iudicium est Mundi*; Marci 1. *quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos*. G Item; *& exurge Domine Deus in præcepto quod mandasti*; scilicet in præcepto mansuetudinis & humilitatis; (appositè ad textum; *ecce Rex tuus mansuetus*) Matthæi 11. *discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. *exurge* ergo in hoc; idest appare humilis, altus existens. *Et synagoga populorum circumdabit te*: *& propter hanc in altum regredere*; scilicet vt hanc Synagogam, credentium scilicet congregationem perficias; cum beati remunerabuntur; *regredere in altum*: Ephes. 4. *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*. Ecce quomodo *circumdatus est*: nam hic *plurima turba*, &c. *turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur*. Regressurum ergo *in cœlestem Ierusalem, in altum*, prænunciat Psaltes; attentis, quarum erat præscius, hisce circunstantijs. Quibus prælusum est etiam, in eo quod ad montem Oliueti

G psal. 7.

accedit; historialiter enim de monte Oliueti ascendit in Cœlum. Et fauet Oliua: quæ in olei nitore H contemplationem Zach. 4. *isti sunt duo filij olei*; & in pulchritudine; Ecclesiast. 24. *quasi Oliua speciosa in campis*, Sanctorum gloriam designat. Dicdum viret perpetim, notare immortalitatem; ipsi propriam, quia 1. ad Timoth. 6. *solus habet immortalitatem*, in quantùm Deus; & in quantùm homo, *quem Deus suscitauit*, (Act. 2.) *solutis inferni doloribus*; *iuxta quod, impossibile erat teneri illum ab eo*; & Roman. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur; quod autem viuit, viuit Deo*. Et hoc ipsum, vel nescij dicunt hic populi; *hic est Iesus Propheta à Nazareth*; si enim Nazareth à radice *nozz*, vel *nazz*, *floruit* dicitur; adstipulatur psal. 27. in ijs verbis; *& refloruit caro mea*, in quantùm caro Christi I floruit incorruptione, seu refloruit in resurrectione; addunt autem *Galilææ*; fortè ad significandum ascensum eius in cœlestem Ierusalem; nam interpretatur *Galilæa, reuelatio*, L quo nos præcessit, in cœlesti gloria: apprimè ad nostram Syntaxin. Mirum est enim, indicaturque diuina in populos istos irradiatio, dum Prophetam à Galilæa asseuerant, quando Pharisæi Ioannis 7. temerè dixerunt Nicodemo, *scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit*. Sed immo; vt allegat Matthæus cap. 2. Scripturæ auctoritatem; quia *habitauit in Nazareth, Nazaræus vocatus est*; quamuis *de Bethleem Castello, vbi erat Dauid, venit Christus*, quem alij ibidem Ioann. 7. fatebantur.

H Ierem. 11.

I ps. 27.

L p. 3. 55. 3. ad 4. & Io. 4. l. 1.

4. Porrò ad sublimiora euocamur, quæ donet Dominus sufficienter explicemus. Siquidem nondum quiescit animus, non per transennam, sed accuratè reuoluens, quid sibi velit isthæc iumentorum adductio: quam Dominus tot miris adiacentibus præcepit. Mirum quippe est sic dispsuisse, vt non nisi iumento vectus ingrederetur Ierusalem, Mirum, cur nedum pullum, sed & asinam voluerit adduci, cùm ægrè dici queat vtrumque ascendisse. Mirum, cur sic duos discipulos, nullo nobis notos nomine miserit. Quocirca tot congerunt, quare numero binario Sancti Patres. Mirum etiam, Castello nulla fiat nomenclatura. Mirum cur dicat, *ite in Castellum, quod contra vos est*; cùm planiùs videatur dicendum fuisse, *contra nos est*: à qua voculà Lucas abstinuit dicens, *in Castellum quod contra est*. Mirum & in Marco & in Luca solicitum fuisse Dominum de hoc; *super quem* (pullum asinæ) *nemo adhuc hominum sedit*. Præterquam opportuniùs fuisset, animal suetum vecturæ quærere. Mirum alligatam asinam prænotari, & sic pullum eius; cum immo pulli liberi soleant matri adhærentes dimitti. Mirum de cunctis præmonuisse, vt soluerent absque Dominorum venia; qui proinde dixerunt apud Lucam, *quid soluitis pullum?* Satiùs visum fuisset precario petere. Sed non vult postulari; potiùs auctoritate solui. Quod quidem multò amplius remotum est à precarij titulo; quo petenti precibus, vtendum aliquid conceditur tandiu, quandiu is, qui concessit, patitur. Mirum quoque, ex ore Domini manasse quasi redundantem pleonasmum; satis enim erat dixisse, *adducite mihi*, omisso ly *soluite*. Mirum: indidisse discipulis, vt dicerent *quia Dominus his opus habet*; ad summum enim altero opus habebat, immo nec vno; cum pedes posset ire Ierosolymam: & satius videretur fuisse, si dicerent; *Magister* quàm *Dominus*: aut *rogat sibi commodari*; iuxta illud Lucæ 11. *amice commoda mihi tres panes*. Mirum mox Dominos iumentorum acquieuisse. Mirum, quinam essent iumentorum Domini non declarari, quando Saluator tot alia se prænouisse demonstrat. Mirum de Matthæo, qui ferens Zachariæ

vati-

vaticinium ſic exponendum duxerit, vt pullus eſſet filius *ſubiugalis*; cùm hoc notatu dignum minimè videretur: præſertim quia aſina facile etiam ſine loro vllo regitur; æque placidè incedens abſque omni fræno. Virga potius infrænatur: Eccleſiaſtici 33. *cibaria virga, & onus aſino*: & iterum quia iugum à quo *ſubiugalis*, ſiue hebraicè ſcripſerit Matthæus *zog*, ſiue expreſſerit à radice *tzamad*, par ſignificat, exemplo vulgari boum, Lucæ 14. *iuga boum emi quinque*: ſic autem iugari, vel ſubiugari non conſueuerunt aſinæ. Et mirum etiam, ſi ſuper aſinam non ſedit Dominus corporaliter; quid ſtuduerit Matthæus, fuiſſe ſubiugalem animaduertere. Mirum denique cur non potius rem hanc percurrerint alij poſt Matthæum Euangeliſtæ, vt fecit Ioannes, qui breui dixit; *& inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum.*

5\. Ex tot difficultatum amphractibus, quis niſi Dominus manum dederit ſe ſe queant explicare. Certè *ſapientiæ eius*, vt dicitur in pſal. 146. *non eſt numerus*. Diuino igitur implorato auxilio, videtur mihi pro iſagoge dicendum, id intendi facti huius & nonnullorum ſequentium denarratione, vt graphicè Incarnationis ſuæ myſterium epingat. Ordiamur ſi placet, expendendo, quidnam ſignificet aſina. Quis dubitet pro humano genere ſtare? Sufficiat illud pſal. 48. in comprobationem; *homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quod bis canitur. Deprehenduntur in eiuſmodi iumento quatuor illa decantata per peccatum inflicta vulnera. Vulnus ignorantiæ, quia ſtolidum eſt animal; concupiſcentiæ; Ezechielis 23. *inſaniuit libidini ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt; ſicut carnes aſinorum*: vulnus infirmitatis; dum ait Chryſoſtomus; *eſt enim animal hoc immundum, præ cæteris penè iumentis, magis irrationabile ſtultum & infirmum.* Denique præfefert malitiæ, quæ quartum vulnus eſt, indicia, quando obſtinatior factus indiget baculo; Eccleſiaſtici 33. *cibaria & virga & onus aſino: iugum & lorum curuant collum durum.* Vbi comparatus eſt homini ſeruo, de quo ſubditur; *panis & diſciplina, & opus ſeruo.* Quæ ſeruitus eidem humano generi ex peccato ſecuta eſt, iuxta illud Roman. 7. *ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato*, nedum propter rebellionem carnis M ad ſpiritum, ſed propter ſubiectionem ad carnem; in quantum obediendo concupiſcentiæ carnis, ſeruum ſe carnis conſtituit; quia peccator ſe ipſum vendit in ſeruum peccati. De prædictis vulneribus humanæ naturæ vide N ſuis locis. Et ecce cur hæc aſina dicatur *ſubiugalis*: quia ſubiecta peccato; quod O per iugum ſignificatur. Veruntamen vt ait Diuus Athanaſius; de paſſione & cruce Domini; *non ſuſtinuit Dei bonitas, vt eorum quæ ipſe condiderat alius fieret Dominus.* Non deſpexit ergo pſalmatis ſui miſeriam: vnde pſalmus 137. *opera manuum tuarum Domine ne deſpicias*: dignatus in humanitate aſſumpta originem habere ab homine; *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, Philipp. 2. immo, *in ſimilitudinem carnis peccati*, vt dicit Roman. 8. Quod bene poteſt exponi, in quantum opinabantur Iudæi P eum eſſe peccatorem; ſicut dicitur ad 2. Cor. 5. *pro nobis factus eſſe peccatum*; Iſaiæ 53. *cum iniquis reputatus eſt.* Habuit etiam *ſimilitudinem carnis peccati*; ideſt Q carnem ſimilem peccatoribus paſſibilem & mortalem. Sit aduerſum Manichæos, qui dixerunt, vt ibidem cap. 29. refert, Dei filium non verum corpus ſed phantaſticum aſſumpſiſſe: Quæ cùm ita ſint, cur non adijciamus in pullo, qui originem veram habet ab aſina, intelligi ſanctam ſuam, quam aſſumpſit humanitatem? Reuera enim fuit Chriſtus in Adam ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, R vt ait Auguſtinus; & licet non actiuè, materialiter tamen humanam naturam ab Adam accepit. Cuius ſpecimen certè elucet in aſello, qui ab aſina corpulentam item ſubſtantiam trahit.

M Rom. 7. l. 3.

N p. 2. 85. 1.

O p. 2. 102. 5. 5.

P 2. Cor. 5. l. 5.

Q 4. cont. G. c. 29. & 31.

R 3. p. 15. 1. & q. 4. a. 6.

6\. Porrò ſi aſina *ſubiugalis* denunciatur ex peccato, vt dictum eſt; non ita ſubiugalis eſt pullus, quia 2. Cor. 5. *non nouit peccatum*; 1. Petri 2. *peccatum non fecit.* Vnde dicebat Ioan. 8. *quis ex vobis arguet me de peccato?* & in pſal. 25. *ego autem in innocentia mea, ingreſſus ſum*: Et ideo ſignanter ait Dominus de pullo; *ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit*, Marci 10. & Lucæ 19. *cui nemo vnquam hominum ſedit.* Quod quidem Matthæus non expreſſit, ſed profunde tetigit dicens non ſubiugalem, ſed *pullum filium ſubiugalis.* Et quoniam in typum humanitatis aſſumptæ pullus hic erat; ecce & à Propheta, & ab Euangeliſta, nedum dici pullum aſinæ, quod ſatis videbatur eſſe; ſed *pullum filium aſinæ*: quamuis enim in Chriſto ſimpliciter ratione hypoſtaſis diuinæ non ſit niſi filiatio æterna: nihilominus, ſecundùm S dualitatem natiuitatum, duas agnoſcunt Theologi filiationes. Hinc vt notat Auguſtinus *ſæpiſſimè ſe Dominus filium hominis appellat, commendans nobis, quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis*: ita lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 1. Dic etiam potuiſſe indicari punctum aliud conuenientiæ; quia T congruum fuit, vt filius æterni Patris, potius quàm Pater aut Spiritus-Sanctus incarnaretur. Dic etiam, quia hebraicè *ben*, ideſt *filius* deriuatur à verbo ædificandi, *Banâh*, (eoquòd filius ædificium ſit parentum ſuorum, fortaſſe ideo additum eſſe ly *filius*, vt innueretur quod ait Apoſtolus Epheſ. 2. *in quo* (de Chriſto loquitur) *omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino*; quod ad Eccleſiam & triumphantem fas ſit referri; conſectariò ad Matthæi ſcopum, quem pergit ſcrutari Syntaxis poſt militantem. Et dum loquitur ibi Apoſtolus de Chriſto tanquam de lapide angulari, in quo duo parietes coeunt, quis ſcit, non id Marcus inſinuare voluerit, notans inuentum fuiſſe pullum *in biuio*? quia Gentilis ex vna parte, Iudæi ex altera via ad Chriſtum venerunt; nam *vtrique*, vt ait Auguſtinus de Magis & de Paſtoribus, *ad eundem angularem lapidem cucurrerunt.* Quando & hic paulo poſt id ipſum Dominus introducit dicens; *lapidem quem reprobauerunt ædificantes; hic factus eſt in caput anguli.*

S 3. p. 35. 5.

T 3. p. 3. 8.

7\. Incarnationis autem myſterium nô poterat aptiùs adumbrari, quàm ſi facti ſpecies exhiberetur mirabilis, vt Regis dignitas in vili iumento viſa oſtenderetur. *Cedrus alta libani, conformatur hiſſopo; Verbum Ens Altiſſimi corporari paſſum eſt carne ſumpta; admirabileque commercium, quo Creator generis humani animatum corpus ſumens de Virgine naſci dignatus eſt.* (Alias equum aſcendere decet Reges; ſecundùm quod Eſther 6. legimus; *homo, quem honorare cupit, debet indui veſtibus Regis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt.*) *Id quod fuit permanſit: quod non erat aſſumpſit. Permanſit* enim quod erat; inde Rex appellatus; *benedictus, qui venit Rex.* Quod aſſumpſit nihilominus dignificatum euaſit, cui *ſubſternebant veſtimenta ſua in via*. Sic *non commiſtionem paſſus*, vnito & acclamationis & ſtratorum obſequio: ſed neque diuiſionem; nihil enim legitur de vectoris aſelli ad dominum ſuum remiſſione: dic quia *quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*; vt *in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus* proloquium eſt. Neque videatur nouum, quod aſtruimus in iumento, ſuper quod ſedet, intelligi humanitatem: nam Apocalypſis 19. inquit Ioannes; *& vidi Cælum apertum; & ecce equus albus; & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis*

delis

V Apoc. 19. com. 1. *delis & verax*. Equus albus idest V Christi humanitas pura & munda, in qua quasi in equo, Verbum Dei contra diabolum pugnauit. Et in secundo, X Apoc. 19. com. 2. vt reor, commentario; X *equus albus*, idest caro Christi; quæ dicitur equus, quia insidebat Diuinitas Christi ad expugnandum diabolum: albus, propter immunitatem peccati. Et vtrobique fertur auctoritas Prouerb. *equus paratur ad diem belli; Dominus autem salutem tribuit*. Qua rem ad nostram nihil opportunius, quando clamant vna voce turbæ *hosanna*, seu *eia salua*. Verùm quia vt dictum est ex Augustino Tract. 15. *in Ioannem; inuenimus virtutem Iesum, & inuenimus infirmum Iesum; fortem & infirmum*: dic Ioannem in Apocalypsi post resurrectionem vidisse Iesum fortem, ideo insidentem in equo Diuinitatem. Equo certè appropriatur fortitudo, quæ primò commemoratur Iob 39. *nunquid* A Iob 39. Littera. *præbebis equo fortitudinem?* non solùm corporis A prout est potens ad onus ferendum; sed etiam animi prout audacter ad pericula vadit. In euangelio iturum iam prope ad mortem vidit Zacharias, notauitque cum cæteris Matthæus *sedentem super asellum*; qui est, vt ait Chrysostomus, *præ cæteris iumentis infirmum*. Dic autem, siue asello siue equo insidere videatur, æquè deprehendi posse alteram metaphoræ causam, quia nihil deperit dignitatis sessori, nec vector quidquam sui amittit, iacturamuè vllam patitur ex sessore: quod planè ineffabilis incarnationis mysterij vmbra est; quandoquidem, vt ait Leo Papa Serm. 1. de Natiuitate; *Verbum Dei Deus filius Dei tanto fœdere vtramque naturam conseruit, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio*. Quod si Prouerb. 9. *Sapientia misit ancillas suas vocare ad arcem*, liceat quod de Centauris loquebantur prisci recolere; vt scilicet membra partem humana, partim equina habere crederentur.

8. Neque insurgat criticus censor, quòd *fabulas* quasi *secuti* (quod cauet Diuus Petrus in 2. cap. 1.) vera Dei mirabilia fœdare velimus. Absit. Fabula inepta est ex Tullio, vt fert Angelicus, B in qua nec veræ, nec verisimiles res narrantur. Verùm secundum Philosophum, composita est ex miris. Et fuerunt in principio inuentæ, vt dicit in Poetria, quia intentio hominum erat, C vt inducerent ad acquirendum virtutes, & vitandum vitia: simplices autem melius inducuntur repræsentationibus, quàm rationibus. Antiqui enim habebant quasdam fabulas accommodatas aliquibus veris, qui veritatem occultabant in fabulis. Si ergo proponatur aliqua fabula, quæ non potest repræsentare aliquam veritatem, est inanis, sed quæ non propriè repræsentat est inepta, sicut fabulæ de Thalmud. Hæc Diuus Thomas. Sanè ibi Apostolus fabulas non vetat omnes, sed *ineptas*. Ad rem de Centauris: fuere Thessaliæ populi, qui primi equos domare, & ex ijs pugnare cœperunt. Christus Dominus, siue Diuinitas eius, primò pugnare cœpit; quandoquidem Apocalyps. 19. vt vidimus, super equum sedit, idest super carnem: quam solus primus perdomuit. Iacobi 3. *equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis: omne corpus illorum circumferimus*. Psal. 31. *in camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*. Camo D reguntur & asini. Prius autem dixerat psaltes; *nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus*. Et vt quid rogo, constringendæ sunt frænis maxillæ? quia brutales fiunt homines. Audiamus Angelicum; E homo cæteris animalibus præeminet ratione: cùm ergo ratione prætermissa passiones brutales sequitur, efficitur similis bestijs. Dic itaque, camo & fræno cohiberi huiusmodi passiones. Quid ergo aptius dici aut excogitari poterat pro Christi dignitate, quàm quod

B 2. Petri 1.
C 2. Tim. 4. l. 2.
D Iob 39.
E Iob 4. l. 2.

sessor esset suæ carnis: quod est illius consuetas passiones sic perdomuisse, vt nec ad ictum oculi caput potuerint exerere? Huc aduoca Theologiæ dogmata, in Christo non solùm non fuisse, vt diximus peccatum; sed nec peccati fomitem F. Nec in ipso locum habuere animi passiones, sed solummodo propassiones: siquidem huiusmodi passiones de licitis, (non prout in nobis, qui ferimur ad illicita) oriebantur secundùm dispositionem rationis, quam nunquam præuenire poterant, nec impedire. Vnde G propassiones appellantur infra cap. 26. *cœpit contristari*: vt passio perfecta intelligatur, quando animo idest rationi dominatur; propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitiuo, sed vlterius non se extendit.

F 3. p. 15. a. 1 & 2.
G 3. p. 15. a. 4. & a. 6. ad 1.

9. Hoc quod dicimus de iumenti seu carnis assumptæ fræno, allegoricè item dictum est de animalibus in Arca; quia omnes motus H in Christo fuerunt pacati; cuius, animalium concordia fuit figura. Nam illius bestiæ nomen homini competit, cuius passionem imitatur: vtpote, qui subiacet I concupiscentiæ passionibus, Equo vel Mulo comparatur; ps. 31. *nolite fieri, sicut equus & mulus*: propter ferocitatem autem vel iram Leo aut Vrsus nominatur; Prouerb. 28. *leo rugiens, & vrsus esuriens*, &c. Tigridi comparantur raptores; *Tigris perijt, eoquod non haberet prædam*; Iob 4. Similiter etiam ad idem innuendum in Canticis; *manus eius tornatiles, plenæ hyacinthis*; L in manibus Sponsi, operatio Saluatoris exprimitur. Sicut enim quis facilè torno operatur, nec regula vlla indiget; sic operatio Redemptoris facilis erat; quicquid enim volebat, illicò perficiebat; *ipse dixit & facta sunt*. Et capit. 7. quod torno fit, non indiget exteriùs adhibita regula vel linea, sed inerratò ex se ipso perficitur. Adam rectitudinem suarum operationum habuit; quia Ecclesiastes 7. *fecit Deus hominem rectum*; M secundùm quod ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires. Dic tu fuisse ascensorem equi fræno rationis regendi: nam *fræna in ora equis mittimus ad consentiendum nobis*, seu ad obediendum, vt ait N in Apocalypsi: sed O deferente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam. Adam factus inobediens suo Superiori, P inobediens habuit suum inferius: vnde dixerim ego; quia non perstitit in eo felici statu; in quo, inferior appetitus Q erat rationi totaliter subiectus: & non erant in eo passiones animæ nisi ex rationis iudicio consequentes. Profectò in Scriptura decies legimus *ascensor*, & *ascensores* equorum, non *sessores*: hic autem de Domino, & apud Matthæum, & apud Marcum, & apud Ioannem legimus *sedit super eum*. Quis scit non ideo scriptum, quia *iashan* hebraicè *sedis*, significat *habitare & manere*: sic autem ascendit Diuinitas humanam carnem, cùm *Verbum caro factum est*; vt nunquam eam, nec in triduo mortis R dimiserit, quandoquidem Roman. 11. *sine pœnitentia sunt dona Dei*. Et quia sic permanenter ineluctabiliter inferiores vires cohiberi fræno rationis, nulli homini, nec Adæ, quia non permansit, datum est; ideo non fuerit absonum credere hoc immo intuitu, animaduertendum nobis dixisse Dominum, non casu sed signanter vt ait Marcus *super quem nemo adhuc hominum sedit*; siue vt ait Lucas; *cui nemo vnquam hominum sedit*, Grande certè mysterium: aliàs enim hoc minimè fuerat à Domino prænotandum, & discipulorum animis infigendum. Et quoniam radix *iashan*, vt vidimus, etiam *habitare* significat; dum sedet in typum humanitatis assumptæ super asellum, nullum est inconueniens, si in vberiorem intelligentiam recolatur, quod ait Apostolus Coloss. 2. *in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*. August. ps. 126. *ad gentes lex non missa erat, Cui nemo*, &c.

H 3. dist. 17. 1. a. 2. q. 2.
I Iob 4. l. 2.
L Cant. 5. com. 2.
M P. p. 95. a. 1.
N Apoc. 6. com. 2.
O p. p. cit.
P opusc. 41. l. 5. 17. Rom. 7. l. 4.
Q p. p. 95. 2.
R 3. p. 50. a. 2. & 3.

Cæte-

10. Cæterùm non plenè adhuc declaratur isthæc humanitatis assumptio, nisi quæ coassumpserit explicemus. Quæstionem specialem instituit & pertractat Angelicus S de defectibus corporis assumptus à filio Dei. Dicit aut Isaias prophetice, *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, siue vt legit Matthæus supra cap. 8. *ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit*. Exemplificat ibi de morte de fame de siti; & sic de alijs huiusmodi pœnalitatibus; puta de lassitudine frigore, &c. quæ consequuntur tanquam infirmitates ex necessitate materiæ in omnibus hominibus communiter, ex peccato primi parentis; vt ibi a.2.& 3. Hinc Chrysologus serm. 50. *Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare diuina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo, si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet; & si non impleffet carnis ordinem, carnis in illo esses otiosa susceptio*. Hoc est quod ait Apostolus Hebræor. 2. *quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini; & ipse similiter participauit eisdem*. Estque intelligendum de passibilitate carnis; quia assumpsit naturam nostram passibilem; T vt sit sensus, quia *pueri*, idest fideles habuerunt naturam passibilem, & ipse scilicet Christus *participauit eisdem*, non phantasticè vt delirat Manichæus: *vnde* (mox subdit) *debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret*; per experientiam nempe suę passionis. Sic in ipso fuit etiam verè dolor sensibilis, & claui perforantis, & flagelli V percutientis; quia, vt dictum est *dolores nostros ipse portauit*. Non solum autem sic passus est in anima ex passione corporali, sed subijt passiones animæ, idest X affectiones appetitus sensitiui, vt sunt tristitia & timor: infra c. 26. *tristis est anima mea vsque ad mortem*; & Marci 14. *cœpit Iesus pauere & tædere*; prout supra exposuimus.

S 3.p.14. 1. & alijs locis.
T Heb.2.
V 3.p.15. a.2.& 5.
X ibi a.6. & 7.

11. Hæc omnia ænigmate diuino fas est impræsentiarum deprehendere: in primis quidem infirmitates coassumptas in asina ratione sexus. Congruè autem sic exponimus; quia & Numeri 19. vbi præcipitur de vacca rufa immolanda in figuram Christi, dicit Angelicus, A significatur Christus secundum infirmitatem assumptam, quam fœmininus sexus designat; & per fimum eius designatur lassitudo, sitis & alia huiusmodi ad infirmitatem pertinentia. Hinc mi lector ab altitudine prophetica & euangelica disce, quomodo, nedum supra pullum, sed super asinam dicatur sedere; etsi non ad literam, mysticè, quia defectus nostræ infirmitatis coassumpsit. Nam, vt ait Leo Papa, *de nostræ naturæ communione dicebat; tristis est anima mea vsque ad mortem*. Et ecce mirabilem connexionem dum paulo post *intrauit in Templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo*. Nam voluit ostendere sic iram per zelum psal. 68. *zelus domus tuæ comedit me*, quod tunc *impletum est* vt dicitur Ioannis 2. Probat quippe exinde in Christo Domino fuisse B passionem iræ: quæ ex tristitia & appetitu laudabilis vindictæ secundùm iustitiæ ordinem, composita fuit. Item voluit corporalis defectus assumptu exhibere specimen; quia *manè reuertens in ciuitatem esuriit*: quo ad rem, contrarius nequit esse diuinior. Sed quoniam, etsi defectus, quos supra & corporis & animæ assumpserit, (*qui motus, non perturbati animi signa sunt, sed docentis C magisterium*) nihilominus defectus qui repugnant D perfectioni scientiæ & gratiæ non assumpsit. Vnde nec fomitem E assumpsit, nec ignorantiam; & hæc voluit adumbrari

A p. 1. 102.5.1.
B 3.p.15. 9.
C ibi a.8.
D 3. p. 14.4.
E 3.p.15. 3. & 8.

hoc in facto: & quidem mirabiliter, quia dum præcipit de asina & pullo eius: quod est vt ait Chrysostomus, *præ cæteris animal irrationale magis & stultum*, adnectit plenam præscientiam dicens discipulis, quæcumque futura erant, etiam cordis secreta; *si quis vobis aliquid dixerit*; (quod conditionatè alio ex capite prout videbimus) *dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos*. Et quia in Christo Domino triplex fuit scientia: diuina F seu increata; beata qua cognouit res in Verbo; & indita per quam cognouit res in propria natura; secundùm scientiam omnem opportunè claruit; scientia quidem dic indita, dum asinam pullumque eius, quasi rei naturam commemorat; dic beata, quia quod futurum erat prænunciat dicens; *inuenietis, & statim, asinam alligatam & pullum cum ea*: prænouit enim, & ibi permansuram donec peruenirent discipuli; & sine inquisitione eam reperturos, neque aliquem præter ipsos eam soluturum. Quæ nec Angeli G cognoscunt. Denique scientia fulsit diuina; nam *cor omnium*, Ieremiæ 17. *est inscrutabile*; cum sit solus Deus scrutator cordium; Act. 1. *tu Domine, qui corda nosti omnium*: & tamen cordium secreta detexit, antequam homines cogitarent: Io. 2. *ipse enim sciebat quid esset in homine*: ex quo dixit *& confestim dimittet eos*.

F 1. p. 9. 1. & q. 10. & 11 & q. 15. 8.
G p. p. 57. 1.

12. O diuinorum eloquiorum inexhauribilem profunditatem! Consideremus quid sit fomes peccati. Nihil aliud est H quàm inordinata concupiscentia sensibilis appetitus; habitualis tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati: dicitur autem concupiscentia sensualis esse inordinata, in quantum repugnat rationi; quòd fit, in quantùm inclinat ad malum, vel difficultatem facit in bono. De hoc fomite dicebat Apostolus Roman. 7. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*: & prius; *non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*: & ad Galat. 5. *caro concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem*. Sic Iacobus cap. 1. *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus* I à bono, *& illectus*, glossa, à malo. Ad Timot. 2. cap. 4. *bonum certamen certaui*: meritum, inquit Angelicus, consistit in resistendo malis L & in proficiendo bonis. Ergo mi lector agnoscis, nos esse continuè in certamine; *caro enim & spiritus sibi inuicem aduersantur*, vt ibidem ad Galatas. Et hæc est mutua impugnatio: vt ibi M ait: impugnantur enim nedum continentes sed & temperati; non ex toto domita carne. Ab hac pugna exemptus fuit Dominus; quandoquidem virtus in eo N fuit secundum perfectissimum gradum: & ita nullam sustinuit impugnationem interiorem ex parte fomitis. Nunc dicas lector; si ineundum deberet innui prælium; quo rogo animalium genere? certè non nisi in equis. Proprietas enim inquit O est audacia ipsius in bellis; quam diffusius Iob, *nam audacter in occursum pergit armatis; vbi audierit buccinam dicit, vah; procul odoratur bellum*. Aiebat aliàs Augustinus de vita actiua & contemplatiua; *vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat*. Cæteri hominum confligentur in equis. Qui impugnationem interiorem nullam pati potest, non equum sed asellum ascendat. Vnde tamen maior eluxit fortitudo spiritus; qua potuit, ex eodem Angelico, P totaliter carnem comprimere, ne contra spiritum, qui summum attigerat fortitudinis gradum, posset concupiscere.

H 3. p. 27. 3.
I Iacobi 1.
L 2. Tim. 4. 1. 2.
M Gal. 5. 1. 4.
N 3. p. 15. 2. 3.
O Iob 39.
P 3. p. 15. 2. 1.

13. Et ecce fieri planum de vocula illa *vos*; dum ait; *ite in Castellum quod contra vos est*. Diuus Hieronymus, & Remigius; *per Castellum quod contra Apostolos erat, Mundus iste designatur; contra Apostolos enim erat, quia lumen doctrinarum nolebat accipere*. At non dirimitur difficultas; nam & contra

tra Dominum fuit Mundus iste. Ioan. 1. *Mundus eum non cognouit*; & cap. 15. *Si Mundus vos odit; scitote, quia me priorem vobis odio habuit*: quare oportuisset dicere, *contra nos est*, se ipsum quoque discipulis associando. Sed nec potuit nec debuit: *In Mundo omne quod est*, ait Ioannes in prima cap. 2. *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Hæc certè ex fomite: ad fomitem pertinet, (ita loquitur Angelicus) Q inclinatio sensualis appetitus, in id quod est *contra* rationem. Recole ad Galatas: *hæc enim sibi inuicem aduersantur*: quia passiones ad malum inclinantes non totaliter tolluntur, R neque per virtutem acquisitam, neque per virtutem infusam, nisi fortè miraculosè; quia semper remanet colluctatio carnis contra spiritum, etiam post moralem virtutem. Dic ergo *contra* omnes subiectos fomiti peccati Castellum esse Mundi; non contra Dominum, qui carnem sic eneruatam, immo immunem ab omni concupiscentiæ motu assumpsit, vt nec vel minimo peccati aut indecentiæ assultu potuerit plenitudini gratiæ infensa esse. Ideo dic præterea; (Quod mirabile est) quamuis dixerit discipulis *ite in Castellum*, non fuisse Castellum ingressos; scribente Marco, *inuenerunt pullum ligatum ante ianuam*, &c. liceat interpretari ad idem; quia *talis decebat, vt nobis esset Pontifex* Hebr. 7. *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Inducit Angelicus eruditissimè S duas sententias; alteram ex Sapientiæ 2. *dissimilis est aliis vita illius*; ex Leuitico cap. 21. alteram; *ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ*. Exodi 2. *Erit agnus sine macula*. Nihilominus *est ante* ianuam Castelli Mundi huius, *in quo concupiscentia carnis*, &c. nedum in quantùm Baruch 3. *cum hominibus conuersatus est*; & *cum publicanis & peccatoribus manducauit*, Matthæi 9. vt recolit ibi Sanctus Doctor; sed adiecerim, quoniam & in genealogia idcirco assumuntur mulieres, (quod notat Hieronymus) non sanctæ, *sed quas Scriptura reprehendit; vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret*. Et quod admirationem exauget est, notari *in biuio*. Quare non putemus signanter factum esse, ad indicandum duas esse vias? psal. 1. *quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit*. De Christo exponitur ferturque ab Angelico vbi supra; *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*. Biuium caput est viæ, quæ in diuersos scinditur exitus: & hebraicè dicitur *pherec*, vt animaduertunt in Abdia: hæc autem eadem vox *pherec*, *separauit* etiam significat. Nonne vidimus nuper ex Apostolo, quomodo *segregatus à peccatoribus*? Sapientiæ item 2. *abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis*.

Q loc. cit. in corp.

R de virtutib. q. 1. a. 10. ad 14.

S Hebr. 7. l. 4.

14. Libet autem ad vberiorem intelligentiam rimari, qua de causa Mundum sub Castelli nomine accipiendum sacra historia nobis obtulerit. Poterat enim diuinæ prouidentiæ dispensatione, vel in ipsam Ierosolymam mitti ad asellum quærendum: & sub eius metaphora, quandoquidem *in medio terræ operaturus erat salutem*, vt ait psaltes, Mundum significare. Audi lector peregrina. Hebraicè discrimen clarum extat inter Arcem & Castellũ. Arx dicitur & *Misgau*, quod est munimentum, protectio, exaltatio, locus editus & tutus; à radice *sagà*: Castellum dicitur *Chopher*, quemadmodum & villa & viculus; à radice *chafar*: siue etiam Castella dicuntur *Perazòt*, à radice *Pharaz*; suntque lora habitabilia in planicie sita; quæ carent muris maceriis & propugnaculis quibuscumque, vt sunt villæ, viculi. Oppida vno verbo muris non cincta. Vnde *Perazim* dicuntur homines absque muris habitantes, quasi *ngarim* à radice *ngaram*, nudi & discooperti. Dic ex his, mitti discipulos in Castellum, quoniam homines in Mundo expositi impugnatoris fomitis insultibus, nullo gratiæ propugnaculo muniti erant; *lex per Moysen data est*; Ioan. 1. *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. *Nghir* siue *chiriah*, idest ciuitas & vrbs muniri solent, vel muris in circuitu: Ieremiæ 1. *dedi te hodie in ciuitatem munitam*. Notum est Ierusalem tropologicè pro anima stare. Recolo Esdræ 1. cap. 4. Artaxersis Regis mandato vetitum, ne Vrbs Ierusalem ædificaretur. Et cum lib. 2. cap. 4. tandem aliquo modo licuit, inquit sacer textus; *ædificantium in muro, & portantium onera & imponentium, vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium: ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes*: quod sanè exponit Angelicus, T de resistentia peccatis, quorum impugnatione inquietamur; quamuis postea intendentes ad profectum impugnationes minus sentiamus. Certè *omnia in figuram contingebant illis* 1. Cor. 10. Ibidem autem dixit Nehemias. *Deus noster pugnabit pro nobis*. Diabolus fortis nimium ex aduerso stabat: Lucæ 11. *Dum fortis armatus custodit atrium* &c. Quamuis non omnia peccata V procedant directè ex tentatione diaboli; quamuis non omnia peccata hominum X sint ex suggestione eiusdem; quia etiamsi Diabolus non esset, sicut Origenes probat, *homines haberent appetitum ciborum & venereorum, & similium*: nihilominus aliqualiter in causa est omnis peccati; in quantùm induxit primum hominem ad peccandum; ex cuius peccato, in tantùm vitiata est humana natura, vt omnes ad peccandum procliues simus. Præterea nullum genus peccati est, A quod non interdum ex dæmonum suggestione proueniat. Dominus qui psal. 92. *indutus est fortitudinem; fortior eo superueniens vicit eum*, ibidem Lucæ 11. Et non secus ac *Dauid*, qui interpetatur *manu fortis*, suique fuit in figuram, cepit victo Iebusæo arcem Sion, expulit eum de Mundo, Ioan. 12. *nunc Princeps huius Mundi eiicietur foras*. Sicque Castellum priùs omnino impugnatori expositum communiuit, vt transierit in vrbem, prout 2. Regum 5. & 1. Paralipomenon legitur; *ædificauitque vrbem in circuitu à Mello vsque ad gyrum*. Per virtutem & acquisitam & infusam, inquit Angelicus, B huiusmodi passiones modificantur, vt homo non effrænate moueatur. Præualet autem virtus infusa, vt nullo modo dominentur; ne obediatur concupiscentiis peccati: & facit hoc infallibiliter ipsa manente. Quare cum amor sui ipsius C sit principium omnis peccati, amor inquam inordinatus; ex quo sunt in Mundo, (seu in Castello vt dictum est) *concupiscentia carnis*, D *concupiscentia oculorum*, &c. amor Dei è contra vt ait Augustinus 14. de Ciuit. cap. 28. *vsque ad contemptum sui, ciuitatem facit cœlestem*; quæ hostis non pauet aggressus quantumuis feroces & diros. *Stephanus*, inquit Diuus Fulgentius, *charitatem pro armis habebat, & per eam vbique vincebat*. Minima gratia, subdat Angelicus E potest resistere cuilibet concupiscentiæ; minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas *millia auri & argenti*. Quoniam autem ex virtute fit, vt supra *de virtutibus* ait Diuus Thomas, vt homo non effrænatè moueatur à passionibus; quid prohibet, si frænis constringuntur maxillæ; psal. 131. *in camo & fræno maxillas eorum constringe*, quid prohibet inquam astruamus, idcirco Dominum venisse *Bethphage*; neque contentum fuisse Sanctum Matthæum, si diceret appropinquasse Ierosolymis? vt innueret speciali loco, venisse Dominum ad frænandas fomitis effrænes petulantias; iuxta illud psalmi 31. *in camo & fræno maxillas eorum constringe*; quando ex Hieronymo interpretatur *Bethphage*; *Domus maxillarum*.

T 2. 2. 24. a. 9. ad 2.

V p. p. 114. 3.

X p. 2. 80. 4.

A p. p. 114. 3. 1.

B de virtutibus q. vnica a. 10. ad 14.

C p. p. 77. 4.

D p. 2. 77. 5.

E 3. p. 62. 3. 3. & q. 70. 4.

15. Cæterum est quod eruditi requirant: vnde nam potuerit Sanctus Doctor hanc interpretationem haurire, Gena quippe seu mandibula hebraicè *lechi* à radice *chalaz*: vel etiam maxilla dicitur *ngedi* à radice *ngadah*: vnde in psalmo præfato *ngedio*, *maxillas eorum*: hisce autem vocibus, minimè affinis videtur esse ly *phage*: vt *Beth-phage* esset *domus maxillarum*; Qua in re mihi videtur dicendum, traxisse Hieronymum interpretationem, ex postrema syllaba, *nghe*, accommodè ae nostratem pronunciationem *ge*: quæ vox maxillam significat. Subticuit autem interpretationem mediæ syllabæ *pha* quamuis *phi* sit *os* ne diceret *Domus oris maxillarum*, quasi latina lingua superfluum, qui etymum maxillæ à radice aliqua multiplicis significationis non deducimus; sicut multiplicis sensus est ferax hebraica maxillæ radix; ad quem arctandum, nedum *ge* dicatur, se *phi*. Quocirca sciendum adhuc quosdam interpretari *Bethphage*, in vi duorum duntaxat nominum: & quia *phag* est *grossus*, siue *ficus immatura* dixerunt *domum ficuum*, Alij trinomiam vocem rati, postremam syllabam putant, non per *ngain* sed per *ghimel* scriptam; & quia *ghe* seu *ge* significat vallem, dicunt Bethphage *Domus buccæ vallis*. Mihi liceat ob allegoriæ consensum in medium aliam afferre interpretationem; vt *phage* sit à radice *phagang*, quæ significat *occurrere obuiare*, sed deinde significat sese *extendere contra hostem*, *in cædem ruere*, *occurrere gladio*. Quo certè nil aptius materiæ quam versamus de pugna aduersus fomitem esse potest: ij enim quibus Dominus adest, minimè in Castello degunt absque propugnaculis; sed in *Bethphage* gladio ad pugnam audacter armati, nihil timentes, vbi viget fomes, incoluntque *Peraxim* inermes Castellum, quod *contra* eos est. *Ite in Castellum, quod contra vos est*. Patiatur qui legit excursum hunc, ab ea occasionatum voce; *vos*; quia nec Iota aut apex vacat mysterio. Vnde vice versa in psal. 116. *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi* sequitur propter associationem; *quoniam confirmata est super nos misericordia eius*; qua dempta causa, fuerat dicendum; *super vos*, quos alloquebatur.

16. Prosequamur in textu; *soluite & adducite mihi; & si quis vobis aliquid dixerit*, &c. Reipsa vt fert Marcus; *quidam de illic stantibus dicebant illis; quid facitis soluentes pullum?* Humanitas prout supra explicuimus impedimentis retenta erat; ne crederetur, à Diuinitate debere solutis impedimentis in personalitatem diuinam assumi; siquidem vt ait Athanasius homilia de passione & cruce Domini, *humanum genus non satis erat idoneum ad resistendum morti, neque poterat pœnam pro peccatis dissoluere*. Immo vt apud Lucam, fuerunt domini sic loquuti: *soluentibus autem illis pullum, tunc dixerunt domini eius ad illos; quid soluitis pullum?* Mirum est si literam duntaxat sequamur, vnius pulli fuisse plures dominos: quando passim plurium iumentorum, vnus est dominus. Sed si mysterio insistamus, pulli huius & asinæ, typo humanitatis, non vnus sed duo erant domini; quorum, veluti iure, vinculis erat subiecta, proinde impedita, ne posset adduci Domino. Reperio alterum Dominum fuisse peccatum; quia vt Saluator dixit Ioan. 8. *omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*: cuius quidem dominatus causam exprimit Apostolus Roman. 6. *nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius: gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis*; & Diuus Petrus in 2. cap. 2. *à quo enim quis superatus est, eius seruus est*. Alterum inuenio Dominum; Hebr. 2. vbi docet venisse Saluatorem, *vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum; & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti*. Dic ergo duplicis seruitutis respectu, & peccati, & mortis cum cæteris pœnalitatibus, duos hic referri dominos; *dixerunt domini eius ad illos, quid soluitis pullum?* Et ita figura prosopopœiæ contradicunt: quasi dicant vno verbo; vbi sunt impedimenta, seu vincula duplicia & peccati & mortis, quibus humanitas omnis obstricta est, non esse conueniens Deum incarnari. Sic quærit disputationis gratia Angelicus, E *Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari*. [E 3. p. q. 1. 1.] Inter plures autem obiectiones, quas abundè colligit F alibi; [F 4. cont. G. 40. & 51.] non est dubium referri posse argumenta, quæ instruit, vel ad probandum G non fuisse conueniens, vt filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ; [G 3. p. 4. 6.] vel ad probandum H non debuisse assumere humanos defectus, cuiusmodi sunt mors fames sitis. [H 3. p. 14. 1.] In priori siquidem loco vrgetur nomine vt ita dicam vnius domini, nimirum peccati: quocirca ex Augustino 13. de Trinitate cap. 18. conceditur quòd *poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adæ, qui suo peccato obligauit genus humanum*: sed vt ibi probat Angelicus, multis de causis conuenientiùs fuit sic. Nota ly *obligauit*; sicut hic asina & pullus dicuntur *alligati*. In posteriori articulo multipliciter instatur de non assumendis defectibus; quasi alterius domini causa; dici potest vno verbo; quia mortalem naturam morti alligatam dedecere videtur assumi à Deo immortali. Stat nihilominus; quod ait Leo Papa in serm. 1. *de Natiuitate*, hisce minimè obstantibus duorum dominorum obiectis; *salua vtriusque proprietate substantiæ, & in vnam coeunte personam, suscipitur à Maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas*. Stat quod ait Apostolus; *in similitudinem carnis peccati*: & ad Philipp. 2. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*. Stat quod docet Angelicus; I [I 3. p. 15. 1.] quia accepit Deus naturam humanam absque peccato, in illa puritate in qua erat in statu innocentiæ (per hæc patet solutio obiectionum primi domini) pergit Angelicus; & simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus: & ideo non dicitur eos contraxisse, L sed voluntariè assumpsisse. [L ibi a. 3.] Ex quo satisfit obiectionibus secundi Domini; soluunturque vincula, dum hisce defectibus non fuit natura assumpta, vt in nobis, peccati iure obligata.

Superest disquirendum, cur naturam etiam sic exemptam, (*quare soluitis?*) à vinculo peccati, atque à mortis contractu liberam, (psal. 87. *factus est sicut homo inter mortuos liber*) Deus assumpserit? 17. Sed iam extat in litera ab ore Saluatoris germana responsio. *Dicite quia Dominus his opus habet*. Marcus refert de pullo; *dicite quia Domino necessarius est*. Lucas; *quia Dominus operam eius desiderat*. Cuncta in eandem sententiam. At certè est quod miremur; cur Dominus hanc eis iniunxerit dandam responsionem: quæ necessitatem prætexit. Breue, vt diximus, iter erat ei peragendum, vnius milliaris: quæ necessitas iumenti? vel quid ambobus opus habet. Theophylactus; *non autem erat ei necessarius pullus; sed eum quæsiuit, ostendens quòd debebat se ad gentilem populum transferre*. Audi & obstupesce mi lector; iam supra præmonitus, asinam & pullum, pro humanitate assumenda, cum suis corporis defectibus typicè stare. Quærit Angelicus conceptis verbis M *an necessarium fuerit ad reparationem generis humani Deum incarnari*. [M 3. p. q. 1. 2.] Et quia quicquid sciret, fassus est, non tam studio ac labore suo se peperisse, quàm diuinitus traditum accepisse; ecce suggerit ei Dominus, vt astruens necessitatem mysterij huius, de necessitate distinguat: Ad finem, inquit, aliquem

(ex

(ex Philosopho) dicitur aliquid esse necessarium dupliciter; vno modo, sine quo aliquid esse non potest; sicut cibus est necessarius ad conseruationem vitæ: alio modo, per quod melius & conuenientius peruenitur ad finem; sicut equus necessarius est ad iter. Parum desuit; quin diceret; sicut asina & pullus; aut pullus (pro indiuiso) fuit necessarius Domino; vt Euangelistæ commemorant. Primo modo, (pergit exponere) Deum incarnari non fuit necessarium, ad reparationem humanæ naturæ; Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare: secundò autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Hinc Augustinus 13. de Trinitat. capit. 10. *ostendamus, sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium modum minimè fuisse.* Et verbo necessitatis vtens addit; *nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis, quantùm diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?* Ecce dum præcipit discipulis, vt dicant *Dominus his opus habet*, Diuinitatem præferri. Considerat Chrysostomus; *non dixit discipulis; dicatis, Dominus tuus his opus habet, vel Dominus vester: vt intelligant, quia ipse sit solus Dominus.* In lib. de catechizandis rudibus cap. 4. idem Augustinus; *quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* Vis dilectionis huiusmodi specimen? ecce mittit non vnum sed duos discipulos. Hieronymus; *bini mittuntur, quoniam charitas non consistit in vno*: & Gregorius; *minùs quàm inter duos charitas esse non potest.* In lib. etiam 13. de Trinitate c. 17. incarnationis filij Dei causam humilitatem considerat; humanæ superbiæ, quæ inde redarguitur & sanatur, congruens remedium: Sic in Collecta, *Deus, qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti.* Diximus autem in ea voce *ngani*, siue malimus efferre *ngnáu* Zachariæ 12. vbi de præsenti facto vaticinatur, tegi significationem humilis. Humile ergo propterea exquirit iumentum, seruile animal, quia *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*; Philipp. 2.

18\. Quoniam verò poterat hinc suboriri scrupulus, vt obijcitur N ab Angelico, ne reuerenter minùs ad Deum se homines haberent, videntes Deum sibi similem per carnis assumptionem; eoquòd maior videtur reuerentia excitari, si consideretur, *excelsus super omnes Gentes Dominus*, psal. 112. *& super Cœlos gloria eius.* Respondetur, quòd Deus assumendo carnem, suam Maiestatem non minuit; & per consequens non minuitur ratio reuerentiæ; quæ augetur immo per augmentum cognitionis ipsius. Ex hoc autem quòd nobis appropinquare voluit per carnis assumptionem, magis nos ad se cognoscendum attraxit: quia, vt inducit O Rom. 1. *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: per incarnationis autem mysterium, vt dicit Damascenus, monstratur simul bonitas & sapientia, & iustitia, & potentia Dei vel virtus: bonitas quidem, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem; iustitia verò quoniam homine victo, non alio quàm homine fecit vinci tyrannum; neque vi eripuit ex morte hominem: sapientia verò; quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem; (ideo dic fortè vsurpari vocem illam *soluite*) potentia verò, siue virtus infinita; quia nihil est maius, quàm Deum hominem fieri. Addat Leo Papa Serm. 3. de Natiuitate: *in vtraque ergo natura, idem est Dei filius nostra suscipiens, & propria non amittens. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subijt; nec Dei formam serui forma violauit: quia summa & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit; sed quod erat, esse non destitit.* Quæ cuncta, vno illo perpenso nomine *Dominus*, insinuare voluit indubiè Saluator; ne suspicari quis posset, inde vel maiestatem minui vel potestatem: quando, vt ait Ambrosius, quod recolit ad Timot. P *Dominus nomen est potestatis*: & Titus, *Dominus nomen est maiestatiuum.* Adde fuisse conueniens, vt ad vincendam superbiam Diaboli, qui est desertor iustitiæ & amator potentiæ, Christus ipsum vinceret Q & per iustitiam & humilitatem passionis, & per potentiam Deitatis. Adnecte ex Leone Papa Serm. 1. de Natiuitate; *nisi esset verus Deus, non afferret remedium; nisi verus esset homo, non præberet exemplum.* Dic ergo; vltrà humilitatem in assumptione humanitatis passibilis; (ad satisfaciendum R per iustitiam pro nobis) Diuinitatis debuisse fieri commemorationem: ideoque responsum esse; *Dominus his opus habet*: necessitate scilicet finis, vt S expositum est. Et quia finis fuit salus hominum; quia *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*; ecce quomodo opportunè de incarnationis mysterio sublimi ænigmate tangitur; quando mox clamandum turbis erat *hosanna, eia salua*: quemadmodum & Archangelus Gabriel duo hæc coniunxit, temporalem scilicet ipsius natiuitatem, secundum quod Deus homo factus est; & populi salutem sui, dicens Ioseph supra cap. 1. *pariet autem filium; & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Dic tandem, idcirco Dominum memorari & perhiberi, *Dominus his opus habet*; vt indicetur, versari mysterium gratiæ: (Mysteria T profectò gratiæ ex pura Dei voluntate dependent; & vt assumit in 2. 2. sua voluntate carnem accepit.) & ita quasi in monitum illud Iobi 9. *quis dicere potest ei, cur ita facis?* Vnde quoad hæc specialiùs dicitur *Dominus*. Quò facit illud Apostoli 1. Cor. 2. *quis enim cognouit sensum Domini; aut quis instruxit eum?* quasi dicat V nullus. Videntur autem verba hæc assumpta; ex eo quod dicitur Isaiæ 40. *quis adiuuit spiritum Domini; aut quis consiliarius eius fuit?* In vniuersùm tamen dic semper Dominum; quia vt in psal. 113. *omnia quæcumque voluit Dominus fecit*; & Sap. 12. *subest tibi Dominator virtutis, cum volueris, posse*: supersublimi certè dominatu, quia *Rex regum est, & Dominus dominantium* Apoc. 19. & 1. Tim. 6.

Et ne adhuc absque accuratiori studio videamur ista commenti, per locum à contrarijs comprobantur. Sanè infra cap. 26. prima die azimorum, se se offereptibus discipulis, quò vellet parari Pascha, eis dixit; *ite in Ciuitatem ad quendam; & dicite ei, Magister dicit; tempus meum prope est*; &c. Cur & hic, quandoquidem mittebat in Castellum nominatos *discipulos duos*, Magistrum non se ipsum nuncupat; sed Dominum? *dicite, quia Dominus his opus habet.* Planiùs visum fuerat; *Magister* his opus habet cum relatiua sint simul cognitione. Iam in pedum ablutione vtroque vocari nomine plaudit: *vos vocatis me Magister & Domine: & benè dicitis; sum etenim*: Ioan. 13. Stet ergo altiori ex causa: & quia non fuit seruus peccati; & quia Maiestatem seruauit; & quia supremo vsus iure ad tantum mysterium. Veruntamen in eo quod *discipulos* hic mittit *duos*, fixè & à Marco & à Luca notatum; cùm ad asinam adducendam, quam sine dubio sequebatur ceu Matrem pullus, omnino sufficeret vnus: immo passim duos etiam equos homo vnus agere, idest benè minare possit; latere adhuc arbitror allegoricum sensum. Duo quippe in Incarnationis mysterio inuoluta sunt. 19.

N 3. p. 1. a. 1.

O 3. p. 1. 1. sed con tra.

P 1. Tim. 6. l. 1.

Q 3. p. 46. a. 3.

R 3. p. 46. a. 1. ad 3.

S 3. p. 1. 2. & q. 46. 1.

T p. p. 57. 5. & 2. 2. q. 1. 3. 2.

V 1. Cor. 2. l. 3.

V 2.2.q. 2.a.8. sunt. Audi Angelicum V. In vita æterna duo nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Diuinitatis, & mysterium humanitatis Christi. Et ideo prima distinctio credibilium est, quòd quædam pertinent ad maiestatem Diuinitatis, quædam verò pertinent ad mysterium humanitatis Christi. Addo subinde, cùm per Incarnationem factus sit Deus homo; & Diuinitatis & humanitatis credibile nobis proponi. Vnde ait Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate; *festiuitatis hodiernæ verus venerator est & pius cultor, qui nec de Incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum. Paris enim periculi malum est; si illi aut naturæ nostræ veritas, aut Paternæ gloriæ negetur æqualitas.* Et Hilarius in Matth. Can. 16. *hæc confessionis tenenda ratio est; vt sicut Dei filium, ita filium hominis meminerimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.* Dum ergo Roman. 10. *fides ex auditu*; dum ex Philosopho, *auditus est sensus disciplinæ*; dum vocantur suppresso proprio, nomine discipuli; *misit duos discipulos*; quid rogo, prohibet dicamus? idcirco factum, vt eloquia scrutantes Domini caperemus, illud pietatis Sacramentum latere sub cortice literæ; in quo duo præcipui stant in vnum fidei sanctæ cardines, Diuinitas scilicet & humanitas Saluatoris: & sic duas naturas in vna subsistentes persona, de Christianæ disciplinæ dogmatibus erudiremur. *Alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem* dixi ex Hilario. Et item Leo Serm. 4. de Epiphania: *hoc enim est quod iustificat impios; hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos; si in vno eodemque Domino nostro Iesu Christo & vera Deitas, & vera credatur humanitas.* Meritò ergo vbi mox de salute erat exorandus, *hosanna*, de vtroque documentum sunt duo discipuli. Hæc planè Diuinitatis arcana, non nisi disciplina teneri possunt; vtpote ad quæ, nec Angelus naturæ suæ viribus, nec humana ratio quouis inuentionis studio queat pertingere. Idem Leo Papa; *cum ad Sacramentum natiuitatis Christi, qua de Matre Virgine est ortus, accedimus; abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo humanæ sapientiæ fumus abscedat.* Qui autem fuerint duo hi discipuli, si fas est diuinare; dic fuisse Ioannem, Iacobumque suum fratrem. Quod ideo ratus sum, quoniam percensens Angelicus articulorum fidei diuisionem iuxta Apostolorum pronunciata, inquit; X posuit Ioan-
X 3.sent. 25.q.1.a 2. nes articulum de Persona filij; articulum autem de conceptione, & natiuitate, coniunxit in vnum Iacobus Zebedæi. Fortè autem abstinuit ab horum prolixa narratione Ioannes, dicens cap. 12. breui; *& inuenit Iesus asellum, & sedit super eum*; quoniam apertius absque similitudine aliqua iam promperat: *In principio erat Verbum; & Verbum caro factum est.* Et iterum; quia vt animaduertit Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; *nouissimus omnium scripsit Euangelium; & aduersus hæreticos compulsus est Christi diuinam natiuitatem edicere.* Quare Instituti sui non erat, ad hæc quæ iure humanitatis Christo competunt, calamum aquilinum ex professo conuertere. E contra cæteri *Euangelistæ*, vt ait Augustinus tract. 36. in Ioannem, *tanquam cum homine Domino in terra ambulantes, de Diuinitate eius pauca dixerunt.* Dic quæ humanitatem concernunt, vberius attulerunt.

20. Cum ergo agatur de attactu & intelligentia mysterij huius, quo Deus factus est homo; idque in adductione pulli & asinæ super quos sedeat Dominus, vt exposuimus; quod est per sensibilia ad intelligibilia transferri: quid mirum, si præcipiat Dominus in fide discipulis; *ite in Castellum quod contra vos est?* Nota mi lector eloquij sublimitatem. Ad id quod *contra* est rectà itur, motu equidem recto. Si motus foret obliquus minimè *contra*, sed ad dexteram vel sinistram eundum esset. Contemplationis motu dimittuntur discipuli ad hoc mysterium: oportet pergant recto motu, ideo *contra*. Alta est Dionysij doctrina, de triplici operationis contemplatiuæ motu, circulari recto & obliquo in Angelis & hominibus. Cùm enim, vt explicat Angelicus, A per sensibilia in cognitionem intelligibilium deueniamus: & operationes sensibiles non fiant sine motu; inde est quòd operationes intelligibiles, quasi quidam motus describuntur; & secundum similitudinem diuersorum motuum, earum differentia assignatur. Hæc Diuus Thomas. Quod cùm ita sit; cur non liceat, hunc motum; *ite in Castellum quod contra vos est*, sic mysticè intelligere? ac si dixisset moueamini motu contemplationis: cæterùm motus vester sit rectus; *ite in Castellum quod contra vos est*: ad ea quæ contra nos sunt recto motu, vt præfatus sum, pergimus. Motus rectus, vt ibidem ait, est secundum quem aliquid procedit de vno in aliud. In anima autem ponitur motus rectus, secundùm quòd ab exterioribus sensibilibus procedit ad intelligibilium cognitionem. Pulchrior nequit esse ad rem doctrina. Certè ex eodem Dionysio I. capitulo cœlestis Hierarchiæ; *impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum.* Certè etiam connaturale est homini, inquit Angelicus, B vt per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilium. Aliàs *videmus nunc per speculum in ænigmate.* Sic ergo dic voluisse Dominum, qui discipuli profiterentur esse sui, manu ducere ad cognitionem tanti Sacramenti, per sensibilia & per metaphoras recto motu. Sicut autem ob fortitudinem Christus Leo dicitur; (eo quòd sit Dux gregis, Aries; Vitulus, ob Crucis virtutem; Hircus propter similitudinem carnis peccati) in Crucis figuram vicisse dicitur *Leo de tribu Iuda*: & offerebantur vt ait Angelicus, isthæc animalia; in agno etiam propter innocentiam &c. C ita ipsius sacrosancta humanitas non renuit aselli metaphora, & asinæ similitudine adumbrari. Ad rem dici potest, significatam humanitatem sacro-sanctam suam in iumento. Nam ad illud Lucæ 10. de Samaritano, qui vulneratum imposuit in *iumentum suum*, inquit Ambrosius; *supra iumentum suum nos imposuit, vt per nostri corporis assumptionem, infirmitatem nostræ carnis aboleret.* Et hic recolendum ex Dionysio cap. 2. Cœlestis Hierarchiæ, magis esse conueniens, quòd diuina in Scripturis tradantur sub figuris vilium corporum, quàm corporum nobilium. D Et hoc ideo, quia hic modus conuenientior est cognitioni, quam de Deo habemus in hac vita. Magis enim manifestatur nobis de ipso *quid non sit*, quàm *quid sit*. Et ideo similitudines illarum rerum, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æstimationem, quòd sit supra illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Præterea, quia per huiusmodi, diuina magis occultantur indignis. Tu hæc prudenter apta sanctissimæ Christi humanitati in iumento significatæ. Erudiatur ergo ex his, quicumque fidelis est Christi discipulus.

Quoniam verò contemplationis operatio, vt ibidem traditur, motum circularem & obliquum etiam subit: E & circularem exponit in quantùm anima prius intrat ab exterioribus ad se ipsam: non fuerit dissonum per quandam vmbram hoc significari, dum præcipit; *ite in Castellum*: Anima cum potentijs, inquit alibi Angelicus, castrum quoddam est. Et ibi; *circuit quærens quem deuoret*, G tan- 21.

A 2.2.q. 180.6. — B 3.p. 60.4. — C p.2. 101.3.2, & Hebr. 9.1.1. — D p.p.q. 1.9.4. — E 2.2.q. 180.6. ad 2. — G 1.Petri 5.

quam hostis obsidens muros clausos; &c. Aliàs scimus, illud Sapient. 8. *intrans in domum meam*, ex-
H ps. 30. lit. r. poni per H contemplationem. Per hanc ingreditur etiam ad custodiam conscientiæ. Interius quippe
I Ioa. 10. l. 2. hominis est spiritus; I exterius est corpus. Sic & in Matthæum capit. 13. in principio; *intrans in domum meam* Sapient. 8. idest in mentem, quæ interior est. Cum ergo præceperit eis; ite in Castellum, & apud Lucam; *in quod introeuntes*; neque tamen in Castellum ingressi sint; quandoquidem vt apud Marcum, *inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris*: (Qui tamen non ideo abstinuit referre dixisse Dominum *introeuntes illuc*) quod vt tot alia indubitanter, poterat Dominus eis prænunciare: argumento est, de hoc circularis motus contemplatiui initio voluisse intelligi. Et quia discursus rationis,
L 2. 2. 180. 6. ad 3. quando est à sensibilibus ad intelligibilia, L secundum ordinem naturalis rationis pertinet ad motum rectum; quando autem est secundum illuminationes diuinas pertinet ad motum obliquum: & operatio intelligibilis habens aliquid vniformitatis, si-
M ibi in corp. mul cum processu ad diuersa, attribuitur M motui obliquo: ecce mi lector, sublimioris huius contemplationis vestigium; quia perhibet Marcus inuentum fuisse *in biuio*. In eo etiam quod dixit eis, *soluite*; *& soluunt eum*, ait Marcus; *soluentibus illis pullum*, scribit Lucas; videtur huiusmodi discursus secundum illuminationes diuinas insinuari: nam humano discursu, non erat certè ita faciendum, neque præcipiendum: primò debuisset pullus peti; cum præsertim adessent Domini; deinde solui. Denique circularis motus contemplationis remanet vniformis, veluti circa idem centrum; N cùm remouetur difformitas, quæ est per discursum
N ibi ad 3. rationis: secundùm quòd omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis; vt scilicet cessante discursu figatur intuitus in contemplatione simplicis veritatis. Et in hac operatione animæ non est error: sicut patet, quòd circa intellectum primorum principiorum non erratur, quæ simplici intuitu cognoscimus. Hactenus Diuus Thomas. Huius quoque doctrinæ praxis apertior esse nequit, quàm sacro in textu: vbi interrogati discipuli, *quid facitis soluentes pullum?* Marci 11. *quid soluitis pullum?* Lucæ 19. longè amandato discursu omni, nudè respondent *sicut præceperat illis Iesus*; ita Marcus: *quia Dominus eum necessarium habet*; ita Lucas. Et cùm responsio humanitus non esset satis: neque humanitus deberent Domini acquiescere, quouis obtruncato discursu factum completur, nec timent errare discipuli, neque eos carpunt de errore, iumentorum Domini, qui obmutescunt: consummatæ contemplationis, ceu motus vt exposuimus, circularis specimen clarum. Adde opportunè id astrui; dum habet Diuus Thomas opusc. 2. capit. 201. homo qui vltimò est creatus, circulo quodam in suum redit principium, ipsi rerum Principio per opus Incarnationis vnitus. Diuina, cuiusmodi est sublimissimum hocce Incarnationis mysterium, non terminantur in anima per discursum, quoniam sci-
O 2. 2. q. 1. 5. ta O esse non possunt; sed captiuatur intellectus; 2. Corinth. 10. *in captiuitatem redigentes omnem in-*
P de veritate q. 14. a. 1. *tellectum in obsequium Christi*; P dum tenetur terminis alienis & non proprijs. Voluntate quippe Q
Q Rom. 3. l. 4. consentimus ijs quæ sunt fidei, non ex rationis necessitate: *nullus enim credit, nisi volens*, vt dicit Augustinus. Ideo ait Apostolus; *ad obediendum fidei*. Et ecce rursum ratio alia ex qua *Dominus* asseueratur, non *Magister*; siquidem obedientiam vox *Domini* concernit: vnde ait Petrus in 1. capit. 3. *sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans*. Coloss. 3. *serui obedite per omnia Dominis*. Et ideo dicens *ite in Castellum*, &c. obediendum monuit, quasi præcepto: inquit enim Matthæus; *fecerunt, sicut præcepit illis Iesus*; vt præcipere non tam fuerit instruere, quam mandare: ad cuius discrimen, quando infra cap. 26. dixit illis; *ite in Ciuitatem ad quendam*; subditur; *& fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus*; *& parauerunt Pascha*: non dicit quemadmodum hic; *sicut præcepit*. Hac ergo contemplationis purioris intelligentia, sit quoque scriptum; *& adduxerunt asinam & pullum*: hoc est ipsum Dominum incarnatum suspexerunt; & sic *eum desuper sedere fecerunt*, intuiti factum esse tantum mysterium. Neque enim necesse erat hoc ab Euangelista Matthæo: vel à Luca *imposuerunt Iesum*, describeretur, nisi arcanum quid sublateret: cùm posset per semetipsum asellum ascendere: sed fides facere quodammodo dicitur, quod sibi factum proponit.

Et cùm potuisset Dominus ipse personaliter ad Castellum accedere, præsertim quia paulo ante capite præcedenti dixerat, *non venit filius hominis ministrari sed ministrare*: quis ausit imaginari per operam, ab eo qui Deus est & homo, sic ordinari? Fidei ergo magisterium ita exigebat. Neque enim debuit ipse motu aliquo ferri ad humanitatem, quam sibi vniuit. Crassa nimis esset intelligentia mysterij, si conciperetur in Deo mutatio aliqua. 22.
Fert Angelicus R obiectionem; quod acquirit nouam naturam, est substantiali mutationi subiectum; R 4. cont. G. c. 40. § 2.
secundum hoc enim aliquid generatur, quòd naturam aliquam acquirit: si igitur hypostasis filij Dei fiat de nouo subsistens in natura humana, videtur quòd esset substantialiter mutata. Respondet autem; S non sequitur quòd Verbum sit substantialiter mutatum per hoc quòd naturam humanam assumpsit; nulla enim mutatio in verbo Dei facta est; sed solùm in natura humana, quæ est à Verbo assumpta; secundùm quam competit Verbo & generatum esse temporaliter & natum; non autem secundum se ipsum. Sic & in Summa; T Incarnationis mysterium non est impletum per hoc, quòd Deus sit aliquo modo à suo statu immutatus, in quo ab æterno fuit; sed per hoc quòd nouo modo se creaturæ vniuit, vel potius eam sibi. Est autem conueniens, vt creatura quæ secundùm rationem sui mutabilis est, non semper eodem modo se habeat. Et ad Galatas cap. 4. aliqua adueniunt alicui & immutant ipsum, sicut formæ & qualitates absolutæ; quædam verò absque mutatione adueniunt; & huiusmodi est assumptio carnis secundum quod dicit relationem. Vnde per hoc Persona Verbi in nullo mutatur. Et inde est quòd in Diuinis vtimur ijs, quæ relationem significant etiam ex tempore: vnde dicimus: *Domine refugium factus es nobis*; & quòd Deus factus est homo: non autem vtimur formis & qualitatibus absolutis; vt Deus factus est bonus, sapiens, & huiusmodi. Sic Apocalyps. 8. ibi; *& alius Angelus venit*: non intelligitur, inquit, venisse per loci mutationem, quia dicit August. 6. confession. *vbique totus es, & nusquam locorum es*; sed per humanitatis assumptionem: ipsum assumere fuit venire: ratione humilitationis, vocabulo veniendi. Dic ergo ad hoc indicandum, mansisse Dominum, misisse discipulos, qui adducerent pullum; vt omnis mutatio ex parte naturæ sibi vnitæ intelligeretur. Stet ergo illud Malachiæ 3. *ego Dominus, & non mutor*.

S 4. cont. G. c. 49. §. 2.

T 3. p. 4. 1. 1. Galat. 4. l. 2.

Posset autem peruicax & contemptor ridere quæ hucusque diximus, quasi violenta accommodatione, sit factum quoddam simplex, tot exhibitum scatens mysterijs: gratisque substrui à nobis credenda, 23.

cx

ex facto quasi merè humano. Si quis ita obloquatur, temerè detrectat quæ diximus, dum adeo ad amussim mystico sensui respondet litera ipsa. Pro coronide, quod astruat prælibatis fidem, aliud proferimus. Quid enim sibi vult; *statim inuenietis asinam*: quod Marcus etiam non tacet aduerbium temporis. Audiat qui minus piè audierat. Hoc enim disparitatis emicat inter naturaliter cognita, & fidei sanctionibus tradita: vt hæc momento discantur; illa vel improbo studio tardè inueniantur. Ea inquit Angelicus, quæ de Deo ratione humana V inuestigari possunt, necessarium fuit tradi reuelatione diuina: quia veritas de Deo per rationem inuestigata, à paucis & per longum tempus, & cum admistione multorum errorum homini proueniret. Sic contra Gentes; X arguit ab inconuenientis quia illi qui ad veritatis diuinorum intelligibilium cognitionem per inuentionem peruenirent; vix post longum tempus pertingerent: & quidem multis de causis vt ibi probat. Vbi ergo proficit quis humano studio, ad aliquid cognitione sua assequendum tardigradus manifestè est. Quare si statim perueniatur aliquò, signum est non humanis gressibus, sed superioris impulsu spiritus eò appulsum esse. Monet itaque illud *statim*, quod Psaltes iam olim præattigit: *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*; A qui per studium quærunt sapientiam, longo tempore student: qui habent eam à Spiritu-Sancto velociter accipiunt. Illi qui habent scientiam per reuelationem diuinam, subitò implentur. Actor. 2. *factus est repente de Cœlo sonus*; Ecclesiastici 11. *facile est enim in oculis Domini, subitò honestare pauperem*. Hinc nisi reluceat diuina aliqua discipulorum instructio, dicet quis, quod absit, esse redundans siue superfluum, cum non vrgeret, vt mox adesset Asellus.

V p.p. q. 1. 1.
X 1. cont. G. c. 4.
A ps. 44.

24. Profundior autem horum omnium eruitur causa; quoniam de ascensu ipsius in Cœlum, de quo in initio Syntagmatis diximus, magisque mox enucleabimus, erat agendum. Ipsemet Dominus edixerat Ioan. 3. *nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis, qui est in Cœlo. Descendit* ergo, vt in Symbolo, *de Cœlis*; & relatiuè *ascendit in Cœlum*. Sic & Ephes. 4. *quod autem ascendit quid est; nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit.* Considerat autem Angelicus descendisse B non motu locali, sed assumptione inferioris & terrenæ naturæ: secus desiuisset esse in Cœlo: nihil enim localiter motum C manet vnde descendit. Dic etiam cum Hilario descendisse de Cœlo quoad corpus, inquantum virtus formatiua eius de Cœlo fuit. Et hoc complet, vt vides, plenam mysterij incarnationis doctrinam. Subdit autem Angelicus D in persona Pauli: ideo postea dixi, quò ascendit, quia ipse primò descenderat, vt ascenderet: aliter enim ascendere non potuisset. *In Summa* vberiùs; E non est iste descensus intelligendus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem; qua cum in forma Dei esset, serui formam suscepit. Sicut enim dicitur exinanitus, (Philipp. 2. *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*) non ex eo quòd suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quòd nostram paruitatem suscepit; ita dicitur descendisse de Cœlo, non quòd Cœlum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in vnitatem personæ. Ad hæc audiamus Angelicum F qui astruit Cœlum promeruisse ascendere, præ alijs causis, ob humilitatem in Incarnatione compertam. Nulla inquit, est humilitas magna, sicut humilitas Christi; qui cùm esset Deus, voluit fieri homo; & cùm esset Dominus, voluit formam serui accipere, (in hymno; *seruile corpus induit*) *factus obediens vsque ad mortem*, vt dicitur Philipp. 2. & ideo meruit exaltari vsque ad Cœlum ad sedem Dei: nam humilitas via est ad exaltationem; Lucæ 14. *qui se humiliat exaltabitur*; Eph. 4. *qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes Cœlos*. Non ideo tamen ipse contendo, quæ tot suprà allegoricè delineata sunt, tunc discipulos, nondum misso eis Spiritu-Sancto de Cœlo, comprehendisse; sicut enim de Scriptura Zachariæ affirmat Ioan. cap. 12. *hæc non cognouerunt discipuli eius primùm*, ita dixerim ego de tota hac arcana serie gestorum: sed cùm Euangelistæ ea descripserunt, iam erant edocti à Domino; & ad nostram doctrinam deinde exarata sunt. Qui tandem erudiri possumus, in nobis etiam firmissimè credentibus posse insurgere motum de contrario huius quod credimus, vt docet G Angelicus. Et fortè motus huiusmodi vmbra extat in eo quod *quidam de illic stantibus dicebant illis; quid facitis soluentes pullum?* Sed responso accepto, *sicut præceperat illis Iesus*, acquieuerunt. Sanè duplex est locutio; vna exterior hominis ad hominem; I alia interior hominis ad se ipsum; Iob 10. *loquar in amaritudine animæ meæ*. Recole & in psalm. 38. *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Verùm sedatur motus omnis, obmutescitque interior scrupulus, dum quis respondet; *audiam quid loquatur in me Dominus Deus* psalm. 84. *Dominus his opus habet*. Dei consilium humana vota non capiunt. Vnde vel tacitè potuerunt subijcere, quandoquidem species præ oculis habebatur iumentorum, illud psalm. 72. *vt iumentum factus sum apud te*. Quod in obedientiæ verbum L exponitur. Nam & hic sedet Dominus super iumentum; vt ibi ait Ioannes *vidi sedes*. Et sic Rom. 6. *obedistis autem ex corde in eam* inquit *formam doctrinæ, in quam traditi estis*; M scilicet credendo. Vnde cap. 1. *ad obediendum fidei*. Exemplum exoculatæ obedientiæ nobilius vix reperies; nam vt prædixerat Saluator *confestim dimiserunt eis*. Et ecce pro pleniori intelligentia, hunc anteuertens Dominus motum, quasi primò insurgentem in ea quæ sunt fidei; singulariter locutus est; *si quis vobis* (supple fideliter credentibus meam in mysterio humiliationem) *aliquid dixerit*; cum tamen historialiter plures dixerint. Et præterea, quasi sub conditione exprimit, quod secundum historiam certissimè prænouerat, vt libertatem omnino reprimendi eiusmodi motus insinuet. Quam formam dicendi non rarò obseruat Angelicus; sicut Matthæi 11. *quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem*, ponit enim ly *fortè* N ad significandam libertatem arbitrij. Et Ioan. 4. Samaritanæ; *tu forsitan petisses ab eo*. Nunquid Dominus non nouit corda? Sed dicit forsitan O propter liberum arbitrium, quo homo aliquando desiderat & petit gratiam, aliquando non. Vnde & Hieronymus hic, *verebuntur fortè filium meum* dicit, quòd modus hic dubius significat libertatem arbitrij. Sic dicas ad rem. Secus difficile soluitur, quare dum tot fixè prænunciat; non etiam absolutè oppositionem aliquorum, ne abducant pullum, non exprimat, sed sub conditione. Et crediderim ideo Marcum retulisse sub præterito imperfecto, *dicebant illis, quid facitis soluendo pullum?* Nam præteritum imperfectum, vt animaduertit aliàs P ibi, *in principio erat Verbum*, significat aliquid fuisse; & non esse adhuc terminatum nec desuisse: præteritum autem perfectum designat aliquid extitisse, & esse iam terminatum, & iam desiisse. Dic ergo secundùm historiam *dixerunt* vt ait Lucas; sed mysticè *dicebant*, vt ait Marcus: quia motus in mysteria fidei, adhuc insurgunt.

B Ephes. 4. l. 3.
C Ioan. 3. l. 2.
D Ephes. l. c.
E 3. p. 57. 2.
F opusc. 63. ascendit ad Cœlos.
G de verit. q. 14. 2. 1.
I Eph. 5. l. 7.
L Apoc. 20 com. 2. ibi & vidi sedes.
M Rom. 6. l. 4.
N Matth. 11.
O Ioan. 4. l. 2. & hic c. 21.
P Ioan. 1. l. 1.

VERS. XI. *Et cum intrasset Ierosolymam, &c.*

25. Iam verò opportunum est, vt quæ sub initium percurrimus circa cœlestem Ierusalem, quam mysticè ingreditur, adhuc firmemus. Et certè in primis liquet veluti ex litera; qualiter consectariò ascenderit, quia priùs descendit; quando Lucas id voluit adnotare ceu præuium: *cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti*: præmiserat autem (dic figuram emergere, quam dicunt *ysteron proteron*, cum quod est sequens præponitur) idem Lucas, *& his præcedebat ascendens Ierosolymam*: ecce de ascensu. Ierosolyma Q erat locus altus; eratque in pede Montis in latere Aquilonis; R & sic primò perueniebant ad montem, qui illuc ibant. Vnde ps. 47. *latera Aquilonis Ciuitas Regis magni*. Et ipse Dominus cap. præcedenti; *ecce*, inquit, *ascendimus Ierosolymam*. De hac mysticè Isaiæ 33. *oculi tui videbunt Ierusalem, Ciuitatem opulentam*. Hoc ipsum Zacharias in eo capit. 9. satis insinuat, dum inquit *exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem*. Non solum quia psal. 46. propheticè S dicitur; *ascendit Deus in iubilo*; sed quoniam voce ea *iubilo*, quod est gaudium T immensum: quod est lætitia ineffabilis, quæ verbis exprimi non potest; V sed voce datur intelligi gaudiorum latitudo: in iubilo inquam significatur indubitanter cœlestis beatitudinis fruitio, & lætitia; de qua Petrus in 1. cap. 1. *credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili* &c. X non tantùm interiùs gaudebitis; sed etiam exteriùs; ideo *exultabitis*: psal. 149. *exultabunt sancti in gloria*. Et ecce cur Zacharias vtrumque iunxerit; *exulta & iubila*. Facit huc hymnus; *omnis illa Deo sacra & dilecta Ciuitas, plena modulis in laude, & canoro iubilo*. Item ps. 150. *laudate eum in cymbalis iubilationis*. Et si roges cur Ioannes c. 12. ita conuerterit; *noli timere filia Sion*. Responderi potest, Ioannem vsum fuisse figura quæ dicitur *liptote*, seu *litotes*, cùm minùs dicitur & plùs intelligitur; ferunt exemplum profanum Georg. *nec mihi displiceat*, idest; *valde placeat*: & aliud; in Æn. *haud ignara mali miseris succurrere disco*. Quæ certè rectè vsurpatur, vbi rem exprimere potis nulla vox est. Ioannes ergo iubilum gloriæ sic figuratè insinuat, vt absit timor; *noli timere filia Sion*. Quod equidem erit in gloria; iuxta illud Prouerb. 1. *absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Gaudium est A de bono præsenti; timor de malo futuro. Dic ergo per absentiam omnis timoris de malo, significasse præsentiam omnis boni; sicque iubilum & exultationem. Et hoc congruit Instituto Ioannis, qui potissimum de ineffabili Diuinitate Christi; & de cœlesti gloria nuncia tulit.

Q D. Th. hic c. 20.
R in ps. 42.
S Apoc. 5. Com. 1. in princ.
T ps. 46.
V ps. 32.
X 1. Petri 1.
A p. 1. 25. 4.

26. Cohærere autem ijs potest quod clamant *hosanna* pro salute; quia & Petrus Epist. 1. c. 1. vtrumque nectit & *inenarrabilem lætitiam*, & salutem dum subdit, *reportantes finem fidei vestræ salutem animarum*: salus enim finis est B animarum nostrarum: finis verò est vita æterna. Finis etiam est optimum in vnoquoque: salus verò animæ optimum nostrum est: salus enim animæ est liberatio ab omni malo; imperfecta in præsenti per gratiam, in futuro perfecta per gloriam. Isaiæ 33. postquam præmissum est de gloria, sequitur; *Dominus Rex noster ipse saluabit nos*. Adnectit autem Apostolus Hebr. 2. cum salute, adductionem filiorum; *qui multos*, inquit, *filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per passionem consummari decebat*. Quare adductionis nostræ in gloriam cum illo, credi oportet. Pulchrè Augustinus hoc edisserit in Serm. 174. de tempore. *Christus ascendit in Cœlum, ascendat cum illo & cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis; sic & nos cum illo ibi iam sumus; quamuis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis; nam propter vnitatem, qua Caput nostrum est; & nos corpus eius; cum ascendit in Cœlum, nos ab illo non separamur*. Angelicus etiam ibi C *nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis, qui est in Cœlo*: nemo nisi Christus & membra sua, idest iusti fideles. Propterea filius Dei de Cœlis descendit, vt nos faciendo membra sua, ad ascensum Cœlorum prepararet; nunc quidem in spe, tandem verò in re. Ephes. 2. *consedere fecit in Cœlestibus in Christo Iesu*. Et pressiùs ad nostram Syntaxin; D *nemo ascendit in Cœlum*, nisi Christus: quia sancti non ascendunt, nisi in quantum sunt membra eius; qui est caput Ecclesiæ. Et quia iam introduximus, post militantem de Ecclesia triumphanti; & Ephes. 1. *ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*, scilicet tam militantem quam triumphantem: immo E primò & principaliter est Caput eorum, qui vniuntur sibi per gloriam: & sic est Caput Ecclesiæ triumphantis; quæ est congregatio comprehendentium, F vtpote plenissimè habens, & gratiam & gloriam: vide adhuc lector, quàm opportunè ipsius ascensum in Cœlum, voluerit hìc à Matthæo vberiùs prælibari.

B 1. Petri 1.
C Ioan. 3. l. 2.
D opusc. 6. §. 9. Ephes. 1. l. 8.
E 3. p. 8. 1.
F a. 4. ad 2.

27. Nec dictorum desinunt in textu aperta symbola. Absit vt quis sibi suadeat solummodo, commodioris, aut decentioris vsus gratia, *posuerint discipuli super eum vestimenta sua*. Et quid est in Scripturis vestimentum? Audi, & obstupesce de thesauris diuinæ sapientiæ inexhaustis. Isaiæ 49. *leua in circuitu oculos tuos: omnes isti congregati sunt*; (ecce de Ecclesia, quæ congregatio dicitur) *venerunt tibi; viuo ego dicit Dominus; quia omnibus his, velut ornamento vestieris*: & quia Ecclesia sponsa Christi est; subdit; *& circumdabis tibi eos, quasi sponsa*. Ex Angelico G Gregorius dicit 32. Moralium, quòd *vestimenta Christi facta sunt splendentia; quia in supremæ claritatis culmine sancti omnes, ei luce iustitiæ fulgentes adhærebunt*: vestium enim nomine, iustos, quos sibi adiunget significat; secundum illud Isaiæ 49. *his omnibus*; &c. Similitudinis autem rationem accipe: omnes boni H speciosi sunt ex participatione diuinæ Essentiæ Sapientiæ & Iustitiæ: & sicut homo ornatur ex specioso vestimento, ita omnis decor sanctorum redundat in ornatum Dei, in quantùm ex hoc Dei bonitas commendatur, per modum quo dicitur Isaiæ 49. *his omnibus*; &c. Et quoniam ascensionis Christi, & nostræ hoc emicat discrimen, quia I Christus sua virtute; Sancti verò ascendunt attracti à Christo; Cant. 1. *trahe me post te*: vide lector quomodo quasi id epingatur; dum super pullum; immo super vtrumque, asinam quoque, *super eos* inquit Matthæus, *imposuerunt vestimenta sua*, quod exposuimus de assumpta humanitate. Et adhærētiam, vt supra ex Gregorio, Sanctorum Christo profundè significarunt: *ei* inquit *adhærebunt*. Legitur autem Michææ 2. *ascendit iter pandens ante eos*; in quantum L per suam ascensionem nos quasi in possessionem Regni cœlestis introduxit: & per hoc quòd Christus humanam naturam assumptam in Cœlo collocauit, M dedit nobis spem illuc perueniendi; Ioan. 14. *si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum*. Et ecce hoc satis colligi posse ex Luca, qui ait; *præcedebat ascendens Ierosolymam*. Iam recole *Ierusalem* esse *visionem pacis*: vnde intelligitur cœleste Regnum; vbi *sedebit populus*, Isaiæ 33. *in pulchritudine pacis*. Ideo & in ps. 8. sequitur, *quoniam videbo Cœlos tuos*, &c. postquam dictum est, *eleuata est magnificentia tua super Cœlos*.

G 3. p. 45. 2. 3. & ps. 44. lit. f.
H Iob 40. l. 1.
I opusc. 6. §. 9.
L 3. p. 49. 5. 4.
M 3. p. 57. 1. 3.

VERS. VIII. *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via*.

28. Gregorius Nazianzenus orat. *in S. Lumina* inquit, *simul & nos descendamus, vt cum ipso pariter ascendamus*. Quare non videtur incongruum, vt strata in via vestimenta, humiliationis sint index: pro-

prosterni etenim in Scripturis propterea toties dicuntur & preces & homines. Sed tamen quia corpus nostrum animæ comparatur vt vestimentum; 2. Corinth. 5. *ingemiscimus grauati; eoquòd nolumus expoliari, sed superuestiri; vt absorbeatur quod*
N 2.Cor. 5.1.1. *mortale est à vita*, quod de mortali corpore N exponitur; non fuerit absonum; si strata intelligantur turbæ plurimæ corpora: *in via* autem quoniam mori est viatorum: & ita assumendi significantur homines in Cœlum cum Christo, nedum secundum animam, sed & cum corporibus; vnde ait Apostolus ad Ephes. 2. nedum *consedere fecit*; sed *conresuscitauit*. Ex eodem autem ad Corinth. 1. capit. 15. *quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur*. Dic præterea, quia ex eodem Apostolo, *nouissimè autem inimica destruetur mors*, quod probat; quia, *omnia subiecit sub pedibus eius*; psal. 8. dic inquam, ad hoc innuendum, strata *sub pedibus* eius transeuntis poni vestimenta; sub pedibus, idest sub O Christi humanitate. Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput vero suprema. P Licèt autem in Christo Diuinitas & humanitas non habeant rationem partis, tamen Diuinitas quæ est Supremum in Christo, intelligitur per Caput: 1. Corinth. 11. *Caput verò Christi Deus*; humanitas verò quæ infima est, intelligitur per pedes; psal. 131. *adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*. Cùm ergo supra viderimus in hisce iumentis typum humanitatis, non est mirum, si mortalia corpora pro morte eis subijciantur. Nec violenti videamur interpretes; quoniam quam sententiam fert Apostolus de morte ipsi etiam subijcienda, *omnia subiecit pedibus eius*, accipit ex psal. 8. in qua palam de ipsius ascensione; *Domine Dominus noster; quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! quoniam eleuata est magnificentia tua super Cœlos*: ex quo, & ipse Dominus hic memorat authoritatem dicens; *nunquam legistis; quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?*

O 1.Cor. 15.1.4.

P Ephes. 1.1.8. & alibi.

VERS. VIII. *Alij verò cædebant ramos de arboribus.*

29. Contextu hoc videtur exponi præcedens, de vestimentis quæ *strauerunt*; quandoquidem ad comminandum mortem, succidendas aut excidendas legimus arbores. Suprà cap. 7. *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur*; Lucæ 13. *succide ergo illam*, de arbore fici. Quamuis autem, quia vt dicitur Hebræor. 9. *statutum est hominibus semel mori*, sic indefinitè rami arborum dicantur cædi: nihilominus attenta loci circumstantia, nempe Montis olíueti, fuerunt oliuarum rami. Claret ex Ecclesiæ ritu: nisi fortè aliqui etiam aliarum arborum essent. Ratio autem potest concipi ex harmoniæ euangelicæ cohærentia. Siquidem de ascensuris cum Christo ceu membris cum Capite, videmus arcanum fieri sermonem. Hi qui erunt? Non de arboribus cunctis, sed de oliuis. Dic primò quia implorant salutem; quam oleo adscribit Scriptura; Isaiæ 1. *à planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas; &c. non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*. Lucæ 10. *infundens vinum & oleum semiuiuo*. Bernardus; *oleum effusum est*; Cantic. 1. *gaudeant ægrotantes*. Per vnctionem autem secundum illud 1. Ioann. 2. *vnctio docet vos*
Q a. 2. 45. 5. *de omnibus*, Q intelligitur gratia gratum faciens: ex qua, scis lector, ius esse in homine ad Cœlum. Opportunè autem, quia mox edocti deprehenduntur clamantes *hosanna*: itemque ab vnctione Christi inuisibili psal. 44. *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*, nos dici Christianos. Christicolæ itaque Dei gratia perfusi, rami oliuarum per mortem cæsi, strati pedibus eius, hoc est sacro-sanctæ ipsius humanitati, prout diximus, cum Christo tandem Cœlum ascendent, siue *cælestem Ierusalem*, cum gloria. Inde audis; *hosanna in altissimis*, & *gloria in excelsis*, vt ait Lucas. 1. Corinth. 15. *seminatur in corruptione; surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate; surget in gloria: seminatur in infirmitate; surget in virtute; seminatur corpus animale; surget corpus spiritale*. Et quia dos erit corporis multiplex; subtilitas, claritas, impassibilitas R agilitas; hæ quidem aliquo pacto ex oleo agnosci possunt. Seruat oleum ab incorruptione, reddens veluti impassibilia, quæ sub ipso mersa sunt: agilitatem ostendit supernatans alijs liquoribus: claritas videtur ei propria, lucernas fouens: subtilitas, vel vnde assumptum est subtilitatis nomen (à virtute scilicet S penetrandi) ei quoque non deest; vt patet, exterius adhibitis vnctionibus, quæ prosint interius: cuius vis etiam in inanimatis, ad penetrandos & lapides & ligna experientia cernitur. Et quia 1. Corinth. 15. *omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur* T ad dotes corporum gloriosorum: ideo crediderim, ramos fuisse de oliuis. Et quoniam Ezechielis 34. legimus: *ibi requiescent in herbis virentibus*: quod respondet fundamento primo Cœlestis Ierusalem, nempe iaspidi, qui V semper virorem habet; æternitatem significans immarcescibilem: nihil prohibet; si dicas hoc etiam perenni oliuarum viriditate notari.

R 4.Sent. 44.q.2. & d.49 q.4. a. 5. & Apoc. 21.

S 4. citat. 44. q. 2. a. 2. c.

T 1.Cor. 15.1.8.

V Apoc. 21. com. 2.

30. Denique ne commenti videamur, vestimentorum nostri corporis ex textibus immortalem incorruptionem, adest figurata quoque locutio Deuteronomij 8. *vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit*; & cap. 29. *non sunt attrita vestimenta vestra*. Quocirca Tertullianus; *hæ nostræ figuræ fuerunt; vt Deum omni corporum lege potentiorem credamus; & carnis magis reparatorem, vtpote qui vestimenta protexit*. Quoniam verò ad Christi resurrectionem surrexisse multos, fortè ad vitam immortalem Christo chariores; (quod ad illud Matthæi 27. definiendum sustine; *multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt*) ideo discipuli hic *imposuerunt vestimenta sua super eos*, scilicet asinam & pullum, sumptos in humanitatem: ante alios cum Christo & anima & corpore, quod animæ est indumentum, glorificati. Quod dico in documentum; non quasi discipuli personaliter hoc assequuti sint. Et vide ad roboranda quæ edisseruimus de vestimentis, qualiter, etsi Lucas id historicè denarret, nihil tamen adijcit de excisis ramis; quia ipsius non erat scopus, aut de resurrectione sicuti Marcus, aut de Ecclesia consummatiuè triumphante sicuti Matthæus intendunt, pertractare. Quæ certè est profunda radix, ex qua innotescat, cur Lucas, qui alias est vberior, de ramis arborum omiserit referre. Vnctio ergo, *quæ docet de omnibus*; scilicet quæ sunt X de necessitate salutis, vt exponit Angelicus; credenda est, fuisse in causa, cur scierunt clamare, *hosanna* i. *eia salua*, salutem & animæ & corporis deprecantes; quia vt in psalm. *Domini est salus*, ps. 3. & in alijs sæpè.

X 2.2. q. 8. a. 4. 1. & q 47. a. 14. ad 1.

VERS. X. *Et cum intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa Ciuitas dicens, quis est hic?*

31. Sub Syntaxis initium Angelos hinc posuimus admiratores. Nunc adsuentes contextibus, dicendum nobis videtur, Vniuersi commotionem futuram indicari post eius ascensum: nam & in psal. 96. *illuxerunt fulgura eius Orbi terræ; vidit & commota est terra*: quod ad Apostolorum prædicationem refert Augustinus. Sed hanc Vniuersi commotionem, reluctantia potius expressam recolit satis Eusebius de præparatione euangelica capit. 2. libri 1. *de ijs quæ solent obijci à Gentibus & Iudæis*. Inquit ergo: *quæreret enim quispiam profectò, quodnam genus hominum simus? Non enim inquiunt Gentilium*

comprobatis Religionem; non Iudæorum vos moribus viuere videmus. Quid igitur hoc monstri est? aut quænam est hæc noua viuendi ratio? Quare his consectarium fuerit, non solùm de Christo Domino, sed de ipsomet suis in membris, præsens intelligatur inquisitio; *quis est hic?* Et ita etiam hæc vniuersa Ciuitas, Babylonis sit mystica Ciuitas, è diametro Cœlesti Ierusalem opposita: ad literæ enim superficiem planior est huiusmodi velut propheticus sensus, vt non obstante vniuersæ Ciuitatis commotione, populi dicerent; *hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Cæcorum duorum typo cap. præcedenti duos accepimus consentientes in vnum populos: nunc hi implorant salutem, *Iesumque* nominant: psal. *Dominus illuminatio mea, & salus mea.*

A psal. 2. Populus, vt recolit Angelicus A est multitudo hominum iuris consensu sociata: & ideo Iudæi dicebantur Populus, quia cum lege, & sub lege Dei: alij dicebantur Gentes, quia non sub lege Dei. Sed vt docet Diuus Petrus in prima cap. 2. ex Osee 2. vti & Apostolus Roman. 9. *qui aliquando non Populus, nunc autem Populus Dei.* Populi ergo hi occursuri erant nondum credentium quæsito; *hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Sic etiam Petrus Act. 10. exorsus de Christo catechesin dixit *Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Spiritu-Sancto & virtute:* Populi autem hic addunt *à Galilæa*, quamuis minùs necessarium esset ad literam; velim, ad innuendam ipsius è terris ad Cœlos transmigrationem; sicuti & Actor. 1. eo ascendente *ecce duo viri astiterunt in vestibus albis; qui & dixerunt; viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cœlum?* &c. Fauet autem psalm. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra; quoniam eleuata est magnificentia tua super Cœlos.* Fauent huic admiratiuæ interrogationi alio ex capite, Litaniæ sacræ; *per admirabilem ascensionem tuam.* Quando vt ait Chrysostomus Serm. de Ascensione, *Christus ascendens in Cœlum nostræ naturæ primitias obtulit Patri; & oblatum donum miratus est Pater;* &c. *illa natura est quæ audiuit terra es, & in terram ibis.* Abstinuere autem cæteri Euangelistæ ab his; quoniam Ecclesiæ dilatationem toto Orbe futuram, non erat Instituti ipsorum ex professo animaduertere; sed Matthæi, qui generationem Iesu Christi, in membris quoque suis susceperat contexendam.

VERS. XII. *Et intrauit Iesus in Templum Dei.*

32. Psalmus adstipulatur decimus; vt hoc etiam ad confirmanda quæ diximus, de mystico eius ingressu in Ierusalem, adiectum sit. *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in Cœlo sedes eius.* Ille etiam psalmus est Festi Ascensionis. Marci 16. *& Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris Dei.* Hebr. 9. *introiuit semel in Sancta;* præmittit *per proprium sanguinem:* opportunè quia & hic proximè moriturus. Quamuis autem sufficienter ascensio eius in Cœlum sub figura Ierosolymæ innotuisset; expediens fuit iteratò sub Templi metaphora ingredi Cœlum: vt quemadmodum Caput nostrum, & in militante & in triumphante Ecclesia dignoscebatur; ita etiam in eadem triumphante, nedum hominum, sed & Angelorum Caput haberetur. Christus quippe secundùm quasdam communes rationes, Caput est etiam Angelorum; Coloss. 2. *qui est Caput omnis Principatus & Potestatis:* B quantùm scilicet ad præeminentiam; & quoad diffusionem virtutum: licèt non quoad conformitatem in natura. Christus præest Angelis etiam secundùm humanitatem; *tantò melior Angelis effectus,* Hebr. 1. *quantò præ illis differentius nomen hæreditauit.*

B Ephes. 1. l. 8.

Item eos illuminat, & in eos influit, vt Dionysius probat ex verbis Isaiæ 63. *quis est iste, qui venit de Edon?* dicens hæc verba esse supremorum Angelorum: quod autem sequitur: *ego qui loquor iustitiam,* dicit esse verba Christi eis immediatè respondentis. Ex quo datur intelligi; quòd non solùm inferiores, sed & superiores Angelos Christus illuminat. Et ita Apostolus: *ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam.* Et hoc meritò, quia ad vnum finem, qui est gloria diuinæ fruitionis, ordinantur & homines & Angeli. C Vnde corpus Ecclesiæ mysticum non solùm consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. C 1. p. 8. 4.

Et ecce in litera consensum: nam in Templo perhibentur pueri clamasse, *hosanna filio Dauid.* Ad rem nostram per pueros istos intelligi oportet Angelos cum pueris agentes; Zachariæ 2. *Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius; & dixit ad eum; curre; loquere ad puerum istum;* &c. Et fortè dicuntur Angeli, pueri, quia *Ieled* hebraicè *puer, & filius;* Iob autem 38. dicuntur Angeli filij Dei; *cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei;* vt ibi Angelicus D. *Nangar* etiam *puer* dicitur, qui scilicet nouit discernere bonum à malo. Et D Iob 38. l. 1.

præterea *nangar* significat *puerum, iuuenem.* Et quia puerorum est ministrare maioribus, hinc ministri in hebraismo sæpè vocantur pueri; 2. Regum 2. *surgant pueri, & ludant;* Hebræor. autem 1. *omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quare cùm de salute vocibus inclament *hosanna*, tanquam Dei ministros, pueros hic dicito Angelos, & ipsos de triumphantis corpore Ecclesiæ. In psalmo autem dicentur infantes & lactentes; dum infans nescit discutere bonum à malo, quod inquiunt ad discrimen pueri; quoniam, quæ cognoscunt Angeli, E sine discursu apprehendunt instar infantium. Et E p. p. 58. 3.

quia in Soliloquijs cap. 27. ait Augustinus; *diligunt Angeli conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant;* non est mirum, si clamare perhibeantur; *hosanna filio Dauid,* pro nostra exorando salute. Quoniam autem in Iob dicitur, *cum me laudarent astra matutina; & iubilarent omnes filij Dei;* & iubilatio F excellentiam quandam laudis importat: & Dominus introducit de laude perfecta, *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem;* dicendum est conclamasse & conclamare *hosanna*, etiam per modum altissimæ laudis. Et ita claudamus ex psal. 146. *Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio: ædificans Ierusalem Dominus* &c. *Ierusalem*, inquit Augustinus *æternam, vbi ciues etiam Angeli sunt;* & vbi *dispersiones Israelis congregabit, sanando contritos corde:* in quorum figuram, sanat hic, crediderim, cæcos & claudos, *qui accesserunt ad eum;* cæcos ex parte intellectus obtenebrati ex peccato; claudos ex inconstantia voluntatis in bono; 3. Regum cap. 18. *vsquequo claudicatis in duas partes?* vt sic ex hominibus & Angelis constare intelligatur Ecclesia, *quam Dominus*, vt dicitur Act. 20. dum properat ad mortem, *acquisiuit sanguine suo*, Probare videtur Missæ præfatio quod contendimus, non semel sed bis intonans *hosanna;* præmisso de Sanctis spiritibus, *cum quibus & nostras voces, vt admitti iubeas, deprecamur:* Sequiturque *hosanna in excelsis* pro Angelis, sicut hæc pueri; iterumque *benedictus qui venit in nomine Domini; hosanna in excelsis;* sicut hic turbæ. Verùm quod pergit referre Sanctus Euangelista sit nobis in documentum; *abit* enim *in Bethaniam*, quæ domus est *obedientiæ:* vt qua via mysticè cœlestis possit peti Ierusalem, ostendat; per obedientiam scilicet mandatorum: iuxta illud supra capit. 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* & addit

F Iob 38. l. 1.

ibique

ibique mansit; reor ad indicium perseuerantiæ; infra cap. 24. *qui autem perseuerauerit vsque ad finem; hic saluus erit*: Non satis ergo est clamare *Hosanna*. Quod adeo cohærens fit turbarum vocibus; quæ *clamabant dicentes hosanna*, vt mutuatum videatur ex psal. 118. *clamaui ad te saluum me fac; vt custodiam mandata tua*. Et iterum; *fiat manus tua vt saluet me; quoniam mandata tua elegi*.

33. Cæterum, vt anagogico sensu hæc percurrimus; ita allegorico restant enucleanda. Mirum est enim, quare Matthæus Marcus & Lucas, hanc secundam de templo eiectionem conscripserint relicta, prima, quæ à Ioanne cap. 2. narratur: bis enim hoc fecit Dominus, vt animaduertunt cum Augustino, *de consensu Euangelistarum*. Scio, vt recolit Angelicus G à primo anno, quo baptizatus est Dominus, cœpisse Ioannem, quæ cæteri reliquerant aggressum. [G Ioan. 2.1.2.] Verùm & hoc ardua inuoluit, cur tempora sic sint ad inuicem partiti: quod quidem non tam exactè resoluitur, nisi Syntaxis & Harmoniæ nostræ secretioris causa prodatur. Interim communi adhuc laudata interpretatione, vt hic secunda vice potestatem suam exerceat in Dei obsequium; remanent duo nihilominus exquirenda; nimirum, quare non item secundo anno sic Templum purificarit, sine dubio negociationibus fœdatum, medio eo etiam Paschate. Euocamur ergo ad scrutandam temporis opportunitatem filo Syntaxis. Itaque, postquam primitiuæ Ecclesiæ beata lineauit Matthæus initia; prout etiam dictum est præcedenti capite; postquam etiam ascendisse prælibatur in Cœlum; sicque olfactum habemus Ecclesiæ procursum; quid de Synagoga & de Templo, hoc est de Templi ritibus futurum esset oportuit euangelico stylo exarari: quandoquidem (mirabilis ad rem doctrina!) Ecclesia nostra successit H in locum & Templi & Synagogæ. [H p. 2. 102.4.1.] Sed mox recoles ad hæc diuersas Patrum sententias. Hieronymus enim sensit ante Christi passionem, legales ritus, neque fuisse mortuos, quasi non habentes vim obligatoriam aut expiatiuam pro suo modo; neque mortiferos; quia non peccabant legalia obseruantes: statim autem post passionem Christi, inceperunt esse non solùm mortua, sed etiam mortifera; ita scilicet, quòd peccabant mortaliter, qui ea obseruabant. Augustinus magis etiam legalibus fauet; vt mortifera non fuerint, nisi post euangelij diuulgationem, quamuis mortua euasissent illicò ac passus est Dominus. Ita ex Angelico I. [I p. 2. 103.4.1.] Subijcies, deinde ex his; cur ergo ante passionem, sic est Dominus indignatus in Templi ritus?

34. Respondeo in primis, pro comperto mihi esse, hanc fecisse Dominum de Templo eiectionem ad præsignandam rituum omnium antiquæ legis abolitionem. Attigit cogitationem meam Origenes, dicens; *arbitror exemplum ipsum statuisse per prædicta secretius; scilicet dissoluenda & dispergenda esse, quæ secundùm legis Scripturam videbantur honesta, translato Regno ad eos, qui ex Gentibus crediderunt*. Hoc itaque sentio & ego; nisi quod Origenes scribit hæc ad expulsionem primam Ioan. 2. quam minime crediderim hoc intuitu secutam; sed ad cohibendam ministrorum auaritiam, atque ad cultum Dei puriorem propagandum. Vnde & ibi fert Ioannes factam ex zelo; *zelus domus tuæ comedit me*: & vt ipse Origenes notat, apud Matthæum vendentes & ementes expulit: apud Ioannem verò nihil de ementibus. Cessaturos igitur legales ritus, congruentius indicat hæc non illa Ioannis de Templo eiectio. Quid enim reatus erat in ementibus? [L 2.2.78.4.] cum definiat Angelicus L à parato, quem nullo modo induxerim, me posse recipere licitè, vbi legitima subsit causa, ad vsuram. Vendentes proinde duplici titulo expellit, & auaritiæ sacrilegæ, & ad legis signandam extinctionem; ementes verò solummodo eijcit quasi consummata legali obseruantia. Non, quod illa tunc illicerent; sed factum præsagiebat mirabiliter, seu præmonstrabat futura. Et nedum futura statim post peractam passionem; sic enim tolerasset ementes; quoniam Augustinus voluit tunc non esse adhuc legalia mortifera; sed futura post tempus diuulgationis Euangelij; tunc enim futurum erat, forent mortifera. Cuius quidem asserti in probationem extat, quod supra scriptum est; nempe *commotam esse vniuersam Ciuitatem dicentem, quis est hic? Populi autem dicebant, hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ*. Quod rogo specimen clarius esse aut excogitari potest diuulgationis? Euulgato sic Euangelio, pessum ierunt omnia legalia; quia veteris legis cæremoniæ prærordinatæ fuerant M cessare, iuxta quod dicitur Hebræor. 8. *nouum Testamentum veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est*. [M p. 2. 103.3.]

Constat autem non semper duratura fuisse legalia, quæ Christum nasciturum passurum resurrecturum personabant, quando annunciatur N quòd natus sit, passus sit & resurrexerit, quod personant Ecclesiæ Sacramenta, vt ait Augustinus contra Faustum. 35. [N ibi 2.4.] Et iterum expressiori de causa, quoniam esset ille cultus, nunc mendax & perniciosus. Ita Angelicus, O est, inquit, mendacium, cùm aliquis exteriùs significat contrarium veritati. [O 2.2.93.1.] Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto. Et ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur; erit cultus perniciosus: & ideo tempore nouæ legis, peractis iam Christi mysterijs, perniciosum est, vti cæremonijs veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura: sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum esse passurum. Nihilominus huiusmodi rationabilibus causis præuidit diuina sapientia, ministrorum quoque demerita accessura; cupiditatem præsertim omnium radicem malorum. Malachiæ 1. vbi palam prænunciatur ritus veteris refutatio; *munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum*. Præmittitur autem extrinsecùs accessoria causa; *quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum*. Ecce quomodo admirabiliter eiusdem arguuntur sceleris, ac in præsenti. Sic Sanctus Leo Papa Serm. 8. de passione, scissum velum Templi (in signum P cessationis legalium) in ipsorum refert vnà malitiam dicens; [P p. 2. 103.3.2.] *quoniam scisso Templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt; vt figura in veritatem; prophetia in manifestationem, & lex in Euangeliu verteretur*. Ecce quare percitus iustè Dominus ita eijcit omnes: tum ob actuale facinus ministrorum ad literam: tum allegoricè futura prospiciens ob ritus, non nisi mortiferè obseruandi deinceps, euacuationem. Et quia, quod nunc historialiter factum est, executioni dandum erat in posterum sub Ecclesia, per cultum nouæ legis, exploso veteri; imperfecto id exprimit Matthæus tempore dicens *eijciebat*, quasi non tunc terminata eiectione; vt supra vi verbi non perfecti præteriti, dictum est; Marcus verò & Lucas cœpisse admonent, quasi non compleuisse, *cœpit eijcere vendentes & ementes*. Hodie adhuc eijcit iudaicos ritus, condemnans mendaces protestationes rei futuræ, quæ iam consummata est.

VERS. XVIII. *Mane autem reuertens in Ciuitatem esuriit*, &c.

Sequitur de maledicta ficulnea, *quæ continuò arefacta* 36.

facta est. Abdicatis Templi legalis ritibus, debuit etiam Synagogæ exclusio consignificari; quia vt diximus, successit Ecclesia in locum Templi & Synagogæ. Quantùm ad ea quæ pertinebant ad spiritualem cultum Dei, qui consistit in doctrina legis & Prophetarum; erant in veteri lege diuersa loca deputata, in quibus conueniebant ad laudem Dei, quæ dicebantur Synagogæ: sicut & nunc dicuntur Ecclesiæ, in quibus Populus Christianus ad laudem Dei congregatur. Hæc typo ficulneæ adumbratur. Ita Beatus magnus Albertus; *quamuis sit ficus sine culpa, quia quando non est tempus fructum non habet: tamen Synagoga est per culpam, quòd culpa sua tempus fructificationis neglexit*. Marcus id notat; *non enim erat tempus ficorum*. Nota genuinam esse interpretationem; quia Lucas, qui expressit de Ierusalem *eoquod non cognouisti tempus visitationis tuæ*, nihil voluit dicere de ficulnea. Dic bifariam non esse tempus; nam præteritum non est; & futurum non est. Non potest maledictio Domini ferri, eoquòd tempus non sit, quia nondum venit, quoniam immo hoc expectat tempus, vt patet in ipso capite infra de locata vinea; *cum autem tempus fructuum appropinquasset*; & postea; *qui reddant ei fructum temporibus suis*; & in psal. 1. *quod fructum suum dabit in tempore suo*. Vnde intelligatur necesse est, indoluisse, quia tempus moraliter & mysticè non esset; quòd præteriisset, sine primitijs vllis vel tempestiuis. Michææ 7. *præcoquas ficus desiderauit anima mea*. Constat autem describi tempus elapsum, quia inuenit folia tantùm. Proferunt ficulneæ ficus immo ante folia: sed non sic mendax arbor. Nisi subesset allegoria; Martij mense, vix folia emissa sunt. Quod quidem tantam ingerit difficultatem,
Q D.Th. hic. vt dicat Angelicus; Q aliquando Scriptura aliquid ponit; non quòd ita sit, sed propter aliquem effectum: vnde non venit, vt quæreret; quamuis legamus in Marco; *venit, si quid fortè inueniret in ea*: (in ficu) sed ad suspicionem discipulorum. Porrò nos referimus id mysticè in Synagogam.

37. Pro cuius maiori intelligentia, accipienda est fici proprietas, quæ præ cæteris alijs lignis dulcedine pollet. Hinc Iudicum 9. *respondit; nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos?* Exinde in typum Synagogæ meritò assumitur. Et quare? Audi Apostolum Roman. 3. & obstupesce. *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas circumcisionis? multùm per omnem modum: primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*. De his eloquijs ait Psaltes; psal. 118. *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo*. Et quæ sunt isthæc eloquia? Roman. 9. *quorum est testamentum, & legislatio & promissa. Finis legis*, ait idem Apostolus Roman. 10. *Christus est. Lex*, inquit Augustinus Serm. 20. de Sanctis, *Christo grauida erat*. Christus autem fructui ficulneæ comparari potest, ob sui miram dulcedinem & suauitatem; psalm. 24. *dulcis & rectus Dominus*: 1. Petri 2. *si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*: item *suauis* passim decantatur. Semetipsum ergo esuriebat Dominus in Synagogæ cognitione, tot diuinis eloquijs fœcundatæ; sic vt debuisset formari in ea Christus; non secus ac dicat Apostolus ad Galat. 4. *donec formetur Christus in vobis*. Idem Augustinus tract. 45. in Ioannem; *ecce ipsi Pharisæi legebant; & in eo quod legebant Christum sonabant, venturum sperabant; & præsentem non agnoscebant*. Et ita dici potest cum eodem Serm. 20. de Sanctis ex psalm. 57. *errauerunt* Iudæi *ab vtero seu à lege, quæ Christo grauida erat; locuti sunt falsa*. Dicamus vlterius, arborem ficum, (eloquia Domini dulcia) iam effœtam esse; proinde, cùm expectari secundus nequeat partus, arefacta est ficulnea. Inquit Ambrosius lib. 2. in cap. 2. Lucæ; *verbis legis promittebatur Virginis partus*. Dicit hoc Angelicus; R Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. Sed addiderim pro Syntaxi; vt sicut imprecationes in Sacra Scriptura; puta psal. 6. *erubescant & conturbentur omnes inimici mei; conuertantur, & erubescant valde velociter*: psal. 9. *conuertantur peccatores in infernum*, S dicuntur per modum prænunciationis; ita & hic Dominus prænunciarit quod erat futurum. Lex enim, & legis eloquia; quantumcunque per *voces Prophetarum quæ per omne sabbatum* (Actor. 13.) *leguntur: & vsque in hodiernum diem, cum* (2. Corinth. 3.) *legitur Moyses* recolatur Christus; tamen in Christo euacuantur. Quod ibi videtur dicere Apostolus 2. ad Corinth. 3. de veteri Testamento. Angelicus hic hanc arefactionem exponit, T quia legalia aruerunt. Nos eorum cessationem adnotauimus, cum *capit eijcere vendentes & ementes de Templo*. Veruntamen, simul consecuta sunt & finis legalium; & oraculorum cessatio; *omnes enim Prophetæ & lex* (supra cap. 11.) *vsque ad Ioannem prophetauerunt*. Qua de causa Marcus priùs narrat de ficulnea, deinde vendentes & ementes eiectos de Templo; quod primo Matthæus posuit; quia mysticè & allegoricè nihil interest; quoniam reciprocè se se inferunt; & hysterologia liberè potest hoc aut illud præponere. Cùm in Cruce dixit Dominus; *consummatum est*: iuxta quod prædixerat Lucæ 18. *consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis*; tunc etiam *velum Templi scissum est* quod *in vno Iudææ Templo* (ait Leo Papa Serm. 8. de Passione) *obumbratis significationibus tegebatur, aperto Sacramento, vniuersarum nationum deuotio celebraret*; & tunc etiam arefacta est ficulnea; quia mox secundùm Hieronymum, & mortua V & mortifera fuerunt legalia, vel saltem mortua, si nondum mortifera secundùm Augustinum.

R 1.2. q. 76. 2.

S 1.2. q. 25.6.1. & q.83.1.1.

T D.Th. hic.

V p. 2. 103. 4. ad 1.

38. Quis autem Euangelistarum an Matthæus an Marcus ordinem historiæ seruauerit non omnino primo intuitu claret. Crediderim Marcum; quoniam bis narrat introisse Dominum in Templum, *& alia die* cum exirent à Bethania, maledixisse ficulneæ, & eiecisse de Templo. Matthæus narrat eiecisse de Templo per anticipationem: fortè quia mysticè vt exposuimus ingressus in Ierusalem & in Templum gloriæ, per Ascensionem in Cœlum, idem sunt. Quod factum est ergo secunda die, ipse Matthæus ideo primæ adnectit. Quo veluti per parenthesin interiecto, ad ordinem historiæ reuertitur, cum Marco dicens secessisse in Bethaniam. Si Matthæus diceret, hac ipsa die, qua ingressus est super asellum Ierosolymam; *eiecit vendentes & ementes*, videretur contrarius Marco, quod absit suspicari: sed nihil aliud dicit; nisi *& intrauit Iesus in Templum*: quod verissimum est. Altissimus est euangelicus stylus. Et cum tot aliàs testimonijs sint Sancta Dei Euangelia sub Canone, tanquam Spiritus-Sancti calamo exarata; nefas est, vel mentis excursu concipere, in eis mendacium: & cùm tot alia veraci scripserint dictato, sublimiora; quis prudens queat opinari, in planioribus errore lapsos? cuiusmodi est duorum prodigiorum patentium series, quam vel bibulcus posset memoria tenere; nimirum an cras vel hodie, eorum alterum factum sit: an hodie eiecerit vel postridie vendentes & ementes de Templo: an hodie vel sequenti die ficulneæ ad sensum arefactæ maledixerit. Sed diuini Euangelistæ, quod humiliter venamur firmumque credimus, non tam historiam texuere, quàm nunciorum felicium secretam subtexunt ordinationem: quam si ignoremus, dissuta videtur esse palam oratio, minorque ipsorum in gestis enarrandi concordia. Sic etiam, quod obiter dictum

dictum sit, toties antilogia videtur esse in Scriptura, quæ re ipsa non est: sed ideo videtur emergere, quoniam sic rerum ratio exposcit. Cùm enim diuersis consentur conceptibus, variè veluti dispescuntur: Leo, exempli gratia, quia fortis, Christus dicitur; Leo in quantum sæuus, Christus non est. Multiplex etiam respectus, dissonantiæ sic visæ sæpe est in causa. Sic Deo attribuitur clementia & furor: clemens clamantibus ad eum, furens durioribus. Quæ quidem Sacræ Scripturæ magnam conciliant venerationem: cùm superbos inde arceat ieiunosque abijciat; humiles introducat & impleat; eoquòd sit liber signatus, scriptus vtique foris, sed etiam intus; vt in Apocalypsi fas est audire.

VERS. XX. *Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes, quomodo continuò aruit!*

39. Si naturam spectemus, mirandum specialiter fuit, quia vt considerat Chrysostomus, ficus est planta humidissima. Porrò si continuetur Syntaxis, pressiùs videndum nobis est, quorsum admiratio feratur. Neque enim admirationem inuehit, non vltra expectandum esse legis fructum, quoniam, *consummata sunt omnia*, vt nuper dictum est Lucæ 18. *quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. Vnde Hebr. 9. *Neque vt sæpe offerat semetipsum*; &c. *alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi. Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*. Notorium ergo admirationi non extitit. Sed aliud de quo exclamat admirabundus Apostolus Roman. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Præmiserat autem de casu & cæcitate Iudæorum, deque ipsorum incredulitate. Quam quidem concernit ficulnea, illorum typo, diuinorum eloquiorum dulcedine prædonata: quando *non fecit taliter omni nationi*, psal. 147. Deuteronomij 4. *quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias iustaque iudicia, & vniuersam legem, quam ego*, ait Moyses, *proponam hodie ante oculos vestros?*

VERS. XX. *Amen dico vobis*; &c. *non solùm de ficulnea facietis; sed & si monti huic dixeritis; tolle, & iacta te in mare, fiet*.

40. Iam tangit Dominus arefactionis causam, nempe incredulitatem iudaicam aliquorum. Simile quid de monte dixit supra cap. 17. notans discipulos de aliquali incredulitate; seu defectu fiduciæ, aut etiam pro defectu cuiusdam excellentiæ fidei, X quæ dicitur ad Galat. 5. cum alijs esse fructus spiritus. Quare per locum à contrario Iudæos coarguit de infidelitate: Ioan. 5. *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Horum incredulitatem Apostolus ibidem Rom. 11. exprimit in quantum aliqui rami de *oliua fracti sunt*: certè rami fracti arescunt: & ecce simile quid arefactæ ficulneæ. Sed subdit Apostolus; *sed & illi si non permanserint in incredulitate inserentur; potens est enim Deus iterum inserere illos*. Vide lector, quomodo videtur Apostolus exponere quod hic ait Dominus; *si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis*. Et quid facient? Reliquit intelligendum ab Apostolo: vt iterum ficulnea arefacta reuirescat: sicut virorem iterum non desperat Apostolus de ramis fractis. Vnde cùm ibidem insertos esse gentiles animaduertat; *tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis: non tu radicem portas, sed radix te*: debemus, & hic cohærenter suaderi, vt Dominus sub montis iactandi in mare metaphora, Gentium fidem commonstret. Hinc arridet Augustini interpretatio; *ipse Dominus, qui mons appellatus est, à Iudæis in Gentes, tanquam in mare iacitur*: & Hieronymi pariter; *Christus igitur, qui est mons, crescens de lapide abscisso sine manibus, tollitur & mittitur in mare. quando Apostoli dicunt dignè, transferamur ad Gentes alteras; quia vos indignos iudicastis, audientes verbum Dei*. Tangit Danielis cap. 2. & Actorum 13. Beda maris cohonestat similitudinem, considerans *turbulentas amarasque infidelium mentes*. Sic idem Augustinus in psal. 57. *nonne ipse est mons, qui creuit ex minimo lapide, & impleuit vniuersam faciem terræ?* Et in psal. 64. *Mare in figura dicitur sæculum hoc salsitate amarum, procellis turbulentum: vbi homines cupiditatibus peruersis & prauis, facti sunt velut pisces inuicem se deuorantes*. Et iam supra cap. 13. vt ipse recolit; *simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare*. Deinde Augustinus; *omnes impij & pagani, qui crediderunt, mare erant, salsis fluctibus steriles*. Et quidem psalmus textui præsenti consentit; dum ait; *præparans montes in virtute tua accinctus potentia, qui conturbas profundum maris; sonum fluctuum eius*: & mox; *turbabuntur Gentes*. Exponit Augustinus *montes*, idest, *magnos Prædicatores, humiles in se, excelsos in illo*. Quapropter velim nedum de Christo Domino, qui per Apostolos fide plenos charitateque feruentes, in hoc mare magnum inuectus est: *vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filijs Israel* dixit ipse de Saulo: immo iactatus; *Saule Saule, prius, cur me persequeris?* sed pro monte ipsosmet Apostolos, ceu Christi membra, consueta regula optauerim interpretari. Et ita si monti huic, idest mihi in vobis, qui dicti estis & in psalmo 64. montes, *dixeritis, tolle, & iacta te in mare; fiet; sed si habueritis fidem, & non hæsitaueritis*: Sanè Lucæ 17. dixerunt Apostoli Domino: *adauge nobis fidem*. Hac præobtenta per vos iactabor in mare; qui potens sum imperare ventis & mari. Non est inquit Angelicus A minoris potestatis, A 1. p. 41. 1. 2.
sed maioris, facere aliquid per alios, quam per se ipsum. Et ideo in hoc potestas diuina maximè in Christo monstrata est, quòd discipulis suis tantam virtutem contulit in docendo, vt Gentes, quæ nihil de Christo audierant, conuerterent ad fidem. Recole illud Isaiæ 65. cum Apostolo Roman. 10. *inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabant*. Non debet autem offendere pronunciandi modus quasi imperando; quia istud facit vis fidei; *tolle, & iacta te in mare*; nam & Iosue 10. legitur cum stare fecit Solem; *obediente Domino voci hominis*. Vis videre in suo membro principe iactatum in mare? audi Leonem Papam Serm. 1. de Sanctis Petro & Paulo: *ad hanc ergo Vrbem, tu beatissime Apostole Petre venire non metuis; & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato; syluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quàm cum supra mare gradereris, ingrederis*. Sic autem Dominus admirabiliori expectatione admirationem de Iudæis excisis compescit. Siquidem conuersio Gentium sic describitur ab Apostolo Rom. 11. *tu naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam*: non enim consueuit inquit Angelicus B ramus arboris malæ inseri in bonam arborem, sed potius è contra. Præparat autem Dominus corda discipulorum ad assequendum quod postea dicet Principibus Sacerdotum &c. *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: vtique consentaneum Matthæi scopo: *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Quid ergo de arefacta ficulnea mirantur? Ait Apostolus ibidem; *illorum delicto salus est Gentibus: amissio eorum reconciliatio est Mundi*: hoc est mirabilius.

B Rom. 11. l. 3.

VERS. XXIII. *In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem?*

41. Verba sunt Seniorum populi, & Principum Sacerdotum.

X 2. 2. p. 4. 5. 4.

ctum. Censeo autem requirere de prodigiosa eiectione, quam patrarat vendentium & ementium de Templo. Ipse autem non respondet incredulis, sed satis piè credentibus responsiuam doctrinam insinuat; quandoquidem erat actualiter in Templo docens. Scient fideles, quare amandauerim sacrificia ritusque de Templo, si recolant Baptistam. Augustinus Serm. 20. de Sanctis: *Ioannes figura fuit veteris Testamenti, & in se prætulit formam legis: & ideo prænunciauit Saluatorem, sicut lex gratiam præcucurrit.* Si Baptistæ auscultassent, didicissent: *ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccatum Mundi:* didicissent, quod ait Leo Papa Serm. 7. de passione *oportebat vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio; & vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo excluditur Sacramento.* Potuissent discere, dum Baptista ad ipsum Dominum remittebat pro tollendis peccatis, cæremonias legis non habere virtutem iustificandi. Ita expressa doctrina est; C quia expiatio à peccatis nunquam fieri potuit nisi per Christum. Hinc Hebræor. 10. *impossibile est sanguine taurorum aut hircorum auferri peccata.* Et hoc est quòd ad Galatas 4. vocat cæremonias legis *egena & infirma elementa:* infirma quidem; quia non poterant à peccato mundare: sed hæc infirmitas proueniebat, ex eo quòd erant *egena;* eo quòd non continebant in se gratiam. Et offerebantur pro peccatis sacrificia in veteri lege; non quia ipsa sacrificia à peccato emundarent; sed quia erant quædam protestationes fidei, quæ à peccato mundabat. Et hoc etiam ipsa lex innuit ex modo loquendi: dicitur enim Leuitici 4. & 5. quòd in oblatione hostiarum pro peccato, *orabit pro eo Sacerdos; & dimittetur ei;* quasi peccatum dimittendum non esset vi sacrificiorum, sed ex fide & deuotione offerentium. Fertque ad Hebræos, ex Isaiæ 1. *ne offeratis vltra sacrificium frustra.* Et Michææ 6. *nunquid placari potest Deus in millibus arietum; aut in millibus hircorum pinguium?* Recole mi lector quoties Dominus idcirco dixerit, *dimittuntur tibi peccata tua.* Et Matthæi 9. *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.* Vnde Lucæ 7. *cœperunt, qui simul accumbebant dicere intra se: quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* & Marci 2. *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Fortissimum argumentum in Arianos, de Christi Diuinitate. Igitur quid rogant de Christi potestate? & quid stupescunt, si sacrificia de Templo abstulerit, nedum vendentes, sed & ementes eijciens? subdit Apostolus ad Hebræos 10. *ideo ingrediens Mundum dicit; hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi; ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens; quia hostias & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi: quæ secundum legem offeruntur: tunc dixi ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. Aufert primum; vt sequens statuat.* Pergit autem dicere de oblatione & hostia corporis Iesu Christi semel oblata, pro peccatis; &c. Quàm opportunè, dum appropinquant Ierosolymis! vbi *Crux eius non Templi esset ara sed Mundi;* vt serm. 8. de passione dicit Leo Papa cuius sacrificium, per sanguinis effusionem præfigurabat Sacerdotium legale, sicuti & Sacerdotium Melchisedech D.

C p. 2. 103. 1. & Hebr. 9. l. 2.

D 3. p. 22. 6. 42.

Claret autem huc spectare quod habet Dominus de baptismo Ioannis; qui minimè gratiam conferebat; E sed solùm ad gratiam præparabat. Quod quidem innuit ipse Dominus, paulo post dicens; *venit ad vos Ioannes in via iustitiæ;* non in iustitia, sed *in via:* dic; quia ad gratiam præparabat; & per doctrinam, & assuefaciendo F ad ritum baptismi Christi, & per pœnitentiam. Et hoc legimus in Cantico Patris eius Zachariæ; *præibis enim ante faciem Domini parare vias eius; ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* Et prius venisse Dominum profitetur; *vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi,* sed *in sanctitate & iustitia coram ipso.* Hinc Sacramenta etiam legis G dicuntur Hebræor. 9. *iustitiæ carnis;* quia scilicet interiùs nihil efficiebant. Nec tamen putemus hic compleri sententiæ interrogatoriæ Domini sensum. Intendit enim soluere tacitam illorum instantiam; ac si dixissent; lex sacrificiorum &c. est à Deo; in qua ergo potestate, quæ offeruntur & offerentes de Templo expellis? Absit negari. Roman. 7. *lex quidem sancta est; & mandatum sanctum & iustum, & bonum* H suitque à Deo; suprà cap. 15. *irritum fecistis mandatum Dei &c.* Ideo præoccupat de Baptista; *Baptismus Ioannis; vnde erat de Cœlo, an ex hominibus?* Indubitanter à Deo; quamuis respondeant; *nescimus,* quia *fuit homo missus à Deo; cui nomen erat Ioannes.* Commendato eius baptismo, familiari quadam reuelatione Spiritus-Sancti, vt dicitur 3. p. 38. 2. 3. Non ausi sunt hoc diffiteri, vel propter turbam; *omnes enim habebant Ioannem, sicut Prophetam.* Tunc vltra: sed Ioannis Baptismus I cessauit; quandoquidem & incarceratus fuit & nece sublatus. Quid ergo prohibet etiam quæ sunt à Deo finem habere? Conuincuntur autem etiam debuisse cessare; ex ipsius Ioannis testimonio; qui dicebat; (Ioannis 1.) *vt manifestetur* (Christus) *in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans:* & Matthæi 3. *ipse vos baptizabit Spiritu-Sancto & igni:* & Act. 19. *Ioannes baptizabat baptismo pœnitentiæ Populum* (ita Paulus) *dicens; in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum.* Quare, sicut protestatus est Ioannes de Christo, scimus cæremonias legis fuisse L quasdam protestationes fidei Christi. Hinc Leo Papa; quid *hoc stabilius, quid firmius verbo in cuius prædicatione veteris & noui Testamenti concinit tuba; & cum euangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt?* Frustra profectò se expectare professi fuissent Messiam, nisi fidem de illo signis aliquibus protestarentur. Ideo lex dicitur Galat. 3. *pædagogus* fuisse, à *pædos,* quod est *puer,* & *goge,* quod est *ductio;* M *at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Constat etiam fuisse datam legem merito Patrum, quibus de Christo facta fuit promissio; Deut. 4. *audistis verba illius de medio ignis, quia dilexit Patres, & elegit semen eorum post illos.* Et cohærenter cap. 9. *scito quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus:* & præmittitur ratio, *vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est Patribus tuis Abraham Isaac & Iacob;* vt N considerat Angelicus. Et ex Apostolo Hebr. 7. *reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et hic est valde notandum, qualiter Gentiles irridebant fidem Christianam, ex hoc quòd post multa tempora, quasi subitò Deo in mentem venerit legem Euangelij hominibus dare. O Non autem fuit subitum, sed conuenienti ordinatione dispositum; vt prius humano generi per legem & Prophetas fieret prænunciatio de Christo. Hanc effugere obiectionem non possunt Iudæi; nisi fateantur in lege quoque prælusum esse Christo. Quapropter & ad suam ceruicem, cum is cui prælusit lex, aduenirет, lex ipsa deberet, tanquam prælusio cessare.

E 3. p. 38. 3.

F ibidem.

G 3. p. 72. 5. 3.

H p. 1. 98. a. 1. & 2.

I 3. p. 38. 5.

L p. 2. 103. 1. & ad Gal. 2. l. 4.

M Gal. 3. l. 8.

N p. 2. 98. 4.

O opusc. 23.

Ad hoc refert Angelicus ibi primæ Decretalis; *de fide & summa Trinitate*, verba; *iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem*, Pulchrè & Augustinus ser. 20. de Sanctis; *per Ioannem Dominus aduentum suum, ne subitò insperatum homines non agnoscerent, voluit esse testatum*: quod legis cum Ioanne adauget proportionem, Qui proinde nouam cœpit promulgare Christi legem dicens *appropinquauit* (Matthæi 3.) *Regnum Cælorum*; quando è contra in principio legis Exodi 3. inuitabatur Populus ad regnum terrenum Chananæorum. Sed temporales promis-

P p. 2. 107.2.1. siones, P quæ in Scriptura continentur, sunt metaphoricè intelligendæ. Erant autem cæremonialia in figuram futuri: vnde ex hoc ipso quòd sunt impleta, perfectis iis quæ figurabantur, non sunt vlteriùs obseruanda; quia si obseruarentur, Q adhuc significaretur aliquid vt futurum, & non impletum: sicut etiam promissio futuri doni locum non habet, promissione iam impleta per doni exhibitionem. Et per hunc modum cæremoniæ legis tolluntur cum

R 4.sent. dist. 1. q. 2. 5. implentur. Sed de his fusiùs etiam vide R in sententijs.

43. Veruntamen huiusmodi interrogatione nobis apęruit qualia essent ipsorum corda, nimirum minimè credentia; quamuis simulatione quadam *timentes turbam* Ioannem calumniati non sint. Et sic, quoniam vt supra diximus, futuræ primitiuæ Ecclesiæ status insinuabatur, iam innotescit, quare Iudæorum aliqui similitudine ficulneæ arescant & aruerint, nimirum propter incredulitatem, vt patet Romanorum 3. & 11. Et quia hic accesserunt ad Iesum *Principes Sacerdotum & Seniores populi*, & in fine capitis memorantur *Pharisæi*; huius farinæ homines de Iudæis inter plurimos ad fidem conuersos, remansisse verosimile est in dura incredulitate. Sanctus Beda lib. 4. cap. 48. in caput 11. Lucæ; *Turbis quippe quæ minùs eruditæ videbantur, Domini semper facta mirantibus; Pharisæi & Scribæ contra vel negare hæc, vel quæ negare nequiuerant, sinistra interpretatione peruertere laborabant; quasi non hæc Diuinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent.* Mirabitur quisque quot perstringantur malitiæ notis, comminatorijs *væ* à Domino infra cap. 23. Vnde ipsimet impij Pharisæi Ioan. 7. blasphemè dixerunt; *nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt*. Habemus autem ex Angelico Iudæorum Maiores, qui eorum Principes dicebantur, cognouisse eum esse Christum in lege promissum; omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant

S 3.p.47. 5. futura Prophetæ: S mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant; sed ignorantia quodammodo affectata; videbant enim signa euidentia Diuinitatis ipsius, sed ex odio & inuidia Christi ea peruertebant. Minores verò idest populares, qui mysteria Scripturæ non nouerant, non plenè cognouerunt ipsum esse nec Christum nec filium Dei. Licèt enim aliqui eorum in eum crediderint, Ioan. 7. *hic est verè Propheta; hic est Christus*: multitudo tamen non credidit: (etsi aliquando dubitauerint; an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem & efficaciam doctrinæ,) quoniam postea decepti fuerunt à suis Principibus, vt eum non crederent, neque filium Dei neque Christum. Vnde & Petrus eis dixit; *scio*, Act. 3. *quia per ignorantiam fecistis, si-*

T 1.Cor. 2.l.2. *cut & Principes vestri*. Addit ad Corinthios; T coniecturalis cognitio de Christi Diuinitate obscurabatur in eis ex inuidia & cupiditate propriæ gloriæ; quam per excellentiam Christi minui videbant. Certum ergo est culpabilius deliquisse Maiores: nam Marci 15. Pontifices *concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis*. Et infra cap. 27. *Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant; alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere*, Non miror exinde toties in Scripturis ad plebem referri propitiationis diuinæ multa; non solum eo in sensu, quo Rex vniuersorum Dominus est; sed, quia docibilior plebs populi, quemadmodum maiorum caterua perfidior; Lucæ 1. *visitauit & fecit redemptionem plebis suæ; & gloriam plebis tuæ Israel: ad dandam scientiam salutis plebi eius*: & Act. 5. *per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*; & cap. 6. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo*: dic psal. 106. *exaltent eum in Ecclesia plebis*. Lucæ 6. *væ vobis diuitibus*; & cap. 11. *væ vobis legisperitis; quia tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis; & eos qui introibant prohibuistis*.

VERS. XXVIII. *Homo quidam habebat duos filios*; &c.

Laboremus oportet in Domino ad inquirendam, cum ijs quæ hucusque diximus sequentium parabolarum connexionem. Pro qua prælibandum est; licèt Roman. 11. *incomprehensibilia sint iudicia Dei & inuestigabiles viæ eius*; nihilominus vigere semper illud Osee 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum*. Considera quoties in psal. 118. cùm tangitur de testimonijs Dei; mox de obseruantia mandatorum subdi: *in via testimoniorum tuorum delectatus sum* &c. sed mox, *in mandatis tuis exercebor: adhæsi testimonijs tuis Domine, noli me confundere*; sed mox, *viam mandatorum tuorum cucurri*. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua*; sed mox; *paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua*. *Super omnes docentes me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea est*; sed mox; *super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui*. *Seruus tuus sum ego da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua*; sed mox; *ideo dilexi mandata tua*. *Multi qui persequuntur me & tribulant me; à testimonijs tuis non declinaui*; sed mox *vide quoniam mandata tua dilexi Domine*. *Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer*; sed mox *seruaui mandata tua*: Et expectaturus Christum ait; *expectabam salutare tuum Domine*; sed mox, *& mandata tua dilexi*. Sanè cùm in psal. 92. dicatur, *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; statim adiectum est; *domum tuam decet sanctitudo*. Hebræor. 3. *Christus in domo sua; quæ domus sumus nos*, Ephes. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*. Meritò igitur, vbi de testimonijs credibilibus præmisit psaltes, illico monet de sanctitudine domus: quasi in domo non sancta, vix fides remaneat. Angelicus super illud 1. ad Tim. 1. *a quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium*. apertè inquit; V amissio charitatis est via ad amittendam fidem. Quomodo V 2. 3. 39.1.3.
autem id miserrimè contingat, accipi potest ex consideratione donorum Spiritus-Sancti; quæ gratiam gratum facientem comitantur; eaque amissa, amittuntur. De donis loquor sapientiæ & intellectus. Sapientia enim, quæ est donum Spiritus-Sancti, X X 2. 2. 45.4.
facit rectitudinem iudicij circa res diuinas, ex quadam connaturalitate, siue vnione ad diuina; quæ est per charitatem. Et hanc sapientiæ illustrationem præcedit A iustificatio. Intellectus autem donum A 2. 2. 44.1.
importat quandam perceptionem veritatis, B quæ non potest esse circa fidem, nisi in eo, qui habet gra- B 2. 2. 8. 5.3.
tiam gratum facientem. Fides autem importat solum assensum ad ea quæ proponuntur. Ex hac sublimi doctrina vides lector, quomodo qui amisit charitatem, remaneat semiobtenebratus; tanquam *animalis homo, qui non percipiat* 1.Cor.2. *quæ sunt spiritus Dei*. Hinc altissima ea Domini sententia

Ioann.

Ioann. 7. *Si quis voluerit voluntatem* (Patris) *eius facere, cognoscet de doctrina; vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Et ideò mirè legimus & hic, *quis eorum fecit voluntatem Patris?* Qui fecit, *cognoscet.*

VERS. eodem. *Homo quidam habebat duos filios;* &c.

45. Hæc Domini parabola, cum sequenti, de homine Patre-familias *qui plantauit vineam*; in eundem collimat scopum; quem Dei gratia detegimus ductu Syntaxis prætactæ & Harmoniæ; sine qua ægrè deprehendi potest continuatio. Vnit autem admirabiliter idcirco Dominus primam secundæ, sine vlla interpolatione subdens; *aliam parabolam audite*; quia dignatus est indicare vtramque ad idem referri; ideoque vtraque est etiam de vinea. Sed quorsum tendant profundiùs referandum est: pendetque intelligentia à penitiori parabolarum allegoria. Vineæ certè similitudo æquiuoca est; nam de vinea dictum fuit etiam capite præcedenti. Exploranda est igitur assumptæ huius metaphoræ multiplicitas. Operæpretium est erudiamur hac in materia ab Angelico: qui sic ait; nota quòd est vinea multiplex; primò carnalis concupiscentiæ; Deut. 32. *de vinea Sodomorum, vinea eorum.* Et huius est primò vinum iræ; *fel draconum* (Deut. 32.) *vinum eorum*; secundò vinum luxuriæ; Apocalypſ. 16. *de vino fornicationis eius biberunt omnes Gentes*; tertiò vinum ineptæ lætitiæ; 3. Esdræ 3. *omnem mentem vertit in securitatem & iucunditatem.* C Secundò est vinea fidelis animæ; Cant. 2. *vinea floruit.* Huius vineæ pariter est vinum primò pœnitentiæ; Lucæ 10. *appropians alligauit vulnera eius, fundens vinum & oleum*; secundò est vinum corporalis munditiæ; Zachar. 9. *vinum germinans virgines*; tertiò est vinum spiritualis lætitiæ; psal. 103. *vinum lætificet cor hominis.* Tertia est vinea militantis Ecclesiæ; Cant. vltimo; *vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.* Et huius vineæ est vinum, primò sacræ ablutionis; Numeri 15. *& vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ*, secundò fructuosæ prædicationis; psal. 4. *à fructu frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt*; tertiò vinum deuotæ confessionis; Cant. 7. *guttur tuum sicut vinum optimum.* Quartò est vinea cœlestis Patriæ 3. Regum 21. *vinea erat Naboth Iezraelitæ.* Et huius vineæ est vinum; primò diuinæ fruitionis; Cant. 5. *bibi vinum meum cum lacte meo*; secundò vinum interioris repletionis, Hester 1. *vinum quoque, vt magnificentia regia dignum, erat abundans*, &c. tertiò est vinum Sanctorum congratulationis; Cant. vlt. *dabo tibi poculum ex vino condito.*

C Isaiæ 5.

46. Ex hac sapienti partitione, si accedat contemplatio verborum Domini, qui subdit de omissa pœnitentia; *vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea*, (iam Ioannes prædicabat *baptismum pœnitentiæ*; Marci 1. & Lucæ 3. *in remissionem peccatorum*,) solidè constat, vineam accipi pro anima vtriusque filij; quam suam dicit, *vade hodie operare in vinea mea*; quia specialiter de animabus nostris, Ezechielis 18. *Ecce omnes animæ meæ sunt; vt anima Patris; ita & anima filij mea est.* Et hæc potest esse causa, quare nõ potius induxerit similitudinem agri Prou. 24. *diligenter exerce, agrum tuum*, idest cor. Matthæi 13. & Hæbr. 6. lect. 2. Accedit Chrysostomus relatus cap. præcedenti in Catena; *vinea Patris-familias, iustitia est; in qua diuersæ species iustitiarum positæ, sunt quasi vites; puta mansuetudo castitas patientia, cæteræque virtutes: homines autem vineæ cultores ponuntur.* Iam & nos in officio martyrum canimus: *secus decursus aquarum plantauit vineam iustorum.* Igitur sic per duos filios, intelligi possunt, castatissima allegoria, gentilis & iudaicus populus; sicut & Lucæ 15. *homo quidam habuit duos filios*; & Genesis 38. exposuimus de Phares & Zaram. Et ita singuli ex vtroque genere sunt, quibus *accedit* Deus, per hominem, figura anthropopathos, suo excitante auxilio; vt quisque in animæ suæ vinea operetur. Qui *respondens ait*; *eo Domine, & non iuit*; Iudæus est; quandoquidem Exodi 24. dicebant; *omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus; & erimus obedientes.* An autem *in via mandatorum Dei, in lege eius ambulauerint*, (ex ps. 118.) dicitur Ezechielis 5. *Ista est Ierusalem, In medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras: & contempsit iudicia mea, vt plùs esset impia, quàm gentes*, &c. *iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt.* Ipse Dominus specialiter de Scribis & Pharisæis sequenti cap. 23. *omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite; secundum opera verò eorum, nolite facere.* Et hic filius iste dixit & non fecit; *eo, & non iuit.* Satis autem indicatur Iudæus, & ex litera; nam respondit *eo Domine*; quia dicere debuisset *eo Pater*, cum esset filius. Sed seruilem timorem patefacit vox illa Domini. Malach. 1. *si ego Pater, vbi honor meus? si ego Dominus, vbi timor meus?* Iudæi autem ceu imperfecti ducebantur ad obseruantiam D timore pœnarum; Isaiæ 1. *quòd si nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorauit vos*; vt enim ait Augustinus contra Adamantium Manichæi discipulum c. 17. *breuis est differentia legis & euangelij; timor & amor.* Hinc illud Matthæi 5. *nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Fit ergo, vt alter filius, intelligatur quisque gentilium, qui *nolo* videtur dixisse; in quantum non erant Gentes, (quod notat Angelicus E) sub lege Dei: & ita Apostolus Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent*; scilicet diuinam, F quam non acceperunt; non enim Gentibus data est lex, sed Iudæis; Deut. 33. *legem præcepit nobis Moyses*; &c. Ex quo patet quòd Gentiles non peccabant, non obseruando cæremonialia legis. Nam vt dicit Dionysius 9. cap. cœlestis Hierarchiæ; *multi gentilium per Angelos sunt reducti in Deum*; G & constat quòd gentiles legem non obseruabant. Huc recole quod ait Augustinus de prædestinatione Sanctorum; *omnes quos Deus docet, misericordia docet; quos autem non docet, H iudicio non docet*; hoc enim venit ex damnatione humani generis, ex peccato primi Parentis. Dandum est igitur, alterum filium, nullo contentum legis fræno, dixisse in typum Gentium, apertè *nolo* iuxta quod Galat. 2. *nos natura Iudæi; & non ex Gentibus peccatores.* Vbi Angelicus; aliud est peccantem esse, aliud peccatorem; I nam primum denominat actum; secundum verò promptitudinem siue habitum ad peccandum. Vnde Scriptura iniquos, & grauibus peccatorum sarcinis oneratos, peccatores appellare consueuit. Iudæi ergo, propter legem superbientes quasi per eam coerciti à peccatis, Gentes, quæ sine fræno legis erant, & ad peccatum pronæ, peccatores vocabant. Et exponitur Apostolus: nos non sumus de numero peccatorum, qui sunt inter Gentiles. At quid factum est? Iudæus loquax & tumidus *dixit eo, & non iuit*: Gentilis priùs detrectans *pœnitentia motus abijt.* Huius discrepantis euentus specimen exhibent Domini sententiæ: supra cap. 11. *væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Et cap. 12. *viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Hic autem increpat eos palam comparatione publicanorum & meretricum, qui Baptistæ crediderunt: *vos autem nec*

D p. 2. 91. 5. & q. 99. 6.

E psal. 2.

F Rom. 2. l. 3.

G p. 2. 98. 5.

H p. 1. 98. 4. ad 2.

I Galat. 2. l. 4.

nec pœnitentiam habuistis postea. Et ecce quare vineæ parabola introducatur; ex qua, vt tactum est, vinum premeretur pœnitentiæ. Lucæ 10. *infundens vinum & oleum*: psal. 59. *potasti nos vino compunctionis*; quod L mordicat corrigendo. Est enim bona compunctio, qua quis dolet M de proprijs peccatis.

L Ser. in conuers. S Pauli. M Rom. 11. l. 1.

47. Sed cum clarè adeo arguat eos impœnitentiæ; videbitur alicui non oportuisse parabolam inferre. Ad quod dicendum in primis, quod ait Hieronymus lib. 3. Comment. in Matth. *familiare est Syris & maximè Palestinis, ad omnem sermonem suum parabolas iungere; vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudines exemplaque teneatur*. Deinde sublatere nobis carpendum alium fructum; vt dum inuitamur ad operandum in vinea, quæ plantis potest esse consita; bonorum operum fructus noscamus posse gustari. Sanctus Ambrosius in libro de Paradiso; N *opera virtutum dicuntur fructus, quia suos possessores sancta & syncera delectatione reficiunt*. Itaque vno verbo, *declina à malo & fac bonum*; quia peccatum, vt diximus, viam sternit ad amittendam, vt his contigit, fidem; nam per peccatum quoduis mortale O amittitur charitas. A fortiori autem per *omnium malorum radicem*, qualis *est cupiditas*; primæ ad Timoth. 6. *radix omnium malorum cupiditas*. Quæ quidem nedum deprehenditur ex venditis in Templo, facto ab eis spelunca latronum; sed ex prædictione Ieremiæ 6. *à minori quippe vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student; & à Propheta vsque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum*: & Malachiæ 1. *quis est in vobis, qui claudat ostia & incendat altare meum gratuito?* Et vlterius, quia audita parabola, *nemo potest duobus Dominis seruire; aut enim vnum odiet & alterum diliget; aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire & Mammonæ*: (*Mammona*, ex Hieronymo, *sermone syriacò diuitiæ nuncupantur*.) sequitur; *audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum*: Matthæi 13. *solicitudo sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum*. Et quia, vt ait Hieronymus, *cum omnia vitia senescant in homine; sola auaritia iuuenescit*; & Ecclesiastici 10. *nil nequius, quàm amare pecuniam*: & cap. 31. *qui aurum diligit, non iustificabitur*: ideo non mirum, si impœnitens assueueretur eorum cor. Non mirum, si comite auari diuitis superbia; (Sapient. 5. *quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?*) Lucæ 18. *publicanus descenderit iustificatus in domum suam, à Pharisæo*: quam tangit proinde superbiam & hic Dominus: *publicani crediderunt ei*; Ioanni scilicet. Non mirum denique, si fidei lumen sensim amiserint; quando præscius Dauid, vt cor pronum esset ad fidem aiebat; *inclina cor meum, in testimonia tua, & non in auaritiam*, quæ quoniam dicitur, *idolorum seruitus*, Ephes. 5. efficit, vt deuoti diuitijs periculum subeant *fornicandi* spiritualiter à Deo per infidelitatem, scripturæ consueta phrasi, obliti Deum: quod timens aiebat Salomon Prouerb. 30. dicens: *diuitias ne dederis mihi; ne fortè satiatus illiciar ad negandum; & dicam; quis est Dominus?* Qua item de causa, & hic, nedum de publicanis, sed de meretricibus introducitur, in istorum condemnationem; quòd pœnitentiam non egerint: & quia pœnitens recurrit ad Dominum, sicut filius ad Patrem; Lucæ 15. *Pater peccaui in Cælum & coram te*: & sicut vxor ad virum, secundum illud Ieremiæ 3. *fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus*. Sed isti, qui nec videntes publicanos & meretrices, pœnitentiam habuerunt, vt ait Dominus; nec tanquam vxor ad virum, nec tanquam filius ad Patrem, quem vocant Dominum, eo Domine recurrerunt: visi publicanis peiores: quanquam vt inquit Chrysostomus homilia 31. in Matthæum; *Publicanorum studia & exercitatio impudentiæ ac crudelitatis plena sunt: quæstus nota illiberalis; turpis quædam mercatura; immo rapina, lege sæculari, concessa*. Ad quorum eruditionem hæc omnia & de filiatione, & de meretricibus, & de publicanis, parabola introducit.

N p. 2. 70. l. 1.

O 2. 2. q. 24. 12.

VERS. XXXIII. *Aliam parabolam audite. Homo erat Pater-familias, qui plantauit vineam*; &c.

Eundem habere scopum ambas parabolas diximus; quod satis liquet ex immediata secundæ subiunctione. 48.
Vtrisque enim contendit causam infidelitatis ostendere piè scrutantibus. Variè interpretantur hanc vineam, vt etiam visum est in capitis expositione. Placet pro Syntaxi Origenis consideratio; *in Isaia*, inquit, *iudaicus populus vinea nominatur; in Euangelio autem, vinea non culpatur, sed eius coloni*. Subditque *fortè in Euangelio, vinea est doctrina, quæ scripturis inserta est scientiæ: litera autem Scripturæ est vineæ sepes circumposita, vt non videatur ab ijs qui foris sunt: profunditas autem eloquiorum Dei est vineæ torcular; in quo, qui proferunt de eloquijs Dei, infundent studia sua, quasi fructus: Turris ædificata est verbum de ipso Deo, & de dispensatione Christi. Hanc vineam tradidit colonis, idest populo ante nos, tam Sacerdotibus, quàm laicis. Consequenter dicente Domino; auferetur à vobis Regnum Dei & dabitur Genti facienti fructus eius; Regnum, inquit, Dei; idest mysteria Regni Dei: idest diuinas Scripturas*. Probat hoc & Hieronymus lib. 2. Comment. cap. 13. Matthæi; *Regnum Cælorum prædicatio Euangelij est, & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam; & de qua dicitur ad Iudæos; auferetur à vobis Regnum Dei*, &c. Placet etiam ex Chrysostomo super Matthæum locatam vineam agricolis, *quando per legem constituti sunt Sacerdotes & Leuitæ*: quanquam omittamus ad rem nostram, quod subdit, *& procurationem regendi populum susceperunt*. His ergo hæc Scripturarum à Deo Patre-familias plantata est vinea; quia *omnis scriptura diuinitus est inspirata*; 2. Timoth. 3. & quia 2. Petri 1. *non voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*.

Quare autem similitudinem vineæ pro sacra Scri- 49.
ptura protulerit, non video qui aperiat: & tamen cum ab ore Dei sit, appositissimam non esse, nefas est cogitare. Sciendum est ergo apud Isaiam cap. 8. legi; *sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*. Sacra pagina P dicitur liber grandis, quantum ad grande contentum; Prouerb. 8. *audite me, quoniam de rebus magis locutura sum*. Inuolutus est autem hic liber propter multiplicem sensum; Ezechielis 2. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber*. Est autem vineam dici hebraicè *cherem*, à radice *charad*, quæ significat *induit, inuoluit*, idem quod *ngatath*, quod est *operuit se, inuolutus est*. Sed quoniam hoc etymo non contentus est animus; oportet aliò recurri: nimirum dici multipliciter vinum, iustitiæ, sapientiæ, & charitatis; & hoc postremum explicatur, quia Q mysticè inebriat; Cantic. 5. *bibi vinum meum cum lacte meo: bibite & inebriamini charissimi*: & dicitur charitas etiam vinum ratione feruoris. Cur ergo aio ipse, non adsimilaretur Scriptura sacra vineæ? *Finis proximus*, (vt notat Georgius Ederus in Oeconomia Bibliorum libr. 1. tabula 11.) *sacræ Scripturæ est charitas*; 1. Timoth. 1. *finis præcepti est charitas*. Vnde Augustinus; *nihil hæc scientia præcipit nisi charitatem; nihil culpat nisi cupidita-*

P Isaiæ 8.

Q Ioa. 2. l. 1. lit. e.

 tem:

tem: quicquid ergo ad hoc pertinet, proprium eius est; quicquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas; lib. 1. de doctrina Christiana cap. 37. & R 1. Tim. 1. l. 2. & Procœmio Cant. vltimo, & lib. 3. cap. 10. Ad hæc Angelicus; R omnia mandata legis ordinantur ad charitatem; finis enim totius doctrinæ sacræ est Dei dilectio. Matthæi 22. *diliges Dominum Deum tuum*, &c. *in his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ*. Hinc Deuteronomij 6. *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*, &c. Et ideo præceptum charitatis ab Ioanne in prima cap. 2. dicitur *mandatum vetus & nouum*. Fuerunt quippe aliqui in statu veteris Testamenti, habentes charitatem & gratiam Spiritus-Sancti; qui principaliter expectabant S p. 2. 107. 2. 2. promissiones spirituales & æternas; S & secundum hoc pertinebant ad legem nouam. Et quia primam vineam exposuimus de obseruantia mandatorum Dei; & hanc secundam parabolam adnexam de dilectione Dei: ecce Deuteronomij 10. vtrumque iungi; *quid Dominus Deus tuus petit à te; nisi vt diligas eum, custodiasque mandata Domini*: Gregorius; *qui dicit diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*. Mittit Pater-familias *seruos suos, vt acciperent fructus eius*. Et quos? Isaias respondeat cap. 27. *& iste omnis fructus, vt auferatur peccatum*. In agricolarum perfidia homicidarum claret exilium charitatis; nam *odio iniquo*, seruis, & filio intulerunt necem. Notantur ergo de peccatis, & consectariò de amissione charitatis, via vt dictum est, ad amittendam fidem. Et agricolæ fortè dicuntur in recordationem impij Cain, qui fuit *agricola* fratris sui interfector. Agricolæ etiam, ad indicandum qualis esset hæc vinea, cui manum non apponerent (secus *vinitores* propriè dicendi fuerant) quam Pater-familias ipse plantauit; quia sacræ Scripturæ conditor Deus est: de qua dicitur Deuter. 4. *non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*. Et Apocalyps. vltimo; *si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ*. Hinc haberi potest; cur postea dicatur à Domino Scriptura *Regnum Dei*; quia cum regnet Deus in nobis per fidem; vt qui *prius regnabat in Cœlo per fidem credentium regnet in terris*: fides in ipsa fundatur & stabilitur; 2. ad Timoth. 3. *ab infantia sacras literas nosti; quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in iustitia: vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Sic ait Dominus hic; *auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius*. Ablatum est Regnum hoc à perfidis Iudæis, etsi literam, nec intactam seruent; iuxta quod ait Apostolus 1. Corinth. 1. *vbi scriba?* T 1. Cor. 2. l. 3. ex Isaia cap. 33. *vbi legis verba ponderans?* T idest peritus in lege; & hoc refertur ad Iudæos. Possumus addere, impletum Iacob vaticinium Genesis 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*: siue vt alij legunt; *& scriba de inter pedes eius*; (ad eos ducendum psal. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis*) *donec veniat qui mittendus est*. Euincitur autem, non adesse Iudæis Scripturæ intelligentiam; cuius præludium iacturæ habemus à Domino dicente; *erratis non intelligentes Scripturas*; quoniam Sacerdotium perdidere; non enim perpetuum erat Aaronicum, sicut Melchisedech, qui obtulit panem & vinum; psal. 109. *iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: ex Malach. autem c. 2. *labia Sacerdotis custodiunt scientiam; & legem requirent ex ore eius*. Sicuti in difficilibus & ambiguis Deut. 17. præcipiebatur; *venies ad Sacerdotes Leuitici generis*. Quod maximè perpendendum est; quia post Christi Domini aduentum, extincto veteri Sacerdotio, corruit Iudæorum cathedra; nec quidquam auctoritatiuè promere possunt de Scripturarum intelligentia; cum defecerit eis ius interpretandi; quantumuis garriant & blaterent. Successit Leuitico ministerio Melchisedech verus Sacerdos: ab huius ore lex legisque intelligentia quærenda est. Ex qua fructus vberrimus charitatis; quia vt notat in quodam loco Angelicus, pauci ante Christi aduentum in gratia & charitate vixere; postquam venit *plenus gratiæ & veritatis*; *de cuius plenitudine omnes accepimus*; millia credentium fiunt chari & amici Dei.

VERS. XXXVIII. *Agricolæ autem videntes, filium dixerunt intra se; hic est hæres venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius*.

Si quis ruminet hanc partem parabolæ obstupescet. Qualis enim modus syllogizandi iste est; occiso hærede, agricolas habituros esse hæreditatem? à 50. quo? à Patre-familias? toties offenso, occisis semel & iterum seruis suis. Quo iure hæreditario, poterunt in filij hæreditatem vel intrudi? Deinde, quid est hoc, filium mittit; agricolæ filium renuunt appellare, dicuntque hæredem? Præterea, si ad cognitionem, quam habuere de Christo, vt supra relatum est, referatur; quid tentant è medio tollere, tolluntque de facto hæredem? cum nosse præsumantur ex Scripturis, sic definitum esse, vt veniat Christus, regnetque; Ieremiæ cap. 23. *regnabit Rex*. Nec extorsisse credi debent Scripturas, quasi sub conditione promissus fuerit Messias, Dauidque semen; *si custodierint filij Testamentum*, in ps. 131. quandoquidem psal. 88. præmisso; *si autem dereliquerint filij eius legem meam* &c. sequitur; *misericordiam tamen meam non dispergam ab eo; & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Semel iuraui in Sancto meo; si Dauid mentiar; semen eius in æternum manebit; & thronus eius sicut Sol in conspectu meo* &c. Itaque primo intuitu, non videtur quadrare parabola; neque enim suasibile videtur, somniasse Iudæos extinguere futurum semen Dauid, irritumque Dei reddere promissum.

Altè igitur vestiganda est pro modulo nostro profunditas iudiciorum Dei; de quibus ait Psaltes; *co-* 51. *gnoui Domine, quia æquitas iudicia tua*; & Tobiæ 3. *omnia iudicia tua iusta sunt*. Profundum quippe est, si consideremus, ab ijs qui crediturі existimabantur, prima in classe expectantibus in lege promissum, fuisse Dominum morti traditum. Ioan. 18. dixit Pilatus; *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti?* Si tantæ admirationis radicem effodiamus; omnia erunt plana. Dicendum igitur, malitiam eorum fuisse ingentem. Audiamus Leonem Serm. 7. de passione; *sacrilegi Iudæorum Principes & impij Sacerdotes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpè quæsierant*, &c. Et postea *quando concurrentibus ad vnum scelus Iudæis Iudæorumque Principibus, superbus taurorum pinguium tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiebat*: sed vt subdit, *cum ita Dominus vsus sit malitia Iudæorum, vt intentione facinoris, voluntas sit impleta miserentis*. Dic ergo peruersos fuisse omnino: dic fuisse ex peccatis, vt nuper deduximus, incredulos & infideles. Palàm, quod vidimus, ipse testatur Dominus Ioa. c. 5. eos nõ credidisse Moysi; *si Moysi crederetis, crederetis forsitan & mihi*. Ad hunc articulum incarnationis filij Dei, se debuit & potuit eorũ fides, si perstitissent, extendere. Impossibile est fidem etiam informem in eo manere, V qui vnum articulum fidei nõ credit: vnde V 2. 2. 5. 3. nec fidem habet de alijs articulis, sed opinionẽ quandam

dam secundùm propriam voluntatem. Dic huiusmodi opinionem facile inuerti; quia, vt alibi x docet, opinans assentit quidem in vnam partem, sed cum formidine alterius. Igitur affines erant Herodi, qui quamuis audisset de Christo & Scripturis, studuit eum interficere, nihili faciens perhibita vaticinia. Et quamuis habuisse opinionem admittamus Principes Sacerdotum de Christo Rege venturo, seu potius aliquam humanam suspicionem; verosimile est, non fixè eorum cordibus hæsisse; Atheos paulo-minus fuisse. Et quicquid scrupuli de Messiæ Regno eis ingereretur ex Scripturis, ad summum erat de temporali Regno; cuius ipsi cupidi, tollere conabantur de medio, quem regnaturum super eos perenniter, quoquo modo timebant: Lucæ 19, *nolumus hunc regnare super nos*. Dixerim ergo ad amussim ea in parabola describi: *ipse enim sciebat, quid esset in homine* Ioan. cap. 2. Vident missum filium: filium Dei negabant. Ioan. 10. *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum*. Vnde Matthæi 22. interrogati *quomodo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, si filius eius est? non poterant respondere verbum*: ex quo certè constat obliteratam ab eorum cordibus fidem. Hæredem ergo potius suspicantur, hæredem Regni Dauid: & abiurata omni fide; vt aiebat ille, si ius violandum, regnandi causa violandum est, necem ipsius machinantur, Principes Sacerdotum Scribæ & Pharisæi: sicque vtcumque dominatu, etsi tunc non pleno gauderent, se aliquando vel aristocratico sperant potiri. Hoc insinuat Dominus, quando Ioann. 18. dicenti Pilato; *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi*: subiecit altissimè, tanquam traditionis causam aperiens, *Regnum meum non est de hoc Mundo*: quocirca labuntur errore Iudæi. Et palam cap. 11. dixerant *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locum & Gentem*. Describuntur Sapient. 2. *circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat*; &c. *Videamus ergo si sermones illius veri sint; & tentemus quæ ventura sunt illi; & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum*, &c. *Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Et nescierunt Sacramenta Dei*. Vide lector consensum: hic dicitur, *cogitauerunt*, & in Euangelio *dixerunt intra se*. Benè autem dixi eos velut atheos; vel saltem incredulos de animæ nostræ immortalitate; etsi non se proderent infectos Sadducæismo. Et caput illud Sapientiæ ab initio hæc aperit; *dixerunt cogitantes apud se non rectè; ex nihilo nati sumus; & post hoc erimus tanquam non fuerimus*. Vnde in fine capitis corriguntur; quoniam *creauit Deus hominem inexterminabilem; & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*. Qua auctoritate vrget Eusebius Pamphilus; quia si anima non est immortalis; deficit in hoc à Dei similitudine: quod dic præcipuum esse; neque nisi gratis, dici posse imparticipabile. Sic impletum est; lapidem reprobasse ædificantes: sed nihilominus factus *est in caput Anguli*; quod subiungit Dominus; & nos non semel expendimus. Nedum Gentiles vocans; sed & ex Iudæis, vt ait Apostolus: qui præterea Roman. 11. recolens breui, quod hic fecerunt agricolæ occidendo seruos, ait cum Elia; *Domine prophetas tuos occiderunt; & ego relictus sum solus*; subdit; *sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum; qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt*. Et Isaiæ 8. vbi Iudæorum defectio prænunciatur; *offendent ex eis (habitantibus in Ierusalem) plurimi*; præmittitur de lapide & petra scandali: qui deinde cap. 8. dicitur *lapis probatus, angularis*, &c. Necem autem meditantur, & inferunt *extra vineam*, quod mirandum est: cur non potius in vinea; sicut Cain dixit fratri Abel, *egrediamur in agrum?* quia exuti charitate factique abstemij à charitatis vino, tantum scelus patrarunt: & insuper *extra vineam*, hoc est exteri à fide Scripturarum: *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Ex quo factum est in iustam vltionem, quoniam sibi imprecati sunt; *sanguis eius super nos, & super filios nostros*; vt Deus Pater-familias, *malos malè* perdiderit, *dispersos in omnem ventum*. Quam phrasin vsurpat Ieremias cap. 49. & non dissimiliter extat vaticinium Deuteronomij 28. *donec disperdat te, & conterat in cunctis vrbibus tuis*.

Margin: x de verit. q. 14. a. 1. & Roman. 1. l. 6.

Verùm non solùm increpatos crediderim de delictis prioribus; quoniam vt eis obijcit Stephanus in Actis cap. 7. *quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iusti; cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis*: quod fermè conceptis verbis hic habet Dominus; sed ad futura post eius redemptionem spectasse; vt mox ipsemet prædicit cap. 23. *ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas; & ex illis occidetis, & crucifigetis; & ex eis flagellabitis in synagogis vestris; & persequemini de Ciuitate in Ciuitatem*; quia scopus Matthæi exigit futuræ primitiuæ Ecclesiæ statum epingi. Et iam hic ait, *alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt*: sine dubio propheticè, præterito ob certitudinem loco futuri; vt passim Scripturæ mos est. Flagellarunt autem (2. Corinth. 11. ipso teste; *ter virgis cæsus sum*) præ alijs Paulum: & prius; *à Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi*. Occisum gauisi sunt Iacobum; Actor. 12. *occidit autem (Herodes) Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem, quia placeret Iudæis*. Denique *lapidauerant Stephanum*. Quæ tria martyrij genera exprimit Iesus. Iamque & his *plures* vt ait; nam Act. 5. *conuocantes Apostolos, cæsis denunciauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu*: deinceps vt prædictum est cap. sequenti 23. occidentes mortique variè tradentes Apostolorum sobolem & asseclas, prout ipsis datum est. 52.

VERS. XLIV. *Et qui ceciderit super lapidem istum*, &c.

Difficilè est hoc Domini eloquium, præsertim si continuationi insistamus. Quid enim sibi vult; *qui ceciderit conteretur; & super quem ceciderit conteret eum?* Certè, si res ita se habet, oportet concipiamus quempiam in alto situm, vt cadere possit super hunc lapidem: & è contra alterum quempiam deorsum collocatum, vt super eum cadere possit lapis ad eum conterendum. Arcana intelligentia hic opus est. Sed ex Apostolo Rom. 10. potest accipi, ait enim *quis ascendet in Cœlum, aut quis descendet in abyssum*; loquitur autem in persona infidelis sic dicentis *in corde suo*, non credentis scilicet A articulos duos fidei de Christi ascensione, deque eius morte & descensu ad inferos: quorum primum pertinet ad maximam Christi exaltationem; secundum ad maximam eius humiliationem. Potest autem, subdit Angelicus, aliter exponi; vt articulus tangatur incarnationis, qua de cœlis ad terram descendit; & articulus resurrectionis. Et hæc secunda expositio conuenientior est Iudæis incredulis, de quibus nos in præsenti. Qui ergo ita discredit incarnationis mysterium, vt ponat *in Cœlum* psal. 72. *os suum*, vel in 53.

Margin: A Rom. 10. l. 1.

dubium reuocans vel negans quod factum est; quando *in terris visus est*, (Baruch c.3.) *& cum hominibus conuersatus est*; *quis ascendet in Cœlum? idest Christum deducere*; is est de quo ait Dominus, *qui ceciderit super eum conteretur*. Qui altero ex capite discredit resurrectionem, vt dicat *in corde suo, quis descendet in abyssum?* hoc est *Christum à mortuis reuocare*, is est de quo subdit fortè psal. item 72. *& lingua eorum transiuit in terra*; & Dominus; *super quem verò ceciderit, conteret eum*, quia resurgens à mortuis, est supra inferos. Qui ergo cordis increduli cogitatione sic Christo detrahit; & vel subtus, vel sursum temerè & infideliter se transfert; vtrobique contritioni est expositus; si quidem sursum sit, cadens in lapidem; si verò deorsum se detinens, frangendus (eo quòd superius ascenderit per resurrectionem) ab ipso lapide. Infelix ergo, qui detrectans vel vnum vel alterum articulorum credere, tanto se subijcit contritionis discrimini. Ieremiæ 17. *duplici contritione contere eos*. In psal.145. legimus; *Dominus erigit elisos, Dominus illuminat cæcos; Dominus soluit compeditos*; Supra cap. 11. *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*: quemadmodum ab Isaia cap.35. *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, saliet sicut ceruus claudus*. De sic contritis super lapidem, aut à lapide, non legimus. Irreparatæ perditionis argumentum. Rom.11. Apostolus; *fracti sunt rami propter incredulitatem. Sed si non permanserint in incredulitate, inserentur; potest est enim Deus iterum inserere illos*. Si nedum fracti, sed contriti essent rami, non video inserendos. Quare arbitror ex his, inter Iudæos, eos permanere & permansuros in incredulitate, qui sic conteruntur. Quod est, me iudice, nedum difficile credere, sed & ipsum Christi mysterium discursu infideli impugnare; vt præmissum est; *quis ascendet in Cœlum? idest Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare*. Hæc duo potissimum cœperunt prædicare Apostoli, vt patet in Actis, & Christi aduentum, & Christi resurrectionem. Quicunque duobus his articulis nedum discredit, sed sic auersus est, vt contradicere ex industria conetur, reluctarique studeat argumentis, non nisi conteri potest, proinde absque salutis spe, de illo actum est: quamuis miraculosè veluti erigi nihil prohibeat: *potens est enim Deus*, Rom.14. *statuere illum*. Absit ergo, vt resiliendo dicat Iudæus, quod habetur Prouerb. 30. *quis ascendit in Cœlum, atque descendit?* aut ex Sapient. 2. *non est qui agnitus sit reuersus ab inferis*: quandoquidem Deut. 33. *ascensor Cœli auxiliatur tui*; & in psal. 46. *ascendit Deus in iubilo*: itemque de resurrectione; psal.15. *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: & in actis cap. 2. ex eodem, *non derelinques animam meam in inferno*; *iuxta quod*, subdit Petrus *impossibile erat teneri illum ab eo*.

54. Huius autem tam miserabilis peneque desperatæ contritionis causa est induratio; Act.19. *cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine*, &c. Iamque satis habetur ex ore Domini; neque enim molle conteritur, si super ipsum ceciderit lapis, aut è contra; sed durum frangitur, quo durius est in partes minimas; quod conteri est, ad fractionis differentiam, vt animaduertit B Angelicus. *Iacula*, inquit Chrysostomus, *cùm in durum aliquid inciderint, fortiùs feriunt*. Et quia duritia, cordis est, iuxta illud Rom.2. *secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor*; propterea deinde Rom. 10. expressum est; *ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in Cœlum?* Quod etiam subtilis consideratio potest in Domini sententia intueri, quæ motum prænotat; *qui ceciderit super lapidem*

B ps. 50.

istum, conteretur; voluntas autem aliàs per cor intelligitur; quia sicut cor est omnis motus principium, ita voluntas omnes alias potentias mouet. Mouet autem ex littera in præceps, quia mouet ad casum; *qui ceciderit*: & graui lapsu dic ex iniquitatibus, ps. 37. *sicut onus graue grauatæ sunt super me; supergressæ caput*, fidei sensim, qua sursum ferimur, vt dictum est, exterminatrices. Ad hæc Chrysostomus hom. 34. in Matthæum, ad illud cap. 10. *estote ergo prudentes sicut serpentes*; quia serpens solerter adeo caput curat seruare integrum; *eodem*, inquit, *tu quoque modo præter fidem, quæ caput est, cætera perdere non cures*. Indicatur etiam voluntatis perfidia, in motus varietate, sursum vt exposuimus & deorsum, *in Cœlum, & in abyssum*; siquidem & ex Philosopho potentiæ rationales sunt ad opposita: voluntas autem & huc & illuc vertitur libertate; ex qua & labi super lapidem de sursum, & collapsurum lapidem supra se deorsum, nec timet nec cauet. Væ igitur Iudæis illis, de quibus Stephanus in Actis c. 7. *dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus; vos semper Spiritui-Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos*. In quo notatur peccatum in Spiritum-Sanctum; quod est, C cum quis abijcit vel contemnit dona & adminicula Spiritus-Sancti; sicuti Act.13. *videntes turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur*. Quousque intellectus veritatem discutiens, illius amator exquirit, perfidia caret: si perfide fixa voluntas præcurrens intellectum ipsum ab assensu amoueat, præoccupat suasiones duritia, vt possit resistere; ideoque motionis fermè incapax non nisi debet iræ Dei malleo conteri.

C de malo q. 3. a. 15. 3. & 2.2. 14. 2.

Hæc equidem Isaias tetigit eo octauo capite; vbi postquam credentibus dixit futurum *Emmanuel*, seu *nobiscum Deus, in sanctificationem*; adiecit, *in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus Domibus Israel; in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur & capientur*. Nota ly *conterentur* quod hic ait Dominus; & *de lapide*. Et subdit, *liga testimonium, signa legem in discipulis meis*. Subditur etiam *abscondisse Dominum faciem suam à domo Iacob*. Vbi Haymo; *liga*, inquit, *testimonium Prophetiæ; ne quis eius sensum mysticum perscrutari possit: & signa legem; quatenus Iudæis incredulis omnia clausa sint & signata; & quod legunt non intelligant: in discipulis meis, idest in notitia eorum, qui fidem rectam habent; & eam bonis operibus adornant; quia sacra Scriptura impijs clauditur, fidelibus aperitur. Qui abscondit faciem suam à domo Iacob, idest cognitionem suam à Iudæis, qui eum recipere noluerant*. Hæc Haymo. Quæ quidem textui euangelico consonant; dum ait Dominus *ab eis auferendum Regnum*, idest notitiam, vt diximus, Scripturarum. Et nota non dicere ab Israel, sed à *Iacob*, cùm tamen idem ipse sit Iacob & Israel, vt innuat carnales Iudæos; siquidem vt ait Apostolus Rom.9. *non omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ*. Et dum subiectum est; *& dabitur Genti facienti fructus eius*; & Propheta discipulos introducit, concordat, Gentes futuras fuisse sub Christi schola & disciplina; vtique per auditum, qui sensus est disciplinæ quod ait 1. Metaph. Philosophus: *fides* autem Rom. 10. *ex auditu*. Claudamus dum subdit Propheta, *expectabo Dominum*, expectatum non agnouisse Iudæos, vt diximus, quia fidem præmiserant peccatis eorum in causa. Ideo è contra Psaltes Dominum expectans quem coleret ad nostram sic fatus est doctrinam psalm. 118. *expectabam salutare tuum Domine*; sed subiungit, *& mandata tua dilexi*. Comes enim fidelis expectationis, quemadmodum firmæ fidei, dilectio est; proindè obseruantia mandatorum. *Irretientur* dixit

55.

Isaias

Isaias *plurimi*; hoc de promiscua Iudæorum plebe; quia & ipsa peccatrix, (*pluet super peccatores laqueos* psal. 10.) in necem Christi consensit; clamans semel & iterum *crucifigatur*. Augustinus in Serm. de tempore barbarico Tomo 9. *tota hoc Ciuitas fecit, quæ tota consensit. A se ipso omnis homo in anima intus occidit, videndo consentiendo, non prohibendo. Omnes remansimus rei*. Quæ ipse de moribus exaggerat, ad rem faciunt. Diximus autem quod fecerunt agricolæ; ad tempus etiam referri Ecclesiæ primitiuæ, cum occiderunt fideles: sed & Christum similiter ex odio, postquam surrexit extinguere conati sunt; nedum in membris eius; *Saule Saule quid me persequeris?* (Sanctus Thomas Matth. 12. in calce: qui alios conuertit, generat Christum in alijs: è contra occidit Christum in alijs, qui prouocat eos ad malum.) sed vt ipsius periret nomen; Act. 5. Princeps Sacerdotum; *præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto*; &c. Ideo fortè sacer textus ait, dixisse agricolas *hic est hæres*; quia superstitem in Mundo Christum, per suum nomen veluti sui hæredem, è medio quoque tollere, conati sunt. Inquit autem Augustinus relatus ab Angelico D, de Iudæis; *non minus peccant, qui Deum blasphemant iam regnantem in cœlis, quàm qui eum crucifixerunt adhuc mortalem in terris*. Quod conclamarunt Matthæi 27. *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, dummodo crucifixum viderent.

D 1. Petri c. 2.

56. Fortè quot sunt hodie Iudæorum subscribunt; quia crucifixionem Saluatoris, quam prisci illi exoptarunt, *obtinueruntque* vt ait Leo Papa *in damnationem suam*, quotidie probant. Et quoniam parabola Domini præscientis omnia fert, dixisse *intra se, hic est hæres; venite occidamus eum*, non temerè suspicemur, & nostrates Iudæos dicere hoc ipsum intra se de Christiano nomine; quod si possent vellent extinguere. Huc facit ad exprobrandam eorum incredulitatem, quod habet Apostolus Rom. 10. ex Isaiæ 65. *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. Ex hac prophetica prædictione indignati Iudæi in Isaiæ dissectionem sæuissimè consenserunt, vt Sanctus Hieronymus ex certissima Hebræorum traditione lib. 15. *in Isaiam, in fine* docet; Tertullianusque lib. 3. carminum contra Marcion, & alij scribunt. Sed vt hic Principes Sacerdotum & Pharisæi *quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant*; ita & de istis dici potest, timent Christianorum turmas; secus quos ab initio tam sæuè persecuti sunt Christianos, adhuc insectarentur; sed timent. Vtinam eo corriperentur timore de quo psaltes psal. 64. *turbabuntur Gentes & timebunt qui habitant terminos à signis tuis*. Vtinam vel timore seruili, inciperent ad Christum conuerti; qua de causa dixit Pater-familias, *verebuntur filium meum*. Nam *in via Dei à timore incipitur*, ait Gregorius; sed possessi à Diabolo, *qui factus est vt nullum timeret*, timore E cohibente à peccato; nec ipsi timent perenne adeo flagellum, vsurarum voragine & carnali libertate, in dies reatu maiori, hominibus Deoque exosi. Quæ enim non credantur laxa cupiditate, non committere corde scelera, & opere vbi eis detur; quando nec oblationibus nec sacrificijs, (quadam confessionis vmbra) incusant peccata? Nos sicut Prophetam Christum Saluatorem colimus & adoramus; eum scilicet de quo Deuteronomij 18. prædictum est; *Prophetam de Gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*; subditurque ex ore Domini; *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit; ego vltor existam*. Auctoritas hæc expenditur Act. 3. à Petro; & à Stephano cap. 7. quia summi est momenti. Videant, an vltionem Dei experiantur, causamque aliam si possunt prætexant. Sic ex ore nostro tanquam *infantium & lactentium* psal. 8. Petrus in 1. capit. 2. *sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite*; perficit Deus suam in Ecclesia laudem, vt destruat *inimicum* Iudæum, & *vltorem* etsi non re ipsa, corde; idque postquam *eleuata est magnificentia sua super Cælos*, vt initio Syntagmatis astruebamus; sic & illud vt tetigimus impletum est ps. 7. *& exurge Domine Deus in præcepto quod mandasti; & Synagoga populorum circumdabit te*, vndequaque Christianis populis circumfusis: *& propter hanc in altum regredere*, (quia psal. 18. *à summo Cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius*) sequiturque; *Dominus iudicat populos*; quia post ascensum, quo *sedet ad dexteram Patris*, venturus est ad iudicium; vt in Actis capit. 1. dixere *duo illi viri in vestibus albis; quemadmodum vidistis eum ascendentem in Cœlum, ita veniet*; vtique *vt destruat inimicum & vltorem*; singulariter planè; quamuis præmissum sit in plurali, *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos*; quia psal. 2. *astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*, quod introducit in Actis cap. 4. Apostolus Petrus. Quæ quidem hic & in sequenti conspicitur, quando perhibentur *in vnum* accessisse *Pharisæi*, & *Principes Sacerdotum & Seniores populi*. Vbi etiam satis innuitur de finali iudicio; *cum ergo venerit Dominus vineæ*, (supra, *peregrè profectus*) *quid faciet agricolis illis? malos malè perdet*. Ecce ergo potissimè palam de primitiua dictum esse, vt vidimus, Ecclesia; de progrediente quoque tactum *in lapide angulari*, & de *Gente faciente fructus*; itemque de finali in punitione. Quæ duo in sequentibus capitulis, Matthæum tenaci ordinis harmonia, Domine largiente comperiemus, adtexuisse.

E Iob 41.

CAPVT XXII.

1 *ET respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:* 2 *Simile factum est re-* Luc. 16. d. 16.
gnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 3 *Et misit seruos suos vocare* Apoc. 19. b. 9.
inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. 4 *Iterum misit alios seruos, dicens. Dicite*
Inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite
ad nuptias. 5 *Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negocia-*
tionem suam: 6 *reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* 7 *Rex au-*
tem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem
illorum succendit. 8 *Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant,*
non fuerunt digni; 9 *ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.*

10 Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos: &
impletæ sunt nuptiæ discumbentium, 11 Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit
ibi hominem non vestitum veste nuptiali. 12 Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non ha-
Sup. 8. b. 11. & 13. f. 42. *bens vestem nuptialem? At ille obmutuit: 13 Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, &*
pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. 14 Multi
Inf. 25. c. 30. *enim sunt vocati, pauci verò electi. 15 Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, vt cape-*
Marc. 12. b. 13. *rent eum in sermone. 16 Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, sci-*
mus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim res-
Luc. 20. d 20. *picis personam hominum, 17 dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?*
18 Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? 19 ostendite mihi nu-
misma census: At illi obtulerunt ei denarium. 20 Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, &
Rom. 13. c. 7. *superscriptio? 21 Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis, Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari,*
& quæ sunt Dei, Deo. 22 Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt. 23 In illa die ac-
cesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogauerunt eum, 24 di-
Marc. 12. b 15. *centes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius*
Luc. 20. d. 28. *vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. 25 Erant autem apud nos septem fratres, & primus,*
vxore ducta defunctus est: & non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo. 26 Similiter
Act. 23. a. 6. *secundus, & tertius vsque ad septimum. 27 Nouissimè autem omnium, & mulier defuncta est.*
Deut. 25. b. 6. *28 In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam. 29 Respondens*
autem Iesus, ait illis: 29. Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. 30 In resurrectio-
ne enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. 31 De resurrectione
Exod. 3. b. 6. *autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: 32 Ego sum Deus Abraham,*
Marc. 12. c. 18. *& Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. 33 Et audientes tur-*
bæ, mirabantur in doctrina eius. 34 Pharisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Sad-
Luc. 10. g. 27. *ducæis, conuenerunt in vnum: 35 & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum:*
Deut. 6. a. 5. *36 Magister, quod est mandatum magnum in Lege? 37 Ait illi Iesus: diliges Dominum Deum*
tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. 38 Hoc est maximum, &
Leu. 19. d. 18. *primum mandatum. 39 Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*
Marc. 12. d. 31. *40 In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. 41 Congregatis autem Pharisæis,*
Luc. 20. d. 41. *interrogauit eos Iesus, 42 dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei:*
Psal. 109. a. 1. *David. 43 Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: 44 Dixit*
Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?
45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? 46 & nemo poterat ei respon-
dere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERS. I. *Et respondens Iesus; dixit iterum in parabolis eis dicens: simile factum est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.*

I. Cuinam respondit? neque enim præmittitur aliquem locutum fuisse aut interrogasse. Inquit Angelicus; A non verbis, sed malitiæ respondet. (A D.Th. hic.) Vlterius tamen putauerim respondisse subintellectæ discipulorum; nedum præsentium, sed & futurorum percontationi: (Lucæ 5. *vt cognouit Iesus cogitationes eorum, respondit, &c.*) quæ huiusmodi poterat esse. Postquam enim audierant; *malos malè perdet*: fortè ausus fuit quis meditari causam, cur agricolæ quidam sic se gesserint, vt perdendi fuerint; alij verò vtique accepti, fructum essent reddituri Patrifamilias; de quo ait Augustinus; *benignus exactor; & qui non crescat ex redditis; sed in se faciat crescere redditores*. Sanè & Osee 13. cùm Dominus sumendam de Israelitis vindictam exaggerasset; *& ego ero eis, quasi leæna: sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis, quasi vrsa raptis catulis; &c.* varijs, inquit Ribera, *ferocissimarum bestiarum similitudinibus vindictæ futuræ demonstrans atrocitatem; vt magis eos terreat, & ad pœnitentiam prouocet*: mox sequitur; *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum*: dic sine dubio in responsionem, blasphemante impio & mirante fideli sortis discrimen. Sic ergo & impræsentiarum occurrit noua parabola, quâ se à calumnijs eximit Dei clementia, dum nullum hominum excipit, quem filij non vocet ad nuptias. Ecclesiastes 7. *alta profunditas! quis inueniet eam?* Subditurque post alia; *solummodo hoc inueni, quod fecit Deus hominem rectum; & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*. Quæ quidem verba coincidere videntur Osee sententiæ. Cauditque Ecclesiastes; *& quis cognouit solutionem verbi?* non secus ac Apostolus ad Roman. 11. casum Iudæorum expendens exclamat: *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Quoad Osee dictum B vide Angelicum. (B 1. 2. q. 112. 3. 2. 2. 2. q. 19. 1 3 & 2. 2. 161. 3. & p. p. 23. 3. 2.) Verùm benè ait idem Ribera: *Deus more humanissimi Iudicis loquitur, qui famulum aut amicum in capitalia crimina procliuem, nunc precibus, nunc minis sæpè in officio continuit; operamque diligenter dedit, vt indolem vitiosæ naturæ moderaretur, & peccata mortem sibi paritura vitaret: sed victus tandem vitijs, iustitia exigente, capitis illum damnare cogitur. Qui hæc fecisset rectè pereunti famulo diceret; perditio tua; tantummodo in me auxilium tuum*. Et ecce hoc insinuari ex parabola; *homini Regi*: cur enim apposuit ly *homini*? Postea legimus *iratus Rex*; nec dicit *homo Rex*. Ad hæc Angelicus; C nomen hominis ad pietatem pertinere videtur. (C D.Th. hic.) Sic ad Titum *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*: vbi significat humanitas virtutem, D quæ consistit in exteriori subuentione in defectibus aliorum: vnde humanum esse, est condescendere (D Titi 3: 1. 1.)

Act.

Act. 28. *barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis*. Hinc in psal. 102. *miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors*. Amantissimè autem allicit, dum ad delicias vocat, ad nuptias. De his nuptijs inquit; E quadruplex est expositio; primò per vnionem naturæ humanæ ad diuinam; vt humana natura sit sponsa, thalamus vterus Virginis; psal. 18. *tanquam sponsus, procedens de thalamo suo*. Deinde, vt sponsus sit Christus, sponsa Ecclesia; 1. Ioann. vltimo; *vt simus in vero Filio eius*: Ephes. 5. *ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Tertiò ipsius Dei ad animam; Osee 2. *sponsabo te mihi in fide*. Denique nuptiæ erunt in communi resurrectione. In Sermone F missis carnalibus, tres commemorat; allegoricas, inter Christum & Ecclesiam; tropologicas, inter Deum & animam; & anagogicas inter Deum & Ecclesiam triumphantem. Alibi ad allegoriam trahit omnia dicens; G per nuptias intelligitur coniunctio Christi ad Ecclesiam. Et istud quidem matrimonium initiatum fuit in vtero virginali, quando Deus proprio filio humanam naturam vniuit, in vnitatem personæ: vnde huius coniunctionis thalamus fuit vterus virginalis; psal. 18. *& ipse tanquam sponsus*; &c. publicatum autem fuit, quando Ecclesia per fidem, ipsi coniuncta est; Osee *sponsabo te*, &c. Consummatum autem erit; quando sponsa, idest Ecclesia introducetur in thalamum sponsi, in cœlestem scilicet gloriam. Sic alibi; H matrimonium est inter Christum & Ecclesiam propter vnionem amoris; Ioan. 3. *qui habet sponsam, sponsus est*. Harum nuptiarum sponsalia fuerunt contracta in incarnatione; solemnitas verò fuit celebrata in resurrectione; traductio verò in thalamum, siue in thronum, fit modò particulariter in retributione; sed vniuersaliter fiet in extrema consummatione. Infra cap. 25. *& quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*; & ita Apoc. 19. *nuptiæ agni venerunt*.

E D. Th. hic.

F Serm. Dom. 1. post 8. Epiph.

G Ioan. 3. l. 1.

H Apoc. 19. com. 3.

VERS. III. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias*.

2. *Partus*, inquit Origenes, *matrimonij huius sunt opera bona*. Et Chrysostomus expendit inuitatos prius fuisse homines à tempore Abrahæ, cui Christi incarnatio promittebatur. Sed phrasis ista inuitandi & vocandi ostendit gratiæ naturam, quæ minimè arbitrium cogit: vnde sui iuris adhuc *nolebant venire*. Huc certè dixerim collimare vocationis huius seriem, vt minimè libertatem lædi innotesceret; quādo inuitatos, semel & iterum vocatos: & exhortatos, adhuc emicat remanere in sua potestate, & in sua electione. Sanè ex 3. Cont. Gent. cap. 148. Deus non cogit ad virtutem. Deuter. 30. *considera, quòd hodie proposuerit Dominus in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum*. Et Eccles. 15. *ante hominem vita & mors; bonum & malum*. Subtiliter deprehendas hoc quia post iteratam vocationem legimus dixisse tandem seruos suasoriam; *venite ad nuptias*: quod sonat quasi consilium: est autem electio appetitus præconsiliati. Operæ-pretium autem erat summi momenti rem istam tangere; vt sub oculis ex parabola caderet *perditio tua Israel*, (vt dixi præcedenti in cap. Osee 13.) si *malos malè perdet agricolas*; & si hic *occidit homicidas illos, & Ciuitatem illorum succendit*. Veruntamen, quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt Augustinus dicit in lib. de correptione & gratia cap. 15. ideo fidelis vocationis studio neminem fraudare possumus, aut excipere. Sicut nulli quandiu viuit hic, (solida doctrina est I) correctionis aut orationis beneficium subtrahendum est. Porrò hæc seruorum missio ad vocandum vnitatem commendat Ecclesiæ Christi sponsæ. Sic 1. Cor. 12. *etenim in vno spiritu, omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*: L in vnum corpus idest in vnitatem Ecclesiæ, quæ est corpus eius; Ephes. 1. *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius*. Subdit autem ad Corinthios; *sed id idipsum pro inuicem sollicita sint membra*. Ardentius autem id exequitur, qui Deo seruire intendit; feliciusque sortitur, qui vocem præire facit operis & exempli; iuxta Iesu Domini præceptum Apocalyps. 22. *qui audit dicat veni*: nam *spiritus & sponsa*, vt præmittitur (idest Ecclesia M per prædicationem) *dicunt*; *veni*. Sed recole Bernardum; *efficacior est vox operis, quàm sermonis*: Leonem Papam; *validiora sunt exempla, quàm verba*: & Gregorium; *loquendi auctoritas perditur, cum vox opere non impletur*.

I 2. 2. 83. 7. 3.

L 1. Cor. 12. l. 3.

M Apoc. 22. com. 2.

VERS. IV. *Dicite inuitatis; ecce prandium meum paraui: tauri mei & altilia occisa sunt*; &c.

Si de conuiuio gloriæ interpretemur, adest Scriptura concinens Isaiæ qui cap. 25. habet; *faciet Dominus in monte hoc, conuiuium pinguium*, &c. *pinguium medullatorum*. Vbi Haymo, quia in Conuiuio gloriæ, *Deus omnibus omnia existens, eos delicijs, & suauitate ineffabili replebit*. *Vt sit Deus omnia in omnibus*; 1. Corinth. 15. & Angelicus N intelligit sub ea metaphora, abundantiam honoris. Alibi, spiritualiter exponit hoc pacto; O quatenus delectatio, quæ est in contemplatione sapientiæ, & assumptio veritatis intelligibilis in intellectum nostrum, per vsum ciborum, in Sacra Scriptura consueuit designari: quia proponit nobis intelligibilia sub similitudine sensibilium, vt animus noster ex ijs quæ nouit, discat incognita amare. Sic & in opusculo; P non quòd illo finali bono, corporalibus cibis Sancti vtantur incorruptibiles iam effecti; sed per mensam significatur refectio gaudij, quod habet Deus de se ipso, & Sancti de eo. Et rursus Q per cibum intelligitur delectatio beatitudinis. Quia ergo sistendo in metaphora agnata nuptijs, validæ nutritionis sunt tauri, & suauioris gustus altilia & saginata; ideo crediderim in parabolam vsurpari. Sed libet secretiora rimari ex hebræo idiomate: fortè enim, quæ dicit Augustinus de cœlesti Patria, & tauris & altilibus significantur. Habet autem in de Ciuitate Dei lib. 22. rogatus quid ibi agemus: *dicimus quòd ibi vacabimus, & videbimus & amabimus, & laudabimus & cantabimus*. Isaiæ 51. *gaudium & lætitia inuenientur in ea: gratiarum actio, & vox laudis*. Nunc audi mi lector fidelis, & sublimissima Domini eloquia mirare; cur tauros, tot inter eduliorum species, voluit deligere. Hebraicè *sōr*, *sor* est vel *taurus*. Si à qua requiras radice; ab ipsamet item voce *sor*. & *sar*: quæ primò significat *cantare & psallere*: inde fit Canticum: ecce quod ait Augustinus; *cantabimus*; secundò *sor* significat *intuitus est, respexit, considerauit, contemplatus est*: ecce quod idem Augustinus dixit; *videbimus*. *Videbimus*; ergo *& amabimus*. Porrò quod ait *altilia* minus vacat mysterio. Altilia dicuntur ab *alendo*, quia nutriuntur animalia, aues exempli gratia, quæ saginantur. Hebraicè autem nutrire *ghidel* dicitur: at quænam radix est? vtique *gadal*, *magnus fuit, magnificatus est*: vnde etiam *gadol*, *magnus*; *godel, magnitudo*; *ghedoloth*, *magnalia*. Cùm agitur de cœlesti Patria, vbi prandium à Deo paratum est psal. 47. intonat, *magnus Dominus & laudabilis nimis*; ecce de magnitudine: *in Ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*. Adeo est etiam ibi magna diuinæ fruitionis refectio; vt exclamet psal. 30. *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine; quàm abscondisti timentibus te!* Et adhuc in priori psalmo, nedum tanguntur in magnitudine altilia; sed & tauri ob claram visionem; *Deus*, inquit *in Domibus eius cognoscetur*: ibi enim *videbimus*, & *cantabimus*: vtique in Dei laudem; quia *laudabilis nimis*. Magnitudinem

3.

N Isa. 25.

O 4. Cont. G. c. 83.

P Compendio Theolog. opusc. 2. p. 2. c. 9.

Q p. 2. 4. 7. 1.

dinem hanc diuinorum, quid prohibet in botro illo intelligere, qui Num. 13. tantæ fuit magnitudinis, vt à duobus portaretur viris? *absciderunt palmitem cum vua sua; quem portauerunt in vecte duo viri*. Hinc & de terra promissionis figura gloriæ Iudicum 17. legitur dixisse exploratores; vidimus *terram valde opulentam, & vberem: nolite negligere; &c. eamus*. Sed heu hic secus factum est: *illi autem neglexerunt; & abierunt: alius in villam suam; alius verò ad negociationem suam*; &c.

4. Cæterùm quia condit parabola intellectum etiam Ecclesiæ militantis: in quo interpretes consentiunt Gregorio; secundùm quod Ecclesia Christo, & anima nostra Deo R per fidem desponsatur; libet *tauros & altilia* in suis significatis, & in ipsa indagare. Si enim *sor* intueri sonat, *respicere*, & *contemplari*, 1. Corinth. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate*; & 2. Cor. 3. *nos verò reuelata facie gloriam Domini speculantes*. Si ab altilibus ex hebræa radice, & *magnitudo* & *magnalia* deriuantur; habemus Corinth. 2. cap. 12. *ne magnitudo reuelationum extollat me*; &c. & Act. 2. *audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*. Iam verò quæ sint hæc magnalia accipi potest ex Virgine; quæ in Cantico attexuit; *quia fecit mihi magna, qui potens est*: Theophylactus; *quæ tibi magna fecit? credo, vt creatura ederes Creatorem; famula Dominum generares; vt per te Mundum Deus redimeret; per te illuminaret; per te ad vitam reuocaret*. Mirè autem considerandum est, qualiter, quæ hic in parabola profert Dominus, coincidant cum dicto Sapientiæ Prouerb. 1. *vocaui & renuistis*: ecce hic; *misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire*. Deinde subdit Sapientia; *extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret*: adnecte hic; *ecce tauri mei & altilia occisa sunt*: quod est veluti ad dandum extendere manum: Prou. 31. *manum suam aperuit inopi; & palmas suas extendit ad pauperem*. Nam ex Angelico Rom. 10. lect. 3. intelligitur de extensione manus Dei beneficia exhibentis. Ditatur autem pauper cœlesti in gloria, cum possidet Regnum Cœlorum Matth. 25. vbi (Prouerbiorum 1.) *abundantia bonorum perfruetur*. Tertiò sequitur in Prouerbijs; *despexistis consilium meum*: quemadmodum hic fert parabola; quasi per modum consilij; *venite ad nuptias*. Denique subiungit Sapientia; *& increpationes meas neglexistis*: hic autem similiter; *illi autem neglexerunt*. Hebræor. 1. *quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

R D.Th. hic.

VERS. V. *Alius in villam suam; alius verò ad negociationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius; & contumelÿs affectos occiderunt*.

5. Hæc prima vocatio, S de Iudæis intelligitur; historialiter facta per Prophetas, deinde & per Apostolos. Omnes quidem Prophetæ testimonium fuere Christi venturi: iuxta illud Rom. 1. *quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis*. Act. 10. *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*. Act. 3. *Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, impleuit*; & Lucæ 1. *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*. Vbi nota signanter dici *os*, non *ora*; quo pressiùs eorum omnium consensus percipiatur; nam vno spiritu vnoque *testimonio*. Quamuis autem & primò vocantes occiderint, nempe Prophetas; non eis hic illis improperat, quia parabola principaliter, vt in Syntaxi videbimus, primitiuæ Ecclesiæ statum tangit, non veteris legis tempus. Et ideo in Apostolos, & alios referri potest; sicut ait Chrysostomus; *Stephanum lapidantes, & Iacobum Alphæi occidentes*. Vnde & infra cap. 23. Dominus: *ex illis occidetis & crucifigetis*; &c. Stat veruntamen fuisse Iudæos & Prophetarum hostes acerrimos. Et sic Stephanus Actor. 7. in faciem eis obijcit; *quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti*. Sed si penitiùs introspiciamus parabolam, nequimus non mirari hunc euentum; vt scilicet tantæ fuerint perfidiæ inuitati *reliqui*; non dicit *vnus* aut *alter*; sed plures vtique, quando pars magna Ciuitatis fuerant, quam Rex iratus succendit: multi etiam, quoniam ad eos debellandos atque perdendos, non vnam instruit militum cohortem, sed eos perdit, *missis exercitibus suis*. Quomodo ergo perhibetur factum, quod non admodum verisimile quispiam sibi suadeat? vt tot in tantam conspirauerint crudelitatem, vt inculpatos seruos, qui dulciter adeò eos ad nuptias vocauerãt ad Regis nuptias, nedum contumelijs afficerent, sed occiderent. Vndenam ingens isthæc ira & odium, sæuitia furor? Recolo quod scribit Augustinus in Ser. de tempore barbarico Tomo 9. *tota Ciuitas hoc fecit, quæ tota consentit; & se ipso omnis homo in anima intus occidit, videndo, consentiendo, non prohibendo: omnes remansimus rei*. Sed cùm non præsumatur reliquos in vnum collectos fuisse, cum accesserunt serui Regis ad eos inuitandos; nec etiam liquet, sibi inuicem ad occisionem seruorum consuluisse ac manus dedisse. Planius ergo videtur dicendum, reliquorum singulos, suadente Diabolo & propria iniquitate, in odium vocationis, proinde & seruorum vocantium ad nuptias, absque tamen causa vlla, iuxta illud, *odio habuerunt me gratis*, conuenisse: idcirco appellari & fuisse homicidas; quia 1. Ioan. 3. *qui odit fratrem suum, homicida est*. Hoc autem odium, ex contextu ipso innotescit; siquidem *tenuerunt seruos eius; & contumelijs affectos occiderunt*. *Ex ira*, sententia est Gregorij, doctrinaque Sancti Doctoris V *oriuntur contumeliæ*. Ex ira itaque *tenuerunt eos*: deinde in contumelias eruperunt: tandem ira creuit in odium. Cum his tamen stat, opere quoque, seruorum Regis mortem fuisse Iudæos molitos; quandoquidem, quod habetur Actor. 14. *qui increduli fuerunt Iudæi suscitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersùs fratres. Cùm autem factus esset impetus Gentilium & Iudæorum cum Principibus suis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos*; &c. Quid inde expectari poterat, nisi iusta vltio? V 1. 2. q. 72. 4.

VERS. VII. *Rex autem cum audisset iratus est*; &c.

Sapient. 11. *hos quidem tanquam Pater monens probasti; illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti*. Congruit facto huic & alia sententia Ecclesiastes 8. *ne festines recedere à facie Regis; neque permaneas in opere malo; quia omne quod voluerit faciet; & sermo illius potestate plenus est. Nec dicere ei quisquam potest; quare ita facis?* Quod & in Iob cap. 9. legimus; *vel quis dicere potest, cur ita facis? Deus, cuius iræ nemo resistere potest*. Prouerb. 19. *sicut fremitus Leonis; ita & Regis ira*. Igitur, *iratus Rex perdidit homicidas illos; & Ciuitatem illorum succendit*. Euentum historialiter animaduerterunt & Hieronymus & Chrysostomus, quando sub Duce Vespasiano & Tito, occisis Iudææ Populis, præuaricatrix succensa est Ciuitas. Quocirca & Augustinus in psal. 64. *& illa quidem Ierusalem modo à Iudæis non incolitur. Post crucifixum enim Dominum, vindicatum est in illos flagello magno; & eradicati ab eo loco, vbi impia libertate furiosi aduersùs medicum insanierunt, dispersi sunt per omnes Gentes. Ne locum perderent*; Ioann. 11. *venient Romani, & tollent locum nostrum & Gentem; Dominum occiderunt; & ideo perdiderunt, quia occiderunt*. Veruntamen vniuersalis isthæc vindicta, ostendit multitudinem fermè totam illam peccasse. 6.

S D. Th. hic.

X 2. 2. 108. 1. 5. casse. Doctrina est Angelici x in hæc verba. Quando tota multitudo peccat, est de ea vindicta sumenda; vel quantùm ad totam multitudinem; sicut Ægyptij submersi sunt in mari rubro persequentes filios Israel, vt habetur Exodi 14. & sicut Sodomitæ vniuersaliter perierunt: vel quantùm ad magnam multitudinis partem; sicut patet Exodi 32. in pœna eorum, qui vitulum adorauerunt. Quandoque verò, si speretur multorum correctio, debet seueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos principaliores; quibus punitis, cæteri terreantur: sicuti Dominus Numeri 25. mandauit suspendi Principes Populi, pro peccato multitudinis. Quales fuerint Iudæi an corrigibiles, accipiat lector ab indiscreta illorum cæde in Ierusalem. Recole pro alti diuini iudicij humili

A Ibi ad 5. elucidatione; quandoque A paruulos puniri temporaliter cum Parentibus; quia sunt res Parentum, & in eis etiam Parentes puniuntur; tum etiam, quia hoc in eorum bonum cedit; ne si reseruarentur, essent imitatores paternæ malitiæ; & sic grauiores pœnas mererentur. In bruta verò animalia, & in quascumque alias irrationales creaturas vindicta exercetur; quia per hoc puniuntur illi, quorum sunt; & iterum propter detestationem peccati. Hoc dixerim ipse accidisse in euersione Ierusalem; scilicet in detestationem peccati.

7. Porrò quia de materiali Ierosolymæ excidio locutus aliàs, vt infra cap. 24. *non relinquetur hic lapis sup r lapidem*: & vberiùs Lucæ 19. *circumdabunt te inimici tui vallo; & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem*: dum in parabola tradendam igni prædicit istorum Ciuitatem; aliud videtur mihi futurum signare: nimirum irreparabilem cæcitatis iudaicæ dispersionem. Nam exinde certas nullas sedes habent, firmum nullibi domicilium; nullibi sui iuris sunt: Quæ cuncta Ciuitati derogant; quæ describi solet; Collecta ciuium multitudo; vbi vinculo quodam societatis ciues in vnum coeant cœtum, & sub eisdem legibus viuant. Similiter, sicut introducit Augustinus in 2. de Ciuitate Dei cap. 21.

B p. 2. 105. 1. ex Tullio, recolitque Angelicus; B Populus est cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus. Quoniam ergo pertinaces Iudæi non vltra erant congregandi, sed immo in omnem ventum dispergendi; iuxta postremum Oseæ vaticinium c. 9. *abijcet eos Deus meus, quia non audierunt eum; & erunt vagi in nationibus*: & priùs cap. 3. *dies multos sedebunt filij Israel sine Rege & sine Principe*; &c. ideò Ciuitatem illorum dicit succensam, hoc est, spe omni destitutos, vt possint è cineribus aliquando surgere: si quam enim incolunt Ciuitatem, Ciuitas nulla *illorum* est. Videtur autem Dominus huiusmodi incendium Ciuitatis eorum prænuncians, tangere Amos vaticinium, qui cap. 1. habet; hæc dicit Dominus; *super tribus sceleribus Damasci; & super quatuor, non conuertam eum; eoquòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad; & mittam ignem in domum Azael*. (Ieremiæ 4. *ne fortè egrediatur, vt ignis indignatio mea*.) Nam in Iudæos, quadrat comminatio: quippe qui *Damasceni* dici queunt, nominis etymologia *à bibendo sanguine*, vt ait Rupertus. Neque enim innocentissimi Saluatoris sanguine satiati sunt; sed insuper Apostolos & discipulos, quanta maxima potuerunt crudelitatē persecuti sunt; vt infra apud Matthæum cap. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas; & ex illis occidetis, & crucifigetis; & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris*; &c. Et hoc sub ænigmate *Galaad*, cuius interpretatio est *aceruus testimonij*: quadrans vtique Apostolis; quibus Act. 1. dixit Dominus: *& eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*: sicut cap. 4. *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Hos impiè *triturauerunt*, nec quoad vsque suppetierunt eis vires; destiterunt; ideo benè sequitur, vt præludat Prophetia Euangelio, *non conuertam eum*, supple populum; siue vt legit Chaldæus; *non parcam eis*: supple post tot cumulata scelera, in discipulorum testiumque meorum tritura obstinatioribus: *mittam ignem in domum Azael, & deuorabit domos Benadad*: qui in Damasco regnarunt. Quorum nominum significata mystica hanc ad rem, vide in Ribera: qui ad hanc prophetiam refert, quod ait hic Rex, qui *missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & Ciuitatem illorum succendit*. Hebraica autem *perdendi* radix *abad* sonat *periit, interiit, disperiit, dissipatum est*: inde perditio, & interitus. Supra cap. 10. *timete eum qui potest, & animam & corpus perdere in gehennam*. *Missis exercitibus suis*: Augustinus 9. de Ciuitate Dei, cap. 5. *Sancti Angeli sine ira puniunt, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos*. Per Ciuitatem C D.Th. hic.

non improbat C quod ait Origenes intelligi & corpora. Alibi D inquit, Anima cum corpore, corpus cum sensibus castrum quoddam est. Non sic D 1. Cor. 7. l.

definit perdendos fuisse illos, qui *neglexerunt*: neglectus enim etsi in re tam graui culpandus sit, non tamen æquè ac contemptus, qui in tantum excanduit furorem. Nam cùm & in Actis cap. 17. prædicaret Paulus; *quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt; audiemus te de hoc iterum*. Huiusmodi terrenorum distracti amore, & temporalium diuitiarum cupiditate, quæ sunt salutis suæ negligunt. Sæpè inquit psaltes; *inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam*. Cuius sententiæ potest esse expositio ex ipso ore Domini supra cap. 13. de diuitijs; quia *solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocant verbum*. Et facilè vbi ex auaritia nascitur in corde ac mente neglectus, suboritur contemptus. Lucæ 16. *audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum*. Villa autem & negociatio ad auaritiam, si quando fit inordinatio, cor trahunt: cum ex Philosopho 1. Politic. cap. 6. duplices diuitiæ sint, naturales nimirum & artificiales: quarum abusus ex villa, & negociatione satis innuitur. In hisce nequit consistere E hominis beatitu- E p. 1. q. 2. 1.

do. Quid mirum, si à cœlestis conuiuij beatitudine, atque à vocatione ad nuptias in eis fixos auertant?

VERS. VIII. *Qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum.*

Consentiunt Patres subsequi vocationem Gen- 8.

tium. Graphicè textus euangelicus pingitur in Actis. Ibi cap. 13. reperimus dixisse constanter *Iudæis Paulum & Barnabam: vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes*. Repellebant autem verbum; quia vt mox ante legitur; *contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes*. August. sicque & in omnis temporis Iudæos: *non minus peccant qui eum blasphemant iam regnantem in Cœlis; quàm qui eum crucifixerunt adhuc mortalem in terris*. Iudæorum autem contradictionem legimus & Roman. 10. ex Isaiæ 65. *tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*; ibidemque præmittitur, quod consecutum est, *inuentus sum à non quærentibus me*; idest F à Gentilibus. Ecce in F Rom. 10. l. 3.

Actis contextum; *conuertimur ad Gentes*; ecce in Euangelio; *ite ergo ad exitus viarum*; &c. Vnde in cohærentiam; quemadmodum hic ait Dominus; *qui inuitati erant, non fuerunt digni*; ita in Actis; *& indignos vos iudicatis æternæ vitæ*. At opus, hic labor est. Theologos desiderat hæc sententia; qui tamen

men quod scripsit Gregorius, *diuina, vt possunt, balbutiendo resonent.* Si de dignitate ad cœlestis Patriæ nuptias dicitur; nemo profectò ex se dignus est. Quare possent respondere inuitati; *non sumus digni;* tu nos, tuum enim est largiri gratiam & charitatem, fac dignos. Addo. Si isti non peruenerunt ad nuptias, quia digni non erant; nunquid digni erunt inuenti ab egressis seruis in vijs? Tantum abest; vt collegerint potius *bonos & malos*. Nunquid mali digni erant vocari, aut intrandi ad nuptias? Quòd si vt intrarent, aut intrare possent dignos ipse fecit; tantundem si donasset primis, euasissent digni. Si primi quòd digni nō essent, culpantur; videntur æquè culpandi omnes postea vocati; quia nec ipsi ex se digni erant, aut poterant esse. Quod si elongati sunt primi quòd essent indigni; nec inter secundos, vocari debuerant mali. Denique si digni non fuerant, cur fuere inuitati?

9. Hæc omnia, quæ quàque versum exaggerari adhuc possent, abyssum inuoluunt profundam; non solum de prædestinatione ac reprobatione, sed de consecutis ad primam; nam Roman. 8. *quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit:* itemque de diuinæ præscientiæ notis, post secundam; scilicet post reprobationem à Regno; nam Hebr. 6. *terra sæpe venientem super se bibens imbrem, proferens spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima.* Porro controuersiarum huiusmodi acumina & culmina Scholasticos exerceant potius non expositorem. Huic equidem satis fuerit primis delibare labris. Roman. 9. *an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? &c. sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitū; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Satis fuerit; Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit; nec delectatur in perditione malorum.* Quamuis hic cap. præcedenti; *malos malè perdet;* & in hoc; *perdidit homicidas illos.* Satis fuerit Osee 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Satis fuerit 1. ad Timoth. 2. *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* & cap. 4. *qui est Saluator omnium hominum; maximè fidelium.* Tandem Rom. 9. *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Sed Iacobi 1. *ipse neminem tentat.* Et Augustinus tract. 14. in Ioan. *saluari non vis ab ipso; ex te iudicaberis.*

10. Reuertendo igitur ad textum adnotari oportet discrimen inter vnam & alteram vocationem. In prima siquidem præsumuntur inuitati, puta per Moysen & Prophetas: quare de gremio Ecclesiæ Dei fuisse agnoscuntur per veri Dei fidem, iuxta illud psal. 75. *notus in Iudæa Deus;* etsi defecerint fide ij qui Christum noluerunt recipere: qui *in propria venit*, Ioan. 1. *& sui eum non receperunt.* In secunda hac vocatione minimè præinuitati dicuntur; quia ad Gentes facta est; quæ dicuntur Ephes. 2. fuisse *sine Deo in hoc Mundo;* & 1. Thessal. 4. *sicut Gentes quæ ignorant Deum.* Quod intelliguntur de cognitione

G Ephes. 2.1.4. per fidem; G nam de cognitione naturali dicitur Roman. 1. *qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Adde tu idololatras plurimos vocatos ad fidem veri Dei: proinde ad cœlestes nuptias veluti consectariè; sed primitus ad Ecclesiam per fidem. Et ecce admirabiliter ad innui ex parabola; dum de secunda hac vocatione Gentium inquit *congregauerunt:* eos scilicet *quos inuenerunt.* Ecclesia enim congregatio fidelium est. Primi inuitati iam consociati erāt in Ciuitate, dixerim in Synagoga; Synagoga autem sonat congregationem, & cœtum: & Ciuitas pariter cœtus est. Dic & ideo succensam eorum Ciuitatem; quia Synagogæ non vltra coram Deo, ipsius succensore, locus est.

Hoc præhabito, animaduertendū est adhuc quoad primos attinet, *paratas* semel & iterum referri nuptias; vt nimirum de vocatione ad epulas æternæ vitæ intelligeretur. Quod expressius Act. 13. ijs verbis; *sed quia indignos vos iudicatis æternæ vitæ.* Itaque cum in primorum vocatione immediatè de æterna vita sermo esset: vndenam ad eam non peruenissent operæ-pretium fuit aperiri: quia *non fuerunt digni.* Illuc non nisi digni ingredi possunt. Vbi non sit gratia sanctificans, quæ semen est gloriæ, impossibile fit ad eam introduci. Sola habitualis gratia, de condigno, (quod inquiunt Scholæ) meretur vitam æternam. Qui excidit à charitate & gratia, condignitatem non habet. Si eò non peruenit; formalis proximaque ratio est, quia dignus non fuit. Sobriè prolata à Domino alta hæc sententia patefecit, quicquid de gratia, de iustificatione, de merito prolixis disceptationibus dici posset. Corinth. 1. cap. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum; charitatem autem non habeam, &c. nihil sum; nihil mihi prodest. Charitas nunquam excidit.* Quòd si roget quis; cur non iustificati sunt hi priùs vocati, vt essent digni? præsertim quia inquit Apostolus Rom. 3. *iustificati gratis.* Respondeo ex eodem; *iustificati vtique gratis;* sed *per gratiam ipsius:* sed *per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: quem proposuit Deus propitiationem per fidem:* & paulo post; *vt sit ipse iustus, & iustificās eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Tenebantur ergo credere in Saluatorē, vt possent iustificari. Minimè autem crediderunt; quia immo *seruos eius tenuerunt, & contumelijs affectos occiderunt.* Et hoc mirè insinuatur in Actis, quasi in elucidationem parabolæ; quia, (inquiunt Paulus & Barnabas) *indignos vos iudicatis æternæ vitæ:* ac si dicerent; Ioann. 3. *qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est.* Subdat Augustinus vt supra, Tract. 14. in Ioannem; *saluari non vis ab ipso: ex te iudicaberis. Et quid dicam iudicaberis? iam iudicatus est.* *Iudicare* in Scripturis etiam pro *condemnare* accipitur: Hebræor. 13. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus;* H idest condemnabit. Et ita Ioann. 3. *non enim misit Deus filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum.* Itaque, *vos iudicatis indignos æternæ vitæ* sit; *vos condemnatis.* Nec sine mysterio existimes vsurpari in Actis hanc vocem *iudicatis*, potiùs quàm *condemnatis;* quoniam iudicium discussionem causæ præsumit: vnde culpantur de corruptæ mentis sententia. Sanè facta est causæ Domini conquisitio; de qua Iob 36. *causa tua quasi impij iudicata est;* quando coram Pilato, negarunt ei fidem. Sic Petrus in Actis cap. 3. de Iesu; *quem vos quidem* (Iudæos alloquitur) *tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis.* Adnectit in Serm. 8. Leo Papa: *sed cùm exardesceret ira clamantium, obtinuerunt in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant.* Forma ergo iudicij noluerunt Saluatorem credere: hinc se indignos æternæ vitæ condemnarunt; sed fidem eius quadam iudicij specie abnegantes, non modo se condemnarunt, sed iudicarunt *indignos æternæ vitæ:* indignos autem, non sensu priuatiuo, quo homo in puris naturalibus indignus esset; sed positiuè contrariè; *non dignos*, vt in parabola; quia vt ibi Ioannis 3. *lux venit in Mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.* Sistat hic calamus.

H Hebr. 13.1.1.

Post hæc elucet, cur non expendatur secundò vocatorum indignitas; immo congregentur mali & boni; quoniam ad fidem & Ecclesiam vocati sunt. Ad Ecclesiæ ingressum non præexacta est illa condigni- 12.

gnitas, quæ à mensa cœlesti requiritur. Ideo præsumpti etiam mali vocantur; quia supra c. 9. inuulgat; *non veni vocare iustos sed peccatores*: & 1. ad Timot. 1. *Christus venit in hunc Mundum peccatores saluos facere*. Qua de causa fortè hic præmittuntur mali bonis: *congregauerunt, quos inuenerunt, malos & bonos*. Quamuis quia, vt dicitur Ecclesiastes 9. *non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*: & Apostolus Ephes. 2. *eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*; fas sit concipere, quos congregauerunt malos, bonos effectos. Non secus ac dicit Ambrosius lib. 6. in caput 9. Lucæ; *illi qui vocantur ad cœnam, priùs vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, vt veniret, accepit; si lumine priuatus oculorum; domum vtique Domini, nisi refusa luce intrare non potuit*. Et sanè cùm non nisi per baptismum, pateat ad Ecclesiam introitus: qui vt aliàs dictum fuit, est fidei Sacramentum, ianuaque Sacramentorum; & is nonnisi pœnitentibus administretur: I quod præcepit Petrus Act. 2. *pœnitentiam agite: & baptizetur vnusquisque vestrum*: vnde ex ritu Ecclesiæ; *abrenunciant Satanæ & pompis eius*: fit, vt qui mali erant transeant in bonos. Quamuis nihil prohibeat in Ecclesia esse qui ad eam pertineant, & malos & bonos; iuxta præhabita supra cap. 13. de sagena *ex omni genere piscium congregante, Quam cum impleta esset educentes, collegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*. Iam & hic *congregauerunt malos & bonos; omnes quos inuenerunt*. Emergit autem, non contemnenda quæstio, de ijs quæ sequuntur.

I 1. p. 68. a. 4. & 6.

VERS. IX. *Ite ergo ad exitus viarum*.

VERS. X. *Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium*.

13. Sequitur; *egressi serui eius in vias*. Cum tamen iussisset Rex, vt irent *ad exitus viarum*. Sed hinc sana eruitur intelligentia; vt Rex minimè secreuerit, quos etiam inuenirent in vijs: sed ijs non contentus, eos etiam voluit congregari, qui in fine viarum essent. Quod liceat triplici sensu accipere. Moraliter, vt nec morti proximos, iam iam de via vitæ huius emigraturos negligamus & inuitare & vocare ad cœlestes nuptias. Allegoricè, quia vsque ad finem Mundi, redigendi sunt ad Ecclesiam Dei viatores. Historialiter tertiò; quia *in omnem terram exiuit sonus eorum*: prout re ipsa factum est, secundùm quod in Actis iniunxit: *& eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria; & vsque ad vltimum terræ*. Et cap. 13. *sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem Gentium*; (Isaiæ 49.) *vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ*. Hoc in Parabola sonat, quod habet *ad exitus viarum*. Ex his vndequaque collectis, *quos vocauit*, Roman. 9. *non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, impletæ sunt nuptiæ*. Ex hoc erudimur satis vocandorum ad Ecclesiam, subinde ad epulas gloriæ, numerum esse; nedum præuisum, vt de cunctis etiam minimis, sed vlterius principali præfinitione præordinatum; conformiter L ad doctrinam Angelici; vbi quærit, *Virum prædestinatorum numerus certus sit*. Fauet, pro vocatione huiusmodi præordinata, quod dixit Petrus Act. 2. *vobis enim est repromissio & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster*. Et cap. 13. de Gentibus; *& crediderunt quot quot erant præordinati ad vitam æternam*. *Impletæ sunt ergo Nuptiæ*; pro certitudine præterito tempore: at valeat pro futuro; *implendæ sunt*. Quamuis autem implere cœperit vocatio, impleat in præsenti, & impletura sit vsque in finem; tanquam vnà simul collecti essent, intrat Rex, vt oculo æternitatis, quæ tempus omne claudit, videat discumbentes; vt mox dicemus.

L 1. p. q. 23. 7.

14. Sed est quod anxiè inquiratur; Cur patriuo casu legatur *discumbentium*, non verò *discumbentibus* ablatiuo? vt aliàs in Euangelio quoque in praxi est. Infra cap. 27. *spongiam impleuit aceto*; Lucæ 1. *esurientes impleuit bonis*; Ioan. 2. *implete hydrias aqua*. His motus Pagninus posuit *discumbentibus*: Syrus dicere maluit, *impleta est domus conuiuij*. Gratis quidem, & fermè irreuerenter mutatum est. Neque enim id attigerunt, vt numerus intelligatur impletus discumbentium, vt exposuimus. Vnde vt ad hunc intellectum eleuaretur Christiana pietas; quo crederet, (minimè obstante quorumcumque reluctantia) vocationem suum infallibiliter sortituram finem; *impletæ* dictæ sunt *nuptiæ discumbentium*. Et sic commendaretur, nedum arbitrij libertas in ijs, qui *nolebant venire*, in ijs qui *neglexerunt*, &c. sed & gratiæ efficacia, cùm nihilominus *impletæ sunt nuptiæ*. Vim autem vocationis ostendit factum, quia *congregauerunt omnes, quos inuenerunt*: veluti quadam amanti tractione; non secus ac Cant. 1. *trahe me post te*; vbi mox, *curremus*; & Ioan. 6. *nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Vbi Augustinus Tract. 26. in Ioann. *magna*, inquit, *gratiæ commendatio! nemo venit, nisi tractus. Sed, noli cogitare, te inuitum trahi. Trahitur animus & amore. Nec dicas, quomodo voluntate credo, si trahor? Nam trahit sua quemque voluptas. Est quædam voluptas cordis; cui panis dulcis est ille cœlestis*. Et iam ipse Dominus Lucæ 14. ait; *compelle eos intrare*. Fieri autem hunc sensum; *impletæ sunt discumbentes nuptiarum*; est quidem peregrina mea meditatio; veruntamen non est insolita figura, appellata *ypallage*; quæ fit cum oratio inuersa vice profertur, diciturque subalternatio. Apostolus Hebr. 9. loquens de Tabernaculo primo, inquit; *in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum*. Ibi Angelicus; M idest panes propositionis; per ypallagen; sicut, *perflauit fistula buccas*.

M Hebr. 9. l. 1.

VERS. XI. *Intrauit aut Rex, vt videret discumbentes; & vidit hominem non vestitum veste nuptiali*.

15. Quid sit hæc vestis nuptialis multipliciter exponi solet. Famosior interpretatio, est cum Gregorio, N vt sit charitas. Congruentiam affert idem Gregorius; *quia hanc in se Dominus habuit, dum ad sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias veniret*. Iuuat autem hic recoli obiectionem, quæ huiusmodi est; O Nullus damnatur, nisi pro culpa; sed aliquis damnatur propter hoc, quòd non habet charitatem, vt patet Matthæi 22. de veste nuptiali, ergo non habere charitatem est peccatum. Respondet: non habere charitatem non meretur pœnam. Sicut enim habitibus non meremur sed actibus; ita neque ipsa carentia habituum demeremur. Demeretur autem aliquis per hoc, quòd obstaculum charitati ponit, vel omittentendo, vel committendo. Neque ille in Euangelio punitus dicitur, quia non habuit vestem nuptialem; sed quia *non habens vestem nuptialem*, ad diuinum illud conuiuium intrauerat: *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*? Veruntamen mihi liceat sic vlterius ratiocinari. Vel nuptiæ intelliguntur cœlestis mensæ, & illuc intrasse; vel congregatus est cum alijs in præsenti Ecclesia, postea ingressurus ad nuptias. Si in Ecclesiam intrauerat sine nuptiali veste, hoc est sine charitate; peccauit vtique, quoniam in ipso ingressu, ex baptismo consequitur homo P gratiam & virtutes; proinde quæ virtutum forma est ipsam charitatem. Peccauit autem accedens fictus, vt postea Q exponit; puta, cùm peccato vult inhærere, & ad baptismum accedit. Cæterùm hic casus non nisi rarus præsumitur. Quare tametsi videatur cohærere textus; dum amicum vocat per fidem, vt hic R habemus; & accidit ali-

N op. 58. 15. & de malo q. 2. 5. 8.

O de malo l. cit.

P 1. p. 69. 4.

Q ibi a. 9.

R D. Th. hic.

S 1. p. 68. 8. aliquando, vt qui etiam fictus accedit, rectè sentiat simpliciter de fide; vt S alibi tradit: nihilominus ampliorem intelligentiam, quæ vniuersalius erudiat Ecclesiam, subtegere credenda est parabola. Itaque, *quomodo huc intrasti* de ingressu ad Cœli nuptias potius accipio. Sed statim insurgit arguens: non posse sic exponi hunc introitum; quia sine charitate impossibile est, vel momento ad nuptias illas nos ingredi: iste autem, vt denarratur intrauerat. Angustiæ sunt ergo vndique. Quid dicendum? præsertim, quia vt ait Gregorius super illud Apoc. 19. *beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Ad æternum conuiuium, quisquis semel intrauerit, vlteriùs non exibit.*

16. Respondeo constanter intelligi de veste charitatis, quæ vt dicitur primæ Corinth. 13. *nunquam excidit*; cum ex aduerso tam fides quàm spes extra Cœli ianuam secludantur, attactis liminibus: quibus scilicet succedit visio & tentio. Indiscretè autem loquor de charitate & de gratia, quæ inibi consummatur; & secundum quam ad Galat. 3. dicitur; *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; nedum configuratione characteris, sed per conformitatem gratiæ & charitatis, vt T docet Angelicus. Porrò quod in contrarium allatum est vim quidem facit, si hunc re ipsa assedisse nuptiarum mensæ obiectet parabola. Quomodo enim intrasset sine hac veste, quam nisi habeat, spem nullam habet, nullumque ius ad intrandum? Nisi ergo dicatur, veluti data hypothesi, procedere præsentem parabolam; scilicet ad exaggerandum quanta necessitate exigatur charitas; vt si absque illa, vel furtim ingressus esset quis Cœlum, cogatur inde egredi. Simile quidem tenore aiebat Apostolus Roman. 8. *certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes*; &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Nunquid introduci potest, vt Angeli, etiam boni, id attentent? Occurrit Chrysostomus relatus ibi, V vt vis amoris etiam ad impossibilia deflexerit. Et sic ad Galat. 1. *Licèt Angelus de Cœlo, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis; anathema sit.* Cum sit impossibile ab Angelo de Cœlo aliter euangelizari. Nisi, inquam talia dicantur in amplificationem, alia incedendum est via, quæ huiusmodi sit. Dicendum est ergo hunc & alios ingressos repræsentari Domus atrium, aut vestibulum, iam prope admittendos in Aulam, in qua solemnes nuptiæ celebrarentur. Frustratur inani hac spe, qui *sine veste nuptiali* illuc appulisset; vt sibi interiori in Æde esset discumbendum. Dicamus, morali praxi; morientem quemuis fidelem decipi, si quòd fidem seruauerit, semel congregatus cum alijs, putat se assessurum nuptijs. Moriens quisque est in ianuis, vt vel in Inferno trudatur, vel Cœlum adeat. Intrat vana fidentia, quasi cœlestis domus exterius; sed ibi sistitur. Immo acerrima increpatione retroagitur; *quomodo huc intrasti veste non indutus nuptiali?* Cum hac de discumbentium fuisses numero: sine hac eijceris. Promeritæ te manent tenebræ, *mittite eum in tenebras exteriores*, qui sine charitate, quæ ignis est lucens & ardens, huc est ausus accedere. Sequitur; *at ille obmutuit.* Cur excusationem nullam prætexit? vel cur obmutuisse narratur? quid enim hanc circumstantiam notare, necesse fuit? In promptu esse potest ratio; si alia expendatur vocula. *Intrauit*, inquit, *Rex.* Cur non potius egressus? videlicet de regio cubiculo, de adytis, de penetralibus? Nunquid morabatur Maiestas Regis in via, vt intrare dicatur ad discumbentes? Sed intrat cum mentis arcana, cum secreta cordium discernit. Domum suam inuisit, præmia redditurus aut pœnas. *Quæ domus*, Hebr. 3. *sumus nos.* Vnde Augustinus;

T 1. p. 69. 9. 1. & hic.

V Rom. 8. l. 7.

si non parcis tibi propter te; parce tibi propter Deum, qui fecit te sibi domum. Hieronymus; *in tempore illo, non erit locus pœnitentiæ; nec negandi facultas; cum omnes Angeli, & Mundus ipse testes sint peccatorum.* Dic; *in operibus manuum suarum comprehensus peccator* psal. 9. tergiuersari aut effugere incassum nititur. Adde obmutuisse; quia, si quis *linguis hominum loquatur & Angelorum.* 1. Cor. 13. *charitatem autem non habeat, factus est velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Dic ex Iob cap. 9. *si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Dic terrore exanimatum, tristitiaque absorptum spiritibus destituta lingua, obmutuisse, quia obriguit. Dic denique, obmutuisse, quia qui damnationem incurrit; nec mussitare potest in Dei iustitiam: *ipse nanque se interemit, qui præcepta medici Saluatoris seruare noluit*; ex Augustino. Benè autem Origenes; *singulariter dixit hominem; quia vnius sunt generis omnes, qui seruant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem.* Sic improperando X dictum est ei; *amice*; obijciendo ei amorem, quo amatus fuit. Et meritò improperatur; quoniam ad amicitiam A requiritur quædam mutua redamatio; quia amicus est amico amicus. Cum Dominus Ioan. 15. dixit discipulis, *iam non dicam vos seruos, sed amicos*, monet ibidem Angelicus, ratione charitatis ita eos vocasse. Ex quo fas sit quasi ironicè hic vsurpari.

X D. Th. hic.

A 2. 2. q. 23. 1.

VERS. XIII. *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.*

Manus ligari dicuntur damnatis, B quia non vltra facturi sunt bona; pedes vna simul, qui boni operis possunt significare profectum. Effectus peccati, quod Isaiæ 5. dicitur *funiculus, & vinculum plaustri.* Cohæret illud psalm. 149. *ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*, vt recolit; C quia perpetuitas pœnæ sic designatur. *In tenebras exteriores*; de quo & supra c. 8. quia D ad literam, in tenebris erunt mali. Et sic Ioannes ibi, *lux lucernæ non lucebit in te amplius.* De quibus tenebris in 4. sent. *Et vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te.* Quod certe mirè consentit sanctæ parabolæ: idest vox lætitiæ nuptiarum; Baruch 2. *vocem iucunditatis per vocem gaudij; & vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Et hinc animaduertat lector, quid compendio intelligi possit sub tropo nuptiarum; perpetua scilicet illa iucunditas; cum, *exultabunt Sancti in gloria; & lætabuntur in cubilibus suis.* Scimus autem in vsu fuisse discubitorium lectum, super quo discumbebant antiqui cœnaturi. Isaia 51. *lætitia sempiterna super capita eorum; gaudium & lætitiam tenebunt*: de qua & Petrus in 1. cap. 1. *exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.* Cui gloriæ ex aduerso erit summa damnatorum miseria: quam per huiusmodi E vincula & tenebras circumscribit. De qua & Isaias præmisso de vocatione, quod in parabola; *vocaui & non respondistis* &c. pergit dicens; *ecce serui mei comedent*; (opportune ad nuptias) *& vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis; & vos clamabitis præ dolore cordis; & præ contritione spiritus vlulabitis*: psalmus etiam 67. *dissipentur inimici eius*; (amice quomodo huc intrasti? sarcasmo dictum) *& iusti epulentur & exultent in conspectu Dei; & delectentur in lætitia*: quando impijs *erit fletus & stridor dentium*: de quo cùm dictum sit supra cap. 13. supersedemus: nisi quòd in fletu, bonorum amissio intelligi potest; proinde damni pœna; in stridore autem dentium, pœna sensus. Porrò quod ait *ligatis manibus ac pedibus*; & propter mala opera, in manibus; & propter perniciosi scandali exempla in pedibus, ostendit damnari. Quamuis autem, quod notat

17. B Isaiæ 5.

C Matth. 11.

D Apoc. 18. 4. sent. dist. 50. q. 2. 3. 4.

E Isaiæ 13.

F 4. sem. 31. q. 1. a. 3. in calce — notat Angelicus, F æqualium etiam & minorum exempla nata sint mouere; indubitanter fortius mouent exempla maiorum, qui regunt alios. Ideò fortè in psal. illo 149. *ad alligandos Reges eorum in compedibus*; & prius ps. 109. *confregit in die iræ suæ Reges*. Per pedes enim, qui vestigia relinquunt (*& vestigia pedum meorum considerasti*; Iob 23.) alijs ad peccandum iter fecerunt. Hæc & huiusmodi scripta sunt, G vt diuinam offensam caueamus; ne contingat incurrere tantam pœnam. Sed ex Gregorio 9. moralium; *quid prodest ista prænosse, si non contingat euadere?* Apocalypsis vltimo; *seruient illi; & videbunt faciem eius*. Et vbi damnatos obruet caligo tenebrarum; seruis eius *nox vltra non erit*. Scimus quòd cœlestis Ierusalem solemnitatis perpetuæ Regia est; secundùm illud Isaiæ 33. *respice Sion Ciuitatem solemnitatis nostræ*; in quantum celebrant, qui sunt in illa Ciuitate continuum festum; H qui nihil aliud faciunt, nisi quiescere videre amare, laudare, cantare; quæ conueniunt festo. In sequentia recolitur. *O quàm iucunda curia! in qua iugis solemnitas*. Neque enim dicitur solemnitas Ciuitatis; sed *Ciuitas solemnitatis*. Non mirum ergo si parabola introducatur de nuptijs: quoniam, vt notat Angelicus; I in celebratione matrimonij, solemnitas nuptiarum adhiberi solet; in apparatu sponsi & sponsæ, & conuentu propinquorum.

G Apoc. 18.

H Serm. Dom. 19. post Pent. ex Euág.

I 2. 2. 88. 9.

18. Superest de præsenti parabola inquirere, an eadem sit, quæ & apud Lucam cap. 14. *homo quidam fecit cœnam magnam*. Vtrum dixerimus probat ex Diuo Gregorio L hic Angelicus; quamuis propendeat, vt diuersa sit. Et reuera licèt sustineri posset, tacuisse Lucam de hoc eiecto, qui vestem nuptialem non habuit: & præterea; quia, cum ad horam nonam apud antiquos prandium fieret quotidie, ipsum quoque prandium cœna vocabatur. Nihilominus, planius est ad inuicem discriminari; vt ex alijs circunstantijs satis claret. Dicit ergo, & Gregorius; *per nuptias præsens Ecclesia: illic per cœnam, æternum & vltimum conuiuium designatur*. Nos vi nuptiarum, quas Christus cum sua Ecclesia contraxit; *despondi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*, 2. Corinth. 11. quæque consummantur in Cœlo, prandium vtroq; expoluimus sensu. Syntaxi quam astruimus, consentaneum. Non sic illa cœnæ parabola Ecclesiam militantem concernit. Vnde ab ea, tanquam obtento fine, nemo exclusus est. Et ita Hieronymus. Ad illud Apocalypsis cap. 19. *beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*; inquit; M non dicitur prandium, sed cœna; quia prandium fit ante cœnam; cœna post prandium, nec restat alia refectio; & ideò æterna refectio, quæ non finietur, nec alia ei succedet, rectè cœna vocatur. Hinc recolo benedictionem mensæ serotinæ; *ad cœnam vitæ æternæ, perducat nos Rex gloriæ*. Congruit autem; quia cœnæ iungitur quies; quæ in Cœlo tantùm nos manet: Hebr. 4. *festinemus ergo ingredi in illam requiem*. Sic & in Sermone; N Per cœnam istam, dicunt Sancti, intelligitur beatitudo cœlestis. Et iam Lucæ 14. præmissum est; *beatus qui manducabit panem in Regno Dei*: & Lucæ ibidem 14. distinguitur prandium à cœna; *cum facis*, inquit, *prandium aut cœnam*; &c.

L D. Th. hic.

M Apoc. 19.

N Serm. Dom. 2. ex Euang. post Pet.

19. Sed cum pro comperto tenēdum sit, *pretiosum & admirandum conuiuium, Altaris, salutiferum & omni suauitate repletum*, aliqua ex his parabolis mysticè significari; rogabis quanam? Respondeo, vtraque. Cùm enim in Collecta dicatur; *fac nos quæsumus Domine Diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat*: procul dubio præfigurat eam cœnam: & cœna subinde cœlestis huic arridet cœlesti mensæ, in qua *futuræ gloriæ nobis pignus datur*; & in qua *panis Angelorum factus est cibus viatorum*; seu *panis Angelicus fit panis hominum*. Hinc Sanctus Thomas in Opusculo, ad Vesperas O Lucæ aptat parabolam; *homo quidam fecit cœnam magnam*; &c. Veruntamen satis innuit etiam P hocce prandium sacramentalem cibum posse referre. Et ideo fortasse eiectus est, qui apparuit sine veste nuptiali; quia sine gratia & charitate accedere ad Eucharistiam, quæ verè decantatur insigne amoris, sacrilegum est. Suffragatur etiam olfacta, ad quam vocantur, Ecclesiæ allegoria, & ex Iudæis & ex Gentibus: nam Sacramentum est vnitatis. Et quia continet hoc Sacramentum, cum in quo tota Ecclesia cōsolidatur. Sanè res Sacramenti Eucharistiæ Q est vnitas Corporis mystici; sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam. Vnde est necessarium in voto. Adde, Eucharistiam R dici Sacramentum charitatis. Exigit ergo iure nuptialem vestem.

O opusc. 57.

P opusc. 58. 15.

Q 3. p. 73. a. 1.

R ibi a. 3.

VERS. XIV. *Multi enim sunt vocati; pauci verò electi*.

20. Hanc eandem sententiam effatus est Dominus supra c. 20. & aliam affinem huic c. 7. *quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam! & pauci sunt, qui inueniunt eam*. Hinc Augustinus *de verbis Domini* Serm. 32. in Lucam expendens interrogationem illam apud Lucam c. 13. *Domine, si pauci sunt, qui saluantur?* & Domini responsum; *contendite intrare per angustam portam*: sentit confirmasse Dominum, quod audiuit; *si pauci sunt, qui saluantur? quia per angustam portam, pauci intrant*. Ita & Angelicus S illa Domini sententia motus, quæ Matth. 7. *arcta est via*; &c. Idem autem D. Augustinus; memorato alio loco, nempe Matth. 8. *multi ab Oriente, & Occidente venient; & recumbent cum Abraham Isaac & Iacob in Regno Cœlorum*. & illud Apocal. 7. *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, conciliat dicens; *non autem contrarius est sibi Dominus: pauci sunt in comparatione multorum perditorum; multi in societate Angelorum. Vix videntur grana, quando area trituratur. Sed tanta massa processura est de area hac, vt impleat horreum Cœli*. Reuera ingens est adeò, adeò superexcellens, superexcelsum æternæ felicitatis & beatitudinis donum, quod considerat ibi Sanctus Thomas; vt etiamsi pauci eò perueniant, munificentissimè se se gerat Dominus, ad sui visionem admittens, quæ infinitè ab ipso distat creaturam. Et aliàs inconcussè stat illud Osee 13. *perditio tua Israel*. Cæterum liceat his Sanctis Doctoribus, ea qua decet humilitate ac reuerentia, opinionem subijcere. Neque enim ego dissentire ab eorundem magisterio vel latum vnguem vnquam intendo; sed solummodo, quod per transennam quasi dixere, expendendum magis hic exarare. Quòd si hac in re de illorum sententia aliunde constet; nam opinari videntur: cùm in doctrina D. Thomæ iurauerim, qui tam egregius Ecclesiæ Doctor est, me ipsum abnegans, quicquid simpliciter docet pro mea virili sum semper propugnaturus; & hoc ob ipsorum oculos ponere, quasi sub trutinæ examine definiendum. Video equidem, noluisse Dominum ibi Lucæ 13. satisfacere directè interroganti; puta dicendo; *pauci*. Quòd si contentionem exegit; *contendite* (quod est conatum nostrum adhibere) *intrare per angustam portam*; non ideo definiuit paucos intraturos. Sufficit enim semel conari & contendere ad intrandum: quando aliorum comitatus non impedit, immo iuuat spiritualem mysticumque ingressum. Nec quod sequitur clausam idcirco portam demonstrat, *multi quærent intrare & non poterunt*; quia quod non potuerunt ob peccatorū sarcinam & demerita, diuinæ largitatis clementia eis fortè dabitur. Sanè ex Angelico ad multa tenetur homo, T ad quæ non potest sine

S p. p. 23. 7. 1.

T 1. 2. q. 2. 5. 1. & 3. cont. G. c. 159.

gratia reparante: ficut ad diligendum Deum & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium, quibuſcunque diuinitus datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur; in pœnam peccati ſaltem originalis, vt Auguſtinus dicit, in libr. de correptione & gratia. Adde Sap. 8. *ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Et Ioan. 15. ipſemet dixit; *ſine me nihil poteſtis facere.* Nunquid ergo deſperandum; quanquam & Lucæ 13. pronunciauerit, *multi quærent intrare, & non poterunt?* Abſit. Ij qui non poterunt per ſe ipſos; (quod vt obſtruat ſuperborum ora & præſertim Pelagianorum dixiſſe credendum eſt, vt & illud Ioann. V *ſine me nihil poteſtis facere*) poterunt ex Dei gratia; quam ſe negaturum non dicit; nec dicit, *non intrabunt*, ſed, *non poterunt intrare.* Quod ſalubre monitum cautos reddit fideles, ne quas ſemel receperunt vires gratiæ, peccãdo amittant; quia quod ante per gratiam poterant, ope gratiæ deſtituti non vltra poſſunt. Nec credatur paucitatem euincere ſaluandorum illud ſupra c. 7. *pauci ſunt, qui inueniunt eam*; quia præſumitur quoque dictum *pauci ſunt, qui quærunt eam*; quia *qui quærit inuenit*, vt ibidem ait: at etiam non quærentes, ſubinde non inuenientes clementiſſimus Dominus ſaluat; ſiquidem ex Iſaia fert Apoſtolus Rom. 10. *inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Nihil ergo prohibet, etſi pauci inueniant, quia pro ſua ſalute neque conatum impendunt, neq; ſtudium; nihilominus à *non quærentibus* quibus palam apparet, inueniatur. Valde fauet parabolæ tenor apud Lucam; *& pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.*

V Ioan. 15. l. 1.

21. Intelligerem ergo libenter; *pauci electi*, duplici ſenſu. *Pauci electi* id eſt *non omnes.* Et hoc per antitheſin ad ly *multi ſunt vocati*: ly enim *multi* conuenientiſſimè accipitur pro omnibus in multitudine, vt dictum eſt c. 20. verſu 28. Et nunc addo ex D. Th. in 4. ſent. 43. q. 1. ar. 1. q. 2. ad 2. hunc modum loquendi frequenter inueniri in Scriptura: & ſic Auguſtinus exponit illud Danielis 12. *multi de his, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt.* Et ipſe Angelicus in Danielem: *multi*; id eſt multitudo hominum. Scimus autem à Deo vocari omnes, niſi exteriori vocatione, ſaltem interna; quia *vult omnes homines ſaluos fieri*; 1. ad Tim. 2. quia Ioa. 1. *vt omnes crederent per illum*: & c. 3. *ſed vt ſaluetur Mundus per ipſum.* Vnde & cuique ad id præeſt Angelus cuſtos. Sic ergo *omnes ſunt vocati* in ly *multi*; ſubinde *non omnes ſunt electi* in ly *pauci.* Profectò ſi dixiſſet; *multi ſunt vocati; ſed quis eſt electus?* noſtræ interpretationi locus eſſet: multo magis, dum inquit, *pauci vero electi.* Nam Apoſtolus Rom. 10. exponens illud Iſaiæ 53. *Domine quis credidit auditui noſtro?* dicit; *non omnes obediunt Euangelio.* Ita *pauci ſunt*; id eſt *non omnes.* Deinde *pauci electi*: etiamſi *qui ſanat contritos corde & alligat contritiones eorum, numeret multitudinem ſtellarum*, quod in pſal. 146. Quia ſi vel vnus pereat; adeo triſtatur diuina bonitas, vt mille & mille, quos in hæreditatem poſſideat, ſibi ſunt *pauci.* Non communem ſanctis animabus de ſpiritali ſalute ſitim habet Saluator; ſed perennem orexim, ſeu vehementem edendi auiditatem. Vnde vbi Samaritanam conuerterat Ioan. 4. dixeruntque diſcipuli; *nunquid aliquis attulit ei manducare?* animarum famelicus adiecit, *meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, & perficiam opus eius.* Ecce hic vnus narratur excluſus, qui fuit *ſine veſte nuptiali*, tot alij diſcubuerunt; & tamen multos, inquit, vocatos, paucos electos; è contra potius erat dicendum, multi ſunt electi. Sed amoris magnitudo id efficit, vt ſi de mille vnus deſit, videantur cæteri, etſi multi ſint, pauci. Sic Iſaiæ 49. Iudæorum conuerſio, quæ non pauca fuit, vt aliàs dictum eſt, pauca diuino amori viſa eſt. Iſaiæ 49. *parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.* Hinc non dedignatur Michææ 7. *væ mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*: quod exponitur vel de Iudæis, X qui propter duritiam paulatim conuertebantur ad fidem: vel de reliquijs eorundem Iudæorum: ſecundum quod ex Iſaia A fert Apoſtolus; *ſi fuerit numerus filiorum Iſrael, tanquam arena maris*; id eſt innumerabiles præ multitudine Gentium; (ſupple; conuerſarum; quæ licet non *filij carnis* tamen *filij ſunt promiſſionis*, vt prius dixerat) *reliquiæ ſaluæ fient.* Dic; non contentus innumerabilibus, adhuc reliquijs inhiabat. Sic præ amoris magnitudine Geneſ. 29. Iacob videbantur ſeptem anni, quibus ſeruiuit, pro Rachel, *pauci dies.* Minoratur ergo numerus & hic ſimiliter, vt pauci videantur Domino electi. Denique congruè dici poſſet, *multi ſunt vocati*, hoc eſt multitudo Gentilium, de qua in parabola: *ite ergo ad exitus viarum*, &c. Deinde *pauci electi*, de claſſe prius inuitatorum; hoc eſt de Iudæis: quos pro minori numero electos non eo inficias: quia vt prædixit Iſaias c. 8. in Chriſtum *lapidem eis offenſionis & petram ſcandali*, impegerunt dua domus Iſrael; ſuitque *habitantibus Ieruſalem in laqueum & in ruinam. Offendent*, inquit, *ex eis plurimi & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur.* Quoniam verò ſaluberrimus timor eſt: vnde Bernardus: *tutiùs mihi reputo timiditate, quàm temeritate periclitari*: ideo Saluator implexam non omnino ſoluit Quæſtionem; vt inter ſpem & metum incedamus ſecurius. Denique in ingentem ſpem erigat quod legitur in Apocalypſi c. 7. *poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. *& in conſpectu Agni amicti ſtolis albis; & palmæ in manibus eorum.* Poſtrema veruntamen analyſis eſto Collecta; *Deus cui ſoli cognitus eſt numerus in ſuperna felicitate locandus.*

X Ioan. 4. l. 7. in calce.

A Rom. 9. l. 5.

Porro aduerſus ea, quæ hactenus proſecuti ſumus, 32. veluti ab experimento inſurgitur; quoniam vltra Iudæorum colluuiem, tot ſunt Mahometani greges; nõ paruus Schiſmaticorum numerus, multæ hæreticorũ ſectæ: cuius farinæ, quotquot exiſtunt tenentur extra viam ſalutis, quia & extra Eccleſiam. Vt huic exaggerato argumẽto, quod fortè fidelium vellicat, niſi exagitet animum; quomodo diuina clementia, tot ſinat perire animas: iuuat ſemel & iterum Sanctæ Birgittæ reuelationem recolere: quam ſcilicet refert Roffenſis *in confutatione aſſertionis Lutheranæ* art. 25. impreſſionis Pariſiorum pag. 233. dixiſſe aliquando ei Dominum quoad Schiſmaticos; *Græci ij qui ſciunt, quod omnes Chriſtianos tenere oportet, vnam tãtum fidem Chriſtianam catholicam; & vni tantummodo ſubeſſe Eccleſiæ Romanæ, vnumque ſolum Vicarium meum generalem in Mundo; videlicet Romanum Pontificem, ſupra ſe ſpiritualem habere poteſtatem; & tamen nolunt ſe eidem Eccleſiæ ſubijcere, & humiliter ſubiugari, propter eorum pertinacem ſuperbiam, aut propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, ſiue propter aliquid aliud, quod ad Mundum pertinet; indigni ſunt poſt mortem, veniam à me, & miſericordiam obtinere. Alij verò Græci, qui deſideranter vellent, ſed ſcire non poſſunt; tamen ſi ſcirent & poſſent, deuotè & libenter ſuſciperent, & Romanæ Eccleſiæ ſe humiliter ſubiugarent: & nihilominus ſecundum ipſorum conſcientias, in ſtatu & fide ſua, in qua ſunt, abſtinent à peccando, & piè viuunt; iſtis talibus poſt ipſorum mortem in ſupplicijs miſericordia mea debetur.* Expendat fidelis lector, ſe ſemper Cathedræ ſanctæ ſubijciens; num idem fieri poſſit iudicium de pia hæreticorum plebe. Quamuis enim ſimpliciter diſtinguatur ſchiſma ab hæreſi: attamen vt ait Hieronymus; B *nullum ſchiſma eſt, quod*

B 1. 2. 39. 1. 3.

quod non sibi aliquam hæresin confingat; vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Quam ergo clementiam non negat ea in reuelatione Saluator schismaticis, iam hæreticis etiam primatum Romani Pontificis negantibus; cur non speremus hæreticis, qui vtique ignorantia, at indiscussa laborant? præsertim quia ad hoc vt quis sit hæreticus ex doctrina Augustini & Angelici 2.2.q. 11.2. ad 3. requiritur pertinacia. Hanc autem, vbi adsit ignorantia, non video. Quòd si, vt concludit Angelicus C facta col- C 2. 2. 10. 6.
latione infidelitatis Gentilium, Iudæorum, & Hæreticorum, hæc cæteris paribus, simpliciter pessima est: videat nunc sancta Sedes, an omnem desperet clementiam eorum, qui Deum vtique colunt, non infideles simpliciter, sed Christi adhuc ignorant mysterium. Certè dicit Apostolus 1. ad Timoth. 1. *misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*. Scio subinde non inferri, vt si mansisset extraneus à Christo, salutem consecuturus esset: scio, quòd vt definiuit repletus Spiritu-Sancto Petrus Act. 4. *non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum, in quo oporteat, nos saluos fieri*. Nihilominus illud etiam noui, ante promulgationem, Christi nomen redemptoris re ipsa per Crucem, inculpabiliter fuisse ignotum. Et id auctoritatibus aliquot. In primis ad Rom. 10. exacta ostenditur prædicatio; *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* ergo vbi non peruenisset prædicatio, insontes essent, qui nondum explicita fide colerent Christum. Deinde Ioann. 15. *si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*; quod exponens Augustinus Tract. 89. in Ioannem inquit; *magnum quidem quoddam peccatum, sub generali nomine vult intelligi, scilicet infidelitatis*.
D Rom. 10. 1. 3. Quocirca Angelicus. Nunquid ergo illi, D ad quos non peruenit, vtpote si fuerint nutriti in Syluis, excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum est; quòd secundùm sententiam Domini, quæ habetur Ioan. 15. illi, qui loquentem Dominum, per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis: non tamen beneficium Dei consequentur, vt scilicet iustificentur ab alijs peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel male viuendo addiderunt: & pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis, secundum suam misericordiam prouidisset, mittendo eis Prædicatorem fidei; sicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, vt habetur Act. 16. Sed tamen, hoc ipsum, quòd aliqui faciunt, quod in se est, conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est, mouente corda ipsorum ad bonum; Thren. 5. *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Sed hic noua exurgit difficultas; num definiendum sit, cætera alia peccata non posse illis sic Christum nescientibus inculpabiliter, à Deo dimitti.

23. Quocirca Angelicum adeamus alibi pressius hoc
E 2. 2. 10. 1. punctum versantem. Dicendum, inquit, E quòd infidelitas dupliciter accipi potest: vno modo secundum puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc solo quòd non habet fidem: alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem; qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam; secundùm illud Isaiæ 53. *Domine, quis credidit auditui nostro?* Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis: & secundùm hoc, infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia diuinorum ex peccato primi Parentis, consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Hactenus D. Thomas. Post quæ restat vestigandum, an possit quis habere fidem de Deo, nesciens Christi mysterium. Et quantum ad hoc redeamus ad Cornelium Act. 10. de quo idem Angelicus sic habet. F De F ibi art. 4.
Cornelio sciendum est, quòd infidelis non erat; alioquin eius operatio accepta non fuisset Deo, nam sine fide nullus potest ei placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Euangelij veritate. Vnde vt eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus. Nunc rogo de Redemptore quam fidem habebat implicitam? Quòd venisset in Mundum? non: quoniam fuisset explicita. Quod esset venturus? non: quia fidei non potest G subesse fal- G 2. 2. q. 1. 3.
sum. Respondeamus, præmissa obiectione, quæ posset contra Cornelium militare. Fides Antiquorum fuit, quod Christus esset nasciturus: & hæc fides durauit in multis, vsq; ad prædicationem Euangelij; sed Christo iam nato etiam antequam prædicare inciperet, falsum erat Christum nasciturum; ergo fidei potest subesse falsum. Diceres tu similiter de fide Cornelij H. Facit satis ibi in hæc verba; hoc H ibi ad 3.
ad fidem credentis pertinebat post Christi natiuitatem, quod crederet quis, eum *quandoque nasci*, sed illa determinatio temporis in qua decipiebatur non erat ex fide, sed ex coniectura humana: possibile est autem ex coniectura humana, hominem fidelem falsum aliquid æstimare; sed quod ex fide falsum æstimet, est impossibile. Igitur (aio ipse) si quis omnino ignoret de Christi aduentu, credat autem, *quandoque nasci*, adhuc habet veram Dei fidem: quamuis infidelis dici queat negatiuè, quantum ad expressam Christi incarnationem: ergo nihil prohibet hunc saluari in eo statu, remittique illi alia quoque peccata.

Superest de Christo, quod credat quis *quandoque nasci*, quo sensu teneretur vnusquisque id credere. 24.
De Gentilibus ante incarnationem adeo clementer loquitur Sanctus Doctor vt dicat; I Gentilibus qui I Hebr. 11. l. 2. 2. 2. q. 2. 7. 3.
ante incarnationem fuerunt saluati, sufficiebat, quod crederent *Deum esse remuneratorem*: qua remuneratio, non fit nisi per Christum. Vel, vt ait 2. 2. habuerunt fidem in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi placitos. Et quidem hoc docet ad mentem Apostoli; qui ait; *accedentem ad Deum credere oportet; quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Dijudicet (iam subinfero) Ecclesia Dei, an Mahometanus quis durus montanus & agrestis æquiparari possit Gentilibus ijs antiquis, quorum saluti satis erat Deum credere remuneratorem: item an fœmellis hebræorum imputandum sit, quòd Christi aduentum non credant, sufficiatne potius, determinato tempori non attendendo, credere, *quandoque nasci*. An omnes & singulos arctet ad credendum explicitè fama nominis Christi. Nam etiam tempore Apostolorum, vt ex Chrysostomo probat Angelicus L di- L Rom. 10. l. 3. & p. 2. 106. 4. 3.
uulgata fuit notitia Christi: iuxta illud Iob 28. *perditio & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius*; scilicet sapientiam per Apostolos prædicatam. An, inquam, singulos, huiusmodi sonus, qui in omnem terram exiuit assensui obliget: an excusarentur, donec distinctam audirent doctrinam: quod apud eundem M significatur per sequens ver- M o. Rom. 1. 3.
siculi Hemistichium, *& in fines Orbis terræ verba eorum* ps. 18. Considero mysterij altitudinem ineffabilem. Quapropter Apostolus id non semel exaggerat 1. Cor. 2. *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula*: ad Eph. 3. *in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes; quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo*.

Et Hebr. 2. fert Angelicus illud Isaię 8. *ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum*; N subditque, quòd scilicet ego sum homo: quod est præcipuum portentum: & quod *pueri mei* hoc crederent. Mirum enim fuit, quod cor humanum hoc potuit credere. Et ideo Dominus condescendens humanæ mentis imbecillitati, signa, voluit comitari doctrinam: quasi vtrumque necessarium esset ad credendum: Matthæi vltimo; *docete omnes Gentes*: & vltimo Marci; *illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Hæc quidem nonnullam videntur prætexere excusationem, si qui rudiores sunt, nec catechizantur, non credant; remanentes in ea confusa implicitaque mysteriorum Dei fide; qua credunt, exempli gratia, plebeculæ Turcarum, Deum *remuneratorem*, & ignari Iudæorum, Messiam *aliquando nasci*; natum esse nondum assecuti; vt crediderunt qui fuerunt post eius natiuitatem, antequam diuulgaretur eadem natiuitas. Et de nondum adultis eo magis. Scio ex altera parte, quod docet Angelicus; O duplicem esse auditum; vnus quidem interior est, quo quis audit à Deo reuelante; *audiam quid loquatur in me Dominus Deus* ps. 84. Scio ex eodem duplicem esse vocationem: alia est interior, P quæ nihil aliud est, quàm quidam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo, ad assentiendum his quæ sunt fidei & virtutis, Isaiæ 41. *quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum, vt sequeretur se?* Deinde est exterior auditus & vocatio. Et fortè, aio ipse, idcirco non excusantur, quia ad cor eorum Deus pulsat. Sed nihilominus adhuc assero: ad fidem Q duo requiri. Vnum est cordis inclinatio ad credendum, & hoc non ex auditu, sed ex dono gratiæ: aliud autem est determinatio de credibili: & istud est ex auditu: & ideo Cornelius, qui habebat cor inclinatum ad credendum, necesse habuit, vt ad eum mitteretur Petrus, (Act. 10.) qui sibi determinaret, quid esset credendum. Ad rem nostram, posset hic lector subijcere hoc pacto. Turcis etiam agrestibus, non mittit Dominus prædicatores: ergo cor inclinatum non habent, vtique culpa sua, vt præsumitur. At iusti plures ante Christi & Apostolorum prædicationem, ex Gentilibus etiam fidem habebant, proinde cor inclinatum ad credendum; nec tamen illico misit Dominus, qui eos doceret: vnde & plures sine dubio Gentilium præmortui sunt in fide mediatoris confusa, sine ope Apostolicæ doctrinæ. Hæreamus ergo suspensi, donec Ecclesiæ infallibile iudicium decernat, an nostris etiam diebus, sic possint in fide veri Dei obire, proinde saluari: quanquam nondum crediderint, quod non satis audierint, factam redemptionem.

N Hebr. 2. l. 1.

O Rom. 10. l. 2.

P Rom. 8. l. 6.

Q Rom. 10. l. 2. in calce.

25. Animaduertendum est autem, duo à nobis constanter fideliterque explodi. Primum, quod infideles saluentur: absit enim, vt quis *sine fide placere possit Deo*, vt Hebr. 11. firmat Apostolus. Quare, quicquid sub Ecclesiæ censura dixi, sic astruitur, vt fideles sint; veriq; Dei cultores: quos quidam tales effecit aduentus Domini, qui Apostolorum ministerio idololatriæ turpitudinem, vt cecinerunt Prophetæ, exterminauit. Quod si infidelis quis adhuc esset, vel nutritus in Syluis Dæmonium adorans, aut Deum verum ignorans: hic sine fide periret indispensabiliter. Si autem per ipsum non staret, Deus ei vel miraculosè prouideret: quia maior necessitas est fidei simpliciter, quam fidei extensæ aut explicitæ, pro salute. Quam fidem autem implicitam Mahometanis rudioribus ac simplicioribus: & sic Iudæis Deus donasse præsumitur; & à fortiori schismaticis huiusmodi & hæreticis, non videtur absurdum, idcirco eis donasse; vt nisi ipsam facti infideles amittant; per eam, vt prisci ante Christi aduentum, saluentur. Deinde quod explodimus aliud, est falsissimum quorundam minus credentium commentum; vt quisque sua in fide, sua in secta saluetur. Absit iterum absit id vel suspicari. Contra huiusmodi falsitatem est Angelici R rectæ fidei propugnatio, eiusdemque comprobata necessitas; præsertim quia à Deo, qui est veritas, nullum falsum homini proponi potest. Quare qui credit aliquid falsum, non credit Deo. Et præterea; quia sicuti ad legem diuinam pertinet vitia prohibere, ita ad eandem pertinet falsas opiniones de Deo, & de his, quæ sunt Dei, excludere. Per hoc autem (claudit Angelicus) excluditur error quorundam dicentium; quod nihil refert ad salutem hominis, cum quacunque fide seruiat Deo. Adde ex eodem Sancto Doctore veræ fidei non posse subesse falsum; quia S verum est bonum intellectus; ideo omnes virtutes, quæ perficiunt intellectum, cuiusmodi est fides, excludunt totaliter falsum. Quod ex eodem magis claret ex aduerso ad virtutes, quæ perficiunt partem appetitiuam, quæ se habent solum ad bonum: neque enim verum est appetitiuæ virtutis. Potest enim aliquis secundum iustitiam aut temperantiam agere, habens aliquam falsam opinionem, de eo, circa quod agit. Veruntamen, ne Expositoris munus obliuiscamur, de his satis. Satis enim ex dictis claret, saltem eos, qui vel oscitanter, in re tanti momenti, vel perfidè se gerunt ad capessenda & capienda ea, quæ sunt Christianæ fidei, tanquam *rebelles lumini*, Iob 24. (Deus enim, vt inquit Angelicus, T quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: quia 1. ad Tim. 2. *vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*) iure culpari, tanquam impedimentum gratiæ præstantes: ex consequenti perire: quia nulli patet aditus salutis extra Ecclesiam; V sicut nec in diluuio absque Arca Noe; quæ vt habetur 1. Petri 3. Ecclesiam significauit. Sed si *conteret multos & innumerabiles*, Iob 34. *stare faciet alios pro eis*.

R 3. cont. G. c. 118.

S 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.

T 3. cont. G. c. 159.

V 1. P. 71. 3.

VERS. XV. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium fecerunt, vt caperent eum in sermone*; &c.

Legimus Iob 34. *qui quasi de industria recesserunt ab eo; & omnes vias eius intelligere noluerunt*. Eorum incredulitas in odiũ transierat; moliuntur enim Christo Domino insidias, vt capiant in sermone: sed vt ipse ex lege fert Ioan. 15. *odio habuerunt me gratis*. Nam Act. 10. *pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*: & 1. Petri 2. *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*. Maligno ergo astu faciunt consilium; & in hoc communi suffragio conspirant, *vt eum capiant in sermone*; non in philosophica aliqua materia aut scripturali, sed in politica, studio ipsum perdendi. Ideo asciscunt herodianos, quia si aduersus Cæsareũ censum responderet, deferre possent; à Pharisæorum discipulis accusaretur Iudæis, si pro Herode ac Cæsare stetisset. In angustias ergo eum redigere arbitrati sunt; vt siue firmet siue neget, sit infensus Herodi, aut populo, qui ex parte detrectabat, cũ ipsis Pharisæis censum soluere. Præuidit autem ipsorum malitia, posse à Christo recusari iudicium: ideo blandis mollitisque verbis demulcent, à magisterij dignitate, *Magister*; à doctrinæ vtilitate; *verax es, & viam Dei, in veritate doces; & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum*: à docẽdi æquitate. Quæ considerat Angelicus X in Sermone. Sed vide; vel inuiti fatentur, quomodo increbuerat fama de eius probitate sanctitate & doctrina: & huic tam pio tam veraci, tam iusto insidiantur. Et nihilominus nil præter hominem in eo rati, putant posse decipere & decipi: & ad id interrogant de implexa & iure & facto quæstione, vt coactè impingat. Non sic veri & synceri discipuli, qui Ioan. 16. ipsi dixerunt; *nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi*. 26.

X Serm. Dom. 23. post Pent.

VERS.

VERS. XVII. *Quid tibi videtur? licet censum dare Cæsari, an non?*

27. Ipsi vt hinc apparet, in negatiuam propensi erant: & vnà simul trahere Christum conantur in suam sententiam, vt illius qualicunque apud populum auctoritate, dum resiliunt censum dare, se contegant. Suggestiua deprehenditur interrogatio; quia inquirunt, *an liceat, non an teneantur*. Ex hoc enim, quòd considerationi eius obijciunt, *liceat nec ne*, sui ipsorum & asseclarum statum ob oculos ponunt: Iudaicum scilicet populum, qui decimas & primitias dabat, & alia in lege scripta, illicite grauari per censum: quod notat Hieronymus. Proinde, subiunxerim ego, subire hoc onus soluendi contra legem Dei erat; aut certè quidquam de solitis offerri, erat demendum, vt daretur Cæsari; quod magis fuerat nefas: inquiunt ergo *licet* nec ne? Non rogant, an liceat Cæsari imponere, sed an ipsis impositum liceat dare: vt extimulatus conscientiæ aculeo, vel coram pro ipsis decernat; & interim Cæsareis decretis fieret iniurius. At propheticè dictum fuerat; *confundantur, qui me persequuntur; & non confundar ego*; Ieremiæ 17. Audiamus Domini responsionem; quæ quidem profundè considerata secretiorem ipsorum malitiam pandit, & rem ita definit, vt sit calumniæ quam quæsierant expers; simulque eos ad Deum reuocet: *& quæ sunt Dei Deo*. Nam ex Chrysostomo; *inutilis est sermo, qui redarguit, & non instruit*.

VERS. XVIII. *Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait; quid me tentatis hypocritæ?*

28. Non dicit; quid me tentatis *maligni*; sed *hypocritæ*. Sibi obijci omne aliud crimen putassent: nam qui solus scrutator est cordium, poterat tanquam hypocritas increpare. Hinc sequitur; *& audientes mirati sunt; & relicto eo abierunt*. Non ausi sunt discipuli Pharisæorum, nequitiæ conscij atque participes, negare contumeliam promeritam; aut dolere, quòd eis iniuriatus fuisset. Sed quaenam hypocrisis species in ea interrogatione subtegitur? *Hypocrita*, græca vox, *mimus est, simulator* & *histrio*; quòd simulet ac imitetur personam. Dic in primis ex sententia Angelici, A hypocritarum est, non manifestè sed dolosè alijs nocumentum inferre. Præterea; B aliqui hypocritæ exterius prætendunt, ac si Deo inhæreant; sed cor eorum est ad terrena. Dicit ergo Pharisæos ideo hypocritas, quia immunitatis cuiusdam iudaicæ, & sui ipsorum quasi religiosorum sancto zelo confictò, simulant se scrupulis exagitatos, num liceat priuilegiatis à Deo populis laico Principi censum soluere? cùm tamen ad terrena flexanimi, non pietatis studio, sed auaritiæ dicati, eximi optarent. Patet Lucæ 14. *audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum*. Et satis etiam innuitur ab Euangelista dicente; *cognita autem Iesus nequitia eorum*; nam nequitia hebraicè etiam pro iniquitate stat *beli iangal* seu ad latinam expressionem *belial*. Ecclesiastici autem 10. *nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet*. Laruatam ergo detegit auaritiam, hypocritasque ideo notat. Ad Timoth. 2. cap. 3. *habentes speciem quidem pietatis; virtutem autem eius abnegantes*. *An liceat dare censum* requirunt. Illibatæ animæ! timent sibi illicere: de reliquo generosè soluerent. Et aliunde ex quo hypocritas dicit, auaros indicat; quia Iob 27. sic legitur; *quæ est enim spes hypocritæ, si auarè rapiat?* idest C si iniustè diuitias congreget. Subditque Angelicus; & loquitur de hypocrita scilicet simulatore; loco omnium peccatorum: quia simulata æquitas est duplex iniquitas: & hypocritæ tanquam falsarij virtutis, videntur esse maximè abominabiles apud Dominum; sicut infra cap. 36. dicitur; *simulatores & callidi prouocant iram Dei*.

A Iob 15. l. 1.
B Iob 8. l. 2.
C Iob 27. l. 1.

VERS. XIX. *Ostendite mihi numisma census, &c.*

29. Ad tentandum accesserant, vt scilicet experimentum caperent de ipsius sapientia vel prudentia in respondendo; & hoc insidiosè D & occultè. Vlteriusque vt ei nocerent. Hæc cum homo agit, E se gerit vt ministrum diaboli 1. Thessal. 3. *ne fortè tentauerit vos is qui tentat*: idest ex glossa *diabolus; cuius officium est tentare*; nimirum vt noceat. Sed refellitur pessima illorum intentio inopinato ab ipsis responso. Nunquam enim excogitassent tam facilè retundi posse ictum, & reijci insultum. Census erat tributum F quod pro capite dabatur. Erat aut denarius: qui valet decem vsuales. Subdit Dominus; *cuius est imago hæc & superscriptio?* vt ex ore ipsorum eos iudicet.

D 2. 2. 97. 1.
E p. p. 114. 2.
F D. Th. hic. & opusc. 20. lib. 2. c. 13.

VERS. XXI. *Dicunt ei; Cæsaris. Tunc ait illis; reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*

30. Non Cæsaris Augusti G, sed Tiberij Cæsaris. Tempore Domini nostri Iesu Christi, in signum subiectionis Romanorum, vnum erat numisma H in toto Orbe terrarum. Tunc Iudæa erat etiam tributaria Romanis I, vt in Luca tangitur; sub Herode Rege, illis constituto à Romanis. Sed hic animaduertendum, qualiter non solum definitur à Domino, vt soluant censum; sed per illationem concluditur in ly *ergo*. Non enim otiosè assumitur illatiuum aduerbium; sicuti nec Ioannis 6. vt exponit *litigabant ergo Iudæi ad inuicem*: quia inquit Iudæi L cibum concordiæ & vnitatis non sumpserant; ideò *litigabant*. Sed primo intuitu non bona apparet illatio; immo laborari in æquiuoco. Cæsaris enim erat denarius ille, quasi extrinsecè ob illius imaginem & superscriptionem: qua ratione, si quis proprio in annulo habuisset imaginem & superscriptionem Cæsaris, idem respondere posset, scilicet Cæsaris esse: nec tamen inde rectè illatum fuisset; redde ergo quod est Cæsaris Cæsari. Quòd si dicas; Regum & Cæsarum esse, rerum omnium, quæ à subditis possidentur, indirectum dominium; haud suffragaris: quandoquidem sic, vniuersalius rerum omnium oporteret soluere censum, & nedum vnum, sed plura numismata reddere, vtpote quia cuncta Cæsaris sunt.

G D. Th. hic.
H opusc. cit.
I D. Th. hic.
L Ioan. 6. l. 7.

31. Igitur altiorem claudit intelligentiam Domini verbum. Erudiamur itaque aliunde accepta doctrina; quæ istiusmodi est ex Apostolo Roman. 13. vbi loquens de tributis ac vectigalibus, quæ à subditis sunt præstanda Principibus, aperit causam dicendo; *ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum, seruientes*. Vbi Angelicus, M *seruientes* Deo & Populo. Quasi dicat; vnusquisque de suo ministerio viuere debet; secundum illud 1. Corinth. 9. *quis pascit gregem, & de lacte eius non edit*. Et ideo cùm Principes nostri suo regimine Deo ministrent, à Populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerij: & recipiunt ad sustentationem; laborant enim Principes ad omnium pacem: 2. Timoth. 2. *obsecro, primum omnium fieri obsecrationes, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti; vt quietam ac tranquillam vitam agamus*: & Baruch 1. *orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis; vt viuamus sub vmbra eius*. Dic ergo: potuisset Dominus veritatem hanc edisserere, sicut Apostolus: sed maluit sub palpabili exemplo eam arctius imprimere: ea enim sensibilis denarij ostensio, mendacem aliquam detorsionem verborum non patiebatur. Seruiunt autem Principes Populo in cudendis denarijs. Nam vt alibi docet N ex Philosopho 5. Ethicorum, ad hoc inuentum est numisma, vt soluantur lites in commercijs, & sit mensura in commuta-

M Rom. 13. l. 1.
N opusc. 20. lib. 2. c. 13.

mutationibus: ista enim per numisma est commutatio expeditior: & cùm sub suo Principe cuditur tanquam notius valore, fraus anteuertitur: quæ popularibus, vbi extranea immisceretur posset obrepere. Talia ex Angelico. En ergo inter cætera præcipuum regij numismatis beneficium, indemnitati & commodo subditorum. Idcirco videtur Dominus voluisse, vt nedum proferrent numisma, sed sibi agnitum promptè responderent, vnde fas esset recolere, de ipsis alijsque subditis curam Cæsaris. Ac si dixisset: laborat pro vobis Cæsar; ipsiusque sub regimine vtilia vobis proueniunt, quæ quisque in dies reportat. In isto quod familiarius est, alia perpendite: cur præstito non retribuatis seruitio? *reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Syllepsis figura est; cùm pro multis vnum ponitur. Cuius delectio subregit causam, quæ mirabiliter deseruit nostræ Syntaxi.

32. Ex his trahi potest subditorum obligatio ad tributa soluenda. O Quocirca inquit Angelicus; ad Romanos. Ab hoc tamen debito liberi sunt Clerici ex priuilegio Principum: quod quidem æquitatem naturalem habet; quia sicut Reges solicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus; ita ministri Dei in spiritualibus: & sic per hoc quòd Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi, quod pro eorum pace laborat. Vnde & apud Gentiles liberi erant à tributis, qui vacabant rebus diuinis. Legitur enim Genes. 47. quod Ioseph *subiecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum; quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*. Et infra dicitur, quòd *in vniuersa terra Ægypti, Regibus quinta pars soluitur; absque terra sacerdotali, quæ libera erat ab hac conditione*. Et præmittitur de Sacerdotibus: *& ideo non sunt compulsi vendere possessiones suas*. Quod valde fauet clericorum immunitati. Cæterùm in vniuersum teneri subditos ad retribuendum Principibus, vel ex verbo Domini accipitur qui quanquàm interrogatus esset; *an liceat dare*; non respondit; *date* Cæsari, quæ sunt Cæsaris; vt supra capit. 17. dixit Petro inuento in ore piscis statere; *da eis pro me, & te*: sed *reddite*: quod certè iustitiam sonat: nam iustitia P hunc habet actum, vt *reddat vnicuique quod suum est*. Et *gamal* hebraicè, quod sonat *reddidit* significat etiam *rependit*. An autem in fraudandis tributis & vectigalibus peccent subditi, vel possint excusari, sudant Summistæ ac Theologi. Certum est, esse iuris naturalis ac diuini, vt legitimo Principi rependatur: quantum; non ita ius diuinum decernit. Non tot imponerent prudenter Principes grauamina subditis, neque iustè, si irreluctanter syncereque soluerent. Quare in vitium vitio coarctantur alieno. Certum est etiam minimè obstantibus subditorum fraudibus, adhuc tantum ab ærario Principum excipi, vt potius eorum statui superabundet, quàm desit. Quod si prudenter timeretur; patet admodum, vel nihil omnino permitti possent fraudare. Nec obsit huic tolerantiæ; quoniam si omnes feliciter fraudarent, Principem in egestatem redigerent: quoniam hic timor somniatus est, sicut si quis timeret haurire portionem aliquam aquæ; ne flumen deficeret: Moraliter impossibile est, omnes singulosque subditos, exploratores & exactores fugere: præsertim quia vbi præsentiant Principes quid iacturæ insolitum, mox inuigilant. Qui tamen per fraudem sic omne tributum excuteret, excusari minimè posset; quoniam de tanto lex humana est; de tributis simpliciter naturalis ac diuina: fortiùs de mercibus.

O Rom. 13. l. 1. & opusc. 20. lib. 3. c. 11. & in 2. sent. in fine.

P 2. 2. 57. 11.

33. Mirum est autem, cùm adeò pro reddendo tributo Cæsari, officiosè locutus fuerit Dominus; vt potuerit corrupta multitudo palpabile mendacium euomere; *hunc inuenimus subuertentem plebem, & prohibentem tributa dari Cæsari*. Lucæ 23. Ex sacro textu ibi constat, quod notat Beda, hanc paruipendisse Pilatum calumniam: non enim de hoc examinat aut interrogat; mox immo subdit, *nihil inuenio causæ in hoc homine*. Potuit fieri; vt illud, quod Dominus ait, *reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari*, etiam Pilatum audisse contigerit: inquit idem Beda. Dic fortè ab Herodianis delatum. Dum interim Pharisæorum impietas plebem de contrario imbuerat. Magna autem Dei dispensatione factum crediderim, vt Saluatori occasionem dederint definiendæ huiusmodi quæstionis: quoniam sic fidelibus ex ore Domini innotuit, Iudæorum Gentem iam amisisse tunc temporis sceptrum ex Iacob vaticinio; Genesis 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est*. Nisi enim legitimam in iurisdictionem, vel ex eorum consensu, transisset Cæsar; non ei fuerat reddendus census: sed ad summum tanquam tyrannicè subijcienti, vtique coactè dandus. Sed vt vidimus ibi in Genesin, iam tandem quo quietè viuerent, se Romanis sponte satis subiecerant. Prouida amantis Dei disciplina! qua discerent, Cœlorum Regnum, terrenum neutiquam, in Messiæ aduentu expectandum; quando immo expoliandi omni Principatu erant. Sed deliri magis, quod amiserunt stirpitus eulsum, somniant, carnali oculo, spe carnali cuncta expendentes; quæ radix potissima est obcæcationis eorum & peruicaciæ.

Adiecit autem Dominus; *& quæ sunt Dei Deo*; scilicet *reddite*; quanquam eorum petitio id non exigeret. Sed vt alias inquit Cyrillus, *mos erat Saluatoris, respicere quod vtile audientibus foret*. Nisi dicas; in eo quod exprimunt an liceret; *licet censum dare Cæsari; an non?* suppressa intelligebatur, vt innuimus, ratio negandi; quia scilicet Deo satis reddebat gens iudaica in primitijs & oblationibus alijs. Propterea consonum quid respondet, ac dicturus erat cap. 23. *hæc oportuit facere, & illa non omittere*. *Reddite etiam, quæ sunt Dei, Deo*. Sicut enim numisma per manus Cæsaris ad vos venit: ita ex ore Dauid 1. Paralipomenon cap. 29. Deo plauditur; *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*: vbi & coharenter præmittitur; *tu es super omnes Principes, tu dominaris omnium; in manu tua virtus & potentia; in manu tua magnitudo & imperium omnium*. Et fortè quia simulatores & hypocritæ effecti *speciem pietatis habebant*, vt diximus, *virtutem autem eius abnegabant*; 2. ad Timoth. 3. ideo, paternè admonet, *reddite, quæ sunt Dei, Deo*. Nam pietas ex Augustino exhibet cultum Deo; Q quàmuis nonnisi per excellentiam, cultus Dei, qui Religionis est proprius, pietas nominatur. 34.

Q 2. 2. 101. a. 3. 2.

VERS. XXIII. *In illa die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem; &c.*

Act. 23. *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem vtraque confitentur*. Subdit Origenes; *sed etiam animæ immortalitatem tollebant*. Et Hieronymus; *animas putabant interire cum corporibus*. Gregorius cap. 4. moralium: *sunt autem nonnulli qui considerantes, quod spiritus à carne soluitur; quòd caro in putredinem vertitur; quòd putredo in puluerem reducitur; quòd puluis in elementa soluitur; cùm nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant*; &c. Suam ergo hæresim, quasi ab absurdo contendunt probatam fieri: quia cum contingat mulierem successiuè nubere multis; in resurrectione, non vident cuius viri esse deberet; *omnes enim habuerunt eam*. Et quoniam euentum ex lege constituunt Deuteronomij 25. *vxor defuncti* (absque liberis) *non nubet alteri, sed accipiet eam frater* 35.

frater eius: ideo hinc exorsus est Dominus dicens; *erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Nesciunt hanc, qua se fulciunt; quia vt ibi dixi, deprehenditur præmortui desiderium, vt post obitum etiam viueret in fratris filio: quod quidem ad semper esse, non modò hic & nunc, extenditur; & cùm innatum sit homini, non brutis, nequit frustrari. Aliam nesciunt Scripturam, quàm paulo post ex Domino expendemus: Præterea *neque virtutem Dei*. Pro qua Augustinus; in Enchiridio; *non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet puluerem, cineremue soluatur; in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcumque animalium, & etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur; animæ illi humanæ in puncto temporis redditur, quæ eam primitus, vt homo fieret, viueret, & cresceret animauit*. Quæ planè aurea sententia cum origine erroris pugnat: quandoquidem ex huiusmodi carnis sensibili resolutione phantasticè delirant semiathei. Hinc Sapientiæ 1. *Dixerunt*; (Hieronymi translatio addit, *impij*) *cogitantes apud se non rectè; non est refrigerium in fine hominis; & non est, qui agnitus sit, reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus; & post hoc erimus, quasi non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris; & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum: qua extincta, cinis erit corpus nostrum; & spiritus diffundetur tanquam mollis aer; & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis; & sicut nebula dissoluetur; quæ fugata est à radijs Solis, & à calore illius aggrauata; &c. Venite ergo & fruamur bonis*; &c. Et hæc desperata verborum congeries, quæ palam nonnisi impij proferunt, *non rectè cogitantes*, coincidit omnino cum coaceruatione simili, quam ex eorundem persona, ideoque inutili satis pleonasmo recantat Ecclesiastes cap. 3. in persona inquam impiorum: vnde præmittit; *dixi in corde filijs hominum*, (psal. 4. *filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium*) *vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs. Vnus est interitus hominis, & iumentorum; & æqua vtriusque conditio; Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur* (ecce pleonasmi redundantiam: nihil enim addit secunda hæc propositio priori) *similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius* &c. *quis nouit an spiritus filiorum Adam ascendat sursum? & si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Sed hodie quod olim vel sub dubio obloquebantur, peiores facti homines, asseuerando blasphemant. At adest hæsitanti impio responsio Ecclesiastes cap. vltimo; qui non contentus præhabitis in eo capite 3. *dixi in corde meo; iustum & impium iudicabit Deus; & tempus omnis rei tunc erit*: adiecit in duodecimo; *memento Creatoris tui*; & post multa; *antequam reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

VERS. XXX. *In resurrectione enim, non nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo*.

36. Sic & Lucæ 20. *æquales Angelis sunt*. Sic Apocalypsis 21. *mensura hominis, quæ & Angeli*. Quibus haustis sententijs, id ipsum assumit *de diuinis nominibus* cap. 1. Dionysius dicens; *æquales Angelis erimus; vt veritas dicit eloquiorum*: (ostendit Angelicus; qualiter omnis intellectus cuiuscumque gradus, R particeps esse potest diuinæ visionis.) Hinc sublimem Saluatoris attingens sensum sic loquitur; *tunc enim quando incorruptibiles & immortales erimus, visibili quidem ipsius Dei apparitione, & castissimis contemplationibus adimplebimur. Intelligibilis autem luminis datione participabimus in impassibili, & immateriali mente, secundum participationem supercœlestem Mentium: propter quod dicitur, quòd erimus Angelis æquales*: Propter hoc in Scriptura Sacra S Angeli ferè in forma hominis describuntur; vel in toto, sicut patet de Angelis, qui apparuerunt Abrahæ in forma virorum, Genesis 18. vel in parte sicut patet de animalibus Ezechielis 1. de quibus dicitur, quòd *manus hominis, sub pennis eorum*. Quomodo autem interueniat hominum & Angelorum similitudo vberiùs potest exponi: erit enim homo spiritualis effectus, T etiam secundùm corpus. Primæ Cor. 15. *surget corpus spiritale*. Deinde similitudo extabit V in donis gratuitis. Tertiò in beatitudine perfecta, X qua Angeli coniunguntur summo Bono, per operationem vnicam & sempiternam. Vnde, quoniam homines per donum gratiæ mereri possunt tantam gloriam, vt Angelis, secundùm singulos Angelorum gradus æquentur: A quod est homines ad ordines Angelorum assumi; altè dicitur; *erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*.

R 3. cont. G. c. 57. S 3. cont. Gent. 57. T p. p. 98 2. 1. V Hebr. 2 l. 2. X p. 2. q. 3 2. 4. & 4. sent. 48. 2. 2. 4. A p. p. q. 108. 8. & 2. sent. vtroque dist. 9. a. 1. & 4.

37. Ex his satis eorum eliditur error, qui post mortem, etiam aliquando facta hominum resurrectione, somniant & cibis vtendum esse, & venereis vacandum. Ridiculum est enim, B inquit Angelicus, delectationes quærere corporales, in quibus nobiscum animalia bruta communicant, vbi expectantur delectationes altissimæ, in quibus cum Angelis communicamus; quæ erunt in Dei visione, quæ nobis & Angelis erit communis. Nisi fortè quis dicere velit, beatitudinem Angelorum esse imperfectam; quia desunt eis delectationes brutorum: quod est omnino absurdum. Labuntur hoc errore, vt ibidem memorat, Saraceni ac Iudæi; qui ponunt quòd in resurrectione, homines cibis & venereis vtentur, sicut nunc. Quos etiam quidam christiani hæretici sunt secuti; qui ponentes Regnum Christi futurum esse in terris terrenum per mille annos, in eo dicunt illos, qui tunc resurrexerint, immoderatissimè carnalibus epulis vacaturos. Notatque appellari *Chiliostas*; idest millenarios; vt Augustinus dicit 20. de Ciuit. Dei. Saracenorum nomine intelligit Angelicus Mahometanos ex Arabo Mahomete. Arabes autem duxerunt originem ab Ismael & filio eius Cedar: vnde Ismaelitæ & Agareni essent dicendi. Sed malunt Saraceni vocari, quasi de Sara libera exorti, non de ancilla Agar. Licèt alij probent Saracenos dici à Saraca, quæ est regio Arabiæ post Nabathæos; cuius habitatores Saraceni vocantur. Cherinthus autem, vt refert in opusculo, C fabulatur mille annos post resurrectionem futuros; in quibus homines carnales ventris ac libidinis voluptates habebunt. Salutaris ergo doctrinæ veritas, dum ait, *erunt homines sicut Angeli Dei in Cælo*, non solùm eludit Sadducæorum instantiam; sed futurorum hæreticorum præcauet maliciam: vt vnà simul dogma de animæ immortalitate humanæ ac resurrectione nostra stabiliat: ac æternam gloriam, cuius est capax instar Angeli, subinnuat. Abeat ergo & Valentinus, qui vt in eodem loco dicitur, resurrectionem cum Sadducæis negauit; 1. Corinth. 15. *si Christus prædicatur, quod surrexit a mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?*

B 4. cont. G. c. 83. C opusc. 5. §. 6.

VERS. XXXII. *Non legistis, &c. ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*.

38. Adminiculantur plura fidei resurrectionis nostræ suasione quadam. Gregorius 24. Moralium D *quid enim, inquit, quotidie nisi resurrectionem nostram Mundus in suis elementis imitatur? lux quæ quasi moriendo oculis nostris subtrahitur, rursus quasi resurgendo reuocatur: arbusta viriditatem amittunt; & rursus quasi resurgentia reparantur: semina, quæ putrescendo moriuntur, rursum germinando quodammodo resurgunt*. Hoc exemplum Apostolus etiam ponit 1. Corinth. 15. Assumit autem E ibidem qualiter

D 4. sent. 43. q. 2. a. 1 q. 3. E ibi quæstiuncula 1. ad 2.

liter Dominus per præfata verba subtilissimè & efficacissimè probat resurrectionem. Sic autem ratiocinatur. Anima Abrahæ, non est propriè loquendo ipse Abraham; sed est pars eius: & sic de alijs. Vnde vita animæ Abrahæ non sufficeret, ad hoc quòd Abraham sit viuens, vel quod Deus Abraham sit Deus viuentis: sed exigitur vita totius coniuncti; scilicet animæ & corporis. Quæ quidem vita, quamuis non esset actu, quando verba proponebantur; erat tamen in ordine vtriusque partis ad resurrectionem. Sic obijcit *in summa*: anima Petri, non est Petrus; F ergo non deberemus interpellare Sanctum Petrum sed animam eius. Et respondet fieri id etiam propter fidem resurrectionis insinuandam. Dic ergo vno ictu à Domino vtrumque Sadducæorum errorem de medio tolli. Siquidem mortuorum Deus non se Deum diceret: neque enim solius nominis eorum, se Deum esse contestaretur, aut exigui puluceris corruptis animabus: nam æquè sic mortuorum omnium Deus ac Dominus creator est. Igitur, ne inanis alicuius soni vocisque dicatur Deus, oportet ab ipsius Dei auctoritate immortalem animam hominis esse: & ne impropria sit locutio, resurrectionem significari necesse est.

F 1. 2. q. 83. a. 11. ad 5.

39. Et si contra vim rationis huius obijcias: quia secundùm Philosophum in 9. Ethicorum, illud potissimè videtur esse vnumquodque quod est principale in ipso: sicut, G quod facit Rector Ciuitatis dicitur Ciuitas facere: vt docet Angelicus super illud 2. Cor. 4. *licet is qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* Quare videtur reperiri effugium saltem de neganda resurrectione: quia possit dici *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, ob principale illorum, nimirum animas. His occurritur, præoccupando in primis, hominem simpliciter non esse, nec animam solam, nec solum corpus, vt etiam ibidem ostenditur. Deinde animaduertendum, cautè ab Apostolo dici partem sui ipsius, hominem; cum aduerbio scilicet determinante; *licèt*, inquit, *is qui foris est noster homo*: corpus ergo, non est homo simpliciter; sed *homo foris*; & sic anima non est simpliciter homo; sed cum addito *homo intus*. Deus autem absolutè & simpliciter se dicit Deum Patriarcharum illorum. Quapropter necesse est, vt eorum ex anima & corpore compositorum, se Deum dicat; vel propter ordinem vtriusque partis ad resurrectionem; vt ait Angelicus; vel fortè propter reunionem eandem; quæ quanquam futura esset in propria mensura, ipsi Deo in æternitate ceu præsens erat. Neque iuuat de Ciuitate & Rectore paritas; immo pro resurrectione est; quia eatenus quod Rector facit dicitur facere Ciuitas; quatenus, connexio est mutua Rectoris cum Ciuitate. Quod si ad Rectorem nihil Ciuitas attineret; quod ipse facit, minimè Ciuitas faceret. Ergo si titulo principalis in homine, hoc est animæ, Deus dicitur Deus totius Abrahæ, oportet, vt pertineat ad animam Abrahæ, Abrahæ corpus; subinde futura sit resurrectio. Nam quòd attinuisset corpus ad animam de præterito, non satis esset. Sicut ergo Politica Ciuitatis & Rectoris coniunctio est in causa probatæ illius locutionis; *quod facit Rector dicitur facere Ciuitas*: ita futura aliquando iterum physica animæ ad corpus coniunctio, efficit, vt Deus dicatur Deus Abraham, & non solius animæ.

G p. p. 75. 4. 1. & 2. Cor. 4. l. 5.

40. Verùm dato, esset vis potior in eo quòd animæ Abraham Isaac & Iacob adhuc sint, exanimatis corporibus, proinde immortales aduersùm Sadducæos; contra eosdem militat consecutione quadam ratio prior. Si enim, *non est Deus mortuorum sed viuentium* scilicet animarum: cum anima rationalis naturaliter sit compars corpori, si adhuc subsistit, nonnihil ponderis & propensionis ad ipsum habet. Planè; quia incompletum quid est, siue imperfecta, & in potentia existens; vt loquitur S. Thomas p. p. q. 51. a. 1. quamquam spiritualis substantia: sic à Deo naturæ omnis Auctore creata; vt indiga corporis ei vniretur, consecutione prouida benignaque Creatoris; vt posset (hoc attigit Trismegistus) honestè vti & frui visibilibus creaturis. Exinde resurrectio nostra, *secundum quid* H licèt non *simpliciter*, dicitur naturalis. Et ita allata à Saluatore Scriptura, vel primariò vel consecutiuè est, vt inquit, de resurrectione mortuorum. Et hoc ipsum dicit Angelicus. Postquam enim præmisit aliam aliam intelligentiam verbi illius; *ego sum Deus Abraham* &c. scilicet dici Deum, Deum aliquorum in colendo eum: isti ergo colunt eum: sed colere Deum, non est mortuorum sed viuentium, ergo Abraham Isaac & Iacob viuunt; non secundùm corpus, ergo secundùm animam: post hæc subdit; I sed quid valet hoc ad resurrectionem? Responsio est: valet; quia naturaliter anima inclinatur ad corpus.

H 4. sent. 43. q. 1. a. 1. q. 4.

I D. Th. hic.

41. Excitari autem potest curiositas; quare addiderit *in Cælo*. Ad intentum enim satis fuerat dixisse *sicut Angeli*; siue enim de Sanctis, siue de malis Angelis introducatur; æquè carnalem minimè ducunt, aut ducere possunt vitam. Quocirca duo mihi dicenda occurrunt. Primò idcirco Dominum de Angelis *in Cælo* sententiam protulisse; quia de Dæmonibus non ita constitisset puritas. Siquidem, vt ex Augustino 15. de Ciuit. cap. 23. fert Angelicus, L Dæmones aliquando improbos extitisse mulieribus & eorum expetijsse concubitum negare, impudentiæ videtur. Plures sic natos; hausto ab hominibus semine, memorat Thomas Maluenda lib. 2. de Antichristo cap. 9. primæ impressionis. At de Angelis sanctis M absit id suspicari: qui *semper vident faciem Patris, qui in Cælis est*; supra c. 18. dato & nunquam concesso, haberent omnes Angeli corpora saltem tenuia; vt coaceruatis antiquatis Auctoribus nititur Ludouicus Viues apud Augustinum astruere: quod sanæ Philosophiæ ac Theologiæ aduersatur; immo & contra sacræ Scripturæ sententiam, nedum Sanctorum Patrum: vt eruditè & profundè discurrit Angelicus; N quem si legisset Viues non ausus esset obloqui hac de re. Et vnum addo, ridendos qui secus autumant; nisi ostendant, quod nunquam obtinebunt, imparticipabilem esse à Deo gradum intelligibilem: intelligere autem non est actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ; vt vbi supra O assumit Angelicus. Et ipse ab absurdo probo; ne Deus qui summè est intelligens dicatur corporeus. Secundò alia potest esse ratio; ex qua dixerit *sicut Angeli in Cælo*: quia intendit docendo monere; quemadmodum 2. Machabæor. 7. dixit Mater filio; *peto nate, vt aspicias ad Cælum*. Cœlestem ergo Patriam ad quam adspirent, Sadducæis insinuat: cohærenter quidem, ad præmissam auctoritatem Exodi *ego sum Deus Abraham*, &c. Vnde & Apostolus Hebr. 11. hæc connectit; *nunc autem meliorem appetunt* (Patriam) *id est cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis Ciuitatem*: & ita Deus propriè P vocatur Rex & Deus illorum, qui specialiter spectant ad Ciuitatem illam Ierusalem Cœlestem; cuius Conditor ipse est Deus: & quia Abraham Isaac & Iacob, verbo & exemplo ostenderant se ad illam Ciuitatem pertinere; ideo dicitur Deus illorum. Clementia etiam Saluatoris hinc patet; quoniam cum tot alia suppeterent loca resurrectionem probantia, quæ recolit Diuus Thomas; Q Isaiæ 26. *viuent mortui tui; interfecti mei resurgent*; Ezech. 37. manifesta visione; & Danielis 12. *multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt*, hanc delegit Exodi 3. quia scilicet, Sadducæi *quinque tantum libros Moysi recipiebant; Propheta-*

L p. p. 51. 3. 6.

M loc. cit. & 2. ad Annibaldum q. 8. 3.

N opusc. 15. c. 18.

O p. p. 51. 1.

P Hebr. 11. l. 4.

Q D. Th. hic.

rum

rum vaticinia respuebant. De his Angelicus fusè alibi, R vbi, & aduersùs Saracenos, & de resurrectione. [R p. Cor. 15. l. 5. & 6.] Luculenter autem quoad chiliastas seu millenarios, honestos quidem aliquot, carnales autem & spurcissimos alios, antesignano Cherintho, antiquissimo Heresiarcha; vide Thomam Maluendam de Antichristo in prima impressione lib. 10. cap. 3. & deinceps: Et prius Augustinum de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 7. vbi ait de his millenarijs: *quæ opinio tolerabilis esset vtcunque, si aliquæ deliciæ spiritales in illo sabbato affuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur*. Confutat eam cum carnalibus, Viues etiam ibi eruditè. Quorsum permissa sit *in illo die* Sadducæorum interrogatio elucidabit Syntaxis.

VERS. XXXV. *Et interrogauit eum, vnus ex eis legis doctor, tentans eum.*

42. Non liquet facilè quomodo tentator iste fideret se victurum. Origenes arbitratur rem olim apud Iudæos quæsitam, & non inuentam; ideo ad tentandam Christi sapientiam accessisse. Hieronymus sentit quæsiuisse, quodnam esset *magnum mandatum* vt cum omnia, quæ Deus mandauerat, magna sint; quicquid respondeat sit in occasionem calumniæ. Et iam apud Marcum cap. 12. legimus subiunxisse Dominum, (postquam dixerat; *diliges Dominum Deum tuum &c. & proximum tuum) maius horum aliud mandatum non est*. Ipse veruntamen arcanam magis agnoscerem tentationem: videlicet postquam acumen sapientiæ vel liuidi præ maleuolentia audierant: nam *Pharisæi mirati sunt, & Sadducæis impositum silentium*: conuenerunt in vnum, ad tentandam potius eius sanctitatem; & vtrum eius sapientia esset in Deo. Docet Angelicus S non eandem esse Philosophis & Theologis contemplationem. [S Cant. 1. v. 2. com. denuo comperto & 2 2. 45. 2.] Sapientia Philosophorum consistit in sapere; Theologica verò magis in sapore quàm in sapere; & magis consistit in dilectione & dulcedine, quàm in sermone. Ecce mi lector, quomodo ad dilectionem Dei primùm confugit Christus; deinde ad proximi. Ex quo vel inuitus deprehenderet Scriba tentator; quia dilectionem Dei, eamque gradu heroico, & sic proximi, animo voluebat. Non ergo ad trutinam hoc vel illud mandatum voluit examinare; sed ex fine omnia, & in vno & altero; quia *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ*: nam Rom. 13. *plenitudo legis est dilectio*. Et vide quomodo palam perfectam dilectionem Dei se habere habendamque esse ostendit; quoniam cum Deuteronom. 6. dicatur, *diliges Dominum Deum tuum*, &c. & iterum cap. 10. *& nunc quid Dominus Deus petit a te; nisi vt timeas?* &c. *& diligas eum?* nihil de timore meminit; quia 1. Ioann. 4. *perfecta charitas foras mittit timorem*. Supra cap. 12. *ex abundantia cordis os loquitur*; ipse Dominus; qui Ioann. 14. ait, *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem*, dilectionem illico in medium profert; siquidem vnusquisque, quod versat fixè in animo, sedulò profert: *Nauta de ventis, de bobus narrat arator: enumerat miles vulnera, pastor oues*. Ideo Dominus Ioan. cap. 13. *in hoc, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis; si dilectionem habueritis ad inuicem*: Et Ioannes præ cæteris dilectus, teste Hieronymo ad Gal. lib. 3. cap. 6. *cùm non posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas proferre solebat collectas; nisi hoc; filioli diligite alterutrum*. Hunc ergo Scribam, qui quanquam tentaturus, discipulum se eius dicit, dum vocat Magistrum; *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* mox erudit, incipitque formare discipulum: qui talem apud Marcum se non abnuit profiteri, quando in morem discipulorum, quæ à Magistro audierat, repetit ad amussim. Vnde sequitur; *Iesus autem videns, quod sapienter respondisset*, prælibato vel primis labris sapore sapientiæ, *dixit illi*, hac de causa; *non es longè à Regno Dei*. Ex quo, etsi non exprimat subintellecto apud Matthæum, mirabiliter Syntaxis & Harmonia contextus hos coagmentabit. De huiusmodi charitatis præceptis dixi Deut. 6. Vide ex professo Angelicum exponentem T illud *in toto corde*, &c. Et summariè in altero loco; V *ex toto corde*; per cor intelligitur intentio: [T 2. 2. 44. 5. & opusc. 18. c. 13.] *ex tota anima tua*; per animam, voluntas; anima enim in Scriptura frequenter pro voluntate accipitur; Hebr. 10. *quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ*, idest voluntati meæ: *ex tota mente*; idest ex tota cogitatione, & intellectu: *ex tota fortitudine tua*; quia totam virtutem & fortitudinem Deo dare oportet; *fortitudinem meam ad te custodiam*, psal. 58. non ad nocendum proximis, & ad peccandum.

43. Vnum quasi peregrinum considero: nempe fortitudinem ex Philosopho 3. Ethic. cap. 10. esse tanquam in suo subiecto X in irascibili. Ex tota fortitudine præcipimur diligere Deum: ergo vsu sancto irascibilis. [X p. 2. 56. 4.] Irascibilis autem est quasi A propugnatrix & defensatrix, contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ concupiscibilis appetit; & ingerunt nociua, quæ concupiscibilis refugit. [A p. p. 81. 2.]

Dic ergo; quandocumque quis non obstat peccatis & proprijs & alienis, propulsando Dei offensas, in defensionem Dei, nominisque & honoris eius: non diligit ipsum *ex tota fortitudine*. Fortitudinis huius fructum memorat Isaias cap. 27. dicens; *& iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*. Diligebat sic ex tota fortitudine Deum Tobias; cum moriturus filium pressè admonuit; *omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue, ne aliquando peccato consentias*. Certè cum necessarios aut amicos diligimus, aduersus eorum hostes & offensores arma capimus. Cur non & pro Deo militemus? *Pro iustitia*, (Ecclesiastici 4.) *agonizare pro anima tua; & vsque ad mortem certa pro iustitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Cùm quis à peccatis sui ipsius abstinet; negligit autem aliorum peccata impedire, non Deum, sed se ipsum diligit: non minus enim amanti graue est, amatum per alios offendi; quàm per se ipsum. Ideo verus fortisque Dei amator, persentit Dei offensas ceu proprias. Hinc de Sancto Loth Diuus Petrus in sua 2. cap. 2. *habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*. Hinc 2. Corinth. 11. Apostolus; *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Hinc Sanctus Pater Dominicus; *peccatis humanis vehementer discruciabatur*: Hinc Theresia; *hæreticorum & Schismaticorum tenebras perpetuis deflebat lacrymis*: vnde & ei dixit Dominus, se veluti ipsius fortitudini propugnatrici commendans: *deinceps vt vera sponsa meum zelabis honorem*.

VERS. XXXXIII. *Quomodo ergo Dauid in spiritu, vocat eum Dominum, dicens; Dixit Dominus Domino meo?* &c.

44. Paulo ante Pharisæi mirati sunt: non minus stupefactis imposuit silentium Sadducæis. Supra c. 13. mirabantur in Synagogis; *ita vt dicerent; vnde huic sapientia hæc & virtutes? nonne hic est fabri filius?* & Ioan. 7. *mirabantur Iudæi dicentes; quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Sicuti autem, ibi *respondit eis Iesus, & dixit; mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*: nunc quoque ad idem, vt scilicet, se non purum hominem demonstret, auctoritatem inducit Psalmi, cui reluctari non possunt: proinde vel more Dæmonum; qui Iacobi 2. *credunt & contremiscunt*, coactè de ipso credant. Propterea sequitur: *& non poterant ei respondere verbum; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*. Interrogauit eos, sicuti Iob

38. *interrogabo*, ait Dominus, *te*, non vt addiscat, ex Angelico ibi, sed vt hominem de sua ignorantia conuincat. Aperta est quippe in spiritu Dauid contestatio; vt qui fuerat Messias de ipsius stirpe expectandus, vltra humanum, Deus quoque esset. Habetur inquit Angelicus, B in lege quòd Pater est maior filio: non ergo filius Dominus est Patris; ergo vel Christus non est filius Dauid; vel in eo est aliquid maius Dauid, cum vocet eum *Dominum suum*. Quanquam autem prisci illi Scribæ, doctiores sine dubio nostratibus Iudæis, (qui victui & mercaturæ egestate compulsi, non sacris insudant litteris) non potuerint respondere verbum; siquidem sequitur, *sede à dextris mei*; quod æqualitatem cum Deo importat: temerè audent moderni, ausique sunt etiam Hieronymi tempore *rebelles lumini*, forti, & euincenti argumento huic refragari. *Friuola*, ex Hieronymo, *multa confingunt*; *vernaculum Abrahæ afferentes*: (de quo Genesis 15. *& filius Procuratoris Domus meæ iste Damascus Eliezer*) & ex persona huius vernaculi Procuratoris scriptum psalmum esse, ita vt post cædem quatuor Regum ab ipso Abraham factam, vt legitur Genes. 15. cãtetur ei laus ista; vt Dominus Deus, dixerit Abrahæ *Domino* eiusdem vernaculi; (vernaculi sunt serui, C in domo Domini nutriti) *sede à dextris meis*. Sed instat Hieronymus; *interrogemus, quomodo dixerit Abrahæ ea quæ sequuntur? & respondere cogamus, quomodo Abraham ante Luciferum genitus sit? quomodo Sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedech? cùm immo pro Abraham Melchisedech obtulerit panem & vinum; & ab ipso Abraham decimas acceperit.* Præterquam violenter comminiscuntur Cantorem aliquem composuisse hunc psalmum, qui cantor minimè notus est. Quod vt tueantur, gratis dicunt non esse, psalmum Dauidis, sed Dauidi quasi dicatum; vt in hebræo *mizmor ledauid*, datiuo dicatur casui; *psalmus Dauidi*; cùm prima sint grammaticæ rudimenta, literam *lamed leduid*, propriissimè deseruire etiam genitiuo seu patrio casui. Claudat Chrysostomus; *secundum carnem vere filius erat Dauid; Dominus autem secundùm Diuinitatem*. Debuissent humiliari tantæ sapientiæ; & tunc ab ipso Domino efflagitare, quæ esset intelligentia, loclis memores, quæ præscius nunciauerat cap. 2. *dedit vobis Doctorem iustitiæ*. Cur enim si toties interrogarant, non denuo interrogant? sed ad discendum nolunt, ad tentandum vtique. *Et nemo poterat ei respondere verbum*. Si potuissent contradicere optassent; iuxta illud Isaiæ 65. & Roman. 10. *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*. Diuus Petrus Act. 2. instat ab hac psal. auctoritate dicens; *non enim Dauid ascendit in Cœlum; sede à dextris meis*. Quocirca Angelicus D; sicut, inquit, ascendere in Cœlum conuenit filio Dei secundùm humanam naturam; ita additur aliud quod conuenit ei secundum naturam diuinam, scilicet quòd sedeat ad dexteram Patris. Non enim ibi cogitanda est dextera, vel sessio corporis: sed quia dextera est potior pars animalis, dat per hoc intelligi, quod Filius consideat Patri, non in aliquo minoratus ab ipso secundum diuinam naturam, sed omnino in eius æqualitate existens. Et tamen Filius Dei etiam secundùm humanam naturam dicitur ad dexteram Patris sedere, quasi super omnem creaturam in dignitate cœlestis Regni exaltatus. Hebr. 1. *ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis?*

B D. Thom. hic.

C D. Th. Gen. 14.

D opusc. 2. p. 1. c. 240.

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumsecundum.

VERS. I. *Et respondens Iesus*, &c.

VERS. II. *Simile factum est Regnum Cœlorum*; &c.

1. Non sine mysterio hanc Domini parabolam seu similitudinem delegit sibi narrandam, præ alijs Sanctis Euangelistis, Diuus Matthæus; quia nimirum procursui assumptæ Syntaxis & Harmoniæ faciebat plurimum. Postquam enim in festo ingressu in Ierusalem præcedentis capitis, ascensum Christi in Cœlum delineauerat; restabat, de nostro illuc etiam transitu tanquam de cohærentibus Capiti membris, allegoriam subderet. Ad nuptias ergo gloriæ, ad æternam illam ac inennarabilem lætitiam, inuitati vocamur. Centies in Sancto Euangelio prædicatur prædicandumque edicitur Regnum Cœlorum: at nunc ob circumstantiam temporis, quod post ascensionem maturuit, vniuersæ scilicet vocationis ad illud, iteratò de eo introducitur. Ideo non obest, fuisse & alijs parabolis supra cap. 13. & de militante & de triumphante præhabitos sermones; quia nunc exhibetur executioni proximè mandandum, quod aliàs admonuerat in futuro; postquam scilicet ipse illò iter statuisset; iuxta quod Ioan. 14. dixerat; *si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me ipsum; vt vbi ego sum, & vos sitis*. Quocirca Angelicus; A per hoc quòd Christus humanam naturam assumptam, in cœlo collocauit, dedit nobis spem illuc perueniendi; quia, *vbi fuerit corpus; illuc congregabuntur & Aquilæ*, vt dicitur Matthæi 24. & Michææ 2. *ascendit pandens iter ante eos*. Quod ergo prætefert parabola implendum, Lucæ 10. iniunctum est; quando scilicet *designauit Dominus & alios septuaginta duos*, adiecitque; *dicite illis; appropinquauit in vos Regnum Dei*. Vnde *post passionem suam*, Act. 1. *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Sic Act. 8. euangelizabat Philippus *de Regno Dei*: Sic Paulus Act. 19. *suadens de Regno Dei*. Ad quod sub hac eadem nuptiarum similitudine infra cap. 25. de Virginibus; *& quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*.

2. Non sic autem de triumphantis Ecclesiæ nuptijs procedit parabola; quin etiam de militante, indiuisa ab illa Cœlesti, intelligi debeat: quandoquidem hac itur ad astra: & ideo vocatio præit. Et quidem indissuto textu: nam paulo ante se lapidem angularem perhibuit, vtique ad fundandam firmandamque Ecclesiam. Quæ quia inconcussa nedum permansit, sed permanet, permansuraque est, exigit meritò nuptiarum connubijque præsumpti similitudinem; vt quemadmodum indissolubile oportet esse matrimonij vinculum; ita nec in Ecclesiam portæ Inferi vnquam præualerent; vt supra cap. 16. dictum est. Subinde, tametsi hoc in Exordio, primitiuæ Ecclesiæ arrideat parabola, mox ad progressum eiusdem flectit sermo Domini; tandemque ad finalem pergit Ecclesiam; quam plena cœlestis Conuiuij sequitur consummatio; ex parabola de decem Virginibus descriptione cap. 25. & admittendorum ad nuptias diuisione; quando ibidem *separabit congregatos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hœdis*: dicturus ouibus; *possidete paratum vobis Regnum*.

A 3. p. 57. 1.

Nec

Nec inde nos fugiat præsentis Saluatoris parabolæ
specimen, quandoquidem vniuntur in vnum & nu-
ptiæ & Regnum; iuxta quod ipsemet Lucæ 22. elo-
quitur; *& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi
Pater meus Regnum; vt edatis & bibatis super men-
sam meam in Regno meo.* Ex quo & in Oratione
Angelicus; *& fac me peruenire ad illud ineffabile
conuiuium; vbi tu cum sanctis tuis es lux vera, sa-
tietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas con-
summata.* Et in Sequentia; *tuos ibi commensales fac
Sanctorum ciuium.* Ad hæc Isaiæ 25. *faciet Domi-
nus exercituum in monte hoc, conuiuium pinguium,
conuiuium vindemiæ; pinguium medullatorum,
vindemiæ defæcatæ.* Quod quidem spirituali refe-
B Apoc. 8. com. 1. ctione accipiendum est, iuxta illud psal. 16. *satiabor,
cum apparuerit gloria tua. Pingue medullatum,* B
dicit gaudium, de præsentia omnis boni; *vinum
C Serm. Dom. 2. post Pent. defæcatum* dicit gaudium de absentia omnis mali.
Nam fercula C in vita æterna sunt gaudia. Et spi-
D 4. cont. G. 83. ritaliter esse isthæc intelligenda, D iam dictum est;
in capitis expositione. Sic anagogicè illud Hesther 1.
*Assuerus tertio anno Imperij sui fecit grande conui-
E In præfat. Canonicarum. uium.* Assuerus E Christus est. Et in opusculo;
Rex iste significat Christum, F qui non primo, nec
F opusc. 58. 29. secundo anno, idest ante legem & sub lege; sed tertio;
idest tempore gratiæ facit conuiuium. Sed in Apo-
calipsin mirificè; ibi, *quia venerunt nuptiæ Agni;*
G Apoc. 19. com. 3. G ad Syntaxin cum præcedenti capite dicit, solemni-
tas nuptiarum cœpit in Ascensione. Et deinde alle-
gorizat de commensalibus: *fecit conuiuium cunctis
Principibus, & pueris suis; fortissimis Persarum, &
Medorum inclytis, & Præfectis Prouinciarum co-
ram se; vt ostenderet diuitias gloriæ Regni sui: Prin-
cipes* dicit Angelos; *pueros* Prophetas; *fortissimos
Persarum*, Martyres; *Medorum inclytos*, confesso-
res; *Præfectos Prouinciarum*, Apostolos.

VERS. III. *Et misit seruos suos vocare inuitatos
ad nuptias,*

3. Non est dubium consensu etiam Patrum, inuita-
tos istos esse Iudæos, siue per Moysen, siue per Pro-
phetas, vt exponunt, deindeque per Apostolos; su-
pra cap. 10. *potius ite ad oues, quæ perierunt domus
Israel.* Sed quoniam iuxta fixæ allegoriæ nostræ se-
riem, versamus tempus coalescentis Ecclesiæ post
Christi ascensum, hanc quidem vocationem Iudæis
adscribimus: sed libet de interna vocatione accipi.
H Apoc. 19. ibi, qui vocati sunt Alia certè est vocatio inspirationis, H alia prædica-
tionis. Et ad Romanos, ibi *quos vocauit*, inquit;
duplex est vocatio, vna exterior, quæ fit ore Prædi-
catoris: hoc modo vocauit Petrum, & Andream, vt
I Rom. 8. l. 6. dicitur Matthæi 4. I alia vocatio est interior; quæ
nihil aliud est, quàm quidam mentis instinctus, quo
cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum ijs,
quæ sunt fidei; Isaiæ 41. *quis suscitauit ab oriente iu-
stum, & vocauit eum, vt sequeretur se?* Et hæc vo-
catio necessaria est; quia cor nostrum non se ad
Deum conuerteret, nisi ipse Deus nos ad se trahe-
ret; Ioan. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater,
qui misit me traxerit eum;* Thren. 5. *conuerte nos
Domine ad te, & conuertemur.* Operæpretium au-
tem erat, interiorem hujusmodi vocationem, mi-
nimè in parabola prætermitti; secus quæ ad conuer-
sionem nostram faciunt ignoraremus. Quocirca
L 2. 2. q. 6. 1. perdoctè Angelicus hæc habet: L Quantum ad as-
sensum hominis in ea quæ sunt fidei, potest conside-
rari duplex causa: vna quidem exterius inducens; si-
cut miraculum visum, vel persuasio hominis indu-
centis ad fidem; quorum neutrum est sufficiens cau-
sa: videntium enim vnum & idem miraculum, &
audientium eandem prædicationem, quidam cre-
dunt, & quidam non credunt. Et ideo oportet po-
nere aliam causam interiorem, quæ mouet homi-
nem interius ad assentiendum his quæ sunt fidei.

Hanc autem causam Pelagiani ponebant solùm libe-
rum arbitrium hominis; & propter hoc dicebant,
quòd initium fidei est ex nobis; in quantum scilicet
ex nobis est, quòd parati sumus ad assentiendum his,
quæ sunt fidei: sed consummatio fidei est ex Deo,
per quam nobis proponuntur ea, quæ credere debe-
mus. Sed hoc est falsum: quia cùm homo assentien-
do his, quæ sunt fidei, eleuetur supra naturam suam;
oportet quòd hoc insit ei ex supernaturali principio
interiùs mouente, quod est Deus: & ideo fides quan-
tùm ad assensum, qui est principalis actus fidei, est à
Deo interiùs mouente per gratiam. Vide lector,
quanti momenti est, sic de vocatione interiori primò
interpretari parabolam: cui subinde adnectitur mox
de vocatione exteriori; cum *iterum misit alios ser-
uos.* Fit autem huiusmodi interior vocatio Ange-
lorum ministerio; quia Hebr. 1. *omnes sunt admi-
nistratorij spiritus, in ministerium missi propter eos,
qui hæreditatem capiunt salutis:* qui quidem Angeli
serui Dei sunt; iuxta quod Apoc. 19. & 22. dixit An-
gelus Ioanni; *conseruus tuus sum:* & Bernardus in
psal. Qui habitat; *cuius mandatis obtemperant; cuius
obediunt voluntati;* nam *Angelis suis mandauit de
te.* Hinc Dionysius cap. 4. Cœlestis Hierarchiæ di-
cit, quòd *cœlestes essentiæ primò in se ipsas diuinam
edunt illuminationem; & in nos deferunt, quæ su-
pra nos sunt, manifestationes.* Ecce in textu perhi-
beri *seruos*, & hos perhiberi *missos*. Et quia interior
isthæc vocatio, ex eodem Sancto Thoma, M est ef- M Rom. 8. l. 6.
ficax in prædestinatis; secundum quod ait Aposto-
lus; *quos autem prædestinauit, hos & vocauit; &
quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustifi-
cauit, illos & magnificauit:* argumento est, hos in-
uitatos, interiùsque, simul & exteriùs vocatos; mis-
sis Apostolis; *iterum misit alios seruos;* Roman. 1.
Paulus seruus Iesu Christi; 2. Petri 1. *Simon Pe-
trus seruus & Apostolus Iesu Christi;* Apoc. 1. *mit-
tens seruo suo Ioanni;* argumento est inquam, non
fuisse efficacem omnium Iudæorum vocationem:
vnde quoad interiorem *nolebant venire;* & quoad
exteriorem pariter, *neglexerunt; & abierunt alius
in villam suam; alius verò ad negociationem suam;*
&c. Porro idcirco non ponamus in Cœlum os no-
strum. Auxilium gratiæ quibuscumque diuinitus
datur, misericorditer datur; quibus autem non da-
tur, ex iustitia non datur; N in pœnam præcedentis N 2. 2. q. 2. 5. 1.
peccati, & saltem peccati originalis; vt Augustinus
dicit in lib. de correptione & gratia ex cap. 5. & 6. Vl-
teriùs Prouerb. 21. *non est sapientia, non est pruden-
tia, non est consilium contra Dominum:* Ecclesiastes
8. *nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis?* &
Iob 9. *vel quis dicere potest; cur ita facis?*

VERS. IV. *Ecce prandium meum paraui;* &c.

Iam diximus vocationem parabolæ huius etiam
militanti Ecclesiæ præludere. Et vide quàm subtilis 4.
est comprobatio. *Ecce*, inquit, *prandium meum
paraui. Prandium* hebraicè *aruchah*, à radice verbi
arach, à qua voces deriuantur aliæ, vt *viator*, *socie-
tas.* Quid ni ergo, ad cœtum fidelium viatorem ad-
spexerit, nuptiarum loco, prandium exprimendo?
ecce tempus coadunandi viatorum cœtus, congre-
gationis, seu societatis: 1. Cor. 1. *fidelis Deus, per
quem vocati estis in societatem filij eius;* & 1. Ioan.
1. *si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in lu-
ce, societatem habemus ad inuicem.* Sed mirum est,
quomodo regia mensa, quæ exoticis promitti debue-
rat onusta edulijs, dapibusque suauioribus exquisi-
tis vndique diues, nonnisi occisos tauros iactet, &
altilia: & quæ? satius visum fuisset, opiparis obsonijs
instructam magnificare, splendidumque describere
apparatum. Quid tam parcè de opulento Regis con-
uiuio? Regina Saba, quæ 3. Regum 10. *cum vidisset
inter alios cibos mensæ Salomonis, non habebat vl-*

stra

tra spiritum; nunquid etiam obstupuisset, hoc audito; *tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata?* Latent sine dubio arcana. Congregandæ Ecclesiæ tempus tunc immo erat, quando tauri sui occisi essent, & altilia; non quando conditæ essent escæ; sed cùm occisi sunt tauri. Sanè occisio animalium
O p. 3. q. 101. 3. 5. ibi a. 3. 2. & a. 5. 6. Christi mortem O in sanguine significauit. Præterea offerebatur Christus in vitulo P propter virtutem nimirum Crucis. Sed Augustinus in fine libri 18. contra Faustum Manichæum de Tauro mentionem facit; nam bos qui offerebatur etiam in lege, per idem vocabulum *sor* denotatur. Cæterùm Taurus nostris non dicitur nisi de forti. Inquit autem; *in figuris eloquiorum diuinorum, & taurus dictus est propter virtutem Crucis*. Sonat ergo *Tauri mei occisi sunt*: iam crucifixus fuit Christus Dominus; qui quoniam nedum homo est, sed & Deus filius Dei; idcirco typo tauri præditi virtute seu fortitudine hac in parabola significatur. Et audi mirabilem contextum 1. Cor. 1. *nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis*, (ecce hic parabola est de vocatione) *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*: Et 2. Cor. 13. *nam*
P 2. Cor. 13. l. 1. *etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei*; scilicet P Patris. Et ab vtroque loco, quia Christus dicitur *virtus Dei*; considera quàm profundè, possessiuum illud additum sit; speciali quidem ratione, nedum *tauri*, sed *mei*. Non sic psal. 21. vbi; *tauri pingues obsederunt me*. Nec Ezechielis 39. *taurorumque & altilium pinguium*. Quam lepidè huc adferri debet Leo Papa, qui in hom. de transfiguratione ait; *hunc incunctanter audite; quia ipse virtus mea, atque sapientia*. Exponit autem, quomodo *ipsis vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem*; in quantùm in Cruce Christi
Q 1. Cor. 1. l. 1. recognoscunt Dei virtutem; Q per quam & dæmones superantur, & peccata; & homines saluantur. Et hoc dicit contra scandalum Iudæorum, qui de infirmitate Christi scandalizabantur. Et rursus; quia
R 2. Cor. 13. l. 1. *viuit ex virtute*; R in quantum post mortem Crucis, quam sustinuit ex infirmitate humana, surrexit & viuit ex virtute Dei, quæ est ipse Deus. Quocirca Augustinus, in calc. Quæstionum super Deuteronomium inquit; *cum Moyses benediceret Ioseph, ait, inter cætera: primogenitus, Tauri pulchritudo eius*: *Quod non ita legendum est, tanquam diceret, primogenitus Tauri; sed cùm sit primogenitus, pulchritudo eius, pulchritudo Tauri est. Propter Crucis cornua de Domino intelligitur figuratum: Quibus cornibus (contra Faustum) impios ventilauit*.

Sequitur; *& altilia occisa sunt*.

5. Hoc etiam altam habere potest intelligentiam. In primis, vt qualificetur occisio taurorum, hoc est Christi; Act. 7. *quem vos interemistis suspendentes in ligno*; & cap. 10. *quem occiderunt suspendentes in ligno: hunc Deus suscitauit*. Adeps enim olim in sacrificijs adurebatur, & effundebatur sanguis; &
S p. 3. q. 102. a. 3. ad 8. per hoc figurabatur S effusio sanguinis Christi, & pinguedo charitatis eius; per quam se obtulit Deo pro nobis. Meritò prope oblationis suæ tempus, *venit in villam, quæ dicitur Gethsemani*, quod in-
T D. Th. Matthæi 26. terpretatur T *pinguedo*. Deinde, gratia pinguem
V Apoc. 11. com. 3. & psal. 21 ibi & se orabuntur. V facit animam. Certè eadem gratia per vnctionem significatur; 1. Ioan. 2. *sed vos vnctionem habetis*. Oliuæ autem ex qua oleum, propria est pinguedo: Roman. 11. *socius radicis & pinguedinis oliuæ*; & Iudicum 9. oliua dixit, *nunquid possum deserere pinguedinem meam?* Hebraicè *scemen*: *pinguedo, oleum, vnguentum*. Psal. 62. *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. De Domino autem Act. 10. pronunciauit Petrus; *quomodo vnxit eum Deus Spiritu-Sancto & virtute*; (ecce de virtute, & de pinguedine oleaginæ vnctionis: ecce de tauris, & altilibus, quæ expressè Ezechielis 39. dicuntur pinguia;) & de ipso Ioan. 1. *plenum gratiæ & veritatis*. Et ps. 44. vt ex Apostolo, Hebr. 1. *vnxit te Deus, Deus tuus; oleo exultationis præ participibus tuis*. Hinc Ioan. 3. *non enim ad mensuram dat Deus spiritum*:
X nam Christus in quantum homo non ad mensuram recepit gratiam. Dicit Diuus Damascenus lib. X Ioan. 3. l. 6.
4. de fide orthodoxa cap. 15. de Beata Virgine; *ad Templum adducitur; ac deinde in Domo Dei plantata atque per spiritum saginata, instar oliuæ frugiferæ, virtutum omnium Domicilium efficitur*: sicut Angelicus in Inuitatorio Officij Sacramenti Altaris, intonat; *Christum Regem adoremus Dominantem Gentibus; qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem*: & in Sermone; *nihil hoc sacramento salubrius, in quo purgantur scelera, virtutes augentur; & mens spiritualium charismatum abundantia impinguatur*: & in Antiphona secundi nocturni; *memor sit Dominus sacrificij nostri, & holocaustum nostrum pingue fiat*: Quod quidem mutuatur ex psalmo 19. *memor sit omnis sacrificij tui; & holocaustum tuum pingue fiat*. Huiusmodi refer A ad sacrificium Christi; qui totum se obtulit in ara Crucis. A ps. 19.
Præmittitque Angelicus; pinguia in holocaustum plus odoris habent. Et ideo qui plus deuotè sacrificium offert, magis est acceptus, quodcunque sit illud. Abel, ad quem Genesis 4. *Dominus respexit, & ad munera eius, obtulit de primogenitis gregis sui; & de adipibus eorum*; Leuitici 1. offerendus præcipitur vitulus *in suauem odorem Domino*: sic centies, de odore suauissimo: *& Christus* Ephes. 5. *dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*. Quòd si pinguia sunt, quæ plus odoris habent: cur non per altilia, seu saginata seu pinguia significetur, occisum Dominum nostrum in ara Crucis, acceptissimum fuisse holocaustum? & ex pinguedine deuotionis. Ad deuotionem quippe etiam refertur isthæc spiritualis B pinguedo. Quocirca mirè iuuat audiamus Angelicum, C qui cum assumpsisset in argumento, quod charitas in Scripturis significatur per ignem, deuotio verò per pinguedinem; in responsione id probans, rem sic declarat: Pinguedo, inquit, B ps. 19. cit. & ieremiæ 31. C 2. 2. 82. a. 2.
corporalis & generatur per calorem naturalem digerentem, & ipsum calorem naturalem conseruat, quasi eius nutrimentum. Et similiter charitas & deuotionem causat, in quantùm ex amore aliquis redditur promptus ad seruiendum amico, & etiam per deuotionem charitas nutritur. Dicamus ergo ex his, cum vt nuper visum est ad Ephes. Christus ex charitate se pro nobis hostiam obtulerit; ab hac charitate, pinguedinem spiritualem deuotionis, in eo fuisse. Et quia deuotio nihil aliud est, nisi quidam voluntatis actus, D adhoc quòd homo promptè tradat se ad ea quæ pertinent ad diuinum obsequium: vnde Exodi 35. dicitur quòd *multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque deuota primitias Domino*: vide, quomodo Redemptor hanc deuotionem ostendit manifestè in horto dicens; *spiritus quidem promptus est*; iuxta illud psal. D ibi a. 1. & 3.
53. *voluntariè sacrificabo tibi*; & Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*. Neque obsit dixisse; *tristis est anima mea vsque ad mortem*: nam missis alijs pro nunc sapidissimis expositionibus; sicuti docet; E in consideratione passionis Christi est aliquid quod contristet; scilicet defectus humanus, propter quem tollendum, Christum pati oportuit; & est aliquid quod lætificet, scilicet Dei erga nos benignitas; quæ nobis de tali liberatione prouidit. Et sic lætitia est deuotionis effectus. E ibi a. 4. ad 1.

Inter tot autem quæ prælibauimus, præcipuum esse arbitremur parabolæ intentum, vt in occisione 6.
altri-

altilium seu pinguium & saginatorum: (quod concernit vnctionem; eoquod omne pingue naturam redolet olei, & oliuæ propria est pinguedo) intelligatur Christus secundùm quod homo; qui ab vnctione dictus est *Messias*, seu *Massiach* hebraicè à verbo *Massach*, vnxit; græcè *Christos* ad idem, & latinè *vnctus*. Vnde & in Canticis, *oleum effusum nomen tuum*. Opportunè autem quia serui, qui vocant exterius ad fidem, & tauros & altilia occisa prædicare debent; idest Deum & hominem, ipsum annunciare. Deum ex tauri virtute, hominem ab vnctione: quandoquidem ex Damasceno vt fertur in Opuscu-

F opusc. 60.a.1. lo, F Christus significat hominem Deificatum. De quo quia supra in initio capitis primi dictum est, satis fuerit recolere prouerbium esse; *oleo tranquillior*. Vnde ex Plinio adeo tranquilla est olei natura, vt mare quoque rem omnium sæuissimam tranquillet; atq; ob id vrinantes, ferunt oleum spargere, quòd mitiget elementi naturam asperam. Augustinus tract. 33. in Ioannem, *intelligamus fratres admirabilem mansuetudinem in Domino. Animaduertunt eum nimiùm esse mitem, nimiùm esse mansuetum. De illo quippe fuerat ante prædictum: propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam*; &c. ps. 44. Et Hieronymus lib. 4. Comm. in cap. 23. Matthæi; *quid mansuetius, quid benignius Domino?* Ieremiæ 11. *ego quasi agnus mansuetus*; & Matthæi cap. præcedenti ex Zacharia; *ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Quamuis autem immolatus pro nobis Dominus potuisset aliter significari; tamen hic in subiecta similitudine nuptiarum, non fuit quod congrueret magis: ideo tauri & altilia introducuntur. Virtus Diuinitatis in tauris, humanitas in altilibus, ob spiritalem pinguedinem, vt diximus, Christo secundum humanitatem, titulo vnctionis conuenientem. Defectus etiam quos pro nobis in humanitate assumpsit, altilia signant; quia opera & ope nostra egent vt alantur; & Christus

G 3. p. 14 1. famem, sitim, & huiusmodi in corpore G assumpto passus est. Inde *ministrabant ei mulieres* Lucæ 8. *de facultatibus suis*. Voluit ergo inter altilia propterea connumerari. Huc reuoca ex Augustino, Serm. 26. de verbis Domini; *habebat carnem in qua esuriret quidem & sitiret: sed quòd pasci voluit, pascenti præbuit; nam & ista dignatio fuit, se præbere pascendum*. Idem in ps. 108. *egestas & paupertas, infirmitas est ex qua crucifixus est*.

7. Vno verbo itaque *dicite inuitatis; tauri mei & altilia occisa sunt*: valeat ac si dixissent; peractum est incarnationis mysterium: facta est vnio virtutis & infirmitatis; diuinitatis & humanitatis assumptæ. Et sublimis huius intelligentiæ captus tenore vocum innuitur, quæ, figura syllepsi dicta, exprimuntur: quæ fit cùm duabus diuersisq; sententijs & rebus, vnum datur verbum alteri non conueniens; & Beda definiuit esse dissimilium clausularum, per vnum verbum conglutinatam coniunctionem; vt cum substantiuis nominatiuisue, diuersorum generum iungitur adiectiuum, verbumue alteri tantum respondens; Virgil. 1. Æn. *Socijs & Rege recepto*. Ecce in sacro textu tauri mei, & altilia *occisa sunt*: tauris, nō conuenit ly *occisa sunt*, neutrius generis; cùm tauri sint masculini. An non species quædam est vnionis duarum naturarū in vna persona? Latinè *syllepsis* dici potest comprehensio: certè quod plura colligat in vnum: quod item præfesert vmbram mysterij: nam *sicut anima rationalis & caro vnus est homo*; (in Symbolo) *ita Deus & homo vnus est Christus*. Vi figuræ huius etiam, poterat dici, *tauri mei occisi sunt, & altilia*. Sed maluit, caderet occisio, super altilia, hoc est super humanitatem, quia mortuus est homo; nō secus ac prophetice Caiphas Ioa. 11. prompsit, *expedit vt vnus moriatur homo*: nihilominus propter communicationē idiomatum, idest proprietatum; *Deus* in Tauris intellectus

H 1. p. q. 16. 4. *passibilis nominatur: & Deus crucifixus est*; vt ait Damascenus; H idque contra Nestorium catholicè.

Pluraliter autem dicitur *Tauri & altilia*, ad exigentiā vbertatis nuptialis. Docuit Augustinus cōsuetum esse Scripturæ pluralem ponere pro singulari numero. Ita 16. de Ciuit. c. 40. Sic & Angelicus ad illud supra c. 2. *defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*: & tamen præmissum est; *defuncto Herode*. Vocatur & hoc figuratè dictū per syllepsin secundùm quosdam.

Sed hic oportet specialem scrutari causam; quæ istiusmodi potest esse. Cum enim de Dei virtute, in Tauro qui fortior est, inducatur allusio; nō satis erat, vbi infinita est virtus ad vnum arctari Taurum; sicut ideo pluribus nominibus, non vno Deū nominamus 8.

I p. p. q. 13. 4. I. Vnde quando nō colligetur Dei cognitio ex creaturis; sed ipsa Dei essentia videbitur, L ait Zacharias c. 14. *in illa die erit Dominus vnus; & erit nomen eius vnum*. Virtus Diuinitatis infinita, pluribus ita dic signari Tauris; vt canere deceat; *laudate eum in virtutibus eius: laudate eum, secundùm multitudinem magnitudinis eius*; ps. vltimo: licèt in se, vna sit Dei magnitudo, vt vnus Deus. Sic & quod sequitur plurali numero *altilia*. Etsi enim, *vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*; Hebr. 10. attamen illud vnum holocaustum in ara Crucis infinitè acceptum, non altilis vnius, sed plurimorum sine numero valorem obtinuit. Aliis etiam factum est, quod ait Leo Papa in Serm. 7. de passione, *vt vno expleretur sacrificio, variarum differentia victimarum. Altilia ergo occisa sunt*. Quod quoniam Incarnationis mysterium adeo ineffabile est, vt vix balbuciendo ipsum resonare valeamus; idcirco nonnisi in persona Dei annunciatur, sic quòd Deus ipse suis in seruis loquatur; non secus ac dicat Apostolus 2. Cor. 13. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus*: vnde textus; *dicite inuitatis; ecce prandium meum paraui; Tauri mei & altilia occisa sunt*; cum humano vsu dicendum fuisset à seruis, *Tauri eius, & altilia occisa sunt*. Ibi Angelicus; M quasi dicat; quicquid ego loquor; loquor à Christo; Exodi 4. *ego ero in ore tuo*; Lucæ 21. *ego dabo vobis os & sapientiam*. Quæ ergo homo facit ex instinctu Spiritus-Sancti, dicitur quòd Spiritus-Sanctus facit. Ideo Apostolus, quia à Christo motus, hoc loquebatur, attribuit Christo tanquam principali. Hactenus D. Thomas; quæ ad rem nostram profectò mirificè faciunt. Sed, vt dicitur Act. 5. Iudæos incredulos tenuit perfidia. Vnde pro illis Princeps Sacerdotum hanc occisionem in scandalum sibi cōuertit in eam oblocutus; *præcipiendo, inquit, præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto; & ecce replestis Ierusalem doctrina vestra: & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius*: & hic non minus prophetice à Domino quàm parabolicè, prius *nolebant venire*; deinde *neglexerunt*; tandem reliqui *tenuerunt seruos eius; & contumelijs affectos occiderunt*; sic excrescente gradatim eorum malitia. Quæ cuncta in Actis legimus impleta; quia de statu primitiuæ Ecclesiæ prædicta hic sunt. *Nolebant venire* ij, qui c. 2. dicebant *irridentes, musto pleni sunt isti*; & c. 17. *quidam quidem irridebant*: alij *neglexerunt*; ibidem dicentes; *audiemus te de hoc iterum. Reliqui tenuerunt seruos eius*; quando Act. 5. *iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica*: (*tenere* hoc sonat: infra Matth. 26. *tenete eum*: &, *tenuerunt eum*.) vbi postea, *Angelus Domini aperuit ianuas carceris*. Sequitur, & *contumelijs affectos occiderunt*: Ad literam Act. 5. *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati*. Et in eodem cap. *cogitabant interficere illos*: & c. 23. *collegerunt se quidam ex Iudæis; & deuouerunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum*; & Tribunus ex hac causa scripsit Præsidi; *virum hunc comprehensum à Iudæis; & incipientem interfici ab eis*. Et Act. 12. *occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem, quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum*. Porro

L de potentia q. 7. a. 6.

M 2. Cor. 13. L 1.

non omnes ita in Apostolos sæuierunt: sed Act. 5. *augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum*: & prius c. 3. *appositæ sunt in illa die animæ, circiter tria millia*: & cap. 4. *multi eorum, qui audierant verbum crediderunt; & factus est numerus virorum quinque millia*. Quod quidem videtur innui ex parabola; siquidem non dicit *omnes*, sed *illi neglexerunt*; neque pluraliter *abierunt* alij *in villam suã*, alij *in negotiationem suã*; sed *alius*; & *alius vero*.

Ex eodem textu; *& omnia parata*.

9. Postquam dixerat; *ecce prandium meum paraui*, quid hoc adijcere fuit necesse, *& omnia parata*? vel si hoc fuerat exprimendum; quod amplissimum est; poterat omitti præcedens; de parato specialiter prandio. Nunquid euangelicus calamus; immo quod magis est; nũquid ab ore hominis Regis frustranea verba? Absit id opinari, aut in mentem venire. Nunquid, vt in Iob c. 38. de homine legitur ab ore Domini; *quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis*? etiam ab ipso Domino aliqua minus apte promitur? Certe, *eloquia Domini casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*; ps. 11. Ne igitur hæreat quispiã, recolat à seruis missis, hoc est ab Apostolis, quod idem valet, hæc duo sunctim annunciata fuisse; *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. 1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum; Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atq; Græcis, Christum Dei virtutem, atque sapientiam*. Sic c. 2. *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio*. Et Ephes. 3. *vt innotescat Principatibus, &c. multiformis sapientia Dei*: & hæc sapientia mox ante exponitur, vt sit *dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo*; Sacramenti scilicet N humanæ redemptionis. Audiuimus Christi Diuinitatem in Taurorum symbolo, infirmitatem in altilibus: supererat innui de sapiẽtiã: & ecce, *parata sunt omnia*: hebraicum verbũ *ngrath* significat vtique *parare & instruere*, sed & *ordinare*. Et sic aliud verbum *hechin*, quod *parauit* sonat, æque valet ac *ordinauit*. Quis autem ignorat ex Philosopho 1. Metaph. sapientis esse ordinare; ergo Sapientiæ æternæ præordinare. Huius æternæ præordinationis effectus elucet, quoad hominum salutem, & cœlestiũ nuptiarum participationem, in eo quod *parata sunt omnia*: ab eo scilicet, de quo ps. 103. dicitur, *omnia in sapientia fecisti*. Si autẽ in cæteris Dei operibus clarẽt diuina sapientia, quæ parat, quæ ordinat, proculdubio eminentius extollitur in opere redemptionis. Lucæ 2. *quod parasti ante faciem omnium populorũ*. Augustinus in ps. 84. in initio: *apud Deum, quod futurum est, iam factum est*. Ad hæc Angelicus; O recognoscitur in Cruce Dei sapientia, in quantum per Crucem conuenientissimo modo humanum genus liberat. Quod quidem Damascenus apud eundem P docuerat, dicens per Incarnationis mysterium monstrari diuinam sapientiam, *quoniam inueni: difficillimi pretij decentissimam solutionem*. Videntur autem mihi in hac diuina parabola concerni, quæ alia Dei attributa, ibi Damascenus cõsiderat; *bonitas quidem quoniã non despexit proprij plasmatis infirmitatem*: Ecce non dedignatur seipsum in humanis visceribus exhibere; dum ait, simile Regnum Cœlorũ, non *Regi* duntaxat, sed *homini Regi*. Monstratur *iustitia, quoniam homine victo, non alio, quam homine fecit vinci tyrannum; neque vi eripuit ex morte hominem*. Ecce iterum filium indicari hominẽ, quia *filius est hominis Regis*. Monstratur *potentia, siue virtus infinita; quia nihil est maius, quam Deum fieri hominem*. Et ecce de Tauro, (cui virtus inest & potentia) altilibus, quæ infirmiora & egena præsumuntur, coocciso. Et coæquari videtur quod hic dictum est; *parata sunt omnia* supremo verbo Domini in Cruce Ioan. 9. *consummatum est*. Quod de præordinationibus diuinis secundum scripturas accipi potest; Q iuxta illud Lucæ 18. *consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. Et hic, *homo Rex fecit nuptias filio suo*. Augustinus in Serm. 33. in Lucam; *parata iam cœna, immolato Christo*. Parata etiam erant omnia, quia cum hæc nuptiarũ nuncia perferebãt Apostoli, *iam Christus astra ascenderat*; iter *pandens*, vt Michææ 2. dicitur *ante homines* ad illud Regnũ, de quo ad literã infra c. 25. *possidete*, dicturus est ouibus, *paratum vobis Regnũ à constitutione Mũdi*.

N Ephes. 3. l. 2.

O 1. Cor. 1. l. 3.

P 3. p. q. 1. a. 1. & q. 46. a. 3.

Q Ioa. 19. l. 5.

Poterat nos capere admiratio, cur mẽsa Regis; immo regales nuptiæ ieiunẽ adeo describerentur? sed postquam Dei gratia assecuti sumus de Cœlesti conuiuio sermonem esse, stupor longe absit. Satis fuerit dixisse *parata sunt omnia*. *Ostendam tibi omne bonum*, nil vltra audiuit Moyses, qui efflagitauerat; *ostende mihi gloriam tuam*: sufficit dici Beatitudinẽ cum Boecio, *statum omnium bonorum aggregatione perfectum*. *Scriptum est*, ait Apostolus 1. Cor. 2. *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*. Quocirca litera nostra habet Isaiæ 64. *oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti his, qui diligunt te*. Et idẽ Paulus in raptu, 2. Cor. 12. *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Regina Saba 3. Reg. 10. *videns omnem sapientiam Salomonis, & Domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in Domo Domini, non habebat vltra spiritum*. Et in hac enumeratione, res nulla quoad *quid est*, pingitur. Domini parabola, illam inuoluit, (*vmbram futurorum*) historiã. *Rex enim homo, filio suo facit nuptias*; qui plusquam *Salomon* est. Commemorantur *serui*; & hic *seruos suos* mittit: *cibi mensæ*: & hic nuptiæ: *vestes eorum*; & hic *de nuptialibus vestibus*: *ordines* vidit illa *ministrantium*; hic præsumuntur, quãdo *parata sunt omnia*: quemadmodum, subintelligẽdum est, & de Regia Domo & de habitaculis seruorum; iuxta illud Ioa. 14. *in Domo Patris mei mansiones multæ sunt*; & 2. Cor. 5. *scimus enim, quoniam si terrestris Domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, Domum nõ manufactam æternam in Cœlis*. Nec deest holocaustorum mentio; siquidem; *tauri mei & altilia occisa sunt*. Prou. 25. *gloria Dei est celare verbum*: quod sic exponitur: R hoc ipsum, quod necesse est celare magnalia Dei, pertinet ad Dei gloriam. Dic ergo in hac vita fidelibus paratum, *ecce prandium meum paraui*: *ecce* quasi de præsenti, quoniam dum sumus in via reficitur mens fidelium, & spiritaliter contemplatione tanti mysterij saturatur. Vbi Saluator Ioa. 10. habet; *per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur, & egredietur; & pascua inueniet*, sic habet ex Gregorio; *ingredietur* in Ecclesiam S credendo, scilicet militãtem; *& egredietur*, scilicet de militante ad triumphãtem; *& pascua inueniet*; scilicet doctrinæ & gratiæ: ps. 22. *in loco pascuæ ibi me collocauit*; & in Ecclesia triũphante; scilicet gloriæ, Ezechielis 34. *in pascuis vberrimis pascam eas*. Addit, in contemplanda Diuinitate, & in humanitate consideranda, gaudia cõtemplationis gustari. Et ita ad textum dicito; *Tauri mei, nesteque, & altilia occisa sunt*. *Non minor est voluptas mentis, quàm ventris*, aiebat Augustinus. 10.

VERS. IX. *Ite ergo ad exitus viarum, &c.*

Simul ac sancti Apostoli reliquerunt in sua pertinaci incredulitate Iudæorum plures, conuolarunt ad Gentes. Peragrarunt Piscatores Orbem terrarum. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 18. capit. 49. considerat, necessarium fuisse Apostolis donum linguarum, *vt vnusquisque illorum linguis omnium Gentium loqueretur; ita significans vnitatem Catholicæ Ecclesiæ per omnes Gentes futuram; ac sic linguis omnium locuturam*. Licet autem tempore Apostolorum, vt resoluit Angelicus, T nondum in omnibus Gentibus Ecclesia esset ædificata & fundata; quia ex Augustino apud quosdam Barbaros in Africa 11.

R 1. Cor. 11. l. 1.

S Ioa. 10. l. 2.

T Rom. 10. l. 3. & p. 2. 107. a. 4. ad 4.

ea nondum suo tempore factum erat, vt ait ad Hesychium Episcopum, Epist.80. nihilominus vsque ad fines Mundi, vel per Apostolos, vel per eorum discipulos peruenit fama, & diuulgata est notitia Christi; vt ait Chrysostomus. Matthæus enim prædicauit in Æthiopia, Thomas in India, Petrus & Paulus in Occidente. Et fauet Apostoli sententia; *in verbo veritatis Euangelij; quod peruenit ad vos; sicut in*
V Coloss. 1. l. 2. ps. 17. & Matthæi 14. *vniuerso Mundo est, & fructificat & crescit*. Quod est valde miraculosum, V quòd quadraginta annis, sic creuerit doctrina Christi; vt ait Chrysostomus: scilicet ante excidium Vrbis Ierusalem. Theodoretus de curandis Græcorum affectionibus lib.9. in hunc modum scribit: *At nostri illi piscatores & publicani, sutorque ille noster, cunctis nationibus legem euangelicam detulerunt. Neque solum Romanos, & qui sub Romano viuunt imperio, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea Æthiopas, Persas, Seras, Hircanos, Cymmerios, Germanos, & Britannos; vtque semel dicatur, omne hominum genus, nationesque omnes, introduxerunt Crucifixi leges accipere*. Certè si vnus Paulus tam longè lateque Euangelium disseminauit, nempè ab Ierusalem & Syria, & circumadiacentibus regionibus ad Illyricum, & fortè in Hispaniam vsque, & in tanta Orbis parte solus ipse prædicauit; quid existimandum est à reliquis Apostolis & Septuaginta duobus discipulis, horumq; comitibus & sectatoribus factum fuisse? Tu nota Rom. 15. certè haberi proposuisse; verisimilius tamen propositū suum non impleuisse quod Hispanias, Paulum. De his vberrimè videatur Maluenda de Antichristo lib.3. per totum. Diffamatum autem fuisse Christi nomen vbique, adstipulatur tot nationū Cœtus, primitiuo eo tempore in Ierusalem; vbi etiā aderant *Aduenæ Romani, Cretes & Arabes*; nā referūtur *Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudeā & Cappadociam, Pontum & Asiā, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem*. A tot autem nationū hominibus, non fuerit difficile, rumore quodam, excitatum fuisse Orbem ad Euangelij attentionem. Hoc autem quod re ipsa impletum est, cecinerunt prophetice Scripturæ, Isaiæ 24. *à finibus terræ laudes audiuimus, gloriam Iusti*: cap.7. *misisti legatos tuos procul*: (2. Cor. 5. *pro Christo legatione fungimur*.) psal.18. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*: Zachariæ 6. *qui autem erant robustissimi, exierunt & quærebant ire, & discurrere per omnem terram: & dixit, ite perambulate terram, & perambulauerunt terram*.
X opusc. 19. c.10. Quod glossa apud Angelicum X de Apostolis, & alijs Prædicatoribus exponit. Adest etiam de Apostolis aliud vaticinium Isaiæ cap.27. vbi dicit; *implebunt faciem Orbis semine*. Quocirca animaduertendum est, sententiam huiusmodi secundum varios codices, aliter & aliter allegari. Sic enim ferunt nonnulli: *qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem Orbis semine*. Quandoque etiam sic legitur in Diuo Thoma.
A ps. 19. in 3. sent. d.1. expofit. textus & 2. 2. 186. 1. Sed tamen frequentius vt in locis marginis A sic illam inducit; *qui egredientur impetu à Iacob*. Quòd si ita cum Hieronymo legamus, vt supra cap.1. n.32. dictum est: videat lector, quàm profundè ab Euangelica parabola introductum est; *& egressi serui eius in vias*. Cum primò inuitatos vocarunt, non dicuntur egressi. Sed egressi sunt, quia Iudæi Act.13. *eiecerunt eos de finibus suis*. Vnde sequitur; *at illi excusso puluere pedum, venerunt Iconium*. Lucæ 9. *egressi autem circuibant per castella euangelizantes, & curantes vbique*. *Exierunt* enim, vt ait Isaias *à Iacob*, vel quia de Iudæa fuerunt Apostoli; vel quia relicta Iudæa transierunt ad Gentium conuersionem. Sentit autem palam Angelicus ad omnes pe-
B 2. 2. 186. 1. ragrasse Gentes, tum ex illo Matthæi vltimo, *docete omnes Gentes*; tum B ex dono linguarum omnium. Vt quid enim omnium linguarum generibus loquerentur? Sanè apud Marcum cap. vltimo sic: *euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni Creaturæ*: &, *illi autem profecti prædicauerunt vbique*. Hinc in psal.17. *volauit super pennas ventorum*; idest plusquam pennæ, quæ aguntur impulsu ventorum; C in quantùm fama eius post Ascensio- C ps. 17.
nem in breui tempore creuit. Sed quæ in præsidium vniuersæ huiusmodi prædicationis Apostolicæ in nouo Orbe occiduo ante Columbum & Hispanos attacto, potissimùm Beati Apostoli Thomæ opera, congeri possunt, vide eruditissimum eundem Maluendam laudato illo in lib.3. de Antichristo c.25. multa enim antiquissima, quamuis deinde antiquata, Christianæ Religionis vestigia deprehensa sunt.

Certè post tractum temporis, & aliquorum sæcu- 12.
lorum spatium, granum sacræ huius sinapis excreuit adeo; vt Augustinus, in psalmum 71. ad illa verba; *& adorabunt eum omnes Reges terræ* dicat; *hoc iam non expositorem, sed contemplatorem desiderat*. Veruntamen non ideo senserit Augustinus, imprætermissis singillatim locis quibuscumque, Ecclesiam suo tempore dilatatam: siquidem etsi psalm. 95. ibi, *annunciauerunt Cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius*, dicat, *iam omnes populi gloriam Christi confitentur*: etsi in psal.95. ibi; *cantate Domino omnis terra*, dicat; *neque enim non habemus, iam multas Gentes barbaras credidisse Christo: quò nondum porrectum est Romanum imperium, iam Christus possidet*: nihilominus præmisit; *creuit multùm Domus hæc, & multas Gentes impleuit; nondum tamen omnes Gentes occupauit; crescendo multas tenuit; omnes occupatura est*: consideratque quod sequitur; *annunciate de die in diem salutare eius*. Considerat etiam in psal.97. illud; *viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*, hac periphrasi; *non dictum est omnis terra, sed omnes fines terræ, quod dicitur à termino vsque ad terminum*. Hinc ego in sacro præsenti textu iussa Regis ex vna parte audiens, seruorum egressum intuitus ex altera; noto discrimen. Ille iniunxit; *ite ergo ad exitus viarum*: (coincidit *exitus* cum *termino*) sed *serui* eius *egressi* sunt *in vias*. Quare non vsque *ad exitus viarum*? In hanc ergo propendeo existimationem; vt missi Apostoli, virique cum illis aut post illos Apostolici, quantùm primitiuæ Ecclesiæ status amplecti potest, in vias omnes egressi fuisse intelligantur, ad congregandam Ecclesiam; non autem in omnes viarum exitus, ita vt quicunque in Orbe locus prædicationem Christi, (famam libentiùs nomenque iuuat credere) re ipsa audierit: hoc enim implendum monemur vtique ante sæculi finem: pleno scilicet effectu, vt ait D ex Augustino Angelicus; quia ex ore Domini in- D p. 2. 106.4.4.
fra c.24. *prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe; & tunc veniet consummatio*. Mandatum tamen Regis in parabola, nullo circumscribitur tempore; propterea amplissimum est *ad exitus* quoque *viarum*: quia quando in omni Mundi angulo floruerit & refloruerit Ecclesia, vocatis vndecunque populis; tunc etiam vi mandati huius, executioni à seruis eius dabitur. Attingit *sapientia* (Sap.8.) *à fine, vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter*.

Pulchra vocationis huius indiscretæ, de qua dici- 13.
tur, *congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos*, habetur in visione illa Petri Act.10. *cum cecidit super eum mentis excessus: & vidit Cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de Cœlo in terram; in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia Cœli*. Vas illud Augustinus in psal.96. vocat discum dicens; *discus ille, qui habebat omnia animalia, significabat omnes Gentes. Ideo autem quatuor lineis pendebat; quia quatuor partes sunt Orbis; vnde futuri populi erant; & ideo quatuor Euangelia prædicant Christum, vt gratia ipsius*

ad omnes quatuor partes Orbis pertinere intelligatur. Hinc peregrinam libet quæstionem mouere de Rege imperante, vt eant serui *ad exitus viarum*; & ipsi *egressi* sunt *in vias*. In quasnam vias? Ciuitas multas consueuit habere vias. Nunquid ad omnes excurrerunt? Quod si non ad omnes; quas selegerunt? Fortè dicet quis; viatores per has vias signari, qui *congregantur* ad Ecclesiam certè; ex qua traducantur ad nuptias. Veruntamen, quia pro famosioribus vijs tritisque magis conueniens est intelligi; dixerim voluisse innuere, vt quaque versùm pergerent peragrando Orbem, solem suis in itineribus imitati; quandoquidem *vos estis lux Mundi*, supr. 5. capite dixerat. Solis autem viæ ad omnes Mundi plagas protenduntur. Ecclesiastes 1. *oritur Sol & occidit; & ad locum suum reuertitur: ibique renascens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem*. Hinc vocandi erant mali & boni: supra cap. 8. *multi ab Oriente & Occidente venient; & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno Cælorum*. Quod prædixerat Isaias cap. 43. *ab Oriente ducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te*. (ecce & hic *congregauerunt*) Vbi Haymo: *per has duas partes Mundi, cæteræ duæ intelliguntur; sicut dicit in Euangelio; multi ab Oriente*; &c. Profectò etiam Malachiæ 1. legimus; *ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus*; subditurque *& in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*: & in ps. 112. *à Solis ortu vsq; ad occasum, laudabile nomen Domini*. Et huc facit Chrysostomus in Homilia 8. de laudibus Pauli, dicens; *Sol enim quidam est hominibus Paulus; qui totum prorsus Orbem fulgentibus suæ doctrinæ radijs illuminauit; quique vniuersas circumeundo Gentes, cursum omnino Solis imitatus est*. Et si Pater *qui in Cælis est, Solem suum oriri facit super bonos & malos*, vt supra c. 5. quid mirum, si serui missi, *congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos*?

14. Mirum autem non fuerit, si mali præponuntur vocati; quia ipsemet Dominus facit satis, dicens supra c. 9. *non veni vocare iustos, sed peccatores*. Ideo parabola minimè indignatum repræsentat Regem in seruos, quod malos congregassent cum bonis; vt doceat quod ait Gregorius, quia *non fuit bonus, qui malos tolerare non potuit*. Augustinus ad Vincentium Donatistam, & habetur 23. q. 7. *nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus: neque propter paleam, relinquimus aream Domini; neque propter pisces malos, rumpimus retia Domini*. Sic etiam innotescit cuius gerat personã homo iste Rex, nempe Dei; qui, ex Augustino in Enchiridio cap. 11. *nullo modo sineret, malum aliquod esse in operibus suis; nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo*. Sed vlteriùs *malos & bonos congregant*; quia Deus sine personarum acceptione ad salutem omnes vocat: non imputans illis delicta eorum; & hoc quia transierunt. Ratio autem est, quia *Deus personam hominis non accipit*, vt dicit Apostolus ad Galat. 2. Quod interim dilucidè non pigeat audire: accipere personam nihil aliud est, quàm considerare conditionem personæ nil facientem ad negotium; puta cum ideo do beneficium alicui, quia est nobilis, siue pulcher: nobilitas enim seu pulchritudo, nihil facit adhoc quòd habeat beneficium. Si verò conditio personæ facit ad negotium; sic considerando conditionem illam, non accipio personam; sicut si ideo do beneficium alicui, quia bonus est, & benè deseruiet Ecclesiæ; quia benè litteratus & honestus. Cum ergo Deus in operibus suis & beneficijs nihil præexistens ex parte creaturæ respiciat, quia ipsum *quod est* creaturæ, est effectus suæ electionis; sed respiciat solum quasi pro regula beneplacitum *voluntatis suæ, secundum quam omnia operatur*, & non secundùm aliquam conditionem personæ, vt dicitur Ephes. 4. manifestum est, quòd non accipit personam hominis. Hæc E D. Thomas. Hinc ipse colligo propterea sic indiscretè referri vocatos & *malos & bonos*, ad hanc innuendam doctrinam: quos enim vocat bonos Deus bonos fecit; quosque malos vocat, vocando bonos facit. Augustinus in psal. 95. *qualis autem est sponsus noster, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret. An ideo vocat, vt remaneant peccatores? non. Confessio, & pulchritudo. Confitentur enim peccata sua; vomunt mala, quæ auidè vorauerunt; non redeunt ad vomitum suum; sicut canis immundus*. Et iam quasi in rei huius expositionem, mox à Matthæo subiungitur de accessu Pharisæorum, qui præoccupant tentationem suam malam, dicendo per discipulos; *non enim respicis personam hominum*.

E Gal. 1. 1.2 & 1.2. q. 63. 1.

15. Versat autem punctum hoc parabola, quoniã primitiuæ Ecclesiæ in initio, in vocatione Gentilium erat edisserendum: nam Act. 10. minus eruditi *obstupuerunt ex circumcisione* (hoc est ex Iudaismo) *fideles; quia & in nationes*, (hoc est in Gentiles) *gratia Spiritus-Sancti effusa est*. Factum recolit Augustinus in ps. 96. in hæc verba. *Ecclesia nondum erat in Gentibus. In Iudæa crediderant ex Iudæis: & putabant ipsi Iudæi, qui crediderant; solos se pertinere ad Christum. Missi sunt Apostoli ad Gentes. Prædicatum est Cornelio*. (Act. 10.) *Credidit Cornelius; baptizatus est: baptizati sunt & illi, qui cum Cornelio erant. Et quia de Gentibus erat Cornelius, & ipse, & qui cum eo erant, non erant circumcisi; ne dubitarent tradere Euangelium non circumcisis; antequam baptizaretur ipse Cornelius, & illi qui cum eo erant; venit Spiritus-Sanctus & impleuit illos, & cœperunt loqui linguis. In nullum autem ceciderat Spiritus-Sanctus, nisi qui fuerat baptizatus: in istos autem ante baptismum cecidit. Posset enim Petrus dubitare, vtrum incircumcisos baptizaret; venit Spiritus-Sanctus: cœperunt loqui linguis. Donatum est donum inuisibile, & tulit dubitationem de sacramento visibili; & baptizati sunt omnes*. Parabola Saluatoris hæc omnia exhibet in primitiua Ecclesia futura. Exhibet credidisse Iudæorum aliquos; non enim omnes *abierunt in villam suam, & negotiationem*, sed *alius & alius*: nam Actor. 4. *quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas (quod est interpretatum filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium ante pedes Apostolorum*. Certè qui agrum vendiderat, retractamque pecuniam obtulerat, nec ad negotiationem, nec in villam rapiebatur. Sicut autem Act. 11. ob illud Cornelij factum *disceptabant* Iudæi, *aduersus Petrum dicentes, quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* ita ex parabola dicturi erant, quod serui malos & bonos congregassent: nam & hic commensales ad nuptias vocantur mali, profectò in typum Gentilium: nam Gentiles speciali demerito, sicuti peccatores, ita mali poterant dici: Galat. 2. *nos natura Iudæi & non ex Gentibus peccatores*: vbi glossa; *Gentiles fuerunt magis peccatores, quam Iudæi*. Sed vt ibi Act. 11. edocti ex circumcisione glorificauerunt Deum dicentes; *ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Vniuersalis autem vocatio, vtique Gentium intelligitur, quando nulla specialis domus aditur vel familia; sed proficiscuntur serui *in vias*, dixeratque Rex ad *exitus* etiam *viarum*. Sic Chrysostomus in Serm. quodam de Passione Domini dicit; *noluit Dominus pati sub tecto, non in Templo iudaico; ne Iudæi putarent pro illa tantùm plebe oblatum: vt scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio*. Et alibi dicit missos Apostolos, *non ad duas quippe Vrbes, aut decem aut viginti, sicut mittebã Prophetas;*

sed

sed in omnem terram prorsus ac mare, vniuersumque Mundum; & hunc varijs criminibus oppressum. Sed pulcherrimè Beda; ad illud Lucæ 19. *perambulabat Iericho; missis per Mundum Prædicatoribus, in ipsis loquebatur & ibat*. Non miremur si in rei documentum, nec vnus ex inuentis refugit congregari pro nuptijs. Vis hæc verbi Domini. Ad id etiam insinuandum, mox legimus; intrauit aut Rex, vt videret discumbentes. Iam ergo exierat cum seruis, ex quo intrauit. *Prædicatores suos* ait Gregorius, *Dominus sequitur*: quod in expositione Capitis etiam expendimus: vbi & de his, quæ sequuntur; de *veste nuptiali*, &c. Vnum recogito, obmutuisse qui non habere deprehensus est vestem nuptialem: vt exinde agnoscatur quidnam sit; nimirùm charitas, quam qui non habet, frustra nititur loqui, dicente Apostolo 1. Corinth. 13. *si linguis hominum loquar & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. Neque virtute fidei poterat loqui; quia *fides sine operibus mortua est*, Iacobi 2. Dic etiam defectu fidei; quoniam, *iustus ex fide viuit*, Habac. 2. obmutuisse instar mortui: nam & Zacharias Lucæ 1. incredulus non potuit loqui. Denique damnatur miserè; quia non ab eo didicit, qui ait; *os meum aperui*, psal. 118. *& attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam*; psalm. 147. *flabit spiritus eius & fluent aquæ*. Fleuisset suam culpam. Quocirca Augustinus; *aperuit os petendo quærendo pulsando, & sitiens hausit spiritum bonum*. Tunc sequitur in psal. *aspice in me, & miserere mei: gressus meus dirige secundùm eloquium tuum; & non dominetur mei omnis iniustitia*. Subdit Augustinus; *quanto enim magis regnat in vnoquoque Dei charitas, tanto minùs ei dominatur iniquitas. Quid ergo aliud petit, quàm vt donante Deo, diligat Deum? diligendo enim Deum, diligit se ipsum; vt diligere salubriter possit & proximum, sicut se ipsum: in quibus præceptis tota lex pendet & Prophetæ*. Ecce quomodo ex quo non aperit quis os suum, cuiusmodi est qui obmutescit, deducit Augustinus ad amissionem charitatis; & è contra, si aperiat. Quo nihil vesti nuptiali non habitæ cohærentius. Vnde & quod Dominus ait de duobus præceptis in isto capite adnectit Augustinus, profectò nonnisi spiritu Dei locutus. Charitas ignis est diuinus, ardens & lucens; hic non habens charitatem iam tenebris interioribus obruebatur: tenebræ Inferni inde dictæ sunt exteriores. Qui obmutescit non respondet. Quid profuit vocari, vocationique suæ non respondere?

16. Sed adhuc supersunt quæ dicamus. Cur serui, cur Regis aulici, vtique de Domini sui mente, deque ritu nuptiali conscij, ingressum permisere huic homini, vestem non habenti nuptialem? Roman. 1. *non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*. Cur ergo & hos non condemnat? præsertim quia nedum bonos sed malos congregauerant ad suas nuptias? Satis in promptu est responsio, si verbum pensemus illud, *intrauit Rex*. Domus quippe vniuscuiusque hominis est interior. Sapient. 8. *intrans in domum meam conquiescam cum illa: in domum meam*, scilicet in conscientiam, F siue ad mentem. Hinc & Ambrosius lib. 8. in Lucam ad illa verba Domini, cap. 19. *Zacchæe festina descende, quia hodie in domo tua oportet me manere: Iesum*, inquit, *in interioris domus recepit hospitio*. Deum conscientiæ secreta non fallunt. Nemo seruorum scire poterat, nemo intrare nisi Rex: 1. Corinth. 2. *quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ideo hic dicit parabola *vidit hominem*, non alio sub titulo, puta, *vidit discumbentem, vidit ignobilem, vidit debilem*, sed *vidit hominem*. Claret inde cur

F Ioan. 10. l. 2. & opusc. 69. §. 1.

non culpentur serui, qui arcana cordis nescierunt; Ieremiæ 7. *prauum est cor omnium, & inscrutabile*: & iuxta Septuaginta, *profundum est cor hominis*, vt refert Angelicus, Hebr. 4. vbi ad illud; *omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius*; G distinguit inter nudum & apertum: aperta, quia nihil est ita occultum in re, quòd Dei cognitionem effugiat: nuda, quia nihil est extra, quod impediat cognitionem Dei; sicut vestis impedit ne videatur homo. Tu dic, vnam esse duntaxat vestem, quæ veluti impediat, ne Deus peccata hominum videat: & hæc est charitas; Prouerb. 12. *vniuersa delicta operit charitas*; & 1. Petri 4. *charitas operit multitudinem peccatorum*. Et psal. 31. *beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Dicuntur peccata tegi diuino conspectui, H in quantùm non inspicit ad ea punienda; ps. 84. *operuisti omnia peccata eorum*. Augustinus: *quid est operuisti?* & respondet; *vt non illa videres. Quid est vt non illa videres?* & respondet; *vt non in illa vindicares*. Ex quo licet inferre; dum ait, *vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*; sensum fieri; vindicandum fuisse in *hominem non vestitum veste nuptiali*. Ecclesiastici 5. *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*: sed præmittitur, *non tardes conuerti ad Dominum*: ergo in hunc hominem venit vindictæ tempus; quia tardauit conuerti ad Dominum. Si tardauit conuerti ad Dominum, ergo à longo tempore erat sine veste nuptiali; ideoque iustitiis in eum vindicatur. Quare oportet hunc credere peccasse in Spiritum-Sanctum, peccato præsumptionis, abiecto timore diuinæ iustitiæ punientis; ex quo timore auertitur quis à peccato; immo contemptu quodam diuinæ iustitiæ. (doctrina huiusmodi Diui Thomæ est I) Videtur autem palam culpari de præsumptione; quæ est, cùm aliquis præsumit, se gloriam posse adipisci sine meritis; quando vocatus ad nuptias vestem non habet. Fauet Augustinus in Serm. 252. de Tempore, de accessu ad altare parabolam exponens: *si ad mensam cuiusque potentis nemo præsumit cum vestibus inquinatis accedere; quanto magis à conuiuio æterni Regis, idest ab Altari Domini, debet se vnusquisque, inuidiæ vel odij veneno percussus, iracundiæ furore repletus, cum humilitate & reuerentia subtrahere? propter illud quod scriptum est; vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum*: & iterum; *amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

G Hebr. 4. l. 2.

H Rom. 4. l. 1.

I 2. 2. q. 14. 2. corpor. & ad 1.

Post præsumptionis peccatum, sequitur cohærentia quadam peccatum eo maius, videlicet desperatio. 17.
Prouerbiorum 23. vt exitialem caueret quisque desperationem monet Sapiens; *in timore Domini esto tota die*: (quod est ex dictis, elongari à præsumptione, quæ à timore auertit) *quia habebis spem in nouissimo*. Timor ergo pariet spem. Quare cùm contrariorum sit eadem regula; vbi præsumptio longè amandet timorem, desperationem inducet. Quamuis inordinatè speret etiam præsumptio: peccare enim cum proposito perseuerandi in peccato spe veniæ, ad præsumptionem pertinet: ex 2. 2. q. 21. a. 2. ad 3. & a. 3. Igitur si desperasse hunc hominem trahamus ex textu; minùs mirabimur illius damnationem, quam per sententiam definitiuam adeo, quasi inexorabilis Rex decernit: cùm *dixit ministris; ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, &c. Breuis epigraphe penitiùs introspecta quod clausum est aperit: *At ille*, inquit, *obmutuit*. Profundè intelligendum relinquens: *At ille desperauit*. Indicium planè desperatæ veniæ satis apertum est, obmutuisse; quia vbi spes sit indulgentiæ, excusamus tergiuersamur: & cum effugium non est, saltem rogamus. Qui obmutescit tenet sine dubio in corde prouerbium Ecclesiastici 32. *vbi audi-*

ut non est, non effundat sermonem. Qui ex industria, crimine accusatus aliquo defensioni renunciat, profectò nec audiri sperat, nec exaudiri. Sed libet altiùs causam cur obmutuerit effodere. Dicamus ergo in primis tristem fuisse: & quidem valida consecutione, quia *obmutuit* deprehensus. Tristitiæ effectus, vt ait Angelicus, L est aggrauatio; nam sicut feruor attribuitur amori, dilatatio delectationi, sic aggrauatio tristitiæ. Dicitur enim homo aggrauari ex eo, quòd aliquo pondere impeditur à proprio motu. Tunc autem aggrauari dicitur anima, quando impeditur ne fruatur eo quod vult; & quidem ex aliquo malo præsenti. Si non sit tanta vis mali contristantis, vt auferat spem euadendi, licèt animus aggrauetur hic & nunc, remanet tamen motus ad repellendum nociuum contristans. Si verò superexcrescat vis mali, in tantum vt spem euasionis excludat; tunc simpliciter impeditur motus animi angustati; vt neque hàc, neque illac diuertere valeat. Et quandoque etiam impeditur exterior motus corporis, ita quòd remaneat homo *stupidus* in se ipso. Hactenus Diuus Thomas; qua doctrina nihil satius pro intellectu obmutescentis hominis huius, sine dubio veluti stupefacti. Sed tristitiæ huiuscemodi effectum ad rem nostram attigit Gregorius Damascenus, qui varias recenset tristitias; quandamque esse ait, quæ *vocem amputat*. Quocirca Angelicus; M ideo autem specialiter dicitur vocem amputare, quia vox inter omnes exteriores motus, magis exprimit interiorem conceptum & affectum; non solùm in hominibus, sed etiam in alijs animalibus, vt dicitur in 1. Polic. cap. 2. Ibidemque docet, tantam esse tristitiæ aggrauationem, negata fuga, ex anxietate seu angustia, vt quia non apparet refugium aliquod, etiam exteriora membra immobilitet. Non possum non exclamare, ò doctrinam mirabilem! Ex qua nimirum clarescit cur *ligatis manibus & pedibus mittatur iste in tenebras exteriores*. Damnati infra cap. 25. audient; *discedite à me maledicti in ignem æternum*; deinde, *& ibunt hi in supplicium æternum*. Cur isti ligantur membra? Dic ex Deuteronomij 2. *pro mensura peccati, erit & plagarum modus*. Dic Sapient. 11. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Semetipsum culpabili ex tristitia, immotum reddidit, vt mox elucidabimus magis: immobilis, *ligatis manibus & pedibus* mittatur *in tenebras*. Vidit sibi imminere malum, impedirique summum bonum ad Regis interrogationem, *quomodo huc intrasti?* Damascenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 12. *expectatum malum timorem constituit, præsens verò tristitiam*. Sic absorptus fuit tristitia vt in vocem nec vnam eruperit: quod cæteri non sunt facturi damnandi: *respondebunt enim ei*, infra cap. 25. dicentes; *Domine quando te vidimus esurientem, sitientem*, &c. ideo qui immobilis obmutuit, adhuc obmutescens mittatur in Infernum.

L p. 2. 37. 1. — M p. 1. q. 35. 8. & q. 37. 1.

18. Post hanc perceptam tristitiam, tristitiæ sic absorbentis causam venemur. Licèt autem concupiscentia etiam sit causa tristitiæ N in quantùm de retardatione boni concupiti, vel totali ablatione tristamur: nihilominus, vt supra dictum est, triumphat tristitia, eoquòd non sit spes euadendi. Iam ergo olfactam habemus hominis huius desperationem. Desperatio quippe O nominatur per contrarium spei; & oritur ex tristitia: 2. 2. Quamuis desperatio non importet solùm priuationem spei, sed quendam recessum propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi. Homines in tristitijs existentes faciliùs in desperationem incidunt ex 2. 2. Spes ad operandum excitat; P quia 1. Corinth. 9. *qui arat debet arare in spe fructus percipiendi*. Immobilitatur homo iste, obmutescit iam pronus immo lapsus miserrimè in desperationem. Culpabilis quidem fuit omni tempore desperatio; quia vera existimatio de Deo est, vt docet Angelicus, Q quòd ex ipso prouenit hominum salus, & quòd venia peccatoribus datur secundùm illud Ezech. 18. *nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*. Porrò vbi adeo fouetur spes; & desperet quis, peccat grauius. Augustinus 13. de Trinitate cap. 10. amplificet. *Nihil*, inquit, *tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum nos Deus diligeret. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?* Hinc videtur mihi ad detinendum ipsum, ne desperaret, charitatem suam illi Rex suggessisse; dicens ei, *amice quomodo huc intrasti?* nam illud Ioan. 15. *iam non dicam vos seruos, sed amicos*; est R ratione charitatis. Præsumitur quoque audiuisse, *tauri mei & altilia occisa sunt*, quod exposuimus de redemptionis sacrificio: quo credito, perspicuum fit, desperare nefas esse: dicente Bernardo; *quis non rapiatur ad spem impetrandæ veniæ, si Crucifixi imaginem contempletur? brachia extensa, ad amplexandum; manus perforatas, ad largiendum; caput inclinatum, ad osculandum; Latus apertum, ad diligendum; pedes confixos, ad nobiscum semper manendum?* Et tamen enormiter tristis obstupuit, *obmutuit*, vt expendimus desperans. Desperant & damnati: damnandus erat.

N p. 2. 36. 2. — O p. 1. q. 40. 4. 2. 2. q. 21. 4. 2. — P p. 1. 40. a. 8. 2. 2. q. 21. 4. 2. — Q 2. 2. q. 10. 1. — R 2. 2. q. 23. 2. 1.

Sed est quod adhuc exploremus; nam quos vocat ad nuptias filij sui, vocat certè instar sponsæ; iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 11. *despondi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*; Ioann. 3. *qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi; qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*. Homo iste audiuit ab ore Regis nomen amici; vt tanquam amicus responderet; proinde *gaudio gauderet*: Ex spe, inquit Angelicus S oritur gaudium. Ecce de amico; *amice quomodo huc intrasti?* ecce de gaudio; in quod erumperet spes: sed tristis *obmutuit* desperans. At pariter docet T desperationẽ oriri ex luxuria. Ex affectu delectationum corporalium præcipuè venerearum, contingit, quòd homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea, quasi quædam bona ardua. Et secundum hoc desperatio causatur ex luxuria. Hæc Diuus Thomas. Huius generis ergo homines, qui tanquam virgo casta nequeunt exhiberi vni viro Christo, videntur sub hoc vno non habente vestem nuptialem comprehendi: qui quanquam vocati, electi non agnoscuntur: 1. Thess. 4. *non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*. Præmiserat autem, *vt abstineatis vos à fornicatione*. Et ecce hos ipsos, vt deduximus de homine isto sine veste nuptiali, certè immaculata non sordida, hos ipsos inquam in desperationem actos; 5. Ephesiorum; *propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ*: præmiserat aut Apostolus; *hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ: nolite ergo effici participes eorum*; quia sic peccantes diffidunt de vita æterna, inquit Angelicus V. Et vide lector quomodo consensu quodam parabolæ, de Regno Cœlorum introducitur: & deinde de Ecclesia Christi sponsa, *non habente maculam aut rugam, sed vt sit sancta & immaculata*. Ex mox cap. 4. de præfata desperatione; *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*. Et ad Coloss. 3. recolit *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis*; X idest diffidentiæ; quia luxuria est filia desperationis; quia multi ex desperatione spiritualium, dant se totaliter carnalibus. 19

S 1. 2. 11. 4. 2. — T 2. 2. q. 20. 4. — V Ephes. 5. 1. 3. — X Coloss. 3. 1. 1.

Hinc

20. Hinc fas fuerit peregrinam interpretationem dare sententiæ Domini, *multi enim sunt vocati, pauci vero electi:* in subiecta scilicet materia; quia *non vocauit nos Deus in immunditiam*, vt supra. Ex his autem qui in hoc genere delinquunt, pauci sunt electi: *qui*, vt 2. Petri 2. dicitur, *more animalium brutorum luxuriantur*. Et quomodo non erunt pauci, quando labuntur carnales in foueam & in puteum? Prouerb. 23. *fouea profunda meretrix, & puteus angustus aliena:* quando Ecclesiastici 23. *homini fornicario omnis panis dulcis est; non fatigabitur transgrediens vsque ad finem?* quando Osee 4. *fornicati sunt, & non cessauerunt?* quando cap. 5. *non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur; spiritus enim fornicationum in medio eorum?* quando ex Diuo Petro in prima cap. 2. sunt, *oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti?* quando Ioelis 1. *computruerunt iumenta in stercore suo?* quod est A carnales quosque in carnis luxuria vitam finire. Quando ex Augustino 7. Confessionum, *dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas?* Vnde inquit Angelicus B concupiscentia, si ei satisfiat, maius robur accipit. Quando ex Hieronymo; *voluptas non satiat, sed auget famem?* quando etiam ex Philosopho; *vsus venereorum non minuit, sed auget appetitum?* quando vix est spes, vt conuertantur? quia Ecclesiastici 21. *verbum sapiens quodcunque audierit, sciens laudabit, & adyciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi; & proyciet illud post tergum suum.* Quando 2. Corinth. 12. habet Apostolus; *timeo, vt lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt?* quando Hebr. 13. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus;* idest condemnabit? quando 1. Cor. 6. dicit; *nolite errare: neque fornicary, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* Repetamus igitur generis huius paucos saluari, seu electos esse. Quod hominum genus parabola videtur innuere, in qua *vidit hominem;* non enim dicit vidit quendam: sicuti aliàs Dominus infra capit. 26. *ite*, inquit, *in Ciuitatem ad quendam.* Habet aliàs Angelicus; C hominem quandoque in Scripturis accipi prout importat imbecillitatem & infirmitatem humanam: ibi *humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ.* Certè hanc præ cæteris prætexunt excusationem carnales, quòd homines sint: fragiles subinde & infirmi. Ideo *hominem* vocando speciatim; quod supra de tot alijs inuitatis & vocatis dictum non est, voluit radicem lapsus humani notare; vt inde fas esset colligere vndenam peribat. Triplici voce hebraicè dicitur homo *Isc*, *Adam*, *Enos*: *Isc* virum significat, hominem nobilem. Talem non dicit parabola: ergo dicit vel *Adam*, vel *Enos*. *Adam* plebeium significat hominem: ad Regis nuptias, non quisque de plebe vocatur. Potiùs itaque *Enos* hebraicè visus est. Ab *Enos* autem deriuatur *Anas:* quod significat *infirmatus est; corde malè affectus est.* Et quidam putant *Enos* vocari *hominem*, ab ipsa ærumna, in quam cecidit ob præuaricationem. Carnales lapsu Adæ se tueri non desinunt: proferuntque illum similiter vocatum hominem Lucæ 10. *homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho:* libenterque ostentant vulnera. Ita planè *Iericho* ex Gregorio Papa, *Luna interpretatur; Luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis sumitur.* Sed recolere nolunt Dominum appropinquasse Iericho; & quoniam factus Samaritanus, seu custos *alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum;* pœnitentiæ obliuiscuntur; & huius loco, inclinant cor suum psal. 140. *ad excusandas excusationes in peccatis:* quemadmodum & homo iste facit, dum obmutescit inconfessus. Augustinus in psalm. 66. *si non confessus laces; non confessus damnaberis: damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. Ad hoc exigit confessionem, vt liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbum.* Sed ea vox hebraica *Enos* scilicet homo, talis est, vt ab ea deriuetur, *Anas* vt dixi; quod etiam significat *desperauit*. Dic ergo *hominem* vidit, *non habentem vestem nuptialem;* vidit desperatum, vt supra solidè satis ostendimus. Sequitur eum subinde iusta damnatio: *mittite eum in tenebras exteriores:* condignè, quia carnalis voluptas *mentem tollit; absorbet rationem*, vt est in prouerbio. Prouerb. 7. *considero vecordem iuuenem*, de irretito luxurijs. Et planè secundum Gregorium 31. Moralium cap. 31. oritur cæcitas mentis nostræ ex luxuria; D psal. 57. *supercecidit ignis* scilicet concupiscentiæ; *& non viderunt Solem.* Tantaque est cæcitas ob vehementiam delectationis, quæ intentionem carnalibus figit; E vt quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludat. Tres inter alias recenset damnatorum pœnas: F summæ ignorantiæ cæcitas ad tormentum rationalis. Vnde Gregorius; in tormentis positis, nihil præter tormenta scire licebit. Alia erit continua odij & iræ angustia ad irascibilis tormentum; psalm. 111. *peccator videbit & irascetur.* Tertia erit omnis suauitatis carentia ad pœnam concupiscibilis: Gregorius; *quæ potest esse maior miseria, quàm semper velle, quod nunquam est; & semper nolle, quod semper erit? nil enim quod desiderat habebit impius;* psal. 111. *desiderium peccatorum peribit.* Ecce in textu; ibi erit *fletus* pro tertia, *stridor dentium* pro secunda; *in tenebras exteriores*, pro prima pœna.

A Serm. Dom. 10. post Pẽt.

B 2. 2. 148. a. 1.

C Rom. 6. l. 4.

D 2. 2. q. 15. 1.

E ibi a. 3.

F Serm. Dom. 10. post Pẽt.

21. Et si dicas; quorsum hæc ad primitiuæ Ecclesiæ delineationem? Respondeo; immo. Idque non solùm quia prælibatum est; *congregauerunt malos & bonos:* quod collectos in Ecclesia significat; sed altiori ex principio: & quia delinquit homo iste, carnalis desperandus; & quia seuerè punitur. Duo hæc primitiuæ statum Ecclesiæ, si attentè considerentur, satis insinuant. Nam mox vt eiusdem Ecclesiæ iecit Dominus Deus fundamentum lapidis angularis, nec momento potuit de Sacramento Eucharistiæ sileri: quippe quod est *signum vnitatis* vt ait Augustinus; vtique ex Apostolo 1. Corinth. 10. *quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Quocirca idem Augustinus, qui floruit quarto Redemptionis sæculo Tract. 26. in Ioannem doctrinam hanc à primitiua traditam Ecclesia manifestè probat dicens; *propterea quippe sicut etiam ante nos, hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur; ex multis namque granis, vnus panis efficitur; & ex multis racemis vinum confluit:* cuius scilicet Sacramenti virtute *immortales, & incorruptibiles erimus in societate Sanctorum.* Iam alias diximus præeminere Sacramentum hoc diuinissimum continens Christum, *in quo tota Ecclesia*, vt loquitur Angelicus, *solidatur*. Igitur cùm præsens parabola de nuptijs Regni cœlestis introducat, atque de parato prandio, dubium esse non potest, de sacra Altaris Mensa intelligi. Et peculiaris esse potest allusio; in eo quod Rex dixit homini illi sine veste nuptiali; *amice quomodo huc intrasti?* Quod sic deduco. Siquidem vt fert iterum Angelicus G ex Augustino super Ioannem, est Sacramentum vnitatis & charitatis. Et ideo non competit dissentientibus, Cant. 5. *comedite amici*, &c. Idcirco nominatur *Synaxis* vel *communio*, etiam H quia communicamus, & vnimur per ipsum ad inuicem, quod ait

G 1. Cor. 10. l. 4.

H 3. p. 73. 4.

ait Damascenus. Et præterea dum, vt inquit idem Augustinus; *hunc cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum*: *ecce congregauerunt malos & bonos*. Non ergo ambigendum remanet subintelligi in hac parabola, de vocatione ad nuptias Altaris, præuias & præfiguratiuas nuptiarum gloriæ: præsertim quia perceptio Sacra-
I 1.p.73.1. menti I sit ad salutem necessaria in voto. Praxis horum habetur in Actis c. 2. ibi enim, postquam dictum est de vocatione; *quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster*; sequitur; *erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & oratione*. His præhabitis de adumbrato in parabola communionis ritu, mox in primordijs Ecclesiæ fideliter cœpto; quid mirum si explodatur iste *non habens vestem nuptialem*? Et qualem? qualis decet sponsam: *despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*; 2. Cor. 11. At Apocalypsis 19. *venerunt Nuptiæ Agni; & vxor eius præparauit se; & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum*. Chrysostomus hom. 60. ad populum Antiochenum; *quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem*? Lucæ 12. *sint lumbi vestri præcinti*: *cùm carnis luxuriam*, ait Gregorius, *per continentiam coarctamus*. Tantum abfuit ab homine isto similis lucida puritas, vt meruerit mitti *in tenebras*. *Nam sumunt boni, sumunt mali*; (in Sequentia) *sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus*.

22. Et ecce primitiuæ Ecclesiæ, quod dicebamus, in parabola specimen aliud; nempe districtum iudicium, & absque indulgentia vltio. Legimus 1. Cor. 11. *qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Et pergit dicens; *ideo inter vos multi infirmi, & imbe-*
L 1.Cor. 11.l.7. *cilles, & dormiunt multi*. Puniebantur enim L infirmitate corporali, vel etiam morte; secundum quòd sumitur dormitio 1. ad Thessalonicenses 4. *nolumus vos ignorare de dormientibus*. Postea, & nostris diebus, mi lector, hæc non videmus exempla, etsi indignè accedant. An non eadem mererentur plecti pœna? Soluitur ex Angelico ibidem. In signum futuri iudicij Deus etiam in hoc Mundo, quosdam temporaliter punit; quod maximè obseruatum videtur, in principio legislationis tam nouæ quàm veteris. Legimus enim Exodi 32. propter peccatum vituli aurei adorati, multa millia hominum perempta. Rursum legitur Act. 5. propter peccatum mendacij & furti Ananiam & Saphiram interijsse. Vnde & propter peccatum huius Sacramenti indignè sumpti, aliqui *in primitiua Ecclesia* puniebantur à Deo. Sic
M 1.Tim. 1.l.4. excommunicati ab Apostolo M mox corripiebantur à Diabolo, & corporaliter vexabantur: 1. Cor. 5. *iudicaui &c. tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis*; &c. Nunc aio ipse, quis non videat, quàm proficua sit alijs exemplaris animaduersio? Huc ergo videtur spectare hominis istius parabolica damnatio; vt cæteri terreantur & caueant: redoletque, quem docet, primitiuæ morem Ecclesiæ.

23. Supremum adhuc est à quo expediamur. Siquidem de Nuptijs regalibus agitur; & quæ vina prouisa sint exotica non apparet; immo nec vlla fit mentio. Non sic *in Cana Galileæ* cum *factæ sunt nuptiæ*; vbi miraculosè optimum fecit Dominus; vbi zelus præfuit Virginis dicentis dilecto filio; *vinum non habent*. Canticor. 5. non solum ait, *comedite amice* sed *bibite*. Prouerb. 9. *Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam*.

Pro responsione. Planè ita est, quandoque & de cibo & de potu affatim introduci. Lucæ enim 22. dixit Dominus; *vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo*. Sed nihilominus interdum etiam figura velut synecdoches in cibo capiuntur cætera; vt Lucæ 14. cum intrauit *Iesus in Domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem*: & ibidem dixit deinde *quidam de discumbentibus*; *beatus qui manducabit panem in Regno Dei*: interdum in solo potu; vt psal. 35. *inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ*; in quantum N diuina N Ncrolog. 1. lect.
fruitio omnem mensuram rationis & desiderij excedit. Vbi Apostolus 2. Cor. 12. habet; *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; inquit; *audiuit* O pro *vidit*; quia illa consideratio fuit secun- O 1.Cor. 11 lect.2.
dùm interiorem actum animæ, in quo idem est auditus & visus. Sic dicito; quia ex Angelico P omnes P p.2.4. 7.1.
huiusmodi corporales promissiones in Scriptura sunt metaphoricè intelligendæ, & per cibum & potum, intelligitur delectatio beatitudinis; dicito inquam, modò per cibum modò per potum significari æternas illas delicias. Pulchrior adest doctrina. Non absimiliter enim legimus de Spiritus-Sancti donis. Nam Spiritus-Sanctus dicitur *fons viuus*, & *ignis*. Apparuit *in dispertitis linguis tanquam ignis*; & Ioannis 4. *si quis biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei*, &c. Per aquam respondet Angelicus Q in- Q I.am 4.l.2.
telligitur gratia Spiritus-Sancti; quæ quidem quandoque dicitur ignis, quandoque aqua; vt ostendatur, quòd nec hoc nec illud dicitur secundum substantiæ proprietatem, sed secundum similitudinem actionis. Quòd si Eucharistici conuiuij typum claudit parabola, tu dic; *caro, cibus; sanguis, potus*; dum *tauri & altilia occisa sunt*: Deesse nequit mysticè vinum, vbi in Christi occisione torcularia tormentorum tot agnoscuntur. Zachariæ 14. recoluntur *torcularia Regis*. Augustinus in narratione vitæ Sanctæ Monicæ suæ Matris dicit Crucem Domini torcular. Cap. præcedenti *fodit in vinea torcular*. Vel de cibo tantum exprimi, ad informationem laudati Ecclesiæ ritus; vt laicis sub vna specie administretur: quemadmodum & supra cap. 14. & 15. cùm pauit turbas, in edulio patrantur miracula, nec de potu agitur.

VERS. XV. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone.*

Tunc cum fundata est Ecclesia, excluso dæmonum cultu, vbique idololatria exterminata, infernalis hostis impetit coædificatos in angulari lapide Ecclesiæ parietes. Hæresiarcharum, ac discipulorum sectariorum conciliabulis & astutibus; si forte postquam vitra infandis ritibus colendus non erat; verum Dei cultum erroribus fœdaret. Prodigiosè hanc ad rem Augustinus 18. de Ciuitate cap. 51. *videns autem Diabolus templa dæmonum deseri, & in nomine liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos monuit; qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christi*. Permissionem Dei sic probat. *Sic quippe veris illis Catholicis membris Christi malo suo prosunt; dum Deus vtitur & malis benè; & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur*; (ecce mi lector in textu, *cognita Iesus nequitia*; & Lucæ 20. *considerans dolum illorum*) *si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam; si tantummodo malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam*; (hic Angelicus R prouocati sunt Christi persecutores ex eius etiam Sapientia:) *vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam; aut etiam beneficentiam; siue suasibili doctrina cum eis agatur, siue terribili doctrina vel disciplina*. Opportunè ergo dicit sacer textus; *tunc*; mox enim cœperunt hæreses vt patet: & ly *abeuntes* perperam non est adiectum. Ad illud Ioann. 6. *ex hoc multi discipuli abierunt retro*; sic habet; S non dicit

24.
R D.Th. hic in principio.
S Ioan. 6. l.7.

dicit recesserunt, sed *abierunt retro*; à fide, & præcisi à corpore Christi vitam perdiderunt; quia fortè nec in corpore fuerunt, vt dicit Augustinus. Iam *Pharisæi* dicuntur *diuisi*. Alibi pulchram profert sententiam; T nullo modo melius, quàm contradicentibus resistendo, aperitur veritas, & falsitas confutatur. Secundum illud Salomonis; (cap. 27.) *ferrum ferro exacuitur; & homo exacuit faciem amici sui*. Quemadmodum igne aurum, dic, ita quibusdam quasi luctationibus, veritatis vires ac nerui probantur. Porrò si insurrexerunt primis illis temporibus in Ecclesiam hæreses; sicut hic *Pharisæi, vt caperent eum in sermone*; nam Ecclesia *est corpus ipsius*, vt Ephes. 1. ideoque in Actis cap. 9. *Saule Saule quid me persequeris?* Et ipse Galat. 1. *persequebar Ecclesiam Dei*, & Philipp. 3. *persequens Ecclesiam Dei:* Deus secundum suæ sapientiæ ordinem, quo suauiter vniuersa disponit, singulis temporibus congruentia adminicula prouidit humanæ saluti. Nunquam enim dormitauit doctrina Christiana à temporibus Magistrorum Doctorum Athanasij Basilij Ambrosij Augustini & aliorum, qui circa illud tempus fuerunt, vt ait V Angelicus. In Christianam sapientiam sæuire conatus est Iulianus Apostata, qui vt qui fert Augustinus eo in lib. de Ciuitate Dei 18. cap. 52. *vetuit Christianos liberales literas discere aut docere*; & vt ait ibi Viues, *miris artibus technisque astutissimè attentauit Christianorum ex animis Christum reuellere*.

T opusc. 18. c. 26. in calce.

V opusc. 17. c. 16.

25. Verum quoniam primis ijs Ecclesiæ temporibus, nedum in ipsius fidelissima dogmata, sed & in Christicolas ipsos hostis acerrimus Dæmon persecutiones incendit, quas percurrit Augustinus, eæ sunt recolendæ; & à Matthæo quoque tactas esse, vel vno verbo attentè deprehendendum. *Postquam enim Christus ascendit in Cœlum, Ierosolymis persecutio facta est, vbi Beatus Stephanus lapidatus est, vbi Iacobus frater Ioannis gladio trucidatus est; vbi Apostolus Petrus vt occideretur inclusus est, & per Angelum liberatus; vbi fugati atque dispersi de Ierosolymis fratres; vbi Saulus, qui postea Paulus Apostolus factus est, vastabat Ecclesiam; vbi quoque ipse, iam fidem, quam persequebatur euangelizans, qualia faciebat est passus, siue per Iudæam siue per alias Gentes quocumque Christum feruentissimè prædicabat*. Adnecte quæ sub Nerone, sub Domitiano, sub Traiano, sub Antonino, sub Seuero, sub Maximino, sub Decio, sub Valeriano, sub Aureliano, sub Diocletiano & Maximiano. Non omittit Iulianum, & sua memoria subdit de Valente Ariano, de Rege Gothorum in Gothia, & de Gororane sæuissimo Persecutore in Perside: *vnde fugientes Christiani nonnulli, vsque ad Romana oppida peruenerunt*. Ante omnes autem tot atrocissimas persecutiones, quæ ad corpus pertinuere, præponit, quam ipsum *Caput est appetitum & occisum*. Sed iam ipse Dominus hæc prænunciarat Ioan. 15. *non est seruus maior Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Et harum exordia sequenti cap. 23. (quanquam & hic insinuauerit; *tenuerunt seruos & contumelijs affectos occiderunt*) palam improperat dicens; *ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & Scribas; & ex illis occidetis & crucifigetis*, &c.

26. Porrò exardescentes in Christi odium, vt eum morti traderent fallissimè commenti sunt, quòd Cæsari esset infensus: Ioannis enim 19. *clamabant, si hunc dimittis, non es amicus Cæsari; omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari*. Et Lucæ 23. *hunc inuenimus subuertentem plebem, & prohibentem tributa dari Cæsari; & dicentem, se Christum Regem esse*: sibi ipsis contrarij; nam Ioannis 11. dixerant; *si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum & Gentem*. Huiusmodi iudaicum timorem videtur præcinuisse Dauid ps. 13. *illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Augustinus: dixerunt enim; *si relinquimus eum sic; credent in eum omnes, & venient Romani, & tollent nobis locum, & Gentem. Timuerunt Regnum terrenum amittere, vbi non erat timor; & amiserunt Regnum Cœlorum; quod timere debuerant*. Similiter & Reges terræ Cæsarumque caterua irrationabili Regnorum ac Imperij zelo, Christianum fremuerunt in nomen. Sed *Principes persecuti sunt me gratis* ait Cytharœdus. Vbi Augustinus hæc habet. *Quas persecutiones à Regibus terræ corpus Christi; hoc est sancta Ecclesia pertulerit nouimus. Agnoscamus ergo hic etiam eius verba dicentis, Principes persecuti sunt me gratis. Quid enim christiani læserant Regna terrena? quamuis eis Regna Cælorum promiserit Rex eorum: quid inquam, læserant Regna terrena? nunquid eorum Rex, milites suos prohibuit impendere, & exhibere, quæ debentur Regibus terræ? Nonne tributum de ore piscis etiam ipse persoluit? nonne Præcursor eius militibus Regni huius, quid facere deberent pro æterna salute quærentibus non ait; cingulum soluite, arma proijcite, Regem vestrum deserite, vt possitis militare? sed ait; neminem concusseritis; nulli calumniam feceritis; sufficiat vobis stipendium vestrum?* (Lucæ 3.) *Nonne vnus militum eius & dilectissimus comes eius, commilitonibus suis, & quodammodo Christi prouincialibus dixit;* (Rom. 13.) *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? & paulo post ait; reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal?* &c. *Nonne præcepit*, (1. Tim. 2.) *vt pro ipsis etiam Regibus oraret Ecclesia? Quid ergo eos Christiani offenderunt? quod debitum non reddiderunt? in quo Christiani non sunt terrenis Regibus obsecuti? Ergo terreni Reges Christianos gratis persecuti sunt*. Et tamen ab exordio aduentus Domini, timuit adeo ambitione captus impius Herodes Ascalita, vt tot innocentes trucidauerit: ex quo dolenter Ecclesia; *hostis Herodes impie Christum venire quid times? non eripit mortalia, qui Regna dat cælestia*. Quocirca Augustinus in Serm. de Epiphania; *putabat infelix tyrannus, Saluatoris aduentu regali se solio detrudendum*. Sic & Pilatus, vt considerat in ps. 53. suspicionem habuit de Regno Christi. Chrysostomus; *vnde habetis hoc demonstrare? à purpura, à diademate, à curru, à militibus?* & Leo Papa in Serm. 8. de Passione; *imprudenter Pilate timuisti. Sed formidabile fuerit nomen regium, si dominandi consilium, tyrannicus tibi prodidit apparatus; si prouisio armorum; si congregatio diuitiarum; si præsidia delecta sunt militum*. Et idem Chrysostomus, contemplatus verbum Domini; *Regnum meum non est de hoc Mundo*, (Ioan. 18.) & *nunc autem Regnum meum non est hinc*; ait: *non priuat Mundum à sua prouidentia & prælatione, sed ostendit Regnum suum non esse humanum neque corruptibile*. Vnde ex Magorum recessu efficaciter in Catena Matthæi 2. id probat; *si enim Magi Christum quasi terrenum Regem quæsissent; inuenientes eum apud ipsum mansissent: nunc autem adorauerunt, & reuersi sunt*. Hæc autem ego collegi, vt nullam subfuisse occasionem Cæsaribus persequendi Christianum nomen inde clarescat. Qui tamen lumini rebelles enormem adeo Christianorum tot cædem crudeliter fecerunt. Beda in homilia; *In hac autem morte puerorum*, (numero quatuordecim millia, vt eruditè refert Maluenda de Antichristo lib. 1.) *omnium Christi martyrum pretiosa est mors designata*. Sed Augustinus relatus ibi in Ioannem in persona Domini inquit; *audite Iudæi & Gentes; non impedio dominationem vestram in hoc Mundo*. Repe-

tamus

tamus ergo; *Principes persecuti sunt me gratis*. Et quoniam eodem in loco interserit in probationem Augustinus; *nonne de hoc sibi calumniam molientibus Iudæis ait, reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt; & Deo, quæ Dei sunt?* Quam responsionem hic versat Matthæus, liceat mihi, quod supra me exploraturum promisi, hinc seriò trahere; idcirco de hoc introductum esse laudato censu, vt primitiuæ persecutores Ecclesiæ Reges aut Cæsares, efferata rabie gratis in eam sæuituros fuisse, posset intelligi; quando suspicio quæque de Regno ipsis abripiendo, concessione census hinc euanescit. Propterea fortè factum est diuina permissione, vt Herodiani, quoquo modo Regis Herodis fautores id obaudirent; quia debuerat ad persequentium restinguendum furorem insolita de Christi moderatione fama, ad terrenos quosque Reges peruenisse. Sed non claruisset patien-
X p. p. 22.1.2. tia martyrum, quod ait Angelicus, si non fuisset X persecutio tyrannorum. De his autem Herodianis, qui, qualesque fuerint, vberrimè si quis cupiat erudiri, adire potest Maluendam loco præfato.

27. Cæterum quod ad Syntaxin faciat, in ipso responso Domini, si humiliter quæramus, inueniemus. Ampliorem enim dedit sententiam, quàm interrogatio tentaret. Viso numismate, satis fuerat dixisset; *reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari*; At adiecit, *& quæ sunt Dei Deo*. Et quænam isthæc consecutio? Reddenda sint Deo, quæ Dei sunt, de quo non quæritur: quorsum ly ergo? Alta profunditas. Talem ingeniosè astruit Augustinus connexionem ver-
A opusc. 20.1.2.13. borum Domini, ferturque in opusculo A, vt quia imago in nummo regulam præstat valoris, ne fraus inter commercia committatur; imago Cæsaris sit in homine quasi imago diuina. Veruntamen, quo magis sensa Domini teneamus, ad aliam recurri parabolam necesse est; de drachma nimirum perdita Lucæ 15. vbi Cyrillus; *drachma nummus est impressam habens regiam figuram. Comparatur enim genus humanum drachmæ, quæ periit; ostenditque nos ad similitudinem & imaginem regiam factos esse, scilicet summi Dei*. Et Gregorius in homilia; *quia imago exprimitur in drachma; mulier drachmam perdiderat, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui Conditoris recessit*. Sed quoniam de imagine sermo est & de inscriptione; *cuius est imago hæc & superscriptio?* arridet pressius in homine vtrumque notare; factus est enim ad imaginem Dei; & Dei habet superscriptionem dum Lucas cap. 3. perueniens, in sua genealogia ad Seth scribit *qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Dominus ergo intuitus Cæsaris imaginem in denario, docuit nos, quod dicturus erat Apostolus 2. Cor. 3. *gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem*; vbi Angelicus; *à claritate* cognitionis natu-
B 1. Cor 3.1.3. ralis B *in claritatem* cognitionis fidei. *Speculantes*, non à specula, sed à speculo, idest ipsum Deum gloriosum cognoscentes per speculum rationis, in qua est quædam imago ipsius. Dic ergo, quia *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, à creatura Mundi intellecta conspiciuntur* Roman. 1. ab imagine Cæsaris gradum fecisse ad imaginem Dei, videlicet ad animam nostram, vt illam studeamus reddere Deo: tanta commendatione ipsius, vt pluraliter mereatur dici, & quæ sunt Dei Deo; non secus atque dixerit Marci vltimo; *prædicate Euangelium omni creaturæ: habet enim homo*, vt ait Gregorius, *commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Vnde secundum aliquid, omnis creatura est homo*. Sic ergo *reddimus Deo, quæ sunt Dei*, cum animam nostram, quæ imago est Dei, reddimus ipsimet *Deo*. Hinc Ecclesiastes vltimo, *reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Et Ecclesia in mortuorum persona; *modò reddo tibi Creatori animam meam*. Prælibatæ Syntaxi profectò consentaneum supra cap. 21. de ascensu ipsius in Cœlum per allegoriam ad ingressum Ierusalem. Illuc nobis ostendit strauitque viam. Leo Papa in Serm. *Christi ascensio nostra prouectio est: & quò præcessit gloria Capitis, eò spes vocatur & corporis*. (hac quippe voluitur fixus Matthæi scopus) Deinde capite isto 22. ad Regnum Cœlorum vocat vulgatis nuptijs. Interserit de sui ipsius morte, in occisione taurorum & altilium, vt exposuimus; nam Hebr. 10. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet Cœlestium, C *in sanguine* C 1. p. 49. 5.
Christi; eoquòd Cœlum aperitur quidem baptizatis D baptismo Christi: sed hic habet efficaciam E ex D 1. p. 19. 5.
passione ipsius. Antiphona: *o salutaris hostia, quæ Cœli pandis ostium*. Dic ergo erudiri ex admissa E 3. p. 45. 5. 3.
huiusmodi percontatione fideles, quò tendant spiritu, ne fraudent vectigali debito Creatorem.

Hinc Dominus ideam objiciens imaginis, imaginisque Dei, animæ nostræ immortalitatem voluit firmare. Eusebius vt supra cap. 21. Synt. n. 51. innuimus, de præparatione euangelica lib. 11. cap. 14. 28.
de Platone inquit: *at de animæ autem immortalitate Moysen est secutus, qui primus immortalem esse docuit, cum eam imaginem esse Dei; imò verò ad imaginem Dei esse asseruit. Quomodo autem aliter imago Dei, & Deo similis erit, quàm secundùm intelligendi vim*. Allegat autem Eusebius tanquam bonum Mosaicæ Scripturæ discipulum Platonem, qui in Alcibiade ita scribit: *habemusne aliud melius atque diuinius in anima, quàm illud est, quod sapit atque intelligit? nihil prorsus. Hoc ergo illud est quod Deo simile est: quod si vnusquisque in se ipso cognouerit, Deum quoque non ignorabit*. In libro verò de Anima: *duo*, inquit, *genera rerum ponenda sunt; visibile, atque inuisibile. Quorum alterum, scilicet inuisibile eodem se semper modo habet: alterum verò nunquam se habet eodem modo. Nostri quoque alterum corpus est; alterum anima. Et corpus quidem visibile; anima verò inuisibilis est*. Subdit autem, quod Domini potest congruere sententiæ; *reddite ergo, quæ sunt Dei Deo*, etiam in hac vita? dum ait. *Quando anima per se ipsam aliquid considerat; tunc ad immortale, syncerum sempiternum, eodemque modo semper se habens, se ipsam erigit; & quasi quædam emanatio eius ad illud redit, quando ad se ipsam redit*. Fert autem Eusebius adhæc deinde Porphyrium: qui apertè id ipsum deducit dicens; *nam si Deo immortali similis anima est, quomodo etiam ipsa, sicut exemplar suum, immortalis non erit?* Et pergens subdit; *quoniam enim non sensibili & mortali corpori, sed viuo & immortali Deo, secundum operationes similis est, hinc similitudinem etiam in substantia quandam habere, ac inde immortalem esse, Plato ratiocinatur: nam consequens est, quæ operatione intelligendi conueniunt, ea, immortalitate quoque substantiæ conueniunt, idcirco etiam operatione conueniant; fluunt enim à substantia operationes, ac quædam eius sunt emanationes; nam si simillima Deo anima est; quid opus est pluribus verbis ad demonstrandam immortalitatem eius?* Tandem adijcit: *diuina est anima, quoniam indiuisibili similis est; mortalis autem videtur; quia mortali corpori coniungitur. Ita & mortalibus similis est; homo enim etiam est, qui ventri sicut pecora deditus est. Homo autem & in mari à periculis naues gubernando liberat; morbis affert remedia; veritatem rerum perscrutatur diligenter, atque inuenit; instrumenta varia fabricatus est, quibus cœlestium corporum motus comprehendere potuit: quæ diuinæ atque immortalis, certissima mentis argumen-

gumenta sunt? quamuis multi voluptatis deliniti il lecebris mortalem eam putauerint; ex his quæ videntur extrinsecus ratiocinantes. Porrò Augustinus in Serm. Dom. Septuagesimæ inquit; *facti sumus ad imaginem Dei, sed destruimus eam transgressione peccati*. Ideo ait Apostolus Coloss. 3. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei secundùm imaginem eius, qui creauit illum*. Quare videtur mihi sententia Domini tropologica esse ad mores attinens. Neque enim Deo reddemus animam, sed Diabolo, nisi Dei quoque superscriptionem, de qua psal. 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, reddiderimus. Dicit quippe glossa super illud Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent; &c. in interiori homine per gratiam innouato lex iustitiæ inscribitur, quam deleuerat culpa*. Ideo & in psal. præfato; *sacrificate sacrificium iustitiæ &c.* Et quia vt ait Ambrosius lib. 2. in Lucam; *iustitia commune est bonum, & communis virtus*; mox subditur; *quis ostendit nobis bona?* inscriptio & superscriptio: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*.

VERS. XXIII. *In illo die; accesserunt ad eum Sadducæi*.

29. Exigebat Syntaxis hunc Sadducæorum accessum, cum falsi dogmatis expressione. Ratio est potissima duplex. Prior quoniam primitiua in Ecclesia, hoc primò inserendum erat fidelium cordi, vt crederent Christum Dominum resurrexisse: 1. Cor. 15. *tradidi enim vobis in primis, quod & accepi; quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm Scripturas*. (Dic ex parabola; *tauri mei & altilia occisa sunt*: qua metaphora legalis secundùm Scripturas memoratur occisio.) *Et quia sepultus est*. (Ad

F 3.p.51.1. comprobandam F veritatem mortis) *Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas. Si autem Christus prædicatur, quòd surrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est; neque Christus resurrexit: si autem Christus non resurrexit; inanis est ergo prædicatio nostra; inanis est & fides vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauerit Christum; quem non suscitauit, si mortui non resurgunt: nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit; vana est fides vestra; adhuc enim estis in*

G 3. p. 51. a. 1. *peccatis vestris*. Ad hoc vt confirmaretur fides G de Diuinitate ipsius, oportuit, quòd resurgeret; 2. Cor. vltimo; *etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei*. Virtus autem Diuinitatis se extendit, non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum: à Deo enim est, quòd anima viuat per gratiam, & quòd corpus

H 3. p. 56.2. viuat per animam. H Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectiuam non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum; Roman. 4. *resurrexit propter iustificationem nostram*. Vide quàm sapienter dixerit Apostolus; *si Christus non resurrexit adhuc estis in peccatis vestris*. Hinc in Actis cap. 4. *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Et Paulus Act. 17. *suscitans eum à mortuis. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum; quidam irridebant; quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum; quidam verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita, mulier nomine Damaris, & alij cum eis*. Hinc etiam Petrus cap. 2. *audenter* dixit de Patriarcha Dauid; *Propheta cum esset; prouidens locutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno; nec caro eius vidit corruptionem*. Ex psalmo scilicet 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Probat autem efficacissimè Diuus Petrus Christum resurrexisse, quia psalmus ille de ipso Dauid interpretari non potest; *quoniam Dauid defunctus est & sepultus; & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem*: ac si diceret aperite sepulchrum, si non creditis, & inuenieni.

Ne vis argumenti huius posset credi minus fortis 30.
Augustinus in Epistola 99. ad Euodium, vt fert Angelicus, I sibi suasit, resurrexisse vtique tempore mortis Christi, *cum multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in Sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis*, Matthæi 27. sed iterum sicut & alios Patres, reposito suo corpore dormisse. Si enim iterum non dormierunt, vacuum poterat esse sepulchrum Dauid: proinde Iudæi de ipso psalmum intellexissent; non de aliquo alio; nimirum de Christo. Et si dicatur Augustino in robur argumenti Apostolici, non resurrexisse tunc Dauid, seu potius non resuscitatum cum alijs fuisse; durum sibi videtur; cum Christus ex semine eius commendetur. Hieronymus non sentit iterum mortuos esse; & ideo ipsorum resurrectionem docet fuisse postquam resurrexit Christus, *primitiæ dormientium*: hanc autem de Dauidico corpore non tractat quæstionem. Sed consequens est, vt dicat, ne Diui Petri infirmet rationem, ibi adhuc in sepulchro fuisse, non resuscitatum. Quod quamuis videatur Augustino durum: ego non resilirem; eo quòd prouidentia Dei sic dispofuerit, vt in cuius fide expectabatur Christus, in eius adhuc cadauerino corpore comprobaretur Christum resurrexisse. Quanquam adhuc argumentum forte est, dato etiam vacuum fuisset tunc temporis Dauid sepulchrum, quod in curiosi non erant Iudæi indagaturi: siquidem notum erat habitantibus Ierusalem, multis retro actis sæculis, in eo sepulchro perenasse corruptum corpus Dauid; neque enim opinabantur in sua recenti morte resurrexisse. Quòd si loquente Petro, sepulchrum visitassent, repertum sine Dauid cineribus; adhuc ostium Petro erat apertum; vt cuius gratia resurrexisset prædicaret, tunc temporis non verò antea: & ita à fortiori resurrexisse Christum, cuius virtute de sepulchro Dauid exiisset. Veruntamen Diui Petri assumptum videtur de plano intendere, vt extarent adhuc Dauid reliquiæ, diuina præordinatione: firmatque deinde fide resurrectionis dominicæ, aliorum Sanctorum priuilegio fuisse donatum; vt resurgeret & ipse ante communem resurrectionem translatus in gloriam. Quamuis hæsitanter locutus est illa verba Hebr. 11. *ne sine nobis consummaretur*: an ante resurrectionem vniuersalem I. habeant aliqui stolam corporis; sic vt non iterum mortui fuerint; vt loco citato premitur Augustinus. Mihi tamen paucorum priuilegia obstare minimè videntur apostolicæ sanctioni; vt sit resurrectio communis; *ne sine nobis consummarentur*; licèt adhuc illa consummatio, referri possit, vt ait Diuus Thomas, ad præmium essentiale scilicet beatitudinem, quæ habetur per Christum. Vrget nihilominus Spiritus-Sanctus per os Dauid, vt præcedens psalmus 15. nequeat de ipso Dauid intelligi; quoniam in eo adiectum est de Dei dextera; *delectationes in dextera tua vsque in finem*. Vnde dicit *Dextera igitur Dei exaltatus*. Et postea de psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Et interserit; *non enim Dauid ascendit in Cœlum: dicit autem ipse; Dixit Dominus; &c.* Quare sic vrgeri potest ex Petro. Vbi de carne quæ *corruptionem non videat*, immo notae habeat

I 3. p. 53. 3. 2.

I. Hebr. 11. l. 8.

habent vias vitæ dicitur *in dextera Dei*, delectationes habituram: sed hoc non sibi attribuit Dauid; sed immo attribuit prophetice Christo ventura: iuxta illud, *Dixit Dominus Domino meo; sede à dextris meis*: ergo & ad Christum qui erat venturus, referri debet; ly *caro mea requiescet in spe*: *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: *&*, *notas mihi fecisti vias vitæ*. Pro coronide rei huius addi potest, minimè verosimile esse, loqui Dauid de se ipso, cum ait; *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, hebraicè *chasidècha sanctum tuum*, siue quod à radice *chesed* trahunt, vt *chasid* sonet *pium misericordem*, *virtuosum*. Quomodo enim cohærent hæc cum (in cæteris psalmis) sui ipsius accusationibus.

31. Altera causa introductæ de resurrectione quæstionis breuis est; quoniam præfuit sermo de ad gloriam, siue ad cœlestis Patriæ nuptias introitu. Ideo quia & anima & corpore Christus in Cœlum pro hisce nuptijs consummandis ascenderat, ne diffiderent membra de honore, qui in Capite præfulserat, etiam cum stola corporis illic permansura in æternum, perhibet Dominus, idque auctoritate Scripturæ Sadducæis ipsis quoque irrefragabili. (Philipp. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ*, *configuratum corpori claritatis suæ*.) Propterea de Sanctis his Patriarchis facta est mentio, vt nedum resurrectio in genere, sed *resurrectio vitæ*, astruatur; non de ijs qui Danielis 2. *euigilabunt in opprobrium*, siue *in resurrectionem iudicij*, vt ait Ioan. 5. Meritò autem Antesignanus commemoratur Abraham, dum præ cæteris commendatur fides eius etiam quoad hoc; nam credidit M articulum resurrectionis, cum voluit occidere Isaac; *nec dubitauit de Dei promissa hæreditate*. Hinc Sanctus Beda: *magna tentatio*, *cum filium iubetur occidere! magna fides cum etiam de mortuo credebat se semen posse suscipere!* Et Hebr. 11. *arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus*. Sic etiam refert Iosephus, filio suo Isaac secum ad immolationem pergenti, dixisse Abraham, de resurrectione ipsius ob implenda promissa. Iacob etiam fide resurrectionis claruit; siquidem institit Ioseph filio Genesis 47. *ne sepelias me in Ægypto*, *sed dormiam cum Patribus meis*. Vnde Hebr. 11. expenditur; *& de ossibus suis mandauit*. Inquit autem Augustinus in Enchiridio; *Antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt*; &c. *ipsique dum viuerent de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt*: & post alia. *Significant* (istiusmodi) *ad Dei prouidentiam corpora quoque mortuorum pertinere*, *propter fidem resurrectionis astruendam*. Fuerunt ergo insigniores hi Sancti Patriarchæ in puncto Quæstionis, ideo *non confunditur*, *Deus vocari eorum*; Hebr. 11. recolit Paulus. Et dum ait, *ego sum Deus Abraham* &c. præmortui; liquet adhuc extare Abraham etsi corporis & animæ vnio soluta sit: secus non diceret *ego sum*, sed *ego fui*; præsertim, quia si quod fuerint, Deus illorum dicitur esse, æquè animantium omnium, eo quòd sint eius creaturæ, Deus vocaretur. Dicitur autem in sacro textu *Pharisæi autem audientes*, *quod silentium imposuisset Sadducæis*; &c. Benè silentium impositum dicitur, quando adeo cuique horrida facta est hæc hæresis, vt non audeat aliquis, se prodere lue huiusmodi tactum. Sic ad illud psalm. 13. *dixit insipiens in corde suo; non est Deus*; habet Augustinus; *nec ipsi enim sacrilegi*, *& detestandi quidam Philosophi*, *qui peruersa & falsa de Deo sentiunt*, *ausi sunt dicere*; *non est Deus*: *ideo ergo dixit in corde suo*; *quia hoc nemo audet dicere*, *etiam si ausus fuerit cogitare*.

M Hebr. 11. l. 4.

VERS. XXXVI. *Magister*, *quod est mandatum magnum in lege?*

32. Trinam, pro multiplici, interrogationem sibi fieri sustinet: pro multiplici inquam, sicut solet exponi illud Pauli; *propter quod ter Dominum rogaui*; N ter idest, multoties; ternarius enim est numerus perfectus: ad insinuandum reor primitiuæ item Ecclesiæ statum; quando illustriori lumine primores eius, extemplò vbi occurreret de sursum edocti, quæsitis omnibus, poterant respondere: iuxta promissa Domini Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus-Sanctus*, *quem mittet Pater in nomine meo*, *ille vos docebit omnia*. Quocirca Angelicus; O docuit autem Spiritus-Sanctus Apostolos omnem veritatem de ijs, quæ pertinent ad necessitatem salutis; scilicet, de credendis & de agendis; non tamen docuit eos de omnibus futuris euentibus: hoc enim ad eos non pertinebat, secundum illud Actorum 1. *non est vestrum nosse tempora vel momenta*, *quæ Pater posuit in sua potestate*. Vnde 1. Petri 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem*, *de ea*, *quæ in vobis est*, *spe*: & supra cap. 10. *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*: *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*. Meritò Act. 2. *factus est repente de Cælo sonus*. Dic ergo ex Domini benignè adeo & promptè datis summa sapientia responsis, quid in membris suis futurum fuerat, indicari. At de charitate introducitur. Hæc quoque præcipuus primitiuæ Ecclesiæ caracter extitit. Actorum quippe 4. legimus; *multitudinis credentium erat cor vnum*, *& anima vna*. Hinc Augustinus in Regula; *Ante omnia diligatur Deus*; *deinde proximus*; *quia ista præcepta sunt principaliter nobis data*. Initio nouæ legis transeunte veteri, non poterat de charitate omitti interrogatio. Hæc quippe est lex amoris; P vetus fuit lex timoris: ceu seruis: lex enim vetus etsi præcepta charitatis daret; (vt hic exprimit Dominus) non tamen per eam dabatur Spiritus-Sanctus; per quem diffunditur charitas in cordibus nostris; vt dicitur Roman. 1. Aiebat Augustinus aliàs; *breuis est differentia legis & Euangelij amor & timor*. Actor. 2. *apparuerunt Apostoli dispertitæ linguæ tanquam ignis*. Vetus enim lex est timoris, Q inducens homines per pœnas & comminationes, ad obseruantias mandatorum. Et si qui illo tempore legis, eam ex charitate obseruabant, vt fuerunt aliqui habentes charitatem & gratiam Spiritus-Sancti, R qui principaliter expectabant promissiones spirituales & æternas, pertinebant ad nouum testamentum, seu nouam legem. Et quia vt ait Augustinus lib. 83. quæst. quæstione 36. *venenum charitatis est cupiditas*; non fuerit mirum, si vocati *neglexerunt* aliqui; dum *abierunt alius in villam suam*; *alius vero ad negociationem suam*. Quantum autem emicuerit charitas in primis Ecclesiæ sæculis, infinitus Martyrum numerus ostendit. Martyrium autem est à charitate imperante: S *maiorem hac dilectionem nemo habet*, *vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; Ioan. 13.

N 2. Cor. 12. l. 3.

O p. 1. 106. a. 4. ad 2.

P p. 1. 107. l. 2.

Q Ephes. 2. l. 5.

R loc. cit.

S 2. 2. 124. 1.

33. Deinde alia est ratio tempestiuæ interrogationis & responsi. Nam habemus ab Angelico ibi; *medium parietem maceriæ soluens*. Tunc paries est maceriæ, quando lapides in eo non conglutinantur. T Charitas est quasi cæmentum conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo. Christus Dominus fecit *vtraque vnum*, & vtrumque populum coniunxit. Connexio enim spiritualis ædificij est per charitatem; vt ait 2. 2. Parabola exhibuit vtriusque vocationem sub vno Rege. Ezechielis 37. *Rex vnus erit omnibus imperans*: par ergo erat, vt de vinculo charitatis ageretur: præsertim, quia præfert, vel concernit Syntaxis, eucharistiæ seu communionis mysterium; de quo vt supra Augustinus Tract. 26. in Ioannem exclamat; *ò signum vnitatis! ò vinculum charitatis*. Hæc vtriusque populi & Iudæorum & Gen-

T Ephes. 2. l. 5. 2. 2. q. 4. 7. 4.

Gentilium vocatio ab initio & deinde facta est; sicut Act. 19. legimus; *ita vt omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles*: quamuis antea in Ephesina Synagoga, *quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine*; præsentem implendo parabolam, in qua seruos Regis *contumelijs affectos occiderunt*. Opportunè ad parabolam charitas, quæ vniat, vbi admittuntur dicti *diuisi*: Pharisæi.

34. Tertiò de charitate cõueniens fuit introduci, quia de Cœlestis Patriæ nuptijs præhabitum fuerat. In societate autem Sanctorum, vt inquit Augustinus, *pax erit & vnitas plena atque perfecta*, vtiq; in charitate. Et in Soliloquijs; *da igitur, da Pater eis*, (Angelis) *semper gaudere de nobis; vt tu semper per eos lauderis in nobis; & nos cum eis in vnũ ad ouile tuum adducamur*, &c. Nam *charitas* 1. Cor. 13. *nunquam excidit*; quia scilicet V sicut est in statu viæ, ita permanebit in statu Patriæ, & cum augmento; secundùm illud Isaiæ 31. *dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus ignis in Ierusalem. Ignis in Sion*; idest in Ecclesia militãte; *& caminus eius in Ierusalem*; idest in pace cœlestis Patriæ. Erit enim ibi X dilectio plena, ineffabilis amor & charitas: multa enim dicuntur de Ierusalem in Scriptura, quæ intelliguntur de Ierusalem cœlesti. In eo quod ait etiam, *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ*, plura eaque saluberrima notantur. In primis qualificat Prophetas aduersum blasphemos Sadducæos: cũ asseueret ad præcepta charitatis eos collimare, proinde respui non posse. Vnde fortiùs de animæ immortalitate ac de resurrectione fit argumẽtum. Palam enim attestantur Prophetę resurrectioni. D. Petrus in sua 2. c. 1. *non enim voluntate humana, allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu-Sancto inspirante locuti sancti Dei homines*: aduersus Dosithæum Samaritanũ, qui vt tradit Tertullianus de præscriptio. hæret. c. 23. & D. Hieronymus Dialogo aduers. Luciferianos, ausus est Prophetas repudiare; à cuius radice Sadducæi. Deinde Pharisæos sugillat, quòd additamenta quædã legi astruẽdo, à Iudæis diuisi sint, vt idem ait Tertullianus: quandoquidẽ si duo illa primæua præcepta exhauriũt omnia quæ in lege & in Prophetis scripta sũt, temerè neglecto *aquæ viuæ fonte, fodiunt sibi cisternas dissipatas, quæ non valent continere aquas*; vt Ieremiæ verbis c. 2. hæreamus. Opportunè id pariter ad primitiuæ Ecclesiæ tempora, cum fundãda erat lex amoris: siquidem legales ritus, pedagogici fuerunt ritus; nam lex Galat. 3. *pædagogus noster fuit in Christo. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo*. Vnde Act. 15. legimus: *surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes; quia oportet circumcidi eos: præcipere quoque seruare legem Moysi*. Ecce quomodo anteuertit Dominus hos insultus, exprimens quod erat tandem in sua Ecclesia seruandum, de duobus scilicet magnificis præceptis, *in quibus vniuersa lex pendet & Prophetæ*. Non dicit *à quibus*, sed *in quibus*; vt doceat, quod mihi suadeo; si demas hæc duo charitatis præcepta: nam 1. ad Tim. 1. *finis præcepti est charitas*; cuncta veluti vacua & inania nulliusq; ponderis esse, sed euanescere corã Deo. 1. Petri c. 1. *redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis*: vanũ & inane hebraicè eodem dicuntur nomine *Rec*. Paulus illustrat hunc locum ad Galat. 1. dicens *audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo*; & post alia; *abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Quæ traditiones quanquam à bonis Patribus additæ essent, vt dicit glossa; A puta de aliquibus diebus solemnibus, & similibus; sicut factum est tempore Mardochæi, & tempore Iudith, in memoriam beneficiorum, quæ à Deo recipiebant; non inconuenit subiungo ipse, fuerint dictæ à Petro vanæ; postquam, *omnia quæ contingebant illis in figura*, impleta sunt. Immo & tunc etiam; si seiunctim à charitate ijs insisterent, quia in his duobus mandatis *vniuersa lex pendet & Prophetæ*: in quo includuntur & psalmi & agiographa; B eoquòd edita sit Scriptura veteris Testamenti prophetico spiritu. Si enim trutina appendantur quæcunque in veteri Testamento tradita sunt, si finem qui est charitas demas, omne amittunt pondus, quo pendeant; sed solùm pendent ex põdere charitatis. Huiusmodi vacuitatem legalium, accipere fas est; quia vt docemur pluries; C illa Sacramenta, verbi causa, veteris legis nec continebant, nec poterant causare gratiam, proinde nec à peccato mundare. Et sic ijs in locis exponitur quod ad Gal. 4. *quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa*? Inane quippe, aio ipse, & vacuum est contrarium pleno; Rom. 13. *plenitudo legis est dilectio*; sed & Ioann. 1. Christus est *plenus gratiæ*; &, *de plenitudine eius omnes accepimus*. Eandem vacuitatem dic innui ab Apostolo 1. Cor. 13. *si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. Cymbalum enim vacuum est, plenum solummodo aere: mihil prohibet, de ære quoq; sonante, cuiusmodi campana est, idem dici. Aerea cuncta euadunt sine charitate; *nihil sum* ait Apostolus: vt pondus roburque habeant, quo æqua lance diuina, pendere possint, charitate opus habeat: *in his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ*.

VERS. XLII. *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? dicunt ei; Dauid*.

Ex allegata psalmi auctoritate Christi Diuinitas manifestè probatur. Sed Pharisæi renuunt iugo fidei colla submittere; quoniam vt dicitur Sapient. 2. *excæcauit illos malitia eorum*. Prorsus in subiecta materia; præmittitur enim in eorundem persona quid improperent: *filium Dei se nominat*. Et mox; *si est verus filius Dei; suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum*. Et *nescierunt Sacramenta Dei*. Et iterum; *quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem*; (ecce contra Sadducæos hic) *& ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*. (ecce ad Pharisæos data hìc responsio; *cuius est imago hæc & superscriptio? reddite; & quæ sunt Dei Deo*.) Porro sicut Ioa. 5. Iudæis dixit; *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*: ita fas sit Pharisæis obijcere; si crederetis Dauid, crederetis forsitan & mihi. Magni momenti est locus iste, quem expendit Apostolus Hebr. 1. ad quem autem Angelorum dixit aliquando, *sede à dextris meis, quoad vsque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*? quasi dicat D non inuenitur, quòd hoc Deus dixerit Angelo: ita D. Thomas. Subdit autem Apostolus assumpti probationem per modum interrogationis etiam; *nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*? Quæ ratio non videretur efficax, si & assistentes, vt Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim aliquo pacto non mitterentur; scilicet per applicationem & directionem noui effectus in Creatura, vt ibi exponit Angelicus. Vnde non obest quod dicitur Danielis 7. *millia millium ministrabant ei; & decies millies centena millia assistebant ei*. Explicat etiam E omnes Angelos mitti, non quidem omnes ad ministerium aliquod circa corporalia exhibendum; sed missione interiori, secundùm intellectuales effectus, prout scilicet vnus Angelus illuminat alium. Exemplificari potest, de ijs F qui Regi famulantur; quorum aliqui semper ei assistunt, & eius præcepta immediatè audiunt; alij verò sunt ad quos præcepta regalia per assistentes nunciantur. Constat autem ex Diuo Dionysio, G Angelos secundæ Hierarchiæ purgari illuminari & perfici per Angelos primæ Hierarchiæ. Et vt fert ex eodem, H vnaquæque cœlestis essentia, intelligentiam sibi à superiori da-

35.

V 1. Cor. 13. l. 3.
X Apoc. 21. & ser. Dom. 4. in Quadrag. ex epist.
A Galat. 1. lect. 3.
B Ioan. 10. lect. 7.
C Gal. 2. l. 4. opusc. 5. de Ecclesiæ Sacram. & p. 2. 103. 2.
D Hebr. 1. l. 6.
E p. p. q. 112. a. 2. ad 1.
F ibi a. 3.
G p. p. 106. 1.
H ibi ar. 4.

tam inferiori communicat. Licet enim generali quodam modo, omnibus Angelis reuelatum fuerit I à principio suæ beatitudinis, incarnationis mysterium; quia hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur; tamen quantum ad speciales conditiones, non sic de omnibus à principio sunt edocti. Et tamen superiores Angeli perspicacius diuinam sapientiam contemplantes, plura mysteria & altiora in ipsa Dei visione cognoscunt; quæ inferioribus manifestant, eos illuminando. Reuelantur autem semper vsq; ad diem iudicij L aliqua supremis Angelis diuinitus de ijs, quæ pertinent ad dispositionem Mundi, & præcipuè ad salutem electorum. Et sic semper remanet, vnde superiores Angeli inferiores illuminent. Ex his doctrinis claret, Angelos omnes sollicitos esse; nam minister est instrumentū M intelligens. Istrumētum autē ab alio mouetur, & eius actio ad aliud ordinatur: ergo nullus eorum sedet *ad dexteram Dei*. Stat propterea, vt super omnem creaturā sit is, cui dixit, *Dominus; sede à dextris meis*.

I 1. p. 57. 5.

L 1. p. q. 106. a. 1.

M 1. p. q. 112. a. 1.

36. Sed cùm aliunde pluribus ex Scripturis possit demonstrari Christi Diuinitas: puta ex illo Isaiæ 7. *& vocabitur nomen eius Emmanuel*; scilicet *nobiscum Deus*. Item c. 9. *& vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus* &c. Item c. 53. *generationem eius quis enarrabit?* Ieremiæ 23. & 33. *& hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*. Michææ 5. *& egressus eius ab initio à diebus æternitatis*. Et etiam ex psalmis; puta in secundo; *ego hodie genui te*; & alibi vt inducitur ad Hebræos 1. desiderat fidelis pietas addiscere, num fortè aliqua subsit meditationi ratio; ex qua præ alijs hunc locum delegerit Saluator producere aduersùs eos.

Respondetur vtique; nec vnam duntaxat, sed multiplicem esse posse causam. In primis ergo ad parabolæ intelligentiam: illico enim innotescit quis sit homo iste *Rex, qui fecit nuptias filio suo*; planè in Paradisi delicijs: quandoquidem illi dicitur; *sede à dextris meis* cōsessu cœlo. Vnde D. Petrus in Actis c. 2. agnouit ex hoc psalmi versiculo Christi ascensionem: *non enim*, inquit, *Dauid ascendit in Cœlum*. Et sic Hebr. 1. *sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis*. Et ita quod sub typo ingressus eius in Ierusalem dicitur cap. præcedenti, apertiùs ex hac Scriptura nunciatur. Ideo in nouo Testamento frequentiùs de huiusmodi sessione *à dextris Dei* dicitur. Potest autem hoc quod est, *sede à dextris meis* N referri ad diuinam naturam; in qua Christus æqualis est Patri. De quo vide O quæstionem totam. Quamuis & ad humanam vt docuit in opusc. Deinde ex quo filius dicitur Dauid, agnoscitur verus homo. Augustinus in ps. 54. *secundum aliquid filius est Dauid; secundùm aliquid Dominus est Dauid: filius Dauid secundùm carnem; Dominus autem secundum Diuinitatem*. Subdit; *vidit eos*, (Pharisæos) *remansisse in carne*, (responderant enim; Dauid esse filium) *& dimisisse Diuinitatem*; *& corrigit eos quæstione proposita*. *Si ergo ille in spiritu dicit eum, Dominum; quomodo filius eius est? Quæstionem proposuit, non filium negauit*. Mirè autem exinde micat ad præcedentia nexus. De charitate enim in duo præcepta dictum fuerat, vt diligamus Deum & proximum. Voluit ad praxin doctrinam trahere, objiciendo eis, quem tanquam Deū, & tanquam proximum diligerent: ac si diceret; me ergo diligere debetis, quem Christū esse potestis agnoscere Deum & hominem, psalmi auctoritate. Credito quippe hoc mysterio, quemadmodū ait Augustinus in lib. de catechizandis rudibus c. 4. charitas maximè excitatur. Vnde ait; *quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat*. Quocirca Angelicus 2. ad Cor. 2. l. 3. notitia de Deo, quæ habetur per fidē, & illuminat intellectum & delectat affectum; quia non solum dicit quòd Deus est prima causa; sed quòd est Saluator noster; quòd est Redemptor noster; quòd diligit nos; quòd est incarnatus pro nobis; quæ omnia affectum inflammant. Inquit Gregorius homil. 23. in Euang. de Amaone & Cleopha euntibus in Castellum Emaus, Lucæ 24. *probandi autem erant, si hi qui eum, etsi nedum vt Deum diligerent, saltem vt peregrinum amare potuissent*. Dixerim ego ad rem nostram *saltem vt proximum*. Non dedignatur Dominus se proximum dicere nostrum; dum in parabola Lucæ 10. hominis sauciati, vices Samaritani obit; *& veniens secus eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius*; &c. Tunc autem legis-peritum audierat, sicut ipse hic respondet, respondentem de his duobus præceptis charitatis; & ideo ob oculos casum posuit: vt eum doceret quisnam esset eius proximus. Festiuè ergo interrogat, *quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit; qui fecit misericordiam in illum*. Saluator ergo noster, nedum *Deus noster* est, vt exponit Hieronymus psal. 66. *benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*, intelligens ly *Deus noster* de Christo; sed & proximus noster est; quia Deus homo est. Dilectionem ego nostram, psalmus excitat, & ideo à Christo Domino introducitur, vt eo dilecto, *vniuersa lex & Prophetæ* satis habuerint.

N Hebr. 1. l. 6.

O 3. p. 58. opusc. 2. p. l. c. 240.

Deniq; dum sic elucidatur mysterium, vt Deus sit & homo, vt enim ait Leo Papa Serm. 7. de natiuitate; *paris periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas*. Et in homil. de trāsfiguratione; *Saluator humani generis Iesus Christus condens eam fidem, quæ & impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitam, discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat; vt idem Christus, & vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur. Nam vnum horum sine altero non proderat ad salutem: & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse. Cum vtrumq; esset pariter confitendum; quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera Diuinitas*. Nullibi autem in sacra Scriptura manifestius, quā hoc ex psalmo panditur sublime mysterium. Et quia cōdere intendebat primitiua in Ecclesia hāc fidem, vt nuper ait Leo; cuius quidem confessionem supra c. 16. à Petro acceperat dicente; *tu es Christus filius Dei viui*, ideo fundanda in eadem fide Ecclesia Spiritus-Sancti firmatur auctoritate, qua Psaltes hoc cecinit; *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*. Hoc primum iaciendum erat fundamētum; quia *fundamentum aliud nemo potest ponere* 1. Cor. 3. *præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*. Quod ergo dixit Petro; *& super hanc petram ædificabo Ecclesiā meā*, exhibetur hoc ex capite, beatis initijs executioni mādatum, dum & quod sequitur in psalmo, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* primis Ecclesiæ temporibus cœpit impleri. Nā tempore persecutionum, P Ecclesiam Deus ampliauit, quæ inter opprimētes Tyrannorum fluctus, felicius emersit: sicuti Exodi 1. *quanto filios Israel Ægyptij opprimebant, tātò magis multiplicabantur, & crescebāt*. Et ita Chrysostomus hom. 34. in Matth. ad illud cap. 10. *ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*; ait; *nec ad lupos duntaxat, sed in medio luporum; sic enim virtutem meam maximè ostendam; cùm ab ouibus lupi superabuntur*. Et Gregorius hom. 5. in Euang. *in cœlo iam sedet; iam iugo fidei colla Gentium subdidit; iam Mundi gloriā strauit*. In quo psalmi versiculo clauditur etiā de iudiciaria Christi potestate, vt in ea quæst. 58. tertiæ Partis edisserit Angelicus: & psal. plaudit; dū pergens dicit; *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges*. Nam, *sedet ad dexteram Patris: inde venturus est iudicare viuos & mortuos*. Dixit autem Augustinus; dexterā huiusmodi, non habere sinistrā. Opor-

37.

P 1 Thessal Prologo.

Oportuit autem post parabolam, de Christo introduci; quia Rom. 5. *per ipsum habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Dixit enim, *simile est Regnum Cœlorum*; nam specialiter, spiritualiter in Sanctis regnat; in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam; vt ait 2. ad Tim. 4. lect. 1.

68. Sequitur in calce capitis. *Et nemo poterat ei respondere verbum*. Quod de membris eius acceptum, præludit promisso Domini Lucæ 21. *ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere, omnes aduersarij vestri*. Vnde & in primitiuæ Ecclesiæ Actis, loquente Stephano c. 6. *non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur*. Et sic quod supra; *& audientes mirati sunt*, eadem regula de eo in membris suis potest exponi; siquidem idipsum accidit, cum Act. 4. Iudæi; *videntes Petri constantiam & Ioannis, comperto, quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur: & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant*. In hoc autem quod sequitur; *neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*, detegitur eorum diabolica indoles; nam & supra Matthæi 4. *tunc reliquit eum diabolus*, scilicet Christum superantem; vt enim Ambrosius dicit, lib. 4. super Lucam *diabolus instare formidat; quia frequentiùs refugit triumphari*. (Q. p. p. 114. 5.) Cuius specimen & in Ecclesia semper deprehensum est: nam hæretici vix ausi sint palam in ipsius insurgere fidem; sed cum dormire cœperunt homines seminauerunt zizania falsæ doctrinæ, vt clanculum in corda fidelium irreperet. Ex quo comparatur aquis epotis furtiuè aut propinatis. Prouerb. 9. *aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior*, vt R. interpretatur Angelicus. Veritas, quæ lumen est, amat videri Prou. 1. *sapientia dat vocem in plateis*. Subditur autem; *& ignorauit, quòd ibi sint gigantes, & in profundis Inferni conuiuæ eius*. Augustinus in ps. 87. probat gigantum nomine insinuari superbos. Et tomo 9. lib. de Pastoribus inquit, *diuersæ sunt hæreses, sed vna Mater superbia omnes genuit*. Quid mirum, si non ad Cœli nuptias, sed in Inferno superbos dæmones hæretici habeant conuiuas? Verùm, *si quisquam ex illa die non est ausus ampliùs Dominum interrogare*; iam diffamata intelligitur Christi Doctrina, iam dilatata Ecclesia. Ex quo videtur primitiuæ Ecclesiæ status signari; puta sub Constantini tempora, quando victrice Ecclesia, ipso etiam victore, qui audierat *in hoc signo vinces*, factum est, vt possent vbique Ecclesiæ ædificari; vtique in doctrinæ euangelicæ libertatem. Et præludi cœpit huic Ecclesiæ dilatationi in Actis, cùm dixit eis Princeps Sacerdotum; *ecce replestis Ierusalem doctrina vestra*. Quanquam vt hic, auersi essent eius doctrinæ; *præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto*. Sistit ergo hic Ecclesiæ primitiuæ limes. Exinde ad modernam, seu intermediam procurrentem transit, vt videbimus allegoria secreta, sed mirabili, Matthæi stylus.

(R. 3. p. 42. 3. & psal. 31. lit. e. & 2. Tim. 4. lect. 1. & hic c. 24.)

CAPVT XXIII.

1 *TVnc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos,* 2 *dicens: Super cathedram* 2. Esdr. 8.
Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. 3 *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ser-* 2. 4.
uate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non fa- Luc. 11. g.
ciunt. 4 *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: di-* 46.
gito autem suo nolunt ea mouere. 5 *Omnia verò opera sua faciunt vt videantur ab hominibus:* Act. 15. c. 10.
dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. 6 *Amant autem primos recubitus in cœ-* Deut. 6. b. 8.
nis, & primas cathedras in synagogis, 7 *& salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Num. 15.
8 *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.* d. 38.
9 *Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* 10 Matt. 12. d. 38.
Nec vocemini magistri: quia Magister vester vnus est, Christus. 11 *Qui maior est vestrum, erit* Luc. 11. f.
minister vester. 12 *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabi-* 43. & 20. g. 46.
tur. 13 *Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante ho-* Iac. 3. a. 1.
mines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. 14 *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi* Mal. 1. b. 6.
hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipie- Luc. 14. c.
tis iudicium. 15 *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; quia circuitis mare, & aridam, vt fa-* 11. & 18. c. 14.
ciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos. 16 *Væ* Matt. 12. d. 40.
vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit Luc. 20. g.
in auro templi, debet. 17 *Stulti, & cæci: Quid enim maius est, aurum, an templum, quod* 47.
sanctificat aurum? 18 *Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in*
dono, quod est super illud, debet. 19 *Cæci: Quid enim maius est, donum, an altare, quod san-*
ctificat donum? 20 *Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt.*
21 *& quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso:* 22 *& qui iu-*
rat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum: 23 *Væ vobis Scribæ, & Phari-* Luc. 11. f.
sæi hypocritæ: qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora 42.
sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. 24
Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. 25 *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hy-*
pocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, &
immunditia. 26 *Pharisæe cæce, munda priùs, quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id,*
quod deforis est, mundum. 27 *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepul-*
chris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum,
& omnia spurcitia, 28 *sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis*

hypocrisi, & iniquitate. 29 Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra
prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, 30 & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum no-
strorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum: 31 itaque testimonio estis vobismetipsis,
quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32 Et vos implete mensuram patrum vestrorum.
Sap. 5. b. 7. *33 Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ: 34 Ideo ecce ego mitto*
ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagel-
labitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, 35 vt veniat super vos
omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Za-
Genes. 4. b 8. *chariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare. 36 Amen dico vobis, venient*
Hebr. 11. a. 4. *hæc omnia super generationem istam. 37 Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas*
2 Par. 24. f. 22. *eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pul-*
los suos sub alas, & noluisti? 38 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39 Dico enim
Luc. 13 g. 34. *vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

VERS. I. *Tunc locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos dicens.*

VERS. II. *Super Cathedram Moysi sederunt; &c.*

1. Inquit Origenes; *qui non recedunt à litera legis, Scribæ dicuntur. Qui autem maius aliquid profitentes, diuidunt se ipsos, quasi meliores à multis, Pharisæi dicuntur; quod interpretantur, diuisi.* Sed mox difficultas exoritur, quomodo iniungat, vt Pharisæorum etiam dicta faciant; cum illorum secta probata minimè sit. Videtur etiam hoc valde nouum; siquidem diuisio erat inter Iudæos & Pharisæos, vt dictum est, ex Tertulliano de præscript. hæretic. cap. 45. eoquòd *additamenta quædam legi astruerent.* Omnes ergo Pharisæos fieri præcipit? Præterquam Deuteronomij 4. vetuit Moyses; *non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Aliàs autem scimus Diuum Paulum de secta Pharisæorum fuisse: quod nec erubuit post conuersionem suam fateri, dicens Act. 23. immo *exclamans in Concilio: viri fratres; ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum.* Et cap. 26. *Nouerunt omnes Iudæi; præscientes me ab initio, quoniam secundum certissimam sectam nostræ Religionis, vixi Pharisæus.* Sic & Philipp. 3. ait, *ego hebræus ex hebræis secundum legem Pharisæus.* Cæterùm ex Angelico simpliciter Pharisæum esse laudabile erat; quoniam vbi Apostolus ad Galatas 1. habet de se ipso; *abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum*, A distinguit de licitis traditionibus cum glossa, quæ subiungit; *quas boni Patres addiderunt;* non quidem contrarias aut extraneas verbis legis; quo sensu Deuteronomij 4. inquit Moyses; *non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis;* sed potius dic consentaneas; sicut factum est, subdit Angelicus, tempore Mardochæi & tempore Iudith, in memoriam beneficiorum, quæ à Deo recipiebant. Quandoque tamen traditiones erant in extorsionem mandatorum Dei; & sic Scribas & Pharisæos increpat supra cap. 15. *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Nam docebant, prætermittere mandatum de honoratione Parentum, vt aliquæ voluntariæ oblationes Deo offerrentur; quod notat quodlib. 4. a. 11. Alias etiam vana erat traditio; vt de lauandis manibus ante cibum; vt ibi vidimus. Cæterum Pharisæus dicitur ab Angelico Paulus, B quasi magnus in Synagoga, & zelator legis. Vnde supra se dixit *abundantius æmulatorem paternarum traditionum.* Quod mihi videtur supererogationem sonare. Qui autem supererogationis facit opera, certus est de lege impleta. Et ideo fortè dixit ibi Act. 26. *quoniam secundum certissimam sectam nostræ Religionis Pharisæus vixi.* Verùm mox subditur; *cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero Matris meæ:* quod etiam exponitur mysticè; C de vtero idest de collegio Pharisæorum, qui erat quasi vterus Synagogæ, qui nutriebant alios in Iudaismo. Sed hoc in capite multis increpantur à Domino; *væ vobis*, &c. quorum notorijs criminibus obnoxius non erat Apostolus: qui Philipp. 3. *secundum iustitiam, quæ ex lege est conuersabatur sine querela:* non dicit *sine peccato;* sed sine querela; D quia querela est peccatum scandali proximorum in his, quæ sunt exteriora. Lucæ 1. *incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Cæterùm hic Dominus de Pharisæis indiscretè loquitur, siue prauis, siue sanctis sint moribus: *omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite;* & quoad malos; *secundum opera eorum nolite facere.* Qualiter corrupissent viam suam, inuectiua Domini in eos ostendit: *væ vobis* toties. Quocirca nota quoque, & exime Paulum, fuisse hæreses etiam inter Pharisæos & Iudæos: vnde Act. 15. *surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum;* recolitque Isidorus apud D. Thomam 2.2. q. 11. a. 2. ad 1. sed hæreses Iudæorum & Pharisæorum erant circa opiniones aliquas ad Iudaismum, vel ad Pharisiam pertinentes.

A Gal. 1. l. 1. — B Gal. 1. l. 4. — C loc. cit. — D Philip. 3. l. 1.

VERS. III. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite.*

Nihil excepit quod transgredi liceat. Sed illico insurgit quæstio. Quid si dicant iniqua, falsa vel absona? Quod non videtur impossibile; tum quia Isaiæ 10. legimus, *væ qui condunt leges iniquas;* tum quia supra cap. 15. vt nuper etiam notauimus, ab ore Pharisæorum, erat traditio Dei mandato infensa, de honoratione parentum. Et eo magis periculosa res est, quando de tot iniquitatibus incusabantur. Quòd si cæco quodam ductu sequerentur Pharisæicum magisterium, non videbantur posse excusari; quia supra in eodem 15. capite; *si cæcus ducatum cæco præstet, ambo in foueam cadunt.* Præuolauit Angelicus, vt Quæsito satisfaceret hisce verbis. E Respondeo dicendum, quòd in ijs, quæ pertinent ad fidem & bonos mores; nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur; quia in dubijs non est de facili præstandus assensus: quinimmo, vt Augustinus dicit in lib. 3. de doctrina Christiana, *consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis; & Ecclesiæ auctoritate percepit.* Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. Hæc D. Thomas: qui ibidem hunc locum memorans ait, satis præcaueri; quia monitum Domini est *de ijs, quæ ad Cathedram pertinent; ad quam non pertinent ea, quæ sunt contra fidem & bonos mores;* 2.

E quolib. 1. a. 10.

Augu-

Augustinus etiam in Quæstionib. ex nouo Testamento q. 67. non omnis, inquit, ignorans immunis à pœna est. Ille autem ignorans potest excusari à pœna, qui à quo disceret non inuenit. Genesis 20. *Domine, num Gentem ignorantem & iustam interficies?* Veruntamen etsi falli possibile sit fideli, in ijs quæ *publicè*, vt ait, *tenentur secundùm Ecclesiæ auctoritatem*; pro nunc quoad Pharisæorum Scribarumque definitionem, non videtur primo intuitu sufficienter prouisum, ne imbibatur error: cùm reuera alto eloquio præcautum sit. Non enim absolutè pronunciat; vt *omnia quæcunque dixerint eis, seruent & faciant*: aliàs omnia onera & importabilia, quæ digito ipsi mouere nolunt, durè nimis obligarentur portare: sed ait illatiua consecutione; *omnia ergo* &c. Itaque si dixerint *de cathedra*, bona consequentia est, *seruari & fieri*: secus, non cogit quod dicunt. Quamuis
F p. 2. sicut Angelicus docet de iniquis legibus, quæ F in
96. 4. conscientia non obligant, & tamen propter scandalum vel turbationem debet homo iuri suo cedere; ita possimus, de Pharisæorum dictis non ex cathedra, philosophari; quando fidei non derogarent.

3. Sed difficultas ebullit; vndenam posset à turba discerni, decerni hoc vel illud ex Cathedra? Si enim debet examinari; superest quærendum, cuius sit ius: si cæca veluti obedientia parendum, frustra exagitabitur animus, an dixerint *ex Cathedra* Moysi, seu potius priuato aliquo sensu: vt de importabilibus oneribus, *quæ imponunt in humeros hominum*. Quod non videtur ex Cathedra: non enim Deus præcipit impossibilia: & psalm. 118. *omnia mandata tua æquitas*. Respondeo sacro ex textu erudiri, si introspiciatur attentè verborum vis. In primis habet *super Cathedram Moysi*; &c. Cathedram singulariter nominat; cùm tamen consessuris multis, multæ essent parandæ sedes; iuxta illud supra capit. 19. *sedebitis & vos super sedes duodecim*. Quod vt animaduerti posset, mox pluraliter loquitur dicens; *amant primas cathedras in Synagogis*. Præsumitur ergo præextare apud aliquos Moysi magisterium: qua de re minimè vacat hic texere disputationem; sed pro explorato habendum est: secus Babylonis confusio in fide & moribus; nam *velle suum cuique est, nec voto viuitur vno*. Quoties ergo abalienantur aliqui à præexistente cathedra; cuius extima facies innotescit, illi multiplicant cathedras; separatio enim arguit multiplicitatem. Esto exemplum. Fuit olim apud Hebræos celebre illud Concilium Sanhedrin Septuaginta duorum seniorum ex progenie Dauid: de quo Eusebius in Chronico, accepit ab Herode fuisse sublatum; *dum Scribas & interpretes diuinæ legis necauit*. Et Auctor alius, qui creditur Philo ab Annio editus, in Breu. libr. 1. clariùs inquit; *Herodes anno trigesimo Principatus sui tyrannici Sanhedrin ex Domo Dauid deleuit, atque Sanhedrin, ex proselytis suffecit, qui nimiùm in lege videbantur eruditi*. Si qui ab eo probato dissensissent & abscessissent Concilio, etiam de ipsis Septuaginta, mox vnum non fuerat sed geminum concilium: vnde non sedissent in concilio, sed in concilijs; ideo qui rem hanc fecissent, respuendi erant; recipienda verò, quæ à primæuo probato, caracteribus auctoritatis exculto, decreta fuissent. Dixit Plato; cuiuscunque multitudinis principium esse vnitatem. Itaque si qui nouam erigant quoad sanctiones Mosaicas cathedram; etsi singulari cathedræ vnique videantur hærere, quia de facto vna quoque illorum sit: attamen hæc vna vnitati est infensa, quia ab vna illa priori se disiunxit. Igitur *super cathedram Moysi*; quæ diuisionem nullam moliatur, illa est Moysi Cathedra. Et ecce cur dicantur huiusmodi conuenticula *Sectæ*, vtique à diuisione.

Sed adhuc instabit nouitius; quo ex capite queat dignosci, si quæ dixerint, *ex cathedra* dixerint; sic vt dictis sit standum, ceù ab oraculo. Respondeo item ex verbo Domini; ait enim *sederunt*. *Homo*, ex Philosopho in 7. Physic. *sedendo & quiescendo fit sciens & prudens*. Sic sedere dicitur Iudex pro tribunali. Si reuera sedeat, nonnisi iustè definit, quandoquidem scienter prudenterque se gerit. Et hic non hactenus fortè audita, dat Deus promere. Nam posset quempiam mouere quòd *Pontifices & Pharisæi* Ioann. 11. *collegerunt concilium aduersùs Iesum: & ab illo die cogitauerunt vt interficerent eum*. Et apud Marcum cap. 14. *Summi Sacerdotes, & omne concilium, quærebant aduersùs Iesum testimonium*: & capit. 15. *mane consilium facientes summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato*. Nunquid eorum iudicium laudandum fuit? Absit. Ratio est; quia non decreuerunt *sedentes*, neque tantum nefas *sedendo* potuerunt deliberare. Et ecce eloquij euangelici sublimissimum stylum; si humiliter, vt par est, attendatur. Cùm enim coegerunt concilium viri illi sanguinum; dicit Ioannes Caipham Pontificem anni illius dixisse eis: *vos nescitis quidquam, nec cogitatis*. Quomodo nihil *sciebant?* Immo sciebant, cauti, circumspectique nimis, bonique publici seduli curatores, periculo obuiantes; ne *veniant Romani, & tollant locum eorum & Gentem*. Quomodo cum his cohæret, *vos nescitis quidquam?* Præterquam sibi quasi contradicit in verbo; statim enim subdit, *expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo; & non tota Gens pereat*. Hoc ipsum fuerat ab eis præhabitum; *venient Romani, & tollent locum nostrum & Gentem*. Præterea, quid sibi vult quod additur, *nec cogitatis?* In primis superfluere videtur; satis enim erat dixisse, *vos nescitis quidquam*. Deinde; immo cogitabant; quia, *ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum*: sed *iniusta* fuit psal. 118. *cogitatio eorum*. Et Sapientiæ 2. vbi similia exprimuntur; legitur; *hæc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim illos malitia eorum*. Igitur mirè & subtiliùs elocutus est Caiphas Spiritus-Sancti instinctu, *cùm esset Pontifex anni illius*; ac si diceret, *vos, neque scitè; neque prudenter inceditis*: iudicium proinde non profertis sedendo, atque adeo nemo tenetur acquiescere; quia perspicue non est ex cathedra. Quamuis, ne obduratis, in vanum insudaretur, superficiali quodam vulgaris sensus inuolucro, tecta sint Caiphæ verba, aliudque sonent. Neque resiliat quis, quasi violenta sit nostra interpretatio: quoniam altioris semper intelligentiæ capax est verbum, quod quis Spiritus-Sancti instinctu Propheta dicit. *Prophetauit* autem Caiphas teste Ioanne; meritò Sacerdotij, non personæ: vnde, *cum esset Pontifex anni illius*; *quod Iesus moriturus erat pro Gente; & non tantùm pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. Alta diuinæ prouidentiæ dispensatione; vt prope nouum Sacerdotium Melchi-sedech, subrogandum extincto leuitico, leuiticum ipsum suo in capite summo Pontifice, de cathedra Redemptorem Christum canonizaret. (*Ly vnus* emphasim habet, vt notat Angelicus 1. Corinth. 8. l. 2. & quidem ob eminentiam sanctitatis, Christus est *vnus*.) Quod valde notandum est: quia non sustinuit Deus, vt à legitima cathedra improbaretur, quem ipse probarat: Isaiæ 28. *ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem probatum*, &c. Et 1. Petri 2. *ab hominibus quidem reprobatum; à Deo autem electum & glorificatum*: tu dicito; etsi ab hominibus, à Pontificibus, & Pharisæis reprobatum, non tamen à summo Sacerdote, qualis erat Caiphas, quanquam *à semetipso non dixit*. Qui

immo eorum reprobauit, & sui ipsius in persona, consilium; dicendo, *vos nescitis quidquam*; quando Iudex qui verè animo sedeat, iure, debet esse sciens; *neque cogitatis*; quando debet esse prudens.

5. Hoc vt plenius capiatur; recolendum est, ad pru-
[G 2.2.47. 1.] dentiam G duo pertinere; scilicet considerationem rationis, & applicationem ad opus, quæ est finis practicæ rationis. Dum ergo eos notat de nescientia, defectum primi in eis tangit; necesse est enim, vt ibidem ait Sanctus Doctor, quòd prudens cognoscat vniuersalia principia rationis: dum subdit; *neque cogitatis*: quod aliàs videretur superfluè addidisse, eosdem notat de defectu secundi, nempe applicationis prudentialis ad particulare; nam vt dicit Philosophus 6. Ethicor. capit. 7. prudentia non est vniuersalium solum, sed oportet etiam singularia cognoscere. Docemur autem ab Angelico cogita-
[H p. p. 78. 8.] tionem esse circa particularia; H nam quæ in animalibus dicitur æstimatiua naturalis; sicut æstimat ouis lupum inimicum, in homine dicitur cogitatiua; quæ per collationem quandam incedit; vnde etiam dicitur ratio particularis. Dic ergo deliquisse istos, priùs in vniuersali cognitione rationis, dicendo *quid facimus; quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*. Nescientes dici debuerunt, seu stulti, *vos nescitis quid-*
[I 2.2. 46. 2.] *quam*; quia ex Angelico, I stultitia importat quendam stuporem sensus in iudicando; in quantum immergit homo sensum suum rebus terrenis; ex quo, inquit, redditur ineptus ad percipienda diuina. Vide quomodo obruti erant terrenorum amore. Ex hac hebetudine, vniuersaliter debuit dici, *vos nescitis*
[L ibi 2.3. ad 1.] *quidquam*. Idem quippe est L insipientia, & stultitia. In applicatione etiam deliquerunt, dicentes particulari ratiocinatione, *venient Romani*, &c. quod est cogitationis, seu rationis particularis collatiuæ; ideo *neque cogitatis*; scilicet rectè & prudentialiter; etsi *cogitauerunt ab illo die, quomodo interficerent eum*. Et vide adhuc eorum imprudentiam ipsorum ab ore; nam futura semper pronunciant; *omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum nostrum & Gentem*. Nonne stultitia est, quæ ignorant pronunciare futura, absque vlla hæsitatione, sed certe? Isaiæ 41. *annunciate quæ ventura sunt; & sciemus, quia Dij estis vos*. Ecclesiastes 3. *homo futura nullo scire potest nuncio*. Proui-
[M 2. 2. 47. 3. 3.] dentia etiam exigit, vt tradit Angelicus, M memoriam & experimentum ad promptè iudicandum de particularibus expertis. Vide quæ experimenta producunt. Ex Philosopho autem 6. Ethicor. capit. 5. prudentis est bene posse consiliari: nunc de istorum consilio si destituuntur prudentia, serto iudicium. Solidum quippe fuit muneris sacerdotalis merito, iudicium Caiphæ; qui non incerta pronunciauit futura; sed firmiter de cathedra dixit; factus diuinitus in locutione sciens & prudens; *expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat*. Videtur autem vel ex hoc vno colligi instinctu Spiritus Sancti quem tamen non intelligit, loqui Caipham, *quia*, inquit, *expedit vobis*: cur non associatur alijs? cur non dicit expedit nobis? fortè sibi non expediebat quod cæteris erat expediens? cur se exuit? Non video congruentius responsum, ac si dicamus, ideo non se associasse, quia Caiphas non loquebatur, sed in eo Spiritus-Sanctus; quia *prophetauit*. Quare, vt solerti humilique attentione deprehenderet fidelis, Ioannem non gratis adiecisse, *prophetauit*, Prophetiæ signum expressit, quia solet Deus linguam prophetantis instar calami scribentis mouere; *lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*, psal. 44. quique in Scripturis ait; *ego ero in ore tuo*. Exodi 4. & Ieremiæ 1. *dedi verba mea in ore tuo*. Sic & Petrus in Actis cap. 2. Iudæis dixit; *vobis enim est repromissio, & filijs vestris*: hinc Matthæi 10. *non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Attamen ly *non cogitatis* aliàs potest accipi, quia cogitatio propriè vt ait Angelicus in p. p. q. 34. a. 1. ad 2. in inquisitione veritatis consistit. Illi autem veritatem non quæsierunt sed mendacium.

Dicamus ergo vno verbo quod ait Salustius *in* 6.
Catilinario relatus ab Angelico N de passionibus; [N p. 2. 24. 3. & 2. 2. q. 10. a. 3. 1.] *omnes homines, qui de rebus dubijs consultant, ab odio, ira, & amicitia atque misericordia, vacuos esse decet*. Quia passiones, quæ antecedunt consilium obnubilant iudicium rationis. De istis autem ait Dominus Ioan. 15. *nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est; quia odio habuerunt me gratis*. Et mouebantur in eum inuidia; sicut infra cap. 27. dicit Matthæus de Pilato; *sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum*. Quare Scribæ & Pharisæi de quibus dicit; *omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite*, præsumi debent, vt hæc eis debeatur obedientia, sancire sine passione. Et sic cùm constitisset terrenis immersos esse, proinde, vt visum est, hebetatos atque insipientes; poterat eis responderi, nolumus quæ dicitis seruare aut facere; quoniam, non in Cathedra sedetis, scientes & prudentes. Quanquam ergo doctrina pertineat ad maiores, qui sunt sui iuris, immediatè sub lege existentes; sicut Deuteronomij 4. *docebis ea filios tuos ac nepotes tuos*; vt animaduertit Angelicus,
O & disciplina ad minores, ad quos præcepta legis [O 2. 2. 16. 2. 2.] per maiores debent peruenire: (vide hic quàm opportune loquitur *ad turbas & ad discipulos suos*) nihilominus Titi 1. & 2. Apostolus doctrinam inculcat *sanam*. Scimus autem ex Tullio passiones esse ægritudines animi: sicut enim inquit alibi P An- [P p. 2. 77. 3. & q. 85. 3. 4.] gelicus, insurgit infirmitas, eoquod humor aliquis non subditur virtuti regitiuæ corporis; & ita cum aliqua passio non subditur virtuti regitiuæ animæ, quæ est ratio, dicitur infirmari animus; omnis enim passio debilitat robur animæ, & impedit rationem. Igitur tunc audiendi erant Scribæ & Pharisæi tanquam in Cathedra sedentes, quando passionibus huiusmodi exuti erant; nam vt ait Bernardus; *turbatus præ ira animus rectum non videt*; quia ira est caliginis causa. Et propterea ad Titum *increpa*, inquit, *illos, vt sint non intendentes mandatis hominum auersantium se à veritate*. Quæ mandata hominum possunt intelligi, non quæ sunt in lege Moysi, sed traditiones seniorum. (Matthæi 15.) Sed, subdit Angelicus; Q nunquid mandatis hominum non est [Q Titi 1. 14.] obediendum? Respondeo, quod sic, quandiu non auertunt à veritate fidei: *sine causa colunt me* (supra cap. 15.) *docentes doctrinas & mandata hominum*. At addo ipse ad nostros contextus, non esse eis obediendum, quando constet, non sedisse in Cathedra scientes & prudentes, sed passionibus fuisse immersos terrenis. Et sic non erat obediendum Pilato, quanquam pro tribunali sederet, damnanti Christum: quia non sciens & prudens formiter sederat. Ex quo propriè Leo Papa Serm. 8. de passione orat dicens; *imprudenter Pilate timuisti*. Cuius imprudentiæ nullam inuenit excusationem; ideoque subdit: *formidabile fuerit nomen regium, si dominandi consilium* (quod falso obiecerunt Christo) *tyrannicur tibi prodidit apparatus; si prouisio armorum, si congregatio diuitiarum; si præsidia detecta sunt militum*.

Hanc iniquissimam Pilati sententiam, quomodo 7.
in vniuersorum documentum, coarguat Euangelista Ioannes, opera-pretium est accipiamus: quanquam hic acerbè tractetur, quod suus manet locus Ioann. 19. Verùm quis certò scire potest, an ego qui

operi

operi huic pro meo insudo modulo, sim quod inchoaui, grandi quippe via percursurus. Ideo ne res notatu adeo digna fideles effugiat, hic quod illic foret agendum, præuenimus. Exponit itaque, quomodo tradidit tandem Iesum illis vt crucifigeretur. *Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur lithostrotos, hebraicè autem Gabbathà.* Quis non obstupeat de narrationis huius circunstantijs? non satis erat dixisse; *sedit pro tribunali?* Interpretes non reperio, qui hæc disquirant. Et tamen absit, sine mysterio scripta esse. Quamuis enim secundùm corticem literæ, parum aut nihil referat nouisse, quomodo locus diceretur; & multo minùs scire, quid etiam hebraicè appellaretur; attamen confert summopere ad profundiorem intelligentiam; vt innotescat etiam ex loci nomine, quod in vtraque lingua, & græca & hebraica locus ille sortitus est, quale fuerit Pilati iudicium, cùm sedit eo in loco pro tribunali. *Lithostrotos* idem valet ac *lapidibus stratus*; à *lithos* græcè, quod est *lapis* vel *saxum*, & *stronnyo*, quod est *sterno*; & cùm lapidibus quadratis fit pauimentum dicitur tessellatum. Cum segmentis ita coagmentatis sternitur, vt imagines tanquam penicillo depictæ repræsententur, dicitur vermiculatum, siue emblema, quasi insititium: quod in parietibus camerisque diceretur nobis esse muscatum. Locus iste Pilati fuerit famosus ob elegantiam operis necesse est; quando per excellentiam quandam & antonomasticè dicebatur *lithostrotos* hebraicè autem *Gabbatha*. Sed quorsum isthæc notitia? Qui ex hebræis dictionarijs per literam *ghimel* exquirunt significatum, à *gabah*, quod est *superbiuit, tumuit eleuatus est* trahunt, posse significare *collem*, & *sublimitatem*, vt refert ibi Diuus Thomas R. Sed adhuc instari potest: quid hoc interfuit diuino Euangelistæ, qui intonuerat tam sublimia; *In principio erat Verbum*; &c. notare tam accuratè locum istum?

R Ioan. 19. l. 1.

8. Vt ergo Domino largiente, intelligentiam, quæ sublimis vtique sit, sed cui plenè adhæreat & acquiescat animus, assequamur; arbitror, quod legitur *Gabbatha*, requirendum esse in hebraica lingua in litera *ngain*, quæ ita gutturalis est, vt idiomatibus nostris non sit, quæ omnino respondeat, quamuis appropinquet litera g. Igitur legamus *ngammatha*; cuius radix esse potest *ngamath*, quod sonat, *fœneratus est, commodato dedit*. Nec videtur absonum, locum illum inde fortè traxisse hoc nomen; quoniam in Pilati Palatio, quasi extraneus esset; & quasi seruato Ciuitatis iure, Prætoris esset in vsum: nam adduxit Iesum bis *foras*, & post primam vicem *ingressus est Prætorium iterum*: erat ergo locus iste extra Prætorium accommodatus pro tempore Prætoribus; inde dictus *ngabbatha*. Sanctissimus Euangelista Ioannes hoc animaduertens nomen; ex eadem, à qua illud, radice *ngabbath*, sciebat aliud esse significatum, nimirum *peruertit*, quod aliàs est *ngbiuah*; ideo vt à loco, vbi sederat pro tribunali, Deo sic disponente, agnosci posset iniquum atque peruersum fuisse iudicium, nomen hoc adnotauit. Neque immeritò nam expressiua germanior iudicij corrupti, est, vt dicatur peruersum; Habacuc 1. *propterea egreditur iudicium peruersum*. Præmittit autem; *impius præualet aduersus iustum*. Dicit autem de Habacuc Hieronymus ad Paulinum quòd *Christum in Cruce contemplatur*; in Cantico scilicet vbi ait; *operuit Cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra; splendor eius vt lux erit; cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius*. Quare consentaneum est, vt in suæ prophetiæ principio, de peruerso contra Christum iudicio, in loco qui peruersum sonat, locutus sit.

9. Sed adhuc est, quò progrediatur intelligentia; vt quemadmodum Gabbatha peruersum Pilati iudicium ostendit; ita est *lithostrotos* causam promat. Pauimentum quippe erat *lithostratum*. Et qui nam in Scriptura pauimentum? Iam canimus quotidie, *adhæsit pauimento anima mea* psal. 118. Augustinus; *si tanquam vnam quandam domum magnam, vniuersum Mundum velimus accipere; videmus velut eius cameram Cælum, pauimentum terram: proinde terrenis adhærere, mors animæ est*. Consentit etiam Ambrosius: qui sic eloquitur; *terra ista meretricijs quibusdam nos illecebris capit; & quasi vultus quosdam, voluptatum corporaliumque delectationum fucis illinit; vt lateat in his veritas, & forensi quadam specie decipiant appropinquantes*. Ecce quomodo nedum describitur terrenis immersio, quæ habet, vt diximus, hebetare mentem, paritque stuporem sensus in iudicando: (& hoc per pauimentum terrenum certè:) sed vlterius; quia procul dubio tanquam prænominatum *lithostrotum* emblemata habuisse & imagines quæ aspectum illicerent credendum est; ecce quod subdit Ambrosius, verbo vno tangi. Sic impij Pontifices & Pharisæi; sed secundùm historiam Pilatus; qui prolaturus sententiam debuerat oculos ad Cælum leuare, dicendo *de vultu tuo iudicium meum prodeat; oculi tui videant æquitatem*, quod & hodie consuescunt orare pij Iudices; deflexit ad terrena, terrenisque pauimenti *lithostrati* detentus imaginibus, iustitiæ pulchritudinem calcauit. Documento sit nobis, cùm notoriè deprehenduntur Iudices Scribæ olim & Pharisæi, sic adhærere pauimento, seu *lithostrato*, demereri, vt eorum dictis audiatur: nec in casu arctare quod præcipit Dominus; *omnia quæcumque dixerint vobis; seruate* in negatiuis, *& facite* in positiuis: quia non *super cathedram* sedent, vt supra deduximus.

VERS. III. *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera*, &c.

Christus Dominus, non ita; quia Act. 1. *cœpit facere & docere*. Vbi glossa; *bonum doctorem instruit; qui quod docet, facit*. Lex quippe duplicem 10.
habet vim, coactiuam nimirum, S & directiuam. S p.1.2.96. a.5.
Princeps solutus est à lege, priori sensu, quia nullus propriè cogitur à se ipso. Cæterùm quoniam non potest Princeps alios rectà dirigere, si eam non obseruet; ideo secundùm vim hanc directiuam à lege non est solutus; secundùm quod dicitur *extra, de constitutionibus*, cap. *cum omnes*; *Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet*; & Sapientis dicit auctoritas; *patere legem, quam tu ipse tuleris*. Multiplicitatem autem insinuat mandatorum, dum *ait alligant*; non enim nisi multa alligantur; supra cap. 13. *& alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Leges ex Angelico dicuntur iustæ ex fine, quando ordinantur ad bonum commune; T ex Actore, quando non excedunt potestatem ferentis; & ex forma; quando scilicet, secundùm æqualitatem proportionis, imponuntur subditis onera, in ordine ad bonum commune. (Ex Isidoro, vt fert art. 1. *nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate ciuium, lex debet esse conscripta.*) Et secundùm hoc, leges huiusmodi onera proportionaliter inferentes iustæ sunt. Sunt autem ex eodem Sancto Doctore iniustæ, & magis violentiæ, quàm leges, vt etiam ait Augustinus in lib. 1. *de libero arbitrio* cap. 5. quia, *lex esse non videtur, quæ iusta non est*; quando aliquis Præsidens leges imponit onerosas subditis, quæ nimirum, non sint pertinentes ad vtilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam: vel etiam ex Auctore; sicut cum aliquis legem fert vltra sibi commissam potestatem; vel etiam ex forma; puta cum inæqualiter onera multitudini dispensantur; etiam si ordinentur ad bonum commune. Hæc autem mi lector, diuino magisterio tangit

T p. 2. 96. 4.

git Dominus. Et quidem auctoritatis defectum, dum ait; *alligant enim, onera grauia & importabilia*: neque enim ad hoc se extendit illorum Auctoritas; quoniam Roman. 13. *non est potestas nisi à Deo*: 2. autem Corinth. 13. inquit Apostolus; *vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus, in ædificationem, & non in destructionem*: quæ profectò hinc agnoscitur; quia vt considerat Chrysostomus; *si fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare posueris; necesse est, vt aut fascem reijciat, aut sub pondere confringatur*. Et hoc etiam colligitur, quia dum *alligant & imponunt*, non sedent *super cathedram*. Deinde tangit inæqualitatem; siquidem imponunt indiscretè *in humeros hominum*; nulla attenta ætatis ac virium distinctione; vnde non inferunt onera proportionaliter, quod exigebatur iuxta præfata. Tertio non pertinere ad communem vtilitatem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam; quandoquidem *omnia opera sua faciunt; vt videantur ab hominibus*. Et ita sequitur; *amant primos recubitus in cœnis*. Vbi glossa apud Angelicum, V *primos sedere Magistros non vetat; sed eos*
V opusc. 19. cap. 2. & hic. *arguit, qui hæc habita, vel non habita appetunt*: inordinato scilicet appetitu: amatores fauoris hu-
X prolog. Ieremiæ. mani, X non populum amant. Contra illud Ecclesiastici 7. *non quæras ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris*.

11. VERS. IV. *Digito autem suo nolunt ea mouere*. Hieronymus ad hæc; *humeri & digitus & onera & vincula, quibus alligant onera, spiritualiter sunt intelligenda*. Sine dubio. Verum hæc omnia ingerunt difficultatem; quia cum non præsumatur Scribas & Pharisæos mala præcipisse, sed potius mandatorum numero, aut alijs grauaminibus excessisse, quæ tamen virtutis essent; quamuis obliquo aliquo fine, & in se ipsis desides ea mandarent; videtur sustinendos fuisse; quia nunquam satis nitimur ad virtutem, nec nimis vnquam aduersum vitia, à quibus vndequaque impetimur, communimur. Præsertim, quia si multiplicia grauiaque imponerent, legis exemplo poterant excusari; quæ leuis minimè fuit; quando immo dicitur *Lex mandatorum*, Ephes. 2. & de illa c. 15. in Actis; *iugum quod neque nos, neque Patres nostri, portare potuimus*.

Vt hanc, quæ contemnenda non est, non ab alijs excitatam quæstionem resoluamus; sciendum est, lege diuina etiam veteri, fuisse sic prouisum indigentiæ humanæ, directionique rationis seu mentis in Deum, vt de omnibus actibus virtutum darentur
A p. 2. 100. 2. 2. & 3. præcepta: quod profundè docet Angelicus; A *in prima secundæ*. Ideo & alia præcepta moralia, B
B p. 2. 100. 11. decalogo super addita sunt. Est enim, *lex Domini* vndequaque *immaculata*, vt ex psal. 18. quæ colligit eruditissimè Sanctus Thomas. Lex humana, quanquam boni communis studiosa sit, vt dictum est; tamen suis sanctionibus, non debuit omnia vitia prohibere; nec omnes virtutum actus præcipere.
C p. 2. 96. 2. Quoad primum sic discurrit & optimè: C oportet quòd leges imponantur hominibus secundùm eorum conditionem: quia vt Isidorus dicit, lex debet esse possibilis & secundum naturam, & secundùm conditionem Patriæ. Potestas autem, siue facultas, operandi ex interiori habitu, seu dispositione procedit; non enim idem est possibile ei, qui non habet habitum virtutis & virtuoso; sicut etiam non est idem possibile puero & viro perfecto; & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis; multa enim pueris permittuntur, quæ in adultis lege puniuntur, vel etiam vituperantur: & similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non essent toleranda in hominibus virtuosis. Lex autem humana ponitur multitudini hominum, in qua maior pars est hominum non perfectorum virtute: & ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, à quibus virtuosi abstinent; sed solùm grauiora, à quibus possibile est, maiorem partem multitudinis abstinere. Et præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione, societas humana conseruari non posset; sicut prohibentur lege humana, homicidia & furta, & huiusmodi. Prohibet tamen D aliquos actus singulorum D p. 2. 96. 3. 1.
vitiorum, licèt non omnes, secundùm obligationem præcepti. Sic quoad secundùm, etsi præcipiat quosdam actus singularum virtutum, E non tamen de E loc. cit.
omnibus actibus præcipit lex humana, sed solùm de illis virtutum actibus, qui ordinabiles sunt ad bonum commune, vel immediatè; sicut cum aliqua directè propter bonum commune fiunt: vel mediatè, sicut aliqua ordinantur à legislatore pertinentia ad bonam disciplinam, per quam ciues informantur, vt commune bonum iustitiæ & pacis conseruent. Lex quippe humana F ordinatur ad commu- F p. 2. 100. 2.
nitatem ciuilem, quæ est hominum ad inuicem: homines autem ordinantur ad inuicem per exteriores actus, quibus homines sibi inuicem communicant: huiusmodi autem communicatio pertinet ad rationem iustitiæ, quæ est propriè directiua communitatis humanæ: & ideo lex humana non proponit præcepta, nisi de actibus iustitiæ: & si præcipiat actus aliarum virtutum; hoc non est, nisi in quantum assumunt rationem iustitiæ, vt patet per Philosophum 5. Ethic. cap. 1. Intendit enim homines G inducere G p. 1. 96. 2. 1.
ad virtutem, non subitò sed gradatim; & ideo non statim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ sunt iam virtuosorum; vt scilicet ab omnibus malis abstineant: alioquin imperfecti, huiusmodi præcepta ferre non valentes, in deteriora mala prorumperent; sicut dicitur Prouerb. 30. *qui nimis emungit, elicit sanguinem*; & Matthæi 9. quòd *si vinum nouum*, idest præcepta perfectæ virtutis, *mittatur in vtres veteres*, idest in homines imperfectos; *vtres rumpuntur*, idest præcepta contemnuntur; & homines ex contemptu ad peiora mala prorumpunt. Dicebat meritò Augustinus in lib. de ordine capit. 4. *aufer meretrices de rebus humanis; turbaueris omnia libidinibus*. Velim ipse tamen & exoptarem, vt non tam laxatis habenis permitteretur scortatio; vt saltem non ita publicè & impudenter toto anni tempore fierent meretrices in scandalum: Prouerb. 7. *præparatæ ad capiendas animas garrulæ & vagæ*. Effrænem etenim propuduamque ipsarum licentiam aliquantò cohibere, nullius absurdi maioris posset esse causa: quod lex consueuit cauere humana; sensim immo possent Domino cooperante corripi.

Quisquis has hauserit Angelici doctrinas, suspi- 12.
ciet facilè altitudinem dominici eloquij. *Alligant* inquit; ecce de pluribus nimis, nisi de cunctis, aut vitiorum actibus prohibitis, aut actibus virtutum præceptis, onerosam congeriem. *Imponunt in humeros hominum*; ecce legis indiscretio, quæ æquè omnes aggrauet: cùm tamen, non omnes sint atlantici humeri. Sed est vnde miremur euangelici calami significantissimam verborum proprietatem. *Imponunt*, inquit, *in humeros hominum*. In quo nedum intelligitur ponderis magnitudo; sed etiam impotentia baiulorum promiscuè: aliàs enim, cùm onera portabilia sunt, qui ea deferre debent, vel per semetipsos tollunt. Matthæi 9. *tolle lectum tuum & vade*; Marci 2. *Surge, tolle grabbatum tuum*; & sic Ioan. 5. & speciatim de oneribus Matthæi 11. *tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*: vel saltem adiuti tollunt, onerandisque humeris cooperantur. Hic neutrum horum, solummodo *imponunt onera*. Et adhuc emicant lumina sacro ex textu præfatæ consentanea do-

ctri-

ctrinæ, Habet enim esse onera *grauia & importabilia*; proinde non est potentia ea portandi: at mox, non ita importabilia dicuntur; quia vel digito moueri possent; neque enim imponentibus in aliorum humeros, deest potentia, sed velle; *digito autem suo nolunt ea mouere*. Et Lucæ 11. *oneratis homines quæ non possunt; & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas*. Plana veruntamen est nexus huius solutio. Iam vidimus ex iure, perfectos ferre posse & debere, quæ ferre non potest major hominum pars, qui
H p. 2. 96. 1. non sunt H perfecti virtute. Multitudo ergo inculta nequit; celsiores gradu non ferunt, quia *nolunt*. Poterat Dominus dicere; *nolunt ea mouere*, seu etiam, *nolunt ea portare*, sed vsus est verbo *mouendi*, itemque *digito*; ad ostendendum, quod supra ibi expendebatur absurdum, (vt scilicet subditi in deteriora & in contemptum prorumpant) vnde sit: nimirum, quia qui iubent & onera imponunt, non student, iisdem sibi quoque oneribus impositis, quæ ferre facilius deberent, alijs esse exemplo: exempla autem mouent præsertim exempla maiorum, vt notum est. Et ad idem ly *digito suo*: quo digito? sine controuersia, digito qui index est appellatus; quo in indicanda re quapiam vti solemus: quo etiam & leges describi, & taxatæ transgressoribus pœnæ minaci motu consuescunt vulgari. Quare cùm Diuus Iacobus 2. capite dixit; *ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, idipsum vt mihi videtur fuisset intelligendum; si condicto breuiori aduersantem conuenisset dicendo; *ostendam tibi digito fidem meam*; Manu autem significari opera in Scripturis tritissimum est: psal. 118. *& leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi*. Hinc ex Chrysostomo sensus est; quòd non solum non pleno opere, sed nec modica parte, nec mo-
I D. Th. hic. dico tactu, ea implebant: *nolunt mouere* I idest inchoare. Et tu præterea animaduerte, quod hic subijcitur, *digito autem suo mouere ea nolunt*, non esse redundans, vt alicui posset videri; eoquòd nuper præmiserat, *dicunt & non faciunt*: quandoquidem præterquam, crescit oratio; neque enim solum *non faciunt*, sed nec operi primam admouent manum, aut digitum vnum: adhuc extat responsio; quia supra de mandatis ex cathedra loquitur, quæ indoluit dici & non fieri: hic de quibuscumque etiam non ex cathedra per Scribas & Pharisæos iniunctis sermo est; circa quæ, pro summa virtutum omnium iactura plorandum, quod ipsi nec *digito suo ea mouere volunt*. Et nota ex Augustino in 1. de doctrina christiana apud D. Th. in 2. sent. d. 28. 1. 5. ad 3. ille qui docet similis est ei, qui mouet digitum ad aliquid ostendendum. Dic ergo docere, sed non mouere suo digito, in exemplum.

13. Ad id autem quod pro honestandis tot Scribarum & Pharisæorum oneribus, impositis in humeros hominum, tangebatur; scilicet in Actis cap. 15. definitum fuisse & iugum veteris legis quasi onus, quod neque Patres, potuerint portare, dicendum, non suffragari; tum quia *Dominus ipse est Deus*; Ecclesiastes 8. *sermo illius potestate plenus est; nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis?* Roman. 9. *o homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* tum deinde, quia sic fuit expediens, vt pluries docet Angelicus ex professo disquirens; *Vtrum debuerint esse multa*
L p. 2. 101. 3. *cæremonialia præcepta*, L eoquòd erant in illo populo aliqui ad idololatriam proni; & ideo necesse erat, vt ab idololatriæ cultu per præcepta cæremonialia reuocarentur ad cultum Dei. Et quia multipliciter homines idololatriæ deseruiebant, oportebat e contrario, multa institui ad singula reprimenda: & iterum multa talibus imponi, vt quasi oneratis ex his, quæ ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriæ deseruire. (Tu recole Deut. 7. ad periculum idololatriæ cauendum, prohibuisse cum eis connubia & commercium omne.) Ex parte verò eorum, qui erant proni ad bonum, etiam necessaria fuit multiplicatio cæremonialium præceptorum, vt per hoc mens eorum diuersimodè referretur in Deum & magis assiduè. Et præterea, quia mysterium Christi, quod per huiusmodi cæremonialia figurabatur, multiplices vtilitates attulit Mundo, & multa circa ipsum consideranda erant; vnde oportuit per diuersa cæremonialia figurari. Quamuis M de M ibi ad 3. facili sumerent transgrediendi occasionem: ex quo reprimebatur eorum superbia: (*iugum* fortè dic ideo appellari in Actis) sapientis enim legislatoris est, minores transgressiones permittere, vt maiores caueantur. Vides ergo lector, non posse onera Pharisæorum importabilia, non vituperari; quia suo arbitratu, & obliquis finibus; præsertim vanæ existimationis & hypocrisi, coaceruabant mandata, seu legis interpretationes extortas, quæ conscientias minorum grauarent; puta de ieiunijs, vt supra cap. 9. de manuum ablution: vt cap. 15. idemque de strictiori obligatione oblationum. Quanquam magis ad informationem Ecclesiæ suæ exaggerari crediderim caput præsens: de quo in Syntaxi.

VERS. V. *Dilatant enim Phylacteria & magnificant fimbrias.*

Hic eruditiorem Hieronymo non habemus. Præ- 14.
supponit autem notitiam ex Deuteronomij cap. 6. de diuinis præceptis, *ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos* quoad Phylacteria. Item ex Numero cap. 15. *loquere filijs Israel & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Dei*. Iam Hieronymus; *hoc Pharisæi malè interpretantes scribebant in membranis Decalogum Moysi, idest decem legis verba; complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes; vt semper ante oculos mouerentur. Pittaciola ergo illa*, (Pictacia dicuntur exiguæ tabellæ, commentarioli, rerum summam continentes: fustula corij aut cartæ.) Diuus Thomas *cedulas* dicit. *Phylacteria vocabant, idest conseruatoria, eoquòd, quicumque habuisset ea, quasi ad custodiam & munimentum sui haberet*. (Reperio in Lexicis, *Phylacteria*, esse *arma salutis*; *Phylacterion* esse *tutelam*, *locum custodie*; *Phylax*, *custos*, *vigil*) Pergit seu interloquitur Hieronymus: *iusserat de fimbrijs, ad Israelis populum discernendum; vt quomodo in corporibus circumcisio signum iudaicæ Gentis daret, ita vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi verò Magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis captantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, vt videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur; & quasi hac commonitione retraherentur ad ministeria seruitutis*. Angelicus; N intentio Domini mandantis N p. 2. 102. a. 6. ad 7.
fuit, vt præcepta Dei signarentur in manu, idest in operatione; & essent ante oculos, idest in meditatione. In hyacinthinis autem vittis, quæ pallijs inserebantur, significabatur cœlestis intentio, quæ omnibus operibus nostris debet adiungi. Potest tamen dici, quòd quia populus ille carnalis erat, (tu intellige carnalem, quia spiritualia ægrè capiebat) & duræ ceruicis, oportuit etiam per huiusmodi sensibilia, eos ad legis obseruantiam excitari. Præmisit autem Dominus; *omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus*. Non satis est exteriora corrigi de fimbrijs & phylacterijs, quæ dilatant affectate & magnificant; interiora cordis etiam sibi nota esse demonstrat, quæ detegit; vt inde insurgens confusio ad emendationem extimulet. Cum enim Pharisaica irreligio, quandoque & opera faciat, quæ alijs facienda dicit, nihil coram Deo facit, seu dicat

seu

seu faciat; vbi superbia, quæ bona perdit opera, cor inuasit. Conglomerantur autem exinde signa superbiæ.

VERS. VI. *Amant autem primos recubitus in cœnis*, &c.

15. Loco in cœnis, munere in Synagogæ cathedris, plausu salutationum in foro; suorum bonorum, si quæ faciunt, mercedem gloria inani aucupantur. *Vocari etiam ab hominibus Rabbi*. Vnde & quòd scita & responsa dederint, terrenæ inhiant mercedi, vt vocentur *Rabbi*. Cenodoxia igitur seu inani gloria pereunt, quæcunque ostentant merita. Philautia verò seu amor sui ipsius, primæua est mali serpentis origo; nam *amant primos recubitus in cœnis*. Quare nec Dei, nec proximi amor, quicquid edixerint, monuerint aut fecerint, eos vrget. Qui propriæ salutis studium negligit ac contemnit, animarum nequit habere zelum; quia priùs de sua salute esset solicitior. Ita & hic D. Thom. quia quilibet diligit magis se quàm alium: ergo si conuerterent alios propter salutem animæ, magis deberent de sua salute curare. Augustinus Sermon. 83. super Ioann. *qui non diligit Deum; quomodo diligit proximum tanquam se ipsum; quandoquidem non diligit & se ipsum? est quippe impius & iniquus. Qui autem diligit iniquitatem, non planè diligit, sed odit animam suam*.

VERS. VIII. *Vos autem, nolite vocari Rabbi*, &c.

16. *Rab* est *Magister*, *vir magnus*, & cuius multæ sunt dignitates. Hunc hebræi vocant *Rabbi*, & Chaldæi *Ribbon*. Dumque ait *nolite*, ambitionem signat, quæ vt inquit Angelicus, O est principalis superbiæ filia. *O ambitio*, exclamat Bernardus, *ambientium crux*! Ecclesiastici 10. *initium omnis peccati superbia; qui tenet eam adimplebitur maledictis*, idest vitijs: P de superbia enim nascuntur hæreses schismata detractiones, inuidia, verbositas, iactantia, contentiones, & huiusmodi. Hinc Isaiæ 28. *væ coronæ superbiæ*; quia coronam habens, quasi Rex est vitiorum; adducit enim magnam vitiorum societatem. Hinc Gregorius alibi relatus Q ait; *ipsa vitiorum Regina superbia*. Vide quàm cohærenter phalangem scelerum, quæ Scribas & Pharisæos circunstant, mox ponit ob oculos; tonatque minax, vt Isaias *væ coronæ superbiæ*; toties *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*.

O 1. Cor. 13. la.

P opusc. 41. l. 7. c. 8.

Q 2. 2. 162. 8.

VERS. VIII. *Vos autem nolite vocari Rabbi* &c.

17. Impugnantes Religionem apud Angelicum R vim in verbis istis faciebant: vt esset consilium, à perfectis proinde obseruandum, vt scilicet à magisterio abstineant. Vlteriusque, non licere Religiosis Doctoris officium exercere vel suscipere, nec ei debere iniungi. Multis ostendit ibi contrarium: respondetque esse ridiculum, vt abstinere à magisterij nomine sub consilio cadat. Non enim potest esse præceptum vel consilium, de eo quod non est in nobis, sed in alio. In nobis quidem est docere vel non docere, de quo non esse consilium, probatum est; sed Doctores atque Magistros vocari, non est in nobis; sed in eis, qui sic nos nominant. Non ergo potest sub consilio cadere, vt non vocemur Magistri. Item cum nomina sint imposita ad significandum res, ridiculum est dicere, quòd nomen sit prohibitum, cum res non sit interdicta. Item consiliorum obseruatio, maximè ad Apostolos pertinuit, quibus mediantibus ad alios peruenit. Magistri ergo nomen nullo consilio est interdictum; cum ipsi Apostoli se ipsos Magistros & Doctores nominauerint: 1. ad Timoth. 2. *veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium in fide & veritate*: 2. ad Timoth. 1. *in quo positus sum ego, Prædicator & Magister Gentium*. Restat ergo dicendum, quòd Dominus dixit; *nolite vocari Rabbi*, non esse consilium, sed præceptum, ad quod omnes tenentur: nec prohibentur actus docendi & Magisterij nomen, sed ambitio magisterij. Vnde cùm subiungit, *nec Magistri*, glossa; *nec appetatis vocari: nec quemlibet appetitum interdicit sed inordinatum*. Potest tamen aliter intelligi secundum glossam, vt etiam ex circunstantia literæ patet. Simul enim Dominus ibidem prohibet nomen Patris ac Magistri; *quia vnus est Pater noster, qui in Cœlis est; & quia Magister noster vnus est, Christus. Deus enim*, vt ibidem glossa, *& Pater & Magister natura dicitur: homo autem dicitur indulgentia Pater, & Magister ministerio*. Prohibet ergo Dominus, ne auctoritas vitæ naturalis seu spiritualis, aut etiam sapientiæ homini attribuatur. Vnde glossa; *vos autem nolite vocari Magistri: ne quæ Deo debentur, vobis præsumatis; neque alios Rabbi vocetis, ne diuinum honorem hominibus deferatis*. Vnde in alia glossa dicitur, quòd *Pater vocandus est aliquis, vt honor ætati deferatur, non vt Author vitæ habeatur. Magister ex consortio veri Magistri, tanquam eius Nuncius, & pro reuerentia eius, à quo mittitur*. Sic ergo patet, quòd Dominus non prohibuit simpliciter, nec præcepto nec consilio nomen Patris aut Magistri: aliàs quomodo Sancti Patres sustinuissent, vt illi qui præsunt Monasterijs, Abbates, idest Patres vocarentur? Quomodo etiam Christi Vicarius, qui debet esse perfectionis exemplum, *Papa*, idest *Pater* diceretur? Augustinus etiam & Hieronymus Episcopos, quibus scribunt, *Papas*, idest *Patres* frequenter nominant. Stultissimum est ergo dicere, quòd hoc quod dicitur, *nolite vocari Rabbi* sit consilium. Itaque non prohibet ministerium doctrinæ S sed ambitionis officium. Augustinus dicit, *vnus magister, quia ipse solus est, qui interiùs docet*: & ita Angelicus T *vnus magister* propter infusionem cognitionis. Principalitas ergo Magisterij ac doctrinæ V attribuenda est Deo. Docens enim solummodo ministerium exterius exhibet, X sicut medicus sanans. Sed sicut natura interior est principalis causa sanationis; ita & interius lumen intellectus est principalis causa scientiæ. Vtrumque autem horum est à Deo. Et ideo sicut de Deo dicitur; *qui sanas infirmitates tuas*; psal. 102. ita de eo dicitur psal. 93. *qui docet hominem scientiam*. Hoc ipsum vberius tradit in *Disputatis quæstione de Magistro*; A considerans naturale lumen rationis, ex quo procedit intellectus ad perceptionem doctrinæ, esse nobis à Deo inditum, quasi quandam similitudinem increatæ veritatis in nobis resultantis. Vnde cum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit, nisi virtute illius luminis, constat quòd solus Deus est, qui interiùs & principaliter docet; sicut natura interiùs etiam principaliter sanat.

R opusc. 19. c. 2.

S p. Tim. 2. l. 2.

T 1. Cor. 8. l. 2.

V Prolad Annib. q. 2. 4. l.

X p. p. q. 117. a. 1. ad 1. & hic.

A de verit. q. 11. a. 1.

Hactenus dicta verissimè tradita sunt. Cæterùm adhuc non claret, quorsum eruditionis huius collimet verbum Domini. Neque enim facilè doctrinæ auditor eo labitur errore, vt credat Deum non esse qui principaliter omnia bona nobis conferat. Vnde hanc promere sententiam, dicet quis, opus fuisse non adhuc liquet. Nunquid Dominus non eam opportunissimè protulit? Certo certius. Sed latens est, quamuis se prodat humiliter eam concupiscentibus causa. Quæ istiusmodi mihi videtur esse; vt veluti dixerit sententiam hanc Dominus in tacitæ obiectionis responsum. Quomodo enim, (poterat indoctus quispiam rogare) debemus, quæcumque dixerint nobis Scribæ & Pharisæi seruare & facere; si quod eos obaudiamus, nulla ratio est; immo eorundem vita contrarium monet? Ipsi *dicunt & non faciunt*, indiscretè onera imponunt grauia & importabilia; scatent vitijs, vt mox increpantur apertius: & eis quoad doctrinam parendum est? Ita sanè; respon- 18.

spondet Dominus; *vnus est enim magister vester*. Nisi adesset hic *vnus Magister* ab illa vna cathedra, ableganda foret hominum corruptorum huiusmodi doctrina: sed cathedram non relinquit, qui eam ad vtilitatem instituit. Quare Sacerdotium semper sanctum est. Ille ergo *vnus Magister est*, qui veritatem de cathedra ex ore ipsorum vos docet. Et ita quod ait; *nolite vocari Rabbi*, arbitror ad discipulos referri; & sic præmittit *vos autem:* quod autem subdit; *vnus est enim Magister vester*, ad turbas dirigi. In eo autem quod sequitur *omnes autem vos fratres estis*, condit & promit simul sententiæ præmissæ probationem: ac si diceret. Si humana edicerent doceréntque de cathedra; suspicionis, immo dubitandi iusta subesset ratio, num vera aut falsa loquantur; non solùm ob captus humani imbecillitatem, sed quoniam, vt notum præsumitur, morum improbitas animam quoque inficit, ne verum videat. Dixerat Augustinus in 1. Soliloquiorum cap. 2. *Deus, qui non nisi mundos verum scire voluisti*: veruntamen id retractat lib. 1. retractat cap. 4. *responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera*.
[B p. 2. 109.1.] Sed etsi Sanctus Doctor consentiat, B vt verum possit etiam à malis cognosci, arctat, in ijs quæ naturalem cognitionem non excedunt. Cæterum constans
[C 1.Cōt. G.c.4.] est etiam quod scribit, C quòd inuestigationi humanæ plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in iudicando, & phantasmatum permistionem. Nam Sapientiæ 9. legimus; *homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum*. Igitur ne qui docentes audiunt, rem ad nostram, de dictorum veritate ex cathedra vacillent, subiungit Dominus; *vnus est enim Magister*; Et quo id capiatur addit, *omnes autem vos fratres estis*: fratres, natura, cognatione, gen-
[D Matth. 18. Rom. 12.l.1 Gal. 1.l.5.] te, affectione; D denique religione ac fide; quo pacto exponitur locus iste. Hoc ergo expendens Dominus, quid aliud significare intendit, nisi quod mox declarat, *vnum esse Patrem nostrum*, & fide & religione, *qui in Cœlis est*. Patris autem est docere & instruere filios; Ecclesiastici 7. *filij tibi sunt, erudi illos*. Et cap. 30. *qui docet filium suum, laudabitur in illo*: deinde; *doce filium tuum & operare in illo*. Prouerb. 29. *erudi filium tuum, & refrigerabit te*. Hebræorum 12. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus*. Vnde & Patrinus qui baptizatum leuat de fonte, Parentum vice tenetur baptizatum
[E 4. p. 67.8.] E docere & erudire. Et Deuteronomij 6. de præceptis Domini, *narrabis ea filijs tuis*.

19. Quæ cum ita sint; nonne claret quidnam sibi velit Dominus, dum nos omnes fratres, sub vno Patre cœlesti, esse declarat? nimirum, ne in ijs quæ fidei & morum sunt timeamus à Cathedra decipi; quando ipse Patris & instructoris cœlestis obit vices. Dicitur autem Deus Pater alicuius creaturæ propter similitudinem vestigij tantùm, vtpote irrationalium creaturarum, secundum illud Iob 38. *quis est pluuiæ Pater? aut quis genuit stillas roris?* alicuius creatu-
[F p.p.13. 3.] ræ, scilicet rationalis, F per similitudinem imaginis; secundum illud Deuteronomij 32. *nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* aliquorum verò est Pater, secundum similitudinem gratiæ; qui etiam dicuntur filij adoptiui, secundum quòd ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ, per munus gratiæ acceptum. Rom. 8. *ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij & hæredes:* aliquorum verò secundum similitudinem gloriæ; prout iam gloriæ hæreditatem possident, secundum illud Roman. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Ex quibus certè innotescit cur addiderit, *nolite vocare vobis Patrem super terram*; quia tametsi Pater etiam sit noster *super terram*; attamen, vocari vult Patrem *in Cœlis*, quia de fide & moribus, per quæ peruenimus ad Cœlum, nos docet & instruit. Isaiæ 63. *tu enim Pater noster: & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine Pater noster*. Idiotismus hebraicus; quo id quod per comparationem posthabendum est, negatur; psal. 21. *ego autem sum vermis & non homo*; idest potius quàm homo. Ieremiæ 3. *Patrem vocabis me*. Ea quæ sunt creaturarum per quandam superexcellentiam transferuntur in Deum, vt Dionysius dicit in lib. de diuinis nominibus cap. 1. G & ideo [G 2.2. q. 101.3.1.] Deus excellenter dicitur, *Pater noster*. Quamuis ergo possimus decipi de ijs quæ super terram sunt à corruptis magistris; non tamen de ijs quæ sursum sunt; quia incorruptum est magisterium, vbi cœlestis Pater erudit filios; quando non hominum terrenorum opera, sed diuino iussu, constituta est super quam sedent cathedra. Sed quoniam Cœlestem Patrem poterat suggerere audientibus, licèt eos fratres esse non recoleret; dum sic interserit, *omnes autem vos fratres estis*, non perperam interiectum esse, credi oportet: potius alta intelligentia, quæ huiusmodi sit. *Vos estis fratres*, idest *esse debetis*: sic exponitur illud, *vos estis sal terræ*, idest H esse debetis; ni- [H D.Th. Math. 5.] mirum filij vtriusque parentis & Patris & Matris; secus fratres non essetis. Mater nostra I est Ecclesia, [I Hebr. 12.l.1 & opusc 41. lib.2.12.] cuius sponsus est ipse Deus. Nusquam de errore pauendum, quousque sub vna Matre Ecclesia fratres sumus; si fidem seruemus. Et præterea vt charitatem commendet, ex qua etiam sine doctore, vbi opus sit, *docet nos vnctio* Spiritus-Sancti *de omnibus*: & *verum est, & non est mendacium* 1. Ioan. 2. sine charitate enim fratres non sumus: 1. Corinth. 5. *si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus* & c. non dicit, *si is qui frater est*, L sed, *si is* [L 1. Cor. 5.l.3.] *qui frater nominatur*; quia per peccatum mortale aliquis recedit à charitate, quæ est spiritualis fraternitatis causa. Vnde Hebræor. vltimo; *charitas fraternitatis maneat in vobis*: & expendit Angelicus, quod hic ait Dominus; *omnes autem vos fratres estis*. Qui sic etiam nedum in fide, sed in charitate frater est, discernet magis laruam à vera facie, errorem à veritate, dicta personæ à scitis cathedræ; quia vnus est magister & Pater in Cœlis, qui assidet. Vnde Augustinus contra Faustum: *quantus honor delatus est doctrinæ Moysi, in cuius Cathedra etiam mali sedentes bona docere cogebantur*. Hinc in sequentia Spiritui-Sancto canitur, *Magistrorum Optimè*; & iuxta suprà dicta de Patre, cuius est docere filium, Ioan. 6. *omnis, qui audiuit a Patre & didicit, venit ad me*: *Patrem* igitur *nolite vocare vobis super terram*, ac si diceret, ne sitis anxij de illorum vita degenere, quasi labefactetur inde cathedra docens; *vnus est enim Pater vester qui in Cœlis est*.

VERS. X. *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est Christus*.

20. Iam supra constanter audiuimus, non illicere & homines esse dicique magistros. Vnde referente Hieronymo in Epist. ad Gal. dixerunt discipuli Sanctissimo Euangelistæ Ioanni, linguæ flabello, charitatis fraternæ incendenti flammam, *Magister, quare hoc semper loqueris?* qui minimè illos redarguit, quòd sic eum appellarent; tanquam Pater ergo da ipsos quos vocabat filiolos, dignam se protulit sententiam: *diligite alterutrum; quia præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit*. Glossa; *vnus est enim Magister; qui solus dat intellectum*. Sed est quod admirationem ingerit, nisi per conniuentiam prætereamus: cur iteratò id repetat? Iam enim priùs dixerat; *vos autem nolite vocari Rabbi*. Cur denuò, *nec vocemini magistri?* Iam priùs etiam dixerat; *vnus est enim magister vester*. Quare iterat? Glossa id animaduertit: & respondet iterasse, vt exponat quisnam sit magister; non enim in prima sententiæ prolatio-

ne

ne expresserat quisnam esset. Veruntamen non quiescit animus. Adhuc enim requiri potest, cur in prima non addiderit ly *Christus*. Et ideo mihi videtur dicendum geminasse hanc sententiam, *nolite vocari Rabbi*; & *ne vocemini magistri*, duplici intuitu. Primò quidem ad præsumptionem de doctrina retundendam, & ne magisterium ambiamus,
M D.Th. hic. vt tactum est, & M firmat Angelicus, indicatque ly *nolite*. Deinde pluralitatem magisterij damnat. Quoniam ergo vt vidimus, radix tot hæresum fuit ingeniorum petulantium superbia, vt hanc à discipulorum cordibus elongaret dixit, *nolit vocari Rabbi*, quod est flatuosa concupiscentia ad honores ferri: *quid enim habes*, inquit Apostolus 1. Cor. 4. *quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Iacobi 1. *omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum*.

21. Contingit autem quosdam, alumnos fieri sectatoresque magistrorum ambientium, seu etiam non ambientium, sed seductorum aut errantium, quauis de causa; quandoque, ob quandam amoris propensionem mollem nimis, quandoque ob fallaces suasiones. Ad hunc etiam sensum exponitur ab Augustino, illud Iacobi 3. *nolite plures magistri fieri*; ait enim, *multi dicuntur magistri, quia contraria docent; & multi docentes, vnus magister sunt*; & sic contrarietas non pluralitas Doctorum prohibetur, vt
N opusc. 19. 2. subdit Angelicus, N Quamuis secundum literam, alias colligat expositiones. Itaque cauendum esse monetur iuxta increpationem Apostoli 1. Cor. 1. ne *vnusquisque dicat; ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ; ego autem Christi. Diuisus est Christus?* præmisit autem, *obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes*; (Recolite Act. 2. *Dominus autem augebat, qui salui fierent in idipsum*) *& non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*. En quomodo hæc dicturus vocat eos *fratres*; vt hic ait Dominus, *omnes autem vos fra-*
O p.Cor. 1. l. 2. *tres estis*. Angelici periphasis talis est; O vt *idipsum dicatis omnes*; idest omnes eandem fidem confiteamini; & eandem sententiam proferatis, de ijs, quæ sunt communiter agenda. *Et non sint schismata*; quia vnitas ecclesiastica diuidi non debet: in cuius signum milites de tunica inconsutili dixerunt Ioan. 19. *non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit*. Sunt autem propriè schismata, quando vel propter diuersam fidei confessionem, vel propter diuersas sententias de agendis, homines vnius Collegij in diuersas separantur partes. *Diuisus est Christus?* Non refert Vtrum interrogatiuè, vel remissiuè legatur. Quodammodo Christum diuiditis, plures Christos facientes: contra id quod dicitur Matthæi 23. *Magister vester vnus est Christus*. Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Tu scito qui legis, de præexcellentia baptizantium fuisse in eis contentiones. Hieronymus ad Rust. & habetur etiam 7. q. 1. *in apibus Princeps est vnus; grues ordine literato, vnam sequuntur*. Et infra; *vnus gubernator in naui, in domo vnus Dominus*: tu dic in Cathedra fidei & morum vnus Magister. Ne igitur tanquam Patres aut Magistros quosque indiscriminatim suscipiamus; ecce quomodo redundans non fit sacer textus; cùm enim primò ait *vnus est enim Magister*, pendere magisterium quodque à Deo cœlesti Patre, nos instruit. Cùm subdit; *quia Magister vester vnus est Christus*, non extollentium iactantiam vt priùs, sed diuisionem doctrinæ reprehendit. Quamuis, vbi superbiæ pestis cor obtinuit, ad corrumpenda membra, progressu tumido pergat.

VERS. XI. *Qui maior est vestrum, erit minister vester*.

VERS. XII. *Qui autē se exaltauerit, humiliabitur*.

Supra quoque cap. 23. id ipsum monuit; *quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister*; sed ibi docibilibus discipulis, qua via perueniatur non ambiendo ad honores, condescendit, commendans & ministerium & seruitutem: hìc in increpationem Pharisæorum & Scribarum superbientium acuitur calamus; additurque promeritam in pœnam, humiliandos si se exaltauerint. Superbia ex Augustino, est *peruersus celsitudinis appetitus*. Peruersus est autem, quia inuertit naturæ ordinem appetitus superbiæ. Vbi consideranda est vis verbi actiui; *qui se exaltat*: Quo modo loquitur etiam Apostolus Hebr. 5. dicens; *nec quisquam sumit sibi honorem*: hoc enim est contra naturam, P quòd aliquis perducat se ad statum altiorem sua natura; sicut aer non facit se ipsum ignem, sed fit à superiore. Vnde disciplina Dei non habet, quòd *quisquam sibi sumat honorem*, fauore, pecunia, potentia. Amos 6. *in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua*; Osee 8. *ipsi regnauerunt; & non ex me*. Recolo illud Ecclesiastici 37. *O præsumptio nequissima vnde creata es, cooperire aridam malitia & dolositate illius?* Respondet glossa; *de mala scilicet voluntate creaturæ*. Præsumptio autem dicitur nequissima, Q ratione superbiæ à qua procedit. Huic autem præsumptioni cognata est ambitio; quæ importat inordinatum appetitum honoris; R vel per hoc quod aliquis appetit testimonium de excellentia, quam non habet; vel per hoc quòd appetitus eius quiescit in ipso honore, non referens honorem ad vtilitatem aliorum. Tu vide, quomodo culpandi erant de ambitione Scribæ & Pharisæi; qui *omnia sua faciebant, vt viderentur ab hominibus*. Et tamen honori inhiabant, & captare satagebant vbique: cùm & ex Philosopho cap. 8. tertij Ethic. illi qui solùm propter honorem, vel bona faciunt, vel mala vitant, non sint virtuosi. Vbi notandum, quàm opportunè adiecerit Dominus; *nolite vocari Rabbi; vnus est enim magister vester*. Quoniam omne id S secundùm quod homo excedit, & honoratur, non habet à se ipso, sed est quasi quiddam diuinum in eo; & ideo ex hoc, non debetur sibi principaliter honor, sed Deo. Præsumptioni & ambitioni adnectitur inanis gloria vt ibi T apud Angelicum. Cuius quidem quantùm essent cupidi ostendit euangelica enarratio. Nota pro distinguenda præsumptione: si quis inordinatè appeteret dignitatem, non ratione honoris, sed propter vsum dignitatis suam facultatem, excedentem, V præsumptuosus esset magis quàm ambitiosus. Quòd enim aliquis æstimet se magis dignum prælatione omnibus illis, super quos prælationem accipit, X superbiæ & præsumptionis est. Præterquam alibi considerat præsumptionis esse, non timere animæ suæ detrimentum; vbi tantum subit qui præest onus, vt de tot animabus reddat rationem. Dicamus ergo cum Augustino 19. de Ciuitate Dei; *locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur*. *Qui se exaltauerit* ergo *humiliabitur*. Beata Virgo in Cantico; *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*. Quomodo superbi humiliandi sint à Deo; & ij qui se arroganter præferunt alijs, percurrit Angelicus in Sermone; A ex illo Iob 40. *disperge superbos in furore tuo; & respiciens omnem arrogantem humilia*: & deinde *respice cunctos superbos, & confunde eos*. Et Apocalypsi. 18. *quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; propter glorificationem suam vanam; & *luctum* propter delicias. *Ideo in vna die, venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames; & igne comburetur*.

VERS. XIII. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*.

Margin notes: 22. — P Heb. 5. l. 1. & 2. 2. q. 130. a. 1. ad 1. — Q 2. 2. 113. 2. ad 4. — R 2. 2. 131. 1. — S loc. cit. — T 2. 2. q. 132. — V 2. 2. q. 131. 2. ad 2. — X Quodl. 2. a. 11. — A Serm. Dom 17. post Pent.

Super

23. Super illa verba ad Hebræos c.5. *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret*: Ioan.8. *ego gloriam meam non quæro*, habet Angelicus; B sunt enim quidam, qui se clarificant, vt fiant: sicut hypocritæ, qui demonstrant in se aliqua, vt eligantur, vel præbendas consequantur. Quadrat hæc animaduersio sacro contextui, vbi dicuntur à Domino hypocritæ, qui *super cathedram Moysi sederunt*: quomodo ad illam euecti sint. Sed *væ vobis*: de quibus Chrysostomus; *nomen appetunt, & officium negligunt*. Est autem quod examinemus primo hoc in limine; quoniam habet Diuus Petrus in 1. c. 2. *cum malediceretur, non maledicebat*; &c. hic autem videtur esse contumeliosus. Et Lucæ 11. quamuis non eis improperasset de hypocrisi, sed solùm culpas eorum eis obiecisset, *quidam ex legisperitis ait illi; Magister; hæc dicens etiam contumeliam nobis facis*. Sed respondetur reuera Gentibus C blandè fuisse locutum; Iudæis autem durè, & acriter comminatum. Supra c.12. *progenies viperarum*; Ioan. 8. *vos ex Patre Diabolo estis*: at D dura correctio procedens ex charitate, non est contumelia. Sed tamen non inuenitur Iudæis sibi dura verba vel facta inferentibus E iniuriosè vel durè vnquam respondisse. Et sic eis blasphemantibus; nonne *benedicimus nos*, (Ioan.8.) *quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes*? subiecit absque vlla commotione mansuetissimè; *ego dæmonium non habeo*. Igitur sicut licitum est F aliquem verberare, vel in rebus damnificare, causa disciplinæ; ita etiam causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocauit stultos Lucæ vltimo; *ò stulti & tardi corde ad credendum*; & Apostolus Galatas *insensatos*; c.3. *o insensati Galatæ!* Tamen sicut dicit Augustinus, rarò & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ: in quibus, non nobis, sed vt Domino seruiatur, instemus. Itaque ex eodem Augustino; nunquam G sine causa & animo vituperandi; sed ex causa, & animo corrigendi. Sic ad Titum c.1. admonet eum Apostolus, vt *durè increpet* Cretenses; H quia duri & pertinaces erant. Dicit itaque *væ vobis Scribæ & Pharisæi*. Interiectio illa *væ* sic accipitur, vt comminatio sit I æternæ damnationis: 1. Cor. 9. *væ mihi, si non euangelizauero*. Et in opusc. *væ vobis* idest extra bonorum consortium miserabilis proiectio. Cæterum sicut ait glossa, illud *ò insensati Galatæ* dixit Apostolus *dolendo*. Vnde fas fuerit pari sensu accipere, quas coaceruat *væ* Dominus. Dupliciter dici *væ* legimus Ieremiæ 22. *non plangent eum, væ frater, & væ soror; non concrepabunt ei, væ Domine, & væ inclyte*. Quare cum sit quoque interiectio dolentis, indubitanter sic dolorem exprimit. Claudi Regnum Cœlorum metaphoricè dicitur. Clausio autem ianuæ, vt discurrit Angelicus T est obstaculum quoddam prohibens homines ab ingressu: prohibentur autem homines ab ingressu Regni cœlestis propter peccatum. Dicit autem hoc V ab Scribis & Pharisæis factum, per malam vitam & per malam doctrinam: siue per exemplum malum, X & abscondendo veritatem doctrinæ in Scriptura. De doctrinæ falsæ traditione claret Ioan. 7. quando Pharisæi dixerunt; *turba hæc, quæ non nouit legem* (propensa quippe erat ad Christum) *maledicti sunt*. Vbi & Nicodemo Iesu partes agenti indignati responderunt, *nunquid & tu Galilæus es? scrutare Scripturas; & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit*. Bonum eis, si scrutati fuissent Scripturas; nam vt dixit Ioan. 5. *scrutamini Scripturas; quæ testimonium perhibent de me*. Et ideo Matthæi præsertim Euangelium Scripturis respersum est. Augustinus lib. 32. contra Faustum; *ostenduntur in Prophetis dicta de Christo, quæ in alium cadere omnino non possunt*. Et ideo Paulus Act.26. contestatus est; *nihil extra dicere, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses; si passibilis Christus; si primus ex resurrectione mortuorum*. Et c.28. *suadens eis de Iesu, ex lege Moysi & Prophetis, à mane vsque ad vesperam*. Et Roman.1. *quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo*. Et c.16. *quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum*: & 1. Cor. 15. *quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm Scripturas; & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundùm Scripturas*. Petrus etiam in Actis cap.3. *Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum*, &c. *& omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos*: & c.10. *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum*. Zacharias in Cantico; *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*: & Beata Virgo; *sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula*. Sed etiam Philippus Act.8. Eunucho *incipiens à Scriptura illa; tanquam ouis ad occisionem ductus est*; &c. Isaiæ 53. *euangelizauit Iesum*. Denique Dominus ipse Lucæ 24. *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*: & postea, *quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*. Sed isti firmam fidem nec habuerunt Scripturis; nam vt ipse scrutator cordium eis improperauit Ioann. 5. Moysi frigidè assentiebantur; *si enim*, inquit, *crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Hinc 2.Petri 1. *& habemus firmiorem propheticum sermonem; cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco; donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*.

Sed dicet exercitatus. Petrus Actor.3. eos incusat ignorantiæ, *quia per ignorantiam fecistis; sicut & Principes vestri*: & c.13. *hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur*. Paulus etiam 1. Cor. 2. *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: & 2.Cor.3. *sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*. Et Rom.11. *cæteri verò excæcati sunt*. Quomodo ergo Dominus eos dicit incredulos; & sancti eius Apostoli, eos dicit ignorasse? 24.

Respondetur. In primis ad infidelitatem sequi indiuisam comitem ignorantiam: quam solam objicit Petrus, fortè quo minus malè affectos exasperet. Vnde 2. Cor.4. cæcitas & infidelitas vniuntur: *Quod si opertum est Euangelium nostrum; in iis qui pereunt est opertum: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium; vt non fulgeat illis illuminatio Euangelii gloriæ Christi; qui est imago Dei*. Deinde dicimus; non omnes fuisse incredulos; sed vniuersalior fuit ignorantia. Tertiò dicendum ex doctrina Angelici, A vbi quærit, *an qui discredit vnum articulum fidei, possit habere fidem informem de aliis articulis*; & negatiuè respondet: sed remanere posse in eo assensum aliquem, quo inhæreat propriæ voluntati per modum opinionis. Ita ergo increduli Iudæorū æquiuocè credebant, non vera fide: non secus ac fortè solummodo credebat Scripturis Agrippa Rex; cui dixit Apostolus Act.26. *credis Rex Agrippa Prophetis?* subiecitque, *scio quia credis*: quod citra reuelationem, de fide infusa non poterat scire Paulus; sed exteriori quadam notitia habebatur Rex Agrippa ceu credens. Huiusmodi stante vel humana fide, qua, pertinacia excluditur, de ignorantia ab Apostolis Iudæi culpantur. Cum quo stat, vt idem Apostolus non discredens Scripturis; per ignorantiam fuerit *blasphemus persecutor, & contumeliosus*; sicut fatetur 1. ad Timoth. 1. *quia ignorans feci*: sed quia culpata ignorantia derogat habitui fidei; ideo subdit *in incredulitate*. Ad hæc Augustinus q. 67. *ex nono Testamento*; expendens

B Hebr. 5. l.1. — C Apoc. 10. com. 1. — D 1.Petri 2. — E Ioa. 8. l.7. — F 2.2.72. 2.ad 2. — G Gal. 3. l.1. — H Titi 1. l.4. — I 1. Cor. 9. l.3. & Apoc. 10. comm. 1. opusc. 58. 17. — T 3. p. 49. 5. — V D.Th. hic. — X Apoc. 3. com. 2. — A 2.2. q. 5. 3.

dens illud Lucæ 23. *non enim sciunt quid faciunt*, inquit; *non omnis ignorans immunis à pœna est. Ille autem ignorans potest excusari à pœna, qui à quo disceret non inuenit. Isti autem à quo discerent habebant: & operam non dederunt.*

25. Reuertendo igitur ad sacrum textum, falsa doctrina claudebant Regnum Cœlorum; & ex quo ait *hypocritæ*, simulasse tamen se credere Scripturis, manifestat: erga quas veram fidem minimè haberent. Et idcirco fortè addidit *ante homines*; ac si diceret, *ante oculos eorum*; *& in faciem*; in qua vigent sensus, qui seruiunt cognitioni: vt intelligamus impedimentum obiectum esse hominibus, ne Christum agnoscerẽt. Porro alio ex capite clauditur Regnum Cœlorum etiam veram fidem habentibus; quatenus vitæ improbæ exemplum alios retroagit; qui illuc per fidem salutis viam arripuerant: *introeuntes*. In eos prophetice Malachias c. 2. *vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos*: nonne consonat verbis Domini? *vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*. Gregorius; *vbi Pastor per abrupta graditur, necesse est, vt in præcipitium grex sequatur*. Ieremias c. 23. in idipsum. *Et in Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimas; vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua*.

B 1. 2. 186. 10. Qui locus planè B exponitur propter scandalum; quia ad eorum vitam plures respiciunt. Quodque est mirabile, ante hanc sententiam præmittit Ieremias: *in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel*. Aurea est Chrysostomi sententia; *infideles iamdiu sectas suas reliquissent, & nostram Religionem amplexati fuissent, nisi vita nostra retraberentur*.

C Rom. 12. l. 2. Dicitur autem, vt notat Angelicus C prophetæ, qui prophetica dicta exponũt; quia sacra Scriptura eodem spiritu interpretatur, quo est condita. Ecclesiastici 24. *adhuc doctrinam, quasi prophetiam effundam*. In vtroque ergo deliquisse deprehenduntur, & doctrina & moribus apud Ieremiam: quæ duo, & in Scribis & in Pharisæis hypocritis plorat Dominus. Summè autem dolet Dominus in Ieremia dicẽs, *contritum est cor meum in medio mei; contremuerunt omnia ossa mea*: & postea subdit; *Propheta namque & Sacerdos polluti sunt; & in domo mea inueni malum eorum*.

D 2. 2. 186. 10. in sed cõtra. Apoc. 21. ibi de portis. com. 1 Quod expenditur ab Angelico de D religiosorum peccatis. Quid mirum si primo in limine lamentatur hic de culpis huiusmodi, quòd & doctrinis & moribus sint in aliorum perniciem? Claudunt, ita vt videri nequeat Regnum Cœlorum, falsis dogmatibus; quia soli fidei correspondet visio. Non sinunt autem introeuntes intrare, exemplis perditis; eoquòd qui credit oportet, *si vult ad vitam ingredi, seruet mandata*: supra c. 19. Et sic liquet distinctam esse sententiam, non autem repeti eandem; *clauditis Regnum Cælorum, & introeuntes non sinitis intrare*: claudunt corruptis fide; *introeuntes* autem fideles, non sinunt infectis suis moribus intrare. Quod de Prælatis exponit in Apocalypsi.

26. E D. Th. hic. Tantisper innuit Angelicus E de Domini benedictionibus supra c. 5. *Beati pauperes spiritu*; &c. quibus ex aduerso sint *væ* seu maledictiones istæ: ideo quia proderit intelligentiæ, libet antithesi quadam has explanare. Et quidem vbi in prima acclamatur, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*: hic infelicitas imprecatione minaci denũciatur superbis: siquidem falsa hæresum doctrina, vt dictum est, matrem habet superbiam: itemque ex superbia non obeditur mandatis, excusso iugo de quo supra c. 11. *discite à me, quia mitis sum & humilis corde; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Et sic respondeat illud ps. 108. *dilexit maledictionem & veniet ei: & noluit benedictionem, & elõgabitur ab eo*. Nec enim coacta est meditatio hæc, quando sicut octo sunt beatitudines dominicæ, ita ad octonarium numerum arctantur *væ*, nec plures sunt, nec pauciores.

VERS. XIV. *Væ vobis, &c. quia comeditis domos viduarum: orationes longas orantes, &c.*

Apostolus Rom. 16. *rogo autem vos, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis*. 27.

Certè quod fateamur est, vnum esse in sacra Scriptura spiritum: siquidem adamussim Paulus cauet quod nuperrimè cauendũ tacitè monuit Dominus, denunciato *væ*; nimirum à falsa doctrina, & à scandalo: quod pressius sequitur ad illam, quamuis & imitatione vitæ. Erant enim quidam, vt ait Angelicus, F ad fidẽ conuersi ex Iudæis; qui prædicabant legalia esse obseruanda. F Rom. 16. l. 2. Et ex hoc primò quidem in Ecclesia sequebantur dissensiones & sectæ, dum quidam eorum errori adhærerent; alij vero in vera fide persisterent. Secundò sequebantur offendicula & scandala, dum quidam alios iudicarent, & alij alios spernerent: quæ dissensiones & offendicula faciunt. Hoc præhabito, ecce mi lector, ad secundum *væ* flectere Apostolum, dum sequitur; *huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri*. Chrysostomus in homilia; de Scribis his & Pharisæis; *de reliquo Dominus de gula eos reprehendit: & quod deterius est, non à diuitibus, sed à viduis accipiebant; vnde ventrem implerent*. Certè Saluator hic prophetice prænunciat, quod Apostolus re impletum agnouit. Et quia verbũ Domini impræsentiarum prægnans est; *orationes longas orantes*, exponitur veluti ab Apostolo qui subdit, *per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*. *Oratio* quippe hebraicè *maamar*, seu *deuar*: quæ *verbum eloquium & sermonem* consignificant. Vnde longas orationes, non modò preces accipere, sed pro longis colloquijs & sermonibus apud easdem viduas; nempe vel familiaribus nimis ac domesticis, vel ad deuotionem etsi deceptoriè tendentibus. Oratio etiam dicitur *melijtza* à radice *malatz*, quæ primò sonat, *dulce fuit*. O verè edoctum de sursum Apostolum Paulum! qui vtrumque complexus, quod habet sacer textus *orationes longas* expressit, per *dulces sermones & benedictiones*. Et quod dixit Dominus *domos viduarum*, ipse causam aperiẽs expressit, dicens, *seducunt corda innocentium*. Chrysostomus super Matthæum; *sexus mulierum incautus est; quia non omnia, quæ videt aut audit, cum ratione considerat. Mollis etiam est, quia facilè flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Virilis sexus, & cautior, & durior est. Propterea simulatores sanctitatis circa mulieres maximè negotiantur; quia nec intelligere eorum simulationes possunt; & facilè ad eorum dilectionem inclinantur, religionis causa. Præcipuè tamen circa viduas; primò quidem, quia mulier non facilè decipitur habens consiliarium virum*; (hinc tu animaduerte quod ait Apostolus *seducunt corda innocentium*, ac si diceret viduarum) *deinde, quia non facilè de facultatibus suis aliquid dant, cum sint in potestate viri. Et quia auaritiam figmentum faciunt sanctitatis, & à Religione causam accipiunt nequitiæ*; ideo ait Dominus; *propter hoc amplius accipietis iudicium*. Et Lucæ 20. *accipient damnationem maiorem*: vbi ait *simulantes longam orationem*, quod expressit Apostolus dicens *& benedictiones*. Quare in eo quod apud Matthæum legimus pluraliter *longas orationes*, & sermonẽ cum viduis protractum familiariter, & deuotionis simulatæ studium apprimè intelligimus: in eo autem quod Lucas singulariter retulit *longam orationem*, preces intelligendæ sunt, quas vel simulatè prolixè fundunt, vel viduis dicendas accumulant & inculcant; vt inde sanctitatis opinionem lucrentur, & vtilia victus vestimenti ac pecuniæ retrahant. Dum autem sic fictè incedunt, & *per dulces sermones seducunt*; quid aliud ostendunt nisi hypocrisin secundæ beatitudinis; *beati mi-*

ti mites; nam mansuetudinem, & dulcedinem prætexunt. Sed illi *possidebunt terram viuentium*, psal. 141. *portio mea Domine sit in terra viuentium*, vt exponit Ambrosius, *ob stabilitatem hæreditatis perpetuæ*; isti terrenis inhiant quæ transeunt; 1. Cor. 7. *præterit figura Mundi huius*: & 1. Ioan. 2. *Mundus transit & concupiscentia eius*. In præfata autem
G p. 2. q. 18. 6. & q. 19. a. 7. 2. sententia, *propter hoc amplius accipietis iudicium*, grauis definitur quæstio; G quia scilicet actus habet speciem boni vel mali ex fine: nec voluntas dici potest bona, si sit intentio mala. Vnde etiam seruare mandatum Dei; dare eleemosynam, ad finem inanis gloriæ vel cupiditatis, propter temporalia consequenda, actus malus est ab intentione mala corruptus.

28. VERS. XV. *Væ vobis*; &c. *quia circuitis mare & aridam*.

Transit ad quartæ beatitudinis simulationem: illa enim est, *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur*. Quod quidem exponi potest de esurie & siti salutis proximorum: postquam enim quis peccata sua luxit, feruere incipit in alios;
H 2. Cor. 10. lect. 3. opusc. 19. c. 13. iuxta illud Apocalypsis vltimo; *qui audit, dicat veni*; H quia in tabernaculo Exodi 36. cortina trahebat cortinam. Sic Andreas Apostolus Ioann. 1. *adduxit Simonem ad Iesum*. Angelicus in opusc. quanto quis magis sanctus est, tanto zelum conuertendi magis habet. Act. 26. *opto apud Deum, & in modico & in magno, omnes qui audiunt, tales fieri, qualis & ego sum*: Christianos. Hippocrates in Aphorismis sect. 4. Aphorismo 19. *qui in medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt priusquam sitiant*. Hypocritæ isti non præsumuntur luxisse vt purgarentur, quia hypocritæ iam non essent; quapropter nec reuera sitiunt salutem animarum. Quamuis *circumeant mare & aridam*. Mirum est autem, cur Dominus hac phrasi vti voluerit: satis enim fuerat dixisse, *qui circuitis Orbem terrarum*; seu *mare & terras*; aut *qui circuitis Mundum vniuersum*: nam mare, & aridã peragrarunt sancti Apostoli; quibus tamen dixit, *euntes in Mundum vniuersum*, Marci vltimo. Nõ video sacros Interpretes, qui vim faciant; sed *eloquia Domini*, ps. 11. *eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum*. Si, vt innuimus, nec verã famem patiebantur, nec sitim de aliorũ salute; quia vt ait Chrysostomus, *qui seipsum mergit in gurgite peccatorum, quomodo alterum à peccatis velit eripere?* quomodo poterat id profundius significari, quã dicẽdo *circuitis mare*: sitim non habet, qui mare circumit, quia salsedo maris, vetat vel haustum sumi: ad fontes pergit qui sitit, & puteos fodit. Defectum etiam famis ostẽdit, qui aridam circumit: nam vbi arida terra est, nec fructus nec fruges germinant, aut maturescunt, quæ fami succurrant. Obliquo ergo alio fine, qui finis reuera non est, immo extra verum finem, quia *in circuitu impij ambulant*, psal. 11. & qui sic circumrotatur, ex motu circulari finem non figit, instar diaboli qui Iob 1. *circuiui*, inquit, *terram*. *Proselytum* nituntur *facere*; *væ illis*.

29. Pro rei notitia. Sciendum est *proselytum* vocem esse græcam à verbo *proselefsibo* quod est *aduenio*: vnde idem est *proselytus*, atque *aduena*. *Gher* hebraicè est *incola, peregrinus, aduena*; & *proselytus*: qui scilicet ex gentibus conuertitur ad hebraismum, à radice *gor* ex qua *commorari, habitare, domicilium, habitaculum, mansio*. Quamuis huiusmodi proselyti, quos hic aut illic faciebant, ad iudaicum inducendo ritum, non commorarentur fixè apud Iudæos, sed ascenderent aliquando vt adorarent in die
I Ioa. 12. l. 4. festo, quod dicitur Ioan. 12. & I ibi ex glossa quadam interlineari. Quamuis etiam aliqui proselyti
L Rom. 9. l. 5. L suis locis derelictis in Iudæam pergerent. Secundum Hilarium prænunciat Dominus peruersum Iudæorum studium, quo post Christi prædicationem Gentiles vel etiam Christianos ad iudaicum ritum trahendo, faciunt dupliciter gehennæ filios: M (ait Dominus, *facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos*) quia scilicet & peccata pristina, quæ commiserunt, in Iudaismo eis non dimittuntur; & nihilominus incurrunt iudaicæ perfidiæ ratum. Secundùm Hieronymum hoc refertur ad Iudæos etiam pro statu illo, in quo legalia obseruari licebat: ille enim gentilis antequam Iudæis accederet simpliciter errabat; videns autem magistrorum vitia, reuertebatur ad vomitum suum, & gentilis factus, quasi præuaricator, maiori pœna fit dignus. Hinc Gregorius 21. Moralium: (in Catena) *benè loquendo quidem, in fide vel conuersatione filios pariunt; sed eos malè viuendo, nutrire non possunt*. Et quia obduratis cordibus viuunt, ipsos etiam quos generant filios, nulla pietate debiti amoris agnoscunt. Quomodo peior fieret, aurea sententia exponit Chrysostomus in hom. dicens; *cùm enim virtuosus fuerit Magister, discipulus imitatur; cùm autem fuerit malus, superexcedit*. *Et sic proselytus malorum magistrorum prouocatus exemplo, fiebat peior magistris*. Non reprehenduntur ergo Iudæi N de hoc quòd soliciti erant faciendi proselytos, sed de hoc, quòd postquam eos conuerterunt, falsis doctrinis imbuebant; vel quia proselyti videntes eorum vitia, rursum ad gentilitatem reuertebantur. M 2. 2. 119. 9. 2. N opusc. 19. c. 13.

30. Difficilis nihilominus adhuc est comminationis & lamentationis huius intelligentia, nisi quid vltra addamus: tum quia de scandalo ex prauo exemplo, iam in primo *væ* dictum est; *nec introeuntes sinitis intrare*; tum quia, vt apostatarent ex irreligiosa Scribarum & Pharisæorum vita, non tam verosimile erat; tum deniq; quia si rursus ad gentilitatem ceu ad vomitum reuerterentur proselyti, sibimet potiùs erat imputandum, quàm Pharisæis & Scribis: cum semper essent probi in Iudaismo vt præsumitur, qui legis veritati attestarentur. Vnde quamuis, quod ait Seneca, *hæc sit summa malorum, quòd ad exemplum malorum viuitur*, non tamen propterea impellebantur proselyti ad Religionis, quam amplexati fuerant, repudium: non enim si Sacerdotes impij sunt, impium & Sacerdotium; nec quia iniqui sint mores, lex est iniqua; quæ immo mores iniquos damnat, & corrigi monet. Vnde etsi degeneri conuersatione viuerent Scribæ aliquot & Pharisæi, non item cultu. Quare si proselyti abalienati fuissent facti *duplo filij gehennæ*, non videbatur Scribis & Pharisæis imputanda relapsus causa; vt dicatur, *facitis illum filium gehennæ duplo quàm vos*. Igitur planior erit interpretatio; si recolamus, quod ait Diuus Petrus in 2. cap. 2. *meliùs erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illis traditum est, sancto mandato*: vbi glossa, *quia præter illa mala, quæ sicut priùs agunt, præuaricatores promissionis sunt*. In eodem etiam genere peccati, O plus peccat fidelis, quàm infidelis: secundum quod dicitur Iacobi 4. *scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*. Hinc puniendi magis sunt qui norunt; vnde ait Dominus hic *duplo quàm vos, facitis filium gehennæ*; & palam quoque Lucæ 12. *ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Reatum quippe maiorem contulit malitia, quàm ignorantia, Proselytus ergo iste *duplo fit filius gehennæ* Sed cum ait, *quàm vos*, intelligendum est, quàm vos essetis ante hunc euentum: nam dum faciunt perditis suis exemplis reum magis proselytum, inde maiori & ipsi pœna digni fiunt. Ex quo firmatur Angelica doctrina, P vt euentus sequens, qui debuit præcogitari malus, addat ad malitiam peccati. Manifestum est enim peiorem esse actum peccati, ex quo nata sunt plura mala sequi. Debuerant autem O 2. Petri 2. P p. 2. q. 20. a. 5.

Scribæ & Pharisæi præcogitare, scandalizandos fuisse ex eorum exemplo cæteros, præsertim proselytos.
Q p. 2. 77. 10. Aliàs etiam Q maiorum peccata grauiora sunt: quia facilius possunt resistere; puta qui excedunt in scientia & virtute: deinde propter ingratitudinem; quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium; cui homo fit ingratus peccando; & quantum adhoc, quælibet maioritas etiam in temporalibus bonis, peccatum aggrauat; secundum illud Sap. 6. *potentes potenter tormenta patientur*: deinde propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ; sicut si Princeps iustitiam violet, qui ponitur iustitiæ custos; & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vouit: quartò propter exemplum siue scandalum; quia vt Gregorius dicit; *in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus, peccator honoratur*; ad pluriumi enim notitiam
R 3. sent. d. 4. in exp. text. perueniunt peccata maiorum. Dicitur autem quis filius gehennæ R secundùm modum loquendi consuetum in Scripturis; vt illud quod magnam habet affinitatem ad alterum, filius eius dicatur: sicut Isaiæ 5. dicitur *in cornu filio olei*, idest in monte vbi abundat oleum: & 1. Reg. 26. dixit Dauid de Abner quòd *filius mortis* esset, quia mortem valde merebatur.

VERS. XVI. *Væ vobis duces cæci*, &c. vsque ad versum 23.

31. Hic eos non dicit Hypocritas. Nunquid sine ratione? absit. Sed occulta semper erit, nisi Deus mentem illustret. Animum etiam pulsat quæstio: quorsum interiecta sint hæc de iuramento; de quo supra c. 5. docuit satis: præcipuè quia seriei beatitudinum non videtur cohærentia esse. Et tamen si det Dominus, vt diuina ipsius verba vitæ introspiciamus, mirabimur increatam Sapientiam. Itaque ex ordine immo beatitudinum, intelligẽtiæ splendor coruscat. Quinta beatitudo: *beati misericordes*? Misericordiam autem du-
S 2. 2. 30. 2. plicem nouimus: Nam misericordia defectus S respicit. Cum autem defectum patiatur proximus corporalem & spiritualem circa vtrosque exercetur miseri-
T 2. 2. 32. 2. cordia, T seu mauis eleemosyna. *Misericordia est*, ex Augustino de Ciuit. Dei lib. 9. c. 5. *cum indigenti tribuitur*. Isti misericordia & eleemosyna spirituali, minimè quidem succurrere satagebant; quia vt dicitur Lucæ 16. cum audissent; *non potestis Deo seruire & mammonæ*: (*mammona*, vt ait Hieronymus, *sermone syriaco diuitiæ nuncupantur*) *audiebant omnia hæc Pharisæi qui erant auari, & deridebant eum*. Hanc simulatæ virtutem detrectabant; ideo quoad hoc abstinet Dominus ab hypocrisis verbo. Vide lector, quàm profundum sit Saluatoris eloquium! Porrò misericordia & eleemosyna sunt germina charitatis, vt
V 2. 2. q. 28. & q. 31. ex præludijs V Angelici docemur. Quomodo poterant in hos erumpere actus, qui destituti erant charitate? Patet, ex contextu; vnde & mira commercio refulget: filij enim gehennæ præhabiti sunt & ipsi. Inquit autem Gregorius, *sola charitas est, quæ distinguit filios Dei à filijs Diaboli*: & ecce paulo post improperari eis defectũ misericordiæ: *& reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem*. Propendebant ergo potius ad subleuandos homines spiritali opere charitatis: quamuis falso fallacique discursu: ex quo dicuntur etiam *stulti*: idq; studio placendi hominibus; & humanis passionibus: vnde *cæci* iteratò dicuntur: scimus autem, cùm passiones multum
X p. 2. 77. 2. intenduntur, nedum ligari, X sed & aliquando totaliter amitti vsum rationis. Quæ autem deplorabilior cæcitas? Opera misericordiæ corporalis, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, sepelire mortuum, in hoc versu continentur;
A 2. 2. 32. 2. A *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.
Quo commendantur eleemosynæ spirituales; ita tamẽ, quòd sub eodem intelligatur *consilium*, & *doctrina*. In doctrina dic ergo delinquentes coargui à Domino. Et quia post primũ decalogi præceptum, quod est, *vnum cole Deum*, secundum est de iuramentis, de hoc attexit sermonem: sed tu admonitos intellige de cæteris alijs; indeque omnis cessabit admiratio, quorsum, & cur potius hac de materia introducitur. Hieronymus sic textum elucidat. *Si quis in contentione seu in aliquo iurgio, vel in causæ ambiguo iurasset in templo*: (per templum; B & sic *in altari*; scilicet per altare) *& postea conuictus esset mendacij; non tenebatur criminis reus*; (*nihil est*, legit textus) *si autem iurasset in auro & pecunia, quæ in templo Sacerdotibus offerebatur, statim id in quo iurabat tenebatur exoluere*. (textus; *qui autem iurauerit in auro Templi, debet*.) Sic dicebant; *quicunque iurauerit in altari, nihil est. Quicunq; autem iurauerit in dono, quod est super altare, debet*. Quò Hieronymus: *si quis iurasset in altari, periurij reum nemo retinebat; si autem iurasset in dono, vel in oblationibus; hoc est, in hostia, vel in victimis, in simila, & cæteris, quæ offeruntur Deo super altare; hoc studiosissimè repetebant*. Chrysostomus; *Templum quidem ad gloriam Dei pertinet, & ad hominum spiritualem salutem: aurum autem Templi, etsi ad gloriam Dei pertineat; tamen magis ad delectationem hominum, & ad vtilitatem Sacerdotum offertur. Pharisæi ergo aurum, quo ipsi delectabantur, & dona quibus ipsi pascebantur, sanctiora dicebant esse, quam ipsum Templum; vt homines promptiores facerent ad offerenda dona, quam ad preces fundendas in Templo*. Verum quoniã Dominus nihil de eorum auaritia, ac inexplebili ingluuie tangit; sed solummodo errorem elidit; mihi arridet, intendisse Pharisæos & Scribas conscientias populi exonerare; ne reum in quouis iuramento etiam falso facerent: præsertim, quia videbatur impossibile (hoc considerat Angelicus C) aliud templum ab eo extrui: & sic de altari, ipse dixerim: propterea quasi indulgentes Summistæ, vbi executio impossibilis erat, pro nihilo iurasse reputabant. Certè non nisi propriæ vtilitati vacantes: quę vbi periclitaretur, erat in causa, vt nullo studio niterentur, eos qui iurassent eximere: vbi verò nihil eis deperibat, & alias beneuolentiam iurantium captare possent, erroneas etiam opiniones proferre non verebantur. Sic, vt aiebã, & à fortiori de alijs, in quibus laxiora responderent, necesse est. Dominus eos quasi ad hominem euincit erroris: quia quidquid auro, aut dono deferunt, multò magis & Templo & altari debent referre: dic tu, iuxta analyticam regulam: *propter quod, vnumquodque tale, & illud magis. Templum sanctificat aurum: Altare sanctificat donum*.

B D.Th. hic.

C D.Th. hic.

32. Quomodo autem meritò dixerit eos *stultos & cæcos*, sic accipe. Nomen stultitiæ à stupore videtur esse
D 2. 2. 46. 1. sumptum. Vnde dicit Isidorus; D stultus est, qui propter stuporem non mouetur. Stultitia ergo importat hebetudinem cordis & obtusionem sensuum. Hebes
E 2. 2. 15. 2. E acuto opponitur. Acutum autem dicitur aliquid ex hoc quod est penetratiuum: vnde & hebes dicitur aliquid ex hoc quod est obtusum, penetrare non valens. Ille ergo dicitur esse acuti sensus circa intelligẽtiam, qui statim ad apprehensionem proprietatis rei, vel etiam effectus, naturam rei comprehendit: ille autem dicitur hebes circa intelligentiam; qui ad cognoscendam veritatem rei pertingere non potest, nisi per multa ei exposita. Satis ex D. Thoma. Ex quibus clarè liquet, quomodo fuerint hebetes siue stulti, non penetrantes de effectu ad causam: quam dignatur eis Dominus ostendere; quia templum sanctificat aurũ; & altare sanctificat donum. Cæcitas ex eodem Angelico importat omnimodam priuationem. Hæc, aio ipse, mox emergit atq; semel prolatum est iudicium: *ita*, vel *ita est*. Quærit Angelicus nũ, *Synteresis in aliquo extinguatur*. F Et secundum quia concedit; quando- F de veritate q. 16. a. 3.
cumq; peccatur in eligendo; vis enim concupiscentiæ

vel

vel alteriùs passionis ita rationem absorbet, vt in eligendo, Synteresis vniuersale iudicium ad particularem actum non applicet. Glossa ad illud psalmi *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt*; inquit, *corrupti; omni lumine rationis priuati*: dicere possumus
G ibi ad 1. *cæcos*: exponit autem Angelicus G ibi: quantùm ad actum electionis, in qua ratio errat, propter hoc quod absorbetur ab aliqua passione, vel deprimitur ab aliquo habitu, vt lumen Synteresis non sequatur in intelligendo. O ergo altitudo eloquiorum Domini; primò vbi de materia hac agitur dicit eos *stultos & cæcos*; deinde postquam errorem illorum exposuit in ferendo morali iudicio; iam corruptos, iam omnimodæ priuationi cognitionis subiectos, *cæcos* solummodo dicit; quia cœpit quidem hebetudo seu stultitia, sed in cæcitatem transijt, absque Synteresis
H ibi art. 2. contradictione; cuius officium vt docemur H est remurmurare malo. Siue, vt scribunt Lexica, aduersari vitijs: nam *synteresis* est *attentio* seu *conseruatio*. Quoniam autem defecerant obtusi in penetrando vsque ad intima, vsque ad vltima, dignatur Dominus, vsque ad postremam analysin quæstionem deducere; quia scilicet, *qui iurat in Templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso*: & vlteriùs quia Templum Dei est exemplatum à Cœlo in quo Dei thronus est; ideo subiungit; *& qui iurat in Cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum*. Non plus vltra.

VERS. XXIII. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham*, &c.

33. Chrysostomus; *qui accipit decimas dicitur decimare; & qui dat*. Propterea non renuit etiam sic interpretari, vt Scribæ & Pharisæi minimarum rerum decimas offerrent, ostendendæ Religionis gratia: cum interim maiora relinquerent. Cæterum, quia & ipsi fortè accipere has decimas minimorum intelliguntur, libet magis huic sensui hærere; eo quòd cohæret magis contextui; vt scilicet defectum misericordiæ in eis notemus in praxi, sicuti paulo ante exponere exorsi sumus: & quidem ex aduerso ad quintam beatitudinem, quæ est beati misericordes, isti immisericordes erant. *Decima* inquit Chrysostomus in sequentibus, *eleemosyna quædam est*. Non ergo dare sed sibi dari arctabant. *Si quis* enim ex Chrysostomo, *decimas alicuius rei minimæ non obtulisset, corripiebant eum, quasi magnum crimen fecisset. Vilium etiam olerum decimas exigentes*, inquit Hieronymus. Anxiè igitur nimis his insudasse deprehenduntur: & ideo Dominus moderatissimè de his præcipit dicens, *oportuit & illa non omittere*: quod sonat cauendum neglectum exigendi & de his minimis; sed non sic ardenter & studiosè, vt potius decimare per se ipsos, quasi vim inferendo, quàm decimas recipere putarentur: *decimatis*, ait. Sic, vt notat Hilarius, *beneuolentiæ officium prætéribant*: quod quidem affine est prætéritioni misericordiæ, vt astruimus. Hisce autem detenti relinquebant maiora: *iudicium & misericordiam & fidem*. Diuus Hieronymus; *iudicium in disceptatione negotiorum*. Sed quid prohibet, vt iudicium intelligamus de moralibus, in quo eos dixerat *stultos & cæcos*? Accinit autem & de *misericordia in pauperes* ex eodem, & de *fide in Deum*. Iacobi 2. *ostendam tibi ex operibus fidem meam*: præmiserat autem de operibus misericordiæ: de qua & Dominus supra cap. 9. *misericordiam volo, & non sacrificium*. *Cyminum* hebraicè *Chammon*: quo, inquiunt, vtuntur homines pro condimento, semen notum est. Ad condimentum, hæc mentham, anethum, & cyminum dixit
I D. Th. hic. Origenes apud Angelicum I pertinuisse.

34. Sed operæ-pretium est adeamus Sanctum Doctorem *in Summa*, vbi quærit, *vtrum de omnibus teneantur homines decimas dare*. Obijcit autem sic
L Leuitici vltimo, non mandatur solui decima, nisi de frugibus & pomis arborum, & animalibus, quæ L 2.2.77. a. 3.
transeunt sub virga Pastoris; &c. Respondet. Ea quæ ordinantur in finem, sunt iudicanda secundùm quòd competit fini. Decimarum autem solutio est debita, non propter se, sed propter ministros; quorum honestati non conuenit, vt etiam quod minimum est exactâ diligentia requirant. Hoc enim in vitium computatur, vt patet per Philosophum in 4. Ethicorum. Et ideo lex vetus non determinauit, vt de huiusmodi minutis rebus decimæ dentur. Sed reliquit hoc arbitrio dare volentium; quia minima quasi nihil computantur. Vnde Pharisæi quasi perfectam legis iustitiam sibi adscribentes, etiam de his minutis decimas soluebant. Nec tamen de hoc reprehenduntur à Domino; sed solùm de hoc, quòd maiora, scilicet spiritualia præcepta contemnebant. Magis autem de hoc, secundùm se commendabiles esse ostendit, dicens, *hæc oportuit facere*, scilicet tempore legis, vt Chrysostomus exponit. Quod etiam videtur magis in quandam decentiam sonare, quàm in obligationem. Vnde & nunc de huiusmodi minutis rebus, non tenentur homines decimas dare. Hactenus ipse. Vbi, vt intuenti patet ly *oportuit* refert ad hanc decimationem; & *illa non omittere* subinde ad *iudicium, misericordiam*, & ad *fidem*. Origenes autem è contra, vt supra dictum est, intelligit. Præterea sequitur Sanctus Thomas hîc opinionem, vt decimam ipsi Scribæ & Pharisæi darent. Quòd si exigebant: vide quàm alieni erant à proximorum misericordia, quando eos sic angariabant.

VERS. XXIV. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes*.

Minima rectè culici comparantur, qui vt notat 35.
Gregorius *susurrando vulnerat*; adde, huc illuc volitat. Quòd certe scrupulosi molestè patiuntur, de minimis quandoque quàque versum pulsantibus turbati, non secus ac corpora torqueat id genus animaliusculi mordicans. De his ergo hypocritæ solicitantur; quasi paueant, ne aliquo in minimo lateat quidquam labeculæ. Idcirco ait *excolantes culicem*: ac si diceret; accurati affectatè nimis, leuia expendentes. Propterea dicitur *excolantes culicem*. Hebraicum verbum *zichec* sonat *conflauit, purgauit, distillauit, sublimauit, defæcauit*. Ridiculus certè labor, quando à grauioribus examinandis ac peragendis mentem auertat: quemadmodum ipsi faciebant, *camelum glutientes*. Ponit ergo similitudinem, M quòd magnam curam ponant in minimis M D.Th. hic.
& paruam in magnis. Quare autem selegerit exemplum de Camelo; cum ad exaggerandum magis fuisset Elephas, non video qui exquirat. De camelis benè aut Origenes, *esse animalia tortuosa*. Quare cùm apud primores linguæ *tortuosum* sit epitheton ingenij & disputationis: vnde dixit Tullius; *tortuosum ingenium*; & *tortuosum disputandi genus*; liceat accipere, vt per camelum, qui sic multis flexibus sui corporis tortuosus est, voluerit, ænigmate ad exercendam audientium humilitatem, significare, quæ maiora disputabilia erant ab eis conniueri. Et pro pleniori intelligentia recolendum est, ex Leuitici cap. 11. solicitum fuisse Dominum de animantibus, quæ ruminarent & finderent vngulas. Ruminatio significabat N meditationem scripturarum, & N p. 2. 102.6.1.
sanum intellectum earum: fissio vngulæ discretionem boni & mali. Et eodem sensu mystico O diuidere vngulam & ruminare, æquè habere mali & boni discretionem. Translatè etiam apud profanos *ruminare* est diligenter perpendere. Dum ergo dicuntur hi *camelum glutientes*; certè neque ruminant; neque findunt. Idcirco iteratò *cæci*: nam & ex Philosopho 1. Metaphysicorum visus est qui plures re- O Cant. 7.

rum differentias manifestat: quod vbi non discernuntur bona à malis, locum non habet. In eo autem quod addit *duces* deinde *cæci*, satis indicat in quo sit cæcitas, & vbi oberrent; nempe in doctrina, qua ducunt seu potius abducunt minores. Indicat etiam manifeste se mysticè de ore animæ ac de eius stomacho loqui, dum deglutiri ingens adeo animal perhibet. Magnum quippe Philosophis etiam maiorisque supra sensus omnes, amplitudinis obiectum est intellectus. At verò immiscetur falsum: discerni oportet, mala à bonis, vera à falsis; Ieremiæ 15. *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*. Hoc ipsum sub alia metaphora apud Apostolum ex Deuteronomio cap. 25. *non alligabis os boui trituranti*. Triturare est separare granum à paleis: quod facit prædicator abstrahendo animas à terrenis, discernendo P virtutes à vitijs; separando vtilia à vanis. Qui deglutit, hæc non curat. Cùm tamen grauia sint immo *grauiora*, vt ait Dominus. Quam grauitatem super animas oneriferum præsefert animal camelus: quandoquidem ad Galat. 6. *vnusquisque onus suum portabit*: onus scilicet reddendæ rationis; Q quod quilibet pro se *portabit*, siue sit onus premij siue pœnæ. Dic etiam *onus* Domini vtique ad præmium esse *leue*, vt supra cap. 11. Hunc textum dirigit Angelicus in detractores Religiosorum, R minima eorum peccata mordaciter arguentes, sua grauia non curantes: *camelum autem glutientes*.

P 1. Cor. 9.l.1.

Q Galat. 6.l.1.

R Opusc. 19.10.

VERS. XXV. *Væ vobis*, &c. *quia mundatis quod deforis est, calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapina & immunditia*.

36. Hoc est sextum *væ*, correspondens sextæ beatitudini, congeminauit enim duo præcedentia *væ* aduersus immisericordes, vt pari numero incederet cum beatitudinibus; quamuis tertiæ, beati qui lugent, hypocrisin eorum non coopposuerit. Sexta beatitudo: *beati mundo corde*: qui mundo est corde, non mundauit solummodo *quod deforis est*; neque est intus plenus *rapina & immunditia*. Transit ergo ad hypocrisim exterius. Benè Hilarius: *calicis vsus interior est: qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exterior? atque ideo interioris conscientiæ nitor est obtinendus*. Chrysostomus; *non autem hoc dixit de sensibili calice aut paropside, sed de intelligibilis qui si nunquam tetigerit aquam, mundus potest esse apud Deum: si autem peccauerit, & tota aqua pelagi, & fluminum se lauerit, sordidus est & miser ante Deum*. Ad literam ex Chrysostomo, *Iudæi quoties ingressuri erant in templum, aut sacrificia oblaturi, aut per dies festos, se ipsos & vestimenta sua & vtensilia lauabant; & à peccatis nemo se ipsum purgabat*. Marci 7. dixit item ei Dominus; *relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata vrceorum & calicum*: de quo ibi Diuus Marcus. Calix est vas ad potum, paropsis ad cibum. *Deus*, inquit Chrysostomus *neque corporis munditiam laudat, neque sordes condemnat. Pone tamen, quòd Deus odit & sordes corporum, & vasorum, quæ necesse est, vt ipso vsu sordidentur: quanto magis sordes conscientiæ horret?* Vtrumque tamen exprimere mihi videtur & calicem & paropsidem, ne literam fortè omnino dimittamus; ex qua tamen sapienter instruit de moribus. Mundabantur enim re ipsa templi vasa, sed immundum discooperit finem: quia ipsi metaphoricè facti calices & paropsides, pleni essent rapina & immunditia. Igitur corrigit eos, quòd ad captandum quæstum hæc fierent. Hanc auaram ingluuiem carpit Dominus Malachiæ 1. dicens *quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Hisce quippe exterioribus curis, studuerant Dei cultores videri, chariores que fieri populo; vt inde oblationes ac eleemosynas, quasi ob oculos, quod est *rapina*, extorquerent. *Intus autem pleni estis rapina*. Quoniam verò qui passione auaritiæ ducitur, facilè in fornis extimulantem carnis concupiscentiam prolabitur, occasione eadem Scribas & Pharisæos notat immunditiæ. Sed sobriè vel nutu; quia huiusmodi turpia nec nominari fas est. In paropside vase escario, dic innuisse auaritiam & rapinam; sub hac cibi metaphora in Scripturis; Ecclesiastici 13. *venatio leonis onager in eremo: sic & pascua diuitum sunt pauperes*. Iob 20. *diuitias quas deuorauit euomet; & de ventre illius extrahet eas Deus. Confringens nudauit pauperes; domum rapuit, & non ædificauit eam, nec est satiatus venter eius*. Deinde; *cùm satiatus fuerit, arctabitur*. In calice subinde seu scypho immunditia intelligenda est: figura metonymia, continens pro contento. Hinc Apostolus Ephes. 5. postquam dixit *fornicatio autem, & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis*, adiecit; *& nolite inebriari vino in quo est luxuria*: nam vinum præcipuè, quod calefacit & mouet superfluè potum, S est causa luxuriæ: Prouerb. 20. *luxuriosa res vinum*. Hieronymus de Lot; *quem Sodoma non vicit, vina vicerunt*. Addè Prouerb. 23. vbi postquam dictum est; *fouea profunda meretrix, & puteus angustus aliena*; sequitur *cui væ?* &c. *nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Ideo & sub hac metaphora cap. 7. *veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus*.

S Ephes. 5.l.7.

VERS. XXVI. *Pharisæe cæce; munda priùs quòd intus est*; &c.

Prouerb. 4. *omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit*. Supra cap. 6. *si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*. In superficie literæ, non ideo quia intus mundus esset calix, sequitur esse mundum deforis: at spiritualiter ita est, aio ipse, quoad effectum affectatæ exterioris munditiæ, quæ ceu immunditia spiritualis, cor mundum non afficit. Si autem huic vacabatur, vt suppeterent a fidelibus necessaria; multo magis sine hac hypocrisi ministrabuntur; supra cap. 6. *quærite ergo primum* inquit *Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Erogabunt abundè Dei famulis pij fideles. Similitudo autem quadrat etiam hominibus; in quibus, *& intus, & foris* extare perspicuum est; 2. Corinth. 4. *sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem*. Pro vasis in lege T intelliguntur ministri. Act. 9. *vas electionis est mihi iste*. Et certè vasa tabernaculi aut templi sunt in ministerium. At est, quod non quæsitum quæramus; cur scilicet sermonem sic interlocutoriè dirigat ad Pharisæos, non verò similiter ad Scribas? & præterea quare ad Pharisæum singulariter loquatur, non ad Pharisæos? Denique cur iterum dicit cæcum; *cæce Pharisæe*: præsertim, quia mox iterum iunctim eos coarguit; *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*. 37.

T Hebr. 9.l.4.

Ad hæc mihi videtur dicendum; in primis meritò rursum obijci cæcitatem; quia hæc & luxuriæ & auaritiæ effectus est. Ita Gregorius apud Angelicum; V *cæcitas mentis oritur ex luxuria*: quid mirum si *pleni erant immunditia*? Venus quippe mentem tollit. Osee 4. *fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*, X idest sensum. De cupiditate & auaritia hoc ipsum patet: cupidi enim & auari A habent oculos velatos, solicitudine temporalium. Excæcatus est Tobias calidis stercoribus hirundinum: (Tobiæ 2.) sic ardens amor ad temporalia, quæ Apostolus arbitratus est stercora, oculos cordis excæcat. Augustinus in libr. Confess. loquens Deo; *spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*. Deinde reor, ideo ad Pharisæos conuertere sermonem, quia 38.

V 2. 2. 15.2.

X Opusc. 41. lib. 5. c.10.

A loc. cit. & 2. Petri 2.

quia isti præ Scribis, exterius apparere conabantur; tanquam à communi vita diuisi, propter suas obseruantias. Et plusquam Scribæ cultum simulabant: Lucæ 12. *attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis*. Denique singulariter arguit *Pharisæe cæce*, ad significandum concordem Pharisæorum consensum; quandoquidem in vna secta vniebantur; conspirantes haud dubiè facilè in vnum sub larua hypocritalis munditiæ, vt intus auaritia exsaturarentur: iuxta illud Ieremiæ 6. *à minore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student*: forteque mutuò dicentes; *sortem mitte nobiscum: marsupium vnum sit omnium nostrum*.

VERS. XXVII. *Væ vobis*, &c. *quia similes estis sepulchris dealbatis*; &c.

39. *Quæ* (sepulchra) *foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & spurcitia*; idest B putredine, vermibus & fœtore.

B opusc. 58. c. 17. *Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate*: hypocrisi, idest amore vanæ laudis; iniquitate, idest cupiditate temporalium, & odio veritatis. Sed est quod studiosè expendamus. Non enim frustra attexit Dominus hanc sepulchrorum similitudinem: vt nimirum horrorem hypocrisis adferat; sicut horremus videntes ossa mortuorum. Et ideo non dicit, quæ plena sunt cinere aut puluere; sed *ossibus*; quæ adhuc effigiem humani corporis præseferunt: ex quorū intuitu horror nos magis inuadit. Sanè per quodcumque mortale peccatum moritur spiritualiter anima; quia vt dicit Isidorus, *quod est anima corpori, hoc est animæ Deus*: Ioan. 1. cap. 3. *qui non diligit manet in morte*: Et Apocalypsis 3. *nomen habes quòd viuas, & mortuus es*. Vnde & Apostolus Hebræorum 6. & 9. opera extra charitatem facta dicit mortua; *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*; *sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*. Angelicus ad hæc; corpus peccatoris est sepulchrum; C quia anima per peccatum moritur. Proinde speciale aliquid venit considerandum, ex quo hypocritis adaptetur. De simulatione & hypocrisi exactè suo de more D Angelicus. Hypocrisis propriè grauis, quæque peccatum mortale est, duplex est: vel scilicet ratione finis, E qui repugnat charitati Dei vel proximi; puta cùm quis simulat sanctitatem, vt falsam doctrinam disseminet; vel, vt adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus; &c. vel iterum alio ex capite mortalis est, cùm quis intentione sua fertur ad vtrumque; vt scilicet non curet sanctitatem habere; & tamen sanctus apparere; sicut (inquit) consueuit accipi in Sacra Scriptura. Manifestum est autem esse peccatum mortale; quia nullus totaliter priuatur sanctitate, nisi per peccatum mortale. Considerandum est ergo ex doctrina quam tradit, hypocritam aliàs quidem posse esse in peccato mortali, & simulare deinde sanctitatem: & hic non adeo est hypocrita; sicut ille qui non curat sanctitatem: aliud est enim non esse sanctum, aliud non curare sanctitatem; qui enim non curat, fermè contemnit; & abijcit. Igitur propterea Dominus, non comparat soli cadaueri ipsos hypocritas; quandoquidem hoc est cuiuscumque peccantis per peccatum mori; sed comparat ossibus mortuorum & spurcitiæ omni: ac si diceret; nedum mortuus est hypocrita, qui sanctitatem deperditam non curat reassequi; sed in illo resoluta est spiritalis compago animæ in ossa & spurcitias: ideo quasi complacens in non esse gratiæ, ad vlteriorem tendit corruptionem, quæ immo transitus est de esse ad non esse. Sic postquam per peccatum transijt de viuente in mortuum; transit de mortuo in putridum, de putrido in spurcitias; nec ossa ipsa sunt cohærentia. Nam veluti conglomerata ea sunt, confusa congerie in sepulchris. Et hoc est quod ait, *plena ossibus*, sine vllo prorsus nexu aut ordine coacervatis. Claret autem de perfecta hoc hypocrisi virtutem omnem obliterante loqui; quia similitudinem applicans inquit, *sic & vos intus pleni estis hypocrisi*; quousque enim quis eò non peruenit, vt sanctitatem non curet, vel contemnat, potest quidem esse hypocrita, & simulator ad malum finem; cæterùm non *plenus est hypocrisi*; quoniam hoc improbitatis ei deest. In hoc etiam quod adiecit, *similes estis sepulchris dealbatis*; hoc ipsum profundè tangit: satis enim visum fuerat dixisse, *similes estis sepulchris*, sed ad significandam hypocrisin omnem maiorem: quæ studium omne virtutis & sanctitatis abiecerit, extimam solùm apparere in eis superficiem sanctitatis declarat: profundè nec semen virtutis habere dealbatos duntaxat exteriùs. De his dic, loqui glossam quæ ad illud psal. 48. *& postea in ore suo complacebunt*, ait; *priores sunt simulantes, quàm apertè mali*. Et iam ibi præmittit Psaltes sermonem de sepulchris; *& sepulchra eorum, domus illorum in æternum*. Quid post hæc subijciendum expectabas nisi *& iniquitate*? qui plenus est hypocrisi valedicto sanctitati & virtutibus; exteriori plausu, quem simulando rapit contentus, omni destituitur, quo muniatur præsidio. Sanctus Beda lib. 4. in Lucam cap. 52. *simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum synceritate & veritate fraudabit*. Quidni vitiorum satellitium turmatim irruat? Dixit hic Dominus de ossibus mortuorum similitudinem: & deinde *pleni estis hypocrisi & iniquitate*: vide lector & obstupesce: Iob 20. vbi de hypocrita multa dicta sunt; sequitur: *& ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ suæ: & cum eò in puluere dormient*. An non ergo debuit Dominus hanc recolere paritatem?

Sed cur ipsam distulerit, operosius quærendum est. Cur enim non ab initio, cùm in eiusmodi hypocritas iustè inuehitur? Dicam breui. Percurrit Dominus hoc in loco quadruplex hypocrisis genus, etsi non vniuocè dictum. Primò itaque hypocritæ increpantur, *væ vobis qui clauditis regnum Cælorum*; non quòd sanctitatem finxerint, quando immo erant in scandalum: sed quia status illorum & conditio hypocrisin redolebat: non enim prout decuerat separatos in obseruantijs, doctosque in lege, vitam ducebant. Statuæ potius dicendi erant Scribarum & Pharisæorum. Vnde eis dici poterat singillatim; *aut muta nomen, aut mores*: non enim conueniens erat, addictos sapientiæ, & à vulgi more seiunctos, *comedere viduarum domos*. Deinde hypocritales carpit actiones: cuiusmodi sunt proselytos facere minùs integra mente, minimorumque olerum promouere decimas; nulla in eos, qui hæc etiam exigua soluerent, affecti commiseratione. Post hypocrisin status & actionum, quæ ingenuæ non erant, etsi apparerent; transit tertium ad genus, quale est simulare calicis paropsidisque munditiam exteriorem. Hæc est hypocrisis pessima; idcirco duplicato *væ* arguitur, dealbatique sepulchri exemplo vituperatur. Supererat de verborum hypocrisi tangeretur; & ecce 40.

VERS. XXIX. *Væ vobis*, &c. *Qui dicitis si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non fuissemus socij eorum in sanguine Prophetarum*.

Iam octauo minatur *væ*: qui numerus ad memoriam reuocet beatitudines; quibus tanquam complexui cuidam felicitatis, reddat antithesin cumulata comminationum miseria. Quæ attinent è contrario ad quintam beatitudinem, *beati misericordes* duplicato væ exposuit; similiter, & sextæ *beati mundo corde* respondit duplici væ, vt nuper vidimus: quoad emundationem calicis & paropsidis; & de sepulchris: reliquum erat, vt compleret octonarium *væ* è regio- 41.

ne

ne ad septimam beatitudinem; quæ est *beati pacifici*; quoniam filij Dei vocabuntur: nam quoad octauã, *beati qui persecutionem patiuntur*: ipsi futuri erant persecutores; nec poterant in hoc ceu hypocritæ repræsentari, qui furore diabolico tot erant Ecclesiæ mala illaturi. En ergo filios pacificos, ironicè loquor, qui columbas se se faciunt vomito felle. *Non fuissemus socij eorum in sanguine Prophetarum.* Dominus, qui corda nouerat; quique toties perhibetur vidisse cogitationes, qui, vt ait Ioannes cap. 2. *nouerat omnes, sciebatque quid esset in homine*, simulationem huiusmodi haud vult dissimulare. Simulatio F est mendacium. Nimis iniurij euaserant Deo veritatis: ideo acriter mendaces detegit. Deprehensi autem perterriti sunt, nec merito increpati mutire audent. Quippe qui filios se se dixerant, in quo similitudo emergit, Patrum suorum, qui scilicet *Prophetas occiderunt*: quod eis improperat.

F 2. 2. 111. 1.

VERS. XXXII. *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.*

42. Apostolus 1. Thessal. cap. 2. de Iudæis loquens ait; *vt impleant peccata sua semper*. Omnium profectò, quæ fiunt siue bona siue mala, G est quædam certa mensura; quia nihil est infinitum. Et omnium istorum mensura est in præscientia: bonorum quidem in præparatione; malorum verò in permissione; quia si aliqui sunt mali, non tamen quantum volunt, sed quantum Deus permittit. Et ideo tandiu viuunt, quandiu perueniant ad hoc quod Deus permittit. Deus quippe dedit Iudæis post passionem Christi spatium pœnitentiæ per quadraginta annos, nec conuersi sunt; sed addebant peccata peccatis. Et ideo Deus non plus permisit, quia iam deuenerant ad cumulum. Hoc autem quod ait *implete*, valet ac *implebitis*; non enim H est imperantis, sed nunciantis. Et potest etiam esse permissum: idest, non impediemini per me. Aliquando voluistis, sed non permisi: de cætero non impediam. Dicit autem *mensuram Patrum* I propter imitationem paternæ malitiæ. Subdit Chrysostomus hom. 45. in Matthæum; *quantum ad veritatem excesserunt mensuram Patrum suorum: illi enim occiderunt homines, isti Deum crucifixerunt*. Sed Dominus non improperat eis L peccatum suum, sed solùm suorum: quia boni Pastoris est, vt iniuriam suorum reputet suam.

G 1. Thes. 2. l. 2. & hic.

H D. Th. hic.

I p. 2. 87. 8. 1. & in ps. 48. in calce.

L D. Th. hic.

VERS. XXXIII. *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?*

VERS. XXXIV. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes* &c.

43. Contextus huiusmodi difficiles valde sunt, si attentè examinentur, cum ijs quæ sequuntur. In primis, quia non videntur deberi duræ adeo increpationes, nisi duris & contumacibus, qui priscorum delicta probassent. Quod non item constat: siquidem immo Prophetarum obsequebantur innocentiæ & meritis; cum paulo ante dictum sit, *ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum*: quæ absque illorum veneratione fecisse, vix suaderi queat. Quod si ita sit, cur serpentes dicuntur, seu deceptores? nam serpens ab initio deceptor deprehensus est: *serpens*, Genesis 3. *decepit me*. Et esto non ex corde hæc egerint; adhuc genimina viperarum vocari, conqueri possent; cum consensisse suis Patribus diffiteantur. Aliàs Patres eorum suis facinoribus posteros non potuerunt inficere; eo quòd soli Adæ protoparenti id conceditur, vt eo peccante, peccarit humanum genus in illo, ceu in omnium Patre; cuius voluntas, vi originis tanquam truncus aut stipes ramos omnes infecit, qui in eo præfuerint: vt illud verissimè dicatur Rom. 3. *omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei*; & rursus c. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit; & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*.

VERS. XXXV. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est à sanguine Abel*; &c.

Non minus pulsat animum definitiua hæc. Cur enim præcedentium ab initio scelerum luant pœnas, si comparticipes scelerum non fuere? Nunquid partes tutabantur Cain fratricidæ? Nunquid ratum habuerunt tantum crimen? nam *ratihabitio*, vt inquit Iurisperitus, *retrò trahitur, & mandato non est dubium comparari*: sed tamen ratihabitio, non nisi ratum habentis nomine, patrata per alios exsuscitat. Facinus autem Cain, & sic aliorum iustorum neces, nec iussæ nec prælaudatæ à posteris præsumuntur. Quæ ergo sit horum solida intelligentia insudandum est. Angelicus M ad hæc instat: punitur ne vnus pro alio? Ezechielis 18. *filius non portabit iniquitatem Patris*; &c. quomodo ergo *super generationem istam venient hæc omnia*? vt mox dicitur. Nonnihil dicit ex Hieronymo. Sed Chrysostomus aureus, & acutissimus rem ponderans plura eloquitur. Tandem nihilominus claudit: *verè autem, non pro illis, sed pro se condemnati sunt*. Quod quidem adhuc non sinit quiescere; quia Dominus significanter ait; *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram; à sanguine Abel iusti*, &c. Augetur autem difficultas; quoniam etsi definitum sit; N pœna temporali & corporali, puniri à Deo quandoque Patres in filijs; in quantum filij sunt quædam res parentum, & successores prædecessorum: tamen ideo dictum est, *in tertiam & quintam generationem*; (Exodi 20.) quia tantum consueuerunt homines viuere, & sic parentes videre possunt pœnas filiorum ad dolendum; vt ibidem O considerat. Quomodo ergo hic ex glossa, & verè, pro generatione, *super generationem istam*, intelligitur omnis horum generatio & præsens & futura? Prisci illi Patres iudæorum, qui occiderunt Prophetas, non ob oculos habuerunt viuentium vltionem. Sed dices; sic successione quadam euenisse de quarta in quartam. Non renuo, nec improbo. Verum ex his, ad summum, vbi filij parentum peccata imitati sint, locum habet vltio: sed quòd accumulentur priscorum omnium demerita, *vt veniat super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est, ab Abel*, &c. adhuc non claret. 44.

M D. Th. hic.

N p. 2. 87. 8. & 1. 2. 108. 2. 4.

O p. 2. 87. 8. 1.

Sciendum est igitur quoad contextus præmissos 33. & 34. absq; fictione in ædificandis sepulchris Prophetarum; &c. absque etiam approbatione necis illorum, (quam fortè iudaica progenies inordinatè protoparentes suos amans, non improbauit) meritò dictos fuisse serpentes, & progenies viperarum; quia aliud est vniuersale Synteresis iudicium; aliud est, iudicium particulare. Vt enim optimè docet, P in particulari operabili, extinguitur iudicium huiusmodi, quandocumque peccatur in eligendo: vis enim concupiscentiæ vel alterius passionis ita rationem absorbet, vt in eligendo, Synteresis vniuersale iudicium ad particularem actum non applicet. Sic de hæreticis disserens ait; in vniuersali iudicium Synteresis in eis manet: iudicant enim malum esse, non credere his, quæ à Deo dicuntur; in hoc autem errant secundum superiorem rationem, quia non credunt hoc esse à Deo dictum. Ex hac Angelici doctrina iam innotescit, quomodo etsi non probarent Iudæi viuentes occisionem iustorum & Prophetarum à suis maioribus factam; nihilominus *serpentes*: verè dicendi essent, & *genimina viperarum*; *serpentes* quidem, quia se ipsos, seu sui ipsorum vniuersale iudicium, scilicet non esse amicos Dei necandos, callide protexerunt, & passionum mendacijs particulare corruperunt; sed & *genimina viperarum*, quia paternæ venenatæ malitiæ hæredes fuerunt: eadem enim 45.

P de veritate q. 16. a. 3. in corp. & ad 2.

enim in persecutione iustorum incessere via; arbitrati damnabili cæcitate, quod iniquissimum erat
iuste fieri: secundum quod ait Dominus Ioan. 16.
*venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur
obsequium se præstare Deo: Et hæc facient vobis,
quia non nouerunt Patrem neque me.* Vnde præsumi
debet eandem priscorum & præsentium Iudæorum,
mysteriorum Dei culpandam ignorantiam fuisse;
quæ quia serpit de cordibus in corda ceu lethiferum
animarum venenum, coegit Dominum increpare
hos vt *serpentes, & genimina viperarum*, Noxijssimum quippe est viperinum venenum, & infectiuum,
peccatique furentis imago. Vnde August. in lib. meditationum: *oro te, vt infundas, quod reiecta vipperea contagionis bile, reintegret me.* Quali autem
veneno spumauerint in Christum & à se missos, exprimit primæ ad Thessalonicenses Apostolus; dicens;
*eadem passi estis & vos à contribulibus vestris; sicut
& à Iudæis; qui & Dominum occiderunt Iesum &
Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent: & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui, vt salui fiant: vt impleant
peccata sua semper, peruenit enim ira Dei super illos, vsque in finem.* Vbi certè mirabiliter colligit;
quæ hic in Matthæo sequuntur.

45. Quoad textum 35. quem supra expendimus dicendum est, reatum omnem priscorum, ipsius etiam
Cain contraxisse; ideo ait, *vt veniat super vos omnis
sanguis iustus qui effusus est ab Abel* &c. Sed hoc
alia de causa, quæ non latuit Chrysostomum sic
aientem: *quid enim peius potest fieri, quàm filium
cum misericordia & humilitate venientem non suscipere, & tali morte interficere? Omnium peccata
impiorum, tantum malum,* (in iustam scilicet vltionem) *mereri non potuerunt.* Ex quo videtur sic
verbum Domini interpretari: ac si diceret; scelus vestrum, omnia præcedentium scelera qui iustos occiderunt, coæquat nedum sed superat. Vnde *veniet
super vos omnis sanguis*, &c. Planè ita est, Iudæo-
Q 3. P. 47. 6. rum crucifigentium Christum Q peccatum fuisse
grauissimum; tum ex genere peccati, tum ex malitia
voluntatis. Sed quoniam non solum excessit Iudæorum facinus, culpas eorum qui iustos & Prophetas
occiderunt, sed omnia Mundi peccata, vt manifestum est: dum Dominus exaggerat ab Abel quoad
sanguinem & sic deinceps, arctatque sermonem ad
sanguinis effusionem, eamque iustorum, speciatim
Prophetarum, proculdubio aliquid vltra, ex quo
sublimetur sententia vult indicare. Quare exploranda est cohærentia reatuum præcedentium ad reatum
Iudæorum, qui petierunt tam perfidè Dominum per
Pilatum occidi. Abel itaque primo in loco memoratur iustus, quem fuisse typum Christi sic accipimus. Apocalypsis enim 13. dicitur *agnus qui occisus est ab origine Mundi.* Agnus specialiter dictus
R 1. Petri 1. est Christus ratione innocentiæ R & clementiæ; 1.
Petri 1. *pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Et
Isaiæ 53. *sicut agnus coram tondente se*; &c. Bapti-
S Hebr. 9.1.5. & c. 12.1.4. sta etiam Ioannis 1. *ecce agnus Dei.* Occisus autem
idest S præuisus & præfiguratus occidi ab origine
Mundi; sicut in occisione Abel. Hinc Hebr. 12. *sanguinis aspersionem meliùs loquentem, quàm Abel.*
Deinde, & Sancti Prophetæ, de quibus Apostolus
Roman. 11. *lapidati sunt, secti sunt*, inducuntur,
sicut Ieremias & Isaias. Ex ore Eliæ apud Apostolum
Roman. 11. audiuimus; *Domine Prophetas tuos occiderunt.* Et ab ore Stephani Act. 7. *quam Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos* (ecce quomodo explanat famam delicti, ex
qua illorum occisio Dominicæ morti prælusit) *qui
prænunciabant de aduentu iusti; cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis*, Iustus per excellentiam
Christus; Isaiæ 51. *prope est iustus meus, à sanguine
Abel iusti cœpit occidi.* Et sic occisus T in suis: iu- T Apoc. 13.
xta illud Act. 9. *Saule Saule, quid me persequeris?*
Dic ergo sicut omnis iustorum occisio culpabilior
fuit, quia in Christi membris rabiem exercuerunt; ita
incomparabiliter grauior extitit Christi crucifixio;
& ideo *omnis sanguis*; idest pœna omnis ob effusum
sanguinem iustorum, *veniet super vos*: qui me,
quod tacitè innuit, etiam in membris meis *occidetis,
& crucifigetis: & ex eis flagellabitis*, prout dixerat:
quod re ipsa impletum est in Sanctis Apostolis, occiso Iacobo ab initio, crucifixo deinde Petro: cæsis
cæteris Actorum 5. Quamuis autem quoad prædicendum ea quæ erant Christi, *omnes Prophetæ &
lex vsque ad Ioannem prophetauerint*, vt ipsemet ait
supra cap. 11. tamen quoad confirmandam fidem
& corrigendos mores V adhuc verissimè dicit; *Ec- V Matthæi 11.
ce ego mitto ad vos Prophetas*; iuxta illud Prouerb.
29. *cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.* Ieremiæ autem 23. dicit Deus; *non mittebam Prophetas; & ipsi currebant.* Quare cùm solius Dei sit Prophetas mittere; *fuit homo missus à Deo*: quis ipse sit
se ostendit piè credentibus; dum inquit; *ecce ego mitto ad vos Prophetas*, &c. signanter præmisso pronomine *ego*, quod fert pondus auctoritatis diuinæ.

Difficultas remanet de Zacharia supra memorato 47.
quisnam fuerit: *vsque ad sanguinem*, inquit, *Zachariæ.* In quo digladiantur interpretationes. Hieronymus, postquam dixit: *occisus Paulus, crucifixus Petrus, flagellati in actibus Apostolorum discipulis* (Act. 5. 16. & 22.) quia locus consentit, vult
esse Zachariam *qui occisus fuit à Ioas Rege Iuda* (2.
Paralip. 24.) *inter templum & altare*: & quamuis
ille dicatur filius *Ioiadæ*, non verò *Barachiæ* vt hic
dicitur, sentit in nominis significato esse conuenientiam; quia *Barachias* in lingua nostra est *benedictus
Domini*: & ita ad hoc significandum, quòd scilicet
Pater eius fuit iustus & benedictus à Domino, appellatus est *Barachias*, non propriò nomine *Ioiadas*:
fertque in Euangelio Nazarenorum extare *vsque ad
sanguinem Zachariæ filij Ioiadæ.* Sed parcat Sanctus Doctor, non adeò vrgens est congruentia, vt
ad innuendam hanc parentis probitatem, mutatum
sit illi nomen apud Matthæum de Ioiada in Barachiam: nec litera Nazarenorum canonica est: fortè
enim ausi sunt corrigere quod in Matthæo legebatur
Barachiæ. Cùm etiam tot ante sæculis occisus sit
ille Zacharias à Ioab, semper restat quærendum,
quænam fuerit fortis ratio, ex qua ibi Dominus sistere voluerit, dum iudaica colligit flagitia huiusmodi, inter duos terminos, ab Abel scilicet vsque ad
Zachariam. Quare Origenes, (allegat Angelicus
& Chrysostomum) hunc Zachariam Patrem Baptistæ Ioannis, traditione quadam arbitratur. Licèt
aliunde huius Sancti Zachariæ Patrem; quo nomine
vocaretur, ignoremus. Verum hoc non probat Hieronymus. Quamuis verosimilis valde sit traditio illa, qua scilicet dicitur, in Templo fuisse locum puellis virginibus destinatum: in quo cùm Beata Virgo
Mater Domini admissa fuisset, eam ignari mysterij
filij Dei, amouere loco voluerint; & quia constanter Zacharias obstitit tutatus eam Virginem, esse occisum. Cæterum planior est intelligentia, vt Zacharias iste sit vndecimus Prophetarum, expressè dictus
filius Barachiæ, vt in exordio Prophetiæ suæ claret;
quique famosus sanctè præsumitur vel ex eo quòd
Isaiæ 8. ad mysterium mysticè, ob significata nominum cum suo Parente commemoratur. *Adhibui mihi testes* inquit, *fideles, Vriam Sacerdotem.
& Zachariam filium Barachiæ.* Et quanquam non
assentiatur Hieronymus, quia *vbi occisus sit inter
Templum & Altare Scriptura non loquitur; maximè cum temporibus eius vix ruinæ Templi fuerunt*: attamen hoc argumentum non cogit. Nam

neque

neque aliorum Prophetarum afflictiones & neces in veteris Scripturæ libris canonicis huc vsque legimus. Vbi enim quæso Isaiæ Ieremiæ aut Danielis, aut alicuius ex duodecim minorum Prophetarum cruciatus & oppetitæ mortes singillatim narrantur? Nullibi profectò: nisi in Apocryphis Scripturis legantur. In quibus Isaiam ipsum inter cæteros, sectum fuisse scribitur: quod traditione etiam comprobatur: atque verisimile est Paulum de eo Hebræor. 11. intellexisse, vt Origenes & Theodoretus exponunt. *Secti sunt* &c. Qui libri Apocryphi multis mendacijs referti sunt, ab hebræis fortasse dedit opera insertis, vt nulla illis tanquam commentitijs fides firma adhiberetur. De quo Origenes, Epistola ad Iul. Africanum, dicens: *Quod quidem fortasse consultò per dolum factum est à Iudæis: quibusdā non decentibus Scripturæ iniectis dictionibus, vt toti fides abrogaretur.* Hæc apud eruditissimum Iulium Rugerium in opusculo de lib. Canonicis cap. 17. Ex qua animaduersione stat optime, vt hic Zacharias vndecimus Propheta, sicut & tot alij quos tangit hic Dominus, & Act. 7. Stephanus, fuerint, vel instigantibus Iudæis occisi. Quocirca tamen considero omnem librorum Sacræ Scripturæ antiquæ corruptionem, quæcumque fuerit, priuatim vtique irrepsisse, nunquam tamen solemniter de cathedra factam; quia Cathedra etiam Moysi formiter sancta fuit, nec diuina prouidentia siuisset, sic regulam fidei; nam *vna est fides nostra & antiquorum* ait Gregorius: & Apostolus, *habentes autem eundem spiritum fidei* 2. Cor. 4. perire ac violari: quæ etiam futura erat firmitas fidei nostræ. Quamuis benè potuerit circa Scripturas quasdam deinde Ecclesiæ probatas, esse pro tunc Cathedra vetus suspensa, adhuc non laudans in Canone, nec explodens.

48. Verùm, est quod solerti sed humili studio scrutemur; an lateat absconditum quidpiam in hac Zachariæ filij Barachiæ singulari commemoratione; neque enim sibi suadeat fidelis ab ore Christi veri Dei, verique hominis, qui *verba vitæ* habebat, vt contestatus est Petrus Ioannis 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, hunc sine mysterio fuisse pranominatum. Considero sanguinem tandem super incredulos Iudæos venisse, cum infra cap. 27. conclamauerunt; *sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Quod quidem propheticè vidit Psaltes dicens, psal. 93. *captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt*. Vbi animaduertas commendari Dominum, tanquam antonomasticè iustum: sicut & Pilati vxor; *nihil tibi, & iusto illi*: in præsenti autem textu exprimitur de sanguine iusto; vt veniat *super vos omnis sanguis iustus*. Quare iuuat, etiam de Christi sanguine accipi quod inuoluit sententia: præsertim quia, vt dictum est, Abel figura fuit Christi: & par est, transeat de figura ad figuratum. Igitur si confricare cum discipulis velimus spicas, inueniemus semetipsum significasse; ac si dixisset, *ab Abel vsque ad me*. Non enim perperam specifica fit adeo Zachariæ huius mentio; cuius fuerit filius, & vbi occisus. Peregrina est meditatio; ideo & præter communem sensum exponenda sunt nomina *Zachariæ & Barachiæ*. Passim inquiunt *Zacharias*; *memoria Domini*: *Barachias*; *benedictio Domini*. Ipse autem qui recogito sanguinem Saluatoris fusum in holocaustum & odorem suauissimum Deo; sicut Ephes. 5. *qui semetipsum tradidit oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*, velim à radice *zachar*, quæ sonat *meminit, recordatus est* deriuatiuum aliud attendere, cuiusmodi est *azcharah*, quod est, nedum *memoria* sed & *odorifera oblatio*: quæ quidem salutaris oblatio amanter extorquet amoris sui memoriam; sicut in canone: *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*: & cuius æternam memoriam in Sacramento reliquit; *passionis suæ memoriali perenni*, vt deuotè ait Angelicus; quodque est *memoria mirabilium suorum*, psalm. 110. Deinde quia in fine capitis lego, donec dicatis *benedictus, qui venit in nomine Domini*, suggeritur mihi, iustissimè hanc ab ipso exigi benedictionem. (Recole nostram benedictionem, nihil aliud esse ex Angelico, nisi recognitionem seu expressionem beneficiorum Dei) Et quare sic benedicendus? quia prius maledicebatur: 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis*; &c. *qui cùm malediceretur, non maledicebat; tradebat autem iudicanti se iniustè*. Cum etiam dixisset Pilatus; *innocens ego sum à sanguine iusti huius*. At impij maledicebant ei, instantes in sui perditionem, *crucifige eum*. Quod quidem genus mortis maledictioni ex lege tenebatur obnoxium; *quia scriptum est* (Galat. 3.) *maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Deuteronomij nempe 21. vbi & legitur *maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*. Quocirca quia fusè ibi dictum est, solummodo repetendum ducimus, ex glossa in antiquis Iudæorum voluminibus, non extitisse ly à Deo; X vnde creditur appositum à Iudæis in infamiam Christi. At nos libenti subscribimus animo; qualiter Christus pro nobis non tantum est maledictus, sed *factus est pro nobis maledictum*; vt ait Apostolus: Nam maledictum est quod dicitur malum: A & secundum duplex malum, potest dici duplex maledictum; scilicet maledictum culpæ, & maledictum pœnæ. Titulo culpæ, etsi in æstimatione Iudæorum, fuerit maledictus, visus subire illam pœnam; tamen 1. Petri 2. *peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*: & 2. Cor. 5. *eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum*. Titulo verò pœnæ planè à Deo dicitur maledictus; quia Deus ordinauit, hanc pœnam sustinere, vt nos liberaret. Iam reuertamur ad textum: *Barachiam* exponunt communiter, *benedictum Domini* à radice *barech*, quod est *benedixit*. Sed ò ingens mysterium? *berech* significat etiam *maledicere, & blasphemare*: infra cap. 27. *prætereuntes blasphemant eum*. An non ergo ipse est *Zacharias*, odorifera memorandaque oblatio? An non est *barachiæ filius*, sic maledictus? Vt ergo *veniat super vos omnis sanguis iustus. qui effusus est*: quanquam nondum effusus esset, sed effundendus: ponens pro futuro transactum ob certitudinem, *sciens omnia quæ ventura erant*, vt ait Ioannes, instar Prophetarum, quos ita locutos, passim obseruatum est. Consentit autem circunstatia loci, *inter templum & altare*; quam aliàs adiecisse non erat necesse; sicut nec vbi occisus fuit Abel recoluerat: quia nimirum, quàm scelestum grauique sacrilegium patraturi essent, voluit indicare, violata Creatoris sanctitate: quod satius nequiuit significari. Nam cùm medium de extremis participet; & sanctitatem Templi & sanctitatem Altaris conculcantes, innotuit enorme sacrilegium commisisse. Quod præ oculis semper habeas Petrus in Actis cap. 3. eis obiecit dicens; *vos autem Sanctum & Iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis*. Sed quoniam *Barachias* etiam benedictionem importat: & Iacob ipsius in figuram benedictionem promeruit Gen. 27. *benedixique ei, & erit benedictus*; præterea de Christo ait Apostolus Ephes. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo*: itemque ad Galatas 3. *Christus factus est pro nobis maledictum, vt nos redimeret de maledicto legis; vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu*: ideo, vt hoc agnoscant, eis edicitur; *non me videbitis, amodò donec dicatis; benedictus, qui venit in nomine Domini*: attento Isaac vaticinio vbi supra dixit; *qui maledi-*

X Gal. 3. 13.

A loc. cit.

ledixerit tibi, (Iacob) *sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Cuius quidem immemor non fuit Petrus, qui ibidem cap. 3. recoluit ex Genesis 12. quod dixit Abrahæ Deus; *& in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Nisi in hanc benedictionem consentiant, non sunt visuri Christum: neque enim vltra descensurus de Cœlo est; qui semel *visitauit & fecit redemptionem plebis suæ*: nam vt dicit Diuus Petrus in prima cap. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est; iustus pro iniustis* ecce de sanguine iusto mirè ad hunc textum; *vt veniat super vos omnis sanguis iustus*; &c.

VERS. XXXVI. *Amen dico vobis; venient hæc omnia super generationem istam.*

49. Ratihabitio retrotrahitur, & est quidam consensus. *Et digni sunt morte, non solùm qui mala faciunt; sed qui consentiunt facientibus*; Rom. 1. ideo sicut supra dictum est; *& ex illis occidetis & crucifigetis*, quamuis iussu Neronis martyrium subierint Petrus & Paulus; nihilominus, vel quia id Iudæis placuit, Iudæi & Petrum crucifixerunt & Paulum occiderunt: iuxta quod & Act. 12. Herodes qui Iacobum fratrem Domini, occiderat gladio, *videns quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum.* Pariter igitur & in Christi Domini necem consentiunt Iudæi viuentes; quia quod fecere Patres eorum, ratum habent & laudant; ideo non fuerit mirum, si amplè hic loquitur Dominus prophetiæ spiritu dicens; *venient hæc omnia super generationem istam*; quia vt ait Augustinus; *non minus peccant, qui Christum blasphemant, iam regnantem in Cœlis, quàm qui eum crucifixerunt adhuc mortalem in terris.* Aliàs Exodi 20. *Deus visitans est peccata Patrum in tertiam & quartam generationem*: sed quia sibi suisque pœnam accersierunt dicentes; *sanguis eius super nos, & super filios nostros*; idcirco absque vllo termino, comprobantes id imprecationis ipsorum posteri, iustè luunt pœnas. Vnde 1. ad Thess. 2. Apostolus; præmisso, *qui & Dominum occiderunt Iesum & Prophetas; & nos persecuti sunt, & Deo non placent*, &c. subdit, *peruenit ira Dei super illos, vsque in finem.* Neque credas B quòd hæc ira Dei sit per centum annos; sed *vsque in finem*; Mundi; quando *plenitudo Gentium intrauerit*; &c. Generatio sumitur, vt ait ad Ephesios pro ipsis genitis: licèt quandoque etiam designet tempora generationum; *& dominatio tua in omni generatione & generationem*; psal. 144.

B 1 Thes. 2. l. 2. Ephes. 3. l. 1.

VERS. XXXVII. *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas; & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos*; &c.

50. Desperatis veluti capitibus familiarum, ceu durioribus, ad omnem illorum Gentem conuertitur sermo; qui prius fuerat ad Scribas & Pharisæos, tanquam ad maiores directus. Lamentabiliter & dolenter loquitur Dominus; sicut aliàs *videns Ciuitatem fleuit super illam*, videns duriorem saxis. Videtur autem mihi dolere priùs de interiori motione neglecta vel contempta: vnde actus animæ tangit; *volui, & noluisti.* Ex quo fas sit asserere, quotidie pulsari ad cor eorum: sed ipsi obsurdescunt; nec memorant Psalmi monitum; *audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; qui stat *ad ostium & pulsat* Apocalypsis 3. Nihilominus & prædicatio exterior eis non defuturra tangitur; memoratis Prophetis, & qui ad illam *missi sunt.* Sed quod ait, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*; quandoquidem iam supra dixerat, & ex eis *occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis*; quod est non in omnes, sed in aliquos patrato opere sæuituros fuisse: quod ait inquam indiscriminatim, *quæ occidis Prophetas & lapidas*; velim de cordibus ipsorum homicidis, & de manu interiori lapidante eos intelligi:

Sanè 1. Ioann. 3. *qui odit fratrem suum homicida est.* Et ipse supra cap. 5. *audistis, quia dictum est antiquis non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Vnde ira & odium comparantur homicidio. An & hodie odio habeant Iudæi Prædicatores veritatis, dicat qui nouit, quanto renisu & repugnantia eos audiant. Nam & Act. 7. loquente Stephano, *dissecabantur cordibus suis; & stridebant dentibus in eum*: quem mox *ejicientes extra Ciuitatem lapidabant*: sicut hic ait Dominus *& lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Quod quidem re ipsa perpetratum est, quando etiam Paulum lapidauerunt, vt ipsemet 2. Cor. 11. dicit; *semel lapidatus sum*: nempe C in Ciuitate Licaonia, vbi obrutus lapidibus fuit, quasi mortuus: Act. 14. *lapidantes Paulum, traxerunt extra Ciuitatem, existimantes eum mortuum esse*: sed adhuc moraliter *lapidas eos, qui ad te missi sunt*; quia cordis duritia lapidibus comparanda est. Sic Ioannis 8. *vbi tulerunt lapides, vt iacerent in eum*, inquit Augustinus; *tanta duritia, quò curreret, nisi ad lapides?* Vbi Angelicus; simile faciunt qui ex duritia cordis, non intelligentes veritatem apertè prolatam, blasphemant proferentem. Adde ex Ecclesiastico cap. 28. de mystica percussione; *flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa.* Et tract. 10. in Ioann. sic moraliter ait; *flagellatus est Christus flagellis Iudæorum; flagellatur blasphemijs falsorum christianorum.* Quia etiam actu euangelizantes odio habent, *occidunt*; quia verò alios ne prædicaturi accedant pro posse impediunt, quasi à longè eos impetentes lapidant: ne minores in Ecclesiam intrent; quod intendit Dominus dicens; *quoties volui congregare filios tuos.* Sic vbi 1. Cor. 8. legimus; *& percutientes conscientiam eorum infirmam* exponitur mystica percussione, D gladio mali exempli. Et Titi 1. *non percussorem*; E scilicet prauis moribus. Non ergo abnuendū ita & hic accipi; *quæ occidis & lapidas*: præsertim quia de physica impletione sæuitiæ supra dixerat; *& ex eis occidetis*, &c. Et quia modò non tam acriter inuehitur, quàm misericorditer monet: quod, si delicta huiusmodi intelligerentur opere executioni mandata, non mererentur, sed potius flagella, secures. Denique in eo quod ait *quoties volui*, mentaliter eos peccasse, occidisse & lapidasse demonstrat; secus enim non fuerāt sustinendi.

C 2. Cor. 11. l. 5. lo. 8. l. 8.

D 1. Cor. 8. l. 2.
E Titi 1. l. 2.

Sequitur; *quemadmodum, gallina congregat pullos suos sub alas.*

Aliàs non semel reperimus hanc metaphoram alarum: psal. 16. *sub vmbra alarum tuarum protege me*: & psal. 35. *filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Et psal. 60. *protegar in velamento alarum tuarum.* Deuteronomij etiam 32. *expandit alas suas & assumpsit eum.* Quod significare potest duo brachia Christi extensa F in Cruce: seu etiam charitatem & misericordiam: vel doctrinam, G noui & veteris testamenti. Dic, optimè cohærere, quia hisce vijs studuit per se & per suos, Iudæam ad veram fidem perducere: nec dedignatur, quo patefiat suus amor, vilis animantis similitudinem; *quemadmodum gallina*; &c. Alis gallina pullos contra Miluum custodit, & pugnat, H ne ei rapiantur, & vitam exponit pro eis: ita Deus spirituali protectione protegit rationalem creaturam. Chrysostomus; *magnitudinem amoris sub similitudine gallinæ ostendit.* Augustinus; *hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita vt eorum infirmitate affecta, infirmetur & ipsa. Et quod difficilè in cæteris animantibus inuenies, alis suis filios protegens contra miluum pugnat.* 51.

F psal. 16.
G psa. 35.

H loc. cit. & hic.

VERS. XXXVIII. *Ecce relinquetur vobis, domus vestra deserta.*

Diuus

52. Diuus Chrysostomus; *Comminatur pœnam, quam semper formidauerunt; scilicet Ciuitatis & Templi euersionem*. Verùm quia non dicit Ciuitas vestra: & iterum; non dicit *relinquetur domus vestra deserta*; sed interponit *vobis*, *relinquetur vobis* &c. intelligerem libentiùs de domo æconomicè, quæ 2. Politic. cap. 1. per Philosophum, *est communicatio ex viro, vxore, filijs, seruis, supellectili, & iumentis*. A radice quippe *Samem*; *desolatur, disperijt*, est deriuatum, quod sonat *desolatam, destitutam viro*. Quæ virum habet, deserta non dicitur: immo contraponuntur; vt patet ex illo Isaiæ 54. apud Apostolum ad Galat. 4. *multi filij desertæ, magis, quàm eius quæ habet virum*. Synagoga habebat virum I scilicet Moysen. Olim deserta erat Ecclesia Gentium nondum habens Christum: non tamen deserta quoad dilectionem, sed partu postposito. Vt luculenter ibi Angelicus. Sed postea, si deserta relinquenda est Iudæorum domus; oportet vt à viro suo Synagoga, nempe à Moyse (Quod etiam Augustinus in ps. 101. confirmat) derelinquenda fuerit. Quod potest exponi ad eum sensum, quo 2. Corinth. 3. habet Apostolus; *sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*. Cæcitate ergo capta Synagoga perdidit Moysen. Et quia qui cæcus est non videt; ad hoc innuendum, videtur mihi subiecisse Dominum; *non me videbitis amodò, donec dicatis; benedictus, qui venit in nomine Domini*. Qui versiculus est ex psal. 117. vbi mox subditur *Deus Dominus & illuxit nobis*. Et ita ad hebræos cap. 3. L domus est vniuersitas fidelium: *quæ domus sumus nos* inquit Apostolus: 1. etiam ad Tim. 3. *in domo Dei, quæ est Ecclesia*, quia Christus in fidelibus habitat; Philipp. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*: 1. Petri 2. *ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis*. At *Moyses*, vt ibidem dicit, *erat in domo eius tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus verò tanquam filius in Domo sua*. Qui ex Iudæis, aio ipse, nolunt recipere Christum, desinunt vel nondum cœperunt esse ipsius domus: Moyses eos dereliquit tanquam *famulus*. Ioann. 8. *seruus non manet in domo in æternum; filius autem in æternum: Christus est tanquam filius in domo sua*: & non recipitur; Ioan. 1. *in propria venit, & sui eum non receperunt*. Quid consectarium est, nisi vt domus illa, iam non amplius domus; quia non amplius fidelis, relinquatur sibi deserta; & sine Moyse & sine Christo? Ioan. 5. *si Moysi crederetis, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Ideo alta est sententia; *ecce relinquetur vobis, domus vestra* (non iam mea, quia infidelis) *deserta*. Ideo in eo quod habet Ioan. cap. 8. *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo*, M satis significatum est, qualiter correctionem & veritatem non suscipientes debuit relinquere. Vnde Isaiæ 8. postquam præmissum est; futurum *in lapidem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel; & in ruinam habitantibus Ierusalem*; (vide & hic de Ierusalem, & de domo dici à Domino hæc prædicente,) sequitur; *qui abscondit faciem suam à domo Iacob*: dic *relinquetur vobis domus vestra deserta*: vbi Haymo; *idest à Iudæis, qui eum recipere noluerunt*. In hoc autem quod ait; *non me videbitis*, &c. transitum N fidei ad Gentes voluit signare. Porrò si dixerint; *benedictus qui venit in nomine Domini*; quia Roman. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*; eo ipse videbunt: quia mysteria fidei, cuiusmodi est primo in capite aduentus Domini, nonnisi oculo fidei videri possunt. *Ex abundantia autem cordis os loquitur* supra cap. 12. Si sic loquantur; cor erit abundans: *conceptum enim sermonem* Iob 4. *tenere quis poterit?* At Act. 15. *fides corda purificat*. Impiorum ergo cor, fideli non suggeret linguæ, quem exprimat sermonem. Non ergo poterunt loqui bona qui mali sunt. Iam ipsemet sic definiuit supra c. 12. *progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Quare hunc debemus elicere sensum, & in his verbis *donec dicatis; benedictus, qui venit in nomine Domini*, quando & hic eos dixit *genimina viperarum*, vt moneat, *declinent à malo & faciant bonum*: quia, *bonus homo de bono thesauro profert bona*; vt subdit ibi cap. 12. *Lux enim venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera*. Ioann. 3. cum tamen vt dictum est; *benedictus qui venit in nomine Domini, sit Deus Dominus, qui illuxit nobis*. Psal. 68. *fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum, non sit qui inhabitet; quoniam quem tu percussisti persecuti sunt*.

I Galat. 4 l. 8.

L Hebr. 3. l. 1.

M Ioan. 8. l. 8.

N loc. cit. & Matth. 3.

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumtertium.

VERS. I. *Tunc Iesus locutus est ad turbas, & discipulos suos*.

VERS. II. *Dicens, super Cathedram Moysi*, &c.

1. Dum aduerbium temporis *tunc* in fronte capitis huius videmus, non sumus anxij de historiæ narratione; quia manifestum est, ex ijs quæ Lucas recolit cap. 11. itemque 20. non constare, an tunc, quando eos confudit de psalmi auctoritate & intelligentia; *dixit Dominus Domino meo*, attexuerit, qui sequuntur, sermones. Quamuis pluries saluberrima sua monita dixisse & edixisse, nihil prohibeat: quorum aliquot, apud Marcum 12. capite. Sed absit solùm spectasse ordinem historiæ sanctos euangelistas, qui de Christi Domini verbis ac factis, ea delegerunt in Ecclesiæ Deposito custodienda, quæ & perfectioni sufficerent Christianæ vitæ; & mentem in sublime erigerent ob secretioris ordinis altam sapientiam. Igitur ly *tunc* eò referatur, quò pedem fiximus; nimirum cùm de primitiua ad intermediam procurrentem Ecclesiam flectebat calamus. *Tunc* quippe *locutus est ad turbas, & ad discipulos suos*. In exordio primitiuæ cœperunt vtique multiplicari fideles, at non statim in turbas: nec enim momento Deus; *qui attingit vtique à fine vsque ad finem fortiter, sed disponit omnia suauiter*, Sap. 8. implere voluit, quod Iacob Patriarchæ promiserat, vt Genesis 48. ipse retulit; *ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum*. *Tunc* ergo quid euenturum esset præscius Dominus, talia effatus recolitur, quæ sub virga increpationis possent fieri in medelam. Aliásque præscientiæ eius vim nosceremus, nec ex infirmitate Magistri ea euenisse, sed alto suæ sapientiæ permissu; quæ vnà cum sua omnipotentia & bonitate tanta est, vt *non fineret* quod ait Augustinus, *aliquid esse mali, nisi benefaceret etiam de malo*. Dolenter hæc mente voluimus: sed fortè detecto vlcere, erubescet saucius, curretque pro balsamo ad ani-

animarum Medicum Christum Dominum; qui ait, *non est opus valentibus medicus*, supra cap. 9. *sed malè habentibus*. Quia ergo notoriè delinquebant Scribæ & Pharisæi, assumuntur, vt sint in effigiem nostrorum; qui in Ecclesia (dicunt modernam, nos verò mediam) dignitate præfulgent, Cathedræque vel assident, vel sedent. Doctiores deberent esse & sanctiores; quia Scribarum Pharisæorumque partes agunt: sed heu etsi fortè insit doctrina, non erit sanctitas. Vnde vsurpare illud vrgeat, ne fideles corruant; *nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum*, supra cap. 5. pro eis ad litteram; nunc verò allegoricè; *non intrabitis in Regnum Cælorum*: & tamen vt omnes intrent, docet minatur increpat dulcis Dominus; quandoquidem, qui *parcit virgæ odit filium*, Prouerb. 13. vt salui fiant: quemadmodum, & Ioann. 5. palam testatur; *hæc dico, vt vos salui sitis*.

VERS. III. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite*; &c.

2. Postquam delineauit Matthæus primitiuæ exordium Ecclesiæ, eiusdemque dilatationem, eiusdem pariter postquam adoleuit, progressum, sed heu à primæuo itinere claudicantem: præcauet euangelica enarratione, ne moribus corrumpatur, neue, quod caput est, à puritate dogmatum excidens, fides violetur. Itaque quoniam præmiserat; *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, quam Cathedræ venerationem seruare fidelis debeat edicit; vt scilicet, *omnia quæcunque dixerit, seruet & faciat*. Pluraliter autem loquitur, quia congregatos ad audientiam fidei præsumit nos. Doctrina est ab Angelico, A p. 2. 107. a. 3. nouam legem in veteri inclusam fuisse, vt frumentum in spica, aut arbor etiam in semine continetur. Vnde & Gregorius illud Ezechielis 1. *Rota erat in Rota*, exponit; *nouum testamentum in veteri*. Non fuerit proinde absonum, si dicamus, nouam Petri Cathedram, in veteri contentam fuisse: & propterea dum ait *super Cathedram Moysi*, det intelligere, vt & super Cathedram Petri, sederit doctrina in Scribis significata; & similiter sanctitas, quam prætendebant Pharisæi ipsi, per eosdem adumbrata. Vbi Cathedræ stat auctoritas; bona est illatio, vt illius dicta quasi oracula recipiantur non modò, sed suscipiantur, & suspiciantur; quia nimirum iuris est Cathedræ in sanctitate & sapientia scita proferre, controuersiaque dirimere ac definire. Idcirco indubitanter dic apposuisse illatiuum signum: *omnia ergo*; &c. Sic sanè Deuteronomij 17. eruditur populus; *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem*: adestque contextus fortissimus in hæc verba 2. Paralip. cap. 19. *vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus, omnem causam ostendite eis, vt non peccent in Dominum*: Leuitis autem & Sacerdotibus ea est iniunctio; quam Rex Iosaphat, tanquam Dei minister promulgauit. Praxis huiusmodi legitur 2. Esdræ c. 8. vbi, *stetit Esdras Scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum*. Et postea, *dixit autem Nehemias & Esdras Sacerdos & Scriba, & Leuitæ interpretantes* (legem Dei, de qua mox ante.) *vniuerso populo*, &c. Deinde mirè pro vnius primatu ac spirituali monarchico regimine; *in die secunda congregati sunt Principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Esdram Scribam, vt interpretaretur eis verba legis*.

3. Quid effutijt impius Lutherus, Scripturam se ipsa patescere, vt Capitis, quod ablato Pontifice Romano, non potuit contingere, necessitatem tolleret; in intellectu suo & infallibili de rebus fidei? Quod autemolim prouidit pro vnius populi consensu, ne huc & illuc in schismata scinderentur, verti nequit in dubium, multò felicius dispositum esse à Domino; quando in vniuerso Orbe, totque in Gentibus cœlo, studio, moribus disciplina disparibus adeo, erat euangelica veritas disseminanda. Vt hoc agnosceret firmiterque teneret Christiana pietas, toties personalibus priuilegijs auxit Petrum: quem cum esset *Simon* cognominauit à saxo, (*Cephas*) in quo fundaret Ecclesiam: de quo dixit Angelus de Cœlo Cornelio Act. 10. *mitte & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus*; &c. *hic dicet tibi quid te oporteat facere*. Quare & vsque ad cœlum, vbi probanda erant, quæ definijsset, peruenerat, sibi mutati, seu aucti nominis fama: quod factum pro nihilo ducere, carnales & terreni aliquot, aliquot inuidi & superbi conati sunt. Legant Euangelium & Acta, velintque nolint, inuenient sæpissimè Petrum dictis & factis prænominari; quippe qui Ioan. 20. debuit primus introire *in monumentum*: & c. 21. *ascendit* præ alijs, *& traxit rete in terram*. Ineluctabilis est eius authoritas indiuidua; Luc. 22. *& tu aliquando confirma fratres tuos*: & Ioan. item 21. *pasce agnos, pasce agnos, pasce oues*, quæ matres sunt Agnorum, indiscriminatim, *meos & meas*. Quare si quis impastus à Petro ierit, nec agnus, nec ouis Christi est. Puritas autem pascuæ intelligitur in eoquod ait *pasce*, seu etiam *rege* ex græco, vt Pastor: quia erroribus nec regimur nec pascimur; sed ad lapsum impellimur venenatiq; perimus. At pro ipso rogauit specialissimè Lucæ 22. *vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Deus bone, non satis erat dixisset, *confirma fratres tuos*? quos scilicet Satan expetit vt moueat à stabilitate fidei, sicut cribatur triticum. Cur adiecit *conuersus*? Duplex est peregrina subtilis, sed quæ summè arrideat responsio: vult conuertatur; quia caput fratrũ esse, sic indicat; non enim huc illuc conuertimur, nisi conuertatur & caput; quantumcunque pes, aut brachium, aut humerus nitatur conuerti, dicetur ad summum conuersus est pede aut brachio: quod est *non simpliciter* esse conuersum hominem, sed *cum addito*. E contra, si homo solum conuertat caput, quanquam non cætera membra, verè est *conuersus* simpliciter & absolutè. Est secunda responsio; vt cum confirmandi vsurus est potestate cõuertat se; & quo? ad eosdem fratres: relatione videlicet ad illos. Specialem ergo innuit habitudinem ad eos. Et hoc dupliciter euincitur: nam si de communi relatione fraternitatis verbum hoc foret intelligendum, non minùs fratres conuersi sunt ad eum, quàm ipse ad fratres: & præterea, cum fraternitatis relatio fixa sit, semper frater refertur ad fratrem: cùm nedum mutua relatio sit, sed continua: at ipse Dominus admirabili sapientiæ altitudine ait, *aliquando*; vt innotescat, non considerari relationem naturalem, quę intercedit inter fratrem & fratrem omni tempore; sed alterius generis superioris ordinem, quo non semper sed *aliquando* quis alteri præsidium præstat & robur; cùm scilicet contingit eũ concuti. Vbi enim actu non extet huiusmodi confirmationis indigentia, non conuertitur Petrus ad confirmandum; quamuis semper præsto esse spectet ad Petrum. Tunc vno verbo cõuertitur, cum definit; & tunc *conuersus* confirmat, etiam in ijs quibus præassensissent, fratres suos. Nisi sic profundè accipiatur, ægrè apparebit, cur apposuerit Dominus ly *aliquando*: quod temporis aduerbium non legimus Iob 4. capite, vbi tamen dicitur; *ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti; vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti*. Fortè adhuc innuitur, priusquam ad fideles fratres in vnitate fidei conuersus proponat Pontifex dogmata, ad se ipsum verti per sapiẽtiæ studium & orationem; iuxta illud Sap. 8. *intrans in domum meam, conquiescam cum illa*; & Matthæi 6. *intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum*. Sic enim Act. 9. antequam *conuersus* Petrus, *ad corpus*, diceret *Tabitha*

surge, ad se ipsum versus, *eiectis omnibus foras, Petrus ponens genua orauit*. Et quoniam Rom. 1. *iustus ex fide viuit*; decenter probatur fieri pro animæ vita, quod pro resuscitando corpore factum est.

4. Reuertendo ad textum, *omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite*, nimirum de Cathedra. Pluraliter autem loquitur, sed certè singulari consensu, vt inde fiat consectariũ in vno vniri. Et præterea, quia Ecclesia pluriũ est; & quæ sunt fidei, auctoritate vniuersalis Ecclesiæ determinantur. Quæ quidem auctoritas subdit Angelicus B principaliter residet in Summo Pontifice, dicitur enim 24. quæst. 1. *quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros, & coepiscopos, nonnisi ad Petrum; idest ad sui nominis auctoritatem referri debere. Contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus nec Augustinus suam sententiã defendit. Vnde dicit Hieronymus ad Damasum Papam; hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia. In qua, si minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur; quicunque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non Catholicum; non me hæreticum comprobabit*. Hinc Cyrillus in lib. Thesaurorum; C ipsius (scilicet *Apostolici throni Romanorum Pontificum*, quod præmiserat) *solius est capere, corrigere, statuere, soluere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit*. Quare quicunque non inhæret sicut infallibili & diuinæ Regulæ, D doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei; sed ea, quæ sunt fidei, alio modo tenet, quàm per fidem. Arbitror autem dixisse, præterito tempore *sederunt*; quia ad lucrã iam iam non vltra sessuri erant Scribæ & Pharisæi: quandoquidem illorum Sacerdotium, quod expetit sapientia & probitate ornari, iam propè transiturum transferendumque erat; nam post sacerdotium Leuiticum, alius debebat surgere Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, vt Hebr. 7. ex illo ps. 109. *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ex quo & deducit; *translato Sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Labia* quippe *Sacerdotis* (Malach. 2.) *custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est*. Posset etiam intelligi, idcirco dixisse *sederunt*; ne Petri sedes crederetur, tunc cũ hæc allegorizanda erant, cœpisse. Sederat enim ab initio: sed assessoribus sanctis prædecoratum, nulla erat timoris causa, quin incunctanter fideles audirẽt: ideo nec admoneri oportebat. At vbi, quod propheticè pergit declamare idem Malachias; *vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum*, factu est, quod subdit Dominus; *propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis*. Vt ergo hisce obuiet scandalis; vtque distinguat quisque inter Cathedram & Sessorem, inter Sacerdotium & Sacerdotem, inter dignitatem & personam: ecce hic Dominus; *secundum opera eorum nolite facere: quæcunque autem dixerint vobis, seruate & facite*. Damnat eos, sed non damnat de Cathedra doctrinam. Origenes; *quid doctore illo miserabilius? cuius vitam discipuli cum non sequuntur saluantur; cum imitantur, perduntur*.

VERS. eodem III. *Dicunt enim & non faciunt: alligant enim &c.*

5. Hæc ipsissima propositio vim habet causalis; vt patet in ly *enim*: quia ergo *dicunt & non faciunt*; propterea obedientia eis præstanda est, non imitatio trahenda. Sed vlterius vim habet absolutæ enunciationis; ac si diceret sine illa causali, *dicunt & non faciunt*: quo sensu ad posteriora refertur; *alligant enim onera grauia & importabilia*. Et sic neque portabilia faciunt; nec importabilia, quæ alligant; & imponunt *in humeros hominum: digito autem suo, nolunt ea mouere*. Huc facit quod habet Augustinus in quadã Epistola; E *Religionem nostram, quam in manifestissimis & paucissimis celebrationum Sacramentis, Dei voluit misericordia esse liberam, seruilibus premunt oneribus; adeo vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur*. Præmittit autem Angelicus, quòd lex noua præter præcepta legis naturæ, paucissima superaddidit in doctrina Christi & Apostolorum; licèt aliqua sint postmodum superaddita ex institutione Sãctorum Patrum: in quibus etiam dicit Augustinus moderationem esse attendendam; ne conuersatio fidelium onerosa reddatur. Ibidem autem subdit de interioribus actibus virtutũ; & hos exercere, non habenti virtutem difficile esse. Tu non inde colligas, virtutũ actus non cadere iure meritò sub lege: sed disce cauẽdum esse à pœna transgressoribus in hoc Mundo passim apponenda; vt etiam innuit. Diximus autem in exponendo capite, lege humana certè pœnali, vniuersaliter prudenti consilio, non cohiberi omnia vitia, F nec omnium virtutũ actus imperari; quia promiscuè vulgus hominum nõ adimplet: quamuis virtuosi deberent. Ecce ergo sacri textus intelligentiam. *Ipsi digito suo nolunt ea mouere*. Nam non excusantur, cum tamen viderentur excusabiles, si *onera sunt grauia & importabilia*. Cur pœnis non arguuntur, de minus prouidis legibus; sed quòd non moueant ea onera? Ratio est, quia ipsi esse deberent de perfectioribus, virtuosorum de numero ob sui status dignitatẽ; proinde non deberẽt ipsis esse grauia; quia qui habet virtutem G etiam ex Philosopho promptè & delectabiliter operatur. Idcirco vt hoc præexactum in ipsis innuat, de *digito suo* introducit: ac si diceret; ipsi qui facilè possent ex præsumptione, ferre istiusmodi onera, minimè obseruant: aliorum autem, qui promiscuè nõ præsupponuntur virtute prædici, imponunt in humeros? Potuisset autem dici planius, *ipsi autem nolunt ferre*. Sed sacro verborum Domini tenore, qualis debeat esse præcipientium status, innotescit. Secus inerudirus obijceret, quid *digito mouere* onera huiusmodi? & in cortice literæ non apparet esse adeo grauia; quando vt imponantur in humeros, certè tolluntur: & si expetitur, vt vel digito moueantur, videtur negari esse *grauia, & importabilia*, vt præsumebatur. Sed quare eorum inobseruantiam sic explicet, *digito suo mouere nolunt*, adhuc alia est ratio; quia eos carpit, quòd non præeant exemplo. Exempla quippe mouent ad malum ad bonum. Nec minimo ergo conatu nituntur alios ad obseruantiam mouere, quando nec digito mouent. Et sic *digito suo*, qui fuerit index, indicans vt alij exequantur. Dicit autem mouere ea; vel figura metonymia, qua possessa pro possessoribus, contenta pro continentibus accipi solent. Si sic mouerent, transirent de humero in humerum, immo de sinu in sinum; quoniam dulciter maiorum præcipuè exemplo, quæ iubentur plures implerent. Et in hoc etiam sensu sine præfata figura, *ea mouerent*, migrare & transmigrare faciendo de humero in humerũ; verbum enim hebraicum *siltel* quod est mouere, deriuatum habet *metaltel*, quod sonat *faciens migrare*. Sic sanè 2. Machab. 3. Igitur *cum leges etiam adhuc optimè custodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem; & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent; & templum maximis muneribus illustrarent*. Aurea memoria!

VERS. V. *Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus; &c.*

Chrysostomus; *tolle inanem gloriam de clero, & sine labore omnia vitia resecabis. Ex hoc enim fit, vt difficilè clerici peccantes pœnitentiam agant. Impossibile est enim, vt credat Christo cælestia prædican-* 6.

B 2. 2. 11. 2. ad 3.

C opusc. 1. contra errores Græc. §. 38.

D 2. 2. 5. 3.

E p. 2. 107. 4.

F p. 2. 96. a. 2. & 3.

G p. 2. 107. 4.

dicanti, qui gloriam hominum concupiſcit terrenam. Sic Sacerdotum miniſterium, qui poſiti ſunt ad ædificationem, corrumpere diabolus nititur, vt hoc ipſum bonum dum propter homines fit, fiat malum. Conſiderat autem idem Chryſoſtomus horum perditionem, quia non dicit *opera ſua faciunt*, ſed *omnia: & non in magnis, ſed in quibuſdam vilibus rebus: dilatant* enim *phylacteria*, &c. Hanc dicito inanem gloriam, in alijs magnificandis, quæ ſummas ſequitur expenſas ſuperbire: coaceruatum proinde præſumunt aurum. Inde eſt auaritiæ ſtudium; inde maiora venantur obſequia; inde mutua quoque Cleri æmulatio. Legimus Ieremiæ 22. *væ, qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia; & cænacula ſua non in iudicio. Amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem eius non reddet ei. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cænacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide.* Vbi gloſſa; *ſinopide idest rubro colore* H *idest ſanguine Chriſti*: Et pergit Angelicus; qui domum ædificat materialem de malè acquiſitis; vel etiam ornat ſuperfluè de ſanguine Chriſti; ideſt de rebus Eccleſiæ acquiſitis ſanguine Chriſti. Vide lector quæ proſequitur Dominus, certè vt exufflet ſuperbiam, & inanis gloriæ & ambitionis ventoſam Matrem. Vnde claudit; *qui ſe exaltat humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur*, In cuius elati animi condignam pœnam ibidem Ieremiæ 22. ſubditur, *omnes Paſtores tuos paſcet ventus*. Interſerit autem ſacer textus de non ambiendo magiſterium; cuius adeptionis ambitio ſi vnquam, hiſce profectò ſæculis eget fræno: inhiat enim vterque Eccleſiaſticus, & ſecularis, & regularis (exime probos & emeritos) huic laureæ improbo ſtudio: vocari ambientes vtique, ſed non eſſe magiſtri: fortè ideo ſignanter ait Dominus; *nolite vocari Rabbi*; & iterum, quaſi alteri claſſi; *nec vocemini Magiſtri*. Et quia contingit, vt titulos huiuſmodi honoris quis aucupari ſtudeat ob lucri finem, & lucrum, ob pauorem egeſtatis; vt radicem ambitionis euellat, ſuggerit non deeſſe nobis Patrem in Cœlis; à quo nimirum fidenter omnia ſperemus: quia ſi quibuſdam, omnibus prouidere non deſiſtet; & qui magnos extulit, puſillos non derelinquet: Sapientiæ 6. *puſillum & magnum ipſe fecit; & æqualiter eſt illi cura de omnibus*. Et cùm ſit Pater, *ex quo omnis paternitas in Cœlis & in terra nominatur*, Epheſ. 3. ſuos omnes enutriet filios. Ideò fortè videtur ſubijcere; *omnes autem vos fratres eſtis*; ab vno ſcilicet Patre. Ipſe autem enutrit indeſinenter filios dans *panem*, & ſub pane, cuncta, *quotidianum*. Vnde Iſaiæ 1. *filios*, inquit, *enutriui. Immo & exaltaui*: quod fit in clauſtri correptionem; ſi fortè magiſtri vocari inordinatè cupiant, vt capiant honorem. Ipſe enim, vbi conueniens ſit, nedum enutrit, ſed exaltat. Sed tamen ne terrenorum ei ſeruiatur amore, dat Deus viris iuſtis de bonis temporalibus, & etiam de malis, I quantum eis expedit ad perueniendum in vitam æternam. Memini in Auguſtino legiſſe dignam ſententiam. Si ſolis bonis Deus bona temporalia daret, propter hæc bona, homines boni eſſe vellent, æterna obliti: ſi ſolis malis tribueret, facilius boni in malos, malè viuendo tranſirent. Sapientiſſimè igitur dic, *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: vt ſitis filij Patris veſtri; qui in Cœlis eſt*. Temporalibus inconſideratis emicat vera filiatio; cùm non concupiſcentiæ affectu, ſed caſto amore ei obſequimur. Et quoniam recoluimus de Sole, quem oriri facit *ſuper bonos & malos*, adnectamus contextui quo hic ait, primatum vnius non tollens ſed probans, *qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter*. Sol enim hebraicè *Scemes* verbaliter in chaldaica lingua idem eſt quod, *miniſtrauit, ſeruiuit*: hinc *ſcijmus, miniſterium*. Et ecce Deuteronomij 4. id firmari vbi de Sole, luna, & de omnibus aſtris Cœli dicitur; *quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis Gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt*. Hinc Apoſtolus 1. Corinth. 3. *quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? miniſtri eius cui crediditis: & vnicuique ſicut Dominus dedit*. Quomodo ergo ſuperbiat aut glorietur in ſe ipſo miniſter? Et ideo ſequenti cap. 4. *ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*; & poſt alia; *ne ſupra quàm ſcriptum eſt vnus aduerſus alterum inflетur pro alio. Quis enim te diſcernit? quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quæ reſpectiuè Curiæ ſi dicamus, congruit: vt ea renaſcatur humilitas, quæ in ipſo fulſit Chriſto Capite; qui ad Philippenſes 3. *humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum*; &c. Nam & hic ait; *qui ſe humiliauerit, exaltabitur*.

At hic quoque (ringat hæreticus) cum Bernardo 7.
dicendum eſt; *magna virtus eſt humilitas honorata*. Commendat ſæpè Dominus humilitatem, quia prænouit ſedem ſuam, etiam in terris exaltandam, & honorandam. Quærit Angelicus L *vtrum ſit vna Eccleſia, quæ fuit in principio tempore Apoſtolorum, & quæ eſt modò*. Indubitanter autem reſpondet affirmatiuè; ex illo Matthæi vltimo; *ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi*; hoc autem non intelligitur de Apoſtolis, qui ad conſummationem ſæculi peruenturi non erant. Arguebat autem; quia non legitur quòd Chriſtus & Apoſtoli habuerint caſtra; modò autem Eccleſia habet; ergo &c. Occurrit dicens quòd Auguſtinus reſpondet in Epiſtola contra Donatiſtas; & habetur ſuper illud pſalm. *quare fremuerunt Gentes*. Diſtinguit enim diuerſa tempora Eccleſiæ. Fuit enim tempus, quando *aſtiterunt Reges terræ aduerſus Chriſtum*: & in illo tempore non ſolùm non dabant fidelibus, ſed eos occidebant. Aliud verò tempus eſt nunc, quo Reges intelligunt, & eruditi ſeruiunt Chriſto Domino *in timore*: & ideo in iſto tempore Reges ſunt Vaſalli Eccleſiæ. Et ideo eſt alius ſtatus Eccleſiæ nunc & tunc; non tamen eſt alia Eccleſia. Dicito lector exterius hoc, etſi terrenum, decus conferre venerationi debitæ ſanctæ Sedi Apoſtolicæ; quia vbi vtrinque refriguit multorum charitas, excitat huiuſmodi regalis claritas ad obſequia. Si tamen abſit luxus nunquam probandus. Impugnantes Religionem apud Angelicum, inter multa quæ garriunt, extendunt inquit culpas quoad perſonas; M vt videlicet quod ab vno vel duobus geritur, toti Religioni imponere præſumant: ſicut cùm dicunt; quòd non ſunt cibis appoſitis contenti, lautiora quærentes, & multa huiuſmodi, quæ etiamſi ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus ſunt toti Collegio imponenda. Vnde dicit Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam; & habetur 23. q. 7. quicunque; *quiſquis res pauperum, quas ſub nomine Eccleſiæ tenebatis, non per iuſtitiam, ſed per auaritiam tenet, diſplicet nobis: ſed nec facilè iſta monſtratis. Nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non poſſumus: neque propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter piſces malos, rumpimus retia Domini*. Hæc optimè Romanæ Curiæ detractoribus dici queunt. Et nihilominus cum eodem Auguſtino in lib. de Paſtoribus tomo 9. dicendum & hodie: *abſit, vt deſint modò boni Paſtores; abſit à nobis vt deſint; abſit à miſericordia ipſius, vt non eos gignat atque conſtituat. Vtique ſi ſunt bonæ oues, ſunt & boni Paſtores*. Verùm nunquam memoria excidat quod ait Chryſoſtomus ſuper Matthæum, vt fert Sanctus Doctor; N *primatum Eccleſiæ concupiſcere, (hoc eſt ſedere ſuper cathedram) neque iuſtum eſt neque vtile; quis enim ſapiens vult vltrò ſe*

H opuſc. 58. c. 12.

I p. 2. 114. 10.

L quodl. 12. a. 10.

M opuſc. 19. c. 20.

N 2. 2. 185. a. 1. ad 2.

subijcere seruituti & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia? nisi forte qui non timet Dei iudicium, abutens primatu ecclesiastico sæculariter, vt scilicet conuertat ipsum in sæcularem. Refert Diuus Antoninus in 3. parte, titulo 22. cap. 8. qualiter Hadrianus Papa tertius Anglicus natione, dicebat, quod *Romano Pontifice, nemo est miserabilior: conditione eius nulla miserior. Fatebatur enim in eadem Sede tantas miserias inuenisse; vt facta collatione præsentium, tota præterita amaritudo, iucunditas & felicitas fuerit. Spinosam enim dicebat esse Cathedram Romani Pontificis, mucronum acutissimis vsquequaque consertam aculeis; tantæque molis, vt robustissimos premat, terat & comminuat humeros: seque nunquam a natali suo Angliæ malle exiisse; aut in Claustro Beati Rufi apud Valentiam perpetuò latuisse; quam tantas intrasse angustias: nisi quia diuinæ dispensationi reluctari non auderet. Et dicebat; in incude & malleo dilatauit me Dominus. Benè ergo dicitur non tam nuncupatiuè, quàm substantiuè Summus Pontifex seruus seruorum; seruiat enim auaritiæ, idest Romanis necesse est; adeo vt nisi seruierit, fiat aut exPontifex, aut exRomanus.* Hæc dixit dictus Hadrianus cuidam suo familiari dicto Ioanni, vt refert Vincentius lib. 19. speculi historialis cap. 3.

VERS. XIII. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, &c.*

8. Scribæ dicebantur per idoneitatem, O idest docti; *omnis Scriba doctus in Regno Cælorum*, &c. Pharisæi, qui propter exteriorem cultum P diuisi erant ab alijs: vnde *Pharisæi* idest *diuisi* vocabantur. De Leuitis legimus Numeri 8. sibi conseruandis. Ait quippe Dominus; *separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei.* Quare & Scribæ & Pharisæi, pro Clericis accipi possunt, & pro Sacerdotali munere, cuius est Malach. 2. custodire scientiam, & à populi vulgo, ad diuinum obsequium, & cultum specialiter præstandum, separari. Væ ergo huiusmodi, vbi defecerint, ministris. Dixit aliquando Chrysostomus; *pauci Sacerdotes sunt; sed pauci Sacerdotes*: intellige qui munia sua obeant; comite, vt par est gradui quem in Ecclesia tenent, vitæ integritate. Chrysostomus super Matthæum relatus in Catena in exordio huius capitis ita scribit: *postquam Dominus incorrigibilem Sacerdotum conditionem ostendit; sicut clerici, si malè fecerint, inemendabiles sunt*; &c. Diuus Augustinus Epistola ad plebem Hipponensem 137. relatus Q ab Angelico: *ex quo Deo seruire cæpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in Monasterijs profecerunt; ita non sum expertus peiores, quam qui in Monasterijs ceciderunt.* Fertur etiam Hieronymus sic terribiliter dicens. *Nulla certe in Mundo tam crudelis bestia, vt me experientia docuit, quam malus Sacerdos & Monachus. Crede mihi, nulla peior pestis in Ecclesia Dei, quàm malus Sacerdos; nam corrigi non patitur, nec veritatem vnquam audire potest. Et vt breuiter dicam omnes præeminet malitia.* Ratio esto, quia Religiosus peccans ex contemptu, vel contra vota, vel alteri scandalum præbens, R grauius peccat. Ideo Ieremiæ 23. *contritum est cor meum in medio mei*: (quod est maximè dolere) & postea subdit *Propheta namque & Sacerdos polluti sunt; & in domo mea inueni malum eorum.* Facit etiam ad rem quod habet Gregorius. *Nullum puto, fratres charissimi, ab alijs maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus; humanam gloriam intenta mente captamus.* Ita

O D.Th. hic c. 13.
P Ioan. 1. l. 13.
Q 2. 2. 186. 10. 3.
R loc. cit.

hom. 17. in Lucæ 10. Quid mirum ergo, si Dominus tonet de nube diuinæ vltionis; *væ vobis, væ vobis?* In hoc autem quod hanc similitudinem clauium subinnuit dicens, *clauditis Regnum Cælorum*: immo expressè Lucæ 11. *væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ*; non video, cur non sit in monitum formidandum Ordini Sacerdotali; qui à Petri Cathedra eam recipit potestatem, de qua supra cap. 17. *& tibi dabo claues Regni Cælorum.* Væ ergo vobis Ecclesiasticis sæcularibus, qui, vt expositum est supra, grauiter adeo delinquitis, manifesto (*ante homines*) scandalo. Sobriè tangitur, ne maiori sit scandalo iusta admonitio. Hinc Gregorius relatus *in prima secundæ* S sic ait; *in exemplum culpa vehementer extenditur; quando pro reuerentia gradus, peccator honoratur: ad plurium enim notitiam perueniunt peccata maiorum.* Prouerb. 28. *regnantibus impijs, ruinæ hominum*, & c. 29. *cum impij sumpserint Principatum, gemet populus.* Ly *ante homines*, nedum impudentiam notat, aut culpatissimam somnolentiam; sed nihil omnino curari, cuius gradus, sexus, ætatis, & conditionis fuerint, qui possint scandalizari. Prouerb. 25. *fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio*: quod contingit T per imitationem malorum. *O væ illis!* Gregorius; *scire debent Prælati, quod tot mortibus digni sunt, quot exempla perditionis ad subditos transmittunt.* Et quia *clauem habent scientiæ*, Ieremiæ 13. eis dicitur; *quid dices cum visitauerint te? tu enim docuisti eos aduersum te*: V scilicet loquendo bona & faciendo mala; *& erudisti in caput tuum*, per mala tua exempla.

S p. 2. 71. 10.
T 1. Cor. 10. l. 3.
V Hebr. 13. l. 3.

VERS. XIV. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia comeditis domos viduarum.*

Transitur, me iudice, ad alterius indolis simulatores; ad claustrales præsertim, & ad classem confessariorum, iuxta quod pertractum est de clauibus, cohærenter valde. Non tamen eximas notandos, & Ecclesiasticos sæculares, si qui & hac peste laborant: neutri enim sunt verè ministri, quia non *in ædificationem* sed *in destructionem* abutuntur auctoritate; quod animaduertit Apostolus 2. Cor. 13. Et hæc est fortè arcana ratio, præ alijs, quare Dominus hanc vsurpauit de domo comesta similitudinem *comeditis domos*, vt destructionem innueret, quam moliuntur; cum tamen ad ædificationem delecti sint. An passim nimium se in domos viduarum intromittant, sit oculus iudex. Non absimiliter eos incusat Apostolus 2. ad Tim. 3. Vbi postquam dixit: *erunt homines se ipsos amantes, cupidi elati superbi, blasphemi parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace*, (ò Deus bone! quæ tempora, quæ mores! quis horror hisce conuiuere, & consociari!) *criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei*: Et nihilominus cum tot vitiorum satellitio; erunt *habentes speciem quidem pietatis; virtutem autem eius abnegantes*: postquam, inquam, hac vsus est enumeratione malitiæ subdolæ, subijcit; *ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas*; X quæ sunt minoris discretionis, & sexus fragilioris. Interserit autem Apostolus: *& hos deuita*. Vbi Angelicus in persona Apostoli; dixi quod *in nouissimis temporibus* erunt homines pessimi; sed non credas te in præsenti esse tutum; sed etiam nunc *hos* & tales homines *deuita*. Verùm, quia *nouissimum* si dicatur græcè *eschatos*, reuera vltimum tempus significat; si dicatur *ysteros* significat *sequens, posterum*, fortè sequentia tempora notat, quæ nostræ Syntaxis studium hic immo versat. Alligat Sanctus Doctor ibi ad Timotheum, hoc quod habet impræsentiarum Dominus: additque metaphoricè posse accipi ly *penetrant domos*, idest conscientias; quia cum astutia volunt scire secreta conscientiæ, vt

9.
X 1. Tim. 3. l. 2.

vt decipiant: iuxta quod Ecclesiastici 13. *ex multa loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis*. Quatenus autem dicit; *habentes speciem quidem pietatis*; iam tanquam hypocritas eos prodit. Quocirca in Comment. primo, vt reor,
A Apoc. c. 6. ibi transit vinum. Apocalypsis, A introducit de statua salis, in quam mutata fuit Vxor Loth Genes. 19. *respiciens retro*; & ait; statua figuram hominis habet, & non veritatem: sic claustralis, cuius cor est in Mundo, figuram habet Monachi, & non veritatem. Vnde 1. Regum 19. Nuncij Saul credentes inuenire Dauid in lecto suo, idest Monachum in claustro, non inuenerunt, nisi statuam & pellem capræ, idest habitum monachalem sine Monacho. *Inuentum est simulacrum super lectum; & pelles caprarum ad caput eius*. Non prohibet ergo sua increpatione Dominus, ne viduis adsistamus; quia vt dicitur Iacobi 1. *religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*: nam B assistere negotijs alienis ex pietate, puta in auxilium indigentium & miserorum, religiosum est. (B Rom. 16.1.1.) Tamen de vidua eligenda dicitur 1. ad Tim. 5. *si hospitio recepit; si pedes Sanctorum lauit*; pergit Apostolus; *si tribulationem patientibus subministrauit; si omne opus bonum subsecuta est*. Et prius, *vidua eligatur non minus sexaginta annorum*; &c. Et postea; *adolescentiores autem viduas deuita*. Quorum & subsequentium expositionem de sustentandis huiusmodi viduis de bonis Ecclesiæ, eisque præficienda veluti Superiore, quæ sit tot annorum; vide C ibi D. Thomam. & *in secunda lectione* non obliuiscamur sententiam: vbi dicitur cap. 42. *in medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri*; idest securior ad commorandum, *quam mulier benefaciens*: vnde subditur; *& mulier confundens in opprobrium*. (C 2. Cor. 5.) Dicit autem *propter hoc, amplius accipietis iudicium*; quia huiusmodi *lupi rapaces in vestimentis ouium*, supra cap. 7. sunt, vt loquuntur Scholæ, formaliter hypocritæ, sub *specie pietatis virtutem eius abnegantes*. Et præterea, quia intendit, non cunctis notam, duplicem notare malitiam, nedum expilatarum domorum, sed & temeratæ sanctitatis; abutuntur enim pietate ad suam ingluuiem. Quare de his dici potest, qui deuorant sic aliorum substantiam, *iudicium sibi manducant*.

VERS. XV. *væ vobis, &c. quia circuitis mare & aridam*; &c.

10. Præscius futurorum omnium Saluator, quales essent in Ecclesia, munus sanctæ prædicationis non tam obituri, quam abiecturi, cur non doleret? Pseudo-apostolici absque vero animarum zelo. Quod quidem, vel ex eorum fine claret, quando non vt plures lucrifaciant: quod inhiabat Apostolus, dicens 1. Corinth. 9. *omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem*; & Actorum 26. *opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te* (Rex Agrippa) *sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum*. Dixerat enim Agrippa; *in modico suades me, Christianum fieri*. Isti vnum quærunt proselytum, vnoque sunt contenti. Ergo Iudæorum salutem non curant. Non sic idem Apostolus vbi supra, qui aiebat, *omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Factus sum Iudæis, tanquam Iudæus; vt Iudæos lucrarer: ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem; (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem*. Quare cùm charitas
D Ephes. 3.1.5. arctari nequeat; quia D eius latitudo se extendit vsque ad inimicos, & habet diffusionem, 2. Corinth. 6. *cor nostrum dilatatum est*; psal. 118. *latum mandatum tuum nimis*: & isti ad vnum arctentur proselytum, charitate destitui perspicuum est. Habent quippe materialem latitudinem quandam, dum *circumeunt mare & aridam*, sed non de qua dicitur in psal. 17. *dilatasti gressus meos subtus me*; quod fit cum promptum E est cor per charitatem: *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. (E psal. 17. lit. u.) Qui Deum diligit, F in via eius dicitur currere propter promptitudinem voluntatis, ad seruiendum ei. (F Iob 15. l. 2.) Isti non dicuntur currere, sed circuire. In quo quidem Satanæ imitantur gressus, qui fassus est Iob 2. *circuiui terram*. Vbi mirabilissima ad rem nostram reperio doctrinam; ex qua innotescit sublimitas diuinorum eloquiorum: non enim perperam dicit Dominus; *circuitis*; cum non deessent voces aliæ ad localem motum significandum: quo verbo *circuire* non inuenies missos discipulos. Habet ergo Angelicus; G per circuitum calliditas designatur; sicut per rectum, simplex & iustum. (G Iob 2. l. 2.) Nam rectum est, cuius medium non exit ab extremis. Cum ergo actio iusti à suo principio, quod est Dei voluntas, & fine illi intento non discrepat, conuenienter iustis adscribitur rectitudo. (Recole altam Isaiæ sententiam cap. 26. *semita iusti recta est; rectus callis iusti ad ambulandum*.) Callidorum autem est aliud prætendere, ac aliud intendere: & sic id quod demonstrant de suo opere exit ab extremis, dum nec principio concordant nec fini. Vnde rectè callidi circuire dicuntur; psal. 11. *in circuitu impij ambulant*. Dic autem indicari manifestè in malum accipi; quia tandem vnum perhibentur quærere proselytum. Cum Saluator supra cap. 4. & 9. *circuibat totam Galilæam, & omnes Ciuitates & Castella*, non curabat *vnum*; sed *sanabat omnem languorem & omnem infirmitatem in populo*. Obliquo ergo ferebantur huc illuc fine: à quo se alienum contestatur Apostolus 1. Thess. 2. dicens; *neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ: Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. An hodie concionatores inhient humanæ gloriæ, ipsi videant. An sit humana, ob desideratam frequentiam, æmulatio: tacta in textu, dum pro *vno* proselyto circumeunt, vtique dimicantes gloriosi. Quod sequitur est Satanæ lucrum: *facitis eum filium gehennæ, duplo quàm vos*. Germanior nequit esse intelligentia, quam ea, quæ dicta est supra in Capitis expositionem; scilicet propter scandalum; siquidem antequam peccator aliquis ab ipsis traheretur; nullam cum eis præhabuit vt plurimùm familiaritatem: deinde consuetudine quadam ipsis commoratur. Ex quo vitæ illorum sensim conscius, hypocritas eos deprehendit, nec opera respondere linguæ: vnde oboritur scandalum. Sed profundiùs non adhuc liquet, cur *duplo* fiat peior, nisi aduertamus, contingere, vt peccet is in Spiritum-Sanctum peccato præsumptionis: abiecto videlicet timore, admissa temerè confidentia suæ salutis, quantumuis peccet. Cum enim, qui ipsum conuerterat, coram peccet; inde audet ipse quoque peccare, illius quasi innixus auctoritati. Aiebat Hieronymus lib. 2. Epistolarum cap. 12. *non confundant opera tua sermonem tuum; ne cùm in Ecclesia loqueris, tacita sanctimonialis respondeat: cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister, qui pleno ventre de ieiunijs disputat. Accusare auaritiam, & affectum proprij, etiam latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent*. Dic ergo facillimè fieri, vt sine timore, is qui fuit ex timore conuersus, in viam perditionis tunc redeat; atque adeo in præsumptionem labatur fidenter peccans. Hoc autem peccare est H in Spiritum-Sanctum. Quo genere peccati, ipse Prædicator, diuinæ iustitiæ non imme- (H ... 14. l.)

mor, fortè non peccat. Et ideo duplo filius gehennæ fit iste, quàm sit Prædicator. Docet autem Angelicus, I fieri posse, vt aliquis in primo actu peccati in Spiritum-Sanctum; peccet per contemptum; tum propter libertatem arbitrij, tum etiam propter multas dispositiones præcedentes: vel etiam propter aliquod vehemens motiuum ad malum, & debilem affectum hominis ad bonum. Hæc Diuus Thomas. Quis autem dubitet nouum proselytum vel peccatorem nuperrimè conuersum, (& *cum fuerit factus* ait Dominus, quasi vix factus; sicuti 1. Petri 2. *modò geniti infantes.*) plerumque debilis esse propensionis in bonum? quare forti praui exempli motiuo in malum, non difficilè corruet: fietque *duplo* quàm illi *filius gehennæ*. Aliquod quippe genus peccati grauissimum, & veluti irremissibile L cuiusmodi est in Spiritum-Sanctum, videtur importare ea forma dicendi *filius gehennæ*; filius enim ait Angelicus M in Scripturis dicitur quis rei alicuius, quæ sibi maximè competit; sicut 1. Regum 26. *filij mortis estis*; id est dignissimi morte.

I ibi a. 4.

L ibi a. 3.

M 1. sent. d. 5 in expos. t.

VERS. XVI. *Væ vobis Duces cæci*; &c.

16. Hos non dicit hypocritas. Sanè hypocrisis est, cùm quis sciens quidquam simulat; vnde malitia præfuit in voluntate: cæcus errat in cognitione veritatis. Quamuis nonnulli, *per diem incurrant tenebras*, Iob 5. *& quasi in nocte, sic palpent in meridie*: qua iusta pœna Iudæi iuxta Dei comminationem hodie plectuntur; secundum illud Deuteronomij 28. v. 29. *& palpes in meridie; sicut palpare solet cæcus in tenebris; & non dirigas vias tuas.* Cæterum hic arbitror, præmissis cohærendo, post hodiernos Prædicatores, consequenter Confessarios increpari. Et quidem nostrates probabilistas; quibus illud Isaiæ conueniat capit. 5. *dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*: quando & ibi præmittitur hæc Domini comminatio; *væ qui dicitis*; &c. Exactè res non examinant; ideo labuntur erroribus *cæci* dicendi; & *cæci duces*: quandoquidem *Sacerdos* est *sacer dux*. Hunc, qui irrepsit modum opinandi, a veritate sanæ doctrinæ alienum vituperat meritò quidem Summus Pontifex; ideoque iam cœpit expurgare agrum Ecclesiæ, & à catalogo sensatarum, opiniones assertas huiusmodi, tanquam erroneas & scandalosas, damnatas explodere. Quemadmodum & hic Dominus dignatur aliquarum exemplo, stultos, cæcosque earum vocans Auctores, similia quæcunque placita reijcere. Coegerunt huiusmodi opinastri, ab eis qui rectè sentirent longas fieri quæstiones, quamquam veritas, quæ vna est, consistat in paucis. Ne ieiuni omnino abeamus; sciat prudens lector ex Angelico N quod intellectus respectu partium contradictionis se habet diuersimodè. Quandoque enim non inclinatur magis ad vnum, quàm ad aliud, vel propter defectum mouentium; sicut in illis Problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ mouent ad vtramque partem: & hæc est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus magis inclinatur ad vnum; quàm ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter mouet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum in vnam partem totaliter. Vnde accipit quidem vnam partem, tamen semper dubitat de opposita: & hæc est dispositio opinantis; qui accipit vnam partem contradictionis cum formidine alterius. Quandoque vero intellectus determinatur ad hoc, quod totaliter adhæreat vni parti: sed hoc est quandoque ab intelligibili, quandoque à voluntate: ab intelligibili quidem quandoque mediatè, quandoque immediatè: quæ sunt dispositiones intelligentis principia; & scientis ex principijs. Et post quàm ibidem dixit de fide, ad quam determinamur ex voluntate, subdit: patet ergo quòd dubitans non habet assensum; cùm non inhæreat vni parti magis quàm alij: similiter nec opinans; cùm non firmetur eius assensus circa alteram partem. Sententia autem, vt dicit Isaac & Auicennas, est conceptio distincta vel certissima alterius partis contradictionis. Assentire autem à sententia dicitur. Similiter & ad Romanos; O differt, inquit, credens à dubitante, qui in neutram partem assentit; differt ab opinante, qui assentit in vnam partem, non cum certitudine, sed cum formidine alterius; differt à sciente, qui per certitudinem assentit ex necessitate rationis. Sic & alibi docet P in neutram partem declinari à dubitante: in aliquam partem declinari, sed aliquo leui signo à suspicante; & vni parti adhærere, sed cum formidine alterius, opinantem. Perpetuò docet opinantem formidare. Et de ratione opinionis esse, Q vt id quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere. Et sic opinio R se habet ad verum & falsum. Vnde quia non habet firmum assensum est quiddam debile & infirmum S secundum Philosophum in primo Politicorum.

N de veritate, q. 14. a. 1.

O Rom. 1. l. 6.

P 2. 2. q. 2. 1.

Q 2. 2. 1. 5. 4.

R p. 2. 55. 4.

S 2. 2. 1. p. 2.

12. Quæ cum ita sint, quis non videat hærentem opinioni minus probabili, debili hærere arundini? quæ fortè nec opinio est, sed suspicio: cum quam dicunt probabiliorem, stet fortioribus motiuis aduersus eam. Quis non videat, vbi præsumantur hinc & hinc opiniones probabiles, falso opiniones nominari; cùm paritas ponderis rationum reddat intellectum dubitantem, non autem opinantem, vt dictum est? Quis non videat opinantem minùs, vt inquiunt, probabiliter; non posse formidinem excutere? Vnde, quantumcunque distinguere velint de intellectu practico & speculatiuo, nisi profundius rem attingant, semper exponi periculo errandi, & contraueniendi legi, præsertim vbi sit lex naturalis vel diuina? Igitur ne laxè nimis in semita mandatorum Dei côntingat incedi, firmissimè explodendi sunt, qui vel æquè probabilem, vel minus probabilem tuentur in praxi opinionem: quia semper, vt dixi, meticulosi & cum trepidatione, ex necessitate erunt: & sic errori commissi & falsitati. Deinde dicendum, vbi sententia emicuerit de re discussa, eam licere & debere omnino nos sequi: cum secludat prudentialiter formidinem; quamuis ad assensus scientifici certitudinem non perueniat. Quare superest de probabiliori loquamur. Quam quidem libenter etiam potiùs sententiam diceremus, quàm opinionem: neque enim ex altera parte contradictionis potest admixti tàm facilè opinio, quæ suis viribus possit formidantem reddere probabiliorem. Vnde vel probabilior, sententiæ nomen lucrata est: vel suo robore sic præualuit, vt è regione nequeat esse realiter opinio, sed potius suspicio. Vnde in concursu probabilioris desinat, quæ erat opinio asserta probabilis, desinat inquam simpliciter opinio esse. Porrò, si tueamur pro minimo hanc probabiliorem, opinionum classe censeri, adeoque inuoluere formidinem seu aliqualem dubietatem, quæ militet aduersus eius sequelam: ea prorsus ratione, qua inhibuimus, ne minus probabilem aut probabilem quis sequatur.

Respondeo quoad speciales hinc & hinc collatas rationes, verè ita esse, ob præfatam intraneam formidinem, quam solo imperio, nequit ratio excutere aut non curare. Sed generalioribus ex principijs elidi hanc formidinem & dubietatem. Quia id ratio naturalis suadet, pro nostræ imbecillitatis commiseratione: siquidem Sapientiæ 9. *homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum*. Vnde cùm pro virili nostra, in dubijs perscrutamur veritatem, sequimurque quod verius nobis

bis videtur, Deo *qui Deus est veritatis* satis obsequimur. Sic vt quis dicere queat; *viam veritatis elegi* psal.118. In quo multæ sunt circunstantiæ prospiciendæ, vt scilicet præ alijs, non fiat contra vel præter verba legis, T nisi per euidentiam documenti, constet legislatorem aliud intendisse. Et si verè adhuc dubitemus, ipsemet legislator rogetur. Deinde, quoniam singulares omnes casus, ab homine excogitari nequeunt, qui legem fert: & si legislator posset omnes consi lerare, non oporteret vt omnes exprimeret ad confusionem vitandam, sed quos vt in pluribus; ideo V ad dispensationem in dubijs recurratur, quoad homines. Quoad Deum non ita, quia in ijs quæ sunt iuris diuini & naturalis simpliciter, non potest ab hominibus X dispensari; vt suis docet locis. Quamuis congruenter quandoque explicentur: sicut cum 1. Machab. 2. *cogitauerunt in die illa dicentes; omnis homo, quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum*: quæ cogitatio A magis fuit interpretatio præcepti, quàm dispensatio. Sic ergo ad defectum pertinet humanum; quòd non perueniatur penitissimè ad veritatē: ideo cum stamus veriori, *& in mādatis eius volumus nimis*, vt dicitur psal.111. Deus, si errari per accidens contingat, nobis non imputat. Sic cum Act. 15. *facta est dissensio*, inter Barnabam & Saulum de assumendo secum Ioanne, qui cognominabatur Marcus, *ita vt discederent ab inuicem*, respondet Angelicus, B talem discordiam inter eos fuisse *per accidens* & *non per se*; vterque enim intendebat bonum: sed vni videbatur hoc esse bonum; alij, aliud: quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controuersia in his, quæ sunt de necessitate salutis. Quamuis hoc ipsum fuerit ex diuina prouidentia ordinatum, propter vtilitatem inde consequentem. Ad hæc docet, C ad amicitiam ex Philosopho non pertinere concordiam in opinionibus. Et propter hoc nihil prohibet, aliquos charitatem habentes, in opinionibus dissentire. Nam opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur. Procedit autem dissensio ex diuersitate opinionum, cum vnus æstimat hoc, de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum in quo conueniunt, & alius æstimat non pertinere. Nunquam tamen, mi lector, in huiusmodi deliberandis, tibi excidat memoria quod dicitur Ecclesiastici 19. *melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi*. Reuertendo ad textum discamus inde, ne cæci dicamur & stulti; non adeo lubrico sensu definire hoc est, vel non est mortale. Omnis enim quæstio, vbi de peccato mortali agitur, nisi expressa veritas habeatur, periculosè determinatur, vt respondet Sanctus Thomas, quodlib.9. a.15.

T p. 2. 96. 6.
V loc. cit. & q.97. a. 4.
X p.1.97 3. & 4. & q.100.8.
A p. 2. 100.8.4.
B 2.2. 37. 1. 3.
C 2.2.29. 3. ad 2.

VERS. XXIII. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam*, &c.

13. In hoc definiendi genere quoad casus conscientiæ, non deest perditorum aliquorum hypocrisis, quam detegit per sequentia. Vbi de minimis agitur scrupulosos se ostentant, grauiorum conniuentia seu etiam contemptu. Quod palam eis obijcit dicens *reliquistis, quæ maiora sunt legis*. Minima non relinquunt, sed satagunt sibi reddi, ne dicam extorquent, indiem Christi populares aggrauando meticulosas animas: ex quo timoratæ conscientiæ lucrentur opinionem. Nam vaticinatur Malachias ex ore Domini cap. 2. *quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* Quicquid ministerij præstent, mercenarium est. Forte non deerunt, qui non erubescant de verbo Dei paciscī, venaliaque facere Sacramenta: confugientes, laborem hac via compensari, non autem quod spirituale est exhiberi pretio. Cùm tamen secreta sit, (an manifesta?) simoniæ labes: vel quia inseparabilis est labor nonnullus à ministerio: vnde, vel venditur vtrumque vel neutrum: seu etiam, quia ex prauitate animi, nisi cederet eis in lucrum, reuera non ministrarent: ex quo difficile sit, vt vtile non sit ratio formalis, sed sola conditio: tertiò quia si pro labore, pro itinere paciscuntur, cur ita excedunt? nunquid pro incommodo aliquo centena soluenda sunt scuta? Ergo vel iniustè recipiunt, vel simoniacè. Scio expressiorem esse sacrorum iniuriam, vbi expressum sit pactum: sed læditur quoque rei sanctitas, sine condicto, quando inæstimabilia, cuiusmodi spiritualia sunt cuncta, auri constituto pretio traduntur.

Rogabis quænam sint, quæ *relinquunt grauiora? Iudicium, & misericordiam & fidem*, inquit Dominus. Pro iudicio, iustitiam dicito. Ieremiæ quippe 17. legimus; *fecit diuitias, & non in iudicio; in dimidio dierum suorum derelinquet eas*. Quare cum ex Angelico; D restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ: arbitror de hoc increpari; quod restitutionem non curent ablatorum. Refert Angelicus; E quæsitum esse à Dæmone, quod est grauius peccatum; & (coactus certè) dixit; habere de alieno; quia alios peccatores sæpe amitto; istos autem non amitto. Igitur & propter rei difficultatem; & quia verum animarum zelum non habent, contingit, vt pro se collectas diligentissimè exquirant; iudicium autem, seu iustitiam huiusmodi relinquant. Præterquam quodcumque effugium occurrat, vt pœnitentes sibi chariores possint ab onere restituendi eximere, probant facillimè: & sic pœnitentes ipsos faciunt etiam hypocritas: quandoquidem, vt ait Augustinus; F *si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur; pœnitentia non agitur, sed simulatur*. Sequitur; *reliquistis & misericordiam*. In hoc enim hypocritæ, non animarum, sed terrenorum quæstores delinquunt; quia eleemosynæ præceptum minimè, nisi cum ipsis fiat, inculcant. Res est grauissima. Hæc vt clarer, potissimum est opus misericordiæ: succurrere indigentibus in necessitate præsertim graui, arctissimè in extrema. Texunt Auctores longas disputationes. Videatur Caietanus satis prolixus tomo 2. opusculorum tractatu 5. Angelicus G suo in loco. *Vtrum eleemosyna sit in præcepto?* Ratio confusioris resolutionis est, quoniam ex parte dantis consideratur quod est redundans, siue superfluum statui suo & conditioni personæ: quocirca Dominus ait Lucæ 11. *quod superest date eleemosynam*: altera ex parte recipientis, considerari potest, communis, grauis & extrema necessitas. Et quia hinc emergit multiplex extremorum comparatio; ideo fit multiplex & implexa quæstio. Sapiens Magister Ioannes à S. Thoma, in suo aureo Compendio totius doctrinæ Christianæ parte 2. cap. 13. rem satis dilucidè edisserit. Vt quam breui fieri potest ipse hinc expediar, semper maiorum veneratus iudicium dico, ex his quæ ab Angelico H haurire potui; indubitabile esse, vbi necessitas proximi extrema non solum est, sed etiam timetur; teneri vnumquemque ad ei succurrendum: nedum de superfluis, nedum de decentibus, sed & de necessarijs, (non dico extremè; quod esset contra ordinem charitatis) suo victui & vestitui. Nec pro extrema necessitate intelligo supremum languorem; nam hoc expectare, vt quis iam fame pereat, impium esset: sed vrgentem intelligo, puta in cibo aut potu, & de huiusmodi; quæ simpliciter vrgent, vt quis viuere queat. Deinde dico; vbi proximi necessitas sit grauis, cuiusmodi est defectus certi victus pauperis, qui nec fixum habet opus manuum suarum, sed solummodo quasi per accidens habet vnde viuat: huic indubitanter de superfluis non solum, sed etiam de statum decentibus teneris ex præcepto succurrere.

14.
D 2. 2. 62. 1.
E D. Th. hic c. 19.
F 2. 2. 62. 2.
G 2. p. 32. 5.
H 2. 2. 32. 5. 4. & 6. 15. 2. a. 1. 9. 4.

Puta

Puta si quis carceri aut exilio subiectus sit, quia debitor est; nec habet quo soluat. Hanc necessitatem proximi dic *absolutam*, sed non *extremam*; nam sic distinguit ibi Angelicus, in 4. sentent. Sanè aliàs proximus, culpa non subleuantis, grauiter patitur. Et natura dictat, quòd quisque in eo statu conquereretur, non sibi succurri. Vnde 1. Ioann. 3. *Qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo?* Et Iacobus cap. 2. *Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis; ite in pace; calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Dico tertiò. Absolutè erogari eleemosynam pauperibus, de superexcedente notabiliter decentiam status, in præcepto est: quod est dicere; de superfluis & redundantibus teneri. Ita expresse Sanctus Doctor I.

I loc. cit. a. 4.

15. Sed tamen, quia praxis non respondet omnino doctrinæ huic, mihi aliud occurrit animaduertendum, quod erit conscientiarum solatio, estque ex 2. 2. vbi quærit. *An Aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum?* L & definit sic esse; concurrentibus tamen conditionibus quibusdam; nimirum, si casus ipsi Aduocato occurrat; non enim tenetur homo per Mundum quærere indigentes; quibus subueniat. Deinde, vt necessitas sit præsens; quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius prouidere. Vnde Diuus Ioannes 1. cap. 3. *qui viderit*; &c. additque vlteriùs considerandum est; vtrum aliquis tantam necessitatem patiatur, quòd non in promptu appareat, quomodo ei possit aliter subueniri. Et in tali casu tenetur ei (qui habet) opus misericordiæ impendere. Si autem in promptu appareat, quomodo aliter ei subueniri possit; vel per se ipsum, vel per aliam personam magis coniunctam, aut maioris facultatis, non tenetur ex necessitate indigenti subuenire: ita quòd non faciendo peccet: quamuis si subuenerit absque tali necessitate, laudabiliter faciat. (Sic 2.2. q. 77. a. 3. quamuis inquit, non sit necessarium, quòd homo alteri semper det auxilium vel consilium pertinens ad periculi vel damni remotionem: nisi cùm alias eius curæ subditur, vel cùm non potest ei per alium subueniri. Hinc in 4. sent. 17. q. 3. a. 1. ad quartam: præcepta affirmatiua non obligant ad statim; sed ad tempus determinatum; non quidem ex hoc quòd tunc commodè impleri possint; quia sic, si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocumque pauper offerretur, peccaret mortaliter: quod falsum est.) Vnde Aduocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solùm concurrentibus conditionibus prædictis. Alioquin oporteret, cum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum iuuandis intendere. Et idem dicendum est de Medico, quantum ad curationem pauperum. Hactenus Diuus Thomas. Ex quibus diligenter attentis, claret excusari homines, qui superfluis etiam abundant, si ea generoso animo non distribuunt pauperibus, quos *semper habemus nobiscum*; quia scilicet desunt de ijs conditionibus: primò quia vel in promptu esset, vnde sibi ipsis succurrerent, nisi pigritia laborarent; vnde si patiantur, sibi imputent: deinde obseruatur passim, si non ab vno, ab alio eis subueniri: vnde quasi in promptu est, qui mei, exempli gratia, supplet defectum. Aliqui etiam verè indigentes, non mihi occurrunt, quos quærere minimè teneor sub mortali. Prætterquam opulenti fermè fierent pauperes, si cæteri singuli tenerentur eis impertiri, quæ sibi supersunt. Verbum ergo Domini Lucæ 11. *quod superest date eleemosynam*, non singulos sed omnes arctat, & sub ijs conditionibus. Et sic

L 2.2.71. a. 1.

de Medico, & Aromatario: quamuis frigidè nimis, in infirmos pauperes se gerant Christiani, præsertim ad rusticorum leuamen. In quibus non ita apparet posse sibi vel ab alijs succurri: quamuis eis, qui occaluerunt incommodis, plerumque quæuis crassior cura sit satis; præsertim quia robustiores effecti morbis resistunt. Veruntamen summæ charitatis esset, vt pro ipsis quoque, quemadmodum in Vrbibus per Hospitalia, aliqua officina misericordi prouideretur. Nec facilè Episcopos, qui negligunt eorum vitam sæpè periclitantem, excusarem. Clericos teneri magis de bonis Ecclesiæ constat, M qui sunt dispensatores, non Domini, bonorum Ecclesiæ; quæ sunt pauperum quos defraudant prodigè expendendo. Vnde Hieronymus; N *bona Ecclesiæ sunt bona pauperum; quicquid præter victum vel necessaria reseruasti, sacrilegium est.* Quàm ergo sanctè eos corrigit Dominus! *reliquistis & misericordiam.* Et pro coronide dicendum est cum Angelico in 2. 2. q. 66. a. 7. res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure deberi pauperum sustentationi. Vnde Ambrosius; *esurientium panis est quem tu detines; nudorum vestimentum est, quod tu excludis; miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis*, quia hæc Deus ordinauit, vt subueniatur humanæ necessitati.

M 2. 2. 119 3. quodlib. 6. 12. & Matth. 5.
N Serm. S. Laurentij.

Sequitur, *& fidem.*

16. Pro hac fide contextui consentaneè intelligo fidelitatem; atque adeo reprehendi, qui zelari negligunt, vel fortè laxis conscientijs delinquunt super iustitia quoque distributiua. Huius dispensatoris proculdubio desideratur fidelitas. Ad dispensatores, inquit, O requiritur bona fides; iuxta illud 1. Cor. 4. *hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Non enim Prælatus Ecclesiasticus Ecclesiæ Dominus est. Hinc aiebat Augustinus Epist. 29. *quis ferat, si quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore?* Hinc etiam Angelicus; P si Episcopus aliquid sibi retinuerit, de ijs, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda; non est dubium, quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. Et prætterea, infideles dispensatores sunt, Q qui in dispensandis diuinis ministerijs, non intendunt vtilitatem populi, & honorem Christi, & vtilitatem membrorum eius; secundùm illud Lucæ 16. *si verò in iniquo mammona fideles non fuistis, quis credet vobis?* fideles autem sunt, qui in omnibus intendunt honorem Dei & vtilitatem membrorum eius; secundùm illud Lucæ 12. *quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Auertat ergo Deus, ne illud Prouerb. 20. eueniat; *virum fidelem quis inueniet?* An non ergo increpandi sunt typo Scribæ & Pharisæi, si qui sint, qui grauiora legis, cuiusmodi fides est seu fidelitas, relinquunt?

O 2.2.63. 2. & q. 185. 7. & quodl. 6. 12.
P 2. 2. 185. 7.
Q 1. Cor. 4. l. 1.

VERS. XXIV. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

17. Hæc profectò sententia expositiua prioris est. Et quamuis nonnulla in caput dicta sint, nunc ad Syntaxin suppetunt alia exquirenda. Semper enim stat admiratio, cur Dominus sua diuina sapientia hanc inter tot, quæ excogitari possunt, delegerit similitudinem: de culice, & de camelo. Quamuis enim *excolare* seu *colare*, sonet *distillare*, & *sublimare*; & sic nimiam industriam possit innuere ac studium minimarum rerum: quod & vulgare prouerbium est *trar dal sottile il sottile*. Nihilominus, cur herbulæ alicuius non attulerit exemplum, cum soleant olera distillari, non verò animaliuscula, operiosius inquirendum est. Non est qui requirat, cum tandem condi specialem intelligentiam, indubitabile sit.

Pro-

Profero igitur meditationem meam quæ talis est; vtinam verbis Domini obsequatur. Scribæ & Pharisæi quoties arctandi fuerint ad aliquid sui dandum aut restituendum, præsertim, si exiguus sit qui susurrat in morem culicis, ægre sufferunt accedat, quasi eorum sit suctururus sanguinem. Si quidquam vel coactè reddituri sint, nonnisi colantes culicem, vt si decem petierit, vix dent dimidium: oculatissimi circunquaque; si possint debitum minuere, creditorique detrahere. Diuus Iacobus cap. 5. in diuites, *ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat*. Certè si Dauid potuit semetipsum comparare pulici; 1. Regum 24. *persequeris pulicem vnum*, non videatur absurdum alato vermiculo signari instantem pro suo iure pauperem. Vbi eis non susurretur, dormiunt inertes. Si diues quispiam ad eos accesserit, comparatus supra cap. 19. camelo, qui restitutionum oneribus prægrauatus sit; vel non audent, vel passionibus excæcati nolunt ad deponenda onera obligare. Quod deglutitur, inquit Angelicus, R non apparet. Quid mirum, si restitutionis onus, quod reuera est, sed isti disparere faciunt, dicantur glutire? Sanè Oseæ cap. 4. sic habet; *peccata populi mei comedent*, loquitur de Sacerdotibus. Scio à plerisque exponi, vt & ab Angelico; S quia de oblatis pro peccatis viuunt; sed ad rem nostram Hieronymus; *Sacerdotes comedent peccata populi; idest ex eis viuunt; dissimulant enim peccata, atque laudant. Ita plurima admittuntur: plurimæque simul ad eorum quæstum afferuntur hostiæ, & populum spoliant ac comedunt*. Gregorius hom. 17. in Euang. *Cur peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia stipendia amittant?* Et Bernardus Serm. 77. in Cant. *peccata populi mei comedent; quasi dicat; peccatorum pretia exigunt; & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non inuigilet subditorum vacuandis marsupijs, quàm vitijs extirpandis?* Cur ergo nobis illiceat sacrum sic textum interpretari? dum facillimo negotio, sicut quæ deglutire quis intentat, demittit facilè, grauiora ceu leuia, ceu nihil faciunt. Sic hominibus placere student, qui Christi serui non curant esse: inde consulentium aut pœnitentium gratiam captant; quod non dissonat Oseæ vaticinio, qui subdit; *& ad iniquitatem eorum, subleuabunt animas eorum*. Sed *maledictus homo, qui confidit in homine*; Ieremiæ 17. *& ponit carnem brachium suum*. Veruntamen Isaiæ 3. *popule meus; qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*.

R 1. Petri 5.

S 3. p. 15. 1. 4. 2. Cor. 5. l. 5. & Apo. 2. com. 1.

VERS. XXV. *Væ vobis &c. quia mundatis, quod deforis est*.

18. Hodie à Præpositis passim audies, commendari exteriorem modestiam, contentis, vt in incessu statu & habitu, nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum. Sic passim obiurgant Parochi clericos suos, præsertim in minoribus, ne gestus sit fractior, ne vox petulantior; rati se simulacrum virtutis sculpsisse, si hæc obtineant. Sic claustralium Capita non rarò increpant subditos, cum in hisce deliquerint, obliti quod est præcipuum interioris hominis compositionem. Ex quo fit, vt ipsi cum sibi commissis, exemplo contenti honestæ conuersationis, dummodo appareant hominibus sine sorde, negligant coram oculis Domini, mundi esse. Laudabile id quidem est, sed non satis; quia *homo videt ea quæ parent*, 1. Regum 16. *Dominus autem intuetur cor*. Quod nisi purgari satagant, *& rapina* repletur *& immunditia*, vt ait Saluator; *rapina* quidem, quia terrenam substantiam ab illusorum fidelium pietate rapiunt; atque *immunditia*, quandoquidem inter alia; *saturitas panis & abundantia fuit iniquitas Sodomæ*. Ezechielis 16. Et si addas, vt ibi, *superbiam*, quæ opulentiæ consecutæ solet esse comes; *otium* quoque, cum nulla exercitatione spiritus, iners fit anima: denique illud, *manum egeno & pauperi non porrigebant*, cernes quàm facile repleti sint *immunditia*.

VERS. XXVI. *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, &c.*

Psalmus 44. *omnis gloria eius ab intus*: T primò, 19.
quia in interiori conscientia, non in exteriori hominum fama: secundò in interiori iustitia, non in exteriori obseruantia, sicuti in veteri testamento: tertiò in spe æterna, quæ est interna, non in spe temporali, quæ est extra. De primo 2. Cor. 1. *gloria nostra, hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: de secundo Roman. 2. *circumcisio cordis non carnis, in spiritu non littera: cuius laus non est ex hominibus, sed ex Deo*: de 3. supra cap. 6. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*: & prius; *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. Cæterum qui exteriorem compositionem vult assequi veluti consectarium quoddam sine labore, interius virtutem colat; *vt fiat id quod deforis est mundum*. Monebat Diuus Franciscus Salesius, vt in reformatione hominum, ab interiori caperetur exordium: anima enim composita exteriorum motuum omnium est moderatrix. Ad virtutem veritatis etiam spectat, V vt aliquis talem se exhibeat in verbis & factis, qualis est interius. Moderatio itaque exteriorum motuum requirit moderationem interiorem passionum, Quomodo enim si homo cordis nostri absconditus, leuior est aut iactantior aut turbidior, potest sic violenter cohiberi, vt non appareat? Merito ergo arguit Dominus superiorem de hac inscitia, *Pharisæe cæce*. Nam vt ibidem respondet Angelicus; X in compositione exteriorum motuum vituperatur studium, per quod aliquis fictione quadam, in exterioribus motibus vtitur; (inordinato fine, vel sui amore;) ita quòd interiori dispositioni non respondeant. Sicut ex Ambrosio damnatur affectatio. Circa huiusmodi exteriorum motuum compositionem ex Angelico item A per Andronicum, ponitur bona ordinatio, quæ respicit conuenientiam ad diuersa negotia, & ea quæ circunstant. Vnde dicit quod est experientia separationis, idest distinctionis actionum. Dicito mi lector; discrimen esse exterioris compositionis in claustro, & in Ecclesia. Quis scit, an non ideo Dominus hic tacuerit de Scriba, solummodo allocutus Pharisæum? vt ex ipsius nomine, quod separatum sonat, hanc Andronici prudentem separationem moneret? Subtilissima est hæc interpretatio, sed sapientiæ Saluatoris, nihil minus conueniens: quando decuit, vt in eiusmodi exteriori studio discretionem modumque nos edoceret.

T ps. 44.

V 2. 2. 168. 1. ad 2.

X ibi ad 4.

A ibi. In corp. art.

VERS. XXVII. *Væ vobis, &c. quia similes estis sepulchris dealbatis; &c.*

Canescit non eradicatum vitium: & *peccatum, cum consummatum fuerit generat mortem*; Iacobi 1. 20.
Hypocrisis, quæ aliquando sic cœpit, in dies augetur. Vnde qui prius dicebantur hypocritæ, nunc pleni hypocrisi dicuntur. Ex quo oportet, vt *a planta pedis* Isaiæ 1. *vsque ad verticem non sit in eis sanitas*. Bene etiam dicit *pleni estis hypocrisi*, quæ comparatur Lucæ 12. fermento. Hinc Sanctus Beda lib. 4. in Lucam cap. 52. *sicut modicum fermentum totam farinæ cui iniicitur massam corrumpit, vniuersamque conspersionem suo sapore commaculat; sic nimirum simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum synceritate & veritate fraudabit*. Sic ergo pleni fiunt, non vno tantum vitio, sed *iniquitate*. Iniquitas quippe B est carentia iustitiæ. Et quidem primo in loco ploranda est iustitiæ iustifi-

B Rom. 4. l. 1.

cantis

cantis carentia; ex qua moritur spiritualiter anima; ea proportione, qua per recessum animæ moritur
C Rom. 1. l.6. corpus. Nam sicut C corpus viuit per animam naturali vita, sic anima viuit per Deum vita gratiæ: quia iustus ex fide formata viuit; sicut ex Habacuc 2. ait Apostolus; *iustus ex fide viuit*. Et ecce, cur *sepulchris dealbatis* eos æquiparat: quæ continent *ossa mortuorum*: fortè hoc exemplo volens indicare periculum totalis mortis, etiam amissa fide; dum vsque ad ossa facta est carnium resolutio in omnem spurcitiam. Vbi enim fides adhuc permanet, non videtur esse omnis impuritas seu spurcitia; quia Act. 15. *fides*
D 2.2.q. 7. 2. *purificat*. Et ideo docet Angelicus, quòd fides informis D excludit quandam impuritatem sibi oppositam, scilicet impuritatem erroris. Amissio chari-
E 2.2.19. 2. 3. tatis E est via ad amittendam fidem. Dic autem ab illis amitti, qui eam recuperare non curant: cuiusmodi sunt hypocritæ, vt in capite diximus. Nam sensim obsolescunt diuinis, sensim spiritualia desipiunt, nauseantur; nec qualia verè sunt, esse creduntur. Iuxta illud 1. Corinth. 2. *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi; & non potest intelligere*. *Spiritus* etiam *sanctus disciplinæ effugiet fictum* (Sapientiæ 1.) *& auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; & corripietur à superueniente iniquitate*: hic autem perhibentur *pleni iniquitate*. Sic Elymas magus Act. 13. in signum interioris cæcitatis, quia infidelis, *quærens auertere Sergium à fide*, imperio Pauli occæcatus est: cum ei dixit eum execrans; *O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ*. Paucis, est ac si dixisset hypocritam. Quamuis vt quod mihi suadeo dicam, nostri temporis Pharisæos & Scribas non quidem amisisse communiter fidem sentiam, sed quia in actum fidei nunquam prodit, esse veluti mortuam & sepultam; vnde *sepulchris* à Domino comparantur; extima tantum fidei superficie *dealbatis*. Et quia Sapientiæ 4. *ex iniquis omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersùs Parentes in interrogatione sua*. (Vnde
F Isa. 14. G ps. 16. ad finem. legit Angelicus F *ex iniquis nascitur iniquitas*; ob imitationem G vt ait in psalmo) ideo tam maiores quàm minores spiritali hac morte moriuntur. Leprosus quippe generat leprosum. Pergit enim hypocritalis hic mos viuendi: quamuis alicubi, etiam negligitur exterior sanctitas. Ideo, vt mihi videtur, colligit in vnum eos omnes Dominus dicens; *væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*. Prius enim in Præpositos loquitur, qui mundant *quod deforis est calicis & paropsidis*, ministros & inferiores scilicet. Deinde singulariter Præpositos; *Pharisæe cæce*; qui nimirum aliorum Dux es; secundum illud, *si cæcus cæco ducatum præstet* supra cap. 15. Et quia *ambo in foueam cadunt*: & hinc de sepulchris pluraliter; *similes estis sepulchris, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum*, plurium scilicet congestorum: quia post parentes filij, post filios, illico nepotes spiritaliter exanimati; etsi *à foris pareant hominibus iusti* mysticè consepeliuntur. Vnde & mox hanc in malis imitationem carpit dicens; *testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum*.

VERS. XXIX. *Væ vobis*, &c. *quia ædificatis sepulchra Prophetarum* &c.

21. Non potest sacer textus non illico exsuscitare species de speciosis sumptuosisque Altaribus & Templis, præter etiam Mausolea magnifica, quæ in Diuorum honorem, Magnatum deuotio extruit: cum cæteris, quæ auro & argento pretiosaque supellectili sacra, in Ecclesijs ad stuporem vsque cernuntur. Deo Optimo Maximo nunquam satis rependimus. Sed considerat his attentis Chrysostomus Christum Dominum, non minus egere in pauperibus pasci, & in nudis vestiri, quàm in Templi parietibus exornari. Igitur has minùs prudenter factas expensas videtur Dominus tacitè improbare; vbi interioris Templi ornamenta virtutum non curentur: in quo certe laici opulentiores passim delinquunt: interdum etiam ob captatam humanam gloriam, meritò amisso. Hi sub Scribarum & Pharisæorum typo obiurgandi veniunt, cum alijs huius farinæ Mundi amatoribus; quòd instar tyrannorum qui in dilaniandis Sanctis Martyribus debacchati sunt in eorum corpora, ipsi truculentius sæuiant in bonæ indolis animas. Augustinus certam persecutionem, quam patiuntur boni à malis sic explicat 18. de Ciuitate Dei cap. 51. *quicunque volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur* 2. ad Tim. 3. *quia cum ab eis qui foris sunt non sæuientibus videtur esse tranquillitas, non tamen desunt; immo multi sunt intus, qui corda piè viuentium suis prauitis moribus cruciant; quoniam per eos blasphematur christianum & catholicum nomen. Patiuntur quidem hanc persecutionem, non in corporibus sed in cordibus* (recole de Sancto Loth 2. Petri 2. nam nefandi illi *de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*.) *Quanquam dolor, qui fit in cordibus piorum, quos persequuntur mores Christianorum malorum, prodest dolentibus; quoniam de charitate descendit; qua eos perire nolunt, nec impedire salutem aliorum*. Claudit deinde pro nostra Syntaxi mirabiliter dicens; *sic in hoc sæculo de numero persecutionum in his diebus malis, non solum à tempore corporalis præsentiæ Christi, & Apostolorum eius; sed ab ipso Abel, quem primum iustum impius frater occidit, & deinceps vsque ad huius sæculi finem, inter persecutiones Mundi, & consolationes Dei, peregrinando procurrit Ecclesia*. Ecce quomodo sanctus eius calamus *Abel*, (de quo hic Dominus; *ab Abel iusto*, &c.) commemorat, & procursum Ecclesiæ, quem versamus pro nostro Instituto prænunciat. Verùm fertur idem Sanctus Pater Augustinus H dixisse; *omnes* H 1. Petri 2.
mali persequuntur bonos, non ferro aut lapidibus, sed vita & moribus (ps. 11. *saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus*.) Alibi Angelicus I compellunt nos ad casum exempla cadentium; sicut Angeli ad exemplum Luciferi. At malorum Christianorum persecutio, etiam ad extraneos extenditur: dicit enim idem Augustinus in psal. 30. *quam multos putatis fratres mei, velle esse Christianos; sed offendi malis moribus Christianorum*: Hinc & Chrysostomus; *iam dudum infideles sectam suam reliquissent, & nostram Religionem amplexati fuissent, nisi vita nostra retraherentur*. Sed tertiò mali persequuntur bonos, quia bonos oderunt. Super illud ad Galat. 4. *sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum; ita & nunc*: (loquitur de Ismael & Isaac) habet Angelicus; L à principio primitiuæ Ecclesiæ Iudæi persecuti sunt Christianos, vt patet in Actibus Apostolorum; & facerent etiam nunc si possent. Nunc etiam carnales persequuntur in Ecclesia spirituales viros, etiam corporaliter: illi scilicet, qui quærunt gloriam & temporalia lucra in Ecclesia. Vnde dicitur in glossa: *omnes, qui in Ecclesia terrenam fœlicitatem quærunt, ad hunc Ismaelem pertinent*. Ipsi sunt, qui contradicunt spiritualibus proficientibus, & detrahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas dolosas, & subdolosas. Spiritualiter autem persequuntur spirituales filios superbi & hypocritæ: Nam aliquando aliqui manifestè carnales & mali, culpam suam recognoscentes bonis se humiliant: fatui verò bonitatem quam ipsi non habent, persequuntur in alijs.

I p. Cor. 10.1.4.

L Galat. 4.1.9.

VERS. XXXVI. *Amen dico vobis; venient hæc omnia super generationem istam*.

Hieronymus; *Regula Scripturarum est, duas gene-* 22.

nerationes, bonorum & malorum nosse. Dixit autem Dominus; *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est*; &c. Deinde transit, dicens; *venient hæc omnia.* Quare in effusione huiusmodi sanguinis reatus multos incurri necesse est. Ita sanè; quia malorum generatio, quæ multifariam iustis mysticam persecutionem commouet, lapsuum, vel prouocando, in causa est. Et quoniam in Scri-
M Apoc. 8. pturis peccatum significatur per sanguinem; M ratione infectionis, ratione horroris, ratione signi mortis: quia peccatum turpiter inficit, horribile est, & signum mortis spiritualis: ideo dic meritò & hic pro peccatis vt exposuimus accipi. Cohærent Scripturæ. Nam Apocalyps. 8. dicitur; *tertia pars maris sanguis.* Et Osee 4. *maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt; & sanguis sanguinem tetigit.* An hodie vaticinium opere compleatur, nesciat qui potest. Sceleratissimè enim, & effræni licentia committuntur. Ecclesiaste capit. 8. etenim, *quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* Cùm ergo impunitas sit, vt ait Bernardus, *transgressionum nutrix, insolentiæ radix, impudentiæ Mater, negligentiæ soboles*; caueant quibus incumbit, ne indulgeant; recolatque qui potestatem habet, Roman. 13. quia *Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum agit; non enim sine causa gladium portat.* Nam Rom. 1. *digni sunt morte, non solum qui ea faciunt; sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Vnde glossa, 23. q. 3. c. *qui potest. Qui potest obuiare & perturbare peruersos & non facit, nihil est aliud, quàm fauere impietati: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Confessariorum onus erit in diem Christi, si Iudicum, conscientiarum non penetrent sinus; vt queant hisce languoribus mederi. Si enim qui puniuntur exilio, irremissibiliter perpetuò eam luerent pœnam, cauerent cœteri. Cùm reuocantur ab exilio, in ipsis atque in alijs facinorosis relegatur timor: & absque timore vllo perpetrant mala. Et quia quasi cancer serpit patratum ab vno scelus, præsertim impunitum, vt alios silenter moneat: ideo super generationem istam, *veniunt hæc omnia.*

VERS. XXVII. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*; &c.

23. Confectarium est, vt tropologicè seu moraliter, Ierusalem stet pro anima: Sophoniæ 1. *scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Mysticè subinde Prophetas occisos intellige: hoc est Dei comminationes, siue interius siue exterius tibi factas: nam Prophetæ vt populum ad Deum reuocarent, minis passim vtebantur. Ne sic occidantur salubres comminationes, dicitur 1.
N 1. Tes. 5. l. 2. Thess. 5. *spiritum nolite extinguere*; scilicet N cum aliquis bonus motus surgit, ne impediatis. Et si legas, mox sequitur; *Prophetias nolite spernere.* Vbi item Angelicus; exponentes diuinam doctrinam dicuntur Prophetæ: quasi dicat; non spernatis verba Dei, & prædicationes. Occasione quippe prædicationis huiusmodi comminantis, in Ieremiam re ipsa conspirabant persecutores; vt patet c. 20. *quia enim vociferans iniquitatem & vastitatem clamito; audiui; persequimini & persequamur eum, & consequamur vltionem ex eo.* Sequitur; *& lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Quod item spiritaliter facit peccator; cum & à longè olfactam inspirationem reiectat. Hodie certè nec *promissis flectimur, nec verberibus emendamur*; quod aiebat Gregorius. Promissiones lapidant non occidunt. Hebr. 11. *iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes. Prophetas* ergo de medio tollunt extincto timore; *lapidant ad se missos*; spe quoque obruta. Et fortè non desunt; *qui*, vt apud Sophoniam cap. 1. *dicunt in cordibus suis; non faciet benè Dominus, & non faciet malè*; qui, vt explicat glossa apud Angelicum, O tollunt Domini O opusc. 58. c. 12. prouidentiam, putantes, quòd nec bonis bona, nec mala malis possit reddere, sed omnia casu regantur: psal. 13. *dixit insipiens in corde suo; non est Deus*: iustus iudex; qui iudicat peccata.

Sequitur, *Quoties volui congregare filios tuos.*

In psalmum P sic ait ad illa verba; *saturati sunt* 24.
P ps. 16. *filijs*; mala opera dicuntur filij malorum; sicut bona opera sunt filij bonorum. Sic exponit Augustinus in psal. 83. illud 1. ad Timoth. 2. *saluabitur autem per filiorum generationem*; dicens; *Mulier vidua sine filijs, si perseuerauerit, nonne beatior erit? numquid salua non erit, quia non parit filios? Salua ergo erit mulier, quæ in typum carnis accipitur per filiorum generationem; idest si faciat opera bona.* Et sanè videtur id ipsum intelligi ex psal. 89. vbi dicitur, *respice in seruos tuos, & in opera tua; & dirige filios eorum*: dum mox sequitur; *& opera manuum nostrarum dirige super nos. Voluit Dominus congregare hos filios.* Quid sibi vult ly *congregare*? Facit satis Augustini doctrina in psal. allegato, ad illa verba; *& turtur nidum sibi, vt ponat pullos suos*: vbi ait; *quàm multi etiam pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, suscipiunt hospitem, visitant ægrotum, consolantur inclusum? quàm multi hæc faciunt? Quasi videtur parere turtur; sed non sibi inuenit nidum. Non vbicunque, turtur inuenit nidum sibi, vbi ponat pullos suos. In fide vera, in fide catholica, in societate vnitatis Ecclesiæ pariat opera sua.* An non ergo profundè dixerit Dominus, *volui congregare*? In Iudæos, de quibus in capite, primò id obijcitur: deinde & malis Christianis indolet. Quibus alio in sensu sic possumus interpretari, vt congregare voluerit eorum opera; vt nimirum fierent in charitate; 1. Cor. 17. *omnia vestra in charitate fiant.* Congregari quippe est in vnum colligi: Ioan. 11. *vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Ad hæc ex Augustino in eo psal. 89. quandoquidem post quam pluraliter dictum est, *& opera manuum nostrarum dirige*, adijcitur, *& opus manuum nostrarum dirige.* Quodnam opus? *Vnum opus est charitatis, tanquam volens ostendere, ipsa opera vnum opus esse; idest ad vnum opus dirigi; tunc enim recta sunt opera, cùm ad hunc vnum finem diriguntur; finis præcepti* Roman. 10. *charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Facit etiam ad infideles, congregari opera in vnum; quia vt ibidem ait ex Apostolo Galat. 5. *fides est quæ per dilectionem operatur.* Ioan. 6. *hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille*; interrogauerant autem; *quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Quoniam verò, vt dicitur Isaiæ 26. *Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis*: quomodo id satiùs potuit insinuari, quàm si ea, *pullos*, se ipsum *Gallinæ* similitudine amantissimum vocaret. Et quoniam prætera ex Gregorio *virtus boni operis perseuerantia est*: ideo ad perseuerandum præstat confugium, vt sub alas eius diuinæ protectionis, ne inferni miluus rapiat, congregemur. *Pullus sum*, dixit aliquando Deo Augustinus; *nisi me protegas, miluus me rapiet.*

VERS. XXXVIII. *Ecce relinquetur vobis Domus vestra deserta.*

Habet Apostolus 2. ad Corinthios 5. *si terrestris* 25.
domus nostra huius habitationis dissoluatur: domus Q idest corpus. Mens autem seu anima rationalis se Q 2. Cor. 5. 1. 1. habet ad corpus, sicut homo ad domum: Iob 4. *qui habitant domos luteas.* Fas sit ergo probata in Scripturis metonymia, vt continens pro contento accipia-

piatur: ac si diceret, anima vestra relinquetur vobis deserta. Terrifica sententia: nam Isaiæ 5. sub vineæ metaphora de domo Israel, & de viro Iuda eius germine, postquam præmissum est, *ponam eam desertam*; sequitur; *non putabitur & non fodietur; & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo desuper, ne pluant super eam imbrem*: At in Iudæos sic indignari Cœlum meritò video; sed cur in peccatores, non ita perspicuum. Veruntamen Domino largiente sic procedamus. Ab ingratis tandem, do-
R 2. 2. 107. 4. ctrina est Angelici, R subtrahenda sunt beneficia. Aiebat Bernardus: *ingratitudo est ventus vrens & exsiccans rorem misericordiæ, fluenta gratiæ, fontem pietatis*. Beneficia quidem hic satis manifestantur; dum animantis adeo amantis suos filios dignatur Dominus subire similitudinem, vt ab hoc excessu cætera colligantur. Et quia ob vnum aut alterum beneficium, cui non retribuatur, non debet quis damnari tanquam ingratus, vt ibidem: sed immo debet beneficus iteratis beneficijs conari, vt ingratitudinem sanet: ecce Dominus iterationem prætendere dum ait; *quoties volui*. Lucæ 6. *Altissimus benignus est super ingratos & malos*. Habet autem
S ibi a. 2. ingratitudo diuersos gradus; S secundum ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur. Summus autem est, vt quis beneficium non recognoscat; siue per obliuionem, siue quocunque alio modo. Excessus est etiam ingratitudinis; cùm quis beneficium vituperat: & cum beneficium quasi maleficium reputat. Dic ergo in hoc pessimè deuolutos Iudæos incredulos; & si qui sint qui exciderint à fide. Cæteri fideles in eo deprehenduntur diuinis beneficijs ingrati, quòd ea non accipere velint. Vnde aiebat
T 2. 2. 106. 4. Seneca apud Angelicum; T *vis reddere beneficium? benignè accipe*. Incusantur ergo hi omnes ingratitunis: cuius merito beneficia sunt subtrahenda, vt hic
V 2. 2. 107. 4. ait Dominus: quamuis beneficum V non oporteat mox manum retrahere: sed immo debet ad hoc tendere, vt de ingrato gratum faciat: quod si non potest primo beneficio facere, fortè faciet secundo. Ideo puto non dixisse; relinquam domum vestram desertam: sed *relinquetur* passiue; quia reuera sic relinqui meretur. Cæterum tantum abest, vt ipse minus concupiscat conferre beneficia; quin potius suggerit illico, quomodo possint ea consequi.

VERS. XXXIX. *Dico enim vobis; non me videbitis amodo, donec dicatis: benedictus qui venit in nomine Domini*.

26. Quid est, *non me videbitis*; &c.? Et quandonam sequens implendum fuit, vt dicerent siue Iudæi siue peccatores alij; *benedictus qui venit in nomine Domini?* Sciat lector, profundo hoc Domini eloquio æquiualere, ac si diceretur, beneficia non vltra conferam. Cohærentissime quidem ad præcedentia. Quod sic accipe. Iob 9. *si venerit ad me, non vi-*
X Iob 9. 1. 1. *debo eum* Considerandum est; X quòd in Scripturis, Deus venire ad hominem dicitur, quando ei sua beneficia largitur; siue intellectum eius illuminando, siue affectum inflammando, siue qualitercunque ei benefaciendo. Vnde dicitur Isaiæ 35. *Deus noster ipse veniet, & saluabit nos*. E contrario verò Deus ab homine recedere dicitur, quando ei sua beneficia, vel suam protectionem subtrahit: (obserua lector, quàm apposite dictum sit de subtractione beneficiorum ab ingratis: & in textu de protectione *sub alas*.) secundum illud psal. 9. *vt quid Domine recessisti longe?* Subdit autem alias hanc propositionem; *homo Deum non videt; quia eius beneficium non percipit*. Ex his igitur dicito; *non me videbitis amodo* cum priuati meis beneficijs ingrati merueritis; *donec dicatis; benedictus qui venit in nomine Domini*. Audiamus Angelicum ad illud Apostoli; *benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Chri-*
sti. A Sciendum quòd nos benedicimus Deum, & A 2. Cor. 1. l. 2.
Deus benedicit nobis; sed aliter, & aliter. Nam dicere Dei est facere; psal. *ipse dixit & facta sunt*. Vnde benedicere Dei, est bonum facere, & bonum infundere; & sic habet rationem causalitatis; Genes. 1. & cap. 22. *benedicens benedicam tibi*. Dicere autem nostrum non est causale, sed recognoscitiuum & expressiuum. Vnde benedicere nostrum idem est, quod bonum recognoscere. Cum ergo gratias agimus Deo, benedicimus sibi: idest recognoscimus eum bonum, & datorem omnium bonorum; Tobiæ 12. *benedicite Deum Cœli*; & Danielis 3. *benedicite omnia opera Domini Domino*. Requirit ergo, stante hac nobili doctrina, vt dicant aliquando *benedictus qui venit*; &c. siue, vt gratias agant; siue vt recognoscant diuina beneficia; siue vt desinant esse ingrati. Ingratus enim est qui non recognoscit, B B 2. 2. 107. 1.
vel non laudat beneficium & benefactorem. Estque huiusmodi ingratitudo mortale peccatum, vel ex interiori contemptu, vel quia subtrahit, quod esse potest necessarium ipsimet benefico. Dic tu hoc ipsum apparere theologicè manifestius. E contra primus gratitudinis gradus est, vt homo C acceptum benefi- C ibi a. 2.
cium (dicamus hic exhibitum, vt loquitur in Sermone de Sacramento Angelicus; *immensa diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Christiano*) recognoscat: secundus vt laudet & gratias agat: tertius, quòd retribuat pro loco & tempore secundum suam facultatem. Sed aio ipse, *quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Donec ergo Iudæus ingratitudinem ponat ac detestetur; sic & Christianus tot sibi collatis beneficijs, meretur non videre beneficentissimum Dominum. Vnde Isaias præscius capit. 8. *abscondit faciem suam a Iacob*; & Deuteronomij 32. signanter hisceque sacris textibus cohærenter; *abscondam faciem meam ab eis; & considerabo nouissima eorum; generatio enim peruersa est, & infideles filij*. Aduersus autem impios, qui, vt dictum est ex Sophonia, blasphemant, *non faciet benè Dominus, & non faciet malè*; stat prouidentiam diuinam ostendens gallinæ similitudo; quando non casu, sed innato studio, ad hoc etiam alas habet vt pullos protegat. Prouidentiam enim intelligamus, *rationem ordinis rerum, vos in fines, finiumque omnium tandem in vnum finem*. Igitur nisi recognoscant humanæ redemptionis beneficium, venisseque Christum Dominum *in nomine Domini*. haud sunt Iudæi eum visuri, nouo aliquo huiusmodi inenarrabili beneficio. Ioan. 5. *ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Mali Christiani; nisi eum recognouerint beneficentissimum *in nomine* item *Domini*, per timorem excitati ad pœnitentiam; Malachiæ 1. *si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* non sunt eum visuri.

Chrysostomus hic etiam secundum aduentum non respuit significari. Sed ipse tunc cum venerit ad 27.
iudicium, eum visuros esse libenter plaudo, sed quomodo tunc rebelles dicturi sint, *benedictus qui venit in nomine Domini*, non statim intelligo. Præsertim quia immo blasphemabunt damnati nomen Domini; secundum illud Apocalyps. 16. *æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas*; quia
D detestabuntur diuinam iustitiam, & sic erit in eis D 2. 2. q. 13. 4.
interior cordis blasphemia. Et credibile est, quod post resurrectionem, erit in eis etiam vocalis blasphemia; sicut in Sanctis vocalis laus Dei. Veruntamen hoc ipsum & in sacro textu significari, dum ait donec dicatis; *benedictus qui venit*; &c. non fuerit nouum. Animaduertit enim Angelicus E E Iob. 1. l. 1.
crimen blasphemiæ tam horribile esse; vt pia opera ipsum nominare proprio nomine reformident; sed ipsum

ipsum per contrarium significant. Et sic illud Iob 1. *ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*; probat significare posse; *maledixerint* à contrario sensu diuisim. Sic antiphrasi vtimur abusiui nominis, & etymologiæ, vt bellum dicimus, quòd minimè bellum. Erudimur de his ab Angelico; qui in altera Canticor. Expositione, ibi *veni de libano* f ait, dicitur Mundus libanus, idest candidus per contrarium; quia in eo non est candor; sicut lucus, quia caret luce; & piscina, quia caret piscibus: sic dicitur Mundus, quia caret munditia. Paueant qui non sanctè viuunt sancta in Ecclesia, quos sub hoc tempus increpari à Domino vidimus, minacibus tot *væ*. Nam & in eos dictum potest accipi; *non me videbitis amodo, donec dicatis; benedictus, qui venit in nomine Domini*: siquidem Iob 13. legitur; *non veniet in conspectu eius omnis hypocrita*. Qui cum sit iniquus, se iustum profitetur, g & vias suas non arguit coram Deo. Vnde non veniet in conspectu eius, vt videat Deum; in quo vltima salus hominis consistit: veniet tamen in conspectu eius, quasi ab eo iudicandus.

f Cant. 4. in recenti expositione.

g Iob 13. 1.1.

CAPVT XXIV.

1 *ET egressus Iesus de templo ibat. Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædifica-* Mar. 13. a. 1.
tiones templi. 2 *Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico* Luc.21.b. 5.
vobis, non relinquetur hìc lapis super lapidem, qui non destruatur. 3 *Sedente autem* Luc.19.g.
eo super Montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc 44.
erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? 4 *Et respondens Iesus, dixit* Ephes. 5. b.6.
eis: Videte ne quis vos seducat, 5 *multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Chri-* Col. 2.d. 18.
stus: & multos seducent. 6 *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne tur-*
bemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. 7 *Consurget enim gens in gentem, & re-*
gnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. 8 *hæc autem omnia*
initia sunt dolorum. 9 *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omni-* Ioa.15.e. 20. & 16.
bus gentibus propter nomen meum. 10 *Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, &* a.2. Sup.10.c.
odio habebunt inuicem. 11 *Et multi pseudo-prophetæ surgent, & seducent multos.* 12 *Et quo-* 17.
niam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: 13 *qui autem perseuerauerit vsque in* Luc.21.c. 12.
finem, hic saluus erit. 14 *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium*
omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. 15 *Cum ergo videritis abominationem desolatio-*
nis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat: 16 *tunc qui* Marc. 13. b. 14.
in Iudæa sunt, fugiant ad montes, 17 *& qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua:* Luc.21.d. 20.
18 *& qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.* 19 *Væ autem prægnantibus, & nu-* Daniel.9.
trientibus in illis diebus. 20 *Orate autem, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato,* 21 g.17.
erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. 22 *Et* Actor. 1. b.12.
nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies
illi. 23 *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hìc est Christus, aut illic: nolite credere.* 24 *Surgent* Marc. 13. c.21.
enim pseudo christi, & pseudo-prophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem Luc.17.c.
inducantur (si fieri potest) etiam electi. 25 *Ecce prædixi vobis.* 26 *Si ergo dixerint vobis:* 23.
Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. 27 *Sicut enim fulgur exit* Luc.17.g.
ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. 28 *Vbicunque fue-* 36.
rit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ. 29 *Statim autem post tribulationem dierum illorum,* Marc. 13. c.24.
Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum Luc.21.e. 25.
commouebuntur: 30 *& tunc parebit signum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus* Ezec. 32.
terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate. b.7. Isa.13. b.
31 *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ven-* 10.
tis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. 32 *Ab arbore autem fici discite parabolam:* Ioel 3. c. 15.
cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas: 33 *ita & vos cum* Apoc. 1.
videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis. 34 *Amen dico vobis, quia non præteri-* b.7. 1.Cor.15.
bit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35 *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea* g 51.
non præteribunt. 36 *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus* Marc.13. d.31.
Pater. 37 *Sicut autem in diebus Noe, ita erit, & aduentus Filij hominis:* 38 *sicut enim erant* Luc.17.f.
in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum 26. Genes. 7.
diem, quo intrauit Noe in arcam, 39 *& non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes:* b.5.
ita erit, & aduentus Filij hominis. 40 *Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relin-*
quetur: 41 *duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur.* 42 *Vigilate ergo, quia*
nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 43 *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfa-* 1.Thes.4. d.17.
milias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. 44 Marc.13. d.32.
Ideo, & vos estote parati: quia qua nescitis hora, Filius hominis venturus est. 45 *Quis putas,* Luc.12.e. 39.

est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, vt det illis
cibum in tempore? 46 *Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facien-*
Apoc. 16. c. 15. *tem:* 47 *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* 48 *Si autem dixerit*
malus seruus ille in corde suo; Moram facit dominus meus venire: 49 *& cœperit percutere con-*
seruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis: 50 *veniet dominus serui illius in die, qua*
Supr. 13. f. 42. *non sperat, & hora, qua ignorat:* 51 *& diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis; illic*
Infr. 25. c. 10. *erit fletus, & stridor dentium.*

VERS. I. *Et egressus Iesus de Templo ibat; &c.*

1. Tunc *accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes Templi.* Quæritur, de causa huius accessus, qui omnino superuacaneus videtur: quandoquidem structuram Templi magnificam iam Christus prænouerat. Dic, ostendebant, non vt ei innotesceret; sed quia mirabantur, pandebant admirationem suam: quia quæ sunt affabrè facta; non semel consueuimus prospicere, & collaudare, sed quoties in ea fertur oculus. Hanc innuunt intelligentiam Lucas, & Marcus; qui ab vno discipulo commemorat dictum; *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.* Vnde bene potest esse, reflexè id suggerentibus alijs, ab isto discipulo dictum fuisse; vt modestè penetrarent, de quo ex præmissis dubitauerant; si templum destruendum esset, necne? quasi dehortantes, ne tantum permitteret excidium, si fieri posset. Quod postremum sensit Origenes. Verum dispensatione diuina immittitur discipulis isthæc cogitatio, vt inde occasionem nactus edisserat ad amussim propheticè quæ ventura essent, nedum proximis ijs temporibus; sed & prope finem Sæculi. Quæ quidem dolenter humano affectu prædixisse indubitabile est; quando aliàs Lucæ 19. *videns Ciuitatem fleuit super illam.* Vltimam ergo prænunciat Templi quoque ruinam; quam sic exaggerat; *non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*

VERS. III. *Dic nobis quando hæc erunt: & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi.*

2. Certiores facti, & Apostoli de Vrbis Templique euersione; dico & Apostoli; quia reor prius interrogantes, non fuisse de duodecim, sed alios de turba discipulorum eius. Isti autem in Monte Oliueti fuere Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, vt apud Marcum cap. 13. Curiosè igitur rogant de tempore; quando hoc futurum sit, vlteriusque de suo secundo *aduentu*; subinde, & *de consummatione sæculi.* Signanter autem sedet super Montem Oliueti, cum rogandus est de consummatione sæculi, quia illuc est venturus ad iudicium, vt videbimus cap. sequenti.

VERS. IV. *Et respondens Iesus dixit eis; videte, ne quis vos seducat.*

Directè quæsitis non respondet alta sapientia; quamuis indulgens, nonnihil ad ea quoque dicat, quæ omnino impenetrabilia sunt; quia v. 36. *de die illa, & hora, nemo scit.* Deliquerant primò discipuli, aliqua ex parte vitio curiositatis: quia
A 2. 2. 167. 2. cum cognitio sensitiua A non ordinatur ad aliquid vtile, sed potius auertit hominem ab aliqua vtili consideratione, vitium sapit. Vnde Augustinus in libr. Confessionum; *canem currentem post leporem iam non specto, cum in circo fit. At verò in agro, si casu transeam, auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa venatio. Et nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea, cito admoneas, vanus hebesco.* Ecce mi lector, illaudatum simpliciter fuisse discipulorum obtutum in Templi lapides, & structuras. Et adhuc quare Domino potuerint hæc considerare; quia ipse omnis perfectionis exemplar, curiosè nunquam respexerat: neque enim fugit vitij rationem curiositas ab inordinato surgens appetitu. Sic & Apostoli futurorum tot sciendorum libidine tacti; vbi ad subliniorem finem deerat directio, tacitè arguuntur à Domino; qui antequam faciat satis quæsitis, vtilia considerat; deque ijs admonet quæ possunt curiositatem illam honestare. Neque enim, vt ait Augustinus, B *in consideratione creaturarum est vana, & peritura curiositas exercenda; sed gradus ad immortalia, & semper permanentia faciendus.* B loc cit. a. 1.

VERS. V. *Multi enim venient in nomine meo dicentes; ego sum Christus.*

Humani generis hostis in ipso suæ exterminationis initio, quandoquidem præsentiebat, se cousque in Mundo principantem ejiciendum foras, extremos facturus erat conatus, ne triumpharetur. Iliadem ergo malorum prænunciat Dominus; quemadmodum aliàs ait homil. 34. in Matthæum Chrysostomus; *vt nemo suspicaretur ex Magistri infirmitate tam grauia mala descendere; deinde ne qui ea passuri erant, subito ac inopinato eorum euentu perturbarentur: denique vt eius præscientiæ vim edifcerent.* Sane Deuteronomij 18. prædictum fuerat: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui; & ponam verba mea in ore eius; loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.* (& prius, *ipsum audies*) *Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Nobile futuri Messiæ vaticinium; quod proinde expendit Petrus Actorum 3. & Stephanus capit. 7. Ibidem autem signum datur ad eum agnoscendum: *hoc habebis signum: quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui Propheta confinxit.* Quomodo Christus dictus 3.
C 3. p. q. 7. 8. Ioan. 4. l. 6. & pl. 44. sit Propheta, C edisseritur pluribus in locis. Quia ergo Deus vtitur omnibus peccatis ad aliquod bonum; D ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum; vt dicitur in Enchiridio capit. 11. ideo dic D 1. 2. 78. 4. euentura huiusmodi permissa fuisse; vt suorum fidelium constantior emicaret virtus; Prouerb. 17. *sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita corda probat Dominus.* Et Ecclesiastici 2. *in igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Roman. 5. *tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem: spes autem non confundit.* Occasio etiam ingentis boni inde emergit; quia hæc prænoscens Dominus, quis esset comprobatur; siquidem Ecclesiastes 8. *homo futura nullo scire potest nuncio.* Hinc Isaiæ 41. *annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos.* Et præsertim cùm agitur de interiori hominis; quia Ieremiæ 17. *prauum est cor omnium, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Cogitationes quippe cordium, nisi prodeant in effectus, E Deo tantum sunt naturaliter cognitæ, E p. p. 57. 4.

1. Co-

1. Corinth. 2. *quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Quare si diligenter expendamus, quæ hic prædicit Dominus, hoc ipso ipsum verum Deum agnoscemus. Neque enim futura aliqua suis in causis explorabilia denunciat; sed quæ à solo pendent arbitrio: & de iis, qui nondum nati erant, cum hæc prædiceret. Et nedum seductores prænoscit, sed & seducendos docet. Et sic vndequaque omnia *nuda & aperta erant oculis eius*. Inter hos quos præscit Dominus, comparuit prior aliis perinfamis histrio Simon Magus, de quo Actorum 8. qui vt recolit Hieronymus, *se magnam dicebat esse Dei virtutem: ego sum sermo Dei; ego sum speciosus; ego Paracletus; ego omnipotens; ego omnia Dei*. Ex Sancto Augustino tomo 6. de hæresibus; aiebat, *se in Monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Iudæis; tempore Tiberij in filij persona putatiuè apparuisse; postea se in linguis igneis Spiritum-Sanctum super Apostolos venisse; Christum autem, nec venisse, nec à Iudæis quidquam pertulisse. Sed beatus Apostolus Petrus eum vera Omnipotentis Dei virtute extinxit*. At inquit Maluenda lib. 10. de Antichristo cap. 12. de Simonis volatu, deque eius casu precibus Petri & Pauli, cùm sit res omnibus notissima, abstinemus. Porro libet referre ex Augustino tomo 10. in Sermone 4. *hodierna die beati Apostoli* (Petrus & Paulus) *sanguinem profuderunt, quòd Simonem Magum orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Petrus illum, qui magicis artibus volare cœperat, in saxo elidens, eius crura confregit*.

4. Post Simonem, Iudæus quidam Barchozba affectans appellari, se Messiam in lege promissum, post euersum Templum à Tito confinxit: filiumque post se reliquit, qui item dicebat; ego sum Messias. Subdit Thomas Maluenda de Antichristo lib. 1. capit. 9. post hæc diffusè narrata: *non vnus aut alter, sicut nuper vidimus, sed complures sunt reperti, qui eò se dementiæ egerunt præcipites, vt tanquam veri Christi haberi à populo concupierint*. Ex Sancto Seuero Sulpitio, fert historiam de quodam Iuuene in Hispania, se priùs Eliam, Christum deinde ementito. Ex Sancto Gregorio Turonensi alterius cuiusdem impostoris arreptitio, consimilem insaniam narrat. Item ex Græcorum Annalibus; tempore Leonis Isaurici, & Sancti Gregorij secundi, nebulonem quendam veteratorem Syrum multos Iudæorum seduxisse, dum se Messiam in lege promissum falsò iactaret. Anno salutis millesimo quinquagesimo, quidem Iudæus, nomine Lemlem, imposuit aliis Iudæis in Germania, se verum esse Christum, tandiu ab illis expectatum. Haud equidem multis retro annis in nobili Lusitaniæ Vrbe Setobal, consimilem exercuit fraudem impostor alius recutitus. De huiusmodi perge ibi apud Maluendam. Huius furfuris fortè dicito quem memorat Gamaliel Act. 5. dicens; *ante hos dies extitit Theodas, dicens; se esse aliquem; cui consensit numerus virorum, circiter quadringentorum: qui occisus est: & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt; & redacti ad nihilum*. Possumus his omnibus dicere, quod ait Chrysostomus Orat. 2. in Iudæos, *quàm multa fertur Apollonius ille Tyanæus fecisse! Verùm vti scires, illa omnia esse conficta, vana, nihil habentia veri, extincta sunt, & finem acceperunt*.

5. Cæterum qualia fuerint huiusmodi perditorum hominum deliramenta cum suis proinde Auctoribus deridenda, ipse dignatur Dominus insinuare; dum ait; *venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus*. Dicent; nihil aliud vltra prætendent soliditatis; præter inane vocale assertum; quod effutiebant. Nunquid prolaturi erant Scripturam vel vnicam, quæ ipsis suffragaretur? Non sic Dominus noster Iesus Christus; qui Ioann. 5. palam Iudæos monuit; *scrutamini Scripturas; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*: & in calce capitis; *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Hinc vltra tot alia, quæ apud Matthæum leguntur; ipsemet Lucæ 18. *ecce*, inquit, *ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*; & Matthæi 26. *quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Inde impletis omnibus, quæ redemptionem nostram per Crucis mysterium prænunciauerant, ipse pendens in ligno dixit, *consummatum est*: & postquam resurrexit à mortuis, Lucæ 24. *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*. Et postea; *aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*: & priùs; *hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc esse vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me*. Sic fidi eius discipuli in hoc perstitere puncto, vt patet. Vnde 2. Petri 1. *habemus firmiorem propheticum sermonem*. Sic & Paulus hanc semper pratulit facem. Et ita Act. 26. *auxilio*, inquit, *adiutus Dei, vsque in hodiernum diem sto; testificans minori atque maiori; nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses: si passibilis Christus; si primus ex resurrectione mortuorum*; &c. Adeo autem fuere Scripturarum auctoritate destituti, vt ille *Barchozba* reuera talis non esset ab initio appellatus sed *Barchuziba*, seu *Benchuziba*: sed ipse, quia sonat vox illa *filium mendacij*, permutauit sibi nomen, vt splendida appellatione diceretur *filius stellæ*; quod est *Barchozba*, sic trahens ac extorquens in sui scripturale suffragium; quod legitur Numeri 24. *orietur stella ex Iacob*: vt apud eundem Maluendam lib. 1. cap. 8.

Sed est aliunde ex quibus nebulones huiusmodi, 6.
quotquot fuerunt aut sunt futuri, Ecclesiæ anathemate, cum suis miserrimè seductis sectariis profligentur. Neque enim quisquam illorum puritatem doctrinæ pratulit, nemo illorum prædicauit, quod Christiana indefessè fides facit *Regnum Cœlorum*. Simon enim ille Magus, vt refert vbi supra Augustinus, *docebat detestandam turpitudinem, indifferenter vtendi fœminis*. De præfato Barchocheba inquit Eusebius 4. Hist. cap. 6. *vir reliqua vitæ ratione cruentus ac prædo nefarius*. Cæteri huiusmodi pseudo-messiæ factionum per fas & nefas fuere auctores, semper violenti ac sæui: & vno verbo terrenis duntaxat addicti; superbiæ carni auaritiæ. Christiana Religio è contrario dum soli Regno cœlorum inhiat, terrena animo altiori contemnit, nec nisi amanti suasione ad suam fidem vocat. Hinc Romam Leo Papa allocutus; *quamuis*, inquit, *multis aucta victoriis ius Imperij tui terra marique protuleris; minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit*. Et Chrysostomus homil. 34. in Matthæum: *profectò cum Iudæorum populus in Apostolos sæpè insurrexerit, ac dentes exacuerit; perspicies illos columbæ simplicitatem imitando, & cum decenti modestia respondendo, iram ipsorum superasse, furorem extinxisse, impetum retardasse*. Et in Serm. de Pentecoste; *peragrarunt piscatores Orbem terrarum, non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes*; &c. Sic ergo Christiana Religio suis se prodit honestissimis moribus ac præceptis, quæ fit ab omni caducarum rerum, ab omni voluptuosæ vitæ sensu, syncera aliena: verè sub *lege Domini immaculata*, verè *non habens maculam aut rugam*.

At nedum sic velut theoricè, quæ profitetur purissima documenta colit; sed praxi admirabili in suis alumnis exercet. Tot enim in ea floruerunt & florent Sanctissimorum virorum agmina, qui heroicis exculti virtutibus Ecclesiam illustrarunt; vt iam indubitabile sit, hoc etiam ex capite, de ipsius solius firmitate iustitia, puritate ac sanctitate. Et reuera si dignitatem animæ expenderent ac expendissent Sectæ quæcunque, non possent non execrari se ipsas, & ad veram fidem Christianæ Religionis non accedere. Quandoquidem eò tendit duntaxat salutaribus suis monitis & præceptis, vt sui iuris compotem reddat spiritum, ne ratio subdatur sensui, ne ad ima decurrat, sed prout par est, in sublimia tantum agatur. Propterea sola Christiana fides, est veræ perfectionis spiritalis magistra, interiorisque hominis exactissima cultrix: inde illam capiens fruensque spiritus delectatione ac suauitate, quam quisquis hanc fidem non profitetur, ignorat; quia *nemo nouit, nisi qui accipit*; & de qua Apostolus Roman. 7. aiebat; *condelector legi Dei secundum interiorem hominem*. Cuius testes fuere tot millia martyrum; benè conscij, futuros esse *homines in Cœlo, sicut Angelos Dei*: pro cuius amore, *ignem venit mittere in terram*. Quæ fidei Christianæ est spiritus dulcis puritas. Quod si fecerunt in virtute signa & prodigia, & illi impij; fuere secundum operationem Satanæ; nec nisi mendacia, vt 2. ad Thess. 2. ait constanter Apostolus.

VERS. VI. *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum*, &c.

7. In 2. Regum capit. 24. Gad Propheta Dei dixit Dauid: *trium tibi datur optio; elige vnum quod volueris ex his: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Hic plagas has vna simul prædicit Dominus, additque de terræmotibus per loca. Terræmotus dicitto, ad excitandum ad pœnitentiam quoque commemorat. Sed ingens scelus! immo scelerum contumax perpetratio, quæ tot sentiunt diuinæ iracundiæ flagella! Ex Origene, *per loca erunt terræmotus; non enim insimul vult Deus perdere humanum genus, sed iudicans per partes dat pœnitentiæ locum. Si autem incipientibus huiusmodi malis, non fuerit facta correptio, procedent ad peius.* Sanè sic legimus Sapientiæ 12. *misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent: non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis aut bestijs sæuis; aut verbo duro simul exterminare; sed partibus iudicans, dabas locum pœnitentiæ.* Inquit Rabanus; *constat hos acerbissimos dolores, quibus omnis vastata est Iudææ prouincia, ad literam contigisse*. Fuerunt ergo, & prælia, & seditiones, quod ait Lucas; quia vt historiæ narrant, etiam mutuò Iudæi collidebantur. Dedit autem eis Deus spatium quadraginta annorum antequam sub Tito & Vespasiano extremam illam subirent cladem. Considerat Chrysostomus *admirandam Christi virtutem, & discipulorum fortitudinem; qui in talibus temporibus prædicabant, in quibus omnia iudaica impugnabantur. Apostoli autem ex Iudæis existentes leges introduxerunt nouas aduersus Romanos tunc dominantes. Infinita millia Iudæorum ceperunt Romani: & duodecim viros non superauerunt nudos & inermes*.

8. Verum antequam nonnihil dicamus singillatim ad contextus capitis huius; operæ-pretium est, vno complexu plures colligamus; quia ex eis insimul grauissima consurgit difficultas. Augustinus in epistola ad Hesychium, quæ ordine est 80. tomo 2. attentissimè confert, quæ ab Euangelistis dicuntur hac de materia: & præmittit, ad interrogationem discipulorum quæ de duobus fuit; nimirum de excidio Ierusalem; & de ipso fine, in quo apparebit viuos iudicaturus & mortuos, respondisse Dominum, sic vt non solum de his duobus dixerit, sed etiam de aduentu suo per Ecclesiam, in quam vsque ad finem venire non cessat; in suis enim veniens agnoscitur, dum eius quotidie membra nascuntur. Hinc emergit dubietas, an series aduersitatum, inter quas *abominatio desolationis*, item *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi*, &c. Et illud, *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro*: itemque, *væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*; &c. cadant super tempus excidij Ierusalem: vel potius hæc sint futura in fine sæculi, vel circa finem. Sanctus Augustinus in ea Epistola rem subtiliter versat. Considerat autem à Luca apertè dici; *væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis*, vbi loquitur de excidio Ierusalem, vt intuenti patet capite illo 21. & ex hoc textu, etsi Lucas *de abominatione desolationis*, nihil dicat; sicuti nihil dicit de magnitudine tribulationis, nec de periculo omnis carnis, quæ ab alijs dicuntur; ex hoc inquam *væ* ad excidium Ierusalem per Lucam spectante: cætera quoque quamuis proposita ab alijs Euangelistis, sentit ad idem excidium spectare. Ex altera parte Gregorius homilia 1. in Euangel. etiam anteriora; cuiusmodi sunt, *exurget gens contra gentem: erunt pestilentiæ, & fames*, &c. ad finem sæculi refert. Hilarius etiam Canone 25. in Matth. abominationem desolationis, tanquam indicium futuri Christi aduentus intelligit. Quocirca ibidem Augustinus e contra inquit; *Lucas ergo patefecit, quod esse posset incertum; non ad sæculi finem, sed ad expugnationem Ierusalem, pertinere id quod dictum est de abominatione desolationis*; &c. victus scilicet ab illa Lucæ clausula, *væ autem prægnantibus*; &c. In Danielis expositionem fertur Angelicus in hæc verba: F. Sexta dubitatio potest esse, de quo tempore intelligatur id quod dicitur de abominatione desolationis, quæ erit in Templo. Nam aliqui existimant in tempore finali hoc esse adimplendum per Antichristum, quem putant in Templo Ierosolymitano esse adorandum tanquam Messiam: pro quorum opinione facit quòd Christus Matthæi 24. illam de tempore finali exposuisse videtur, nam ibi post huius abominationis mentionem, subiungit immediatè, subsecuturas magnas illas calamitates, & afflictiones ac signa, quæ tempore finali futura prænunciantur. Sed nihilominus dicendum est, quòd hoc stare non potest; eoquod dicta abominatio desolationis, explicatur (ibi in Daniele) ab Angelo in vindictam occisionis Christi, futuram parum post hebdomadum impletionem. Quapropter dicendum est, quòd intelligitur de abominatione desolationis, quæ fuit tempore Ælij Hadriani; cui nullus aptius accommodari potest. Nam ad literam, hoc tunc impletum est. Hadrianus dedit licentiam Iudæis qui erant Romæ captiui per Titum, vt irent Ierusalem, quod & fecerunt: & tunc mandauit eis, quod ponerent idolum in Templo, & ipsi noluerunt. Tunc iratus fuit Ierusalem, & funditus eam euertit. Hactenus ex Diuo Thoma. Additque quod & supra Augustinus per Diuum Lucam; & obiectioni ex Matthæo respondet, in primis contextibus fieri sermonem de excidio Ierusalem: inseritis autem de persecutione & signis tempore Antichristi. Et quidem Chrysostomus in homilia, existimat de suo tunc cœpisse dicere aduentu; cum ait v. 23. *tunc si quis vobis dixerit; hic est Christus aut illic*, &c.

F Daniel. 9. & hic.

Hiero-

Hieronymus; *Aut potest intelligi de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in Templo; aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso*, Sancta Sanctorum *loco, stetit vsque in præsentem diem.*

9. Vt quantum Dominus dederit hac in re dicamus: certè enim implexa quæstio est; tenorque sacri textus inuolutus videtur, diceretque impius esse confusum: quod auertat Deus opinari; cùm tot ex alijs causis, & auctoritate in primis Ecclesiæ roboremur in fide, scripsisse Euangelia calamum Spiritus-Sancti. Præmittimus profundius scrutandum relinqui, hactenus minimè ab interpretibus requisitum: cur scilicet Sanctus Lucas, qui satis in sua narratione diffusus est, de hac abominatione desolationis siluerit; præsertim cùm Danielis Prophetæ auctoritas sibi sine dubio innotesceret: cùm famosa esset Scriptura, in qua de Christi nece, & de post eam consecutis palam vaticinatur; & claudit; *erit in templo abominatio desolationis.*

10. Ad hanc reconditioris causæ vestigationem, non video qua via gradiamur; nisi specialem Lucæ ideam scopumque suæ narrationis euangelicæ assequamur: super quo scilicet Deo dante incedet nostra Syntaxis & harmonia. Nimirum intendit potissimè, innouationem legis, subinde sacrificiorum omnium & annexorum cessationem, nouique vnius holocausti in ara Crucis oblati astruere consummationem. Ad eum vtique sensum quo Leo Papa in Serm. 7. de passione: *oportebat, vt vno expleretur sacrificio, variarum differentia victimarum. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo excluditur Sacramento. Hostia in Hostiam transit, Sanguine sanguis aufertur.* Nunc recolendum est, qualiter actio diuersimodè iudicatur in bono & in malo, secundum quod G ex diuersa radice procedit. Vnde ex parte Iudæorum fuit iniquissima H illorum actio. Dic actionem Iudæorum, qui eum crucifixerunt fuisse non sacrificium, sed maximum omnium sacrilegium. *Sacrilegos Iudæorum Principes* vocat Leo Papa. Hinc emicat quare Lucas à relatu abominationis Danielis abstinuerit; quia eodem in loco legitur; *occidetur Christus; & non erit eius populus, qui eum negaturus est:* non enim sacrilegium, sed sacrificium Lucas commemorabat. Ita nihil de Antichristo dixit: quandoquidem cohærens hoc etiam est sceleribus, sicut ait Diuus Hilarius Can. 25. *vt qui veritatem respuerunt, recipiant falsitatem:* ideo cum huiusmodi denarratio esset extra institutum Lucæ, ab ea supersedit; & ab allegatione Danielis; in quo, vt notat Angelicus I multa dicuntur de Antiocho sub figura Antichristi. Neque hoc attinebat ad Sacerdotij & legis translationem; quam sibi Lucas præscripserat.

G p. 1. 20. 4. 1. & 3. p. 47. a. 3. 1.
H ibi a. 4. 1.
I Prologo in ps.

11. Quamuis autem hæc prætermiserit; non tamen decuit sic ab ipso sileri de finali iudicio; non enim in hoc exibat à sua Syntaxi; quinimmo, opportunè attexebatur; siquidem Isaiæ 33. nedum dicitur *Dominus legifer noster*, sed etiam *Dominus Iudex noster, Dominus Rex noster.* Quoniam autem appropinquante Iudicij tempore, declamat Dominus apud Matthæum & Marcum; *væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*, (vt verius videtur ex illa particula copulatiua & apud Marcum: *Et tunc, si quis vobis dixerit; hic est Christus, aut illic, ne credideritis*) ideo hanc comminationem retrotraxit Lucas ad priores Ierosolymæ tribulationes, contentus caperemus, ea etiam quæ ibi connarrantur, typicè ad præludia iudicij pertinere.

12. Ex his igitur diligenter attentis conciliantur Sancti Patres. Vt absolutè dicamus, omnia illa; *surget gens contra gentem &c. erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca: hæc sunt initia dolorum; prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe:* circa Ierusalem deuastationem futura fuisse: & hoc est quod ait Hilarius eo Can. 25. Comment. in Matthæum; *hæc igitur in ea, vt fuerant prædicta perfecta sunt: & lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captiuitate consumpta est. Ac tunc fuit digna non esse, cum eiectis prædicatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit.* Sed vlterius addamus ea *in typum* finalis desolationis Orbis accipi quoque. Et hoc est vltra Gregorium supra relatum, quod dicit lib. 9. in Lucam Ambrosius. *Verborum cœlestium, nulli magis, quàm nos, testes sumus; quos Mundi finis inuenit; quanta enim prælia, & quas opiniones accipimus præliorum? Præcedunt quædam ægritudines Mundi: ægritudo Mundi est fames; ægritudo Mundi est pestilentia; ægritudo Mundi est persecutio.* Neque vt hoc posset intelligi, reor falli, si quis sentiat, interseri nonnulla, quæ absolutè ad finale attinent tempus; puta illud; *hæc sunt initia dolorum: quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas: qui autem perseuerauerit vsque in finem:* quia hic loquitur propheticè Dominus. Mens autem prophetæ, vt animaduertit Angelicus, L loquitur secundùm quod à Spiritu-Sancto tangitur, & ideo secundùm varium tactum mutant personas & tempus: sicut in Oratione fieri consueuit. Interseruntur ait etiam in Propheticis vaticinijs quædam, quæ necessariò coguntur intelligi de alio tempore anno vel facto: fertque exemplum apud Isaiam cap. 14. vbi loquens Propheta de Rege Babylonis, interserit de Lucifero; *quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris?* Vt & glossa. Quem locum memorat, & probat alibi, M aliud addens exemplum; cum de Diabolo similiter, Ezechielis 28. dicitur sub persona Regis Tyri; *in delicijs Paradisi Dei fuisti.* Quanquam ex Augustino 11. super Genesim ad literam, intelligantur de Diabolo N quantùm ad membra eius, idest quantùm ad homines, qui à gratia Christi cadunt. Est quid simile in psal. 71. in quo legimus; *& dominabitur à mari, vsque ad mare;* in Salomone non impletum; O sed de eo dictum in figuram Regni Christi. Sic Augustinus in psal. 59. in principio; *solet propheticus spiritus in Psalmorum titulis aliquid dicere, quod in historia non inuenitur: & hinc potius admonere, non propter cognoscendas res gestas, esse huiusmodi titulos inscriptos, sed propter futura præfiguranda.* Tu dicito sic impræsentiarum, dum agitur de Ierosolymæ imminenti excidio, multa interseri, quæ tunc ægrè deprehenduntur fuisse, vt illud, quoniam *abundauit iniquitas, refrigescet charitas:* cum essent immo in principio feruentes illi Christiani. Et ad hoc innuendum retro traxit Lucas illud, *væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus:* quod item tunc historialiter contigisse, & speciali fuisse notandum animaduersione, cum perijt gens iudaica, non facilè apparet. Sicuti neque similia suauiter ad literam excidij Ierosolymæ possunt exponi, (sit humillima venia Augustini in ea Epistola ad Hesychium) *propter electos breuiabuntur dies illi: non fieret salua omnis caro: erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi vsque modò, neque fiet:* quæ ipse trahit ad tempus Ierusalem, ratus sic oportere ex cõsensu alterius illius clausulæ à Luca insertæ; *væ autem prægnantibus*, &c. quia tunc non ei venit in mentem, quod dicebamus, de stylo prophetico, non tunc impleta quandoque subnectente; hoc immo finе, vt ea legentibus, quasi coactè, de futuris consertis suboleret. Aliàs quomodo potest facilè admitti, fuisse monendos discipulos, ne illico timerent de Mundi vltimo fine? Sciebat Petrus ædificandam esse Ecclesiam, neque paucis diebus firmandam; cùm audisset *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

L Proœmio Danielis.
Isaiæ 14.
M Ioan. 8. l. 6.
N de malo q. 16. a. 4.
O Prologo psal.

rniam. Quare non puto nisi secundum quorundam cogitationem dixisse Chrysostomum in homilia ; *æstimabant discipuli post illud bellum, quo Ierusalem destrueretur, statim finem Mundi esse venturum; ideo eos in vera opinione stabilit dicens; oportet hæc fieri; sed nondum statim finis*. Dic ergo timuisse de celeri Orbis fine, postquam audierant de Mundi calamitatibus; quæ à calamitatibus Ierusalem figurabantur, poterantque in eis præsagiri. Et ipsos docet in aliorum futurorum fidelium personas; quibus, Dominus loquens discipulis, loquebatur. Sic Marci 13. ipsemet declarat in hæc verba: *quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate*. Vbi de his, quæ præ manibus habemus prædixerat. Vnde in ea Epistola idem Augustinus de particulari iudicij expectatione intelligens monitum, ait; *non solum ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur, sed & ad nos ipsos, & qui erunt post nos; vsque ad eius nouissimum aduentum: quia eo modo ad omnes pertinet*. Et hoc ipsum indicat discipulorum interrogatio, quæ de vtroque rogat, & de occasu Ierusalem, & de consummatione sæculi, tanquam de typo, & de præmonstrato per typum: quia ex Philosopho in lib. de mem. & reminisc. *idem est motus in imaginem in quantum est imago, & in rem*. Secus non apparet, cur tot vno verbo quærere debuissent. Et hinc (ò quàm mirabile!) Dominus oculum habens ad principale figurandum, scilicet Antichristum, mox de illius typis respondet: *multi venient in nomine meo*. Adnotatio digna adamante. Sic dum allegat Danielem: *cum ergo videritis abominationem, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto*; ad finalem referri potest optimè abominationem per Antichristum complendam: de quo sic opinatus est Hilarius scribens; *& quidem à Iudæis susceptus loco sanctificationis insistet: vt vbi Sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab Infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit: abominatio ex eo dictus, quod aduersus Deum veniens honorem sibi vendicet: desolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit*. Quamuis Hieronymus ad Ierosolymæ excidium respiciens dicat, (attento tunc violato sancto loco) *abominatio secundum veterem Scripturam, idolum nuncupatur: & idcirco additur; desolationis, quod in desolato Templo atque deserto idolum positum sit*. Sed ipse ægrè adhuc probo dici magis de primæuo illo tempore deuastationis: quia non admodum videtur plausibile, vt tantum facinus adnectat Dominus cum positiuis alijs iustitiæ suæ flagellis, quibus plectendi erant Iudæi: nam quæ fertur abominatio in templo, siue à Pilato, siue ab Hadriano, permissa vtique fuerit à Deo, non tamen volita, prout vult iuste inflictas pœnas. Vnde committeretur vltioni occasio meriti, quando renuerunt propter reuerentiam loci id Iudæi admittere. Quare libentius dixerim ad Antichristi tempus saltem præcipuè spectare abominationem. Multa enim, vt retuli ab Angelico, P dicuntur de Antiocho etiam apud Danielem, quæ in eo non sunt completa, vt ductu fidei ferremur ad Antichristum, sub quo complerentur. Prophetiæ enim aliquando (ita ibi Q) dicuntur de rebus quæ tunc temporis erant; sed non principaliter dicuntur de eis; sed in quantum sunt figura futurorum. Et ideo Spiritus-Sanctus adordinauit, quòd quando talia dicuntur, inserantur quædam, quæ excedunt conditionem illius rei gestæ, vt animus eleuetur ad figuratum. Præterquam ait Augustinus in ea Epistola 80. ad Hesychium, *ipsa desolationis abominatio, propter obscuritatem dicti, non vno modo ab hominibus poterit intelligi*. Sic Remigius ait, referri posse ad consummationem sæculi ly *scandalizabuntur*, ly *refrigescet charitas*,

P Prologo psal.

Q loc. cit.

VERS. VII. *Consurget enim Gens in Gentem; & Regnum in Regnum*.

Constanter dicito, præcipuè in typum futurorum, propè sæculi finem, prædici hæc & sequentia; 13.
vt satis nuper expositum est: addique potest, si in solo sisteretur Ierosolymæ excidio, fortè non tot fuissent tribulationum capita percensenda. S. Thomas de potentia, q. 5. a. 6. ad 5. ponuntur hæc quæ quasi à Mundi exordio fuerunt. Sed, instante Mundi fine, abundantiùs euenient: sed qua mensura, manifestum esse nobis non potest. Prædictio autem infallibilis horum non solùm est ad terrendos eos, qui tunc erunt; quia tandem, *veniet dies Domini sicut fur in nocte*, 1. Thess. 5. sed vt hoc finali flagello præcognito, quotidie paueamus peccantes, exemplari ab illa vltione, & in nos quoque tempore isto vindictam. Quare tametsi tunc non fuerimus; est ex quo trepidemus; quia & futura & præsentia æquè coram Deo sunt. Hic ergo est fructus salutaris, qui ab illa finali irati Numinis expectatione, prouenit nobis. Præterquam, vt eo nouissimo tempore erit *homo ille peccati* 2. Thess. 2. ceu *Assur virga furoris Dei*; Isaiæ 10. ita illius mystici præcursores, quos nostra peccata merentur, illius gerunt vices. Hi tempore quoque intermedio, ministri Dei sunt *vindices in iram ei, qui malè agunt*; quanquam probos aliàs exerceant. Insignes quippe aliquot Antichristi præcursores & typi potissimè post Christum natum, quasi metatores, diceret Sanctus Cyprianus, fuere, futurique sunt, sic exigentibus Christianorum minimè piè viuentium grauioribus culpis. Metatores vocantur, qui præcedentes locum eligunt castris. Inter quos etiam præcipuus perhibetur esse Mahometes, vt apud Maluendam libr. 1. cap. 4. & lib. 2. c. 5. Vnde 2. Thessal. 2. inquit Apostolus; *nam mysterium iam operatur iniquitatis*; quia Diabolus, R in cuius potestate veniet Antichristus, iam incipit operari occultè iniquitatem suam per tyrannos, & seductores; quia persecutiones Ecclesiæ huius temporis sunt figuræ illius vltimæ persecutionis contra omnes bonos; & sunt sicut imperfectæ comparando ad illam. Hæc Diuus Thomas. Cuius veluti disciplina, liceat mihi firmare, tribulationes etiam & flagella, qualia fuerunt ab initio populo Iudæorum, supremæ atque finalis extitisse in figuram: nam & de Antichristo dicitur Danielis 8. *cum creuerint iniquitates, consurget Rex impudens*; &c. Vnde alibi etiam cum hæc Apostoli auctoritate docet, S Antichristum quodammodo dici Caput malorum, & omnes alios malos, qui præcesserunt, fuisse quasi quandam figuram Antichristi. Non sit ergo incongruum, existimare quæ cuncta de Iudæorum scelere dicuntur, (inde promeriti sunt Romanorum vltionem) figuraliter ad extrema tempora ferri, cum eisdem allegoricè signis. *Surget Gens in Gentem*; &c.

R 1. Thess. 2. l. 1.

S 1. p. 8.

Arctè exponitur consequenter ad dicta, principaliter de Romanorum *Regno aduersùs Regnum* Iudæorum, quod & amiserant: & idem dico de *Gente contra Gentem*. Quare ad ea, quæ finali appropinquante tempore inter Potentes euenient, accommodè magis videntur posse referri. Et quanquam ad 14.
pacis perturbationem satis esset dixisse; *surget Gens contra Gentem*, tamen adijcere voluit; *& Regnum in Regnum*, non ad orationis redundantiam, aut ad exaggerandum solummodo, sed ad aperiendam causam commotionis Gentium: quia hæc fiet causa regnandi. *Tunc*, inquit Hieronymus, *vigebit auaritia: cum creuerint iniquitates*, ait Daniel. Ecclesiastici 10. *nihil est iniquius, quàm amare pecuniam*: 1. Timoth. 6. *radix omnium malorum est cupiditas*. Ieremiæ 6. *à minori quippe vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student*. Bella autem non rarò fiunt ex

cupi-

T 2.2.40. 1. cupiditate, quæ damnat Augustinus T apud Angelicum. In nouissimis autem diebus 2. Tim. 3. *erunt homines cupidi*. Supra dixit etiam *erunt prælia & opiniones præliorum*, Seditiones autem sunt tumultus ad pugnam; V cum scilicet aliqui se præparant, & intendunt pugnare: puta cum vna pars Ciuitatis excitatur in tumultum contra aliam. Ex quo fortè existimo dixisse prius, *surget Gens in Gentem*; deinde *& Regnum in Regnum*.

V 2.2.42. 1.

Sequitur; *Et erunt pestilentiæ & fames & terræmotus per loca*.

15. Sub ea prima tempora leguntur in Eusebio, & seditiones, & pestilentiæ, & terræmotus: quæ minimè dubitamus etiam, cum proximiores fuerimus consummationi sæculi, amplius adhuc grassatura. Nam quemadmodum crescunt in dies peccata, reatusque maiores, secundum illud Hebr. 10. *quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerint, & sanguinem Testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificatus est; & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit; mihi vindicta; & ego retribuam* &c. ita præluditur miserabiliter postremis ad finem sæculi; & sic pergit Diabolus, in cuius potestate veniet Antichristus V *operari mysterium iniquitatis*. Et sic etiam dic flagella præsentiri. Vt vndequaque innotescat, fieri in dies homines indignos, vt sint super terram: dum se impiorum vsui negat, & sterilitate & sui ipsius subuersione: corruptusque aer necat haustis respirijs. Sed hæc vt caueant, vt resipiscant homines scripta sunt; *proprium est enim*, inquit Basilius, *diuinæ propitiationis non silenter pœnam infligere, sed præmittere minas*. Ita in psal. 59. *dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*. Gregorius; *quid prodest ista prænosse, si non contingat euadere?* Apud Angelicum; X est prophetia prædestinationis, præscientiæ & comminationis. Ieremiæ 18. *repentè loquar aduersùm Gentem, & aduersùm Regnum; vt eradicem, & destruam & dispergam illud. Si pœnitentiam egerit Gens illa à malo suo; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei*. Et ecce hic etiam inuolui comminationem: subdit etenim: *hæc autem omnia initia sunt dolorum*.

V 1. Thes. 2. l. 2.

X 2. 2. 174. 1.

VERS. IX. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos*; &c.

16. Maximè fuerunt A hæ tribulationes in Apostolis & Martyribus: de quibus Dominus hæc prædicebat, Nec adhuc aliquæ persecutiones similes illis apparent. Ita ibi Angelicus. Sequitur; *& eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum*. Sensit Origenes dici exaggerando; & ly *omnibus* valere pro *multis*. Sed satius est; vt accipiamus; *omnibus Gentibus*; idest omnibus gentiliter viuentibus: & sic pro Iudæis etiam; vt interpretatur Diuus B Thomas. Dicito ad eum sensum, quo ait Apostolus Roman. 2. *Si autem præuaricator legis sis; circumcisio tua præputium facta est*. Et sicuti Ezechielis 5. *dicit Dominus Deus: hæc est Ierusalem: in medio Gentium posui eam: & in circuitu eius terras: & contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quam Gentes*. Et paulo post; *quia superastis Gentes, quæ in circuitu vestro sunt*; &c. Sequitur: *& tunc scandalizabuntur multi*; &c. vbi glossa apud Angelicum; C *discedent à fide, timore, vel portentis, vel immanitate tormentorum*. Et iam subsequitur quod glossam comprobet; quia, *multi pseudo prophetæ surgent, & seducent multos*. Deinde v. 12. *quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Gentiles, inquit, sunt fideles D qui tepescunt. Et ad Timotheum refert potius hoc in persecutores, præmittitur enim; *eritis odio* &c. Et sic subdit E quia fides & charitas, vel infirmabitur, vel totaliter peribit; quia quanto magis aliquid elongatur à suo principio, (vt illi à Christo:) deficit; Lucæ 19. *filius hominis veniens, putas, inueniet fidem super terram?* Quamuis conuenientissimè etiam exponatur; quia F aliorum iniquitas erit in causa cur multi tepescant. Quo pacto diximus supra, persecutionem pati bonos à malis. Pergit sacer textus; *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Quòd facit egregiè Cyprianus lib. 2. Epist. 6. dicens; *quibus ego vos laudibus prædicem fortissimi Martyres? robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei, quo præconio vocis exornem?* Quæ cuncta sic dicta magis crediderim; vt quouis secuta sint tempore, nouissimo semper præluserint: hicque prædici vt tanquam imagines futurorum præ oculis habeantur: iuxta ea, quæ superiùs expendimus. Nam aliàs absolutè futura prædictum fuerat à Domino supra cap. 10. *eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem; hic saluus erit*. Et iam Angelicus loco allegato, G restituendos eos intelligit in pristinum feruorem Gentiles, qui ceciderint decepti ab Antichristo; visis Iudæis tandem pœnitentibus. Et hunc charitatis defectum, *refrigescet charitas*; (si ignis refrigescat, iam ignis non est) agnouit Apostolus 2. ad Thessalonic. 2. loquens de Antichristi temporibus, decipiendos scilicet; *eoquod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Dicit charitatem; H quia nisi sit formata fides per charitatem, nihil est: 1. Cor. 13. *si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*. Dic ergo, væ illis, qui etiam ante vexationem exciderant à charitate; dum ait, *vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati*: quamuis non sit desperandum; præsertim de ijs, qui tunc cœperint tepescere, ac de recenti exciderint: quandoquidem hanc ad rem etiam exponitur illud Rom. 11. *vita ex mortuis*. Ad hæc Augustinus in psal. 68. ex Apocalypsis 29. *Antichristo consentient illi omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ*.

A opusc. 39. c. 24.

B D. Th. hic.

C opusc. 39. c. 24.

D Rom. 11. l. 2.

E 1. Tim. 3. l. 1.

F D. Th. hic.

G Rom. 11. l. 2.

H 2. Thes. 2. l. 3.

VERS. XIV. *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe; in testimonium omnibus Gentibus; & tunc veniet consummatio*.

Diuus Chrysostomus hoc impletum fuisse arbitratus est ante excidium Ierusalem: & sic tunc venisse consummationem, seu destructionem Ierusalem. 17.
Sic etiam Hilarius; *Et cum vniuersis fuerit cognitio Sacramenti cœlestis inuecta, tum Ierusalem occasus, & finis incumbet*. Sentiunt enim tempore Apostolorum disseminatum fuisse vbique Euangelium. Augustinus autem considerans, neque suo tempore id fuisse impletum, quia in Africa nondum erat vbique fides prædicata, tenuit intelligi de Orbis consummatione; quam præcedet vbique diffusa fides. Conciliat Angelicus hos doctores dicens; I prædicatio Euangelij Christi potest intelligi dupliciter; vno modo quantum ad diuulgationem notitiæ Christi: & sic prædicatum fuit Euangelium in vniuerso Orbe, etiam tempore Apostolorum; vt Chrysostomus dicit: & ita ly *tunc erit consummatio* intelligitur de destructione Ierusalem. Alio modo potest intelligi prædicatio Euangelij in vniuerso Orbe cum pleno effectu; ita scilicet, quòd in qualibet Gente fundetur Ecclesia: & ita sicut dicit Augustinus, nondum est prædicatum Euangelium in toto Orbe; sed hoc facto *veniet consummatio Mundi*. In Epistola 78. ad Hesychium sic intelligit ly *tunc veniet*, idest, *ante non veniet. Quanto post ergo veniat, incertum nobis est: ante tamen non esse venturum finem, dubitare vtique non debemus. Et si iam nobis certissimè nunciatum fuisset, in omnibus Gentibus Euangelium*

I p. 1. 106. 4. 4 Rom. 10. l. 3. Co loss. 1. l. 2. & hic.

præ-

prædicari; nec sic possemus dicere, quantum temporis remaneret vsque ad finem; sed magis magisque iam appropinquare meritò diceremus. Dic ergo sic dilatata fide per Regni Euangelium, in cunctis Gentibus, in testimonium illis; quandoquidem testes successione quadam transierint; de quibus Act. 1. *& eritis mihi testes, & vsque ad vltimum terræ*: iuxta illud Isaiæ 42. vltra psalmos; *laus eius ab extremis terræ*; non esse aliud expectandum, nisi vt veniat finis seu *consummatio*. Quæ quidem sententia tametsi ad Ierusalem referretur; adhuc ad finale tempus spectaret, tanquam expressiua signi desiderati à discipulis, qui quæsierant, *quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* Quibus Dominus ita respondet de signis excidij Ierusalem, sed typicis ad sæculi finem.

VERS. XV. *Cum ergo videritis abominationem desolationis; quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto.*

18. Congruit de Antichristo intelligi, vt ex sequentibus. Si enim hac periphrasi non describeretur, nihil sciremus de ipsius iniquissima indole: quæ talis erit, vt mereatur idcirco dici *abominatio*; scilicet Domino; abominari autem est repudiare respuere, spernere, abijcere, detestari, horrere: ex verbo hebræo *tangab*, siue *gangal*. Ipsum Apostolus 2. Thessal. 2. dicit *hominem peccati; nisi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*: secundùm glossam; *quia in ipso abundabit plenitudo omnium peccatorum*: L quia totaliter erit peccatis deditus. *Filius perditionis*: idest deputatus extremæ perditioni; vel Diaboli; non per naturam, sed per malitiæ suæ complementum. Hinc quodammodo est M dicendus cum Diabolo caput omnium malorum. Operæpretium est à Daniele audire ipsius descriptionem; cap. 8. *Cùm creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie & intelligens, propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis; & supra, quam credi potest, vniuersa vastabit; & prosperabitur, & faciet; & interficiet robustos, & populum Sanctorum, secundùm voluntatem suam: & dirigetur dolus in manu eius; & cor suum magnificabit; & in copia rerum omnium occidet plurimos; & contra Principem Principum consurget. Et sine manu conteretur.* Sentit Diuus Gregorius 15. Moralium cap. 28. de Antichristo intelligi illud Iob *in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.* Et quamuis ab Angelo Custode, quem docemur N non ei denegandum à diuina prouidentia, retrahendus sit, ne tantum noceat, quantum cupiet; nihilominus non ei deerit voluntas. Ideo erit non abominandus, sed ipsa *abominatio*, & *desolationis*: quæ vox significat vastitatem depopulationem, de sibi non consentientibus, quoad terrena, & de sibi consentientibus, quoad cœlestia.

L 2. Thess. 2. l. p.

M 3. p. 8. 8.

N p. p. q. 113. 4. a. 3.

Sequitur; *Stantem in loco sancto.*

19. Subdit Apostolus, *ita vt in Templo Dei sedeat; ostendens se tanquam sit Deus.* Et Danielis 11. sub figura Antiochi; *aduersùs Deum deorum loquetur magnifica; & Deum Patrum suorum non reputabit.* Vnde sicut de Caio Cæsare legitur, O quòd cùm in vita ista adhuc esset, coli voluit, statuam suam ponens in quolibet Templo; & Ezechielis 28. de Rege Tyri dicitur; *dixisti quia Deus ego sum*; &c. ita credibile est, quòd sic eis faciet Antichristus, dicens se Deum esse & hominem. Et sic Danielis 9. *Erit in Templo abominatio desolationis.* Alibi P abominatio, idest idolum. Sed quærit ibi ad Thessalonic. In quo Templo? nonne destructum est à Romanis? Dicunt quidam, quòd Iudæi primò eum recipient, & reædificabunt Templum in Ierusalem. Quidam verò dicunt, quòd nunquam Ierusalem nec Templum ædificabitur. Hieronymus in Isaiam narrat, quòd Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex elegantem scripsit librum irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Ierusalem, instaurationem Templi, hostiarum sanguinem; vt refert Ludouicus Viues ad 20. de Ciuit. Dei c. 7. Nihilominus nequimus hinc tam paucis expediri; quia sunt qui constantissimè tueantur, Templum ædificatum iri denuo tunc temporis à Iudæis; in quo sedeat adorandus ab ipsis Antichristus. Thomas Maluenda de Antichristo præsertim lib. 7. cap. 7. collegit Sanctos plures Patres id affirmantes. Cùm tamen apud eundem, Augustinus litterarum eximius Parens 20. de Ciuit. Dei c. 19. sic scribat; *sed in quo Templo sessurus sit Antichristus, incertum est: vtrum in illa ruina Templi, quod à Salomone Rege constructum est, an verè in Ecclesia.* Et post pauca: *rectiusque putant etiam latinè dici, sicut in græco est, non in Templo Dei, sed in Templum Dei sedeat; tanquam ipse sit Templum Dei, quod est Ecclesia. Sicut dicimus sedet in amicum, idest veluti amicus: vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet.* Et reuera durum videtur, nisi manifestè vrgeat canonica auctoritas, hoc probare: quia permisit Deus Templi eradicationem, ne legalium cæremoniarum obseruantiam posthac obtruderent; siquidem mortifera euaserant legalia Christum venturum sonantia, postquam iam venerat. Et aliàs scimus synceris ex historijs apud eundem Maluendam lib. 11. cap. 6. sub Iuliano Apostata, Iudæorum cassos conatus ad hoc moliendum. Fulminibus quippe turbinibus terræmotibus, vehementi flammarum eruptione, alijsque de Cœlo factis prodigijs diuinitus, quoties opus aggrederentur, perterriti sunt. Ammianus præ alijs lib. 23. *Iulianus*, inquit, *imperij sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Ierosolymam Templum instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alipio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curauerat pro Præfectis. Cum itaque idem fortiter instaret Alipius, iuuaretque Prouinciæ Rector; metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus inaccessum; hocque modo, elemento destinata repellente, cessauit inceptum.* At qui totam historiam pleniùs nosse cupit, descriptam illam accuratissimè inueniet apud Sanctum Gregorium Nazianzenum Orat. 2. in Iulianum; apud Rufinum, Sanctum Chrysostomum, Socratem, Sozomenum, Nicephorum, & alios; quos suis locis recolit ibi Maluenda. Deinde habetur satis manifestè duraturam Antichristi tyrannidem tribus annis & dimidio: iuxta illud Danielis 7. *& tradentur in manu eius, vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*; vt ex glossa. Et cap. 12. *vsquequo finis mirabilium?* Et responsum est; *in tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et ita Apocal. 11. Et *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Vbi Angelicus; Q sicut populus Israel quadraginta duabus mansionibus peruenit ad terram promissionis Numeri 33. & in illis mansionibus multa mala prius sustinuit ab hostibus: ita Ecclesia, per persecutiones, quas in istis quadraginta duobus mensibus sustinebit, perueniet ad terram viuentium. Dicamus ergo; quomodo tam breui spatio sumptuosissimum, vt contendunt, ædificabitur Templum? Ioannis 2. *quadraginta sex annis ædificatum est Templum hoc*; &c. Præterea, illico ac *reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis*; fiet, vt *in Templo Dei sedeat*; 2. Thessal. 2. Nunquid mox Templum erit constructum? Sed demus reædificari à Iudæis id tam proteruè expectantibus: nunquid moles illa diabolica merebitur appellari, aut ius aliquod vnquam habuerit

O 2. Thes. 2. l. 1.

P 1. Machab. c. 6.

Q Apoc. 11. com 2.

buetit ad tantum titulum? *Templum Dei?* Si quidem dixisset Apostolus; *ita vt in Templo sedeat*, posset eo in sensu accipi: at adiecit *in Templo Dei*: Dominus item dicit, *stantem in loco sancto*: & quæ illius loci in Diaboli, suique primogeniti honorem ædificati, tunc erit sanctitas? Adhuc: mox sequitur apud Matthæum: *tunc si quis vobis dixerit; ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere. Si ergo dixerint vobis; ecce in deserto est; nolite exire: ecce in penetralibus; nolite credere.* Si ad litteram, sic accipiamus materiali *in Templo Dei* sessurum; sic pariter erit modò *hic*, modò *illic*; modò *in deserto*; modò *in penetralibus*. Quod etiamsi corporaliter esset intelligendum; non facilè intelligeretur; cur hæc in Sacro-Sancto Euangelio tradiderit Spiritus-Sanctus. Denique, si tam plana est intelligentia de nouo Iudaico Templo: vt quid mox subdit Dominus; *qui legit intelligat*: monens vtique eloquium esse sublimius. Et fortè inter Apostoli difficilia, hoc quoque est: de quibus Diuus Petrus in sua secunda cap. 3. sic ait; *sicut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut in omnibus Epistolis; loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu.*

20. Dicendum ergo mihi magis videtur, vt sicuti præfato Apocalypsis 11. *Et Ciuitatem Sanctam calcabunt*, &c. exponitur communiter de Ecclesia; ita cùm in Templo stare & sedere dicitur Antichristus, de mystico intelligatur, hoc est de hominibus; qui Templum Dei esse deberent, fientque sedes diaboli. Et hic sit sensus Apostoli; nedum *extolletur supra omne id, quod dicitur Deus aut quod colitur*; sed juxta suum votum, quod superbiens concupiscet obtinebit; conatus se talem ostendere in cordibus hominum. Et iam in eo quod additum est; *ostendens se tanquam sit Deus*, claret, non se ostensurum aspectu exteriori, sed signis & prodigijs mendacibus. Quare sicuti interiùs eum reputabunt seducti tanquam Deum, ita in interiori animarum Templo recipient, stabitque sedebitque in eis. Et sic Apocalypsis 17. *aquas quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt*;
R Apoc. 17. R meretrix idest Antichristus, qui dicitur in populis sedere, quia in ipsis dominatur & quiescit. Apud Apostolum autem sic accipi Templum, aliunde manifestissimè constat; nam Ephes. 2. inquit; *in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino; in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.* Et 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis.* Et postea; *nescitis quia Templum Dei estis? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Est enim de ratione Templi, quòd sit
S p. Cor. 3. l. 3. habitaculum Dei. Habitat S quippe Deus in domo sacrata per spiritualem cultum, qui in ea sibi exhibetur. Et ideo domus sacrata dicitur Templum; secundùm illud ps. *adorabo ad Templum Sanctum tuum.* Habitat etiam Deus in hominibus per fidem, quæ per dilectionem operatur; secúdum illud Ephes. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Sic etiam 2. Cor. 6. *vos enim estis Templum Dei viui.* Et sic Hebræor. 3. *Christus verò tanquam filius in Domo sua; quæ Domus sumus nos; si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Et 1. Petri 2. *ipsi tanquam lapides viui superædificamini Domus spiritualis.* Sicut ergo mysticè, propriè tamen, accipitur illud Amos 6. commemoratum Actorum 15. *in die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius; & ea quæ corruerant instaurabo, & reædificabo illud, sicut in diebus antiquis.* (Neque enim Deus saxorum & cæmentorum sic studiosus est.) Sicut etiam Isaiæ 28. vt recolit loco allegato Diuus Petrus, dicit Deus; *ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum pretiosum; & qui crediderit in eum, non confundetur* (Nec materialiter intelligitur psal. 117. *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*) ita neque in præsenti, de *loco Sancto* aut de *Templo Dei* materiali, intelligendum videtur; sed quia etiam fideles, quos decet sanctitudo, non paucos sibi ceu Numini vero faciet addictos. Neque inconsideratè reor transeundum, qualiter dum de *loco sancto*, de *Templo Dei* agitur, minimè dictum est, *abominatio habitabit in loco sancto*, siue ita vt *in Templo Dei habitet*: sed *stantem in loco sancto*; siue ita vt *in Templo Dei sedeat*. Quia si alta proprietate velimus loqui, Deus equidem animam potest inhabitare: vnde ibi 2. Cor. 6. *& inhabitabo in illis*; & Ephes. 2. *in quo vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.* Ephes. 2. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Creatura non item. Ratio est; quoniam vt dicitur in libro *de definitionibus orthodoxæ fidei, siue de Ecclesiasticis dogmatibus*, sub finem; *illabi menti, illi soli possibile est qui creauit. Dæmones per energicam operationem, non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri.* Violare ergo poterit Antichristus fideles, qui sunt Dei Templum; 1. Cor. 3. *si quis Templum Dei violauerit*: at nunquam dicendus erit eos inhabitare: qua voce significari videtur internus illapsus; qui proprius est Dei. Vnde in Hymno; *illabere propitius.* Habitamus quippe interiùs Domum; insidemus autem exteriùs sedi: *stare* etiam aut *esse* alicubi, non ita vt *habitare*, sonat introrsùs excipi. Ideo, dic Danielem, Dominum, Diuum Paulum ab illo cauisse verbo *habitabit*; ne vel sonum vocis darent impio, qua posset vllatenus foueri opinio vel suspicio falsissima Diuinitatis, quam sibi Antichristus blasphemè & procaciter arrogabit, vt lib. illo 7. cap. 4. vsque ad 7. Maluenda eruditè tradit. Qui tamen Maluenda acri nimis calamo ibi c. 9. eos perstringit; qui Templum non esse reædificandum sustinent, *contra tot*, inquit, *tantorumque Patrum auctoritatem.* Sed parcat Pater Maluenda; Diuus enim Augustinus, vt supra retulimus, hoc dixit esse incertum: & Sanctus Thomas ibi 2. ad Thessal. 2. minimè id improbat. Non tamen sim ipse pertinax: quin etiam sessurus sit in Templo, in quantum Christianas Ecclesias, sit suo cultui contaminaturus: quod Turcarum impietas, proh scelus? quotidie facit. Quoad hanc abominationem desolationis, varia placita vide, apud eundem Maluendam eo cap. 9. Ego sextæ interpretationi, quæ præsertim mystico & arcaniori sensu, de Antichristo intelligit, gaudeo cum multis Sanctis Patribus adhæsisse. Non enim sine causa adiecit Dominus; *qui legit intelligat.*

VERS. XVI. *Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.*

Mitto lectorem ad Angelicum & ad auream eius 21.
Catenam, quoad literalem de Iudaica natione sensum, circa hunc alterumque contextum: siquidem Titus obsedit Ierusalem tempore Paschatis ipsorum, vbi maiori conuenerant numero. Vnde Lucæ 19. *circundabunt te, & coangustabunt te vndique; eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Et cap. 23. *venient dies in quibus dicent; beatæ steriles & ventres, qui non genuerunt; & vbera quæ non lactauerunt*: hìc autem, *væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Multi secundùm historias fame perierunt; & quædam mulier comedit filium suum. Libet ergo cum Diuo Hilario, qui nonnulla mysticè intelligit, omnia sic exponere. Æquum enim erat, attenta diuina clementia, vt futura ad mala ferreos & adamantinos faceret salutaribus præceptis fideles suos. *Tunc ergo*, (hoc temporis aduerbium placeat referri ad illud tempus de quo quæsierant supra Apostoli; *quando hæc erunt*) finali tempore

pore, quo compertum fuerit de abominatione seu Antichristo; *qui in Iudæa sunt* &c. Iudæ nomen confessionem importat; quam par est hic accipiamus in ordine ad fidem. Adeo autem hoc adnimaduertitur in Scriptura, vt Apocalypsis 7. vbi toties de duodecim millibus signatis, primo in loco ponatur; *ex tribu Iuda*; cùm tamen Iudas inter filios Iacob quartus fuerit, quia T confessio fidei præcedere debet. Et Apoc. 2. Ioan. negat Iudæos incredulos Iudæos esse: *blasphemaris ab ijs, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt; sed sunt Synagoga Satanæ*. Reor ergo dici, qui *in Iudæa sunt*, qui verè credunt, imminentibus angustijs *fugiant ad montes*: & quos ad montes? Augustinus in psal. 119. *nec quia montem audisti, alta quædam cogites terræ*. Et pro ascensu intelligit profectum: *incipiat*, inquit *proficere: incipiat velle ascendere*. Et in psal. sequentem 120. *Montes possunt intelligi homines magni, homines clari. Et quis maior est Ioanne Baptista? qualis ille mons erat!* &c. Dicito ergo ex his monere Dominũ, vt qui ipsũ fide nouerunt, psal. 75. *notus in Iudæa Deus*, vexandi tribulatione illa fugiant ad montes: solicito gradu perfici studeant: ne si deficere cœperint, pereant. Ibidem psal. 116. *possumus putare ascendentes, viros proficientes; descendentes, deficientes; quia reuera inuenimus hoc in populo Dei: alij proficiant, alij deficiunt. Dic etiam, leuaui oculos meos in montes; vnde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino*; quia confugiendum est Sanctos ad Patronos, vt ipsi intercedant pro nobis. Vt scilicet, quod sequitur; *non det in commotionem pedem tuum*, non contingat nutare fide; quæ stare nos facit; Roman. 11. *tu autem fide stas*; & 2. Cor. 1. *nam fide statis*.

T Apoc. 7. com. 2.

VERS. XVII. *Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua*.

Ecce quomodo ascensum præintelligendum fuisse docet; cum dixit *fugiant ad montes*; quandoquidem mox vetat descensum. *Hoc*, ait Hilarius Can. 25. in Matthæum, *secundum humanam intelligentiam rationem dicti factique non recipit. Tectum est Domus fastigium, & habitationis totius celsa perfectio*. Non debebit, qui perfectus est, descendere cupiditate, in humiliora rerum sæcularium.

VERS. XVIII. *Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam*.

22. Postquam tetigit Dominus de perfectis, veluti in culmine positis; sicut & in psal. 101. dicitur, *factus sum sicut passer solitarius in tecto*; congruens erat, vt de proficientibus diceret. Et ecce mirabiliter hos quoque innui per eum, *qui est in agro*, vtique robur suum exercens. In agro quippe laborat homo; neque debilioribus conuenit in agrum exire: vbi non nisi per boues quibus fortitudo propria est, excolitur ager: de quo agro Prouerb. 24. *diligenter exerce agrum tuum*. Hanc proficientium fortitudinem exprimit Isaias cap. 40. dicens; *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem; current & non laborabunt*. Pertinet quippe ad proficientes V vt in eis charitas per augmentum roboretur. Vnde Augustinus; (ibi) *cum fuerit nutrita charitas, roboratur*: quod pertinet ad proficientes. Quamuis autem proficientes quantùm ad naturæ afflictionem laborent; secundùm illud Apocalypsis 2. *scio opera tua, & laborem*; & Sapient. 10. *reddidit Deus mercedem laborum*, &c. non tamen laborant X quantùm ad mentis consolationem. Vnde Augustinus; *qui amat non laborat*. Qui profecerunt sic resistunt peccatis, vt impugnationem minus sentiant, & sic securiùs A intendant ad profectum; ex vna tamen parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium, vt dicitur Esdræ 2. cap. 4. de ædificatoribus Ierusalem: Studium autem perfectorum circa hoc maximè versatur, vt Deo inhæreant. Et isti minus sentiunt sollicitudinem, vel de vitatione peccatorum, vel de profectu virtutum. Cur lector non dicas perfectum intelligi *qui est in tecto*; proficientem autem eum, qui iam *est in agro*? Vtrisque igitur Dominus saluberrima reliquit monita; ne qui gradus hos attigit charitatis, cupiditate temporalium tangatur; quandoquidem, vt ait Augustinus: *venenum charitatis est cupiditas*: ille ergo non *descendat tollere aliquid de domo sua*; iste non desinat in opere proficere, reuersus *ad tunicam suam*. Tunica certè opus impedit, ponique solet, vt expediti quidquam possimus agere. Hinc Tullius 5. Tuscul. *atque is, cum pila ludere vellet, tunicamque poneret*; &c. Adest in Cantica Angelicus dicens; solicitudines & curas sæculi, tunica Matthæi 24. significat B. Vide ergo, quomodo ne opus intermittat, qui proficit, eruditione hac informat. Sic, ne *qui in tecto est*, quique studuit soli Deo hærere, tepescat charitate temporalia recogitans, ne quidquam *descendat tollere de domo sua* instruit, nulla rei alicuius facta expressione; quia præsumitur rebus omnibus terrenis vale dixisse. Figura *litotes*; cum minus dicitur, & plus intelligitur. Opportunè autem sic mentes præparat; quia, inquit Hieronymus de Antichristo; *quos terroribus nequibit, subiugabit auaritia*. Scio aliàs exponi de vita contemplatiua eorum, qui sunt *in tecto*; (C atque de actiua, per eum, qui est *in agro*) Sed fauet Augustinus nobis; qui ad Hesychium ait; *cauendum est; ne quisquam deuictus ad carnalem vitam de spirituali descendat; aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo in posteriora respiciat*. Sanè si sic in tecto permaneamus, ridendus est Antichristus, suis quibuscunque terroribus quantumlibet minax. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8. *tribulatio an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, &c. *poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*.

V 2. 2. 24. 9.

X Apoc. 2. com. 1.

A 2. 2. 24. 9. ad 2. & 3.

B Cant. 5. ibi expoliaui me tunica mea.

C D. Th. ibi.

VERS. XIX. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*.

Tropologicè hoc etiam sed cohærentissimè accipiendum venit. Siquidem postquam de duobus charitatis gradibus dictum fuit, supererat de tertio, & infimo introduci, qui est incipientium. Augustinus relatus in eo articulo; D *charitas, cum fuerit nata, nutritur*; quod pertinet ad incipientes, subdit Angelicus. Rogo lector; potest diuinius ad rem nostram dici? Dominus vtrumque nectit, de *prægnantibus* ac de *nutrientibus*. Sed audiamus ibidem Sanctum Doctorem: spirituale, inquit, augmentum charitatis considerari potest quantùm ad aliquid, simile corporali hominis augmento. Comparat autem statum incipientium infantili ætati: & subdit; in incipientibus charitas est nutrienda vel fouenda, ne corrumpatur: quod est recedere à peccato, & resistere concupiscentijs eius, quæ in contrarium charitatis mouent. Consimilis planè locutio verbis Domini dicentis *væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*. Ac si diceret; *væ incipientibus; væ pueris*: de quibus legitur Isaiæ 40. *deficient pueri & laborabunt*: quia scilicet ex defectu promptioris E voluntatis, maiorem sentiunt laborem. Istos dicito in diebus illis tanquam teneros posse deficere; ideo præmittit Dominus *væ*, quod sonat *heu* interiectionem dolentis. Sed nihilominus; si velimus incipientes & proficientes sub vna accipere similitudine repertorum *in agro*, quia statim ac charitas F incipit esse, incipit etiam proficere, vt docemur: tunc *prægnantes & nutrientes* dicendi videntur, qui nondum sunt in charitate, quamuis nonnihil de sua salute recogitent. Isaiæ 37. *venerunt vsque ad partum: & virtus non est pariendi*; G quia multi proponunt pœni-

23.

D 2. 2. 24. 9.

E 1. Cor. 3. l. 2.

F 2. 2. 24. 9. 4.

G Apoc. 2. com. 1.

pœnitentiam agere, & nunquam agunt; *væ autem prægnantibus* &c. Simili phrasi de pœnitentibus idem Isaias cap. 26. *concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus spiritum*: & psal. 47. *ibi dolores*

H opusc. 60. 4. & ps. I. 17. *vt parturientis*: sermo enim fit H de partu pœnitentis animæ. Nec prodest admodum, quamuis propositum illud pœnitendi nutriatur, ob circunstantiam temporis; quia *in illis diebus*; siquidem orandum est ob periculum, ne ex timore mundano, qui est de proprij corporis detrimento, & de damnis temporalium rerum, vt explicat I Angelicus, extinguant conceptum illud propositum, sicque in recessu à iustitia firmentur. Timor quippe huiusmodi mundanus, vt ibidem docet, semper malus est. Vnde dicit etiam Philosophus in 3. Ethic. cap. 1. quòd quædam sunt, scilicet peccatorum, opera, ad quæ nullo timore aliquis debet cogi; quia peius est huiusmodi peccata committere, quàm pœnas quascumque pati. [I 2.2.19. 3.]

VERS. XX. *Orate autem, vt non fiat fuga vestra in hyeme vel in sabbato.*

24. Exponitur etiam de corporali fuga hyemis tempore; quia inquit Hieronymus, *duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere, & in montibus desertis latitare; in altero autem transgressio est, si fugere voluerint; aut mors imminens, si remanserint.* Exodi 16. *nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Hinc traditio apud Iudæos increbuerat, vt in die sabbati minimè longum iter facerent. Diuus Hieronymus Epistola 151. quæst. 10. refert, licuisse eis ambulare bis mille pedes. Apud Suidam legimus in Lexico in verbo *via* sic. *Sabbati via est duorum millium cubitorum.* Oecumenus in 1. Actor. *Sabbati iter milliare vnum est*; nam *vt inquit Origenes in quinto Stromate, duorum millium cubitorum spatium erat iter sabbati*. Act. 1. *Mons Oliueti iuxta Ierusalem sabbati habens iter.* Sed cum tot alia licerent in die Sabbati, vt claret supra cap. 12. Lucæ 13. & 14. & Ioannis 7. Item cum 1. Machabæorum 2. prudenter accingerentur ad bellum die etiam Sabbatorum; rationabili L interpretatione præcepti, de die Sabbati ad vacandum. [L p.2.100. 8. 4.] Præterea cum Marci 6. ipse dixerit; *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum*. Denique dicat glossa; *ita Sabbatum custodiri præceptum est; vt non sit reus, qui violauerit, si necessitas fuerit*: præsertim, quia non videtur opus seruile facere, qui iter agit; & quia non tam manifestè vim præcepti habebat; videtur mirum valdè, ad literam sic inculcasse Dominum, vrgente non constante causa, illius obseruantiam. Igitur sub cortice latet sensus pulchræ connexionis ad priùs enarrata. Posset enim facilè instari à non habentibus tunc temporis charitatem, de ipsius adeptione speranda per viam timoris. Sanè ex Gregorio; *in via Dei à timore incipitur.* Et ex Augustino, *timor introducit charitatem, sicut seta vel acus filum.* Angelicus ex professo quærit *Vtrum principium pœnitentiæ sit ex timore*; M definitque actum pœnitentiæ à seruili timore incipere, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato. Vnde timor seruilis N non improbatur; immo decernitur bonus. [M 3. p. 85. 5.] [N 2. 2. 19. 4.] At huic instantiæ respondet Dominus; *orate*, vt sit qui à vero pœnitente exigitur timor. Et hæc est fuga de qua profundè loquitur. Namque vt ait Augustinus super Ioannem; *mercenarius autem fugit*; Ioann. 10. *affectiones nostræ motus animarum sunt; lætitia animæ diffusio est; tristitia autem contractio; cupiditas, animi progressio; timor, animi fuga est.* Verùm est ergo surgere posse timorem, seu fugam imminente cæde: vt inde excitati homines timeant, quæ sunt in causa tantæ vltionis peccata, atque ab eis recedant; sed quis scit an timor huiusmodi Deo sit acceptus? seruilis timor pro obiecto habet pœnam; sed si ea pœna tanquam principale malum O timeatur; sic viget in eo seruilitas, vt malus sit timor. [O 2. 2. 19. 4.] *Orate* ergo ait Dominus; quia timor seu fuga, qua coram Deo cor pœniteat, non debet esse in *hyeme* vel *Sabbato*. In hyeme fructus non porrigunt frondatæ arbores. Quomodo in hyeme illud Baptistæ implebitur, Lucæ 3. *nimirum facite fructus dignos pœnitentiæ*? Augustinus tract. 48. in Ioann. ad illud *hyems erat*; inquit; *frigidi erant; friguerant diligendi charitate.* Sic dum ait; *vel in Sabbato*, innuit orandum, ne otietur anima. Fructus enim desiderati opera virtutum sunt: *opera virtutum* inquit Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. *dicuntur fructus, quia suos possessores sancta & syncera delectatione reficiunt.* Et Angelicus opera nostra P in quantum sunt effectus quidam Spiritus-Sancti in nobis operantis, habent rationem fructus. [P p.2.70. 1. 1.] Salutarem autem timorem Q dat nobis Spiritus-Sanctus: quia ipse motus timoris (dic fugæ) procedit ex actu Dei conuertentis cor. [Q 2. 2. 19.4. & 5.] Vnde dicitur Deuteronomij 5. S *quis det, eos talem habere mentem, vt timeant te*? [S 1. p. 85. 5. 1.] Ideo Isaiæ 26. *à timore tuo Domine concepimus.* Si Dei sit timor, tandem in amorem transibit: at hic nuncupatur *fuga nostra*: *ne fuga vestra fiat in hyeme vel in Sabbato.* Non ducit fuga nostra ad Deum, sed Dei timor. Ingens autem est periculum, vt metus seu fuga à peccatis sit solum ex nobis; quia vt subdit Dominus; *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi vsque modò, neque fiet.* Vnde cùm vehemens adeo futura sit humani timoris causa, verendum semper, ne timor ille coactus sit & humanus; adeo vt sola ex vexatione excitetur; atque subinde nihil suffragetur saluti. Nam & in Inferno; Sap. 5. *videntes turbabuntur timore horribili; pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, *Orate ergo ne fiat fuga vestra in hyeme vel Sabbato.* Quod etiam exponi potest; ne vsque in finem trahatur pœnitentiæ tempus; quia *pœnitentia sera*, vt Augustinus ait, *rarò vera*. Et nota ly *fiat*: poterat enim dici, & superficie literæ congruentius; *orate ne fuga vestra occurrat* vel *contingat*; sed quia de timore agitur salutari & initiali; qui T donum est Spiritus-Sancti, vsurpat verbum *fio*. [T 2. 2. 19. 6.] Sanè, vbi in oratione Dominica instruimur ad dicendum: *fiat voluntas tua*; meditatur Angelicus; V non dicit *fac*, nec etiam *faciamus*; [V opusc. 7.] sed dicit *fiat voluntas tua*; quia ad vitam æternam duo sunt necessaria; scilicèt gratia Dei, & voluntas hominis: & licet Deus fecerit hominem sine homine; non tamen iustificat eum sine eo: Augustinus super Ioannem; *qui creauit te sine te, non iustificabit te, sine te*; quia vult, quòd homo cooperetur; Zach. 1. *conuertimini ad me & ego conuertar ad vos*. Apostolus 1. Cor. 15. *gratia Dei sum id quod sum; & gratia eius, in me vacua non fuit.* Non ergo præsumas de te, sed confidas de gratia Dei; nec negligas, sed adhibeas studium tuum. Et ideo non dicit *faciamus*, ne videretur, quòd nihil faceret gratia Dei; nec dicit *fac*, ne videatur, quòd nihil faceret voluntas, & conatus noster; sed dicit *fiat*; per gratiam Dei adhibito studio & conatu nostro. Hactenus Diuus Thomas. Quæ sancta doctrina apprimè arridet huic textui; vbi vt adnotaui, illud ipsum *fiat* vsurpatur: & præmittitur de oratione *orate*: quod etiam præmissis conuenienter aptari debet: *orate ne descendatis de tecto, ne reuertamini ad tollendam tunicam; ne eueniat ærumna prægnantibus*, &c. quandoquidem Isaiæ 26. *omnia opera nostra operatus est nobis Dominus*. Origenes ad hæc; *Et in Sabbato; quando homo opera bona non facit, fuga vestra non fiat. Nemo enim* (congruens expositio & ista) *in periculo falsi dogmatis facilè superatur; nisi qui nudus fuerit ab operibus bonis.* Sanè per bona opera nutritur fides, scripsit Hieronymus.

VERS.

VERS. XXI. *Erit enim tunc tribulatio magna; &c.*

25. Consensus extat in Daniele: *& veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo Gentes esse cœperunt; vsque ad tempus illud.* Hoc autem de tempore Antiochi non potest intelligi; X quia maior fuit tribulatio tempore, quo Ciuitas capta fuit à Babylonicis, Templumque subuersum, & populus captiuatus. Apocalypsis etiam 9. *in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori; & fugiet mors ab eis.* Et Apoc. 13. *datum est illi* (bestiæ, scilicet Antichristo) *bellum facere cum Sanctis & vincere eos.* Nam vel spiritualiter in anima, vel corporaliter in vitæ huius bonis vincet, inquit Maluenda lib. 8. cap. 5. sed ait Angelicus A *cum Sanctis*, idest cum iustis, disputando persuadendo, comminando, promittendo, flagellando: Danielis 7. *Et ecce cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos & prævalebat eis*, scilicet corporaliter vt dicit glossa, quia affliget eos & interficiet. Antichristus fidem & mores corrumpet; & ideo grauior omnibus erit tribulatio. Ita cap. 14. Quanquam de iustis incipientibus seducet, vincetque etiam spiritualiter: non sic timendum de proficientibus seu prouectis; ac de perfectis. De his enim tribus gradibus dicitur, consentitque glossa Apocalyps. 9. *& præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ*; interficiendo spiritualiter; idest incipientes, qui rudes sunt in bono ac imperfecti & simplices, B & faciles decipi: sicut fœnum rude quodammodo est, & non magni ac perfecti roboris, & facilè destrui ac dissipari potest: *neque omne viride* idest proficientes; qui iam virent virore virtutum: vnde placent oculis Dei; Eccles. 40. *gratiam & speciem desiderabit oculus tuus; & super hæc virides sationes: neque omnem arborem*, idest perfectos, qui in altum eleuantur per meritum perfectionis, & iam ad soliditatem ligni peruenerunt, & copiosè fructificant. Ecclesiastici 39. *obaudite me diuini fructus.* Vide lector, quàm appositè supra & nos *Tectum, agrum*, & *nutrienter*, ad hæc reduximus. Verùm signanter cùm de fœno inhibet, non dicit *omne*; quia ex ipsis potius læduntur spiritualiter.

X Danielis 12.

A Apoc. 13. com. 2. Apoc. 14. com. 1.

B Apoc. 9. comm. vtroque.

26. Sed quam atrocitatem tormentorum exquisitorum debeat impius ille in Christicolas exercere, vide apud Maluendam lib. 8. Satis sit audiri à Domino; *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Non erit diuturnior, Sanctiorum electorum interuentu, ea tribulatio. Humana enim fragilitas vix resisteret; (quamuis præsto sint diuina auxilia) ob arbitrij nondum confirmati in gratia flexibilitatem. *Fidelis* autem *Deus* est 1. Cor. 10. *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Deuteronomij 13. *tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat; vtrum diligatis eum, an non.* Sæpè enim immittit tribulationes iustis; C vt dum patienter sustinent, appareat virtus eorum, & in virtute proficiant. Dic autem, etsi nostris viribus non possimus; tamen quod possumus cum diuino auxilio; non est nobis omnino impossibile; D secundum illud Philosophi in 3. Ethicorum; *quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.* Sed hæc speculatiuæ Theologiæ relinquuntur: sicuti, quæ inuoluit adhuc sententia Domini, de conditionatè futuris, deque veluti mutatione futurorum; (*nisi breuiati fuissent dies illi*,) de ipsius infinita præscientia; quæ etiam conditionatorum est, & futurorum, quæ ab humano pendent arbitrio; (*non fieret salua omnis caro*) scholasticas desiderant disputationes. Huius autem ingentis tribulationis, scito ex Diuo Luca c. 21. v. 23. Iudæorum pressuram fuisse typum: quandoquidem ipse apertè loquitur de Iudæis, vt in sacro textu eius videre est.

C opusc. 7. 3. & in nos.

D p. 2. 109. 4. ad 2.

VERS. XXIII. *Tunc; si quis vobis dixerit; ecce hic est Christus aut illic; nolite credere.*

Absit vt ego autumauerim, hic & in sequentibus 27.
sic in superficie animari fideles ad constantiam; frigidèque, vt sonant verba, ab aduersarijs prædicandum esse Antichristum; dicendo *Est hic, illic. Est in deserto; est in penetralibus:* & vbi tot erunt angustiæ non alio præmuniri studio, eos qui crediderint; nisi *nolite credere; nolite exire.* Nunquid clypeus tam fortis est sic admonuisse, vt quis queat tantis resistere assultibus tot elidere errores tot refragari signis; quando *dabunt signa magna, & prodigia; ita vt, si fieri potest, inducantur in errorem etiam electi?* Ita planè si penitiùs introspiciatur, quidnam recondant altissima verba Domini. Nec resiliat qui legit; quia non sine eleuatiori aliqua causa prompsit Dominus paulo ante: *qui legit, intelligat*: quod dictum esse, firmat Hieronymus, *vt ad intelligentiam mysticam prouocemur.* Dicendum ergo, postquam cõfortata est voluntas per charitatis studium, eiusdemque indefessum profectum; ad perfectionem vsque quæ in via potest haberi, vt simus in tuto, *in tecto*, sub Cœli nimirum tentorio: supererat intellectum quoque foueri, saluberrima eruditione; vt dici queat, *intelligite, erudimini*, fidelibus ipsis. Itaque vel subdolè vel etiam ignoranter ille inuitat, qui ait; *ecce hic est Christus aut illic.* Suis quippe confodiendus est telis. Cur *hic aut illic esse* perhibes, & non vnde sit prodis? Fides non, vbi dicatur esse Christus, contenta est scire: exigit indispensabiliter nosse perspectumque habere, qua ex Gente venerit: qua ex tribu, qua ex familia, quo ex Patre, quo ex loco prodierit. Tunc ei credet. Ipsi duriores Iudæi hunc nondum amiserant intellectum, vt premerent vndè esset Christus. Sic Ioann. 9. dicebant; *hunc autem nescimus vnde sit.* Et prius cap. 7. *nunquid à Galilæa venit Christus? nonne Scriptura dicit; quia ex semine Dauid, & de Bethlehem Castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Sic Matthæi 2. quamuis quæsijssent Magi, vbi natus esset Rex Iudæorum; audiuit Herodes sciscitans *vbi Christus nasceretur*, vnde, esset ex Michææ vaticinio; *ex te enim exiet Dux*, (Bethlehem, alloquitur) *qui regat populum meum Israel.* Quantumcunque ergo inculcet quispiam *Ecce hic est Christus, aut illic*; absit, vt hoc vnquam credatur, *nolite credere*: immò positiuè explodatur; atque negetur. Iactabit se Antichristus Messiam promissum: talem venditare conabuntur pseudo Prophetæ corrupti: at nunquam allegare ausi fuerint, natum fuisse in Bethlehem, de Tribu esse Iuda, de domo Dauid. Alto diuino nutu, nec id comminisci poterunt. Hebr. 7. *manifestum est, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster.* Et ad Romanos 1. *qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Matthæus etiam publicè intonat, *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Neminem legimus ausum esse, contradicere. Quomodo posset, si mendacij vel leuissima per hominum ora volasset suspicio, tam apertè tam constanter proferri? Sed esto, effutiret scelestissimus ille venturus, se de genere Abraham, de tribu Iuda, de stirpe Dauid venisse, gratis omnino id confingeret; eo quòd Iudæis nulla nunc est ad primæuos suos Patres cognita propagationis distinctio. Iulius enim Africanus, qui sub Antonino Heliogabalo floruit, de Herode Antipatris filio, qui super Iudæos regnauit, apud Eusebium & Nicephorum, vt fert Maluenda de Antichristo lib. 1. cap. 6. hæc prodit. *Porro, cùm familiæ non Hebræorum solùm, verùm etiam eorum, qui vsque ad proselytos genus suum referebant, vt ad Achior Ammanitem, & Ruth Moabitidem, qui*

ex

ex Ægypto elapsi commiscebantur cum Israelitis, ad illud tempus scriptis proditæ in tabularijs reseruarentur: Herodes, quoniam illorum stirpem nihil ad se pertinere, nihilque ad suam dignitatem illustrandam afferre adiumenti animaduertebat, suæ ignobilitatis, & obscuri generis conscientia exagitatus, Annales illos de generum, & familiarum antiquitate incendit, arbitratus se nobilem visum iri, cùm nemo suum genus ex publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad proselytos, vel ad eos, qui Gioras (græcè) idest terræ incolæ, qui cum Israelitis permiscebantur, vocati sunt, omnino posset reducere. Quod factum ita quoscunque pseudo-christos amandat; vt hoc vno repudiari ac exufflari debeant; quia *vnde* sint ignoratur. Signanter ergo prænouit Dominus fidelesque præmonet, assertum tantummodo fore Christum, qui solummodo *hic* aut *illic* esse dicetur. Commemorat Thomas Maluenda lib. 2. capit. 10. & 15. qualiter Iudæi confingunt sibi mendacijs compactam successionem quandam, perpetuò ductam à Zorobabele ad hanc vsque diem, & sic Principatum è tribu Iuda, & familia Dauid sibi adhuc stare Babylone. At ibi, cum ab alieno semper pependerint nutu, gratis vel vmbram astruunt Principatus. Et præterea dicito illis, quomodo reuertens tribus Iuda in Ierusalem sub Esdra, vt etiam fatetur Iosephus Antiquitatum lib. 11. cap. 5. suam secum non tulerit successionem? Neque enim scripsit aliquis, contra sacræ Scripturæ testimonium, de illa tribu Iuda primores aliquos, sed neque vulgi ex numero in Babylonia remansisse. Alterius ergo tribus, & Annales, & prognatos damus ibi commoratos: minimè verò rationabiliter vel tribus Iuda vestigium. Nam 1. Esdræ 3. liquet, in opere etiam summum illorum consensum extitisse, dum legimus; *& filij Iuda quasi vir vnus.* At quid inde etiamsi familias ex tribu Iuda perspectas haberent? Nasciturum autem in Chaldaica Babylone Antichristum, & ex Scripturis, & ex Patribus fusè habes in eodem Maluenda lib. illo 2. præsertim cap. 15. & de Tribu Dan tracturum originem. Quare & loco & progenitoribus eius suppressis, iactare non poterunt eius Asseclæ nisi, est *hic* aut *illic*. Nec vaferrimum eius ingenium summaque calliditas, poterit nisi occæcatis Iudæis se
E opusc. 63. c. 25. tanquam Christum obtrudere. In opusculo E sic: Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan, iuxta quod Iacob ait Genes. 49. *fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Et hinc sentiunt, idcirco
F Apoc. 7. Apocalypsis 7. F omitti, *ex tribu Dan duodecim millia signati*; vt ostendatur, ex glossa, Antichristum de omnium Sanctorum numero excludendum.

VERS. XXV. *Et dabunt signa magna & prodigia.*

28. Vbi fulcimentum nullum Antichristo, & sequacibus a derit Scripturarum, genuinum esse Christum conabuntur ostendere falsis signis, & prodigijs. Quæ equidem nihil metuenda prædicat Diuus Paulus contestans 2. ad Thessal. 2. cap. 2. esse illius *aduentum secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus.* Igitur
G 1. 2. 178. 1. 2. loquitur Dominus G de miraculis, quæ fienda sunt tempore Antichristi. De quibus Augustinus 20. de Ciuitate Dei cap. 9. *solet ambigi, vtrum propterea dicta sint signa, & prodigia mendacij, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est; vt quod non facit facere videatur: an quia illa ipsa etiam, si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros.* Vera autem dicuntur, quia ipsæ res veræ erunt: sicut Magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & veros serpentes. Non tamen habebunt veram rationem miraculi, quia fient virtute naturalium causarum, sicut in prima Parte dictum est: (nimirum q. 114. a. 4.) Sed operatio miraculorum, quæ attribuitur gratiæ gratis datæ, fit virtute diuina ad hominum vtilitatem. Quocirca firmissimum esse debet, vera miracula à nulla creatura, per propriam virtutem fieri posse; quia vt docet H miraculum propriè dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ: omnis autem virtus creata continetur sub hoc ordine. Dic ergo mi lector; quicquid fiat, vel fieri potest ab Angelis sanctis, & Dæmonibus, etsi quandoque sit mirum, non tamen miraculum, quia non possunt illa quæ sunt supra naturam, contenti & ipsi cum suis viribus intra ordinem naturæ. Quare non sufficit ad rationem veri miraculi, vt aliquid fiat præter ordinem naturæ alicuius particularis. Secus I cum aliquis proijcit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis; sed vt dictum est, debet esse præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem non potest facere nisi Deus: psalm. *qui facit mirabilia magna solus.* Et ita si spiritus tam humani, quàm Angelici quandoque patrant miracula, id faciunt dono speciali gratiæ eis assistente L. Dæmonibus autem nunquam dat Deus hanc potestatem; quia tota voluntas eorum M ad malum est, & ad decipiendum: non decet autem diuinum testimonium indicatiuum diuinæ virtutis, & veritatis, detorqueri ad comprobandam falsitatem: cuius Deus impossibiliter fieret testis. Et sic ait ad Thess. nullus contra fidem facit vera miracula, quia Deus non est testis falsitatis. Mirabiliter tamen possunt dæmones operari dupliciter; vno modo per veram corporis transmutationem, faciendo per modum artis eos effectus, ad quos inueniuntur aliquæ virtutes naturales in corporibus; celeriter eas applicando secundum motum localem, sicut magi Pharaonis per virtutem dæmonum N veros serpentes, & ranas fecerunt. Et hæc dicuntur miracula non *simpliciter*, sed *quoad nos*. Et ita dicendum est, quòd omnes transmutationes corporalium rerum, quæ possunt fieri per aliquas virtutes naturales, applicatis quibusdam seminibus, quæ in elementis Mundi inueniuntur, ad eos effectus complendos, possunt O fieri per dæmonum operationem. Serpentes autem, & ranæ per putrefactionem etiam absque opera dæmonum generantur. Illæ verò transmutationes corporalium rerum, quæ nunquam fiunt aut fieri possunt virtute naturæ, vt quòd corpus humanum mutetur in corpus bestiale; aut quòd corpus hominis mortuum reuiuiscat, nullo modo operatione dæmonum, secundum rei veritatem perfici possunt. Et si aliquid tale operatione dæmonum fieri videatur, hoc est secundum apparentiam tantum, non secundum rei veritatem. Quod quidem potest dupliciter contingere; vno modo ab interiori, secundum quòd Dæmon potest mutare phantasiam hominis, & etiam sensus corporeos; vt aliquid videatur aliter, quam sit: (sicut contingit in phreneticis, P & mente captis naturaliter. Et hæc dicuntur à dæmonibus præstigia, quibus nostri illuduntur aspectus: sicut Simon Magus Q fecit apparenter decollari arietem, & hominem) alio modo contingit deceptio ab exteriori; cùm enim dæmon possit formare corpus ex aere, cuiuscunque formæ & figuræ, vt illud assumens in eo visibiliter appareat; potest eadem ratione circumponere cuicunque rei corporeæ quamcunque formam corpoream, vt in eius specie videatur; se sic sensibus offerens. Sic Augustinus 18. de Ciuitate Dei c. 18. *non itaque solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel potestate in membra, vel delineamenta bestialia posse conuerti.*

Hinc duo exurgunt difficilia valde, quæ nec volumus 29.

H p. p. 114. 4. & 2. Thess. 2. l. 2.
I p. p. 110. 4.
L de potentia q. 6. 4. Mibi a. 5. & 2. Thess. 2. l. 2.
N loc. cit. & p. p. 110. 4. & 114. a. 4.
O p. p. 114. 4. 2.
P de potentia q. 6. a. 5. & p. p. 111. a. 3. & 4.
Q 2. Thess. 2. l. 2.

lumus nec debemus conniuere; vt ex ipsorum examine quanquam salebroso, veritas magis emicet sanctæ fidei; quæ signis veris non caruit, quando Apostoli *profecti*, Marci vltimo, *prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*: & adhuc miraculorum diues est; cum sint in Ecclesia gratiæ gratis datæ; inter quas 1. Corinth. 12. *gratia sanitatum, & operatio virtutum*. Primum itaque animos pulsat; quia non omnino manifestum videtur, quodnam sit illud mirabilium genus, totius naturæ vires excedens; cui proinde Deus duntaxat possit admouere manum. Contendet enim peruicax, si velimus multa mira, quæ fiunt à magis, & pseudo-prophetis, non esse vera miracula, quia virtus naturæ in ea possit; contendet inquam, nullum fuisse verum miraculum Christi aut discipulorum eius; sed illorum quodlibet miris artibus factum esse; non secus ac cacodæmones operantur multa, quæ dicimus celeri applicatione naturalium virtutum ab eis patrata. Et si confugiamus etiam ad mortui hominis exsuscitationem, hanc eandem non erubescent eadem via sustinere inter effecta mira naturæ: præsertim stante Auicennæ positione; qui vt refert pluries Angelicus R tutatus est, omnes formas substantiales effluere in hæc inferiora à substantia separata; & quòd corporalia agentia, non sunt nisi disponentia materiam ad suscipiendam impressionem agentis separati. Has substantias separatas, vocat animas, seu motores orbium. Secundum, quod etiam posset fidelem exagitare, huiusmodi est. Si sola miracula Deo attribuenda, sunt ea, quæ virtutem omnem naturalium excedunt causarum; puta quòd Sol stet, aut retrocedat, aut tenebrescat; quòd mare diuidatur; quòd corpus humanum glorificetur; quòd mortuus resuscitetur, quòd cæcus illuminetur, quòd duo corpora sint simul; (exempla sunt Diui Thomæ S) cur tot alia minora fecit per seruos suos Deus; quæ calumniæ subiacebant, vt essent naturæ viribus facta; quemadmodum verè dicimus de effectis per Magos Pharaonis; & dici debet de plurimis mirabilibus, quæ eruditissimè collegit Maluenda lib. 7. de Antichristo c. 18. & infra.

R Gelat. 3. l. 1. & 3. cont. Gent. c. 103.

S p. p. q. 105. 8 p. 2. q. 111. 4. 3. cont. G. 102.

30 Vt priori difficultati occurramus; prælibandum in primis, non hic à nobis intendi, de ijs quæ sensum ludificant, verba facere; admittimus enim passim fieri posse præstigias, Dæmonum ope. Similiter tanquam vera damus, quæcunque motu fieri contingit; quoniam corpora T obediunt Angelis ad motum localem. Et sic adhibent aliquando semina ad aliquos effectus producendos, vt dicit Diuus Augustinus de Trinitate cap. 8. & 9. Et sic etiam per motum corporalem alios causare possunt motus, adhibendo agentia corporalia ad effectus producendos; sicut faber adhibet ignem ad emollitionem ferri. Sic mira patrata per dæmones dic perhiberi, vel potestate solius motus localis, vel vi etiam motuum consecutorum, alterantium, &c. Sic quia sunt quædam animalia imperfecta, docemur V solam virtutem cœlestem sufficere, sine operatione causarum particularium, ad ea producenda, sine semine ex sola putrefactione materiæ. Et hoc miraculum propriè acceptum procul dubio non est. Nec tamen existimes lector, talium animantium imperfectorum animas effluere ab separatis substantijs; quia hoc vniuersaliter, vt mox dicam, irrationabile est. Vnde refellitur ex Philosopho 7. Metaph. Auicennas, cuius positio repugnat fidei, & dictus aliorum Philosophorum, vt assumitur in 3. sent. Nam simile quantum potest ex naturæ instituto generat sibi simile; X ideo non forma equi fit, exempli gratia, cum generatur equus, sed compositum potius fit, equus ab equo; sicque similitudo adinuenitur inter faciens, & factum. Vnde transmutare materiam ad formam, non potest nisi id, quod habet materiam, & formam: & hoc quidem vel virtute, sicut Deus, qui est Actor formæ, & materiæ, vel actu, sicut agens corporeum. Cum enim materia contineatur sub potestate diuina, vtpote à Deo producta, potest reduci in actum per diuinam potentiam. Non autem id præstare potest A aliqua alia forma, non in materia existens; quia materia non continetur in virtute alterius substantiæ separatæ. Et ideo dæmones, & Angeli operantur circa hæc visibilia, non quidem imprimendo formas, sed adhibendo corporalia semina. Ex hac solida doctrina trahi potest; si repente fieret animal aliquod ex perfectis, illud esse miraculum: si mox fiat rana, anguilla, aut serpens: non ita. Quòd si daremus, etiam à substantijs separatis produci posse, impressis formis, animalia perfecta; nec illa, ex hipothesi, essent miracula. Sed vanum est opinari, talem inesse vim, & præcontinentiam naturalem in separatis substantijs, ad hæc animalia etiam perfecta procreanda, sine particularibus causis, & sine semine; quando asserta huiusmodi virtute nunquam solito naturæ cursu deprehenduntur vti. Et hac ratione constanter negari potest, posse huiusmodi, quæ reuera miracula essent, fieri à dæmonibus. Genus ergo mirabilium, quæ vera miracula sint, tale est: multoque magis miraculosa est mortui resuscitatio; nam nulla est naturalis potentia in exanimato corpore ad reuiuiscendum; & nulla creatura agere potest in aliqua re, nisi quod est in potentia illius rei; vt assumit Angelicus B loco laudato. Sic quia nulla comperta est potentia in corporibus, vt duo sint in eodem loco; miraculum est, quando fiat. Sic quòd Sol retrocedat, aut diuidatur mare, aut cæcus illuminetur; nulla præextare visa vnquam est potentia; idcirco miraculosè hæc fiunt, aut fierent. Solus autem Deus potest, præter hunc ordinem rerum institutum, agere, cum voluerit; C quia ordini secundarum causarum ipse non est subiectus; potuisset enim & alium ordinem rerum instituere. Et hæc sunt Dei magnalia, & mirabilia. Saluator autem noster, & mortuos resuscitauit, & cæcos illuminauit. Ioannis 9. *à sæculo non est auditum; quia quis aperuit oculos cæci nati*; & cap. 12. *multi propter Lazarum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum*. Rectè dixit Nicodemus Princeps Iudæorum Ioannis 3. *Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Et ipsemet Dominus Ioannis 15. *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et Ioannis 5. *opera, quæ dedit mihi Pater vt faciam, illa testimonium perhibent de me*. Nimirum quia D trascendebant omnem potestatem creatæ virtutis. Deinde quia propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alij. Marci 1. *quænam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* (sic imperauit ventis, & mari, Matthæi 8. & aliàs sæpè.) Quocirca, & in 3. sentent. sic discurrit Angelicus: eius solius est immutare legem, & cursum naturæ impositum, qui naturam instituit, & ordinauit; quod solus Deus fecit; &c. Et ideo hoc fuit signum Diuinitatis Christi, quòd imperando signa faciebat, & non orando, sicut alij Sancti. Tertio; quia innumera fecit; Lucæ 6. virtus de illo exibat, & sanabat omnes; Ioann. 11. *quid facimus; quia hic homo multa signa facit?* Et Matth. 8. *omnes male habentes curauit*. Hinc Chrysostomus; *intende quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt Euangelistæ, non vnumquemque curatum enarrantes*,

T p. p. q. 110. 3.

V 3. cont. G. c. 102.

X Gal. 3. l. 1. & 3. cont. G. c. 103. & 2. sent. d. 16. q. 1. a. 1. ad 3.

A p. p. 105. a. 1.

B 3. cont. G. c. 102.

C p. p. 105. a. 6. & 7.

D 3. p. 43. 4. 3. sent. dist. 16. q. 1. a. 3.

sed

sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum indu-
E Ioann. 15. l.6. *centes*. Inquit etiam Dionysius, E quòd Christus moriens lunam retrocedere fecit, & totum cursum firmamenti mutauit. Quia diuina virtute factum est, F vt luna ad Solem accederet præter tempus debitum; & quòd à Sole recedens in locum proprium restitueretur tempore debito. Considerantur autem ibi ab Angelico plura in vno illo miracula. Quare cedit Iosue. Discat inde lector non potuisse pati calumniam Christi innumerabilia miracula, vt magia naturali aliqua fierent; cui dant fidem nonnulli; quia, qui sic perhibentur miranda patrare, adhibent numeros mensuras, pondera, concentus æqualitates proportiones Cœlique aspectus afflatus, influxusque contuentur, vt mirabiles proliciant effectus. Quare non semper eis suppetunt, quæ desiderant omnia ad eos patrandos. Non sic Christus Dominus, qui semper, & vbique *pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo; quoniam Deus erat cum illo*, vt ait Diuus Petrus Act. 10.

F 3. p. 44. 2.

31. Secundæ difficultati dicimus; obijciendo prius cum Angelico: subitò sanare infirmos miraculum est; sicut miraculum fuisse dicitur, quòd Christus socrum Petri sanauit Lucæ 4. hoc autem dæmones possunt facere; nam medicinæ adhibitæ infirmo sanitatem accelerant: possunt autem dæmones agilitate suæ naturæ, medicinas efficaces, quas benè cognoscunt, adhibere ad sanandum; & sic vt videtur, possunt subitò sanare. Deinde æquiparat Angelicus in obiectionem virgas Moysi, & Magorum conuersas in serpentes. Et respondet; G ad secundum dicendum, quod nihil prohibet, dæmonum arte velocius aliquem posse sanari, quàm per naturam, si sibi relinquatur; quia hoc etiam videmus per artem hominis fieri; non tamen videtur, quòd possint subitò sanare, licet aliquos alios effectus possint facere subitò. Quia medicinæ corpori humano exhibitæ operantur ad sanitatem, quasi instrumenta; natura autem est sicut agens principale; vnde debent talia adhiberi, quæ possint à natura moueri: & si plura adhiberentur, non conferrent ad sanitatem, sed magis impedirent. Vnde etiam illæ infirmitates, ad quarum sanitatem naturæ virtus nullo modo potest, operatione dæmonum sanari non possunt. Sciendum tamen est, quòd etiamsi subitò sanitatem dæmones perficerent, non esset miraculum; ex quo id agerent mediante naturali virtute, si id agerent. Et ad illud de serpentibus in Ægypto, si verè id egerunt Magi; respondet, id fecisse dæmones per aliqua semina collecta, quæ vim habent putrefaciendi virgas, & in serpentes conuertendi. Moyses autem diuina virtute absque omni naturalis virtutis operatione serpentes fecit.

G de potentia q. 6. 5. arg. 2. & 8.

32. Porro, cùm sic discernere miracula non omnium sit; inquit Augustinus 18. de Ciuitate Dei capit. 18. *fortassis qui legent, expectant, quid agere debeant Christiani; dicamus. Et quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum?* (Ieremiæ 51.) *quod præceptum propheticum ita spiritaliter intelligitur, vt de huius sæculi ciuitate, quæ profectò, & Angelorum, & hominum impiorum societas est, fidei passibus; quæ per dilectionem operatur, in Deum viuum proficiendo fugiamus. Quanto quippe in hæc ima potestatem dæmonum maiorem videmus, tanto tenatius Mediatori est inhærendum, per quem de imis ad summa conscendimus.* Quocirca sentit Angelis H cum eodem Augustino 3. de Trinitate, quædam, quæ Angeli mali facere possunt, si permitterentur, ideo non possunt, quia non permittuntur. Vnde secundùm hoc ligari dicuntur, quòd impediuntur ab illis agendis, ad quæ eorum naturalis virtus se extendere posset: solui autem, cùm permittuntur agere, diuino iudicio, quæ secundùm naturam possunt. Quædam verò non possunt, etiamsi permittantur: vt ibidem dicitur: quia naturæ modus eis à Deo præstitus hoc non permittit. Et idem Augustinus de Ciuitate Dei nuper relatus idipsum firmat dicens; *firmissimè credendum est, dæmones nihil operari secundùm naturæ suæ potentiam, nisi quod Deus permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla*. Recole psal. 118. *iudicia Domini vera iustificata in semetipsa*; & psal. 118. *cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua*. Iusto ergo Dei iudicio, vt dicitur Apocalyps. 10. *oportet eum solui* (diabolum) *modico tempore*: quod intelligitur tempore Antichristi. Sic ait Angelicus, I in quantum ei multa facere permittentur, quæ modò non permittuntur. Vnde tunc operabitur multa ad eorum seductionem, qui hoc meruerunt, non acquiescendo veritati. Operabitur autem quædam præstigiosè; in quibus nec erit verus effectus, nec vera miracula. Operabitur etiam quædam per veram corporum immutationem: in quibus erunt veri effectus; non tamen erunt vera miracula, quia erunt per causas naturales operata. Quæ etiam mendacia dicuntur, quantùm ad intentionem facientis; qui per huiusmodi mirabilia opera inducet homines ad credendum mendacijs.

H de potentia q. 6. a. 5.

I loc. cit.

Sed non omittit Angelicus præsidia, ne decipiantur fideles, præparare. Instat etenim: quomodo poterit sapiens cognoscere Antichristum esse falsum, & impium deceptorem, cui non sit inhærendum? Item videtur quòd non sint culpabiles, qui ei adhærebunt. Cùm enim ex vna parte sint tormenta; ex alia parte sint mirabilia multa & magna; vt quod statuam suam faciet loqui, & futura prædicere; & alia multa signa; cum tamen fideles faciant miracula nulla vel pauca; ex alia parte magna diuitiarum, & honorum munera; ex alia sanctitatis, & perfectionis indicia; non videtur mirum si multi decipiantur. L Respondet in primis, opera eius expendi oportere. Erit enim crudelissimus; quia crudeliter homines trucidabit & interficiet. Item erit superbissimus; dignitates enim, & honores sæculares exquiret. Christus autem ex aduerso fuit pijssimus indulgens mulieri adulteræ Ioann. 8. & Matthæi 5. *si quis percusserit te in dexteram maxillam*, &c. Item fuit humillimus Matthæi 11. *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Vnde Ioann. 6. cùm vellent eum acclamare in Regem, fugit: Philipp. 2. *humiliauit semetipsum*; &c. Item Antichristum esse purum hominem poterunt cognoscere per Scripturam; 2. Thess. 2. *& reuelatus fuerit homo peccati*. Sic Danielis 7. & 11. & alibi. Item per illuminationem internam; quia qui ad Deum toto corde clamabunt, recipient internam eruditionem: psal. 90. *clamabit ad me; & ego exaudiam eum*. Licèt autem in multis se simulet sanctum, tamen opera crudelitatis elationis, & vlterius nequitiæ multiplicis manifestabunt, qualis ipse erit, si sit qui intelligat. Matthæi 7. *à fructibus eorum cognoscetis eos*. Addit ex Isidoro 1. lib. de summo bono; ad illud, *ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. *Ibunt* (si qui ibunt, dicito; non enim id asserit Dominus) *electi in errorem titubationis ad modicum pro multitudine prodigiorum; sed citò resipiscentes, cordis errorem religione coercebunt; scientes prædictum à Domino esse, vt dum hoc fecerint aduersarij, non conturbentur*. Hæc ex Diuo Thoma. Reuera Dominus ipse post hæc memorata signa, quæ *dabunt*; non dicit *facient*; quia nec vera erunt miracula, sed vel mira naturæ, vel ludificantia; subdit; *ecce prædixi vobis*. Hæc sola Redemptoris nostri præscientia, de tam arcanis futuris, tot circumstantijs diues in ipsum, roborat fidem difflatque impium illum cum suis satellitibus abo-

33.

L Apoc. 13. ad finē, com. 2.

abominandum. Præterquam qui verè crediderit, fide munitus erit; quæ cùm in contrarium falsitati inclinet; non sinit, accedente Dei auxilio, in errorem labi. Inquit autem Augustinus 2. lib. de Serm. Domini in Monte; *Deus semper paratus est nobis dare suam lucem intelligibilem & spiritalem.* Ioan. 1. *lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Lux venit in Mundum*, Ioann. 3. *& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.* Nec miranda illa poterunt offuscare aut obnubilare mentem fidelem, cui tot, per sanctos viros, qui tunc non deerunt, Apostolicos, suggeret Dominus ad roborandam fidem, argumenta: quæ quidem aureo compendio reliquit nobis Angelicus pro omni tempore; adeo equidem fortia, vt iuuet hic ad verbum describere; non pigeat legere.

34. Sic habet 1. contra Gentes Catholicæ fidei Panegiristes M. *Huiusmodi autem veritati, cui ratio humana experimentum non præbet, fidem adhibentes non leuiter credunt, quasi doctas fabulas secuti*, vt 2. Petri cap. 1. *dicitur. Hæc enim diuinæ sapientiæ secreta, ipsa diuina sapientia, quæ omnia plenissimè nouit, dignata est hominibus reuelare; quæ sui præsentiam, & doctrinæ & inspirationis veritatem, conuenientibus argumentis ostendit: dum ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quæ totius naturæ superant facultatem: videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, cœlestium corporum mirabili mutatione, &, quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione: vt idiotæ, & simplices dono Spiritus Sancti repleti summam sapientiam, & facundiam, in instanti ministrare consequerentur. Quibus inspectis, prædictæ probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione; &, quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba, non solùm simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum, ad fidem Christianam conuolauit. In qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur; voluptates carnis cohibentur; & omnia, quæ in Mundo sunt, contemni docentur. Quibus animos mortalium assentire, & maximum miraculorum est, & manifestum diuinæ inspirationis opus: vt contemptis visibilibus sola inuisibilia cupiantur. Hoc autem non subitò neque casu, sed diuina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus multis ante Prophetarum prædixit oraculis: quorum libri penes nos in veneratione habentur; vtpote nostræ fidei testimonium adhibentes. Huius quidem confirmationis modus tangitur* Hebræor. 2. *quæ, scilicet humana salus, cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs Spiritus-Sancti distributionibus. Hæc autem tam mirabilis Mundi conuersio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum, vt ea vlteriùs iterari necesse non sit; cum in suo effectu appareant euidenter. Esset enim omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset, à simplicibus, & ignobilibus hominibus. Quamuis non cesset Deus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei, per Sanctos suos miracula operari. Hi verò qui Sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, vt patet in Machometo, qui carnalium voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit: præcepta etiam tradidit promissis conformia; voluptati carnali habenas relaxans: in quibus in promptu est, à carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quolibet mediocriter sapienti, naturali ingenio cognosci possint. Quin potiùs, vera quæ docuit, multis fabulis, & falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta; quibus solùm diuinæ inspirationi conueniens testimonium adhibetur: dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi diuina, ostendit Doctorem veritatis inuisibiliter inspiratum: sed dixit se in armorum potentia missum. Quæ signa etiam latronibus, & tyrannis non desunt. Ei etiam non aliqui sapientes in rebus diuinis, & humanis exercitati à principio crediderunt, sed homines bestiales in desertis morantes, omnis doctrinæ diuinæ prorsus ignari; per quorum multitudinem alios armorum violentia in suam legem coegit. Nulla etiam diuina oracula præcedentium Prophetarum ei testimonium perhibent. Quin potiùs quasi omnia veteris, & noui testamenti documenta, fabulosa narratione deprauat; vt patet eius legem inspicienti. Vnde astuto consilio libros veteris, & noui Testamenti suis sequacibus non reliquit legendos; ne per eos falsitatis argueretur. Et sic patet, quod eius dictis fidem adhibentes leuiter credunt.* Hactenus D. Thomas. Quæ tangit etiam 1. Cor. 15. l. 1.

M 1. con. G. c. 6.

Requirit eruditus Maluenda lib. 2. cap. 5. An Mahumetes verus extiterit Antichristus. Non defue- 35.
re opinantes. Sed vel hac vna auctoritate refelluntur; quia neque in eo, neque in suis, deprehensum est quod hic prædicitur à Domino; *dabunt signa magna, & prodigia*, &c. Quocirca quoniam non cuncti præ manibus habent eundem Maluendam, lubet quæ refert in Sancto Martyre Eulogio electo Archiepiscopo Toletano exhibere. Sic Sanctus habet. *Cum essem olim in Pampilonensi Oppido positus, & apud Legerense Cœnobium commorarer, cunctaque volumina, quæ ibi erant, gratia dignoscendi incomperta, reuoluerem, subitò in quadam parte cuiusdam Opusculi, hanc de nefando vate historiolam absque Auctoris nomine reperi. Exortus est namque Mahomat Hæresiarches tempore Heraclij Imperatoris, anno Imperij eius septimo, currente Æra* 556 (654.) *In hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus in Catholico dogmate claruit, & Sisebutus Toleto regale culmen obtinuit. Ecclesia Beati Eufrasij apud Illiturgi Vrbem super tumulum eius ædificatur. Toleto quoque Beatæ Leocadiæ aula miro opere, iubente prædicto Principe, culmine alto extenditur. Obtinuitque prædictus Mahomat nefandus Propheta principatum annis decem; quibus expletis mortuus est, & sepultus in Inferno.*

Exordia verò eius fuerunt talia. Cum esset pupillus, factus est cuiusdam viduæ subditus. Cumque in negotijs cupidus fœnerator discurreret, cœpit Christianorum Conuenticulis assiduè interesse; & veterator astutior, tenebræ filius, cœpit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, & inter suos brutos Arabes cunctis sapientior esse. Libidinis verò suæ succensus fomite, cum Patrona sua, iure barbarico in ira congressus est. Moxque erroris Spiritus in speciem vulturis ei apparens, os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixit. Et vt Propheta appareret impetrauit. Cumque repletus esset tumore superbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quasi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in Cœlis adorarent, insinuauit. Arma sibi credentibus assumere iubet, & quasi nouo fidei zelo, vt aduersarios gladio trucidarent, instituit. Primum namque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt; & ouantes de triumpho victoriæ gloriosi effecti, apud Damascum Syriæ Vrbem Regni principium fundauerunt.

Psal-

36. *Psalmos denique idem Pseudo-propheta in ore sensibilium animalium composuit: Vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muscipulæ ad capiendas muscas historiam texuit. Vpupæ præterea, & ranæ cantus quosdam composuit; vt fœtor vnius ex eius ore eructaret, garrulitas verò alterius, in eius labijs non desineret. Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Ioseph, Zachariæ, siue etiam Genitricis Domini Mariæ stylo suo digessit. Cumque in tanto vaticinij sui errore duraret, vxorem vicini sui nomine Zeid concupiuit, & suæ libidini subiugauit. Quod scelus maritus eius sentiens exhorruit; eamque Prophetæ suo, cui contradicere non audebat, permisit. Ille verò, quasi ex voce dominica in lege sua illud annotauit dicens; cumque mulier illa displicuisset in oculis Zeid, & eam repudiasset, sociauimus eam Prophetæ nostro in coniugium. Quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in peccatum. Post cuius tanti sceleris factum, mors animæ & corporis illius simul appropinquauit. At ille interitum sibimet imminere præsentiens, quia propria virtute se resurrecturum nullo modo sciebat; per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere, vt ipse aiebat, solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit.*

Cumque animam Inferis tradidisset, soliciti de miraculo quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadauer eius custodiri iusserunt. Quem cùm tertia die fœtentem vidissent, & resurgentem nullo modo cernerent, Angelos ideo non adesse dixerunt; quia præsentia suorum terrerentur. Inuento igitur salubri, vt putabant, consilio, priuatum custodia cadauer eius reliquerunt: statimque vice Angelica, ad eius fœtorem canes, ingressi latus eius deforauerunt. Quod reperientes factum, residuum cadaueris eius humo dederunt, & ob eius vindicandam iniuriam, annis singulis canes occidere decreuerunt: vt meritò cum illis habeant participium, qui pro eo dignum meruerunt subire martyrium. Dignè ei quidem accidit, vt canum ventres tantus ac talis Propheta repleret; qui non solùm suam, sed multorum animas Inferis tradidisset. Multa quidem, & alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hoc tantum scriptum est, vt legentes, quantus hic fuerit agnoscant. Hactenus Sanctus Eulogius. Quæ sanè eo maiori in pretio sunt habenda, quo à tanto Martyre relata ipsis Mahumetanis in media Hispania palam aperteque in faciem exprobrata, præclaro fuso sanguine consignata fuere. Subnotat hic Maluenda illapsum mendum de Æra; quæ, vt existimat fuit 654. salutis anno 619. Georgius Ederus in Oeconomia Bibliorum lib. 4. tabula 228. fert à suis Asseclis decantari, & Angelum, & Bouem Mahumeti locutos fuisse; quin & arborem fici ad eius vocem se humiliter inclinasse. Dic potuisse per dæmonem hæc esse facta. Sed nunquid ideo Propheta Dei? ò stolidos! Quoniam ergo vt ibidem Maluenda recolit, indubium est Mahumetem magnum quendam typum, & præcursorem omnium scelestissimum Antichristi extitisse: quo titulo eundem ornasse reperitur Sanctus Ioannes Damascenus lib. de hæresibus ad finem: ideo, quæ fidei sanctæ documenta, sectæque illius repudia à Doctore Angelico supra sunt concinnata, debent apprime contra Antichristi vaferrimam seductionem obiectari; sic enim fiet, vt quemadmodum diabolus Leo consentientibus euadit, formica sit resistentibus; ita & ipsius vicegerentis astus rideat fidelis anima ac illudat.

VERS. XXV. *Si ergo dixerint vobis; ecce in deserto est: nolite exire.*

37.

Deus bone! quis non miretur, tam frigidè dicturos esse Antichristi sectarios? primò *ecce hic est Christus aut illic*: Deinde, *ecce in deserto est*. Rogo: erit re ipsa in deserto, necne? At mox dicetur esse *in penetralibus*. Sed quæ suadendi ars isthæc: *ecce in deserto est?* Nunquid Baptistæ erit æmulus? Sed opera Baptistæ debuerat facere; & hæc à suis pseudoapostolis inculcari; non autem sic nudè asseuerari; *ecce in deserto est*. Neque enim promiscuè feruntur homines in antra deserti. Fugiunt potiùs horridas solitudines. Sensus ergo latet arcanus; quem ideo subtexit velamine Saluator; vt inde altissima ipsius sapientia scrutantibus emicet; vt sic dictus fidem astruat; vt tumidos hinc amandet; vt denique attentiores nos redderet; nec vnquam excideret memoria quod præmissum est; *qui legit, intelligat*; quia profunda reconduntur intelligēda. Sicut ergo aliundè multa suppetunt, quibus eneruari possit fraus illa & dolus; ita ex his, quasi *ad hominem*, vt loquuntur Scholæ, docet eum confutari. Dicent igitur; *ecce in deserto*. Quod est dictu; *ecce in Iudæa est: en Iudæis acceptus est*. Sanè apud Sanctos Patres, vt videre est in Sylua allegoriarum Laureti, desertum Iudæam etiam significat, nam & habitatio eorum Ierusalem, cùm destructa est, facta est deserta; quia vt inquit Gregorius hom. 39. in Euangel. *dum in eo loco nunc constructa est, vbi extra portam Dominus crucifixus fuerat, prior illa Ierusalem funditus est euersa*. Sed ipsi Iudæi fortiùs deserti fuere; neque enim Dominus ad ædificia sermonem dirigit, cùm Lucæ 19. *videns Ciuitatem fleuit super illam dicens; quia si cognouisses, & tu*. In calce præcedentis capitis nonnihil dictum est; vbi ait, *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Et iam *Scemamah* hebraicè nobis *solitudo*, à verbo *Samàm* deriuatur, quod sonat *desolatus est, disperijt*, &c. quod hebræis iusto iudicio euenit. Hanc eis desolationem meritò fideles obijciunt: & quidem iuxta Osee vaticinium cap. 9. *abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus*: & priùs cap. 3. *quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim. Et post hæc reuertentur*; &c. Iactabundi ergo tunc temporis, se tandem Messiam nactos tandiu expectatum, vbique dicent. *Ecce in deserto*; in ea, quæ vobis, christiani, credita est in æuum Iudæa derelicta & deserta, iam sedet & regnat. Cur non acceleretis & vos ad eum colendum? Et quoniam præsumendum pro certo est, scripturarum quoque extorsione, futurum esse vt pulset Antichristus fidelium mentes, vt eos sua fraudulentia seducat, quod Maluenda lib. 8. c. 8. percurrit, non reor solummodo, sic in deserto esse, perhibituros; sed Scripturæ auctoritate prauo certè intellectu comprobaturos. Isaiæ 32. legitur; *erit desertum in Charmel*. Dicent pro eis esse vaticinium; quandoquidem *Charmel* interpretantur *cognitionem circumcisionis*, siue *agnum circumcisum*. Contendentque, iterum felicitis tunc reflorere ritum illius; in ipsis, qui videbantur desertum esse, absque vllo decore incultum ac infructuosum. *Charmel* apud Haymonem Isaiæ 29. *mons est in confinio Palæstinæ, & interpretatur, scientia circumcisionis*. At si id velint, remanet eis explicandum, quod sequitur; *& Charmel in saltum reputabitur*. Iterum ergo syluescent; post suum somniatum Messiam. Hoc non sunt admissuri: igitur alia est vaticinij intelligentia. Quare, vt vtrumque hemistichium propheticum altè prout decet capiatur; neque enim ipsi consentient appellari iterum Charmel, qui transeat in desertum, postquam de deserto facti essent Charmel: supra Gētes ly *erit Charmel in desertum* cadere nequit, quia Gentes sub circumcisione non fuere, quam inuoluit significatque Charmel. Vnde alius non potest esse sensus planior, nisi vt dicatur; *erit desertum in Char-*

mel; idest Gentilitas, quæ reuera deserti meruit nomen, quia olim sine Deo, & sine cultu, inde transijt in *Charmel* circumcisa vitijs purgatione cordis conuersa ad verum Deum: iuxta illud Apostoli Roman. 2. efficaciter illatum; *circumcisio cordis in spiritu, non litera*. Quod exigit Deus. Ieremiæ 4. *circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum*. Et cap. 9. *omnes Gentes habent præputium; omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde*. Et sic dictam esse Gentilitatem desertam, claret in eodem Isaia cap. 54. *multi filij desertæ, magis quam eius, quæ habet virum*: vt recolit Apostolus ad Galat. 4. Vnà simul ergo, transijt carnalis circumcisio, hoc est Charmel in desertum, derelicti à Deo; & *desertum* hoc est Gentes, in *Charmel*, in veram spiritu circumcisionem. Ita discurrit & Haymo Isaiæ 32. Et cohæret alter Isaiæ textus cap. 29. dicentis *Charmel in saltum reputabitur; idest Iudæi* (ex Haymone) *qui se carnaliter circumcidebant*, & veræ circumcisionis scientiam habere iactitabant, reputati sunt *in saltum, idest in Syluam infructuosam; vt vel nullum, vel amarum, vel acidum ferant fructum*. Ibi autem præmittitur, *& Libanus in Charmel*. Quo Libano altitudine eloquij diuini, debet eadem significari Gentilitas; & quia Libanus interpretatur *candidus*, seu *dealbatus*, fas sit per antiphrasim accipi; in quantum in Gentilitate minimè candor erat vel puritas; quia sine fide, quæ Actorum 15. *corda purificat*, & peccatorum maculis denigrata. Sic per contrarium in altera Canticorum Expositione N intelligit illud etiam; *veni de libano*, idest de Mundo; sicut lucus dicitur quia caret luce. Libanus autem est Mons Phœnicis. Et ibi Isaiæ 29. dicit Hieronymus: respondeant nobis Iudæi, & amici tantum simplicis historiæ, quomodo *Libanus mons transiuit in Charmel, & iterum Charmel in saltum? Deficiet enim sensus eorum, & cogitatio hoc loco*. Carmel mons est in confinio, vt diximus, Palæstinæ.

N Cant. 4 in recentiori expositione.

38. Verùm quia polliciti sumus immo ad hominem eos redarguere, in hoc ipso quod venditabunt esse Messiam suum *in deserto*, hoc est in Iudæa, vt concipient, coguntur respuere illum. Ratio est; quia expectandus non fuerat Iudæis tantum, sed etiam Gentibus. Sanè Iudæi sibimetipsis duntaxat coarctant Messiæ aduentum. Quorum scilicet vt ait Apostolus Roman. 9. *adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*. Et sic cap. 15. *ad confirmandas promissiones Patrum*. Sed toto Cœlo aberrant: quia licèt Gentibus, vt ait Angelicus, O non fuerit repromissa vocatio ad fidem Christi, non tamen ex improuiso accidit, sed fuit prænunciata, vaticinijs Prophetarum. Augustinus etiam in psal. 96. *illis* (gentibus) *promissum nihil erat, sed tamen in Prophetis de fide ipsorum dictum erat*. Hinc Apostolus Roman. ibidem 15. inducit plures in fauorem Gentium auctoritates; *confitebor tibi in Gentibus Domine; & nomini tuo cantabo; lætamini Gentes cum plebe eius: laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi*: Et rursus Isaias ait; *erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt*. Sic autem neglectui habebantur à Iudæis; vt illud Oseæ 1. *& erit in loco, vbi dicetur eis; non populus meus vos*; quod commemorat idem Apostolus, P exponat Angelicus etiam in hoc sensu; vt quasi in persona Dei, diceretur sic Gentilibus à Iudæis. Verùm quamuis priuilegijs decorata fuerit Iudæa, ex qua Christus nasciturus erat; quamuis psal. 147. *non fecit taliter omni nationi*; quamuis dignitatem in filiorum Dei consecuti essent, Deuteron. 33. *nonne ipse est Pater tuus?* Isaiæ 1. *filios enutriui*: Nihilominus non despexit Gentes Dominus. Vnde

O Rom. 15. l. 1.

P Rom. 9. l. 5.

Apostolus Roman. 3. emphasi phantasiam illorum increpat dicens; *an Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium*. In quo ostendit Iudæos aberrasse etsi non omnes in vera expectatione Messiæ, quæ erat ad iustificandum non solum, *circumcisionem ex fide*, sed *& præputium* (hoc est Gentes) *per fidem*, Roman. 3. Euangelium quippe Roman. 1. *virtus Dei est in salutem omni credenti Iudæo primum & Græco*; per Græcum Q omnem Gentilem intelligens; eo quòd à Græcis, Gentilium sapientia est exorta. *Non enim* Rom. 2. *est acceptio personarum apud Deum*. Gentes, hoc est sine lege vitam ducentes, exosas habet Deus. Sic Iudæos prauè viuentes, non Iudæos dicas, sed Gentes, vita scilicet, & moribus. Hic labuntur Iudæi opinantes loqui Prophetas in genus hominum gentilium cum exaggerant impios mores. Potest autem aduersus Iudæos fortiter obijci quòd Isaiæ 28. *mittam*, inquit Dominus, *in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem* &c. Cur enim angularis lapis erat expectandus; nisi quia pro vtroque populo, & Iudaico, & Gentili venturus erat? qui *fecit vtraque vnum*, vt dicitur Ephes. 2. Sed hunc lapidem angularem, vt recolit Diuus Petrus in sua prima cap. 2. ex psalm. 117. *reprobaturi erant ædificantes: quia in propria venit, & sui eum non receperunt*; Ioan. 1. Sub eadem autem metaphora lapidis prædixerat Isaias capit. 8. Dominum futurum *in lapidem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, & in ruinam habitantibus Ierusalem: & offendent ex eis plurimi*, &c. Quare cùm ad assertum Messiam illum conuolaturi sint vnanimes Iudæi, iam tædio diuturnæ adeo inanis expectationis affecti; non poterit ille promissus esse ex hoc præ alijs capite; quia concordes nimis eum suscipient contra vaticinium præfatum. Communis est autem Sanctorum Patrum consensus Iudæos Antichristo promptissimè obsecuturos, vt erudit Maluenda lib. 5. cap. 23. attestaturque Dominus Ioann. 5. *ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Itaque si dixerint vobis; *ecce in deserto* huiusmodi *est*; *nolite exire*. Cur non ait, sicut antea & post, *nolite credere*? Habeo ab Angelico; R nolite à bona societate, & congregatione separari. Reuera ly *exire* separationem concernit. Hinc fertur illud ab Apostolo 2. Corinth. 6. *exite de medio eorum, & separamini*. Hanc autem separationem non admittit Messiæ expectatio; quandoquidem ipse Ephes. 2. *facturus erat vtraque vnum*; quando Ioann. 10. *futurum erat vnum ouile, & vnus Pastor*; iuxta propheticum vaticinium Ezechielis 34. *suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum David*, 37. &c. *Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ Gentes, nec diuidentur amplius in duo Regna; & seruus meus David Rex super eos; & Pastor vnus erit omnium eorum*. Et deinde; *David seruus meus Princeps eorum in perpetuum*. Quæ quidem posterior sententia clariùs probat in Messiæ figuram dici. Neque enim Dauid in persona toties appellatus *fuerat*, (ne ad Regni Successores detorqueretur) erat sic, cùm præmortuus fuisset, regnaturus. Et hanc inseparationem ideo & nos assumpsimus ad eum exhibilandum falsò Messiam; qui in deserto, hoc est, in Iudæa duntaxat commoraturus, non autem migraturus ad Gentes perhiberetur. Concinit psalmus 101. *in conueniendo populos in vnum, & Reges vt seruiant Domino*. Et addo *nolite exire*; ex quo intrastis: Rom. 11. *donec plenitudo Gentium intraret*.

Q Rom. 1. l. 6.

R D. Th. hic.

VERS. XXVI. *Ecce in penetralibus: nolite credere*.

Nunquid promiscuè ad penetralia cuique patulus exhiberetur ingressus? Penetrale dicitur conclaue, locus 39.

locus intimus, abditus, secretior domus. Quòd si *in penetralibus* esse perhibebitur Antichristus; cur non id credendum? Ne credatur verus esse Messias, summum sanctæ fidei caput est; credi autem esse in penetralibus, quem sibi commenti erunt Christum, fidei minimè derogare videtur. Et tamen, sententia supra locum cadit; *ecce in penetralibus*. Vtque fiat vis de loco, non de persona; sic mutila quasi dicitur, absque vllo verbo; *ecce in penetralibus*. Sed iam horum penetralium, vt ad interiora feramur, tollatur velum. Si dixerint; *ecce in penetralibus*; vtique regijs; sicut & psal. 104. *edidit terra eorum ranas, in penetralibus Regum ipsorum*. Augustinus in Sermone de tempore legit *in promptuarijs*. Principum est & Regum, adyta & penetralia quasi inaccessa colere. Hinc alto indice, hoc vnum reor admonere; vt si Regnum sæculi huius, quo fideles seducant, magnificent pseudo-christi, non eis acquiescant. Quin potiùs hac de causa execrentur. Messiæ veri Regnum non erat de hoc Mundo futurum, neque ditione temporali ampliandum. Ioann. 18. *Regnum meum non est de hoc Mundo*. Venturus erat ex Zachariæ 9. *Rex* vtique (immo *Rex Regum, & Dominus dominantium* Apoc. 19.) sed *ipse pauper*, Thren. 3. *recordare paupertatis meæ*. 2. Cor. 8. *egenus factus est, cùm esset diues*. Est autem in his intelligendum qualiter venit Christus Dominus, vt homines, paruipensis temporalibus, ad æterna traheret. Hinc cum sancto suo Præcursore, quod primò intonuit, fuit; *appropinquauit Regnum Cælorum*. Ideo, & in hoc capite præmisit; *prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe*. Quid ergo insulsè dicunt hi; *ecce in deserto est*; nunquid desertum, Orbis est vniuersus? *ecce in penetralibus*: nunquid Regia ibi Regni Cœlorum? Constanter autem docent Patres, idque ex Daniele depromunt, portentosam futuram esse Antichristi Terrarum Orbis Monarchiam; sic & ex Apocalypsi. Vnde, & opum, & thesaurorum ditissimus erit. De quibus videatur Maluenda lib. 5. cap. 19. & 20. Itemque lib. 8. cap. 8. Quoniam autem oblatis auro, & argento seducet plures; ideo non mirum, si vno verbo, figura Synecdoches, hoc indicet Dominus, dicens, à suis audiendum, *ecce in penetralibus*. Sed tanta machina ruit suo pondere; quoniam non propter figuram Mundi huius quæ præterit, neque propter delicias terrenas, quas vel inuiti dimittimus, sed propter animam, quæ diuinum quid est in homine, tam solemnis, tam sublimis, tam sanctè decantata est in Scripturis Messiæ expectatio. *Quid enim prodest homini*, Matthæi 16. si *Mundum vniuersum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Nisi ergo exoculati fuerint fideles; nisi animam posthabeant corpori; nisi temporalia præferant æternis; minimè auscultabunt dicentibus; *ecce in penetralibus*. Quin potiùs cum Apostolo recolent 2. Corinth. 4. *non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt*. Et Coloss. 3. *quæ sursum sunt, quærite; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Quod quidem si cordi insculpserint Christiani, mox eis apparebit serena facies totius Religionis, quæ omnium sectarum luridas larvas exsibilet, vtpote carnalibus terrenisque addictas; quando ipsa primatum deferens animæ, quæ ad Dei imaginem ac similitudinem creata est, non *in carne sua seminat* Galat. 6. ex quo *de carne metat corruptionem*; sed *seminat in spiritu*, vt *de spiritu metat vitam æternam*. Vnde *si spiritu viuimus*, vt dicit præcedenti cap. 5. *spiritu & ambulemus*. Ignea hac romphæa internecino adeo ictu feriuntur, quæcunque extra Christi fidem, sunt Conuenticula, vt quamuis in Hydram consurgerent, semel excisis capitibus cruenta caderet; neque enim fieri potest, vt cordatus & prudens animi sui, qui Dei capax est, nobilitatem recogitans, lubricis, vacuis, voluptuosis inhæreat; cùm extent, quæ pascant mentem magis quàm ventrem; neque satiari queat pars nostra sublimior nisi sublimibus; de quibus quidem sola Christiana Religio, & dat præcepta, & admouet monendo calcaria; vt *in doctrina spiritus*; (1. Corinth. 2.) *spiritus* (Ecclesiastes 12.) *redeat ad Deum, qui dedit illum*. *Nobilem hospitem habes caro mea*, dicebat Diuus Bernardus, *nobilem valde*. Cuius nimirum attenta nobilitate, *lex spiritus vitæ in Christo Iesu*, vt dicitur Roman. 8. tradit in Euangelio, ea quæ pertinent ad contemptum Mundi, & ad opera virtutum multipliciter homines exhortatur: quod notat Angelicus S. Vnde est, vt sola Christiana lex S.p.2 106. 1.1.
& *Religio*, sit *munda & immaculata*, verè *conuertens animas*, vt dicitur Iacobi 1. & psal. 18. quando alienæ leges omnes sint coinquinatæ, & secundum antiquæ literam sint Iudæi terrenis promissionibus, ad cœlestia exoculati, tantummodo fixi. Sic suum terrigenam opperiuntur Messiam, qui *in penetralibus* consideratus carnalibus terrenam magnificet Maiestatem. Altè igitur Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus ait; *in diuinis promissionibus nihil terrenum aut transitorium expectemus*. Liceat addere, *nihil expetamus*.

VERS. XXVII. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis*.

Difficilis valde textus hic est vt intuenti patet, & 40.
abstrusior connexio. Quid enim similitudinis voluit Dominus inter omnes deligere, vt ipsius innotesceret aduentus? Nunquid mox non subdit palam, quomodo venturus sit *in nubibus Cæli cum virtute multa & maiestate*? Quorsum deinde illa circumstantia, vt exeat *ab Oriente, & appareat vsque in Occidentem*? Nonne quauis ex plaga Cœli coruscat? & quorsum, quod potius est, causalis ea *enim*? Præterquam hæc futura expectatio venturi filij hominis instar fulguris parum fortitudinis videtur afferre credentibus; cum non sit venturus nisi expleta tribulatione, cum ei placuerit.

Vt hæc & similia, quæ possent luxare fortassis co- 41.
gitationem, mox euanescant; profundissimè videtur mihi locutus Dominus, si verba ipsius, quæ *verba æternæ vitæ* sunt, teste Petro Io. 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, pietatis lance expendantur. Mirè etenim elidit quæ tria dicta sunt per Antichristi Sectarios ad decipiendum. Postremò siquidem dixere *ecce in penetralibus est*: nempe vt explicuimus; Magnus est Rex: atqui terrenus: Christus ipse est Rex gloriæ Regnumque inuulgauit Cœlorum. Vt hoc innuat, *ab Oriente* se perhibet venturum. Audi Angelicum: T Adoramus secun- T 1.2.84. 3.1.
dùm quandam decentiam versus Orientem: primò quidem propter diuinæ Maiestatis indicium; quod nobis manifestatur in motu Cœli, qui est ab Oriente. Secundò propter Paradisum in Oriente constitutum, vt legitur Genesis 2. secundùm litteram Septuaginta Interpretum; quasi quæramus ad Paradisum redire. Tertiò propter Christum, qui est lux Mundi & Oriens nominatur (*ecce vir; Oriens nomen eius*) & qui *ascendit super Cælum Cæli ad Orientem*: (psal. 67.) & ab Oriente tandem expectatur venturus; vt hic ait. Dicito ergo; fieri sensum: ego Regnum Cœlorum vnà cum meis discipulis, non verò terrenum Regnum prædicaui. Abeat ergo impius nebulo, qui hominum corda conabitur ad terrena curuare; Iudæosque carnales alliciet, de quibus Deuteronomij 33. *oculus Iacob in terra frumenti & vini*.

Sic vsque in Occidentem. Quid in *Deserto*, sicut 42.

Dona-

Donatus olim in sola Africa fixit, sed confinxit Ecclesiam, Messiam perhibent? Toti promissus est Mundo venturus Christus. Genesis quippe dixit Deus ad Abraham; *in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*. Et Malachiæ 1. *ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus*. Vnde & ipsemet Dominus supra cap. 8. *dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient*; &c. Ad hæc Chrysostomus hom. 15. in Matthæum, ad illud, *vos estis sal terræ*; inquit; *non enim de vestra tantummodo vita, sed de vniuerso Orbe vobis ratio reddenda est. Non ad duas quippe Vrbes aut decem, aut viginti, nec ad vnam Gentem vos mitto, sicut mittebam Prophetas; sed ad omnem terram prorsus ac mare*. Vnde Marci vltimo; *euntes in Mundum vniuersum*; & Matthæi vltimo item; *euntes, docete omnes Gentes*. Vide lector, cur sic qualificet suum aduentum; *sicut fulgur exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem*; vt suggerat, Ecclesiam suam esse catholicam, hoc est vniuersalem. Quare dum ait, *paret*, seu *apparet*, videtur suam apparitionem, cùm natus est, memorare, quæ item ab Oriente cœpit; quando *Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam*. Et credibile est, (sentit Angelicus V) in alijs partibus Mundi aliqua indicia Natiuitatis Christi apparuisse; sicut Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres Soles, paulatim in vnum coeuntes. Hinc Leo Papa Serm. 2. de Epiphania. *Magos ad eum adorandum præuia stella perduxit, vt à Solis Ortu vsque ad Occasum, veri Regis generatio coruscaret: cùm rerum fidem, & Regna Orientis per Magos discerent, & Romanum Imperium non lateret*. Ideo crediderim vsurpari à Domino hanc vocem *paret*, vt amplitudinem suæ apparitionis indicaret; de qua Apostolus Roman. 10. ex Isaia; *palam apparui ijs, qui me non interrogabant*. Quid ergo Antichristi satellites, cum in deserto, hoc est in Iudæa constitutum pro Iudæis duntaxat venisse comminiscentur? Hinc sit aduersus eos quod habet Chrysostomus in Serm. de Passione; *noluit Dominus pati sub tecto, non in Templo iudaico; ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare; ne putares pro illa tantùm plebe oblatum; & ideo foras Ciuitatem foras muros: vt sciat sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio*. Antichristus seducet quidem subiugabitque Gentes; sed pro Gentibus venisse nec effutire audebit: quod de vero Messia Scriptura vbique clamat: de quo & Augustinus in psal. 96. *Dominus Iesus Christus in Iudæa natus, sed non Iudææ tantum natus*.

V 1. p. 36. 3. ad 3.

Sic erit & aduentus filij hominis.

43. Poterat dicere, *sic erit aduentus meus*. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelist. cap. 1. *se ipsum sæpissimè sic appellat; commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis*. Si pro aduentu ad iudicium intelligatur, quod hic præfatur Dominus; *sicut fulgur*, &c. quemadmodum etiam exposuit Angelicus; X quia & psal. 49. dicitur, *Deus manifestè veniet*; ad iudicium enim requiritur quòd auctoritas Iudicij cognoscatur: benè se *filium hominis*, dicit; quandoquidem Ioann. 5. *dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*: & bene instar fulguris? dicente Chrysostomo; *fulgur non indiget annunciante, aut præcone, sed instanti momento temporis monstratur, secundùm vniuersum Orbem terrarum, etiam ijs, qui in thalamis sedent; ita & aduentus Christi simul apparebit vbique propter gloriæ fulgorem*. Augustinus etiam in Serm. 130. de Sanctis; *quemadmodum enim, cùm fulgur emicuerit, non egemus inquirere, si facta sit corruscatio; ita cùm reuelatio præsentiæ eius effulserit, non indigebimus interrogare; an venerit Christus?* Sed ipse libenter adhuc velint confutari ex hoc dicto impræsentiarum *filij hominis*, quod primò seductores aiebãt; *ecce hic est Christus aut illic*, progenitoribus nullis vel insinuatis: quia si Antichristi Parentes exquirerent, eum Messiam non esse, quia non de tribu Iuda, non de Domo Dauid, constaret. Bene equidem de Tribu Dan, etiam genealogijs exustis; quia facta ipsius *colubrum & cerastem* commonstrabunt; sicuti Genesis 49. prædictum; neque locum ausi fuerint speciatim edicere, sed solùm *hic* aut *illic*; cùm in Bethlehem Messias esset nasciturus. Saluator se opportunè filium hominis dixit, suos non tegens, sed excitans exquiri Progenitores. At publicè non est veritus Matthæus edicere Iesum Christum filium Dauid filium Abrahæ. Similiter audacter Lucas Missum Angelum contestatus est *ad Virginem desponsatam viro de domo Dauid*, vt per generationem Ioseph, origo Mariæ demonstraretur. Et sic Angelus cum in somnis non fuit contentus appellare suo nomine Ioseph, sed filium Dauid, *Ioseph fili Dauid*; neglecto Parentis proximi vocabulo; cùm filius esset Iacob natura; & Heli, vt notat Hieronymus, consuetudine legis.

X 1. p. 36. 1. & hic.

Verùm similitudo fulguris adhuc grauida est. 44.
Non videretur etenim res plenè tractari; si quid tandem de Antichristo futurum sit, premeretur silentio. Præsertim quia & Isaias & Daniel & Apostolus, quem sit habiturus finem denunciant: Isaias quippe cap. 11 loquens de Christo ait; *spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Daniel cap. 10. postquam ipsum descripsit luculenter dicens, *consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones; & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis; & supra quàm credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos & populum sanctorum, secundùm voluntatem suam. Et dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit; Et in copia rerum omnium occidet plurimos; & contra Principem Principum consurget*; claudit; *& sine manu conteretur*. Apostolus autem 2. ad Thess. 2. *tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui*. Absit ergo vt Dominus hoc prætereat. Itaque hunc suum aduentum instar fulguris, etsi præfatio esse possit aduentus ad iudicium, de quo sequitur; malim accipere de aduentu, quo interfecturus est impium. Nam & Apostolus subdit; *& destruet illustratione aduentus sui eum*; &c. Tametsi hoc ad æternam illius damnationem A interpretetur Angelicus. Certè in psal. 143. legimus; *fulgura coruscationem & dissipabis eos. A fulgure & tempestate libera nos Domine*, & Sapientiæ 5. *ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient*. Cur non in vltionem promeritam in Antichristum dici liceat, exire Dominum per effectum tanquam fulgur ad teterrimum illum christiani nominis hostem dissipandum? præsertim cùm titulus ps. illius sit, *ipsi Dauid ad Goliath*: qui & typus fuit diaboli. Fulgur autem ignis est. In psalmo 96. *ignis ante ipsum præcedet*. Quanquam enim passim exponatur B de vltima Mundi conflagratione, quæ præcedet iudicium; iuxta illud 1. Cor. 3. *quia in igne reuelabitur*, scilicet dies Domini; C nam dies iudicij reuelatur in igne, qui præcedet faciem Iudicis exurens faciem Mundi, inuoluens reprobos & iustos purgans: nihilominus congruè per metaphoram potest accipi de Antichristi interfectione. Et sic Isaiæ 11. *spiritu labiorum suorum interficiet impium*, idest D indignatione sua: psal. 88. *exardescet vt ignis ira tua*. Et Ezechielis 38. *& in igne iræ meæ locutus sum*: creditur autem Michael minister futurus necis illius, E in Monte Oliueti vnde Christus ascendit; sicut & Iulianus manu diuina

A 2. Tes. 2. l. 2.

B 4. sent. 47. q. 2. a. 1.

C p. Cor. 1. l. 2. & Hebr. 10. l. 3. & 2. Petri 3.

D Isaias 11.

E 2. Thes. 2. l. 2.

na extinctus est. Et sic glossa; *interficiet spiritu oris sui*, idest *in virtute spiritus sui*. Quocirca Petrus Comestor in Historia Scholastica in 2. Thess. 2. scribit audiendam vocem Christi de Cœlo missam, *morere*, & confestim fulmine percussus interibit: & secundum Methodium per Archangelum Michaelem etiam exercitus Antichristi interficietur. Et sic Ioannes in Apocalypsi cap. 19. *& cæteri occisi sunt in gladio*, de Antichristi sæuissimo exercitu, Gog scilicet & Magog, memoratis Ezechielis 38. & 39. & Apocalypsis 20. funesta clade concidendis intelligitur; vt apud Maluendam lib. 10. cap. 11. & cap. 15. Fortè vt innuatur, delendos esse amplissimè, exire dicitur fulgur ab Oriente & parere vsque in Occidentem. Præterquam tunc implendum esse illud Zachariæ c. 14. *scindetur Mons Oliuarum ex media parte sui, ad Orientem & ad Occidentem, prærupto grandi*; vt apud eundem Auctorem cap. illo 15. videre est. Cæterum sic de fulgure, qui ignis est, nostram interpretationem honestat Chrysostomus; qui cum Theophylacto locum Pauli explanans 2. ad Thess. 2. scribit; *quemadmodum enim ignis irruens passim minuta animalcula, etiam antequam plane adueniat, procul adhuc dissitus torpefacit & consumit, ita & Christus, vel solo imperio, siue afflatu Spiritus Sancti planè delebit, & obscurabit ipsum; soloque aduentu suo abolebit; hoc omnino torpentem faciet: sufficiet solùm iubere & adesse illum; atque ita omnia peribunt*. Et ibi cap. illo 15. fertur Græca ad Thessal. *Quem Dominus Iesus consumet, conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate vel apparitione aduentus sui*. Certum est autem, extinguendum Antichristum ante diem iudicij; igitur hic aduentus instar fulguris, præuius aduentui ad iudicium intelligatur: vt quid de illo nefarijssimo Pseudopropheta futurum sit, etiam ex ore Domini constet. Quanquam, siue ob consecutionem ipsius aduentus, siue quia in typum etiam illius, hoc de fulgure & quæ prius de tecto & agro dicta sunt, sub eius aduentum notentur Lucæ 17.

45. Addendum autem duximus, idcirco fulgur introduci, quod coruscat & claret; vt vnde interficietur Antichristus; inde tenebræ erroris disijciantur, vt videtur innui ab Apostolo eo 2. cap. 2. Thess. *illustratione aduentus sui*; quia inquit Angelicus, F tenebræ expelluntur illustratione; & quicquid Antichristus ostéderit ostendetur fuisse mendacium. Ante hoc etiam, vt firma est assertio ex diuinis Scripturis, & ex Patrum perenni consensione, Iudæi plures tunc, per doctrinam & miracula Henoch & Eliæ conuertentur, vt edisserit idem Maluenda lib. 11. cap. 16. Sed plenior Iudæorum reductio ad fidem, extincto impijssimo illo monstro, consummabitur; vt assumit in calce libri 10. Adstipulatur locus Danielis c. 12. vbi dicitur; *in tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui. Et veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo Gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*: Videtur amplè fauere Apostolus numerosæ Iudæorum conuersioni Roman. 9. *reliquiæ saluæ fient*; & cap. 11. *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret; & sic omnis Israel saluus fieret*. Sententia difficilis; non in quantùm ly *omnis* arctet ad singulos nullo excepto, vt benè discurrit Maluenda lib. 11. cap. 17. sed vsitatius dicatur pro maiori excellenter numero; sed difficilis est quantùm ad sensum. Diuus Augustinus Quæstionum super Genesin lib. 1. declinando ad finem: *& sic*, inquit, *omnis Israel saluus fieret; idest ex reliquijs Israel secundùm carnem, & ex plenitudine Gentium; quæ secundùm spiritum in fide Christi sunt Israel*. Vnde non definit alterum sensum, vt qui esset, vt omnes Iudæi, seu Israelitæ secundùm carnem saluentur; sed sub dubio loquitur subdens: *aut si & Gentibus illis Israelitæ restat fidei plenitudo; hoc significatur ea plenitudine liberationis Israeliquæ per Moysen ex Ægypto liberati sunt*. Quamuis 18. de Ciuit. cap. 33. refert ly *reliquiæ saluæ fient*, ad reliquias Gentis iudaicæ, quæ in Christum crediderunt: ex Sophoniæ 3. Profectò constantissimum est reputari Israelitas etiam eos, qui non sunt secundùm carnem. Nam Paulus Burgensis in prima parte Scrutinij d. 1. c. 2. fert Rabbi Salomonem, qui in suo Commentario ad cap. 44. Isaiæ, (vbi ad literam agitur de vocatione Gentium ad fidem) palam fatetur, quòd qui ex gentilitate conuertuntur ad fidem, nomine Israel nuncupandi sunt: & è contra natos secundùm carnem ex Iacob, improbè viuentes, & sine fide, non dici absolutè filios Israel. Firmatur ex Apocalypsis 3. *qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt; sed mentiuntur*. Sic exponitur illud Roman. 9. *si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient*; siue secundum nostram literam; *si fuerit populus tuus Israel; quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo*: idest innumerabiles præ multitudine Gentium; G *multiplicabo semen tuum, velut arenam maris*. Recole etiam illud Oseæ 1. *& erit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur*. De veris scilicet Israelitis etsi gentilibus; Roman. 2. *non enim qui in manifesto Iudæus est; sed qui in abscondito Iudæus est*; &c. Quare dicendum erit; *si fuerit numerus Christianorum quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient*: idest qui ab excidio spiritali infidelitatis elongati, quasi euasissent ruinam illam, Iudæorum reliquiæ, nempe illorum aliquot conuertentur & salui fient. Ita trahitur ab Angelico. H Dum subdit Apostolus Rom. 11. exemplum ex verbo Domini, *reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal*: additque; *sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundùm electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt*; hoc reuera non potest detorqueri ad finale. Sed quod sequitur; *cæcitas ex parte contigit in Israel &c. donec plenitudo Gentium intraret*, bene potest intelligi de finali tempore; quia cum posterioribus temporibus *prædicabitur hoc euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus*, vt hic ait Dominus; tunc viso ferali monstro, quod exceperint longa fatigati expectatione, extincto, non poterunt tanto impulsui resistere, quin fidem amplexentur, qua *salui fiant*. Interim quia plenitudo Gentium nondum intrauit; videntes non ab omnibus Gentibus Christum coli, credere nolunt. Cum Deo placuerit abalienatas reuocare Gentes, Iudæi se incipient agnoscere cæcos; & non pauci ante Antichristi aduentum, plerique ad Henoch & Eliæ propugnationem aduersus illum; plurimi post illius mortem horribilem, Christo adhærebunt. Et quia tunc etiã consummabitur, vt plenitudo Gentium intret; tunc quoque implebitur, omnem Israelitem carnaliter saluum fieri.

F 1. Thes. 5. l. 1.

G Rom. 9. l. 5.

H Rom. 9. l. 5. & c. 11. l. 1.

VERS. XXVIII. *Vbicumque fuerit Corpus, illic congregabuntur & Aquilæ*.

46. Hæc non minus est calamo salebrosum iter. Quænam isthæc clausula est? Quodnam est hoc corpus? Et quare *vbicunque fuerit*? Si exanime corpus est; vbi semel fuerit, manebit: at cadauera non exquirunt Aquilæ, benè verò Corui. Quæ sunt hæ Aquilæ? Si animatum corpus est; puta viuus homo; cur corporis nomenclaturam subit? Et post hæc omnia, quis erit ad præcedentia nexus? Disparatissima quippe videtur sententia; quæ tamen quia ex ore Dei, indubitanter magnum velat mysterium. In primis ergo corrigendum est mendum, quod passim variè irrepsit, ex inscitia eorum, qui typos calcographicæ reco-

recognoscunt. Corpus hebraicè dicitur vtique *gheviiah*, seu etiam *guth*, & *ghufah*. Quæ voces possunt significare *cadauer*. Sed & alio verbo significantur cadauera; scilicet *chanutim*, à radice *chanach* per *chet*, non per *chaf* à qua radice deriuatur *chanat*. Quare *chanut* in singulari, puto ex Hieronymo legendum. Et sic inquit *cadauer latinè significantius dicitur ab eo, quod per mortem cadat*: & ad Christi passionem refert. Quamuis proprium nomen cadaueris à radice *nafal*, *cecidit*, sit *mapelet*.

I D. Th. hic. Sic Angelicus I ait: vnde voluit significare passionem; quia tunc veniet Christus ostendens signa passionis: addit in opusculis; L per quam Christus & potestatem iudiciariam promeruit; & homines conformati passioni eius, ad societatem gloriæ ipsius assumuntur, secundùm illud Apostoli ad 2. Tim. 2. *Si compatimur, & conregnabimus*. Hinc colligo referri meritò ad Christi corpus, quod non vidit corruptionem, iuxta psal. 15. *nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: quam auctoritatem magnificat Petrus Act. 2. & Paulus cap. 13. *Dauid enim vidit corruptionem*: quia illa proximior radix *chanat* significat *balsamauit*, *condiuit aromatibus*, *mortuum corpus à putrefactione præseruauit*. Vnde Genesis 50. vbi legimus *cadauerum conditorum*, hebraicè dicimus *Hachanutim*. Consequenter ad prætactam iudiciariam potestatem illud *congregabuntur & Aquilæ*, sic exponitur, vt Aquilæ dicantur Sancti; M quoniam qui Christo adhæserunt, obuiam Christo occurrent in aera sublimati, vt Christo etiam loco consocientur: dum mali, qui terrena diligentes à Christo recesserunt, remanebunt in terra; 1. Thess. 2. *simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo Domino in aera*. *Descendet* enim *Dominus de Cœlo*; idest in spatio huius aeris circa locum Montis Oliueti, ex quo ascendit, vt dicit glossa Ioel. 3. Exponitur etiam consequenter de congregatione in Patria ad participationem N gloriæ; iuxta illud psal. 49. *congregate illi Sanctos eius*; & Matthæi 13. *triticum autem congregate in horreum meum*. Vnde & ait Dominus Ioan. 17. *vt vbi sum ego, & illi sint mecum*; O *vt videant claritatem*: fideles scilicet & Sancti, qui Aquilæ dicuntur. Isaiæ 40. non vultures vel Corui, P sed Aquilæ. Quoniam autem non ascendunt Sancti ad Cœlum, nisi Q in quantùm sunt membra Christi; qui est Caput Ecclesiæ, signanter dicitur de corpore; *vbi fuerit corpus*.

L opusc. 2. c. 244. & opusc. 60. a. 25.

M opusc. 2. c. 244. & 1. Thess. 4. l. 2.

N Matth. 13. & Io. 22. l. 4.

O Ioann. 17. l. 6.

P D. Th. hic.

Q opusc. 6. Sufferitu.

47. Consideratur autem in his Christi charitas; quia maximè proprium est amicitiæ conuiuere amicis, vt Philosophus dicit 9. Ethicorum cap. 4. R vnde sui præsentiam corporalem nobis repromittit in præmium: *vbi fuerit corpus*; &c. Interimque nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit; sed per veritatem corporis, & sanguinis sui, nos sibi coniungit in Sacramento. Vnde hoc Sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei subleuamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Hinc Leo Papa; S *circa corpus Domini Aquilæ sunt, quæ spiritualibus alis circumuolant; videlicet Angeli sancti; Spiritus mundi munditiam amantes, mundum corpus Domini venerantes, & præsentes fideles protegentes*. Quocirca, quoniam Saluatoris nostri verba, verba sunt Dei hominis, nullus tam altus excogitari potest sensus, quem non subclaudant. Corpus ergo Christi Domini in ineffabili Sacramento, ad præfatam Sancti Leonis sententiam, potest intelligi; videlicet, vt voluerit indicare Dominus, quinam sint ij electi, de quibus prædixerat; *propter electos breuiabuntur dies illi*: vt sint qui congregabuntur *vbicunque fuerit corpus* Domini consecratum. Vox congregandorum respondet mysterio; quia vt dicit Augustinus, hoc est *Sacramentum vnitatis, ex multis enim granis conficitur panis; & ex multis racemis confluit vinum*. Et 1. Corinth. 10. *vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*. Ad hæc Angelicus; T Sacramentum corporis Christi est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Et deinde; V Ecclesia cōstituitur ex diuersis fidelibus; sicut panis conficitur ex diuersis granis, & vinum confluit ex diuersis vuis; vt dicit glossa. Quis scit non subinnui queat in deriuatiuo *chanat* à quo *corpus*, subsequente deriuatiuo altero *chittah*, seu *chintah*, quod est *triticum*? A radice etiam *goi* deriuatur *gufah*, quod est corpus: *goi* autem significat populum, nationem; & *goim* pluraliter *gentem*, quæ non sit de Israel: cur non suspicemur fieri hunc sensum; *vbicunque fuerint Gentes*, quæ Christo scilicet adhæsere, illic Aquilæ acutiores fide congregabuntur? Fuerint ergo eo tempore hic aut illic diuexati Christiani, fugati & dispersi; ad eos tamen corde, & animo commigraturas, & congregandas prædicit Aquilas. Ad eosdem Christianos, siue in Cryptis arenarijs catacumbis ac subterraneis locis; siue in desertis, & speluncis latitantes, Aquilæ congregabuntur. Sanè ait Augustinus 20. de Ciuitate cap. 8. *Ne quis existimet eo paruo tempore, quo soluetur Diabolus, in hac terra Ecclesiam non futuram*. Et deinde: *potius est etiam credendum, vt ne qui cadant de Ecclesia, nec qui accedant ad Ecclesiam, eo tempore defuturos*. Aquilæ ergo dignoscentur, discernentur fideles, qui congregabuntur fide ad Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Quamuis Altaris sacrificium, tunc non publicè, & solemniter celebrabitur, sed occultè sicut fuit in primitiua Ecclesia. Quo pacto exponitur ab Angelico illud Danielis 8. *ab eo tulit iuge sacrificium, & robur datum est ei, contra iuge sacrificium*. Neque enim probat, X omnino etiam eo tempore esse interm ittendum; cum promiserit Dominus; *ecce ego* Matthæi vltimo, *vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem Sæculi*. Sic, vt considerat Maluenda lib. 8. cap. 9. in crudelioribus alijs persecutionibus, quas passa est Ecclesia, hisce Sæculis factum est, vt in Anglia sub Elisabetha, & in alijs locis, vbi hæretici regnant. Alio in sensu fortè hoc dictum est Lucæ 17. *vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ*.

R 3. p. 75. 1.

S opusc. 58. c. 4.

T 3. p. 67. 2.

V 3. p. 74. 1.

X Daniclis 8.

Quoniam verò Christi charitatem, ipsiusque dignanti ssimam amicitiam, qua conuiuere nobiscum in nunc respuit, diximus ea in sententia insinuari; qua certe nostrum quoque amorem vt ipsi rependamus extorquet; senserim non tam præuenire finalia circa iudicium, quàm ad resistendum violentæ impietati, consignare infallibili caractere, quæ sit vera Ecclesia; vt eam oculatiores fideles velut Aquilæ à Synagoga Satanæ valeant discernere. *Vbicunque* ergo *fuerit corpus*; (esto documentum pijs cordibus) *congregabuntur illic & Aquilæ*. Passim Christi Saluatoris Ecclesia corpus dicitur eius. Ephes. 1. *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*. Coloss. 1. *& ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Corpus autem huiusmodi sic describitur Ephes. 4. *vt sit compactum & connexum per omnem iuncturam*: & ad Coloss. 2. *ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum*. Sic autem intelligitur; A per fidem & charitatem, quæ connectunt & coniungunt membra corporis mystici: & coniunctio referri potest ad fidem, connexio ad charitatem. Nam & in corpore est duplex coniunctio membrorum, B scilicet, secundum quod manus est coniuncta vlnæ, hæc pectori; & sic de alijs: alia est connexio seu coniunctio neruorum. Charitas etiam dicitur quasi cæmentum in spirituali ædificio C conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo. Comparat alibi fidem cum charitate, tractans de fundamento spiritualis ædificij; & ait; ad rationem 48.

A Ephes. 4. l. 5.

B Coloss. 2. l. 4.

C Ephes. 2. l. 5.

D 2. 2. 4. 7. 4. nem fundamenti D non solum requiritur, quod sit primum, sed etiam quod sit aliis partibus ædificij connexum: non enim esset fundamentum, nisi ei aliæ partes ædificij cohærerent. Connexio autem spiritualis ædificij est per charitatem; secundum illud Coloss. 3. *super omnia charitatem habete; quod est vinculum perfectionis*. Christus Dominus nonnisi in charitate fundauit Ecclesiam; Ioannis 13. *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*. Hanc semper inculcauit Deus etiam in veteri Testamento 1. Ioann. 2. *mandatum vetus*. Leuitici 19. *non oderis fratrem tuum in corde tuo*; & Deuteronomij 6. de Deo; *diliges Dominum Deum tuum* &c. Supra Matthæi 22. *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet*; &c. Hinc quamuis dicat Apostolus Roman. 13. *qui diligit proximum, legem impleuit*; quia præsumitur diligi propter Deum; E Rom. 13. l. 2. E in dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu: & è conuerso dilectio proximi includitur in dilectione Dei, sicut effectus in causa. Vnde 1. Ioannis 4. *si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*; Sanè vt ibidem ait; *Deus charitas est*. Hinc Sapient. 11. *diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens, aliquid constituisti, aut fecisti*. Nisi Ecclesia Christi haberet hanc charitatem, posset quidem esse collectio, cœtus, familia, concilium, congregatio, Synagoga; sed nunquam corpus. Non enim voces omnes, quæ hebraicè significant coadunationem, corpus sic mysticum significant: nam à radice *chanas & cauah* deriuatur *collectio*, &c. sed congregatio, quæ instar corporis est, specialem habet radicem *ngadah*; & ita *ngheddah*, & in constructione *ngadath* Iob 16. capitur pro cœtu membrorum in corpore. Si sub capite Antichristo collecta Iudæa, nexum charitatis haberet, qui corpori conuenit, euaderent impietatis consortium: at quoniam palam constabit, non esse coaceruationem illam; non connecti in charitate, instar veri corporis; ad eam, qui fuerint Aquilæ, non conuolabunt. F 3. p. 8. a. 7. & 8. Diabolus & sic Antichristus F caput malorum dicitur. Vnde & habet similiter membra: sed Iob 41. describitur sub metaphora leuiathan, idest Ceti: *corpus illius, quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus*. Nunquid inter squamas vera coniunctio? Dicit Angelicus: designatur G multitudo malorum, & peruersa eorum concordia; seu H membra Diaboli significantur. Sed subdit; *vna vni coniungitur*. Quia scilicet, sicut in corpore alicuius piscis, non quælibet squama coniungitur cuilibet, sed vna vni per ordinem; I ita etiam in multitudine malorum, non omnes omnibus socialiter concordant; sed quidam quibusdam. Sanè tota multitudo malorum non habet aliquid L in quo vniantur, nisi in auersione à Deo. Non ergo, aio ipse, meretur nomen corporis; quia in corpore membra counituntur. Emicat autem huiusmodi charitatis connexio; quia vt ait Apostolus; 1. Cor. 12. *in idipsum pro inuicem solicita sunt membra; & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur alia membra*. Ex hactenus ergo dictis fas est inferre, nec Antichristi nec satellitum ejus conspirationem corporis mereri nomen, quo congregentur animæ Aquilinæ, homines scilicet & mente & corde sublimati; qui, nedum terrenis fixum nouerint pseudochristum; sed vna cum suis sequacibus nec vestigium ostendere naturalis dilectionis, minus charitatis. E contra, *adorauerunt eum omnes, qui habitant in terra*, scilicet per affectum ad terrena, sicut dicit Gregorius; recoliturque Apoc. 15. Quænam enim erit amoris schola adeo crudeliter truci odio in Christianos sæuire?

G Iob 41. l. 1. — H 2. sent. 6. q. 1. 4. — I Iob loc. cit. — L 3. p. 8. 7. 1.

Videatur Maluenda lib. 8. cap. 16. exquisita plurima tormentorum genera, dæmone quoque suggerente, præcedentium tyrannorum recolligens; quæ omnia exercenda ferociùs, ad diriores fidelium cruciatus per Antichristum & per suos minimè addubitat; quandoquidem persecutio eius omnium erit maxima. Quid vltra si vrsi, leones, tigridesque regnarent? efferata inhumanitas, truculentissimo grassans odio & insontes persequens, cineres quoque extincti innati in sibi simile amoris longè exsufflabit: quare vbi nec vmbra remanserit dilectionis, quæ sola iungit colligitque in vnum animos, ceu membra in corpore; compertum fiet, cœtum esse diabolicum *Synagogam Satanæ*. Apocal. 3. non Christi corpus.

Ratio autem atrocissimæ illius persecutionis omnino iniquæ comprobat amoris & charitatis exilium 49.
ab illo grege. Siquidem contendet, vt coactè adhæreant sibi. Simpliciter autem infideles, qui fidem non acceperunt, M non sunt cogendi ad fidem; quia credere voluntatis est; vtque dicit Augustinus; *cætera potest homo nolens; credere verò nonnisi volens*. Vnde dato per impossibile, esset vera illius prædicatio, adhuc foret ei verbo agendum, disputatione pugnandum ad quosque trahendos; non autem ad inuitos violenter compellendos, dextera ferro armanda, ignisque admouendus. Quid enim lucri, si quis ore fateatur simuletque etiam opere, quod corde discredit? Hactenus hisce postremis sæculis, nec barbaræ nationes hoc intentāt, agnoscentes nec libertati conuenire, nec valere merito; si quis dogma fateatur, quod corde negat. Hinc Apocalypsis 13. prædicitur; *& faciet, vt quicumque non adorauerunt imaginem bestiæ, occidantur*: quos enim pseudo-Apostoli non poterunt N documentis vel miraculis peruertere, per Principes trucidabunt & occident. Danielis 7. *aspiciebam, & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis ac fortis nimis*. *Bestia* ex Glossa idest O Antichristus. Et cap. 9. *& interficiet robustos & populum Sanctorum*. Memineris *Bestiæ* nomen dici ob ferocitatem; non sic *animal*.

M 2. 2. q. 10. 8. — N Apoc. 11. — O Apoc. 11.

Sed adhuc ex prælibatis de charitate, qua in my- 50.
stico Ecclesiæ corpore verè fideles coniunguntur, collige insinuari quibus armis pugnandum sit; quique sit thorax fortis ad resistendum. Ephes. 3. *vt det vobis, secundùm diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per spiritum ejus in interiori homine; Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati*; P quia nisi in interioribus fortificetur homo, faciliter ab hoste superatur. Itaque *per spiritum eius* scilicet fortitudinis; qui est causa non deficiendi in tribulationibus; quem obtinemus per fidem, quæ est fortissima; 1. Petri 4. *cui resistite fortes in fide*; sed & per charitatem: ideo ait in charitate *radicati & fundati*. *Fortis est*, Cant. 1. *vt mors dilectio*. Vnde sicut arbor sine radice arescit, & domus sine fundamento de facili ruit; sic spirituale ædificium; &c. Sanè supra Roman. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et Cant. 8. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Igitur dic, non omisisse Dominum, arma nobis relinquere, quibus possimus *omnia ignea tela nequissimi illius extinguere*: consideratis supra quæ ad intellectum pertinent; *Ecce hic est Christus aut illic*. *Ecce in deserto est*: *Ecce in penetralibus*; & quæ etiam ad cor, per gradus multipliciter charitatis, *in tecto, in agro*, &c. Vnde qui peribunt, sibi imputent: palam enim vtrumque complexus est Apostolus 2. ad Thes. 2. dicens; *in omni seductione iniquitatis his qui pereunt; eo quòd* (nota) *charitatem veritatis non receperunt*; Q dicit *charitatem veritatis*; quia nisi sit formata fides per charitatem, nihil est; 1. Cor. 13. *si habuero fidem, ita vt montes transferam; charitatem*

P Ephes. 3. l. 4. — Q 2. Thes. 2. l. 1.

tatem autem non habuero, nihil sum. Diuus Fulgentius de Sancto Stephano: *inuicta in Stephano virtutis insigne enituit, quæ nec frementium sæuitiam formidauit, nec lapidantium ictibus deuicta succubuit. Quod verò est tam insuperabile genus armorum, quo munitus sæuientes argueret, lapidantes non repercutiens, sed patiens superaret? charitatem pro armis habebat & per eam vbique vincebat.* Sic etiam contra temporalium omnium, diuitiarum honorumque oblationem; scimus, qualiter minima gratia R potest resistere cuilibet concupiscentiæ; quia minima charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas *millia auri & argenti*. Non fuerit etiam incompactum si dicamus, commonere Dominum, ne ad ritus iudaicos dilabamur, *nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ aut Sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum; corpus autem Christi*: Legalia enim sunt vmbra præcedens Christum, & eum figurabant venturum: & ideo dicit; *corpus*, S idest veritas rei pertinet ad Christum; vmbra ad legem. Dic ergo *vbi fuerit hoc corpus, congregabuntur Aquilæ*: *vbicunque*, ritus erit impletiuus figurarum, illic poterit quisque conuolare: & per locum ab opposito, à legalibus, quæ conabitur impius ille intrudere, declinare. Animaduerto, ne seducamur, mox adijci de mystico Christi corpore, de nexibus & coniunctionibus, vt diximus, ex charitate: Et sic supra Ephes. 4. postquam dixit; *vt non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris*; illico adiecit de charitate; *veritatem autem facientes in charitate*; (nectit, sicut ad Thessal. vidimus, vtrumque, *veritatem & charitatem*) Quapropter constantius assevero, in munimen seductionis eo tempore, non potuisse id altius significari, quàm per corpus: *vbicunque fuerit corpus*; nimirum nexus charitatis. Nec videar acutè nimis deducere; quoniam non abs re, non sine magno mysterio, dixit ab initio Dominus; *qui legit intelligat*: cui respondet in Apocalypsi Ioannes cap. 13. de huc spectantibus; *hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ*.

R 3.p.61. 6 ad 3. & q.70.4.

S Coloss. 2.1.4.

51. Veruntamen ne parcamus laboriosæ considerationi, cum vrgeat necessitas, quamuis nonnulla prælibata sint, de signis Antichristi mendacibus; vt sapientes de his pressius alloquamur, hoc subtiliori trutina expendendum est. Siquidem mouere animum possent, & quantum ad miraculorum patrationem Christianam fidem impetere, quæ multa Diaboli ministerio effecta prodi solent: itemque multa à substantijs separatis naturaliter fieri; siue alia quacunque arcana via: vnde videantur infirmari christiana prodigia; vel non facilè discerni, quæ sint vera miracula: miris alias extra Religionem auditis; ex quo vel nulla vel omnia sint celebranda.

52. Igitur quoad infirmitatum exempli gratia, seu morborum curationem: si Auicennæ adhæreamus, ipse sentit, substantijs separatis, multò magis obedire materiam ad productionem alicuius effectus, magis inquit, quàm contrarijs agentibus in natura. Vnde ponit, quòd ad apprehensionem earundem separatarum substantiarum, sequitur quandoque effectus v. g. pluuiæ, & sanitatis infirmi, absque vllo medio. Loquitur autem consequenter ad suam doctrinam: quia ponit quod formæ istæ substantiales sunt à substantia spirituali, quam appellat datorem formarum. Ponit etiam quòd agentia hæc inferiora solùm disponunt materiam. Vnde apud ipsum, cum materia obediat imperio Intelligentiæ ad receptionem formæ substantialis, à fortiori obediet etiam ad recipiendum dispositiones ad formam: hoc enim patet esse minoris virtutis. Et instat de anima nostra, ad cuius apprehensionem sequuntur effectus; nam ambulans super trabem in alto positam, cadit de facili; quia casum apprehendit: non sic si trabes illa esset propè terram. Sic ad solam apprehensionem animæ calescit corpus; vt in concupiscentibus, & iratis; vel etiam infrigidatur, vt in timentibus. Quandoque etiam, immutatur ex forti apprehensione ad aliquam ægritudinem; puta febrem vel etiam lepram. Et per hunc modum dicit, quòd si anima sit pura, non subiecta corporalibus passionibus, & fortis in sua apprehensione, obedit ei non solùm corpus proprium, sed corpora etiam exteriora; adeo quòd ad eius apprehensionem sanetur aliquis infirmus. Et hoc ponit esse causam fascinationis.

Respuit hanc Auicennæ phantasiam Angelicus pluribus locis, T nedum reiecto falso assumpto; formas scilicet substantiales, sic esse desursum, vt equus non generet equum; nam solam formam sic seiunctim fieri, & manare aut effluere, improprium est; cum illius sit fieri, cuius est esse; & esse sit compositorum; studio similitudinis à natura intentæ, quia omne simile generat sibi simile quantum potest; vt assumit ostenditque Philosophus 7. Metaphysicæ. Præterea, non est simplex apprehensio ad aliqua huiusmodi, quia insurgunt passiones, gaudium, timor, concupiscentia &c. quæ cor commouent. Dic proinde, vi spirituum contingere immutationes: at quæ minimè possint in alios, effectum sortiri, vt sanitatem inuehant vel morbum. Quapropter calumniam ex Auicennæ placito non subeunt, quæ facta à sanctis sunt *gratia sanitatum*. Esto in tenerrimo puello possit anus infectionem traijcere, oculorum spiritibus; vt etiam visus menstruatæ inficit speculum. Absque istis apprehensiuæ conatibus mira patrarunt Sancti Dei, nec minima intercedente morula, plenoque effectu in momento in ictu oculi. Quod nunquam naturalis imaginatio efficere, vel effecisse probabitur. Quòd si pro intelligentijs id fuera studeret, non id comperimus, quod ab eo præsumitur. Sic enim equos, boues, & Elephantes videremus aliquando sponte sua nasci, si apprehenderet separata substantia imperaretque ita fieri. Nec certè si mira circa morbos hominum referuntur, fuere sola apprehensione aut Intelligentiæ aut hominum visa, sed per aliquam aut sanctam, aut dæmoniacam inuocationem; de quo mox dicemus.

T 3.cont. G c. 103. de potentia q.7. a. 3. & Gal. 3. l.1.

Execrabilia commentus est Hermes, qui vt refert Augustinus 8. de Ciuitate Dei cap.23. dicebat, *Dominus & Pater, vel quod est Summum Deus, vt effector est Deorum cœlestium, ita homo est factor Deorum, qui in Templis sunt, humana proximitate contenti; statuas, ò Asclepi, vides animatas sensu, & spiritu plenas, tantaque facientes & talia: statuas futurorum præscias, ea quæ fortè vates omnis ignoret, in multis, & varijs rebus prædicentes; imbecillitates hominibus facientes, easque curantes; tristitiam lætitiamque pro meritis*. Subdit Augustinus; *nescio quomodo illa obscuratione cordis ad ista delabitur, vt dijs quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi; quasi quidquam sit infelicius homine, cui sua figmenta dominentur.* Destruitur hæc positio V ex psalm. *simulacra Gentium argentum, & aurum*. Auctoritates alias fert Augustinus de Idolorum exterminatione Ieremiæ 2. Zach. 3. & Isaiæ 19. Adde Sophoniam cap. 2. *& attenuabit omnes Deos terræ*; siue *exterminabit* vt ex Septuaginta legit Augustinus ipse 18. de Ciuit. cap. 33. Illi ergo miserrimè adorabant, vt tradit Angelicus X eas imagines, vt res quasdam; credentes in eis esse aliquid numinis propter responsa, quæ dæmones in eis dabant, & alios huiusmodi effectus mirabiles. Vnde causa consummatiua idololatriæ fuit ex parte dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, & ali-

53.

V 3.cont. G. c. 104.

X 3.p.q.5. 1. ad

A 1. 3. p. 94. 4. aliqua, quæ A videbantur hominibus mirabilia, faciendo. Indignè tamen posuit idolum esse aliquid B ibi a. 1. 3. compositum ex spiritu & corpore; B ex quo, virtutem Diuinitatis haberet. Cuius falsitas euincitur in 3. contra Gentes loco citato. Interim astu dæmonum per Magos multa miranda fieri satis notum est. Redduntur responsa de furto sublatis, de occultis thesauris, de documentis scientiæ quandoque vera: sit arte magica, vt aliquæ statuæ, vt dicitur, per se moueantur, aut vocem emittant: quòd quæcunque sera ad alicuius præsentiam pandatur, quòd aliquis inuisibilis reddatur: quæ percurrit C ibi. Dicitur etiam C 3. Cõt. G. c. 104. D de potentia q. 6. 3. 12. expertum D quòd virtute alicuius scripti, aliquis in igne positus non fuit combustus. Legitur etiam in historijs, quòd quædam Virgo vestalis (Tucia) in signum pudicitiæ conseruatæ aquam in vase perforato de Tyberi portauit; E nec tamen aqua effusa est. E ibi a. 5. 5. Quæ videntur derogare, vt innuit, miraculo de diuisione Iordanis, & eius statione; ac etiam miraculo trium puerorum in fornace. Præterea non reputatur F de potentia q. 6. 5. ad 2. impossibile F velociùs infirmum sanari posse arte dæmonum. Quamuis etiam sanando subitò, non esset inquit miraculum, ex quo id agerent mediante naturali virtute, si id agerent. Et tamen p. 2. q. 114. opus miraculosum esse tandem sentit, cum quis sanitatem perfectam subitò assequitur, præter solitum cursum sanationis, quæ fit à natura vel arte. Vnde consequenter dic à dæmone fieri non posse. Interserit autem ibi; illas infirmitates ad quarum sanitatem naturæ virtus nullo modo potest, operatione dæmonum sanari esse impossibile. Existimo autem intelligere, exempli gratia, de claudicatione, cæcitate & huiusmodi.

54. Sed huc aduocemus necesse est, quæ circumferuntur de his quoque sub cultu nefario dæmonum mirè asserta. Maluenda lib. 7. de Antichristo cap. 15. plura collegit etiam de cæcis prodigiosè Gentilium tempore restitutis visui, de alijs debilibus crure & manu, Itemque de milite quodam extincto in acie; qui post decem dies imposito rogo reuixerit. Quòd si istorum effecta merentur fidem aliquam, præsertim quoad certos morbos curatos; recurraturque, non esse intra miraculorum classem; eoquòd virtus naturæ id potuerit, labefactatur miraculorum nostrorum robur, derogaturque gratiæ gratis datæ, quæ appellatur *gratia sanitatum*. Neque ex hoc capite prudenter quis videretur duci ad veram fidem, quando æqui ponderis prodigia ostentabat Gentilitas.

55. Vt his omnibus occurramus indemnemque fidem nostram & inconcussam constanter sustineamus: In primis Diuus Augustinus 10. de Ciu. c. 16. vbi nonnulla retulerat, negat fuisse cuncta sine ludificatione sensus, & sine præstigijs. Deinde extollit, vt par est, nostræ Religionis miracula tanquam *maiora, certiora, clariora.* Postea subiungit. *Etsi quædam nonnullis piorum factis videantur coæquari, finis ipse quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere*; quia per hæc *vnus commendatur Deus colendus*; manusque Angelica mirè apud nos operata hoc vnum intendit; quando è contra in Gentibus suasum est. Angelicus firmiter docuit, quòd mortuus G 3. Cõt. G. c. 101. & p. p. 114. 4. 2. & alibi. G reuiuiscat, à creatura nulla fieri posse; & sic de cæcitate; quia potest natura causare vitam, sed non in mortuo; & potest H præstare visum, sed non cæco. Quare in ea quæst. 114. subdit; si aliquid tale opera- H p. p. 105. 8. tione dæmonum fieri videatur; vt corpus hominis mortuum reuiuiscat, aut corpus humanum mutetur in bestiale; hoc non est secundùm rei veritatem, sed secundùm apparentiam tantùm. Hinc præsidio est doctrina huiusmodi Anastasio Nicæno Episcopo, qui nimis credulus, re ipsa mortuum hominem fuisse locutum, opera contumacis hæretici, opinatus est, vt apud Maluendam ibi cap. 16. deparratur. Vbi & de confictа cæcitate ad ostentandum miraculum; sed quæ Dei iudicio in veram transierit, non semel meminit. Et c. 15. ad minuendam sternendamque Gentilium Auctorum de tot miraculis iactatis fidem, affert sententiam Polybij insignis apud Gentiles & accurratissimi Scriptoris, qui ea tanquam commenta, ad plebem continendam tolerat, sed quatenus modum excedunt ridet & damnat. Hanc ergo præclarissimam miraculorum dotem vni tãtummodo Orthodoxæ Christi Ecclesiæ, inter alia charismata, tuentur aduersùs hæreticos solidè, nouissimi inter alios Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 14. Thomas Bozius lib. 5. de signis Ecclesiæ cap. 1. & sequentibus.

Nos Duce Angelico cumprimis; deinde nostro pro modulo id firmemus. Igitur pro explorato habendum, miracula, non dico mira, fieri non posse virtute propria, nec à supremo Seraphim. Ratio fortissima est: quia quod est sub ordine totaliter constitutum, non potest præter ordinem illum operari: (sic autem accipimus miraculum pressè dictum, quodque solum est argumentum ineluctabile diuini specialis concursus) omnis autem creatura est constituta sub ordine, quem Deus rebus statuit: I nulla ergo creatura potest supra hunc ordinem operari. Quare quæcunque mira à dæmonibus fiunt virtute suæ naturæ, siue adhibitis, siue non adhibitis instrumentis corporeis, miracula non erunt. An autem solo imperio mira operentur, vt voluit Auicennas, si requiramur; dicimus non debere hoc admitti, multis de causis; primò quia cuiuscunque etiam separatæ substantiæ virtus, & potentia limitata est. Secundò quia subiectum in quod agerent, non est in potentia ad omnem effectum educendum: & affert p. 2. 114. a. 10. exemplum de suscitatione mortui; *vita enim*, inquit, *est supra naturalem potentiam talis corporis*. Tertiò quia institutum videmus subiectum, vt determinatis medijs ad sua deueniat vltima; sicut cibus non conuertitur in carnem, nisi priùs in sanguinem. Quartò quia instrumentariæ virtutes limitatæ sunt. Quæ considerat L Angelicus. Ex quo Angelica etiam virtus arctatur, ne possit momento, exempli gratia, febre infirmum sanare; aut ranas in instanti producere. A Deo enim, vt dicit Augustinus lib. 26. contra Faustum, *est omnis modus numerus, & ordo naturæ*. Vnde non debet concedi, posse ab Angelis seu bonis seu malis, propria virtute, conuerti aquam in vinum prout fecit Dominus; aut sanari socrum Simonis imperando febri. Roborat hanc sententiam Angelicus, M etiam alio ex fundamento: quia omnis huiusmodi mutatio fit vel generatione, vel alteratione: quare cùm hi motus, nisi fiãt alicuius instrumenti corporei accessu, non proueniant per aliquid motum localiter; & in se ipsis motus locales non sint; sequeretur, primum motum non concurrere ad illa effecta; quod est inconueniens; quia immo motus localis, necesse est, vt semper præcurrat; cum sit primus motuum; & tanquam primus aliorum causa existens. Et licèt moueretur aliquo pacto localiter substantia illa separata iuxta Auicennæ positionem, non tamen propriè illa dicitur moueri. Quia omne quod mouetur, vt in 6. Physicorum probatur, corpus est. Itaque consentaneum ordini, qui inter motus reperitur, est, vt immediata causa, reducens formam de potentia in actum, per generationem & alterationem, sit corpus aliter & aliter se habens; secundùm quod accedit & recedit per motum localem. Ita ijs in locis. Et hoc magis declaro ex Comm. in 8. Physic. qui fertur in 2. sent. 18. 1. a. 2. sicut enim in motu locali, oportet esse aliud mouens & motum; ita etiam in motu alterationis: & ponit exemplum, quia quando corpus naturaliter sanatur, cor est sanans, & alia membra sanata. Videtur autem Diabolus hanc fassus indispensabilem naturaliter philosophiam, quando Matthæi 4. non

Right margin: 56. — I 3. Cont. G. c. 102. de potentia q. 6. 3. & 5. & p. p. 110. 4. — L 3. Cont. G. c. 102. — M loco cit. & de potentia q. 6. 3. in corp.

attentauit ipse lapides conuertere in panes, sed ad experimentum Diuinitatis Christi, institit dicens; *si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*. Si demus esse opus naturæ Angelicæ, posse fieri similes conuersiones, absque eo quòd adhibeantur actiua aliqua corporea, instar artis fabrilis, quæ adhibet ignem ad mollificationem ferri, non tam facilè tueri possumus discrimen operis Moysi, quoad virgam in colubrum & quoad ranas, ab opere Magorum. Quod enim fecisset ille, fecissent eodem modo solo imperio & ipsi; atq; adeo neutrum esset miraculum propriè dictum; nec simpliciter fuisset inductiuum ad fidem; (cùm tamen Dominus id fieri mandasset, vt crederent) nam vt legitur Exodi 7. vocauit Pharao *sapientes & maleficos, qui fecerunt similiter*. Sed reuera extat ibi, non solo nutu aut cacodæmonis apprehensione operatos illos maleficos; sed *per incãtationes Ægyptiacas & arcana quædam*. Vnde ait Augustinus 3. de Trinitate cap. 8. relatus à Sancto Doctore, N *dæmones quædam opera faciunt adhibendo occultis motibus quædam semina, quæ in elementis cognoscunt*. Et signanter c. 8. *ranas eduxerunt malefici per incantationes suas*: quod verbum physicam operationem demonstrat; non sic de ranis Moysi, quæ *ascenderunt*, quasi non vi aliqua naturali eductæ de potentia materiæ. Sic deinde per Moysen *facti sunt sciniphes*: at *malefici fecerunt similiter incantationibus suis, vt educerent* (en eadem vox educendi) *sciniphes; & non potuerunt*. Ex quo claret, nec per huiusmodi semina fieri posse cuncta per malos Angelos: quamuis fortè Dominus cacodæmonis naturalem virtutem in eo signo coercuerit.

N p. p. 115. 2. 2.

57. Veruntamen gratis dato, vtrinque facta essent hæc miranda, sine actiuis naturalibus, adhuc eluceret discrimen; quia malefici falsi Numinis cultores verum Deum non inuocant. Vnde ad nostram doctrinam; quæcunque afferantur Gentilium antiquorum prodigia, si semel verum Deum nouerimus, spernenda sunt. Sed etiamsi inter credentes Deum, emergat visa paritas in patrandis miris naturalibus; hoc est, virtute actiuorum, aut sine his; concertatio adhuc erit, cuinam sit adhærendum ex modo operandi. *Mali* etenim homines & seductores instar magorũ, Deum non inuocabunt aut sanctos Angelos, sed diabolum: quod compertum fiet ab exterioribus aliquibus superstitionibus, signis aut motibus perperam adhibitis: quando serui Dei, ab omni vana obseruatione elongatissimi sunt, quas immo detestantur corde & ore. Vnde si hæreticus catholicusque in dogmatis comprobationem idem patrarent largè dictum miraculum; deprehendetur hæreticus operari per cacodæmonem; agnosceturque Catholicus adiutorem habere sanctum Angelum. Quamuis iactare nequeat hæreticus in sui falsi dogmatis comprobationem, verum miraculum. Quapropter quæ fert Anastasius Nicænus de Simone mago apud Maluendam lib. 1. c. 7. quòd *statuas faciebat ambulare, in igne volutatus non exurebatur, in aera volabat, ex lapidibus panes faciebat; serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur; fores clausas aperiebat, vincula ferrea soluebat*, præstigias dicito; de quibus illusionibus vide O. Vel non fuere aliqua illorum, quæ fecit ipse, aut Apollonius Thianæus solertissimus magus, de quo Maluenda ibi c. 10. vera miracula, sed arcanis naturæ effecta. Diuus Augustinus lib. 83. quæst. relatus ab Angelico inquit vt supra diximus, *cum talia faciunt magi, qualia sancti, diuerso fine & diuerso iure fiunt. Magi enim faciunt quærentes gloriam suam: Sancti quærentes gloriam Dei. Illi faciunt per quædam priuata commercia: isti publica administratione & iussu Dei*. Ad quas impietates operentur magi P notat Angelicus. Descendendo autem ad casus; quoad euasam ignis læsionem, de qua Q fuit

O de pot. q. 6. 5. & p. p. 114. 4. 2.

P 3. cont. G. c. 106.
Q ibi 6. 5. ad 12.

argumentum. Respondet per dæmones fieri posse, vt apponatur impedimentum aliquod naturale; quamuis sensus humanos lateat: præcipuè cùm possit flammam ignis localiter mouere, vt combustibili non tantùm appropinquet. Sic ad illud de aqua in cribro vestalis Virginis, (nisi à Deo datum fuerit R ad pudicitiæ tutamen,) naturæ viribus diabolicis, quæ possunt ad motum, sentit potuisse sisti ne difflueret. Nec tamen inde mihi instes, deficere à ratione miraculi transitum Iordanis; & sic inustionem virorum in fornace babylonica; quia si attentè expendatur, emicat vnde sit in his manus Dei: quandoquidem fluenta detineri supra naturæ ordinem esse dignoscitur; cùm sint flumina inter præcipuas partes, ac nobiles Mundi huius vtilitates: quas amouere, solius esse debet Conditoris; qui iussit omnia *flumina intrare in mare; vnde exeunt*, Ecclesiastes 1. Non sic paululum aquæ suspendere, magnum quid est. Et sic diuisio maris rubri fuit miraculum, vt docemur in 2. sent. dist. 18. 1. art. 3. Similiter & Danielis 3. videtur emicare miraculum manifestius; quia non est naturæ ignis, vt vnde detentus non sit erumpat, excutiaturque ad latus, & non tendat sursum: immo supra naturæ ordinem videtur, dũ actu nititur sursum, deorsum impelli: quod dico ne quis instet de lapide sursum proiecto: nam id miraculum non est, vt dicitur p. p. q. 110. 4. at lapis non actu mouetur deorsum. Sic enim docet etiam p. 2. q. 114. 10. non esse miraculum, quòd aqua calefiat. Sed si aqua, præterquam ab igne calefaceret, habetur, quòd esset miraculum. Et iterum in 2. sent. 18. 1. 3. contra naturam dicitur fieri, cum in re est aliquid contrarium, sicut si graue sursum moueretur. Item refrigerare ventum, posseque in ignem non resolui medijs flammis, videtur miraculum; quia fit supra ordinem, quo natura nata est refrigerium ferre. Sic autem ibi factum est; non solùm *non tetigit eos omnino ignis neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit*; sed *Angelus Domini excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*. Diuersimode igitur, quod videtur idem esse, fit aliquid miraculosè à Dei Angelo, & sine miraculo naturæ studio à diabolo. Quapropter si feras pandant nigromantici, exeantque clausis è carceribus magicis artibus; non ideo non excellit verum miraculum, quod factum est Act. 12. quando exiuit cum Angelo Sanctus Petrus. Tunc *ceciderunt catenæ de manibus eius*: non dicit fractæ sunt catenæ, sed *ceciderunt*: quod innuit corporis penetrationem sine fractione: subinde etiam penetratum ostium, ante quod erant custodes, illud non dicitur apertum: benè verò, cum venissent ad portam ferream, illa perhibetur aperta, sed vltro eis; non soli Petro, sed Angelo, *eis*, qui tamen vt egrederetur cum Petro non opus habebat illam aperiri: sed huius apertio indicat prioris ostij penetrationem: & dum ferrea vltro aperitur, tametsi adsit Angelus; solo nutu Domini factum esse, proinde miraculosè sine vlla creaturæ manu, satis ostenditur. Franget diabolus suis asseclis catenas, non erit miraculum, quanquam easdem reiungat; aperiet vectes, & seras, extundet clauos: motu locali vique exteriori agetur; non erit miraculum. Ecce in eisdem factis latere discrimen. Et reuera minimè decuit, vt nihil in hisce quoque terrenis, sibi diuina potentia reseruasset; tantamque reliquisset spiritibus immundis facultatem, vt diuinum testimonium paribus ostentis, posset à dæmonibus passim infirmari; Et sic omnia quæ de Deo vero sentimus susque deque miscerentur: quo nihil absurdius. Lynceos ergo si oculos habeamus, discernet pia humilitas, quæ Deus & Angeli eius supra totius naturæ vires quandoque operentur; quidue intra naturæ cancellos ad sum-

R ibi 4. 5. ad 5.

summum cacodæmones possint. Qui etsi quoad motus locales corporum altiorem vim habeant, & in vsu actiuorum naturalium solito cursui præpolleant; quia sit instrumentum validius, vbi principalis causa sit præpotens, sicut corpus cœleste inde est causa vitæ animantium sponte nascentium, vt animaduertit Angelicus; s huiusmodi nunquam sunt vera miracula, si quis ea introspexerit.

s de potentia 6. a. 5. & 3. cont. G. c. 101.

58. Ex dictis edisçat lector, qualiter imposturis præstigijs, miris etiam, sed nunquam veris miraculis, turbare poterit signis suis mendacibus, at non perturbare, fortes Christicolas Antichristus: præterquam Scripturis quæ pro ipso faciant, inermis erit. Item colliget, quam præcellentiam habuerint Christi miracula, quæ nulla inuocatione aut incantatione dæmonum, quos immo eijciebat ab obsessis, patrare visus; quæ tam frequenter fecit, vt magiæ studium commenti inaniter sint; quando Magi certos stellarum situs, Cœli aspectus & afflatus considerant: & tam insolita, vt Cœli ipsi ea prodiderint; tantoque iure, vt in potestate præceperit. Ex quibus plane factum est; T vt ea eius Diuinitatem ostenderent. Omnis enim generis frequentissima fecit, claudos, cæcos, surdos sanauit, mortuos suscitauit; multaque alia signa fecit Ioann. 21. *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*. Vbi enim de Dei operibus agitur, nunquam satis describitur, aut denarratur. Quot autem mortuos suscitauerit, scriptum non est: ij tres ad mysterium. Deinde in virtute illius nominis innumera fecere discipuli; nam Marci vltimo, *prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Quibus etiam addiderunt viri Apostolici innumera, comite morum admirabili sanctitate, vitæ integritate, constanti heroica virtute: quæ quidem non nisi Deo auspice arguunt facta: nec arte vlla, sed simplici mente patrata. Quod quidem de Gentilium moribus præsumi nequit; quando dæmonium multiplici studio à vero Deo eos abalienatos, sibique addictos tenebat. Vnde non sit nisi verosimile; vt quo emicaret, cæcos illuminatos esse, arte commotis humoribus secuta suffusione, oculos prius obtenebrasse, vt iterum eis retractis, miraculum appareret. Multiplices sunt diaboli ad decipiendum insidiæ. Non sic tamen potuerit cæco à natiuitate lucrari lucem: quia quæ totius corporis dispositio semel in oculo fundata ab initio est; in membri idoneitatem nequit retrahi, nisi tota iterum immutaretur; vt ex toto ad partes migraret reparatio: quod minimè fieri patet, dum qui præextitit homo, non iterum in ventrem Matris suæ introit; sed ad quem peruenit statum perseuerat. Hoc quidem assumit in solidum fundamentum Angelicus 3. cont. G. cap. 144. dicens; si quis priuatur eo quod est in natura eius, vt habeatur, impossibile est illud reparari, nisi fiat resolutio in præiacentem materiam, vt iterum aliud de nouo generetur: sicut cum animal amittit visum aut alium sensum. Quia tamen difficilis isthæc est miraculorum discretio; ne quis seducatur mendacijs, id est consultum, vt maneat in charitate, vt supra diximus, qua maneat in Deo, & Deus in eo. Qui charitatem custodit, dona quoque Spiritus-Sancti seruat; inter quæ intellectus & sapientia. Donum autem intellectus V importat quandam perceptionem veritatis; quæ non potest esse nisi in eo, qui habet gratiam gratum facientem. Sapientia verò facit rectitudinem iudicij circa res diuinas, ex quadam connaturalitate, siue vnione ad diuina, quæ est per charitatem. Infelix ergo, qui hisce expoliatus donis, tot dolis erit expositus. Cæterùm quamuis in eiusmodi, quæ non cuique innotescunt, studio, possit, qui exercitatus est, nedum ex fine vt quisque fide-

T 3. p. 43. 4.

V 2. 2. 8. 3. & 2. 1. 1. ad 1.

lis, sed ex parte operis, agnoscere verum à falso miraculo: id tamen finaliter Cathedræ solius ius est definire; de qua in Petro Lucæ 22. *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*.

Sed hinc emergit, quomodo sibi fidere possent prædicante Domino; cùm iam moreretur Cathedra, in qua sedebant Pontifices. Ab ipsis enim videbatur definiendum, num Christi essent vera miracula. At ipsi respuebant potiùs. Quid ergo dicendum? Accipe iam cœpisse languere, & obmutescere Iudæorum Sedem seu Cathedram, cùm Christus se prodidit. Idque ex Scriptura; quoniam Deuteronomij 18. iam Deus dixerat, se suscitaturum Prophetam, audiri præcipiens: *ponam verba mea in ore eius. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*. Semel ergo accepto Christum Dominum hunc esse Prophetam, siue ex Scripturis, siue ex doctrina, siue ex miraculis: nascentis fidei confirmationem ab ipsomet, non ab alio, non ab Iudaica cathedra, attendi oportuit. Postquam autem consummata sunt omnia quæ de ipso erant, mortaliumque se subtraxit conuersationi, ad Petrum, quem sibi suffecerat, & sic dispensatione prouida ad successores, quæcunque definire iure pertinuit. Hic ordo ergo subsistit adhuc confirmandæ fidei. Et nihilominus etsi priuatim resisterent Iudæi Christo; nunquam tamen de Cathedra, sic Deo prouidente, ipsum respuerunt; immo *vnus ex illis Caiphas nomine, cum collegissent Concilium, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro Gente &c. expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat*. Vnde ex Cathedra, secreto Dei consilio, Christus quis & qualis esset probatus est. 59.

Postquam sic excurrimus; vnum superest perquirendum. Quorsum scilicet nobis, præcessoribusque isthæc monita seu præmonita de Antichristo? quando ijs futuris temporibus, nec illi adfuturi erant, nec nos credimus tunc adesse. Tot ergo sæculis antequam ista eueniant, sic cunctis ad amussim pinguntur; quæ ad futuros attinent, nobisque quotidie suggeruntur, qui tunc non erimus? Quid nobis ista præcautio? Quid proderunt documenta: quid illud, *qui legit, intelligat?* 60.

Ad hæc dicendum in primis sic decuisse, vt eius præscientiæ vim fideles discerent, quod aliàs dictum est, ex Chrysostomo in simili. Sic quippe roboratur, & confirmatur, eum esse illum, per excellentiam promissum in lege Prophetam; Deut. 10. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*: qui tot prænunciaret circumstantijs, quæ longè futuris temporibus essent ventura: vtque etiam non putaretur, ex ipsius infirmitate tam grauia mala descendere. Deinde dicendum huiusmodi prædictionem tunc fore fortissimum Achillem aduersum pseudo-prophetas & Antichristum; vt qui viderint eius progressus, non dubitent de consecutis. Quomodo enim crederent esse seductorem, nisi tot ante sæculis æternis fuisset consignata monumentis ipsius vafrities, atque versutia? Tertiò quoniam dies illa & hora ignota est. Vnde oportuit, ne imparati inueniremur, præmoneri. Neque enim possunt homines iuramento firmare sine periurio, ipsorum ætate hoc non esse euenturum. Propterea Hilarius Can. 26. & 27. in Matthæum; *vt ignorantiam*, inquit, *illam diei omnibus taciti non sine vtilis silentij ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter aduentum furis admonuit*. Et Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Caue itaque tibi ò homo, & confirma animam tuam. Nescimus, si tuo tempore id fiet: sed bonum est tamen, vt hæc scientes nos præmuniamus*. Quartò potissimùm, quia

etsi finale tempus illud veri Antichristi longè admodum distet, typici nunquam defuere, illiusque anteambulones. Et ita apud Angelicum Antichristus X idest præambulatio Antichristi. Hinc Ioann. *de quo audistis, quoniam venit*, hoc est in membris suis: glossa; *habitans in mentibus eorum, qui Christo verbo & opere repugnant*. Itaque nondum in persona, sed in figura; sicut Baptista dictus est Elias. Certè dixit ad hunc sensum Dominus Matth. 17. *dico autem vobis, quia Elias iam venit*. Similiter Ioannes in ea Epistola cap. 2. *sicut audistis, quia Antichristus venit; & nunc Antichristi multi facti sunt*. Vbi animaduerto particulam & accipi aliquando in Scripturis pro *quia*: sicut notat Rutilius Benzonus in Cant. Magnificat lib. 2. c. 9. eruditè recolens Isaiæ 64. *ecce tu iratus es, & peccauimus*; idest *quia peccauimus*. Sic Theophylactus exponit illud Lucæ 1. *& benedictus, quia benedictus fructus ventris tui*. Quare liceat & hic interpretari; *Antichristus venit; & Antichristi multi facti sunt*, videlicet, *quia Antichristi multi facti sunt*. Quia enim Antichristus A ob malitiæ perfectionem, malorum dicitur caput, secundum hoc omnes mali, qui præcedunt eum, sunt quasi quædam figura Antichristi. Et sic cupidi, superbi, luxuriosi computantur B in familiam Antichristi. Ex quo dicit Apostolus 2. Thess. 2. *mysterium iam operatur iniquitatis*. Quod iterum exponens ait; C Diabolus, in cuius potestate veniet Antichristus, iam incipit operari occultè iniquitatem suam, per tyrannos & seductores; quia persecutiones Ecclesiæ huius temporis sunt figuræ illius vltimæ persecutionis. Sic contrarij Christo & eius Ecclesiæ, cuiusmodi sunt hæretici, membra præcipua diaboli Antichristo coniunguntur. Cur ergo non debuit præcedere salubre monitum, vt si dicerent; *ecce hic est Christus aut illic*, sibi arrogantes Ecclesiam, non eis crederemus? si dicerent, *ecce in deserto est*: quod velim iuxta tropologiam istam accipi pro libertate carnis & conscientiæ, quam hæretici passim prædicant: *nolite exire; ecce in penetralibus; nolite credere*: vbi penetralia innuere videntur, secretò prius disseminari errores; & inuisas venditandas doctrinas. Curandum in huiusmodi semper fuit, ne quis excideret à charitate, aut à charitatis gradibus, existens in agro aut in tecto, vt exposuimus, & ne remitteretur ob instans discrimen; quia prænunciauit Apostolus 2. Timoth. 3. *instabunt tempora periculosa*.

X 1. Ioa. 4.
A 1. P. 1. 8.
B Apoc. 9. com. 1.
C 1. Thes. 2. l. 2.

61. Hinc opera-pretium est, altam perscrutemur sententiam Ecclesiastes 4. *vidi cunctos viuentes qui ambulant sub Sole; cum adolescente secundo, qui consurget pro eo. Infinitus est numerus populi, omnium qui fuerunt ante eum; & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo*. In *Sylua allegoriarum* Laureti fertur Hieronymus, qui hîc adolescentem interpretetur Christum. Verùm arridet potius vt de Antichristo intelligatur. Sic Olympiodorus in Ecclesiasten relatus à Maluenda in fine Operis sui post indicem locorum sacræ Scripturæ. Et sic ait; *vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub Sole*, hoc est ipsos peccatores sub Sole visibili; *cum adolescente secundo*; hoc est Antichristo; *qui exurget pro ipso*; Domino videlicet nostro. *Sed & postremi*, qui temporibus Antichristi scilicet, in eum credent, *non lætabuntur in eo*. Fert etiam in Comment. (vt reor primo) Apocalypsis D S. Tho. glossa, quæ dicit, *cum adolescente secundo*, idest Antichristo, *qui consurget pro eo*, idest pro Christo. Et benè *cunctos viuentes sub Sole* de malis exponitur, quia superius dixerat Ecclesiastes, *mala quæ sub Sole sunt*. Ad illud Iob 31. *si vidi Solem cum fulgeret*: ibi Sol E temporalem prosperitatem significat. Aliàs ex Origene; per Solem F diabolus significatur. Non ambulant, dic, sub Sole, illi quorum *conuersatio in Cœlis est*. Et si non abnuas, videtur ex Ecclesiastes

D Apoc. 16. ibi imaginem eius.
E Ioan. 4. l. 1 lit. 1.
F apud D. Th. hic.

versu præcedente satis indicari contextus: dicit enim; *quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad Regnum*; & Apoc. 20. legimus; *soluetur Satanas de carcere suo*. Diabolus nedum Princeps dicitur Ioa. 12. *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras*, sed & Rex; Iob 41. *ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*. At Dominus noster Rex est; natus Rex; *vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* supra c. 2. & Ioa. 18. *tu dicis, quia Rex sum ego; ego in hoc natus sum*. Quis neget loqui Ecclesiasten de Christo, dum inquit, *& alius natus in Regno inopia consumatur?* Missa terrenorum inopia: supra cap. 8. *filius hominis non habet, vbi caput reclinet*: 2. Cor. 8. *vt illius inopia, vos diuites essetis*: habemus in psal. 87. *longe fecisti notos meos à me*: & deinde, *oculi mei languerunt præ inopia*: 4. Regum etiam c. 3. legimus; *pugnauerunt Reges contra se, & cæsi sunt mutuo*: allegorizat Angelicus G. Reges; scilicet Christus, & diabolus; ille humilium, hic superborum; pugnantes in passione, vt quis eorum hominem ad suum seruitium obtineret, ambo sunt grauiter vulnerati. Dirat interpretationem sententijs Iob. 16. *hostis meus terruit in me quasi gigas; concidit me vulnere super vulnus*; quia Diabolus Christi carnem vulnerare præsumpsit: & Isaiæ 51. *nunquid non tu Domine percussisti superbum, vulnerasti draconem?* Recole Apoc. 12. *& proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas*. Meritò dicitur ab Ecclesiaste *senex, & stultus qui nescit præuidere in posterum*. Quàm antiquus Rex! siquidem Rom. 5. *regnauit mors ab Adam*: sed stultus, quia non præuidit futurum esse, vt Dominus noster, *per mortem* Hebr. 2. *destrueret eum qui habebat mortis imperium*. *Stultus* etiã: quia ex Gregorio in 2. Moralium c. 36. apud Angelicum H *sapientia contrariatur stultitiæ*. Sapientia ex Philosopho I suspicit causam altissimã simpliciter, quæ est Deus. Dic ergo stultum Diabolum, qui recessit ab vltimo fine, & altissima causa, quæ Deus est: in Christo autem adhuc puero *requieuit* Isaiæ 11. *spiritus sapientiæ*: *melior ergo*, benè dicit, *puer pauper & sapiens. Rege stulto & sene*. (comparatione vt dici solet, abusiua.) Sed huc mirè aduoca illud Zachar. 11. de Antichristo, *adhuc sume tibi vasa Pastoris stulti*; qui pro virga aut pedo sumat lanceam, si pro pera indueret thoraca ahenum, aut loricam trilicem, si longo se aut præfulgente gladio accingeret: vt ait Maluenda lib. 8. c. 22.

G opusc. 58. c. 29.
H Iob c. 1. l. 4. in calce. 2. 2. 45. 2. & q. 46. 1.
I 2. 2. 45. 1.

Hæc libuit excurrere, quasi anteludia contextui, 62.
quem versamus de *adolescente secundo*: nam in Diaboli potestate, vt dicit Angelicus L veniet Antichristus. Hebraica vox quæ adolescentem significat, est *bachur* seu *bachijr*; & valet etiam pro *iuuene pro bellicoso*. Autumant, (sic Maluenda lib. 10. c. 16.) sub simili ætate qua Saluator prædicare cœpit, Antichristum adoriturum suam persecutionem. Hinc adolescens & Dominus Iesus Christus, & ille quoque dici potuit, quando perducunt adolescentiam vsque ad trigesimum. Sed quoniam altius loquitur Scriptura, videtur mihi dicendum; (& sic ad textum reuertimur) ideo sic *adolescere* & Christo, & impijssimo illi fuisse attributum; quia progressu quodam instar ætatis, & Christi in bonum, & impij in malũ, erat postquam cœpisset cursus consummandus. De Christo quippe ait Apostolus 1. Cor. *oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*. Regnare, non sonat regnum habere, at sed in regnando proficere, & Regnum augeri; quasi dicat, regnum Christi paulatim proficit, in quantum scilicet manifestatur, & innotescit. Tu dicito, sic ex aduerso adoleuisse paulatim Antichristũ, cũ cœpit in suis præcursoribus impietate grassantibus agnosci. Ideo cõsultissimum fuit, vt quo aduersus typicos Antichristos præmunirentur fideles, præcederet instructio atq; monitũ. Quam-

L 2. Thes. 2. l. 2.
M 1. Cor. 15. l. 3.

Quamuis posteriores solummodo, eius in persona feritatem essent experturi. Est autem quod aperiamus vlterius de sic adolescentibus dictis. Neque enim Apostolus adolescentem dixit Christum, sed hominem; 1. Corinth. 15. *primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cœlo cælestis*. Et sic 2. Thessal. 2. vocatur Antichristus, *homo peccati*. Sed mysteriosa est radix hebraica *bachar* à qua deriuatur *adolescens*; nam & alia sunt deriuatiua; nimirum, vt *bachur*, & *bachyr* significet *bellicosum*, & *electum*. Iam verò supra dictum est, quomodo pugnarint Reges contra se. Et præterea ipse Dominus dixit hic capit. 10. *non veni pacem mittere sed gladium*. Et Lucæ 11. *cùm fortis armatus custodit atrium*, &c. *si autem fortior eo superueniens vicerit eum*, &c. Et sic de Antichristo Danielis 7. *faciebat bellum aduersus sanctos*; & Apocalyps. 19. *vidi bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium, cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudo-propheta*; &c. *viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*. Sed & quia radix *bachar* est *elegit*, meritò ab ea *secundus* dictus est *adolescens*, (præsumpto primo, Apocalypsis 22. *primus, & nouissimus*) sed non nisi arrogantissima vsurpatione nominis, eam suffurando nomenclaturam, quæ propria Saluatoris nostri est; de quo Isaiæ 42. & hic 12. *electus meus complacuit sibi in illo anima mea*. Vnde Lucæ 23. *deridebant* pendentem in Cruce *dicentes; alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus*. Non sic blasphemi fuissent; si dicta audissent Domini Ioannis 5. *scrutamini Scripturas*, &c. *& illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Quibus innixus Paulus Actor. 26. dixit *auxilio adiutus Dei, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses; si passibilis Christus; si primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus est populo, & Gentibus*.

VERS. XXVIII. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur*; &c.

63. Similia habentur aliàs in Scripturis; Ioelis 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. Apocalypsis 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus; & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de Cœlo ceciderunt super terram*. Isaiæ 34. *& tabescet omnis militia Cœlorum, & complicabuntur sicut liber Cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & de ficu*. Post tribulationem illam. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 11. *hæc erit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio; quam sancta Ecclesia toto terrarum Orbe patietur; vniuersa scilicet Ciuitas Christi ab vniuersa Diaboli Ciuitate; quantacunque erit vtraque super terram*. Vbi de Gog & Magog, (de quibus Ezechiel, & Ioannes in Apocalypsi, vt supra excurrimus,) ait non esse accipiendos, tanquam sint aliquæ gentes particulares barbaræ in aliqua parte terrarum constitutæ, sed nationes omnes ijs nominibus qualificatæ; *ac per hoc vbicunque erit Ecclesia, quæ in omnibus gentibus erit, persecutionis illius immanitate cingetur; hoc est in angustias tribulationis arctabitur, vrgebitur, concludetur*. Ad rem autem dicit Rabanus; *nihil prohibet intelligi, veraciter tunc Solem, & lunam cum cæteris sideribus ad tempus suo lumine priuari, sicut de Sole factum constat tempore Dominicæ passionis*. Sed non est plana omnino intelligentia de casu stellarum; quia, vt
N D. Th. hic. considerat Angelicus, n vna stellarum maior est tota terra. Diuus Augustinus libro illo 20. de Ciuitate cap. 24. inquit, *probabilius & credibilius est, vt sit tropica locutio: aut in isto imo Cœlo futurum sit, stellas de Cœlo esse casuras, multò mirabilius quàm nunc fit*. Et vt impressionis meteorologicæ ferat exemplum inducit ex Virgilio 2. Æneid. *stella facem ducens multa cum luce cucurrit*; quæ se *Idea condidit Sylua*. Adde ex Alberto de Padua Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Exposit. Euangeliorum Dominicalium; stellas vulgariter dici exhalationes ignitas; quarum tanta erit abundantia in fine Mundi, vt omnis multitudo stellarum cadere videatur. Vel stellæ propriæ dicantur cadere, quia Sole, & luna obscuratis, non apparebunt, ita vt credant homines eas cecidisse. Vnde Origenes; *ex magno fumo ignis eleuato, qui ardebit in consummatione Sæculi, obtenebrabitur superior pars aeris; ita vt lumen Solis non appareat*. Et Hieronymus; *Sol videbitur obscuratus comparatione diuinæ lucis; sicut lumen candelæ non lucet in die*. Plerique Sancti Patres obscurandas esse stellas intelligunt. Vnde ait Chrysostomus relatus ad Lucam in Catena; *sicut in hoc sæculo luna & sidera obfuscantur orto Sole, sic in gloriosa Christi apparitione, Sol obtenebrescet, & luna non dabit proprium iubar, & stellæ cadent de Cœlo, priore spoliatæ amictu, vt potioris lucis amictu potiantur*. Sed poterat Dominus dicere *stellæ obtenebrescent*; nec tamen voluit: sicuti Ecclesiastes vltimo legimus, *memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ* &c. *antequam obtenebrescat Sol & lumen, & luna & stellæ*. Diuus Marcus scripsit; *& stellæ Cœli erunt decidentes*. Sanctus Lucas; *erunt signa in Sole luna & stellis*. Quocirca Rabanus; *decidentes, idest suo lumine carentes. Nihil enim prohibet luminaria Mundi verè tunc amittere lucem propriam, vt peracto iudicio sit lux lunæ sicut lux Solis; Sol autem septempliciter, vt dicitur* Isaiæ 30. Sed si solam priuationem fulgoris stellarum, significat ly *cadent*, aut *decidentes*, æquè Sol, & luna debuerant dici cadere de Cœlo. Quod tangit Diuus Augustinus de tropica intelligentia, non plenè tranquillat; quando tropicè non fuerat locutus de Sole & luna. Si ad meteora confugiamus, non omnino quiescit animus, quia Lucas eodem tenore ait, *erunt signa in Sole luna & stellis*. Mihi ergo iuxta Marci nutum, videtur dicendum, stellas videndas esse ceu decidentes, non quòd cadant de Cœlo in terram, aut à Cœlo euellantur; hoc enim naturæ ordo non patitur; sed quia illarum lumen protendendum sit versus terram, sic vt appareant veluti decidentes, & vibraturæ se ipsas in terram: quod certè horrori futurum est spectantibus; quasi corruiturum timeretur Cœlum, totaque Cœlestis machina in statum alium ac ordinem, in se ipsam dirupta commigratura. Potest hoc exponi exemplo apparitionis nouarum stellarum, quas non pauci Philosophi, ac Astronomi tuentur supra æthercam regionem fuisse. Sicut ergo naturæ vi, arbitrantur plerique, vel certè occultis Dei iudicijs, vt quidquam portendant phenomena non vltra visa deprehendi in astris; cur non liceat, dum audimus ab ore Veritatis, *stellæ cadent de Cœlo*, aut *stellæ erunt decidentes*, credere nutu Creatoris futurum esse, vt stellarum agmina, demissis versùs terram luculentis iubaribus, de sursum cadentes videantur, quanquam à Cœlo minimè detrahantur? Non impropriè sed figuratè loquitur, qui dicit comam super humeros cadere, quamuis à capite coma diuulsa non sit; cecinitque Mantuanus, *maioresque cadunt altis de montibus vmbræ*; cum tamen, non separetur vmbra à corpore; sed translatè dictum est. Nec ab hebraica lingua hoc alienum existimes; siquidem à verbo *naphal*, *cecidit*, deriuant etiam *mapulè* pro partibus in corpore pendentibus, quasi partes illæ aliunde corpori affixæ essent, vt dicit Rabbi Abraham. Cur ergo non sic dicantur

decidentes stellæ quanquam fixæ? vt instar cometarum, non tam promissum ostendant splendorem, quàm ignem crebris quasi delapsus motibus depluere (ad terrendos sicut olim tenebris quoque Ægyptios, vt conterantur, homines) immitentur. Hieronymus inter signa, quanquam non sua ex sententia hoc enumerat, vt omnia sidera errantia, & fixa spargant ex se igneas comas, sicut cometæ. De quo in 4. sent. d.48. q.1. a.4.

Sequitur; *& Virtutes Cœlorum commouebuntur*.

64. Hieronymus; *per virtutes Cœlorum, Angelorum multitudo intelligitur*. S. Th. O idest virtutes, quæ Deo ministrant: fertque ex Augustino, moueri dici, quãdo illa quæ ad suum officium pertinent, in alium statum mutantur. Vel inquit, *commouebuntur, non commotione timoris, sed admirationis*. Origenes etiam dicit, P conueniens esse, vt Cœlorum rationales virtutes remotæ à primis functionibus suis, patiantur stuporem. Sed in alio opusc. Q subdit; hoc tamen omnino asserendum non videtur. Probabiliter, nihilominus sentit, nec à Dionysio elongatur, Angelos mouentes Cœlos, esse de ordine virtutum: hic enim ordo tenet primum locum inter exequentes exteriora ministeria. Vnde idem Dionysius 8. cap. Cœlestis hierarchiæ, dicit quòd nomen *Virtutis* ostendit diuinam quandam, & inconcussam fortitudinem ad omnes Deiformes operationes.

O D.Th. hic.

P opusc. 10. a. 17.

Q opusc. 11 a 4. & 4. sent. d. 48. a.4 ad 5.

65. Quare autem hisce portentis disponat Altissimus, vt Mundus quatefiat; potest esse etiam congruentia quædam nobis nota, ad nostram eruditionem; vt qualis fuerit Ecclesiasticus Orbis exitiali eo Antichristi tempore innotescat. *Sol* quippe vt retulimus ex 6. Apocalypsis *factus est niger tanquam saccus cilicinus*, &c. Sol idest Christus R lux hominum, & Angelorum; cuius radijs mentes illustrantur & decorantur, (Malachiæ 3. *orietur vobis Sol iustitiæ*) *factus est niger*, idest obscurus; tempore enim Antichristi non apparebit magnificentia Christi, per doctrinam, & per miracula, quæ tunc veluti intermissa fient, propter electorum probationem, & maiorem glorificationem; & propter malorum permittendam excæcationem; quorum malitia merebitur sibi subtrahi viam internæ illuminationis. Et *luna tota facta est sicut sanguis*, idest tota Ecclesia vbique tribulabitur, & patietur, quia effusio sanguinis indicium est tribulationis: & adhuc ad literam multus sanguis fidelium effundetur. *Et stellæ de Cœlo ceciderunt super terram*; ij scilicet, qui prius erant lucidi per conuersationem vel prædicationem, *ceciderunt* à fide, *super terram*, idest in concupiscentiam, & amorem terrenorum. Cadent enim multi à fide, & plus diligent terrena quàm cœlestia: tales namque corrumpet Antichristus muneribus, & promissionibus. Ioelis 2. *stellæ retraxerunt splendorem suum*, & ibidem *Sol & luna obtenebrati sunt*: dic conuenienter exponi sic Ioel etiam tropologicè, quando postea in eodem capite idem tangit re ipsa futurum, *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. Augustinus in Epist. 80. ad Hesychium sic exponit, quod *stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commouebuntur*; quando *multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent & cadent, & quidam fideles firmissimi turbabuntur*. Et quia Ioannes eodem spiritu, quo & Isaias cap. 34. hæc vidit; prout Isaias de militia Cœli ait; *& defluet sicut defluit folium de vinea, & de ficu*; ita Ioannes *ceciderunt*, inquit, *sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur*: grossus enim, vt ibidem ait Sanctus Doctor, est ficus inanis leniter cadens ad impulsum venti. Et adhuc Isaias, *complicabuntur sicut liber Cœli*; Ioannes verò; *& Cœlum recessit, sicut liber inuolutus*: & Dominus, *virtutes Cœlorum commouebuntur*: quia, vt mihi videtur, supraque non refragantur Interpretes, Cœli, qui vt dicit Auerroes in lib. de substantia Orbis influunt in hæc inferiora per lucem & motum, à primæuo cursu, & ordine recedentes commoueri dicentur meritò, & sic metonymicè Virtutes ipsæ Cœlorum. Et quia, confusione quadam cientur, erunt veluti liber inuolutus, à quo nihil tunc discant homines, qui eousque tot miranda in Cœlis, & de Cœlis didicerint.

R Apoc. 6. com. 2.

66. Sed hic est quod operosius exquiramus; nam Sancti Patres, vt *in Catena aurea* videre est, hæc signa in *Sole luna & stellis*, &c. sub aduentum Domini ad iudicium, tanquam primordia diei illius horribilis accipiunt. Immo obtenebrari cœlestia lumina rati sunt; vt diximus ex Chrysostomo, & sic Theophylactus, Eusebius, Beda qui ait; *sidera in die iudicij videbuntur obscurari non diminutione suæ lucis accedente, sed superueniente claritate veri luminis, hoc est summi Iudicis*. Vnde ad eorundem opinionem dicit etiam Angelicus; tanta erit claritas Christi & Sanctorum, quòd nec apparebit claritas eorum, fertque illud Isaiæ 24. *erubescet luna, & confundetur Sol*. Sed in 4. sentent. scripsit; S secundum tempus propinquum ante iudicium sic esse poterit, quod Sol & luna & alia Cœli luminaria sui luminis priuatione obscurabuntur: vel diuersis temporibus, vel simul, diuina virtute faciente ad hominum terrorem. Hinc autem nobis occurrit grauis difficultas; quia, si præsertim ex Christi Domini luce immensa debent obscurari; sicut ipse palam dicit *statim post tribulationem dierum illorum*, Solem obscurandum &c. sequitur mox esse quoque statimque futurum iudicium. At hoc non sentit glossa, nec Patres. Glossa quippe relata Apocalypsis 6. ad finem T ait: quando autem post illos dies venturus sit Dominus, prorsus ignoratur. Et reuera ægrè potest sustineri, illam obtenebrationem futuram esse ex Christi splendore; quandoquidem dicit Ioel eo cap. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini, magnus*; vtque ait Petrus Act. 2. *& manifestus*. Sicut autem *statim* erunt hæc signa, ita statim esse Mundi consummationem, minus etiam aliàs videtur probari; quia extincto Monstro illo impijssimo, creduntur fere omnes ad Dominum conuertendi: proinde non obtruncari debere mox hominum frugi generationem: sed potius de diuina clementia præsumi, vt humano generi iam tandem tot de fluctibus emerso, atque in vera fide confirmato det nedum breue pœnitentiæ spatium, sed adhuc in multa sæcula sobolem, cui benedicens benedicat *crescite, & multiplicamini, & replete terram*, figuratam scilicet terram promissionis terramque viuentium. Et sic *reliquiæ* Iudæorum post tot sæcula incredulorum *saluæ fient*, vt ab Isaia dicit Apostolus Roman. 9. At non sic vt sterilescant illico, sed crescant in filios filiosque filiorum fidelium, instar fermenti; quam parabolam prompsit Dominus supra cap. 13. de Ecclesia. A radice autem hebraica *Sciaar reliquum esse*, seu *remanere*, manat etiam *Sceor* quod fermentum significat: & sic *reliquiæ saluæ fient*, multiplicandæ.

S 4 sent. 48. q. 1. a. 4. ad 2.

T Apoc. 6. com. 2. & o. usc. 60. a. 25.

67. Nec obest huic interpretationi de iudicio ac fine Mundi, quod ait hic Dominus; *cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis*. Nam vt aliàs considerat Diuus Antoninus in Hist. tit. 23. c. 8. §. 3. cum Deus dixit per Aggæum Prophetam; *adhuc vnum modicum, & ego mouebo Cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis Gentibus*; quod de Christo intelligitur, illud tempus modicum fuit spatium quadringentorum annorum, & vltra. Et in Apocalypsi; *tempus prope est; ecce venio cito*. Sic Angelicus ad illud Iob, *recede paululum ab eo*; status mortis humanæ V quantocunque tempore differatur

V Iob 14. 1. 2.

gatur resurrectio, breuis est in comparatione ad statum futuræ immortalitatis. Aliàs inquit Gregorius; *breue est quod clauditur fine*. Addo significantissimè, quod ait Diuus Petrus in sua secunda cap. 4. *venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ*. Et deinde; *vnum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*. Et iam & in psal. 89. *quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit*. Sapientissimè autem sic loquitur Dominus; quia trahuntur hæc omnia ad particularem aduentum; *& vos estote parati*, &c. vnde operæpretium fuit tali modo exprimi expectationem illius finalis aduentus, vt & quotidianæ singulorum prodesset proximæ, & in mensura nostri temporis, expectationi.

68. Igitur reuertendo ad punctum, minimè potest fidelis ire inficias, *quin sint Cœli ardentes soluendi, & quin elementa ignis ardore tabescant*, nouos verò Cœlos & nouam terram expectandos. Nihilominus; quoniam ea premente particula *statim signa in Sole luna & stellis* &c. expectantur; non verò sic statim iudicij dies, in hac sum sententia, semper ex corde Ecclesiæ Sanctæ Dei subiectissimus, vt hoc, *Sol obscurabitur*, &c. futurum sit post diram Antichristi persecutionem, non tanquam consummationis Mundi huius signum, sed tanquam miraculum ingens, quod omnes reuocet ad fidem, in eaque confirmet. Nam cum vt vidimus, prodigijs & signis mendacibus tentaturus sit impius ille seductionem, miracula tunc ex aduerso, non est Deus patraturus; quia veritatis magisterium haud decet, monomachia veluti quadam descendere in singulare certamen cum cathedra erroris, armis similibus, quæ possint calumniam pati. Itaque nobilius dimicabit Christus Dominus aduersus impium, eo mirabilissimo miraculo, quod est sine miraculis fortissimos suos Athletas obijcere. Sic planè arguebat Augustinus ex 22. de Ciuit. Dei cap. 8. aut facta sunt miracula, aut non: si negent facta; hoc est miraculorum maximum, vt sine miraculis Mundus totus hanc fidem complexus sit; quæ adeo à Mundi voluptatibus, à terrenorum affectibus vitam instituit alienam, quæque solum diuinis charismatibus intenta, corde & animo inuisibilia credit sperat ac diligit. Postquam autem virtutem suam sic maximè ostenderit, ne quoque visibilia signa patrare credatur impotens, in Cœlo vbi locum non habet impostura, ea faciet; sic incredulitatem eorum confundens, qui quærerent signum de Cœlo; sic duriores territans, quod dixit Angelicus. Hoc pacto considerat etiam, vt
X 1. cont. G. c. 6. supra retulimus, x confirmasse fidem, cœlestium corporum mirabili immutatione. Quare sicuti moriens voluit vt tenebræ fierent per tres horas super vniuersam terram, sic vt reuiuiscat per fidem in cordibus fidelium, non fuerit absonum credere, hæc esse visenda; sorteque per suorum ministerium, quemadmodum ad Iosue imperium steterunt Sol & luna, esse patranda; in contestationem veritatis, quam liberius interfecto Antichristo
A p. p. 105. a. 5. & 6. prædicabunt. Potest quippe facere & facit, A cum sibi complacet, præter & contra solitum cursum naturæ: quia naturæ ordo à Deo est rebus inditus. Sic quippe fiet, vt cum veluti collatis viribus, toto Marte, omnique conatu de Summa Religionis fidei & Ecclesiæ, definire descenderint, Impius ille & Christus Dominus; ipse Saluator victor & triumphator extiterit, Antichristus verò victus triumphatus pudefactusque abierit; semper eo impleto; *portæ Inferi non præualebunt aduersus eam* Matthæi 16. Nec ambigendum (si certam ex Ecclesiæ cladibus sumamus coniecturam) innumeros lapsos, qui pœnarum metu Antichristo coacti fuerint, saltem in speciem consentire; extincto Tyranno sæuissimo, & reddita Ecclesiæ pace, ad pientissimam Matrem, quæ patefactis visceribus deperditas ouiculas excipiet, extemplò libentissimè redituros: vt bene discurrit Maluenda cap. 16. lib. 8. compertis (addo ipse) insignibus adeo miraculis in Sole in luna in stellis, totaque Cœlorum machina, cùm *virtutes Cœlorum commouebuntur*. Qui quidem Auctor in lib. 10. cap. 17. à morte Antichristi, habet; serenissima pace, atque quiete reddita Ecclesiæ, per vniuersas Mundi regiones ac potissimum in Iudæa, cuncti christiani in publicum prodibunt lætissimi, & inenarrabili gaudio, festiuissimisque acclamationibus ingentes Christo Victori gratias agent, decretis celebratisque publicis supplicationibus sacrisque pompis, pro ritu christiano Festis institutis, vt solet fieri in communi lætitia. Sed maior illa, quæ tunc erit, nunquam antea extiterit, cùm se viderit Ecclesia è medijs Draconis faucibus ereptam. Purgabunt pij magna alacritate Sacra Templa, eaque sanctificabunt, diruta instaurabunt &c. Quomodo autem mutatio dexteræ excelsi patranda sit, non vltra vestigat. Ego ad cœlestia prodigia; *cùm Sol obscurabitur*, retulerim. Quod nisi dicamus; cùm statim hæc sint futura post tribulationem dierum illorum, statim esset quoque iudicij dies, qui omnes curas huiusmodi è medio tolleret; nec in terris pax esset Ecclesiæ, nisi momentanea. Sic tamen crediderim à Domino, & à Spiritu-Sancto in Euangelio describi, vt veluti iungantur signa hæc & iudicij dies; quia etsi in vniuersali iudicio, hæc simul non sint euentura, in particulari tamen iudicio, cùm ad singulos venit Dominus, contingit enim non diligentibus terreri, impleríque illud Ecclesiastes 12. *vt obtenebrescat Sol & lumen, & luna & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam, & commouebuntur custodes Domus (hic, virtutes Cœlorum commouebuntur) & nutabunt viri fortissimi*. Quæ cuncta tropologicè in Euangelio legi minimè dubitandum est.

Post tot quæ digessimus, ne mox ad Antichristi interfectionem putemus imminere iudicij tempus, 69.
prout videbatur inferri, ex ijs signis in Sole & luna & stellis, si hæc sint immediata iudicio, & illico consummata tribulatione, sequantur: adhuc veretur calamus, non attigisse verbi Domini sensum; quoniam apud Lucam cap. 21. illa signa videntur immediatè proximeque præuia finali tempori, quamuis non dicat *statim*. Quare alia intelligentia suggeritur, iuxta quam, dicamus vtique *Solem obscurandum*, &c. paulo ante aduentum Iudicij, quod ait Ioel *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini*, &c. non tamen inde sequi, vt post tribulationem Antichristi mox & illico instet iudicij dies. Ratio in promptu est; attenta significatione aduerbij illius *statim*: quod quidem etsi possit accipi, vt absque vllo interuallo sonet futura; nihilominus proprijssimè etiam significat, idem quod inopinatò, ex tempore, ac præter expectationem. *Statim* hebraice dicunt *lepethang* seu *pithom*: quæ voces peritis sunt *subitò, repentè, & quod fit præter intentum*. Sed & apud latinos æquiualent *repentè, statim, ex tempore* ad denotandum fieri aliquid præter spem: & ita ad maiorem explicationem Tullius Epistol. lib. 4. ad Sulpit. inquit; *repentè præter spem dixit*. Neque enim cùm legimus Ecclesiastici 5. *non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius*

lius fit sensus, eodem momento in peccatores vindicandum; sed absque alijs prænuncijs extemplò *in tempore vindictæ* esse dispergendos. Et sic Ecclesiastes 9. *nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo superuenerit.* Et Isaiæ 30. *quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio eius.* Atque etiam ipse Dominus in hoc capite exemplo diluuij & furis rem elucidare dignatus est. Scio in Scripturis millies, ly *statim* simultatem signare temporis: & hic planiorem futurum fuisse sensum, si dictum esset, *post tribulationem autem dierum illorum statim*, (vel potius *mox*) *Sol obscurabitur*; &c. sed voluit forte Dominus sic saltem præmitti, *statim autem post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur* &c. vt semper essent homines in timore; nihil enim obstitit aut obstare potuit, quin propediem, *obscuraretur Sol*, &c. Græcè *autica* æquè significat *statim* & *quamprimùm*: præsertim, quia quæ hic prædicuntur particulare vniuscuiusque hominis suppingunt iudicium, quod nedum repentè ac præter spem, sed sine mora expectandum est, quando Deus, vt Augustinus dicit, *nulli promisit crastinum*. Idem in Epistola 80. *signa aduentus Christi possunt fortè referri ad aduentum suum, quo visitat Ecclesiam.* Præterea, quia secundum altitudinem diuini eloquij, quam par est, semper habeamus præ oculis, statim fit, quod post plurima sæcula fit; quia *mille anni tanquam dies vnus*, vt ex D. Petro, & ex Psal. dictum est. Multò magis autem postquam *venerit discessio, & reuelatus fuerit homo peccati*, vt dicitur Thessal. 2. cap. 2. Nunc enim pauendum non est, tam proximè de extremo iudicio, quoniam in persona Antichristus nondum venit. Cum venerit; *post tribulationem dierum illorum*, cum nullum intermaneat expectandum, *per accidens* quasi est, vt loquuntur Scholæ, si non immineat; nihilque in contrarium adduci potest, quin statim superueniat. Augustinus in ea epistola 88. ad Hesychium visa certè difficultate, moderatur sic intellectum illius sententiæ, *statim autem post tribulationem dierum illorum; non quia transacta tota illa persecutione accident ista; sed quia præcedet tribulatio, vt sequatur quorundam defectio: & quia per omnes dies illos ita fiet; propterea, post tribulationem dierum illorum; sed tamen in eisdem diebus fiet.* Trahit vt vidimus ad tropologiam: qua declinat instantiam de mox futuro iudicio, si statim Sol obscurabitur. Nos duabus vijs hinc emersimus.

VERS. XXX. *Et tunc parebit signum filij hominis in Cœlo.*

69. Licèt Dominus non exprimat quale signum, intelligitur B signum Sanctissimæ Crucis. Hinc Chrysostomus in hom. *Sol obtenebratur. Vnde Crux non appareret, nisi multo splendidior radijs luculentior esset.* In opusculo C sic scripsit; non ipsum lignum Dominicæ Crucis, sed aliqua repræsentatio ipsius. Chrysostomus apud Magistrum in 4. dist. 48. *Angeli deferent ante eum signum Crucis.* Obijcit Angelicus, quia lignum Crucis non habet aliquem ordinem ad incorruptionem, vt remaneat post illam innouationem: respondet accipi pro aliqua repræsentatione ipsius. Augustinus non quærit de hoc, sed solum commemorat signum hoc filij hominis Crucem Domini esse: ita Serm. de Sanctis 40. & ad fratres in eremo, 63. Et de tempore in Serm. 130. sic eloquitur; *tanta erit eminentia splendoris in Christo, vt etiam clarissima Cœli luminaria præ fulgore luminis diuini abscondantur. Tunc stellæ cadent, quando apparuerit signum filij hominis in Cœlo: vt discas, quoniam Crux & luna lucidior, & Sole erit præclarior, quorum splendorem diuini luminis illustrata fulgore superabit. Quemadmodum enim ingrediente Rege Ciuitatem, exercitus antecedit præferens humeris signa atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armisonæ annunciat Regis introitum: ita Domino descendente è cœlis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud, idest triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, diuinum Regis cœlestis ingressum, terrestrium mentibus nunciabunt.* Ibidem adduxit causam, quare tunc Crux apparebit. *Ratio*, inquit, *perspicua est; vt agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum Maiestatis crucifixerunt: per hoc enim signum, impudens Iudæorum redarguitur impietas.* In idem & Chrysostomus in homilia: qui addit, & vulnera ostensurum Dominum, vt recolant D exprobratissimam eius mortem; iustiorque appareat eorum condemnatio, qui tantam misericordiam neglexerunt; & eorum præcipuè, qui Christum iniustè persecuti sunt. Cicatrices autem erunt indicia maximæ virtutis, qua Christus per passionis infirmitatem de hostibus triumphauit. Item palam fiet, totam illam gloriam per passionem eius esse; E ac per eandem adeptum iudiciariam potestatem. Sic & in opusc. vt impij videntes signum Crucis, & alia passionis indicia doleant, & crucientur; & ij qui redempti sunt, gaudeant de gloria Redemptoris.

Margin notes: B 4. sent. dist. 48. q. 1. 2. — C opusc. 60. a. 25. 4. sent 48. exposit. 1. — D 4. sent. 48. q. 1. a. 2. — E D. Th. hic. opusc. 2. c. 244.

Sequitur; *& tunc plangent eum omnes Tribus terræ.*

70. Sic Apocalypsis 1. *ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus*: tam bonus F quàm malus: bonis ad consolationem, malis ad confusionem, & afflictionem. Isidorus lib. 1. de summo bono: *pro diuersitate conscientiarum, & mitis apparebit in iudicio Christus electis, & terribilis reprobis.* Quoniam autem poterat ambigi, an & mali ipsum essent visuri, adiecit Ioannes; *& qui eum pupugerunt.* Sequitur, *& plangent se super eum omnes tribus terræ.* Quamuis indiscretè de toto Mundo dictum sit Genes. 28. *& benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*: hic signanter de tribubus dicitur terræ; ex opposito ad electos de quibus subditur, *qui*, scilicet, vt ait Hieronymus, *municipatum non habent in Cœlis, sed scripti sunt in terra.* Et ita distinguit Augustinus in psalm. 121. *illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini*, dicens; *duodecim tribus erant populi Israel; sed erant ibi mali, erant ibi boni. Quam enim malæ tribus, quæ crucifixerunt Dominum: quam bonæ tribus, quæ cognouerunt Dominum! illæ ergo tribus, quæ crucifixerunt Dominum, tribus sunt diaboli: quæ cognouerunt Dominum, tribus Domini.* Non autem debemus arctari ad eos duntaxat, qui secundum carnem sunt de tribubus filiorum Iacob; quia etiam Apocalypsis 7. legimus; *audiui numerum signatorum ex omni tribu filiorum Israel*: & tamen ait glossa; *non tantum signantur illi, qui sunt de genere Iudæorum*; G *sed etiam de Gentibus.* Et quidem iuxta Apostolum, qui Rom. 2. ait; *si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* Igitur ex omni tribu, quia multiplex est tribus iustorum, qui filij Israel sunt spiritualiter per imitationem. Quare, aio ego, dum ait, *plangent omnes tribus terræ*, de terrenis omnibus loquitur, ac proinde de malis etiam Christianis. Idcirco fortè, ne supra Iudæos carnaliter ex tribubus caderet intelligentia, dixit Diuus Ioannes, *& qui eum pupugerunt.* Cur enim non dictum est; & qui eum crucifixerunt? sicut infra cap. 10. ait; *vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Etsi enim qui peccant, quantum in ipsis est H rursus crucifigant Christum, quia *Christus pro peccatis nostris mortuus est semel* 1. Petri 3. vt exponit Angelicus: tamen ne pressè hic acciperetur, dixit Ioannes, *& qui eum pupugerunt*: vt & realem & my-

Margin notes: F Apoc. 1. com 2. — G Apoc. 7. com. 1. — H Hebr. 6. l. 1.

& mysticam crucifixionem Saluatoris complecteretur. Et ad hunc sensum fert Sancta Birgitta lib. 1. reuelationum cap. 37. dixisse sibi Beatam Virginem; *conqueror, quòd filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in Mundo, amarius crucifigitur.* Sed quamuis *plangant terræ tribus*, non eis proderit, quia *plangent se*, vt exprimitur in Apocalypsi, non sua peccata; nec tempus erit tunc veræ pœnitentiæ, quæ est *commissa flere, & flenda non committere*: nam & in Inferno, vt dicitur Sapientiæ 5. erunt *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*: plangent ergo propter conscientiæ contradictionem,
I 4. sent. 50. 2. 1. 2. & Isaiæ 50. ac Hebr. 12. l. 3. L opusc. 2. c. 241. I propter futuræ gloriæ desperationem, & propter pœnarum æternarum inflictionem. Benè autem *plangent* inquit, non *planxerunt*; quia semper plangent, vbi *erit fletus*; Lucæ 6. *væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*. Huc Angelicus; L Christus apparebit in iudicio, non in humilitate, quæ pertinebat ad meritum, sed in forma gloriosa ad præmium pertinente. Visio autem claritatis ipsius electis quidem, qui eum dilexerunt, erit ad gaudium, quibus Isaiæ 33. promittitur, *Regem in decore videbunt*; impijs autem erit ad confusionem & luctum: quia iudicantis gloria & potestas damnationem timentibus tristitiam & metum inducet: vnde dicitur Isaiæ 26. *videant & confundantur Zelantes populi; & ignis hostes tuos deuoret*. Et quamuis in forma gloriosa se ostenderit, apparebunt tamen in eo indicia passionis, non cum defectu, sed cum decore & gloria; vt ex his visis, & electi recipiant gaudium, qui per passionem Christi liberatos se cognoscent; & peccatores tristitiam, qui tantum beneficium contempserunt. Vnde dicitur Apocalypsis 1. *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ*, vt exposuimus.

In nubibus Cœli.

71. M 4. sent. 48. q. 1. a. 4. 4 & op. 60. 25. Nubes hic appellantur, vt quidam dicunt, M quædam densitates lucis resplendentis à corporibus Sanctorum, & non aliquæ euaporationes ex terra & aqua; quia cessante motu Cœli, nulla erit alteratio: vel potest dici, quòd nubes illæ generabuntur diuina virtute, ad ostendendum conformitatem in aduentu ad iudicium & ascensione; vt qui ascendit in nube, in nube etiam ad iudicium veniat. Act. 1. *videntibus illis eleuatus est; & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Vt ergo ostendatur N quòd sit ille
N D. Th. hic. idem, qui in nube sublatus est, apparebit in nube. Competit etiam ad significandam ipsius Diuinitatem, quia Maiestas Dei apparuit in nube Exodi 16. Et non erunt illæ nubes, nisi claritates redundantes ex corpore Christi & Sanctorum. Quod ait, *cum virtute multa*, magnum habet pondus; sumitur enim pro fortitudine robore ac potentia. Sap. 5. *accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum*. Sed omnis virtus erit ex eoquòd iustus erit iudex: *induit pro thorace Iustitiam; accipiet pro galea iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem*. Quis vndequaque iustitia munitum, poterit ad miserendum tunc flectere? Tunc illud in omnes implebitur 1. Regum 15. *Porro triumphator in Israel non parcet, neque pœnitudine flectetur*; quando quousque sumus in hoc Mundo, minimè se inflexibilem contestatur dicens Ieremiæ 18. *si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei*. Et quia illius virtus & potentia summa est, adie-
O Hebr. 1. l. 2. cit, *& Maiestate*. Maiestas autem propriè O est summa potestas.

VERS. XXXI. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, &c.*

72. In hisce sententijs apparet figura quam dicunt *ysterologiam*, seu *ysteron proteron*, cùm quod posterius est, præponitur. Non enim *plangent omnes tribus terræ*, nec *videbit eum omnis oculus*, vt in Apocalypsi, nisi postquam resurrectio præfuerit: & tamen, hoc quod in hoc textu posterius legimus, congregandos *electos eius à quatuor ventis*, concernit sine dubio resurrectionem. Sed est quod miretur quis, cur electorum fiat mentio? cum dicat Apostolus; *omnes quidem resurgemus*; p. Corinth. 15. Nihilominus facilè soluitur ex ore Machabæi martyris lib. 2. cap. 7. qui contestatus est impio Antiocho in hæc verba: *potius est ab hominibus morti datos expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit*. Hinc perdoctè exponitur articulus: *iudicare viuos & mortuos*; quatenus viui appellantur iusti, qui tunc vitam acquirent æternam secundum corpus & animam: mortui autem vocantur damnati, quia vita, quam recuperabunt, erit cum æterna morte. Distinguit Angelicus; vt ministerium signetur Angelorum P vtique ad colligendos pulueres nostrorum corporum: in tuba, P D. Th. hic.
virtus Dei: in voce magna, Christi humanitas, ad nostram resurrectionem. Ioan. 5. *Et qui audierint vocem filij Dei, viuent*. Per tubam rectè Diuinitas, quia maior est vox tubæ, quàm vox humana. Deuter. 32. *ego occidam, & ego viuere faciam*: Etiam 1. Thessal. 4. legimus *in tuba Dei*. Et 1. Cor. 15. *in nouissima tuba; canet enim tuba*. Luculentiùs de his ibi Q Angelicus; *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli & in tuba Dei*. Q 1. Tes. 4. l. 2. & opusc. 60. a. 25.
Ad resurrectionem triplex causa concurrit; principalis, virtus Diuinitatis; instrumentalis, virtus humanitatis Christi; tertia quasi ministerialis, virtus Angelorum: ad collectionem cinerum ex Augustino. Pro Archangelo intelligi potest Sanctus Michael; Apocalyps. 12. *hic est Michael Princeps Ecclesiæ*: & sub ipso alij Angeli. Approbat etiam, vt virtus diuina dicatur vox Archangeli, ob ministerium Angelorum; & tuba Dei propter eius sonoreitatem; relinquens sub dubio, an sit formanda vox corporalis, vel vox dicatur virtus diuina Christi, præsens & manifesta toti Mundo. Interim adhuc discamus ex Damasceno 3. lib. *humanitatem Christi esse quasi Diuinitatis organum, sicut corpus animæ*: R & sic R 4. sent. 48. exposit. textus.
Christus dicitur resuscitaturus corpora virtute Diuinitatis: quamuis eius resurrectio sit nostræ resurrectionis causa, per modum, quo tactus leprosi, fuit causa munditiæ. Christus etiam est causa resurrectionis nostræ S meritoria & exemplaris. Sed eius S Ioan. 5. l. 5.
resurrectio non ita propriè est causa meritoria; sed efficiens respectu omnium; exemplaris autem T solum propriè loquendo respectu bonorum, quorum T 3. p. 56. 1. 3.
resuscitabit corpus, Philipp. 3. *configuratum corpori claritatis suæ*.

Sequitur; *Et congregabunt electos à quatuor ventis*.

Remigius; *à quatuor climatibus Mundi; scilicet Oriente, Occidente, Aquilone, & Austro*. Augustinus ad Hesychium etiam in allegoriam flectit, prout quotidie electos conuocat. Sed sistendo in iudicij præambulis; nedum *à quatuor ventis*, sed *à summis Cœlorum*: ex Augustino, propter animas, quæ decesserint, vniendas corporibus; vt corpora *à quatuor ventis*; animæ etiam sublimiores *à summis Cœlorum*. Remigius; *per summum Cœli, medium Orbis intelligitur; quia medio Orbis summum Cœli præsidet*. Et sic, *vsque ad terminos eorum; quoniam longè distantibus Cœli circulis, terræ insidere videntur*; dic ibi terminari. At non video qui requirat, cur Dominus sub hac quatuor ventorum partitione congregandos electos proposuerit. Cùm tamen, vt dicit Augustinus; *Scripturæ scrutandæ sint, nec earum superficie debemus esse contenti*: vt hic 73.

hic in Catena fertur. Certè Ezechielis 37. delineatur ad amussim species resurrectionis: *hæc dicit Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vos spiritum & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes; & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & viuetis.* Subdit Ezechiel. *Et prophetaui, sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me; & ecce commotio; & accesserunt ossa ad ossa; vnumquodque ad iuncturam suam. Et vidi; & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper. Et dixit ad me, vaticinare ad spiritum; vaticinare fili hominis & dices ad spiritum. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos & reuiuiscant.* Ecce mi lector, mirabili allusione, ad eadem Prophetiæ Ezechielis prænunciata, de *quatuor ventis* introduci. Et non sine mysterio reflexè dictum esse Ezechieli, *vaticinare fili hominis*; quando & hic Dominus se filium hominis dicit; *& tunc parebit signum filij hominis in Cælo.* Ezechiel in nomine, etiam figura Christi est, ex Origene homil. 1. *interpretatur enim imperium Dei: imperium autem Dei nullus est nisi Christus Iesus.* Sicut autem V omnis substantia inuisibilis dicitur spiritus; vnde aer quoque spiritus nominatur: aer scilicet concitatus flante vento; X Exodi 15. *flauit spiritus tuus, & operuit eos mare*; & psal. 147. *flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* ita dic animam, quæ à Deo inspiratur, (*inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*) insinuari nomine venti; ideo *à quatuor ventis.* Et ita Isaiæ 57. *omnem flatum ego feci*; A idest animam: & licet Isaiæ legatur, *flatus ego faciam*; cum Magistro sententiarum exponitur de præterito; B *omnem flatum ego feci*; hebræo more, sumendo futurum pro priori, vt notat Cornelius à Lapide: & figuratiuè dicitur Deus flare. Nota ex Angelico in 4. sent. dist. 43. q. 1. a. 3. ad 3. Ezechielem quæ futura sunt in instanti, sic quoad reparationem corporis & resurrectionem descripsisse, quia loquebatur populo rudi.

V Hebr. 1. 1.

X D. Th. Genes. 1.

A 2. sent. 18. q. 2. a. 1.

B ibi distinct. 17. q. 1. a. 1. ad 1.

VERS. XXXII. *Ab arbore autem fici, discite parabolam*; &c.

73. Multipliciter exponunt Patres hanc Domini similitudinem; *cùm ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis quia propè est æstas.* Huc pulchriùs ex Angelico C qui ait; sicut dicitur *in lib. de quæstionibus veteris & noui testamenti*; tunc voluit Dominus passione sua Mundum redimere & reformare, quando eum creauerat, idest in æquinoctio: & tunc dies super noctem increscit; quia per passionem Saluatoris à tenebris ad lucem perducimur. Et quia perfecta illuminatio erit in secundo aduentu Christi, ideo tempus secundi aduentus æstati comparatur; *scitis quia propè est æstas*: & tunc etiam erit maxima Christi exaltatio. Diuus Chrysostomus in homil. considerans indispensabiliter sequi ad ver æstatem ait; *propter hoc etiam istud posuit, vt credere faciat hunc sermonem omnino ita esse euenturum. Vbicunque enim quod omnino euenturum est, dicit, naturales necessitates in exemplum inducit.* Sentitque ideo ferri; quia cum supra dixisset; *statim autem post tribulationem dierum illorum &c. quærere poterant; post quantum tempus?* Supersedit calamus aliam exarare intelligentiam, quam paulo post Deo dante assequemur.

C 3. p. 46. a. 9. 1.

VERS. XXXIII. *Ita & vos, cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis.*

74. Diuus Augustinus in Epistola illa 80. ad Hesychium vim facit in hisce verbis; *cum videritis hæc omnia*; non enim dicit *hæc*, sed *hæc omnia*: *non aliqua*, inquit, *eorum, sed hæc omnia*. in quibus est etiam, *videbunt filium hominis venientem in nubibus Cæli; & mittet Angelos suos*, &c. Et postquam præmisit; *difficile esse iudicare: an hic aduentus sit ad iudicium, seu in Ecclesia*: addiditque, *promptior est sensus, vt accipiat quis eius aduentum, cùm iudicaturus est viuos & mortuos*: attamen, *quoniam Scripturæ scrutandæ sunt, nec earum superficie debemus esse contenti, quæ ad exercitationem nostram ita modificatæ sunt, vt altiùs se penetrari velint,* propendet, vt excepto vbi palam dicitur sicut c. 25. *ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*, de aduentu suo in Ecclesia intelligatur: quia non videtur meliùs impleri illa Prophetia psalm. 71. *& dominabitur à mari vsque ad mare*; & psal. 85. *omnes Gentes, quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine.* Vbi considerat; non dici omnes homines omnium Gentium, *non enim omnium est fides*; (2. Thessal. 2.) sed *omnes Gentes*: & sic promissio facta Abrahæ de omnibus Gentibus: suo autem tempore constabat, non esse Mundum vniuersum Euangelio plenum. Ex quo non poterat tunc concludi, iam Christum in Ecclesia plenè venisse: nec ex consequenti debere hunc aduentum *in nubibus Cæli* de finali ad iudicium intelligi. Igitur Diuus Pater Augustinus, quia etiam multa mala obuentura, quæ dicunt Euangelistæ, *signaque in Sole, luna, & stellis*, contigisse recolit alijs sæculis, in Ecclesia meliùs existimat intelligi; *ne Dominus videatur appropinquante secundo aduentu suo, ea pro magno prædixisse, quæ huic Mundo etiam ante primum sui aduentum consueuerant euenisse; neue irrideamur ab ijs, qui hæc, quæ velut nouissima, & omnium maxima horrescimus, plura in historia Gentium, & multò maiora legerunt.*

Ipse in huiusmodi obscuritatibus Sancto Patri assentio; quia sic post Antichristi tribulationem, sperabimus implendum, quod nondum, saltem omnino experti sumus de totius Mundi conuersione, vt toties prædicunt Scripturæ. Si enim præsertim quod hic habet Matthæus, ad finale referatur iudicium, non constaret nobis ex Euangelio, quomodo Ecclesia, quæ palmæ comparatur, Cant. 7. *statura tua assimilata est palmæ*, inclinata sub Antichristi tyrannide, resurrexerit. Quod tamen indubitanter futurum esse, aliunde nouimus. Vnde par erat, vt etiam ex Euangelio trahi posset. Reor itaque in primis; idcirco dixisse Dominum, *congregabunt electos à quatuor ventis*, vt nos transferret ad relegenda, quæ cuncta prædixit Ezechiel, vbi & de hisce *quatuor ventis* expressum est. Illustrat ergo Dominus hac tacita allegatione totum Prophetæ cap. 37. vbi sub metaphora de siccis ossibus, claret, extremam cladem Christiani populi significari: sic, vt qui fuerint Antichristi temporibus, in eas erumpant passim voces; *aruerunt ossa nostra, & perijt spes nostra, & abscissi sumus*: quamuis ibi typo domus Israel hæc dicantur. Et quænam potest excogitari maior tribulatio, quàm quæ describitur sub similitudine, non mortuorum hominum, sed ossium aridorum, tanque aridorum, vt interrogatus Ezechiel *in spiritu Domini; putasne viuent ossa ista?* dixerit; *Domine Deus tu nosti.* Iure igitur prænunciat sub illo ossium aridorum horrore, tribulationem maximam, de qua hic Dominus. Constat autem Sophoniæ 3. prædici, *seruient ei humero vno*; siue *sub iugo vno*, vt legunt Septuaginta; & ex ipsis Augustinus 18. de Ciuit. cap. 33. Et apud eundem Ezechielem prænunciari futurum esse *vnum ouile, vnumque Pastorem*, Iudæorum scilicet & Gentilium; & quòd Christus facturus erat *vtraque vnum*, vtrumque populum coniungendo in vnum; vt exponit D Angelicus. Vnde ait; *faciam eos in Gentem vnam, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ Gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. Et seruus meus Dauid Rex super eos. Et Pastor vnus erit*

75.

D Ioan. 10. l. 4. & Eph. 2. l. 5.

erit omnium eorum. Quod quanquam ibi dicatur de duabus tribubus Iuda & Beniamin, sub nomine Iudæ, ac de decem tribubus sub nomine Ioseph & Ephraim, secundum communem regulam Hieronymi ex Prologo in lib. 12. Prophetarum; coguntur carnales Iudæi allegoricè, subinde anagogicè intelligere de adunatione Gentilis & Iudaici populi sub figurato Dauid. (Nota ex Apocalyps. cap. 7. de tribu Ephraim fuisse Ieroboam, qui populum Israel fecit idololatrare, adorando vitulos aureos. Dic ergo, meritò assumi in typum Gentium, quæ fuere idololatræ.) Nam si de reductione solùm de captiuitate Babylonica, sub qua & ipse prophetauit, velint intelligi, falsus erit in adiunctis; *Dauid Princeps eorum in perpetuum*: & prius; *habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt Patres vestri; & habitabunt super eam ipsi, & filij eorum, & filij filiorum eorum vsque in sempiternum*: & cap. 34. *neque portabunt vltra opprobrium Gentium*. Quæ quidem dicta sunt etiam cap. 36. & cap. 37. amplius repetuntur; vt quod prius historialiter præhabitum fuerat, spiritualiter caperetur. Reuera qui fidem Christi amplexantur, hæc impleta vaticinia experiuntur; nec enim Gentes moraliter extant, sub quorum gemant opprobrio, nisi velint. Sed Iudæi carnales, quasi Deus, Gentium non esset Deus, capere nolunt, Gentes etiam quæ credunt, spiritualiter esse Domum Israel: sicut & mali Iudæi Gens dicuntur, vt patet Isaiæ 1. *væ Genti peccatrici*. Et ita ossa arida sunt *Domus Israel*; idest totus christianus populus in fide Abraham, sub Antichristo affligendus. Augustinus mirè hoc attigit tomo 3. lib. 3. de doctrina christiana cap. 34. de Israel spiritali profundè intelligens Prophetam, flectens etiam ad anagogiam; ex regula probatissima Tichonij *de specie ad genus*, seu *de parte ad totum*; quo studio, ait idem Augustinus, *exercet Deus medicinaliter cor nostrum*. Constat autem vnde tantum excidium euenerit describi mox cap. 38. & 39. de Gog & Magog sub Antichristi tempore, vt supra ex Augustino 20. de Ciuitate Dei

E Apoc. 20. cap. 11. diximus: firmatque Angelicus E in vtroque Apocalypsis Commentario: ergo quemadmodum cohærendo Ezechieli, Antichristi describitur aduentus in Euangelio; conueniens fuit, vt de reuiuiscentia Ecclesiæ, in eodem Euangelio diceretur. Sileretur autem omnino Ecclesiæ futura magnificentia & exaltatio, nisi subtiliter capiantur quæ hic dicuntur; v. g. *videbunt filium hominis venientem in nubibus: & mittet Angelos suos*; &c. Operæ-pretium autem est hic erudiamur, apud quosdam Iu-

F Apoc. 20. com. 1. dæos F inualuisse phantasiam, Gog & Magog esse Gentes, quæ habitant in Oriente; quæ tandem venient vt expugnent Ierusalem, sed vincentur à suo (tardigrado) Messia: & tunc ædificabunt Ierusalem auream Ciuitatem, iuxta illud Tobiæ 13. *portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur*; &c. crassam intelligentiam tu dicito. Cæterùm obtenebrantur; nam Ezechielis 39. vbi de exterminio Gog & Magog; nec verbum dicitur, per Messiam vincendos; benè verò sublimi sensu egressuros habitatores de Ciuitatibus Israel, ad succendenda Gog & Magog arma. Nec ex aliqua circumstantia agnoscendus diu expectatus Messias ille suus insinuatur. Deinde in eo cap. 39. immo Iudæi ipsi denunciantur neci tradendi, *scient Gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel; eo quod dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis, & tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio vniuersi. Iuxta immunditiam eorum & scelus, feci eis; & abscondi faciem meam ab illis*. Prius autem dicit; *& ponam gloriam meam in Gentibus, & videbunt omnes Gentes iudicium meum quod fecerim, & manum meam, quam posuerim super eos*. Non ergo aduersùm nos extorqueant prophetiam, sed in se ipsos agnoscant? Quanquam, qui superstites erunt etiam ex ipsius Iudæis, dic quoniam non adeo truces in Christianum nomen, neque bellatores cum Gog extiterint, misericorditer vocabuntur promiscuè. *Vnde sequitur; nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis Domus Israel, & assumam zelum pro nomine sancto meo*. Nec obstat, legi cap. 38. aduenturum Gog *super terram Israel in furore Domini*; quia intelligit *Gentes*, quas præmisit, *possessuras & habitaturas in vmbilico terræ*, qui est in Ierusalem: immo capite 39. trophæum prædicit eisdem Gentilibus. *Et egredientur habitatores de Ciuitatibus Israel, & succendent & comburent arma, clypeum & hastas, arcum & sagittas*, &c. hoc est, non vltra timendum fidelibus de persecutionibus. Dic ex psal. 45. *arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni*: sicut ibi Ezech. 39. legimus; *& incendent & comburent arma, clypeum & hastas, arcum & sagittas*, &c. Non ergo Iudæi triumphabunt, qui vel cadentes in gladio, vel captiuitati obnoxij perhibentur.

Reuertendo autem ad punctum, mirè & in psal- 76.
mis videtur satis manifestè signari Antichristus, nominibus, quæ ipsi conueniunt; psal. 71. *& humiliabit calumniatorem*; psal. 73. *quanta malignatus est inimicus in sancto! vsquequo Deus improperabit inimicus? tu confregisti capita draconis*; &, *memor esto improperiorum tuorũ, quæ ab insipiente sunt tota die*. De Antichristo autem illud exposuimus supra Zachariæ 11. *adhuc sume tibi vasa Pastoris stulti*; psal. 79. *Exterminauit eam aper de sylua & singularis ferus depastus est eam*. Cum igitur in psalmis quoque liberatio prædicatur de manu illius; *libera me ab ijs qui oderunt me: quoniam tribulor, velociter exaudi me* psal. 68. *effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt, & in Regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt*: & quidem propheticè per Christum; psal. 49. *fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi*; psal. 71. *quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor*. Item in psalmis, vt in 71. de fide omnium populorum prænunciatum fit, cum dicitur, *& dominabitur à mari, vsque ad mare: & adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes Gentes seruient ei: benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes Gentes magnificabunt eum*; cur & hoc non credamus & in Euangelio subinnui, iuxta Augustini mentem de aduentu Christi in Ecclesia? quando præmittitur de Antichristi tribulatione crudeli, de qua & Psaltes.

Singillatim autem iam diximus, quomodo possit 77.
mysticè accipi obscurari Solem, lunam non dare lumen suum, stellasque de Cœlo cadere; *& virtutes Cœlorum commouebuntur*; quia *quidam fideles firmissimi*, vt dicit Augustinus, *turbabuntur*. *Tunc parebit signum filij hominis in Cœlo*. Cœlum dicitur alibi Sancta Ecclesia. Apocalypsis 12. *factum est prælium magnum in Cœlo*, idest in Ecclesia G quæ

G Apoc. 12. com. 2. claritate sublimitate stabilitate est Cœlum. Tempore autem sæuissimæ illius persecutionis, iam supra diximus, interdicendum quoque salutare iugeque Altaris sacrificium, solùmque in cryptis & latibulis celebrandum: quare & signum Crucis nec publicè, nisi ea transacta tribulatione, adorare licuerit. De his duobus populis, Gentilium scilicet & Iudæorum de quibus supra dictum est, legimus ibi Ezechielis 37. post maximam illam tribulationẽ in ossibus peraridis significatam, *sume tibi lignum vnum*, &c. *& tolle lignum alterum*; & paulo post; *ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israel, & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas pariter in signum vnum*. Non mihi videtur interpres desideratissimam mox subiectum est; &

Rex

Rex vnus erit omnibus imperans. In psalmo 91. *dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit*, vtiq; *à ligno*. Augustinus in eum psalmum; *quis est qui ligno pugnat? Christus de cruce sua vicit Reges*. Vbi 3. Regum 17. vidua illa Sarephtana collegit *duo ligna*: idem Sanctus Pater Serm. 201. de tempore; *non dixit tria nec quatuor nec vnum tantummodo, sed duo colligere voluit; quia Crucis mysterium desiderabat agnoscere. Crux enim Domini Saluatoris duobus lignis aptata est*. Certè mirabile est, Dominum Deum addidisse hanc similitudinem lignorum. Nec enim erat necessaria; quando sine ænigmate subijciendum erat, *non erunt vltra duæ Gentes, nec diuidentur ampliùs in duo Regna*; & priùs; *Rex vnus erit omnibus imperans*. Sed quod necesse non erat pro cortice literæ, exigebatur propter medullam mysterij; ideoque de signo; *faciam eas in signum vnum*. De quo signo hic Dominus; *tunc parebit signum filij hominis in Cœlo*. Paret etiam hisce sæculis, sed tunc luculentiùs, cum *reliquiæ saluæ fient*. Non absimili metaphora Zachariæ 11. dicit; *assumpsi mihi duas*
H Rom. 11. l. 1. & 14. l. 1. *virgas*; H idest duos populos.

Sequitur; *Et tunc plangent omnes tribus terræ*.

78. Et spirituales tribus, de quibus diximus ad imitationem Patriarcharum, & carnales etiam omnes, qui relicti fuerint post Antichristi, suorumque fideliorum commilitonum interfectionem, de qua Apocalypsis 20. *descendit ignis à Deo de Cœlo, & deuorauit eos*: Ezechielis 39. *super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua*, &c. *dedi te ad deuorandum feris auibus*, &c. *super faciem agri cades, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus*. Et Isaias cap. 11. *spiritu labiorum suorum interficiet impium*: qui relicti inquam fuerint à tanta vltione, *plangent*; hoc est, ad pœnitentiæ lamenta recurrent; quia vt dicitur Danielis 12. postquam consurrexerit Michael; *in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*. Et deinde; *eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij. Porro docti intelligent*.

Sequitur; *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli*.

79. Nubes propter refrigerium I misericordiam in-
I 4. sent. dicat. Videtur autem indicare ex quo *plangent*, quia
43. q. 1. in scilicet ad eos spiritualiter Dominus venerit. Iob 9.
calce. *si venerit ad me, non videbo eum; & si abierit, non intelligam*. Quod vtique verissimum est; quia *nemo scit an odio vel amore dignus sit*; sed quoad fidem, docemur certò fideles cognoscere posse se credere. *Videbunt* ergo *venientem* illum qui Ezechielis 39. dixit; *& abscondi faciem meam ab eis*: iuxta Isaiæ vaticinium; *expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob*. Eousque etenim *velamen* extiterit *super cor eorum*, vt ait Apostolus, *vsque in*
L 2. Cor. *hodiernum diem*: sed ratio est, L quia claudunt
3. l. 1. oculos, vt non videant. Et verè in tantum obtusi sunt sensus eorum, vt veritatem nobis manifestatam, *vsque in hodiernum diem* non intelligant. At dicito tunc tandem vberiùs implendum, quod prædicitur Isaiæ 42. *vt aperires oculos cæcorum*: & Ezechielis 39. *& miserebor omnis domus Israel: & non abscondam vltra faciem meam ab eis*. Nequeunt ergo inficiari repetitis ex Scripturis, Deum absconsurum fuisse *faciem suam ab eis*: quod certè sonat, eos Deum Deique mysteria per fidei oculum non videre: neque enim dicit auertam, vt aliàs ob peccata; sed *abscondam*; sic vt non sit hodie *notus in Iudæa Deus*. At venit *in nubibus*. Recolit id aliàs passionis tempore dictum à Domino; *amodò videbitis*, infra cap. 26. *filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli*. Nam, *nunc*, inquit, *venire non cessat, in suis membris*. Ly *amodo valet pro ex nunc, & deinceps*. Arbitror ergo in viris Apostolicis Dominum venturum, qui dicuntur nubes; Isaiæ 60. *qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Et Iob 37. *nubes spargunt lumen suum*;
nubes idest M prædicatores. Aliàs pluunt per præ- M Rom.
dicationem, coruscant per miraculorum N opera- 1. l. 5. &
tionem; eleuati sunt per mundanorum abdicatio- Hebr. 13.
nem; volant per altam contemplationem. Veniet l. 1.
autem si vnquam, tunc *cum virtute multa*; sicut in N Apoc.
psal. 78. dicitur; *Domine Deus virtutum conuerte* 1. com. 6.
nos: & psal. 67. *virtus eius in nubibus*: & Act. 4. *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Sed & cum *Maiestate*. Supra dictum est Maiestatem esse summam potentiam. Sicut autem cùm primò misit Apostolos infra cap. vltimo *in Mundum vniuersum*, contestatus est, quo innotesceret sua potentia; *data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*: sicut etiam dixit Ioannes supra cap. 3. *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: ita & hic cum potentia se venturum pollicetur ad consummatam Mundi conuersionem. Et Augustinus ea in Epistola 80. *quia maior potestas & Maiestas apparebit Sanctis, quibus magnam virtutem dabit*.

Hic versu 31. *Et mittet Angelos suos, cum tuba, & voce magna*. Audi ad hæc Augustinum ea in Epistola 80. *Prophetia veritatis mentiri non potest: vnde necesse est, vt omnes Gentes, quotquot fecit Deus adorent eum: quomodo adorabunt eum, nisi inuocent eum?* (Roman. 10.) *quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Mittit enim Angelos suos, & congregat electos suos à quatuor ventis; idest ab vniuerso Orbe. In quibus ergo Gentibus nondum est Ecclesia, oportet vt sit*. Hæc ille. Angelos autem intelligo Dei nuncios & Sacerdotes. Malachiæ 2. *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est*. Isaiæ 58. *quasi tuba, exalta vocem tuam*. Ad illud Apoc. 7.
& clamabant voce magna; idest O deuotione ma- O Apoc.
gna, siue desiderio. Benè additur autem & *tuba*. P 7.
Comparatur tubæ prædicatio propter sonum; quia P Apoc.
publicè, & apertè fieri debet. Iosue 6. de tubis dici- 8.
tur, *quorum vsus est in iubilæo*; idest quibus annunciatur peccatorum remissio. Et *congregabunt electos à quatuor ventis*. Sic & Ezechielis 39. post interfectos Gog & Magog, pro Antichristo suique exercitibus, de congregandis sermo est; *& congregauero*, inquit, *de terris inimicorum suorum*. Illud psal. 85. *omnes Gentes quascunque fecisti venient*, exponit in præfata Epistola dicens; *non de locis suis migrando venient, sed in locis suis credendo. De credentibus quippe Dominus dixit* (Ioannis 6.) *nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo*. Adde illud Ieremiæ 16. *ad te Gentes venient ab extremis terræ*: atque Sophoniæ 2. *& adorabunt eum viri de loco suo; omnes Insulæ Gentium*. Sic dicito de hac congregatione: & audi planam ad hæc Angelici sententiam Machabæor. 2. ibi *donec congre-* Q Machab.
get Deus congregationem populi; Q scilicet perfe- 2. c. 2.
cta congregatione, quæ erit post Antichristum; illam enim quando reuersi sunt de Babylonia, non habuerunt perfectam. Posset afferri illud Isaiæ 11. *adijciet Dominus secundò manum suam*; vt infra n. 83. expendemus. Et reuera non videtur hic loqui de iudicio; quia inquit congregandos electos; neque dicit *ante eum*: tunc autem *congregabuntur* infra cap. 25. *ante eum omnes Gentes*, nedum *electi*; quia *separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hædis*. Et supra cap. 13. *mittet in consummatione Sæculi Angelos suos, & colligent de Regno*

eius

eius omnia scandala: & iterum; *elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Respondet autem Daniel cap. 12. *in tempore illo, saluabitur populus tuus; omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Quare crediderim, ne ex hac prædictione, tùnc qui conuertentur quasi certi de sua prædestinatione tepescant, cæterique non obaudientes desperent; intelligi debere ad eum sensum, quo dicitur; Act. 13. *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam:* & expressiùs 2. Petri 1. *satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Vnde, qui tunc obaudient apostolicæ prædicationi, magnopere ostendent se de numero electorum.

R P. P. 141. Liber etiam vitæ R importat descriptionem quandam siue notitiam electorum ad vitam. Ordinatur autem aliquis ad vitam æternam ex duobus,

S ibi a. 3. scilicet S ex prædestinatione diuina; & hæc ordinatio nunquam deficit; & ex gratia. Dic ergo electos declarari simpliciter ex gratia, non reuelatione æternæ prædestinationis. Et ita diuina misericordia, quos tunc vocauerit, qui audierint (vt credi potest) certissimè iustificabit; vnde erunt electi. At semper pauendum; quia contingit deleri de libro vitæ; vt ibi docet.

Sequitur; *congregabunt*, &c. *à summis Cœlorum vsque ad terminos eorum.*

80. Sacer hic textus, quamuis subeat hanc aut illam expositionem, semper vrget, nisi Clementissimo Domino largiente, singulari aliqua tangamur illustratione. Satis enim videbatur esse, dixisse *à quatuor ventis*, vt vniuersam prædicationem innueret; sic enim loco præfato Ezechielis, vniuersalis resurrectio prænotatur *à quatuor ventis*. Immo sat fuerat hunc ad finem, dicere, *congregabunt omnes electos eius.* Quadripartitum Orbem non sic expressit infrà capit. vltimo cum dixit; *euntes in Mundum vniuersum.* In psalmo legimus; *à Solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Malachiæ 1. *à Solis ortu vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.* Act. 1. nihil aliud adiecit, nisi *eritis mihi testes* &c. *vsque ad vltimum terræ.* Ad summum Isaiæ 43. quatuor Orbis partes nominantur; *ab Oriente adducam semen tuum; & ab Occidente congregabo te: dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere.* Qua ergo speciali de causa hic non contentus vniuersi Mundi vocationem significasse *à quatuor ventis*, vtique principalibus, Subsolano Fauonio, Borea & Austro; adiecit; *à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum?* ps. 21. *reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ.*

81. Itaque, vt quæ meditati sumus, promamus; recolendum in primis videtur, quanquam prædictum sit; *parebit signum filij hominis in Cœlo*, non ideo verborum Domini serie fuisse plenè declaratum, de quo loqueretur signo; præsertim quia nondum peractum fuerat Crucis mysterium. Scio equidem ad Crucis signum potuisse referri, de quo in figura Numeri 21. *fac serpentem æneum, & pones eum pro signo. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo.* Vnde Dominus Ioannis 3. *& sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis.* Sed par erat, vt hoc ipsum altitudine sui diuini eloquij pressiùs diceret, quando de electorum salute sermo habebatur; quos *à quatuor ventis* congregandos prænunciabat. Nunquid taceri debuit sub quo vexillo? Absit. Tenor modusque congregandi, vexillum insinuat: tractis quippe duabus lineis *à quatuor ventis*, à Subsolano & Fauonio, ab Austro & Borea, efformatur crux. Quod si fieret manibus decussatis, quod fecit mirabili Sacramento Iacob dictus Israel, Genes. 48. *commutans manus*, cum benedicturus esset Ephraim & Manassæ, efformaretur vt patet Crucis figura. At esset veluti iacens, posita in plano. Erigi & exaltari debuerat, vt omnibus esset conspicua, instar eleuati in deserto serpentis. Ecce quo adorari à cunctis posset arcano ænigmate, sine vlla copulante particula subiungi, *à summis Cœlorum vsque ad terminos eorum.* Esto exemplum de axe, siue Mundi diametro; quando de totius Mundi salute agitur, est enim linea quædam imaginaria, quæ à summo ad imum tenditur; siue dicamus ab vno Mundi cardine in alterum. Quamuis autem vterque vertex sit spectatoribus suis sublimis, alter semper est inferior, possetque dici terminus Cœli; Hinc de Arctico, seu Boreali, Poeta; *hic vertex nobis semper sublimis; at illum sub pedibus, styx atra videt, manesque profundi.* Si linea hæc à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum sic protensa, secetur duabus alijs lineis, inter duos duosque ventos, quis non videt formari Crucem? Quo pacto supra sacras turres passim conspicitur: & vndequaque ex omni Mundi plaga, vt intuenti constat, adoratur. Et quis scit, non ad hunc sensum altè sit locutus Apostolus? cùm Ephesiorum 3. de ligno Crucis Christi Domini verba faciens, (T vt etiam exponitur) dixit; *vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum.* Latitudinem & longitudinem, porrigere dicas duos, duosque ventos (*à quatuor ventis*) sublimitas autem & profundum innuitur; quoniam, *à summis*, inquit, *Cœlorum, vsque ad terminos eorum.* Comperiuntur autem hæ dimensiones, vt ibi dicit Angelicus, in Cruce erecta. Claret de longitudine & latitudine: sublimitas etiam extat in parte superiori, cui caput inhæret: profundum quoque in ligno, quod latet sub terra. Benè ait glossa; *non frustra tale genus mortis elegit.* T Ephes. 3.1.5.

82. Nec arbitreris lector, acutè magis, quàm solidè excogitari; nam adhuc miranda latent. Neque enim poterat de fidelium consummanda congregatione introduci, quin adnecteretur de Saluatoris omniũ morte. *Iesus enim, moriturus erat pro Gente;* (Ioan. 11.) *& non tantùm pro Gente; sed, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Hic, *congregabunt electos à quatuor ventis*: par erat, vt mors eius tangeretur in ligno Crucis, Cœlo terraque radiantis, dicendo, *à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum.* Par erat credentium cordi infigi, *sublimitatem & profundum*: quæ duo verba altissimam adhuc admittunt interpretationem: de Dei sublimitate, deque incomprehensibili atque profunda ipsius sapientia: de ipsius propter ipsum sublimi dilectione, deque profundo prædestinationis: vt ibi Angelicus. Quæ cuncta ad congregationem electorum indubiè spectant. At in Cruce Dominus ac Redemptor noster, non minus oblatus est, quàm mortuus. Mortuum nõ diffitentur & infideles, sed pro peccatis totius Mundi mortuũ vel perditissimè negant, vel miserrimè ignorant. Hoc ergo oportebat etiam sub piæ intelligentiæ velo perfidis occultari. Si consulamus Grammaticam Hebræorum, inuenimus à radice *Rom*, nimirum *altus fuit, exaltatus est*, deriuari *therumah*, & in plurali *therumoth* idest *oblationes*: quæ tempore legis separabantur Domino, vt erant primitiæ frugum, & aliæ quædam contributiones à Deo mandatæ: ex quibus quædam coram Domino à Sacerdote in altum leuabantur; & ob id *therumoth* vocabantur; *thenufoth* verò deferebantur versùs quatuor Mundi plagas, & non in altum leuabantur. Cæterùm quoniam Exodi 29. habetur; *sanctificabis illud eleuatum coram Domino*; & antea; *sanctificabis eos, eleuans coram Domino*: item Numeri 7. *pectusculum eleuationis*; &c. & c. 8. *eleuans coram Domino*: scribunt eruditi his de rebus, eleuationem huiusmodi sic solitam fieri. Eleuabat Sacerdos onustas offerentis manus,

manus, supponendo suas; dein reducebat: rursus ab Oriente ad Occidentem, & demum à Meridie ad Septemtrionem, signando his motibus Crucem; & vocabatur ab hebræis *sacrificium agitationis*. Vides lector, quomodo dignatur Dominus insinuare omnino motus illos, dum ait, *à quatuor ventis, à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum*. Etiamsi non eodem sed diuerso ritu essent in sacrificio, vnit merito vtramq; cæremoniam; quia, *vno erat explenda sacrificio*, quod ait Leo Papa, *variarum differentia victimarum*. Et hic est valde considerandum forte hoc ad documentum vocem *minchah*, quæ primitiue significat sacrificium in Biblijs, nunquam legi pluraliter; quanquam apud Magistros inueniatur *menachoth, sacrificia, oblationes, munera*. Primitiæ autem sic solebant offerri. De Saluatore autem nostro, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*, Ephes. 5. siue *per Spiritum-Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*; Hebr. 9. quippe 1. Cor. 15. dicitur *primitiæ*; dicit Chrysostomus Serm. de Ascensione; *Christus ascendens in Cœlum nostræ naturæ primitias obtulit Patri: & oblatum donum miratus est Pater; quod & tanta dignitas offerebat; & quod offerebatur nulla macula fœdabatur*. Amplitudinem autem immẽsi sui sacrificij, videtur plurali numero Cœlorum significasse. Et adhuc forte *ventos* nominat; in quantum *ruach* nedum *plagam Mundi*, sed *spiritum* sonat, soletque dici de Spiritu-Sancto; vnde Ioann. 20. *insufflauit & dixit, accipite Spiritum-Sanctum*. Congregari quippe electos à motione Spiritus-Sancti est: qui suos largitur impulsus. Sanctus Marcus prædictam innuit eleuationem oblationis dicens; *a summo terræ vsque ad summum Cœli*; de quo, dicemus ibi Deo dante.

Sequitur; *Ab arbore autem fici discite parabolam*.

83. Apud Diuum Lucam de alijs quoq; arboribus dicitur. Veruntamẽ semper primo in loco est ficulnea. Iudicum 9. legimus dixisse ficum; *nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos?* Cantatur in Scripturis Dominus dulcis & suauis: 1. Petri 2. *si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus*; & ps. 144. *suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius*. Et nota subtiliter, non dixisse Dominum, *audite parabolam*, vt aliàs consueuit, sed *discite*. Et quid discemus? Ecce supra c. 9. *discite quid est: misericordiam volo*. Teneritudinem etiam *ramus tener* indicat. Cohærenter profectò ad vniuersalem electorum congregationem: quãdo Isaiæ 11. ad hæc extat vaticinium; *leuabit signum in Nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terræ*. Et vide consensum Isaiæ ad illud Ezechielis 37. de Ephraim & Iuda, & quomodo *erit Rex vnus imperans, & non diuidentur amplius in duo Regna*: nam Isaias; *Ephraim non æmulabitur Iudam; & Iudas non pugnabit contra Ephraim*. Et quoniam hæc erit secunda congregatio vtriusque populi plenior; cum prior extiterit ab initio progrediens Apostolorum; ecce præmitti; *adijciet Dominus secundo manum suam, ad possidendum residuum populi, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Ægypto, & a Phetros, & ab Æthiopia, & ab Ælam & a Senaar, & ab Emath, & ab Insulis Maris*.
V Isaiæ 11. Quos textus exponit Angelicus V de secũdo aduentu, quando per Eliæ prædicationem, &c. Sed ipse reuerenter adhuc dixerim, post Antichristi interfectionem; de quo præmiserat in eodem capite; *spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Tunc residuum ab illa Antichristi iustissima clade, siue *reliquiæ saluæ fient*. Quamuis autem conentur hebræi carnales ad literam ly *secundo* intelligere à captiuitate Babylonis, quando Nabuchodonosor eos vastante, diuersæ Gentes eos in captiuos duxerunt, & in seruos, & postea congregati sunt ex præcepto Cyri: & dicatur secundò, quia primò liberauit eos de Ægypto: violenter sic altitudinem eloquij Domini detorquent; tum quia ægerrimè possunt, quæ cuncta dicuntur eo in capite sic temerare; tum quia minus maiestatiuum esset, sic solum verbo vno *secundo* recolere perantiquam illam à Pharaone liberationem: satis enim nouerant, illam priorem fuisse; tum denique quia iuxta promissa contestationesq; Domini Ezechielis 37. vbi de hac concordi Ephraim & Iuda cohabitatione, de quo & hic ferè ad verbum Isaias, nunquam de terra illa fuissent vltra eiecti, amisso, contra Prophetiam sic crasse intellectam, Rege Dauid. Dedecens etiam est, vt Altissimus in superficie tantum de his vniendis tribubus impleret Prophetas: nec enim est magni momenti negotium. Benè autem ingens erat arcanum aliàs in Scripturis cantatissimum sub Christi spirituali Regno futurum esse, vt coadunarentur & Iudæi & Gentes. Et ideo forte 3. Regum 11. Ahias diuisionem decem tribuum ab alijs duobus per scissuras pallij ostendit; quia tegebatur, quandoquidem pallium contegit, mysterium. Prou. 1. *sapiens animaduertet ænigmata*. Reuertendo autem ad ficum, addo ex Diuo Chrysostomo, arborem esse humidissimam: cõsectarium subinde est innuere copiam aquarum, hoc est abundantiam gratiæ diuinæ: sic enim exponitur illud Apocalyps. 1. *& vox illius, tanquam vox aquarum multarum*; X videlicet propter gratiam largiorem, seu abundantiam gratiarum: Ioan. 4. X Apoc. 1. *fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam*. Fortè etiam de ficu introducitur; quia significantur A in ficu contemplatiui. Vt autem de electorum numero censeamur, nil æquè facit, ac nouissimorum contemplatio; iuxta illud Ecclesiastici 7. *in omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. A opusc. 41. lib. 2. c. 9. & Apoc. 7. comm. 1. Et post hæc omnia adiectum; ideo congregationem pientissimam electorum à clementissimo Domino faciendam, sub his, quæ iudicium redolent, adumbrari; vt incutiat timorem; quia, *qui sine timore est*, Ecclesiastici 1. *non poterit iustificari*, Et Apocalyps. 14. *timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius*. Vnde tandem credendum est, si quod dicitur hic apud Matthæum, non est de finali iudicio, saltem allegoricè ad illud accommodari; & ad literam ab alijs Euangelistis intendi, futura esse etiam imminente iudicio signa in Cœlo; iuxta etiã Iochis Prophetiam c. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus, horribilis & manifestus*: de cuius expectatione, & vniuersali, & particulari, mox pergit dicere Dominus hoc in capite.

VERS. XXXIII. *Ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis*.

Sensit Diuus Augustinus relatus ab Angelico, B 84.
tunc futuram Mundi consummationem, cum prædicatum fuerit Euangelium in vniuerso Orbe: sed addit; *non itaque tunc erit finis, sed tunc erit in proximo*. B p. 2. 106. 4. ad 4. Sic sanè proxima est æstas, cum & ficus & arbores aliæ producunt fructus. Cæterùm semper recolendum est quod supra diximus ex psal. & ex Diuo Petro *mille annos apud Dominum, sicut diem vnum; & diem vnum, sicut mille annos*. Hoc certum fiet, tunc proximiùs esse iudicium, quàm antea esset. Vnde comparatiuè ad excursa tempora, propè erit: verùm nostra in mensura, an propè, adhuc ignorabitur. Quocirca reor quæ multa toties dicuntur de finis propinquitate, nihil aliud sonare, nisi canonicè, nihil obstare, quin possit esse vicinus. Priusquam Verbum caro factum esset, fas erat non sic expectare nouissimum diem; quoniam, prius venturus erat Christus, quem lex & Prophetæ nonciauerant venturum. Post eius aduentum, non æquè distare consequens erat; sed tamen neque instare di-

ci po-

ei poterat. Quod monet Apostolus 2. Thessal. 2. *vt non citò moueamini, neque terreamini quasi instet dies Domini:* quandoquidem priùs secundùm Scripturas, reuelandus est *homo peccati, filius perditionis*: hoc est Antichristus. Postquam ille venerit, visaque fuerint hæc omnia: inter postrema est, arborem fici cauliculos extendere teneros: ac si diceret, cùm videritis Ecclesiam pullulascere; (ficum pro Ecclesia exponunt Ioelis 1. *& ficum meam decorticauit:* Dic ex Euangelicæ verbi Dei prędicationis vbertate, *folia nata*, ex Sermone C) tunc scitote, propè esse Mundi consummationem. Cæterùm sciendum est, nunquam in Scripturis de nouissimo tempore diebus aut hora dici, ad curiositatis humanæ satisfactionem, sed ad excitandum prouidè ad pœnitentiam; vlteriùsque, vt eleuetur mens ad æterna; siquidem comparatum æternitati tempus omne breue est. Sic Hebræor. 10. inquit Apostolus, *adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit*: & Dominus Ioan. 16. *& iterum modicum, & videbitis me*: vbi Augustinus Tract. 101. in Ioann. *modicum est hoc totum spatium, quo præsens peruolat Sæculum. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cùm finitum fuerit, tunc sentiemus, quàm modicum fuerit.*

C In festo S. Bartho l.

85. At quidnam sit illud *quod propè est, in ianuis*, non exprimitur. Lucas quidem apertiùs inquit, *scitote, quoniam propè est Regnum Dei*. Regnum Dei hìc debet accipi pro manifestatione Regni Dei, cùm omnes eum regnare fatebuntur; sic ad illud 1. Cor. 15. *oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius*; D boni cum gaudio beatitudinis; mali cum confusione. *Cum venerit filius hominis in Maiestate sua, & omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super Sedem Maiestatis suæ: tunc dicet Rex*; &c. *possidete paratum vobis Regnum*; sequenti capite: in ordine autem ad eos *qui erunt à sinistris*, facit quod legitur Sapient. 11. *illos verò tanquam Rex durus interrogans condemnasti*. At Lucas meritò præ alijs exprimit de Regno Dei; quia temporalis regni expectationem, circa quam & hodie Hebræi delirant, elidit & eludit. Matthæus & Marcus iudicium non obscurè indicant, dicendo, *in ianuis*, siue *in ostijs*: nam iuxta priscorum morem, sedebant in portis; E vbi populus congregabatur: Deuteronomij 16. *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis*, &c. *vt iudicent populum iusto iudicio*, &c. Sic Iacobi 5. *aduentus Domini appropinquauit: Iudex ante ianuam assistit.* Non ergo prout vulgus accipit ly *in ianuis* pro re proxima dicitur: frustra enim adijceretur, præmisso *propè*.

D 1. Cor. 15. l. 3.

E 1. Cor. 5. l. 1.

VERS. XXXIV. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

86. Dicitur Ecclesiastes 1. *generatio præterit & generatio aduenit*. Præterea in ps. 21. *annunciabitur Domino generatio ventura*; & ps. 77. *non sunt occultata à filijs eorum in generatione altera*; moxque, *quanta mandauit Patribus nostris, nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera*. Quærit Angelicus F an lex noua debuerit dari à principio Mundi? Et negatiuè Respondet tribus de causis. Expectabatur ergo lex altera: quamuis, vt iterum docet, G lex noua in lege veteri contineretur, sicut arbor continetur in semine. Nouus ergo populus formandus erat; qui, vt ex Augustino 2. de Ciuit. Dei c. 21. est *cœtus multitudinis iuris consensu* præsertim *sociatus*. Hanc ergo dic generationem alteram. Sed semel coadunata sub Christi Domini amoris lege, nunquam præteritura est. Hinc verbum præsens exponit H meritò Chrysostomus de generatione fidelium Christi; siquidem lex noua duratura est vsque ad sæculi finem. Et certè id vaticinio probatur Isaiæ c. 53. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*; quia alia lex non succedet, inquit Haymo: firmatur in Symbolo; *cuius Regni non erit finis*; ab ore Angeli Lucæ 1. *regnabit in Domo Iacob in æternum; & Regni eius non erit finis*: sicut ipsemet pollicitus est infra c. 28. *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Quod quidem confortans Ecclesiam hìc dignatus est promere, ne inter tribulationum procellas mergi timeret. Quando enim reputabitur arescere, tunc immo ramos expandet virore immortali: sed singularis numeri expressione, cum *ramus eius tener fuerit*; quia Ephes. 4. *vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis; vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: denique Cant. 6. *vna est columba mea*; ad quam quidem pertinuere quouis tempore I illi, qui vel explicitam vel implicitam habuere de Christo fidem; quique habentes charitatem & gratiam Spiritus-Sancti principaliter expectabant promissiones spirituales & æternas. Nam Sancti Patres non insistebant Sacramentis legalibus, tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus & vmbris futurorum: L & sic seruando legalia Sacramenta ferebantur in Christum per fidem & dilectionem eandem, qua & nos in ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui de generatione M bonorum; psal. 23. *hæc est generatio quærentium eum*. Et Virgo in Cant. *beatam me dicent omnes generationes*.

F p. 2. 106. 3.

G p. 2. 107. 1.

H p. 2. 106. 4.

I p. 2. 96. 1. 3. & a. 3. ad 2. & q. 107. 1. 2.

L 3. p. q. 8. a. 3. ad 3.

M D. Th. hic & ps. 23.

VERS. XXXIV. *Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.*

Etiam supra c. 5. legimus, *donec transeat Cœlum & terra*: & Iob 14. *donec atteratur Cœlum*. Diuus Petrus in 2. cap. 3. *Cœli magno impetu transient; elementa verò calore soluentur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*: psalmo etiam 101. *initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt*, &c. Quomodo hæc? Cœlum, vt considerat Angelicus, N incorruptibile est. Habent enim naturam, vt sint perpetua secundùm totum & partem, corpora cœlestia: O elementa verò secundùm totum, licèt non secundùm partem. Quomodo iterum hæc? Ecclesiastes enim 3. legimus; *didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum*. Vnde simpliciter P Deus nullam creaturam in nihilum redigit: cùm in hoc diuina potentia & bonitas ostendatur, quòd res in esse conseruat. Et ita remanere debent Q ex immobilitate diuinæ bonitatis. Augustinus in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus; *elementa, idest, Cœlum & terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda*. Et in 20. de Ciuitate Dei, *saluis*, inquit, *Cœlis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta*. Et pro Cœlis transituris aut perituris intelligit capit. 18. *totum aut penè totum aerem istum ventosum, quem Cœlum, aut potiùs Cœlos vocant; sed istos vtique imos, non illos supremos, vbi Sol & luna & sidera constituta sunt*. Et quidem optimè id colligit ex Petri contextu, qui dixit; *Mundus aqua inundatus perijt. Mundum, non solùm Orbem terræ, verùm etiam Cœlos, quos vtique istos aereos intelligimus; quorum locum ac spatium, tunc aqua diluuij crescendo superauerat. Tunc autem aer iste conuersus fuit in humidam qualitatem; terraque perijt, cuius vtique prior facies fuerat deleta diluuio*. Et consequenter ad eundem sensum subdit Petrus, (quod considerat Augustinus) *Cœli autem; qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati, in diem iudicij*, &c. Pergit autem eo in cap. 24. dicens Petrum locutum fuisse figura (synecdoches) qua *à toto pars*, & sic diluuio *perijsse dictus est Mundus, quamuis sola eius cum suis Cœlis pars ima perierit*. Et sic à toto partem accipiendo, *ipsi peribunt*, ait psalmus, *cùm soli cœli infimi* 87.

N Iob 14. l. 3.

O 4. cont. G. c. vlt.

P p. p. 104. 4.

Q 4. cont. G. c. vlt.

Hhh 2 peri-

perituri sint. Et antea vberius; *possunt illi intelligi Cœli perituri, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima Mundi parte subsistunt procellosa & turbulenta.* Ad hæc semper constans Angelicus locis præmissis; qui etiam inducit aerem pro Cœlo accipi, Ieremiæ 8. *Miluus in Cœlo cognouit tempus suum*; Matthæi 13. *volucres Cœli comederunt ea*; nec non psal. 8. *volucres Cœli, & pisces maris*. Sic Poetæ dixerunt alites per Cœlum volitare, & liquidum Cœlum pennis secare.

88. Porro de Cœlis ipsis superioribus verificari etiam posse & debere, vt quodammodo pereant, ex eo accipi fas est, quod sequitur in psalmo; *& sicut vestimentum veterascent*: vestimentum autem, postquam diu veterauerit, non vltra in vsum hominis est. Post diem autem iudicij, antiquum circularis lationis vsum amittent Cœli: quia, vt profundè docet Angelicus, R præcipuè est propter generationem hominum; quoniam omnia generabilia, & corruptibilia, quæ causantur per motum Cœli, ad hominem ordinantur quodammodo sicut in finem. Igitur inconueniens nullum sequitur, si certo numero hominum completo, ponamus motum Cœli desistere. Cessante autem motu Cœli, & generatione & corruptione ab elementis, eorum substantia remanebit, ex immobilitate diuinæ bonitatis; creauit enim res, vt essent. Hactenus Diuus Thomas. Sapientiæ equidem 1. *creauit, vt essent omnia.* Et videtur Spiritus-Sanctus, hominis gratia esse motum Cœli indicare, similitudinem dans vestimenti pro Cœlis qui veterascent; nam vestiri hominum est, non brutorum. Vsurpata verò est vox *peribunt*, à verbo *abad* hebraicè, quod sonat etiam *interijt*: instar enim viuentium, quæ cum amplius non mouentur interiere, cessante motu, quasi interibunt: & sic perire dicuntur. Igitur (quod habet Iob 14.) fides Catholica non ponit substantiam Mundi perituram, sed s huius Mundi statum qui nunc est; secundum illud 1. Corinth. 7. *præterit enim figura Mundi huius*. Quæ cuncta ibi *contra Gentes*, sic edisserit: alia animalia plantæ & corpora, quæ totaliter sunt corruptibilia, & secundum totum & partem, nullo modo in illo incorruptionis statu remanebunt. Sic igitur intelligendum est, quod Apostolus dicit; *præterit figura Mundi huius*; quia hæc species Mundi, quæ nunc est, cessabit. Sic etiam intelligitur illud Iob *donec atteratur Cœlum*; idest donec ista dispositio Cœli cesset, qua mouetur, & in alijs motum causat. Quia verò inter alia elementa maximè actiuum est ignis, & corruptibilium consumptiuum; consumptio eorum, quæ in futuro statu remanere non debent, conuenientissimè fiet per ignem; & ideo secundum fidem ponitur, quòd finaliter Mundus per ignem purgabitur, non solum à corruptibilibus corporibus, sed etiam ab infectione, quam locus iste incurrit ex habitatione peccatorum. Et hoc est quod dicitur 2. Petri 3. *Cœli qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in die iudicij*; vt per Cœlos, non cœlestes Orbes intelligamus, in quibus sunt sidera siue fixa siue errantia, sed istos Cœlos aereos, terræ vicinos. Quia igitur creatura corporalis finaliter disponetur per congruentiam ad hominis statum; homines autem non solùm à corruptione liberabuntur, sed etiam gloria induentur, oportebit quod etiam creatura corporalis quandam claritatis gloriam suo modo consequatur. Et hinc est quod dicitur Apocalypsis 21. *vidi Cœlum nouum, & terram nouam*: Et Isaiæ 65. *ego creabo Cœlos nouos, & terram nouam.*

R 1. cont. G. c. vlt.

S Iob 14. 1, 3.

89. His ipse animaduerto, idcircò fortè Dominum sic locutum fuisse, *Cœlum & terra transibunt*, vt subiungi tempus, in ijs quæ præfatus fuerat, indicaret. Principaliter hoc non intendit, sed firmare per figuram hyperboles suas sententias: (ac si diceret, inquit Angelicus; T facilius est Cœlum & terram transire, quàm verba mea) Nam hyperbole figura est; cum aliquid introducitur, quod fidem excedit, augendæ rei gratia. Sic dicitur quis candore niues anteire, cursibus amnes. Ex secundum hanc interpretationem, de substantia Cœli & terræ, immo de toto Orbe à Deo creato, fieret sensus. Antea in nihilum redigetur Vniuersum, quàm veritas verborum meorum nutare queat. Nihilominus, quia præscius fuit Dominus, voluitq; intelligi & de Mundi transitione; (secus satis erat dixisse, *Amen Amen dico vobis*) quo pacto id euenturum esset dignatus est innuere, subdens de diluuio; quemadmodum introducturus erat fidelis suus Apostolus Petrus, qui extremam Vniuersi conflagrationem, allegoria quadam ad purgationem diluuij reduxit. Cæterum remanente glorificato hominis corpore, in quo habet esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, & sentire cum animalibus; *omnia opera quæ fecit Deus* dicentur virtute, & eminentia quadam *perseuerare in perpetuum* Ecclesiastes 3. quasi in compendio mistorum omnium, quæ Deus creauit. Sed de his vide V & alijs in locis.

T D.Th. hic.

V 4. sent. 43. q. 1. 1. q. 1. & 2. 3. 4. & de potentia q. 5. 5.

90. VERS. XXXVI. *De die autem illa & hora, nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater.*

Occultum esse nobis finale tempus consentiunt orthodoxi omnes. Nedum ex præsenti textu; sed etiam quia Act. 1. respondit Dominus; *non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ex quo in Concilio Lateranensi vltimo Sess. 11. *mandamus omnibus, qui hoc onus prædicandi sustinent, quique in futurum sustinebunt, vt tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicij, prædicare vel asserere, nequaquam præsumant.* Planè in Ecclesiastico cap. 1. legimus; *arenam Maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?* Vt Hieronymus narrat in lib. de illustribus viris, & Eusebius in Ecclesiastica historia (ita apud Angelicum X) quorundam doctrina reprobata est, propter hoc quòd aduentum Domini instare dicebant. Hinc Augustinus in Epistola ad Hesychium num. 80. proponit tres aduentum Domini expectantes, quorum vnus citius, alter tardius Dominum putat esse venturum: tertius suam ignorantiam de hoc confitetur; & hunc magis commendat; primum verò magis increpat. In 18. de Ciuitate Dei capit. 53. fert definitos à quibusdam annos quadringentos, ab alijs quingentos, ab alijs annos mille ab ascensione Domini, vsque ad vltimum aduentum. *Coniecturis quippe vtuntur humanis, non ab eis certum aliquid de Scripturæ canonicæ auctoritate profertur.* Fert etiam ab idolorum cultoribus excogitatos nescit *quos versus græcos, tanquam consulenti cuidam, diuino oraculo effusos; vt coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos; deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem.* Quidam apud Angelicum in opusculo eodem, A sic deducebant; ab aduentu Christi vltima ætas incepit: aliæ autem ætates non durauerunt vltra mille annos. Sed obuiabatur etiam ex Augustino lib. 83. Quæst. quæst. 60. quia senectus solet tantum etiam tenere temporis, quantum reliquæ omnes ætates; senectuti autem comparat istam vltimam ætatem; vnde concludit; *ætas igitur vltima generis humani, quæ incepit à Domini aduentu, vsque ad finem Sæculi, quibus generationibus computetur, incertum est.* Delusos etiam comperimus eos, qui vt recolit in ea Epistola ad Hesychium, calcularit partita diem in horas duodecim, gratisq; accepto, diem vnum esse sex mille annos, dicturi, affirmante Ioann. *filioli nouissima hora est* Epist. 1. c. 2. quòd tunc superent tanquã hora nouis-

X opusc. 19. c. 24.

A opusc. 19. 24.

nouissima anni quingenti. Vnde sentit, *nouissimam*
horam poni pro tempore, quæ hora quam longa sit,
ignoramus. Sanè hebraica phrasi *diem* vniuersè sæ-
pè sæpius in Scripturis pro tempore sumi habemus
apud Maluendam lib. 1. de Antichristo cap. 27. Et sic
ipse crediderim dixisse Dominum, *de die autem illa*
& hora, nemo scit, vt in eo complexu diei & horæ
significaret, nec naturali excursus temporis obser-
uatione, nec artificiali quouis calculi studio, pos-
se deprehendi. Genesis quippe 1. *in tempora, in dies*
& annos facta sunt luminaria Cœli; in horas diem
ars distinxit. Aliàs etiam docemur de potentia q. 5.
a. 6. ad 9. verba illa, quæ videntur in Scripturis ad
breuitatem temporis pertinere, vel etiam ad finis
propinquitatem, non tam esse ad quantitatem tem-
poris referenda, quàm ad status Mundi dispositio-
nem; non enim legi euangelicæ alius status succe-
dit, quæ ad perfectum adduxit; sicut ipsa successit
legi veteri, & lex vetus legi naturæ. Neque placet,
(sicut neque solummodo insinuatum placuit Augu-
stino in ea Epistola,) ignorari à nobis diem & ho-
ram, mensem aut annum, non verò ignorari heb-
domaden aut decaden annorum, siue non ignorari
intra quos quinquaginta aut centenos annos, sit
futurus finis: sed cum eodem Sancto Patre sentimus,
prorsus esse ignotum. Et ita potius resilimus ab
alijs Patribus, qui ad sex millia annorum duntaxat
traxere Mundi durationem, vt apud Maluendam
lib. 1. cap. 28. & 30. quibus ille non ausus est dissen-
tire, arctans nescientiam nostram, ad præfigendum;
quandonam expleti fuerint sex mille anni: quia de
cursu Mundi ab initio varia est opinio. Sed ipse in-
trepidè dixerim, etiamsi in puncto sciretur à quot
annis creatus sit Mundus, minimè scire posse quem-
piam, consummationem: quoniam altè nimis pro-
nunciat Dominus communem ignorantiam & An-
gelorum: & positum hoc esse in Patris potestate.
Quod si defectu chronici temporum à Mundi exor-
dio id esset à nobis ignoratum; *per accidens* quasi
esset: cùm tamen sententiæ Domini nostram per se
ignorantiam, itemque Angelorum definiant, solam-
que Patris figant sapientiam.

91. Superest, hac de re Sanctissimum Vincentium Fer-
rerium extra teli iactum monstremus, quandoqui-
dem quòd prædicauerit imminere iudicij diem, qui
post supra ducentos elapsos annos nondum appa-
ruit, videri potest deceptus, vnàque leuis; vtpotè
qui reuelationibus perhibitis fidem dederit, vel suo
spiritui credulus, pro certo phantasiam venditaue-
rit. Absit id suspicari de tam Apostolico viro, de
quo mirabilia traduntur; nimirum supra centum
millia perditorum hominum ad meliorem frugem,
& anteactæ vitæ seriam pœnitentiam traduxisse; plus-
quam vigintiquinque millia Iudæorum conuertisse,
& supra octo millia Sarracenorum à Mahometismo
reuocasse. Quæ quidem manifestè ostendunt, non-
nisi Spiritu-Sancto repletum tanto cum fructu è sug-
gestis declamasse; prout in Apocalypsi c. 14. *timete*
Dominum, & date illi honorem, quia venit hora
iudicij eius. Fertur Epistola ipsius, in qua duo con-
cludit; primum ex coniecturis non paucis iam tunc
temporis fuisse Antichristum natum: sed hanc ca-
stigat propositionem dicens; *ex omnibus supra di-*
ctis colligitur opinio in mente mea, & credentia ve-
risimilis, licèt non scientia certa, & prædicabilis, de
natiuitate Antichristi iam transacta per nouem an-
nos. Attamen prædictam Conclusionem, quæ dicit,
quòd citò & benè citò ac valde breuiter erunt tempus
Antichristi & finis Mundi, certitudinaliter ac secu-
rè prædico, vbique Domino cooperante, & sermonem
confirmante, sequentibus signis. Palam tamen con-
testatur se subijcere omnino velle correctioni, & de-
terminationi Pontificiæ.

Diuus Antoninus ipsum vendicat à calumnijs; pri- 92.
mò quadam hæsitatione, *an ea, quæ circa hoc scri-*
psit & prædicauit, eius sint verba. Deinde admisso
factam illi reuelationem de proximo iudicij tempo-
re, dicit, *reuelationes diuinas aliquando non ad ple-*
num intelligi. Tertiò, *aliquando tempus datum ho-*
minibus ad pœnitentiam, ob peccata superaddita
breuiari; prolongari etiam, vt patet in Ezechia; cui
additi sunt quindecim anni ad vitam suam. Nouit,
inquit Ambrosius, Deus mutare sententiam, scilicet
comminationis, si tu noueris mutare delictum. De-
nique sub ijs vocibus, *citò, & benè citò* posse clau-
di, more Scripturarum, & longum tempus. Hæc
Diui Antonini doctrina optima est. Sic quippe do-
cet Angelicus B etiam veros Prophetas, non omnia B 2. 2.
cognoscere, quæ in eorum visis aut verbis aut etiam 171. 4.
factis Spiritus-Sanctus intendit. Veruntamen non
necesse arbitror huc confugiamus, cum de tuba illa
Apostolica, tantæ sanctitatis tantique zeli animarum
iudicium ferimus. Solidius ergo existimo, si dica-
mus comminationis fuisse Prophetiam, non secus
ac Niniuitis prædicauit Ionas Vrbis submersionem,
& Ezechiæ denunciauit Isaias c. 38. imminere mor-
tem. Diuiditur itaque prophetia, in prædestinatio-
nis, præscientiæ C & comminationis. Hæc poste- C 2. 2.
rior non semper impletur: sed per eam prænunciatur 174. 1.
ordo causæ ad effectum; qui quandoque alijs super-
uenientibus impeditur. Huiusmodi comminationis
exemplar extat Ieremiæ 18. *repente*, inquit, *loquar*
aduersùm Gentem, & aduersùm Regnum, vt era-
dicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœni-
tentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœ-
nitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei.
Facit autem ad horum intellectum alia quæstio; D D p. p. 19.
vtrum voluntas Dei sit mutabilis. Vbi postquam a. 7. ad 2.
firmauit quod dicitur Numeri 23. *non est Deus qua-*
si homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt
mutetur, occurrit ad 2. ex præmisso Ieremiæ loco,
dicens; quandoque à Deo pronunciari aliquid futu-
rum, secundùm quòd continetur in ordine causa-
rum secundarum: quod tamen non fit; quia aliter
est in causa superiori. Vult autem Deus, quòd ali-
quid quandoque sit futurum, secundùm causam in-
feriorem; quod tamen futurum non sit secundùm
causam superiorem. Dic ergo; quid prohibet sic ac-
cipi Sanctissimi illius Præconis prædicationem, vt
verissimè locutus sit, quamuis non sit impletum?
Talis credenda est tunc temporis fuisse peccatorum
perfidia, vt Deum ad iudicium, exacerbatum irri-
tarent. Et nisi redijssent præuaricantes ad cor, ali-
ter arcana diuina patuissent. Sed Deus, vt loquitur
Gregorius ibi E *immutat sententiam, non tamen* E loc. cit.
mutat consilium, scilicet *voluntatis suæ.* Neque
illud euenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia, &
voluntate diuina, quæ immutabilis est. Docet au-
tem alibi F quòd Ionas & Prophetæ comminantes, F de ve-
sciebant prophetiam, quam prædicebant, non esse rit. q. 12.
secundùm præscientiam, sed secundùm commina- 10, 14.
tionem. Et certè attentis Prophetarum verbis reor
dignosci à piè exercitatis posse. Dixit enim Isaias
Ezechiæ; *morieris tu, & non viues.* Nunquid ab-
sque pronomine illo *tu* non satis ly *morieris* signifi-
cabat? Deinde, quid superuacaneè *non viues*? Vi-
deretur redundans vitiosè pleonasmus, nisi emphasim
ferret, qua, ex vi pronunciationis minax agnosci-
tur. Sic Sanctus Vincentius in Epistola; *citò,* in-
quit, *& benè citò ac valde breuiter, erunt tempus*
Antichristi, & finis Mundi. Deus bone! Quis non
videt comminatoriè loqui ad amussim instar Isaiæ,
salubri verborum redundantia & superfluitate? Ve-
hementiùs è suggestis declamabat. Nihilominus
cum timore & tremore dicamus fuisse comminatio-
nem, quoniam *de die illa, & hora nemo scit.* Ver-

gente autem Mundi vespere, semper fas est timeri propinquum diem illum: qui etiamsi non sit propinquus, est tanquam propinquus expectandus, dicente Hilario; *intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat*. Nam & diluuium, quod recolit Dominus, minùs cogitantes inuasit. Aliàs plerique Sanctorum Patrum, vt tactum est, sex millia annorum cursum esse Mundi putarunt. Quid si his innixus extremum prædicauit tempus Vincentius almus? Iurare nemo potest longè abesse. Statim ac impleatur numerus electorum, qui sola ex voluntate Dei pendet, concidunt omnia.

93. Sed est enodandum aliud implexum primo intuitu valde; de adiectis huic sententiæ, *de die autem illa & hora nemo scit:* ait enim, *neque Angeli Cælorum, nisi solus Pater*. Et hucusque quidem plana viderentur omnia: quamuis excitetur scrupulus, cur additum sit; *nisi solus Pater?* nimis enim notum est vulgo, & fœminis, Deum omnia cognoscere: & rursum cur dictum sit *solus Pater*, non potius *solus Deus* nouit? Quod vrget magis, est Marci lectio; qui habet, *neque filius; nisi Pater*. In primis autem conflictatio est; si ita quoque legeretur in Matthæo, & exciderit? Quod si Matthæus illud omiserit, *neque filius*, à nullo, quòd sciam motam, moueo quæstionem, qua ex causa Marcus id recoluerit, non verò Matthæus. Hoc postremum versat, postquam de Sancto egit Vincentio Maluenda lib. 1. 40. capite, eruditus de more. Igitur in Marci cap. 13. extra omnem controuersiam semper extitit particula illa *neque filius*: quanquam videatur Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 8. suspicatus adiectam à falsarijs. At Ecclesia firma censura genuinus Euangelij Marci creditur textus. De Matthæo non item. Vnde, si quando ex Marco arrepserit in Matthæum, prout in quibusdam antiquis græcis codicibus manifestum est; quia vetustissimi Patres, id in Matthæo interpretati sunt: non exstat indispensabiliter in omnibus exemplaribus, vt notauit Hieronymus: sicuti neque in latinis, quæ manu scripta fuere aut typis excusa. Quare periculosum valde est, suspicari mutilum ac detruncatum legi ab Ecclesia Matthæum; quæ Spiritus-Sancti ductu sic ipsum probat. Cuius si temerè quispiam impetat Canones, cuncta in ancipiti faciet, eritque in mari nauicula, vtique ad certum naufragium, sine Nauclero.

94. Insultarunt autem hac ex particula Ariani, quasi re confecta exinde victores irent; tanquam in filio esset defectus scientiæ; vt inducit Angelicus G contra Gentes. Sed certè non est vnde gestiant; quando fortissimis telis aliàs feriuntur. Quid enim dicere poterunt ad illud Apostoli 2. Colossensium vbi ait; *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi?* Quanquam enim de Christo secundum humanitatem loquutus sit; attamen omnem abigit satis à Christo nescientiam. Quatenus autem Dei filius, non est cur Patri aliunde non æquiparetur, quando Matthæi 11. contestatus est, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Aliàs sic Arium Eunomiumque arguit H Sanctus Doctor. *Per Verbum Dei facta sunt omnia*, vt dicitur Ioann. 1. Et inter alia, facta sunt etiam per ipsum, omnia tempora: nihil autem per ipsum factum est, quod ab eo ignoretur. Sed ipse eorum miror dementiam; qui superficie contenti, non vident incompactum valde esse, vt filius Dei, qui tot tantorumque euentuum se præscium in litera demonstrauit; totque circumstantias prodidit finalis temporis; tandem ipsum finale tempus ignoraret. Et quidnam priuilegij habet illa hora illaque dies; vt ab eo qui tot alia nouit cognosci nequeat? Benè aiebat Chrysostomus; (ibi) *si Christo homini datum est, vt sciat qualiter oportcat iudicare, quod est maius; multo magis datum est ei scire quod minus est, scilicet tempus iudicij*. Addi potest ex 4. contra Gentes I cum id quod majus est cognoscat, scilicet Patrem. Et quid erat necesse, dato per impossibile, hoc ignoraret, suam proderet fusa verborum serie discipulis ignorantiam? satis fuerat dixisse; *de die illa nemo scit*. Argumento est igitur, intendisse doctrinali responso eos, atque in eis cunctos erudire fideles de re subiecta: *quæcunque* enim *scripta sunt* Roman. 15. *ad nostram doctrinam scripta sunt*.

G 4. cont. G. c. 6.

H 1. p. 10. a. 1.

I 4. cont. G. c. 8.

95. Angelicus Doctor alibi L probat non posse ignorari à Domino iudicij tempus duabus adhuc auctoritatibus; quia de ipso dicit Ioannes, *plenum gratiæ & veritatis*: & capit. 5. *omne iudicium dedit filio*. Non autem omne iudicium dedisset filio, si iudicium determinandi temporis sui aduentus, esset ei subtractum. Ibi autem & alijs in locis M sentit dictum esse, *neque filius*, secundum vsitatum morem loquendi in Scripturis; (idque ex Augustino & Hieronymo) vt dicatur Deus aliquid scire, quando rem illam facit cognosci. Sicut Abrahæ dixit, *nunc cognoui quod timeas Deum* Genesis 22. non quòd tunc inciperet noscere, qui omnia ab æterno cognoscit; sed quia eius deuotionem per illud factum ostenderat. Et sic per oppositum filius nescire dicitur, quòd non facit nos scire; vt subdit *contra Gentes*. Et in 3. parte eodem sensu accipit quod sequitur, *nisi Pater*, quia huiusmodi cognitionem Pater tradidit filio: & non solùm quantum ad diuinam naturam, sed etiam quantùm ad humanam. In his autem duobus locis probat aliam interpretationem, vt intelligatur de filio adoptiuo, non de filio naturali, qualis est Christus.

L opusc. 2. c. 242.

M loc. cit. 3. p. 10. 2. l. 4. cont. G. c. 8.

96. Primam expositionem amplificat meritò Maluenda inter alias plures in eo 40. capite, ex auctoritate multorum Patrum; Augustini præsertim, qui 1. de Trinitate c. 12. ait; *nunc cognoui quod timeas Deum*; idest, *nunc feci vt cognosceres*. *Quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit*. Et in psalmum 3. docet simplicia verba, quæ de Deo dicuntur, exponenda esse transitiuè, adhibito verbo *facio*. Sic Deuteronomij 13. *tentat vos Deus, vt palam fiat, an diligatis eum*: vbi legunt Septuaginta, vt *sciat*. Ex hebraica pressè, *ad scire*, seu *ad sciendum*. Actorum etiam 1. de Iuda; *hic possedit agrum de mercede iniquitatis*; hoc est *possidere fecit*: neque enim transijt in Iudæ personalem possessionem. Roman. 8. *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; nimirum postulare nos facit, vt omnes interpretantur. Si ergo quemadmodum Ioann. 15. ait, *vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, quæ scilicet oportuit expediensque fuit vobis reuelari, non enim sibi ipsi æquiparari decuit in omnium cognitione discipulos: ita & hic, *neque filius*, ad reuelandum vobis; quia non ita sciebat à Patre, vt consentaneum esset, eis impertiri. Quod sonant clariùs ea verba Act. 1. *non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*.

97. Verùm quamuis solidè hæc & similia dicantur, haud extimulabitur impius ad assentiendum, nisi altius rem penetremus. Quod quidem sequenti discursu potissimè crediderim fieri posse. Obseruo, & profectò rationabiliter, hac in Domini responsione interuenire graduationem quādam, & veluti descensu quodam vniuersaliter dictum comprobari. Quod planiùs etiam capietur: si multiplex interrogatio, multiplexque Domini subiectio intelligatur. Itaque rogarant discipuli de signo consummationis Sæculi, vt tempus illud agnoscerent. Coercet Dominus curiosam indaginem dicens, *de die illa, & hora nemo scit*. Mox (subintelligendum) discipuli; *Domine etsi nemo hominum id sciat, Angeli saltem boni in*

quibus

quibus naturalis cognitio minimè obscurata est, cognoscent? Respondet; *neque Angeli Cœlorum*. Instant reuerenter discipuli. *Domine, vt audimus, cognitio isthæc, naturæ excedit ordinem, quando nec Angeli, qui plenè naturalia norunt, diem illam sciunt: cognoscet ergo quis superiori in ordine, nempe gratiæ: qui enim adeo sublimatur, vt adoptionem filiationis Dei recipiat, quasi consectariò ex diuina largitate, id assequetur, vt tempus illud, quod diligit cognoscat.* Sanè 2. ad Timoth. 4. *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius*. Sit hæc auctoritas Pauli ad confirmandum congruè, de filio adoptiuo intelligi, dum filius per gratiam ac hæres, & aduentus diem diligit, & hæreditatis plenæ tempus mente recogitat, animoque suspirat. Verum pergit respondere Dominus, *neque filius*: ac si diceret; quantumuis videatur conueniens, vt gratiæ dono, temporis illius sit præscius; non ita est. *Nemo scit; nisi solus Pater*. Et si instet lector, quasi superfluat sic addidisse de Patre, vt supra innuimus; quem omnia nosse aliundè notorijssimum est. Respondeo, non hoc adiectum esse, vt in superficie sonat, ad erudiendum de infinita Dei scientia; sed ad insinuandum, simulque qualificandum obiectum istud. Etsi enim naturale existimetur, proinde saltem ab Angelis Cœlorum, qui Orbes cient motibus, cognoscibile, cum *tempus vltra non erit*, motu cessante; attamen transcendit naturæ ordinem, exceditque cognoscibilium naturalium classem, vtpotè à sola Dei voluntate pendens: 1. Corinth. 2. *quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.* Quod ergo breui scriptum est ab Euangelistis, non fuerit absurdum, latiori dialogismo confectum fuisse; immo prudenter credendum sit: quando, vt legitur Marci 13. discipuli isti fuere, *Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas, qui separatim interrogabant eum*: non dicit *interrogauerunt eum*, quasi vno verbo expediti; sed *interrogabant*, multiplici petitione; vt ex vi temporis præteriti non perfecti trahi potest: non secus ac Abraham pluries Genesis 18. de materia eadem rogauit Dominum.

97. Si gratis vellemus dare, etiam apud Matthæum legi posse; *neque filius*; alia incedendum est via, sed quæ facit satis. Vt nimirum prosequentes discipuli interrogare: postquam audierunt, *nemo* scilicet hominum *scit*: postquam nedum quoad Angelos prauos, sed etiam Angelorum Sanctorum audierunt nescientiam; potuere interrogare in hæc verba: *naturæ vis eò non pertingit, vt temporis illius tacitè assequi possit notitiam: tu Domine, qui apicem perfectionis attingis natura in humana; quique filius es hominis, sed nouus homo, humanitatis merito perfectissimæ, scies haud dubiè; vincesque Angelorum scientiam. quia Mundi qui ad homines spectat, tanquam inferior, non sic ad Angelos, auemus scire consummationem*. Ad hanc subtiliter expositam percontationem, Respondet item Dominus; *neque filius*. Non quòd ipse vt homo quoque id nesciret, sed quia non *quà homo*, ceu debitum etiam perfectissimæ humanitati. Hanc responsionem probant plerique apud Maluendam; vt ly *quà homo*, non neget speciem, sed causam: & ego scholasticorum more, dixerim, *neque filius*, reduplicatiuè, quanquam, qui filius est, specificatiuè apprimè id nouerit. Sanctus Gregorius Papa lib. 4. Epist. 42. *Vnde, inquit, hoc intelligi subtilius potest; quia incarnatus Vnigenitus, factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam iudicij: sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit*. Perdiscamus ergo, potentiam naturæ humanæ quantumcumque perfectæ, vt fuit in Adam, potiorique iure in Christo, intra suæ conditionis cancellos, siuè intra suæ cognitionis sphæram hoc obiectum minime claudere. Quod quidem nos edoceri fuit summæ clementiæ; ne auderet quisquam, adniti ad ea penetranda, quæ ex sola Dei voluntate dependent. Qua ex causa decernit Angelicus, N citra reuelationem ab Angelis cognosci non posse mysteria gratiæ. Quamuis enim supernaturale obiectum non sit dies iudicij, quin ex hoc capite sciri posset: nihilominus (præterquam connexionem habet & habitudinem ad ordinem gratiæ) sola ex voluntate Dei, vt dictum est pendet; proinde nullum extat naturale medium, ex quo possit humana cognitio illò adrepere. Dicique potest etsi non terminatiuè, efficienter præternaturale; atque ex modo supernaturale; sicuti & creatio supernaturalis est, à natura quauis creata, imparticipabilis.

N p. p. 57. 5.

98. Si hanc audiuissent sententiam, *neque Angeli Cœlorum, neque filius, nisi solus Pater scit de die illa & hora*, non vanissimè delirassent, qui post volumina sæculorum, (vocant annum magnum) ad idem punctum redeuntibus cœlicis orbibus circuitu quodam, somniarunt, vt quæ cuncta priùs fuerint reuertantur. De his Augustinus 12. de Ciuitate Dei cap. 13. expectant autem quadraginta nouem millium annorum excursum, vt eadem iterum exhibeatur Mundi scena: quamuis varient in calculo primi Saturni circuitus, quot annos insumat. *De die illa & hora nemo scit*. Non est necesse, eos perfici circulos, quos non *per se*, sed propter hominem esse voluit Altissimus: quippe qui vt dicitur Deuteronomij 4. *Solem & lunam, & omnia astra Cœli creauit in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub Cœlo sunt*. Vnde est, vt Sol hebraicè dicatur *schemes*, à qua radice, *ministrauit*, & *ministerium*. Quarè cùm Cœlorum motus sit in hominis ministerium, non suimet gratia; quoties Deo placitum fuerit, non vltra procreari homines, nulla de ipsorum nondum completis circuitibus habenda est ratio. Quærit Angelicus, O *an Mundum incepisse sit articulus fidei*. Respondet sola fide teneri. Voluntas enim Dei inuestigari non potest, nisi circa ea, quæ absolutè necesse est Deum velle: talia autem non sunt, quæ circa creaturas vult: ideo Mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile. En ergo lector quàm prouidè, ne præsumamus fortè philosophari de fine; (sicuti neque fas est de initio certa scientia) latere in vniuersum, edocet creaturam omnem, homines Angelos ipsamque suimet humanitatem, quà humanitas est, quanquam naturæ ordine cumulatissimè perfecta sit, *de die illa, neque filius*. Cum quo stat, vt aliunde clarissimè id fuerit, præter scientiam diuinam & increatam, scientia quoque beata, infusa seu indita: de quibus P suis locis. Et sanè cum Mundi cognouerit exordium, iuxta illud Ioan. 17. *clarifica me Pater apud temetipsum; claritate quam habui priusquam Mundus fieret*: quis ausit inficiari; sibi notissimum etiam fuisse Mundi finem? Colligitur autem hactenus expositus sensus; dum piè scrutanti ipsum indicat suis ex verbis: ait enim, *de die autem illa & hora, nemo scit*. Si dixisset *diem autem illam & horam nemo scit*; quemadmodum alibi, vt sequenti capite, *nescitis diem, neque horam*; & Ioannis 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum*, poterat malè suasis ingeri suspicio, an ipsemet hoc ignoraret; sed dicendo *de die illa & hora*, (acuta est hæc obseruatio) innotuit simpliciter ipsum excipi, ac esse exemptum; quandoquidem *de illa die & hora*, multa prædixerat; puta futura esse signa in Sole luna & stellis, obseruanda Cœli luminaria; parituO p. p. 46. 2.

P 3. p. q. 9. 3. & opusc. 2. c. 216.

rum

rum signum filij hominis, mittendos Angelos, congregandos electos à quatuor ventis; *ab arbore fici* discendam esse parabolam: quæ cuncta *de die illa* scientissimum eum demonstrant; proinde præscium pariter diei horæque illius. Non sic naturæ viribus à quoquam sciri potest tempus illud; quia nec de tempore illo, siue de annexis illi, datur homini loqui. Sapientiæ 9. *quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?*

99. Cæterùm ad quæ natura nequit, potest homo eleuari per gratiam. Hinc facilè insedisset animis, diuina passim reuelatione Sanctis quibusdam diem innotescere illum; quando de futuris tot alijs insigniti Dei donis prophetice in dies pronunciant. Atqui id concedi nunquam iam sanxit; *neque filius*: neque enim nostri adoptiua filiatio exigit Dei consilijs admitti. Quis enim Ieremiæ 23. *affuit in consilio Domini, & vidit & audiuit sermonem eius?* Certò in Collecta, quæ de transfiguratione, recolitur iustorum filiatio secundùm adoptionem ex voce Patris, *hic est filius meus dilectus*: dicimus enim, *& adoptionem filiorum perfectam voce delapsa in nube lucida præsignasti*. Quidni & in hoc quod ait *neque filius*, intelligamus perfectam adoptionem? Gratis reijcitur à quibusdam hæc interpretatio, quæ simul, prout mihi videtur, profundum scrutatur; qua ex causa Marcus particulam illam addiderit, quam consultò ipsi studiosè Matthæus reliquit addendam. Sic enim luctationi datur locus, vt inde victrix triũphet intelligentia. Marcus pro scopo habet, (vt clementia Domini spero exponendum) hominis renouationem, seu regenerationem attexere, quoad virium instaurationem, carnis resurrectionem, vulnerum nobis ex peccato inflictorum sanationem. Inter hæc ignorantiæ vulnus. *Homo enim infirmus* Sap. 5. *& exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum*. De his vulneribus agitur *in prima* Q *secundæ*. Adam quippe naturalium omnium R inditam scientiam habuit; sic vt alios posset instruere. Nec in eo innocentiæ statu, pueri vllo modo ignorantiæ fuissent subiecti; sed processu temporis S vel inueniendo, vel addiscendo, absque difficultate scientiam acquisiuissent. Stante hac doctrina, dum reparatum hominem in hisce suppingit Marcus, poterat facilè existimari, vi adoptiuæ filiationis, sic resipiscere, vt & Mundi consummationem, hoc est illius diem & horam, gratia illustratus adoptionis, posset cognoscere. Hoc remouet opinionis Dominus per Diuum Marcum; dicens; *neque filius*. Huc mirè facit quod tradit Angelicus q. 5. de potentia a. 6. non posse cognosci naturaliter tempus determinati finis Mundi, quia causa motus Cœli & cessationis eius, non est alia quàm diuina voluntas, vt prius ostensum est: quam quidem causam naturaliter cognoscere non possumus. Per reuelationem verò licet sciri posset, si Deus vellet reuelare, non tamen congruum esset, nisi homini Christo. Primò quia finis Mundi non erit nisi completo numero electorum: cuius completio est quasi quædam executio totius diuinæ prædestinationis. Vnde non competit reuelationem fieri de fine Mundi, nisi ei cui fit reuelatio de tota prædestinatione diuina, scilicet homini Christo, per quem tota diuina prædestinatio humani generis quodammodo adimpletur. Ioan. 5. *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit*. Efficax profectò & alta est huiusmodi Diui Thomæ consideratio. Vide sequentia ibi.

Q p.2.85.1.
R p.p.94.3.
S p.p.101.1.

100. Huic interpretationi non video cur debeat quis refragari; nisi forte duos in scrupulos, quasi scopulos impingat. Primò quia ly *filius* planè videtur pro ipsomet Christo supponere: præsertim ob singularem numerum; non enim dixit; *neque filij*, adoptiui. Secundò, quoniam, quod mox addit *nisi solus Pater*, relationem firmat ad Christum filium. Sed hæc minimè vrgent, conuenientissimam enim recipiunt solutionem. Ad primum igitur dico, præsumi vel subintelligi discipulorum instantiam, post exclusos ab ea cognitione Angelos, & arctatam, nõ verò in vniuersum de hominibus percontationem. Nam postquam dixerat *neque Angeli Cœlorum*, dementiæ fuisset quærere an homines, an filij Dei per adoptionem, id scirent: sed an sciret aliquis, veluti speciali priuilegio decoratus, in dubium poterat verti; nam quandoque vni conceditur, quod alijs negatur. Insto immò potius, ly *filius* hic de Christo non accipi; quia in contextibus, se nuncupat *filium hominis*, non tantummodo *filium*. Ad secundùm; *Pater*. & cuinam Theologorum ignotum est dici in diuinis nedum personaliter, sed & essentialiter? Malachiæ 2. *nunquid non Pater vnus omnium nostrum?* Excellenter T quinimmo dicitur Deus *Pater noster*. Multifariam autem dicitur Deus *Pater noster*, & vno modo V secundùm similitudinem gratiæ: ex qua sumus filij adoptiui. Quapropter dicito, emicare hic quod dicebamus. Sed cum potuisset adijci, *nisi Deus*: alio ex capite dictum est, *nisi Pater*; ad innuendum hoc esse negocium diuinæ prouidentiæ, qua tanquam Pater omnia gubernat & ordinat: Sapientiæ 14. *tua Pater prouidentia cuncta gubernat*. Vt ergo innotesceret nostrum non esse istud scire, docuit ad diuinam prouidentiam attinere. Et profectò non accipi personaliter ly *neque filius* constat veluti; ex eo quod Actorum 1. nulla mentione facta de filio responsum est; *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Quæsierant enim de Regno Israel. Quibus nondum plenè eruditis, quia nondum descenderat Spiritus plenitudo, respondit, quomodo suum spiritale Regnum ad vsque terræ terminos erat prouehendum: aliàs autem in potestate Patris esse ad sceptrum vocare; iuxta illud Prou. 8. *per me Reges regnant*; & Danielis 4. *Dominatur excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud*.

T 1.2.101.4.4.
V p.p.31.1.

Fit autem prouida Dei sapientia, vt dies ille & hora, hoc est, tempus sit omnibus tacitum, quod ait Angelicus, X vt homines sollicitè vigilarent; ne forte tempore iudicij imparati inueniantur; propter quod etiam voluit tempus mortis vniuscuiusque esse ignotum. Et iam de hoc Dominus admonet in sequentibus. Sed vlterius sunt aliæ rationes. Ea enim nobis nosse expediens est, quæ ad iter salutis nostræ quoquo modo conducunt: nihil autem prodest ad salutem, sciri illud tempus. Deinde ad fidẽ Creatoris. Dum enim nulli creaturæ notum est hoc arcanum, sua tantummodo ex voluntate agnoscitur id pendere: & sic à pari de Mundi temporanea creatione. Satis enim manifestè deducitur, vniuersi extare aliquam causam creatricem, quæ liberè pro sua voluntate cuncta produxerit, quando & creaturas conseruat, earumque generationem, quoad sibi libuerit. Placito autem diuino, constat id esse relatum, quod nulla necessitate aliunde probari potest consistere; secundum illud Sapientiæ 11. *quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ius ergo creationis proinde agnitionis Dei quodammodo inuoluit. Ex quo secretius sibi reseruasse Patrem tempus illud, rationabilissimum est. Vnum excipe Christum Dominum: qui vltra ea quæ supra diximus, perfectissimè callere deprehenditur diem illam & horam: quia reflexum sit de eisdem, nempe *à nemine sciri*: & quod caput est, *neque ab Angelis Cœlorum*. Quis autem cordatus vir queat concipere, illum nescire quandonam tempus illud adueniet, cui datum est vt cognoscat nescientiam aliorum? & nedum hominum omnium qui fuerant, qui sunt, & qui futuri 101.

X opusc. 2.c.242.

sed

sed & Angelorum. Patuere igitur Christo mentes omnes Angelicæ; prospexit in eis legi minimè diem illam: & ipse diei eiusdem fiet ignarus? Diuini splendoris irradiationem in supremos etiam Seraphim animaduerterit, distinctéque nouerit inter innumeras intelligibiles species, eam de iudicij tempore non cimicare; & in tanto lumine, quoad diem illam adhuc erit in tenebris? Id nemo nisi dementatus, aut pertinax sibi suadeat. Nec obsit dictio illa *solus*; quia Sacris Theologis propter Essentiæ vnitatem, etiamsi ly *Pater* sumeretur personaliter, non arctat:

A p.p.31. 4. A nam excludit ly *solus* aliud, non verò alium in persona, Porrò si *Pater* essentialiter dicatur, vt defendimus, excluditur à consortio, quicquid Diuinitatem non habet; vt ex articulo B præcedenti. (B ibi a.5.) Sed insurgit acumē, quia frustra adijceretur *ly solus*; iam enim creaturæ remanent satis exclusæ in præmissis, *nemo scit, neque Angeli Cœlorum*: ergo vt vim suam retineat, oportet, vt excludat ipsum Christum, seorsum à creaturis alijs consideratum. Vidit hanc instantiam Angelicus C (C ibi a.4. ad 2.) & sic ait; Sciendum quòd hæc dictio *nemo*, non idem est, quod *nullus homo*, quod videtur significare vocabulum; non enim posset excipi persona Patris: (adde; quæ iam præsumeretur excepta, tanquam non de hominibus) sed sumitur secundum vsum loquendi, distributiuè pro quacunque rationali natura; & sic, dicito, habet locum subiungenda exceptio. Pro qua illustranda doctrina dicamus sub exemplo; *nemo nouit de bello quod facturus est Rex, nisi solus Rex*. Non impropriè aut ineptè dicitur; ob præfatam distributionem importatam in ly *nemo*, cuius vi quodammodo inuoluitur & confunditur, quicumque homo. Vnde exceptio congruentissimè sequitur. Sic in proposito præsupposito, non eruditos esse qui audiunt vel legunt, sed erudiendos; postquam humano ex vsu, distribuit ly *nemo* amplissimè pro quacunque rationali natura, mox corrigitur per ly *nisi solus Pater*. Quanquam existimarim, alia via fieri posse satis: vel dicendo esse legitimam expressionem eius, quod quasi implicitè intelligebatur; vel quid noui importare; vt nodum neminem scire de facto, sed neminem iudicij diem & horam sciturum esse discamus. *Nemo* ergo *scit*; &c. de præsenti; sed *nisi solus Pater*, de futuro; quia semper solus Pater; nemo vnquam sciet.

102. Vnum superest accuratè notandum, quod peregrinum vt reor singulareque est. Nam mirabitur quisquam, cur Dominus implexa hac sententia responderit; ex qua traxere erroris sui fulcimentum hæretici? Cur non palam pronunciauerit; *non expedit vobis dicam de die illa*? Aut, *scio vtique diem illum & horam; at homines ac Angelos scire non decet*. Quemadmodum de Patre loquens Ioann. 8. dixit; *ego autem noui eum, & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum*; &c. Ad hoc respondeo in primis dedisse fidelibus abstrusa huiusmodi ex sententia occasionem capiendi & edisserendi non pauca salutaria doctrinæ documenta, vt visum est. Deinde quod alius mirari oportet, anteuertisse obuolutis verbis proteruos hæreticorum ausus, qui vt se à Capite subducant, quod præest Ecclesiæ, suo proprio capite ad Sanctæ Scripturæ intellectum tumidi prouocant. Lutherus enim peruicax præ alijs in Procemio suorum articulorum dilleminare conatus est, *Scripturam per se se certissimam facillimam, apertissimam, sui ipsius interpretem* &c. Accedat hunc ad sacrum textum præ alijs: videatque si facilè est intelligere, an Christus ignoret vel sciat diem iudicij. Si adeo apertum est ostium, cur non intrauit hàc Arius? Perfida est hæc assertio, quæ tandem proprium ingenium in throno contumaciæ iudicem statuit. Quare ne contingeret nutabundo gressu huc illuc ferri, daretur potius securè incedere pede, diuina dispensatione factum est, vt vnum esset Magisterium, quo regerentur, quo pascerentur greges, quo fratres confirmarentur: quæ Petri sunt priuilegia, vbi sit conflictatio, Ideoque ad humiliandas ceruices, difficilia voluit per semetipsum eloqui, & per discipulos; vt vel coacti confugerent in ambiguis ad certum oraculum. Benedictus Dominus, qui sic supercilium & superbiam nostram confundit. Et vtinam dignetur etiam in eos qui rebelles sunt lumini, radios immittere; vt agnoscant peruicacia eiurata, congruentiùs esse, vni summo Capiti interpretationem Scripturæ legitimam adscribere, quàm promiscuè in omnes cuiuscunque ætatis sexus & conditionis tantum donum distrahere.

VERS. XXXVII. *Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis.*

Docuit Angelicus, D venisse diluuium propter peccata luxuriæ, ex præcedenti gula occasionata. 103. Et alibi; primum iudicium Dei factum fuit per aquam: (D 2. 2. 148. 4.) E In illo enim primo statu, viguit luxuria; in qua sunt duo, scilicet ardor & fœditas: (E 2. Petri 3.) propterea tunc facta est purgatio per aquam, quæ est refrigerans & purificans, Pudicissimè hoc tangit ore aureo Dominus. Sicque crapulam & ebrietatem notat; de qua Lucæ 21. *attendite ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate*. Dixit & profanus, *à Cerere & libero Patre, propinquus est locus ad Venerem*. Apostolus 2. Cor. 6. *in ieiunijs, & castitate*; vt notat Angelicus: & in hymno, *carnis terat superbiam, potus cibique parcitas*. Osee 4. *comedent & saturabuntur: fornicati sunt & non cessauerunt*. Bellè Chrysostomus; *vt autem addiscas, quòd non ignorantiæ suæ est, quòd de die & hora iudicij tacet, aliud signum inducit, cum subdit; sicut autem in diebus Noe &c. ostendit, quòd repente venit & inopinatè, & pluribus lasciuientibus. Cum enim Arca fabricaretur, præiacebat quidem in medio futura prædicens mala; mali autem credentes, ac si nullum fuisset futurum malum lasciuiebant*. Centum voluit insumi annos in Arcæ F fabricatione, (F Gen. 8.) Sed vt testatur Diuus Petrus in 1. cap. 3. fuere tunc increduli, Noe scilicet prædicanti: increduli G non obstantibus præuijs inspirationibus, (G 3. p. 52. 2. 3.) exterioribus admonitionibus per ora iustorum. Sapientiæ 12. *propter hoc tanquam pueris insensatis, iudicium in derisum dedisti*. Quòd si credant; illud euenit Prouerb. 28. *viri mali non cogitant iudicium*. Quoniam autem in confesso est, H præter iudicium, quod in cuiuslibet hominis morte fit, (H 3. p. 59. 5.) finale iudicium esse in nouissimo die: ad vtrumque, vt mihi videtur, spectat sermo Domini; ideo bis ait sub eadem diluuij paritate, *ita erit & aduentus filij hominis*: flectitque vt apparet ad particulare iudicium. Vnde Augustinus; *tunc vnicuique veniet dies ille, cùm venerit eius dies, vt talis hinc exeat, qualis est iudicandus in illo. Imparatum autem inueniet dies ille, quem imparatum inuenerit suæ vitæ vltimus dies*. Vigilandum ergo; vt amantissimè monet Marci 13. *nescitis enim, quando Dominus domus veniat; serò, an media nocte; an galli cantu, an mane: ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Cum enim dixerint* 1. Thess. 5. *pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*. Confingunt enim sibi nonnulli pacem, tranquillamque pollicentur sibi vitam, vt ille Lucæ 12. qui postquam vberes fructus collegit ex agro, factus ditior dixit animæ suæ; *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus; stulte; hac nocte animam tuam repetent*. Profectò quod ait Augustinus; *nemini Deus promisit crastinum*. Notat Chrysostomus, non legi, *cum fuerit pax*, sed

sed cum dixerint, eorum insensibilitatem signando.

VERS. XL. *Tunc duo erunt in agro; vnus assumetur, & alius relinquetur.*

VERS. XLI. *Duæ molentes in mola; vna assumetur, & alia relinquetur.*

104. Quoniam Lucæ 17. præmissum est; *erunt duo in lecto vno; vnus assumetur & alter relinquetur:* Commentariorum codicibus, de Luca huc transtulerunt etiam in Matthæo. Exponitur autem hoc de contemplatiuis I, qui veluti lecti quiete fruuntur: quorum de numero contingit quoque damnari. Cæterum reuera hic extat solummodo similitudo de agro & mola. Sed fortè nunc eximuntur contemplatiui, quia eis non superuenit repente dies mortis, quem nisi desiderent, pauent. Non sic illi de quibus Ecclesiastes 9. *nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo; & sicut aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo superuenerit.* Ezechielis 7. *finis venit; venit finis:* pulchrè Angelicus; L bis dicit idem, sed non eodem ordine; nam primò præponit finem, deinde postponit: ad significandum, quòd quidam prius cogitant de fine, quàm veniat, vt boni, qui præuident sibi; alij sunt, quibus venit finis, sed non prius cogitant. Et adnectit illud Genesis 6. *finis vniuersæ carnis venit coram me;* qui nondum venerat coram eis: immo ipsis non cogitantibus, venit diluuium. Dicendum ergo mihi videtur, ad operarios conuertere sermonem, vt & ipsi tremebundi expectent vocari quotidie; *bonorum* enim *nostrorum non indiget;* vt dicit psalmus. Et ipsemet postquam introduxit Lucæ 17. seruum regressum de agro, eique impositum à Domino; *para quod cœnem, & ministra mihi:* &, *nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos; cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Ne ergo nobis nostrisque operibus fisi cursum longioris vitæ mercari credamus. Placent quippe Deo bona opera; iuxta quod Ecclesiastes 9. dicitur; *quia Deo placent opera tua:* sed non ideo illorum eget. Et vide quàm cohærenter; postquam castitatem suasit per locum ab opposito, de diluuio; innuit de operibus aut in agro aut in mola: quia & Lucæ 12. dixit; *sint lumbi vestri præcincti;* & mox *& lucernæ ardentes in manibus vestris: lumbos* enim *præcingimus*, ex Gregorio, *cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus: & lucernæ ardentes in manibus vestris: lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris exempla demonstramus. Redemptori etenim nostro, vnum sine altero, placere nequaquam potest; si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere; nec opus bonum, est aliquid sine castitate.* Et sic mirabiliter; vbi prædixit Ecclesiastes, *quia Deo placent opera tua*, illicò adiecit; *omni tempore sint vestimenta tua candida.* Sibi ergo adstipulantur mutuò sacræ paginæ. Et propterea sicuti, Lucæ 12. ad monita de lumbis & de lucernis, sequitur; *beati serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes;* ita & impræsentiarum, postquam de tempore diluuij pro castitate seu lumbis; *atque agro & mola*, pro operibus, ac si de lucernis, dixit; intulit; *vigilate ergo;* &c. & vtrobique pergitur ad furem, qui domum perfodiat; &c. quod manifestissimè ostendit concordare præcedentia sub diuersis similitudinibus, in idipsum.

I opusc. 41. l. 2. c. 8. & Apocalip. 8. com. 2.

L Apoc. 16. com. 1.

105. Porro singillatim conemur oportet interpretari de agro & mola: variè siquidem exponitur in Catena. Sed aliorum venia, libet eam deligere interpretationem, quam tangit Angelicus; M *duo in agro, a[...]ui:* & iterum; *status actiuorum per molentes in mola signatur.* Quàm conuenienter autem sic accipiantur, ex connexione sermonis haberi potest. Nam, (quod patet) intendit Dominus commonere fideles, vt vigilent; ac si diceret cum Ambrosio; *senibus mors est in ianuis, iuuenibus in insidijs.* Cùm minùs creditur, pulsat. Par erat igitur, subdolam omnem vitæ huius securitatem validè ostenderet. In quo enim & probi decipi possent, est Ecclesiæ vtilitas. (Pro agro intelligit Remigius Ecclesiam.) Quod primùm fit in agro, est satio. Sic dixit ille de vomere ad Imperium euectus; *ergo hoc anno agellus meus non seretur?* Aiebat Apostolus sub eadem metaphora 1. Corinth. 9. *si nos vobis spiritualia seminauimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et supra cap. 3. *Dei agricultura estis.* Ad illud Ioann. 21. *tu autem cùm senueris;* ex Origene, N rarò inueniuntur vtiles Rectores & Doctores Ecclesiæ, paruo tempore viuere. Et inducit exemplum de Paulo, qui, vt legitur Act. 7. erat adolescens; & postea scribens ad Philemonem ait, *Paulus senex.* Veruntamen non esse id inconcussum audimus ex Domino; quia, *duo erunt in agro; vnus assumetur, & vnus relinquetur.* In mola consueuit conteri granum, ex quo fiat panis: Isaiæ 47. *tolle molam, mole farinam.* Eleemosynam rogans Elias 3. Regum cap. 17. à vidua Sarephtana, quæ *panem non habebat, nisi quantùm pugillus capere potest,* dixit, *mihi primum fac de ipsa farina subcinericium panem.* Quare germanum arbitratus sum esse sensum, vt pro his molentibus in mola, intelligantur ij, qui charitatis corporalia opera exercent; quorum primum est frangere esurienti panem, secundùm illud Isaiæ 58. *frange esurienti panem tuum.* Qui sic actiuæ incumbunt, reuera non rarò diu longiorem viuunt vitam. Vnde 1. ad Timoth. 4. *exerce autem te ipsum ad pietatem. Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Sed quandoque regula deficit, quæ tamen ab omnium prima regula, quæ Deus est, nunquam discordat. Videtur autem nostra hæc interpretatio insinuari à Domino; qui Lucæ 17. dicit; *quis autem vestrum, habet seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi;* &c. In eo enim quod addit *aut pascentem*, satis indicat spiritualium administrationem: quod Maiorum cum primis est: vnde Gregorius homil. 17. in Lucæ 10. *vos igitur qui pastores estis, pensate, quia Dei animalia pascitis.* Deinde ibi subdit Dominus seruo, *para quod cœnem; & ministra mihi, donec manducem & bibam.* An clarius potest signari pietatis opus? ac si diceret alia similitudine, *mole in mola.* Nec moueat, quòd nos de pietatis operibus in proximos exposuimus: siquidem adest responsio; sequenti capite; *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Cùm enim ex charitate O diligatur proximus propter Deum, obsequium relatum in proximos redundat in Deum. Dicuntur autem duæ molentes, quia P ad litteram, consuetudo erat, vt aquæ defectu, per mulieres fieret officium. Si autem placet, dicas, innui opus charitatis corporalis; suppresso spirituali, propter sexum; quia 1. ad Timoth. 2. *docere mulieri non permittitur.* Aliàs autem in Scripturis pasci spiritualiter per doctrinam dicitur passim. Ieremiæ 3. *& dabo vobis Pastores, iuxta cor meum: & pascent vos scientia & doctrina.*

M Apoc. 8. com. 2. & hic.

N Ioan. 21. l. 4.

O [...] 188. 2.

P D. Th. hic.

VERS. XLII. *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.*

Benè Sanctus Bruno in Serm. 7. de Confessoribus. 105. *Si ad vltimum aduentum respiciamus, & bonos & malos, omnes vigilantes inueniet; non erit tunc tempus dormiendi; siue boni, siue mali aliquid agendi,*

sed

sed solummodo timendi, & iudicium expectandi. Hoc autem est vigilare, in bonis operibus perseuerare. Illa anima dormit, immo quasi mortua iacet; quæ negligens & desidiosa est, & nihil boni operatur. Iam ergo habemus quod ex Domino; quia *minus est*, vt ait Gregorius, *mala non agere*, & non imitari homines ante diluuium, *nisi quisque studeat & bonis operibus insudare*: psal. *declina à malo, & fac bonum*; nimirum *in agro in mola*. Dicit autem *nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*. Quoniam *duodecim sunt horæ diei*, Ioann. 11. & cap. 9. *venit nox, quando nemo potest operari*; idcirco, ne noctis tempus expectemus, vtque instanter operemur, de *hora* introducit. Aliàs neque instans scimus aut momentum, quo veniat Dominus. Signanter *Dominus*, qui Sapientiæ 16. *vitæ & mortis habet potestatem*. Arguit Angelicus Q. vbi quærit, *an mors sit pœna peccati*. Omnes æqualiter deriuantur à primis Parentibus: si igitur mors esset pœna peccati primorum Parentum; sequeretur, quòd homines æqualiter mortem paterentur: quod patet esse falsum, quia quidam citius alijs moriuntur. Respondet, multiplici de causa non æqualiter omnes mori. Dicito vnam, quæ complectatur omnes; *iudicia Dei abyssus multa*.

Q 2. 2. 164. 1, 4.

VERS. XLIII. *Si sciret Pater-familias, qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique; & non sineret perfodi domum suam.*

106. Ad verbum & Lucæ 12. Vtrobique autem præmittitur, quod attentos auditores teneat; *illud autem scitote*. Satis quippe videbatur esse, similitudinem Patris-familias & furis introduxisse absque hac animaduersione; *illud autem scitote*. Non potest ergo fieri, quin grauida sit sententia, quæ sequitur, grauissimo sensu. Vnde vt mihi videtur, sic est edisserenda: vt ab exempli paritate, iam non dicat ignorari horam, sed sciri. Supra paulo ante dixit, *nescitis qua hora*, nunc horam indicat ad cautionem. Et quænam est? respondeo; *qua non putatis*; vt ait Lucas; & Matthæus, *qua nescitis hora, filius hominis venturus est*. Sanè cùm quis se omnino dat inconsiderationi mortis, & quod deterius est, somno peccati, Ephes. 5. *surge, qui dormis*; sibi horam mortis veluti statuit, dum nihil de ea cogitat: tunc enim venit interitus, cum interitum non putant imminere, sed dicunt homines *pax & securitas*: & hic, *qua nescitis*, vel *non putatis hora*, ea immò *filius hominis venturus est*. Docet Angelicus R verbum *nescire* quandoque referri ad negligentiam 1. Tim. *si quis autem domui suæ præesse nescit*. Et ideo sicut fur, dies eius; quia de fure non fuimus solliciti. Et quia pulsanti ad ostium, Apoc. 3. *ecce sto ad ostium & pulso*, noluimus aperire: clausis etiam fenestris, ne irradiationibus diuinis pateret aditus. Vnde instar furis ingressum sibi facit: nostrum quidem ad terrorem: Ioann. 10. *fur non venit, nisi vt furetur mactet, & perdat*. Quod quia non nisi exigentibus culpis fit; contestatur alibi, *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*. *Deus enim* Sap. 1. *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*: iteratò idcirco monet, vt simus vigilantes; sic quippe anteuertimus somni horam, qua iure venturus est; quamuis; *expectat Dominus*, Isaiæ 30. *vt misereatur vestri, patienter* namque *agit*; vt ait Diuus Petrus in 2. cap. 3. Et ita repetamus cum Isaia; *quia Deus iudicij est; beati omnes, qui expectant eum*: sicut subdit Dominus; *beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem*. Angelicus S boni erunt arescentes præ timore, malis erit sicut fur, dies Domini.

R 1. Tim. 3. l. 1.

S ad Annib. 4. 42. 2. 1.

VERS. XLV. *Quis putas est fidelis seruus & prudens? quem constituit Dominus suus super familiam suam*, &c.

107. Superius dixit de Patre-familias, & in exemplum custodiæ prouidæ, quam quis sui ipsius debet habere; nam nihil minor exigitur vigilantia ad custodiendum se ipsum, quàm alios. Ad hæc Chrysostomus; *hinc videtur confundere eos, qui non tantum studium faciunt animæ suæ, quantum student circa pecunias, qui furem expectant*. Glossa apud Angelicum opusc. 58. 2. nesciente Patre-familias Domum fur perfodit, quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors, carnis habitaculum irrumpit, & animam ad supplicia trahit. Si pœniteret, dormientium idest non præparatorum pœnam euaderet. Sed fortasse tanquam quid præuium dixit de Patre-familias, quoniam mox dicturus erat de Ecclesiæ Præfectis. Sic enim & Apostolus 1. ad Timot. gradum facit; *si quis autem* (cap. 3.) *domui suæ præesse nescit; quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Hilarius. *Quanquam in communi nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur; specialem tamen populi Principibus, idest Episcopis, in expectatione aduentuque suo solicitudinem mandat. Hunc enim seruum fidelem atque prudentem, Præpositum familiæ significat; qui verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat*. Et Angelici ex doctrina T prudens est, qui benè ordinat actus suos ad finem vitæ suæ, siue respectu aliorum sibi subditorum; in familia vel Ciuitate vel Regno. Sicque concernitur prouidentia, quæ est principalis pars prudentiæ. Est autem prouidentia ratio ordinis rerum in finem, prospicitque futura. Glossa; *rarus est enim fidelis seruus, Domino propter Dominum seruiens; oues Christi non ad lucrum, sed pro amore Christi pascens: prudens, qui subditorum capacitatem, vitam & mores discutiat: quem constituat Dominus; qui scilicet sit vocatus à Deo, & non se iniecerit*. Benè Origenes; *prudens; vt non effundat rationabilem & spiritualem cibum, quibus non oportet. Quidam enim potiùs egent verbo, quod mores eorum ædificet, & vitam componat, quàm quod illuminet scientiæ luce. Prudens etiam; ne eis qui possunt acutiùs audire, pigeat exponere altiora, ne humiliora contemnantur ab ijs, qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem sæcularis sapientiæ acuti*. Hebr. 5. *facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*. Dignatur Dominus monere de circunstantijs sub vna temporis; *in tempore*: Prouerb. 25. *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. Et Ecclesiastici 20. *ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo. Ne ergo*, Ecclesiastici 4. *retineat verbum in tempore salutis*, admonet Dominus seruum fidelem. Fidelem autem reor dicit; vt recolat qui præest, se pacto obstrinxisse Christo de sibi commissæ familiæ cura; *ne grauis somnus irruat; nec hostis nos surripiat*. Monet etiam tacitè eos qui præficiuntur, vt non promiscuè & sine delectu prouideant; si enim fidelis non fuerit, fraudabit; si prudens non fuerit; frandabitur, vt ait in opusculo V.

T p. p. 22. 1.

VERS. XLVI. *Beatus ille seruus*; &c.

V opusc. 41. lib. 4. 10.

VERS. XLVII. *Super omnia bona sua constituet eum*.

108. Beatus, *quem Dominus inuenerit sic facientem*: nempe sic, vt supra tactum est, vt se ipsum præbeat exemplum; sibique semper insonet, quod aiebat Hieronymus, *siue comedat siue bibat, siue scribat, siue aliquid aliud agat, tuba illa vehemens: surgite mortui, venite ad iudicium*. Nam vt dicitur Prouerb. 23. *vacantes potibus, & dantes symbola consumentur; & vestietur pannis dormitatio*. Et antea; *noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt*. & Roman. 13. *non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs*. Nam 1. ad Tim. 3. opor-

oportet Episcopum esse sobrium, non vinolentum, pudicum prudentem; &c. Promittitur autem illi in præmium plenitudo bonorum: scilicet Dei visio; X Deus enim est Essentia bonitatis; per consequens ipse bonum est omnis boni. Vnde eo viso, omne bonum videtur; secundum quod Dominus dixit Moysi, Exodi 33. *ego ostendam tibi omne bonum*. Per consequens igitur, eo habito, omne bonum habetur; secundum illud Sap. 8. *venerunt mihi omnia bona, pariter cum illa*. In illo ergo finali bono videndo Deum, habebimus omnium bonorum plenam sufficientiam; vnde & fideli seruo repromittitur; *super omnia bona sua constituet eum*. Quia verò malo bonum opponitur, necesse est vt ad præsentiam omnis boni, malum vniuersaliter excludatur: & sic erit plena quies & securitas per immunitatem omnis mali; Prouerb. 1. *qui me audiet absque terrore erit, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Est quippe beatitudo ex Boetio, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Deut. 8. *absque vlla penuria comedes panem tuum*; *& rerum omnium abundantia perfrueris*. Et ex hoc vlterius sequitur, quòd sit ibi futura omnimoda pax. Non enim impeditur pax hominis, nisi per interiorum desideriorum inquietudinem, dum desiderat habere, quæ nondum habet; vel per aliquorum malorum molestiam, quæ vel patitur, vel pati timet: ibi autem nihil timetur. Cessabit enim inquietudo desiderij propter plenitudinem omnis boni: cessabit etiam omnis molestia exterior per absentiam omnis mali. Vnde relinquitur, vt sit ibi perfecta pacis tranquillitas. Fert autem ibidem, & exponit pulcherrimum Isaiæ locum, quem carnales dementati hebræi temporaliter sine medullæ succo, minimè ruminantes transglutiunt. Itaque cap. 35. legimus; *sedebit populus meus in pulchritudine pacis*: per quod pacis perfectio designatur. Et ad ostendendam causam pacis subditur; *& in tabernaculis fiduciæ*; quæ scilicet erit, subtracto timore malorum: *in requie opulenta*; quæ pertinet ad affluentiam omnis boni. Et quia nulla erit ibi mali alicuius molestia; ibidem dicitur; *non erit ibi leo*, idest diabolus impugnans, *& mala bestia*, idest malus homo, *non ascendet per eam*.

X opusc. 2. part. 2. c. 9.

VERS. XLVIII. *Si autem dixerit malus seruus in corde suo; moram facit Dominus meus venire*; &c.

109. Sufficit nuncupari simpliciter malum seruum. Ex quo elicitur, nec fidelem esse nec prudentem. Sic autem exponitur, vt ad Episcopos referatur; *si dixerit in corde suo*; A *moram facit Dominus meus venire*; (quod pertinet ad contemptum) *& cœperit percutere conseruos suos*, (quod pertinet ad superbiam) *manducet autem, & bibat cum ebriosis*, (quod pertinet ad luxuriam) *veniet Dominus serui illius, in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat*; *& diuidet eum*, (scilicet à societate bonorum) *& partem eius ponet cum hypocritis*; scilicet in inferno. In quodlibeto autem, nedum in Episcopos sed in omnes clericos dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, hanc auctoritatem retorquet, si infideliter ea dispensent; B & ly *cœperit percutere conseruos suos* pertinet inquit ad crudum & superbum dominium: *manducet autem, & bibat cum ebriosis*, pertinet ad superflua & voluptuosa conuiuia &c. sicut postea dixit in Summa: *diuidet*, à societate Sanctorum, &c. Porro valde mirandum est; quare huc deueniat Saluatoris sermo, vt seruo fideli præmium bonorum omnium adiudicet, seruo autem malo Inferni pœnas, vbi *erit fletus & stridor dentium*. Cur enim sic anteuertit iudicium, de quo in capite sequenti ex professo agit? Nunquid non aliqua subest præoccupationis huius altissima causa? Proculdubio. Est igitur recolendum, quod ex Diuo Gregorio C sæpè

A 1. 2. 185. 7.

B quodl. 6. art. 12.

C opusc. 6. §. inde videmus (?) &.

fert Angelicus; quadruplicem esse differentiam inter iudicandos. Aut enim iudicandi sunt boni aut mali. Malorum autem quidam condemnabuntur, sed non iudicabuntur; sicut infideles, quorum facta non discutientur; quia, *qui non credit, iam iudicatus est*, Ioannis 3. Quidam verò iudicabuntur, & condemnabuntur; sicut fideles, qui decesserunt cum peccato mortali; Roman. 6. *stipendia peccati mors*: non enim excludentur à iudicio: propter fidem, quam habuerunt. Bonorum etiam quidam saluabuntur, & non iudicabuntur; immò alios iudicabunt; supra cap. 19. *sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Quidam autem saluabuntur & iudicabuntur; scilicet morientes in iustitia; quia in aliquo lapsi sunt. Et ideo iudicabuntur & saluabuntur. Ex hac animaduersione dicendum, præueniri à Christo Domino de bonis, qui non iudicabuntur, & de malis etiam, qui item discussionis iudicio, non iudicabuntur. De bonis quidem sub exemplo serui constituti à Domino suo, *super familiam suam*, quem inuenerit sic facientem; qui quanquam rarus sit; *quis putas est?* &c. nihilominus quisquis ille sit, constituendus decernitur *super omnia bona Domini*, declaraturque *beatus*; vt ait Rabanus, *præ cæteris*. De malis autem qui condemnabuntur, sed sine discussionis iudicio, sub nomine *mali serui*, &c. cuiusmodi sunt infideles. Et certè si attentius verba Domini expendamus satis innuunt, hunc esse infidelem. Quid enim sibi vult ly *in corde suo? moram facit Dominus meus venire*. Non solùm quod ait Angelicus vbi supra, contemptu quodam, peccatoque in Spiritum-Sanctum, quo abijcit quis vel contemnit ea, quibus directè retrahitur à peccato, cuiusmodi est expectatio iudicij, videtur id dixisse; sed corde infideli. Psalmo quippe 13. & 52. legimus; *dixit insipiens in corde suo; non est Deus*: inquit Augustinus; *in corde suo*; quia etsi ausi sint aliqui cogitare, nemo ausus est dicere. Præterea in sacro textu ait; *veniet Dominus serui illius, in die, qua non sperat*. Speciatim dicit, *qua non sperat*, vt prodat eum sine fide; quia *fides*, Hebræor. 11. *est substantia sperandarum rerum*. Facit enim fides D res sperandas per modum cuiusdam inchoationis, quasi in nobis subsistere. Vltra hoc postea, *& hora, qua ignorat*. Sicuti Rom. 2. *ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Quod exponitur etiam propter ignorantiæ speciem; E quæ ad infidelitatem pertinet, quæ est grauissimum peccatum. 1. Corinth. 14. *si quis autem ignorat, ignorabitur*. 2. Petri 3. *non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos; nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur*. Et ad literam ibi loquitur contra infideles, *qui non credunt*, quod ait ibi glossa: & cohærent vtrobique dicta: hic enim dicitur; *manducet autem & bibat cum ebriosis*; & apud Petrum; *venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes; dicentes, vbi est promissio, aut aduentus eius?* Et quidem effrænis irascibilis, concupiscibilisque licentia indicatur à Domino; *& cœperit percutere conseruos suos*; *manducet autem & bibat cum ebriosis*. Et notandum; quia non dicit *ebriis*, sed *ebriosis*, F quod frequentiam sonat. Iungit autem etiam Apostolus hæc duo, *aut maledicus aut ebriosus*. Refertur ebrietas G ad genus peccati, quod committitur contra se ipsum, sub quo continetur non solùm gula, sed etiam luxuria. Maledicus autem refertur ad genus peccati, quod committitur contra proximum, cui nocet aliquis & facto & verbo. Ecce hic de facti nocumento; *& cœperit percutere conseruos suos*. Continuationem insinuat ly *cœperit*. Apostolus autem ibi

D opusc. 2. cap. 1. & Ephes. 1. l. 5.

E Rom. 2. lect. 1.

F 1. Cor. 5. l. 1.

G ibid.

ibi de ijs, qui semel receperunt fidem, loquitur: quare & hic infideles intelligo, qui sub fidelium larua fidem mentiuntur; quique vel metu pœnæ in *corde suo* blasphemant. Contraponitur autem malus iste seruus, seruo fideli, de quo præmissum est: & propterea hypocrita declaratur; *partemque eius ponet cum hypocritis*. Iob 13. *non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita*. Quoniam autem, vt item Iob 24. dicitur, *dedit ei Deus locum pœnitentiæ; & ille abutitur eo in superbiam*, superuenit huiusmodi seruo malo promerita vltio; vt eum Dominus diuidat; *diuidet eum*: scilicet per mortem: 1. Reg. 15. dixit Agag ante Samuelem tremens; *siccine separat amara mors?* Ecclesiastici 15. *nemini dedit Dominus spatium peccandi*. Et Ecclesiastes 7. *ne impie agas multum; & noli esse stultus, ne moriaris tempore non tuo*. Non sine mysterio autem ingenti videtur mihi Dominus adiecisse de parte eius; *partemque eius ponet cum hypocritis*, vt ipsum qualis esset ostenderet, nimirum de illorum incredulorum numero; qui, post euomitas contra alterius vitæ spem sordidas hæreses, dixere Sapientiæ 2. *nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; quoniam hæc est pars nostra*. Quare videtur Epicureorum grex notari, qui in voluptatibus felicitatem hominis posuere, vt apud Angelicum;
H j. cont. G. c. 27. 3 in quorum persona dicit Salomon Ecclesiastes 5. *hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub Sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus; & hæc est pars illius*. Et huiusmodi carpit etiam Apostolus 1. Cor. 15. *si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus; cras enim moriemur*. Ad illud 2. Cor. 6. *aut quæ pars fidelis cum infideli?* lect. 3. sic habet; pars infidelis sunt bona terrena; Sap. 2. *hæc est pars nostra*; & Matth. 24. *diuidet eum & partem eius*. Vide quomodo nostræ meditationi consentit. Et iam Lucæ 12. *partemque eius cum*
I Apoc. 8. rom. 2. *infidelibus ponet*. In Apocalypsin 1 de nimis adhærescentibus terræ, terræque fixis, cuiusmodi dicit hypocritas, sub metaphora fœni viridis, legimus, *omne fœnum viride combustum est*: quos multum scilicet allexit & traxit viror Mundi. Ecce autem quomodo ibidem Sap. 2. alluditur huic vano virori, (Matth. 6. *fœnum agri hodie est, & cras in clibanum mittitur*) dum inquiunt; *coronemus nos rosis, nullum sit pratum*; &c. Ideo quoque autumo dici *diuidet eum*, per mortem scilicet, à terrenis voluptatibus, quibus adhæsit tenaci desperataq; fixione; *& partem eius*, (*hæc est pars nostra*) *ponet cum hypocritis*: sit; faciet vt vel coactè cognoscat, voluptates quibus se sacrauerat, tanquam simulamenta hypocritarum potius non fuisse quàm fuerint: psal. 4. *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* vt dicant *præ angustia spiritus gementes*; Sap. 5. *transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquã nuncius præcurrens*; &c. *talia dixerunt in Inferno hi, qui peccauerunt*.

Vnum doleo, exemplum hocce de malo seruo, è 110.
regione ad seruum fidelem atque prudentem poni; solereque explicari, de ijs, qui ad seruiendum vtique in ministerio, atque etiam Ecclesiastico assumuntur. Sanè in Christi necem conspirarunt increduli Pontifices & Pharisæi. Auertat Deus vt nutet in Clero fides; ne qui pars Domini est; cuique pars Dominus est hæreditatis, partem præeligat minus credentium; de quibus dictum fuit. Interim, de beato seruo fideli, deque seruo malo damnando introductum est; quoniam Antichristi tempore, vtriusq; classes erunt, hinc constantes fortesq; Athletæ Domini, hinc abiecto fidei scuto fugitiui & transfugæ. Vigilantes idcirco nos vult Dominus, ne oculos fidei claudamus: de quo & Apostolus Petrus; *vigilate; quia aduersarius vester Diabolus*, &c. cui *resistite fortes in fide*. Fletus autem & stridor dentium in tormentum concupiscibilis & irascibilis, vt aliàs dictum est, recoluntur. Condigna vltio in eum, qui vtraque deliquit, dum *cœpit percutere conseruos suos*; & abdomini sine vllo moderamine indulgere; *manducet autem & bibat cum ebriosis*.

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumquartum.

1. BReuissimè hinc expedimur. Cum enim Ecclesiæ statum triplicem considerandum in Matthæo susceperimus, vt non semel inter exponendum diximus; vestigijs scilicet inhærentes Doctoris Angelici, qui altera Canticorum expositione, quam in tres partitur Tractatus, hos mirabiliter status, primitiuæ, modernæ ac finalis Ecclesiæ percurrit: iam constat in præsenti capite deuentum esse ad finalem: quando Apostoli ipsi de signo consummationis Sæculi Dominum rogauerunt. Vnde vergendo ad illum sua verba cœpit Dominus dicere de Antichristo, quem prius reuelari debere commonuit Apostolus 2. ad Thessal. 2. Quanquam aliàs *nondum statim finis*, vt vidimus. Hos eosdem Ecclesiæ procursus insinuasse inquit Apostolum; (Cantic. initio) cùm dixit Rom. 11. *cæcitas ex parte contigit in Israel*: (ecce primitiuæ tempus) *donec plenitudo Gentium intraret* (quantùm ad tempus medium secundùm quod Ecclesia proficit, proficietque: *& tunc omnis Israel saluus fieret*(ecce finalem.) Quod quidem in sacro Matthæi contextu habetur; quandoquidem; *mittet Angelos suos; & congregabunt electos eius à quatuor ventis*. Sanè Ezechielis 12. vltra loca alia, legimus, *& omnes qui circa eum sunt, præsidium eius & agmina eius dispergam in omnem ventum*. Quod interpretatur Angelicus de Antichristi sequacibus, in Commentario prout ratus sum 1. Apoc. c. 13. Nec desunt similia; Deut. 28. *& dispergaris per omnia Regna terræ*: itemque; *disperget te Dominus in omnes populos, à summitate terræ vsque ad terminos eius*. Subditur autem c. 30. *reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit*. De quo quidem Isaiæ 11. postquam præmissum est de Antichristi exsufflatione; *spiritu labiorum suorum interficiet impium*; sequitur; *adijciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui*, &c. *& congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*. Quod longè quoq; præuidens Ioa. c. 11. ait moriturum fuisse Iesum, *non solùm pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. De quibus etiam Iacobus cap. 1. *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutem*. Non fuerit absque mysterio à discipulis quatuor, vt exprimit Marcus, Dominum interrogari, vt & huiusmodi numero Ecclesiam vndequaque augendam, ex reliquijs Iudæorum à quatuor ventis, subinnueretur. Ideo & sedere perhibetur super montem Oliueti; quo pariter, vt *apud Lauretum in Sylua*, significatur Ecclesia. Et qui mons oliuarum, sumptus etiam pro Synagoga, scissus fuerat, *ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valde*, vt dicitur Zachariæ 14. non vltra erat scindendus; scissione mortali.

rali. *Scinditur interitum studia in contraria vulgus.* Quidam enim Iudæorum ad Orientem conuersi sunt ab initio, quidam ad Occidentem fuæ cæcitatis; *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* Postquam repræsentatur Dominus sedere super Montem Oliueti, non est timendum scindatur amplius. Nec est prætereunda obseruatio, qualiter apud Marcum cap. illo 13. sedere perhibetur *in monte oliuarum contra Templum.* Quid est *contra Templum*; nisi conuersus ad Occidentem? nam vt habetur Exodi 26. adoratio fiebat ad Occidentem; ostiumque tabernaculi respiciebat ad Orientem. Dic ergo, non immeritò significari tunc fore tempestiuum, illos conuertere Iudæos, qui sub præfata Montis Oliueti metaphora, ignorato Christo, qui Oriens est; Zachariæ 6. *ecce viri Oriens nomen eius,* verterant se ad Occidentem, auersi ab eo. Peruagatū est etiam significari per oleū, misericordiam: & sic reducturus etiam ante finem Iudæos, sedet in Monte Oliueti. Isaiæ 14. *miserebitur Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel:* hic, *congregabunt electos.* Ibidem Apostolus; *nam si tu contra naturam insertus es in bonam oliuam; quanto magis ij, qui secundum naturam, inserentur suæ oliuæ?* Et vide correspondere adhuc sibi sacras paginas; nam hic ait *congregabunt electos eius à quatuor ventis;* talem autem nomenclaturam dat Iudæis conuersis etiam Apostolus ibidem c. 11. *reliquiæ secundum electionem Dei saluæ factæ sunt.* Item; *electio autem consecuta est; cæteri verò excæcati sunt.* Et infra, *secundum electionem autem, charissimi propter Patres;* quia scilicet ob gratiam Patrum, A eorum semen elegit. Deut. 4. *dilexit Patres tuos, & elegit semen eorum post eos.* Conspirant autem pleraque alia in sacro textu de Iudæorum finali ad Ecclesiam vocatione; quia introducitur de diebus Noe; Nam Arca Noe B significat Ecclesiam, vt habetur 1. Petri 3. Vnionem etiam duorum in agro, & in mola introducit; sicut Apostolus Ephes. 2. ait, *duos condat in semetipso; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem.* Et ecce mox de Patrefamilias, & in Matthæo: à quo alendi spirituali cibo sunt nouissimè Iudæi conuersi. Qui sicuti cum Gentilibus pro generibus singulorum erunt in Arca in agro in mola; ita pro singulis generum, vnicuiq; pauendum, quia *vnus assumetur, & alius relinquetur:* quod interpretantur de damnatione. *Beatus homo,* Prou. 28. *qui semper est pauidus.* Porro beatior, qui de initiali in filialem transit timorem. Hic enim longiùs seruili amandato, nedum expectat, *diligit,* vt monet 2. ad Timot. 4. *aduentum eius.* Ad vberiorem autem præmissorum intelligentiam, adeamus oportet Aggæum c. 2. quo legitur; *quia hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est; & ego commouebo Cælum & terram, & mare & aridam; & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus:* hebraicè; *desiderium cunctarum Gentium:* Septuaginta, *venient electa omnium Gentium.* Cohæret illud Genesis 49. *& ipse erit expectatio Gentium.* Quod quamuis interpretentur de primo aduentu, quatenus etiam Gentes ex Maiorum suorum traditione, iam inde ab initio Mundi, post etiam, ex relatu Iudæorum, sciebant venturum aliquando Saluatorem ac Redemptorem Mundi, vt constat de primis Patriarchis, de Iobo eiusque amicis, de Sibyllis & tot alijs, vt habet Aggæi 2. Tirinus: Nihilominus, quia vt pronunciat Apostolus Rom. 9. Israelitarum (non dicit Gentium) *adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa;* non tam planum est, quomodo, venturus Dei Filius in carne fuerit desideratus cunctis Gentibus. Ideo Augustinus 18. de Ciuit. c. 35. dicit; *de nouissimo eius expectatur aduentu; vt enim desideratus esset expectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus.* Et sic in finali Ecclesia, de qua hoc in capite accepimus. Nisi dicamus, quoad primum aduentum, etsi à Gentibus, quæ Deum ignorabant, desideratus non fuerit; tamen ignorantibus desideratum fuisse à Deum agnoscentibus. Sic Act. 26. Paulus, *opto qui audiunt fieri tales, qualis & ego sum.*

A Rom. 11. l. 4.

B 1. Petr. 3.

CAPVT XXV.

1 *TVnc simile erit Regnum Cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas
exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* 2 *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quin-
que prudentes:* 3 *sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum
secum:* 4 *prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* 5 *Moram autem fa-
ciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt:* 6 *Media autem nocte clamor factus est: Ecce
sponsus venit, exite obuiam ei.* 7 *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades
suas.* 8 *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ ex-
tinguuntur.* 9 *Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite po-
tiùs ad vendentes, & emite vobis.* 10 *Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ
erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* 11 *Nouissimè verò veniunt, & re-
liquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.* 12 *At ille respondens, ait: Amen di-*
Marc. 13. d. 34. Luc. 19. b. 12. *co vobis, nescio vos.* 13 *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* 14 *Sicut enim ho-
mo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.* 15 *Et vni dedit quinque
talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est
statim.* 16 *Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia
quinque.* 17 *Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* 18 *Qui autem vnum acce-
perat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* 19 *Post multum verò temporis
venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* 20 *Et accedens, qui quinque ta-
lenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi,
ecce alia quinque superlucratus sum.* 21 *Ait illi Dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia
super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* 22 *Accessit
autem, & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo
lucratus sum.* 23 *Ait illi Dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fi-
delis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* 24 *Accedens autem, & qui v-*

num

num talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es, metis vbi non seminasti, &
congregas, vbi non sparsisti: 25 & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra, ecce ha-
bes, quod tuum est. 26 Respondens autem Dominus eius, dixit ei: Serue male, & piger, scie-
bas, quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: 27 oportuit ergo te committere
pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. 28
Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta: 29 omni enim habenti dabi- Sup. 13. b. 12.
tur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 30 Et Marc. 4.
inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. 31 Cum au- c. 25.
tem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Luc. 8. c. 18. & 19.
maiestatis suæ: 32 & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut d. 26.
pastor segregat oues ab hœdis: 33 & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.
34 Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum
vobis regnum à constitutione mundi: 35 esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & de- Isa. 58. b. 7.
distis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: 36 nudus, & cooperuistis me: infirmus, & Ezec. 18. b. 7.
visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. 37 Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Eccl. 7. d. 38.
Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? 38
quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? 39 aut
quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? 40 Et respondens rex, dicet Psalm. 5. c. 9.
illis: Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41
Tunc dicet, & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui pa- Sup. 7. d. 23.
ratus est diabolo, & angelis eius: 42 esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & Luc. 13. f. 27.
non dedistis mihi potum: 43 hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me:
infirmus, & in carcere, & non visitastis me. 44 Tunc respondebunt ei, & ipsi, dicentes: Do-
mine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum,
aut in carcere, & non ministrauimus tibi? 45 Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vo-
bis: Quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46 Et ibunt hi in supplicium Ioann. 5. c. 25.
æternum: iusti autem in vitam æternam. Dan. 12. a. 2.

VERS. I. *Tunc simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus.*

1. Quod primò vel per transennam occurrit; commendanda est Virginitas. Nam vita Virginum cœlesti vitæ, in qua *non nubent, neque nubentur*, vt supra cap. 21. dictum est, adsimilatur. Vnde A *repræsentat in hoc mortali corpore, statum immortalis gloriæ*: quod ait Bernardus: sicut aiebat Hieronymus; *in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis.* E regione ad statum illum primæuum sub quo diluuium vniuersale *tulit omnes*, quando *erant nubentes & nuptui tradentes; vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in Arcam.* Idem Hieronymus; *nuptiæ terram replent, Virginitas autem Paradisum.* Concordant aduersùs Nouatores impudentes vno ore Sancti Patres, magnis Virginitatis & castitatis encomijs, vt videre est in Parænesi Ioannis Barclaij ad Sectarios libr. 1. vbi primis etiam Sæculis, passim in praxi fuisse demonstrat, voto quoque & professione fuisse castimoniam seruatam. Vnus pro mille Augustinus lib. 1. de Adult. coniug. cap. 24. inquit; *quod cuiquam, antequam vouisset licebat; cùm id se nunquam facturum vouerit, non licebit: si tamen id vouerit, quod vouendum fuit, sicut est perpetua Virginitas.* *Obuiauerunt autem Sponso & Sponsæ.* Factum est sponsalitium Diuinitatis ad humanitatem: psal. 18. *& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* B Item Sponsus Christus, Sponsa Ecclesia. Ioan. 3. *qui sponsus est habet sponsam.* *Decem* autem *Virginibus dicitur simile Regnum Cœlorum*; quia in numerando procedimus ab vno ad decem, repetimusque: & ita vniuersitas intelligitur. Hilarius notauit; quia tenemur insistere Decalogi obseruationi. Et sic accipitur etiam metaphoricè secundum Hieronymum & Origenem, vt virgines dicantur, qui non admittunt corruptelam; 2. Cor. 11. *despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Dic autem, *exierunt obuiam sponso & sponsæ*, Cœlum versùs. Merentur enim Virgines præcipuam Christi familiaritatem. Vnde iam dictum est, C quòd soli Virgines cantabant illud Canticum. Quare August. in lib. de Virginitate; *pergite sancti Dei pueri ac puellæ: vos afferetis ad nuptias Agni Canticum, quod nemo poterit dicere, nisi vos.*

A opusc. 41. lib. 5. 62.
B D. Th. hic.
C Apoc. 14. com. 2.

VERS. II. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.*

2. Quidnam sint hæc fatuitas, videtur palam haberi, quia vt sequitur, *non sumpserunt fatuæ oleum secum.* Quapropter scrutandum remanet de isto oleo. Reuera stultus esset, D qui crederet seruare lumen in lampade sine oleo. Bernardus in Epistolis; *castitas sine charitate, lampas sine oleo est; subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Sic ad illud Apocalyps. *præcinctum ad mamillas zona aurea;* E sentit per zonam signari castitatem, in auro charitatem. Et ita in opusc. defectus diuinæ dilectionis est fatuitas detestabilis; quia sine charitate, non prosunt cætera: Ecclesiastici 1. *dilectio Dei, honorabilis sapientia.* Planè multiplex est qui Virginitatem fœdare potest, ac temerare defectus. Isidorus in 2. lib. de summo bono: *Multi sunt reproborum, qui carnalis copulæ contagium nesciunt: qui sicut infœcundi corpore, ita steriles manent mente.* Gregorius; *nec castitas ergo magna est sine bono opere.* Idemque Isidorus; *nihil prodest incorruptio carnis, vbi non est incorruptio mentis.* Cæterùm nondum claret ex his, cur fatuæ dici mereantur. Ideo consulendus est Angelicus de fatuitate. Etsi enim hebraica vox *sachal* & stultum & fatuum confundat; nihilominus, pressiùs examinata vtriusque vocis significatio prodit discrimen aliquod. Stultitia equidem ex Isidoro F importat hebetudinem cordis, & obtusionem sensuum: fatuitas autem importat totaliter spiritualis sensus priuationem. Stultitia ergo opponitur sapientiæ sicut contrarium:

D D. Th. hic.
E Apoc. 1. Com. 1. opusc. 41. 5. 65. & Matth. 6.
F 2. 2. 46. 1.

fatuitas autem, sicut pura negatio. Nam fatuus caret sensu iudicandi; stultus habet sensum sed hebetatum: sapiens subtilem & perspicacem. Recolendum est autem similiter à radice hebraica *chacham*, æquè sapientiam & prudentiam deriuari. Vnde, & Prouerb.10. *sapientia est viro prudentia*. Prudentia autem in humanis considerat altissimam causam, quæ est finis communis toti vitæ humanæ; G & ex hoc dicitur sapientia, quia consideratio causæ altissimæ in quolibet genere pertinet ad sapientiam in illo genere. Nihilominus simpliciter differunt, quia sapientia est cognitiò diuinarum rerum; H prudentia verò propriè est cognitio rerum humanarum. Et tamen veram prudentiam sapientia Dei docet. Ex hac doctrina puto passim de Virgine aliqua canitur; *hæc est Virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit*. Interim cum prudentia infusa, sit I in omnibus habentibus gratiam: & è conuerso in peccatoribus L vera & perfecta prudentia esse non possit; quæ scilicet ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur iudicat & præcipit: fas nobis est discernere inter quinque has, & quinque Virgines, prudentes & fatuas. Habemus autem aliunde M, ad rectam rationem prudentiæ multo magis requiri, quòd homo benè se habeat circa vltimum finem, quod fit per charitatem: sicut aliæ virtutes in quantum sunt operatiuæ boni in ordine ad finem supernaturalem, perfectè & verè habent rationem virtutis. Ex Augustino autem prudentia, N *benè discernit ea quibus adiuuatur ad tendendum in Deum, ab ijs, quibus impediri potest*. Perspicax quidem debet esse prudens, vt incertorum videat casus. Vnde ex Isidoro dicitur *prudens*, quasi *porro videns*.

G 1.2. 47.1.1.

H 1.Cor. 1.1.3.

I 1.2.47. 14.

L ibi 2. 13.

M p. 2. 65.1.

N 2.2. 47.1.

3. Considera nunc lector, quàm prudenter se gesserint hæ quinque Virgines, quæ in similitudinem, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum, dum *exirent obuiam Sponso & Sponsæ*. Deliquerunt ergo circa vltimum finem, meritò dicendæ fatuæ. Nam vt ait Ambrosius in Lucæ 10. *ille verè sapit, cuius interior oculus exigitur ad superna*. Etsi virginitatem coluerunt, aliquo alio ex fine, fuerunt cultus huius studiosæ: puta ob gloriam humanam. Hinc Isidorus; *Virgines apud homines de suis meritis gloriantes hypocritis comparantur*. Et Augustinus de sancta Virginitate; *non solum prædicanda est Virginitas vt ametur; verum etiam monenda ne infletur*: apud Angelicum; O virginitas ad hoc vt sit digna præmio, debet esse recta, intentione; vt scilicet non appetatur gloria mundana. Et sic Gregorius; *quia de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt*. *Beatus ergo homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia*; Prouerb.3. & cap.4. *posside sapientiam, posside prudentiam*. Sed cap.24. *excelsa stulto sapientia*. Et Ecclesiastici cap.1. *tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia*; sed *quàm aspera nimium sapientia*, Ecclesiastici 6. *indoctis hominibus* | & c.1. *execratio peccatoribus sapientia*; Cum tamen Ecclesiastici 27. *homo sanctus in sapientia maneat sicut Sol*; *nam stultus sicut luna mutatur*: quandoquidem Sapient.7. *neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat*: & cap.9. *per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio*. Altissima ergo de causa prout mihi videtur introducit Dominus de sapientia & prudentia, quia nisi sublimi eo fine fiant, quæ virtutis opera fiunt ab hominibus, minimè perducunt ad gloriam. In primis ergo erudimur nihili pendenda fuisse infidelium studia, quibus quandoque coluerunt virginitatem; non solum quia si paganus seruet virginitatem in honorem suorum Deorum, peccat, vt docet Angelicus P; sed quia, vt dicitur Titi 1. *coinquinatis & infidelibus nihil est mundum*; quia nihil est perfectè mundum in actibus, Q nisi in finem debitum ordinatum sit: isti autem sunt extra finem. Hinc Augustinus super illud Rom.14. *omne quod non est ex fide, peccatum est*, inquit; *vbi non est æternæ & incommutabilis veritatis agnitio, falsa est virtus, etiam in optimis moribus*; vt refert R pluries Angelicus. Quid ergo de Vestalium Virginum ad tempus continentia? Deinde, si desit in vltimum finem directio, quantumcunque fidelis etiam Virgo castitatem custodiat, imprudens & fatua est. Nam 1. Cor.13. *si tradidero corpus meum ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Si ergo Essæorum cœtus, vt ex Philone refert Eusebius lib. 8. de præparatione Euangelica cap.4. vxorem ducere omnino recusabant, diuturna castitate seruata, dum in Deum, cumque vltimum ac supernaturalem finem hæc non referrent, de Virginum fatuarum choro erant. Nam vt inquit, *acutissimè perspexerunt, huiusmodi societatem facilè matrimonio solui posse*. Non ergo habuere cognitum finem, quem prædicauit Apostolus 1. Cor.7. *qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*. *Qui sine vxore est; solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo*. Eis ergo & similibus occurrit dicendum, quod legitur Aggæi 1. *seminastis multum & intulistis parum*; quia S remuneratio æternæ vitæ, solis debetur operibus viuis, idest ex charitate factis. Multò minus prosunt hæc paganis; de quibus August. tract.45. in Ioan. *dicant ergo Pagani; benè viuimus. Cui non datur semper viuere, quid prodest, benè viuere? Quia nec benè viuere dicendi sunt, qui finem benè viuendi, vel per cæcitatem nesciunt, vel per inflationem cōtemnunt*. Ex Origene qui fertur in Catena Matth. 26. ibi, *alabastrum vnguenti*; dicit Petrus apud Clementem; *opera bona quæ fiunt ab infidelibus in hoc sæculo eis prosunt, non in alio ad consequendum vitam æternam*. Idcirco quoniam in proximo quasi praxi quadam de æternæ vitæ assecutione Dominus dicturus erat, purificat virtutum opera, quæ eam promerentur.

O Apoc. 14.com.2.

P Rom. 14.1.4.

Q Titi 1. l.4.

R p.2. 65.2. & 2. 2.23.7.

S 1. p. 89.6.

4. Huc facit articulus; *vtrum homo possit mereri vitam æternam sine gratia?* T Vbi respondet, quòd actus perducentes ad finem, oportet esse fini proportionatos: vita autem æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ. Et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, sed ad hoc exigitur altior virtus, quæ est virtus gratiæ. Quapropter ratus sum synecdochēs esse figuram, à parte ad totum, vt quod de Virginibus introductum est, ad actus virtutum omnium extendatur; quæ si ab vltimo deflexerint fine, nec simpliciter sunt virtutes, vt diximus; V nec ad æternas nuptias possunt perducere. Et quoniam Virginitas præ alijs ardua virtus est, de illa dic afferri similitudinem: vt ab vna discamus omnes, Salubre Domini documentum; quo, cum aliorum à fide celebrantur virtutes & mores, eos rideamus: Christianosque, ne intra naturalis honestatis cancellos contenti quiescant, moneamus: quin potiùs irrequietè sapientiam, quæ parens est prudentiæ requirant. Ecclesiastici 14. *beatus vir, qui in sapientia morabitur, & in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde suo; & in absconditis suis intelligens, vadens post illam, quasi inuestigator, & in vijs illius consistens, Qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens; qui requiescit iuxta domum illius; & in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum*. In his enim verbis X notatur meritū Sāctorum, & præmium. *Beatitudo enim est status, omnium bonorum aggregatione perfectus*; vt ait Boetius. Vno verbo ergo fatuus est ille quanquā fidelis, ac in operibus virtutum stre-

T p. 1. 109.5.

V p. 2. 65.2. & 2. 2.23.7.

X in Ser. S. Thomæ.

ſtrenuus; qui illud fixum cordi non retinet 1. Cor. 10. *omnia in Dei gloriam facite.* Quod quidem impletur cum aliquis vitam ſuam ad Dei ſeruitium ordinat: & per conſequens, omnia, quæ per ſe ipſum agit A virtualiter ordinãtur in Deum; niſi ſint talia, quæ à Deo abducant; ſicut ſunt peccata: & ſic Deum diligit homo ex toto corde. Denique ad idem, quinarius prudentum numerus, qui ſignificat plenitudinem, & perfectionem contemplatiuæ ſapientiæ, B quaſi in quinque ſpiritualibus ſenſibus deſignatæ. Et ſic in præſenti; C ſecundùm Hieronymum duplicantur ſecundùm quòd ad diuerſos ſenſus referuntur. Sunt enim quidam ſenſus exteriores, & quidam interiores; de viſu interiori; Ioannis 1. c. 4. *Deum nemo vidit vnquam*; de guſtu pſal. 33. *guſtate & videte*: de olfactu Cant. 1. *in odorem vnguentorum tuorum currimus.* Stultus vt diximus habet ſenſum hebetatum: fatuitas importat totaliter ſpiritualis ſenſus priuationem. Claudat pſaltes, qui ait; *opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos*: &, *leuans manus meas ad mandata tua*: & Apoſtolus; *leuantes puras manus*: quia intentio eò debet eleuari.

A opuſc. 18. c. 5.
B Geneſ. 18. & 45.
C D. Th. hic.

VERS. III. *Sed quinque fatuæ non ſumpſerunt oleum ſecum*, &c.

VERS. IV. *Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.*

5. Paratas & imparatas breui agnoſcere poſſumus animas cùm Domino veniente, eis exeundum eſt; *exite obuiam ei.* Sed præſens Saluatoris parabola cum tot circumſtantias complexa ſit, quæ non tàm planæ ſunt ad allegoriæ continuum, illius ſuggerit recordationem ſententiæ, quam nobis reliquit Hieronymus relatus à Laureto in aditu Syluæ allegoriarum in hæc verba. *Non opus eſt, omnia, quæ in hiſtoria referuntur, ad allegoriam deducere, ſed ſolùm ea, quæ explicandæ allegoriæ ſufficiunt; ne multa frigidè & ineptè interpretari cogamur.* Quocirca apud eundem & Chryſoſtomus in Matthæum hom. 63. *in parabolis, non oportet nimia in ſingulis verbis cura angi: ſed cum quid per parabolam intendit didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlteriùs anxio eſt conatu inueſtigandum.* Auguſtinus item lepidiſſimè 16. de Ciuitate Dei. *Non ſanè omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt; ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant, etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexuerunt. Solo enim vomere terra proſcinditur, ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria. Et ſoli nerui in cytharis, atque in huiuſmodi vaſis muſicis aptantur ad cantum; ſed vt aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus; ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & aliqua, quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant, quæ ſignificant, & quodammodo religentur.* Ex his prætereundum videretur, nec quærendum, quid ſit rogare de oleo? *date nobis de oleo veſtro.* Quid ſit reluctantia prudentum? *ne fortè non ſufficiat nobis & vobis.* Quid, *ite potiùs ad vendentes, & emite vobis?* Si enim per oleum, charitas, (vt apud pleroſque) ſeu dicamus, gratia, ſignificatur; iuxta illud 1. Ioann. 2. *ſed vos vnctionem habetis à Sancto*, &c. quomodo petunt à prudentibus, oleum; vel quo ſenſu reſpondent iſtæ; *ite potius ad vendentes, & emite vobis*, quaſi Simoniæ labe? Et ſic de pleriſque alijs. Veruntamen, quoniam hæc non præaccepta eſt hiſtoria, ſed præconcepta parabola, ab ore Domini, qui dixit ſupra cap. 5. *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*, vbi fas ſit & apices ruminare, mens ſemper auida ſperat deguſtari myſteria. Donet Dominus; quia vt ait item Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 11. *bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis, verum amare, non verba*: & 18. de Ciuit. cap. 52. *Cauendum ne in expoſitione ſacræ Scripturæ contingat, quandoque exquiſitè & ingenioſè dici; non tamen prophetico ſpiritu, ſed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum peruenit, aliquando fallitur.*

Igitur, quoniam ad Galat. 5. *fides per charitatem operatur*, conſonum valdè eſt, vt ſicuti oleum ſtat ex dictis pro charitate, ita poſſit aſſumi pro operibus. Vnde & Hieronymus fidem in lampade notans, adiecit; *per bona opera fides nutritur*: & cohærens Angelicus, ait non dixiſſe, lampades noſtræ extinctæ ſunt, ſed *extinguuntur*; quia habebant aliquid de lumine fidei. Ex quo fit, vt fatuæ Virgines non quæſierint oleum charitatis, ſed operum. Ad hæc Angelicus; D *in vaſis*, ideſt in cordibus, *in lampadibus*, ideſt in operibus. In vaſe latet an ſit liquor; *neſcit homo* Eccleſiaſtes 9. *vtrum amore vel odio dignus ſit*. Nec indigentes ſcire poterant, ſe non eſſe in charitate, niſi adhæſionem affectumque ad peccatum ſeruarent. Sed multò minùs id ſcire eis datum erat de prudentibus: nec ipſæ prudentes prudenter reſpondiſſent; *ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*; quaſi præſumentes de gratia & charitate. Erit ergo ſenſus de oleo elucente in operibus, prout ſatiſfactoria ſunt coram Deo: quorum quidem tranſlatio per operantis intentionem ac applicationem, fit quotidie in Eccleſia Dei, vbi ſuperabundet ſatiſfactio, & in viuos & in mortuos, priuatis directionibus, & communibus indulgentijs de theſauro Eccleſiæ; quem à Chriſto quanquam fonte perenni ac inexhauribili, per medios Sanctorum labores pœnaſque ſuſceptas, tanquam per medias cauſas ad infima, ordo diuinæ ſapientiæ deriuat. Vt obſtruatur obloquentium caninum os, qui quoniam ſuperabundantiſſimè ſoluit pro omnibus Chriſtus, contemnunt indulgentiarum ritum in ſancta Eccleſia. Eſt motus omnis à corde: atqui non mouet cor neruos cytharæ niſi media manu. Videtur autem colligi colloquium eſſe de hiſce ſatiſfactorijs operibus; quia inquiunt, *ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*: ſolis enim Sanctis, qui eis non eguerunt, inſontes coram Deo, ſuperfuerunt. Ad hæc Hieronymus; *neque poſſunt in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia ſubleuare.* Innoteſcit autem ex ipſa parabola, Virgines iſtas prudentes extitiſſe in gratia & charitate, dum inquit accepiſſe *oleum in vaſis ſuis*: de fatuis autem, *non ſumpſerunt*. Cur non ait & de ipſis, *non acceperunt?* Reſpondeo præſumi accepiſſe, ſed amiſiſſe. Sanè profunda eſt doctrina E diuidi gratiæ quoque habituale donum in gratiam operantem, & cooperantem; atque in gratiam præuenientem, & ſubſequentem. Prout gratia operans dicitur, illam certè accipimus, non ſumimus; nam vt ibidem docet, voluntas ſe habet vt mota, præſertim cum incipit bonum velle, quæ prius malum volebat: F & licèt Deus non ſine nobis nos iuſtificet; quia per motum liberi arbitrij, dum iuſtificamur, Dei iuſtitiæ conſentimus; ille tamen motus non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus, vnde tota operatio pertinet ad gratiam. Sic, recole, loquebatur Apoſtolus Rom. 1. dicens; *per quem accepimus gratiam*; &c. Verùm gratia, quæ dicitur operans, cooperans etiam eſt, dum homo per gratiam operantem adiuuatur à Deo, vt bonum velit. Hinc ad illud 1. Corinth. 15. *non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, inquit, G Deus autem non ſolùm infundit gratiam, qua noſtra opera, grata ſint & meritoria, ſed etiam mouet ad benè vtendum gratia infuſa; & hæc vocatur gratia cooperans. Aliàs etiam habet Apoſtolus Hebr. 12. *contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* H ne quis ſcilicet ponat obſtaculum. Denique Roman. 9. ad illud, *non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis*; I conſiderat qualiter & gratia ſine libero arbitrio

6.
D Apoc. 1. com. 1. ibi Zona aurea.
E p. 2. 111. 2. & 4.
F p. 2. 111. 2.
G 1. Cor. 15. hic.
H Hebr. 12. l. 3.
I Rom. 9. l. 3. opuſ. 7. & ſeq.

hominis, neque vult, neque currit: quia vult, vt ait opusc. 7. quòd homo cooperetur: Zach. 1. *conuertimini ad me; & ego conuertar ad vos*. Istæ ergo Virgines fatuæ increpandæ sunt, quia non cooperatæ sunt diuinæ gratiæ. Quæ altissima speculatio, planius tangi nequiuit, quàm dicendo, *non sumpserunt*, in quo claret vis cooperationis, quam non exprimit ly *acceperunt*; item addendo *secum*; *non sumpserunt*, inquit, *oleum*; & adiecit *secum*: quod absolutè non fuisset necessarium apponi; sed theologiam sacratissimam inuoluit: quam in persona prima expressit Apostolus dicens; *gratia Dei mecum*. Primam ergo gratiam, etiamsi nondum adultæ accepissent, per peccatum amiserant; Apocalypsis 2. *habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti*; de quo L suis locis. Deus autem, vt supra docet, M voluntate sua liberalissima dat eam omni præparanti se; Apocalypsis 3. *ecce sto ad ostium & pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum*; 1. Timoth. 2. *qui vult omnes homines saluos fieri*.

L 2. 2. 24. 11.

M Hebr. 12. l. 3.

VERS. IX. *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*.

7. Exposuimus exigi ab hisce fatuis Virginibus, de oleo lampadum, hoc est de valore operum, quæ lucebant in Virginibus prudentibus. Cum, quod etiam diximus, essent sine charitate in vasis cordium, non fuerit mirum, in virtutum operibus defecisse; quia N nec prudentia infusa esse potest sine charitate; & consequenter, nec aliæ virtutes morales, quæ sine prudentia esse non possunt. Sed ecce concupiscunt iam oleum: Aliàs ornauerunt & ipsæ lampades suas; nec tamen per hanc sedulitatem, aut desiderium, ad Regnum perueniunt. Quid est hoc? Simile est desiderijs Esau, de quo Apostolus Hebr. 12. *scitote, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est*. Vbi Angelicus, O quamdiu præsens vita agitur, potest agi vera pœnitentia. Interdum tamen aliquis pœnitet, non propter amorem iustitiæ, sed propter timorem pœnæ, vel damni temporalis. Et sic pœnituit Esau. Præmittit autem: nullus debet negligere, dum adhuc viuit, benefacere: quia postea ad hæreditatem Dei, etiamsi desideretur naturaliter, non peruenitur. Dic ergo præambulum de ornatu lampadum, atque etiam desiderium olei, ad Regni adeptionem non profuisse; quandoquidem vt ait Gregorius; *nihil habet ramus viriditatis, nisi procedat à radice charitatis*.

N p. 1. 65. a. & 1. 2. 81. 7.

O Hebr. 12. l. 3.

8. At quid est remitti sic ad vendentes? Augustinus de verbis Domini admiratus hanc responsionem propendet, vt non *sint putandæ dedisse consilium, sed crimen earum ex obliquo commemorasse*: ac si dixissent; *videamus nunc quid vos adiuuent, qui vobis laudes vendere consueuerunt*. Diuus Hilarius, & Chrysostomus arbitrati sunt, impulisse ad opera misericordiæ; & sic Hieronymus: quia inde resultet impendentibus spiritale lucrum. Veruntamen, in ea temporis angustia, noctu præterea; vel eis improperari vel ad pietatis opera præstanda monitum à prudentibus dari, aliquantulum ægrè subit parabola sensum. Et sub hac emptionis metaphora, id eis suggeri, arcanam latere intelligentiam, satis ostendit: præsertim; quia isthæc responsio concorditer à prudentibus datur: vnde credendum videtur, desuper potius dictatam, vi scilicet infusæ prudentiæ: (*responderunt prudentes*) quandoquidem habet Philosophus 6. Ethicor. cap. 5. *prudentis hoc opus, maximè dicimus, benè consiliari*. Vrgebat autem tunc temporis, audito clamore; *ecce sponsus venit*, vt quid eis agendum esset, consuleretur. Quibus tamen in eo articulo, non sic apparet amanter prospectum fuisse, quia iam Sponsus erat in ianuis; & erat in mora periculum, cum eorum parabola ferat, eundum ad officinas, excitandos vendentes: qui aliàs facillimè respondissent quòd amicus ille, intempesta nocte rogatus de panibus Lucæ 11. *noli mihi molestus esse: iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi*. Quòd si tam asperum erat consilium, cur quinque hæ virgines vnanimi pergunt gressu ad oleum nocte media emendum?

9. Vt ergo dilucidè genuinum parabolæ sensum assequamur, prosternamus in medium similia. Certè Prouerb. 23. legimus; *veritatem eme*: & Apocalypsis 3. *suadeo tibi emere à me aurum ignitum*. Per *aurum* intelligitur cœlestis sapientia; ignita P quia feruida est igne amoris: vel *aurum*, idest charitatem; quæ aurum est propter fulgorem, & decorem, & pretiositatem: *ignitum* propter feruorem. Obijcit autem; quia per hoc videtur, quòd primam gratiam possit homo mereri: quod falsum est: (ita p. 2. q. 111. a. 5.) item hæc caret pretio; Iob 28. *nescit homo pretium eius*. Et respondet: non accipitur hic verbum *emptionis* propriè, sed largè: quia propriè illa bona præmissa emi non possunt; nec primam gratiam potest aliquis mereri; alioquin gratia iam non esset gratia. Sed per hoc ostenditur, quòd magna oportet facere hominem. Loquitur ergo sic Dominus, vt magis ad industriam liberi arbitrij excitet hominem; per quam industriam disponatur ad sapientiam, siue charitatem: & si se disponat, ita sibi datur ac si emisset. Et iuxta hunc modum loquendi dicitur Prouerb. 23. *veritatem eme*. Et prius dixerat; *suadeo tibi emere*: scilicet per industriam liberi arbitrij, & fructum pœnitentiæ. Bona est talis negociatio: Lucæ 19. *negociamini dum venio*. Vide itaque lector, quid moneant prudentes Virgines, fatuas. Ad prudentiam quippe Q requiritur industria quædam, per quã sciat quis benè prouidere quæ agenda sunt: & hæc quoad ea, quæ sunt de necessitate salutis, datur omnibus habentibus gratiam; quos *vnctio docet de omnibus*; vt dicitur 1. Ioann. 2. Idem est ergo in primis, ac si dicerent, *estote, & vos prudentes*. Deinde, innuitur, id quod aliàs docet Angelicus, R exigi scilicet studium & conatum nostrum: secundum illud Augustini super Ioannem; *qui creauit te, sine te, non iustificabis te, sine te*. Certè negociatio temporalis, quæ in emptione quoque exercetur, nimis implicat animum sæcularibus curis; S & per consequens à spiritualibus retrahit. Dicito è contra retrahi à sæcularibus curis, qui pro sua salute, conatum studiumque adhibet, pro quo stat ly *emite*. Pulchrè Augustinus relatus in Serm. Sancti Syluestri. *Venale habeo: quid? Regnum Cœlorum. quomodo emitur? paupertate, Regnum; vilitate, gloria; luctu, gaudium; morte, vita*.

P Apoc. 3. com. 1.

Q 2. 2. 47. a. 14. 1.

R opusc. 7. 5. fac.

S 1. 2. 77. 4. 1.

10. Cohæret autem, si altè accipiatur, quod dicitur paulo ante; *dormitauerunt omnes & dormierunt*. Diuus Gregorius considerans mortem esse somnum, vocat pondus ægritudinis, qua ante mortem à salute languescimus, dormitationem. Sic & Augustinus in psal. 120. *omnis homo dormit & dormitat. Quando dormitat? cum portat carnem infirmitatis. Quando dormiet? cum fuerit mortuus*. Cæterùm grammaticis nostris *dormitare* frequentatiuum est; & quia comparatione dormientis, qui dormitat dirumpit somnos, diminutionem importat: *dormire* autem duriori somno teneri. Hebraicè *dormiuit* est *iasciem*, à qua radice etiam sopor. *Scienah* etiam significat somnum, qui maior est quàm dormitatio, qua quis nutat dormiendo. *Num* autem & *Nam* significant *dormitare*, quod est, vt inquiunt, citra vehementiam, & absque profunditate: hebraicè *thenumah*, dormitatio: de quo in radice *darab & daram*. Dum facet textus habet *dormitauerunt omnes & dormierunt*; æquum est, accipiatur respectiuè; vt quædam dormierint, quædam verò dormitauerint:

rint: & collectiuè omnes se dederint somno; sic tamen, vt quæ *dormitauerunt*, non *dormierint*; secus etiam prudentes in exemplum increpationis essent; *vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam*: quod minime probari debet, quando acceptissimæ *intrauerunt cum sponso ad nuptias*. Ergo prudentes dic dormitasse, fatuas dormiuisse. Dictum est autem, vacasse fatuas ab operibus, cùm quærerent à sapientibus oleum. Sanctus Bruno in serm. 7. de Confessoribus adstipulatur dicens; *illa anima dormit; immo quasi mortua iacet, quæ negligens & desidiosa est, & nihil boni operatur; vigilare, est in bonis operibus perseuerare*. Benè Origenes apud Angelicum, intelligit de somno pigritiæ, Prouerb. 6. *vsquequò piger dormis? quando consurges è somno tuo?* Remittiturque ibi ad formicam, *quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe*. Est autem notandum ab ea radice *iasen*, *dormiuit*, deriuari etiam *senescere*, & *inueterascere*: de sene autem fatuo legimus Ecclesiastici 25. *quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* quando enim in
T Titi 2. 1.1. iuuentute T quis se in bonis non occupat, est in senectute imprudens. Dic ergo quid mirum, si dum *irent emere*, *venit sponsus*? non legimus emisse; sicuti Marci 16. Sanctæ mulieres *emerunt aromata*: quæ sumit Gregorius hom. 21. in typum bonorum operum, ac pro virtutum odoribus. Augustinus de verbis Domini; *non autem dictum est, quod emerunt oleum*. Saltem diceret; *mox ierunt*, sed temporis circumstantia nulla exprimitur, nisi imperfectè *dum irent*: Ecclesiastes quippe 9. monitum est; *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas*. In eo etiam quòd quis pergit ad emendum, conatus, de quo supra diximus, non emicat. Hoc deficiente, quid mirum exclusæ sint? Id insinuatur versu superiori, *media nocte clamor factus est*; iuxta verbum Domini Ioann. 9. *venit nox, quando nemo potest operari*. Quare autem sint & prudentes nocte exsuscitatæ, dicetur in Syntaxi. Interim nihil eis deperit; quia Sanctorum somnus etiam operosus est. Neque enim interrumpitur actus continuatio per cessationem, puta somni, vel occupationis, cùm benè ordinatur ipsa
V p. 2. 3. 3. 4. cessatio; vt aliàs docemur V.

VERS. XI. *Nouissimè verò veniunt & reliquæ Virgines, dicentes, Domine Domine, aperi nobis*.

11. Supra cap. 7. *non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum*: 1. Cor. 4. *non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute*. Lucæ 6. *quid autem vocatis me Domine Domine; & non facitis, quæ dico?* Sanè docuerat Dominus, quomodo intrari posset; *pulsanti*, inquit, *aperietur*. Istæ fatuæ non pulsarunt, sed solùm dixere, *Domine Domine aperi nobis*; cùm tamen ad ianuam pulsari consuetum sit. Chrysostomus super Matthæum cap. 7. *sicut enim, qui pulsat ostium, non tantùm voce clamat, sed manu, sic & qui bona opera facit, pulsat operibus bonis*. Et quamuis palàm id manifestum fiat in sequentibus; cum his qui à dextris erunt, dicturus est, *esuriui, & dedistis mihi manducare*: & è contra reprobis: nihilominus, vt ait Augustinus contra Faustum lib. 12. *propter exercitationem quærentis, & propter delectationem inuenientis, plura in Scripturis per allegorias, & ænigmata, partim verbis solis insinuantur, partim etiam facta narrantur*. Et lib. 3. de doctrina Christiana: *quid in diuinis eloquijs largiùs & vberiùs potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis?*

VERS. XII. *Amen dico vobis, nescio vos*. 12.

Peregrina exclusio est hæc; *nescio vos*. Diuus Thomas; X idest non approbo vos; *cognouit enim Dominus, qui sunt eius*; 2. Tim. 2. sicut artifex nescit opus, quod discordat ab arte sua. Complexus est autem Angelicus, quod ait Augustinus & Hieronymus. Sanè sic 1. Ioan. 3. *Mundus non nouit vos*, A scilicet notitia approbationis. Videtur autem condigna reiectio; quia 1. Titi 1. quidam *confitentes se nosse Deum, factis negant*. Hieronymus; *quid prodest voce inuocare, quem operibus neges?* Præsumimus autem ex dictis, etsi virginitatem exterius seruarent, non propter Deum, sed obliquo aliquo humano fine; & ita; si quod aliud virtutis specimen ostenderunt siue etiam ostentauerunt: vnde non ante oculos suos Deum habuerunt, quod foret eum nosse; ideo neque noscuntur; *nescio vos*: Lucæ 12. *omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*. Sic & supra cap. 7. ijs, qui dixerant; *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* respondetur; *nunquam noui vos*; B mores scilicet eorum non approbando; quia radicem probitatis minimè habuerant, scilicet charitatem. Et propterea 1. Cor. 6. *si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo*, idest e approbatus. Et item ad illum, D *quoniam nouit Dominus viam iustorum*, notitia approbationis: & psal. 33. *oculi Domini super iustos*, E eadem approbationis visione: tandem Ieremiæ 1. *priusquam te formarem in vtero, noui te*, F notitia approbationis. Et quamuis quod propriè dicitur, videatur non indigere glossa; docet G non glossari notitiæ verbum, quasi impropriè dicatur, sed ad specificandum quod generaliter dicitur. Multipliciter autem dicitur Deus habere de rebus notitiam: & quidem H præuisionis; Ecclesiastici 23. *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita*: prædestinationis; 2. ad Timoth. 2. *nouit Dominus, qui sunt eius*: gratiæ infusionis; Ioann. 10. *cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*: specialis familiaritatis, Exodi 33. *& te ipsum noui ex nomine*; denique glorificationis; Eccles. 44. *agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem*. Ex his lector colligat, vberrimum esse verbi Domini sensum erga virgines fatuas. Quod quoniam definitiuæ sententiæ vim habet; nihil vltra potuerunt subiungere post repulsam. Sic & Lucæ 13. *cum intrauerit Pater-familias & clauserit ostium, incipietis foris stare & pulsare ostium, dicentes, Domine aperi nobis: & respondens dicet vobis; nescio vos, vnde sitis*. Sed quia quasi dulciter excluduntur à Regno, mirabitur quis, nisi theologiæ lumen affulgeat. Accedunt Virgines dicentes, *Domine Domine aperi nobis*. Nunquid virginitatis studium, aliarumque virtutum exercitatio, etiam intra naturæ cancellos, aut moralis cultus honestatem, nihil eis profuerunt? absit. Augustinus in lib. de patientia cap. 26. apud Angelicum; I *non possumus dicere schismatico; melius fuisset, vt Christum negando, nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo: sed existimandum est, tolerabilius ei futurum iudicium, quàm si Christum negando, nihil eorum pateretur; vt illud quod ait Apostolus; si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, intelligatur ad Regnum Cœlorum obtinendum; non ad extremi supplicij iudicium tolerabilius subeundum*.

Quæ doctrina ad rem profectò nihil diuinius: nam vix fit mentio de pœna sensus, sed exprimitur pœna damni; tolerabilius subeunda; *nescio vos*: ne scilicet si dixisset, *scio vos*, vel *cognosco vos*; forte inferretur quod ait Apostolus 1. Cor. 13. *tunc autem* 13.

(in

X D. Th. hic.
A 1. Io. 3.
B 2. 2. 172. 4.
C 1. Cor. 8. 1. 1.
D psal. 1.
E ps. 33.
F Ieremiæ 1.
G de verit. q. 6. 1. 11.
H Ieremiæ 1.
I 2. 2. 189. a. 6. 1.

(in Patria) *cognoscam, sicut & cognitus sum.* Tandem cum scientia Dei L sit causa rerum, sicut ait Augustinus 15. de Trinit. cap. 13. *vniuersas creaturas, & spirituales & corporales, non quia sunt ideo nouit Deus, sed ideo sunt, quia nouit*, adiuncta scilicet ipsius voluntate: dic, dum inquit *nescio vos*, æquiualere, *futuræ non estis ad nuptias, in nouam translatæ creaturam*. Sanè sic loquuntur Scripturæ; Gal. 6. *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura*; nam fides M charitate formata est noua creatura & 2. ad Corinthios; *si qua in Christo noua creatura*. Creatio enim est N motus ex nihilo ad esse: est autem duplex esse; esse naturæ, & esse gratiæ. Et Iacobi 1. *vt simus initium aliquod creaturæ*: quod etiam exponitur, O in ordine ad gloriam; initium scilicet recreationis in anima per gratiam; & in futuro in toto per gloriam. Et ad Corinthios fert illud Apocalyps. 21. *ecce noua facio omnia*. Si ergo ex Augustino; res *ideo sunt, quia nouit*; dum ad istas virgines, quæ petunt introduci ad gloriam, respondet *nescio vos*; idem est ac si diceret, esse gratiæ & gloriæ non estis habituræ. Certè si Mundum non nouisset, Mundus non esset: quandoquidem *omnia in sapientia fecit*. Sic Ephes. 2. *ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis*: P quando enim aliquis iustificatur, sine meritis præcedentibus, dici potest creatus, quasi ex nihilo factus. *Cor mundum crea in me Deus.* Et iam opera non habuisse diximus, quæ oleo carebant. Cæterum, non ideo videatur Dominus, qui sponsus repræsentatur, proinde spiritali casto æstuans amore, crudelis aut durus; quandoquidem, vt aiunt Theologi, *non deserit, nisi prius deseratur*: & Lucæ 12. vbi multa de his ordinantur; præmittitur, *sint lumbi vestri præcincti*: (ecce de Virginitate; *lumbos enim præcingimus* ait Gregorius, *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*) & *lucernæ ardentes in manibus vestris*: (ecce de lampadibus, seu bonis operibus; *lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris exempla demonstramus*) & quorsum hæc? *vt cum venerit & pulsauerit, Dominus reuersus à nuptijs, confestim aperiant ei*. Igitur præsumitur pulsasse prius ipse sponsus; sed obsurduerunt fatuæ Virgines, neque cordis ostium aperuerunt: ideo meritò nec ipsis aperitur. Et sic Prouerbiorum 1. terribiliter postquam tactum est de stultis & imprudentibus: sequitur; *vocaui, & renuistis*; &c. *tunc inuocabunt me, & non exaudiam*. *Multos* quippe, aiebat Augustinus, *decepit serotina pœnitentia*.

L p.p. 14. 8. — M Gal. 6. 1. 4. — N 2. Cor. 5. l. 4. — O Iacobi 1. — P Ephes. 2. l. 1.

VERS. XIII. *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.*

14. Dies iudicij aliquando dies dicitur, & aliquando nox; (media nocte &c.) Q quia incertum est quando veniet, non ad designandam temporis qualitatem. Dies etiam propter absconditorum manifestationem 1. Cor. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum: in die*, Roman. 2. *cum iudicabit Deus occulta hominum*: Matth. 7. *multi dicent mihi in illa die: Domine Domine*, &c. Et textum præsentem de media nocte R item refert ad iudicium. Veruntamen quoniam qui fuerit impræparatus moriens, talis in iudicio erit vniuersali, vt supra dictum est; ideo videtur vtrumque complexus Dominum, dicens; *nescitis diem neque horam*, vt hora ad mortem; *nunc & in hora mortis nostræ*; *dies*, ad finale iudicium referatur; de qua Sophoniæ 1. *dies iræ, dies illa*. Quamuis autem & cap. præcedenti dixerit; *vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, benè & congruè repetitur, ad inculcandum; ne vnquam somnus irruat, vbi de summa rerum omnium agitur: quando etiam 2. Petri 2.

Q Matth. Rom. 2. l. 1. — R Io. 5. l. 5. Ioa. 11. l. 6.

perditio idest ex glossa S *diabolus auctor perditionis, non dormitat*; immo potius, *tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret: cui resistite fortes in fide*, vt admonet in prima cap. 5. quod profectò est extingui lampades & ante mortem. De hoc themate; *media autem nocte*; pro aduentu ad iudicium grauis est sermo T Angelici: vbi ait dici noctem tempus illud, propter errorum obscuritatem, propter soporis profunditatem, propter peccandi securitatem, & propter charitatis frigiditatem.

S 2. Petri 2. — T in festo S. Agnetis.

VERS. XIV. *Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos*; &c. *& vni dedit quinque talenta*; &c.

Hilarius theologica de hac materia, sic ait: *diuisio quidem pecuniæ inæqualis est; sed non ad diuidentem referenda diuersitas est: ait enim, vnumquemque secundùm suam virtutem accepisse*. 15. Dionysius cap. 1. de diuinis nominibus fert hanc Domini sententiam, *dedit vnicuique secundùm propriam virtutem*, dicitque *secundum proportionem vniuscuiusque mentium reuelantur diuina; vt decet Deum segregantem.* Vbi Angelicus; V in hoc enim ratio distributiuæ iustitiæ consistit, quòd detur vnicuique secundùm suam conditionem. Sicut per ordinem distributiuæ iustitiæ constitutæ à Principe Ciuitatis, saluatur totus ordo politicus; ita per hunc ordinem saluatur à Deo totus ordo Vniuersi; hoc enim subtracto, omnia confusa remanerent. Veruntamen grano salis intelligendus est textus præsens. Pro cuius elucidatione sciendum est, vt refert in 2. X quod dicitur, *dedit vnicuique secundùm suam virtutem*, exponi à glossa, de collatione gratiarum. Ex quo posset quis minus rectè concipere, vt secundùm virtutem vniuscuiusque naturalem darentur à Deo gratiæ dona; vt arguitur ab ipso A Angelico. Cæterùm hoc non est referendum tantùm ad virtutem naturæ, quia vt alibi docet; B erroneum est dicere, quòd dona gratiæ & gloriæ dentur secundùm mensuram naturalium; sed intelligenda est virtus, quæ est etiam per gratiam. Sic constanter in 4. sent. virtus, inquit, non accipitur pro naturali capacitate, sed simul cum conatu ad habendam gratiam, & in 2. 2. illa virtus, secundum quam sua dona Deus dat vnicuique, est dispositio vel præparatio præcedens, siue conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem vel conatum præuenit ipse Spiritus-Sanctus, mouens mentem hominis vel plùs vel minùs secundùm suam voluntatem. Vnde & Apostolus dicit Coloss. 1. *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*. Et ita in primo sent. C dispositionem conatus dicit virtutem. Et in 2. D addit; huiusmodi conatum contingit esse maiorem in eo, qui minoris virtutis est naturalis. Et in 1. sent. allegato; quandoque, qui peiora habet naturalia, magis recipit de perfectionibus infusis, si adsit maior conatus. Et in *sed contra*, fert Gregorium dicentem; *gratia maior infunditur, secundùm quòd ad habendam gratiam aliquis magis nititur.* Sic in 2. 2. eius qui habet meliora naturalia, potest esse minor conatus, & è conuerso. Et quia naturæ est Angelicæ E vt exeat in actum toto conatu & totaliter feratur in id in quod fertur; nec est aliquid, ex parte sensitiua quod retardet aut impediat: ideo iuxta meliora naturalia, disposuit diuina sapientia Angelis dona gratiæ & gloriæ tribuere: homines reluctantiam patiuntur; & propterea non datur eis gratia iuxta proportionem naturæ; sed secundùm intensionem conuersionis in Deum datur maior gratia & gloria. Dic ergo hunc esse diuini eloquij præsentis sensum: Quod quidem sic exprimi & expendi conueniens fuit, ne tepidus ac iners quisquam esset; quasi Deus in salutem promoturus esset lapidem, non hominem eleuaturus ad dona gratiæ: *vnicuique*

V in de diuinis nominib. c. 1. l. 1. — X 2. sent. 19. a. 1. — A in 4. sent. 49. q. 1. a. 4. 4. 1. & 1. 2. 24. 3. 1. — B de virtutib. q. 1. 7. ad 9. — C 1. 17. 1. 3. — D 2. 19. 1. 3. 2. 2. 24. 3. 3. — E 1. sent. 17. 1. 3. & p.p. 62. 6. & 2. 2. 24. a. 3. 3. & hic.

ergo

F Ioan. 14. 4. *ergo secundùm propriam virtutem*: sed quod ait Angelicus F nos non præuenimus gratiam Dei; sed ipsa præuenit nos; ipse enim *prior dilexit nos*; vt dicitur 1. Ioan. 3. Sed aio ipse; quàm clemens Dominus! qui ne magnum salutis negocium, negligenter & perfunctoriè agamus, sic nostram extulit libertatem, vt veluti independentem describeret; quæ si dependentiam amitteret, rediret in nihilum. Ideo propriam magnificat seruorum virtutem: *propriam* veruntamen dicit, non dicit *suam*; quoniam appropriatur quidem singulis, sed Dei donum est: 1. Cor. 4. *quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic dicit; *& profectus est statim*: ad eandem astruendam libertatem: cùm aliàs semper adsit operantibus; iuxta illud Isaiæ 26. *omnia opera nostra operatur et in nobis Domine*; & Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Vnde non solùm virtutem à Deo habemus; sed etiam operationem. Et Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit vertet illud*: vbi ostenditur non solùm diuina causalitas ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Et quidem post hæc Angelicus increpat Origenem, qui non intelligens, qualiter Deus motum voluntatis in nobis causare possit, absque præiudicio libertatis voluntatis, dixit Deum causare in nobis velle & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quòd faciat vos velle: increpat inquam, & conuincit etiam ex Philosopho, per hunc modum.

G 1. cont. G. c. 89. & 2. Cor. 3. l. 1. Quòd aliquis G intelligat, consilietur & eligat, & velit, oportet aliquid esse causam; quia omne nouum oportet quòd habeat aliquam causam. Si autem est causa eius, aliud consilium & alia voluntas præcedens, cum non sit procedere in his in infinitum, oportet deuenire ad aliquid primum; huiusmodi autem primum oportet esse aliquid, quod est melius ratione: nihil autem est melius intellectu & ratione, nisi Deus: est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum & voluntatum. Inde est,

H p. p. 105. 5. quòd Deus H dicitur verè operari in omni operante. Et propter hoc in Sacra Scriptura, operationes etiam naturæ Deo attribuuntur; Iob 10. *pelle & carnibus vestisti me*. Ideo dicit Apostolus; *operatur in vobis & velle & perficere*; & Isaias; *omnia opera nostra operatus es in nobis*, quia interiùs per instinctum mouet voluntatem ad benè operandum; I neque necessitatur à fato, vel à prouidentia diuina.

I Philip. 2. l. 3.
L p. p. 83. 1. Quomodo autem sit homo liberi arbitrij L ostendit Angelicus; quamuis sic à Deo moueatur. Neque enim est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui, id quod liberum est; sicut nec ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiritur quòd sit prima causa eius. Et sicut naturalibus causis mouendo eas, non aufert Deus, quin actus earum sint naturales, ita mouendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potius hoc in eis facit; operatur enim in vnoquoque secundum

M p. p. 105. 4. 1. eius proprietatem. Et alibi egregiè; M quod mouetur ab alio dicitur cogi, si moueatur contra inclinationem propriam; sed si moueatur ab alio, quod sibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi: sicut graue cùm mouetur deorsum à generante non cogitur. Sic igitur Deus mouendo voluntatem, non cogit ipsam, quia dat ei eius propriam inclinationem. Stat ergo quod ait glossa; *homo peregrè proficiscens post tradita bona sua seruis suis, profectus est statim; quia non locum mutans, sed liberam eis operandi potestatem permittens, in suo arbitrio reliquit*. Et reuera quo pacto satius poterat insinuari libertas arbitrij, absque eo quod quæstionibus huiusmodi scholasticis immisceamur? non tamen suum dimittere intelligatur domicilium, quamuis peregrè dicatur proficisci; iuxta illud Ieremiæ 14. *tu in nobis es, Domine*; &c. & 2. Corinth. 6. *quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos*.

VERS. XV. *Et vni dedit quinque talenta; alij autem duo; alij verò vnum*.

Chrysostomus; *in quinque, duobus, & vno talento diuersas gratias intelligimus, quæ vnicuique traditæ sunt*. Et quidem vel potest accipi de gratiæ donis in ordine ad alios, puta de prædicatione regimine doctrina, vel de sanctificantis gratiæ charismatibus. Gregorius homilia 9. relatus ab Angelico N sic ait; *habens intellectum, curet omnino, ne taceat; habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordiæ largitate torpescat; habens artem, qua regitur, magnopere studeat, vt vsum ac vtilitatem illius cum proximo partiatur; habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat; si cùm valeat, non apud eum pro pauperibus intercedat. Talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod vel minimum accepit*. Quocirca videndus est omnino articulus ille quæstionis septuagesimæ primæ: vbi quædam exiguntur circumstantiæ, vt arctet sub mortali præceptum huiusmodi. Et sic dicito de gratijs gratis datis; quæ O non sunt æquales in vno & eodem, nec sunt communes omnibus. Patet ex Apostolo 1. Cor. 7. *vnusquisque enim habet proprium donum à Deo; alius quidem sic; alius autem sic*. Adde cap. 12. *alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ: Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* Roman. 12. *omnia autem membra, non eundem actum habent*. Cæterùm potest intelligi de mensura gratiæ gratum facientis. De quo apud Angelicũ P apprimè ad rem; Ephes. 4. *vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*: quod autem mensuratè datur, non omnibus æqualiter datur: ergo non omnes æqualem gratiam habent: quia scilicet vnus perfectius illustratur à lumine gratiæ, quàm alius. Cuius diuersitatis ratio quidem est aliqua, ex parte præparantis se ad gratiam; qui enim magis se ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit: (ecce alijs verbis; *vnicuique secundùm propriam virtutem*.) Sed ex hac parte, non potest accipi prima ratio huius diuersitatis; quia præparatio ad gratiam, non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo. Vnde prima causa huius diuersitatis accipienda est ex parte ipsius Dei; qui diuersimodè suæ gratiæ dona dispensat, ad hoc quòd ex diuersis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesiæ consurgat, sicut etiam diuersos gradus rerum instituit, vt esset vniuersum perfectum. Sic aliàs quæritur *Vtrum per pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute?* Q respondeturque, attendi motum liberi arbitrij; & iuxta illius intensionem vel remissionem, infundi Deo gratiam maiorem vel minorem. Opportunè autem de his introducitur, ne quis possit conqueri. Cùm enim capite præcedenti dictum sit de seruo fideli & prudenti; ac etiam de seruo malo: itemque in præsenti, de virginibus prudentibus & fatuis, mirari posset minus eruditus: vnde hoc discriminis esset. At, quod Osee 13. breui, hic latiori edissseritur parabola: ibi; *perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*: hic *vnicuique dedit talenta secundùm propriam virtutem*. Quæsiuit Angelicus; *Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem*; & instatur sic: R natura non deficit in necessarijs, sed nihil est homini tam necessarium, quàm id per quod finem vltimum consequitur: ergo hoc naturæ humanæ non deest: potest igitur homo per sua naturalia consequi beatitudinem. Respondet: Ad primum, dicendum, quòd sicut natura non deficit homini in necessarijs, quamuis non dederit sibi arma & tegumenta, vt alijs ani-

Right margin: 16. — N 2. 2. 32. 2. & q. 71. 1. — O p. 2. 66. 1. 1. — P p. 2. 112. 4. & hic. — Q 3. p. 89. 2. — R p. 2. 5. 5.

animalibus; quia dedit ei rationem & manus, quibus possit hæc sibi acquirere: ita nec deficit homini in necessarijs, quamuis non dederit sibi aliquod principium, quo posset beatitudinem consequi; hoc enim erat impossibile: sed dedit ei liberum arbitrium, quo posset conuerti ad Deum, qui eum faceret beatum: quæ enim per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus; vt dicitur in 3. Ethicorum. Et
S p. 2. 109. 4. hoc Aristotelis dictum inducit alibi. S Et quærens *Vtrum requiratur aliqua præparatio & dispositio ad*
T p. 2. 112. 2. *gratiam ex parte hominis:* resoluit T affirmatiuè, loquendo de ipso habituali gratiæ dono; Amos 4. *præpara te in occursum Dei tui Israel*; & 1. Regum 8. *præparate corda vestra Domino*: & sic ipse bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo: secundum illud Prouerb. 16. *hominis est præparare animam suam*. Ideo Hieronymus re-
V p. 2. 109. 4. latus V vbi supra, confitetur sic nostrum liberum esse arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio. Cùm ergo vniuersaliter nulla forma possit
X p. 2. 112. 2. esse nisi in materia disposita, vt assumit ibi X Angelicus; cur non diceret Dominus; *vnicuique secundum propriam virtutem*? Et, vt innui, signanter *propriam*, non *suam*. Sic quippe ad illud, *qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam*
A Galat. 6. l. 1. *æternam*; considerat A dicens; nota quòd cùm agit de seminatione carnis, dicit *in carne sua*, quia caro est nobis de natura nostra: sed cùm loquitur de semine spiritus, non dicit *suo*, quia spiritus non est nobis à nobis, sed à Deo. Dixit tamen *propriam*, causis, quæ supra, *vt non segnes efficiamur*, quod monet Apostolus Hebr. 6. instar pigri serui, vt infra v. 26.

17. Quoad talentorum numerum; nam *vni dedit quinque, alij verò duo, alij verò vnum*, plura legi possunt in Catena. Et videri potest Lauretus *in Sylua allegoriarum*; in cuius calce est appendix de numeris. Ego libenter existimauerim ad carissimos illos tres charitatis gradus respexisse: vt ostenderet, neminem non promouere, siue ad perfectionem, siue ad profectum, siue etiam ad incipiendum: (charitas
B 2. 2. 24. 9. quippe, vel est incipiens, B vel proficiens, vel perfecta) compatiens, si non omnes attingant apicem; sicque in Cœlesti Regno, quod ait Apostolus 1. Corinth. 15. *stella à stella differt in claritate*. Ecclesia-
C D.Th. hic. stici 33. *quare dies diem superat*? (fert hic C ad rem) *& iterum lux lucem, & annus annum à Sole? à Domini scientia separati sunt, facto Sole, & præceptum custodiente*. Sentio ergo promotos ad perfectionem eos esse, qui quinque recipiunt talenta, vt ea adduplicent: quemadmodum iste, qui *de*
D Matth. 25. *quinque decem obtulit*. Vt autem ait Angelicus, D denarius est numerus perfectus, quia est primus limes numerorum; vnde habet perfectionem finis. Proficientes sunt qui duo acceperunt, duoque alia lucrati sunt: (prior dixit *superlucratus sum*: quo videtur innui perfectionis eminentia) sic quippe auctus binarius in quaternarium, soliditatem præsefert, & firmitatem. Nam nec punctum qui fertur ad vnitatem, nec linea, pro duobus, nec superficies pro ternario, perueniunt ad corpus natura solidum, nisi adiecta altitudine; ex qua surgit corpus. In quadrangulo etiam firmitas: *Ciuitas* enim Apocalyps. 21. *in quadro posita est*. Aliàs etiam *vt fortuna globo, cubo sic insidet Hermes*. Roboratur autem in
E 2. 2. 24. 9. ijs E qui profecerunt charitas; nec moueri possunt, cum impugnationem vix sentiant. Qui vnum talentum accepit, ad altiora euocandus non erat: attamen præsto assuit ei diuina Clementia, ne transgressor esset præcepti de dilectione diuina. Non enim,
F 2. 2. 184. 2. 3. ad 3. inquit, F est transgressor præcepti, qui non attingit

ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum. Explicat autem quisnam sit diuinæ dilectionis gradus infimus; cum scilicet homo nihil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter Deo, diligit. Notabilis animaduersio! vt vnusquisque consideret sui ipsius miseriam; si nondum ad hoc peruenerit, vt peccata mortalia deuitet. Hoc enim assecutus nonnisi primum attigit perfectionis gradum. Docet autem alibi G, hoc esse in donis Dei; G Ioan. 14. l. 4.
vt qui benè vtitur dono sibi concesso, amplioris gratiæ & doni acceptionem mereatur. De ratione charitatis in via, est H vt possit augeri; si enim non H 2. 2. 24. 4.
posset augeri, iam cessaret viæ processus. Et ideo Apostolus 1. Corinth. 12. charitatem viam nominat; *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*. Ex hoc autem dicimur viatores, quòd in Deum tendimus, qui est vltimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus: cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Quomodo autem augeatur, edisserit postea, I dicens quòd quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non I ibi a. 6. 1.
quidem statim exhibendam sed suo tempore. Similiter etiam, quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum: non tamen statim augetur; sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum. Sic etiam de gratiæ augmento: L quolibet actu me- L p. 2. 114. a. 8. ad 3.
ritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore; cùm scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum. Cæterùm cùm homo ad gratiam N se præparare non possit, nisi Deo eum præ- N p. 2. 112. 2.
ueniente, & mouente ad bonum; non refert, vtrum subitò vel paulatim aliquis ad perfectam præparationem perueniat: dicitur enim Ecclesiastici 11. *facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem*. Et ita contigit Paulo, quia subitò, cùm esset in progressu peccati, perfectè motum est cor eius à Deo, audiendo & addiscendo & veniendo; Ioan. 6. *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*. Vide lector theoriæ huius praxin in parabola; nam vni mox *dedit quinque talenta*: quo numero quinario fas sit dicamus, aperta manu pandisque digitis, (quandoquidem per digitos dona Sancti-Spiritus intelligimus: Lucæ 11. *porrò si in digito Dei eijcio dæmonia*: & Matthæi 12. *si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones*) suam profudisse gratiam. Claret autem congruè talenta hæc supponere pro charitatis gradibus: quia illico de gaudij remuneratione subiungitur: sicut ait Apostolus; *charitas, gaudium*. Vnde & Angelicus postquam de charitate peregit, de gaudio mox quæstionem instituit, O tanquam de pri- O 2. 2. q. 28.
mo eius interiori effectu. Ad id Domini responsio; *euge serue bone & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui*. *Euge* quippe ait Rabanus, *interiectio est lætantis: per quod gaudium suum Dominus insinuat; qui benè laborantem seruum ad gaudium æternum inuitat; de quo Propheta ait; lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*. Obijcit autem Angelicus: ex absentia rei amatæ, P magis sequitur tristitia, quàm P ibi a. 1. 1.
gaudium: sed Deus, quem per charitatem diligimus, est nobis absens, quandiu in hac vita viuimus: *quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino*, vt dicitur 2. ad Corinthios 5. ergo charitas in nobis magis causat tristitiam, quàm gaudium. Respondet quòd quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, in comparatione ad illam præsentiam, qua quibusdam est præsens per speciei visionem: vnde & Apostolus subdit ibidem; *per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. Est tamen & præsens se amantibus etiam in hac vita per gratiæ inhabi-

Q D.Th. hic. habitationem. Ex quo, vt ait Angelicus Q peregrinatur spiritualiter à nobis; *homo peregrè proficiscens*: quia nos *peregrinamur à Domino*.

18. Hinc fit vt spiritale gaudium vitæ huius quasi per accidens admistam habeat tristitiam, iuxta illud ps. 119. *heu me; quia incolatus meus prolongatus est*; R sup.a.2. luget R enim amans de dilatione gloriæ. Dic proinde in eodem sensu, respectu amantium ex charitate Deum; *post multum verò temporis*: amanti enim omne momentum longa mora est. Quamuis etiam exponatur ad literam, Origenes enim considerauit, rarò inueniri vtiles Rectores, & Doctores Ecclesiæ S Io.21.l. 4. & hic. S paruo tempore viuere. Et inducit exemplum de Paulo, qui vt legitur Act. 7. erat adolescens; & postea scribit ad Philemonem; *cum sit talis, vt Paulus senex*: & sic de Petro; *cùm autem senueris*. Venit ergo desideratum tempus introeundi in gaudium illud æternum. Prouerb. 10. *desiderium suum iustis dabitur*. Isaiæ 35. *gaudium & lætitiam obtinebunt*. T Serm. Dom. 2. post Pent. Erit autem T gaudium de omnium malorum absentia; atque de omnium bonorum præsentia. Et cap. 51. *gaudium & letitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Lætitia sempiterna super capita eorum. Fugiet dolor & gemitus*; 1. Petri 1. *exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata*. Greg. homil. 37. in Euang. *quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ Ciuitatis quanta sint gaudia?* Quod est in aliquo, continetur ab illo; & continens maius est. Quando ergo gaudium est de aliquo quod minus est quàm cor, tunc gaudium V D.Th. hic. intrat in cor: V sed Deus maior est; 1. Ioan. 3. *Deus maior est corde nostro*: ideo qui gaudet de Deo, *intrat in gaudium*. Fuitque Augustini, relati in opusc. A opusc. 6. c.15. & 2. Petri 1. A *pleno corde, plena mente, pleno toto homine, nec illud totum gaudium intrabit; sed toti gaudentes intrabunt in gaudium*. Tali forma & Ecclesia in Collectis: *lux eas æterna possideat: brauium nos apprehendat*: non dicit *possideant lucem*: aut *apprehendamus brauium*. Societas etiam beatorum ad id faB opusc. 6. c. 15. ciet; nam B quilibet diliget alium, sicut se ipsum; & ideo gaudebit de bono alterius, sicut de suo. Quo fit, vt tantum augeatur lætitia, & gaudium vnius, C Hebr. 11.l.8. quantum est gaudium omnium. Hinc glossa; C *in communi gaudio omnium, maius fit gaudium singu-* D p.2.18. 1. *lorum*: ex Augustino D; *quando cum multis gaudetur, in singulis vberius est gaudium*. Et ecce in psal. 86. *sicut lætantium omnium, habitatio est in te*: & psal. 121. *lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*; & mox in plurali; *in domum Domini ibimus*. Et Lucæ 6. *mensuram bonam & superfluentem dabunt* E 1.2.28. 3. *in sinum vestrum*; vt alibi E refert. Et 1. Cor. 12. *gloriatur vnum membrum; congaudent omnia membra*. Dicit autem, *quia super pauca fuisti fidelis*, ex Hieronymo, *quia omnia, quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur & plurima; tamen comparatione futurorum, parua & pauca sunt*. Huc faF 1.2.80. 3.corp. cit quod ait Augustinus; *benignus exactor est*, F & *qui non crescat ex redditis*, sed *in se faciat crescere redditores*.

VERS. XXIV. *Scio, quia homo durus es: metis vbi non seminasti*, &c.

19. Seruus iste à Domino dicitur malus, non solùm piger. Malus quidem, quia peccauit cogitatione, verbo & opere; piger autem ob omissionem. Impiam in primis habuit æstimationem de Domino suo; dicens; *scio quia homo durus es*; &c. Deus enim G 1. 2. 62.4.1. G nihil requirit ab homine, nisi bonum, quod ipse in nobis seminauit. Nam immo ipse est, vt ait Apostolus 1. Cor. 3. *qui administrat semen seminanti*. Quod quidem & in spiritualibus certissimum est: *non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. H 2.Cor. 3. Vnde non solùm perfectio operis H est à Deo, sed etiam inchoatio; Philipp. 1. *qui cœpit in vobis opus bonum*. Sic 1. Cor. 3. *incrementum dat Deus*: & 2. Cor. 9. *augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*: atque ad Philipp. 1. *qui cœpit, perficiet*. Blasphemus ergo I fuit, Et multò magis, dicendo; scio, *quia homo durus es*. Et dicit *homo durus*; L quia I D. Th. hic. homo durus non flectitur. Sanè ex Scripturis docemur Dei mansuetudinem suauitatem & clementiam: L D. Th hic. quanquam sibi faciant eum durum contumaces peccatores duritia sua; secundùm illud Ieremiæ 10. *propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua*: & Roman. 2. *secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ; & reuelationis iusti iudicij Dei*. Ex quo Sap. 11. *hos quidem tanquam Pater monens probasti: illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti*. Aliàs vt dictum est ex Augustino; *benignus exactor, qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat suos redditores*. Quocirca idem Augustinus de ecclesiasticis dogmatibus; *omnium* inquit *bonorum affectuum & operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur Auctorem: & non dubitamus, ab ipsius gratia, omnia hominis merita præueniri: per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium: sed liberatur; vt de tenebroso lucidum; de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & pro ijs, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus & agamus. Nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit: vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei: ac si quid in nobis ex nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum solicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros* &c. Vbi tactus diuino spiritu Sancti Patris calamus, exponit, quamuis non memoret, quod dicitur hic de talentis, tanto verborum pondere, vt Sacrum Tridentinum Concilium, eadem verba sess. 6. cap. 16. vsurpauerit; *cuius*, inquit, *tanta est erga omnes homines bonitas; vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Et sic de inutilis serui neglectu. De quo & Angelicus; M ad illa verba; *sciebas* M 2. 2. 62. a.4.1. *quod meto vbi non semino*: vel dicuntur secundùm prauam existimationem serui pigri, qui existimauit, se ab alio non accepisse: vel intelliguntur quantùm ad hoc, quòd Deus requirit à nobis fructus donorum, qui sunt & ab eo & à nobis, quamuis ipsa dona à Deo sint, sine nobis. Sed, *piger dicit*, Prouerb. 22. *leo est in via*: N pigri semper allegant impe- N Hebr. 6.lect.3. dimenta. Augustinus in lib. de verbis Domini; *nonnulli cùm peccant grauiter, assolent se prima vice à peccatis suis excusare; & ne benè aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur*. Verùm hic seruus malus nedum falsam excusationem adinuenit, sed pigritiam suam tegit, ceu pusillanimis. Specialis fit quæstio O de pusillanimitate; in qua, do- O 2. 2. 133.a.1. ctrina est Angelici ad rem nostram, cùm agitur de talentis; *vnicuique secundùm propriam virtutem datis*: inest, inquit, vnicuique rei naturalis inclinatio ad exequendam actionem commensuratam suæ potentiæ; vt patet in omnibus rebus naturalibus, tam animatis quàm inanimatis. Sicut autem per præsumptionem, aliquis excedit proportionem suæ potentiæ, dum nititur ad maiora quàm possit; ita etiam pusillanimis deficit à proportione suæ potentiæ, dum recusat in id tendere, quod est suæ potentiæ commensuratum. Et ideo, sicut præsumptio est peccatum, ita & pusillanimitas. Et inde est quòd seruus, qui acceptam pecuniam Domini sui fodit in ter-

erram, nec est operatus in ea propter quendam pusillanimitatis timorem, punitur à Domino, vt habetur Matthæi 25. & Lucæ 19. Vides lector, quomodo minimè præsumptione peccasse agnoscuntur serui fideles; quippe qui non ausi sunt vltra suam potentiam; sed de quinque & de duobus talentis, alia quinque, aliaque duo lucrati sunt. Iste autem seruus malus, vili captus timore; ex quo potiùs debuerat studiosè negociari, altero extremo deliquit. Terribilis est ibi Gregorij sententia; *illi, qui prodesse vtilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districtè iudicantur, ex tantis rei sunt, quantis, venientes ad publicum prodesse potuerunt.* Alibi etiam in Angelico legi, ni fallor, peccasse seruum istum contemptu. Per contemptum quippe scimus firmari
P 2. 2. 186. a. 2. animum P contra spiritualem profectum. Seruus autem malus & piger data opera *abscondit talentum in terra*; sine dubio perquisita loci securitate, clandestino studio ac labore; quæ cuncta deliberatè ac ex proposito agentem manifestant. Non ergo per transennam ocio se dedit, sed ociari diu perseueranti segnitie statuit: & ita per contemptum deliquit.

VERS. XXVII. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs*; &c.

20. Quod suum erat, cum vsura optasset recipere Dominus. Vsura autem hic metaphoricè accipitur
Q 2. 2. 78. a. 1. Q pro superexcrescentia bonorum spiritualium, quam exigit Deus; volens vt in bonis acceptis ab eo semper proficiamus: quod est ad vtilitatem nostram, non eius. Sequitur de ablatione talenti. Hoc est
R Ioa. 14. l. 4. enim in donis Dei, R vt qui malè vtitur, hoc ipsum quod accepit, auferatur ab eo. Plura enumerat pi-
S Apoc. 16. gritiæ damna in Apocalypsin mira eruditione: S præ alijs fert locum Prouerb. cap. 26. *sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.* Potest enim pusillanimitas aliquo modo ex superbia
T 2. 2. 133. a. 1. 2. oriri. Vnde Gregorius; T *superbus fortassè esset, si Ducatum plebis suæ sine trepidatione susciperet, & rursum superbus existeret, si auctoritatis imperio obedire recusaret.* Neque existimet quis serui huius mali ac pigri leue fuisse peccatum; quia pusillanimitas hæc est grauius peccatum, secundum propriam
V ibi a. 4. speciem, quàm præsumptio; V eo quòd per pusillanimitatem recedit homo a bonis: quod est pessimum; vt dicitur in 4. Ethic. cap. 3. cum tamen *præsumptio* Ecclesiast. 37. dicatur, ratione superbiæ ex qua procedit, *nequissima*. Deprehenditur autem peccati huius grauitas *ex ore suo*, vt exprimit Lucas cap. 19. *de ore tuo te iudico serue nequam*; nam duo dixit; *metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti*. Intendit igitur Dominus vtrumque, & metere & congregare. Cùm quis in Ecclesiæ agro, post semen fidei germinat in aristam, metitur, seu metendus est: supra cap. 9. *messis quidem multa.* Atqui congregare vlterius vult Dominus; vt scilicet is qui metitur, alios attrahat; & sic per ipsius ministerium Dominus congreget; iuxta illud Apocalyps. 22. *qui audit, dicat, veni.* Sic Andream Ioan. 1. messuit amanter Dominus; & per Andream, qui fratrem suum *Simonem adduxit ad Iesum*, congregauit. Nam per conuersos, vt ait Angelicus X debent alij conuerti; siquidem Exodi 26. cortina trahit cortinam; & Apocalyps. vltimo; *qui audit, dicat veni.* Sic exponitur illud Cant. 8. *si murus est*, &c.
A Cant. 8. altera exposit. *si ostium est.* Sicut enim inquit Angelicus; A in esse naturæ, prius aliquid accipit, quòd possit subsistere in forma acquisita; & postea accipit, quòd secundùm formam illam possit sibi simile producere: sic in esse spirituali, priùs accipit homo, quòd stet in dono sibi cœlitus infuso; & posteà quòd alios manuducat ad Christum: priùs ergo dicitur *murus*, deinde *ostium*; ex quo, alios ad Christum introducit. Hoc ipsum dicito sub alia significari metaphora metendi & congregandi.

VERS. XXVIII. *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.*

Textus hic & sequens non admodum facilis est, 21.
vt ex multiplici claret expositione; sequitur enim; *omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Istud; *omni habenti dabitur, & abundabit*, explicat B de gratia proficiendi; quia vnum bonum du- B Apoc. 1. & 7. com. 3.
cit ad aliud. Sed quoniam ex Gregorio intelligitur de donis auferendis gratuitis, quod aufertur; nam quam non habet ille malus seruus, charitas non potest auferri: arridet, vt ei qui habet decem talenta dicatur superaddi illud talentum absconditum; ne ex prauitate serui pigri & mali, quidquam fructus spiritualis depereat. Vnde erudiamur de prouida Domini nostri dispensatione; qui culpa ministrorum munia sibi commissa negligentium, non finit perire populum, sed alium pro alio subrogat ad vsum gratuiti doni, pro gregis congregandi vtilitate. Et quia is, qui decem habet talenta, feruentior præsumitur; ipsi demandatur mali etiam serui officium: fitque vt *omni habenti detur, & abundet* ex consequenti, vtique maiori gratia, proinde & merito. Hinc dicitur Apocalypsis 3. *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: vbi dicit Augustinus, apud Angelicum, C *quòd alius non est accepturus, nisi iste perdiderit.* Et quidem arbitror de huiusmo- C p. p. 23. 6. 1.
di gratijs gratis datis ad aliorum vtilitatem congruè intelligi; siquidem de corona fit mentio; de qua & Apostolus Philipp. 4. *fratres mei, gaudium meum, & corona mea*: & 1. Thessal. 2. *quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos?* quia scilicet D pro certaminibus eorum, & iste, qui D 1. Thes. 2. l. 2.
induxit ad certandum, coronatur. Dux enim, qui induxit milites ad pugnam, coronabitur; Ecclesi. 30. *qui docet filium, laudabitur in illo; & in medio domesticorum in illo gloriabitur.*

VERS. XXIX. *Ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.*

Quod videtur haberi, re non habetur. Quomo- 22.
do ergo dicitur auferri? Præterquam iam præablatum ei fuerat talentum. Quid vltra ei auferendum supererat? Hieronymus recurrit ad naturæ dona, quæ illi qui sine fide Christi est, quibus etiam malè vtitur, non debent imputari, sed Domino, qui illa dat, attribui. Gregorius; *quisquis charitatem non habet, etiam ea quæ percepisse videbatur amittit.* Hilarius; *habentibus vsum Euangeliorum, legis honor redditur: non habenti autem fidem Christi, etiam quod ex lege sibi videbatur honoris aufertur.* Ipse triplicem haurio intelligentiam. In primis, vt de gratiæ sanctificantis amissione, seu ablatione fiat sensus; & meritò sub ea phrasi, *& quod videtur habere*; quoniam hoc in genere nemo certus esse potest. Possunt vtique videri homines Deo accepti; at nullus E scire potest citra reuelationem; vtrum E p. 2. 112. 5.
habeat gratiam sanctificantem: quamuis signis, & coniecturis aliquo modo queat deprehendi. Dic ergo talem esse doni cœlestis, scilicet gratiæ & charitatis, naturam, vt videatur ab hoc vel illo haberi; non autem certò sciatur. Itaque & gratia, quæ videtur haberi, auferetur ab eo. Et propterea credendus est Dominus sic locutus, vt innotesceret, quoad dona gratiæ, solummodo existimari posse ab hominibus & videri quòd habeantur, non autem certò sciri. Deinde posset videri, vt is, cui ablatum fuerat talentum, & spatium pœnitentiæ & tempus resipiscendi aliquando haberet; sed cùm finalis fertur sententia, locus vltra non est accipiendi talenti, aut quidquam lucrandi. Hoc etiam pacto, *& quod videtur habere, auferetur ab eo.* Tertiò posset aliquibus

bus videri damnandum seruum, seruaturum in inferno quas in Mundo acquisiuerat, artium scientiarumque delectabilem notitiam. Sed & hoc *quod videtur habere, auferetur ab eo*: Ecclesiastes 9. *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare*; (en quomodo quasi pigrum corripit) *quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Quod quidem argumento est, F vt Philosophi obliuiscantur scientiæ suæ in Inferno: cum enim sit aliqua infirmitas, quæ hominem adhuc viuentem facit amittere scientiam, multo fortius videtur, quòd pœna Inferni, quæ excedit omnem infirmitatem, hoc faciat. De hoc tamen puncto aliter in Sententijs legimus G. Quare dici potest, non ad delectationem, (quod quis posset opinari) damnatis futuras esse scientias: seu etiam, illarum vsum actumque secundum, miseriæ angore fore præpediendum. Hinc Gregorius apud Angelicum; H *in tormentis positis, nihil præter tormenta scire licebit*. Et sic ad tormentum Rationalis summa erit inquit ignorantiæ cæcitas. Apocalypsis quippe 18. legimus; *& omnis artifex, omnis ars non inuenientur in te ampliùs*. Habebunt tamen recordationem multorum, I ex quibus aggrauabitur eorum pœna.

F Apoc. 18. com. 1. ad finem.

G 4. sent. 50. q. 1. a. 2. & q. 2. a. 2.

H Serm. Dom. 10. post Pēt.

I Apoc. 18. & 4. sent. allegatis.

VERS. XXX. *Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores*.

23. Aliàs cap. 8. & 21. nonnihil de tenebris hisce exterioribus dictum est. In vita mali habent tenebras interiores scilicet peccati; sed tunc etiam exteriores; vt ait opusc. 6. §. vltimo. Sint modò in signum etiam mentalis obtenebrationis: vt inutilem seruum inutiliter habitæ ars & scientia torqueant. Sicque & in irascibili, atque in concupiscibili puniatur: *vbi erit fletus & stridor dentium*. Erit enim ad irascibilis tormentum L continua odij & iræ angustia. Et ad pœnam concupiscibilis, erit continuus sonitus flentium, & vlulantium; Iacobi 5. *agite nunc diuites, plorate & vlulate*. Lucæ 5. *væ vobis qui ridetis, quia flebitis*. De his 2. Petri 2. *quibus caligo tenebrarum reseruatur*; M dicit autem *caligo tenebrarum*; idest, quæ tetertimæ, & obscurissimæ erunt in Inferno; quasi palpabiles. Ex Isaiæ 8. *non erit eis matutina lux. Et transibit per eam; corruet & esuriet: & cùm esurierit, irascetur; & maledicet Regi suo, & Deo suo; & suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur; & ecce tribulatio, & tenebræ, & dissolutio, & angustia, & caligo persequens: & non poterit auolare de angustia sua*. Quæ de Inferno exponit in Apocalypsin N.

L Serm. cit.

M 2. Petri 2.

N Apoc. 2. com. 1.

VERS. XXXI. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua*.

24. Iam praxis exponitur vniuersalis iudicij, postquam de particulari retributione, & sub ea de vniuersali quoque per parabolas actum est. Filium hominis & hîc se dicit; quia Ioannis 5. *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*: O Secundùm enim naturam humanam est caput totius Ecclesiæ; & sub pedibus eius Deus omnia subiecit. Et quidem decet in forma hominis veniat; vt forma serui P bonis & malis ostendatur: cùm forma Dei solis bonis, vt ait Augustinus, seruetur. Et sic Apocalypsis 1. *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*. Cæterùm *constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum*, vt dicitur Act. 10. ex merito, vt scilicet Q secundùm Dei iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit & vicit, & iniustè iudicatus est. Vnde ipse dicit Apocalypsis 3. *ego vici, & sedi in throno Patris mei*: in throno autem intelligitur iudiciaria potestas. Quamuis aliàs hoc ei conueniat, vt dictum est, propter dignitatem Capitis; & vlteriùs propter diuinam Personam, & propter plenitudinem gratiæ habitualis. Meruit ergo per suam passionem exaltari R quantùm etiam ad iudiciariam potestatem, secundùm illud Iob 36. *causa tua quasi impij iudicata est; causam iudiciumque recipies*.

O 3. p. 59. 2.

P loc. cit. & hic.

Q 3. p. 59. 3.

R loc. cit. & 3. p. 49. 6.

25. *In Maiestate*. Maiestas honor & gloria, in idem ex hebraica recidunt. Angelicus; S in maiestate, idest in gloria; quia suum corpus erit gloriosum; & veniet cum societate gloriosa; supra cap. 16. *filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis*. Sed quoniam nedum *hadar* dicitur *gloria*, sed *eder* etiam apud quosdam; & est à radice *adar*, scilicet, *excelluit, eminuit*; à qua deriuatur *adyr*, *magnificus, admirabilis, gloriosus, fortis, terribilis*; collige inde qualiter sit venturus, quàm magnificè quàm splendidè. Magister in 4. dist. 48. *apparebit terribilis impijs, & mitis iustis: erit enim terror malis, & lumen iustis*. Dum autem inquit *in maiestate*, additque *sua*, se Deum perhibet ex possessu gloriæ; Lucæ 24. *nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* & 1. Corinth. 2. *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Et idcirco ait Angelicus, per maiestatem T intelligi potest Diuinitas. Apostolus 1. Thessal. 4. *quoniam ipse Dominus in iussu descendet de Cœlo*. In primo aduentu venit vt obediens; V Philipp. 2. *factus est obediens vsque ad mortem*, quia ille fuit aduentus humilitatis; sed iste erit gloriæ. Et ita Lucas cap. 21. *cum potestate magna & maiestate*. Creditur autem Christus X ad iudicium descensurus circa locum Dominicæ passionis, secundùm illud Ioelis 3. *congregabo omnes Gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat; & disceptabo cum eis ibi*; quæ subiacet Monti Oliueti; vnde Christus ascendit. Ideo, credo, suprà c. 24. *sedente eo super Montem Oliueti*, quæsierunt de consummatione Sæculi. Delegit autem hunc locum, quia per passionem suam potestatem iudiciariam promeruit; & ita significatur, homines nonnisi conformatos passioni eius, ad societatem gloriæ ipsius assumendos esse; secundùm illud 2. ad Tim. 2. *si sustinebimus, & conregnabimus*. Et Rom. 8. *si tamen compatimur, vt & conglorificemur*. Et vt hic ait, qui saluantur, per passionem Christi saluantur; & qui damnantur, per contemptum passionis eius damnantur. Ideo vbi fuit passio Christi, fiet iudicium. Sic etiam ostendetur idem esse, A qui ascendit regnaturus, & qui descendit iudicaturus; secundùm illud Act. 1. *quemadmodum vidistis eum ascendentem in Cœlum, ita veniet*.

S D. Thō hic.

T D. Thō hic.

V 1. Thes. 4. l. 2.

X opusc. 2. c. 244. hic. & 4. sent. 48. 1. 4. 4. & opusc. 60. 25.

A quodl. 10. 2. 1.

26. Sed insurgit difficultas, quia locus ille, scilicet tota terra promissionis, non videtur posse capere tantam multitudinem hominum iudicandorum. B Respondetur autem in primis, magnam multitudinem in paruo spatio comprehendi posse. At erunt non solùm in valle Iosaphat, sed in regione circumquaque; dummodo ab illo latiori spatio Christum videre possint; qui in aere eminens, & maxima claritate refulgens à longinquo inspici poterit. Quidam nullam credunt fuisse vallem, quæ diceretur Iosaphat; sed quia *Iosaphat* interpretatur *Iudicium Domini*, vt fert Magister in 4. dist. 48. vbicunque fiat iudicium, ab euentu locum dici *vallem Iosaphat*. Porro falsum est; quia qui de locis hebraicis scripserunt; quique terram sanctam lustrauerunt, testantur inter Templum & Montem Oliueti esse vallem Iosaphat; sicque & hodie appellari. Et sic eam recolit Sanctus Beda in libello de locis sanctis cap. 6. dicens; *iuxta murum Templi vel Ierusalem Gehennon occurrit, quæ est vallis Iosaphat, à Septentrionali plaga in Austrum porrecta, per quam torrens Cedron, si quando pluuiarum aquas recipit, decurrit. Hæc vallis, & parua campi planities irrigua & nemorosa plenaque*

B quodl. cit. & 4. sentent. præf.

naque delicijs letum in se quondam Bahall sartum habuit: in hac turris Regis Iosaphat, sepulchrum eius continet. In eadem Valle, vt fert Ribera Ioelis 3. locus est sepulchri beatissimæ Virginis Mariæ. Valde autem suffragatur, non esse recurrendum ad nominis interpretationem; quia nec Septuaginta, nec Hieronymus transtulerunt nomen illud, sed vt in hebræo extabat, dixere *Iosaphat*; vt notat idem Ribera. Et sanè si locus tantum iudicij fuisset confusè designandus, non oportuerat adnecti de valle. Cumque locus aliquis sit specialiter futurus, quò Christus ad iudicandum veniat, non est cur nisi gratis negetur esse ad vallem Iosaphat. Vnde quoniam in iudicio discussio fiet de operibus, videtur in quandam iudicij allusionem dici Iosaphat Regi Iuda 2. Paralipomenon cap. 19. *iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inuenta sunt in te*. Nihilominus inquit in 4. C qualiter illud iudicium sit futurum, & quomodo homines ad iudicium conuenient, non potest multum per certitudinem sciri.

C 4. sent. 48. q. 1. a. 4. 4.

Sequitur; *& omnes Angeli cum eo*.

27. Possunt intelligi cœlestes Spiritus; ex glossa non vt Iudices, sed vt sint testes humanorum actuum; D sub quorum custodia homines benè vel malè egerunt. Vel Angeli idest Prædicatores & Doctores veritatis, quique salutem E hominibus nunciauerunt (*Angelus* dicitur *Nuncius*) vt Augustinus *in lib. de pœnitentia* dicit. Malach. 2. *labia Sacerdotis custodient scientiam; & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est*. Igitur ij qui sectati sunt Apostolos, quibus dixit supra cap. 19. *iudicantes duodecim tribus Israel, vos qui reliquistis omnia*, donati à Domino quasi iudiciaria potestate iudicabunt, psalm. 149. *gladij ancipites in manibus eorum* &c. eruntque veluti Christi Domini Assessores. Zachar. 14. *veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo*. Et quidem rationabiliter: discussio enim erit de actibus hominum, F qui terrenis rebus benè vel malè sunt vsi. Requiritur autem ad rectitudinem iudicij, vt animus Iudicis sit liber ab iis de quibus habet iudicare. Et ideo per hoc, quòd aliqui habent animum suum à rebus terrenis totaliter abstractum, dignitatem iudiciariam merentur; Iob 36. *iudicium pauperibus tribuit*. Et hoc nihil aliud erit, vt ibi *ad Primam*, quàm alios ducere in cognitionem diuinæ iustitiæ; vt sciant quid eis iustè pro meritis debeatur; vt ipsa reuelatio iustitiæ iudicium dicatur. Et quod de pauperibus dicitur; G etiam de alijs perfectis potest intelligi; eo quòd paupertas est prima perfectionis pars. Angeli tamen quamuis non sint consortes Christo, qui secundum humanam naturam omnibus apparebit, dici possunt quodammodo iudicare, H per sententiæ approbationem. Quo pacto etiam omnes iusti iudicabunt: secundum illud Sapient. 3. *iudicabunt Sancti Nationes*. I Tota autem Trinitas L iudicabit per auctoritatem. Nemesicus autem vt ait in 2. 2. gaudet in quantum æstimat aliquos dignè pati: & hoc est laudabile; psal. *lætabitur iustus cum viderit vindictam*.

D 4. sent. 47. q. 1. a. ad 4. & hic.
E 4. ad Hannib. 47. 1. 2. hic & op. 2. c. 245.
F opusc. 2. c. 245. & 4. sent. d. 47. 1. 3. 5.
G ad Hannib. 4. dist. 47. 1. 2. & in primo scripto q. 3. 1.
H 4. sent. 47. q. 1. a. 3.
I opusc. 2. c. 245.
L 4. sent. cit. 2. 2. 30. 3. 2.

Sequitur; *tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ*.

28. Benè dicitur sessurus; quandoquidem vt ait Chrysologus Sermon. 93. *Deus cùm stat, corripit; cum sedet, iudicat*. Et Gregorius homil. 29. scilicet Ascensionis; *sedere iudicantis est*. Glossa apud Magistrum in 4. Sent. dist. 48. *hoc quidam pueriliter intelligunt, quod in valle, quæ est in Monte Oliueti, descensurus sit Dominus ad iudicium: quod friuolum est; quia non in terra, sed in spatio huius aeris sedebit contra locum Montis Oliueti, ex quo ascendit*. Est autem glossa Ioelis 3. vt fertur M in Opusc. Sic Apostolus 1. Thessal. 4. *simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera*. Sed cum in Euangelio venturus perhibeatur in nubibus; mirum est, non dici si futurum in nubibus; dum ex glossa; *creatura vbique obsequitur Creatori: astra indicant nascentem; patienti compatiuntur; ascendentem nubes suscepit; redeuntem ad iudicium comitabitur*. Igitur, inquit, N non debemus intelligere sedem corporalem: sed (ex Origene) sedes homines Sancti sunt, & Angeli; quia per eos iudicium exercebit: psal. *illic sederunt sedes in iudicio*: Coloss. 1. *siue throni*; & psal. 79. *qui sedes super Cherubim*. Cæterùm ad illud Isaiæ, *vidi Dominum sedentem*, dicit O in æternitate præsidentem. Vnde videtur mihi, in sessione immobilitatem iudicij diuini significari. Motui quippe, & mutabilitati opponitur sessio. Ita Angelicus P sedere & stare, & huiusmodi dispositiones de Deo dicuntur secundum similitudinem. Et ideo secundum diuersa, dicitur & sedens, & stans; sedens quidem propter immobilitatem; sed stans propter *virtutem* ad fortiter resistendum: (fortè etiam, legendum est propter *virilitatem*, quanquam typus exhibeat *vtilitatem*) & sic stabat, quasi paratus Stephanum iuuare in agone constitutum; (& ita Gregorius; *stare est pugnantis vel adiuuantis*. Actor. 7. *ecce video Cœlos apertos, & Iesum stantem*. Ibidem ait; Maiestas propriè est summa potestas. Quare cum Danielis 7. dicatur; *potestas eius, potestas æterna*; videtur sententiæ Christi æternitas insinuari: Ioann. 5. *potestatem dedit ei iudicium facere*. Quòd si alio in sensu distinguamus potestatem à Maiestate; secundum illud Lucæ 21. *cum potestate magna, & Maiestate*: vt magnitudinem ac amplitudinem immensam ac inaccessam, importabilemque gloriæ splendorem concernat; inde magis emicat Christi Diuinitas; cuius quia, quanquam semper fuerit, tunc consors apparebit; ideo dicatur sessurus *in sede Maiestatis*, & *suæ*. Et sic intelligitur in eo diuina sedere auctoritas: neque enim creatura coram Deo sedet. Multi enim assistunt; inquit Angelicus: Q *millia millium* Danielis 7. *ministrabant ei; & decies centena millia assistebant ei*: sed nullus legitur ibi sedere. Apocalyps. 20. *vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum*. De quo vide in Summa: nam sessio regiam seu iudiciariam dignitatem designat.

M opusc. 60. a. 25.
N D. Th. hic.
O Isaie 6.
P Hebr. 1. l. 2.
Q Hebr. 1. l. 2. 3. p. 58. 2. & a. 4. 1.

VERS. XXXII. *Et congregabuntur ante eum omnes Gentes*.

29. Apocalypsis 7. *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Iudæi vocem Goim dicunt significare Gentem, quæ non est de Israel. Et profectò dubium non est, non rarò sic accipi in Scripturis. Cæterum in ampliori etiam accipitur significatio; vt Isaiæ 40. *omnes Gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo*. Et in psalm. *excelsus super omnes Gentes Dominus*. Et Genesis 10. *ab his diuisæ sunt Gentes in terra post diluuium*. Et Danielis 12. *veniet tempus, quale non fuit, ab eo ex quo Gentes esse cœperunt*. Et planè in hac amplitudine dicitur *congregabuntur ante eum omnes Gentes*; ac si diceretur, omnis natio, omnis populus, omne hominum genus. Nam sicut, *pusillum & magnum ipse fecit*; Sapient. 6. ita Ioannes Apoc. 20. vidit *magnos & pusillos stantes in conspectu throni*. Et Ecclesiastes 3. *iustum & impium iudicabit Deus*. Denique 2. Corinth. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, siue bonum, siue malum*. Solummodo potest curiosius quæri, cur sic Gentes indiscriminatim vocet? inter quas extabunt & boni; quia *separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hædis*.

Cur

Cur non potiùs nomine Tribuum? sicut supra capit. 19. *iudicantes duodecim tribus Israel*. Inquit Beda, homil. in Natali Sancti Benedicti; *duodenario sæpè numero solet in Scripturis vniuersitas designari: ideo per duodecim sedes Apostolorum, omnium numerositas indicantium; & per duodecim Tribus Israel, vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur.* Quod quidem prædocuerat Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 5. *non enim tribus Leui, quæ tertia decima est, iudicanda non erit; aut solum illum populum, non autem cæteras Gentes iudicabunt.* Dicit subinde Angelicus; R [R 4. dist. 47. q. 1. 1. q. 1. ad 1.] ideo autem per duodecim Tribus, omnes aliæ Gentes significatæ sunt, quia per Christum in sortem duodecim Tribuum, omnes Gentes sunt vocatæ. Hac in re igitur videtur mihi dicendum, idcirco Dominum dixisse *omnes Gentes*, vt qualificaret iudicium: in quo licèt creaturarum rationalium omnium definienda sit vltima generalis retributio: nihilominus iudicio discussionis, cuius praxin exhibet sacer textus, Gentes erunt iudicandæ; non autem homines omnes. Aliàs quippe ex Diuo Gregorio in moralibus, super illud Iob 36. *iudicium pauperibus tribuit*, diximus; nec infideles iudicabuntur discussione, sed solùm condemnabuntur. Sanctiores etiam vt pauperes spiritu saluabuntur, sed non iudicabuntur. Non enim est necessaria discussio nisi bona malis permisceantur: leuiora autem feruore charitatis quodammodo consumuntur, vt nihil esse videantur. De quo etiam opusc. 2. cap. 243. & 4. sent. dist. 47. q. 1. 3. Cæteri peccatores vel in peccato morientes; vel per pœnitentiam in iustitia, iudicium discussionis seu examinis subituri sunt S [S opusc. 6. ps. 1. hic & alibi.]. Nomen Gentis sonat non subiectos legi: Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent*. Sic in psal. 2. Populus est multitudo hominum iuris consensu sociata; T [T psal. 2.] Gentes autem dicuntur alij, quia non sunt sub lege Dei. Sed vlteriùs dicito, Gentes esse illos omnes, qui quamuis habeant, quam receperunt legem scriptam, vel saltem legem naturæ nouerint, & adhuc legem gratiæ, non secundum legem vixerunt. Hinc Ezechielis 5. *ista est Ierusalem: in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras; & contempsit iudicia mea, vt plus esset impia, quàm gentes*. Qui ergo sub lege peccauerunt, Gentes dicuntur. Omnes hos congregabit ad iudicium discussionis: *& separabit eos ab inuicem*; quia, quod inquit Angelicus, V [V opusc. 6. §. inde venturus 48.] fideles qui decesserunt cum peccato mortali, condemnabuntur, sed iudicabuntur: fideles autem, qui decesserunt in iustitia, quamuis in aliquo lapsi sint, pariter saluabuntur, sed iudicabuntur. Ezechielis 34. *ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietum & hircorum*. Quod idem profectò est, ac quod ait hic Dominus; *sicut Pastor segregat oues ab hædis*. *Impij* autem & infideles, idcirco dicuntur *non resurgere in iudicio* psal. 1. quia scilicet non est locus disceptandi contra eum, X [X Rom. 2. 1. 2.] qui totaliter alienus est à fide: Ioan. 3. *qui non credit, iam iudicatus est*. Sicut & Rex, vt Gregorius dicit, hostes condemnat absque audientia; ciues autem cum diligenti audientia. Vnde & Apostolus; *quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*. Dominus etiam Ioan. 12. *qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die*. Quamuis ergo dicat Ioannes in Apocalypsi cap. 7. verissimè *ex omnibus Gentibus & tribubus & populis & linguis, vidi turbam magnam stantem ante thronum*: nomine Gentium apprimè intelliguntur. Et Ioelis 3. quò credendus est respexisse Dominus, similiter legitur; *congregabo omnes Gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat*. Et quia iudicium tangit examinis, & discussionis, addit, *& disceptabo cum eis ibi*. Repetitque deinde *consurgant & ascendant Gentes in vallem Iosaphat quia ibi sedebo, vt iudicem omnes Gentes in circuitu*. Distinguit autem ibi Ioel Gentes à populo Dei; quasi iudicium futurum sit solùm de Gentibus; & reuera ita est, vt ex dictis claret, atque ex verbo illo, *disceptabo cum eis*, iudicaturus iudicio discussionis. Vnde & canit Ecclesia; *tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit*.

Dicit autem; *disceptabo cum Gentibus super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos dispersc-* 30.
runt in nationibus, &c. Quò facilè carnales impingent hebræi, rati in sui ipsorum solatium loqui Prophetam, quasi aduersùm nos disceptaturus sit Dominus, facturusque iudicium; quòd dispersionis eorum, simus in causa. Sed toto aberrant Cœlo miserrima inferni mancipia, quando, quæ cuncta in Scripturis leguntur, crassâ capiunt intelligentia; cùm tamen Spiritus-Sancti calamus aliud intenderit, quàm terrenos solum euentus prænunciare, & captiuitatem Sæculi dolere. Non imus inficias, quandoque veluti super primam intentionem, vt aiunt Logices studiosi, fundari in captiuitate terrena, altiorem captiuitatis peccati diaboli ac mortis mysticum sensum; sed hic est præcipuè in sacra Scriptura latens: ideo interdum historiali superficie res non implentur: sicuti locus iste Ioelis minimè post Babylonicam captiuitatem potest interpretationem ferre; neque enim vnquam Gentes in vallem Iosaphat deduxit. Temerè autem Iudæi se populum Dei hic & alibi faciunt. Quia pro Dei populo intelliguntur electi. Neque enim de Iudæis loquitur psaltes cum inquit; *vota mea Domino reddam coram omni populo eius*; & iterum: *vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atrijs Domus Domini in medio tui Ierusalem*. Vbi Augustinus; (psalm. 115.) *ne quis autem existimet, per omnem populum eius, Iudæos significari; quia ita clausit iste psalmus, vt diceret in medio tui Ierusalem, cuius nomine carnales Israelitæ gloriantur, audite sequentem psalmum; Laudate Dominum omnes Gentes; laudate eum omnes populi*. Et hic recolo psal. 99. in quo conuocatur omnis terra; *iubilate Deo omnis terra*, &c. & mox *populus eius, & oues pascuæ eius*. Simulque additur, *in æternùm misericordia eius; & vsque in generationem, & generationem veritas eius*: sicut in præmisso illo 116. Neque illud psal. 148. *Filij Israel populo appropinquanti sibi*, ad se possunt veraciter detorquere; quia vt idem ait Augustinus; *ne putetis Iudæos filios Israel esse; & nos non esse filios Israel. Audeo dicere; illi non sunt; & nos sumus*. Quod quidem pergit solidè ostendere. Addique potest illud Osee cap. 1. *quia vos, non populus meus*: atque vt legit Apostolus Roman. 9. *vocabo non plebem meam, plebem meam*: & Petrus in 1. cap. 2. *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei*. Vnde scitè Ribera in Ioelis cap. 3. inquit; *non itaque de populo illo veteri loquitur, neque de eius hostibus tantùm, vt verba præseferre videntur; sed de omnibus electis, tam in illo, quàm in Ecclesia Gentium; & de omnibus electorum persecutoribus. Populus enim ille figura erat Ecclesiæ; & illius hostes typus eorum omnium portabant, qui Sanctos persequuntur*. Elucidatur autem hoc ampliùs, quia ex Augustino apud Angelicum; A [A 4. dist. 48. q. 2. 4. q. 1. ad 1.] circa finem Mundi, erit vniuersalis persecutio malorum contra bonos. Præterquam, vt aliàs diximus ex eodem Augustino, ferturque in secundam Petri; B [B 2. Petri 2.] *omnes mali persequuntur bonos; non ferro aut lapidibus, sed vita & moribus*. Infer tu ex his indubitanter damnandos, cum quibus disceptaturus descendet Dominus. Sed iam reuertamur ad textum.

VERS. XXXIII. *Et statuet oues quidem à dextris suis; hædos autem à sinistris.*

31. *Ad cuius aduentum* (profitetur Symbolum) *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*. Dextrum quippe, & sinistrum aduerbia sunt loci, atque respectu humani corporis dicuntur: siue vt assumit in 3. p. 58. a. 1. 1. sunt differentiæ positionum corporalium. Et hoc opportunè; quia iudicium ordinatur ad retributionem præmiorum: vnde secundum duplex præmium
C quodl. 10. a. 2.
C & animæ & corporis, est duplex iudicium Dei; vnum quo beatificat vel damnat homines, quoad animam; quod iudicium per totum hoc tempus agitur. Aliud est iudicium, quo præmiabuntur vel punientur homines etiam quantum ad corpora; & hoc iudicium fiet post resurrectionem in fine temporis. Quod ipsum alibi
D D.Th. hic.
D firmat; quia præmium duplex est, & stola animæ, & stola corporis. Nam retributio hominis non solum consistit in bonis animæ, sed in bonis corporis: & ita quoniam
E opusc. 2. c. 242.
E omnis retributio requirit iudicium, oportet & aliud iudicium esse, quo retribuatur hominibus secundum ea quæ gesserunt, non solum in anima, sed etiam in corpore. Verum de hoc vide
F 3. p. 59. 5. p. 2. 4. a. 5. & 6.
F suo in loco; vbi ex professo quæritur; *vtrum post iudicium quod agitur in præsenti tempore, restet aliud iudicium*. Et præterea *in prima secundæ* vbi tractat, *an ad beatitudinem hominis, requiratur corpus; & aliqua perfectio corporis:* nam ex August. *erit homini ad gloriam, quod sarcina fuit*. Et *redundabit in inferiorem naturam incorruptionis vigor*. Benè autem dicit *à dextris & à sinistris*; quia Prouerb. 4. *vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ sunt à sinistris*: dicit autem Ezechielis 33. *vnumquenque iuxta vias suas iudicabo de vobis*. Origenes eos à dextris intelligit, qui intentionem suam direxerunt ad Deum suis in operibus: è contra ad sinistram. Latè discurrit Augustinus in psal. 120. ibi, *dextera eorum dextera iniquitatis*. in hanc sententiam, vt pro sinistra sit temporalium bonorum affluentia, transitoriaque felicitas. Fert autem illud Prouerb. 3. de sapientia, *longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria*. Sapientia autem pertinet ad dexteram,
G p. 2. 102. a. 4. ad 6.
G sicut & cætera spiritualia bona: temporalia autem ad sinistram. Puto autem ideo dici, *statuet oues quidem a dextris suis*; quia spiritualia omnino & quoad vsum sunt à Deo; proinde à dextris suis: abusus autem temporalium à Deo non est, sed à nobis. Propterea non dicit à sinistris, *suis*. Dic etiam *statuet*, quia vnusquisque, qualis obijt firmabitur. Vnde in 4. contra G. c. 93. sicut boni in carne viuentes omnium suorum operum, & desideriorum finem constituunt in Deo; ita mali in aliquo indebito fine auertente eos à Deo. Dextera autem pars Mundi, est australis pars; aquilonaris verò sinistra, vt dicitur in 2. de Cœlo t. 15. Quare dicito ibi vnumquenque statuendum, vbi mansurus, permansurus, perennaturus est, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem; iuxta illud Ecclesiastes 11. *si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, ibi erit*.
H 2. 2. q. 13. 4. 3. & q. 18. 4. 3. & 1. Cor. 2. l. 1. & 4. sent. 20. 1. 3. 1.
Quod in hunc sensum passim H accipitur, & exponitur. Et sic in lib. 1. de Symbolo tomo 9. capu. 4. pro sinistra intelligit Augustinus miseriam; sicut beatitudinem per dexteram. Et 15. de Trinit. c. 18. *nisi impertiatur cuique Spiritus-Sanctus, vt eum Dei, & proximi faciat amatorem, ille à sinistra non transfertur ad dexteram*. Quare non tam segregandos sic situ ad dexteram & sinistram, quàm ad insinuandam ouium præcellentiam reor dici.
I opusc. 2. c. 244.
Vnde Angelicus I sicut Christus à dextris Dei sedere dicitur secundum humanam naturam, inquantum est ad bona potissima Patris sublimatus; ita iusti in iudicio à dextris eius dicuntur insistere; quasi honorabilissimum apud eum locum habentes. Nam mali qui terrena diligentes à Christo recesserunt, remanebunt in terra: boni autem, qui Christo adhæserunt, *obuiam Christo occurrent in aera* subleuati: vt Christo conformentur non solum configurati gloriæ claritatis eius; sed & loco consociati. Erunt autem corpora resurgentium beatorum
L opusc. 2. c. 167. & 168.
L totaliter obedientia ipsi animæ, vt instrumentum obedit motori, ex dote agilitatis, vt epilogat in Compendio Theologiæ. *Separabunt ergo Angeli* (supra capit. 13.) *malos de medio iustorum: elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*: elegerunt vtique in vasa honoris, postquam *sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*; Roman. 9. Terribilis erit ea segregatio, cum malus à bono Pastore, nedum hœdus ab oue; parentes etiam à filijs, à sponsa sponsus in æternum separabuntur.

VERS. XXXIV. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt: venite benedicti*, &c.

Mox subditur; *esuriui, & dedistis mihi manducare*; quod quidem ad discussionem meritorum 32,
pertinet: nam Ecclesiastici 12. *cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium*. Non est autem existimandum quòd discussio iudicij erit necessaria, vt Iudex informetur, sicut contingit in humanis iudicijs, cum omnia sint *nuda & aperta oculis eius*, vt dicitur Hebræor. 4. sed ad hoc est necessaria prædicta discussio, vt vnicuique innotescat de se ipso & de alijs, quomodo sint digni pœna vel gloria; vt sic boni in omnibus de Dei iustitia gaudeant; & mali contra se ipsos irascantur. Nec est putandum quòd huiusmodi discussio meritorum verbotenus fiat: immensum enim tempus requireretur ad enarranda singulorum excogitata dicta & facta, bona vel mala. Vnde Lactantius deceptus fuit, vt poneret diem iudicij mille annis duraturum: quamuis neq; hoc tempus sufficere videatur; cum ad vnius hominis iudicium modo prædicto complendum, plures dies requirerentur. Fiet ergo virtute diuina, vt statim vnicuique occurrant bona vel mala, omnia quæcunque fecit, pro quibus est præmiandus vel puniendus: & non solum vnicuique de se ipso, sed etiam vnicuique de alijs. Ita in præfato eo aureo Opusculo
M opusc. 2. c. 244.
M. Sic etiam ad Hebræos, vbi Apostolus dicit *iudicium æternum*: non quòd illud iudicium duret per mille annos,
N Hebr. 6. l. 1. & hic.
N sicut voluit Lactantius, sed totum erit in momento. (in psal. 2. ad hoc fert Apostolum 1. Corinth. 15. *in momento, in ictu oculi*.) Sed dicitur æternum, quia sententia, quæ ibi dabitur, in æternum durabit. Quanquam dicat Augustinus 20. de Ciuitate capit. 1. *vltimum diem dicimus, idest nouissimum tempus. Nam per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum est*. Qua de re, idem Augustinus ibidem cap. 14. expendens illa Apocalypsis verba; *vidi mortuos* (cap. 20.) *magnos & pusillos stantes in conspectu throni. & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex ijs, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*, sic ait; *Libros dixit esse apertos, & librum; sed librum cuiusmodi sit, non tacuit; qui est*, inquit, *vitæ vniuscuiusque. Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendi sunt Sancti & veteres & noui; vt in illis ostenderetur, quæ Deus fieri sua mandata iussisset: in illo autem, qui est vitæ vniuscuiusque, quid horum quisque fecisset, vel non fecisset*. (Nota ex Ludouico Viues, græcè non extare ly *vniuscuiusque*, neque in nostris recognitis exemplaribus latinis) *Qui liber, si carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem aut longitu-*

gitudinem valeat æstimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptæ sunt vniuersæ vitæ vniuersorum? An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit? vt & vitam suam quisque ab Angelo sibi adhibito audiat recitari. Non ergo vnus liber esset omnium, sed singuli singulorum: scriptura verò ista vnum volens intelligi; & alius, inquit, *liber apertus est. Quædam igitur vis est intelligenda diuina, qua fiet, vt cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur; vt accuset vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul & omnes, & singuli iudicentur. Quæ nimirum vis diuina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur, quicquid à faciente recolitur.* Sed ex Chrysost. hom. 19. in Matth. *voluntas est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis. Non ergo quærit Deus opera propter se, vt sciat quomodo iudicet; sed propter alios; vt omnes intelligant, quia iustus est Deus.* Ad hæc Anselmus; *quæ nunc bona esse putas, quæque nunc mala esse non putas, apparebunt ibi* (in iudicio) *nudata facie, ingenua peccata.*

33. Non desunt Sacræ Scripturæ sententiæ. Roman. 2. *testimonium reddente illis conscientia ipsorum; & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum*; idest o cogitationibus accusantibus aut defendentibus; more Græcorum, qui genitiuis, loco ablatiuorum vtuntur. Et Sapient. 1. *in cogitationibus impij interrogatio erit.* Ezechielis 16. *nudabo ignominiam tuam coram eis; & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Quocirca inquit Diuus Basilius; *grauior erit pudor ille, quàm ignis.* In psalm. quippe 6. dicitur *erubescant valde velociter.* Quod potest intelligi per modum prænunciationis de reprobis, præ P detectione peccati eorum coram omnibus: Isaiæ 1. *erubescetis super hortis, quos elegeratis; cùm fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua.* Porro Ecclesiastici 4. *est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Quos enim pœnituerit Dei offensæ non tanget verecundia; quia etsi ceciderint aliquando, consurrexerint. Tantus est decor pœnitentiæ, vt peccati turpitudinem omnem tollat; iuxta illud *lauabis me & super niuem dealbabor*: & Isaiæ 1. *si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana, alba erunt.* His ergo sic dealbatis dicet amanter; *venite benedicti Patris mei.* Ephes. 1. *benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo.* Per Regnum Q intelligitur exaltatio hominis, vsque ad coniunctionem cum Deo. Et quamuis & hic sint iusti coniuncti Deo R per charitatem; tunc plenè. *Paratum vobis Regnum.* Hoc innuit prædestinationem, quæ est, ex glossa (super illud Roman. 8. *quos præsciuit, hos & prædestinauit*) *præscientia & præparatio beneficiorum Dei; qua certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Dicitur autem possideri, quod pacificè habetur. S Vnde plenarium dominium signatur. Etsi autem prædestinatio sit ab æterno; à constitutione Mundi dicitur, quia manifestata. Hoc ergo notandum, in Scriptura quandoque sic intelligi æternitatem; T quia exprimit id quod magis capit homo. Magis autem capit homo id quod dicitur circa Mundum, & Mundi originem, quàm quod dicitur de ipsa diuina æternitate. Sic psal. 89. *à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.* Et Ecclesiastici 24. tangitur vtrumque dicendo *ab initio*, moxque, *& ante sæcula creata sum.* Sed libet verbum illud expendere; *venite.* Nonne tunc erunt iam à dextris? nonne iam Paradisum præpossederint secundùm illud Sancto latroni promptum; *hodie mecum eris in Paradiso?* Vtique sed perpetuitas Regni profundè significatur in eo, *venite.* Quanto quippe aliquid est Deo propinquius, qui est omnino immobilis, tanto est minùs mutabile, & magis perseuerans. Vnde quædam corpora (verba sunt Angelici V) propter hoc, quòd longè distant à Deo, non possunt in perpetuum durare; sicut dicitur in 2. de generatione. Dic itaque hunc accessum ideo exprimi; *venite*: & videtur in psal. 148. innui: *filijs Israel, populo appropinquanti sibi*; vt ampliùs in huius capitis roborabimus expositione.

O Rom. 2. l. 3.

P psl. 6. in fine.

Q 3. 2. 47. 2.

R D.Th. hic.

S D.Th. hic.

T Apoc. 13. ibi, ab origine Mundi, com. 2.

V 3. cont. G. c. 61.

VERS. XXXV. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.*

Augustinus *in Serm. in die Commem. animarum fidelium defunctorum*. Considerat inter multa, quod supra cap. 16. dixit Dominus; *tunc reddet vnicuique secundùm opera sua.* Planè, *non dixit secundùm fidem suam, sed secundùm opera sua*; quia sicut Iacobus Apostolus clamat; (cap. 2.) *fides sine operibus mortua est.* Largitas sola glorificabit. Recole Apostoli 1. Timoth. 4. *pietas ad omnia vtilis est; promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Vno verbo dicuntur legem impleuisse; Rom. 13. *qui diligit proximum, legem impleuit*: præsumique debent declinasse à malis, qui fecere bona. In executione quippe operis X priùs extirpanda sunt vitia, quàm inserendæ virtutes; psal. 33. *diuerte à malo, & fac bonum*: & Isaiæ 1. *quiescite agere peruersè; discite bene facere.* Pulchrè autem quærit Angelicus A *vtrum declinare à malo, & facere bonum sint partes iustitiæ?* & affirmatiuè respondet; in communi, facere bonum & vitare malum pertinere ad omnem virtutem: item ad iustitiam generalem pertinere, facere bonum debitum in ordine ad communitatem, vel ad Deum; & vitare malum oppositum. Cæterùm prout iustitia est specialis virtus, pertinent hæc duo sub ratione debiti in comparatione ad proximum; vt scilicet faciat quis bonum proximo, & vitet malum oppositum; nempe quod est nociuum proximo. Notat autem, B in hoc quod est declinare à malo, non importari negationem puram, quod est non facere malum; hoc enim non meretur palmam, sed solùm vitat pœnam; sed importari motum voluntatis repudiantis malum; vt ipsum nomen declinationis ostendit: & hoc est meritorium; præcipuè quando aliquis impugnatur, vt malum faciat, & resistit. Vide hinc quàm altè moneat psaltes psal. 4. *sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*; & mox explicans per modum interrogationis quidnam sit hæc iustitia, subdit; *multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Quapropter ijs, qui bona agunt, ea in Deum referendo, quod est *sacrificare sacrificium iustitiæ*, spes est salutis; *sperate*, ait, *in Domino.* Vbi adhuc adest signanda doctrina; quia, licèt multi non habentes habitum iustitiæ iusta operentur, ex naturali ratione, vel ex timore, siue ex spe aliquid adipiscendi; & ita dare eleemosynam materialiter sit in eis actus virtutis; attamen *formaliter* eleemosynas dare, C idest propter Deum delectabiliter & promptè, & omni eo modo, quo debet quis, non est sine charitate. Misericordia quippe D est effectus charitatis. Et prout ordinatur ad placandum Deum, habet rationem sacrificij, E & imperatur à latria.

Quocirca sciendum quòd Deum F non colimus per exteriora sacrificia aut munera propter ipsum, sed propter nos, & propter proximos. Non enim indiget sacrificijs nostris, sed vult sibi ea offerri propter nostram deuotionem, & proximorum vtilitatem; & ideo misericordia, qua subuenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum; vtpotè propinquiùs vtilitatem proximi inducens; se-

34.

X p. 2. 100. a. 6. 1.

A 1. 2. 79. 1.

B ibi ad 2.

C 2. 2. 32. 1. Dloc cit. & priùs q 30. a. 2. & 3. E 2. 2. 32. 1. 1.

35.

F 2. 2. 30. 4. 1.

cundùm illud Hebræor. vltimo; *beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus*. Osee 6. & Matthæi 9. *misericordiam volo & non sacrificium*. In græco eleemosyna

G 2. 2. q. 32. 1. à misericordia deriuatur; G sicut in latino miseratio. En ergo cur adeo misericordiæ opera sit Dominus in iudicio commendaturus; vt sibi præstita esse asseueret; *esuriui, & dedistis mihi manducare*. Sanè & in humanis Cicero in Cæsaris laudem, vt

H 2. 2. 30. 3. in sed cont. fert Angelicus, H dixit; *nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordiâ est*. Et ecce

I D. Th. hic. cur bonos vocet oues; I quia ex oue plures fructus percipimus; Ezech. 34. *lac comedebatis, & lanis cooperiebamini*; sic multi sunt fructus bonorum. Sunt etiam alia capita; nimirum ex innocentia, ex patientia & obedientia: ad vocem enim pastoris con-

L Serm. Dom. 1. post 8. paschæ. gregantur. Et in Serm. L Sancti dicuntur oues; quia oues nemini iniuriam faciunt, mansuetè mala sufferunt, se & sua ad vsum hominum tribuunt.

M D. Th. hic. Hœdus contrarias habet proprietates; M estque animal per præcipitia vadens, & ad coitum feruidum. Ideo reproborum in typum. *Beatus* ergo (psal. 40.) *qui intelligit super egenum & pauperem*.

M ps. 40. Non dicit, *qui subuenit*; quia M debet esse misericors ad modum Dei. Deus autem non expectat, quòd semper petatur, sed subuenit desiderio antequam petatur. (psal. *desiderium pauperum exaudiuit Dominus*: Isaiæ 65. *eritque, antequam clament, ego exaudiam*) Et ideo ille est verè misericors, qui non solùm petentibus subuenit; sed etiam indigenti subuenit, priusquam petatur. Et vide quomodo hoc innuit in ouium suarum commendationem Dominus; non enim dicit, petij, sed *esuriui* &c. Igitur, *qui miseretur pauperi*, Prouerb. 24. *beatus erit*. Et *in die mala liberabit eum Dominus*. Summum ma-

N ps. 40. lorum est damnatio æterna; N quæ imminet homini in iudicio, vel particulari, scilicet morte; vel vniuersali; idest in fine Mundi. Et psal. 111. *iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus; ab auditione mala non timebit*.

VERS. XXXVI. *Nudus & cooperuistis me*.

36. Cum septem sint misericordiæ opera corporalis, hoc versiculo clausa *visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*: quod est condere sepulturâ, seu sepelire mortuos: mirum videbitur, quare Domi-

O 4. dist. 15. q. 2. 3. 2. 1. nus, hoc septimum misericordiæ opus non commemorauerit. Respondet Angelicus; O Dominum enumerasse illas eleemosynas, in quibus maior indigentia apparet, vt euidentior appareat iustitia iudicantis, dum hos pro eleemosynis remunerat, & illos pro omissione condemnat. Et tamen in alijs Scripturæ locis talis eleemosyna commendatur; sicut patet de Tobia, & de Simone Machabæo, qui parentibus & fratribus suis sepulchra solemnia ædificauerunt. Ioseph etiam corpus Domini sepeliuit:

P 2. 2. 32. 2. 1. & ex hoc laudatur. Sic in Summa; P respondet non enumerari sepulturam; quia quoad sensum nihil prodest proximo: sed commemorantur illa quæ sunt euidentioris necessitatis. Pertinet tamen ad defunctum, quid de eius corpore agatur: tum quantum ad hoc quod viuit in memorijs hominum, cuius honor dehonestatur, si insepultus remaneat; tum etiam quantum ad affectum, quem adhuc viuens habebat de suo corpore; cui piorum affectus conformari debet post mortem ipsius: & secundùm hoc commendantur aliqui de mortuorum sepultura; vt Tobias, & ij qui Dominum sepelierunt; vt patet per Augustinum in lib. *de cura pro mortuis agenda*. Dic etiam si placet de sepultura siluisse; quia non admodum emicat charitatis opus; cùm præstetur passim à suis carnali sensu, non misericordiæ affectu; nec occurrat arguenda passim operis huius omissio. Nisi contineri dicas, in eo quod ait; *nudus eram, & cooperuistis me*: siquidem dicitur Iob 1. *nudus egressus sum de vtero Matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Sic enim corporaliter accideret, nisi charitas, mortui vestiret nuditatem. Dictio illa associatiua *cooperuistis*, fortè hoc indicat; neque enim vnus sed plures mortuum sepulturæ tradere consueuerunt. Senarius etiam numerus, qui ex aliquotis suis partibus consurgit, nempe ex vno, ex duobus, & ex tribus;

perfectus est, signatque perfectionem, Q vt aliàs docet Angelicus. Et ita reor ad innuendum in operibus perfectionis studium, sub eo percenseri numero. Q Matth. 10. in initio, & 4. sent. d. 47. q. 1. a. 1. ad tertiã ad 1.

VERS. XXXVII. *Domine quando te vidimus esurientem?* &c.

37. Præsefert sacer textus difficultatem; quoniam iusti, qui talia misericordiæ opera præstitere, videntur repræsentari minus conscij aut immemores facti. Cùm enim citra dubium ea in Deum direxerint, omnis alia responsio præter hanc posset existimari conuenientior; puta si instar Dauid dixissent 1. Paralipomenon cap. 29. *tua sunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Exaggerari etiam potest quæstio alijs ex capitibus; sed supersedeo ad Syntaxin. Occurrit autem Angelicus dicens; R bonarum mentium est, quòd ea, quæ propter Deum faciunt, parua reputent: Lucæ 17. *cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis; dicite, quia serui inutiles sumus*, & Roman. 8. *existimo, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Vnde parua reputantes dicent admirando, quòd ignorantes fecerunt. R D. Th. hic.

Similiter & *in Ioannem*; S Sanctorum, & humilium consuetudo est, vt cùm magna de se audiunt, stupeant & admirentur. Cæterùm quæ ad huiusmodi sententiam atque colloquium prædicit Dominus T non fient vocaliter; sed interiori locutione, mentaliter perficienda creduntur. In opusculo etiam 10. dicit probabilius esse, vt sententia Christi in iudicio sit spiritualis, licèt possit esse, vt sit corporalis. Fit autem disceptatio de operibus misericordiæ; quia illi ab æterna pœna liberabuntur post peccata, V qui per opera misericordiæ, sibi veniam impetrauerunt. Potest autem subinde inferri, vix esse qui ab operibus misericordiæ vacare debeat quasi exemptus; quandoquidem Tobias filium admonuit in hæc verba capit. 4. *quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*. S Ioa. 14. l. 6. T D. Th. hic & 4. dist. 47. q. 1. a. 1. ad 2. opusc. 10. a. 17. V 4. dist. 46. q. 2. a. 3. 4. 2.

VERS. XL. *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*.

38. Licèt sit omnibus benefaciendum X secundùm illud ad Galat. vltimo, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*: nihilominus videtur Dominus probos præcipuè commendare, quos fratres suos dignantissimè dicit. Hinc Angelicus, vbi ait Apostolus A *necessitatibus Sanctorum communicantes* inquit; potius est subueniendum iustis, quàm alijs. Et alibi; B multo sanctiori magis indigentiam patienti, & magis vtili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda, quàm propinquiori; maximè si non sit multum coniunctus; cuius cura specialis nobis non immineat; &, si magnam necessitatem non patiatur. Sanè Ecclesiastici 12. legimus; *da misericordi, & ne suscipias peccatorem* &c. *da bono, & non receperis peccatorem*. Potest enim peccatori eleemosynæ largitio in malum cedere. Ideo cauendum. Quamuis simpliciter, & peccatoribus indigentibus deneganda non sit. De quo vide C Angelicum. Vnde glossa; *peccatoribus pro eo quod peccatores sunt, noli communicare*: D *sicut qui nutriunt histriones, cum esuriant Christi pauperes*. Et Augu- X 2. 2. 32. 3. A Rom. 12. lect. 2. hoc & 1. Cor. 16. l. 1. B 2. 2. 32. 9. C 2. 2. 32. 2. & q. 32. 9. 1. & 4. dist. 15. q. 2. 6. 2. D opusc. 19. cap. 7. ad finem.

Augustinus; *non sit ad iudicandum remissus, nec ad subueniendum inhumanus. Persequamur ergo in malis propriam iniquitatem: misereamur in eisdem communem conditionem*. In peccatore enim
E Gal. 6. 10. E duo sunt; natura scilicet & culpa: natura est in eo amanda & sustentanda, vt potè, quæ ad imaginem Dei facta est. At maximè *operemur bonum ad domesticos fidei*. Porro ne semel & iterum misericordiæ opus impendisse contenti simus, acutissimum calcar admouet Dominus, cùm sibi refert acceptum pietatis opus; *mihi* inquit *fecistis*. Quò Augustinus; *si homo non imposuerit finem operi, nec Deus imponet remunerationi*. In opusc. autem F sic ait;
F opusc. 20. l. 2. c. 15. Deo specialiter est cura pauperum, ad naturæ ipsorum defectum supplendum. Propter quod sic agit diuina prouidentia circa indigentes, sicut Pater erga filios impotentes; de quibus amplior incumbit sollicitudo propter ampliorem necessitatem. Vnde & ipse Dominus sibi reputat fieri specialiter, quod fit pauperi. Ergo Principes & Prælati, sicut vices Dei gerentes in terris, debitores sunt supplendi defectus pauperum. Cùm autem spiritales eleemosynæ sint
G 2. 2. q. 32. 3. simpliciter G corporalibus præferendæ: dic; multò magis à Domino vel tacitè inculcari: sub hoc versi-
H 2. 2. 32. 2. culo apud Angelicum contentas, H ita vt sub eodem intelligatur consilium, & doctrina; *consule, castiga, solare, remitte, fer, ora*. Rursus canat Psaltes in 111. *iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus; ab auditione mala non timebit*.

VERS. XLI. *Discedite à me maledicti, in ignem æternum; qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*.

39. Considero discrimen verborum Domini: ijs enim quibus benedictionem impertitur, dicet à Deo esse benedictionem; *venite benedicti Patris mei*: maledicti autem non dicuntur *à Deo*; sed solummodo *maledicti*. Sic etiam Hebr. 6. eadem circumspectione fit sermo, sub terræ metaphora: *terra enim venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo; proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima*. Non dicit; *maledicto Dei*: sed tantùm *maledicto* esse proximam. Similiter de Regno dictum est; *quod paratum est vobis à constitutione Mundi*; quæ particula, cùm de igne æterno loquitur, adiecta non est. Nimirum, vt erudiamur ab Osee cap. 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum*. Et Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum; impij autem manibus & verbis accersierunt illam*. Ita hic Angelicus; benedictio nostra à Deo; maledictio à nobis. Augustinus: *saluari non vis ab ipso? ex te iudicaberis*. Tract. 14. in Ioann. Sapient. 11. *illos tanquam durus Rex interrogans condemnasti*.

Sequitur; *in ignem*; &c.

40. Quærit Angelicus ex professo, I *an ignis Inferni, quo corpora damnatorum cruciabuntur, sint ignis cor-*
I 4. dist. 44. q. 3. a. 2. ad primam. *poreus*. Et post multa de igne qui torqueat animas, an sit corporeus, subdit; quicquid autem dicatur de igne, qui animas separatas cruciat; de igne tamen, quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, oportet dicere, quòd sit corporeus; quia corpori non potest conuenienter pœna aptari, nisi
L ibi art. 3. ad tertiam. corporea. Deinde L inquit; supposito ex prædictis, quòd ignis Inferni non sit metaphoricè dictus, nec ignis imaginatus, sed verus ignis corporeus; oportet dicere, quòd anima ab igne corporeo pœnas patietur; cum Dominus ignem illum diabolo & An-
M ibi a. 2. ad secundam. gelis eius paratum esse dicat: qui sunt incorporei, sicut illa. In qua autem materia M sit ignis ille, nobis ignotum est. Quomodo autem torqueatur ab igne anima, vide in quæstiuncula illa tertia. Agit autem ignis vt diuinæ iustitiæ instrumentum, quod per se ipsum nequiret. Quocirca & in opusculo N
N opusc. 10. a. 26. scripsit: cùm secundum fidem dicamus corpora damnatorum in Inferno afflictionem ex igne pati; nec tempore consumi; secundùm illud Augustini 21. de Ciuitate Dei: *humana corpora non solum nunquam morte dissoluentur, sed in æternorum quoque ignium durabunt tormentis*; necesse est in eis ponere id quod afflictionem facit, idest receptionem speciei sensibilis: oportet etiam remouere id quod consumere posset, scilicet transmutationem naturæ corporum. De loco autem Inferni sic ait; *An Infernus sit in centro, vel circa centrum terræ*, O Ad hoc dicendum vide-
O ibi art. 11. tur, quòd locus Inferni sit infra terram. Vnde Augustinus in lib. tetractationum dicit; *De Inferis magis, vt videtur, dicere debuissem, quòd sub terris sint; quàm rationem reddere, cur sub terris esse dicantur*. Vbi tamen sit Infernus, an circa centrum terræ, vel circa superficiem; nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere: & superfluum est de talibus sollicitari asserendo vel improbando. In alio opusc. P
P opusc. 11. a. 24. non existimat esse in centro. Sed ex professo vide in sententiarijs Q. Veruntamen nos non fugiat, quod
Q 4. sent. d. 44. q. 3. a. 1. ad tertiam: & dist. 48. in calce. tradit Dionysius exponens eam Isaiæ visionem cap. 6. *vidi Dominum* &c. Vbi Seraphin duabus alijs velabant Caput sedentis, & duabus pedes: nimirum per faciem designari diuinam Essentiam, & ea quæ in æternitate fuerunt ante Mundi constitutionem; per pedes verò ea, quæ post Mundum erunt, in gloria beatorum & in pœnis damnatorum: quia mysteria æternæ Deitatis, & futuræ beatitudinis, & miseriæ nobis ad plenum non reuelantur. Ita apud Angelicum. R Aio subinde, satis esse fidei, prænosse
R In fine 4. sent. malos manere gehennam; iustos verò gloriam. Sobriè vltra requirendum. *Non plus sapere, quàm oportet sapere*; Roman. 12. Sciendum est autem quòd spiritus damnati nunquam sunt extra Infernum, nisi ex dispensatione diuina, S vel ad instructionem vel
S 4. sent. 44. q. 3. a. 3. ad finem. ad exercitium electorum. Vbicunque autem extra Infernum sunt, semper vident ignem Inferni, vt eis in pœnam præparatum. Vnde cùm ista visio sit immediatè affligens, vt dictum est; vbicunque sunt, ab igne Inferni affliguntur; sicuti & captiui etiam extra carcerem existentes, quodammodo à carcere affliguntur; dum vident se ad carcerem damnatos.

Sequitur, *in ignem æternum*.

De æternitate pœnæ damnatorum pluribus in lo- 41.
cis ex instituto agit Angelicus T. Summariè, hoc
T 4. sent. 46. 1. 3. p. 2. 87. a. 3. 3. cont. G. 144. & alibi. esse iustum ex tribus, inquit, apparet. Primò ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur; tanto enim quis grauius peccat, quanto maior est dignitas personæ in quam peccat; sicut plus peccat qui percutit Principem, quàm qui percutit priuatam personam; & sic cùm culpa peccati mortalis sit quodammodo infinita, oportet quòd ei infinita pœna respondeat. Et sic cùm non possit esse infinita secundùm intensionem, relinquitur quòd sit infinita secundùm durationem. V Secundò apparet ex voluntate, per
V Rom. 2. l. 2. & hic. quam peccatur. Quicunque enim mortaliter peccat auersus ab incommutabili bono, finem constituit in bono commutabili; sicut fornicator in delectatione carnis, auarus in pecunia. Et quia finis per se appetitur; quicunque appetit finem, fertur in illum volens illum semper obtinere, si aliquid aliud non obsistat: Vnde ille qui peccat mortaliter, voluntatem habet perpetuò in peccato manendi; nisi fortè per accidens, sicuti quando timet pœnam, vel aliquod aliud impedimentum. Vnde conueniens est, vt ex quo homo secundùm suam voluntatem peccatum perpetuò obtinendum appetit, æternaliter etiam pro illo puniatur. Deus enim, qui est inspector

cor-

cordis, præcipuè ad voluntatem peccantis attendit. Huc facit Augustini auctoritas, lib. de vera & falsa pœnit. tomo 4. prope finem; *qui impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciabitur. Qui enim impœnitens moritur, vel finitur, si semper viueret, semper peccaret.* Tertiò ex parte effectus peccati, qui est subtractio gratiæ; ex qua sequitur quòd homo, quantùm est de se, perpetuò maneat in peccato: à quo exire non potest, nisi per auxilium gratiæ. Non est autem conueniens, vt durante culpa, cesset pœna; & ideo pœna in perpetuum durat. Alibi

X 4. sent. 45. q. 2. a. 2. etiam X præ oculis semper habet hanc gratiæ priuationem. August. loco allegato; *ob hoc etiam sine fine torquetur; quia nunquam ditatur virtute: semper plenus iniquitate, semper sine charitate, torquetur sine fine.* Quare non nisi temerè potest hæreticus Ecclesiæ detrectare dogma. Nihil enim deperit Deo, si iustè puniat. Quòd si contra iustitiam est, damnatos in æternùm cruciari, tenebitur Deus, eis impertiri gratiam, qua doleant, & expient culpam. Quo nihil absurdius. Nam gratia, iam non esset gratia. Potest ergo æternùm punire: & quia quod potest à Deo fieri, nihil prohibet fieri de facto; non est cur reluctari quis ausit fidei catholicæ. Animaduertendum veruntamen,

A p. p. 10. 3. ad 2. A qualiter ignis Inferni dicitur æternus propter interminabilitatem tantùm. Et erit in pœnis illorum transmutatio, secundùm illud Iob 24. *ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium.* Vnde in Inferno non erit vera æternitas, sed magis tempus; secundùm illud psal. 80. *erit tempus eorum in sæcula.* Et propterea quamuis dicatur; Apocalypsis 10. *tempus non erit amplius,* quia post iudicium non erit variatio aliqua in statu beatorum; quandoquidem ait Augustinus 12. lib. Confess. *rerum mu-*

B Apoc. 10. côm. 2. *tationibus seruiunt tempora dum variantur;* B attamen in Inferno reprobis erit protempus; variatio scilicet & mutatio pœnarum, ex frigore ad calorem; & è contra. Et sic stridorem dentium accipit ratione

C Matth. 8. 13. & 24. C frigoris, quo etiam cruciabuntur. In Quodlibeto autem ad hæc, docet

D quodl. 8. a. 18. D qualiter ex varietate huiusdi pœnarum nullum in damnatis erit refrigerium; ignis enim & aqua, & huiusmodi, non agent in corpora damnatorum, secundùm esse naturæ, ita quòd relinquant suas qualitates in corporibus damnatorum secundùm esse naturæ, (dic quemadmodum omne actiuum agendo imprimit in passùm, ipsumq; vi sua transmutat) sicut ignis relinquit calorem in lignis, quæ facit esse calida; alioquin cum contraria non possint esse simul in eodem, oporteret corpora damnatorum suas qualitates perdere; & sic transmutata natura organorum, fieret pœna minus sensibilis: sed agunt in corpora damnatorum actione spirituali, imprimendo scilicet suas qualitates in corporibus damnatorum, secundùm esse spirituale, per modum quo species colorum sunt in aere vel etiam in pupilla, non ita quòd fiant colorata. Vnde corpora damnatorum sentient afflictionē ignis, absq; hoc, quòd conuertantur in naturam ignis: & ideo varietas pœnarum non faciet eis aliquod refrigerium. Refrigerium enim nunc ex alternatione pœnarum proueniens, causatur ex transmutatione naturæ, in quantùm per frigus aquæ, superfluitas calefactionis remittitur. Sic Sapientiæ 5. *pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Dic tamen ideo hic à Domino de solo igne fieri mentionem, ob ipsius vehementem, quæ terret magis, actiuitatem. Qui ideo *paratus* di-

E p. p. 63. 8. citur *diabolo & Angelis eius;* quia scilicet E ipsi subduntur. Habet enim hoc ordo diuinæ iustitiæ, vt cuius suggestioni aliquis consensit in culpa, eius potestati subdatur in pœna, iuxta illud 2. Petri 2. *à quo quis superatus est, huic seruus addictus est.* Peccatum autem primi Angeli fuit alijs causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens. Aio ipse, quis scit non innuat Dominus præcipuè damnandos, qui alios induxere aut verbis aut exemplis ad malum, verè facti pro diabolo ministri ac nuncij? Nam vbi Apocalypsis 22. legimus; *foris venefici;* intelligitur F de malorum per- F Apoc. 22. côm. 2.

suasoribus, qui inducunt proximum suum ad malum. Matthæi 18. *væ Mundo a scandalis.* Vnum quippe caput finalis iudicij est ex scandalis; nam vt notat Angelicus ex deceptione Arij, & aliorum Seductorum G pullulat infidelitas vsque ad finem Mundi. G 3. p. 59. 5.

VERS. XLII. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* 42.

Dominus damnatis solùm defectum misericordiæ imputat; quia *per misericordiam* H omnia peccata purgantur. H Ioann. 16. l. 5.

Actus quippe misericordiæ operatur circa peccatum per modum satisfactionis; & sic sequitur iustificationem: I & per modum præparationis; I p. 2. 112. 4. 1.

in quantùm *misericordes misericordiam consequentur:* (supra cap. 5.) & sic etiam potest præcedere iustificationem. Et alibi; L sunt tria per quæ redit L Titi 1. l. 4.

homo ad Deum; scilicet Dei gratia; Roman. 5. *iustificati gratia ipsius;* secundum est fides; Act. 15. *fide purificans corda eorum:* tertium, exercitium boni operis; Roman. 2. *factores legis iustificabuntur;* Sic supra Matthæi 12. priusquam curaret dæmoniacum sanauit manum aridam. Morituro infirmo non tam lapsus in morbum, quàm quòd medicamentum respuerit, improperatur. Sic Daniel. 4. *peccata tua eleemosynis redime.* De obligatione eleemosynæ dixi nonnulla supra cap. 23. ad versum 23. Vide Angelicum plurimis M in locis. M 2. 2. q. 32. 5 & 6. q. 66. a. 7. q. 71. a. 1. q. 185. a. 7. in quodl. 6. a. 12. 4. sent. 15. q. 2. a. 1. 4. & a. 4. q. 1.

Vltra quæ etiam quasi in leuamen aliquod sic alibi habet. *Præcepta affirmatiua non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum.* Non quidem ex hoc, quòd tunc commodè impleri possint; quia sic, si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocunque pauper offerretur; peccaret mortaliter: (quod falsum est) sed ex hoc quòd tempus necessitatem vrgentem adducit. Ita in 4. N Arctius tamen videtur sentire in N 4. dist. 15. q. 2. 1. q. 4.

Summa O. Quare sunt expendenda cætera loca. O 2. 2. 32. 5.

Interim nunquam excidat, quod ait Ambrosius Ser. 81. *esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est quod tu recludis; miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis.* Ergo, *si etiam esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere.* Prouerb. 25. Immo etiamsi non referatur alta directione in Deum pietatis opus, mercede non vacat: supra cap. 10. *quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* In eo autem quod ait, *vni*, illam tangit doctrinam; quia cùm multi sint P necessitatem patientes, & non possit ex P 2. 2. 66. 7.

eadem re omnibus subueniri, committitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem patientibus. Et Augustinus; *cum omnibus prodesse non possis, ijs potissimè consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi, quasi quadam sorte iunguntur.* Non enim Q tenetur homo per Mundum, quærere indigentes quibus subueniat, sed sufficit, si eis, qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat. Q 2. 2. 71. 1.

Vnde dicitur Exodi 23. *si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Sic ergo ideo dicit *vni*: quamuis aliam quoque subesse causam autumo, vt in Syntaxi. Obseruandum est autem, bonorum merita enumerari diligenter; & demerita malorum non ita singillatim; siquidem iungit; *infirmus & in carcere; & non visitastis me.* Morale ad documentum, R ne largi simus in publicandis aliorum peccatis. At ipsi respondentes, raptim magis delicta sua percurrunt; R ps. 10 in initio.

runt; *Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem, &c. & non ministrauimus tibi?* Totum simul dicunt. In quo datur intelligi S quòd non libenter discutiunt conscientias suas. Difficultas solùm esse potest; cur in eandem iustorum veniant responsionem? Sed mihi videntur diuerso omnino sensu eadem proferre: iusti sic, vt diximus, ex humilitate; damnati crassa culpabilis neglectus inaduertentia. Vnde tunc erudientur in cassum, qui viuentes & salubriter informari despexerunt. Tunc agnoscent quantum amisere lucri obliuione pauperum; quorum tantilla subuentio tanti coram Deo fit, vt sibi reputet præstitum Dominus, quod eis est exhibitum; quodque eis denegatur, sibi fraudatum. Deprehenduntur autem nihil compatientes fuisse proximorum necessitatibus; quia nec in ordine naturæ eis adfuerunt. Cum quis eleemosynam largitur pauperi ob Deum summè dilectum, fratri suo erogari, Christus paulo ante fassus est. Si fit ab infideli qua pietas, non *fratribus* succurritur Christi, sed homini ab homine, à maiori minoribus naturæ dictamine. At isti naturæ quoque affectus exuisse noscuntur, quia nec minoribus misericordiæ opera impenderunt. Naturæ status maiores minoresque discernit. Ordo gratiæ Christi, omnes in fraternitatem asciscit. Ideo supra *fratribus* inquit *meis*; hic *vni de minoribus his*. Qui minores iuuat quandoque retributione eorum recipit vices. Qui minimis ex charitate succurrit, non habet quod ab ipsis vsquam expectet. Ostendit proinde sacer textus primos ordine gratiæ incessisse, istos autem nec ius naturæ seruasse. Ideo

S D. Th. hic.

VERS. vltimo. *Ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam.*

43. Probat Angelicus, T voluntatem Dæmonum in malo esse obstinatam. Item animas malorum post mortem V habere voluntatem immutabilem in malo. Vnde bona consecutione fit *supplicium esse æternum*. Planè Deuteronomij 28. post innumeras maledictiones exaggeratas in cumulum maledictionis finalis, clauditur; *venderis inimicis tuis in seruos, & ancillas; & non erit qui emat*. Caueamus dum viuimus; qui 1. Cor. 6. *empti sumus pretio magno. Si ceciderit lignum*, Ecclesiastes 11. *ad Austrum aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, ibi erit*. Apocalypsis 18. *sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens; hoc impetu mittetur Babylon illa magna; & vltra iam non inuenietur. Vbi & Bestia* (cap. 20.) *& Pseudo propheta cruciabuntur die ac nocte, in sæcula sæculorum*. Quapropter ratus sum, in eo quod dixit; *discedite à me*, insinuasse, quam inquiunt, *pœnam damni: in supplicium æternum* accipi *pœnam sensus*. Sic *Iusti in vitam æternam*. Ioan. 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum*, &c. Deducit sic Angelicus; Necesse est, cuiuscunque viuentis esse aliquam operationem, cui principaliter intendit; & in hoc dicitur vita eius consistere. X Sicut qui voluptatibus principaliter vacant, dicuntur vitam voluptuosam agere; qui verò contemplationi, contemplatiuam; qui verò Ciuitatibus gubernandis, ciuilem. Ostensum est autem quòd resurgentibus neque ciborum, neque venereorum aderit vsus; ad quem omnia corporalia exercitia ordinari videntur. Subtractis autem corporalibus exercitijs, remanent spirituales operationes; in quibus vltimum hominis finem consistere diximus; quem quidem finem adipisci resurgentibus competit, à statu corruptionis, & mutabilitatis liberatis, vt ostensum est. Non autem in quibuscunque spiritualibus actibus vltimus finis hominis consistit; sed in hoc quòd Deus per essentiam videatur, vt supra ostensum est. Deus autem æternus est; vnde oportet quòd intellectus æternitati

T p. p. 64. 2.
V 4. cont. G. c. 93.
X opusc. 2. c. 163. & 4. sent. d. 49. q. 1. a. 2. ad 3.

coniungatur. Sicut igitur qui voluptati vacant, voluptuosam vitam agere dicuntur; ita qui diuina potiuntur visione, æternam obtinent vitam. Ostendit autem alio in loco, quòd videntes Deum, A in perpetuum eum videbunt. Quæritque vlterius; *Vtrum beatitudo habita possit amitti*, fortissimè ostendens amitti non posse; contra Origenem, B qui quorundam Platonicorum errorem sequutus, posuit quòd post vltimam beatitudinem, homo potest fieri miser. Et sic de Angelis, vt ibi *contra Gentes*. Contra auctoritatem Script. in psalmo *beati qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*: & in alio, *non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem*; Isaiæ 33. *oculi tui videbunt Ierusalem Ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur claui eius in sempiternum; & omnes funiculi eius non corrumpentur; quia solummodo ibi, magnificus est Dominus noster*, Apoc. 3. *qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei; & foras non egredietur amplius*; vt ibi C fert. *Et sic semper cum Domino erimus*; 1. Thesal. 4. Adde ergo; sicut ad signandam pacis æternæ imperturbationem legitur Isaiæ 66. *erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato veniet*; ita ad æternitatem supplicij extat ibidem; *ignis eorum non extinguetur*: de quo Iob 20. *deuorabit eum ignis qui non succenditur*, scilicet humano studio, sed diuina virtute.

A 3. cont. G. c. 62.
B p. 2. 5. 4.
C 3. cont. G. c. 61. Iob 20. l. 2.

44. Impiorum autem pœnæ in perpetuum duraturæ, non erunt omnino ad nihilum vtiles; D sed vtiles ad duo. Primò ad hoc quòd in eis diuina iustitia conseruetur; quæ est Deo accepta propter se ipsam. Vnde Gregorius 4. Dialogorum; *Omnipotens Deus, quia pius, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur*. Secundò ad hoc sunt vtiles, vt in his electi gaudeant, dum in his Dei iustitiam contemplantur; & cum hoc se euasisse recognoscunt. Vnde psalm. *lætabitur iustus cum viderit vindictam*. Qua de re vide in 4. sent. dist. 50. q. 2. a. 4. q. 2. & 3. Et Isaiæ 66. *erunt* scilicet impij, *vsque ad satietatem visionis*, scilicet *Sanctis*, vt glossa dicit. Vnde Gregorius: (ibidem) *vt iusti in illis percipiant supplicia quæ euaserunt. Quatenùs tantò magis in æternùm, diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt*. Pro coronide sit Augustinus serm. in die Commemorationis animarum fidelium defunctorum. *Rogo vos fratres; nolite transitorie hæc cogitare. Irreuocabilis enim sententia erit; quæ à piissimo Deo, ideo multo ante prædicitur, vt à nobis totis visceribus caueatur. Si enim nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret. Inuitus quodammodo vindicat, qui quomodo euadere possimus, multo ante demonstrat: Non enim te vult percutere, qui tibi clamat: obserua*. Animaduerto autem quomodo supremum negocij huius verbum est; *in vitam æternam*, sicut in Symbolo. Quocirca Angelicus; E in fine Symboli signanter ponitur, vt semper magis memoriæ imprimatur. Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris*: F quasi dicat; aliquando cogitabo de Inferni amaritudine, aliquando de Paradisi dulcedine; vt illum possim vitare, alterum desiderare. Claudamus viua spe innixi cum Areopagita Dionysio c. 1. *de diuinis nominibus*, aureis ijs verbis; *tunc autem quando incorruptibiles & immortales erimus, & Christiformes, & beatissimum consequemur finem, semper cum Domino secundum eloquium erimus; visibili quidem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti: manifestissimis circa nos splendoribus refulgentem: sicut circa discipulos in illa diuinissima transformatione*. Supple, Matth. 17. cùm *transfiguratus est ante eos*.

D 4. dist. 46. q. 1. ad finem.
E opusc. 6. § 15.
F Apoc. 15. com. 14.

SYN-

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumquintum.

VERS. I. *Tunc simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus.*

1. Iam hora est, postquam de finali Ecclesia capite præcedenti allegoriam vidimus, consummationis eius exitum teneamus. Hora est, iam illud re impleatur, quod supra cap. 3. ex ore Baptistæ; *cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hora est, vt *sagena missa in mare* (supra cap. 13.) *ex omni genere piscium congregans* iam impleta *educatur, eligantur que boni in vasa, mali autem foras mittantur.* Nunc veruntamen missis alijs metaphoris, deligitur parabola Virginum; vt quæ & qualis ab initio vsque in finem sancta sua fuerit Ecclesia, denuncietur. Sanè inquit Augustinus in lib. de Virginitate; *cùm igitur vniuersa Ecclesia Virgo sit*: & prius Apostolus 2. Corinth. 11. *despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Ad idem, de verbis Domini Augustinus; *ex ipsis Virginibus constat ea quæ dicitur sponsa: tanquam si omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus, filij ad matrem currere dicantur; cùm ex ipsis filijs congregatis, constet ea quæ dicitur Mater.* Animaduertendum est autem, castitatem metaphoricè
A 2. 2. 151. 2. dici, & esse generalem virtutem; nam A per quamlibet virtutem retrahitur mens humana, ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur. Principaliter tamen ratio huius castitatis consistit in charitate, & in alijs virtutibus theologicis; quibus mens hominis coniungitur Deo. Hæc D. Thomas. Quare hinc fas est deprehendere, tacitè perhiberi à Domino sub Virginea similitudine, nunquam futurum esse, vt Ecclesia à vera fide deficiat; secus Virgo *tunc* non esset; quia vt Hieronymus dicit apud Angelicum,
B 1. 2. 152. a. 3. 6. B *cùm cætera Deus possit, non potest Virginem post ruinam reparare.* Exinde claret nec à spe decidere posse Ecclesiam; cum sit *fides* ex Apostolo Hebr. 11. *substantia sperandarum rerum.* Sed nec à charitate: quandoquidem & secundùm charita-
C 2. 2. 19. a. 1. tem C dicitur sponsus noster. Apparet hinc, quàm blasphemè se fecerint Nouatores impij Ecclesiæ veræque fidei reparatores; quasi ceciderit, quæ semel sponsata est Christo Virgo mater Ecclesia; quando, *tunc*, vt apud Matthæum, eo supremo tempore, adhuc Virgo decantanda sit; quia *simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus.* Quo perfectionis numero, perfecta eius integritas videtur signari; neque enim, *maculam* vnquam habitura est, *aut rugam*, vt patet Ephes. 5. Intrandum verò tunc erit Ecclesiæ ad nuptias, iuxta illud, *quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.* Leguntur au-
D serm. Dom. 1. post Epiphaniam. tem in Scripturis, D inquit Angelicus, nuptiæ historicæ inter virum & vxorem carnalem; tropologicæ inter Deum & animam; Osee 2. *sponsabo te mihi in fide*: allegoricæ inter Christum & Ecclesiam; supra cap. 22. *fecit nuptias filio suo*; anagogicæ inter Deum & Ecclesiam triumphantem; ferèq; hunc locum. Ad hæc Augustinus; *quid est charitas, nisi vita copulans amantem cum amato?* Et de verbis Domini, (vt in Catena) *intrauerunt cum eo ad nuptias: vbi munda anima puro ac perfecto Dei verbo copulatur.* Ad hanc innuendam coniunctionem ne-
E 1. Cor. 9. l. 5. quibat conuenientior parabola proponi. Ratio trahi potest ex Angelico; E quia Virginitas iungit & approximat Deo; psalm. 44. *adducentur Regi Virgines post eam.* Sap. 6. *incorruptio facit esse proximum Deo.* Et sic ad nuptias æternas inuitat: *quæ paratæ erant*, &c. In veteri testamento, *Pontifex*, *idest Sacerdos maximus*, *Virginem ducebat vxorem: viduam autem & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiebat*, vt videre est Leuitici 21. ergo non nisi Virgo Christo desponsanda erat, vt infert F Angelicus. Ideo velantur, Christo sacrandæ Virgines, ad Ecclesiæ integritatem significandam. Habet autem matrimonium spirituale Christi & Ecclesiæ, & fœcunditatem per quam regeneramur in filios Dei, & incorruptionem; vt ibidem assumit. F 4. dist. 38. q. 1. 5.

Operæ-pretium autem erat gloriæ præsagium tangi sub eadem parabola, & prælibari quænam illic nobis parata esset fruitio. *Lætabuntur quippe sancti in cubilibus suis*, vt perhibet psalmus 149. idest in locis seu lectis quietis suæ. Alludit ad illud Leuitici 6. *dormietis & non erit, qui exterreat*, anagogicè in Cœlo; in thronis Cœlestibus: quandoquidem, vt ait Angelicus, G erit ibi quies sine labore. Pax etiam erit Beatorum imperturbata, iuxta illud Isaiæ 22. *sedebit populus in pulchritudine pacis.* Hinc Isaiæ 66. *erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato*, idest requies perpetua H. Vnde ait Apostolus; *relinquitur sabbatismus populo Dei.* Et dicitur sabbatismus, quia sicut in veteri lege Sabbatum repræsentabat requiem Dei ab operibus suis, Genes. 2. *& requieuit Deus*, &c. ita illa requies erit sanctorum ab operibus suis; Apoc. 14. *amodò iam dicit spiritus, vt requiescant, à laboribus suis.* Ideo præceptum Sabbati I cæremoniale est secundùm significationem anagogicam, prout scilicet præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in Patria. De pace autem Cœlestis Patriæ inquit Augustinus in psalm. 147. *ibi eam pleniùs laudabimus, vbi eam pleniùs habebimus.* Pleniùs ea non fruimur, sed in præsenti militiæ statu prægustamus. Mirè Angelicus; L inter omnia futura beneficia, quæ erant præfiguranda, præcipuum & finale erat, quies mentis in Deo, vel in præsenti per gratiam, vel in futuro per gloriam. Certè igitur, hinc subinfero, fuerat conueniens, vt hoc in capite, eius quod tandem in felicitatis æternæ quietem terminat, specimen aliquod præseferret parabola. Et ecce de somno & dormitatione, *dormitauerunt omnes & dormierunt*; vt ly *dormitauerunt* ad Virgines prudentes attineat: iuxta psalm. 4. *in pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Facit quod ait Gregorius hom. 25. in Euangel. *De sponso Ecclesia in Canticis Canticorum dicit; in lectulo meo per noctem, quæsiui quem diligit anima mea. Dilectum in lecto quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie, Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi iam in illo mens vigilat; tamen adhuc oculus caligat.* Quàm cohærenter sacro textui euangelico! dum claudit; *vigilate itaque*: item ex Apostolo, qui vbi supra ad Hebræos habet; *festinemus ergo ingredi in illam requiem*: propter periculum tardantis; M sicut patet de fatuis Virginibus, quæ tardè venientes intrare non potuerunt. 2. G Apoc. 22. com. 1. H Hebr. 4. l. 2. I 1. 2. 102. a. 4. ad 6. L p. 4. 100. 5. M Hebr. 4. l. 2.

3. Cæterùm quoniam Ecclesia finalis etiam & bonos & malos instar sagenæ colliget, vt supra c. 13. oportuit nedum de dormitatione prudentum, sed de lethali

thali somno Virginum fatuarum introducit. Vt enim diximus, prudentes vix cepere somnum iuxta illud, *ego dormio, & cor meum vigilat*; quod est *dormitare* i fatuæ, quod profundius est, *dormierunt*. De hoc somno est illud Ephes. 5. *surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*.
N Ephes. 5.l.5. Surge N à negligentia boni operis. Prouerb. 6. *vsquequo piger dormies?* Qua quidem Apostolica admonitione coarguuntur fatuæ Virgines, in reproborum typum, quæ oleum ierunt emere. E regione autem ad prægustatam quietem animarum sanctarum, falsa malorum quies est, quam præsens fatuarum somnus adumbrat. Opportunè verò describitur; quoniam cum immo *dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*; 1. Thess. 5. *dies enim Domini veniet sicut fur in nocte*. Sic Lucæ 12. de homine quodam diuite legimus dixisse; *anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, &c. dixit autem illi Deus; stulte, hac nocte animam tuam repetent à te*. Ecce hic etiam requiescere, at non vera quiete, dicitur; & sicuti Virgines istæ fatuæ, stultus vocatur. Sap. 14. *in magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant*. Sic ergo præsens parabola complexa bonos & malos, vtrorumque respectiuè præsagium est, conditionis diuersæ statum notans; sub somni similitudine & quietem animæ in Deo per gratiam, & ex peccato falsam impiorum pacem epingens. Quo facit illud Isaiæ 29. *miscuit vobis Dominus spiritum soporis*: hebraicè *thardemah*, quod est somnus & sopor fortis; qui scilicet maior est quàm *scienah*, communis somnus, sicut & *scienah*, maior est, quàm *thenumah*, dormitatio, vt in capitis expositione retulimus. Hunc autem affectum
O Rom. 11.l.1. immittit Dominus O non quidem immittendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, vt aliàs dictum est. Benè psalmista petebat ps. 12. *illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*.

4. Etsi autem nonnulla dixerimus de harum Virginum prudentia & fatuitate, iuuat audire Angelicum
P Ephes. 5.l.6. P ad Ephesios. Nota, inquit, quod differentia est inter sapientiam, & prudentiam: prudentia enim est, quædam sapientia, sed non vniuersalis sapientia; Sap. 1. *sapientia autem est viro prudentia*. Sapiens *simpliciter*, dicitur qui habet de omnibus ordinare; sapiens autem *secundum quid*, dicitur qui habet ordinare de ijs de quibus est sapiens; 1. Cor. 3. *vt sapiens Architectus fundamentum posui*, quia sapientis est ordinare, vt dicitur 1. metaphysicæ. Omnis autem ordinator respicit finem: ille ergo *simpliciter* est sapiens, qui cognoscit finem, vel qui agit propter finem vniuersalem, scilicet Deum: Deuteronomij 4. *hæc est enim sapientia vestra* &c. sapientia enim est diuinarum rerum cognitio, vt dicit Augustinus 4. *de Trinit.* Prudentia verò est particularis rei prouidentia; quando scilicet quis ordinat facta sua; & ideo *sapientia est viro prudentia*. Primum autem principium per quod debemus iudicare omnia & regulare, est voluntas Dei: & ideo intellectus in moralibus & diuinis debet habere pro principio, voluntatem Dei; quia si hanc habent pro principio fit prudens intellectus; hoc autem docuit Dominus Matthæi 6. *fiat voluntas tua*. Et Apostolus (loco citato) *nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*. Hactenus Diuus Thomas. Qua ex doctrina, manifestè claret; cur mali excludantur à nuptijs; quia videlicet vixere imprudenter nec Deum Deique voluntatem pro suprema regula operationum suarum habuerunt. Quod quidem stultitia & fatuitas est; nam stultus reputatur omnino seu dementatus, qui neglecto rerum omnium, intellectualisque ac rationalis creaturæ in primis, principio ac fine; (Apoc. 22. *ego sum Alpha & Omega; primus & nouissimus; principium & finis*) huc illuc errabundus peruagatur. Augustinus 1. Confess. 1. *fecisti nos Domine ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Et iterum; *anima ex quo ab vnitate recessit, cum rerum qualitate satiari non possit, rerum varietate satiari desiderat*. Vnde & Philosophus 9. Ethic. 4. *contendit malorum anima: hoc quidem huc trahit; illud autem illuc*. Hinc Eccles. 27. *homo sanctus in sapientia manet sicut Sol; nam stultus sicut luna mutatur*. Quia ergo vt dicitur Ecclesiastes 1. *stultorum infinitus est numerus*, ne in hanc labamur stultitiam fatuarum virginum, obijcit nobis Dominus exemplum; nam *felix quem faciunt aliena pericula cautum*. Si nouissent sponsum, vtique recolere poterant, quia *oleum est sum nomen eius* Cant. 1. nec ad vendentes inutiliter diuertissent. Quemadmodum autem isthæc est *generatio, quæ non direxit cor suum* ps. 77. ita è regione prudentes finem habuere præ oculis, sumentes oleum in vasis suis cum lampadibus; vt vsque ad sponsi nuptias peruenirent. Quoniam autem, vt dictum est, prudentis & fatui discrimen ex fine finisque deuiatione deprehenditur, vno verbo, qui sint de Ecclesia saluandi, quique damnandi, colligitur. Oportet enim saluandos decedere in charitate, quæ tendit in finem. Audiamus Angelicum: Q cum dicitur triplex esse actus Q Rom. 4.l.1.
fidei; scilicet credere Deum, Deo, & in Deum: credere in Deum demonstrat ordinem fidei ad finem, qui est per charitatem; nam credere in Deum est credendo in Deum ire; quod charitas facit. Dic ergo, non sufficere ad salutem credere Deum & Deo; quod est habere lampades nondum extinctas; at quæ extinguuntur; sed opus est in Deum credere. Ioann. 14. *creditis in Deum: & in me credite*. Et mox; *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Decuit autem, postquam seclusi sunt infideles à discussionis iudicio, quod supra diximus, quales, qualesque essent in Ecclesia fideles, enucleari; fidei scilicet informi & formata. Ex quo, suam firmam teneret ideam Matthæus de generatione spiritali fidelium, deque in vnam Ecclesiam vel per fidem collectione. Quamuis, vt aliàs dictum est, R qui subduntur peccatis mortalibus, non sint membra Christi actualiter, sed potentialiter: nisi fortè imperfectè R 3.p.8. 3.2.
per fidem informem; quæ vnit Christo *secundum quid, & non simpliciter*; vt scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ; *fides enim sine operibus mortua est*: vt dicitur Iacobi 2. Percipiunt tamen tales à Christo quendam actum vitæ, qui est credere: sicut si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine. Iusti autem sunt membra Christi per actualem vnionem charitatis. Et ecce in sacro textu præsenti emicare quendam etiam fatuarum motum; nam omnes *exierunt obuiam sponso & sponsæ*. Et vide qua styli altitudine probet Euangelica parabola mystici capitis ac corporis vnitatem, quæ basis est assumptæ à nobis harmoniæ; siquidem de sponso & sponsa fit sermo, deindeque fit mentio de sponso, *intrauerunt cum eo ad nuptias*; neque enim Ecclesia cum Christo mysticè ponit, vt inquiunt, in numero. Augustinus lib. 3. de doctrina christiana, hanc primo recolit Regulam intelligendi scripturam; fertque illud Isaiæ 61. *circumdedit me quasi sponsum decoratum corona; & quasi sponsam ornatam monilibus suis*, quod capiti & corpori, Christo & Ecclesiæ, aptatum est; vt ad Caput 1. post initium Syntaxis admonuimus.

Respondet autem mystico Ecclesiæ corpori, subiecta mox de talentis distributio; *& vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum*, Nam 5.
quærit Angelicus; S *Vtrum gratia sit maior in vno, quàm in alio*: respondetque gratiam gratum facien- S P. 2. 112.4.
tem

tem, ex parte finis vel obiecti non posse esse maiorem; quia gratia secundùm sui rationem, coniungit hominem summo Bono, quod est Deus. (Ecce quomodo de fine introducit, quod prudentiæ esse diximus: *quinque prudentes*) Ex parte subiecti gratia potest suscipere *magis & minus*; prout scilicet vnus perfectiùs illustratur à lumine gratiæ quàm alius. (Quàm opportuna doctrina lampadibus prudentum virginum!) Prima causa huius diuersitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diuersimodè suæ gratiæ dona dispensat; ad hoc, quòd ex diuersis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diuersos gradus rerum instituit, vt esset Vniuersum perfectum. Vnde Apostolus ad Ephesios 4. postquam dixerat, *vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*; enumeratis diuersis gratijs, subiungit; *ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi*. Hactenus ipse. Quod quidem ad Syntaxin maximè facit; cum eo procurrat, vt ex fidelibus in Christo regeneratis Ecclesiæ faciem exhibeat. Et quia eandem Ecclesiam sub duplici agnoscimus statu, militantis nimirum & triumphantis, & hæc subinnuitur; *mansiones* enim *diuersæ sint*, oportet, *in domo Patris*, Ioann. 14. quando varia est talentorum dispensatio, & minus maiusque lucrum serui afferunt. Per mansiones enim *diuersæ meritorum dignitates intelliguntur in vita æterna*; vt ex August. apud Angelicum p. 2. 5. 1. Et ecce hoc ipsum indicari ex sequentibus; ait enim, *sicut homo peregrè proficiscens*, & quo? iuxta Gregorium, *in Cœlum*; ait enim; *homo iste, qui peregrè proficiscitur, Redemptor noster est, qui in ea carne, quam assumpserat, abijt in Cœlum: carnis namque locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrinandum ducitur, cùm per Redemptorem nostrum in Cœlo collocatur*. Sic illud Lucæ 19. *homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam*, de

T Hebr. 4.l.2. Cœli interpretatur regione Angelicus dicens; T longinqua propter distantiam status, quia ibi plenitudo omnis boni. Tu nota in omnis boni oppignerationem dici; *& tradidit illis bona sua*. Et meritò plurali in numero, quo cœlestis beatitudo posset præsagiri; quandoquidem in lingua sancta *asrè*, pluralis numeri tantùm est; *beatus*, & *beati*, ac *benè*, à radice *iscèr beatificauit*, quòd homo non in vna, sed in multis beatificetur bonitatibus. Est quippe Beatitudo *status bonorum omnium aggregatione perfectus*, vt ait Boetius? Exodi 33. *ego ostendam omne bonum tibi*; & Sap. 7. *venerunt mihi omnia bona pa-*

V p.2.4.8. *riter cum illa*; scilicet V cum diuina sapientia; quæ consistit in contemplatione Dei.

6. Subinde ad eiusdem triumphantis Ecclesiæ manifestandam felicitatem subditur; *intra in gaudium Domini tui*. Ait enim Augustinus 10. confessionum cap. 23. *beatitudo est gaudium de veritate*. Sed quoniam, fructus spiritus primi sunt, Galat. 5. *charitas, gaudium, pax*; in dicendo *gaudium* quasi la-

X p.1.ec. 3. terales intelliguntur charitas & pax: nam X perfectio gaudij est pax, vt ait Angelicus. Vnde & Augustinus 1. de Trinit. cap. 10. *promittitur nobis æterna perfectio gaudiorum*. Et Isaiæ vltimo; *videbitis & gaudebit cor vestrum*; &c. Signanter autem *intra in gaudium*, quemadmodum Hebr. 4. *festinemus ingredi in illam requiem*; quia non est in bonis exte-

A Hebr. 4.l.2. rioribus, ad quæ est egressus, sed est A in bonis interioribus. At dum audio *in gaudium* non qualecunque; sed *Domini tui*; non possum non attingere corporis Ecclesiæ mystici cum Christo Domino Capite vnitatem, quæ ibi consummabitur; secundùm quod ait Augustinus in Serm. 174. de Tempore; *Christus ascendit in Cœlum; ascendat cum illo & cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis, ita & nos cum illo ibi iam sumus; quamuis nondum in corpore nostro factum sit, quod promittitur nobis; nam propter vnitatem, qua Caput nostrum est, & nos corpus eius, cùm ascendit in Cœlum, nos ab illo non separamur*. Quam vnitatem aliàs monet Scriptura; vt Ephes. 2. *conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in Cœlestibus, in Christo Iesu*; & Apoc. 3. *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*: nempe B quia Christus est Caput B 3 p. 58. 4.1.
nostrum; & illud quod collatum est Christo, est etiam nobis in ipso collatum. Dic ergo & ita *intrare seruos in gaudium Domini sui*. Augustinus mirè in ps. 148. ad illud, *filijs Israel populo appropinquanti sibi*, inquit; *nunquid membra longè sunt à Capite? si essent longè & diuisa essent; non diceret*; (infra cap. vlt.) *ecce ego vobiscum sum*; &c. *si separata, non diceret*; *Saule Saule, quid me persequeris?* Act. *Si non in nobis esset, non diceret*; *esuriui & dedistis mihi manducare*; & *cum vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. *Ecce populus, ecce appropinquans Israel*; *cum illo, modò spe postea re*. Et sanè vel ex hoc apparet præ oculis à Domino habitam hanc sui cum corpore mystico vnitatem, quoniam non ait, vt supra c. 10. *quicunque potum dederit vni ex minimis istis*, sed, *vni ex his fratribus meis minimis*. *Fratres* dicit, vt vnitatem subinnuat; iuxta illud ps. *ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*: addere autem videtur *meis*; non secus ac Apostolus 1. Cor. 12. *vos estis Corpus Christi & membra de membro*. Et hoc magis claret si cum Hieronymo animaduertamus qualiter, *libera nobis erat intelligentia, quòd in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur; & sic de alijs*: vnde emergit difficultas cur id inculcauerit. Misso autem Hieronymi responso, planior, nostra attacta Syntaxi, emergit solutio; quia scilicet, non tam in repræsentationem Christi minimus, cui benefecerint, assumitur, quàm ad firmandam eam, de qua toties diximus Capitis & membrorum, seu Ecclesiæ cum suo sponso vnitatem. Quare emphaticè puto legendum; *esuriui, sitiui*, &c. sicuti Saulo dixit, *quid me persequeris?* Quæ quidem intelligentia, quem ab initio Matthæi scopum rimati sumus, firmat ac elucidat, vt sit hic *liber generationis Iesu Christi*, in se, & suis in membris fidelibus.

Hinc ergo magis elucet, quid sibi velit admirabunda iustorum responsio. *Domine quando te vidimus esurientem & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum?* Neque enim de hoc rogarent, si solummodo ad exaggerationem dictum à Domino intelligerent, *esuriui*, &c. Quare oportet nostram ad instructionem, sic accepi, vt intendat Dominus vnitatem sui ipsius cum membris commendare. *Quæcunque scripta sunt*, Roman. 15. *ad nostram doctrinam scripta sunt*. Vt autem ait Diuus Thomas, C modus sacræ Scripturæ multiplex est; narratiuus, admonitorius, exhortatorius, præceptiuus, deprecatiuus vel laudatiuus; itemque disputatiuus, vt in Iob. Vnde & hoc dialogismo Domini, crediderim eo collimari, vt mystica Christi Persona, prout Ecclesia corpus est eius, intelligatur. Et quanquam id iusti apprimè nouerint: exempli gratia inter alios Diuus Martinus; qui *Ambiani pauperi nudo, Christi nomine eleemosynam petenti partem Clamydis dedit; cuique sequenti nocte Christus illa vestis parte indutus apparuit, hanc emittens vocem; Martinus catechumenus hac me veste contexit*: nihilominus responsurus perhibetur & ipse cum alijs; *Domine quando te vidimus esurientem?* &c. vt nunc de hoc erudiamur. Aliàs quomodo ore vno, hoc se ignorare ostenderent iusti omnes; dicendo; *quando te vidimus?* &c. Et ex hac simultanea ac vnisona responsione, liquet prætacta iustorum fraternitas; *vni ex his fratribus meis*; dic, *fratribus* inter se se; *meis*

7.

C Prologo Psal.

meis autem; quia & de ipso dicitur Roman. 8. *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*; Apoc. 1. *qui est primogenitus mortuorum*; & Hebræor. 2. *debuit*
D Rom. 8. l. 6. *per omnia fratribus assimilari*: D nam qui per generationem æternam est Vnigenitus; Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*; secundùm collationem gratiæ est primogenitus; & nedum nobis similitudinem filiationis communicauit, sed & similitudinem nostræ naturæ assumpsit. Addo *meis*; secundùm quod etiam Ioann. 17. dixit; *tui erant, & mihi eos dedisti*: denique *meis*; quia vt ait Augustinus; *tanquam membra*, fideles, *sub vno Capite vegetantur*. Et tract. 28. in Ioann. *non enim Christus in capite & non in corpore; sed est Christus totus in capite & in corpore. Quod ergo membra eius, ipse*. Et quoniam charitas hanc fidelium vnitatem mysti-
E Ephes. 2. l. 5. cam perficit; nam vt ait Angelicus, E est charitas quasi cæmentum conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo; ecce, qua altissima de causa introducit specialiter de misericordiæ ope-
F 2. 2. q. 31. ribus; nam beneficentia & eleemosyna F sunt actus vel effectus exteriores charitatis. Et ideo etiam, vt mihi probatur, recolitur fraternitas, *fratribus meis*; in qua certè & charitas; iuxta illud Roma. 12. *charitate fraternitatis inuicem diligentes*: 1. Thessal. 4. *de charitate autem fraternitatis*; & Hebr. 13. *charitas fraternitatis maneat in vobis*; *& hospitalitatem nolite obliuisci*: vt hic memorat: *hospes eram*. Et Diuus Petrus in suis canonicis pluries inculcat amorem fraternitatis; vt nimirum hæc mystica cum Christo Domino vnitas (quæ tandem in Cœlo consummabitur, quando, 2. ad Timoth. 2. *conregnabimus*. Apocal. 22. *regnabunt in sæcula sæculorum*) iugi memoria celebretur; vnde ait, *possidete Regnum*. Et ecce cur, dum reprobos alloquitur, improperatque quòd omiserint misericordiæ opera, siletur Regis nomen. Quia scilicet, noluerunt ipsum super se regnare; Lucæ 19. *nolumus hunc regnare super nos*: & quia Rex gloriatur esse, eoquòd perducat ad Regnum. Item cur ab ea *fratrum* voce abstineat; quia scilicet, *vinculum hoc perfectionis* (Coloss. 3.) nescierunt. Vnde ait; *quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis*. Ad corpus autem Ecclesiæ mysticum simpliciter non pertinuisse deprehenduntur, quoniam compassi non sunt indigentibus, (Hebræor. 11. *vinctis compassi estis*) cùm tamen, vbi sit compages fidelium membrorum, vt dicitur 1. Corinth. 12. *si quid patitur vnum membrum, compatiantur alia membra*. Ioann. 1. cap. 3. *qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere; & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Pulchra
G in Ser. S. Francisci. autem est Augustini sententia relata ab Angelico; G *iustitia est in miserendo miseris*; Ideo non mirum, si prædestinati semel & iterum dicuntur *iusti*; *iusti autem in vitam æternam*. Ostendit Angelicus H
H 3. cont. G. c. 61. & 4. sentent. dist. 49. q. 1. a. 2. 3. quòd aliquis est vitæ æternæ particeps per visionem Dei; Ioa. 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum*, &c. quia illa visio est quædam vita, quandoquidem actio intellectus est vita quædam. Et quia in illa visione, non est aliqua successio, sed omnia, quæ per illam videntur, simul & vno intuitu videntur: in hoc verò differt æternitas à tempore, quòd tempus in quadam successione habet esse, æternitatis verò esse est totum simul; ideo illa visio in quadam æternitatis participatione perficitur.

8. Superest subintelligatur inenarrabilis futura delectatio ea in visione; de qua psal. 15. *notas mihi fecisti vias vitæ; adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua vsque in finem*: & psal. 20. *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*. (an sit principaliùs, visio quàm delectatio, vide p. 2. q. 4. a. 2.) Quicquid enim I est delectabile, totum est ibi
I opusc. 6. l. 15. superabundanter; eritque summa & perfectissima delectatio; quia de summo Bono; Iob 22. *tunc super Omnipotentem delicijs affluet*. Huiusmodi autem delectationes, quamuis innuat ex adiecto è regione supplicio; *& ibunt hi in supplicium æternum*: non exprimit arbitror, ad significandum, quia *nec oculus vidit*, 1. Corinth. 2. *nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum*. De quo & Apoc. 22. legitur, *videbunt faciem eius; & regnabunt in sæcula sæculorum*. Vbi illud implebitur Ioan. 12. *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, ex Augustino tract. 52. in Ioannem, *omnia prædestinata ad salutem, vt sim caput eorum, & illi membra mea*. Et quia tunc in Regno Cœlorum consummabitur duntaxat hæc Christi cum suis membris mystica vnitas, vbi separationis metus non erit, ait idem Augustinus tract. 28. in Ioan. *quod ergo membra eius, ipse: quod autem ipse, non continuò membra eius*. Et sic Ioan. 14. *iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum; vt vbi ego sum, & vos sitis*; idest L vbi est caput, sint mem-
L Ioa. 14. l. 1. bra. 1. Thess. 4. *& sic semper cum Domino erimus*. Et huc facit illud Ioann. 10. *ego veni vt vitam habeant*, M scilicet gratiæ in hoc Mundo; *& abun-*
M Ephes. 2. l. 8. *dantiùs habeant*; scilicet gloriæ in Patria. Repetamus ergo *in vitam æternam*; gratia & charitate, qua Christo tanquam membra capiti mysticè vnimur. Quod est Matthæi scopus.

CAPVT XXVI.

1 ET *factum est: cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis*: 2 *Sci-* Marc. 14. a 1.
tis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur. 3 *Tunc* Luc. 22. a. 1.
congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis Sacerdo-
tum, qui dicebatur Caiphas: 4 *& consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent*. 5
Dicebant autem: *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*. 6 *Cum autem Iesus esset* Ioan. 11. a. 2. & 12.
in Bethania in domo Simonis leprosi, 7 *accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretio-* a 3.
si, & effudit super caput ipsius recumbentis. 8 *Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes*: Marc. 14. a. 1.
Vt quid perditio hæc? 9 *potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus*. 10 *Sciens au-*
tem Iesus, ait illis: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me*: 11 *nam*
semper pauperes habetis vobiscum: *me autem non semper habetis*: 12 *mittens enim hæc vnguen-*
tum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 13 *Amen dico vobis; vbicunque prædica-* Marc. 14. b. 10.
tum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. 14 *Tunc* Luc. 22. a. 2.

abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum: 15 *& ait illis:
Marc. 14. b. 12. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* 16
Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet. 17 *Prima autem die Azymorum accesserunt
Luc. 22. a. 7. discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* 18 *At Iesus dixit: Ite in
Ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum propè est, apud te facio Pa-
scha cum discipulis meis.* 19 *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pa-
Marc. 14. b. 17. scha.* 20 *Vesperè autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis:* 21 *Et edentibus il-
Luc. 22. b. 14. lis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* 22 *Et contristati valdè cœ-
Ioan. 13. b. 21. perunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine?* 23 *At ipse respondens ait: Qui intingit me-
cum manum in paropside, hic me tradet:* 24 *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de
Psal. 40. c. 10. illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset
homo ille.* 25 *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait
1. Cor. 11. c. 14. illi: Tu dixisti.* 26 *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, dedit-
que discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.* 27 *Et accipiens cali-
cem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.* 28 *Hic est enim sanguis meus no-
ui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* 29 *Dico autem vobis: non
bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in
Marc. 14. c. 27. regno Patris mei.* 30 *Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliueti.* 31 *Tunc dicit illis Iesus:
Ioann. 16. d. 32. Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem,
Zach. 13. c. 7. & dispergentur oues gregis.* 32 *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam: Re-
Marc. 16. b. 7. spondens autem Petrus, ait illi:* 33 *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scanda-
lizabor.* 34 *Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me
Ioann. 13. d. 38. negabis.* 35 *Ait illi Petrus. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & om-
Marc. 14. d. 32. nes discipuli dixerunt.* 36 *Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & di-
Luc. 22. d. 39. xit discipulis suis: Sedete hìc, donec vadam illuc, & orem.* 37 *Et assumpto Petro, & duobus
filijs Zebedæi, cœpit contristari, & mæstus esse.* 38 *Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque
ad mortem: sustinete hìc, & vigilate mecum.* 39 *Et progressus pusillum, procidit in faciem
suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non si-
cut ego volo, sed sicut tu.* 40 *Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit
Petro: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* 41 *Vigilate, & orate vt non intretis in ten-
tationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* 42 *Iterum secundò abijt, & orauit
dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* 43 *Et ve-
nit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati.* 44 *Et relictis illis, ite-
rum abijt, & orauit tertiò eundem sermonem dicens.* 45 *Tunc venit ad discipulos suos, & di-
Marc. 14. e. 41. cit illis: Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in ma-
nus peccatorum.* 46 *Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.* 47 *Adhuc eo loquente,
Luc. 22. e. 47. ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fustibus, missi à prin-
Ioann. 18. a. 3. cipibus sacerdotum, & senioribus populi.* 48 *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, di-
cens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum.* 49 *Et confestim accedens ad Iesum,
dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum.* 50 *Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid venisti?
Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.* 51 *Et ecce vnus ex his, qui
erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacer-
Genes. 9. a. 6. dotum amputauit auriculam eius.* 52 *Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum:
Apoc. 13. c. 13. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* 53 *An putas, quia non possum rogare Pa-
Isa. 53. c. 10. trem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.* 54 *Quomodo ergo
implebuntur Scripturæ, quia sic opertet fieri?* 55 *In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquam ad
Thren. 4. d. 20. latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in
Marc. 4. f. 13. templo, & non me tenuistis.* 56 *Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur Scripturæ Pro-
Luc. 22. f. 54. phetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* 57 *At illi tenentes Iesum, duxerunt ad
Ioann. 18. c. 14. Caipham principem sacerdotum, vbi Scribæ, & seniores conuenerant.* 58 *Petrus autem sequeba-
tur eum à longè, vsque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum mini-
stris, vt videret finem.* 59 *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum
testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent:* 60 *& non inuenerunt, cum multi falsi testes
Ioan. 2. d. 19. accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes,* 61 *& dixerunt: Hic dixit: Possum de-
struere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* 62 *Et surgens princeps sacerdotum, ait
illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersùm te testificantur?* 63 *Iesus autem tacebat. Et
princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius
Dei.* 64 *Dicit illi Iesus: Tu dixisti: veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis se-*

dentem

dentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. 65 Tunc princeps sacerdotum scidit Sup. 16. d. 27.
vestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphe- 1. Thess.
miam: 66 quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. 67 Tunc expue- 4. d. 14. Rom. 14.
runt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, 68 b. 10.
dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? 69 Petrus verò sedebat foris in atrio, Isa. 50. c. 6.
& accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. 70 At ille negauit coram Marc. 14.
omnibus, dicens: Nescio quid dicis. 71 Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & g. 65. Luc. 22. f.
ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. 72 Et iterum negauit cum iuramento: 55.
Quia non noui hominem. 73 Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè Ioan. 18. c. 25.
& tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. 74 Tunc cœpit detestari, & iurare,
quia non nouisset hominem. Et continuò Gallus cantauit. 75 Et recordatus est Petrus verbi Iesu,
quod dixerat: prius quàm Gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amarè.

1. VERS. I. *Et factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes.*

Planè omnia altissimo eloquio edisserta esse à Domino asseuerat Euangelista, dum ait, *cum consummasset*: quod enim consummatum est, perfectionem obtinuit. Ideo reor addit *omnes*, quia Prouerb. 8. legimus; *iusti sunt omnes sermones eius: non est in eis prauum quid, neque peruersum*. Rabanus, ly *omnes* intelligit, quatenus *ab initio Euangelij vsque ad passionem, omnia faciendo & prædicando compleuerat*. Vel quia dicit *hos omnes*, arctiùs *de consummatione Sæculi, & de die iudicij*. Origenes expendens etiam ly *hos*, putat adiectum esse, ne crederetur non vltra locuturum: *oportebat enim eum etiam alios loqui sermones, priusquam traderetur*. Satius mihi videtur, quæ cuncta enarrauit hactenus Euangelista, nedum à Domino pronunciata, sed & facta dici sermones. Planè docuit Augustinus, *miracula, quæ fecit Dominus Iesus, & opera & dicta esse; opera, quia facta sunt; dicta, quia significant*. Vnde Serm. 44. *neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat; sed ea faciebat, vt mira essent videntibus, vera essent intelligentibus*. Et præcipuè, vt ait tract. 28. in Ioann. *semper hoc egit dictis & factis suis, vt Deus crederetur & homo*. Dic ergo propterea reassumpsisse Matthæum suam totam Euangelicam narrationem, sub nomine sermonum significantium, vt quem Deum & hominem ex ijs prænouimus, moriturum hominem, & ex Diuinitatis virtute resurrecturum crederemus. Dicit autem; *scitis quia post biduum Pascha fiet; & filius hominis tradetur, vt crucifigatur*: ad excitandam recordationem futuræ suæ necis, toties ipsis prænunciatæ; vt subinde recolant expectandam gloriam post humiliationem, quam item pluries prædixerat. Vt enim ait Chrysostomus hom. 57. in Matthæum, idcirco *transfiguratus est ante eos; vt ostenderet quidnam sit illa gloria, cum qua venturus est, quantùm capere poterant, in hac præsenti vita; ne aut sua, aut Domini morte doleant; & maximè Petrus*. Et signanter se filium hominis vocat; quia in Cruce latuit Deitas: potuisset enim dicere *tradar & crucifigar*; sed maluit, quasi de tertia loqui persona; *filius hominis tradetur*, vt nostræ naturæ communionem fidei commendaret; & tamen ex hac humanæ naturæ discretione argueretur immo in ipso Diuinitas. Sicuti supra cap. 16. proposuit; *quem dicunt homines esse filium hominis? Certè enim filium hominis*, quod ait Hilarius, *contemplatio corporis præferebat: sed addendo; quem me esse dicunt, significauit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum*. Dicamus ergo sub hoc verborum tenore; *scitis quia post biduum Pascha fiet*; &c. in memoriam discipulorum se ipsum vtique hominem, sed ex infallibili præscientia futurorum Deum quoque, fixiùs reuocasse; *ne conturbaret eorum fidem*, vt ait Leo Papa in Serm. de Transfiguratione, *voluntariæ humilitas passionis, quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis*.

2. Nec perperam Pascha recolitur, iungiturque suæ morti; *vt crucifigatur*. Inquit enim mirè idem Sanctus Leo Papa Sermon. 7. de passione; *diuino intelligimus dispositum esse consilio, vt sacrilegi Iudæorum Principes, & impij Sacerdotes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpè quæsierant, nonnisi in solemnitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim, vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, & vno expleretur sacrificio, variarum differentia victimarum. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis; antiqua obseruantia, nouo excluditur sacramento. Hostia in hostiam transit; sanguine sanguis aufertur; & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur. Iesus* quippe *consilij sui certus vetus Testamentum consummabat, & nouum Pascha condebat*. Quocirca sciendum est Paschæ nomen quosdam opinatos fuisse verbum esse veluti græcum; significare autem passionem; nam *pascho* græcè, latinè *patior* est. Si velimus hebraicam deriuationem excludere, falsò græcæ soli insistimus. Ideo Augustinus in psal. 120. hoc improbat; & cum eo Hieronymus. Veruntamen Angelicus, A hanc etiam interpretationem admittit, vt *Pascha sit passio*; quamuis hebraicam prælaudet; vt patet alio ex loco, B vbi ait Apostolus; *etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*. Inter cætera, inquit, Sacramenta legalia celeberrimum erat Agnus paschalis, qui vt præcipitur Exodi 12. immolabatur ab vniuersa multitudine filiorum Israel, in memoriam illius beneficij, quo Angelus percutiens primogenita Ægypti, pertransiuit domos Iudæorum, quarum fores linitæ essent sanguine Agni. Vnde nomen Paschæ sumitur, secundùm quòd ibi dicitur: *est enim phase (idest transitus) Domini*. Et vltimò virtute huius beneficij transiuit populus mare rubrum, sicut dicitur Exodi 14. Sicut ergo ille agnus figura fuit Christi innocentis, de quo dicitur Ioan. 1. *ecce Agnus Dei*; immolabaturque à filijs Israel, vt populus Dei liberaretur ab Angelo percutiente, & vt transirent mare rubrum liberati de seruitute Ægypti; ita Christus est occisus à filijs Israel; per cuius sanguinem populus Dei liberatur à diaboli impugnatione, & seruitute peccati; per baptismum, quasi per mare rubrum. Ille autem agnus Pascha Iudæorum dicebatur, quia in signum transitus immolabatur: vnde dicitur, Matthæi 26. *vbi vis paremus tibi, comedere Pascha?* idest agnum Paschalem. Quare sicut figurale Pascha veteris populi est agnus immolatus; ita *Pascha nostrum*, idest noui populi, *est Christus immolatus*. Cuius etiam immolationi conuenit nomen Paschæ; tum significatione linguæ hebrææ; quod significat transitum; tum significatione linguæ græcæ, prout nomen Pa-

A Hebr. 11. l. 6.

B 1. Cor. 5. l. 2. & Ioan. 14. l. 1.

schæ significat passionem. Christus enim per passionem qua fuit immolatus, transiuit ex hoc Mundo ad Patrem; vt dicitur Ioann. 13. Hucusque Diuus Thomas. Animaduerte tamen, Pascha dici etiam cibum paschalem, idest azymos panes, quos oportebat comedi à mundis. Et sic intelligitur illud Ioannis 18. *ipsi non introierunt in Prætorium*, (manè passionis) *vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*. Immo ex Chrysostomo, Pascha potest accipi pro toto festo Iudæorum; quod septem diebus agebatur. Pro quorum pleniori notitia, sciendum, quod nostra efferimus lingua nomen *Paschæ*, dici quoque *Phase*, sed hebraica pronunciatione, *Pèsach*, à radice *Pàsach*, idest *transiuit*. Huc autem facit, quod habet Sanctus Leo Papa in Serm. de passione; *si autem in exitu Israel de Ægypto, agni sanguis fuit restitutio libertatis, & sacratissima est facta festiuitas, quæ post hostiam pecudis, iram auerteret vastatoris; quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens Pater filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? vt in occisione Christi, Pascha esset verum, & singulare sacrificium, quo non ex dominatione Pharaonis vnus populus, sed ex diaboli captiuitate totus Mundus eruitur.* Origenes subtili meditatione ab illa vocula *fiet* trahit intelligentiam: *non enim dixit, post biduum Pascha erit, aut veniet; vt ostenderet illud Pascha futurum, quod fieri solebat secundùm legem; sed Pascha fiet; hoc est, quale nunquam factum fuerat*. Cumque in Scripturis quandoq; particula *&* sumatur pro *quia*, vt aliàs diximus: non fuerit absonum sic etiam interpretari in præsenti; *post biduum Pascha fiet; quia filius hominis tradetur, vt crucifigatur*. Et sic Angelicus hic inquit; ad designandum quòd non quæcunque passio est passio Christi, sed quæ signatur per paschale sacrificium: quia hæc immolatio succedebat immolationi agni paschalis.

C opusc. 1. contr. errores græcor. 5. antepenult. & 3. p. 46. a. 9. ad 1. & hic.

3. Quæri potest de hoc quod ait *post biduum*. Sensit Angelicus hoc dixisse die Martis, seu feria nobis tertia D: seu luna duodecima (errore tamen typus exhibet 13.) Et ideo sic exponendum mihi probatur; *post biduum*, idest postquam transierit feria 4. & 5. celebrabitur feria 6. dies solemnior Paschæ: vel post hunc diem, quo loquor, & sequentem feriam 4. *Pascha fiet*: idest immolabitur agnus, luna 14. ad Vesperas. Et sic legimus Lucæ 22. *venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*. Sicut enim verissimum est quod supra cap. 17. dicit Matthæus, *post sex dies assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem &c. & transfiguratus est ante eos*; itemque verissimum quod habet Lucas cap. 9. *post hæc verba ferè dies octo*; quia Matthæus ponit medios dies; Lucas verò primum etiam, & extremum, vt ait Hieronymus: ita hic etiam ly *post biduum* potest includere diem quo loquebatur, vel non includere; & sic duplex esse intelligentia Paschæ vel Agni, vel sequentis diei sanctæ & solemnis. Tali autem ancipiti intelligentia illud emergit, vt & Pascha in figura, & Pascha figuratum contemplemur, siquidem vt ex Sancto Leone Papa dictum est; *Iesus vetus Testamentum consummabat, & nouum Pascha condebat*. Marcus capit. 14. vtrumque commemorat: *erat autem Pascha, & azyma post biduum*; ex quo ad lunam 14. spectat potius sermo. Quæri etiam adhuc operæpretium est, quare sic duobus ante diebus de sua introduxerit morte. Hieronymus occurrit dicens; *post duos dies clarissimi luminis, veteris & noui Testamenti, verum pro Mundo celebratur Pascha. Transitus etiam noster, idest Phase, ita celebratur, si terrena dimittentes ad cælestia festinemus*. Verum mihi arridet, vt propterea, sic *post biduum* diceret, vt illud nobis suggereret Osee 6. *viuificabit nos post duos dies*. Reuera enim, mortem nostram moriendo destruxit; vt idem prædicit Osee cap. 13. *de manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos; ero mors tua, ò Mors*. Et hoc *post biduum* præludit tertio resurrectionis diei: quemadmodum idem Osee cap. 6. subdit, *in die tertia suscitabit nos*. Forsasse etiam ad litteram ea die *congregati sunt Principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas*. Probat enim Angelicus E bis eos fecisse consilium de Christi nece: illud Ioannis 11. cum *collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium*; & impræsentiarum.

D D. Th. hic.

E D. Th. hic.

VERS. III. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, &c.*

4. Legimus 1. Paralipomenon cap. 24. distributos à Dauid per vigintiquatuor classes Sacerdotes omnes, singulisque classibus suas vices assignatas, vt per vices diuinis adstarent: capita autem istarum classium, vocabantur Principes Sacerdotum. Super omnes tamen classes, erat summus Sacerdos, qui & Pontifex dicebatur. Videatur Iacobus Tirinus ibi, & in Chronico sacro cap. 46. tabula 3. Horum primus fuit Aaron: & ipsorum successionem, & seriem vide cap. 42. Tunc autem Summus Sacerdos erat Iosephus Caiphas. Iam autem (quod erat contra legem) alius alij sufficiebatur hoc in supremo munere ante mortem. Vnde Ioann. 11. de Caipha dicitur, cum esset Pontifex anni illius. Ambitio ius corrupit; & laica authoritas obliquè in hoc se ingessit. Isti ergo Principes Sacerdotum congregati sunt, & cum his seniores populi; idest Senatores populi, seu Magistratus politici. Aliàs habet Ieremias cap. 5. de optimatibus; *ipsi cognouerunt viam Domini, confregerunt iugum, ruperunt vincula*; & Danielis 13. *à senioribus egressa est iniquitas*. Et Ezechielis 22. *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea*. Et Michææ 3. *Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant: Et super Dominum requiescebant dicentes; nunquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons Templi in excelsa siluarum*. Denique ad hæc recolit Diuus Petrus Act. 4. illud psalm. 2. *astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim verè in Ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*. Inquit autem Chrysostomus in homil. Matthæi 21. *quando Iudæi Christum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt; quando autem ipse secutus est mortem, parcere ei Iudæi non potuerunt. Ergo si Christus eos prouocauit, fortè de morte sua fecit eos innoxios? absit. Excitauit eos, non vt facerent quod ante noluerant, sed vt possent facere, quæ prius volebant. Facultas eis data est, non mutata voluntas*. Adnecte ex Sancto Leone Papa, in Serm. *cum illa Dominus vsus sit multitia Iudæorum, vt intentione facinoris, voluntarius impleta miserentis: nam sic, redus in sententiam suæ dispositionis æternæ; sæuienti diabolo, per ministeria Iudæorum, formam ferat nihil peccati habentis obiecit; vt per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa*. Tu illorum deprehende malitiam, quia congregati sunt ad dolum, *vt Iesum dolo tenerent & occiderent*. Intendebant ergo ipsius mortem, priusquam mortis per qualemcunque sententiam esset adiudicatus. Et ita, vt idem ait Sanctus Leo; *prouidentibus, ne in die festo tumultus oriretur, non festiui-*

stiuitati, sed facineri studebatur. Nicodemus persanctè Ioann. 7. *nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?* Sed & hoc ipsum intentarunt aduersus Paulum; nam Act. 25. dixit Festus Regi Agrippæ; *adierunt me Principes Sacerdotum, & Seniores Iudæorum* (priùs fertur; *adierunt eum Principes Sacerdotum, & primi Iudæorum*) *postulantes aduersùs illum damnationem. Ad quos respondi: quia non est Romanis consuetudo, damnare aliquem hominem, priùsquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Cùm ergo huc conuenissent sine vlla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi duci virum. De quo, cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant; de quibus ego suspicabar malum. Quæstiones verò quasdam de sua suspicione habebant aduersùs eum; & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere*. Ipsorum hinc fas est agnoscere contumaciam atque perfidiam. Ideo *Ioseph decurio, vir bonus & iustus, non consenserat consilio & actibus eorum*; vt ait Lucas cap. 23. Sed, *irruerunt in lumen*, vt ait Leo Papa, *filij tenebrarum*.

VERS. VI. *Cùm autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi*; &c.

5. De Maria sorore Marthæ & Lazari, communis Patrum sentit intelligi, quod hic habet Matthæus & Marcus cap. 14. Itemque Ioannes cap. 12. Quamuis loco tempore & facto videantur differre in narratione Matthæus Marcusque à Ioanne. Ioannes quippe *ante sex dies Paschæ* venisse inquit Bethaniam; Matthæus & Marcus venisse quodammodo sonant biduo ante Pascha. Sed soluitur facilè, quia non dicunt hi duo *tunc* venisse Bethaniam, scilicet biduo ante Pascha, quod magis mouere posset, sed *cùm esset Bethaniæ*. Quare fit, vt recapitulando præteritam profectionem Iesu in Bethaniam, eam interposuerint: altissimo mysterio, quod elucidabit Syntaxis. Ioannes præterea dicit, *fecerunt ei cœnam ibi, & Martha ministrabat*; vnde potest argui factam fuisse cœnam in domo Marthæ, cum hic Matthæus & Marcus cap. 14. dicant *in domo Simonis leprosi*. Sed soluitur item facilè, in quantùm prudenter existimari debet, Martham illuc ad domum Simonis leprosi accessisse cum Lazaro & sorore Maria, ob cognationem cum Simone leproso; quem quare taceat Ioannes, Syntaxis aperiet. Denique nutarunt aliqui, an esset eadem mulier; quia Ioannes inquit, *vnxit pedes Iesu & extersit pedes eius capillis suis*; Matthæus autem & Marcus *effudisse*, inquiunt, *vnguentum super caput ipsius*: additque Marcus circunstantiam *fracto quoque alabastro*. Sed & hoc soluitur; quia vt ait Augustinus, vtrumque conuenientissimè potuit esse. Videatur hic Angelicus F & in Ioannem. Cæterùm vti diximus, cur sic variè locuti sint de vno eodemque facto, solius Syntaxis contemplatio potest pleniùs manifestare. Remanet etiam videndum breuiter; an sit eadem hæc Sancta mulier, quam peccatricem vocat Lucas cap. 7. Et quidem clarè infertur ex Ioannis testimonio, qui c. 11. vbi de Lazaro & de Martha, de Maria dicit; *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis*. Vnde sic sensit Augustinus & Gregorius: licèt Hieronymus & Origenes cum Chrysostomo putarint hanc Lazari sororem, non esse peccatricem Lucæ 7. & Ambrosius dubitauerit, vt apud Angelicum G. Nihilominus Augustino dant manum Cyprianus Euthymius & alij recentiores, plauditque Ecclesia: & valde adstipulatur quod ait Ioannes cap. 11. de sorore Lazari & Marthæ; *Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis*. Quod certè magis

F D. Th. hic & Io. 12. l. 11.

G Ioa. 11. l. 1. & hic.

referri videtur ad factum Lucæ cap. 7. quàm ad sequens Ioannis 12. Quod vellent per quandam anticipationem cap. 11. tangi à Ioanne. Maria ergo soror Lazari, quæ prius *lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*, apud Simonem Pharisæum Lucæ 7. nunc dimissis peccatis, iamque munda eiectis septem dæmonijs, vt dicitur Lucæ 8. pio ausu nouoque obsequio pretiosum effundit vnguentum super caput Domini recumbentis in domo alterius Simonis, *Leprosi*, vel cognomento, vel quia præmundati à Domino, vt dicunt.

VERS. VIII. *Videntes autem discipuli indignati sunt*; &c.

Hic in primis examinandum occurrit de consensu Euangelistarum; quoniam Ioannes singulariter inquit; *dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus*. Respondetur H secundùm Hieronymum, consueto Synecdoches tropo, vsurpari plurale pro singulari; sicut Paulus in Epistola ad Hebræos dicit, *secti sunt*, cùm vnum, scilicet Isaiam sectum autumnet: & sic fert Angelicus illud Matthæi 2. defuncto Herode; *defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*. Deinde ex Augustino prius oblocutum fuisse Iudam; aliosque ab eo prouocatos, vt similia verba proferrent. Licèt non eadem intentione. Mihi fortè planius videtur solum Iudam oretenus murmurasse: alios autem discipulos linguam cohibuisse, non cor; sed audito Iuda, excandescere cœpisse. Sanè in Marco legimus; *erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos & dicentes*; (etiam intra semetipsos) *vt quid perditio ista vnguenti facta est?* Vnde Matthæus subdit; *sciens autem Iesus*; non dicit *audiens autem Iesus*; sed *sciens*; nam vt dicitur Ioannis 2. *ipse sciebat, quid esset in homine*. Nihilominus, quoniam Marcus dicit, *& fremebant in eam*: & hoc ægrè interiùs fieri dicitur, sonatque in malum, fuisse mulieri huic molestos; in hoc conuenientiùs locum habet Synecdoche, vt plures qui iam *intra semetipsos* aliqualiter deliquerant *indignè ferentes* stent pro vno Iuda, qui *fremebat in eam*. Vbi & Beda; *quod autem dicit, & fremebant in eam, nequaquam debemus de diligentibus Christum Apostolis dictum credere, sed de Iuda potiùs sub numero plurali*. Et iam ipse quoque Ioannes satis indicat vel corde alios vltra Iudam illaudasse mulierem, quando pluraliter locutum fert Dominum; *finite illam: pauperes enim semper habetis vobiscum*; &c.

6.

H D. Th. hic. & Io. 12. l. 1.

Deinde recogitandum est de hoc Magdalenæ mysterioso vtique actu; quem eximiè adeo commendat, quemque alijs pietatis operibus Iesus præponit. Quod verò cogit nos altè opinari, est hic interseri, quando non biduo ante Pascha, sed *ante sex dies Paschæ*, vt Ioannes cap. 12. enarrat, hoc factum est. Vnde Augustinus id animaduertens ait; *recapitulando, illud quod in Bethania de vnguento factum est, Matthæum & Marcum posuisse*. Non prætereat ergo quod in promptu ex ore Domini est, præsagiri huiusmodi facto suam sepulturam. Ita apud Matthæum; *mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*: apud Marcum; *quod habuit hæc fecit; præuenit vngere corpus meum in sepulturam*: Ioannis 12. *finite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*. Veruntamen hac de re dicit Angelicus; I non intelligebat Maria quod fecit; sed quodam instinctu interiori mota est ad hoc faciendum: frequenter enim aliqui mouentur ad faciendum, quod non intelligunt: & ita hoc faciendo non præsciuit mortem Christi. Tu recole postea dixisse Dominum; *scitis, quia post biduum Pascha fiet; & filius hominis tradetur, vt crucifigatur*. Sanè alibi docet, Prophetas non semper cogno-

7.

I Ioann. 12. l. 1.

L 1. 2. 173. 4. scere L ea quæ prophetant, nisi cum perfectè illustrantur: & hoc affirmat etiam de veris Prophetis, quorum mens est instrumentum deficiens Spiritus-Sancti: & ideo non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis aut verbis aut etiam factis Spiritus-Sanctus intendit. Arbitratus est ergo Sanctus Doctor sic de Maria Magdalene. Et planè videtur colligi ex sacris textibus; nam apud Matthæum, dicit *ad sepeliendum me, fecit*: & Marci 14. *quod habuit, hoc fecit*. En quomodo non dicit, *ordinauit*, aut *direxit*, sed *fecit*. Hinc ibidem Angelicus ait; M cum Spiritus-Sanctus mouet mentem alicuius ad aliquid faciendi M; quandoque quidem intelligit, quid hoc significet; sicut patet de Ieremia, qui abscondit lumbare in Euphrate, vt patet cap. 13. quandoque verò non intelligit; sicut milites diuidentes vestimenta Christi, non intelligebant, quid significaret. Propterea puto præmissum esse, *quod habuit, hoc fecit*: scilicet secundum quod mota est ad faciendum; & secundum quòd accepit à Spiritu-Sancto; iuxta illud 1. Corinth. 4. *quid enim habes, quod non accepisti?* ly enim *quod habuit* videtur innuere, ad mensuram, non verò perfectè accepisse. Et hoc ipsum probat quod sequitur in Marco; *præuenit vngere corpus meum in sepulturam*: præuenit nimirum suo opere, quod ego *ad sepeliendum me, & in sepulturam*, hoc est ad sepeliendi mei corporis incorruptionem designandam, ordinatum noui. Huius verbi Domini executrix, vt legitur Ioann. 20. *vna sabbati Maria Magdalene, venit mane cum adhuc tenebræ essent ad monumentum*; & Marci 16. cum alijs emit aromata, vt vngeret Iesum: quasi completura opus quod hic præuenerat facere. Sed altior erat verbi Domini sensus; *præuenit*; sed peruentura non est; quia vt notat Angelicus, N celeri Christi resurrectione præuenta est. Quod autem habet Ioannes, *finite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*, ad idem refertur. Sed quia jam vnguentum effuderat super caput ipsius, vnxeratque pedes; exponitur sic, O *vt seruet illud* simile in specie vel genere: vel opere. Iacobus Tirinus implexam non dissimulat sententiam: ideo sic declarat; *vt seruet illud*, idest seruasse comprobetur; & *finite illam*, ne frustra vnguentum hoc in eum finem asseruarit: fertque gracè legi *seruauit*. Vnde aio ipse, *finite illam*, supple, illud facere opus bonum suo vnguento pretioso, vt *seruauit*. Cum enim semel aliàs Lucæ 7. huiusmodi impendisset obsequium Domino, seruauit iterum vnguentum ad iterum obsequendum. Verùm quoniam verba Domini ad nostram doctrinam sunt; quemadmodum omnis Christi actio, nostra est instructio, mihi sic arcana intelligentia sonant: *finite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*: neque enim quidquam melius seruari potest, quàm si in Domini obsequium distrahatur. Non secus ac Ecclesiastici 29. legimus; *conclude eleemosynam in corde pauperis*, ac etiam granum seruatur cum in agro spargitur. Et conuenienter sic videtur exponi, ad increpationem Iudæ præcipuè, ac aliorum, qui dixerant; *vt quid perditio ista vnguenti facta est?* mentitur furis lingua; quia non perditur, sed seruatur, quod Domino oblatum est; qui aliunde suppeditat centuplum, quod pro illo effundimus: 2. Corinth. 9. *qui autem administrat semen seminanti; & panem ad manducandum præstabit; & multiplicabit semen vestrum*. Vnde scilicet plures eleemosynas P faciatis. Certè cum vidua Sarephtana 3. Regum 17. de paucula sua farinula subcinericium panem fecit Eliæ, seruasse dici debet illam, siquidem *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei*, in quo adeò *paululum erat, non est imminutus*. Auarum ergo Iudæ zelum arguit Dominus; cum tecta hypocrisi dixit; *quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?* quia quod Domino impenditur, immo seruatur.

M loco cit.

N Ioann. 12. 1. 2.

O loc. cit.

P 2. Cor. 9. l. 2.

Cæterum cohibitio molestiæ, qua sanctam mulierem afficerant erudiendi discipuli, non est primarium Domini intentum, neque egenorum subuentio. Alia quippe via poterat declinare calumniam; puta dicendo; *finite illam*, quod agit perficere; nec vos perturbet, quasi sit isthæc iactura: non enim deerit quod & pauperibus suppetat. Alij erogare ipsis poterunt; nec obsequens mihi mulier ad hoc præstandum opibus destituta est. Nihil horum dixit: sed pauperes adfuturos semper, se ipsum autem non ita præsentem semper esse respondit; *nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. Vnde suum discessum, ex quo ipsorum amorem extorqueat, inculcat: memorataque sua morte, sublimi sensu opus mulieris honestat. Etsi enim, quod ait Remigius, *consuetudo erat illius populi, vt corpora mortuorum diuersis aromatibus condirentur*, ad arcendam quandiu liceret putrefactionem, primarióque ad fidem & spem resurrectionis publicè contestandam, vt habet Tirinus: (ita, Ioannis 19. *acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire*; vt diutiùs seruarentur illæsa, inquit Sanctus Thomas 3. p. 51. 2. 2.) nihilominus non æquum erat, vt communi solùm studio, id Saluatoris corpori præstaretur; sed par, vt singulari opere, diuinæ prouidentiæ nutu, diuino quodam præsagio, nedum ritus ille humanus præuentus esset, sed mysteriosior in Christo præcineretur; de quo nimirùm Dauid prædixerat; *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; psal. 15. Quem quidem locum vterque nostræ fidei Antesignanus Petrus & Paulus ad Christi resurrectionem astruendam expendunt. Petrus Act. 2. *Propheta igitur cùm esset Patriarcha Dauid, prouidè locutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno; neque caro eius vidit corruptionem*. Paulus autem cap. 13. *quòd autem suscitauit eum à mortuis, ampliùs iam non reuersurum in corruptionem ita dixit; quia dabo vobis Sancta Dauid fidelia*. (Isaiæ 55. ibi v. 3. *misericordias Dauid fideles*; sed Apostolus legit cum 70.) *Ideoque & alias dicit; non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Dauid enim in sua generatione, cùm administrasset voluntati Dei, dormiuit, & appositus est ad Patres suos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem*. Quoniam autem, vt notat Q Angelicus ibi, *& exurrexi quia Dominus suscepit me*. (alia litera; *sustentauit me*) habuit Dominus, virtute Diuinitatis quòd surgeret: iuxta illud 2. Corinth. vltimo; *etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei*: dicito, propterea effudisse super caput ipsius pretiosum vnguentum: quia vt scitur, R per caput significatur Diuinitas: 1. Corinth. 11. *caput Christi Deus*. Per pedes item humanitas S intelligitur; psal. 131. *adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*: consequenter vnguntur & pedes apud Ioannem, quos *capillis extersit*. Quando autem agendum erat de ipsius passione & morte, nihil opportunius, quàm etiam incorruptionis [illegible] & resurrectionis ac immortalitatis [illegible], vnguentum scilicet illud, commemorat.

Q in ps. 3. & 3. p. 53. 1.

R Ioan. 12. l. 2.

S 1. Cor. 11. l. 1. Io. 12. l. 1. Io. 10. l. 2.

9\. Et hinc accipi potest ratio, ex qua dicatur vnguentum illud [illegible]; nimirum quia auri primum pretium est: & per aurum designatur Diuinitas; *Caput eius aurum optimum*. Et præterea quare epitetum aliud sibi [illegible] videlicet *pistici*. *Pistis* enim græce, vt ait Augustinus [illegible] in Ioannem, *fides* latinè dicitur. [illegible] ergo Christi resurrectionem, secus pisticum non esset, seu fidele; quoniam, *si Christus non resurrexit* 1. Corinth. 15. *inanis*

inanis est ergo prædicatio nostra; inanis est & fides vestra. Et si libet, adnectas admirabiliter, quod & iungit Dominus de futura prædicatione: *vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto Mundo*, &c. Vt quid enim prædiceret nunc, toto Orbe terrarum disseminandam euangelicam prædicationem; nisi quia *inanis* iam esse nequit, quando præmonstratur hoc opere, *bonum opus operata est in me*, Christum resurrecturum à mortuis, in quo basis est fidei ac prædicationis? Vnde & super illud ps. 29. *quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* habemus; T quasi dicat, si corpus meum putrescat, perdetur effusi sanguinis vtilitas; dum si corpus fuisset putrefactum vel resolutum, non crederetur in eo esse virtus diuina. Vel *quæ vtilitas in sanguine meo*, idest in effusione sanguinis mei, *dum descendo*, quasi per quosdam gradus malorum, *in corruptionem?* quasi dicat, *nulla*. Si enim statim non resurgo; corruptumque fuerit corpus meum, *nemini annunciabo, nullum lucrabor*, vt glossa exponit. Quis scit, non fuerit sensus huiusmodi verborum illorum in Canticis cap. 1. *oleum effusum nomen tuum?* Ad illud Actor. 9. de Paulo; *vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum*, &c. plenum V inquit fuit pretioso liquore, scilicet nomine Christi; *oleum effusum nomen tuum*. Hoc oleum siue vnguentum prædicatione vbique erat fundendum erat; vt primo Christi resurrectio incorruptio ac immortalitas annunciaretur. Nam & Christus interpretatur *vnctus*; psal. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Alias X etiam sic designatur Christi dignitas, & quantum ad sanctitatem, quia Sacerdotes vngebantur, vt patet Exodi 29. & quantum ad potestatem; quia etiam Reges vngebantur; vt patet de Dauid 1. Regum 16. & de Salomone 3. Regum 1. & quantum ad cognitionem, quia etiam Prophetæ vngebantur, vt patet de Elisæo 3. Regum 19. Diuesest ergo mysteriorum effusio isthæc vnguenti. Et reuera vnguentum seu oleum, hebraicè *sciemen* à radice *sciaman* est; quæ item à radice *Masciach* deriuatur, à qua etiam significante *vnxit*, oritur Messiæ nomen *Masciiach*, græcè *Christos*, latinè *vnctus*. Vide, quam sensata sit vnctio, effusioque huiusmodi vnguenti. Per quod, vt considerat Iacobus Tirinus, non debet intelligi crassum pingueque malagma, quale à chirurgis adhibetur, sed subtilis & quasi aqueus liquor, ex herbis odoriferis & aromatibus expressus, qui corpus & vestes, quibus infunditur, non commaculet, sed irriget duntaxat, instar aquæ rosaceæ vel lauendulæ, gratissimum odorem afflando ad valetudinem, & voluptatem.

T 3. P. 51. 1. 3. P. 53. 1.

V Prologo in Epist. Paul.

X Rom. 1. lect. 1.

10. Veruntamen nondum quiescit animus de sequentis verbi Domini intelligentia; dum ait; *dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius*; siue vt apud D. Marcum, *& quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.* Neque enim impleri videtur Christi Domini vaticinium: quo specialis quædam facti huius narratio prædicta est. Nam aliàs in vniuersum prædicari, & dici, quicquid in Euangelio extat, non dubitatur; modo hoc modo illud: sed potiori annunciatione vbique locorum Magdalenæ commendari opus non apparet; vt exigit Sacer textus, qui de singulari vnctione hac, non communia contestatur futura elogia. Chrysostomus in hom. *Ecce autem quod dixit factum est; & vbicumque terrarum abieris, videbis hanc mulierem famosam effectam: quod virtus prædicantis effecit. Et Regum quidem multorum & Ducum victoriæ silentur: & multi qui Ciuitates construxerunt; & Gentes multas seruituti subegerunt, neque ex auditu, neque ex nomine sunt cogniti. Quoniam autem hæc mulier oleum effudit in domo leprosi cuiusdam, duodecim viris præsentibus, hoc omnes concinunt per Orbem terrarum: & tempus tantum pertransijt; & memoria eius quod factum est, non est tabefacta.* Sed quoniam quod de Magdalena dicitur, de pluribus alijs & factis & personis in Euangelio impleri videtur; puta de fide Centurionis & Chananææ, de Ioseph ab Arimathæa; nondum liquet, in quo tot inter æternùm memoranda præmineat Mariæ opus, quod in Dominum operata est. Præterquam non sic compertum est, vt vbi prædicatur Euangelium, hoc adnectatur, *quod hæc fecit in memoriam eius*: potiùs encomiari solet altera Sancti Lucæ c. 7. vnctio, quando *mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.* &c.

11. Respondendum ergo, paulo ante præmissis cohærenter tali pacto. Dominus præinnuit de sua incorruptione in sepulchro, de resurrectione à mortuis, de sua Diuinitate proinde; ex qua, *potestatem habuit ponendi animam suam; & potestatem habuit iterum sumendi eam*; vt ait Ioan. de quo, A suo loco Et hoc quidem re ipsa prædicatum in primis est; vt patet Act. 4. vbi, *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi*; & quasi nihil aliud esset prædicandum prius cap. 1. dixit Petrus, *oportet*, &c. *testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis*; quando *Matthias annumeratus est cum vndecim Apostolis*. Et sic quod pretioso præsagitum est balsamo, annunciatum. At nihil de Magdalenæ opere subiectum est. Ideo quod inquit Marcus, *narrabitur in memoriam eius*; ita reor, posse exponi; *narrabitur*; idest *subintelligetur narratum*: dicerent scholæ *virtualiter*. Sanè qui prædicat Christum innocentem, dicit quodammodo tacitè ipsum esse agnum; quoniam ipsius innocentiam agnus præfigurauit. Sic qui prædicat hoc Euangelium de Christi resurrectione, seu de præuia eiusdem corporis incorruptione, narrat Magdalenæ opus bonum, incorruptionis eius allusiuum, quod ea de causa permissum est; *ad sepeliendum me fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam*. Nisi Dominus hac periphrasi rem declarasset, quidnam præsagiret vnctio illa, ignoratum esset: quemadmodum ex vnctione in domo Pharisæi Lucæ 7. nihil tale accipimus. Primo ergo hemistichio verborum Domini: *mittens enim hæc vnguentum hoc, ad sepeliendum me fecit*, sanctam recolit cæremoniam in qua latet mysterium resurrectionis: secundo verò innuitur satis idem mysterium prædicandum; *vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo*; in eo autem quod subditur; *dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius*, aperitur habitudo seu relatio eiusdem operis boni ad prædicatam resurrectionem: ad hoc enim directa fuit: & ideo signanter (quod mirabilissimum est) hic nedum, sed apud Marcum ponitur particula copulatiua, *&*, *dicetur & quod hæc fecit*; *& quod hæc fecit, narrabitur*: quæ copulatio demonstrat ad prædicatam resurrectionem Domini, vnctione illa allusum fuisse. Quod quidem aliàs nobis non innotuisset. Agnouissemus vtique primis ex verbis, factum opus illud in præsagium mortis Domini, solitumque in obsequium aromaticæ vnctionis: at nisi subdidisset illud Euangelium prædicandum, resurrectionis mysterium assecuti exinde non essemus: & nisi adiectum esset, *dicetur & quod hæc fecit*, non claruisset, assumptum esse opus idem in prædicatæ resurrectionis figuram. Subtilis est interpretatio: sed ne miremur, quando rogabat Angelicus; *da mihi interpretandi subtilitatem*. Quæ hucusque dicta si velimus paucis complecti, dicamus: præstitum per Mariam Magdalenam opus portendisse Christi Domini mortem, resurrectionem, eiusdemque prædicationem in toto Mundo: vnde & Sanctæ

A 3. P. 114.

tæ Ecclesiæ *domus impleta est ex odore vnguenti*, vt dicitur Ioannis 12. Et hinc apparet cur Magdalenæ dixerit Dominus ipse, vt annunciaret suam resurrectionem, *vade ad fratres meos*; &c. *venit annuncians discipulis; quia vidi Dominum*; facta fuit enim B Apostolorum Apostola; per hoc quòd ei committitur, vt resurrectionem Dominicam discipulis annunciet. Quocirca Cyrillus; C *fœmina, quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percipit & nunciat. Adeptum est igitur fœmineum genus & ignominiæ absolutionem, & maledictionis repudium*. Quòd si roget quis curiosè cur ad hoc sit Magdalena delecta! responderi potest præmissa doctrina D quæ huiusmodi est; resurrexit etiam Christus ad informationem vitæ fidelium; secundùm illud Rom. 6. *quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*: & infra; *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo*. Et alibi E per mortem Christi significatur nos mori debere peccato; per resurrectionem verò, quòd debemus à peccato resurgere. Quoniam verò, vt notat Chrysostomus in homilia hic; *alijs mulieribus pro curatione corporis ad Christum accedentibus, sola Magdalena honoris gratia ad Christum accessit, & propter animæ curationem; cum nihil in corpore infirmum haberet*, dicito priuilegium tam nobile annunciandæ resurrectionis Domini præ cæteris meruisse.

B Ioan. 20. l. 1. C 3. p. 55. 1. ad 3. D 3. p. 53. 1. E Matthæi 12.

VERS. IV. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

12. Lego in Danielem; F prima die sabbati; hoc est, Dominica præcedente passionem, scilicet Dominica in ramis palmarum, fuit exploratus; dicebant enim, (Ioann. 11.) *quid facimus, quia hic homo multa signa facit*. Secunda die lunæ, fuit interrogatus, (Ioan. 10.) *quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam*. Tertia die, idest martis fuit sententiatus; dicebant enim; *expedit vt vnus moriatur homo pro populo*. (Ioan. 11.) Quarta die Mercurij fuit venditus: *quid vultis mihi dare?* Quinta die Iouis fuit traditus: *quemcumque osculatus fuero*. Sexta die Veneris fuit crucifixus. Ad hæc Hieronymus; *infelix Iudas, damnum quod ex effusione vnguenti, se subijsse credebat, vult Magistri pretio compensare*. Cæterùm, etsi aliàs paratus esset ad scelera lucri gratia; quia vt dicit Ioannes c. 12. *fur erat*: & *amaro* Ecclesiastici 10. *nihil est scelestius, nihilque iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam habet venalem*: nihilominus, excitatus ad proditionem impiam fuisse videtur; quoniam, quod legitur Ioannis 11. *dederant Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit* (Iesus), *indicet; vt apprehendant eum*. Non solùm autem videtur de proditione tractasse, sed de modo; siquidem *dicebant, non in die festo; ne fortè tumultus fieret in populo*. Ideo scribit Diuus Lucas c. 22. *locutus est cum Principibus sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis*; &c. *& quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis*. Nota, non dixisse, & ego vobis *Iesum* tradam; sed *eum*: quod argumento est diuturnæ præmeditationis: sicut sanctè Magdalena Ioan. 20. dixit; *si tu sustulisti eum*; Iesum. Et hinc animaduerti potest, eos mutasse consilium. Vnde apprehenderunt eum noctis tempore, Duce Iuda impio; immo & Satana, qui intrauerat in eum. Alta Dei permissio & dispositio! Ex quo Beda relatus 3. p. G *licèt Christus, qui est Pascha nostrum, sit crucifixus sequenti die*; (luna scilicet 15.) *attamen nocte, qua agnus immolabatur, corporis sanguinisque sui discipulis tradens mysteria celebranda, & à Iudæis tentus ac ligatus, ipsius immolationis; hoc est passionis suæ sacrauit exordium*.

F Danielis 9. in calce. G 3. p. 46. 9. ad 1.

VERS. XVII. *Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes; vbi vis paremus tibi comedere Pascha?*

Hic grauis mouetur quæstio, inter latinam Ecclesiam, atque non rectè sentientes in græca. 13.
Stultè enim quidam illorum improbant Sacramenti confectionem in azymo, dicentes ex azymo pane corpus Christi consecrari non posse; Quod hæreticum est; vt refert H pluries. In Ioannem autem I hos vocat modernos græcos. Adeo autem pertinaciter opinionem falsam suam defensant, vt eos non pudeat erroris damnare Matthæum Marcum & Lucam; eo quòd primam diem azymorum astruant Christum consecrasse; vnde blasphemant eos à Ioanne correctos; qui cap. 13. institutionem dicit factam *ante diem festum Paschæ* L. Sed absit hoc suspicari de Sanctis Euangelistis, vt palpabili adeo errore lapsi fuerint: cum neque de profanis scriptoribus id fas esset præsumi. Si humano studio quis facta Christi narrasset, hic non impegisset, tam crassa obliuione, aut oscitantia, vt diem pro die scriberet, quo Christus cum suis discipulis cœnauit. Carpit Origenes Græcorum impudentiam apud Eusebium lib. 6. Historiæ c. 18. *ex traditione didici de quatuor Euangelijs, quod hæc absque vlla contradictione suscipi debent ab omnibus, quæ sub Cœlo sunt, Dei Ecclesijs: ita enim tradiderunt Patres*. Igitur quod ait Ioannes, *ante diem festum Paschæ*, sonat ante quintamdecimam diem mensis, quæ erat solemnior inter omnes: sic Angelicus M locis citatis. Ioannes ergo diem Paschæ accipit pro illo die, qui totus celebris erat, nempe quintadecima luna: N alij verò Euangelistæ dicunt cœnam factam prima die azymorum; quia facta fuit luna quintadecima vespere, quæ iam pertinebat ad primam diem azymorum. Cuius ratio est, quia numerabant dies secundum lunam, quæ de sero primò apparet, vnde & diem computabant de vno sero in aliud: & sic apud eos solemnitas Paschæ incipiebat à vespera præcedentis diei; & terminabatur in vespere diei Paschæ; sicut apud nos festa celebrantur: Hactenus Diuus Thomas. Sic sanè legimus Exodi 12. *immolabit eum* (agnum hædum) *multitudo filiorum Israel ad vesperam*. Ibi autem duali numero ponitur. Et existimatur esse tempus à sexta diei hora, idest à meridie ad occasum: infra quod tempus licebat occidere Pascha: ita quòd inclinatio Solis à meridie reputabatur pro vna vespera; & occultatio eius sub hemisphærium altera. Græca vanitas accipiens, quod ait Ioannes; *ante diem festum Paschæ*, ita vt Pascha sit ibi luna quartadecima, gratis commenta est, Christum die seu luna tertia decima celebrasse cum discipulis Pascha; ideoque consecrasse in fermentato; quia nondum erat dies primus azymorum. Hoc non semel refert; O instatque in Matthæum, quia neque id fauet Græcis; siquidem Pascha, siue agnus debebat comedi cum azimis & lactucis agrestibus, vt patet Exodi 12. *edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes*, &c. ergo dato præuenisset diem Paschæ, ne legis esset transgressor, in azymo instituisset, quem comedebant. Adde non extare quod posset præuenir, benè verò postponi iusta de causa, vt patet Numeri 9.

H opusc. 1. contra errores Græcor. ad finem. 4. Cont. G. c. 69. I Io. 18. l. 5. L D. Th. hic. M 3. p. 46. 9. ad 1. & hic. N loc. cit. & Io. 13. lect. 1. & 3. p. 46. ar. 9. ad 1. & 3. p. 74. 4. & in 4. d. 11. q. 2. 2. 3. ad 2. O D. Th. hic Ioan. 13. l. 1. & 4 Con. G. c. 69.

Hinc autem reijcitur etiam illorum cogitatio, qui 14.
autumant Iudæos occupatos circa procurationem mortis Christi, contra legem celebrationem Paschæ in crastinum distulisse. P Hoc in primis non videtur consonum verbis Marci dicentis cap. 14. *primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: quò vis eamus & paremus tibi vt manduces Pascha?* Deinde loco cit. Numeri 9. dicitur, Q quòd si quis propter impedimenta non potest celebra-

P 3. p. 46. 9. 1. Q Ioan. 18. lect. 5.

lebrare Pascha, 14. luna primi mensis, celebret illud non sequenti die, sed luna mensis secundi quartadecima. Addo, quoniam fuisset mirandum valde populo, diei festi adeo solemnis translatio ad sequentem diem; & facilius fuisset causa tumultus, quem primores timebant. Neque vrget quod Ioannis 18. dicitur de die qua mortuus est Christus: *& ipsi (Iudæi) non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur; sed vt manducarent Pascha.* Non enim sensus est, vt manducarent agnum seu hœdum Paschalem, sed azymos panes; quos R oportebat comedi à mundis. Tirinus in Ioann. c. 18. per Pascha intelligit hostias aliàs Paschales ouium vitulorum boum, &c. quas celeberrimo Paschæ festo totaque illa octaua offerebant, de quo Numeri 28. & Deut. 16. à quibus si immundi fuissent, abstinere debuerant. Sed nescio quare hic Author panes azymos ab immundis legaliter potuisse comedi affirmet; cùm celebrare Pascha non posset qui erat immundus, sed teneretur differre quousque mundus fieret; vt patet Numeri 9. *homo, qui fuerit immundus super anima, siue in via procul, in Gente vestra faciat Phase Domino in mense secundo, &c. si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit; & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino nō obtulit tempore suo.* Itaque stat quod & ait Chrysostomus super illud, *prima die Azymorum* primam diem fuisse diem Iouis, in qua incipiebant legis cultores Pascha celebrare; idest azyma comedere, omni expulso fermento: & neque Christum Dominum præuenisse; neque Iudæos postposuisse Paschæ tempus: licet Chrysostomus eo argumento pressus, quod *non introierunt in Prætorium, vt manducarent Pascha*, distulisse dederit; Et sic Eusebius, in Catena; Lucæ 22. Et fa è tunc fuisse diem Paschæ solemnissimum, quem coeperant celebrare vespere præcedenti, satis constat, ex eo quod *per diem solemnem*, seu *festum*, non ante diem festum, *consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent; & tunc dimisit illis Barabbam*, vt tradunt Euangelistæ. Quocirca apud Ioannem cap. 18. dixit Pilatus; *est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha*; &c.

R 3.p. cir. & opusc. 2. ac 4. Cont. G. 69. & Io. 18. lect. 5. & 4. sent. d. 11. q. 2. a. 2. ad 3. 3.

VERS. XVIII. *Ite in Ciuitatem, ad quendam*; &c.

15. Marcus habet; *dicite Domino Domus*. Apud Lucam; *dicetis Patri-familias Domus*. Sentit Augustinus, ex ore Matthæi esse ly *ad quendam*, studio breuitatis appositum. Huc Ambrosius in Lucam; *sciebat Dominus nomen eius, cuius sciebat ministerium & occursum; sed ideò sine nomine designatur, vt ignobilis æstimetur. Quare dignationem intuere, quia non persona diuitis aut potentis eligitur, sed pauper ambitur, & eius hospitium amplis nobilium ædibus antefertur.* Dicunt ex Theophylacto quidam, quod ideo non dixit nomen hominis; ne proditor cognito nomine domum panderet Pharisæis, ne expositus eis esset priusquam cœna fieret, & spiritualia mysteria discipulis traderet; & sic Cyrillus; *discipulus auarus, proditionis tempus explorabat; sed ne traderet eum ante tempus Paschæ, non explicauerat Dominus domum, vel virum; penes quem Pascha peragetet.* Spiritualem facti huius sensum sustine vsque ad syntaxim.

VERS. XX. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis*; &c.

16. Quod in hoc & sequentibus textibus narrant Euangelistæ, Angelicus in Hymno breuius exequitur canens; *post Agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis*. Benè autem dicitur; *vespere*; sed *vespere facto*, quasi consummato; non enim ly *facto* adiicitur infra cap. 27. vbi solummodo legimus; *vespere autem Sabbati*; quoniam vt in *Sequentia* idem Sanctus Doctor pangit; *vetustatem nouitas, vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat*. Vnde & 1. Corinth. 11. *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. Aderat cùm alijs discipulis & Iudas proditor, qui à Domino Ioannis 17. nuncupatur *filius perditionis*; ait enim; *nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*. Atqui Osee 13. dogma est; *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum*. Hoc in praxi voluit Dominus ostendi. Vnde Sanctus Leo Papa Serm. 7. *Cur infelix Iuda tanta benignitate non vteris? Ecce parcit ausibus tuis Dominus; & nulli te, nisi tibi indicat Christus; (nempe, vt faciliùs corrigeret pœnitudo; quem nulla deformasset abiectio) nec nomen tuum, nec persona detegitur; sed veritatis & misericordiæ verbo, cordis tui tantùm arcana tanguntur: non apostolici ordinis honor; non sacramentorum tibi communio denegatur: Redi in integrum, & deposito furore resipisce. Clementia inuitat, salus pulsat, ad vitam te vita reuocat.* Petrus in sua secunda cap. 2. *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: quia omnes S præceptis, consilijs, minis præmijs, à periculis reuocat. Ezechielis 18. *Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Reuertimini & viuite*. Vrget autem Dominus, etiam ne Iudas indignè manducet & bibat: iuxta quod & Apostolus 1. Cor. 11. commonet; *probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Et hinc elucet cur Dominus, mox vt discubuerunt discipuli, cœpit innuere Iudæ patratum scelus, vt scilicet pœnitudine inueniret gratiam. Diuus Asterius Serm. de pœnitentia in Bibliotheca: *equidem arbitror Iudam proditorem, nisi sui carnifex fuisset, si ad genua accedens misericordiam deprecatus esset, veniam, quæ omni petenti conceditur, consecuturum fuisse*. Sed non resipuit impius de clementia diffidens; *cùm sit enim* (Sapient. 17.) *timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia*. Plerunque (inquit Angelicus T) peccatores, quasi secreta admonitione à Deo arguuntur per interiorem remorsum conscientiæ.

S 2. Petri 2.

T de virtutib. q. 3. a. 2 ad 4. & 2. 2. q. 33. a. 7. 1.

17. Animaduertendum est autem, qualiter Dominus peccatum Iudæ tanquam Deus, sicut publicum habebat; V vnde statim poterat ad publicandum procedere; tamen ipse non publicauit, sed obscuris verbis eum de peccato suo admonuit. Hinc Chrysostomus in hom. *quamuis autem Dominus poterat dixisse; argentum es pactus accipere, & adhuc audes interrogare? sed nihil horum dixit mitissimus Iesus, nobis terminos & regulas præfigens*: & Leo Papa; *non aspera ac aperta impium increpatione confundens, sed leni & tacita admonitione conueniens; vt faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio*. Doctrina est eiusdem X non semel duntaxat, sed bis & ter, aut etiam pluries corripiendum esse peccatorem. Hoc autem videre est ad Iudam. Nam Dominus Ioan. 13. priùs dixit; *& vos mundi estis, sed non omnes; sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit; non estis mundi omnes*. Item, *qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum*. Deinde; *vnus vestrum me tradet*. Adhuc; *quod facis, fac citius*. Denique vt hic fert Matthæus, dicenti Iudæ, *nunquid ego sum Rabbi? respondit; tu dixisti*. Vnde & Hieronymus super Matthæum; *corripiendus est seorsum frater; ne si semel pudorem aut verecundiam amiserit, permaneat in peccato*.

V 2. 2. 33. 7. 2. & de virtutib. loc. cit. ad 5.

X de virtutib. loc. cit. ad 13. & 2. 2. q. 33. a. 8. ad 1.

De-

Denique Chrysostomus in Serm. de passione : *non apertè eum omnibus publicabat, ne impudentiorem eum faceret; nec etiam penitus silentio præteribat, ne celari arbitratus audacter ad proditionem properaret*. Idem Chrysost. relatus Ioannis 13. in Catena; *vbique inuenitur Petrus ab amore impetum faciens. Et fortassis, si Christus eum manifestum fecisset, Petrus vtique eum interfecisset*.

VERS. XXIII. *Qui intingit mecum manum in paropside; hic me tradet*.

18. Prædixerant discipuli; *nunquid ego sum Domine?* Quoniam vt rectè ait Origenes; *vnusquisque discipulorum sciebat ex iis, quæ docuerat Iesus, ad malum esse vertibilem humanam naturam*. Hieronymus subdit; *cæteris contristatis & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo, Iudas temeritate & impudentia, qua eum proditurus erat, etiam manum cum Magistro mittit in paropsidem, vt audacia bonam conscientiam mentiretur*. Cæterùm humillima Hieronymi venia; quamuis id non improbet Angelicus, reor potius & Iudam manum retraxisse; secus poterat mox agnosci, etiamsi propè Dominum aliàs comedens, indulto speciali assedisset. Quòd si omnes fuere suspensi, remanet requirendum, quorsum hoc Domini thema? *qui intingit mecum manum in paropside*. Puto autem à Domino assumi ad exaggerandam Iudæ nequitiam, quæ eo ex genere familiaris conuictus maior deprehenditur. Sic sanè in psalm. 40. *qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*; prout allegatur à Domino Ioan. 13. &c. & psalm. 54. legimus; *quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique &c. tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos*. Nonne prophetæ respondet; *qui intingit mecum manum in paropside*, siue vt ait Marcus, *in catino?* Quamuis enim omnino non idem videantur esse paropsis & catinus; quia Paropsis escas excipit, catinus liquores; vtrumque in argumentum est domesticæ consuetudinis iniuria proditæ: ad quam confugiunt inutiliter improbi, Lucæ 13. dicendo, *manducauimus coram te & bibimus*. Et ideo Lucas solùm scripsit; *ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*. Sanctus Hieronymus psalmi huiusmodi versiculos de Iuda typicè intelligit. Sic ad improperandum ipsius facinus accipiamus si placet, quod respondit Ioanni Dominus; *ille est, cui ego intinctum panem porrexero; & cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ*; Ioan. c. 13.

19. Est autem adhuc sancta curiositate quærendum, cur Dominus Iudæ distulit obijcere suam proditionem in mensa, cùm prius ipsi esset nota; *omni enim negocio tempus est & opportunitas*, vt dicitur Ecclesiastes 8. quæ maior, prout videtur, fuisset, si mox postquam abierat ad Principes Sacerdotum, eum corripuisset: præsertim quia tunc Dominus, vt fert Ioannes cap. 13. *turbatus est*; *melior est* autem, vt dicitur Prouerb. 17. *buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio*.

20. Difficultati huic vt multifariam occurramus, supponendum est certo certius, quæ à Deo sunt, optimè ordinata esse; vt colligitur Roman. 13. *quæ enim à Deo sunt*, (potestates) *ordinatæ sunt. Omnia quippe in sapientia facit*, vt dicitur psalm. 103. Sapientis autem est ordinare, quod ait & Philosophus. Ideo Angelicus in Hymno; *in mundo conuersatus sparso verbi semine, sui moras incolatus miro clausit ordine*. In primis ergo dicendum est cum Isaia cap. 40. *quis consiliarius eius fuit?* Deinde; quia extremis morbis, opportuna non sunt, nisi extrema remedia. Excessit autem adeo Iudæ facinus, vt tentari ipsius reuocationem, expedientius non esset tempus, quam cùm *dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; vt ibidem cap. 13. Ioannes dicit. Præterea ad extundendas pœnitentiæ lachrymas durissimo proditoris corde, summa Domini Iesu humiliatio, quando *cœpit lauare pedes eorum*, facere poterat. Sed Iudas iam de illis erat, Ieremiæ 5. *qui indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*. Hinc Chrysostomus homil. de proditione Iudæ: *ò Christi misericordia, ò Iudæ dementia! ille eum paciscebatur vt venderet; Christus ei sanguinem, quem vendidit offerebat: vt haberet remissionem peccatorum; si tamen impius existere noluisset: nam sacrificij communionem meruit, & pedes eius lauit Christus, vt excusationem suæ malitiæ non haberet*. Idem Angelicus in Hymno altero: *in mortem à discipulo suis tradendus æmulis, priùs in vitæ ferculo se tradidit discipulis*. Isaiæ 5. *quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Vnde Hieronymus; *Iudas nec primò nec secundò correctus à proditione retulit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam eius; & ideo pœna prædicitur; (væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur*: supra cap. 18. *væ homini illi per quem scandalum venit*: vbi ex eodem Hieronymo, *per generalem sententiam percutitur Iudas*) *vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia*. Dic tandem erudiri fideles, nullius salutem, quantumuis contumaci corde peccato adhærescentis, contemnendam esse, nec alicui Dei auxilium deficere, quousque peccator in via est: quippe qui stat ad ostium & pulsat; & nedum exterioribus monitis, sed intra secreta cordis cor ipsum tangit; quod & Iudæ praindultum fuisse, non sinit diuina clementia addubitari.

VERS. XXIV. *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo*.

Est adeo sublime ac ineffabile mysterium, *verbum Crucis*, vt dum prædicamus Christum crucifixum, *Iudæis sit scandalum; Gentibus autem stultitia*; vt patet 1. Cor. 1. Ideo, quoniam ad hoc remouendum præcipua est Scripturæ authoritas, ad eam prouocamur; *sicut*, inquit, *scriptum est de illo*. Sic Apostolus Act. 26. *auxilio autem adiutus Dei, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori; nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses; si passibilis Christus: si primus ex resurrectione mortuorum*; & 1. Cor. 15. *tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas; & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundùm Scripturas*. Vbi Angelicus; A in quo remouet duplicem suspicionem, quæ suboriri posset circa mortem Christi; A 1. Cor. 15. l. 1. prima est, quòd mortuus esset pro peccatis suis actualibus, vel originali; & hoc excludit cùm dicit *pro peccatis nostris*; Isaiæ 53. *propter scelus populi mei percussi eum*; 1. Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*. Alia suspicio est, quòd mors Christi esset casualis, vel violentia Iudæorum; & hoc excludit, cum dicit *secundum Scripturas*: Isaiæ 53. *sicut ouis ad occisionem ductus est*; Ieremiæ 11. *ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*. In hoc autem quod dicit, *vadit*, ostendit, *horam suæ mortis*, (quod ait Augustinus tract. 104. in Ioannem) *non fato vrgente venisse: sed Deo potiùs ordinante. Nec siderea necessitas Christi contexuit passionem. Absit enim vt sidera mori cogerent siderum conditorem*. Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*; Io. 10. *nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam à me ipso*. *Nemo tollit*, B B 1. P. 47. 1. me inuito. Neque obstat passum fuisse ex obedientia; Philipp. 2. *factus est obediens vsque ad mortem*;

ex

ex quo, *cùm esset in Bethania*, quæ interpretatur *Domus obedientiæ*; & sic in *Domo Simonis*; quod item interpretatur *obediens*: quia obedientia, etsi importet necessitatem respectu eius, quod præcipitur; C tamen importat voluntatem respectu implemtionis præcepti: & talis fuit obedientia Christi. Dic ergo vno verbo; *filius hominis vadit; sicut scriptum est de illo*: psal. 39. *in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui*: &c.

C loc. cit. a. 1. ad 2.

Sequitur; *væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur*; &c.

22. Hic theologica grauissima suboritur quæstio, quæ aliàs generalis est; quomodo neutiquam minuatur peccantis culpa: Deo ad opus peccati concurrente, & in subiecta materia; quomodo Iudæ tradituro Christum, terribiliter immineret *væ*, quando ipsius proditione, videtur cooperatum esse diuino consilio. Sanè Act. 2. stans pronunciauit Diuus Petrus; *hunc* (scilicet Iesum) *definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis*; & c. 4. *conuenerunt Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*. Et Chrysost. in hom. ad illud, *percutiam Pastorem*, ait; *ostendit, quoniam secundum Dei consilium crucifigebatur*. Cæterùm Diuus Augustinus aliquibus præmissis auctoritatibus scripturæ, in quibus hominum scelera videntur à Deo quodammodo pendere, puta Rom. 1. *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*, *in reprobum sensum*, &c. respondet *lib. de gratia & libero arbitrio* c. 20. & 21. lib. contra Iulianum c. 3. *multa alia commemorare possemus; in quibus liquidò apparet, occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur; vt sit ipsum peccatum præcedentis peccati pœna*. Et cap. 21. item *de gratia & lib. arbitrio; his & talibus testimonijs, satis, quantùm existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit; siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum; iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto; semper autem iusto*. Et contra Iulianum; *facit hoc Deus miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia, non solùm in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari*; subdit autem in eo cap. 21. *sic vsus est Iuda tradente Christum; sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum, qui & ipso diabolo vtitur pessimo*. Quocirca Angelicus; D Deus actionis illius causa est, in qua malum consistit; eo quòd influit agenti esse, posse, & agere. Et ad 3. Deus dicitur causa bonorum operationum, non solùm quantùm ad essentiam actus, sed etiam quantùm ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur; vtrumque enim agenti influit; vt agat, & vt benè agat: sed in malis actionibus, quamuis sit causa earum, quantùm ad essentiam, non tamen est causa quantùm ad defectum. Et *in corpore articuli*, quicquid est in actu deficiente (scilicet peccato) de ratione actus, & entis & boni, totum hoc à primo Agente, scilicet Deo procedit, mediante voluntate. Tu expende quod ait hic Dominus; *per quem filius hominis tradetur*; actionem enim proditionis voluit *per eum*; ad culpæ rationem solummodo permissiuè se gerens, in quantum non prohibet, vt ait E alibi ex professo quærens; *Vtrum Deus sit causa peccati*: & *Vtrum actus peccati sit à Deo*. Sed quia vt ibidem F docet, Diabolus ad peccandum instigat; ideò Ioannis 13. legimus; *cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ*. Quocirca Origenes; *non autem dixit, væ homini illi, à quo traditur; sed per quem tradetur; ostendens alterum, à quo tradebatur, idest à diabolo; ipsum autem Iudam ministrum esse traditionis*. *Væ* ergo Iudæ. *Væ* interiectio est dolentis: comminatur ergo proditori, seu etiam pronunciat æternam damnationem; siquidem damnati (Sapientiæ 5.) erunt *præ angustia spiritus gementes*, perpetuò cum illis addicto miseriæ: nam sic consueuerunt iungi *miseria* & *væ*. Sic & Poeta; *Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ* 9. Eclog.

D 2. sent. 37. q. 2. a. 2. ad 3.

E p. 1. 79. a. 1. & 2.

F 1. 2. qu. 80. 1.

Sequitur, *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*.

Discutitur ab Angelico; G Vtrum damnati deliberata ratione possint velle non esse: respondetque, *non esse* dupliciter posse considerari: vno modo per se, & sic nullatenus potest esse appetibile; cùm non habeat aliquam rationem boni, sed sit pura boni priuatio: alio modo potest considerari *non esse*, in quantum est ablatiuum pœnalis vel miseræ vitæ; & sic *non esse* accipit rationem boni; carere enim malo est quoddam bonum, vt dicit Philosophus in 5. Ethic. & per hunc modum melius est damnatis non esse, quàm miseros esse, vnde Matthæi 26. dicitur; *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Et ad hunc sensum dicit Hieronymus; *melius est non esse, quàm miserum esse*: priori autem modo Augustinus; *considera quantum bonum est esse, quod & beati & miseri volunt; malus est enim esse, & esse miserum, quàm omnino non esse*. Consueuerunt Scholæ dicere, appeti aliquando non esse, *per modum fugæ mali*, non verò *per modum prosecutionis*, quasi sit bonum. Dic vno verbo ex q. de verit. anima damnata in quantùm est natura quædam, est melior non ente; sed in quantùm est subiecta miseriæ & culpæ; *bonum erat Iudæ, si natus non fuisset*. Denique cum Angelico in Iob c. 3. licèt esse & viuere secundùm se sit appetibile; tamen esse & viuere in miseria, est fugiendum secundùm quòd huiusmodi; licèt interdum, esse in miseria sustineatur propter aliquem finem. Vnde misera vita, quæ non ordinatur ad aliquem finem bonum, non est eligenda: propter quod Dominus dicit; *melius erat ei, si natus non fuisset*. Hinc tamen emicat, qualis quantaque futura esset impij proditoris pœna; quando ipse præ damnatis omnibus, vniuersæ damnatorum deploratæ miseriæ deligitur in exaggerationis exemplum. Quod fortè ideo protulit Dominus, vt esset in argumentum suæ Diuinitatis; vt & Deus filius Dei memoraretur, qui *filius hominis* iturus ad mortem dicebatur: neque enim excogitabile est caput, vnde magis possit excrescere pœna reatus: iuxta quod 1. Regum 2. capite legimus; *si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Sed est adhuc quod expendamus ab Interpretibus quasi neglectum; Quid sibi velit ea repetitio, *homo ille*; satis enim per illud relatiuum *ei* constabat de quo esset sermo: *væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset*; nonne videtur redundans, quod sequitur, *homo ille*? Fas sit ergo ita deducere. Tam immane fuit facinus patratum complendumque à Iuda, vt cum hypotyposis nulla sufficiens excogitari posset ad congruam inauditi sceleris descriptionem, consultum fuisse ostenditur ab omni prosographiæ studio abstinere; quia verbum quoduis, epithetumque enorme impar erat facinori adeo execrando. Quoniam omnis languet oratio ad hoc amplificandum, simplicissima expressione dicitur *homo ille*; non *nefarius ille*, *impius ille*, non *scelestus ille*, non *perditus ille*: longè enim excedit proditoris culpa, suamque grauitatem magis ipsamet prodit, quàm possit vel Periclis energia exaggerari. Dic etiam in ostentum Dominicæ mansuetudinis, (supra c. 11. *discite à me, quia mitis sum, & hu-*

23. G 4. sent. d. 50. q. 2. a. 2. ad 3. & hic & de potentia a. 5. ad 8. & de verit. qu. 26. a. 1 in calce.

& humilis corde) dulcissimè solummodo appellari proditorem, *hominem illum*. Animaduertendum est autem hebræos carere gradibus comparatiuo, & superlatiuo; & propterea vtuntur, vice illorum, positiuo; *bonum est*, (psal.117.) *confidere in Domino, quàm confidere in homine*; idest *melius*. Vnde vim habet comparatiui quod hic dicitur; *bonum erat ei*; scilicet *melius erat ei, si natus non fuisset*. Sed tamen comparatio huiusmodi est abusiua, non propria; neque enim boni rationem habet vtrunque extremum. Et sic ait Diuus Petrus; *melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est,*
H 1.Petri 2. *sancto mandato*. H Claudat Dominus Ioann. 19. *propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*.

VERS. XXV. *Nunquid ego sum, Rabbi?*

24. Effrontis verba sunt hæc. *Iudas* (inquit pulchrè Origenes) *post omnium Apostolorum interrogationes, & post Christi narrationem de ipso, interrogauit versuto consilio, vt celaret proditionem, similia cæteris interrogando: nam vera tristitia non sustinet moram*. Prouerb. 10. *os impiorum operit iniquitatem*; &, *os stultorum confusioni proximum est*. Ecce quomodo negaturus loquitur, perturbataque mente, non vt cæteri dicit *Domine*, sed, *nunquid ego sum Rabbi?* Cum tamen vtrunque perpendat Iesus Ioann. 13. *vos vocatis me Magister & Domine; & benè dicitis; sum etenim*. At Iudas vel suggerente diabolo tacet ly *Domine*, factus obliuiosus seu potiùs incredulus de diuino Christi dominatu; quo non recolat, se esse mancipium ac seruum: nam Ioa. 13. *non est seruus maior Domino suo*; & 2. Petri 2. *dominationemque contemnunt*. Dominationem
I 1. Petri 2. I Dei vocat Dominationem simpliciter, quia vniuersalis, & interminabilis est: psalm. 82. *Dominus vniuersorum tu es*; & psalm. 144. *dominatio tua in omni generatione & generationem*. Sequitur ibi *audaces*; glossa, *ad maiora crimina*. Ex quo enim homo contemnit, fit audax & præceps ad omne flagitium. Hæc est audacia temeritatis, sine vlla repressione diuini timoris. Hinc tu cerne, quàm apertè timorem omnem ab Iuda recessisse deprehenditur, cùm eum non dicit *Dominum*, sed potius *Rabbi*, seu *Magistrum*. Malach. 1. *si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Gregorius; *anchora cordis est timor*: & iterum; *in via Dei à timore incipitur*. Ecclesiast. 1. *timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari*. Quid mirum, perierit infelix? Respondit autem Dominus vsu perfamiliari hebræis, *tu dixisti*: interrogando quidem; verè tamen, quod res est, totidem verbis enunciasti: quod ait Tirinus. Verùm apud Suarez in 3. p. q. 73. a. 5. disp. 41. sect. 2. phrasis illa hebraica non est affirmantis, sed suspendentis assensum, & intercidentis sermonem; quasi *satis est; tu videris*. Chrysostomus; *quamuis autem Dominus poterat dixisse; argentum es pactus accipere, & adhuc audes interrogare? nihil horum dixit mitissimus Iesus, nobis terminos & regulas præfigens*. Et Remigius; *tu dixisti, non ego. Vt adhuc ei locus pœnitentiæ concederetur*. At, vel Dominus hoc ei dixit in aurem; vel quia non adeo palam detectus est, turbati cæteri discipuli non aduerterunt. Vnde quando tandem ei dixit Ioannis 13. *quod facis, fac citiùs: hoc nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei*. Solus Dominus prænouerat proditorem: Ioannis 7. *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes; & quis traditurus esset eum*. Ex mox; *ex vobis vnus diabolus est*.

VERS. XXVI. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem*, &c.

25. Accedimus ad institutionem diuinissimi Sacramenti. Quod quidem mysterium verissimè Christum Dominum continet, prout semper credidit sancta Mater Ecclesia. De quo L Angelicus ex professo; & mirè contra Gentes. Et in Sententijs collegit Magister, M quæ ibidem Sanctus Doctor luculenter explanat. Obmutescant Vuiclef Caluinus cum Nouatoribus alijs, qui toties damnatum errorem primò nonnisi à Berengario post annos 1150. inuectum suscitarunt. Sed suam hæresin in Concilio Rhemensi, tempore Nicolai II. Berengarius abiurauit, vt habetur in 2. Tomo Conciliorum fertque loco cit. N Diuus Thomas. Id equidem credi oportet, quoniam Ecclesiæ cum suo Capite auctoritas, ita definit. Sed quæ suadeant, aliàs efficaces rationes plurimæ suppetunt. Inter quas minima non est, quam ex Angelico hic etiam dicente; si solummodo signum esset, quid plus haberet quàm vetera? sic exprimit Tirinus in Marci cap. 14. Si sola figura corporis Domini est in hoc Sacramento: ergo figuris in veteri Testamento, non succedit veritas in nouo Testamento; sed figuris nobilioribus, succedit simplicior figura & vilior. Clariùs enim & aptius indicabat agnus paschalis occisus, & tot aliæ victimæ iugulatæ mortem Christi, quàm frustulum panis vel cochlear vini. Aliud dulce caput est Christi charitas. Et quia maximè proprium amicitiæ est conuiuere amicis; vt Philosophus dicit 9. Ethic., nec in hac peregrinatione nos sua præsentia corporali destituit. Vnde hoc Sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei sublcuamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Recole ad hæc Chrysostomum in homilia de prodit. Iudæ; *Dominus quidem noster corpus assumptum ablaturus ex oculis nostris, & sideribus illaturus, in hac die Sacramentum corporis & sanguinis sui consecrauit; vt perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia*. Qui perpendit excessum, quem complere dignatus est in Ierusalem. Pulchrè etiam à similitudine sic: sicut enim O corporalis vita materiali alimento indiget, non solum ad quantitatis augmentum, sed etiam ad naturam corporis sustentandam; ne propter resolutiones continuas dissoluatur, & eius virtus depereat: ita necessarium fuit in spirituali vita spirituale alimentum habere, quo regenerati, & in virtutibus conseruentur & crescant. Et quia spiritualia, sub similitudine visibilium, congruum fuit nobis tradi, vt dictum est; huiusmodi spirituale alimentum nobis traditur sub speciebus illarum rerum, quibus homines communius ad corporale alimentum vtuntur: huiusmodi autem sunt panis & vinum; & ideo sub speciebus panis & vini hoc traditur Sacramentum. Et ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantùm ad vitam corporalem; (quòd scilicet sustentat auget reparat & delectat) hoc totum facit hoc Sacramentum, quantùm ad vitam spiritualem, vt ait 3. p. Sed considerandum est quòd aliter generans generato coniungitur, P & aliter alimentum nutrito in corporalibus rebus: generans enim non oportet secundum substantiam generato coniungi, sed solùm secundùm similitudinem & virtutem; sed alimentum oportet nutrito secundùm substantiam coniungi. Vnde, vt corporalibus signis spirituales effectus respondeant; mysterium Verbi incarnati aliter nobis coniungitur in baptismo, qui est spiritualis regeneratio; atque aliter in hoc Eucharistiæ Sacramento, quod est spirituale alimentum. In baptismo enim continetur Verbum incarnatum solùm secundùm virtutem; sed in Eucharistiæ Sacramento confitemur ipsum secundùm substantiam contineri. Optimè autem currit paritas Angelici, quia vt alibi Q ad rem ait, corporalia sunt quædam similitudines spiritualium, vtpote ab eis causata & deriuata.

L 1.p.75. 1. 4.cont. G. c.61. & infra.
M 4.sent. d. 10. & 11.
N 3. p. 75. 1.
O 4.cont. G. c.61. & 3. p.79 1. & prius q 73. a. 1.
P loc. cit. & 1. Cor. 11. l. 5.
Q Ioa. 6. l. 3.

Nullum ergo, vt in Sermone, *Sacramentum est isto salubrius; quo purgantur scelera, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.* Encomiatur etiam vt sit *miraculorum ab ipso factorum maximum; figurarum veterum impletiuum; passionis suæ memoriale perenne; & de sua contristatis absentia solatium singulare.* Diuus autem Dionysius cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ tradit, *non contingere aliquem perfici perfectione hierarchica, nisi per diuinissimam eucharistiam.*

R 3. p. 73. 1.

Baptismus quippe R est principium spiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum: Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitæ & omnium Sacramentorum finis: & ita simpliciter loquendo,

S 3. p. 65. 3.

S Sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia Sacramenta: quo scilicet, aio ego, *ad perfectiora feramur*, vt dicitur Hebræor. 6. Vbi & alibi

T Hebr. 6. l. 1. & opusc. 18. c. 1.

docet Angelicus T perfectionem spiritualis vitæ præcipuè attendi secundùm charitatem. Apostolus enim Coloss. 3. ennumeratis multis virtutibus, misericordia, benignitate, & humilitate, &c. subdit; *super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:* loquitur autem de perfectione simpliciter. Et ideo qui charitatem non habet, tanquam spirituali vita destitutus, nihil esse spiritualiter reputatur; 1. Corinth. 13. *si charitatem non habuero nihil sum*; & 1. Ioann. 3. *nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

V 3. p. 80. 5.

In hoc autem Sacramento V specialiter requiritur feruor dilectionis. Est etiam hoc Sacramentum, vt dicit Augustinus tract. 26. in Ioann. *vinculum charitatis*;

X 3. p. 73. 4. q. 79. 2. 3. & 80. 4.

X dicit enim Damascenus 4. lib. quod dicitur communio, vel Synaxis; quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carne & Deitate; & quia communicamus & vnimur ad inuicem per ipsam. Est enim Sacramentum

A 3. p. 83. 4. 3.

A totius Ecclesiasticæ vnitatis. *Propterea quippe* (Augustinus vbi supra) *Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur; ex multis namque granis, vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit.* Et quod notandum est, hanc affirmat inconcussam traditionem; *sicut etiam ante nos*, inquit, *hoc intellexerunt homines Dei.*

26. Sic autem veluti digressus est calamus; vt hinc fideles piè assequantur, quò tendat hæc ineffabilis Sacramenti institutio; scilicet ad prouehendos nos ad perfectionem, quæ vt dictum est, in charitate & dilectione consistit. Vnde & Ioannes cap. 13. *cùm dilexisset suos qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Durus est autem nimis*, vt ait Augustinus, qui *etsi dilectionem nolit impendere, saltem non velit rependere*; & lib. de catechizandis rudibus cap. 4. *si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* Hinc Magister in 4. d. 12. *institutum est hoc Sacramentum, in augmentum virtutis, scilicet charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis.* Et quia perfectio diuinæ dilectionis, ad quam vocamur,

B 2. 2. q. 44. 6. & opusc. 18. 4.

B erit in Patria; quoniam, vt dicit Augustinus; *in plenitudine charitatis Patriæ, præceptum illud implebitur*; ecce hoc innui ab Ioanne ea in voecula, *in finem*. Hinc in Collecta: *Fac nos quæsumus Domine Diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam temporalis perceptio Sacramenti præfigurat.* Quid mirum ergo, si futurum est vt semper cum Domino simus; 1. Thess. 4. *sic semper cum Domino erimus*; æternam illam vnionem prægustandam amantissimus Dominus reliquerit? Et quia ibi vita æterna victuri sumus; ecce cur toties hoc Sacramentum dixerit esse vitæ; *ego sum panis viuus* Ioan. 6. *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vita*; vt ad vitam spiritualem in charitate, de qua supra diximus, nempe ad dilectionem referatur. Sed, quod ait Bernardus; *lingua amoris, non amanti barbara est.* De qua dilectione vide & C in alio opusc. C opusc. 4.

Quoniam verò Infideles & hæretici tantum mysterium reputant impossibile, vt habetur D apud Angelicum, D 4. cont. G. c. 62. & infra.
quos altè arguit; considerent, vt ait in opusc. E Dei Omnipotentiam. E opusc. 3. c. 8. & 4 cont. G. c. 63.

Confitentur enim, quòd per virtutem naturæ possit vna res conuerti in aliam, quantùm ad formam; sicut quòd aer in ignem conuertitur, dum materia quæ prius subiecta erat formæ aeris, postea formæ ignis subijcitur. Multò magis ergo virtus omnipotentis Dei, quæ totam rei substantiam in esse producit, (non solùm transmutando secundùm formam vt facit natura) poterit hoc totum, in illud totum conuertere; vt sic panis in corpus Christi conuertatur, & vinum in sanguinem. (tu recole Ambrosium dicentem; *si tanta vis est in eius sermone, vt inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?*) Si autem huic conuersioni aliquis velit repugnare, per id quod sensui apparet, nam nihil secundùm sensum immutatur; consideret sic nobis diuina proponi, vt ad nos sub tegumento visibilium rerum deueniant. Vt ergo Christi corpus & sanguis, spiritualis & diuina refectio haberetur, & non quasi cibus & potus communis; sub specie panis & vini sumitur; vt non sit horribile carnem humanam comedere, & sanguinem bibere. Non enim hoc fieri dicimus, quasi species illæ, quæ sensibus apparent in Sacramento, sint solùm in phantasia viuentium, sicut solet esse in præstigijs artis magicæ, quia veritatis Sacramentum nulla fictio decet; sed Deus, qui est substantiæ & accidentis creator, potest accidentia sensibilia conseruare in esse, subiectis tamen in aliud mutatis: potest enim effectus causarum secundarum per sui omnipotentiam, absque causis secundis, & producere, & in esse conseruare. Si quis verò Dei omnipotentiam non confitetur, contra talem in hoc opere disputationem non assumimus, sed contra Saracenos & alios, qui Dei omnipotentiam confitentur. Alia verò huius mysteria Sacramenti, non sunt hic magis discutienda: quia infidelibus secreta fidei pandi non debent. Hucusque Diuus Thomas. Et hoc præ oculis habere videtur Ecclesia, quæ sic Sacerdotem dicere præcipit, *& eleuatis oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, &c. priusquam consecret. Et hoc ipsum etiam videtur insinuari Ioann. 13. *sciens, quia omnia ei dedit Pater in manus.* Et Sacerdos omnipotentiam quasi recolens dicit, *qui pridie quàm pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.* Sapientiæ 11. *non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa* &c. Et Ecclesiastes 8. *sermo illius potestate plenus est; nec dicere ei quisquam potest; quare ita facis?* Videtur autem mihi esse subinde hoc Sacramentum perennem contestationem suæ Diuinitatis; quandoquidem Tobiæ 13. *non est alius Deus omnipotens præter eum*: item incarnationis, quia vt ait Chrysostomus homil. 60. ad populum Antiochenum; *non satis fuit hominem fieri*, &c. *verùm & semetipsum nobis commiscet; & non fide tantum, sed & ipsa re, nos suum efficit corpus.* Præterquam quemadmodum Deus inuisibilis est; ita & in eo, *inuisibile visibiliter sumitur, sub aliena specie occultatum*, vt habet in Sermone Angelicus: & quam fatemur Dei immensitatem, quodammodo adumbratam agnoscimus, dum vbilibet consecratur; vt nedum hypostaticè sua sanctissima humanitas, sed fideles omnes sacramentaliter deificentur. Et sic sit hoc Sacramentum in exercitium fidei nostræ, spei, & charitatis, cuius est Sacramentum quasi figura-

tiuum & effectiuum, vt dicitur 3. p. q. 78. a. 3. ad 6. Qui vera firmaque fide credit Christum excessum compleuisse in Cruce, non adeo mirabitur si qui *se nascens dedit socium, & moriens in pretium*, se quoque voluerit dare *in edulium* tandemq; *in præmium*. At in hoc & alijs mysterijs, quod ait Angelicus, semper recolendum est; F de hoc primò admonere te volo, quòd in disputationibus contra infideles de articulis fidei, non ad hoc conari quis debet, vt fidem rationibus necessarijs probet; hoc enim sublimitati fidei derogaret, cuius veritas non solùm humanas mentes, sed etiam Angelorum excedit: à nobis tamen creduntur, quasi ab ipso Deo reuelata. Quia tamen, quod à summa veritate procedit, falsum esse non potest; nec necessaria ratione impugnari potest, quod falsum non est: fides nostra, sicut necessarijs rationibus probari non potest; quia humanam mentem excedit; ita improbari necessaria ratione non potest, propter sui veritatem. Ad hoc igitur debet tendere Christiani disputatoris intentio in articulis fidei, non vt fidem probet, sed vt fidem defendat. Vnde & Beatus Petrus non dixit, *parati semper* ad probationem: sed *ad satisfactionem*; vt scilicet rationabiliter ostendatur, non esse falsum, quod fides Catholica confitetur.

F opusc. 3. cap. 2.

27. Quæritur autem de diuinissimi huius Sacramenti institutione. G Et quidem conuenienter institutum fuisse in cœna, in qua scilicet Christus vltimò cum suis discipulis fuit conuersatus, suadetur propter tria. Primò ratione continentiæ. Et ideo quando ipse Christus in propria specie, à discipulis discessurus erat, in sacramentali specie se ipsum eis reliquit: sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Eusebius Emissenus dicit; *quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat, vt die cœnæ Sacramentum corporis sui consecraret nobis; vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.* Secundò quia sine fide passionis Christi, nunquam potuit esse salus: & ideo oportuit omni tempore apud omnes esse aliquid repræsentatiuum Dominicæ passionis; cuius in veteri quidem Testamento præcipuum Sacramentum erat agnus Paschalis; 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Successit autem ei in nouo Testamento Eucharistiæ Sacramentum, quod est rememoratiuum præteritæ passionis, sicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideo conueniens fuit, vt imminente passione, celebrato priori Sacramento, nouum Sacramentum institueret. Tertiò quia ea quæ vltimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur. Præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos: ea verò ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Et hic tu recole Augustinum ad Ianuarium; *Saluator, quo vehementius commendaret mysterij huius altitudinem, vltimo hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.* Et idem Angelicus; H vt arctius suæ charitatis immensitas fidelium cordibus infigeretur, in vltima cœna, quando Pascha cum discipulis celebrato, transiturus erat de hoc Mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne, &c.

G 3. p. q. 73. a. 5.

H D.Th. in Serm.

28. Post hæc grauis enucleanda est difficultas de mysterij Eucharistici institutione, quandonam facta sit; an inter cœnandum, an post cœnam. Planè si de consecratione calicis loquamur, constat factam esse post cœnam; tùm ex Diuo Luca c.22. qui ait; *similiter & calicem* (supple *dedit eis*) *postquam cœnauit dicens; hic est calix nouum Testamentum*, &c. tùm ex Apostolo 1. Cor. 11. qui præmisso; *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem* &c. subdit; *similiter & calicem postquam cœnauit*. Vnde argumentum est, panem consecrasse cœnando. Ita expressè Angelicus qui sic ait; I videtur signanter addidisse *postquam cœnauit*; nam Christus corpus suum tradidit inter cœnam: vnde Matth.26. dicitur, quòd *cœnantibus eis, accepit Iesus panem*, &c. sed sanguinem dedit expressè post cœnam; vnde & Lucæ 22. dicitur; *similiter & calicem postquam cœnauit.* Cuius ratio est; quia corpus Christi repræsentat mysterium incarnationis, quæ facta est adhuc legalibus obseruantijs statum habentibus; inter quas, præcipua erat cœna agni paschalis. Sed sanguis Christi repræsentat passionem, per quam est effusus: per passionem autem terminata sunt omnia legalia. Hebr.9. *per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Hoc autem, vt mihi videtur, innuunt satis Matthæus & Marcus; qui post calicis traditionem mox adnectunt; *& hymno dicto exierunt in Montem Oliueti*; quasi dicant; iam enim præcompleta erat cœna ante calicis consecrationem.

I 1. Cor. 11. l. 6.

29. Et si quis obijciat, quia post cœnam etiam consecrasse panem sic potest probari: nimirum quia consecrauit panem, postquam de Iuda dixit, quòd eum esset traditurus, vt patet ex Matthæo & Marco: Cum autem sic proditorem tetigit, iam recumbebat, siquidem legimus in Ioann. c.13. *cùm recubuisset iterum:* (*iterum* dicit, quoniam priùs recubuerat, cùm *surrexit à cœna*, vt discipulorum pedes lauaret) ergo iam agnum paschalem præcomederant; diceret Theophylactus, in Catena Marci 14. & Lucæ 22. quia lex præcipiebat, vt *stantes Pascha manducarent*. Vnde putat, probabile esse, priùs eos adimplesse Pascha legale, deinde discubuisse, incipiente eo proprium tradere Pascha: fertque qui dicant, quòd cùm manducassent legale Pascha, accubuerunt, secundùm communem vsum manducantes quosdam alios cibos. Verùm etsi dicat etiam Chrysostomus homil.60. ad populum Antiochenum; *Iudæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes* &c. *agnum cum festinatione comedebant*: certè in sacro textu Exodi 12. non legimus expressè præcipi *vt starent*. Vnde non video, cur necesse sit prius stantes comedisse agnum, & deinde discubuisse: præsertim quia ex Luca c.22. *discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis; desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*; ergo discumbendo manducauerunt Pascha siue agnum. Quod si velimus, priusquam discumberent comedisse agnum: nihil de ipsius comestione dixissent Euangelistæ, qui semper dicunt de discubitu. Inconueniens autem est tacuisse de agno, qui L fuit præcipua figura Sacramenti. Et ita comedisse agnum sedentes non desunt qui adstipulentur apud Suarez loco infra allegando sect.2. Fortè tamen fieri potuit, vt antequam discumberent, inchoarent agni esum; & mox discumbentes cœnam prosequerentur: in qua quidem alia quoque fuisse edulia manifestum est; quandoquidem vbi Christus intingeret buccellam, extabat; & prædixerat Christus, *qui intingit mecum manum in catino*; cum tamen nonnisi assus comederetur agnus. Erat nihilominus pro cœna vna quicquid paratum esset vltra legalia. Ideo planius dicendum est *post agnum typicum, expletis epulis* surrexisse Christum à cœna, vt dicit Ioannes c.13. & post peractam ablutionem pedum iterum recubuisse. Et quia nec tanta humilitate potuerat cor Iudæ lapideum emolliri, subiecisse Dominum *vnus vestrum me traditurus est*; siue, *vnus ex vobis me tradet*, vt claro ordine fert Ioannes; & tunc accepisse quem consecraret panem. Et ita *cœnantibus eis*, vt scribit Matthæus, siue *discumbentibus eis, & manducantibus*, apud Marcum; de ijs scilicet epulis, quæ præter agnum præsumuntur instruxisse men-

L 3. p. q. 73. a. 6.

mensam, corpus suum dedit. Quo facto, & verum fieret præcessisse esum agni in figuram; & cœnam Paschalem nondum esse completam, specificatiuè non reduplicatiuè de agno; causa, quæ supra dicta est, ad sanguinis consecrandi post cœnam discretionem. Vnde etiam post vtriusque sumptionem, nihil vltra ea nocte comederunt: nam calicem *postquam cœnauit*, dedit. Qui plura cupit, videat Suarez in 3. p. q. 73. a. 5. disp. 41. sect. 4. Solummodo animaduertendum est non seruasse Lucam historiæ ordinem; narrat enim comminationem Christi, *væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur*, post Sacramenti institutionem. Quod ex Matthæo & Marco apparet antea esse dictum. Et verisimile est, nihil increpationis omisisse, vt resipisceret si vellet, antequam Sacramentum ei offerretur. Hæsitarunt autem aliqui etiam ex Patribus, an Iudas præsens esset huic sacrosanctæ institutioni, & communicauerit: nihilominus communior est traditio & sententia affirmatiua, vt ex professo definit Angelicus M, & eruditè versat Suarez loc. cit. sect. 3. Et de hoc in Syntaxi dicemus.

M 3. p. 81. 2.

VERS. eodem XXVI. *Accipite & comedite; hoc est corpus meum.*

30. Accedimus ad formam consecratiuam Sacramenti sub vtraque specie. Quocirca prælibandum est, N quòd Euangelistæ non intendebant tradere formas Sacramentorum, quas in primitiua Ecclesia oportebat esse occultas, vt dicit Dionysius in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Quod repetens ad Corinthios inquit; O Euangelistæ verba Domini recitare intenderunt, quantum pertinet ad rationem historiæ, non autem secundum quòd ordinantur ad consecrationem Sacramentorum; quas in occulto habebant in primitiua Ecclesia propter infideles. Vnde Dionysius dicit in vltimo cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ; *perfectiuas inuocationes non est fas in Scripturis exponere; neque mysticum ipsarum, ante factas in ipsis ex Deo virtutes, ex occulto in commune adducere.* Et hoc tu dicito generaliori ex principio; quia P Euangelistæ non semper eundem ordinem in recitando seruauerunt, quo res sunt gestæ; vt patet per Augustinum in lib. de consensu Euangelistarum. Dicendum ergo consecrationis formas & panis & calicis, quanquam in Euangelio vel quoad ordinem, vel quoad applicationem non adeo exactè relatas, apostolica traditione semper in Ecclesia intemeratas permansisse; quemadmodum & accessoria quædam per Ecclesiæ traditionem in hoc Sacramento dicuntur & seruantur. In 4. etiam sent. dicit, præter formam baptismi, & Eucharistiæ, cuius fides est de necessitate salutis, aliorum Sacramentorum formas non inueniri in Scriptura traditas: sed Ecclesia ex traditione Apostolorum habet. Ad hæc objicit loco cit. Q de calice; verba quibus hoc Sacramentum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi; sed nullus Euangelista recitat, Christum hæc omnia verba dixisse, ergo hæc non est conueniens forma consecrationis vini. Respondet autem hæc omnia verba ex diuersis Scripturæ locis accipi posse; nam quod dicitur; *hic est calix*, habetur Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. Matthæi autem 26. dicitur; *hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quod autem additur *æterni*, & iterum, *mysterium fidei*, ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit; secundum illud 1. Corinth. 11. *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Apud Mag. 4. sent. 12. *dicitur mysterium fidei; quia credi debet, quòd ibi salus nostra consistit*. Et innuitur passio, vt ex 4. sent. d. 8. q. 2. a. 2. ad 3. Dicitur autem æternum testamentum, R quo confirmatur noua & æterna promissio, secundum Innocentium III. Et quia

N 3. p. 78. 3. ad 9.
O 1. Cor. 11. 1, 6.
P 3. p. q. 78. a. 1. ad 2. 4. sent. 23. q. 1. a. 4. 1. 1.
Q 3. p. 78. 3. 9. & 1. Cor. 11. 26.
R Apoc. 14.

est dispositio de hæreditate æterna. Alibi etiam docet, S qualiter etiamsi non legatur in cœna Dominum leuasse ad Cœlum oculos, Ecclesia ex traditione Apostolorum id habuit. Rationabile etiam videtur, vt qui in suscitatione Lazari, (vt habetur Ioan. 11.) & in oratione, quam pro discipulis fecit (Ioan. 17.) oculos leuauit ad Patrem, in huius Sacramenti institutione multò magis hoc fecerit, tanquam in re potiori. Quod autem dicitur, *manducate*, & *comedite*, non differt quantùm ad sensum; nec multùm refert quid dicatur: præsertim cùm verba illa non sint de forma, vt supra dictum est. Quod autem additur *omnes*, intelligitur in verbis Euangelij, licèt non exprimatur; quia ipse dixerat Ioann. 6. *nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam æternam*. Sic de coniunctione illa *enim* in panis consecratione; T quæ apponitur in hac forma, secundum consuetudinem Ecclesiæ à beato Petro Apostolo deriuatam: & hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Et ideo non est de forma; sicut nec verba præcedentia formam.

S 3. p. 83. 4. 2.
T 3. p. 78. 2. ad 5.

31. Sic & circa formam panis, nisi præiret Ecclesiæ documentum, vrgeri posset hoc argumento. Dominus instituens hoc Sacramentum non consecrauit his verbis, sed post consecrationem & fractionem hæc verba protulit; nam *accepit panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait; accipite & comedite: hoc est corpus meum*: ergo in prædictis verbis non consistit forma consecrationis. Respondet Angelicus, constantissimè V in eis immo verbis nedum nos consecrare, sed contra quasdam alias opiniones, & Christum consecrasse. Et sanè ad mentem sacri Tridentini Concilij; siquidem Sess. 13. c. 1. docet, *tam admirabile Sacramentum in vltima cœna Redemptorem nostrum instituisse; cùm, post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est*. Igitur in ijs verbis, *hoc est corpus meum*, instituit; sic enim particula illa *cùm* manifestè sonat. Verba autem illa nedum consecerunt, sed instituerunt testataque sunt ineffabile Sacramentum; ideo inquit *testatus est*. Solummodo insurgit difficultas; quoniam Angelicus locis citatis propendet in eam opinionem, vt quod legimus *benedixit*, eatenus dictum sit, quatenus protulit Christus Dominus verba consecrationis; ita vt fiat sensus, *benedixit; dicens, hoc est corpus meum*; sitque concomitantia præcedentium, & verborum consecrationis, hoc pacto; dum benediceret frangeret & daret discipulis, hæc verba dixit, *accipite*, &c. *hoc est corpus meum*. Et vim facit, quia benedictio aliquibus verbis facta est: quæ alia in suo discursu, non reputat fuisse, nisi consecrationis. Cæterùm quoniam sacrum Concilium manifestè dicit, *post benedictionem, disertis ac perspicuis verbis* Christum Dominum testatum esse veritatem Sacramenti; ne dicamus sacrum Concilium improbasse doctrinam Sancti Thomæ, considerandum mihi occurrit, hoc non fuisse in Sacra Synodo prolatum per modum definitionis; sed quasi per transennam enarratum. Siquidem intendebat solùm, veraciter ex verbis disertis & perspicuis Domini Iesu, suum contineri in Sacramento corpus & sanguinem: & quia priùs re ipsa legimus in Euangelio *benedixit*, ideo expressit, *post panis, vinique benedictionem*, prudentissimè nolens differere, quod disputant Theologi, de re, quæ ad dogma non facit: siue enim benedictio quouis pacto discernatur à consecratione, siue sit ipsa consecratio, *hoc est corpus meum*, nihil deperit fidei Catholicæ, quantùm ad veritatem transubstantiationis panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Neque enim damnat Ecclesia in Scripturis aliqua dici per anticipationem, cùm narrationis series id exi-

V 4. dist. 8. q. 2. 1. 1. 3. & 3. p. 78. 1. 1. & hic.

X 4. dist. 8 q. 2. a. 1. ad 1. quæstiuncula. git: quod notat Suarez. Et huc facit quod iterum docet Angelicus: X in hoc Sacramento, sicut in alijs, inquit, duo sunt, scilicet consecratio materiæ, & vsus materiæ consecratæ; in hoc quod dicitur, *accipite & manducate*, præcipitur vsus Sacramenti; in hoc autem quod dicitur; *hoc est corpus meum*, traditur materiæ consecratio: & quia consecratio materiæ est ad vsum fidelium; ideo vsus præmittitur in demonstratione Sacramenti, quamuis sequatur in executione, quia finis est prior in intentione & cognitione, & vltimus in operatione. Hinc dicendum nobis est, quod & ait Suarez, secundum physicam durationem, prius absoluisse verba consecrationis, quàm panem vel vinum discipulis dederit; vt expressè tradit Sacrum idem Tridentinum Concilium in ea Sess. 13. cap. 3. *nondum enim Eucharistiam Apostoli de manu Domini susceperant; cum verò tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat*. Sententiæ igitur congruo familiarique tenore, quod posterius est præmittitur. Vnde potest intelligi etiam quod supra cap. 1. dictum est, *post benedictionem*, quia reuera Euangelista prænarrat benedixisse; quanquam nihil prohibeat *per anticipationem dici*; & quadam hysterologiæ specie: qui tropus deprehenditur expresse in Marco, qui cap. 14. prius dicit Apostolos bibisse; postea refert verba consecrationis; quæ certe præcesserunt: *& accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes*. Et ait illis; *hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur*. Verùm humiliemur tandem sacro-sanctæ Synodo; & ly *benedixit* præuium, dicatur æquipollere actioni gratiarum; nam Lucæ 22. fertur, & 1. Corinth. 11. *accepto pane gratias egit*. Et in Canone dicimus, *tibi gratias agens benedixit*. Et sanè 2. Corinth. c. 1. l. 2. benedicere nostrum idem est, quod bonum recognoscere. Cum ergo gratias agimus Deo, benedicimus illi; idest recognoscimus eum bonum, & datorem omnium bonorum.

32.

A 3 p. 81. a. 1 Inquirit Angelicus, A an Christus sumpserit suum corpus & sanguinem? & affirmat. Et infra id ipsum confirmans B ait: Sacramentum Eucharistiæ & ipse sumpsit, & alijs dedit; tum ad commendandam excellentiam huius Sacramenti; tum quia hoc Sacramentum est memoriale suæ passionis, in qua Christus est Sacerdos & hostia. Et sic exponit ly *accepit panem & calicem*; C vt non solum in manibus acceperit, vt quidam dicunt; sed eo modo quo alijs accipiendum tradidit. Et quod dicitur Lucæ 22. *desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*, intelligit Eusebius de mysterio noui Testamenti, quod tradebat discipulis. Et sanè nisi de mysterio loqueretur, non erat vnde tantopere ad cœnam illam anhelasset; vt expendit Tirinus; & ante ipsum Angelicus ad Hebræos 2. lect. 4. vbi fert Chrysostomum expressè dicentem; *ipse Christus bibit sanguinem suum*. Quemadmodum autem ipse summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit; ita cùm discipulis dixit, *accipite & comedite*, dedit D sacerdotalem potestatem, quantum ad principalem actum. Vnde & adiecit; *hoc facite in meam commemorationem*. Sed post resurrectionem dedit eis Sacerdotalem potestatem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare & absoluere. Hinc Sacro-sancta Tridentina Synodus Sess. 23. cap. 1. de Sacerdotio, in quod vetus translatum est, palam docet, *à Domino Saluatore nostro institutum esse; atque Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi & ministrandi corpus, & sanguinem eius, nec non peccata dimittendi, & retinendi: id quę*, inquit, *sacræ literæ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit*. Quocirca nullis

B 3. p. 84. 7. 4.

C 3 p. 81. art.

D 4. dist. 24 q. 2. a. 3. 2.

plurimis, quæ de sanctis traditionibus à Christo per Apostolos ad nos deriuatis possent afferri, sufficiat Diuus Dionysius qui cap. 1. *de diuinis nominibus*, ait; *& nos docti sumus quidem iuxta proportionem nostram per sancta velamina eloquiorum, & hierarchicarum traditionum*: idest D aliorum dogmatum, quæ Apostoli, & eorum discipuli tradiderunt; quæ non continentur in sacra Scriptura: vt puta, quæ pertinent ad sacrorum mysteriorum cognitionem. Ad hæc Augustinus ad Ianuarium; *liquidò apparet, quando primò receperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandus est ritus vniuersæ Ecclesiæ; quo à ieiunis semper accipitur? placuit enim Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Saluator namque quo vehementius commendaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat: & ideo non præcepit, quo ordine sumeretur; vt Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruaret hunc locum*. Sanè ita scripsit Apostolus ad Corinth. *cætera verò cum venero disponam*. Ex quo patet, E quòd Ecclesia multa habet ex dispositione Apostolorum; quæ in sacra Scriptura non continentur. Quoniam autem supra cap. 18. promisit Dominus fidelibus suis, *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; F firmiter tenendum est, quòd ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi: & propter hoc, certum esse debet, ritus quos Ecclesia obseruat in Sacramentis, esse conuenientes.

D in D. Dionysiũ c. 1. l. 2.

E 1. Cor. 11. l. 7. in calce.

F 3. p. 72. 12.

VERS. XXVIII. *Hic est sanguis meus noui Testamenti, &c.*

33.

G Hebr. 9. l. 4. Noui Testamenti G confirmator seu confirmatiuus; & dedicator, seu dedicatus H ad nouum Testamentum. Pro intelligentia sciendum est: qualiter Testamentum in Scripturis communi quadam ratione, sumitur pro quolibet, I quod quidem testibus confirmari solet. Alio modo accipitur Testamentum propriè & magis strictè pro dispositione hæreditatis percipiendæ, quam necesse est secundum leges certo numero testium confirmare. Deus ergo dupliciter pactum iniit cum humano genere; vno modo promittendo bona temporalia, & à malis temporalibus liberando; & hoc vocatur vetus Testamentum vel pactum; quo promisit illis terram Amorrhæorum. Nihilominus hoc pactum rationem habuit Testamenti strictius accepti; quia erat de hæreditate æterna, quamuis sub figura temporalium bonorum; quod pertinet ad vetus Testamentum. Postmodum autem expressè promissa est per Christum hæreditas æterna; quod pertinet ad nouum Testamentum, nouo exhibita; de qua ait Apostolus Hebr. 9. *noui Testamenti mediator est, &c. vt repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis*. Et Ieremiæ 31. *feriam Domui Israel, & Domui Iuda fœdus nouum; non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, vt educerem eos de terra Ægypti*. Incundum ergo erat nouum pactum de spiritualibus bonis, & de liberatione à malis oppositis. Quanquam nouum Testamentum dicatur etiam lex noua Euangelica, per quam ad statum Patriæ futurum introducimur, vt loquitur Angelicus, L post eandem Ieremiæ auctoritatem, quam fert & Apostolus; *ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super Domum Israel, & super Domum Iuda testamentum nouum, &c.* Et ideo vt docet in 4. sent. præcepta se habent sicut via ad hæreditatem promissam: & ita per posterius Testamentum ad mandata, & tabulas dictas Testa-

H D. Th. hic.

I 1. Cor. 11. l. 6. hic & 3. p. 78. a. 3. ad 1. & Hebr. 9. l. 4.

L Hebr. 8. l. 3. 4. dist. 8 q. 2. a. 2. q. 1. ad 1.

menti pertinet. Et ecce cur dicatur nouum; *dicendo autem nouum*, (dic quasi ab effectu, per locum à contrario) *veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est*. Et ratione huius Sacramenti, quod in renouatione Mundi institutum est; & quia vetus impedimentum consequendæ hæreditatis amouit; vt ibi in 4. sent. ad 2.

34. Est autem considerandum quòd apud antiquos erat consuetudo, vt alicuius victimæ sanguinem funderent M ad confirmationem pacti. Vnde Genesis 31. legitur, quòd postquam inierunt fœdus Laban & Iacob, *immolatis victimis in monte, vocauit* (Iacob) *fratres suos, vt ederent panem*. Sicut & Exodi 24. habetur, quòd Moyses *sumptum sanguinem respersit in populum*, & ait; *hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*: siue vt legunt Septuaginta; *ecce sanguis Testamenti, quod disposuit Dominus ad vos*. Siue, *quod mandauit ad vos Deus*; vt ait Apostolus Hebr. 3. Sicut ergo vetus Testamentum seu pactum confirmatum est sanguine figurali taurorum, ita nouum Testamentum seu pactum, confirmatum est in sanguine Christi, qui in passione est effusus: quia scilicet hæreditatem cœlestem disposuit Deus hominibus dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi: vt enim dicitur Hebræor. 9. *vbi est Testamentum, mors necesse est intercedat Testatoris*. Ideo nouum Testamentum non haberet robur, nisi interuenisset mors Christi. N Vnde ille dixit; *expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo*; Ioann. 11. Mors autem Testatoris ad duo necessaria est; primò vt Testamentum habeat firmitatem; quia cùm sit expressiuum vltimæ voluntatis, potest semper mutari ante mortem: ibidem Apostolus; *Testamentum in mortuis confirmatum est*, idest per mortem: & isto modo confirmatum est nouum Testamentum per mortem Christi. *Vnde nec primum sine sanguine dedicatum est*. Secundò necessaria est mors Testatoris; quia nec hæres potest hæreditatem petere ex vi Testamenti, nisi post mortem Testatoris. Hic adnota, Christum O sua passione & morte aperuisse nobis ianuam Cœli; Hebr. 10. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, idest cœlestium, *in sanguine Christi*. Et hoc figuratum est Numeri 35. vbi dicitur quòd *homicida manebit ibi*, scilicet in Ciuitate refugij, *donec Sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus est, moriatur*; quo mortuo, poterit in Domum suam redire. Et quia, vt ibidem docet, prohibentur homines ab ingressu Regni cœlestis per peccatum; quandoquidem Isaiæ 35. *via illa sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus*; ecce subijci à Domino, *in remissionem peccatorum*. Quamuis hoc non ponatur hic vt proprius effectus Sacramenti, sed vt effectus passionis, P quæ per consecrationem sanguinis exprimitur. De quo videri potest suo loco, Q vbi docet posse hoc Sacramentum operari remissionem peccati, perceptum ab eo, quiest in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus; sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. Hic obiter considerandum, quàm solerti calamo scribit Sanctus Doctor. Neque enim dicit, consequetur simpliciter gratiam, sed *gratiam charitatis*, innuens vix posse intelligi, vt adultus iustificetur à peccato, nisi eliciat actum amoris seu dilectionis charitatis. Ex quo perficitur contritio. Vnde axioma illud *ex attrito fit contritus, qui Sacramentum recipit pœnitentiæ*, non videtur sic accipi, vt recipiat effectum contritionis, hoc est iustificetur absque ab eo quòd actum dilectionis eliciat: sed eatenus ex attrito fit contritus; quia vi Sacramenti pœnitentiæ emollitur cor eius ad Dei dilectionem super omnia, & contritionem.

[M 1. Cor. 11. l. 6. & 3. p. 78. a. 3. ad 3.]
[N Hebr. 9. l. 4.]
[O 3. p. 49. 5.]
[P 4. dist. 8. q. 2. a. 2. in calce.]
[Q 3. p. 79. 3.]

35. *Qui pro multis effundetur*. Sanctus Lucas dicit, *qui pro vobis effundetur*. Ecclesia vtrunque in Missa profert; & quidem R sic ab Apostolis instructa. Obijcitur autem, quia sanguis Christi ad sufficientiam profuit omnibus; quantùm verò ad efficientiam profuit multis; debuit ergo dici; *qui effundetur pro omnibus*, aut *pro multis*, sine hoc quòd adderetur *pro vobis*. Respondet, S quòd sanguis passionis Christi, non solum habet efficaciam in Iudæis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris Testamenti, sed etiam in Gentilibus; nec solùm in Sacerdotibus, qui hoc conficiunt Sacramentum, vel alijs, qui sumunt; sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit *pro vobis*, Iudæis; & *pro multis*, scilicet Gentilibus: vel *pro vobis* manducantibus; & pro *multis*, pro quibus offertur. In hoc autem quod dicit *pro multis*, cum aliàs; 1. Ioann. 2. *ipse sit propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*; immo etiam si essent infiniti Mundi, vt dicit Anselmus 2. lib. *cur Deus homo*, cap. 14. & 2. Corinth. 5. *pro omnibus mortuus est Christus*; exponitur ly *pro multis*, efficaciter T. Et iterum ad Corinthios; V sed quia quidam se reddunt indignos ad recipiendum talem effectum; quantùm ad efficaciam, dicitur esse effusus *pro multis*, in quibus habet effectum passio Christi. Quamuis enim sint pauci per comparationem ad infructuosam multitudinem damnatorum, secundùm illud Matthæi 7. *arcta est via quæ ducit ad vitam; & pauci inueniunt eam*: X tamen absolutè loquendo sunt multi: Roman. 12. *multi vnum corpus sumus in Christo*; Lucæ 14. *homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*; Apocalyps. 7. *post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Veruntamen hac de re, dixi vberius supra cap. 22. ad versum 14. *multi enim sunt vocati, pauci verò electi*. Sed quoniam ait Petrus in sua prima cap. 4. *& si iustus quidem vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* adnectamus illud Pauli ad Philipp. 2. *cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Leo Papa Serm. 1. de Natiuitate; *noli Christiane te Diaboli iterum seruituti subijcere, quia pretium tuum sanguis Christi est; qui veritate te iudicabit, qui misericordia te redemit*. Quare autem Lucas potius dixerit *pro vobis*; &, *hoc facite in meam commemorationem*, non video posse explorari, nisi attenta nostra Syntaxi, quæ vniuscuiusque Euangelistæ scopum scrutatura est.

VERS. XXIX. *Dico autem vobis; non bibam amodò de hoc genimine vitis*; &c.

36. Lucæ 22. nedum hoc legimus, sed etiam prælocutum de Paschate dixisse, *dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei*. Manducasse ad literam & bibisse cum discipulis post resurrectionem, constat Lucæ 24. quando eis dixit; *habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis; & cùm manducasset coram eis*, &c. Et ita Petrus Actor. 10. *manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis*. Hinc Augustinus 13. de Ciuit. Dei cap. 22. *Saluator noster post resurrectionem, iam quidem in spiritali carne, sed vera, cibum & potum cum discipulis sumpsit, non alimentorum indigentia, sed ea, qua hoc poterat potestate*. Et Beda super Lucam suo cap. vltimo; *aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens; illa, indigentia; iste potentia*. Veruntamen quoniam Angeli etiam in assumptis corporibus apparentes comederunt; quæritur an Christi Domini, postquam resurrexit, fuerit vera comestio? Respondet Angelicus A fuisse veram comestionem. Quia quamuis

[R 3. p. 78. 3.]
[S ibi ad 8. & q. 79. a. 7.]
[T Hebr. 10. l. 3. & Apoc. 5. com. 2.]
[V 1. Cor. 11. l. 6.]
[X Rom. 12. l. 2.]
[A p. p. 51. a. 3. ad 5.]

post resurrectionem cibus non conuerteretur in corpus Christi, sed resolueretur in præiacentem materiam: (præiacens materia, in quam corpora mista resolui possunt ex 3.p. q.57. 3. sunt quatuor elementa) tamen Christus habebat corpus talis naturæ, in quod posset cibus conuerti. Et ideo propriè loquendo, non conuenit Angelis comedere; eo quòd comestio importat sumptionem cibi conuertibilis in substantiam comedentis. Cibus autem sumptus ab Angelis, neque conuertebatur in corpus assumptum; neque corpus illud talis erat naturæ, in quod posset alimentum conuerti. Vnde Angelorum comestio non fuit vera comestio, sed figuratiua spiritualis comestionis. Et hoc est quod Angelus dixit Tobiæ 12. *cum essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere; sed ego potu inuisibili, & cibo vtor.* Abraham autem (Genesis 18.) obtulit eis cibos, existimans eos homines esse; in quibus tamen Deum venerabatur; sicut solet Deus esse in Prophetis, vt Augustinus dicit 16. de Ciuitate Dei. Aliter ergo Christus manducauit, B & aliter Angeli; nam quia corpora ab Angelis assumpta, non erant corpora viua vel animata, non erat vera comestio, licèt esset vera cibi contritio, & traiectio in interiorem partem corporis assumpti. Sed quia corpus Christi verè fuit animatum, vera fuit eius comestio: vt enim dicit Augustinus 13. de Ciuit. Dei cap. 22. *non potestas sed egestas edendi corporibus resurgentium aufertur.*

B 3. p. 55.6.1.

C 3. dist. 21. q. 2. a. 4.

Vt autem exponit, C comestio Christi post resurrectionem non fuit necessitatis, sicuti est in animali vita, quia iam erat extra statum generationis & corruptionis; sed magis fuit potestatis, idest naturalis potentiæ ostensiua. Cibus autem ille, vt dicit Augustinus, in spiritualem naturam conuersus est; scilicet in vaporem resolutus; sicut aqua per radium Solis. Sic & alibi, D comedere inquit secundum completam rationem sui non dicit solum diuisionem cibi, & traiectionem; sed & istum actum procedere à virtute potente digerere & conuertere in nutrimentum: ideo Angeli non verè comedunt; sed fuit ibi vera diuisio cibi, & traiectio in corpus assumptum; qui postmodum non est conuersus in corpus illud, sed aliqua virtute Angeli, dissolutus est in præiacentem materiam: Christus autem verè comedit, quamuis cibus conuersus non fuerit; quia illa decisio cibi, fuit habentis virtutem nutritiuam, & conuersiuam. Et ita firmat Angelicus, E posse verbum Domini intelligi, vt referatur ad hoc quòd ipse post resurrectionem comedit & bibit *nouum* quidem vinum, idest nouo modo, (non propter necessitatem) scilicet propter resurrectionis demonstrationem. Et dicit, *in Regno Patris mei*; quia in resurrectione Christi Regnum immortalitatis demonstrari incepit.

D 4. dist. 2. q. 1. a. 4. 1.

E 4. cont. G. c. 83. ad finem.

37. Sed difficultas est, de scopo Dominicæ comestionis; siquidem non videtur exinde euinci posse, verè ipsum resurrexisse; quia sensibus discerni non potest, an sit vel non sit vera comestio, aut solummodo visa Angelorum instar in corporibus assumptis.

F 2. dist. 21. in calce.

Respondet Sanctus Doctor; F quòd quamuis hoc vnum argumentum non sufficiat ad ostendendam veritatem humanæ naturæ, tamen simul cum alijs certitudinem facit resurrectionis; ideoque argumenta multiplicata esse. Sic etiam in 3. parte inquit: G licèt singula argumentorum non sufficerent ad manifestandam perfectè Christi resurrectionem; tamen omnia simul accepta perfectè Christi resurrectionem manifestant, maximè propter Scripturæ testimonium, & Angelorum dicta, & etiam ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam. Addo ipse fuisse conuenientissimum, vt post resurrectionem manducaret & biberet, etsi non ad argumentum quod perfidos cogeret, ad confirmationem credentium, ne si abstinuisset omnino, id posset obijci: Iudæi quippe & Sarraceni, qui vt fert Angelicus H ponunt, quod in resurrectione homines cibis vtentur, magis se à fide resurrectionis elongare possunt, si Christus non comedisset & bibisset. Remouit ergo & hunc obicem; quanquam non inde inconcussè demonstrarit resurrectionem. Sanè, cùm constans sit Theologorum positio, omnes potentias sensuum remansuras in corporibus gloriosis; I immo sensus futuros in actu, quamuis sola immutatione spirituali, non verò materiali, vt explicatur, voluisse Dominum arbitremur, etiam in sensu gustus specimen futuri in Cœlo status adumbrare. Quamuis ibi concludat Angelicus, gustum non futurum in actu, ita quod immutetur ab aliquo cibo vel potu sumpto, vt patet ex dictis: (dic tu nimirum immutatione materiali) nisi fortè dicatur quòd erit gustus ibi in actu per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adiuncta. Vnde & Suarez ait in 3. p. q. 54. a. 4. disp. 47. sect. 6. ad finem; non est Deo difficile, facere, vt aliquis sapidus humor sit intra organum gustus, qui sensum illum possit intentionaliter afficere. Vnde quas delectationes negat ibi contra Gentes Angelicus in Patria, benè interpretatur Suarez de materialibus delectationibus ciborum, quæ nec decent, nec spectant ad statum beatorum. Pulchrè autem præ alijs ad hæc Beatus Laurentius Iustinianus lib. de disciplina & perfectione Monast. conuers. cap. 23. *Caro, inquit, spiritualis effecta per omnes sensus suos multimodis exuberabit delicijs. Delectabitur oculus in amabilis Redemptoris aspectu; cum videbit Regem in decore suo gloria ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum Mater sua. Melodica cantica ciuium supernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Fragrans quoque suauitas cœlestium odoramentorum, mirabili liquefactione resperget odoratum. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam, & iucunda satietate, oris saginabit palatum. Ipse demum tactus sibi congruis abundabit delicijs, quas experti narrant. Fas etenim non est, vt in illa Cælorum gloria, quidquam vacet à Dei laude: quin potiùs iustum, vt cuncta corporis membra suum proprio modo efferant Conditorem; quatenus sicut ab ipso sumpserunt principium, ita & in illo deducant suæ beatitudinis finem; vt sit Deus omnia in omnibus.*

H 4. cont. G. c. 83.

I 4. d. 44. q. 2. a. 1. ad 3. & 4.

Porro ex antea præmissis de vera Christi Domini, postquam resurrexit à mortuis, comestione, posset quis contendere etiam in Cœlo sic esse futurum. 38.

Occurrimus cum Angelico, qui postquam obiecit, quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi: vnde cùm Christus post resurrectionem comederit, vt patet Ioannis vltimo, & Lucæ vltimo, videtur quòd & homines post resurrectionem, comedent. L Respondet, (sicut supra dictum est) quòd Christi comestio non fuit necessitatis, quasi cibis indigeret humana natura post resurrectionem; sed fuit potestatis; vt ostenderet se veram naturam humanam resumpsisse, quam priùs habuerat in statu illo, quando cum discipulis comederat & biberat. Hæc autem ostensio non erit necessaria in resurrectione communi; quia omnibus notum erit. Et ideo dicitur dispensatiuè Christus manducasse, eo modo loquendi, quo Iuristæ dicunt, quòd *dispensatio est communis iuris relaxatio*; quia Christus intermisit hoc, quod est communiter resurgentium, scilicet non vti cibis, propter causam prædictam: & propter hoc, ratio non sequitur. Dicit autem Suarez loco supra citato, nullum sequi incommodum, quod sicut Christus post resurrectionem verè comedebat, ita etiam verè perciperet cibi saporem & gustum, absque alteratione tamen materiali, vel alia imperfectione beatitudini repugnante. Quicquid autem de hoc sit,

L 4. sent. d. 44. q. 1. a. 3. ad finem.

stat

stat adhuc argumenti robur pro resurrectione: quia vt aliàs notatur, M opus artis non potest esse simile operationi naturæ: & potest percipi deceptio. Vnde aio ipse, si quis solerter intendat, deprehendet vel ex instrumentis ipsis, vel ex eorum motu, an sit vera comestio vel apparens. Non enim sine causa dixit Raphael Angelus Tobiæ 12. *videbar quidem vobiscum manducare & bibere*: & Dominus Lucæ 24. *palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et sequitur; *adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit; habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis: & cùm manducasset coram eis*, &c. Vnde ly *coram eis* intentos significat discipulos, quos proinde omnes decipi potuisse, vanum est. Signanter dixit Petrus pluraliter, *manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis*. Quare vno verbo, hoc erit discriminis inter comestionem spiritualis creaturæ in corpore assumpto, & inter comestionem veri hominis, quòd spiritus *videtur manducare & bibere*, sed homo simpliciter manducat. Vt videatur manducare, non eget organis tot, quot vtitur qui verè manducat: ad figurandam enim spiritualem comestionem, quod Angelus Tobiæ, vt diximus N intendebat; non ita exigebatur dentium maxillarum linguæ gutturis instrumenta, horumque vniuocè attentus motus. Quæ cuncta perspecta fuisse discipulis nondum credentibus verisimile est. Ideo non dixit Dominus; *habetis hic aliquid* quod *traijciatur*, sed quod *manducetur*. Dicamus ergo cum Diuo Gregorio hom. 29. in Euang. vbi expendit, quod legitur Act. 1. *& conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent*; in hæc verba; *comedit & ascendit; vt videlicet per effectum comestionis, veritas patesceret carnis*. Quamuis enim possit quis arbitrari veram comestionem, quæ vera non sit, si scrupulus nullus pulset; non ita contingit falli, quando attenta circumspectione exploratur veritas: discipuli autem neque inconsiderati aut exoculati, neque vecordes erant à studio grauius comprobandæ resurrectionis, vt priusquam eam prædicarent, vndequaque perspectam haberent. Sciebant equidem hac de re inferri posse calumniam; & ideo ne incredulis locus esset blasphemiæ, non fictam comestionem, aut præstigiatam bibitionem, sed solida ac indubitata resurrectionis in corpore argumenta proferebant constanter in medium. Ideo enim videtur permissum esse, non citò credere Thomam.

M 2. dist. 21. q. 2. a. 4. q. 2. ad 4.

N p. p. 51. a. 3.

39. Sed cùm hæc multa fuerint, vt patet Act. 1. *quibus & præbuit se ipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta, apparens eis, & loquens de Regno Dei*, inquiri potest, cur ad astruendam veritatem hanc, potius de cibo & potu hic introduxerit Dominus, cùm tot alia suppeterent. Dicit sanè Ambrosius lib. 6. comment. in Lucam *quod tangitur corpus est; quod palpatur corpus est. Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit?* Quocirca Gregorius hom. 26. *miro modo atque inæstimabili, Redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit; vt monstrando incorruptibile, inuitaret ad præmium, & præbendo palpabile, firmaret ad fidem*. Et Angelicus, O corpus, inquit, dicitur palpabile, non solum ratione resistentiæ, sed ratione suæ spissitudinis. Ad rarum autem & spissum sequuntur graue & leue, calidum & frigidum, & alia huiusmodi contraria, quæ sunt principia corruptionis corporum elementarium. Corpus Christi post resurrectionem verè fuit ex elementis compositum, habens in se tangibiles qualitates, secundum quod requirit natura corporis humani; & ideo naturaliter erat palpabile; & si nihil aliud habuisset supra corporis humani naturam, fuisset etiam corruptibile: habuit autem aliquid aliud, quod ipsum incorruptibile reddidit; non quidem naturam cœlestis corporis, vt quidem dicunt, sed gloriam redundantem ab anima beata; quia, vt Augustinus dicit in Epistola ad Dioscorum; *tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, redundet in corpus plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor*. Præterea, vt docemur deinde; P nedum ostendit Dominus corpus suum verum esse & solidum, non corpus phantasticum vel rarum, sicut est aer; nedum esse corpus humanum, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur; nedum ostendit, quòd esset idem numero corpus, quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices; nedum ostendit opera vitæ nutritiuæ, in hoc quòd cum discipulis manducauit & bibit; sed etiam opera vitæ sensitiuæ, in hoc quòd discipulis ad interrogata respondebat, & præsentes salutabat; in quo ostendebat se videre & audire: item & vitæ intellectiuæ, in hoc quòd discipulis loquebatur, & de Scripturis disserebat. Cur ergo, rogabit lector, deflectunt hic verba Domini solummodo ad argumentum cibi & potus? *non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in Regno Patris mei*.

O 3. p. 54. 3. ad 2.

P 3. p. 55. a. 5. & 6.

Vt huic percontationi occurramus, prælibandum mihi videtur, qualiter Christus Dominus semper quidem, sed præsertim proximus morti, mortis suæ fructum præ oculis habuit; qui quidem erat finalis nostrum ad gloriam traductio. Quod metaphoricè primum paulo post dicitur; *postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam*; siquidem Galilæa interpretatur etiam reuelatio; Q & intelligitur per Galilæam cœlestis gloria: deinde ad literam Hebr. 2. *qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis*, &c. quoniam anima Christi mota est à Deo per gratiam, R non solùm vt ipse perueniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam vt alios in eam adduceret. Et opportunè, quando passioni & morti appropinquabat, debuit de gloria meminisse; quoniam Hebr. 9. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet cœlestium, *in sanguine ipsius*: vnde per eam S nobis aperta est ianua Paradisi. Et iterum per eam T meruit ipsemet exaltari, secundum illum Philipp. 2. *factus est obediens vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum*; &c. Vnde & ait Lucæ 24. *nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Nunc pergamus vlterius; cœlestis gloria per gaudium & in gaudio intelligitur, vt perspectum est: supra cap. 25. *intra in gaudium Domini tui*: 1. Petri 1. *exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata*: ergo per symbolum gaudij, cuiusmodi est genimen vitis, perbellè significatur, de qua & dicitur in psalm. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*. Constat autem esse vinum pro typo gaudij; quia Ecclesiastici 31. *vinum in iucunditatem creatum est*; & in psal. 103. *& vinum lætificet cor hominis*. Adstipulatur autem hactenus dictis ritus Ecclesiæ in fractione hostiæ, cuius pars missa in calicem, beatos, beatamque fruitionem significat; V vnde metricè; *hostia diuiditur in partes, tincta beatos*. Et quia interminabilis est diuina fruitio, non dicit Dominus, *non bibam amodo de hoc vino*, sed *de hoc genimine vitis*, quasi æterna deriuatione potando. Quo facit Hieronymus qui ait; *breuis sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio: ibi est gaudij nostri fons, & salutis æternæ origo præparata*. Collimat igitur eò sententia Domini, vt dum calicem, passionis suæ indicem porrigebat, passionis eiusdem fructum manifestaret.

40.

Q 102. 4. 1. 1.

R p. 2. 114. 6.

S 3. p. 49. 5.

T ibi a. 6.

V 3. p. 83. a. 5. ad 8. & 9.

Quare

Quare dicendum est, non ita respexisse his verbis ad tempus, quo post resurrectionem cum discipulis aliquando bibiturus erat: tametsi, eo quòd manducauerant & biberant cum illo, postquam resurrexit à mortuis, optimè arguatur Act. 10. ipsius resurrectio. Si enim prælusisset futuræ postquam resurrexit comestioni, non de solo calice, sed potiùs de pane, aut de Paschate dixisset; & præterea palam discernit inter potum & potum, dum inquit, *non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum*: ly enim *hoc* præsentis vitæ bibitionem notat; ly *illud* genimen aliud, nempe gloriæ fruitionem demonstrat. Et tandem sic Sanctus Beda relatus in Catena Marci 14. *iam non bibam de genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam nouum in Regno Dei*; sic loquitur; *aderit dies illa, cùm in Regno Dei positus, idest gloria vitæ immortalis sublimatus, de salute populi fonte gratiæ spiritualis regenerati, vobiscum gaudio perfundar*. Est autem valde consideranda Lucæ ab alijs diuersa narratio; siquidem ipse de Paschate dixisse refert; *ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei*; Quod quidem legalium Sacramentorum, ad spiritualem obseruantiam concernit, vt ait idem Beda, translationem. Quod erat speciale institutum Lucæ edisserere. Ideo dic alios Euangelistas, vt locum darent Lucæ, præterijsse: sicuti solus Lucas commemorat, quod dixit, *hoc facite in meam commemorationem*; vtpote cuius fuit scopus nouum Christi sacerdotium, consummato jam veteri Aaronico, introferre. *Translato* quippe *sacerdotio*, (Hebr. 7.) *necesse est, vt & legis translatio fiat*; quod est Lucæ intentum; vt Domino indulgente, vita comite dicemus. Quare autem *de genimine vitis*, non potiùs *de hoc vino* dixerit, perpendet Syntaxis.

VERS. XXX. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.*

41. Hymnus, vt & habet Hieronymus, est laus Domini. Et secundùm Bedam *potest hymnus ille intelligi, quem Dominus secundùm Ioannem, Patri gratias agens decantabat: in quo pro se ipso & discipulis, & pro eis, qui per verbum ipsorum credituri erant, eleuatis sursum oculis precabatur*. Exordium habes Ioannis 17. cùm *subleuatis oculis in Cœlum dixit: Pater venit hora*, &c. Vnde mox c. 16. *cùm hæc dixisset, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*. Chrysostomus in homilia; *audiant quicunque vltimam orationem in sacris mysterijs non expectant*. Proinde vt ait Angelicus; X quod post communionem dicitur in Missa, repræsentat hymnum istum; Sacerdote per orationem gratias offerente; sicut & Christus celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit. Huic hymno Iudam minimè interfuisse constat; eoquòd Ioann. 13. legimus; *cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò*. Dum autem montem adit Oliueti, dicamus cum Augustino; *in montem fructuosum, in montem vnguenti, in montem chrismatis. Christi enim nomen à chrismate dictum est: & chrisma græcè, latinè vnctio nominatur. Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit*. Desinant aliquando Iudæi hæsitare, Ioann. 10. *si tu es Christus, dic nobis palam*, dum etiam loco, quem toties coluit, se Christum esse indicauit. *Messias* quippe secundùm hebraicam & chaldæam linguam, à *Masrach*, quod est *vnxit*, deriuatur. Vnde & in Actis cap. 4. *leuauerunt* (discipuli) *vocem ad Deum vnanimiter, &* (inter alia) *dixerunt* vnctum Dominum; *conuenerunt enim verè in Ciuitate ista, aduersùs sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti*, &c. Rabanus fert ad radicem montis Oliueti, vbi erat hortus, vt scribit Ioannes; & ibi postea Ecclesia est ædificata. Ibi, ex Hieronymo, *laborum refectio, doloris solatium, & veri luminis notitia est*. Non desunt plures hoc ex loco Sanctorum Patrum meditationes. Ad literam eò perrexit de more. Sic ex Ioannis c. 18. *sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*. Chrysostomus hom. 82. in Ioannem; *in horto tanquam in carcere commoratur*. Planè *oblatus est, quia ipse voluit*; Isaiæ 53. Veruntamen, *Gethsemani*, secundùm Hieronymum *interpretatur vallis pinguedinis*: Oliuæ etiam propria est pinguedo; Iudicum 9. respondit Oliua; *nunquid possum deserere pinguedinem meam?* & Rom. 11. *socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es*. Pinguedo oliuæ est abundantia gratiæ Spiritus-Sancti; A ps. 62. *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Recole Ioannis 1. *de plenitudine eius omnes accepimus: nam, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. & psal. 4. *à fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt*. Porro liceat de Christo dicere ad locum pinguedinis properasse; quoniam ex Tertulliano, ni fallor; *flagellabatur, cruentabatur, crucifigebatur; impinguabatur*. Vnde & ad illud Thren. 3. *dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs*, ex Sancto Paschasio lib. 3. in Threnos; *ostenditur auiditas desideriorum; quoniam omnis satietas ex auiditate sumendi nascitur*. Quòd si de Sancta Agnete Ambrosius; *non sic ad thalamum properaret nupta, vt ad supplicij locum, læta successu, gradu festina, virgo processit*; quidnam de Saluatore dicendum, qui psalm. 18. *exultauit vt gigas ad currendam viam?*

X hic & 3. p. q. 83. 4. in corp.

A Rom. 11. l. 3. & hic.

VERS. XXXI. *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.*

42. Hieronymus; *prædicit quidem quod passuri sunt, vt cùm passi fuerint, non desperent salutem; sed agentes pœnitentiam liberentur*. Suggerere poterat eis spem vel locus oliuarum. Per oleum B misericordia significatur: sicut enim supernatat alijs liquoribus, sic misericordia; psalm. 144. *miserationes eius super omnia opera eius*. Ideo de Samaritano Lucæ 10. *infudit vinum & oleum*. Oleum etiam sanatiuum est; Isaiæ 1. *non est plaga tumens circumligata, neque fota oleo*. Ideo crediderim; *tunc dicit illis Iesus, omnes vos scandalum patiemini*; neque enim opportuniùs potuit eis prænunciari lapsus, quàm cum diuinæ suæ clementiæ typum præferebat mons ipse oliueti. Dicito etiam illuc perrexisse, vt figuram impleret, iuxta quam, Dauid 2. Regum 15. declinans, Vrbe fugit perduellem Absalom, *ascendens cliuum oliuarum*: & priùs *transgrediebatur torrentem Cedron*; quod & ait Ioannes c. 18. de Christo; *egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*: quamuis Villa Gethsemani in pede Montis oliuarum sita esset. Animaduertit autem Tirinus, fugam Dauid non à timore, sed à solerti prudentissimi Ducis ingenio fuisse; præsertim, quia nolebat optimus Princeps Ciuitatem regiam sui causa, quidquam aduersi ab infesto hoste pati. Non absimiliter loquitur Theophylactus de Christo; *si enim accessissent, cùm in Ciuitate manebat, fortè fuisset multitudo populi conturbata*, &c. Cæterum dicente Domino Lucæ 7. *& beatus est, quicunque non fuerit scandalizatus in me*; magnum quid in discipulis videtur permissum, vt omnes scandalizarentur. Nunquid cœcos obstinatosque Iudæos æquarunt? de quibus 1. Cor. 1. *Iudæis quidem scandalum*: Absit. Scandalum hoc fuit timoris, non verò incredulitatis. Quod quidem Dominus mox qualificat; quatenus timore correpti, *relicto eo fugerunt*. Inquit enim ex Propheta; *percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis*. Ad hæc Hieronymus; *omnes quidem cadunt, sed non omnes iacent. Carnale est cadere*;

B D. Th. hic & Io. 8. l. 1.

cadere; sed diabolicum est, iacere. Hinc Leo Papa in Serm. 8. de passione, *fuerit*, inquit, *tunc discipulorum excusabilis pauor; nec in diffidentiæ culpam, apostolicus mæror inciderit: quando concurrentibus ad vnum scelus Iudæis, Iudæorumque Principibus; superbus taurorū pinguium tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiebat: quando sub oculis omnium Pastoris iusti sanguinem, frementium bestiarum rabies expetebat.* Mirè autem voce Domini, dum culpantur discipuli de futuro scandalo, fore eis indulgendum innuitur; non enim apud Matthæum, qui primus scripsit Euangelium dicit, *scandalizabimini*, (licèt ita excurrerit Marcus) sed *scandalum patiemini*. Pati propriè loquendo (doctrina est Angelici C ad aliud) dicitur secundum contrarietatem agentis ad patiens; prout scilicet pati dicimur, cum aliquid nobis aduenit, quod est contrarium naturæ vel voluntatis; & secundum hoc, infirmitas & tristitia passiones dicuntur. Aqua patitur ab igne quando calefit. Sic ergo dicamus, pertractos velut fuisse discipulos in fugam reluctante anima. Vnde ægrè se passos timorem indicarunt in Petro ipsorum Principe cæteri; quandoquidem *Petrus sequebatur eum à longe vsque in atrium Principis Sacerdotum*; &c. Et ideo ex Theophylacto, *quos discipulos dicit quasi innocentes, & quasi absque malitia.* Aliàs aliæ subeunt causæ permissionis metus fugæ & scandali huiusmodi discipulorum. In primis vt innotescat, quantum christianorum fortitudo à Domino pendeat; siquidem eo qualitercunque abeunte, nutant columnæ; nondum scilicet Spiritus-Sancti gratia confirmatæ, de quibus in psalm. 74. *ego confirmaui columnas eius.* Quod de Apostolis D exponitur ex glossa. Si adsit Dominus, psalm. 22. *si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es Domine.* Dicendum etiam tunc vltimò, scilicet passionis tempore, instar extinguendæ lucernæ extremas sed supremas vires suas conatusque fecisse timorem; deinde fidelium è cordibus exsufflandum. Vnde ait Chrysostomus in homil. *In quo etiam docet nos, quales ante Crucem fuerunt discipuli, & quales post Crucem. Etenim qui neque cum Christo dum crucifigebatur, stare poterant, post mortem Christi adamante fuerunt fortiores.* Dicit quidem Apostolus Hebr. 2. *vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Vbi Angelicus; E liberauit nos à timore mortis, primò ostendendo futuram immortalitatem; & ex hoc homo paruipendit mortem temporalem. Secundò prægustando voluntariè mortem: ex quo, promptiores efficimur ad subeundam mortem pro Christo; 1. Petri 3. *Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum*; &c. Tertio aperiendo aditum ad gloriam: qui ante mortem suam non patebat. Et ex hoc non solùm non timemus mortem; Matthæi 10. *nolite timere eos, qui occidunt corpus*; sed desideramus eam. Et inde est quòd ante mortem Christi dicebat ille Eccles. 41. *ò mors, quàm amara est memoria tua!* sed post mortem Christi clamat Apostolus Philipp. 1. *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Licèt enim (doctrina est Angelici F) mors, secundum voluntatem naturalem & motum sensualitatis sit in horrore; tamen voluntate deliberata non sit ... & quoniam altissima sunt Christi verba, non fuerit dissonum, quæ hucusque diximus, indicari, in eo quod ait, *scandalum patiemini in ista nocte.* Sed iam Rom. 13. *nox præcessit.* Non ergo scandalum passuri erant completa ea mysticè nocte, postquam dies illuxisset; siquidem, (quod habet Angelicus G) tempus præcedens Christi incarnationem comparatur nocti; quia nondum erat manifestata: tempus autem ab incarnatione Christi comparatur diei, propter præsentiam spiritualis Solis in Mundo: de quo dicitur Malachiæ vltimo; *vobis timentibus nomen meum, orietur Sol iustitiæ.* Vnde & ipse Dominus dicit Ioann. 9. *me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est*; Et postea subdit; *quamdiu in Mundo sum, lux sum Mundi.* Tu vide lector, quàm profunde possit accipi, quod ait; *in ista nocte*: iam enim imminebat *hora, qua transiret de hoc Mundo ad Patrem*; Ioann. 13. Transacta ergo nocte vmbrarum figuralium; Hebr. 10. *vmbram habens lex futurorum bonorum*; transacta nocte mortis Christi, quando vt allegoricè præcinit Amos c. 8. *occidit Sol in meridie*, cum *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* At postquam resurrexit à mortuis Marci 16. *veniunt ad monumentum orto iam Sole*; postquam *super occasum Dominus ascendit*; vt dicitur in psal. 67. quia vt ait Gregorius hom. 17. in Euangel. *vnde in passione occubuit, inde maiorem suam gloriam resurgendo manifestauit; & mortem quam pertulit, resurgendo calcauit*, qui prius timuissent, repleti instar protomartyris Stephani fortitudine, morti obuiauerunt. *Nisi antea discipuli metuebant*, vt expendit Augustinus tract. 67. in Ioann. *vnde audire metuerunt*, Ioan. 14. *non turbetur cor vestrum: quis enim eorum non metueret, cum Petro dictum esset fidentiori atque promptiori; non cantabit gallus, donec ter me neges?* Sed postea vt ait Cyprianus, *præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit: & qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.*

C quodl. 2. a. 13.

D de verit. q. 2 a. 9. & a. 1 Gal. l. 2. & 3. & Ephes. Prol.

E Hebr. 2. lect. 4.

F 3. p. 21. 4.

G Rom. 13. l. 3.

VERSV eodem XXXI. *Scriptum est enim; percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis.*

Discipulorum fugam prædici à Domino, minimè 43.
miror; quandoquidem teste Ioanne c. 18. *sciens omnia quæ ventura erant super eum*: sed quod difficile apparet, est huiusmodi discipulorum scandalum & prophetice Zachariæ 13. prænunciari; cum non tamen necesse esset ad mysterium redemptionis id prænosse. Itemque non ita in promptu videtur esse ratio, cur Dominus discipulis tam tristia nunciauerit; quando præsertim de lapsu quamuis consciis, vel timendo, minimè inde fortiores effecti sunt; siquidem *relicto eo omnes fugerunt.* Hinc illud Augustini; *si sciebam non tibi prodesse; non te monerem, non te terrerem.* Quo sum ergo allegat Dominus Zachariæ vaticinium, ex quo potius possent, de tali vitando scandalo, quod esset in Scripturis præmonitum, desperare?

Non video qui hæc accuratè examinent, sed prætereant. Ideo res fuerit in re hactenus indiscussa sic 44.
pronunciare. Plane quoties se offert occasio edificandæ ecclesiæ suæ, huic initium, siuè procursum, siuè etiam consummationem, non omittit Dominus. Quare cum passio sua esset imminens & in ianuis: profecto Sanctæ Ecclesiæ parens, *quam nimirum* (Act. 20.) *acquisiuit sanguine suo*, voluit nascentis eiusdem Ecclesiæ circumstantias, scitu admodum dignas nedum Zachariæ ab ore, sed & viuæ vocis oraculo aperire. Futurum autem fuit, vt ad Christi mortem scandalizati corruerent Iudæi; 1. Cor. 1. *nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum.* Et ideo ne perturbarentur credentes, congruè præinnotuit; nempe typo quodam & imagine in discipulorum, qui ex Iudæis erant, meticulosa derelictione. Nisi enim ad incredulorum Iudæorum scandalum respexisset, non eam vsurpasset vocem scandali, sed potius fugæ aut elongationis; quemadmodum in Officio, *vos fugam capietis; & ego vadam immolari pro vobis*; & in psal. 87. *elongasti à me amicum & proximum; & notos meos à miseria.* Secundum quod hic legimus; *discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quamuis enim alloquatur

tur discipulos; *omnes vos scandalum patiemini*; in ipsis tamen ceu Iudæorum de Gente, Iudæos fide transfugas carpit. Et benè *in ista nocte*; quia nox illa incredulitati Iudæorum prælusit. Dicit sanè Hieronymus lib. 1. Comm. in cap. 2. Matthæi; *quando tulit puerum & Matrem eius, vt in Ægyptum transeat, nocte tulit, & in tenebris; quia noctem ignorantiæ, his à quibus ipse recessit, reliquit incredulis. Quando verò reuertitur in Iudæam, nec nox nec tenebræ in Euangelio ponuntur; quia in fine Mundi Iudæi fidem tanquam Christum ab Ægypto reuertentem suscipientes illuminabuntur.* Et vide lector quomodo cordi fuerit Christo Domino isthæc Iudæorum defectio: nam infra c. 27. legimus, exclamasse; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* sed hoc factum est, postquam blasphemassent eum & illusissent; & *tenebræ factæ sunt super*
H D. Th. *vniuersam terram*; ac si diceret; H quare voluisti,
hic c. 27. vt passioni traderer? & illi obtenebrarentur. Vnde & ad hanc innuendam vniuersam fermè tunc eorum cæcitatem, hic ait; *omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*: de quo scandalo Isaiæ 8. legimus, *in lapidem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem: & offendent ex eis plurimi & cadent.* Et si libet, dicas signanter apponi à Domino ly *vos*; *omnes vos scandalum patiemini*: quasi sit sensus; *omnes vos*, quà Iudæi seu Iudæorum cognati; quorum personas geritis vel ex genere. Aliàs etiam ly *vos* studiosè adiectum est; vt infra cap. 28. *nolite timere vos*; secus redundare videtur. Vnde alibi abstinetur ab eo pronomine; & speciatim Marcus c. 14. id supprimit dicens, *omnes scandalizabimini in me*; vt indicaret apud Matthæum extare alto intellectu. Quod quidem verborum Christi arcanum vel nescij discipuli prodiderunt dicentes, cum Petro; *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo: nam similiter & omnes discipuli dixerunt*, Quomodo enim & Christi Domini prædicationi, & Zachariæ allegato vaticinio potuissent refragari? sed quod præcipuè in eo intenditur, de lapsu scilicet Iudaicæ gentis minimè detrectantes, sui ipsorum constantiam audacter diuino instinctu, adhuc præsentia Domini confortati profitebantur. At elanguit animi robur *eo relicto*, quando vnusquisque ipsorum indiuisus à Domino dicere potuisset cum Psalte, ps. 22. *si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es Domine.* Dicit autem Zacharias, *& dispergentur oues gregis*, non exprimit à quo, vel à quibus essent dispergendi. Cæterum Ieremias hoc aperit cap. 23. *væ Pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.* Et adhuc cap. 50. *grex perditus factus est populus meus; Pastores eorum seduxerunt eos.* Infra Matthæi 27. *Principes Sacerdotum & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent.* Sanctus Beda lib. 4. cap. 48. in cap. 11. Lucæ: *turbis quippe quæ minus eruditæ videbantur, Domini semper facta mirantibus, Pharisæi calumniabantur & Scribæ; & vel negare, vel quæ negare nequiuerant, sinistra interpretatione peruertere laborabant.* Oues autem quadam antiqua prærogatiua appellabantur Iudæi secundùm illud psalmi; *nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*, de his ergo; *& dispergentur oues gregis.*

VERS. XXXII. *Postquam autem resurrexerò, præcedam vos in Galilæam.*

45. Non apparet contextus ratio in literæ superficie, nisi quatenus eos consolatur de mortis suæ tristitia, adiecto de sua cita resurrectione; sic vt eos abeuntes in Galilæam sit præcessurus. Chrysostomus hic apud Angelicum considerat, non primò apparuisse discipulis in Galilæa, sed immò in Ierusalem. Obseruat Tirinus, non negari alibi priùs appariturum; nam antea in Iudæa, aliquoties apparuit; sed in Iudæa decreuerat sæpiùs & pluribus, & diuturniùs & familiariùs. Tu lector vide Lucæ 24. v. 34. & 36. itemque Ioann. 20. v. 19. Nihilominus, vt Matthæus c. 28. refert; *vndecim discipuli abierunt in Galilæam; in montem vbi constituerat illis Iesus; & videntes eum adorauerunt.* Etiam dixerat mulieribus rediuiuus; *nunciate fratribus meis; vt eant in Galilæam; ibi me videbunt.* Porro quàm consectariè hic præoccupet dicens, *præcedam vos in Galilæam*, Syntaxis pandet.

VERS. XXXIII. *Et si omnes scandalizati fuerint in te; ego nunquam scandalizabor.*

Audax deprehenditur primò in limine Petri responsio, fortè præsumptionis culpanda, vel saltem minus circumspectè prolata. Ex quo secundum Remigium permisit Deus casum eius, vt timeamus de carnis fragilitate. Nihilominus ex Chrysostomo; quia Petrus erutus erat ab anxietate, quam de proditione habuerat, confidit de reliquo. Hinc & Hieronymus; *non tamen est temeritas, nec mendacium; sed fides est Apostoli Petri, & ardens affectus erga Dominum Saluatorem.* Verùm mihi videtur potius raptum fuisse Petrum quodam mentis excessu; & aliò collimasse ipsius pronunciatum, vt in Syntaxi patefiet. Vnde nec omnino increpatur à Domino, quasi in vniuersùm oblocutus fuerit; sed solùm quòd superbiam sapit retunditur; *quia*, inquit, *in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* 46.

VERS. XXXIV. *Amen dico tibi, quia in hac nocte*; &c.

Potest hìc quæstio suboriri literalis, si vis fiat in superficie sententiæ Domini apud tres Euangelistas, excepto Marco; siquidem ferunt, *antequam Gallus cantet*, nedum fuisse Petrum negaturum; sed *ter*: vnde videretur discrepare Marcus ab ipsis: quippe qui narrat post primam negationem cantasse Gallum: quomodo ergo stat, ter negaturum fuisse antequam Gallus cantaret; cùm nonnisi semel negasset ante Galli cantum? Sed planior est intelligentia, vt sit trium Euangelistarum sensus; quo præ notatum tempus; (scilicet *ante Galli cantum*) referatur vtique ad negationem, quam secutum est, sed non ad numerum negationum, quem trinum cantus Galli præcessit (quod claret in Marco) & etiam secutus est, vt constat in eodem dicente, post tertiam negationem, & *statim Gallus iterum cantauit.* Itaque *antequam Gallus cantet, ter me negabis*; hoc est *negabis*; & negatio protendetur ad numerum ternarium; interiecto, si de completis negationibus fiat sermo, semel Galli cantu; & subsecuto post tertiam. Qua de causa in explicationem distinxit Marcus; *priusquam Gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* 47.

Sed est quod accuratiùs sancta curiositas disquirat; nimirum, quare retulerit solus Marcus sub tali diuisione futurum Galli cantum; non verò sicut cæteri Euangelistæ summariè *antequam Gallus cantet*? vel cur non & alij bis cantaturum Gallum adnotarunt? Vbi enim stylus Spiritus-Sancti ductu facta recenset, nec iota vacat mysterio. Et præsertim quia Diuus Augustinus Marcum vocat *breuiatorem* Matthæi, quòd multa breuiùs quàm Matthæus enarret. At hac in re largior est Marcus Matthæo & alijs, vt clarè patet. Beda id expendens ait; *de hoc Galli cantu cæteri Euangelistæ tacent, non tamen factum negant; sicut & multa alia alij silentio prætereunt, quæ alij narrant.* Sed cur, Deus bone? 48.

Vt huic difficultati insolitæ profectò, fiat satis; prælibandum est Rhetoribus vulgarem esse figuram, quæ anadiplosis vocatur, hoc est duplicatio, siue eiusdem verbi continuata repetitio: & similiter iteratio- 49.

rationem, siue palilogiam, qua id quod significatur, vehementius exprimitur; vt si dicamus, *ferrum, ferrum*; sicuti anadiplosi profanus cecinit, *ô Corydon, Corydon*. Quocirca & fatuæ Virgines supra c. 25. exclamarunt, *Domine Domine aperi nobis*: vbi
I Matth. 25. Angelicus, I per hoc quod geminant, significatur ex angustia petere. Et infra; ibi *Deus meus, Deus*
I hic cap. 27. *meus, vt quid dereliquisti me?* L ingeminat, vt magnitudinem affectus humani designet. Congruè igitur dicito, bis vocem dedisse Gallum ad increpationis vehementiam: quandoquidem per Gallum ex
M D. Th. hic in calce. Hieronymo Gregorio & Angelico M Prædicator significatur, qui peccatores excitat ad pœnitentiam: & de hoc intelligitur quod ait Dominus Iob 38. *quis dedit Gallo intelligentiam?* Dicamus peccatum soporem esse lethalem: 1. Cor. 15. *euigilate iusti, & nolite peccare*; & Ephes. 5. *surge, qui dormis: & exurge à mortuis*. Quàm profundo ergo somno teneretur Petrus, indicauit nedum noctis tempus, quod secundùm Chrysostomum fuit intempestum, sed etiam Galli cantus; scribunt siquidem, qualiter Gallus profundioribus horis noctis valentiores ac productiores cantus reddere solet. Gallus mortales excitat. Vnde excubiarum, inter alias noctis vigilias, est gallicinium. Marci 13. *vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus domus veniat: an serò, an media nocte, an Galli cantu, an mane*. Pythagoræ etiam *gallicinium*, prouerbio dicitur. Elongatur quoque & eruitur peccator, cùm pœnitet, ab abysso tenebrarum: ideo quo esset in salubre documentum, post medium noctis, qua obrutus erat Petrus, iam vergente ad nos Sole, expergiscitur; vt discant qui peccant, se illuminandos à vero Sole iustitiæ; Ephes. 5. *surge qui dormis, & illuminabit te Christus*. Hoc admonet Galli cantus; quod est, vt inquiunt, animal solare, canens vtique pluries; sed fixè mediam post noctem, quòd sentiat conuersionem Solis, ad nostrum emisphærium properantis: sic radius de Cœlo affulgens vnà mentem illustrat, & corda inflammat. Quæ duo donata sunt Petro, quando prius frigescentem, quique obriguerat; *conuersus Dominus* (instar Solis scandentis) *respexit Petrum*.

50. His præhabitis, vt obuiemus quæsito, operæ pretium est adhuc exaggerari hocce factum. Galli cantus, quo à peccati sopore excussus est Petrus, aut naturaliter editus perhibetur; aut speciali Dei nutu excitatus, saltemque ad mysticam significationem diuinitus elatus: si sistimus intra naturæ Animantis illius cancellos: quemadmodum cum primò cantauit, minimè motus est Petrus; ita neque secunda vice potuit ad fletum moueri; immo neque si centies cantasset: si comes fuit impulsus diuinus, cur ad primam vocem non pœnitet? Certè quamuis naturæ instinctu Gallus cantauerit; (quandoquidem vbi non adsit necessitas, gratis miracula quærimus) extulit Dominus, quod naturæ erat, ad ordinem gratiæ: propterea, vt dictum est per Gallum Prædicator significatur: & adstipulatur verbum *cantandi*. Quocirca super illud Apocalypsis; *præparauerunt se,*
M Apoc. 8. comm. 2. *vt tuba canerent*; Angelicus, M rectè, inquit, loquitur; quia etsi prædicatio quandoque terrere debeat, tamen etiam debet allicere ad amorem. Quantùm ad incussionem timoris, officium prædicandi, siue prædicatio dicitur tuba; quantùm ad secundum, vocatur cantus; Ioel. 2. *canite tuba in Sion*. Fauet etiam Animalis symbolum ad innuendam diuini impulsus in prædicatore motionem. Hinc in Apocaly-
N Opusc. 20. lib. 2. c. 16. psi cœlestes spiritus N per Animalia etiam significantur; quia potius aguntur quàm agant: ex vehementi irradiatione diuina. Adde, Angelos dici vigiles Danielis 4. *& ecce Vigil & sanctus de Cœlo descendit*. Gallus autem præ alijs, qui homines expergefacit, vigil est.

Ex hac doctrina occurri posset dicendo, idcircò Dominum *bis* cantaturum Gallum prædixisse, vt vehementiam notaret prædicationis, de qua supra. 51.
Cæterùm non adhuc illucescit, cur hoc potiùs Marcus quàm alij Euangelistæ debuerint expendere. Vnde ne ieiuni abeamus dum esurimus; (siquidem solus scit Deus an labor noster sit Marci expositionem completurus) quod ibi enucleandum esset, præoccupemus. Igitur quia Marci scopus est, virium animæ, passionumque nostrarum effrænem licentiam, difficilemque cohibitionem earum, ne exorbitent & excandescant, epingere; vt emicet in natura corrupta Christianæ gratiæ necessitas & vbertas; ex qua nedum renouemur spiritu, sed carnis quoque affectibus temperemur: ideo enarrato cum alijs Euangelistis negationum cursu, in quas lapsus est Petrus timore victus; quæ valeret, quæque non valeret medela, mirè voluit tangere. Neque enim prædicatio quæuis, quod vellet obtinet. Benè in homilia Pentecostes Gregorius; *nisi corda auditorum Spiritus-Sanctus repleat, ad aures corporis vox docentium in cassum sonat*. Et Augustinus in lib. de corrept. & gratia cap. 6. fructuosam astruit correptionem, *si qui corripitur, filius est promissionis, vt strepitu correptionis forinsecus intonante aut flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle*. Quàm ergo sublimi eloquio, Marci 14. *priusquam Gallus bis vocem dederit*! & in calce recolitur, *prius quam Gallus cantet bis*! dat vocem Prædicator; sed geminatur ea vox voce spiritus: de qua Ioannis 6. *omnis, qui audiuit à Patre & didicit venit ad me*. Exterior ergo vox vix prodest; nisi interius vox Domini ad aures cordis pulset. Vocatio quippe hominis, vt adnotat Angelicus, O duplex O Rom. 8. l. 6.
est: vna exterior, quæ fit ore Prædicatoris; alia interior, quæ nihil aliud est, quàm quidam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo, ad assentiendum ijs quæ sunt fidei, vel virtutis. Et hac vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se ad Deum conuerteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret. Ioann. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum*. Quemadmodum autem exterior est Dei vocatio, & interior, ita quicquid ex lege veteri erat, exterius fuit; quod verò ex lege gratiæ interius est. Huc mirè facit illud Ephes. 2. vbi legem veterem, vocat *legem mandatorum*. Quocirca Angelicus; P sicuti baptismus Ioannis dicitur P Ephes. 2. l. 5. & 1. p. 38. a. 3.
baptismus aquæ, quia tantum exterius mundabat; ita & lex vetus dicitur lex factorum, seu mandatorum, quia præcipiebat tantùm quid facere deberent, sed non conferebat gratiam, per quam ad legem implendam iuuarentur. Lex verò noua dirigit in agendis præcipiendo, & iuuat ad implendum, gratiam conferendo. Sic Sacramenta veteris legis Q nullam habebant in se virtutem ad conferendam gratiam iustificantem, sed solum significabant fidem, Q 3. p. 62. 6.
per quam iustificabantur. Hinc recolo ab Apostolo Roman. 8. legem nouam dici *legem spiritus vitæ*, quæ nos *liberauit à lege peccati & mortis*. Et Ezechielis 20. è contra de lege veteri; *dedi eis præcepta non bona, & iuditia, in quibus non viuent*: idest, per quæ R vitam gratiæ obtinere non possunt. Neque enim gratiam lex conferebat. Et ideo Apostolus Sacramenta veteris legis ad Galat. 4. vocat *infirma & egena elementa*: *infirma*, quidem, quia non poterant à peccato mundare; S *egena*, quia non continebant in se gratiam, vt pluries exponit Diuus Thomas: Hebræor. 9. *munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus & varijs baptismatibus & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*: & cap. 10. *impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*; & Roman. R p. 2. 98. a. 1. ad 2. & 2. S p. 2. q. 103. a. 5. p. 61. a. 2. & q. 62. a. 6 atque Opusc. 56.

T p. 2. 98. a. 4. Roman. 8. *nam quod impossibile erat legi*; &c. Quamuis quia lex vetus T non sufficiebat ad saluandum homines, aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod saluari poterant; scilicet fides mediatoris, per quam iustificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos iustificamur. Et ita Sancti Patres V non insistebant Sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus & vmbris futurorum. Et ideo seruando legalia Sacramenta ferebantur in Christum per fidem & dilectionem eandem, qua & nos in ipsum ferimur: & pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quos nos pertinemus. Nihil enim prohibet, X id, quod est posterius tempore, antequam sit, mouere secundum quod præcedit in actu animæ: sicut finis, qui est posterior tempore, mouet agentem, secundum quod est apprehensus & desideratus ab illo. Vnde per fidem iustificabantur antiqui Patres, sicut & nos: quatenus Sacramenta veteris legis erant quædam fidei protestationes, significando passionem Christi & effectus eius. Sed non habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest iustificare etiam secundum vsum Sacramentalium rerum, tanquam causa efficiens. Et his adnecte legem nouam A dici principaliter gratiam Spiritus-Sancti; quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum: Ioannis 7. *nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Habet autem lex noua B quædam dispositiua ad gratiam Spiritus-Sancti, & ad vsum huius gratiæ pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in lege noua, de quibus oportet instrui fideles Christi & verbis, & scriptis, tam circa credenda, quàm circa agenda. Dispositiua quantùm ad intellectum sunt, quæ pertinent ad manifestandam Diuinitatem vel humanitatem Christi: & secundùm affectum, quæ pertinent ad contemptum Mundi, per quem homo fit capax Spiritus-Sancti gratiæ: Mundus enim, idest amatores Mundi non potest capere Spiritum-Sanctum, vt habetur Ioann. 14. Vsus verò spiritualis gratiæ est in operibus virtutum, ad quæ multipliciter Scriptura noui Testamenti homines exhortatur.

V 3. p. 8. a. 3. 3.

X 3. p. 61. 6 in corp. & ad 1.

A p. 2. 106. 3.

B p. 2. 106. a. 1.

52. Vno verbo, *lex per Moysen data est*; (Ioannis 1.) *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Ex duplici ergo Galli cantu colligitur, primam sub lege prædicationem minimè valuisse lapsos ad gratiam reuocare: benè verò iteratum cantum sub noua lege, id præstitisse. Et huc arridet illud Gregorij hom. 19. in Euang. *prius per Patres, & postmodum per legis Doctores & Prophetas; ad extremum per Apostolos plebis suæ mores excoluit*. Quo fortè spectat mirabile Moysi factum, cum percussit petram. Legitur enim Numeri 20. *Cumque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ*: de quo, & psal. 77. *quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ*. Ad primam percussionem non scaturiunt; benè verò ad secundam. Quid est hoc? Seuerianus Episcopus Gabalorum, in Crucem Oratione 4. Et fertur à Diuo Damasceno in Oratione 3. aduersus Imaginum oppugnatores: *percussit Moyses Petram semel, atque iterum. Cur autem semel atque iterum? si Dei virtuti paret, quid est opus secunda percussione? sin percutit sine Dei virtute; nec secunda, nec decima, nec centesima percussio rei sterili fœcundam afferre naturam queat?* Hoc ipsum possumus exaggerare de Petro, cuius aures pulsauit bis Galli cantus. Lepidè occurrit Sanctus ille Pater, dicendo. *Si igitur planè est opus Dei, nec Crucis mysterium continet, satis est vnicus ictus, satis est nutus, satis est verbum. Verùm, vt Crucis imaginem designet, id agit. Percussit & semel & bis, non eodem modo, sed ita vt Crucis formam describeret; vt natura etiam inanimis, Crucis notam veneraretur*. At quid prohibet dicamus Moysen qui typus est legis veteris, minimè assequi potuisse vi legis, excutere de cordibus hominum lapideis aquas lachrymarum; (Ezechielis 11. & 36. *auferam cor lapideum de carne vestra*) probe autem extundisse, vi pulsationis figuratæ; nam Christi tempora sub lege amoris habuisse præ oculis Moysen, vel ex eo claret, quod dicitur Hebræor. 11. *maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*.

53. Sed hactenus non elucet qua ex causa, debuerit id Marcus præ alijs. Quod quidem reconditissimum est, nisi desuper affulgeat diuina irradiatio: præsertim, quia videretur potiùs ad Lucam pertinuisse; quippe qui legis veteris cessationem, seu potius translationem habuit pro scopo. Igitur altiori deducendo ex principio, dicamus cum Apostolo Ephes. 2. *eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*. Vbi C insinuat peccatum originis. Quod quidem peccatum ex primo Parente in omnes transfunditur. Vnde nedum, quia nondum erat status gratiæ; sed etiam ex virtute legis, non tollebatur originale peccatum; propterea primus Galli cantus, hoc est antiqua prædicatio cor hominis non aperiebat. Hinc docemur, in statu naturæ corruptæ D indiguisse & indigere hominem gratia sanante. Veruntamen quoniam regenerationem per gratiam Matthæus versat, instabit quis meritò rogans, cur non potiùs Matthæus, qui de originali etiam subinde tractat, vt vidimus c. 8. cur, inquam, ipse iteratum Galli cantum non memorarit? quod fecit Marcus. Est in promptu responsio qua fiat satis: animaduertendo nimirum ex doctrina Angelici, E in originali peccato considerari & materiale & formale. Formale ipsius est originalis iustitiæ carentia; sic tamen, vt non sit pura priuatio, sed habeat rationem inordinatæ dispositionis totius animæ, sitque languor naturæ: materiale autem eiusdem originalis peccati est concupiscentia: quatenus inordinatio virium animæ præcipuè in hoc attenditur, quòd conuertuntur ad bonum commutabile: & hæc inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Dico autem concupiscentiam habitualem, pronitatem ad concupiscendum, ex hoc F quòd vis concupiscibilis non perfectè subditur rationi; sublato fræno originalis iustitiæ. Vnde corruptio concupiscibilis & irascibilis materialiter se habent in tali peccato. Nunc vlteriùs pergo & aio; peccatum originale, (quod vt diximus vacuos & inanes reddebat primos legis cantus, hoc est ex lege & sub lege prædicationem) secundùm id quod formale in eo agnoscitur, veluti occultum est; innotescit autem quasi ad sensum, per suum materiale, nimirum ex concupiscentia. Quare cum Marcus pro scopo habeat, edisserere quicquid materiale eiusdem peccati est, aliaque consecuta, & illorum omnium euangelizare à Christo medelam; ideo bis ex ore Domini cantaturum prodidit Gallum: vt frustrato primo cantu, sciretur vnde hoc accideret: nimirum nedum ex impotentia legis, sed simul ex inordinatione animæ, quæ in minus rectam erumpit concupiscentiam. Et sic quidem ex inordinata concupiscentia lapsus est Petrus, nec ad primum cantum surrexit. Descripsit itaque Marcus, non Matthæus aut alij, cassam primam Galli vocem; quia cassa euasit ob originalis culpæ infectionem; quæ in materiali suo deprehenditur: quod ad ideam eiusdem Marci pertinuit. Quia sic disposuit is, qui *singulis sua dona diuidit* (1. Cor. 12.) *prout vult*. Bases discursus nostri sint quæ duo tradit Apostolus Rom. 7. *cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabãtur in membris nostris*; & deinde *video aliam legem in membris meis*,

C Ephes. 2. 1. 1.

D p. 2. 109. 2. & 1.

E p. 2. 82. 2. 1.

F de malo q. 4. a. 2. ad 4. & 12.

meis, repugnantem legi mentis meæ: & cap.8. *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem.*

G Rom. 7. l.3. Caro autem G his in locis intelligitur simul cum appetitu sensitiuo, siue cum viribus sensitiuis. Quæ quidem, vt aliàs docemur, exorbitant vi fomitis: eo

H 3. p. 27.3. quòd fomes H nihil aliud est quàm inordinata concupiscentia sensibilis appetitus: habitualis tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis inordinata, in quantum repugnat rationi: quod fit in quantum inclinat ad malum, & difficultatem facit in bono. Hinc ad Gal. 5. *caro concupiscit aduersùm spiritum*. Dicamus ergo hanc pugnam passum Petrum hosti cessisse, vel timore mortis correptum, vel vitæ amore abductum. At repetitis per Gallum monitis, iuxta quod ait Augustinus Tract. 51. in Ioann. *si cupis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo; sine, noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita*, vt ait sacer textus, *recordatus verbi Iesu, egressus foras fleuit amarè*. In confirmationem autem dictorum audiamus Bedam mirificè: *per primam ancillam quæ Petrum negare coegit, designatur cupiditas*,

54. Emergit porrò quærendum humiliter, quare permiserit Dominus Petrum potiùs quàm alium quemcunque discipulum cadere? Quanquam enim alta sit Chrysostomi responsio: *nos erudire volentes Euangelistæ, quantùm malum sit, non Deo totum concedere, sed in semetipso confidere, concorditer negationem Petri scripserunt*: & Augustini: *ecce Medici completa est prædictio; ægroti conuicta præsumptio*: adhuc est quod miremur, cur ipse præ alijs præsumere sit permissus? Magisque vrgeri potest si indulgeat ipsius excusatio: quoniam Hieronymus; *non tamen est temeritas vel mendacium; (ego nunquam scandalizabor) sed fides est Apostoli Petri, & ardens affectus erga Dominum Saluatorem*: nam, quod ait & Remigius, *denegat amando, quod ille* (Dominus) *dicit præuidendo*. Cur ergo iterum, sic labi permissus est Petrus, qui plusquam alij Dominum secutus est amanter vsque in atrium? Angelici extat solutio

I Ioa. 21. l.3. I vt permissio fuerit lucro humilitatis; Vnde ait ad illud *Simon Ioannis diligis me plùs his? tu scis quia amo te*: modò de proprijs viribus victus, non audet confiteri suum amorem, nisi sub testimonio & protestatione Domini, humilians se Christo: & ideo Petro sic humiliato fit finalis commissio Ecclesiæ. Verùm quoniam poterat Petrus Dei dono ingentis humilitatis virtutem assequi, quanquam non caderet; iuuat rem accuratiùs examinare. Quare perpendendum omnino est, passionis Dominicæ tempore, excolendos fuisse fideles de fructu illius: qui quidem inter alios fuit, Ecclesiam sibi promereri Sponsam, quam vt legimus Actor.20. *acquisiuit sanguine suo*. Vnde Sephora, vt vidimus Exodi 4. pro Ecclesia Gentium dixit Moysi, qui fuit populi liberator, gessitque Christi figuram, *sponsus sanguinum mihi es*. Hæc autem vxor Moysi, vt exprimitur Numeri 12. dicta est Æthiopissa. Beatus Theodoretus in Exodum, quærens, *quamobrem vxorem alienigenam* Moyses duxit: respondet: *typus erat Christi Domini, qui Ecclesiam Gentium appellauit Sponsam suam*.

L Cant. 1. Et Angelicus L illud *nigra sum sicut tabernacula Cedar*, adaptat Ecclesiæ: & Gregorius Nyssenus, ibi Lucæ 11. *Regina Austri*, habet; *sicut illa Regina erat Æthiopum, & longè distans; sic in principio nigra erat Ecclesia Gentium, & multùm distabat à vera Dei notitia*. O auream verè sententiam! Ecce Petrus, qui ex Chrysostomo vertex erat Collegij Apostolorum, quique Caput futurus erat Ecclesiæ, vt dicitur hic versu 58. *sequebatur Dominum à longè*. Vide mirum contextum Ephes. 2. *vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi*: & sanè Petrus etiam deinde factus est propè; vsq; enim *in atrium Principis Sacerdotum*. Ecce quomodo vel exteriori vocis sono, longè est à Dei notitia, dicens, *non noui hominem*. Quare diuinæ permissionis finis, me iudice, is fuit; vt collapsam Ecclesiam reædificatam à Domino per suam passionem & mortem in Petro innotesceret. Idcirco enim videtur compellari *Petrus* non verò *Simon*; quia hoc nomine præferebatur Caput Ecclesiæ. Status ergo Ecclesiæ miserrimus in quo deiectissimè iacebat Ecclesia, in Petro effigiandus erat: propterea passus est Dominus, sic laberetur: non tamen fide aberrando, sed mortem timendo. In præfatorum confirmationem ait Diuus Gregorius hom.22. in Euang. *quid per Petrum, nisi præsens Ecclesia designatur?* Quocirca illud præ oculis semper habendum est, nusquam defecisse Petrum fide, iuxta illud Lucæ 22. *rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua*, etsi aliàs non fuerit à labe peccati immunis. Vnde saluberrimum trahitur argumentum, vt quanquam Successores in Petri Cathedra quouis vitiorum genere fœdarentur, non ideo concussi fide, aut ab eiusdem excidere puritate: quandoquidem, oratio Domini ne deficeret fides Petri, (non dixit *Simon*, sed *rogaui pro te Petre*, quod est signanter impositum nomen) ad illi sufficiendos in pastorali munere, extensa est. Nam in simili semetipsum expressit Dominus (quod meritò considerandum est) Ioa.17. *non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

Vnum superest disquirendum, an Dominus ter di- 55.
xerit Petro vel semel de futura sui negatione: refertur enim hic cap.26. sicuti Marci 14. item Lucæ 22. & Ioa.13. Respondet Angelicus, M secundùm Augustinum, tribus vicibus à Domino prænunciatum fuisse. M Ioan. 13.l.8. Et sanè vi contextuum videtur euinci: varia enim occasione habitum est colloquium Domini & Petri. Nihilominus, quoniam Matthæus Marcus & Lucas contestantur, quomodo exciderat Petri memoria verbum Domini: & *recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat; priusquam Gallus cantet, ter me negabis*, mirum est, si ter hoc Dominus inculcasset, obliuionem passus fuisset Petrus. Quòd si semel duntaxat futurum hoc protulit Dominus, faciliùs potuit Petrus timore correptus Christi prædictionem obliuisci. Aliàs etiam durum videtur, ter in faciem ei obiectum, *me negabis*; ardoremque Petri acquiescentem, nec verbo indicari; aliosque discipulos non illi iratos fuisse. Præterquam docet Angelicus N Petrum accepisse Domini prænunciationem tanquã comminatoriam, non per certitudinem. N 2. dist. 4. q.1.a.2. 1. Si ter autem dictum ei fuisset, vix poterat comminatoriè capi. Velim ego libentiùs semel dictum *ter me negabis*, vna contextura sermonis: ita vt, quæ multa denarrantur ab Euangelistis, complexè accipiantur: puta indisiunctè dixisse Dominum; *omnes vos scandalum patiemini*; quod aiunt Matthæus & Marcus: item; *Simon Simon; ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum*, vt apud Lucam: denique Simoni Petro; *quò ego vado, non potes me modò sequi*, Ioannis 13. Expleto ergo quoad hæc sermone Domini, subiecisse Petrum vna simul; *etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: (in Matthæo & Marco) *tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*: (in Luca) *quare non possum sequi modo? animam meam pro te ponam*; (in Ioanne.)

At insurget quis, vel saltem bis dictum hoc esse à 56.
Domino, prius scilicet in Cœnaculo vt apud Lucam & Ioannem: deinde postquam exierunt, vt apud Matthæum & Marcum. Ad hoc dicimus, hæsisse Diuum Augustinum, an hæc habita sint in illa domo, vbi manducauerant, vt ex Luca & Ioanne trahi videtur; seu potiùs postquam egressus est Iesus ex eadem domo; vt Matthæus & Marcus indicant. Verùm nullus probari potest Euangelistarum dissensus; quia, vt inquit

Non quit

quit Augustinus, *facilè possumus intelligere, aut illos duos*, (Matthæum & Marcum) *eam* (negationem) *recapitulando posuisse: aut istos*, (Lucam & Ioannem) *præoccupando*. Quare cum detur locus iste congruentissimæ conciliationis; (propendet Angelicus vbi supra, contigisse in Cœnaculo) neque secutos esse Euangelistas omnes historiæ ordinem; (quod inibi etiam & alibi cum Augustino profitetur Angelicus,) quid prohibet credamus partitos sibi fuisse dialogum Domini & Petri; & seorsim denarrasse ausum Petri multiloquum: vnde meruerit reprimi prænuncio negationis? eo vel maximè quòd quisque Euangelistarum peculiari intentus ideæ & scopo, id sibi scribendum delegit, quod operi faueret suo: quemadmodum in Syntaxi, largiente Domino enucleandum est: vbi cur scandali occasionem expéderint Matthæus & Marcus, aliam alij, aperiemus.

VERS. XXXVI. vsque ad XXXVIII. *Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani*; &c.

57. Oraturus pergit, tribulatione passionis mortisque suæ imminente, iuxta illud ps. 119. *ad Dominum cum tribularer clamaui*: quo erudiamur. Chrysostomus; *erudiens nos in orationibus quietem nobis constituere, & solitudinem quærere. Gethsemani* etiam, Hieronymo teste, sonat *vallem pinguissimam*: quod item orationi congruit; cuius exacta humilitas per vallis profunditatem signetur, è regione ad montem. Quocirca Remigius; *cum Dominus in monte orauit*, (nimirum ad radicem Montis Oliueti, vt notat Rabanus) *docuit nos in oratione pro cœlestibus supplicare*.

O hic & psal.16.& Hier.31. In pinguedine significatur deuotio O iuxta illud ps. 62. *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. Cum autem deuotio sit ad spiritualia obsequia promptitudo, docemur etiam ex loci interpretatione, quæ & quanta fuerit in Iesu; qui semetipsum oblaturus in sacrificium, excitat paulo post discipulos obuius turbæ dicens; *surgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet. Oblatus*, quippe, *est* Isaiæ 53. *quia ipse voluit*. Hinc Angelicus; P debet oratio esse deuota; quia pinguedo deuotionis facit sacrificium Deo acceptum. Deuotio autem, vt subdit, plerunque propter prolixitatem orationis obtunditur. (de quo vide Q alibi) Nihilominus, vt dicit Augustinus ad Probam Epist. 121. *aliud est sermo multus: aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctauerit in orando, & quòd prolixiùs orauerit*. Et postea subdit; *absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio*. Rabanus hic pinguedinem notat charitatis. Consurgit R etiam deuotio ex charitate. Quare vndoquaque splendet ipsius amor; qui promptit; *maiorem hac dilectionem nemo habet*, (Ioa. 15.) *vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Sic autem de Christo prædixerat Isaias eodem c. 53. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*.

P opusc. 7 § 1.

Q 2. 2. q. 83. a. 14.

R opusc. 7. § 2.

Sequitur; *sedete hic, donec vadam illuc, & orem*.

58. Similiter habetur S Genes. 22. *dixit Abraham ad pueros suos; expectate hic cum asino*. Verùm pulsat animum quæstio; cur discipulis iniungit vt sedeant? Remigius habet, *sedere requiescentis est; laboraturi erant enim cum colicturi*. Placet, quietem eis indulsisse, seu potiùs præcepisse: at hoc non nisi alta consideratione. Itaque accipiamus priùs ex Hieronymo, inter alia cordi fuisse Saluatori, *scandalum omnium Apostolorum*. Ad hæc Gregorius hom. 6. in Euang. *visis tot signis ac virtutibus, non scandalizari quisquis potuit sed admirari: sed infidelium mens graue in illo scandalum pertulit, cùm eum post tot miracula morientem vidit. Quid ergo est dicere; Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; (supra c. 11.) *nisi aperta voce, abiectionem mortis suæ, humilitatemque signare? ac si apertè dicat; mira quidem facio; sed abiecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te subsequor; cauendum valde est hominibus, ne in me mortem despiciant, qui signa venerantur*. Censeo igitur hunc ad finem dixisse Dominum discipulis, vt nedum remanerent, sed vt sederent; *sedete hic*. Et si roges, quomodo? Audi. Vt aliàs solet pronunciari, *homo sedendo & quiescendo fit prudens & sciens*, vtiq; ex Philosopho 7. Physic. c. 3. qui ait: *quod enim anima ob moralem virtutem sedetur, prudens aliquis fit & sciens*. Quid ergo prohibet, dicamus, iussisse Dominum sederent; *sedete hic*; vt indicaret iam adesse horam, qua conarentur scientes esse & prudentes. Et sic mysticè interpretemur illud Prou. 3. *Dominus sapientia fundauit terram*, idest Ecclesiam; Augustinus in ps. 36. *terra Domini Ecclesia eius est*: (ibi *inhabita terram*) *ipsam rigat, ipsam colit, ille agricola, ille Pater; stabiliuit cœlos prudentia*, nimirum Apostolos; de quibus in ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*; & ps. 96. *annunciauerunt Cœli iustitiam eius*. Et scire quid? Subdat Apostolus; *scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Quocirca nihil ad rem diuinius ex Angelico; T sciēdum, inquit, quòd quicquid est in mysterio redemptionis humanæ & incarnationis Christi, totum est opus charitatis; nā quod Verbum incarnatum est, ex charitate processit; supra cap. 2. *propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos*. Quod verò mortuus fuit, ex charitate processit; Ioa. 15. *maiorem charitatem* &c. & infra c. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*. Propter hoc dicit Gregorius; *ò inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres; filium tradidisti!* Et ideo scire charitatem Christi, est scire omnia mysteria incarnationis Christi, & redemptionis nostræ, quæ ex immensa charitate Dei processerunt: quæ quidem charitas excedit omnem intellectum creatum & omnem scientiam, cum sit incomprehensibilis cogitatu: & ideo dicit *supereminentem scientiæ*, scilicet naturali.

S D. Th. hic.

T Ephes. 3. l. 5.

59. Et vide lector, quomodo hucusque dicta afferant intelligentiam facri contextus. Nam parit admirationem, cur se oraturus ab Apostolis elongauerit dicēs; *sedete hic, donec vadam illuc & orem*. At possumus ex Ambrosio occurrere, qui lib. 5. Comm. in Lucam, ibi, *& erat pernoctans in oratione Dei*, sic habet; *solus orauit; Dei enim consilium humana vota non capiunt; nec quisquam interiorum potest esse particeps Christi*. Adijcies deinde; quorsum sedere ad prudentiam? Respondeo; quia & de prudentia adnectitur, vbi tam alta mysteria Christi discenda sunt, vel etiam à Doctoribus plebi tradenda. Ad hęc Apostolus Ephes. 1. *in omni sapientia & prudentia*: & c. 3. *prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi*. Prou. 25. *qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria*. Et sanè Rom. 12. habemus; *non plus sapere, quam oportet sapere sed sapere ad sobrietatem*. Et facit quod ait Ambrosius de generatione diuina loquens; *scrutari non licet mysteria superna: licet scire quod natus sit: non licet discutere quomodo natus sit*: & Hilarius; *ne te inferas in illud secretum & arcanum inopinabilis natiuitatis; ne te immergas, summam intelligentiæ comprehendere præsumens; sed intellige incomprehensibilia esse*. Hinc Angelicus; V potest homo in his peccare ex præsumptione; quia scilicet, sic ea scrutatur aliquis, quasi ea perfectè comprehensurus. Et huius præsumptio arguitur Iob 11. *forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum, Omnipotentem reperies?* Deinde potest quis peccare, vltra modum suæ capacitatis ad diuinorum perscrutationem se ingerendo. Docemur autem alibi, X ad prudentiam pertinere de medio virtutū præscribere: & Prou. 23. *prudentiæ tuæ pone modum*; A in quantum secūdum prudentiam est alijs modus imponendus. Recolligamus itaq; idcirco *sederent* iussisse, vt innueret quid opus esset, dū proximè se daturus erat passioni & morti: nempe opus erat, vt tanto in myste-

V opusc. 70. q. 2. a. 1.

X 2. 2. 47. 7.

A 2. 2. 47. 4. 1.

rio capiendo, & sapientiæ & prudentiæ cultores fierent. Documento credentium, vt sic se in eiusmodi contineant: secus nisi *ad sobrietatem sapiant*, (Roman. 12.) *& vnicuique sicut diuisit mensuram fidei*, audeant perscrutari diuina, (Iob 36. *ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*) obruentur facile, coincidentque in errores; quia vt dicit Angelicus, B in minimis etiam considerandis, dum aliquis modum suæ capacitatis excedit, de facili in errorem incidit. Vnde glossa ad illud Ecclesiast. 3. *altiora te ne quæsieris*, dicit; *hæretici duobus modis fiunt, scilicet cùm de Creatore, vel de creaturis vltra modum intendentes, in errores incidunt, & à veritate discedunt*. Et posset mirè etiam dici in cassessione humilitatem inculcasse; quia Prouerb. 11. *vbi est humilitas, ibi est sapientia*. Per sessionem siquidem significari humilitatem compertum est. Vnde ad illud ps. 138. *tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam: tu cognouisti, idest approbasti;* C *sessionem meam, idest humilitatem, & passionem: & resurrectionem meam, idest glorificationem in resurrectione*, vt glossa exponit. Neque gratis hoc inuectum sit: quando à radice hebraica iassau, nempe *sedit* deriuatur *iesSach*. hoc est *humiliatio*. Quidni consectariè dicamus huc spectasse, quod legitur de Maria Lucæ 10. *quæ etiam sedens, secus pedes Domini, audiebat verbum illius*; & Lucæ 24. *vos autem sedete in Ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Et hæc ideo indici; quia etiam *hominis est* (Prouerb. 16.) *animam præparare*. Vnde quoniam præsens ab eis discessus transitum præsagiebat illum, de quo Ioannis 13. *sciens Iesus, quia venit hora, vt transeat ex hoc Mundo ad Patrem*: & cap. 16. *modicum, & iam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me*; (sicut hic in horto abit, moxque ad eos reuertitur) voluit eos salutaribus quasi præludijs, informare arcanis monitis, ne *in tentationem intrarent*, quod statim adiecit; *vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*. Ex quibus eruditus Petrus, *fratres*, inquit in prima sua cap. 5. *sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret; cui resistite fortes in fide*. Porrò si diabolus circuit, non desinit Dominus sedulò tentandos inuisere, vt hic semel & iterum facit. Et si, quod ait idem Apostolus in secunda c. 2. *perditio* (hoc est diabolus, D qui irreparabiliter perditus est, & nihil aliud quàm perditionem intendit) *non dormitat*; subdit Bernardus; *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel; quia non dormitat neque dormit, qui impugnat Israel*. Dic ergo excitari discipulos crebrò à Domino, ne infernalis aspis soporem inducens lethalem, sua iactet venena: quæ immo vt excutiant discipuli, audiunt, *surgite, eamus*.

B opusc. 70.

C 3 p 49. 6. & q. 53. 3. & alibi.

D 2. Petri 2.

VERS. XXXVII. *Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi*.

60. Remigius; *illos videlicet assumpsit, quibus in monte claritatem suæ Maiestatis ostenderat*. Idipsum Theophylactus; *illos tres tantum assumit, qui gloriæ eius in Monte Thabor inspectores extiterant*. Sed quoniam ait Sanctus Leo Papa in Serm. de transfiguratione; *in qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus discipulorum, Crucis scandalum tolleretur; nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis*: dicamus ad hunc omnino finem hos tres assumpsisse & hic Dominum, vt tali facto suggereretur fidelibus memoria gloriæ, quando abiecta perpeti iam iam dignabatur. Quo quidem nihil opportunius, cohærentius nihil, ad ea quæ nuper diximus de illorum sessione; *sedete hic donec vadam illuc & orem*. Aliunde quoque nouimus passionis gloriæque nexum; siquidem Lucæ 24. ipsemet dixit; *nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Quam ergo suæ gloriæ magnitudinem humiliter prælibandam, in eo quòd sederent quasi sapientes & prudentes, subinnuit, apertius in tribus assumptis secum discipulis demonstrauit; *vt eius sibi honoris consortium*, (quod subdit Leo Papa) *membra promitterent, qui in Capite præfulsisset*. Sed quoniam abstinet Lucas ab hac narratione, nihil enim adfuit de praecepta sessione, vel de trium discipulorum delectu; non video quomodo possit emergi, nisi attento scopo Matthæi & Marci, vt dicam in Syntaxi, quem scopum non habens Lucas omisit de assumptis tribus discipulis passionis tempore quidquam fari.

VERS. XXXVIII. *Tunc ait illis: tristis est anima mea vsque ad mortem*.

Affectiones appetitus sensitiui, quæ proprijssimè dicuntur passiones animæ, fuerunt in Christo; sicut & cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. E Vnde Augustinus dicit in 14. de Ciuitate Dei; *ipse Dominus in forma serui vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas, vbi adhibendas esse indicauit: & hos motus, certæ dispensationis gratia, ita cùm voluit Christus suscepit animo humano; sicut cùm voluit, factus est homo*. Motus autem huiusmodi sic ex eius dispensatione in appetitu sensitiuo Christi manebant, quòd ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quæ conueniebant. Non sic in nobis; quia frequenter in nobis huiusmodi passiones præueniunt iudicium rationis: quam etiam quandoque trahunt, nec sistunt motus in appetitu sensitiuo. Obiectum autem & motiuum tristitiæ, F est nociuum seu malum, interius apprehensum, siue per rationem siue per imaginationem; sicut cum aliquis tristatur, de amissione gratiæ, vel pecuniæ. Potuit autem anima Christi interiùs apprehendere aliquid vt nociuum, & quantum ad se, sicut passio & mors eius fuit; & quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam Iudæorum occidentium ipsum. Hieronymus; *Dominus noster vt veritatem assumpti hominis probaret, verè quidem contristatus est; sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem dicitur, quod cœpit contristari*: vt passio perfecta intelligatur, G quando animo, idest rationi dominatur; propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitiuo, sed vlteriùs non se extendit. Animaduertendum est autem H circa passiones animæ, duplicem fuisse Antiquorum opinionem: Stoici enim dixerunt tristitiam in Sapientem non cadere: Peripatetici verò dixerunt, Sapientes quidem tristari; sed in tristitia, secundum rationem moderatè se habere: & hæc opinio veritati concordat. Ratio enim contradictionem naturæ auferre non potest: est autem naturale sensibili naturæ, vt de conuenientibus delectetur & gaudeat; & de nociuis doleat, & tristetur; sed sic moderatur tristitiam ratio, quòd à sua rectitudine non diuertat. Concordat etiam hæc opinio sacræ Scripturæ, quæ tristitiam in Christo ponit; in quo est omnis virtus & sapientiæ plenitudo. Consuetum est etiam apud Sapientes, vt ex ratione loquantur passionum motus, quos sentiunt: sicut & Christus dixit; *tristis est anima mea vsque ad mortem*; & Apostolus dicit Rom. 7. *non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*: vti etiam Boetius in principio *de consolatione* tristitiam aperuit, vt ostenderet quomodo ratione eam mitigaret; & Iob similiter. Vberius disquirit I alibi, *vtrum virtus moralis possit esse cum tristitia*. Diuiniùs autem quæ huc attinent declarat, in aureo præ alijs Opusculo, quod est Compendium Theologiæ, mihi post primum in ordine: L vbi docet qualiter nedum imaginatio, sed etiam ratio

61.

E 3. p. 15. 4.

F Ibi a. 6.

G 3. p. 15 4.

H Iob 3. l. 1.

I p. 2. 59. 3.

L opusc. 2. c. 232.

ratio inferior nociua corporis apprehendit: & ideo ex apprehensione inferioris rationis, quæ circa temporalia versatur, poterat passio tristitiæ habere locum in Christo: in quantùm scilicet mortem, & aliam corporis læsionem inferior ratio apprehendebat, vt noxiam & appetitui naturali contrariam. Contingit autem, vt quis etiam patiatur tristitiam, ex ijs quæ apprehendit vt noxia alijs, quos amat. Vnde & ex hoc tristitiam Christus patiebatur, secundum quòd alijs, quos ex charitate amabat, periculum imminere cognoscebat culpæ vel pœnæ: vnde non solum sibi, sed & alijs doluit. Superior tamen ratio in Christo de proximorum defectibus tristitiam habere non potuit: quia ratio superior, quæ plena Dei visione fruebatur, quicquid ad aliorum defectus pertinet, apprehendebat secundùm quòd in diuina Sapientia continetur: secundum quam decenter ordinatum existit, & quòd aliquis peccare permittatur, & quòd pro peccato puniatur. Sic igitur de iisdem, de quibus dolebat, secundum sensum, imaginationem, & rationem inferiorem, secundum superiorem gaudebat; in quantum ea ad ordinem diuinæ Sapientiæ referebat. Hactenus Diuus Thomas. Beatus Christi discipulus Paulus sanctam hanc promit theologiam dicens Roman. 9. *tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis:* & antea cap. 6. *gratias autem Deo, quòd fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* Quocirca Chrysostomus; *non itaque Paulus gaudet, quia erant serui peccati; sed quia, cùm essent huiusmodi, veritatis cultores facti sunt.* Opportunè autem contestatur Dominus; *tristis est anima mea vsque ad mortem*, vt futuram confundat hæreticorum perfidiam. Arius enim primò, & postea Apollinaris M euomuerunt blasphemè, filium Dei solam carnem assumpsisse absque anima. *De naturæ ergo nostræ communione dicebat*, vt ait Leo Papa; *tristis est anima mea vsque ad mortem*. Hinc & Damascenus in 3. lib. *quapropter naturales nostræ passiones secundum naturam, & supra naturam fuerunt in Christo.* Quocirca Nazianzenus orat. 4. de Theol. *supererat iam de mortis pauore & sanguineo sudore ac precatione, ac si quid aliud eiusdem est generis pertractare; nisi cuiuis perspicuum esset, huiusmodi nomina perpetienti humanitati tribuenda esse; non autem immutabili illi naturæ atque omni dolore atque cruciatu sublimiori.*

M 1. p. q. 5. 1.

62. Quoniam autem, vt docemur, N tristitia est de præsenti malo; sicut timor est de malo futuro; inquit enim Damascenus, *expectatum malum timorem constituit, præsens verò tristitiam:* quæret quispiam, quomodo de futuris dicatur Saluator tristari? Respondeo, in primis hoc attestari ipsius Diuinitati, qua potissimum cuncta prænouit; vnde Ioa. 18. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum:* quare ipsi omnia futura erant præsentia: ex quo potuit volens tristari. Et nihilominus addo cum Angelico, O vim cognoscitiuam interiorem posse percipere præsens præteritum & futurum; ideoque tristitiam posse esse de præsenti, præterito & futuro. In argumento autem ibidem tristitiam de futuro vocat anxietatem. Quapropter Ambrosius: *tempore mortis tristitiam prætendebat, quam non ex metu mortis, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat: ostenditque simul, quòd in certamine passionis, mors corporis, absolutio anxietudinis, non coaceruatiua sit doloris.* Et lib. 7. in Lucam c. 19. *non dicit, tristis est anima mea propter mortem, sed vsque ad mortem; quasi ante mortem, nihil ei oblectamento esset, nec aliquid, nisi ipsa.* Sanè Hebr. 12. legimus, *proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta.* Quò Haymo; *hoc est, pro nihilo reputata verecundia; quoniam sine erubescentia illud opprobrium sustinuit: gaudium namque maximum fuit illi, quod pro nobis est passus; vt voluntatem Dei Patris impleret.* Gaudium quippe nascitur ex rei desideratæ possessu. Hieronymus; *contristabatur ergo Dominus, non timore patiendi, qui ad hoc venerat vt pateretur, & Petrum temeritatis arguerat; sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum; & reiectionem vel reprobationem populi Iudæorum, & euersionem miseræ Ierusalem.* De huiusmodi & D. Th. in 3. p. 46. a. 6. vbi ad 2. ait; Christus vt satisfaceret pro peccatis omnium hominum, assumpsit tristitiam; maximam quidem quantitate absoluta; non tamen excedentem regulam rationis.

N p. 1. 2. q. 19. a. 1. & 3.

O p. 1. q. 31. a. 2. ad 2.

VERSV eodem XXXVIII. *Sustinete hic, & vigilate mecum.*

Quasi diuersis stationibus, sistere iubet discipulos; primis quidem sederent iussit, Petro cum filijs Zebedæi, vt hic sustineant. Quisquis venerabundus prout par est, hæc suscipit, non potest non suspicari arcanum quidpiam latere, quando ab eo qui Dei sapientia est, (*Christum Dei virtutem & Dei sapientiam* 1. Cor. 1.) ordinata sunt: & eo præcipuè tempore, quo versanda erant testimonia Scripturarum; vnde apud Matthæum dicit; *quomodo ergo implebuntur Scripturæ*; & Marci 14. *sed vt impleantur Scripturæ.* Nisi stipatus Scripturarum oraculis ad nos moriturus venisset, non fuerat tanquam Messias agnoscendus. Hinc Ioan. 5. *scrutamini Scripturas,* &c. *& illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* At fides nedum Scripturarum testimonio; sed & contestibus Apostolis disseminanda erat fidelium cordibus: Act. 1. *eritis mihi testes in Ierusalem,* &c. *& vsque ad vltimum terræ.* Constanter Leo Papa in Serm. 7. de Natiuit. *diuina est auctoritas, cui credimus: diuina est doctrina, quam sequimur. Quoniam, siue legis testificationi, siue Oraculis Prophetarum, siue Euangelicæ tubæ interiorem admoueamus auditum; verum est, in principio erat Verbum; & Verbum caro factum est.* Ecce, (liceat mihi deducere) quare iturus ad mortem, ad eam iter arripit comitibus discipulis suis: Ioann. 18. *egressus est cum discipulis suis, trans torrentem Cedron, vbi erat hortus; in quem introiuit ipse & discipuli eius.* Auditus ex Philosopho, est sensus disciplinæ: ideo animalia quæ auditu carent, disciplinabilia non sunt: Roman. 10. *fides ex auditu:* Isaiæ 53. *Domine, quis credidit auditui nostro?* Dicamus ergo, interiorem admouisse auditum Patriarchas & Prophetas, deinde in ipsius testimonium, & Apostolos: & ita hos omnes meritò nuncupatos *discipulos*; quos videlicet Spiritus-Sanctus diuidens singulis prout vult, illustratione diuina de Christi mysterio docuit & perdocuit: Ioan. 6. *erunt omnes docibiles Dei*; & Isaiæ 54. *ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Sed nunquid æque doctos vniuersos? nequaquam. Quærit Angelicus, P *vtrum gradus propheticæ varientur secundum temporis processum.* Respondetque in speciali, quantùm ad fidem incarnationis, quod quanto fuerunt Christo propinquiores, siue ante siue post, vt plurimum plenius de hoc instructi fuerunt. Similiter habet inquirens; Q *an articuli fidei secundùm successionem temporum creuerint.* Quia enim vltima consummatio gratiæ facta est per Christum: vnde & tempus eius Galat. 4. dicitur *plenitudo temporis:* ideo illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Ioannes Baptista; vel post, sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognouerunt. Sic etiam scripsit Gregorius hom. 16. in Ezechielem; *secundum incrementa temporum, creuit scientia Sanctorum Patrum: & quanto*

63.

P 2. 2. q. 174. 1.

Q 2. 2. q. 1. 7. ad 4.

vici-

viciniores aduentui Saluatoris fuerunt, tanto Sacramenta salutis plenius perceperunt. En doctrinæ huius praxis in horto: discipuli enim aliquot, quibus indicitur; *sedete hic, donec vadam illuc & orem*, minus propinqui sunt Domino; Petrus autem, & duo filij Zebedæi, quos assumit, ei sunt propinquiores: iuxta quod Marci 14. legimus; *& cùm processisset paululum, procidit super terram.* Neque enim tam accuratè hæc facta aut narrata sunt, absque arcano intellectu. Quapropter nemo reor abnuerit, si discipulos semotiùs relictos, in typum priscorum Patrum extitisse dixerimus; Petrum verò filiosque Zebedæi, ceu Christo viciniores, pro Ecclesia stetisse. Videtur autem non incongruè id accipi posse ex litera; vt signanter primis dixerit *sedete hic:* quod verbum, vel diutinam priscorum de Christo venturo expectationem rationabiliter notat: (supra c. 11. *tu es qui venturus es, an alium expectamus?*) vel Mosaicæ legis tempus satis insinuat; de quo supra cap. 23. *super cathedram Moysi sederunt Scribæ:* vel denique Prophetas in vnum consentientes tangit, quorum mystica sessio dici queat firma immobilisque futurorum prænunciatio: de quibus supra c. 11. sub similitudine *puerorum sedentium in foro*, locutus est. Prophetæ dicuntur à *pro*, quod est *procul:* & ex Cassiodoro, *rerum euentus immobili veritate denunciant.* Vno verbo igitur valeat ly *sedete hic*, quasi estote illorum vice, qui de passione mea & morte prophetauerunt. Addo ly *donec vadam illuc & orem*, sub eodem sublimi sensu incarnationis mysterium præseferre, quà Christus homo est; quod diu expectarunt Patres: quà enim Deus, vt ait Gregorius homil. 28. in Euangel. *non est locus, vbi non sit Deus.*

64. Delectis porro discipulis Petro, filijsque Zebedæi, non præcipitur, sedeant; *sed sustinete hic, & vigilate mecum.* Origenes discrimen Dominici eloquij nonnihil expendit dicens; *cæteros quidem iussit sedere ibi, quasi infirmiores, ab agone isto seruans eos securos; hos autem quasi firmiores adduxit.* Verùm non video, qui vim verbi illius, *sustinete*, ponderent; quidnam vocis proprietate significet. At ab Angelico discimus; R nam ad fortitudinem refert; quatenus actus fortitudinis est timorem sustinere & aggredi; non qualitercunque sed secundùm rationem. Dico ergo æquipollere ac si diceret: sic fortes hic esse moneo, vt dum timor ingruit nec cedat quis vestrum aggressui, quin potiùs renitens sustineat. Atqui nedum timorem generosè non sustinent, sed tristitiæ succumbunt; siquidem *venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes.* At cum Lucas dicat, *inuenit eos dormientes præ tristitia:* ex quo & Chrysostomus; *erat somnus non torporis, sed mæroris;* mirabitur gnarus lector; quare Dominus de huiusmodi tristitiæ seu mœroris somno Petrum increpet; quando ipsemet etiam tristari voluit, cùm dixit, *tristis est anima mea vsque ad mortem; cœpitque contristari & mæstus esse?* Nonne videtur potuisse Petrum dicere; dormimus Domine, sed *præ tristitia*, quemadmodum tu quoque *tristis* es. Quòd si dormire illos ex tristitia vetat, cur paulo post eis indulget dicens; *dormite iam & requiescite?* moxque quasi retractans subdit; *surgite, eamus?*

R 2. 2. 126. 2. ad 2.

65. Implexa hæc sanè sunt, nisi diuina affulgeat irradiatio. Huius tantillo immissu sic omnia edisseras. Contendit Dominus, ne tristentur: vnde scripsit Chrysostomus detexisse in monte his tribus suam gloriam, *ne aut sua aut Domini morte doleant, & maximè Petrus:* scilicet vltra mensuram. Dicamus ergo, acceptum esse Domino, vt quis tristetur, similque prohibere somnum siue tristitiam, sed aliter hoc, & aliter. Ideo nulla est contradictio aut inconstantiæ vestigium, si postea eis dixit, *dormite iam & requiescite:* quod est iuxta Lucæ textum; *dormientes præ tristitia*, contristemini. Mirificè Apostolus qui ad Galat. 1. aiebat; *neque enim ego ab homine accepi illud*, (Euangelium) *sed per reuelationem Iesu Christi;* ad Corinthios sic habet: *si quis autem contristauit me, non me contristauit.* Si contristauit, quomodo non contristauit? non enim dicit; *si quis voluit me contristare;* sed, *si quis contristauit me.* Angelicus; S sciendum, quòd aliquis aliquando contristatur totaliter, & aliquando non totaliter. Totaliter quidem tristatur quis, quando præ tristitia absorbetur à dolore; quæ quidem secundùm Philosophum non cadit in sapientem. Non totaliter autem tristatur quis, quando licet ex aliquo malo quod patitur, seu videt fieri, tristetur; tamen ex alijs causis bonis gaudet; & ista tristitia est secundùm Deum, & cadit in sapientem. Quia ergo Apostolus dicit se contristatum; ne credatur totaliter à tristitia absorptus, quod non est sapientis, dicit se contristatum *ex parte*, quasi non totaliter. Ex hac doctrina, libenter dixerim; si discipuli ex parte solùm contristati fuissent, minimè increpandi fuerant à Domino: at, vel in admonitionem fidelium, permissi sunt absorberi tristitia; ideoque correpti. Claret ex sacro Matthæi Marcique textu; quoniam semel & iterum *inuenit eos dormientes;* & *erant oculi eorum grauati.* Non possum hic non exclamare; ò altitudo diuinorum eloquiorum! Percenset Sanctus Thomas T tristitiæ species, & pergens tradit tristitia *grauari* animum: & si in tantum procedat talis aggrauatio, vt etiam exteriora membra immobilitet ab opere, pertinet ad acediam; docetque quomodo acedia specialiter dicitur vocem amputare. Et ecce in textu Marci hoc satis exprimi; quia, deprehensi capti somno, *ignorabant quid responderent ei.* Discrimen ergo magnum fuit inter Christi Domini, & discipulorum tristitiam. Vt enim docet Angelicus V passiones in nobis plerunque iudicium rationis præueniunt, interdum modum rationis excedunt: in Christo autem nunquam præueniebant iudicium rationis, nec modum à ratione taxatum excedebant: sed tantum mouebatur inferior appetitus, qui est subiectus passioni, quantum ratio ordinabat eum debere moueri. Ex hac doctrina trahi potest, cur Dominus quodammodo increpet dicens Petro, *sic, non potuistis vna hora vigilare mecum?* hoc est, prout mihi videtur, *mecum*, non quidem loco, (nam dum priùs eos admonuit, *sustinete hic, & vigilate mecum*, *progressus est pusillum*, & apud Lucam, *quantum iactus est lapidis;*) sed similitudine; vt sicut ipse vigilaturus erat, nimirum tristitiæ quæ excederet nullatenus subijciendus; (*dormientes præ tristitia*) ita nec ipsi nimis ea obruerentur, vt sinerent trahi rationem ac perturbari: quod in nobis X contingit; sed non in iustis; quia Prouerb. 21. *non contristabit Iustum quicquid ei acciderit*, vt ibi Angelicus exponit. Ad hoc significandum, de Christo, qui antonomasticè Iustus dicitur; Isaiæ 51. *propè est Iustus meus*, legimus; *cœpit contristari & mæstus esse:* quia tristitia A remota fuit à Christo secundùm passionem perfectam; quanquam in eo fuerit initiata secundùm propassionem: aliud est enim contristari, aliud incipere contristari, vt Hieronymus ibidem dicit. Nam aliàs B pati dicimur, cum aliquid nobis aduenit, quod est contrarium naturæ vel voluntati nostræ: in Domino autem Iesu Christo, sic C inferior appetitus rationi subdebatur; vt nihil moueretur, nisi secundùm ordinem rationis; secundùm scilicet quòd ratio ordinabat vel permittebat, appetitum inferiorem moueri proprio motu. Et sic dicito lector, non fuisse in Christo vt in nobis passiones, sed pro-passiones, hoc est motus, vice passionum. Et ideo legimus; Ioann. 11. *turbauit se ipsum.*

S 2. Cor. 2. 1. 2.

T 2. 2. 35. 8.

V opusc. 2. c. 232. & 3. p. 15. 4. & hic.

X 3. p. 15. 4. & 6.

A 3. p. 15. 6. ad 1. & hic.

B quodl. 2. 13.

C opusc. 2. c. 224. & hic.

ipsum. Pergit Angelicus: hoc autem videtur ad integritatem primi status pertinuisse, vt inferiores vires totaliter rationi subderentur: quæ quidem subiectio per peccatum primi Parentis est sublata, non solum in ipso, sed etiam in alijs, qui ab eo contrahunt peccatum originale: in quibus etiam, postquam à peccato mundantur per gratiæ Sacramentum, remanet rebellio vel inobedientia inferiorum virium ad rationem; quæ dicitur fomes peccati; quæ in Christo nullatenus fuit secundùm prædicta. Supra autem docuerat, contingere motus inordinatos, ex hoc quòd appetitus sensitiuus, qui est harum passionum subiectum, non sic subijcitur rationi, quin interdum ad aliquid præter ordinationem rationis moueatur: in quo consistit motus peccati. Hinc colligi potest, peccasse venialiter Apostolos, nimia tristitia correptos: quod vt vitarent, præcauit Dominus dicens, *vigilate mecum*; iterumque, *vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*. Si enim mens per orationem Deo intenta sit, ratio superior minimè in consensum trahitur appetitus sensitiui, qui tristitiæ subijcitur. Quare cùm dixit *orate*, sensualitatem posthaberent monuit: siquidem motus sensualitatis non potest sensibilia transcendere; & neque in Deum ascendere: quod requiritur ad orationem, vt habetur 3. p. q. 21. 2.

66. Et ecce, qua possit accipi eloquij altitudine, quod subiecit deinde Dominus; *dormite iam & requiescite*. Quomodo mi Saluator? paulo ante dormientes arguis, modò motu proprio indulges? Quòd si, dormiant, permittis, quid mox eos præcipis surgere? *surgite, eamus*.

Tanta est contextuum visa diaphonia, vt Theophylactus, prout fertur in Catena, putauerit ironicè dictum fuisse; *dormite iam & requiescite*: vnde & subiectum sit apud Marcum, *sufficit*. Et ita loquitur: *hoc dicebat deridens somnum eorum: quasi diceret, nunc tempus est, vt dormiatis, quando inimicus appropinquat?* Augustinus ad hæc, de cons. Euangel. *Videtur autem hic sermo secundùm Matthæum sibi ipsi esse contrarius: quomodo enim dixit, dormite iam, & requiescite; cum connectat, surgite, eamus? Qua velut repugnantia quidam commoti, conantur ita pronunciare quod dictum est, dormite iam & requiescite, tanquam ab exprobrante, non à permittente sit dictum: quod rectè fieret, si esset necesse. Cùm verò Marcus ita commemorauerit, vt cum dixisset, dormite iam & requiescite, adiungeret, sufficit; & deinde inferret, venit hora, ecce tradetur filius hominis: vtique intelligitur, post illud quod eis dictum est, dormite iam & requiescite, siluisse Dominum aliquantulum, vt hoc fieret, quod permiserat; & tunc intulisse, ecce appropinquauit hora: propter quod, secundùm Marcum positum est sufficit; idest quod iam requiescitis.*

67. Verum ex ijs quæ à nobis prælibata sunt, fit manifestum, somnum quendam laudari, quendam vituperari. (Somnum tristitiam dico, iuxta quod apud Lucam *dormientes* erant discipuli *præ tristitia*.) Si somnus siue tristitia rationem non perturbet, neque modum excedat, laudatur; si excedat tristitiæ passio, trahatque in consensum rationem, damnanda est. Excedentis tristitiæ typus fuit semel, & iterum somnus tunc ingruens; ideo reprehenditur. Ex quo dic in psalm. 68. dolere Dominum, *& sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni*. Quomodo enim non fuit, *qui secum contristaretur*, quando *dormientes* erant *præ tristitia*? Sed licèt tristarentur, non secum contristabantur, per imitationem scilicet ordinata tristitia; quæ item consolationem admittit: nam & Dominus, vt visum est, de eisdem, de quibus dolebat secundùm sensum imaginationem & partem inferiorem, secundùm superiorem gaudebat; D in quantùm ea ad ordinem diuinæ sapientiæ referebat. Ordinatæ autem contristitiæ symbolum fuit nouissimus denunciatus eis somnus; *dormite iam & requiescite*; ac si dixisset; hucusque vos cepit tristitia veluti exorbitans; quoniam ratio superior, quæ illam cohibere debuerat ac moderari suo imperio, fermè absorpta est: nūc adsit meus nutus, qui ad mensuram, tristitiæ somnum imperet, atque ne excedat ordinet; *domite iam*, & præterea in signum non deordinatæ rationis superioris, *requiescite*. Non vltra hoc, tristitia impleat cor vestrum; satis est inferiori parte animæ appetituque sensitiuo tristari, quod est mecum contristari; hoc quippe in tesseram amoris erga me *sufficit*. Vide lector, quàm quadret præmissæ doctrinæ ly *sufficit*. Sufficit parum tristari; ne excedat tristitiæ somnus, Ecclesiast. 22. *modicùm plora supra mortuum; quoniam requieuit*. Verbum aliàs difficile intellectu; quamuis superficie literali, & Augustinus & Theophylactus illud exposuerint. In signum autem conuenientis, non excedentis somni inhibiti, seu tristitiæ: ecce mox adijci, *surgite, eamus*. Si excessus quis hic lateret aggrauans animum; non poterant cum Domino surgere; nam isthæc immoderata tristitia, vt docemur, E exteriora membra immobilitat. Quare autem nunc passionis huius præsentiant leuamen; & quare ab his abstineat Lucas, non verò Matthæus & Marcus, sola potest Syntaxis enucleare.

D opusc. 2. c. 232.
E p. 2. 35. 6.

VERS. XXXIX. *Si possibile est, transeat à me calix iste.*

68. Fuit Monothelitarum error, qui F nonnisi vnam posuerunt in Christo voluntatem: diuersis ex deliramentis circa Incarnationis mysterium G id opinantes. At præsupposita voluntate diuina, cùm Deus esset, constat præsenti ex textu voluntatem quoque habuisse humanam: *veruntamen, non sicut ego volo*; & Lucæ 22. *veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Sed quoniam docemur H humanæ voluntatis bonitatem pendere ex conformitate ad diuinam; operæ-pretium est, explicetur quo pacto videatur à voluntate diuina vel primo motu dissentire. Quod absit. Nam ex tristitia sensualitatis nulla tristitia in parte superiori fuit. Licet tota anima pateretur secundùm quòd erat natura; non prout conuersa ad Deum. Sciendum igitur voluntatem multifariam dici; nam in homine I appetitus sensualis, siue sensualitas, in quantum est natus obedire rationi, dicitur rationalis per participationem: & quia voluntas est in ratione, pariter dici potest, quòd sensualitas sit voluntas per participationem. Præterea voluntas, quæ in homine est essentialiter & non participatiuè talis, duplicem habere potest actum; L nam secundum quòd fertur in aliquid simpliciter & absolutè volitum, consideratur vt natura, & dicitur *thelisis*; idest simplex voluntas; & sic vult quis exempli gratia sanitatem: secundùm verò quod fertur in aliquid, quod est volitum solùm in ordine ad alterum, consideratur vt ratio, & dicitur *bulisis*, idest consiliatiua voluntas; & sic vult quis medicinam. Magistris priori modo vocatur voluntas vt *natura*; secundo modo voluntas vt *ratio*. Dicendum est ergo, quòd Christus M per voluntatem rationalem, voluit vt diuina voluntas impleretur. Voluntas autem Dei erat, vt Christus dolores & passiones & mortem pateretur: non quòd ista essent à Deo volita secundùm se, sed ex ordine ad finem humanæ salutis. Non autem id voluit Christus per voluntatem sensualitatis, cuius motus non se extendit vsque ad voluntatem Dei: neque per voluntatem, quæ consideratur per modum naturæ; quæ fertur in aliqua obiecta absolutè considerata, & non in ordine ad diuinam voluntatem. Placebat autem Chri-

F opusc. 5. 9.
G 3. p. 18. a. 1.
H p. 2. 19. 9. & p. 18.
I 3. p. 18. 2.
L ibi a. 3.
M 3. p. 18. 5. ad 1. & in corp.

N ibi a.6. Christo; N secundùm voluntatem diuinam, & etiam secundum voluntatem rationis, vt voluntas naturalis in ipso, & voluntas sensualitatis, secundùm ordinem suæ naturæ mouerentur. Neque tamen voluntas naturalis aut voluntas sensualitatis repudiabant, altius à Deo ordinata. Adde, o quia
O 3.p.21. 4. quod volumus secundùm motum sensualitatis, vel etiam secundùm motum voluntatis simplicis, quæ consideratur vt natura, non *simpliciter* volumus, sed *secundùm quid*; scilicet si aliud non obsisteret: quod per deliberationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas magis est dicenda velleitas quàm absoluta voluntas; quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret.

68. Oratio ergo eius P exprimebat sensualitatis affe-
P 3.p.21. 2. ctum, tanquam sensualitatis aduocata. Primò quidem, vt ostenderet, se veram naturam humanam suscepisse, cum omnibus naturalibus affectibus. Secundò, vt ostenderet, quòd homini licet, secundùm naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult. Tertiò, vt ostendat, quod proprium affectum debet homo diuinæ voluntati subijcere. Vnde Augustinus; *sic Christus hominem gerens ostendit priuatam quandam hominis voluntatem, cùm dicit, transeat a me calix iste: hæc enim erat voluntas humana, proprium aliquid & tanquam priuatum volens: sed quia rectum vult esse hominem, & ad Deum dirigi, subdit, veruntamen, non sicut ego volo, sed sicut tu; ac si dicat; vide te in me, quia potes aliquid proprium velle, etsi Deus aliud velit.* Quoad primum recolatur Chrysologus, qui super illud Matthæi 9. *ascendens in nauiculam transfretauit*; dicit, *Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare diuina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates. Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & si non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset ociosa susceptio.* Quoad
Q 2.2. 104.4.ad 3. secundum & tertium videatur Angelicus, Q vbi docet, quòd etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult; semper tamen *tenetur velle, quod Deus vult eum velle*: & hoc homini præcipue innotescit per præceptum diuinum. Et ideo tenetur homo in omnibus diuinis præceptis obedire. Quod
R p.2.19. 8. argumentum pertractans alibi; R ait; consueuit dici quòd voluntas hominis conformatur quantum ad hoc voluntati diuinæ, quia *vult hoc, quod Deus vult eum velle*. Et tamen quamuis non conformetur subinde interdum voluntati diuinæ in volito materialiter, conformatur ei secundùm rationem causæ efficientis; quia hanc propriam inclinationem, quæ consequitur naturam vel apprehensionem particularem huius rei, habet res à Deo, sicut à causa effectiua. Et fert exemplum de Iudice qui habet bonam voluntatem, dum vult occisionem latronis, quia iusta est. Voluntas autem alterius, puta vxoris vel filij, qui vult non occidi ipsum, in quantum secundum naturam est mala occisio, est etiam bona.
S Opusc.2. c.213. & Hebr.5.l. 1.in calce Alibi s luculenter sic ait: in hoc quod dicit; *transeat a me calix iste*. motum inferioris appetitus, & naturalis designat, quo naturaliter quilibet mortem refugit, & appetit vitam: in hoc autem quod dicit; veruntamen, *non sicut ego volo, sed sicut tu*, exprimit motum superioris rationis omnia considerantis, prout sub ordinatione diuinæ sapientiæ continentur. Ad quod etiam pertinet quod dicit; *si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*; demonstrans hoc solùm fieri posse, quod secundùm ordinem diuinæ voluntatis procedit. Et quamuis calix passionis non transierit ab eo, quin ipsum biberit; non tamen dici debet, quòd eius oratio exaudita non fuerit. Cùm enim oratio sit desiderij expositiua, illud *simpliciter* oratmus, quod *simpliciter* volumus; vnde & desiderium iustorum orationis vim obtinet apud Deum; secundùm illud psal. 9. *desiderium pauperum exaudiuit Dominus*. Illud autem *simpliciter* volumus, quod secundùm rationem superiorem appetimus: ad quam solam pertinet consentire in opus. Christus autem non voluit *simpliciter*, quòd calix ab eo transiret, sed secundùm inferiorem rationem, vt dictum est. Sic Ambrosius Origenes & Chrysostomus, T dicunt T 3.p.21. 4.ad 1.
quòd hoc petijt quasi homo, naturali voluntate mortem recusans. Iuxta hunc sensum V intelligitur il- V l.c. & ps.21.
lud psalmi 21. *clamabo per diem & non exaudies*; quantùm scilicet ad affectum sensualitatis, quæ mortem refugiebat; exauditus tamen quantùm ad affectum rationis, vt dictum est. Gessit ergo officium carnis infirmæ, quæ naturaliter timet & fugit mortem. Vel etiam protulit hæc verba, gerens infirmorum personam: quia futurum erat, vt aliqua membra sua debilia, quando immineret eis passio, formidarent. Dicamus ergo, saluberrimum hinc trahi orthodoxæ fidei documentum; X quomodo in sen- X p.1.74. 4.& 5.
sualitate non possit esse peccatum mortale: & quomodo sit & non sit in ratione. Et quoniam ipse 1. Petri 2. *peccatum non fecit*; erudiri possumus tristitias fugamque malorum, modò diuinæ ordinationi simul acquiescamus, non esse peccata.

VERS. XXXXIV. *Orauit tertiò eundem sermonem dicens*.

Præscribitur orationis forma etiam in hoc, vt non 69.
semel oremus, sed multoties. Sic quoque exponitur illud Corinth. *ter Dominum rogaui*: ter A idest A 2.Cor. 12.l.3.
multoties. Dic rationem esse, quia ternarius numerus perfectus est: ideoque congruenter innuit consummatæ orationis perfectionem: ex quo dicitur Ecclesiastes 7. *melior est finis orationis quàm principium*. Perseuerantiam præterea discimus in orando: *qui enim diligit Deum*, (Ecclesiastici 3.) *in oratione dierum exaudietur*: non dicit in oratione *diei* sed *dierum*. Vlterius, quoniam tria dixerat supra c.7. *petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*: cur non ter oraret? Quæ tria putat Augustinus ad instantissimam referri petitionem. Adhuc ter preces fundit; quia trinus est Deus: *Deus Pater, Deus filius, Deus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Dÿ, sed vnus est Deus*; vt canitur in Symbolo. *Orauit* igitur *tertiò* ob Personarum distinctionem: sed *eundem sermonem dicens*; quia Deus vnus est. Sed quoniam triplicem hanc Dominicæ orationis sectionem nec Lucas narrat, nec omnino tangit Ioannes; nemo ibit inficias, arcanam sublatere causam, cur Matthæus præ alijs, & post ipsum Marcus tam distinctam tradiderint narrationem. Videtur ergo ex dictis semel orasse, *transiret ab eo hora*, vt se veram humanitatem assumpsisse demonstraret; quippe quæ, & natura conditione, & eiusdem sensualitate, mortem atrocissimam refugiebat. Simul tamen Diuinitatis suæ indicia dedit, ostensoria illa vocula *iste*, siue *hic*, *calix iste*: cum enim per calicem secundum metaphoram similitudinariè B intelligatur passio: *potestis bibere* B 3.p.78. 1. & ...
calicem (supra cap. 20.) *quem ego bibiturus sum?* innotuit, totam suæ passionis & mortis seriem, etsi futuram, diuino intuitu illi fuisse præsentem. Videtur orasse secundò, gerens infirmorum fidelium personam, vt nuper ex psalmo C dictum est. Ter- C ps.21.
tiò videtur adhuc orasse, vt eisdem fortitudinem impetraret. Habuit enim indubitanter præ oculis suorum martyrum: & quia inter martyres primus futurus erat Stephanus; non fuerit incongruum, ideò exprimi Luca 22. *& ipse auulsus est ab eis, quantùm iactus est lapidis*: quasi præsentiens sui Athletæ lapides; Act. 7. *lapidabant Stephanum*. In

eo

eo itaque orationis tenore, fortitudinis petitio pro suis inuoluitur. Ad hæc mirè Hilarius; D *quòd autem vt à se transeat rogat, non vt ipse prætereatur orat, sed vt in alterum id quod à se transit excedat: atque adeo pro ijs erat, qui passuri pro se erant; vt sit sensus; quomodo à me bibetur calix iste passionis, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis*. Sicuti Ioann. 16. expressit; *non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Ex his responderi posset quæsito de differenti Euangelistarum orationis huius narratione: sed quoniam Syntaxis distinctæ assumptum est varietatis in causa, sustine.

D 3. p. 21. 4. 1.

70. Quoniam autem in hac Domini oratione, *si possibile est*, inquit, *transeat à me calix iste*; & deinde quasi supposita impossibilitate, subdit; *si non potest hic calix transire, nisi bibam illum*: similiter apud Marcum; *orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora: & dixit, Abba Pater; omnia tibi possibilia sunt*: non decet abeamus ieiuni, de graui quam versat Angelicus quæstione; E *Vtrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ, quàm per passionem Christi*. Quocirca Augustinus 13. de Trinit. cap. 10. *istum modum, quo nos per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asserimus bonum, & diuinæ congruum dignitati: verùm, etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse; cuius potestati, cuncta æqualiter subiacent; sed sanandæ miseriæ nostræ, conuenientiorem alium modum non fuisse*. Et ad hæc facit; F *Vtrum necessarium fuerit ad reparationem Generis humani Verbum Dei incarnari*. Tu signanter in hanc se effudisse orationem Dominum perpende: quæ altissimæ Theologiæ præberet argumentum. Absolutè enim possibile erat, vt transiret ab eo calix: at non ex suppositione: quia enim impossibile est, Dei præscientiam falli, & eius voluntatem, seu dispositionem cassari; supposita præscientia G & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati. Et ita cùm dixit Ioann. 12. *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solùm manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: loquitur supposita præscientia & præordinatione Dei: vnde ait & Augustinus; *nisi ergo mortem passus esset, aliter fructum nostræ liberationis non fecisset*. Et similiter impræsentiarum; *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum*: scilicet propter hoc, quod tu ita disposuisti: vnde subdit; *fiat voluntas tua*. Quò & Hilarius; *ideo calix transire non potest, nisi illum bibat; quia reparari, nisi ex eius passione non possumus*.

E 3. p. q. 46. 2.

F 3. p. qu. 1. a. 2.

G 1. p. 46. a. in co. p. & arg. 1. & 2.

VERS. XXXXV. *Ecce appropinquauit hora*; &c.

71. Vt animaduertit Angelicus, H aduerbium *ecce*, nota est gaudij vel propinquitatis. Atqui hoc in loco, non tam videtur propinquitatem concernere, vt mox exprimit, quàm gaudium excussa humani sensus tristitia, ac etiam exploso, vbi secum sint, *eamus*, discipulorum timore: supra cap. 10. *nolite timere eos, qui occidunt corpus*: psal. 22. *non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine*. Sanè Ioannis 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*. In Christo autem, quantumuis ad comprobandam I veritatem humanæ naturæ, voluntariè timorem assumpsisset, sicuti & tristitiam, quia refugiebat appetitus sensitiuus corporis læsionem, siue præsentem, siue futuram; vnde Marci 14. *cœpit Iesus pauere & tædere*: nihilominus, dic omnem absuisse timoris motum; quia timor fuga est mali; ipse autem it obuiam proditori, passioni & morti: *surgite, eamus*: iuxta quod ait Chrysostomus de ingressu eius in Ierusalem; *non mors eum vrgebat; sed ipse magis aduersus se compellebat mortem*. Sic animos dat discipulis. Vnde Hilarius; *post orationem frequentem, post discursus recursusque multiplices, metum demit, securitatem reddit*: & Hieronymus; *postquam ergo tertiò orauerat, & Apostolorum timorem, sequente pœnitentia, impetrauerat corrigendum, vltrò se ad interficiendum præbet*. Sic autem perfunctoriè abiectus à discipulorum cordibus timor, indicat quam essent habituri desuper fortitudinem, cùm secum irent, in fidei testimonium ad mortem; quos *neque mors neque vita* (Roman. 8.) *separare posset à charitate*: itemque præludit, quia vt ait Leo Papa, *nulla fidelium mœstitudine paschalis est obseruanda solemnitas; nec cum tristitia, gestorum ordo recolendus est: cùm ita Dominus vsus sit malitia Iudæorum, vt intentione facinoris, voluntas sit impleta miserentis*. Aliàs enim superuenisse discipulis timorem scimus; quandoquidem paulo post, *discipuli omnes relicto eo fugerunt*: & Ioannis 20. *erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*.

H Apo. 5.

I 3. p. 15. 7.

VERS. XLVII. *Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim*.

Chrysostomus homil. de proditione Iudæ; *hæc erat caterua regalis: de hoc choro egressus est Iudas. Vide discipulos, vide discipulum*. Remigius; *vnus videlicet numero, non merito*. Quamuis autem satis innotescat ex præmissis, quisnam fuerit proditor; nihilominus Euangelistæ omnes præter Ioannem recolunt, *vnus de duodecim*: quod profectò adiecerunt in exaggerationem facinoris. Legimus ps. 54. *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, Dux meus & notus meus*. 72.
Sanctus Hieronymus videtur hæc omnia ad falsum quempiam amicum, typum Iudæ referre. Benè Chrysostomus; *dic, quæ causa proditionis? forsitan quòd tibi Dæmonum tradidit potestatem; quod fecit languentibus subuenire; quòd mortuos suscitare didicisti?* Dionysius capit. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vocat Apostolos *diuinos nostros Duces*, vt memoratur ab Angelico L in 3. parte. Ad hanc vocatus erat & Iudas dignitatem. Quod expendens Petrus Actor. 1. ait de Iuda, *qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Iesum; qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius*. Imperscrutabilis Dei permissio! Obijcitur apud Angelicum, M quasi non fuerit conueniens, Deum incarnari; quia videretur conueniens exinde, quòd ipse totum humanum genus saluasset; cùm etiam omnium hominum salus, videatur esse competens vtilitas, pro qua tantum opus fieri debuisset: & Respondet: N est siquidem incarnationis diuinæ virtus sufficiens ad omnium hominum salutem: sed quòd non omnes ex hoc saluantur, ex eorum indispositione contingit, qui incarnationis fructum in se suscipere nolunt, incarnato Deo per fidem & amorem non inhærendo: non enim erat hominibus subtrahenda libertas arbitrij, per quam possunt vel inhærere, vel non inhærere Deo incarnato; ne bonum hominis coactum esset: & propter hoc, absque merito, & illaudabile redderetur. Altissimam huiusmodi causam dignatus est Dominus ostendere se habuisse præ oculis; dum Ioannis 17. de proditore in oratione ad Patrem interserens prompsit: *quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis: vt Scriptura impleatur*. Porro hæc ineffabilia, non sunt nisi per transennam tangenda. Sufficiat illud Osee 13. *perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*: Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit; nec lætatur in perditione viuorum*. Etsi enim, quod ait Gregorius apud Angeli-

L 3. p. 67. 7.

M 4. Cōt. G. c. 55.

N ibi cap. 55.

O 3. cont. G. c. 96. in calce. l. gelicum o rectè intelligendus; etsi, inquam, *non mutet Deus consilium, quandoque mutat sententiam.* Ad rem itaque dicendum, P non habuisse Iudam veram fidem; quia si verè credidisset, non desperasset.

P D. Th. hic c. 27.

Et iam Ioannis 7. dixit Dominus; *sunt quidam ex vobis, qui non credunt: sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes; & quis traditurus esset eum.* Considero autem quod tres noluerunt omittere Euangelistæ: *adhuc eo* (Domino) *loquente; ecce Iudas*; & libenter velim, quod aliàs ait Chrysostomus, significari, *Iudam omni modo doctrinæ à Christo fuisse cohibitum: etsi enim sciret, Iudam non conuertendum, non destitit facere, quæ sua intererat.* Et sanè in eo quod aiunt, *adhuc*, scilicet, *eo loquente*, indicant prælocutum: quod nihil prohibet accipi de interiori ad cor locutione: de qua in psalm. 84. *audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Scripsit Angelicus; Q plerunque Deus peccatores, quasi secreta admonitione arguit, interius inspirando vigilanti; vel dormienti.

Q 2. 2. 33. 7. 2.

Adnotatur ergo, me iudice, Saluatoris clementia, qui post tot præcedentia monita, *adhuc* loquebatur intus ad Iudæ cor; itemque ipsius Iudæ perfidia, qui tanquam aspis obsurduit. Vnde inter eos percenseri potest, de quibus Hebræor. 4. legimus; *non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei, ex ijs quæ audierunt*; nam Rom. 10. *fides ex auditu.* Quod si *adhuc* Iesu interiùs ad eum *loquente* audire noluit, verè & de Iuda dici potest; non fuisse de Christi ouibus; quia Ioann. 10. *oues vocem Pastoris audiunt*: & Actor. 7. *dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Idem Chrysostomus; *sicut insanabilia vulnera nec austeris medicamentis obediunt, nec demulcentibus; sic anima, vbi semel est captiuata, & se ipsam dederit cuicunque peccato, nullum emolumentum ex admonitione consequetur: quod & accidit Iudæ à proditione non cessanti.*

VERS. XXXXVIII. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens; quemcunque osculatus fuero, ipse est.*

73. Theophylactus; *vide eius insensibilitatem, quomodo credebat in osculo Christum decipere; vt quasi amicus æstimaretur. Si autem amicus eras ò Iuda, cuius gratia cum inimicis accessisti? Sed omnis prauitas sine prouidentia est.* Ita reuera; nam inane fuit Iudæ consilium: neque enim viso osculo potuerunt eum sic agnoscere, vt comprehenderent. Legimus quippe Ioannis 18. processisse Iesum, eisque dixisse, *quem quæritis?* respondisseque illos; *Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus; ego sum.* Et postquam *abierunt retrorsum; iterum interrogauit eos, quem quæritis?* osculatus autem priùs eum fuerat; quia *confestim ad Iesum accedens, dixit, Aue Rabbi; & osculatus est eum.* Vnde Augustinus relatus Lucæ 22. in Catena sentit primò dixisse; *Iuda osculo filium hominis tradis?* deinde, *amice ad quid venisti? postea, quem quæritis?* Sed cùm clusa remanserit quoad hoc proditoris intentio; quæritur, qua de causa tale adhibendum existimauerit studium. Ad hæc Origenes, *dignum est autem quærere, cùm secundùm faciem notus esset omnibus habitantibus in Iudæa, quare quasi non cognoscentibus effigiem eius, dedit eis signum?* Respondet; *venit traditio talis de eo ad nos; quoniam non solùm duæ formæ in eo fuerunt; vna, secundùm quam eum omnes videbant; altera secundùm quam transfiguratus est coram discipulis in Monte; sed etiam vnicuique apparebat secundùm quòd fuerat dignus: sicut & de manna scriptum est, quod habebat saporem ad omnem vsum conuenientem: & Verbum Dei non similiter cunctis apparet. Propter huiusmodi ergo transfigurationes eius, signo indigebant.* Chrysostomus in homilia; *vel ideo signum eis dedit; quia multoties detentus ab ipsis pertransiit, nescientibus eis: quod & tunc factum esset, si ipse voluisset.* Atqui non video quomodo Iudas calluerit transfigurationem in monte, cum tribus delectis discipulis inhibuisset, Matthæi 17. *nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Quòd si aliàs immutabatur facie; vnde Iudæ potiùs, quàm alijs sperari poterat notus? Quòd si meditabatur Iudas alibi elapsum è manibus, nihil, vt caperetur, proderat eum osculari. Denique signum collocutionis cum Iesu visum fuerat opportunius. Quorsum ad osculum confugit?

Dicam quod sentio; nec reor à veritate alienum: Diabolus qui in deserto Saluatorem tentauerat, num 74.
purus esset homo, an lateret in eo Diuinitas: voti compos nondum effectus, nunc etiam, cum machinaretur proximè ipsius necem, extremum conamen facit, quo rem exploret. Claret Diaboli anxietas Regni sui excidium reformidantis per eius mortem: siquidem cap. sequenti 27. Pilati vxor *misit ad eum dicens; nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Fortius autem de puro homine argumentum præ cunctis, peccatum est. Quare nititur Diabolus, qua potest vi, iterum an peccet vel impatiens intentare. Suggerit ergo discipulo in quem intrauerat; vt nedum sit proditor; sed vt inexcogitabiliter iniurius per osculum tradat. Dignè Ambrosius; *osculo tradis? hoc est amoris pignore, vulnus infligis; & pacis instrumento mortem irrogas?* Et lib. 6. Hexameron cap. 9. *Dominus velut prodigij genus in proditore condemnans ait; Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est, charitatis insigne conuertis ad signum proditionis, & infidelitatis indicium: pacis hoc pignore vteris ad officium crudelitatis? bestiali igitur oris obsequio inferentem potiùs necem, quàm charitatis fœdera deferentem, diuinæ arguit vocis oraculo.* Et Aug. Ser. 120. de tempore; *ò signum sacrilegum! vbi bellum incipitur ab osculo? & per pacis indicium, pacis rumpitur Sacramentum.* Planè proditoriè occisum Amasam à Ioab detestatur Scriptura 2. Regum cap. 20. in hac verba: *dixit Ioab ad Amasam; salue mi frater: & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.* Et Prouerb. 27. legimus; *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Canimus in die Parasceues dolenter; *Agno miti, basia, cui lupus dedit venenosa.* Osculum, inquit Angelicus, R est signum pacis; nam per os, in quo datur osculum, homo respirat: & ideo quando homines dant sibi mutuò oscula, signum est, quòd vniunt spiritum suum ad pacem.

R 2. Cor. 13. l. 3.

Dicamus ergo, tam dolosa huiusmodi pacis simulatione, ac impijssima humanorum affectuum degeneri detorsione, columbam miluum egisse, si fortè vaferrima huiuscemodi proditione, vel tantillus inordinatæ indignationis motus in osculantem posset extorqueri: vnde Iesus pro comperto non Deus, sed homo haberetur. Accommodes illud psal. 75. *vsquequò Deus improperabit inimicus? irritat aduersarius nomen tuum in finem?* Nomen scilicet Iesus, quod est *in ore mel, in aure melos, in corde iubilum,* quod ait Bernardus cōtra fel iracundiæ. At quamuis psal. 119. iniuriam tantam passus prophetice intonet; *Ad Dominum cùm tribularer clamaui & exaudiuit me: Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa*, complet ex Hieronymo in Iudam; *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Quin etiam tantum abest excandescat, vt quia Ecclesiastici 6. *verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*; & ex Poeta; *nomen amicitiæ barbara corda mouet*; illud suauissimè dicat; *amice ad quid venisti?* Quapropter sicut in psalm. 17. de ipso dictum est; *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; ita ipsi quoque arrideat in psal. 54. *non dabis in æternum fluctua-*

fluctuationem iusto. Nam ex Diuo Petro in 1. cap. 2. *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.* Et ex his nedum diabolicos delusit astus; sed quis & vnde esset ostendit: siquidem de ipso præcinuit Isaias cap. 53. *sicut ouis ad occisionem ducetur; & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Ieremiæ 11. *& ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Quæ potissimum potest esse ratio; quare Dominus sic osculo tradi permiserit. Vnde ad rem Chrysostomus; *tradis mansuetum & mitem:* & Ambrosius; *magna ò Domine significatio potestatis, magna disciplina virtutis!* *Consilium traditionis aperitur; & adhuc patientia non negatur.* Hinc Rabanus ad illud, *conuerte gladium tuum in locum suum*, inquit; *oportuit, Actor gratiæ fideles patientiam suo exemplo doceret; & potius ad sustinendum fortiter aduersa instrueret, quàm ad vindicandum prouocaret.*

VERS. L. *Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum.*

Sanctus Leo Papa Serm. 8. de passione; *occupant*
75. *volentem teneri; & trahunt volentem trahi. Quod si vellet obniti, nihil impiæ manus possent.* Ita Ioannis 7. *quærebant eum apprehendere; & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Chrysostomus; *quoties de manibus Sacerdotum elapsus euasit; cum esset inuisibilis factus? Quando Iudæi Christum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt. Quando autem ipse secutus est mortem, parcere ei Iudæi non potuerunt. Ergo fortè de morte sua fecit eos innoxios? absit. Facultas eis data est, vt possent facere, quod priùs volebant; non mutata voluntas.* Sed iam ab ore Domini; nam, *in illa hora dixit Iesus turbis; tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis.* Diuus Petrus in sua 1. cap. 4. *nemo autem vestrum patiatur vt homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.* Puto autem in horto capi voluisse, quia pro illius peccato capiebatur, qui in horto deliquerat, rapiens de ligno pomum. Vnde exponitur

S I. P 47. 2.1. de Christo illud psalm. 68. S *quæ non rapui, tunc exoluebam.* Et sequitur animaduersione Matthæi; *hoc autem totum factum est, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum.* Remigius; *quia enim omnes Prophetæ prædixerunt Christi passionem, ideo non posuit fixum testimonium, sed generaliter dicit impleri vaticinia omnium Prophetarum.* Diuus Hieronymus Scripturas aliquas recolit de Christi morte, vt illud psal. 21. *foderunt manus meas & pedes meos:* & Isaiæ 53. & Ieremiæ 11. *sicut ouis ad occisionem ducetur: quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Cæterum quoniam non dicit Matthæus, *vt impleantur Scripturæ*, sed addit, *Prophetarum:* quod est arctari ad eosdem Prophetas, videtur mihi allegasse Prophetarum speciatim testimonium, non pro tota Sanctissimæ Passionis serie, sed pro comprehensionis Saluatoris exordio: vnde ait, *hoc autem totum factum est, vt implerentur Scripturæ Prophetarum.* Paulò ante quippe Dominus dixerat in vniversum percussori discipulo; *quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Vnde diuersa procul dubio præsentis facti consideratione, protulit Matthæus, quod audiuimus Prophetarum in genere vaticinia. Horribile adeo extitit primordiale hoc facinus; vt accederent, & manus inijcerent in Iesum, & tenerent eum, seu ligarent, vt inquit Ioannes, tanquam latronem, quod ipsemet exaggerat; vt nisi adessent Prophetarum oracula, fieret incredibile. Attentè aliàs Chrysostomus; *ne autem audiens vincula auditor turbetur, recoluit Prophetiam.* Fertur Ioann. 18. in Catena. Olim Exodi 19. inhibitum fuit; *omnis, qui tetigerit montem, morte morietur:* vnde cap. 20. *steterunt procul, stetitque populus de longe.* Numeri 4. *non tangent*, inquit, *vasa Sanctuarij, ne moriantur* 2. Regum 6. *extendit Oza manum ad Arcam Dei*, & *tenuit eam: iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate; qui mortuus est ibi, iuxta Arcam Dei.* 3. Regum 13. contra Addo virum Dei, *extendit Ieroboam manum suam de Altari dicens; apprehendite eum; & exaruit manus eius, quam extenderat contra eum; nec valuit retrahere eam ad se:* Et modò accesserunt *Cohors & Tribunus & ministri Iudæorum, & manus iniecerunt in Iesum, & ligauerunt eum* impunes? Quamuis factum, sit stupore dignum, quando ex aduerso ait Baptista Lucæ 3. *cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius;* nihilominus, ne absorbeat nos admiratio, sciatis ait Matthæus, multo ante, totum hoc fuisse prophetatum. Et vbi nam? Profectò in psalmo eo 21. *circundederunt me canes multi:* & prius, *circumdederunt me vituli multi:* vbi introducuntur, T inquit Angelicus, persecu- T ps. 21. 2
tores inuadentes opere, vt plebs & ministri: & quando fuit captus. Sic Threnorum 4. *Christus Dominus captus est in peccatis nostris;* idest V propter pec- V Ioann. 18. L. 4.
cata nostra. Sic sub Ieremiæ typo cap. 26. *congregatus est omnis Populus aduersus Ieremiam in Domo Domini:* & prius; *cùmque complesset Ieremias loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuersum Populum, apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ, & omnis Populus dicens; morte moriatur.* Et Sap. 2. *circumueniamus iustum, quoniam inutilis & contrarius est operibus nostris.* Adde Isaiæ 53. commemorari propheticè Christum, *sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus*, &c. & Ieremiæ 11. *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Ligabatur autem victima offerenda: vnde & Christus Dominus, offerendus in sacrificium & holocaustum pro peccatis nostris, ligari in horto passus est; ex quo canimus; *te qui vinciri voluisti propter nos:* sicut & de Isaac cantatissima Christi figura; (siquidem, *in figuris præsignatur, cùm Isaac immolatur*) legimus Genesis 22. *cumque alligasset* (Abraham) *Isaac filium suum.* Ecce cur perpendat Euangelista; *hoc autem totum factum est; vt implerentur Scripturæ Prophetarum:* maximi enim momenti fuit, sinere, vt etiam funibus sanctissimum suum corpus constringeretur: vtpote abiectionis extremæ argumentum. Sanè 2. Regum 3. quasi in solatium dixit Dauid, *nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati.* Sicut & de Alexandro ferunt, dixisse: *non decet vinciri Regem*, cùm id, pro extrahendo de vulnere ferro, suaderent Chirurgi. At hanc etiam circunstantiam prædixerunt Scripturæ Prophetarum; psalm. 21. *ego autem sum vermis & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis;* & Thren. 3. *eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum.* Aliàs quippe tantum dedecus fuerat declinandum, vt fractis vinculis exiret de eorum manibus: sed maluit Dominus, hanc etiam subire ignominiam; sicut prædixerat Psaltes, *traditus sum, & non egrediebar:* quia Isaiæ 53. *peccata multorum tulit:* & Prouerb. 5. legimus; *iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et ita in expiationem nostram talia non horruit.

VERS. LI. *Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum;* &c.

Fa-

76. Factum hoc est mirabile multis de causis. In primis quia videtur denigrare Apostolicæ lenitati, cuius adeo studiosa est Ecclesia, vt hoc vno ex defectu insurgat irregularitas absque omni culpa, vbi se quispiam ingerat in causa sanguinis; & ex delicto, quando fiat vel occisio vel membri mutilatio, intenta nedum, sed ex inaduertentia casualis. Angelicus, astruens illicere Clericis X bella gerere, ita deducit: Omnes Clericorum ordines ordinantur ad Altaris ministerium; in quo sub Sacramento repræsentatur passio Christi, secundum illud 1. ad Cor. 11. *quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem; sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo; vt imitentur opere, quod gerunt ministerio. Et propter hoc est institutum, vt effundentes sanguinem etiam sine peccato, sint irregulares. Et ibidem ad 1. quod autem aliqui (Clerici) propria manu pugnent, abusionis est. Et in *sed contra*; Petro in persona Episcoporum & Clericorum dicitur; *conuerte gladium tuum in locum suum*. Fert Magister sentent. in 4. d. 37. scripsisse Nicolaum Papam Radulpho Bituricensi archiepiscopo; *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem*. Cur ergo permisit Dominus, vt futurus summus vice ipsius in terris Sacerdos, nedum eximat gladium, sed istum vibret, & auriculam amputet? Et nedum Petrus, sed & alij essent parati, dicentes Lucæ 22. *Domine, si percutimus in gladio?* Vnde quia nec Matthæus, nec Marcus nec Lucas prodiderunt quis fuerit percussor ille, videntur illius bonæ famæ consuluisse, suppresso percussoris nomine. Primæ Timoth. 3. & Tit. 1. *non percussorem*. Secundò excrescit admiratio, cur Ioannes, quod alij siluerunt maluerit exprimere dicens cap. 18. *Simon ergo Petrus habens gladium*; & cæt. Et mox; *erat autem nomen seruo Malchus*. Tertiò; quia supra cap. 16. vbi audita eius futura nece dixit Petrus: *absit à te Domine; non erit tibi hoc*, mox eum repulit Dominus ijs verbis; *vade post me Satana: scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*: & nunc percutiente, vtique in impedimentum passionis, quasi tolerat? Et si quodammodo reprimit, profectò leniter; neque enim dicit illi, *pone gladium*; sed, *conuerte gladium tuum in locum suum*. Quæ phrasis aliàs peregrina est ad eum coercendum: quandoquidem Abrahæ iam prope immolaturo filium Isaac, cum *extendit manum, & arripuit gladium*, dixit Angelus Domini; *ne extendas manum tuam*; &c.

X 1.2.qu. 40.a.2.

77. Vt his fiat satis, emicetque eloquij diuini altitudo; prælibandum est, non casu sed diuina dispensatione hæc accidisse: quod non immeritò dixerim, quia iam incipiebant redemptionis mysteria: nimirum quatenus *propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis; crucifixus etiam pro nobis*. At supra cap. 9. *non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus*. Decuit ergo in hac sanctissimæ passionis suæ ebullitione, vt humani generis morbus fieret manifestus; *vt quod nostris remedijs congruebat*, quod ait Leo Papa, innotesceret. Diuus Athanasius de passione & Cruce Domini, *causam*, inquit, *dicamus, & quamobrem passus fuerit Vnigenitus Dei filius, consideremus*, subditque, *hominum peccatum ingens erat; & hoc malum totum occupauerat Orbem*. Et quodnam peccatum? vtique, originale. Principaliùs enim A venit Christus ad tollendum originale peccatum. Etsi namque potuisset Deus, tali peccato non existente B incarnari; nihilominus scripturarum documentis attentis, peccato non existente, Incarnatio non fuisset. *Sanandæ itaque nostræ miseriæ*, vt ait Augustinus *conuenientior modus alius non fuit, quàm per Christi passionem*. Quoniam verò peccatum originale C est quidem quoad formale D priuatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo: & eiusdem peccati materiale est inordinatio virium animæ, vt docet Angelicus; voluit Dominus, vt mihi videtur, imminente sua passione ac morte, tanti excessus agnosceretur occasio: & quia formale peccati huiusmodi, solo intellectu attingitur, materiale autem vel sensu percipitur, permisit, quia, *omnes in Adam peccauerunt* Rom. 5. etiam in Apostolico cœtu lapsum deprehendi, ex inordinatione nimirum sensualitatis, seu virium concupiscibilis & irascibilis: & prius in concupiscibili, deinde in irascibili; quia scimus E qualiter passiones concupiscibilis præcedunt eas, quæ sunt irascibilis: vnde passiones F irascibilis reducuntur ad passiones concupiscibilis, sicut ad principaliores. Videamus hoc in praxi: siquidem vtriusque vis, nimirum concupiscibilis & irascibilis inordinatio aliqua patuit in assumptis discipulis. Concupiscibilis exorbitasse aliquantulum deprehenditur, quia *dormientes* erant, vtque diximus apud Lucam, *præ tristitia*: & apud Matthæum & Marcum, *erant oculi eorum grauati*. Constat autem ex Angelico, G tristitiam esse passionem concupiscibilis. Item constat alio ex loco, *aggrauationem* animi esse effectum tristitiæ: & sicut metaphoricè feruor attribuitur amori, dilatatio delectationi, ita *aggrauatio* tristitiæ. H Dicitur enim homo aggrauari ex eo quod aliquo pondere impeditur à proprio motu: & quandoque impeditur sic interior motus animi angustiati, vt neque hac, neque illac diuertere valeat; & quandoque etiam impeditur exterior motus corporis, ita quòd remaneat homo stupidus in se ipso. Gregorius Nyssenus & Damascenus ponunt tristitiam aggrauantem. Vis videre lector an effectus iste fuerit in discipulis? audi Marcum & obstupesce; *ignorabant*, inquit, *quid responderent ei*; quasi stupidi. Porro hunc tristitiæ excessum admirare vlteriùs, quomodo temperasse Dominum sacer textus eloquitur: textus aliàs implexus, vt supra tactum est. Dixit sanè illis, *dormite iam & requiescite*; & mox *surgite, eamus*. Quomodo mi Domine vis dormiant nedum sed requiescant, nedum quiescant: & simul iubes vt surgant? Iam capio: hoc das intelligere, vt vel tuo nutu compescatur, quæ ingruerat excedens tristitia. Profectò docet Angelicus I per somnum potissimè mitigari tristitiam sicut dolorem: vnde Augustinus; *dormiui & euigilaui; & non parua ex parte mitigatum inueni dolorem meum*: & inducit, quod in hymno Ambrosij dicitur, quòd *quies artus solutos, reddit laboris vsui, mentesque fessas alleuat, luctusque soluit anxios*. Sensus sit ergo, *dormite iam & requiescite*: nimirum *mitigetur, temperetur tristitia*: & quoniam *ipse dixit & facta sunt*: en eos non iam grauatos, aut stupidos, præpeditosque; quod parit tristitia: sed torpore omni excusso, surgere ac moueri: *surgite, eamus*.

A 3.p.q. 1.a.4.
B ibi a.3.
C 3.p.46. 3.
D p.2.qu. 82.a.3.
E p 2. 25. 1.
F p 2 82. 3.2.
G p.2.qu. 35.a 1. & q.25.a.1.
H p.2 37. 2.
I p. 2 qu. 38.a.5.

78. Postquam innotuit naturæ lapsæ, non integræ, vt fuit ab initio, exorbitans concupiscibilis, debuit defectus conuenientis ordinis consectariò in irascibili declarari. Pulchrè de irascibili Angelicus; L Patet quòd irascibilis est quasi propugnatrix, & defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea, quæ ingerunt nociua, quæ concupiscibilis refugit. Vide lector quomodo palam effectus irascibilis emicat: nam vt testatur Lucas: *videntes hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei; Domine, si percutimus in gladio?* Et quod alij quoque referunt; *vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius*.

L 1.p.qu. 81.a.2.

M p.2.25. a.1. *eius.* Ira quippe passio M est irascibilis, & tristitiam sequitur; cùm enim occurrit malum, quod timebatur, causatur tristitia; & tristitia præcedente aliquis insurgit in vindictam, quod pertinet ad motum iræ. Hanc autem passionem compescere item voluit Dominus, dicens, *conuerte gladium tuum in locum suum.* Et mox; *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo, plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ac si diceret; quid opus est exardescas excandescas in iram, ad propulsandos, quod munus est irascibilis, tot hostes? non mihi deest à Patre facultas. *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Permisi eximeres gladium, qui appositè per metaphoram defensatrix, & propulsatrix est vis irascibilis: coerce illam, ne plusquam par sit, erumpat, naturæ lapsæ ex miseria, in iram atque vindictam. Se se contineat intra conuenientiæ limites, *in locum suum conuerte,* siue *in vaginam* vt ait Ioannes. Et ecce quàm signanter promspserit Dominus *in locum suum.* Quocirca recolendum est, qualiter
N p.2.82. a 4.1. N ex vinculo originalis iustitiæ, sub quodam ordine, omnes vires animæ continebantur: nam quousque
O p.p.95. 1 & Rom. 4.1. O ratio fuit subiecta Deo, inferiores vires subdebantur rationi. Quid autem sit ordo, habemus ex
P Matt.5. Augustino apud Angelicum, P ibi *beati pacifici;* nempe *ordo est parium dispariumque sua loca cuique tribuens dispositio:* & pax, quæ est *tranquillitas ordinis,* ex hoc est, quòd omnes teneant sua loca. Vnde primò debet mens hominis Deo subiecta esse; deinde motus & vires inferiores, quæ sunt nobis, & brutis communes, debent esse subiectæ rationi. Hactenus ex Diuo Thoma. Quid est ergo dicere; *mitte gladium tuum in locum suum;* nisi, reducatur vis tua irascibilis ad primæuæ dispositionis normam, ad primi status ordinem? quandoquidem ordo loca sua vnicuique definit. Comprime iram; sis perfectæ virtutis moralis studiosus. Qua de re loquens Angeli-
Q 1.p.95. 2. cus Q inquit; perfecta virtus moralis non totaliter tollit passiones, sed ordinat eas. Cùm ergo origina-
R p.2.83. 3. le peccatum (quod dictum est) sit R virium animæ inordinatio, quæ certè loca confundit; sicuti è contra ordo loca disponit; nequibat exactiùs, reparatio ab originali significari, quàm illorum verborum momento; *mitte gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt;* hoc est, (si consequenter velimus capere) omnes qui inordinatè irascibili vsi fuerint, ex ipsa irascibili peribunt: non enim accipi potest gladius, nisi de loco suo amoueatur. Huc Augustinus; *Petrus ad patientiam commonendus fuit; & hoc ad intelligentiam conscribendum.* Quandoque gladius irascibilis semetipso exeritur, cùm præuenit iudicium rationis;
S p.2.74. 8. & tunc homo perfectè (doctrina est S Angelici) non irascitur; quia illud quod homo facit sine deliberatione rationis, non perfectè ipse facit; quia nihil operatur ibi, id quod est principale in homine: vnde non est perfectè actus humanus; & per consequens non potest esse perfectè actus peccati; sed aliquid imperfectum in genere moris. Porro si ratio inordinatos actus inferiorum virium, vel imperet, vel etiam post deliberationem non coerceat, ex eo-
T ibi a.5. & a.7. ad 3. dem Angelico, T peccatum est: dic Euangelica metaphora, tunc peccat, & gladio erumpentis iræ, perit, cùm *accipit gladium.* Et huc facit mirè quod docemur in eo art.7. Statim, inquit, ac sensualitas proponit, inferior ratio quandoque *acceptat,* & consentit, & etiam ratio superior. *Accipere* ergo gladium, reor esse idem ac *acceptare* propositam ab ira-
V p.p.95. 2. scibili iram & vltionem. Non sic in primo homine ante lapsum V fuerunt inordinatæ passiones: sed
X p.2.82. 3.1. postquam peccauit, X concupiscentia transcendit limites rationis. Et quia peccatum originale transit
A p.2.74. 3.2. quidem reatu, A sed remanet actu; eoquòd corruptio sensualitatis, quantùm ad fomitem, nunquam totaliter tollitur in hac vita; ideo existimarim dixisse Dominum, *mitte gladium tuum in locum suum;* non autem *pone gladium,* vel *gladium proÿciat.*

Adstipulantur meditationi huic, vt in hisce Apostolorum affectibus, de originali peccato introductum sit, plura ex sacro contextu. In primis: quoniam originalis labis infectio in omnes pertransit, nullus exprimitur à tribus Euangelistis, qui gladium exemerit. Solus Ioannes adiecit fuisse Simonem Petrum; planè ob latens aliud mysterium; sicuti, & percussum nominat Malchum. Deinde quia consequenter omnes discipuli irascibilis sensere motum dicentes in Luca: *Domine si percutimus in gladio?* Tertiò, quia licèt peccatum originale æqualiter sit in omnibus iuxta sanam doctrinam; soluto vinculo originalis iustitiæ, sub quo quodam ordine (vt diximus B) omnes vires animæ continebantur: tamen contingit, vires aliquas animæ esse fortiores in vno quàm in alio, propter diuersas corporis complexiones: & exinde vnum hominem esse alio proniorem & vehementiorem in suos actus. Huc facit quod ait Hieronymus; *Petrus hoc fecit eodem ardore, quo & cætera fecit.* Benè ergo dicit Dominus, *conuerte gladium* addito *tuum.* Quartò vel ex hoc insinuatur originalis mala procliuitas; quoniam cùm posset ab Euãgelistis fortè commemorari discipulorum timor, de hoc nihil dixere, sed de ipsorum tristitia. Ratio fuerit, quia timor, vt constanter docet Angelicus, C nullo modo est in concupiscibili; tristitia verò concupiscibilis est passio. Vnde si de timore facta fuisset mentio, & non de tristitia, infectio concupiscibilis non innotuisset, sed solius irascibilis in timore scilicet inordinato, & in ira ac serui percussione. Et sic non ex integro peccati originalis corruptio esset deprehensa ambabus in viribus, prout par erat; ne in illud traheremur absurdum Galat. 2. *ergo gratis Christus mortuus est:* nam 1. Petri 3. *Christus pro peccatis nostris mortuus est;* cum Isaiæ 53. *posuerit pro peccato animam suam.*

Hinc satis liquet, quidnam sibi velit, *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Difficultas enim grauis est, quam vidit & Augustinus apud Angelicum; D *nec tamen,* inquit, *illi etiam qui cum peccato gladio vtuntur, semper gladio occiduntur; sed ipsi suo gladio semper pereunt; quia pro peccato gladÿ æternaliter puniuntur, nisi pœniteant.* (Consentiunt Hieronymus & Hilarius.) Et præmittit; *ille accipit gladium, qui nulla superiori aut legitima potestate, aut iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Qui verò ex auctoritate Principis vel Iudicis, si sit persona priuata; vel ex zelo iustitiæ quasi auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio vtitur, non ipse accipit gladium, sed ab alio sibi commisso vtitur: vnde ei pœna non debetur.* Cæterùm quia iam supra cap.5. confirmauerat Dominus; *non occides: Qui autem occiderit reus erit iudicio:* & præterea quia exploratum est, nedum ob percussionem patratam gladio, sed de quocunque crimine dici posse; omnes qui peccant, nisi pœniteant, peccato pereunt, vel peribunt; nam Roman. 6. *finis illorum mors est: stipendia peccati mors;* Et Iacobi 1. *peccatum cum consummatum fuerit generat mortem:* semper angit scrupulus, cur de peccato gladij speciatim sit pronunciatum. At si stemus præmissæ interpretationi, vt accipere gladium sit præbere inordinato irascibilis motui consensum, salubri erudimur doctrina, quæ istiusmodi est ex Angelico: E Quærit etenim; *an in ratione superiori possit esse peccatum veniale secundùm se ipsam:* & altè decernit; cùm fertur ratio superior in suum proprium obiectum, cuiusmodi sunt diuina, motu subito absque deliberatione, non esse mortale: at in ijs, quæ pertinent

Right margin: 79. | B p.2.82. 4.1. | C p.2.25. 1. & q.41. 2.1. | 80. | D 2.2.q. 40.a.1.ad 1. | E p.2.74. 10. & a.7. ad 2.

tinent ad inferiores vires, si sint ex suo genere peccata mortalia, vbi consentiat, semper peccat mortaliter: præsupponitur quippe rationem inferiorem de inordinato motu deliberasse: vnde si ratio superior per suam deliberationem non cohibeat ab actu peccati, meritò illi imputatur: quod F etiam docet. Et *in quæst. de veritate*, exprimit magis; quia circa materiam temporalium, ratio superior non habet actum, nisi deliberatum: cum non feratur ad ea, nisi conferens ad ea rationes æternas. En ergo lector profundius etiam, quid sit hoc verbum: *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*: nimirum, quia exemptum à ratione inferiori inordinatum grauiter iræ motum, (metaphoricè in gladio; sicut supra in calice passio) ratio superior non cohibet, sed accipit, quod est consentire. Sublimi hac intelligentia Diuus Augustinus 12. de Trinit. cap. 12. lapsum primi Parentis perpendens, mulierem vocat rationem inferiorem, superiorem autem rationem, virum. Vnde ait G *si in consensione malè vtendi rebus decernitur peccatum, intelligenda est mulier cibum illicitum dedisse viro*. Væ viro qui à muliere accepit vetitum pomum. Non video hic & ibi discrimen, nisi quia consentit ibi ratio superior in concupiscibilis obiectum; hic verò in obiectum irascibilis. Veruntamen etsi praxis isthæc in irascibili extet, figura Synecdoches, de cunctis in quæ ratio superior consentiat, intelligendum est: præsertim, cum, vt supra vidimus H ira tristitiam sequatur: & I passiones irascibilis reducantur ad passiones concupiscibilis tanquam ad principaliores. Et quia primorum Parentum lapsus hunc prætulit tropologicè peccantis animæ ordinem; ideo fortasse postquam Saluator nec debuit nec potuit mali consensus specimen exhibere, hoc in Petro permissum est, non in alijs discipulis; vt qui destinabatur in Caput Ecclesiæ, Adæ, qui Princeps fuit humani generis, referret personam: pro cuius præuaricatione, iam iam Redemptor *tradebat*, vt Isaiæ 53. *in mortem animam suam*. Quod ideo dixerim, ne quis minùs sapiens crederet perperam hæc in Petro, potiùs quàm in alijs contigisse; qui licèt excitarentur ad percutiendum Lucæ 22. *Domine si percutimus in gladio?* non sicuti Petrus quenquam percusserunt. Neque enim aliunde emicat quorsum spectauerit isthæc excursus Petri diuina permissio.

F p. 1. 74. 9. ad 3. & 4. de verit. q. 15. a. 5.

G p. 1. 74. 7. in sed contra.

H p. 2. 25. 1.

I p. 2. 82. 3. 2.

81. Post hæc insurgit curiositas, an Petrus seruum percutiens peccarit mortaliter? à veniali enim non tam facilè videtur posse excusari. Augustinus contra Faustum peccasse præsumit: *quid ergo indignum, si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est Rector & Princeps Synagogæ? vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate regulam excessit, vterque odio improbitatis alienæ. Sed ille fraterno, iste Dominico, licèt adhuc carnali, tamen amore peccauit*. Beda minimè culpat ictum dicens; *sciebat enim, quomodo Phinees puniendo sacrilegos, mercedem iustitiæ & Sacerdotij perennis acceperit*. Et ita prius Ambrosius. Augustinus *de cons. Euang.* dicit *displicuisse* hoc factum Domino: ergo non omnino inculpatum est. Chrysostomus indulget, *quia nondum* (discipuli) *perfecti erant: sed videbis postea Petrum verberatum, & humiliter ferentem*.

82. Hac in re à Patribus non speciatim discussa, censeo dicendum, insimulari non posse nec debere Petrum de labe mortali. Et ratio est; quia fuit ille subitus, non verò deliberatus percussionis motus. Ad hæc Theophylactus; *Petrus vbique feruens pro Domino, persuasionem non expectat*. Et Augustinus; *inter moras verborum interrogantium Dominum (si percutimus in gladio?) & illius respondentis, Petrus auiditate defensionis percussit*. Et Chrysostomus; *videtur impetus Apostoli significari; quoniam ad ipsum caput impetum fecit*. Profectò docet Angelicus, L quòd apprehensio virtutis imaginatiuæ est subita & sine deliberatione: & ideo potest aliquem actum causare antequam superior vel inferior ratio etiam, habeat tempus deliberandi. Sic autem mihi videtur contigisse Petro; ita vt nedum non prouocauerit sibi inordinatum huiusmodi motum iræ; sed neque consensu aliquo probauerit subitò exortum. Deliberat quippe de malo & ratio inferior, & ratio superior animæ, diuersis attamen regulis. Ratio inferior deliberat per causas inferiores, vtpotè considerando turpitudinem actus, dignitatem rationis, hominum offensam, & huiusmodi. Superior ratio deliberat ex regula legis diuinæ; sicut Augustinus dicit 12. de Trinitate cap. 7. *ratio superior inhæret rationibus æternis, conspiciendis aut consulendis*; puta cùm aliquis deliberat de agendis ex hoc quòd aliquid Deo est acceptum, vel diuina lege præceptum. De his M videantur sua loca. Explicat autem in materia infidelitatis, quomodo possit contingere præueniens deliberationem subitus motus hoc pacto. N Potest, inquit, aliquid horum quæ pertinent ad fidem, subitò rationi occurrere, antequam super hoc consulatur, vel consuli possit ratio æterna, idest lex Dei: puta cùm quis resurrectionem mortuorum subitò apprehendit, vt impossibilem secundùm naturam, & simul apprehendendo renititur; antequam tempus habeat deliberandi, quòd hoc est nobis traditum vt credendum, secundùm legem diuinam. Si verò post hanc deliberationem motus infidelitatis maneat, est peccatum mortale. Hucusque Angelicus. Velim ego libenter similiter, de percussione Petri iudicium ferre; vt scilicet subitus fuerit motus, ideoque non nisi veniale. Sic in Apocal. diuersos iræ gradus distinguens ait; primus gradus, subita ira, siue subitus motus; vel ante consensum & deliberationem rationis, quod est veniale. Ne sit peccatum, oportet vt motus iræ non immoderatè ferueſcat, nec interius nec exterius: alias est peccatum, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam: 2. 2. 158. 2.

L p. 1. 74. a. 7. ad 4.

M de verit. q. 15. a. 3. & p. 1. 74. 7.

N p. 2. 74. a. 10. Apoc. 16. comm. 1. ibi, & *tertius Angelus*.

Sed ne gratis id affirmari quis calumnietur, verba Domini mox prolata expendamus: quæ aliàs, quò profundo sensu colliment Interpretes latet. *Omnes*, inquit, *qui acceperint gladium, gladio peribunt*. 83.
Quid his intendit Saluator, nisi percussori suggerere, quocirca versari debeat ratio inferior? nempe hominis offensam, pœnamque statutam; vt & humana lege, *omnes qui gladium accipiunt, gladio pereant*. Extat lex Exodi 21. *qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. In percussoris, (vt notatur O) & mutilationibus, induxit pœnam talionis: ibidem *oculum pro oculo*, &c. *vulnus pro vulnere*. Quare si ly *peribunt* extremam sonet pœnam, *interibunt*, vt radix hebraica *abad* importat, homicidium præsumit vel intentum: respectiuè autem vbi minus sit delictum, minus est vindicandum, vt fiat sensus; *qui percusserit gladio*, manet eum etiam ad puniendum iustitiæ brachium; iuxta illud Roman. 13. *si autem malum feceris, time; non enim sine causa* (Dei minister) *gladium portat; vindex in iram ei, qui malè agit*. Ex quo planior fiet litera; vt cùm dicit *gladio peribunt*. *quid iuris*, non *quid facti* significet; hoc est qui gladium accipiunt, merentur interfici, seu potestate secundùm culpam puniri. Nam vt ait Hilarius; *non omnibus gladio vtentibus mors solet esse per gladium; nam plures aut febris aut alius accidens casus absumit*. Et ita ly *gladio peribunt*, ad Iudicem debet referri; vt iudiciaria potestas, qua pœnis debitis rei plectuntur, gladius figuratè dicatur; æquiuocè ad gladium

O p. 2. 105. 2. 10.

P Rom. 13. 1. indebitè ferientis; quia Principes P in signum suæ potestatis ad sumenda supplicia, deferebant secures etiam & gladios ad occidendum. Solerter hoc attigit Tirinus dicens; *de iure sermo hic est, non de euentu*.

84. Postquam dignatus est Dominus tangere quod poterat rationem inferiorem velut à somno inconsiderationis excutere, graditur ad ea quæ rationis superioris sunt propria, trahitque cum percussore nos quoque in æternorum attentionem: quandoquidem per Augustinum in eo lib. 12. de Trinitate c. 7. *ratio superior inhæret rationibus æternis conspiciendis aut consulendis*: conspiciendis quidem secundum quòd earum veritatem speculatur; consulendis autem, Q p. 1. 74. 9. Q secundum quòd per rationes æternas de alijs iudicat & ordinat: ad quod pertinet, quòd deliberando per rationes æternas, consentit in aliquem actum vel dissentit ab eo. Pulcherrima sanè doctrina: quoniam, vt prius R tradiderat, in omni iudicio vltima sententia pertinet ad supremum iudicatorium: R p. 1. 74. 7. sicut videmus in speculatiuis, quod vltima sententia de aliqua propositione, datur per resolutionem ad prima principia; quandiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipsum potest examinari id, de quo quæritur: vnde adhuc est suspensum iudicium, quasi nondum data finali sententia. Pergit Angelicus. Manifestum est autem, quòd actus humani regulari possunt ex regula rationis humanæ; & vlterius ex regula legis diuinæ. Vnde cum regula legis diuinæ sit superior; consequens est, vt vltima sententia, per quam iudicium finaliter terminatur, pertineat ad rationem superiorem, quæ intendit rationibus æternis. Dic ergo lector, debuisse Petrum, antequam ictum vibraret, percuteretque seruum Pontificis, rem & ab humanis & ex diuinis examinare: quod quia non fecit, supplet docendo & admonendo Saluator. Et primò quidem ex regula rationis humanæ; quia *omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt*: deinde ex regula superiori diuinæ suæ Patrisque dispositionis æternæ; *an putas, quia non possum rogare Patrem meum?* &c. *quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Obmutescat ergo impietas Caluini, qui miris modis Petri peccatum exaggerat. Si enim perpendantur, quæ subiecit Dominus verba; quæ certè non nisi opportunissimè inter tot quæ poterant à Domino dici, delecta sunt; compertum fit, nec ratione inferiori, nec superiori, subitam amantis iræ percussionem potuisse examinari. Quod præterea constare videtur; tum quia cæteris non ita irrepsit inconsultò in vindictam motus; dixerunt enim Lucæ 22. *Domine si percutimus in gladio?* vbi etiam exprimitur ad deliberandum mora; *viderunt*, inquit, *hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat*; tum etiam quoniam, nisi dementatum faciamus Petrum, nequit admitti eo in facto deliberata consideratio. Quæ enim fuisset prudentia, aduersùm tot aggressores & armatos, eximere gladium, vnumque vibrare ictum? Tum denique quia non perperam Ioannes cap. 18. ait, *Simon ergo Petrus habens gladium*, &c. adhuc erat *Simon*, idest *obediens*. Peccatum ex Ambrosio lib. de Parad. cap. 8. *est cælestium inobedientia mandatorum*. Satis ergo insinuat, seu potiùs manifestat facet contextus Petri excusationem: vtpotè qui post primum ictum, etsi adhuc exemptum gladium haberet, à secundo abstinet: nimirum quia temporis nonnullius interiectu, transacto eo subito motu, cognouit examinis opus esse, an adhuc quempiam feriret: vnde hæsit suspensus, neque recondito gladio, nec eo rursum vsus. Sanè dicit Angelicus in p. 2. 97. a. 3. cum aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio prouenire. Amouit autem perplexitatem Dominus dicens; *mitte gladium tuum in locum suum*; edisserens deinde cur illiceret. Neque enim moderamen inculpatæ tutelæ humanitus certè impossibilem euasionem honestabat; neque diuina prædefinitio id permittebat. De hac Sanctus Leo Papa in Serm. 8. de passione; *depulsa trepidatione infirmitatis, & confirmata magnanimitate virtutis, rediji in sententiam suæ dispositionis æternæ: sæuienti diabolo per ministeria Iudæorum, formam serui obiecit*, &c.

Emergit autem præalta inquisitio, cur non satis fuerit Matthæo referre, quod veluti compendio scribit Ioannes; *calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et magis, quare Dominus, prolixiùs hæc dixerit; *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* 85.

Respondetur sublimissimam in his recondi Theologiam, qua præ alijs Petrus erat erudiendus; quia, 86. vt notat Ambrosius Lucæ 5. *etsi alijs imperatur, vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur; duc in altum; hoc est, in profundum disputationum*. Hinc reor signanter in Ioanne legi; *dixit ergo Iesus Petro*, nomen illi impositum, quà Caput Ecclesiæ. *Alta profunditas, quis* (Ecclesiastes 7.) *inueniet eam?* Consueuit discuti; *quomodo Deus* S *possit facere præter ordinem suæ prouidentiæ, & quomodo non?* S 3. cont. G. c. 98. Siue, *an Deus* T *possit facere, quæ non facit?* Decernitur autem, simpliciter posse Deum facere alia T p. p. 25. 5. quàm ea quæ facit; & vtrobique auctoritas hæc allegatur; *an putas, quia non possum rogare Patrem meum?* &c. Descenditur autem pro elucidatione maiori ad distinctionem de *potentia absoluta & ordinaria*; ita vt si consideretur *absolutè Dei potestas*, possit alia facere, quàm quæ præsciuit & præordinauit se facturum. Et ita nihil prohibet, esse aliquid in potentia diuina, quod non vult, & quod non continetur sub ordine quem statuit rebus. Quamuis de potentia ordinaria, secundùm quòd imperium voluntatis exequitur, non possit alia velle; quia vt alibi V docemur, supposito quòd velit, nequit concipi non velle. Ex suppositione enim V p. p. 19. 3. fit impossibile, quod simpliciter possibile est: quia enim X impossibile est Dei præscientiam falli, & X 3. p. 46. 2. eius voluntatem seu dispositionem cassari; supposita præscientia & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati; & est eadem ratio de omnibus his, quæ sunt præscita, & præordinata à Deo. Modò vide lector, quàm mirè, ex verbis Domini doctrina hæc trahitur. Vt enim insinuet absolutam Dei potentiam, non vnum commemorat ad eos repellendos Angelum; cùm tamen vnus (4. Regum 19. & Isaiæ 37.) vna nocte ceciderit centum octoginta quinque millia armatorum: sed *plusquam duodecim legiones Angelorum*: ac si diceret omnes sanctos Angelos: numero namque duodenario Patribus vniuersitas significatur: multòque magis numeri huius excessu, *plusquam duodecim*. Hac autem dicendi phrasi, quis est, qui non agnoscat absolutam Dei notari potentiam? siquidem si omnes conuocentur Angeli hanc ad pugnam, necesse est, intelligantur ab alijs ministerijs quasi feriati: proinde ab executione alterius diuini imperij; quæ vbi aliàs attenditur, concernitur ordinaria Dei potentia, dicente Angelico, A A p. p. 25. 5. *quod attribuitur potentiæ diuinæ, secundùm quòd exequitur imperium voluntatis iustæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentia ordinaria*. Sit ergo sensus; *& exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum*: possum rogare Patrem, vt ab his ad mortem non tenear; nec prædefini-

definita mea passio executioni mandetur: & in huius inexecutionis possibilis absolutè intelligentiam; omnes posse auocari Angelos, & ad ineluctabilem defensionem cieri altè pronuncio. Veruntamen, *quomodo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Ecce post absolutam, de ordinariam tangi potentiam; quæ vt ibidem patet, B prædefinitum diuinæ sapientiæ ordinem inuoluit: quas non frustrari, ex suppositione necesse est. Et si inter hæc roges, cur Dominus hac interrogationis figura vsus fuerit; *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* cùm potuisset simpliciter proferre, *possum rogare Patrem meum*, &c. præsertim quia Petrus non in ea credendus est fuisse existimatione, vt putaret non posse euadere, quem fassus fuerat *Christum filium Dei viui*, supra cap. 16. Respondeo peregrino huic quæsito, consultò sic locutum Dominum, vt hac de materia errorem insinuaret argueret & elideret, quem Angelicus C memorat. Quidam enim immobilitatem diuini ordinis ad res ipsas, quæ ordini subduntur, extendere conati sunt dicentes, quòd omnia necesse est esse, sicut sunt; in tantùm quòd quidam dixerunt, quòd Deus non potest alia facere, quàm quæ facit. Et contra hunc errorem fert ibi hanc Domini sententiam; *an putas?* &c. Porrò non contentus Dominus hunc damnasse errorem, eliminare dignatur alterum; quia vt ibidem apud Angelicum, quidam è contra mutabilitatem rerum, quæ diuinæ prouidentiæ subijciuntur, transtulerunt in diuinæ prouidentiæ mutabilitatem, de Deo carnaliter sentientes, quòd Deus ad modum carnalis hominis sit in sua voluntate mutabilis. Contra quod dicitur Numeri 23. *non est Deus, quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* Hæc Diuus Thomas. Sed nos ad idem expendere possumus, quod subijcit Saluator; *quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* vtique *Scripturæ Prophetarum*, vt mox subditur. Prophetia autem ex Cassiodoro in Prologo super psal. cap. 1. *est inspiratio seu reuelatio diuina, rerum euentus immobili veritate denuncians.* Quoniam verò alij adhuc errantes contingentia diuinæ prouidentiæ subtraxerunt D; hoc videtur resolli apud Ioannem, qui hac de re fert dicentem Dominum; *calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Pertinuit autem ad Ioannem hoc memorare; quandoquidem, ipsius fuit etiam scribere; *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

B loc. cit.

C 3. cont. G. c. 98.

D 3. cont. Gent. cap. eodem.

87. Ex superiùs dictis, satis occurri potest triplici difficultati ex Numero c. 35. de non percutiendo proximo. Quamuis enim minimè decuisset à Petro educi gladium ac percuti hominem, attento summi Sacerdotij munere, quo initiabatur; nihilominus id passus est Dominus ob eas, quas explorauimus causas; vt scilicet naturæ lapsæ inordinatus pateret excursus. Idcirco non eum tam acriter increpare voluit, vt supra 16. capite; eo vel maximè, quòd motus fuit subitaneus cæcoque amore. Hinc elucescit quo ex capite tum Matthæus, tum Marcus percutientis siluere nomen; quoniam scilicet, indiscriminatim in cunctis hominibus naturæ infectio, quæ Redemptoris expetebat mortem, ad limitem virtutis excedendum pronas reddit communi fomite animæ vires. Ioannes autem & percutientis & percussi nomina prodidit; quia non ad eum spectabat eo inuolucro pios excitare legentes ad opportunam originalis peccati considerationem: quod erat Matthæi & Marci: quemadmodum speciali scopo alio subticet Lucas. Ad quem planè quoad ista intelligendum, præfert Ioannes facem, nominatis Petro & Malcho, vt in Syntaxi dicemus. Nisi enim altissimè occlaretur mysterium, diuinari ægrè posset, qua ex causa percussus fuerit ille in auricula? quare fuerit dextera? cur dexteram sibi exprimendam seruauerint Ioannes & Lucas? Denique, quare solus Lucas sanatum scripserit Malchum tactu Domini? Hæc enim omnia singillatim nondum discussa, significare sine dubio volunt aliquid, indicare volunt aliquid. Neque enim potuit non adesse Dei manus; quando præcauit, ne in percutientem Petrum Malchus aut alius quispiam repercussurus, immo eum occisurus insurgeret.

VERS. LVI. *Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt.*

Non abeunt discipuli sed fugiunt. Mirandum planè; quando eos audiuisse præsumitur quod promp serat Dominus; *si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo quem dixit; quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Magnum amoris argumentum, discipulorum saluti, cum propria periclitatur, consulere! Sed cùm vox Domini vocem habeat virtutis, quod legimus in psal. 67. *dabit voci suæ vocem virtutis*: vnde ait Augustinus; *inimicis iubet: & hoc faciunt quod iubet; scilicet, nunc eos abire, quos non vult perire:* subditque Chrysostomus; *Euangelista ostendens, quod hoc non fuit eorum propositi, sed virtutis eius, qui comprehensus fuerat, subiungit; vt impleretur sermo quem dixit*; &c. Cùm hæc inquam ita sint; quid est, quòd se fugæ tradunt; non potuis eum comitantur? vel saltem securitate obtenta incessu graui non abeunt? Nunquid Dominus, qui turbam odijs ferocem prosternere & suo iussu cohibere valuit, discipulorum cordibus non poterat præbere animos? Et sic etiam ipsorum obuiare scandalo? quandoquidem scripsit Beda; *in hoc impletur sermo, quem Dominus dixerat, quòd omnes discipuli scandalizarentur in ipso in illa nocte.* Remigius hic; *in hoc facto demonstratur fragilitas Apostolorum; qui enim de ardore fidei promiserant se mori pro eo, nunc timore fugiunt, immemores suæ promissionis.* Rabanus; *discipuli fugienter cautelam fugiendi docent eos, qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt.* Tanti momenti est hæc discipulorum fuga, quos ne perdantur cauet præcepto Dominus, vt scripserit Augustinus relatus in Catena, Ioannis 18. *cur ergo si tunc morerentur perderet eos? nisi quia nondum in eum sic credebant, quomodo credunt, quicunque non pereunt.* Quod planè durum videtur, si fide nutasse intelligat: tum quia Petrus in aliorum interrogatorum persona responderat cap. 16. *tu es Christus filius Dei viui*; tum quia præmissus Domini sermo secus probat; vbi claudit conuersus ad Patrem; *hi cognouerunt, quia tu me misisti; & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam*; & præaudierant; *dilexisti me ante constitutionem Mundi.* Cur ergo quos fide illustrauerat, non etiam constantia donat? cur scandalo huic non obstat? cur non eos sistit? præsertim, quia eadem qua dixerat auctoritate, *sinite eos abire*, posset eos audacter sistere, & vbique in tuto seruare. Quare ergo fugiant omnes discipuli, sustine arcanam assequi causam in Syntaxi.

88.

Porrò si nunc de suorum libertate ac vita, dum ipse morti promptè obuiat, adeo solicitus est; quis ambigat de spiritali cunctorum salute studiosum fuisse? quandoquidem, vt ait Ezechielis 18. *omnes animæ meæ sunt.* Supra cap. 6. *nonne anima plus est quàm esca?* Accipiendum ergo existimo quod adiecit Dominus, *sinite hos abire*, in argumentum zeli indeficientis animarum, tanquam de minori ad maius: quem zelum quamuis hucusque fortè non animaduersum, sententia præcedens altè concluserat: nimirum, *tanquam ad latronem existis, cum gladijs & fustibus comprehendere me*; &c. Quorsum enim 89.

hæc prompserit, ieiuni pertranseunt legentes. Scio, quod expendunt & Patres, se his eximere à latronis nota, cuius est & latitare & nocere, vt ait Remigius: & præterea exponi posse cum Hieronymo; *stultum est, cum gladijs & fustibus quærere, qui vltrò se vestris tradat manibus; & in nocte, quasi latitantem per proditorem inuestigare, qui quotidie in Templo doceat*: sed non apparet quo fine in hæc potiùs, quàm in alia eruperit verba. Poterat enim quisque respondisse, vt Luciæ Paschasius; *ista verba potes dicere homini Christiano; mihi autem, qui Principum decreta custodio, hæc frustra prosequeris*. Frustra fateor, quoniam vt legimus Ieremiæ 6. *vniuersi corrupti sunt*, &c. *frustra conflauit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptæ: argentum reprobum vocate eos*. Quò Leo Papa in Sermon. 8. de passione; *irruerunt ergo in lumen filij tenebrarum; & vtentes facullis & laternis, non euaserunt infidelitatis suæ noctem*. At non stetit per humanissimum Dominum, quin eos à tanto facinore cohiberet, præfatis scilicet verbis; *tanquam ad latronem existis*, &c. quæ si perpendantur, ministros milites satellitesque omnes erudiunt ac informant, vbi & quandonam impiè suis pareant Dominis, ad capiendum, vel occidendum quempiam; cùm videlicet notoriè innoxius est. Et hoc intendit eos commonere, priusquam in ipsum manus iniyciant clemens Dominus. Facem præfert meditationi huic

E 2. 2. q. 64. a. 6. Angelicus quærens E *an liceat in aliquo casu interficere innocentem?* Obijcit autem sic; illud quod fit secundùm ordinem iustitiæ, non est peccatum; sed quandoque cogitur aliquis secundùm ordinem iustitiæ occidere innocentem, puta cum Iudex, qui debet secundùm allegata iudicare, condemnat ad mortem eum, quem scit innocentem per falsos testes conuictum: Et similiter minister, qui iniustè condemnatum occidit obediens Iudici; ergo absque peccato potest aliquis occidere innocentem. Respondet: ad tertium dicendum, quòd Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentiùs examinare testes, vt inueniat occasionem liberandi innoxium; sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum Superiori relinquere iudicandum. Si autem neq; hoc potest, secundum allegata sententiam ferens, non peccat; quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Minister autem Iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire; aliàs excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si verò non contineat manifestam iniuriam, non peccat præceptum exequendo; quia ipse non habet discutere Superioris sententiam; nec ipse occidit innocentem, sed Iudex cui ministerium exhibet. Hactenus Sanctus Thomas: cuius vestigia secuti quærere possumus; *an Iudæorum Ministri Iesum comprehendentes peccauerint?* Et certè iuxta præmissam doctrinam excusari nequeunt; sicuti nec excusantur carnifices, qui martyres occiderunt. Verùm, quia præsumitur vtrobique intolerabilis error, operæpretium fuerit delibare, quomodo intolerabilis euincatur. Mitto afferre in medium, quod aliàs firmat Dominus Ioannis 15. *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: quia ibi potiùs eorum damnat infidelitatem. Et ideo vniuersaliùs rimari libet, ex quo liceat quempiam sic probare innocentem, vt ipsius inuasio & occisio intolerabilis habenda sit.

90. Profectò cùm iuris ordo quoad substantialia negligitur vel contemnitur, intolerabilis error est, si quempiam quis vexet vel damnet. Cantatissimus autem est legis-peritis, triplex procedendi ad iudicium modus: nimirum per denunciationem, per accusationem, & inquisitionem. Quoad Christum Dominum, nullius scimus præextitisse denunciationem vel accusationem, ex quibus ipsum iuridicè tenere Iudæis fas esset. Vnde postquam contra ius omne captus est, *cœperunt illum accusare*, vt dicitur Lucæ 23. Sed neque inquisitionis ordine processerunt. Siquidem ex communi, inquisitio non se extendit, nisi ad crimina, de quibus aliquis laborat infamia. Vnde ex cap. Inquisit. *inquisitio fieri debet solummodo super illis, de quibus aliqui clamores præcesserunt*. Et inquirens ex officio debet habere summariam probationem: & quidem semiplenam, si contra personam inferioris conditionis; omnino autem plenariam, si contra insignem, antequam citet reum ad inquirendum vel puniendum; ex concordi sententia Doctorum. Consuli possunt de his Iuristæ & Theologi F è regione. Aduersùs Iudæos autem, quis ausit inficiari Christum personam insignem, tot ex operibus quæ supra leges naturæ fecit? nam infirmos sanauit, cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit, elementis Mundi efficaciter imperauit, dæmones expulit; vt inducit G Sanctus Doctor: obijcitque eis Dominus Ioann. 10. *multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* & considerat Petrus in Actis c. 10. dicens de Iesu; *qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*. Vnde & Leo Papa eo in Sermone; *cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donauit eloquium: febres abegit, dolores resoluit, dæmonia eiecit, mortuos suscitauit*. At sacrilegi Iudæorum Principes, & impij Sacerdotes nihili facientes insignissimum sanctitate doctrina & miraculis Christum, eumque per inuidiam tradentes, *insignem*, vt fert Matthæus sequenti capite, ei prætulerunt *vinctum, qui dicebatur Barabbas*: vtque ait idem Leo Papa, *diuino iure neglecto, expetierunt Pilatum executorem magis sæuitiæ, quàm arbitrum causæ*. Vndequaque ergo constat, non licuisse dolo tenere Christum, via inquisitionis; quia de ipso nulla præextabat mala diffamatio; nec notorium delictum aliquod affricare tantæ innocentiæ vllo modo poterant. Inquisitio vt docemur in 4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. 1. ad 4. non est facienda nisi de notorio peccato; quia oportet quòd inquisitionem præcedat clamorosa insinuatio. Iniustè igitur *iniecerunt in eum manus cohors tribunus, & ministri Iudæorum*, qui Ioann. 18. *comprehenderunt Iesum*. Non enim fuit aut esse potuit Saluator illorum de numero, de quibus 1. ad Timoth. 5. dicit Apostolus; *quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium*; quia H quædam peccata sunt notoria; quæ non indigent examinatione; adeo notoria, I vt reus nullo modo crimen inficiari possit. Dic ergo lector hanc esse verborum Domini profundam intelligentiam; *tanquam ad latronem existis cum gladys & fustibus comprehendere me*; ac si diceret: existis iustitiæ iurisque omnis præfixos indispensabiliter limites; quia tanquam diffamatum sceleribus aggredimini, quasi latronem, qui notoria laborat infamia, non alio famosior nomine, quàm latronis. Non itaque intendit Dominus semetipsum de latronum catalogo eximere; neque enim id in suspicionem alicuius venerat; cùm latrones sint viarum obsessores, qui viatores vita aut pecunia spoliant: vnde Poeta; *vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones*; & Ezechielis 18. *si genuerit filium latronem effundentem sanguinem*: & ab eadem radice hebraica, nedum latro est, sed & animal syluestre, à consuetudine hominum separatũ: occultum potiùs insinuat Dominus, scilicet se non esse instar latronis de crimine aliquo diffa-

F 2. 2. q. 67. & infra.

G 4. cont. G. c. 27. & 55.

H 1. Tim. 5. l. 1.
I 2. 2. 67. a. 1.

diffamatum, proinde capi non posse incalcato iure. Ostendit autem sic eos contra iuris ordinem missos tanquam delinquentem notoriè comprehensuros; quoniam cum armis gladijs & fustibus exierunt: vbi enim notorium non sit crimen, pro reo sistendo imputato, non est ad arma & satellites iuris confugium. Et si delatum fuerat de aliquo dixisse contra
L. Matth. legem vel fecisse; mos erat, vt notat Angelicus, I.
10.lit.b. vt vocaretur primò ad concilium, & reprehenderetur; secundò cum reprehensione, flagellaretur; tertiò, si eis esset potestas, morti etiam traderetur. Patet Actorum 4. vbi dixerunt Apostolis; *præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto*: & deinde, *conuocantes Apostolos cæsis denunciauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu*: tertiò lapidauerunt Stephanum, & Iacobum Herodi tradiderunt. Subdit autem Dominus in probationem explosæ diffamationis de crimine aliquo; *quotidie apud vos eram in Templo docens, & non me tenuistis*. Non ergo diffamatio vlla de me præextitit; quia non mihi permissum fuisset docere in Templo. Quod si in publicè docentem non sunt commoti; perspicuum certè fit, nullum mihi notoriè iniustum crimen. Ioannis 7. *dicebant quidam ex Ierosolymis; nonne hic est, quem quærunt interficere? ecce palam loquitur; & nihil ei dicunt*. Constat autem hoc inculcasse in sui iustificationem insontis notoreitatis pũctum; siquidem Ioannis 18. pariter respondit Pontifici; *ego palam locutus sum Mundo; ego semper docui in Synagoga & in Templo, quò omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego*. Colligitur ergo hoc potissimè declarasse Dominum, se contra iuris ordinem comprehendi & ligari: si fortè impij illi ministri cœpto desisterent; sed vt diximus; *irruerant in lumen filij tenebrarum*; idque *vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum*: quod recogitans Diuus Petrus in Actis cap. 3. dixit: *Deus autem, quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit*. Et ita, quod ait Leo Papa, *Dominus vsus est malitia Iudæorum, vt intentione facineris, voluntas fit impleta miserentis*. In prædictorum argumentum adhuc est, quod legimus in Luca cap. 22. nimirum; *dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & Magistratus Templi & Seniores*. Mouet Sanctus Beda; *quæritur quomodo Iesus hos alloqui dicatur, cùm apud alios Euangelistas, non ipsos venisse; verùm in Atrio Caiphæ expectantes ministros misisse perhibeantur? Sed huic contrarietati respondetur, quòd illi non per se ipsos, sed per eos, quos miserunt ad apprehendendum Christum, in suæ iussionis potestate venerunt*. Conueniens conciliatio; non secus ac Augustinus, illud Matthæi 8. *accessit ad eum Centurio*, exponit, *de accessu per alios facto*; sicuti Lucas cap. 7. narrat; *misit ad eum Seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & saluaret seruum eius*: vnde addit Augustinus, *Matthæum non deseruisse vsitatum morem loquendi*. Prouerbium iam euasit; *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Veruntamen cur Lucas, qui de Centurione rem planiùs commemorat, hìc ad Principes & Magistratus Iesu sermonem conuertat, reor eam esse causam; quia videlicet, nedum instruere ministros, sed commonefacere Iudices dignatur Dominus, ne in reos assertos posthabito iuris ordine audeant procedere. Horum quippe facinus, ministrorum excedit culpam.

VERS. LVII. *At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum*.

91. Legimus Ioannis 18. *adduxerunt eum ad Annam primùm; erat enim socer Caiphæ*. Augustinus; *cùm Matthæus id breuiùs narrare voluisset, eum ad Caipham ductum fuisse commemorat: quia & ad Annam priùs ideo ductus est, quòd Socer eius fuerit: vt intelligendum sit, hoc eundem Caipham fieri voluisse*. Sed nihilominus non quiescit omnino animus rimandi studiosus, qua ex causa omiserint meminisse & alij Euangelistæ de Anna. Et præterea quare Marcus & Lucas nomen non dicant Pontificis, quod Matthæus expressit: quod etiam adnotauit Augustinus, nihil tamen subijciens. Censeo, ne credatur omissio casualis, quod absit; idcirco Annam tacuisse, quia inexcusabilem culpam eorum, qui ad capiendum Christum dederant vel consilium vel manus, prætexuerant Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas; ferendo scilicet, quod altè dixerat Dominus; *tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me*, &c. Vnde vt innotesceret, quis principalis tanto in facinore habendus esset, expressere summum Pontificem, siue Caipham. *Erat* quippe *Caiphas*, vt speciatim expendit Ioannes cap. 18. *qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum mori pro populo*. Quia ergo præ alijs reus extitit; ideo vbi de intolerabili errore promiscuè culpantur omnes; eoquòd *tanquam ad latronem*, &c. ipse summus Pontifex primo in capite, tanquam coniurationis Caput recolitur. Edicitur autem apud Matthæum ipsius nomen; fortasse quoniam mox ante nedum Scripturas commemorauerat, sed Scripturas Prophetarum: ipse autem Caiphas *cùm esset Pontifex anni illius prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro Gente; & non tantùm pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, vt exponit Ioannes cap. 11. qui cum non eam versaret materiam de facinore inexcusando, non facinoris Auctorem Caipham, prætermisso Anna, proferre voluit in medium; sed ipsum priùs Annam secundùm historiæ ordinem commemorauit. Arcana, sed verosimilis, disparium contextuum interpretatio: cui suffragatur Matthæus ipse; quasi exprimens cur ad Caipham fuisse ductum Iesum scripserit, subdens; *vbi Scribæ & Seniores conuenerant*; scilicet cùm apud Ioannem cap. 11. *collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium*. Etsi enim videatur sic accipi ad literam, vt in Domo Caiphæ omnes conuenissent Christum præstolantes; tamen nihil prohibet, vt ly *conuenerunt*, appellet etiam ad præhabitum sub Caipha consilium Ioannis 11. Quod Matthæus recolit, vt clareat, cur ad Caipham scriberet ductum Dominum, silens de Anna.

VERS. LVIII. *Petrus autem sequebatur eum à longè*, &c.

Quòd peruenerit vsque *in Atrium*, id erat seruoris; quòd *à longè*, erat timoris. Ambrosius; *benè à* 92. M D.Th. hic.
longè sequebatur iam proximus negator; neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset: sed in hoc fit reuerendus quòd Dominum non reliquit, etiam cum timeret: metus naturæ est; cura pietatis. Iob 17. *pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*: & psal. 22. *non timebo mala; quoniam tu mecum es Domine*. Videtur Chrysostomus propendere, vt Petrus, fugientibus alijs, non fugeret. Verùm satis textus eloquitur; *tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt*. Quare existimo veriùs, omnes se fugæ dedisse, cùm *manus iniecerunt in Iesum*, & diabolico furentes impetu, *eum tenuerunt*. Perterriti ergo omnes fugerunt, immemores Dominicæ inhibitionis, *sinite hos abire*. Cæterùm retraxit Petrus pedem cum Ioanne amantior; nam vt hic cap. 18. refert suo suppresso nomine; *sequebantur Iesum Simon Petrus, & alius discipulus*. Quod subdit Hieronymus de Petro; *vel amore discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat, quid iudicaret de Domino Pontifex; vtrum eum neci adijceret, an*

flagellis cæsum dimitteret. Quanquam nisi confusio mentis memoriam sopiuerat, recolere potuit, quæ prædixerat Dominus non semel, de sibi nece per impios inferenda. Obnubilatus itaque cogitatione, quis esset finis tanti excessus, non aliorum relatu, sed impatiens moræ oculis proprijs assequi inhiabat; *vt videret finem*. Non sic tantillum timoris excusserunt alij; de quibus in psal. 37. *qui iuxta me erant, de longè steterunt*; & psal. 87. *elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria*.

VERS. LIX. *Principes autem Sacerdotum*, &c. *quærebant falsum testimonium*; &c.

93. Quàm iniquè intentent *eum morti tradere*, peruerso iuris ordine, constat; siquidem testimonium quærunt *contra Iesum*, non vt iustè iudicent, sed

N 2.2.67. 3. & q.68. 4. *vt morti eum tradant*. Quæritur; N *an Iudex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit aliquis accusator?* Planè prout legimus in Actis cap. 25. in fauorem Pauli ad Principes Sacerdotum & Seniores

Iudæorum postulantes eius damnationem respondit Festus; *non est Romanis consuetudo, damnare aliquem hominem, priùs quàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores*. Et Ambrosius; *Iudicis non est sine accusatore damnare*. Ratio est; quia iustitia non est ad se ipsum sed ad alterum: & ideo oportet quòd Iudex inter aliquos duos dijudicet: quod quidem fit, cùm vnus est actor, & alius est reus: nam accusator constituitur pars. Et ideo in criminibus non potest aliquem iudicio condemnare Iudex, nisi habeat accusatorem. Modò vide lector, quàm iniustè procedant, præposterè quidem, qui testimonium quærunt, nonnisi falsum etiam ordinis defectu, *vt Iesum morti tradant*; cùm tamen quis eum accusauerit non stet: psalm. 34. *surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me*. At *non inuenerunt testimonium, cùm multi falsi testes accessissent*; quia nimirum, oportet non fuisse contestes: falsi etiam dicendi, quia veritatis fulcimentum iurando non leguntur habuisse; cum testes admitti

O 2. 2. 70. 4. non debeant O nisi iurati. Sic Ioannis 18. dixit Pilatus; *quam ergo accusationem affertis aduersus hominem hunc?*

VERS. LXI. *Nouissimè autem venerunt duo falsi testes*; &c.

94. Hi calumniati sunt Christi dictum Ioannis 2. *soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Christus ergo aliter ac testes locutus est: siquidem hi retulerunt; *possum destruere Templum Dei; & post triduum reædificare illud*; atque, vt apud Marcum; *ego dissoluam Templum hoc manu factum, & per triduum, alind non manu factum ædificabo*. Valdè quippe diuersa hæc sunt etiam à verbis Domini. Ex hoc ergo saltem falsi dicuntur, vnde ait Marcus; *& non erat conueniens testimonium illorum*.

P 2.2.68. 2. 1. Propterea scimus accusationem P in scriptis fieri debere; quia difficile est singula verba retinere; & hoc propter eorum multitudinem & varietatem. Cuius signum est quòd multi eadem verba audientes, si interrogarentur, non referrent ea similiter post

modicum tempus. Ex qua doctrina exoritur quæstio, an hi testes, qui afferuntur falsi, falsi extiterint ex malitia, an potius recordationis defectu; quandoquidem indiuidua & ipsissima verborum delatio facilè elabitur. Etsi enim non omnino retulerint quæ Christus dixerat, tamen nec dissimile admodum. Sed quanquam non ex condicto ad accusandum conuenissent falso relatu, culpandi veniunt; quia,

Q ibi 2. 3. ad 1. vt subdit Angelicus, Q homo non debet ad accusationem procedere, nisi de re omnino sibi certa, in qua ignorantia facti locum non habeat. Pergit Diuus Thomas. Nec tamen qui falsum crimen alicui imponit, calumniatur: sed solùm qui ex malitia in falsam accusationem prorumpit. Contingit enim quandoque ex animi leuitate ad accusationem procedere; quia scilicet aliquis, nimis faciliter credit quod audiuit: & hoc temeritatis est. Aliquando autem ex iusto errore, mouetur aliquis ad accusandum. Quæ omnia secundum prudentiam Iudicis debent discerni. Ex his ergo videat lector, qualiter adhuc non omnino constat, quo erroris genere deliquerint hi falsi testes. Sed tamen si penitùs introspiciatur isthæc accusatio, deprehenditur sine dubio culpabilis, ob falsitatem, si non ex malitia, saltem ex crasso neglectu, asseueratam. Etsi enim R repel-

lendus non sit testis, si sibi dissidea: interrogatus de opinione & fama, quia potest secundùm diuersa visa & audita diuersimodè motus esse ad respondendum; repellitur tamen, si dissideat interrogatus de visu, & scientia. Similiter docet, quòd discordia testimonij in aliquibus circumstantijs, non pertinentibus ad substantiam facti; puta si tempus fuerit nubilosum vel serenum, vel si domus fuerit picta aut non, aut aliquid huiusmodi; talis discordia non præiudicat testimonio; quia homines non consueuerunt circa talia multum solicitari: vnde facilè à memoria elabuntur. Non sic si discordia sit in aliquibus principalibus circumstantijs; puta vel in tempore vel in loco vel in personis, de quibus principaliter agitur; quia huiusmodi discordia aufert efficaciam testimonij; cùm videantur esse testes singulares, & de diuersis factis loqui. Hæc quæ de testium discordia tradit, æquè militant etiam de varia delatorum accusatione; vt vbi à veritate in ijs, quæ ad substantiam pertinent elongantur, testes, pro falsis, vt in sacro textu dicuntur, meritò habeantur. Sic autem factum est. Nam Dominus dixerat *soluite*; reddunt ipsi; *ego dissoluam*, siue *possum dissoluere*. Dominus dixerat duntaxat, *Templum hoc*; ipsi addunt *manu factum*. Dominus dixerat; *& in tribus diebus excitabo illud*; isti addunt, & variant; *aliud non manu factum ædificabo*. Huiusmodi animaduertit Theophylactus; & Hieronymus; quia *non ille dixit, quod illi dicunt*. Nec excusari possunt, quòd similia testentur; quoniam de effectrice discordant causa, destructionis Templi eum Auctorem facientes; (quod impietatem redolet in Templum) quando Dominus ipsis potius permissum iri pronunciat; *soluite*. Et corruptores verborum Domini agnoscuntur; eoquòd cùm Ioannis 2. hæc dixisset: nihil de primo hemistichio, *soluite Templum hoc*, subiunctum ab eis est; sed solummodo de Templi excitatione *in tribus diebus*, obijciendo; *quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc; & tu in tribus diebus excitabis illud?* Vt quid ergo nunc prætexunt calumniam, quasi iactarit Templi destructionem; quod dum coram loqueretur, non ausi sunt comminisci? Excitare solutum Templum, pietatem præsefert & potentiam; destruere est esse Deo iniurium, exindeque Deum tentare. Hanc ergo obijciant potestatem, quæ facilè calumniæ est expers; nec Christo Templi destructionem attribuant, quam ipsis potius remisit. Mendaces igitur fuere testes etiam superficietenus sententia Domini capta, multoque magis, quia, vt ait Hieronymus, *falsus testis est, qui in eo sensu dicta intelligit, quo non dicuntur. Ille autem dicebat* (Ioannis 2.) *de Templo corporis sui*. Detortus autem iste verborum tonus & sensus, sic perditorum animis insedit; vt (quod scribit Marcus cap. 15.) *prætereuntes blasphemarent eum, mouentes capita sua & dicentes; vah, qui destruis Templum Dei, & in tribus diebus reædificas*. Adeoque computruerat incredulis isthæc calumnia, vt Act. 6. legatur; contra Stephanum; *statuerunt falsos testes, qui dicerent; homo iste non cessat verba loqui aduersus locum sanctum; audiuimus enim eum dicentem; quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum*.

R 2. 2. 70. 2. 2.

istum. Damnabiliter ergo protulerunt falsum testimonium; non solum, quia quoad substantiam verba Domini commutarunt; sed etiam ob latentis alicuius arcani sensus contemptum. Debuerunt enim vel addubitare, quidnam significare posset tam alta sententia; *et in tribus diebus excitabo illud*; quandoquidem facit examinata suspensos. Quod enim ædificatur humanitus, si tantæ molis est, nequit in triduo ædificari: si autem fiat diuinitus, potest in ictu oculi fieri. Dũ profectũ dixisse *non manu factum* in altiorẽ intelligẽtiã tenebantur conari. Stultum igitur fuit, de Tẽplo materiali hæc accipere. Sed sicut Sapientiæ 14. dicitur; *creaturæ factæ sunt in muscipulam insipientium*: & Ecclesiastici 32. *qui quærit legem, replebitur ab ea; qui insidiose agit, & scandalizabitur in ea*: ita & isti fuerunt de ijs, de quibus Iudas in sua Canonica: *hi quæcunque quidem ignorant, blasphemant; quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*. Fortasse autem ideo scripsit Marcus; *& non erat conueniens testimonium illorum*; quod manifestè discordes essẽt: apud Marcum enim legimus; *ego dissoluam Templum hoc manufactũ*, &c. apud Matthæum; *possum destruere Templum Dei*. Valde autem differunt; *possum destruere*; *& ego dissoluam*; sicut admodum discrepant, *ego occidam*, *& possum occidere hostem*: Nam alterum potestatem, alterum voluntatem declarat. Aliqua discordia in leuibus facit S testimoniũ credibilius, vt Chrysost. dicit super Mattheũm; quia si in omnibus concordarent etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre. Quod tamen prudentiæ Iudicis relinquitur discernendum. At hic, vt videmus, in substantia dissentiunt. Ideo non est ausus Princeps Sacerdotum, Christum ceu conuictum damnare; sed *ait illi; nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur?* Verùm, vt idem ait Chrysostomus, *inutilis erat excusationis responsio, nullo eam exaudiente*. Et Hieronymus; *sciebat enim, quasi Deus, quicquid dixisset torquendum ad calumniam. Iesus autem tacebat*.

S 2.2.70. 2.2.

VERS. LXIII. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis; si tu es Christus filius Dei?*

95. Nihil deductum fuerat impræsentiarum, an Dei filium se Christus perhiberet. Quid est, ergo, sic repẽte hac de re à Principe Sacerdotũ interrogari, nisi apertè innotescere iam de Diuinitate Christi, nec ipsum Principem Sacerdotum, nec in vniuersum Iudæos fuisse ignaros? Ioannis 10. *responderunt ei; de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Potuit tamen Pontifici ingerere de Diuinitate suspicionem quod falsi prodiderant testes, de exscindendo reparandoque per eum Templo. Quocirca Angelicus T ad illud; *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: consentiente Petro in Actis cap. 4. *& nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis: sicut & Principes vestri*; dicit, Maiores Iudæorum cognouisse eum esse Christum promissum in lege; omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura Prophetæ: mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant. Sciendum tamen, quòd eorum ignorantia non eos excusabat à crimine; quia erat quodammodo ignorantia affectata; videbant enim euidentia signa Diuinitatis ipsius; sed ex odio & inuidia Christi ea peruertebant; & verbis eius, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt. Dicendum ergo V quòd Principes Iudæorum pro certo sciebant, eum esse Christum promissum in lege: ipsum autem esse verum filium Dei, non pro certo sciebant, sed aliqualiter coniecturabant: sed hæc coniecturalis cognitio obscurabatur in eis ex inuidia, & ex cupiditate propriæ gloriæ, quam per excellentiam Christi minui credebant. Hinc in 3. p. subdit, ex persona eorum accipi posse quod dicitur Iob 21. *dixerunt Deo; recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus*. Exinde duriores perfidia, & corde oreque blasphemi, euomuerunt in ipsum, Sapientiæ 2. *gloriatur Patrem se habere Deum: videamus si sermones illius veri sint: si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum*: sicuti attestatur Lucas cap. 22. *dixerunt autem omnes; tu ergo es filius Dei?* & Ioannis c. 19. *nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*: & hic cap. 27. postquam crucifixus est; *saluum fac temetipsum; si filius Dei es, descende de Cruce. Confidit in Deo: liberet nunc si vult eum; dixit enim, quia filius Dei sum*. Sed Sap. 2. item *excæcauit eos malitia eorum*. Non sic *Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Iesum*; nam, *viso terræmotu & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes; verè filius Dei erat iste*: vt ferunt Matthæus & Marcus. Non sic Nicodemus, qui Ioannis 3. dixit ei; *nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*: qua phrasi vsus est & Petrus incarnationem edisserens Act. 10. *quoniam Deus erat cum illo*: & Paulus Corinth. 5. *quoniam quidem Deus erat in Christo* & Coloss. 2. *quia in ipso inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter*; Et Act. 9. conuersus Paulus *continuò in Synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei*. Iuxta Zachariæ testimonium, missis alijs Prophetarum oraculis, Lucæ 1. *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum, se nobis*. Quomodo autem oporteat intelligere incarnationem filij Dei, vide in 4. cont. Gentes cap. 41.

T 3. p. 47. 5.

V 1. Cor. 2. l. 2.

VERSV eodem. *Adiuro te per Deum viuum*.

Adiuratio, est cùm per reuerentiam diuini nominis, vel alicuius rei sacræ, X aliquid ab alio exigitur. At hoc discrimine; quia cùm superior per inuocationem diuini nominis inferiorem, vt dicat vel vt faciat aliquid adiurare intendit; eum constringit, tanquam subdito necessitatem imponẽs, vt imperans: non sic inferior adiurare potest superiorem, sed adiurat duntaxat deprecando. Princeps Sacerdotum adiurans Christum A idcirco præsumptionis notatur. Neque enim temerè se Christo superiorem debuit existimare. Palam respondit Iesus Pilato Ioannis 19. *non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*. Obijcit Angelicus. B Christus non erat alicuius hominis subditus; quinimmo ipse erat Rex Regum, & Dominus Dominantium: sed ipse exhibuit se iudicio hominis: ergo videtur quòd aliquis licitè possit iudicare aliquem, qui non est subditus eius. Respondet autem quòd in rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subijcere aliorum iudicio, quamuis non sint eis superiores: sicut patet in ijs, qui compromittunt in aliquos arbitros. Sic ergo Christus propria sponte humano iudicio se subdidit: sicut etiam Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit. Cæterùm an tanquam superior præsumpserit, an tanquam inferior deprecatus sit Caiphas, Dominum adiurando, non omnino ex litera constat: ea enim verba patiuntur vtrumque sensum suspensumque indicant Caipham; qui hominem videns, filium Dei suspicatus est: vnde dum Caiphas C interpretatur *inuestigans*, vel nescius & inuitus hæret. Et nihilominus corruptus mente, mortem Christo machinatur & intentat; iuxta quod dixerat Ioannis 11. *expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat*: ex quo meritò *sagax* etiam interpretatur: quod D attestatur eius astutiæ; qua necem ei molitur procurare. Subinde adiurat non vt sibi soli dicat, sed *vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*. Et mox suggestione diabolica audiens, *tu dixisti*, &c. (qui modus erat respon-

96.

X 2. 2. 90. 1.

A loc. cit. ad 1. & 1. 11. l. 7.

B 2. 2. 67. 1.

C Iea. 11. l. 7.

D loc. cit.

pondendi perfamiliaris, ficut Iudæ responderat: nam Marcus fert, *ego ſum*) excanduit Caiphas, inhians vt prædamnaretur à populo, ceu *reus mortis*. Dicit Hugo; Caiphas poſtquam pronunciauit conſilium, quærit, *quid vobis videtur?* & ita vel ſtultè vel iniquè pronunciauit.

VERS. LXIV. *Veruntamen dico vobis; amodò videbitis filium hominis*, &c.

97. Intelligentia opus eſt in ſententijs Domini. Non enim hic indiſcriminatim pronunciatum eſt; *videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei*; ſicuti de Stephano legitur Actor. 7. qui, *cum eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in Cœlum, vidit Ieſum ſtantem à dextris Dei*. Non ſic his ſe videndum cõteſtatur; quia Stephanus vnà ſimul *vidit gloriam Dei*; cuius quantulacunque prælibatio erat eis pro culpa perfidiæ neganda. Multifariam ergo dictum exponitur. Arridet præ alijs periphraſis Sancti Doctoris. E *veruntamen poſtquam à me receſſeritis; non reſtat, niſi quòd manifeſtè me cognoſcatis, cùm veniam in nubibus Cœli*; iuxta illud Act. 1. *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: & ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum*. Non diſpliceat addere ex Tirino, *videbitis me ſedentem à dextris virtutis Dei: in iudicio ſingulorum particulari; completè denique in iudicio omnium vniuerſali*. Quaſi dicat: licèt ignominioſè me tractetis; adhuc tamen me Iudicem veſtrum videbitis: Daniel. 7. *ecce cum nubibus Cœli, quaſi filius hominis veniebat*. Diuus Auguſtinus in Epiſtola ad Heſychium ſic ſcripſit: *fortaſſe omnia quæ à tribus Euangeliſtis dicta ſunt de Chriſti aduentu, diligentiùs inter ſe collata atque diſcuſſa, inuenientur ad hoc pertinere, quod quotidie euenit in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia: de quo aduentu ſuo dixit; amodò videbitis filium hominis venientem*, &c. vt fert F Angelicus. Quod item firmat Auguſtinus in pſ. 67. *facies quippe eius appellata eſt præſentia eius. Venit in Eccleſia ſua diffundens eam toto Orbe terrarum, in quo diſperſi ſunt inimici eius*. Et ſic intelligetur de aduentu quotidiano; de quo Iob 9. *ſi venerit ad me, non videbo eum; & ſi abierit, non intelligam*. Vnde *in nubibus*, vt ſubdit G Diuus Thomas, idest in Apoſtolis & ſacris Doctoribus; Iſaiæ 60. *qui ſunt iſti qui vt nubes volant?* quatenus *doctrinis pluunt, & miraculis coruſcant*; vt ait Gregorius. Conſequenter mihi videtur dicendum, hoc verborum tenore, obijci veluti in faciem, quod immobili firmitate de propagatione Eccleſiæ futurum erat, idque ad eorum comprimendam perfidiam; quando vel corde malo dicebant, vt præſcius Ieremias cecinit c. 11. *mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium; & nomen eius non memoretur ampliùs*. Quod quidem illico poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam, (voluerint, noluerint) impleri cœpit, quando *Princeps Sacerdotum*, (Actor. 5.) Apoſtolis indolebat; *ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra*: ſicuti & Act. 13. *diſſeminabatur verbum Domini per vniuerſam regionem*.

E D.Th. hic.

F opuſc. 19. c. 24. in calce.

G D.Th. hic.

98. Habet adhuc vtraque interpretatio præſolidum doctrinæ Euangelicæ fundamentum. Prima quidem de aduentu ipſius, ad impiorum iudicium: quia tunc opportunè de hoc introduci debuit; quando proximè per eos erat Dominus iudicandus, crucique affigendus. Iob ſanè 36. prædictum fuerat *cauſa tua, quaſi impij iudicata eſt: cauſam iudiciumque recipies*: H quocirca apud Angelicum Auguſtinus; *ſedebit Iudex qui ſtetit ſub iudice; damnabit verò reos, qui falſo factus eſt reus*. Et ecce in contextu mirabile; nam hic dixerunt ore vno, *reus eſt mortis*. Per ſuam paſſionem ergo meruit iudiciariam poteſtatem, vt etiam I alibi docet: ideo debuit Iudex à Deo omnium viuorum & mortuorum conſtitui: & hoc ſecundùm humanam naturam: ſi enim in natura propria, & non in aſſumpta à malis videretur, intuentes eum in natura Diuinitatis, iam præmium reportarent, quo ſe reddiderunt indignos. Videbunt tamen ipſum & impij in claritate; Iſaiæ 33. *Regem in decore ſuo videbunt*: ſed viſio claritatis eius, electis qui eum dilexerunt, erit ad gaudium; impijs autem erit ad confuſionem & luctum; Iſaiæ 26. *videant & confundantur zelantes populi*. Et ecce ſupra c. 24. *videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum poteſtate magna, & maieſtate*: quemadmodum & nunc de *nubibus* dicitur: & vlteriùs *videbunt filium hominis*, iuxta nuperam eruditionem: nam Ioannis 5. *poteſtatem* L *dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt*. Confirmantur hæc omnia, in eo quod ait; *ſedentem à dextris virtutis Dei*; quoniam ex Auguſtino M nomine dexteræ intelligi poteſt etiam iudiciaria poteſtas. Et ita ſedere ad dexteram Patris, (vt ſubdit Sanctus noſter Doctor) nihil aliud eſt, quàm ſimul cum Patre habere gloriam Diuinitatis, & beatitudinem & iudiciariam poteſtatem: ſeſſio enim regiam ſeu iudiciariam dignitatem deſignat. Ly *amodo* hebraicè *mengattàh* ſignificat & *deinceps*, & *ex nunc*. Quare ſi ad finalem aduentum referatur, concernit comparationem ad æternitatem, ſecundùm quam omne tempus ſicut vnum momentum eſt: vt poſt Origenem hic ait Diuus Thomas.

H 3. p. 59. 3.

I opuſc. 2. c. 241.

L 3. p. 59. 2.

M 3. p. 58. 2.

Secunda expoſitio de aduentu eius in Eccleſiam, *quam* (Actorum 20.) *acquiſiuit ſanguine ſuo*, non minùs corroboratur: quia Chriſtus per Crucis victoriam N meruit poteſtatem & dominium ſuper Gentes. Vnde dicitur Apocalypſis 2. *qui vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes; ſicut ego accepi à Patre meo*: Philipp. 2. dicitur, quòd quia *factus eſt obediens vſque ad mortem Crucis; Deus exaltauit illum; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur; & omnis lingua confiteatur*; &c. Et ipſemet Ioannis 12. proteſtatus eſt; *niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolùm manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et ſicut Auguſtinus dicit ibidem, *ſe dicebat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, & multiplicandum in fide populorum*. Recolat lector, quod ſubdit Dominus eo in cap. 12. *& ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*. Sic autem quaſi ænigmaticè hæc prompſit Dominus; ne *ſanctum daretur canibus*; ſupra cap. 7.) & capite 13. *ideo*, inquit, *in parabolis loquor eis; quia videntes non vident; & audientes non audiunt, neque intelligunt*. Quare autem Matthæus duntaxat & Marcus præſentia hæc denarrent, niſi ſyntaxis dilucidet, videtur imperſcrutabile. Præſertim quia Lucas, non totam quidem ſed ex parte ſententiam hanc, *amodò videbitis*, &c. fert cap. 22. vbi coram Caipha præſumitur. Nec ſatis eſt ſi dicatur vt apparet, bis eam protuliſſe; quia inſtat ſemper difficultas; quare dictam in domo Annæ integram Matthæus tantùm & Marcus ferant. 99.

N 3. p. 42. 1.

VERS. LXV. *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua*.

Etiam Iſaiæ 36. ſciderunt veſtes ſuas Legati Ezechiæ ad blaſphemias horrendas Aſſyriorum contra Deum; & ſic Ezechias ipſe c. 37. O quod erat mos Iudæorum. Sic teſtabantur, vt aiunt Interpretes, animum præ dolore diſrumpi. Et P in ſignum quòd non poterant audiri. Effutiuit ergo impius Sacerdotum Princeps nefariam calumniam, criminatus reum Chriſtum de blaſphemia. Quod quidem promptiùs euomuit; eo quòd incredulus corde ſic præacceperat. In repentinis quippe homo operatur ſecundùm finem præconceptum, & ſecundùm habitum præexiſtentem, vt in 3. Ethic. c. 8. Philoſophus 100.

O Iſaiæ 36.

P D.Th. hic.

sophus dicit. Constat assumptum ex illo Ioannis 10. vbi *responderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Tunc eos redarguit ex ps. 81. *ego dixi, dij estis. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas: quia dixi; filius Dei sum?* Sed & hic Scripturæ auctoritatẽ pressius ipse introduxerat, memorando *filium hominis, & sedentem à dextris virtutis Dei*. Ad hæc Chrysostomus in hom. *quæ autem fuit illa blasphemia? etenim antea eis congregatis dixerat; (ps. 109.) Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; & interpretatus est eis, & siluerunt; nec de cætero contradixerunt. Qualiter ergo nunc quod dictum est, blasphemiam vocant?* Adde, fuisse illi recolendum, ne veritatem quasi blasphemiã horreret, id quod legitur Danielis 7. *ecce cum nubibus Cœli, quasi filius hominis veniebat; & vsque ad Antiquum dierum peruenit* &c. *& dedit ei potestatem & honorem*, &c. Hoc enim quoque suggerit sententia Domini, & vlterius ptè sentientibus indicat, quidnam tanquam vniuersæ fidei basis, tenendum est. *Hæc enim*, vt dicit Hilarius in Matth. Can. 16. *confessionis tenenda ratio est; vt sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus; quia alterum sine altero, nihil spei tribuit ad salutem*. Subdat Hieronymus de Sacerdotis ira & vesania: *Pontificem autem, quem de solio Sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes prouocat*. Respondit nihilominus eis, vt considerat Theophylactus, *quamuis sciret quoniam non crederent; (Lucæ 22. si verbis dixero, non credetis mihi.) ne postea dicerent; si audissemus aliquid ab eo, credidissemus ei*. Constat autem iniquitas prædamnationis, cùm *dixerunt, reus est mortis*; quia nulla notorietate constabat blasphemiam esse; & si per impossibile constitisset notoriè Principi Sacerdotum, non sic alijs qui in lege & in diuinis minus erant exercitati. In casu autem, vt docet Angelicus,
Q 1. 2. Q crimen debet esse manifestum non solum Iudici,
67. a. 1. 3. sed sibi & alijs, ita quòd reus nullo modo crimen inficiari potest, vt in notorijs: sed statim ex ipsa euidentia facti conuincitur. Si autem sic manifestum Iudici, & non alijs; vel alijs & non Iudici, tunc est necessaria Iudicis discussio. Iniquum autem iudicandi studium illorum ostendit Dominus, quando ante adiurationem nihil respondit: nedum vt impleretur Prophetæ vaticinium Isaiæ 53. *non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur; & quasi agnus coram tondente se obmutescet; & non aperuit os suum*: sed etiam quia Iudex non requirebat secun-
R 1. 2. dùm ordinem iuris: qui est, R cùm præcessit infa-
69. 2. mia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt; vel etiam cùm præcessit probatio semiplena. Dicit Augustinus super Psalterium rela-
a. 1. 67. a. 1. in, sed contra. tus a vbi supra: *bonus Iudex nihil ex arbitrio facit, sed secundùm leges & iura pronuntiat*. Sed dicet Iudæorum perfidia, Ioannis 19. *nos legem habemus; & secundùm legem debet mori; quia filium Dei se fecit*. Legimus Ioannis 5. *propterea magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum; sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Damus eis, vt blasphemus debeat mori; Leuitici 24. *educ blasphemum extra Castra*; &c. *& lapidet eum populus vniuersus*. Sed hoc semper erat eis probandum, quòd Christi verba blasphema forent: cùm enim esset in Scripturis sanctis promissus, *sanctumque*, quod ait Hieronymus, *Christum omnis Scriptura commemoret*, nequibat insimulari blasphemiæ. Ideo subiecit Dominus c. illo 5. *scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam habere; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Sed quia, vt notat Angelicus, T non intelligebant æternam generationem; ideo eum & falsum, & blasphemum reputabant. Sed vt hac de re dicitur Sap. 2. *excæcauit illos malitia eorum. Morte turpissima condemnemus eum*. Huiusmodi excæcationem indicauit Dominus apud Lucam, cùm *ad Principes Sacerdotum & Magistratus Templi & Seniores* directo sermone dixit; *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Inde quia prædictum fuerat Threnorum 3. *dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobrijs*; sequitur horribiliter in textu; *tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Quod legimus Sap. 2. *contumelia & tormento interrogemus eum; vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius*. Hoc etiam Isaias prænunciat cap. 50. *faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me*. Chrysostomus in hom. *ita suam demonstrabant ebrietatem, & insania ferebantur. Attende autem* (alta oris aurei obseruatio) *quòd Euangelista cum summa diligentia ea quæ videntur esse exprobratissima exponit, nihil occultans, aut verecundans; sed gloriam existimans maximam, Dominatorẽ Orbis terrarum talia pro nobis sustinere*. Ad hæc Petrus in sua 1. cap. 2. *hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ est enim gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniustè*. Quare tot pati voluerit opprobria, contumelias, & ludibria, dicemus, cum de genere mortis eius sermo erit.

T Ioan 19. b. 2. lit. d.

VERS. LXIX. *Petrus verò sedebat foris in atrio; & accessit ad eum vna ancilla.*

Trina Petri negatio iam occurrit: de qua etsi supra 99.
ad num. 34. nonnihil dixerimus; adhuc vrgeri potest, cur Dominus amantissimum discipulum nedum semel labi, sed secundò & tertiò; & quidem turpius, vsque ad detestationem, permiserit? Adeo torsit negationis culpa quorundam recogitatum, vt scribat Hieronymus; *scio quosdam pro affectu erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent Petrum, hominem negasse non Deum; & esse sensum; nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam friuolum sit, prudens lector intelligit: si enim iste non negat; ergo mentitus est Dominus, qui dixerat, ter me negabis*. Leo Papa in Serm. de passione huc recurrit: *ob hoc autem, vt appareret, hæsitare permissus est; vt in Ecclesiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur; & nemo auderet de sua virtute confidere; quando mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuisset euadere*. Theophilactus similiter: *hic autem eum pati dispensatiuè permisit Dominus; ne scilicet extolleret se; similque vt peccantibus misericors ostendatur, tanquam ex se ipso instructus humanæ infirmitatis euentum*. Id ipsum Chrysostomus; *erat autem Petrus paulò durior, sicut truncata serui Principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque seuerus, si donum non peccandi fuisset adeptus; quæ venia commissis populis donaretur? Diuinæ ergo prouidentiæ secretum permisit, quòd primò ipse laberetur in peccatum, vt erga peccantes duriorem sententiam, proprij casus intuitu, temperaret*. Et idem Chrysostomus; *Euangelistæ concorditer negationem Petri scripserunt, non discipulum accusantes, sed nos*

eru-

erudire volentes; quantum malum sit, non Deo totum concedere, sed in semetipso confidere. Plaudendum ergo diuinæ permissioni, ex qua saluberrimum sanctæ fidei roboratur dogma aduersus Nouatum & Pelagium. Scimus quippe, bis centum annis à Christo, Sanctorum Cypriani & Cornelij temporibus, cùm plures Christiani timore fracti idolis thus adoleuissent, ventum in decertationem fuisse, num lapsi aut relapsi deberent, si eos pœniteret, Ecclesiæ reconciliari, & ad ipsius gremium admitti. Inualuit Nouatianorum schisma; sed orthodoxa præualuit veritas. Et inde originem habuere in vnaquaque Romæ diœcesi, quos & nunc pœnitentiarios vocamus; qui reuersos exciperent, & iuxta canones magis minusue impositis pœnitentijs pro modo culpæ mulctarent. Neque enim æquè deliquerant: nam quidam sacrificauerant, quidam ex parte martyrium sustulerant, quidam etsi constantiùs, tamen non vsque ad mortem sustinuerant. Dic, nisi catholicæ fidei præstitisset suffragium pauida Petri negatio, futurum fuisse, vt non tam validè Nouatus reijceretur. Ad hæc Rabanus, ex Augustino; *in hac autem negatione Petri discimus, non solum abnegare Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed qui cùm sit, negat se esse Christianum.* Et Origenes; *sic Synagoga Iudæorum frequenter compulit denegare fideles; & Gentes etiam sunt persecuti Christianos.* Grandis autem occasio indulgendi alijs inde Petro facta est; quia vt eum alloquitur Chrysostomus; *non tibi flagella, nondum sunt admota tormenta: qui te interrogat, nullus est eorum, qui auctoritate sua possit formidinem incutere confitenti. Mulier te simplici voce interrogat; & fortè nec proditura confessum; nec tamen mulier, sed puella ostiaria, vile mancipium.* Et iterum; *non erat miles qui interrogat, sed ostiaria vilis: neque, dixit seductoris discipulus es; sed hominis istius: quod miserentis erat.*

Non minori prouidentia, (quod etiam Patres intendunt) ordinauit Dominus in Pelagianam hæresin Petri lapsum. Pelagius siquidem, vt adnotat specialiter Angelicus, T volens liberum arbitrium defendere, gratiæ Dei aduersatus est, dicens absque Dei gratia hominem peccatum euitare. Frangendus ergo erat timore Petrus, vt frangeretur ipsius ausus, qui tantisper arbitrij superbiam sapiebat. Quocirca cùm futurum esset, vt alij alia via errarent, eos etiam vt suam purificaret Ecclesiam, Dominus tali permissu confudit. Nam Iouinianus confuditur, qui vt ibidem recolit, considerans mentis humanæ inclinationem in bonum, euomuit hominē non posse peccare. Conuincitur etiam de falsitate Manichæus, qui (eodem in articulo) considerans inclinationem, quæ inest humanæ menti ex inferioribus viribus, & præcipuè secundùm quòd sunt ex originali peccato corruptæ, (vnde eligit ea, quæ sunt secundùm carnalem sensum delectabilia) non erubuit dicere, quòd homo necessariò peccat, nec aliquo modo peccatum vitare potest. Et sic vtrique (Iouinianus & Manichæus) licèt vijs contrarijs in idem inconueniens inciderunt, vt liberum arbitrium denegarent: non enim homo erit liberi arbitrij, si vel ad bonum, vel ad malum impellitur. Quod esse inconueniens, & experimento & Philosophorum doctrinis, & diuinis auctoritatibus probatur, vt aliquatenus ex supradictis patet. Hæc Diuus Thomas. Modò, si libet, huiusmodi de gratia & libero arbitrio complexam altissimam Theologis materiam, videamus qualiter, mirificè quidem, versat Euangelicus textus, & praxi quadam complanat. Nisi enim altiùs assurgamus, vix assequi quisquam poterit causam, qua omnino quiescat, primò, quare potiùs quàm alius de discipulis, Petrus sit miserè permissus cadere? secundò cur illa triplici ab occasione, neque satis fuerit ex vna, lapsurum se audierit? tertiò, cur summi, in hoc præscium ostenderit spiritum Dominus; prænuncians tribus vicibus, *ter me negabis?* quartò, quare bis cantaturum gallum prædixerit, vnicumque non potius cantum disposuerit?

T de veritate q. 24. a. 12.

100.

Dicendum ergo, peregrina profectò animaduersione, opportunum in primis fuisse, vt cùm redemptionis hominum, quæ iam iam imminebat, fructus erat ob oculos mentis habendus; de libero arbitrio, vnde quoque est saluari quosdam, quosdam verò damnari; simulque de gratia erudiretur Ecclesia. Quoad *libertatem* audiamus Angelicum; V qui contra conuenientiam incarnationis sic obijcit: incarnatio Dei ad salutem hominum ordinatur; ergo videtur fuisse conueniens, quod ipso totum humanum genus saluasset. Et respondet; X non oportuit, quòd ex incarnatione diuina omnes homines saluarentur, sed tantùm illi, qui prædictæ incarnationi adhærerent per fidem, & fidei Sacramenta. Est siquidem incarnationis diuinæ virtus sufficiens ad omnium hominum salutem; sed quòd non omnes ex hoc saluantur, ex eorum indispositione contingit, qui incarnationis fructum in se suscipere nolunt; incarnato Deo per fidem & amorem non inhærendo: non enim erat hominibus subtrahenda *libertas arbitrij*, per quam possunt vel inhærere, vel non inhærere Deo incarnato; ne bonum hominis coactum esset: & propter hoc absque merito, & illaudabile redderetur. Et in fine illius capitis, subdit: quamuis sufficienter pro peccatis humani generis sua morte (Christus) satisfecerit, sunt tamen vnicuique remedia propriæ salutis quærenda. Mors enim Christi est quasi quædam vniuersalis causa salutis; oportet autem vniuersalem causam applicari ad vnumquodque specialiter, vt effectum vniuersalis causæ participet. Quoad gratiam, sic idemmet, vbi assumit, A Quòd Deus aliquos à peccato liberat; & aliquos in peccato relinquit; in hæc verba. Licet autem ille qui peccat, impedimentum gratiæ præstet, & in quantùm ordo rerum exigit, gratiam non deberet recipere: tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari potest, sicut cùm cæcum illuminat vel mortuum resuscitat; interdum ex abundantia bonitatis suæ, etiam eos, qui impedimentum gratiæ præstant, auxilio suo præuenit; auertens eos à malo, & conuertens ad bonum. Et sicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos sanat, ita non omnes, qui gratiam impediunt, auxilio suo præuenit, vt auertantur à malo & conuertantur ad bonum. Non est autem ratio inquirenda, quare hos conuertat & non illos; hoc enim ex simplici voluntate eius dependet; &c. Et excluditur error Origenis, qui dicebat hos ad Deum conuerti, & non alios, propter aliqua opera, quæ animæ eorum fecerant, antequam corporibus vnirentur: quæ quidem positio in 2. libro improbata est. Ex his habes funditus lector rationem permissionis lapsus Petri, nec non proditionis Iudæ: nec inuestigare sursum sicere quare Petrum conuerterit, non verò Iudam.

101.

V 4. cont. G. c. 51.

X ibi c. 55.

A 3. cōt. G. c. 161.

102.

Hoc de lapsus permissi opportunitate præhabito; cur in Petro aperiamus. Sanè in Petro significatam Ecclesiam asserit Augustinus, ibi *Petrus autem sequebatur eum a longè; imitatura enim erat Ecclesia passiones Domini; sed longè differenter; Ecclesia enim pro se patitur; at ille pro Ecclesia.* Cur ergo futurarum hæresum præcipuarum specimen, ex Petro non daretur intelligendum? Habet Augustinus lib. quæst. Euang. in Matthæum cap. 11. *hæretici ex eodem Euangelij semine & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur.* De huiusmodi Diuus ipse Petrus in sua prima cap. 2. *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis:* erant enim de Ecclesia, licèt non merito, numero; licèt

B 1. Petri 2. C 2.2.q. 10.a.6. licèt B non charitatis communione, sacramentorum perceptione. Profitentur quippe hæretici C fidem Euangelij, & ei renituntur, eam corrumpentes. Existimo ergo quodam typo, quod euenturũ erat in hæreticis, in Petri potius quàm in alterius discipuli facto idcirco accidisse. Nam & Pelagij & Iouiniani, & Manichæi errata in eo adumbrata sunt. Quomodo autem, sic deducendum est. Pelagius (quod dictum est) volens liberum arbitrium defendere, gratiæ Dei aduersatus est. Ecce, erroris huius quasi imago, dum præsumptione quadam, ait Petrus Lucæ 22. *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire:* & Iohan. 13. *quare nõ possum sequi modo? animam meam pro te ponam.* Merebantur temerè pronunciata Domini responsionem, qua Pelagij præsumptio detumesceret. *Non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges, nosse me.* Ecce iterum, Iouinianæ hæresis symbolum, quasi homo sit impeccabilis: hic apud Matthæum, *& si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor:* & deinde, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Cur non iste quoque eliderетur error? ijs nempè verbis; immo, *antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Subinde euicta est Manichæi dementia, vt homo necessariò peccet, tum quia nulla vis apparet, vbi femella virum interpellat; tum quia frustra Galli cantu commoneretur; tum denique, quoniam in vanum fleret homo peccatum, quod ex necessitate patraret, nullius arbitrij superstite libertate. Et tamen Petrus *egressus foras, fleuit amarè.* Etsi autem sit quis aliquando durior, vt ad vnum Galli cantum surdescat; nihilominus flexibilis deprehenditur, cùm vel secundò excitatus, surgit à peccatis ad gratiam. Ex quo fit satis alteri supra quæsito, cur de duplici cantu Dominus introduxerit. Et quoniam quæ futura erant nedum proximè in Petro, sed typicè in Ecclesia, præmonuit Saluator eiusdem Ecclesiæ sponsus; ideo per modum prophetiæ, non verò præmouendo, vt à negatione caueret, id Petro prænunciat. Meritò autem imminente passione: quia vt Exodi 4. dictum est, D Christus desponsauit sibi Ecclesiam, per incarnationem & passionem: ex quo in Ecclesiæ figura, erupit in ea verba Sephora, *sponsus sanguinum mihi es.* D 4. sent. 49.4.4.& Io.3.1.5.

103. Cùm ex hucusque dictis ad paulò antè quæsita, primò tertiò, & quartò, occursum sit; superest quod secundò requirebatur, subijcere: causam nimirum vestigare, ob quam non solùm semel & iterum, sed tertia vice, ineptè permissus sit loqui Petrus; vt è regione ter abnegationis casus ei obiectaretur. Sanè quæ hæreses profligatæ sint ab euentu satis accepimus. Iouinianus, experimento triplicis, & sub ternario numero, multiplicis peccati, explosus est: vnde fuit erronea illa responsio, *& si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Manichæi similiter commentum, vt homo ex necessitate peccet, Petri pœnitudo redarguit. Pelagius quoque in suæ iniuria gratiæ præsumptione, qua velut eiusdem gratiæ Petrus immemor, Christum Dominum super omnia, ponendo animam, audacter profitetur diligere. Ioannis quippe 15. *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hanc autem dilectionem quasi iactat Petri geminata responsio, Lucæ 22. *Domine, tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire.* Et Ioannis 13. *animam meam pro te ponam.* Quid sonant hæc verba; nisi, *te super omnia diligo*, quem filium Dei viui confessus sum? Definit autem Angelicus, E neque naturali dilectione posse hominem sine auxilio gratiæ naturam sanantis, in statu naturæ corruptæ Deum super omnia diligere. Multò minus dilectione supernaturali, prout Deus est obiectum beatitudinis; & secundum quòd homo habet quandam societatem spiritualem cum Deo: quod solùm obtinet homo per charitatem. F; aut ibidem F subdit Angelicus: quod magis explicans ait; addit charitas super naturalem dilectionem Dei, *promptitudinem quandam & delectationem.* Ex quibus deduci fas est, Petri responsa supernaturalem dilectionem concernere; nam ait *tecum*, prædictam *cum Deo societatem* tangens; *promptitudinem* similiter ostendens, dum incunctanter se pro eo pollicetur moriturum. Hæc duo Pelagiana hæresis cum peruicacia euomuit, minimè acquiescens Isaiæ c. 26. *omnia opera nostra operatus es nobis:* nec Apostolo, Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere:* qua quidem aurea sententia omnino anathematizatur Pelagij sectarius; G vt non solum prosecutio, sed electio bonorum operum sit à Deo, non vero in nobis. Contra quos etiam stat illud 2. Cor. 3. *non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis:* H quia non solùm perfectio seu consummatio boni operis, sed etiam inchoatio est à Deo. Philipp. 1. *qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi.* Ex his nobis claret quàm incautè dixerit Petrus, *tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire paratus*; quod sonat principium boni operis, esse à nobis; & *animam meam pro te ponam*; quod attribuit consummationem etiam naturæ viribus. Non quòd ita Petrus sentiens errauerit; sed illius incircumspectionem duplicem Lucæ 22. & Ioannis 13. Dominus ad hoc ordinauit, vt in vtroque controuersiæ puncto Pelagianam hæresin exsufflaret. Sicuti & apud Matthæum & Marcum in ijs verbis, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, velut Iouiniani ore; (quandoquidem *quæcunque scripta sunt* Rom. 15. *ad nostrã doctrinã scripta sunt*) vel nesciens oblocutus est. En ergo, quare duplici occasione, Lucæ 22. & Ioannis 13. correptus est prædictione *ter me negabis*: quia scilicet Pelagiana hæresis in semipelagianam transitura erat, vt si non totaliter opus bonum viribus naturæ concederet, hoc est etiam operis consummationem, saltem Deo furaretur initium: *paratus sum.* Confirmatur autem, vel materialiter hoc in genere deliquisse Petrum; quia post resurrectionem rogatus de dilectione, *diligis me plus his?* qua feruere hic videbatur, *positurus pro Christo animam*, vt ait Angelicus, I de proprijs viribus victus, non audet confiteri suum amorem nisi sub testimonio & protestatione Domini dicens; *Domine tu scis, quia amo te.* Item humilians se Apostolis, non dicit plus his, sed simpliciter, *amo te.* Et notat ex Augustino, non respondisse *diligo te*, sed *amo te*; quia amor est motus appetitus, tunc dictus, dilectio, cùm appetitus regulatur ratione. Et subdit Angelicus; quòd cùm ante passionem promptè assereret Christum diligere; & reprehensus esset à Domino, timuit, ne iterum reprehenderetur. Dicamus ergo: quia ter superbierat, semel Iouinianum referens; bis, Pelagianos & semipelagianos; ideo ter humiliatur. Nam prædestinati corriguntur in melius, si quando labantur: teste ibi Diuo Thoma. 104

E p. 2. 109. a. 3.

F ibi ad 1.

G Philipp. 2. 1. 3.

H 1. Cor. 1. 1. & Philip. 1. 1.

I Ioan. 21. l. 1. lit. b. & d.

Reliquũ est definiri, an Petrus peccarit mortaliter. Quod quidẽ examinat ex professo in quodlibetis, L & resolutoriè affirmat, ex duobus; primò quia negauit fidem in loco, vbi periclitabatur, & eius confessio requirebatur; *ore enim confessio fit ad salutem*, vt dicitur Roman. 10. in quo videtur, quòd sit de necessitate salutis confessio fidei in casu prædicto. Et præcipuè mendacium in ijs, quæ fidei sunt, est perniciosissimum; secundum Augustinum *in lib. de mendacio.* Secundò; quia defectui confessionis addidit periurium & blasphemiam. Vnde dicit glossa; *perseuerare in peccato dat incrementa scelerum.* Sic alibi etiam M docet Petrum charitatem emisisse:

L quodlib. 9. a. 14.

M a. 2. 14. a. 11. ad

quam-

2. & q. 19. a. 9. & de virtut. q. 2. a. 12. 2. & quodl. cit. & hic.

quamuis non directè per actualem contemptum; sicut accidit illis, qui Iob 22. dicunt Deo, *recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus*: sed indirectè ex timore humano. Vnde negatio eius, quamuis non ex electione, idest quasi ex certa malitia, fuit ex deliberatione, sed extorta ex terrore. Etsi autem Bernardus dicat *in lib. de diligendo Deum*, quòd in Petro charitas non fuit extincta sed sopita; intelligitur, vel quia non amisit eam primo modo; N Vel quia citò resurrexit: ea enim quæ parum distant, quasi nihil distare videntur, O vt dicitur in 2. Phys. Vel Bernardi verbum sonat, non fuisse extinctam, secundum prædestinationem diuinam, quæ eius pœnitentiam præparabat; quamuis esset in se extincta secundùm actum; P vel impropriè de quadam dilectione familiaritatis, quam Petrus ad Christum conceperat, quæ in eo mansit etiam post negationem.

N 2. 2. 24. 12. 2. & de virtutib. loc. cit.
O de virtutibus q. 2. 6. 2.
P quodl. 9 a. 14.

VERS. LXXI. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla.*

105. De prima negatione, cùm dixit primæ ancillæ, *nescio quod dicis*, nulla insurgit difficultas; palam consentientibus Euangelistis. De hac secunda negatione, *cum iuramento*, non contemnendus est scrupulus: tum quia Lucas sic narrat; *& post pusillum alius videns eum dixit; & tu de illis es; Petrus verò ait; ô homo, non sum*; tum quia Ioannes cap. 18. nu. 25. scribit; *dixerunt ergo ei, nunquid & tu ex discipulis eius es? Et dixit, non sum*. Quare videtur dissonantia & in numero & in sexu. Sed quoad sexum facilè soluitur: neque enim dicunt Matthæus, & Marcus hanc secundam ancillam cum Petro egisse, sed quod *ait his qui erant ibi; & hic erat cum Iesu Nazareno*; siue *cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis*: credendum est; quia prior ancilla cum hac miscens verba, hanc etiam in suspicionem induxerat. Huius garrulitate excitati qui aderant, indubitanter de Petro habuere sermonem; & murmur ea de re fuerit inter eos. Plurium ergo circumstantium curiositas vnum mouit; qui vt apud Lucam, *post pusillum, videns eum dixit, & tu de illis es*. Ioannes itaque, qui de hac secunda negatione loquens habet; *dixerunt ergo ei; nunquid & tu ex discipulis eius es?* nisi pluralem numerum pro singulari, vsitata locutione, vsurpauerit: (quod de tertia negatione dixit Augustinus) idcirco pluraliter narrat; quia illi, quibus ancilla secunda aures obtuderat in vno Petrum adierunt; iuxta quod aliàs dixit Chrysostomus in Matthæum homil. 16. ad illud; *accesserunt ad Iesum Pharisæi; & interrogauit eum vnus ex eis*: nam *dicebant apud se, vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquantur per vnum*. Dic ergo post pusillum aliquātulæ collocutionis circumstantium, vnum ex eis exploratorum de Petro, ad Petrum accessisse. Hæc expositio verosimilis admodū, innititur etiam textui; nam apud Lucam 2. respondit, *Petrus, ô homo, non sū*. Quid est sic vocare *ô homo*, nisi quòd *plures homines*, vt docuit Porphyrius, *participatione speciei sunt vnus homo*. Apparet etiam discrimen percontationis plurium apud Ioannem, & vnius apud Lucam: quia iste non interrogat, sed quasi certò sciat, insidiator pronunciat; *& tu de illis es*. Sed hæc positiua asseuerātia subseruiebat pluribus adhuc dubitantibus; ideo hi per Ioannem feruntur interrogare, non asseuerare, *dixerunt ergo ei; nunquid & tu ex discipulis eius es?* Vnde ne oboriretur suspicio contrarietatis, non legimus in Ioanne responsum Petri pluraliter ad eos dirigi; sed solùm, *negauit ille; & dixit, non sum*: non legimus; (subtilis sed solida admaduersio) *& dixit eis*; sed solummodo *dixit*. Non sic in prima negatione, cùm ancillæ respondit, *nescio quid dicis*. Postquam ergo foras exierat Petrus, & redierat in atrium (hunc regressum ad focum probat manifestè Augustinus ex Ioanne) *alius videns eum dixit, & tu de illis es*: quanquam *exeunte illo ianuam*, quod ait Matthæus, secunda ancilla ipsum incusasset. Oportet autem, vt iste *alius*, qui eum vidit, valde vrgeret Petrum, quia suam negationem etiam iuramento firmauit. Si præscius fuisset Petrus noui assultus, fortè cùm iam exijsset ianuam, abijsset: sed innato quodam amoris pondere, non patiebatur longè esse à Christo: de quo, quod erat euenturum prædolebat.

De tertia negatione, salebrosi non minùs videntur sacri textus. Nam Matthæus & Marcus plures introducunt: Lucas autem & Ioannes vnum, quem nominat cognatum eius, cuius abscidit Petrus auriculam; quique in angustias graues coniecit Petrum, dicendo, *nonne ego te vidi in horto cum illo?* Et instatur magis; eoquod apud Marcum Petrus expressè alloquitur plures, *quia nescio hominem istum, quem dicitis*, quando in Luca refertur dixisse; *homo nescio quid dicis*. Vnde non habemus illud confugium adeo planum, vt vni vice omnium respondeat; sicuti in secunda negatione contendimus. Nihilominus si piè & accuratè cuncta velimus perpendere, deprehendemus haud dubiè, nebulas omnes dubietatis, de vel minima dissonantia dispergi. Ita vt dicamus asseueranter hac tertia vice quotquot aderant de Petro mussitasse, sed præ alijs importuniorem eidem Petro fuisse Malchi cognatum: cui præcipuè respondit Petrus; *homo nescio quid dicis*, vt testatur Lucas. Quoniam autem & iste pro omnibus astantibus instabat, pluraliter historiam denarrari à Matthæo & Marco. Et quia Petrus non exiens sed regressus blaterantes eos audierat, ad omnes responsionem suam extendit, quod ait Marcus; *nescio hominem istum, quem dicitis*: ad quos secundam negationem non sic directam reddunt Euangelistæ, quia astantium oblocutioni cùm ianuam egressus fuisset, non sic auscultauerat. *Cæteri*, inquit Augustinus, *Petrum simul vrgebant*. Ex quibus benè consideratis, claret nullum esse Euangelistarum dissensum: quippe qui plus diuinitus edocti sunt de huiusmodi, quàm ab aliquo Iudæorum, qui erant adeo infensi Christo & eius discipulis, acceperint. Sed nisi sic variè denarrarentur quæ acciderant; non posset pius lector deducere, quinam prouocauerint, quinam oblocuti fuerint, quinam Petrum interpellauerint ad negandum. Et inde etiam claret, tumultuariò blateratum esse eo in atrio, cùm vel vidissēt, vel fama mox denunciasset detentum Christum, sistique ad Caiphæ tribunal. Similiter nulla discordia est in eo quod Matthæus & Marcus de interiectu temporis dicunt à secunda ad tertiam negationem; *& post pusillum*, quando Lucas ait; *& interuallo facto, quasi horæ vnius*: nam hora fermè vna, verè dici potest pusillum; quamuis etiam dimidia, & quadrans aduerbium *pusillum* congruè subeant. Studiosè ergo videtur Lucas de secunda loquens dixisse, *post pusillum*: vt subdens de tertia negatione; *& interuallo facto quasi horæ vnius*, intelligeretur, quantum esset pusillum commemoratum à Matthæo & Marco. Vnde Augustinus; *quantum esset hoc temporis, manifestat Lucas*. Nisi dicamus, pusillum secundæ negationis, minus temporis fuisse, quam fermè spatium horæ vnius; & ideo, vt hoc animaduerteretur, Lucas in secunda non dixit *interuallo facto quasi horæ vnius*, sed *post pusillum*, vt collatione facta ad sequens interuallum, ly *pusillum* secundæ negationis breuius caperetur. 106.

Post hæc, locus indagandus est, vbinam fuerit Petri tentatio; num apud Annam, vel potiùs in Atrio Caiphæ. Non enim desunt recentiores, qui arbitrantur negationem Petri in domo Caiphæ contigisse; quamuis fateantur, vt Augustinus in contra- 107.

trarium propendeat. Mouentur autem satis patente visa ratione; quia scilicet, Matthæus, qui Christum commemorat ductum ad Caipham, exequitur deinde de Petro tragœdiam. Et Matthæi narrationi videntur consentire Marcus & Lucas, qui etsi non exprimant Caipham, sed solummodo adductum fuisse Iesum *ad summum Sacerdotem*, vel *ad domum Principis Sacerdotum*, indicant de Caipha intelligere; præsertim Marcus, qui quæ narrat Matthæus de adiuratione Caiphæ, & de scissis vestibus, recolit, vtique ab eodem Caipha. Cum ergo post quàm hæc dicta sunt; in tribus Euangelistis, legamus secutam Petri tentationem, cur non firmemus in domo Caiphæ fuisse? Cui etiam opinioni suffragari censent Ioannem, à quo, etsi prima negatio referatur antequam mitteret eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem; attamen secundam & tertiam negationem subtexit eis verbis; *& misit eum Annas ligatum ad Caipham*. Quare instari potest sic; si Petrus in Atrio Annæ negasset Dominum; sicut Matthæus & Marcus, immo & Lucas nihil dixere de Anna, ita debuerant præterire Petri negationem. Et adhuc; si in atrio Annæ secuta est, cur Ioannes non eam completè narrauit, antequam de Caipha introduceret?

108. Nihilominus nihil officit quod postremò adijcitur; siquidem Ioannes manifestè ostendit Petri tentationem in domo Annæ: dicente ad hæc Augustino *Ioannes incipit Petri tentationem dicere, & interposuit quædam de contumelijs Domini, & adiunxit, quòd inde missus est ad Caipham; & inde recapitulat; vt explicet, quam cœperat tentationem Petri*. Vnde Angelicus Augustinum comprobans Q ait; Euangelista (Ioannes) loquitur per recapitulationem more suo, vt ostendat continuationem & ordinem rei: dixerat enim supra quod *stabant serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus, stans & calefaciens se*. Et postea interposuit de examinatione Christi à Pontifice. Et postmodum, vt continuet seriem, resumit quasi eadem verba dicens; *erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se*.

Q Ioan. 18. l. 3. lit. b.

109. Et si quis roget, quæ possit excogitari causa propter quam maluerit Ioannes secare sic narrationem triplicis negationis, & non potiùs continuè quam cœperat prosecutus sit; ex quo disceptandi amputaretur occasio? Respondendum mihi videtur in primis, quòd ingens vis amoris & dilectionis, qua in Christum ferebatur Ioannes, abstraxit mentem & calamum, ad ea quæ cordi eius magis infixa erant, nempe ad Christi contemptum, & alapæ inflictionem: nam si de ea Sanctus Ephrem Syrus in Serm. de passione sic locutus est; *contremuerunt Cœli; inhorruerunt fundamenta Orbis terrarum; Angeli & Archangeli obstupuerunt; Gabriel & Michael vultum suum alis contexerunt*: quidni putemus & Ioannem huiusmodi iam iam versaturum, suspenso calamo, veluti obriguisse, ideoque abrupta oratione, oblitum fermè Petri, ad tantum tangendum facinus deflexisse, mox intermissas dicturum negationes? Deinde non fuerit incongruum opinari studiosè interruptam narrationem; quia quo tempore ante Annam sistebatur Iesus, ter Petrus negauit. Quæ autem simul facta sunt, non poterant simul describi, vnde prudenter potius fuerunt commista: nec stylum decebat Euangelicum vulgari nimis tenore minus pertinentem notare circunstantiam, puta dicendo *simul*, aut *eodem tempore, hæc facta sunt*.

110. Tertia, quæ prægnantior responsio est, exigit, vt altera examinetur quæstio; quomodo scilicet accipiendum sit, quod ait Lucas cap. 22. *& conuersus Dominus respexit Petrum*: quæ quidem torsit & Augustinum lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 6. Ita enim discurrit. *Dicit Matthæus; Petrus sedebat foris in Atrio; quod non diceret, nisi illa cum Domino intus agerentur. Similiter & in eo, quod dicit Marcus; & cùm esset Petrus in Atrio deorsum, ostendit non solùm in interioribus, sed etiam in superioribus gesta quæ dixerat. Quomodo ergo respexit Dominus Petrum facie corporali? Quapropter mihi videtur illa respectio diuinitus facta: & sicut dictum est; respice & exaudi me, & conuertere Domine, & libera animam meam; ita dictum arbitror, conuersus Dominus respexit Petrum*. Verùm quanquam propriè satis hoc dicatur: quoniam historiam tradunt Euangelistæ, libet etiam secundum alios de physico aspectu intelligi. Sed quomodo? Non arridet quod diuinare contendunt, è fenestra patuisse in Atrium, prospectum. Altè videtur insinuare Ioannes qua via, nimirum, cùm per Atrium transiret Dominus, quem *misit Annas ligatum ad Caipham Pontificem*. Sanè referente Angelico, R secundum Chrysostomum, recedente Christo ad Caipham, Petrus adhuc cum ministris remansit. Quod post tertiam negationem veriùs astrui mihi videtur. Illa ergo occasione Dominus etsi ligatus, conuerti aliquantulùm potuit & respicere Petrum: missumque idcirco ad Caipham prænarrat secūdæ & tertiæ negationi Ioannes, vt ex quo pœnituerit subinnuat, nempè respectus à Domino Atrium pertranseunte. Nisi huic interpretationi plaudatur, vix poterit excogitari, quare de Petri pœnitudine, nihil Ioannes subiunxerit. Sed vtrumque, & Domini respectus & Petri fletus deducitur, vel ex hoc quòd Iesus ductus est, vtique per Atrium ad Caipham: & in Atrio adhuc erat Petrus, vt secunda & tertia negatio, propterea hìc ab Ioanne subnexa, facit innotescere.

R Ioan. 18. l. 4.

111. Quartò responderi fas est, & sic dilui quæ Augustino ingesserunt difficultatem: postquam iam tertiò Petrus negauerat se esse Christi discipulum, eum etiam detestando, sensim se elongasse à ministris, & appropiasse ianuæ superioris & interioris Atrij, vbi ad Annam fuerat Iesus adductus; (quod rationabiliter dicimus, quia iam quasi securus poterat Petrus spatiari) & tunc respexit eum Dominus, præscius de illius accessu; vnde conuersus est à facie Annæ ad suum Petrum; & inde exiens Petrus Atrium inferius erupit in fletum. Scimus quippe quod eruditos non latet, Atrium seu Vestibulum recoli aliquando interius & exterius: & sic duplex fuisse in Annæ domo vix licet dubitare: nam Ioannis 18. *discipulus ille, qui erat notus Pontifici, introiuit cum Iesu in Atrium Pontificis*. Nunquid non introiuit, nisi quò postea per ancillam ostiariam admissus est Petrus? absit: nam postea *exiuit discipulus, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ; & introduxit Petrum*. Et vnde exiuit? non certè de Atrio vbi erant serui & ministri; quandoquidem in eo Atrio erat etiam ancilla ostiaria; neque enim sub dio morabantur vel noctis tempore, ad ianuæ custodiam: ergo exiuit de alio superiori & interiori vestibulo, seu Atrio, tanquam loco iudicij. Constat hoc ex Matthæo; *tunc congregati sunt Principes Sacerdotum & Seniores in Atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas*. Cur non & duplex Atrium in ædibus Annæ? exterius & interius; quod interius ianitore non indigebat, sed sua erat tutus dignitate, tanquam solis ministris & seruis, & domestico alicui liberè patens. Huius superioris Atrij causa, videtur omnino scripsisse Marcus; *cùm esset Petrus in Atrio deorsum*: & Matthæus ad idem; *Petrus verò sedebat foris in Atrio*; intus autem & sursum præierat Ioannes: quò libertate quadam vel in limine accedens post trinam abnegationem Petrus, sortitus est, vt con-

conuersus Dominus cum respiceret; diuinoque illius oculorum ictu, momento euaderet de peccatore iustus, de impio sanctus.

112. Restat faciendum satis interpositæ alteri non contemnendæ obiectioni: quia scilicet, quas suscepit Iesus contumelias & probra, quæ excurrunt Matthæus & Marcus, videtur constare, illatas ei in domo Caiphæ; nam Matthæus palam dicit *duxerunt ad Caipham*: cùm ergo subnectant de Petri negatione, argumento est, ibidem secutam fuisse. Lucas si attentè legatur, potiùs manifestè tradit tentamenta Petri in domo Annæ; quandoquidem contumelias Domini (vtique in domo Caiphæ) tangit postquam *egressus est foras Petrus*: non est autem egressus de Atrio Caiphæ, sed Annæ, quò fuerat admissus. Nihilominus non ideo quoniam Matthæus & Marcus prænarrant, quæ contigerunt in domo Caiphæ, etiam Petri negatio arguitur ibi fuisse; nam neque, quia Marcus dicit cap. 14. *& accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes*, & subdit postea, *& ait illis, hic est sanguis meus* &c. Non sequitur inquam, priùs bibisse omnes, quàm consecrationis verba pronunciaret, sed est hysterologia, qua præmittitur quod posterius est. Sic posteriùs fuere contumeliæ Christo illatæ in domo Caiphæ, quàm fuerit tentatio Petri; sed ea figura inuertuntur prius & posterius. Quare autem sic voluerit Spiritus-Sanctus rem variè denarrari, admiranda est quæstio, & latitans causa. Sed tamen, quia ab ore Domini accepimus, *quærite & inuenietis, pulsate, & aperietur*, possumus sic sensim attolli; vt dicamus in primis, propterea non seruari à Matthæo & Marco historiæ ordinem; vt hoc animaduertens pius lector, inde vel inuitus assurgeret ad cogitandum, arcano aliquo fine, postponi ea, quæ priùs fuerant patrata. Neque enim prudens quispiam poterit vel suspicari, si de negatione Petri agitur, sanctos Euangelistas errore lapsos: quandoquidem circunstantia huiusmodi de loco, vbi factum acciderit adeo palpabilis est, vt neque stoliditate captus potuerit de domo Annæ & Caiphæ æquiuocare. Consuetum est quippe, vbi humano stylo res denarrantur, quæ scripta sunt, relegi & recognosci: quæ verò diuino exarantur Spiritu, mendosa esse non posse perspicuè constat. Temerè ergo etiam ab infideli inureretur Euangelistis dissensus nota. Itaque manifestabit Syntaxis, quæ latens contextuum connexio poposcerit, vt trina negatio, quæ fuerat à Matthæo & Marco prætereunda, eo quòd prætererant de Anna, nihilominus non sit ab ipsis missa: quamuis aliàs non debuerat prætermitti alio ex capite; quia scilicet prænarrauerant de Christi Domini prædictione, *ter me negabis*.

VERS. LXXV. *Et egressus foras fleuit amarè.*

113. Exodi 12. vbi de Agno & azymis panibus, fit quoque mentio de simul manducandis lactucis agrestibus. Quocirca Gregorius; *lactucæ agrestes, valdè amaræ sunt; addebantur autem in signum pœnitentiæ* S *& significant dolorem de peccatis*. Hinc Augustinus ex Angelico, T *beatum Petrum, quando amarissimas lachrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit*. Fleuit ergo amarè: quid autem flendo exprimeret, nescimus. Sanctus Maximus hom. 3. *non inuenio quid dixerit; ne tam citò veniæ postulatio, per impudentiam plùs offenderet, quàm impetraret*. Fortè illud mente voluebat, Iob 10. *loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare*. Subdit Ambrosius; *lachrymas eius lego; satisfactionem non lego*. Et hic dicendum; V quandoque intendi adeò charitatem in actu, quòd contritio inde secuta merebitur non solùm culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna. Hinc Leo Papa; *felices, ò Apostole sancte, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis*. Claudat Chrysostomus apud Hugonem; *cadit Petrus, vt confundatur Marcion; vt non præsumat de se; vt Christo in omnibus credat; vt reliqui caueant, & Christo credant: vt comprimatur audacia, & conuincatur; vt sciat qualiter alijs parcat*. Et Gregorius; *omnipotens Dominus ipsum Apostolorum Principem permisit cadere; vt in sua culpa disceret, quantum alijs misereri deberet*; Ecclesiastici 31. *intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso*.

S p. 2. 102. 5. 2. & opusc. 58. c. 16.
T 3. p. 89. 1. 2.
V 4. sent. 17. q. 2. 5. 2.

SYNTAXIS
Ad Caput Vigesimumsextum.

VERS. I. *Et factum est, cùm consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis.*

VERS. II. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet; & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.*

1. Consummata Syntaxis Euangelicæ inuestigatione; quod an assecuti largiente Domino simus, expenderit lector; idcirco fortasse eloquitur sic Matthæus; *cùm consummasset Iesus sermones hos*, additque *omnes*. De uenimus quippè assumptæ allegoriæ continuatione, vsque ad Ecclesiam finalem, præsagia quoque triumphantis inenarrabili felicitate. Consectarium subinde est, vt dicamus, nihil in hoc & sequentibus capitibus esse omissum, quod ad recapitulanda præmissa conferre posset: vt sic, velut per transennam, quicquid redoleret Syntaxin, solerti studio, nouo semper fidelium animarum oblectamento, mirè Matthæi calamus præsertim quoad generalia insinuaret. Et iam ipsa Christi passio, quæ proximè percurrenda est, mox de Ecclesia suggerit; quandoquidem Act. 20. *eam acquisiuit Christus sanguine suo*. Et Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea*.

VERS. VII. *Et effudit super caput ipsius recùmbentis.*

2. Cùm secundùm Augustinum & Gregorium (quamuis alij secus crediderint) vt fert A Angelicus, sit vna eademque inunctio, quam narrant hic Matthæus & Marcus; emergit equidem grauis difficultas, cur hi duo sancti Euangelistæ hic factum interserant, quod antea secutum fuerat teste Ioanne cap. 12. Ex quo Augustinus, re non vlteriùs discussa, confugit ad recordationem, ita vt non teneant historiæ ordinem, quem vtique seruet Ioannes. Subdit autem, ideo hic immediatè ante proditionem Iudæ commemorari; quia ex hoc creditur occasionem accepisse. Cæterum quia & Lucas de produore multa introduxit, nulla facta mentione de inungente muliere, nondum quiescit animus, adhuc sciendi cupidus, qua de causa, prætermiserit Lucas, quod dixerunt Matthæus & Marcus de hoc vnguento, quando & ipse sicut & illi, immo plusquam illi expressit de Iuda. Igitur altiori meditatione dicendum videtur, huc transtulisse Matthæum præhabitam vnctio-

A Ioann 12. l. 1.

vnctionem, ea de causa, qua tacet de vnctione pedum, (de quo palam Ioannes cap. 12. *vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis*,) & dicit de inuncto capite; *& effudit super caput ipsius recumbentis*: nimirum vt subinnuens de gratia Christi secundum quod est Caput Ecclesiæ (Ephes. 1. *ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*) tangeret contexturæ suæ Euangelicæ præcipuum scopum; quatenus Ioannis 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*; Cantic. 1. *oleum effusum nomen tuum*; & psalm. 132. *sicut vnguentum in Capite*. Dicit Origenes; *olei autem aliud est vnguentum*; &c. Per excellentiam quippe dicitur vnctus; psalm. 44. *propterea vnxit te Deus*; *Deus tuus, oleo lætitiæ*, siue *exultationis* Hebræorum 1. *præ consortibus*, seu *participibus tuis*. Et Act. 10. *Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu-Sancto*. Sic in veteri lege, specialiter
B p. 2. 102. 5. 8. Pontifex oleo vnctionis B in capite vngebatur. Vnctio autem C sanctificationem significat. Alij dicuntur Sancti, Christus *Sanctus Sanctorum*: ipse
C Hebr. 1. l. 4. & 3. p. 83. 5. 2. enim est radix omnis sanctitatis. Lucæ 1. *quod nascetur ex te sanctum*. Sanctitas quippe Christi fons est totius Ecclesiasticæ sanctitatis. Hinc Ephes. 5. *Christus se ipsum tradidit pro ea*, (Ecclesia) *vt illam sanctificaret*. Danielis 9. *& vngatur Sanctus Sanctorum*. Opportunè ergo de huiusmodi sanctitate, quæ deriuatur in fideles, agitur, cùm de passione eius & morte; eoquòd vt dicitur etiam Hebr. 13. *Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Quo sensu autem Marcus etiam hoc enarret factum cap. 14. ibi Deo dante clarebit. Interim dicito raptim, futuræ incorruptionis & immortalitatis virorem (quæ versat Marcus) significari ab vnctione: iuxta illud Marci 14. *præuenit vngere corpus meum in sepulturam*. Non erat Lucæ institutum ad hæc diuerti: ideo præterit.

VERS. XVIII. *Ite in Ciuitatem ad quendam*.

3. Locus iste multis scatet quæstionibus; quarum prima est, cur non prodant Euangelistæ, quisnam fuerit ille apud quem Dominus celebrauerit cum discipulis suis Pascha: & quare (quod magis vrget) nec Dominus ipse expresserit quisnam esset, ad quem declinare statuerat. Quæsitum perdifficile: quod proinde sacros coegit Interpretes varia opinari. Augustinus *de Consens. Euangel.* putat Matthæum ex persona sua, studio breuitatis, voluisse insinuare quem dicunt Marcus & Lucas *Patrem-familias*, vel *Dominum domus* interponendo *ad quendam*; *nam neminem sic loqui, vt dicat, ite ad quendam, quis nesciat? manifestum est enim discipulos à Domino, non ad quemlibet, sed ad quendam hominem, idest ad certum aliquem missos esse*. Hieronymus; *in hoc etiam morem veteris Testamenti, noua Scriptura conseruat: frequenter enim legimus: dixit ille illi; & in loco illo & illo: & tamen nomen personarum locorumque non ponitur*. Chrysostomus in homil. *per hoc quod dicit, ad quendam, ostendit, quòd ad ignotum hominem mittit, monstrans hinc, quoniam poterat non pati: qui enim menti huius persuasit vt eos susciperet; quid non vtique operatus esset in his, qui eum crucifigebant; si tamen voluisset non pati*. Sic Theophylactus; qui addit; *dicunt quidam, quòd ideo non dixit nomen hominis, ne proditor cognito nomine domum panderet Pharisæis, qui venientes cepissent eum, priusquam cœna fieret, & spiritualia mysteria discipulis traderet: sed quibusdam indicijs in quandam domum dirigit eos*. Diuus Ambrosius; *dignationem Domini intuere, quia non persona diuitis aut potentis eligitur, sed pauper ambitur, & angustum hospitium pauperis amplis nobilium ædibus antefertur. Sciebat autem Dominus nomen eius, cuius sciebat ministerium & occursum; sed ideo sine nomine designatur, vt ignobilis æstimetur*. Hilarius; *vel ideo hominem, cum quo Pascha celebraturus esset, non nominat: non enim Christiani nominis honor credentibus erat præstitus*. Rabanus; *vel nomen prætermittit, vt omnibus verum Pascha celebrare volentibus, Christumque hospitio suæ mentis suscipere, danda facultas designetur*. Vide lector quot responsa meditati sint sancti Patres, vix suis responsis contenti. Is, cuius supprimitur nomen, ex communi traditione putatur fuisse *Ioannes*, cognomento *Marcus*, consobrinus Barnabæ, vt hic & Act. 1. ait Tirinus. Veruntamen potissima mihi visa ratio, quare noluerit exprimere Dominus hospitis nomen, est, vt inde non tam historiam obaudiremus, quàm mysteria scrutari adniteremur. Neque enim in hoc sistit admiratio. Vlteriùs mouet, cur Marcus referre maluerit ab ore Christi; *dicite Domino domus*; Lucas, *& dicetis Patri-familias domus*; Matthæus, *& dicite ei*? Quò spectat; an Christus hæc omnia prompserit; an *Dominum*, vel *Patrem-familias* duntaxat appellauerit. Præterea cur Ioannes nihil hac de re scripserit? Cur item potius Marcus *Dominum domus* recoluerit, & non *Patrem-familias*, sicuti Lucas; vel è contra. Adhuc; quare Lucas memorauerit de diuersorio; *vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem*, quando Matthæus & Marcus habent; *apud te facio Pascha*; & *vbi est refectio mea*? Denique pulsat animum, quare non Matthæus, qui consueuit esse Marco diffusior; sed Marcus, qui Matthæi *breuiator* dicitur, circunstantias describat tot, quas Matthæus, & quorsum ignoramus, prætermittit? Alia in respondendo tangentur; quibus Domino largiente fiet satis.

Vt his difficultatum anfractibus, facti diuinæ sapientiæ pro modulo speculatores, emergamus; indeque nunquam satis eloquij altitudinem demiremur: primo in limine se nobis offert solare iubar semper coruscans sanctissimi nostri Doctoris, C qui ex professo quærit, *vtrum oporteat Sacramentum Eucharistiæ celebrari in domo, & vasis sacris*. Objiciendo autem suggerit ex quo ad interiora mysteria manuducamur. Inquit ergo: in celebratione huius Sacramenti debet Ecclesia imitari morem Christi: sed domus in qua primò Christus hoc sacramentum confecit, non fuit consecrata, sed fuit quoddam commune cœnaculum, à quodam Patre-familias præparatum, vt habetur Lucæ 22. ergo &c. Respondet autem, quòd domus in qua sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, & Ecclesia nominatur, &c. præmiseratque *ad primum*, quòd regulariter hoc sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia, secundùm illud 1. Tim. 3. *vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui*. Sic expendens illud Act. 2. quando Spiritus-Sanctus adueniens *repleuit totam domum*, D subdit, per quam significatur Ecclesia. Sic alibi; (planè ad rem) E præcipitur, (Exodi 12.) quòd in vna domo agnus paschalis comedatur, idest in Ecclesia Catholicorum, non in conuenticulis hæreticorum. Fauet autem euentus sequens. Erat enim domus ista in Monte Sion, iuxta arcem Dauid; vbi post mortem & resurrectionem Christi, latitarunt Apostoli & receperunt Spiritum-Sanctum: vbi postea condita est Ecclesia Christianorum celeberrima; vbi Stephanus & alij diaconi ordinati sunt; vbi primùm celebratum Apostolorum Concilium, vbi symbolum compositum, inquit Adrichomius, apud Tirinum Act. 2. Cœnaculum autem erat in superiori parte domus. Hieronymus mysticè, *Dominus domus, Petrus Apostolus est; cui Dominus domum suam credidit, vt sit vna fides sub vno Pastore*. *Cœnaculum grande* (posset sanè quis petere, quare grande, quare stratum?)

4. (margin)

C 3. p. 83. 3. arg. 2.

D 3. p. 72. 8. in sed contra.

E p. 2. 102. 5. 2.

Ecclesia magna est; in qua narratur nomen Domini (psalm. 21. *apud te laus mea in Ecclesia magna*; item psal. 34. *confitebor tibi in Ecclesia magna*) *strata varietate virtutum & linguarum*. Ambrosius de aquæ amphora; *aqua quæ Sacramentum Christi esse meruit*: & Beda; *ad tollenda crimina, viuifici fontis baptisma consecratur*. Ephes. 5. post quam dictum est de Ecclesia, pro qua Christus se ipsum tradidit, & de eius sanctitate, quæ & hic prætacta sunt, sequitur, *mundans lauacro* sicut hic de aqua fit mentio. Modò vide lector, qua ex causa Matthæus nec de amphora aquæ, nec de domino domus, pro Petro, quidquam dixerit: vtquid enim? si hæc ad amussim in Euangelico suo contextu peregerat. Hac ergo est ratio, ob quam compendio, & raptim Matthæus hoc tangit; quia scilicet & de Ecclesia & de Petro eius Capite, & de baptismo executus fuerat Euangelij sui serie. Debuerunt autem Marcus & Lucas, qui alium sibi præstituerant scopum, omnia singillatim percurrere; in messem quasi alienam falcem mittendo, assumpta Matthæi facie, quia *quatuor facies vni*, Ezechielis 1. Quoniam verò de Ecclesia militante sermo est, vt innuitur ibi; *ite in Ciuitatem, & introeuntibus vobis in Ciuitatem, occurret vobis homo, &c. sequimini eum*: (hoc quippe viatores demonstrat) ideo Ioannes, qui potius ex instituto triumphantem introducit Ecclesiam, ab horum narratione abstinuit. Et ecce altera congruenter cohærenterque causa, propter quam huc transtulerint Matthæus & Marcus de muliere inungente Dominum. Nunquid, ænigmaticè commemorata Ecclesia, debuit de Altari sileri? Nunquam certè Ecclesia sine altari consecratur. Per altare significatur F ipse Christus, de quo dicit Apostolus Hebr. vltimo; *per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo*. *De consecratione* dist. 1. dicitur; *altaria placuit non solum vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*. Dic ergo ideo inungi perhiberi Dominum. Et quia ibidem; *altaria si non fuerint lapidea, chrismatis vnctione non consecrentur*, ecce de lapide alabastrite tangi; *habens alabastrum vnguenti*: *Petra* enim 1. Corinth. 10. *erat Christus*. Relatu quodam hominem lapis iste insinuat; quem Plinius & Horatius, Tirino teste, vocant *Onychem*; quòd marmor illud referat humani vnguis colorem. *Ab vngue*, prouerbium est, *cognoscitur Leo*. Quare Lucas de huiusmodi vnctione nihil retulerit, postea explorabimus, num. 9. sub finem.

F 3. p. 83. 3. a. 1 & 3.

5. Illustrat quam versamus materiam alia doctrina. G Obijcit enim, quasi Ecclesia minimè possit se ingerere in ijs, quæ per modum dispositionis & ritus in celebrando determinat. Respondet autem dispensationem Sacramentorum pertinere ad ministros Ecclesiæ, qui idcirco habent statuere circa vsum Sacramenti & modum celebrandi de domo, de altari &c. Vides ergo lector, quomodo de his erudimur sacro ex contextu. Nam ad interpellandum Dominum domus de loco celebrandi Sacramentum mittit discipulos, qui de gremio præsumuntur Ecclesiæ, Duce baptismi symbolo, in aquæ amphora, qui ianua est Sacramentorum, & fidei Sacramentum. Mittit autem discipulos, vt nomine ipsius interrogent, *vbi est refectio mea? dicit tibi Magister; vbi est diuersorium?* Non secus ac Ioannes, *cum audisset in vinculis opera Christi*, (supra cap. 11.) *mittens duos de discipulis suis ait illi; tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Et quoniam ornari Templum seu sacram domum, exigit Dei cultus: ecce dici *cœnaculum stratum*: quòd tapetijs, pannis exquisitis & pulchris, stragulatis apparatibus deceat sterni. Qui autem memoratur *Dominus domus*, vicesque Petri gerit secundum Hieronymum, quia in typum stat dispensantis Ecclesiæ, mox huiusmodi declaratur; quandoquidem mittit apud Marcum *duos ex discipulis suis*; & ex Luca *Petrum & Ioannem*: *duo autem vel tres congregati in nomine eius*, vt dixit supra cap. 18. (quod assumit Angelicus H) Ecclesiam referunt.

G 3. p. 83. 3. 2.

H 3. p. 82. 3. in sed contra.

6. Sunt ex hactenus dictis resoluta satis quædam, quæ supra num. 3. mouimus. Vestigandum superest de narrationis discrimine in Luca & Marco. Pro quorum elucidatione sciendum est, vt supra tetigimus, à Marco fusius commemorari, quod Matthæus pertransit. Erat autem fidelibus inserendum, qualiter ius decernendi de vsu Sacramentorum, atque de modo & ritu celebrandi, maneat in Ecclesia; vt I docet Angelicus. Hoc ergo exequitur Marcus, non Matthæus, eoquòd iste iam huiusmodi excurrerat supra cap. 16. ex verbis Domini, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Astruit itaque recurrendum esse in his ad Petrum, pro quo per Hieronymum supponit ly *Dominus domus*. Itaque non ad personam, cuius siletur nomen, sed ad munus, seu potiùs ad personam eo in munere prouocandum est; vt doctrina Ecclesiæ, quæ procedit, vt habet Angelicus L ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, in his quæ fidem concernunt, agnoscatur infallibilis & diuina regula. Modò nomen *Dominus* ex Ambrosio *nomen est potestatis*: igitur dum auditur, *dicite Domino domus*, hoc vnum subest intelligendum, vt Pontifex, suppresso nomine, in eo quod Pontifex potestatem in Ecclesia summam, vbi de Sacramentis agitur, proinde etiam de cæteris definiendis, habere credatur. Docemur quippe determinationem eorum, quæ sunt fidei, M vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, pertinere ad auctoritatem summi Pontificis; ad quem maiores & difficiliores Ecclesiæ Quæstiones referuntur; vt dicitur in Decret. distinct. 43. Vnde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit; *ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Vna enim fides, quæ debet esse totius Ecclesiæ, 1. Corinth. 1. *idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*, seruari non potest, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur: & ita per auctoritatem summi Pontificis. Hucusque Sanctus Thomas, qui alibi N fert Cyrillum Alexandrinum, qui floruit salutis anno 435. dicentem lib. 2. Thesaurorum: *vt membra maneamus in Capite nostro Apostolico throno, Romanorum Pontifice: à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus; ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus; quoniam ipsius solùm est, reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, ligare; loco illius, qui ipsum ædificauit*. Ecce lector pie in praxi, requiri *dominum domus* à discipulis, *vbi est refectio mea? vbi diuersorium?* qui ostendit cœnaculum, vtique *loco eius, qui ipsum ædificauit*; hoc est loco Saluatoris, qui poterat sibi deligere hanc vel illam domum, & in ea cœnaculum; sed ad documentum fidei, maluit per *quendam* sui Vicarium illud *ostendi*: & quare ostendi? vt oculo fidei discipuli illud viderent. Quoniam ergo, vt firmat Angelicus, O in omnibus generaliter, quæ ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, habet Papa plenitudinem potestatis: ideò meritò ad hoc significandum dicitur *dominus domus*. Quem tamen signanter interrogant iussu Saluatoris, *vbi est refectio mea?* quia supra dominum domus, dominium ipsius stat, qui Apocal. 19. *habet in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex Regum; & Dominus dominantium*: & ante cap. 17. *Agnus, Dominus dominorum est, & Rex Regum*.

I 3. p. 83. 3. 4.

L 2. 2. q. 5. 1.

M 2. 2. q. 1. a. 10.

N opusc. 1. contra errores Græcor. 5. 17. & opusc. 19. c. 3.

O 2. 2. q. 89. 9. 3.

Ardua

7. Ardua magis est difficultas de Luca, qui abstinens ab adeo excellenti titulo *domino domus*, refert, *dicetis Patri-familias domus*. Quis est iste *Pater-familias?* Respondet Hilarius Comm. in Matth. 25. *Patrem-familias, se ipsum esse significat*. Respondeat Gregorius homil. 19. in Euang. *quis verò Patris-familias similitudinem rectius tenet, quàm Conditor noster; qui regit, quos condidit; & electos suos sic in hoc Mundo possidet, quasi subiectos dominus in domo?* Potest ergo Pater-familias & hic dici Christus, vel Deus: non quòd Christus, Deus non sit: sed propter carnem assumptam, propter quam etiam ipse Christus differebat à se Deo, vel propter Personarum distinctionem, quæ est inter filium & Patrem; cui soli quandoque Scriptura attribuere videtur illud, quod etiam alijs Personis conuenit ratione
P Apoc. 5. com. 2. Auctoritatis. Sic erudimur ab Angelico P edisserente, quo pacto in Apocalypsi legatur, *redemisti nos Deo in sanguine tuo*. Vbi mouet quare sit talis distinctio inter Christum & Deum; cùm ipse sit Deus vnus cum Patre? & adnectit ad idem Apostolum ad Ephes. 5. similiter dicentem; *omnis fornicator &c. non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei*. Deducamus itaque in ijs, quæ ad fidem quoquo modo attinent, consulendum esse quidem summum Pontificem, sed non quà hic vel ille, sed quà Pontifex: non secus ac dicat idem Apostolus 2. Cor. 2. *nam & ego quod donaui, si quid donaui, in Per-*
Q 1. Cor. 2. 2. *sona Christi*; scilicet Q non mea auctoritate. Planè potest incredulus insurgere, cur ad Petrum suppresso nomine, (cui & *Simonis* nomen mutauit) tanquam ad oraculum agendorum sit confugiendum? obuiat Saluator per Lucam, ex quo innotescit, quem postrema analysi adeamus; nempe Patrem-familias, Christum & Deum. Idcirco prout mihi visum est, alta indagine considerandus est Lucæ textus, quo exprimuntur discipuli Petrus & Ioannes: vt inde noscatur, Petrum ipsum cui subijciuntur fideles, eatenus subiectione hac dignum esse; quatenus ipse Patrem-familias Christum & Deum in Ecclesiæ sanctionibus interpellat. Cuius rei exemplum, immo potius exemplar extat Actor. 15. vbi *cum magna conquisitio fieret*, surrexissetque Petrus, in ea summæ sibi commissæ auctoritatis verba; *Deus in nobis elegit per os meum, audire Gentes verbum Euangelij & credere*: tandem dictum est; *visum est enim Spiritui-Sancto & nobis, nihil vltra imponere &c.* Quia ergo loquitur Deus *per os Petri*, cui regimen commisit Ecclesiæ, (sicuti *prophetauit Caiphas* Ioannis 11. *cùm esset Pontifex anni illius, quòd Iesus moriturus erat pro Gente*) & mens Pontificis mouetur à Spiritu-Sancto, quando ea quæ ad Cathedram pertinent, decernantur; ideo in motionis huius specimen Domino domus nulla fit exterior instantia: nam hoc in facto scribit Chrysostomus in hom. *qui menti huius persuasit, vt eos susciperet, &c.* Et Theophylactus; *qui mentem ignoti monuit vt ipsos reciperet, quod non operaretur in alijs?*

8. Et si post hæc roget quispiam, cur solus non mittatur Petrus, sed vnà simul Ioannes; Lucæ 22. *misit Petrum & Ioannem dicens, euntes parate nobis Pascha, vt manducemus?* admiranda grauissimæ edisserendæ ac definiendæ quæstionis datur nobis occasio. Disquirit præ alijs Magister Bagnes in 2. 2. q. 1. a. 10. *Dubitatur secundò* in 4. argumento, an ad statuenda per summum Pontificem ea quæ ad fidem attinent, prærequiratur Theologorum consultatio? Respondet autem affirmando: assistentia enim Spiritus-Sancti non est concessa Petro, & Successoribus simul per immediatam reuelationem, seu illuminationem, sicut Auctoribus sacræ Scripturæ adstitit Spiritus-Sanctus; aliàs definitio Pontificis esset sacra Scriptura. Subditque diligentem exigi inquisitionem, vt Pontifex postea definiat, quid sit certum secundùm fidem: confirmatque ex vsu, quem semper obseruauit Ecclesia præmittens disputationes in Concilijs. Et ad 6. argumentum, ratum habet, quòd si Pontifex solus definiret, seclusa consultatione, errare posset. Et ad septimum inter alias dogmatum fidei notas, expendit quod consueuit Pontifex addere, *de consilio fratrum*: scilicet *Cardinalium*. His prælibatis emicat, ex quo misit Dominus *Petrum*, sed *& Ioannem*, vt qui supra pectus Domini recumbens hausturus erat mysteria, Petro, cui Lucæ 5. dictum fuerat, *duc in altum*, hoc est ex Ambrosio, *in profundum disputationum*, comes esset Ioannes, tanquam assistens Theologus. In græco quippe Apocalypsis adscribitur *Ioanni Theologo*, quia hoc nomen Ioanni Apostolo, ob doctrinæ sublimitatem proprium erat; vt constat ex Epistolis Beati Euodij, Dionysij Areopagitæ & alijs à Baronio citatis. Benè ergo dicat Chrysostomus, relatus Ioannis 13. in Catena; *vbique Scriptura ostendit Petrum feruidum, & familiaritatem habentem ad Ioannem*: & Augustinus; *per hoc, quod vltimo supra pectus recubuit, exprimitur, tanquam per maiorem & abundantiorem gratiam specialis Iesu discipulus esse*. Quem & Theophylactus Theologum vocat excellentissimum. Cum quo ad rem cohæret, quod ait de Petro Dionysius de diuinis nominibus; *pronectissima Theologorum summitas*; & Ioannes Damascenus, in Oratione de dormitione Deiparæ; *summa & antiquissima Theologorum summitas*. Vt sic Pontifex dicatur prudens & sciens diuina sancire. Et sicut Prophetæ mens R R 2. 2. 173. 4.
propriè propheticè illustrata callet quæ loquitur: (non instar Caiphæ, qui etsi habuerit instinctum propheticum, nesciuit quid diceret) ita & summi Pontificis intelligentia, quæ definit, attingat. Quàm mirè ad hæc resonat in Euangelistis, *Magister dicit*, vt altè definitus Pythagoræo acquiescant fideles themate. Verosimile est autem, vtrunque dixisse Iesum, dicite *Domino & Patri-familias domus*: & seiunxisse irradiatione supera Euangelistas, quæ coniunctim Saluator prompserat.

9. Assumpsit autem sibi Lucas dicendum potius de Patre-familias arcana tempestiuè, vt opinor, causa; quæ alto sanè ex principio repetenda est. Præsupponimus autem, (quod suo in loco vberrimè demonstrabitur) qualiter Lucas ex instituto Iudæos specialiter ad fidem trahendos aggreditur: suadendo scilicet legalium cessationem. Quocirca illud Apostoli ad Roman. 3. semper recolendum est, nimirum; *legem ergo destruimus per fidem? absit. Sed legem statuimus*: idest S per fidem perficimus & adimple- S Rom. 3. 14. Ephes. 2. 1. 5.
mus; supra cap. 5. *non veni soluere legem, sed adimplere*: & hoc quantum ad præcepta cæremonialia, quæ cùm essent figuralia, per hoc statuuntur & adimplentur, quòd veritas significata per ea, in fide Christi exhibetur. Sine, vt ait ad Ephesios; etsi cæremonialia præcepta soluerit, quantum ad eorum substantiam, adimpleuit quantum ad illud, quod figurabant, adhibens figuratum figuræ. Iudæi autem vt exinde accepimus; nempe ex Apostolo ad Romanos 3. & 4. capite, quoad multa se præferebant Gentilibus ad fidem conuersis: contra quos ait; *quid igitur? præcellimus eos? nequaquam*. Excludit autem eorum gloriam, quia T iustitia fidei communiter se T Rom. 1. 4.
habet ad omnes: *omnes peccauerunt, & egent gratia Dei*: & pergit comprobare ex parte causæ agentis: *An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium*. Ergo vtrosque iustificat. *Deus noster* psal. 67. *Deus saluos faciendi*. psalm. 46. *Rex omnis terræ Deus*. Ieremiæ 10. *quis non timebit te, ò Rex Gentium?* Ostendit etiam infra V quòd ele- V Rom. 9. 1. 5.
ctio siue vocatio non solùm pertinet ad Iudæos, vt ipsi poterant gloriari, propter hoc quod dicitur

Deuteronomij 4. *dilexit Patres tuos*, sed etiam ad Gentes. Gloriabantur etiam Iudæi de dignitate filiorum, propter id quod dicitur Isaiæ 1. *filios enutriui*; & Deuter. 33. *nonne ipse est Pater tuus?* (adde Roman. 9. *quorum adoptio est filiorum.*) Vnde Iudæi nec reputabant Gentiles populum Dei: psal. *nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*. Hæc apud Diuum Thomam. Erant ergo Iudæi increpandi, quia vt dicit ad Ephesios cap. 4. *vnus Deus, & Pater omnium*. Malach. 2. *nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus creauit nos?* Hinc Osee 1. *& erit in loco, vbi dicetur eis; non populus meus vos, dicetur eis; filij Dei viuentis*. Recolit hoc Apostolus Roman. 9. *ibi vocabuntur filij Dei viui*. *In loco*, idest in Iudæa; X *vbi dictum est eis*, scilicet Gentilibus à Iudæis, quasi ex persona Dei loquentibus; *non plebs mea vos; ibi*, idest etiam apud Iudæos, credentes *vocabuntur filij Dei*; vel *in loco*, idest in toto Mundo, *vocabuntur filij Dei* per diuinam adoptionem; Ioannis 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius*. Huc facit quod dicitur Roman. 8. *accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater*; & ad Galat. 4. *quoniam autem estis filij Dei; misit Deus spiritum filij sui, in corda vestra clamantem Abba, Pater*, Hoc autem A conuenit dicere non solum Iudæis sed etiam Gentibus; & ideo duo ponit (*Abba & Pater.*) idem significantia; vt ostendat, quòd gratia Spiritus-Sancti, quantùm est ex se, communiter se habet ad vtrunque populum. Ieremiæ 3. *Patrem vocabis me*. Ecce ergo lector, vndenam colligi possit, quo studio maluerit Lucas referre; *dicetis Patri-familias domus*: vt scilicet gloriosis Iudæis objiceret Deum esse omnium hominum amantissimum Patrem, qui omnes homines quasi Paterfamilias, subiectos haberet: proinde non esse Iudæis pertinaciter legi, legisque cæremonijs hærendum; quæ cum ipsis solis data fuerit B; ex hoc ipso indicat, præfigurasse nouam, quæ non vnum populum, (vt C illa) sed omnes obligaret. Patrem-familias esse Deum si Iudæi recolerent, acquiescerent facilius fidei. Agnoscerent vniuersalem Dei prouidentiam, quæ sicut Deo propria est; imponitur enim hoc nomen *Deus* D ab vniuersali rerum prouidentia: ita etiam Patris-familias est; iuxta illud Sapientiæ 14. *tua autem Pater prouidentia gubernat*. Marcus, qui orationem Dominicam in qua exordium est, *Pater noster*, non commemorat, noluit ab hac meditatione ieiunus esse; sed retulit dixisse Dominum in horto, *Abba, Pater*. Lucas autem, qui perfidos exagitat Iudæos, ideo videtur mulieris postremam vnctionem omisisse, quia cùm Altaris perun&cti specimen exhibeat vnctio illa, & Altare, vt dictum est, sit mysticè Christus, frustra Christum denegantibus mystica intelligentia isthæc fuisset insinuata; quando adlaborandum erat, vt eorum animis insideret, Deum omnium nostrum Patrem-familias; & hoc vno ex capite fas erat Iudæorum præsumptionem elidere, qui sibi ipsis prouisorem duntaxat per legem, gratis astruunt: cum tamen lex vni data populo minimè comprobet Deum Patrem-familias, nec Patrem omnium. Profunda hæc Euangelij interpretatio indicat quare studuerint Euangelistæ historiam variè tradere, & omnem exterminat vmbram dissonantiæ.

X loc. cit.

A Rom. 8. l. 5. & Gal. 4. l. 1.

B p. 2. 98. 4.

C ibi a. 5.

D p. p. q. 13. 8. in corp. & ad 1.

10. In præhabitorum confirmationem est sermo diuinus in Apostolo Ephes. 2. vbi astruens vtriusque populi & Iudæorum & Gentilium collectionem in vnum; *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, subdit; *quoniam per ipsum* (Christum) *habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem*; sicut hic Lucas exprimit *Patrem-familias*. Hieronymus aliàs in Catena hic ibi: *in regno Patris mei*, habet, *attende autem, quòd dicit Patris & non Dei*. Benè ergo ibidem pergit dicens; *iam non estis hospites & aduenæ*, (Gentiles alloquitur, qui fuerant Gentiles) *sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei*. Olim quippe tanta erat Gentilium & Iudæorum auersio, vt, quod ait Augustinus (in Catena Ioannis 4.) *omnino eorum vasculis non vterentur Iudæi*. Ex quo mirata Samaritana mulier dixit Iesu; *quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Et Act. 10. *disceptabant aduersùm Petrum, qui erant ex circumcisione dicentes; quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Reuera cùm introisset ad Cornelium ita cœpit effari; *vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem*. Vnisonus autem Paulo dicit & ipse, *annuncians pacem, per Iesum Christum, (hic est omnium Dominus)* sicut ille ad Romanos scripsit; *an Iudæorum tantum Deus? nonne & Gentium?* cap. 3. & cap. 10. *nam idem Dominus omnium*. Et ad Ephesios, *ipse est pax nostra*. Et ecce qua ex causa seruatum sit Lucæ scribere; *vbi est diuersorium?* non autem, *vbi est refectio mea?* quod ait Marcus. Quia enim altè versabat vtriusque populi collectionem, tetigit ea voce mysterium. Hebraicè *diuersorium* dicitur *malon*, quod sonat *hospitium*: in hospitio autem & diuersorio vnusquisque excipitur. Conueniendum ergo fuisse indicat indiscretè & promiscuè in domo Ecclesiæ, duobus populis: sicut pronunciat Petrus Actor. 15. *nihil discreuit inter nos & illos*. Quippe, *qui habitare facit* ps. 68. *vnius moris in domo*. Et Roman. 10. *non enim est distinctio Iudæi & Græci; nam idem Dominus omnium*. Et vide mirabile latens, *Malon*, quod est *diuersorium*, radicem habet *lul*, à qua *lulabot*, idest ansulæ siue nodi, quibus duo panni simul coniunguntur; hebræis fibulæ connexibiles. Et ab eadem radice est etiam *lan*, & *lon* quod significat *commorari*; sicut Isaiæ 54. prædictum erat: *ecce accola veniet tibi, qui non erat mecum; aduena quondam tuus adiungetur tibi*. Quam auctoritatem ad rem E fert Angelicus. E Ephes. 2. l. 5.
Et adhuc cùm dicat Apostolus ad Galatas, vbi de filiatione adoptiua præmittit, *omnes filij estis per fidem*; (relatu ad id quod ait Lucas de *Patre-familias*) *non est Iudæus neque Græcus*: & ad Ephes. 2. *iam non estis hospites & aduenæ*: & infert per illationē ex præmissis; *ergo iam non estis hospites & aduenæ*. Fas ergo sit dicamus, quòd erat *diuersorium*, quod erat *cœnaculum*: vnde subditur in Luca; *& ipse ostendet vobis cœnaculum magnum, stratum*; 1. Cor. 14. *non enim dissensionis est Deus sed pacis*. Ideo; nisi displiceat, dicito Lucæ 2? *non erat ei locus in diuersorio*: quò conuenerunt & Pastores & Magi, Gentiles scilicet & Iudæi, vt supra c. 2. innuimus.

VERS. XXVI. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem*, &c.

Quod est cœnaculum, retineat alio sensu, esse diuersorium, quandoquidem in constructione legimus Ieremiæ 9. *melon orechym*, idest *hospitium viatorum*. De Sacramento autem inibi consecrato canit Ecclesia; *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum*. Elias huius in figuram, 3. Regum 19. *ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Quoniam verò Ecclesia militans seu viatrix tanti Sacramenti diues in costat: vnde ait Angelicus, F est Sacramentum Ecclesiasticæ vnionis, continens illum, in quo tota Ecclesia vnitur & consolidatur, scilicet Christum: meritò ab Euangelistis Matthæo Marco & Luca illius institutio edisseritur; eoquòd de militante Ecclesia eis sermo est: non sic Ioannes, (qui potius ad triumphantem collimat) immoratur hoc in myste- 11.

F 4. sent. 45. q. 2. a. 1. quæstiunc. in corp.

rio: quamuis cap. 6. ad ipsius fidem, cum Domino disposuerat *ego sum panis viuus*; &c. In hac autem institutione si temporis expendatur circumstantia, emicat quod primo in loco Matthæi scopo arridet;
F 4. sent. 8. ad tertium. quia inter alias rationes erudimur, G in cœna & non antea institutum; vt Caput nostrum etiam realiter nobis coniungeretur. Et ideo quandiu sub propria specie cum hominibus conuersatus est, non oportebat hoc Sacramentum institui; sed quando eius corporali præsentia destituenda erat Ecclesia. Et ad hæc Sacro-sanctum Tridentinum Concilium; *Saluator* inquit (sess. 13. cap. 2.) *noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit: quod voluit symbolum esse vnius illius corporis, cuius ipse Caput existit; cuique nos tanquam membra, arctissima fidei spei & charitatis connexione adstrictos esse voluit*; &c. & quia Rom. 12. *multi vnum corpus sumus in Christo*: Matthæus vnitati huic est attentior; & post eum Marcus, ab huiusmodi vnitate Capitis & membrorum in suo scopo non alienus; iuxta illud Ephes. 2. *& conresuscitauit, & consedere fecit in Cœlestibus in Christo Iesu*: Lucas autem sibi reseruauit scribendum *pro vobis*, scilicet ceu Sacerdotibus offerentibus, quos specialiter alloquor: ex quo versatus est Lucas de Sacerdotij translatione. Qua ex causa liceat admirabundo studio effari, idcirco ad Lucam duntaxat pertinuisse referre ly *hoc facite in meam commemorationem*. Qui enim Sacrum facit, Sacerdos est.

VERS. XXIX. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.*

22. Consentiunt tres Euangelistæ nedum in sententiam, sed etiam in eadem sententię verba: quę sine dubio ingerunt admirationem; cur scilicet genimen vitis maluerit Dominus dicere, quàm vinum. Quamuis Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 2. cap. 2. nihilominus legeret *ex fructu vitis*. Dico in primis, factum esse ad erudiendos de dogmate fideles; vt præueniret quod Ambrosius de Sacramentis lib. 4. c. 4. apertius edocturus erat: nempe, *tu fortè dicis: meus panis est vsitatus: sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. Vinum ergo appellare post verba consecrationis similiter nec possumus nec debemus; quando sicuti nec panis, neque vini substantia, quę transubstantiata est in corpus & sanguinem Christi, amplius est. Theologicas huiusmodi & catholicas fidei definitiones, videtur Dominus dignanter studuisse insinuare; cùm de vino introducens postquam consecrauerat, noluit dicere, *non bibam amodo de hoc vino*, sed *de hoc genimine vitis*, peregrina locutione; quia sine fidei derogatione vinum dici nequit, quod potest adhuc dici genimen, hoc est, prouentus seu fructus vitis. Cum enim remaneant eadem numero, quę prius, accidentia, puta color & sapor; & hęc ex vite prouenerint; adhuc genimen vitis est, quamuis non sit
H 3. p. 75.2. vinum. Ambrosius apud Angelicum. H *Licet figura panis & vini videatur; tamen nihil aliud, quàm caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt*. Et Augustinus in lib. sentent. Prospe-
I ibi 2.5. ri; *nos* I *in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinem honoramus*. Et cum potuisset Dominus dicere *non bibam de genimine vitis*. &c. signanter maluit effari *de hoc genimine*; vt innotesceret ex demonstratiuo articulo *hoc*, remanere accidentia vt prius erant indiuidua.
L 3. p. 77. 1.3. & 2. 2. ad 2. (doctrina Angelici L) Quod adeo verum est, vt corpus & sanguis Christi remaneant in Sacramento M quamdiu manent species eædem numero: consecra-
M 3. p. 77.2.8. tur enim hic panis & hoc vinum. Vnde si fiat tanta permistio liquoris cuiuscunque, quòd pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permistum, erit aliud numero; & non remanebit ibi sanguis Christi. Nisi arcana isthæc subesset intelligentia, vix appareret ex quo iunxisset ly *de hoc*; cum nec de illo, nec de alijs, tanquam mortalis, vltra bibiturus esset, cum discipulis suis. Suam autem mortem iterum proximè imminere commemorauit; quia Sacramentum hoc est passionis suæ memoriale perenne. Mirum aliud hinc documentum: secus nisi ita expressisset Dominus, hæsitari posset, an in vino malorum granatorum vel mororum aut huiusmodi confici posset. N Sed iam extra controuer- N 3. p. 74.5.
siam est, solum vitis vinum materiam esse huius Sacramenti. Subtilior alia quoq; adest ratio; quare *de genimine vitis* dixerit, quia scilicet in materia debita Sacramenti, attendenda est eius generatio: quamuis enim contingat esse aliquam dissimilitudinem generantis ad genitum, quantùm ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generatiuæ; nihilominus potest confici. Vnde panis confectus ex siligine O potest esse mate- O 3. p. 74.1.
ria huius Sacramenti; cùm ex grano tritici seminato in malis terris nascitur. Non sic potest confici in hordeo spelta aut farre: quia talia frumenta nullo modo possunt ex semine grani (supple, tritici) generari. Hæc ex Diuo Thoma. Sic siligo est tritici genimen, satis similitudinem, immò identitatem speciei referens; quamuis in figura far præpolleat; vt ibidem docet. Cæterùm euibratur etiam pro Syntaxi radius; quoniam sic se ipsum memorat vitem; vt apud Ioannem dixerat cap. 15. *ego sum vitis vera & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Quæ certè sententia velut in id recidit quod habet Apostolus ad Ephes. 4. *crescamus in illo per omnia, qui est Caput, Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum, &c. augmentum corporis facit*; & Coloss. 2. *Caput ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*. Facit etiam Augustinus in Serm. 174. de tempore dicens, de Christo; *nam propter vnitatem, qua Caput nostrum est, & nos corpus eius, cùm ascendit in Cœlum, nos ab illo non separamur*. Vitis sine dubio influit in palmites; dicit autem Angelicus, P anima P p. 3 114.6.
Christi mota est à Deo per gratiam, non solùm vt ipse perueniret ad gloriam vitæ æternæ, sed vt alios in eam adduceret, in quantùm est Caput Ecclesiæ.

Neque tamen fit inde consequens, vt Marci & 13.
Lucæ scopus coincidat cum Matthæi assumpto, cùm apud ipsos extet etiam ly *de hoc genimine*; quia huiusmodi de vino periphrasis claudit, ex quo singulorum allegoriæ subseruiat. Marcus resurrectionem præ alijs, vt in Isagoge diximus, versat. Iam quomodo genimen vitis resurrectioni attestetur, adhuc altius accipe. Certè genimen vitis botrus est. Vnde Iulius Papa Q ad mysterium Altaris; *si necesse fue-* Q 3. p. 74.5.3.
rit, botrus in calice prematur. Canticorum 1. *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*: & mox, *botrus Cypri dilectus meus mihi*. Myrrha species est aromatica nimiæ amaritudinis, qua mortuorum corpora condiuntur; & ideo passio Christi & sepulchrum designatur. Nam depositum corpus Domini de Cruce, R à Nicodemo & Ioseph, myrrha & aloe R Cantic. 1.
conditum est. Cyprus insula est; vbi vites nobiles esse feruntur, & maximos botros procreantes. Loquitur ergo Sponsa de resurrectione Sponsi sui; ac si diceret; Sponsus meus, qui mortis amaritudinem pro me gustauit, & quasi fasciculus myrrhæ mihi fuit: in resurrectione factus est mihi botrus Cypri; quando me gaudio suæ resurrectionis lætificauit. Iudicum quippe 9. *nunquid possum deserere*, (respondit vitis) *quod lætificat Deum & homines*? Quoad Lucam attinet, qui Synagogæ explodit ritus & cæremonias, referemus Domino largiente & vitam & vires,

vires, quæ hic in Catena collegit Sanctus Thomas.

VERS. XXXI. *Omnes vos scandalum patiemini in me; &c.*

14. Scandali occasionem, non vtique datam sed acceptam Matthæus & Marcus describunt: non ita Lucas, qui alia ex collocutione, sicuti & Ioannes, Petri recidiuum in negationem lapsum commemorant. Operæ-pretium ergo est, quæramus quidnam in huiusmodi prænunciato scandalo secretioris intelligentiæ lateat; ex quo speciatim fuerit Matthæi & Marci hoc suscipere denarrandum. Et quidem de Marco facilè expedimur; quoniam subnectitur de resurrectione; *postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam*. Vt autem aliàs non semel dictum est, pressius de resurrectione agere, Marci institutum exposcit. Ad literam passuri erant scandalum. Sed animaduertendum ex Angelico, s esse posse scandalum passiuum, sine peccato eius, ex cuius facto aliquis scandalizatur. Benè aliàs in 2. 2. dicit Angelicus; humiliter agens, non scandalizat, quamuis alter scandalizetur. Sic dicito impræsentiarum. Sed cum scandalum sonet spiritualem ruinam, non enim t quis scandalizatur, nisi in quantum aliqualiter ruit; mitiùs luberet discipulorum accipere scandalum; nimirum eo sensu ps. 118. *pax multa diligentibus legem tuam; & non est illis scandalum*. v quia scilicet ab exterioribus non perturbantur; quin Deo fruantur. Perturbandos ergo prædicit discipulos omnes: ps. 21. *dispersa sunt omnia ossa mea*; nam Apostoli, qui sunt ossa Christi, dispersi fuerunt, quãuis solidati essẽt in fide; sicut ait Gregorius hom. 11. in Euangel. ad illud Lucæ 18. *ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia &c. Redemptor noster præuidens ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longè ante, & eiusdem passionis pœnam, & resurrectionis gloriam prædixit; vt cum eum morientem, sicut prædictum est, cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo valebant capere verba mysterij, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cæcus lumen recipit, vt qui cœlestis mysterij verba non caperent, eos ad fidem cœlestia facta solidarent*. Itaque quoniam, *segniùs irritant animos* (quod ait Poeta) *demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus*, prænunciat (quia nondum confirmauerat eos in columnas) vbi visuri erant eum comprehendi, futuram ex infirmitate perturbationem. Infirmitas x nominat promptitudinem ad scandalum. Roman. 14. *in quo frater tuus infirmatur*. Reor autem subinde, non equidem nutasse fide; sed de fide diabolo corda pulsante, eos vim passos. Vnde Petrus cui pollicitus erat Dominus Lucæ 22. *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, muneris sui non oblitus in prima cap. 5. postquam dixit; *cui resistite fortes in fide*, adiecit; *modicum passos, ipse* (Christus Iesus) *perficiet, confirmabit, solidabitque*.

S 2. 2. 43. 3 & q. 101. 3. 3.

T ibi 2. 1. a. 15. & a. 2.

V p. 2. 70. 3. ps. 21.

X 2. 2. 43. 1. 5.

15. Veruntamen hocce discipulorum velut æquiuocè scandalum, ideo permissum est & prædictum; vt quod futurum erat in Iudaismo portenderet. Ad hæc mirè item Gregorius hom. 6. in Euang. expendens illud Matthæi 11. *& beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*, sic habet; *visis tot signis tantisque virtutibus non scandalizari quisque potuit, sed admirari. Sed infidelium mens graue in illo scandalum pertulit, cùm eum post tot miracula morientem vidit. Vnde & Paulus dicit; Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Stultum quippe hominibus visum est, vt pro hominibus Auctor vitæ moreretur. Et inde contra eum homo scandalum sumpsit; vnde ei amplius debitor fieri debuit*. Allegat autem Dominus Scripturæ auctoritatem, Zachariæ 13. *percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis*. Quorsum? Scripturæ sacræ Autographus, qui est ipsa veritas, oraculo confirmat prophetico, quæ ore diuino prænunciat? quia nimirum gradum intendit faciamus de discipulorum scandalo ad scandalum Iudæorum, quòd æquè Zacharias illud etiam vaticinetur. *Iudæa* quippe ex Gregorio hom. 20. in Euang. *pro culpa suæ perfidiæ dispergenda erat*. Iuxta illud Osee 9. *abyciet eos Deus meus, quia non audierunt eum; & erunt vagi in nationibus*. Sed bonus Dominus! qui sic Iudæorum dispersionem memorat, vt oblata eis Scripturæ auctoritate, ex eadem si velint conuertantur, consentque *vnum ouile, vbi vnus* est *Pastor*; Ioann. 10. *Percutiam* inquit *Pastorem*. Quem? Siquidem pluraliter pollicetur Deus Pastores. Ieremiæ 3. *dabo vobis Pastores iuxta cor meum; & pascent vos scientia & doctrina*. Antonomasticè ergo stat verbum; supponitque pro eo, de quo Petrus in prima cap. 5. *cum apparuerit Princeps Pastorum; percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, de quo item Ezechielis 34. *suscitabo super eas Pastorem vnum*; & cap. 37. *Et Pastor vnus erit omnium eorum*. Sed, *excæcauit illos malitia eorum*; (Sap. 2.) *& nescierunt Sacramenta Dei*. Non recolunt nostrates miserrimi Iudæa gens, percutiendum fuisse Messiam, nedum ex ps. 68. *quoniam, quem tu percussisti persecuti sunt*; sed Isaia etiam teste; c. nimirũ 53. *propter scelus populi mei percussi eum*: Assumit Apostolus 1. Cor. 15. *resurrexit tertia die secundùm Scripturas*, A puta Isaiæ 11. *& erit sepulchrum eius gloriosum*; Et psal. 15. quem fert Petrus in Actis cap. 13. *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: subditque *Dauid enim vidit corruptionem*. Et nominatim ad Hebræos 13. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorẽ magnum ouium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum; aptet vos in omni bono*: sub quo nomine, quo ipsemet etiam Ioa. 10. gloriatur; *ego sum Pastor bonus*; plaudit credentibus Petrus in prima 1. 2. *eratis enim sicut oues errantes; sed conuersi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*. Etsi ergo aliunde posset Iudæorum scandalum deplorare; vt Isaiæ ex 8. *in lapidem offensionis, & in petram scandali duabus Domibus Israel; in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem; & offendent ex eis plurimi &c.* sibi complacuit Dominus Zachariam deligere, qui Pastorem vocat, vt inde si velint credant, ex hoc ipso agnoscendum esse Christum; quia qui Pastor est percussus, Pastor fuerat repromissus: quem pariter authentica ipsorum dispersio comprobaret. Repetamus ergo cum Gregorio; *Gentilitas colligenda erat; & Iudæa pro culpæ perfidia dispergenda*. Et iam innotescit, quare Matthæus, qui hoc punctum potissimè versat de Ecclesia, de huiusmodi scandalo specialiter introducat.

A 1. Cor. 15. 4. 1.

Pessundat autem Iudæorum scandalum Christi resurrectio; ideo hic adiecit Dominus: *postquam autem resurrexero*. Apocalypsis 1. *fui mortuus; & ecce sum viuens in sæcula sæculorum*; & c. 2. *hæc dicit primus & nouissimus; qui fuit mortuus & viuit*. 2. Cor. 13. *crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*. Verùm quia Zacharias, cuius vaticinium fertur à Domino, nihil de resurrectione apposuit; scrutandum est, quare de resurrectione sua adiunxerit, quod non facit Propheta; & quod sequitur in Propheta omiserit; *& conuertam manum meam ad paruulos*. Sed absit vt vel suspicemur, truncam allegasse Dominum Zachariæ sententiam; seu perperam contexuisse de resurrectione. Sic enim (me humiliter Iudice) voluit propheticis verbis eloquium suum addere, vt vnà simul obscurum satis dictum propheticum illustraret. Sanè non 16.

tam

tam facilè claret, quid sibi velit; *extendam manum meam ad paruulos*. Quocirca primò animaduertendum cum Beda dicente; *in Zacharia ex persona Prophetæ ad Dominum dicitur; percute Pastorem, & dispergentur oues; Propheta enim postulat passionem Domini; Pater respondet; percutiam Pastorem*. Theophylactus; *dicit autem Pater, percutiam Pastorem: quia ipsum percuti dimisit*. Christus Dominus hic responsum Patris subijcit; *percutiam Pastorem*: vt erudiamur, quia consilium Dei humana vota non capiunt. Nihil enim Zacharias subiungit de Patris responso, quoad Christi passionem, quam fortè accelerari petebat: quamuis expressè in Persona Patris firmauerit; *conuertam manum meam ad paruulos*: ex quo claret, quam propriè primam sententiam ex ore Patris Christus hic prompserit; *percutiam Pastorem*. Sed quare non adnectit *& conuertam manum meam ad paruulos*? Respondeas; quinimmo attexuit, dicendo *præcedam vos in Galilæam*: quandoquidem in idem recidit. Scio ad litteram exponi, vel B ad designandum quòd ipsemet verè esset, qui solebat conuersari in Galilæa, vel quia ibi securiùs habitauerant, vt eos à timore liberet Iudæorum: quod ait Chrysostinus. Sed quoniam hoc ipsum Angelus mulieribus expendit; *dicite* (infra cap. 28.) *discipulis eius quia surrexit*; *& ecce præcedet vos in Galilæam*, altiùs intelligendum videtur; & quidem ex Angelico, C cùm interpretetur Galilæa transmigratio seu transitus discipulorum ad Gentes; Consentit autem apprimè historia; quandoquidem Galilæa isthæc appellabatur *Galilæa Gentium*: eoquòd Salomon 3. Regum 9. Hiram Regi Tyrio ibi viginti oppida exhibuerat. Et tunc etiam sic vocabatur, vt notat Tirinus Isaiæ 9. propter Gentium, nempe Tyriorum vicinitatem, sub quorum imperio aliquando fuerat. Cohæret autem quod dicitur *præcedam vos in Galilæam*, & præmissum eodem altiori sensu *dispergentur oues*; quia vt ait Chrysostomus in Catena supra c. 4. *ad Gentes abiturus, à Iudæis accepit causam: etenim, cùm Præcursorem in vincula misissent, compellunt Iesum transire ad Galilæam Gentium*.

B D.Th. hic & a. 28.

C D.Th. loc. cit.

17. Quomodo autem præcesserit discipulos in Galilæam, ex Actis accepimus; sitque in exemplum seu etiam in exemplar. Nam cap. 10. *Cornelius* (certè Gentilis vt patet) *vidit in visu manifestè Angelum Dei introeuntem ad se*, &c. qui dixit ei; *& nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus*; &c. *hic dicet tibi, quid te oporteat facere*. Dixit autem spiritus Petro; *surge itaque descende, & vade cum eis nihil dubitans; quia ego misi illos*. Sic cap. 16. visio per noctem Paulo ostensa est. *Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum, & dicens; transiens in Macedoniam adiuua nos*. Ibidem; *quædam mulier nomine Lydia purpuraria Ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo*. En ergo quomodo Christus præuenit discipulos in Galilæam; quia præcedit aperiens cor; vtque ait hic Diuus Thomas, signatur transmigratio discipulorum ad Gentes; & in hoc Christus præcessit corda mouendo. Et quidem aliàs cohærenter doctrinæ Angelicæ: D quantùm enim ad assensum hominis in ea quæ sunt fidei, eique proponuntur, duplex consideratur causa; vna exteriùs inducens; sicut miraculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem; quorum neutrum est sufficiens causa: videntium enim vnum & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt: & ideo oportet ponere aliam causam interiorem, quæ mouet hominem interiùs ad assentiendum ijs quæ sunt fidei. Hanc autem causam Pelagiani ponebant solum liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant, quòd initium fidei est ex nobis, sed consummatio fidei est à Deo; per quam proponuntur nobis ea quæ parati sumus credere. Arguit Angelicus Pelagianos; quia homo assentiendo his quæ sunt fidei, eleuatur supra naturam suam; vnde oportet, quòd hoc insit ei ex supernaturali principio interiùs mouente, quod est Deus. Possemus nos elidere errorem istum; quia ex verbis Domini, ipse præcedit discipulos proponentes, in hoc quod est mouere ad assensum. Secundùm Pelagianos auditurus præcederet ex se ipso prædicatores, non verò Christus sua gratia. Et iam etiam ex actis refelluntur: quandoquidem cap. 2. de conuertendis dixit Petrus: *quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster*; & cap. 13. *crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Nunquid præordinatio ad vitam æternam, ex nobis est, atque ex viribus naturæ? Et hic nascitur scrupulus, quia non post resurrectionem, sed potiùs post suam in Cœlum ascensionem atque post aduentum Spiritus-Sancti, fides cœpit in Galilæa, hoc est in Gentibus, effundi: Act. 10. *obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus-Sancti effusa est*. Sed ideo reor dixisse *postquam resurrexero*; in primis, quoniam vt ait Augustinus Tract. 52. in Ioannem; *Christi fides morte eius, & resurrectione firmata est*: Deinde congruit magis, cùm de conuersione Gentium agitur, de Christi resurrectione meminisse; propterea quòd sensui mystico suffragatur; quatenus Christus Dominus de se ipso dixerat Ioannis 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; Quocirca Augustinus tract. 51. in Ioan. *ipse Dominus Iesus erat granum mortificandum & multiplicandum; mortificandum in infidelitate Iudæorum; multiplicandum in fide populorum*. Non multiplicatur autem granum nisi reuiuiscat: 1. Cor. 15. *quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur*. Beda; *vt moriendo cum multiplicatione resurgeret*: & ibi Ioan. 12. ad literam de fide gentilium. Hac attenta etiam mystica resurrectione, de qua & Apostolus Rom. 6. *quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*: & priùs c. 4. *resurrexit propter nostram iustificationem*: quæ E nihil aliud est, quàm resurrectio animarum: iustificatio attribuitur resurrectioni, ratione *termini ad quem*, qui est nouitas vitæ per gratiam, F quamuis attribuatur passioni ratione *termini à quo*, scilicet quantùm ad dimissionem culpæ. Igitur dicendum nobis est alta consideratione effatum fuisse Dominum, *præcedam vos in Galilæam*; vt sit sensus: erit in quo agnoscar promissus in lege, & prænunciatus in Prophetis. Quoniam cum Gentiles *mortui essent* (Ephes. 2. & Coloss. 2.) *in delictis, & peccatis, conuiuificauit eos*: Vnde vt mihi visum est, non sola resurrectione quis esset Saluator euicit; sed quia eius resurrectio in omnium Gentium reuelenda erat salutem; quod probauit euentus. Qua de causa, vt scilicet quasi cogeremur altiùs accipere promissionem hanc; *præcedam vos in Galilæam*, dixit Angelus hoc ipsum mulieribus infra cap. 28. *citò euntes dicite discipulis eius, quia surrexit; & ecce præcedet vos in Galilæam*. Neque enim primò eis in Galilæa apparuit, sed antea in Iudæa aliquoties: signanter ergo id inculcat, vt latens nos exerceat sensus, quem exposuimus. Cum quo stat, vt sæpiùs diuturniùs & familiariùs, pluribus quoque in Galilæa apparuerit. Confirmatur autem allegoria præfata, si expendamus ly *in ista nocte*, videlicet *scandalum patiemini in me*. Hieronymus lib. 1. Comm. in cap. 2. Matthæi; *quando tulit puerum & matrem eius, vt in Ægyptum*

D 1. 2. q. 6. 1.

E 3. p. q. 56. 2.

F 3. p. q. 62. 5. 1.

ptum transeat, nocte tulit, & in tenebris; quia noctem ignorantiæ Iudæis incredulis, à quibus recessit, reliquit. Resurrectio diei lucem concernit; nam G Christus resurrexit circa diluculum; illucescente iam die. Futurus autem erat in lucem Gentium: Isaiæ 49. & Act. 13. *ecce dedi te in lucem Gentium.* Lux H in spiritualibus propriè dicitur. Hucusque prælibata, exegetica sunt hemistichij Zachariæ, *& extendam manum meam ad paruulos.* Pro cuius elucidatione maiori, vestigandum superest, quidnam eo loci significet *manus*; itemque pro quo supponat ly *ad paruulos.* Erudimur autem, I in Scripturis *manum* multifariam accipi; nam quædam est manus diuinæ dispositionis; Sapientiæ 7. *in manu autem illius & nos & sermones nostri; & omnis sapientia, & operum scientia & disciplina:* manus diuinæ liberalitatis; psal. 103. *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate:* manus diuinæ protectionis; Isaiæ 49. *in vmbra manus suæ protexit me:* manus diuinæ liberationis; Iob. 5. *ipse vulnerat & medetur; percutit, & manus eius sanabunt:* manus diuinæ operationis; Ecclesiastici 36. *glorifica manum & brachium dextrum:* denique, manus correctionis, & diuinæ condemnationis. Apud Tirinum, Theodoretus Lyranus & alij, putant intelligendum esse Zachariam de paruulis, hoc est de recèns conuersis ad Christum, per lictores tyrannos percutiendis; reddendisque tanquam agnis similibus suo Pastori. At si velimus cohærenter interpretari vt consonet verbis Domini, *præcedam vos in Galilæam*, nimirum ad Gentes; pro manu Domini, antonomasticè capiendus est Christus. Passim de Christo interpretatur L illud psalmi 143. *emitte manum tuam de alto*, adnectitq; *misit de summo & liberauit me.* Sic ibi, *sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet*; manum tuam, idest Christum sic ibi, M *frameam tuam ab inimicis manus tuæ*; idest Christi filij tui; Deuteronomij 32. *leuabo ad Cælum manum meam.* Adde si libet ex ps. 118. *fiat manus tua vt saluet me*; nam de Christo Domino, qui Rom. 1. *factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*, mox adiectum est, *concupiui Salutare tuum Domine*; sicuti Genesis 49. legimus; *Salutare tuum expectabo Domine.* Accedit denique Rupertus qui expendens illud Danielis 5. *quasi manus hominis scribentis*, &c. inquit; *manus scribens in pariete Christus Iudex, & condemnator Mundi & mundanorum.* Quidni filius Dei metaphoricè manus dicatur? *per quem omnia facta sunt*; vt firmat etiam Ioannes cap. 1. *omnia per ipsum facta esse.* Quocirca Hugo, (& quidem prius Augustinus) *fiat manus tua*, idest filius tuus incarnetur; *& fiat homo, vt saluet me.* Dicitur ergo filius Dei manus Dei, quia per ipsum operatur omnia.

Reliquum est, ostendamus non gratis astrui, paruulos, ad quos *conuertam*, dixit, *manum meam*, stare pro Gentibus. Profectò supra cap. 11. *abscondisti*, ait, *hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; vbi Chrysostomus intelligit, quatenus *Iudæi Christum non receperunt, quem Gentilitas tam prona suscepit.* Præterea Canticorum 8. *soror nostra parua, & vbera non habet*; vbi nil prohibet legatur *paruula*, hebraicè enim *Ketannah*, sonat *paruula*, à radice *Ketan*; & ideo Cant. 2. *capite nobis vulpes paruulas*, in hebraica est *Ketanym.* D. Gregorius in 1. Regum loquens de Anna in typum Ecclesiæ legit ad Cantica *soror nostra paruula.* Angelicus; N vox dilecti synagogam alloquentis, pro Ecclesia Gentium. *Soror*, inquit, *nostra* idest Gentium Ecclesia *parua est.* Ex magna dilectione dilectus, communicato cum synagoga nomine, dicit, *soror nostra.* Quia enim ex Iudæis carnem assumpsit, ideo quasi se synagogæ comparat & exæquat. *Paruula*, inquit, *est soror nostra*: Sicut alicuius hominis ætas describitur, sic etiam ætas Ecclesiæ. Parua enim adhuc erat Ecclesia de Gentibus congregata, sub ipsis Domini & Apostolorum temporibus; quia & paruitate credentium parua existebat; & vbera needum habebat, idest nequaquam prædicando, spirituales Deo filios generare valebat. Ad rem trahi potest Ambrosius, qui lib. 8. in Lucam habet; *Zachæus statura pusillus; hoc est, nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, sicut Populus nationum; audito Domini Saluatoris aduentu, quem sui non receperant, videre cupiebat.* Adstipulatur verbum id, *& conuertam manum meam:* quam vocem signanter vsurparunt Paulus & Barnabas Act. 13. qui *constanter dixerunt*; (Iudæis) *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Et ne iota vnum aut apicem prætereamus, sciendum est, quia verbum conuerto à radice *sciou*, tale esse, vt deriuetur ab ipso, *thesciuuah*, quod valet *pœnitentia; reuersio*: iuxta illud Act. 11. *glorificauerunt Deum dicentes; ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et quod dicitur, *conuertam manum meam ad paruulos* exponi licet etiam, quatenus O extendit Deus manum, cùm auxilium impendit. Particula autem illa associatiua *conuertam*, illud Ioann. 10. innuit, *fiet vnum ouile & vnus Pastor*; eoquòd nedum ex Gentibus, sed & ex Iudæis conflanda erat Ecclesia. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Rom. 3. nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit.* Radix *Katan* parit etiam *lekat, collegit.* 20.

Porrò idcirco videtur Spiritus-Sanctus, credituros paruulorum nomine significasse, vt eos veluti qualificaret; nam paruulis, hoc est humilibus supra cap. 11. factam perhibet eorum reuelationem, quæ sapientibus & prudentibus abscondita fuerant; *Deus* enim, Iacobi 4. *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: de incredulis autem ait Sanctus Leo Papa Serm. 8. de passione; *concurrentibus ad vnum scelus Iudæis, Iudæorumque Principibus, superbus taurorum pinguium tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiebat.* Et in homilia de Epulone; *populus autem Iudaicus superbus.* Sanè ab ore virginis in Cantico Lucæ 1. didicimus, *dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles:* vbi Theophylactus; *potest etiam de Iudæis intelligi, quos in omnem dispersit regionem, sicut nunc dispersi sunt.* Et Cyrillus; *erant & quandoque Iudæi potestate superbi; sed prostrauit hos incredulitas: ex Gentibus autem ignobiles & humiles per fidem ad apicem conscenderunt* psal. 17. *quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.* Docemur autem P qualiter humilitas præbet hominem subditum & paratum ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ: nam & de publicano dicitur Lucæ 18. quòd merito humilitatis *descendit iustificatus in domum suam.* Hinc humilitas dicitur spiritualis ædificij fundamentum. Hoc mihi visum est insinuasse Diuum Petrum in Actis quando c. 10. ad conuersionem Cornelij aperiens os suum dixit; *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni Gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Scimus enim in regula Beati Benedicti, in qua ponuntur duodecim gradus humilitatis, Q duodecimū esse ait: humilis Deum timeat, & memor sit omnium, quæ præcepit. Beda lib. 4. in Lucam, ibi, *nolite timere pusillus grex; pusillum gregem electorum ob humilitatis deuotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam, quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen vsque ad finem Mundi, humilitate vult*

cre-

Marginalia: G 3. p. 53. 1. 3. — H p. p. q. 67. 1. — I Ieremiæ 16. — L ps. 17. Matthæi 9. — M ps. 16. & Ieremiæ cap. 16. — N Cant. 8. in commen. corpori inserto. — O Matthæi 8. — P 2. 2. q. 161. a. 5. ad 1. & 2. — Q 2. 2. 161. 6. 1. R de malo q. 4. a. 1.

crescere, & ad promissum Regnum humilitate peruenire. Esto satis, cur Propheta dixerit, *conuertam manum meam ad paruulos*: Dominus verò ad interpretationem prompserit, *præcedam vos in Galilæam*.

V E R S. XXXVI. *Sedete hic donec vadam illuc, & orem*.

21. Ioannes nec verbum facit de Christi oratione in horto, aut de propassionibus eius. Lucas raptim etiam pertransit, nec quidquam dicit de semotis tribus ab octo alijs discipulis: quod item omittit Ioannes. Marcus & Matthæus hæc describunt, breuiùs tamen Marcus. Absit opinetur quispiam vel memoria excidisse, vel casu factum; quando Euangelicus calamus Spiritus-Sancti ductu exarauit apices. Contigisse diuina dispensatione circumstantias in discipulis aliquas, expendimus in Expositione Capitis; ne fortè credentes fugeret originalis contracta infe-[R de malo q. 4. ar. 1.]ctio: nunc iterum ex Angelico R recolimus, Pelagianos negasse peccatum aliquod per originem posse traduci. Sed hoc, vt inquit, ex magna parte excludit necessitatem redemptionis factæ per Christum; quæ maximè videtur necessaria fuisse, ad abolendam infectionem peccati, quæ à primo Parente in totam eius posteritatem deriuata est: dicente Apostolo ad Romanos 5. quòd sicut per vnius delictum processum est in omnes homines in cōdemnationem; sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Excluderetur etiam necessitas baptizandi pueros. Quod tamen communis Ecclesiæ consuetudo habet, ab Apostolis deriuata, vt Dionysius dicit *in Ecclesiastica hierarchia*. Vide ergo lector, quantùm conueniens fuerit, vbi de imminentis redemptionis opere agebatur, introferri quoque de humanis per originem traductis passionibus. Hoc autem versare argumentum, nec Lucæ nec Ioannis erat, sed Marci & Matthæi, vt in Isagoge monuimus; ideo Lucas & Ioannes à pluribus denarrandis abstinent, quæ originis contestantur infectionem; præsertim quoad concupiscibilis inordinationem in nimia tristitia timore & fuga; quando Matthæus expendit, *tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt*, & Marcus de adolescente: *at ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis*. In fuga autem huiusmodi, quæ nedum est abominatio mali, sed inuoluit difficultatem seu arduitatem, ad resistendum occur-[S p. 1. 25. 1. & q. 41 2. 3.]renti malo, clauditur timor; qui passio S est irascibilis, sicut fuga concupiscibilis: & ita originalis infectio apprimè emicat. Hac de causa de his Matthæus, & Marcus; nec alia videtur excogitabilis ratio; non verò Ioannes & Lucas. Et hinc mirè deprehendimus; quare sententiam Domini; *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, soli Matthæus & Marcus commemorauerint; eo scilicet studio, vt si piè scrutaremur, innotesceret, agi de originali peccato, deque ex illo consecutis plagis seu vulneri-[T p. 1. 85. 3.]bus: quæ ex Sancto Beda sunt T infirmitas ignorantia, malitia & concupiscentia. Vbi infirmitatem ac-[V ibi ad 4.]cipit strictè, V secundùm quòd opponitur fortitudini, quæ pertinet ad irascibilem. Sed infirmitas communiter potest dici omnis passio, in quantùm debilitat robur animæ, & impedit rationem. Ex qua mirabili animaduersione colligo intendisse Dominum, passionem quamlibet notare dicendo, *caro autem infirma*; vnde contraposuit, *spiritus promptus* [X 3. p. 15. 1.] *est*. Quoniam verò, etsi Christus Dominus X nullum habuerit peccatum, (Deus *enim qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, & Isaiæ 53. *posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum*) nedum fieri voluit hostia pro peccatis: sed vt ait Chrysologus Serm. 50. *venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes*; dic cum Apostolo Hebræor. 2. *debuit per omnia fratribus si-*[A Hebr. 2. 14.]*milari*; A non in culpa, sed in pœna: iuxta illud cap. 4. *tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. ideoque habuisse passibilem naturam. Et ita definitur alibi, animam eius B fuisse pas-[B 3. p. 15. 4.]sibilem; & in Christo locum habuisse dolorem tri-[C ibi a. 5. 6. & 7.]stitiam & timorem C. Adde ex Isaia c. 53. de Christo *virum dolorum & scientem infirmitatem*. Ideo exaggerari de ipsius tristitia; quæ intra limites propassionis, vt exposuimus supra, maxima sine dubio in Christo fuit; sicuti & aliæ propassiones, quadam conglobatione idcirco nobis relatæ; nam *cœpit contristari & moestus esse; pauere & tædere*. Dolor quippe D qui ex apprehensione interiori causatur, [D p. 2. 35. 2.] nominatur tristitia. Veruntamen, sicut ait Leo Papa, *de nostræ naturæ communione dicebat; tristis est anima mea vsque ad mortem*; ita dicit Propheta; *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*: siquidem, vt subdit Chrysologus, *medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit; & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem*.

An hoc executus fuerit, inuictam Athletis suis impertiendo constantiam, & fortitudinem, videamus in Petro; de quo Leo Papa in Serm. *ad hanc ergo vrbem*, (Romam) *tu beatissime Apostole Petre venire non metuis; & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, syluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quàm cum supra mare graderetis, ingrederis*. Videamus in Paulo, qui Act. 20. inquit; *Spiritus-Sanctus per omnes Ciuitates mihi protestatur dicens; quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent: sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quàm me*. Audiamus Gregorium in Serm. 2. de Ascens. Domini; *hanc fidem ascensione Domini auctam, & Spiritus-Sancti munere roboratam, non vincula non carceres, non exilia non fames; non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide, per vniuersum Mundum, non solùm viri, sed etiam fœminæ; nec tantùm impubes pueri, sed etiam teneræ virgines, vsque ad effusionem sui sanguinis decertarunt*. Dicamus ergo ad rem, cum Ambrosio lib. 5. Comment. in Lucam; *orat Dominus, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit Pater in potestate filij: filius tamen, vt formam hominis impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia Aduocatus est noster*. 22.

Igitur secundò & tertiò orasse apud Matthæum & Marcum ob id crediderim; (ad quos pertinuit infirmitatis vulnus ex originali relictum nobis obijcere considerandum) quia post suæ humanitatis mortem refugientis affectum, in membrorum solicitudinem suorum rapiebatur: & hoc præ alijs duobus Sanctis Euangelistis pre oculis habuerunt Matthæus & Marcus. Secundùm Matthæum, ne timore mortis traherentur ad lapsum regenerati per gratiam, superiori animæ parte scilicet deuicta: secundùm Marcum, ne nimis exorbitaret sensualitas, quam sanaturum exhibet Saluatorem. Beda; *demonstrat quia pro discipulis orauerit*. Et quia id beneficij præstiturus erat Iesus, & sibi suoque aduentui propinquioribus, & futuris vsque ad consummationem Sæculi fidei cultoribus; ad hoc indicandum, fas sit dicere, tres secum assumpsisse discipulos, cæteris autem, vt semoti sederent iussisse; *sedete hic, donec vadam illuc & orem* pro fidelium, quorū typo estis, vsq; in finem, ad mortem vsque constantia. Quemadmodum c. 17. Ioannis prompsit; *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Ad hæc Hilarius, (*transeat à me calix iste*) 23.

inquit

inquit: *transeat ad alios, qui passuri sunt post me, vt ab his bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis*, vt supra dictum est. Hinc Hebræor. 2. *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum; & liberaret eos, qui ti more mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti:* sicut Medicus E gustat medicinam, ne infirmus abhorreat, sed vt securius bibat: ita Christus gustauit mortem, vt nullus mortem refugiat. Quando enim F considerat homo, quòd filius Dei Dominus mortis mori voluit, non timet mori. Et inde est, quòd ante mortem Christi dicebat ille Ecclesiastici 41. *ò mors quàm amara est memoria tua!* sed post mortem Christi clamat Apostolus Philipp. 1. *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Inter timores timor mortis est maximus; est enim finis terribilium. Vnde si homo timorē istum superat, superat omnes: & hoc superato, superatur omnis amor Mundi inordinatus. Ideo Christus qui dixerat Matth. 10. *nolite timere eos, qui occidunt corpus*, abstulit timorem mortis, & per consequens amorem vitæ præsentis. Dic, si arrideat, mi lector, idcirco assumpsisse secum filios Zebedæi, qui dixerant *possumus*, scilicet *bibere calicem*, quem ipse bibiturus erat. Ea enim qualiscunque fuerit ad subeundum martyrium promptitudo, potius meruit, vt proximiores effecti Christo, de plenitudine eius, in quo inter alia *spiritus fortitudinis*, Isaiæ 11. requiescebat, acciperent. Iacobum assumptum à Domino cum se transfigurauit delectum dicit Chrysostomus Hom. 57. in Matthæum, *à responso, quod dedit cum fratre interrogatus, dicens, possumus hunc calicem bibere*. Indulsisse etiam Petro qui animam suam exhibuerat Saluatori, ne irremunerata eius euaderet oblatio, nihil prohibet asserere; vt cæteris fortiores redderet ad eligendum potius Deo dilecto emori, quàm offenso viuere. *Excellentiores* enim eos cæteris, vocat ibidem Chrysostomus. Ad hæc Origenes; *cæteris iussit sedere ibi, quasi infirmiores; hos autem quasi firmiores adduxit*. Quod autem futurorum etiam fidelium Martyrum fortitudinem eis impetrandam Dominus oratione sua intenderet, subinnuit Lucas dicens; *& ipse auulsus est ab eis, quantùm iactus est lapidis*, ac si diceret; præsentiebat Iesus Antesignanum suum Stephanum lapidandum. Sic *mors quæ* Roman. 5. *in omnes homines pertransijt*, ab Adam scilicet, *in quo omnes peccauerunt*, nunc à Christo, qui dixit *transeat à me calix iste*, dulcorata in credentes transit. Ecclesiastici 38. *nonne à ligno* (Exodi 15.) *indulcata est aqua amara*? allegoricè enim adumbratur ex Patribus virtus Crucis Christi. *Ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret: vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, ex Tertulliano: quamuis enim, vt ait Angelicus G per passionem Christi liberati simus à peccato communi totius naturæ; non tamen à pœnalitatibus, H quæ respiciunt in vita præsenti naturam, vt mors fames & sitis. Vnde quandiu in tali natura absolutè manet infectio; I etiamsi centies moreretur homo, quando in pristinum statum resurgeret, maneret obligatio ad pœnam: nihilominus has quoque naturæ nondum plenè sanatæ sanata persona, relictas pœnas famis sitis & mortis Christus sic abstulit, L vt regnum & dominium earum deiecerit; vt scilicet hoc homo non timeat. Benè ergo exultabat Bernardus dicens; *ò vita secura; vbi absque formidine mors expectatur, immo exoptatur cum dulcedine, excipitur cum deuotione*.

E Hebr. 2. l. 3. l.
F ibi l. 4.
G 3 p. 49. 5.
H p. 2. 85. 5. & 3. p. 49. 3. 4. & q. 69. 7. 3.
I in 2. sent. d. 33. in exposi. text.
L 3. p. 69. 3. ad 2.

VERS. XLI. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.*

Hieronymus; *impossibile est humanam animam non tentari: ergo non ait; vigilate & orate, ne tentemini, sed ne intretis in tentationem; hoc est, ne vos tentatio superet*. Beda; *demonstrat autem Dominus consequenter, quia pro discipulis orauerit: quos monet orationum suarum vigilando & orando existere participes*. Posset hic recoli quod notat Gregorius Hom. 11. in Euang. *præuidisse Redemptorem discipulorum animos perturbandos ex passione sua*: & cum Chrysostomo Hom. 57. in Matth. *quoniam multa de periculis, multa de passione sua, multa de morte & cæde discipulorum locutus erat Dominus*: ideo hic cùm huiusmodi inciperent imminere, orandum eis præcepisse verbo & exemplo; ne fortè tentationi succumberent. Vt enim dicit idem Gregorius Hom. 6. *cauendum valde est hominibus, ne in Christo mortem despiciant, qui signa venerantur*. Verùm verbum illud, *vt non intretis in tentationem* speciatim attentos reddit, vt, si quid altioris sensus lateat, discutiamus. Neque enim vspiam in sacra pagina vbi de tentatione declinanda seriò monetur, id vsurpatum est. Sæpe quidem legimus de tentatione; puta ne in eam incidamus, ne nos apprehendat; ne in tentationem inducamur: nullibi nisi hoc in loco; *vt non intretis in tentationem*. Sciendum est ergo tentationem æquiuocè dici. Quandoque enim, tribulatio & afflictio tentatio dicitur; de qua Iacobus cap. 1. *omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis*; M Et Apostolus; *tentatio vos non apprehendat nisi humana*; scilicet N tribulationum præsentium propter Christum tolerantia: Augustinus; *propter Christum pati humana tentatio est*; Tobiæ 12. *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te*. Est etiam tentatio, ipsa impugnatio virtutis. Quod quoniam non rarò fit à diabolo & membris eius; tentare O dicitur proprium diaboli 1. Thess. 3. *ne forte tentauerit vos, is qui tentat; idest diabolus; cuius officium est tentare*, vt ait Glossa. Sed vltra hanc tentationem ab hoste, est tentatio à Mundo, P per modum obiecti: cuius rebus corda hominum alliciuntur ad peccandum. At tentatio, quæ est ab hoste vel à Mundo, Q est à principio extrinseco. (*Dic in hanc nos incidere*, si assentiamur) Vnde alia est tentatio à principio intrinseco, scilicet ex corruptione carnis: ex corruptione enim status præsentis, sequitur pugna carnis aduersùs spiritum. Fit ergo, idcirco Dominum præcepisse sub hoc verborum tenore, *ne intretis in tentationem*; vt innotesceret indigentia præsentis corruptionis humani status, cui vt redemptrice gratia succurreret, iam iam morti obuiabat. Interiora namque dicimur intrare. Ad sanandam quippe concupiscentiam humanam venerat: quod Matthæus & Marcus expendendum sibi assumpserant. Indicatur hoc autem etiam ex adiecta sententia; *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: quia Galat. 5. *caro concupiscit aduersùs spiritum; spiritus autem aduersùs carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur*. Vbi de R fomite tangitur. Nam fomes, (qui nihil aliud est S quàm inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati) peccati originalis est pœna. Quam proinde materiam, decuit specialiter Matthæum & Marcum, vt pluries dictum est, versare. Et ideo apud vtrumque dicit Dominus; *caro autem infirma*: quando infirmitas carnis ad fomitem pertinens, T est in sanctis viris perfectæ virtutis occasio. Lucas autem, vt suprà innuimus, ab hac Domini sententia referenda abstinet; quia de originis peccato, siue quoad formale, siue quoad materiale eius, non erat sui instituti peragere. Eam tamen adhortationem, *orate ne intretis in tentationem*, noluit præterire; quia dogmaticum est: posse vtique V hominem per se ipsum ruere in peccatum; sed ad meritum proficere non potest, nisi auxilio

M Iacobi 1. 2. sent. 21. q. 2. a. 3. 1.
N 1. Cor. 10. l. 3.
O 1. p. 114. 2.
P 2. sent. 21. q. 2. 1.
Q l. c. & a. 2. & ar. 3. ad 4. & Iacobi 1.
R Gal. 5. l. 4.
S 3. p. 27. 3. in c. & ad 1.
T l. c. ad 2.
V 1. p. 114. 3. 3.

X p. 1. 109. 8. in fed contra. xilio diuino. Et vt ait Augustinus X *quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc; quod contendit, ad non peccandum, gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem: ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum esse, non dubito*. Claudamus ergo, cùm vt ait Diuus Iacobus; *vnusquisque tentetur à concupiscentia sua abstractus & illectus*, semper cum Psalte psalm. 70. nobis inclamandum; *cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. Et quia Deus instruit hominem A per lumen intellectus de agendis; eo quòd vt dicit Philosophus, *omnis peccans est ignorans*: psal. 31. *intellectum tibi dabo & instruam te*, ideoque petebat Dauid, psalm. 12. *illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum*; ne mireris lector; si Dominus hic nedum prompsit, *orate*, sed *vigilate, & orate; vt non intretis in tentationem*.

A opusc. 7. 5. 10.

VERS. LI. *Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum, &c.*

25. Plura hac de re dixi in capitis expositione, quæ sanè Syntaxi arrident, cum inordinationem inferiorum virium ostendant ex originali contractam, solaque Christi gratia correctam. Veruntamen abscissæ auriculæ factum vndequaque consideretur adeo inopimum euadit, vt quod demirentur fideles semper supersit. Sanè impauiditas & audacia B (quæ Petro irrepsisse videntur) à peccato immunes non sunt. Nec enim loci aut temporis circunstantiæ insurrexisse fortiter Petrum probare possunt. Et tamen Iesus dulcissimus id permisit. Nunquid mysterio vacabit, percussum Malchum in auricula, eaque dextera? Patres variè discurrunt. Hieronymus, *transitoriè*, inquit, *dicendum est, quòd Malchus, idest Rex, quondam populus Iudæorum, seruus factus est impietatis, & deuorationis Sacerdotum, dexteramque perdidit auriculam, vt literæ veritatem audiat in sinistra*. Origenes; *nam si videntur legem audire, modò cum sinistro auditu, audiunt vmbram traditionis de lege, non veritatem. Populus autem ex Gentibus significatus per Petrum, per hoc ipsum, quòd crediderunt in Christum, facti sunt causa, vt præcideretur Iudæorum auditio dextera*. Rabanus præsentiens obijci posse, cur Petri ministerio id fieret, respondet ex Beda; *vel Petrus non tollit audientibus intelligendi sensum, sed diuino ablatum iudicio, negligentibus pandit. Verùm eadem dextera auris, in ijs, qui ex eodem populo crediderunt, diuina pietate, pristino restituta est officio*. Hilarius sic in bonum Iudæorum interpretatur; vt inobediens auditus excisus sit, & amputatum, ad capacitatem veritatis, hoc quod erat non audiens. Theophylactus; *innuit Petrus ex hoc, quòd inobedienter erant & increduli; nam si habuissent aures audiendi Scripturas, non crucifixissent Dominum gloriæ*.

B 2. 2. q. 126. & 127.

26. Cæterùm etsi hæc mysticè congruant, non omnino quiescit animus, nisi vlterius adhuc pergamus, præmittendo scilicet quod habet Ambrosius in Lucam de Christi tristitia; *tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat in malis sacrilegij pœnas daturos*. Hinc in opusc. C magnitudo, inquit, tristitiæ Christi perpendi potest specialiter ex casu Iudæorum, & aliorum in morte eius delinquentium. Consentit D etiam ex Hieronymo; vt vellet transiret calix, hoc est, quòd ita redimeret Mundum, vt non esset delictum Iudæorum. Subditque quod habet Apostolus Roman. 11. *illorum delicto salus est Gentibus*. Hoc punctum substitutionis

C opusc. 60. 18.

D D. Th. hic.

Gentilium in locum Iudæorum tam ineffabile est, vt postquam de illo edisseruit, exclamet Paulus; *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Ideo præcauit cap. 3. ab errore dicens de Iudæis quibusdam; *quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas eorum, fidem Dei euacuabit? absit*. Et eo cap. 11. *nunquid Deus repulit populum suum?* Tractans autem argumentum huiusmodi proponit de fide; dicens ex Isaia, *Domine quis credidit auditui nostro?* & mox, *ergo fides ex auditu*. Iudæorum etiam incredulitatem, & à sancta Patrum massa, & radice defectionem exprimit eidem insistens similitudini per fractionem. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt: propter incredulitatem fracti sunt*. Addit, Gentilem alloquens, *tu cùm oleaster esses, insertus es in illis: & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. Dices ergo; fracti sunt rami, vt ego inserar*. Nunc videamus, si placet; quomodo in semper admirando Petri assultu, auriculæque Malchi amputatione, id mysterij queat deprehendi. Profectò fidei extat specimen: nedum quia euibratur ictus ad auriculam, sed quoniam inest capiti auris; caput autem ex Chrysostomo fidei comparatur. *Quemadmodum enim serpens totum se ipsum tradit, nec minimùm curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit, dummodo caput suum integrum seruet: eodem tu quoque modo, cætera perdere non cures, &c. fides enim caput est & radix: qua seruata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus maiore cum gloria recuperabis*. Itaque velim in idem recidat auriculæ amputatio, ac ramorum fractio; nimirum Iudæorum significari, quam apprimè doluit Saluator, incredulitatem. At assumit Angelicus; E non permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat; secundùm illud Iob 34. *conteret multos, & innumerabiles; & stare faciet alios pro eis*. Sic enim in locum Angelorum cadentium, substituti sunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles. Sed subdat Paulus Roman. eo cap. 11. *aliqui ex ramis fracti sunt: tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis; & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es*. Sit periphrasis Euangelica: aliqui ex Iudæis fidem amiserunt, abscissa in signum auricula; sed capiti alia inserta est auricula; hoc est fidei priscorum Patrum adhæsit fides Gentium; (2. Corinth. 4. *habentes autem eundem spiritum fidei*) *& cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum*. Et sic Ecclesiæ corpus, siue Ecclesiæ fides in capite, quæ mutila Iudæis excisis remanserat, sanata est. Quare dicendum videtur, relicta ea quæ amputata fuerat auricula, mysticè subrogatam aliam; quasi insitam priscæ radici & massæ fidelium, nunc per caput cui inest auricula significatis. Hanc autem sanitatem possumus intelligere instar Beatæ Agathæ, cui cùm fuisset abscissa mamilla, apparuit Petrus, & amputatam restituit. Aliàs nisi hoc lateret mysterium, diceret Euangelista tetigisse locum vulneris, non verò auriculam, quæ non facilè in horto inuenienda fuerat. Accessit ergo percussus in typum superstitis adhuc fidei, dimissa Iudæa incredula, & Iesus percussum sanauit, extensa fide ad Gentes, quasi expansis nouis ramis, fractorum loco, & exerta noua auricula vice abscissæ.

E p. p. 23. 6. 1.

Non fuerit tamen dissonum, si dicamus hoc mirabili Saluatoris facto, insinuari, quæ tandem futura est Israelis omnis, conuersionem. Roman. 11. *nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc; (vt non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel; donec plenitudo Gentium intraret;* 27.

traret: & sic omnis Israel saluus fieret: & priùs; *sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos*. Et ad effectum huiusmodi in vtroque populo significandum dic vsurpari verbum illud, *& sanauit eum*; ex Hieronymo super Matthæum, nullum sanauit in corpore, quem non sanarit in mente.

F 1. 2. q. 6. a 1. 1. Quocirca Angelicus F sic arguit; quæcunque Deus sanat, totaliter sanat: dicitur enim Ioannis 7. *mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato*. Sed per fidem homo sanatur ab infidelitate: quicunque ergo donum fidei à Deo accipit, simul sanatur ab omnibus peccatis. Respondet; quòd ille, qui accipit à Deo fidem absque charitate, non *simpliciter* sanatur ab infidelitate; quia non remouetur culpa præcedentis infidelitatis; sed sanatur *secundùm quid*, vt scilicet cesset à tali peccato. Et ita datur aliquando homini à Deo quòd credat, non tamen datur ei charitatis donum; sicut etiam aliquibus absque charitate datur donum prophetiæ, vel aliquid simile. Præfatam Iudæorum conuersionem sanata auricula ad fidem comprobat

G Rom. 11. l. 4. Angelicus G ex Osee 1. *saluabo eos in Domino Deo suo*, & Michææ vltimo; *reuertetur & miserebitur nostri*; & Apostolus ex Isaiæ 59. *veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob*. Et introducta auriculæ metaphora adstipulatur (ibidem) Amos cap. 3. *quomodo si eruat Pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel*. Nectè quod ait Petrus; *aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui resistite fortes in fide*. Fauet autem & verbum Domini certum limitem præfigentis; *sinite vsque huc*: neque enim Lucas qui cap. 18. de cæco narrauerat, *iussit illum Iesus adduci ad se*, diuersam neglexit phrasin, sed signanter retulit, *sinite vsque huc*; hoc est permitti sciatis in incredulitate, Iudæorum aliquos permanere, donec cor eorum tangat altitudo diuinorum iudiciorum; quæ *incomprehensibilia sunt*; quod habet Apostolus.

28. Adstipulatur hucusque dictis percussi nomen, quod non abs re Ioannis capi. 1. notatur, *erat autem nomen seruo Malcus*; qui itidem declaratur *Pontificis*, seu *Principis Sacerdotum seruus*, etiam ab alijs. Qui fide Christi defecerint, prædixerat Dauid psal. 2. *astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius*. Quod quidem oraculum Actor. 4. *vnanimiter* cecinerunt fideles. *Astiterunt Reges*

H psl. 2. *terræ*, H scilicet Herodes Ascalonita prior, qui occidit infantes, & posterior Herodes Antipas, eiusdem filius, qui Pilato consensit; *& Principes*, scilicet Sacerdotum. Iam quomodo factum respondeat vaticinio, animaduertamus. *Malchus* interpretatur omnibus, *Rex*. Quis ignorat Reges illos non recepisse, Regnaque alia deinde fidem curasse? Malchus seruus erat Principis Sacerdotum; quis nesciat in eo Primores Iudæorum adumbratos, seruientes scilicet literæ; Galat. 4. *hæc enim sunt duo Testamenta, vnum quidem in Monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar*; &c. *& seruit cum filijs suis*; scilicet seruitute legalium obseruan-

I Gal. 4. 1. 8. tiarum, I à qua redemit nos Christus; Roman. 7. *seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ*. Certè satiùs nequibat innui, quomodo Reges terræ & Principes Iudæorum conuenissent in vnam à fide defectionem: quam visa in vno Malcho, Pontificis etiam seruo, abscissa auricula: eaque dextera, quia non de terrenis, sed de diuinis; palam potioribus, fidem negauerant; siue erant negaturi. Illustratur autem isthæc nostra prolixa expositio, vt in auriculæ abscissione, intelligantur explosi infideles & increduli, ex more hebraicæ locutionis, L secundum quam ponuntur nomina loco pronominum: quo pacto ait Apostolus; *video aliam legem in membris meis* &c. *captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, idest in me ipso. Dicendum ergo amputatam auriculam in signum exsecti, mysticè membri, quod in fide exaruerit. Quo pacto aliàs dixit Augustinus Tract. 26. in Ioannem; *qui vult viuere, habet vbi viuat; non abhorreat à compage membrorum; non sit putre membrum, quod resecari mereatur*. Quoniam autem falsò dogmatizantes discernere, ad Ecclesiam pertinet, cuius personam gerit Petrus, qui interpretatur M agnoscens; non fuerit mirum, si Petrus præ alijs se ingerat, & signanter Ioannes Euangelista, cognomento Theologus vt supra dictum est, nomen eius, quod alij tacuerunt, exprimat. Huc facit quod fertur ex Cyrillo, *vt membra maneamus in Capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontifice*; N *à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus; quoniam ipsius solum est reprehendere corrigere*, &c. Et quia post damnatos errores, putridos illorum sectarios in morem habet Ecclesia anathemate etiam damnare, separatos & excommunicatos declarans; adest sensibile praxis exemplum abscissa auricula: quandoquidem sub hac ipsa metaphora sacrum Tridentinum Concilium sess. 25. capit. 3. decreti de reformatione eloquitur. *Quamuis*, inquit, *excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ* &c. Hunc gladium exemit seu eduxit Petrus, immo *Simon Petrus*, vt signanter credendus est scripsisse Ioannes; qui item addit, quod alij non dixerunt; gladium huiusmodi habitum à Petro; *Simon ergo Petrus habens gladium*. Nisi enim subesset mysterium, redundare videretur oratio; (quod absit suspicemur) satis enim intelligitur gladium habere, qui gladium educit. Quæritur; *vtrum quilibet [illegible] possit excommunicare*. O Et definitur huiusmodi iurisdictionem Petro collatam supra cap. 16. ab ipso in alios descendere. Merito ergo dic expressisse Ioannem; *Simon ergo Petrus habens gladium*: gladij autem separare est: & ibidem, excommunicatio, nihil aliud est, quàm *separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructum & suffragia generalia*. Quis scit non ideo recolatur Malchus seruus summi Pontificis? vt suggeratur eo facto Pontificiam exerceri auctoritatem. Qualiter autem Papæ dominium alteri omni dominio præferatur, P decernit Angelicus. Cæterum hanc fidelium membrorum suffectionem præ alijs Lucas expendit, *& sanauit eum*; quia ipsius ad institutum summopere facit: non sic directè ad aliorum Euangelistarum scopum, nisi perfunctoriè. Propterea alij prætereunt. In eo autem sanando per fidem emicat Pelagianorum damnatio. Posuerunt enim initium fidei esse ex nobis; in quantum scilicet ex nobis est, quòd parati sumus ad assentiendum [illegible] quæ sunt fidei: Q sed consummatio fidei [illegible] eo, per quam nobis proponuntur ea, quæ [illegible]. Confunduntur, me iudice, [illegible] enim exordiale magis [illegible] ? tactus autem est à Deo; *cum tetigisset auriculam [illegible] sanauit eum*: ergo & ini[illegible] à Deo est. Quemadmodum & de [illegible] refertur primo motto Thren. 5. *con[illegible]* &c. Scio mysticam theologiam non [illegible] argumentatiuam: at in confirmationem [illegible] in medium ferri; non vt euincat [illegible], sed vt quodammodo comprobet.

L Rom. 7. l. 4.

M Matthæi 4.

N opusc. contra errores Græcor. §. 3. & opusc. 19. c. 3. ad finem.

O 4. sent. 18. q. 2. a. 2. 1. 1.

P opusc. 20. c. 10.

Q 2. 2. q. 6. 2.

VERS.

VERS. LXIV. *Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.*

29. Quisnam sit verborum sensus, supra diximus. Vnde superest prodamus, quare Matthæus duntaxat & Marcus hæc commemorent. Ipsius aduentum de die in diem in Ecclesiam ex fidelibus conflandam iure Matthæus versat, vt toties monuimus. Et hoc perfidiæ Iudæorum eiusmodi arcanis verbis obiectat. Mihique videtur æquipollere ac si diceret quod fert Apostolus Roman. 10. *ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem; in iram vos mittam. Isaias autem audet & dicit; inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit; tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Veruntamen quoniam concernitur etiam in hac Domini sententia, de aduentu eius ad iudicium, dum ab impiis morti, corde prius deinde ore, Agnus innocens adiudicatur: iuxta illud Iob cap. 36. *causa tua quasi impii iudicata est; causam iudiciumque recipies*: proinde sumus in confinio resurrectionis, quam præ aliis pertractat Marcus; ideo Marcus etiam hoc retulit: præsertim dicente Theophylacto; *non autem sine corpore veniet; sed qualis apparuit crucifigentibus, in iudicio eis apparebit.* Lucas supersedet ab hoc denarrando, quia non erat ei scopus Matthæi; & aliàs de aduentu eius ad iudicium luculentius acturus erat. Quamuis cap. 23. in calce ex parte referat; dixisse nempè Dominum; *ex hoc erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Sed cum ad Caipham ductum indicet Lucas, bis protulisse sententiam videtur Dominus.

VERS. LXIX. *Petrus verò sedebat foris in atrio*; &c.

30. Cùm Petrus ter negauerit Dominum, introductum in atrium Pontificis Annæ, vt claret ex Ioanne, qui scribit semel & iterum ad innuendam recapitulationem facti, *erat autem Petrus stans & calefaciens se*; quod R notatur ex Augustino: mirum est, quare Matthæus, qui præterire voluit quæ contigerunt dum sisteretur Iesus ante Annam, puta ministri alapam, & increpationem, *sic respondes Pontifici*, non omiserit etiam negationes: vel certè si & eas voluit memorare, cur non eas præmiserit, quemadmodum facit Lucas, qui illatas Iesu iniurias illusiones & contumelias narrat post negationes? Quamuis enim dici queat, ideo Matthæum & Marcum præposuisse negationibus iniurias, & Lucam postposuisse, vt inde innotesceret, vno tempore, fuisse Dominum illusum & negatum; & quæ simul facta fuerunt, simul non potuisse narrari; nihilominus non hinc euacuatur omnino difficultas; nàm saltem consultiùs videbatur ad astruendum magis Euangelistarum consensum, vt sicut Lucas (quas verosimilius est præcessisse) Matthæus & Marcus prænarrarent negationes.

R Ioan. 18. 14.

31. Sanè implexa non parum est quæstio, quam vt pro modulo nostro enodemus, obseruandum proponimus, variè admodum Petri negationes ab Euangelistis referri. Lucas enim sobriè satis eas percurrit, nihil de iuramento & detestatione dicens: & sic Ioannes. Matthæus autem & Marcus circunstantias exprimunt, nimirum & iurasse & anathematizasse negando. Quod quidem horrendè magnificat Petri relapsum, nisi aliqua typo gesta, Syntaxique subseruientia introspiciamus. Sanctus Ambrosius in Sermone de vinculis Sancti Petri, sic habet; *ad similitudinem Heuæ Beatum Petrum ostiaria quoque mulier decipit: & sicut Adamum mulier circumscripsit; ita etiam Petrum fœmina circumuenit. Fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit.* Ita & Angelicus; S conuenit, inquit, casus Petri, casui primi hominis: Ecclesiast. 25. *à muliere factum est initium peccati; & per illam omnes morimur.* Sic Petrus ad vocem mulieris Christum negauit. Quis scit, non ita dispsuerit diuina sapientia, ad vocem mulieris, eum qui futurus erat Caput Ecclesiæ, à Christo per mulierem alienari; sicut ad Heuæ instigationem humanæ sobolis principium recessit à Deo? (certè in aliorum etiam persona, tanquam Caput reprehenditur; *non potuisti vna hora vigilare mecum?*) vt non tam historiam Euangelicam, quàm mysterium alta consideratione teneremus; quia teste Basilio magno in homilia de humana Christi generatione, quæ est 25. *carnem suscepit Deus, quoniam oportuit ob peccatum alienatam conciliari Deo.* Cur ergo Matthæus & Marcus, qui præ aliis originale peccatum versant, ingens peccatum hocce non exaggerarent? Cur Dominus, non potiùs Petrum, quam quempiam alium discipulum labi sufferret? Quare ergo passurus ac moriturus venerit sic manifestat. *Christus venit in hunc Mundum*, 1. ad Timoth. cap. 1. *peccatores saluos facere*: supra cap. 9. *non veni vocare iustos, sed peccatores.* In quorum persona permissus est, me iudice, Petrus, & peierare, & Christum detestari. Quod postremum, quia nimis nefarium est, signanter videntur mihi scripsisse Matthæus & Marcus, *cœpit detestari, & iurare*; siue *cœpit anathematizare & iurare*; non quasi pluries & incessanter detestatus sit, & Dominum anathematizauerit; sed quoniam extorta metu negatione, vix in eam consensit culpam; quæ grauissima, & pleno consensu, in peccatoribus quos Petrus repræsentabat, in ipso Petro velut semidetestatio erat, & inchoatio quædam anathematis. Non ita dicunt, *cœpit negare*, quod planiùs videbatur dicendum, sed *negauit*: vnde ly *cœpit* in suprema immo negatione, argumento est piè scrutantibus, idcirco appositum esse, ne tanto in crimine, in quo peccatorum hominum erat imago, Petrus æquè cum repræsentatis reus haberetur. Et hoc dixerim ea proportione; qua de Christo scripserat Matthæus *cœpit contristari & mœstus esse*, siue, quod ait Marcus, *cœpit pauere & tædere*: nàm fuit initiata tristitia secundum propassionem; T aliud est enim contristari; aliud incipere contristari, vt Hieronymus dicit. Sic aio ipse; aliud est iurare & detestari; aliud est *cœpit detestari & iurare*.

S D. Thom. hic.

T 3. p. 15. 6. 1.

32. Nec videatur huiusmodi interpretatio coacta; quia non est nouum in Scripturis, singularem hominem multorum gerere vices; sicut Christus apud Augustinum in libr. contra mendacium capit. 10. dicitur Esau hædinis opertus pellibus, quatenus non sua, sed aliena peccata portauit. Et hoc specialiùs in Petro imagine quadam licet astruere, quia quam subit hic peccatorum à Deo elongatorum speciem, palam quadrante metaphora exhibet visione illa in Actis cap. 10. quando *omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia Cœli*, sceleratiorum hominum typo iussus est manducare; quasi in se ipsum, siue in corpus Ecclesiæ, vt communiter exponunt, translaturus. Quocirca admirabiliter adnoto, quod ait sacer textus capit. illo 10. & ex ore Petri cap. 11. nempe; *hoc autem factum est per ter.* Dic, si placet, quemadmodum hic ter Dominum negauit. Cùm autem dicat Apostolus ad Galatas cap. 2. *nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores*, in quantum Gentes V sine fræno legis erant, & ad peccandum pronæ, harum præcipuè in figuram extitisse impræsentiarum Petrum, dicamus oportet. Et ecce instar Gentium, *quæ* 1. Thessal. 4. *Deum ignorant*, obloqui Petrum & mentiri; *nescio quid*

V Gal. 2. 14.

quid dicis; Peccatores verò adhuc magis prodit secunda negatio, quæ periurio firmatur: quod est in secundo primæ tabulæ mandato peccare, quo cautum est; *non assumes*, Exodi 20. *nomen Domini Dei tui in vanum*: (vanum dicitur quod non ha-
X Rom. 1. l.7. bet stabilitatem seu firmitatem X) & hic item agnoscimus Gentiles, qui decalogum nescierunt; de quibus Roman. 2. *quicunque sine lege peccaue-
A Rom. 2. l.2. runt, sine lege peribunt*, sine lege scilicet Moysi A accepta à Deo. Quamuis enim secundum præcepta
B p.2.d4. 6. communissima lex naturæ B nequeat à cordibus hominum deleri; nihilominus, quantum ad quædam secundaria præcepta, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principijs, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum; vel propter malas persuasiones, vel etiam propter prauas consuetudines, & habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata; vel etiam vitia contra naturam; vt etiam Apostolus dicit ad Roman. 1. Verùm inter Gentiles, fuere & qui Deum ignorarunt, *& mutauerunt*, vt dicitur Roman. 1. *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis; & volucrum & quadrupedum, & serpentium*. Hos dixerim præseferre tertiam Petri negationem, qua Christum verum Deum detestari cœpit, & anathematizare. Siue ergo verum Deum fuerint Gentiles cognoscentes, sed mandatis eius culpabili ignorantia non obtemperantes; siue Deum ipsum negauerint, animalibus ijs dediti quæ memorat Paulus, quæque iubetur Petrus in Actis manducare, non respuit eos Dominus; nam ibidem Act. 11. *& Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*: in cuius signum Petrus mox *egressus foras fleuit amarè*.

33. His ita elucidatis, claret qua ex causa fiat à Matthæo & Marco negationis relatio per modum (quod animaduertit cap. 26. & Hugo noster ex Augustino) recapitulationis. Neque enim perperam interseritur, ac etiam postponitur de negationibus, quando vt notat idem Hugo, initium cap. 27. *manè autem facto* continuandum fuerat versui 68. capitis huius 26. *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Ratio ergo sit, quia series negationum Petri cedit in intelligentiam præmissæ à Domino Iesu sententiæ; *amodò videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cæli*. Cum enim referri possit, nedum
C D.Th. hic. ad vltimum, sed C etiam ad quotidianum aduentum in Ecclesiam, vt diximus exponendo caput hoc; quos in Ecclesiam esset adducturus, & per quorum conuersionem & pœnitentiam, venturus esset Dominus tanquam suo in corpore, altiùs in Petri pœnitentia demonstrat; idque in increpationem iudaicæ obstinationis. Planè Iudæi, qui legem acceperant, quique promissum in ea recipere debuerant, relinquendi meritò fuerunt sua in incredulitate: Gentes autem, vt aliàs dictum est, subrogandæ. Quemadmodum ait Apostolus Roman. 2. *qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*: & Dominus supra capit. 11. *veruntamen dico vobis; Tyro & Sidoni, remissius erit in die iudicij, quàm vobis*: *offenderunt enim*, Roman. 9. *in lapidem offensionis*; idest in Christum; qui assimilatur lapidi offensionis, in hoc, quòd sicut lapis, in quem homo offendit, propter suam paruitatem non caue-
tur; D ita Iudæi videntes Christum infirmitate nostra contentum, non cauerunt in eum offendere. D Rom. 9. l.5.
Ex his patet, quare Matthæus etsi adductum fuisse Iesum ad Annam subticeat, negationes Petri alto consilio noluerit præterire; easque transposuerit; cum fortè potius secundum historiam, vt ex Luca trahitur, præcesserint contumelias & irrisiones, quæ in Annæ aula dignatus est pati Dominus. Marcus autem, etsi Matthæi non verset materiam, nimirum ex Gentibus & legi diuinæ & Deo vero ignoranter aduersis ædificandam Ecclesiam; nihilominus, quia ex passione timoris deuoluitur homo in ipsam etiam idololatriam, ideo & Marcus passionibus originalis intentus hoc non omittit. Esto lapsus huius miserrimi exemplum Marcellinus Papa, qui anno Domini 296. sub impio Diocletiano Idolis thus adoleuit, exteriori quidem cultu mortis metu. Qui cum cœpisset flere coram Ecclesia instar Petri, audiuit Episcoporum octoginta responsum; *tuo te ore, non nostro iudicio, indica; nam prima Sedes à nemine iudicatur. Petrus Christum negauit; attamen nemo Apostolorum ipsum iudicare præsumpsit, sed lachrymis veniam impetrauit*. Præfata autem quam meditati sumus allegoria circa semper admirandam in Petro permissionem, impleri deprehendimus aduersum Iudæos; *generatio peruersa est, & infideles filij; & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus; & in gente stulta irritabo illos*: siue vt legit Apostolus Roman. 10. *ego ad æmulationem vos adducam, in non gentem; in gentem insipientem; in iram vos mittam*, ex Deuterono-
mij capit. 32. in quantùm scilicet E Iudæi æmulantur Gentiles; siue contra eos ex inuidia turbantur, E Rom. 11. l.4.
dum vident ad eos suam gloriam translatam. Mirè autem huc videtur spectare Moysi oraculum, quod ait etiam; *abscondam faciem meam ab eis*: Isaiæ 8. *abscondit faciem suam a domo Iacob*; & Michææ 3. *abscondet faciem suam ab eis in tempore illo*: dic vel accommodatitio sensu. Quando vt hic subinnuit, & exprimit Marcus, *cœperunt velare faciem eius; & dicere ei, prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Æqualis autem infidelitatis est crimen, quod ibi legitur; *ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus*; & blasphemari ab ipsis Christum, quem adhuc hodie Deum esse negant, *irritantes* Dominum *in vanitatibus suis*, vana Regis Israel mundani expectatione, ineptaque consummatarum cæremoniarum repetitione.

CAPVT XXVII.

1 *MAnè autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores popu-*
li aduersùs Iesum, vt eum morti traderent. 2 *Et vinctum adduxerunt eum, &* Marc. 15. a 16.
tradiderunt Pontio Pilato præsidi. 3 *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd* Luc. 23. a. 1.
damnatus esset: pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & seniori- Ioa. 18. c.
bus, 4 *dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.* 28.
5 *Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit.* 6 *Principes autem*
sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium san- Act. 1. c. 13.
guinis est. 7 *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.*
8 *Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum* Act. 1. c. 19.
diem. 9 *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt*
triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel: 10 *& dederunt eos in* Zach. 11. c. 12.
agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. 11 *Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit*
eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. 12 *Et cum accusaretur à* Marc. 15. a. 2.
principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. 13 *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis* Luc. 23. a. 3.
quanta aduersùm te dicunt testimonia? 14 *Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt mirare-*
tur præses vehementer. 15 *Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum* Ioa. 18. f. 28.
vinctum, quem voluissent. 16 *Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.*
17 *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum,*
qui dicitur Christus? 18 *Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum.* 19 *Sedente autem*
illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa Marc. 15.
sum hodie per visum propter eum. 20 *Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt po-* b. 11.
pulis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent. 21 *Respondens autem præses, ait illis: Quem* Luc. 23. b. 18.
vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. 22 *Dicit illis Pilatus: Quid igi-* Ioann. 18.
tur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? 23 *Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid* g. 41. Act. 3. b.
enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur. 24 *Videns autem Pilatus, quia* 14.
nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Inno-
cens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. 25 *Et respondens vniuersus populus, dixit:*
Sanguis eius super nos, & super filios nostros. 26 *Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem fla-*
gellatum tradidit eis, vt crucifigeretur. 27 *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium,* Marc. 15.
congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: 28 *& exuentes eum, chlamydem coccineam circum-* b. 16 Ioa. 19. d.
dederunt ei, 29 *& plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in* 18.
dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. 30 *Et ex-* Psal. 21. d. 17.
puentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. 31 *Et postquam illuserunt ei,*
exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.
32 *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt* Marc. 1. b. 21.
tolleret crucem eius. 33 *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.* Luc. 23. d.
34 *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere.* 35 *Post-* 26. Marc. 15.
quam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes, vt impleretur, quod b 21.
dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam mise- Luc. 23. d. 26.
runt sortem. 36 *Et sedentes seruabant eum.* 37 *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius* Ioa. 19. d.
scriptam: HIC EST IESVS REX IVDAEORVM. 38 *Tunc crucifixi sunt cum eo duo* 17. Marc. 15.
latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris. 39 *Prætereuntes autem blasphemabant eum mouen-* c. 24.
tes capita sua, 40 *& dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas:* Luc. 23. f. 34.
salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. 41 *Similiter & principes sacerdotum illu-* Ioa. 19. d. 18.
dentes cum Scribis, & senioribus dicebant: 42 *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum fa-* Ioan. 2. d.
cere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: 43 *confidit in Deo: liberet nunc,* 19. Sap. 2. d.
si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. 44 *Idipsum autem & latrones, qui crucifixi* 18.
erant cum eo, improperabant ei. 45 *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam ter-* Psal. 21. a. 9.
ram vsque ad horam nonam. 46 *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli* Psal. 21. a. 1.
Eli, lamasabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 47 *Quidam au-*
tem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. 48 *Et continuò currens vnus ex eis*
acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. 49 *Cæteri verò di-*
cebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. 50 *Iesus autem iterum clamans voce ma-* 2. Par. 3.
gna, emisit spiritum. 51 *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deor-* d. 14.

ſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, 52 *& monumenta aperta ſunt, & multa corpora*
ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. 53 *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius,*
venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. 54 *Centurio autem, & qui cum eo erant,*
cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius
Dei erat iſte. 55 *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa,*
miniſtrantes ei: 56 *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, &*
Marc. 15. d.42. *mater filiorum Zebedæi.* 57 *Cum autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa,*
Luc.23.g.50. *thæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu:* 58 *hic acceſſit ad Pilatum, & petijt cor-*
Ioan. 19. *pus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.* 59 *Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſin-*
c.38. *done munda,* 60 *& poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit*
ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt. 61 *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera*
Maria ſedentes contra ſepulchrum. 62 *Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt*
principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, 63 *dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſedu-*
ctor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. 64 *Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in*
diem tertium: ne fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mor-
tuis: & erit nouiſſimus error peior priore. 65 *Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam: ite, cuſto-*
dite ſicut ſcitis. 66 *Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cu-*
ſtodibus.

VERS. I. *Manè autem facto, conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum,* &c.

1\. Hieronymus; *vide ſolicitudinem Sacerdotum: in malum tota nocte vigilarunt.* Lege Prouerb. 18. *ſex ſunt quæ odit Dominus,* inter quæ, *cor machinans cogitationes peſſimas; pedes veloces ad currendum in malum; proferentem mendacia; teſtem fallacem.* Fert Angelicus A Ezechielis 11. *hi ſunt viri, qui cogitant iniquitatem, & tractant conſilium peſſimum in vrbe iſta:* & Iob 24. *manè primo conſurgit homicida:* & Prouerb. 1. *pedes eorum ad malum currunt; & feſtinant, vt effundant ſanguinem.* Vt patet in litera, *conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum:* Dicito cum Ieremia; *omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter; æs & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt.*

A D.Tho. hic.

2\. Propheticè planè dixit Iacob de huiuſmodi aduerſus Chriſtum conſilio Geneſis 49. *in conſilium eorum non veniat anima mea,* vt Geneſis 34. diximus: & ipſemet per os Dauid pſal. 21. *concilium malignantium obſedit me:* ſtatimque ſubditur de morte; *foderunt manus meas & pedes meos,* vt hic adiecit Matthæus, *vt eum morti traderent.* Sanè dum *conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi aduerſus Ieſum,* illud impletum eſt Sapient. 2. *circumueniamus iuſtum;* &c. Et Act. 4. *conuenerunt enim verè in Ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum.* Non fuit difficile mox conuenirent, qui Chriſti necem diu expetierant: quando Ioannis 11. *collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium: & ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum: & dederant Pontifices & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet; vt apprehendant eum.* Quinimmo vt ait Leo Papa Ser. 7. de paſſione, in Caiphæ atrio tractabatur, quomodo Chriſtus deberet occidi, & ille corporis & ſanguinis ſui ordinabat Sacramentum. Sed, *incipiente feſtiuitate Paſchali, qui ornare Templum, vaſa mundare, victimas prouidere debuerant, in vnum facinus coniurant.* Quàm verum eſt illud Eccleſiaſtici 12. *inimicus ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine!* pſal. 17. *liberator meus de inimicis meis iracundis.* Prouerb. 27. *ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor.* At quorum fuit ira, quæ exarſerunt in Ieſum; & quidem impetuoſior; (propter choleræ inflammationem B id euenit) inteſtinum emicuit odium; Ioannis 15. *odio habuerunt me gratis.* Uaiens, ex Philoſopho 2. Rhet. c. 4. *pro nullo miſeretur,* abſque enim miſericordia quæſierunt eum interficere. *Falſa iuſtitia,* (quod inquit Gregorius hom. 34. in Euangel.) ſcilicet C ſuperborum, *non habet compaſſionem, ſed dedignationem.* Superbi enim contemnunt alios, & reputant eos malos. Idem Sanctus Leo Papa Serm. 8. *concurrentibus ad vnum ſcelus Iudæis, Iudæorumque Principibus, ſuperbus taurorum pinguium tumor, & proterua vitulorum petulantia ſæuiebat.* Quàm ſalubriter Exodi 23. *non ſequeris turbam ad faciendum malum; neque in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies:* huc enim fortè ſpecialiùs reſpicit Moyſes: præmittit ſiquidem ex ore Dei; *non ſuſcipies vocem mendacij; nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium:* quando cap. præcedenti, *Principes Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum; & non inuenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Veruntamen quantumcunque conſpirarent impij in Chriſti necem, *Ioſeph, qui erat decurio vir bonus & iuſtus, non conſenſerat conſilio & actibus eorum,* vt dicitur Lucæ 23. Non ſecus ac Geneſis 37. dixit Iudas fratribus ſuis; *quid nobis proderit, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius?* Quod etiam Ruben priùs nitebatur auertere dicens, *non interficiatis animam eius, nec effundatis ſanguinem.* Et cap. 42. *nunquid non dixi vobis; nolite peccare in puerum; & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur.* Sic etiam Magiſtratum Templi & Principes Sacerdotum, qui in Apoſtolos inſania ferebantur, vnus dehortatus eſt, *legis-doctor, & honorabilis vniuerſæ plebi nomine Gamaliel;* Act. 5. Cæterùm vt teſtatur Ioannes cap. 12. *& ex Principibus multi crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei. Iam conſpirauerant Iudæi,* ſicut fert cap. 9. *vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret.* Sic Ioſeph memoratur, Ioan. 19. rogaſſe Pilatum, *vt tolleret corpus Ieſu; eo quod eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum.* Sic Nicodemus ex Phariſæis *Princeps Iudæorum, venit ad Ieſum nocte,* Ioannis cap. 3. & cap. 19. *venit ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum.* Quare etſi *omnes,* & quidem *confeſtim,* vt ait Marcus; ſiue *vt factus eſt dies* ſecundùm Lucam, conſilium inierint, fortè non ſinguli conſilium vel corde probarunt. Et hoc præſertim dici poteſt, quia vt alias ani-

B 1.2.q.46. 6.1.

C 1.2.10. 2.3.

D supra c. 20. & Rom. 3. l. 2.

animaduertit D cum Hieronymo, consuetudo Scripturæ est, vt quandoque loquatur de toto populo ratione malorum, quandoque de toto populo ratione bonorum; vt patet Ieremiæ 26. vbi dicitur, quòd *cùm complesset Ieremias loqui omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuersum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ & omnis populus, dicens, morte moriatur*: & postea subditur; *& dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes & ad Prophetas: non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos*. Cuius diuersæ locutionis ratio est E quia quandiu sumus in hoc Mundo, mali sunt permisti bonis: & ideo Scriptura aliquando loquitur de populo, referendo intentionem suam ad malos, aliquando ad bonos. Ad rem ergo nostram, ne credatur Christus Dominus omnibus nullo excepto fuisse perosus: ly *omnes Principes Sacerdotum*, sicuti in Ieremia, videtur accipiendum; præsertim si in typum passionis Christi, & in Ieremiam insurrexerunt, vt in officio hebdomadæ pœnosæ innuit Ecclesia; & Angelicus F dicens: Ieremias & verbis & mysterijs Christi passionem apertissimè prænunciauit; & suis passionibus expressissimè præfigurauit. Et hinc potest elucere, qua ex causa nec Marcus nec Lucas ly *omnes* apposuerint. Et præterea, quare *tunc* referratur Iudas retulisse triginta argenteos, Christi innocentiam contestatus dicens; *peccaui tradens sanguinem iustum*; reuocat enim hoc in memoriam id quod pro Ieremia subiectum est; *non est viro huic iudicium mortis*.

E Ioann. 3. l. 6. in. b.

F 3. p. 27. 6.

VERS. III. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset*,

3. Fert Origenes, nec improbat Hugo, putasse aliquos intelligi de ipsiusmet Iudæ æterna damnatione: atqui plaudendum minimè, neque enim citra reuelationem, quæ nulli fit ne desperet, quisquam id scire potest. De potentia ordinaria G non potest alicui reuelari damnatio; quia cogeretur desperare. Et si qua reuelatio fieret, quæ hoc sonaret; deberet intelligi secundum comminationem: de quo I alibi. Sic in praxi contigisse aliquando erudimur à Diuo Antonino, de Sancto Sene, cui cùm reuelata fuisset discipuli sui damnatio, deprehendit postea, eo resipiscente, fuisse comminatoriam. Satius ergo ad Christum sensus deuoluitur, quem scilicet agnouerit Iudas prædamnatum. Et vnde? Dic; quia ex Hieronymo, *habebant hunc morem, vt quem adiudicassent morti, ligatum iudici traderent*: dicit autem textus; *& vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi*. Addo indicari fortè in eo quod habet Euangelista; *videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset*: & Iudam de futuro euentu sollicitum, & facilè ceu proditorem ac rebellem Iesu introire permissum; & sic præaudiuisse quod conclamauerant, *reus est mortis*: & fortasse id contra suam opinionem; quandoquidem ait Angelicus; L potest esse, crediderit Iudas, quando vendidit eum, quòd non occideretur; sed quòd flagellaretur. Mos enim erat M apud Iudæos: quòd si aliquis primò diceret vel faceret contra legem, reprehenderetur; secundò, cum reprehensione flagellaretur; sed si tertio; vel occidebatur, cum esset eis potestas; vel occidendus tradebatur ei, cui potestas inerat. Claret Actorum 4. & 5. loquentibus enim Apostolis ad populum, comminati sunt eis; & post hoc, cum adhuc loquerentur, cæsos iterum admonuerunt; tertiò lapidauerunt Stephanum, & Iacobum Herodi tradiderunt. Et ita prædixit eis Dominus supra cap. 10. *tradent vos in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos*. &c. Ex quo videtur mihi, dixisse Pilatum Lucæ 23. *nullam causam mortis inuenio in eo; corripiam ergo illum & dimittam*. At non ideo euasit Iudas reatum sanguinis; quia euentus sequens, etiam impræmeditatus, N quando per se sequitur ad peccatum, addit ad malitiam eius; sciebat autem Iudas acerba Iudæorum odia suum in Magistrum; vnde tradens ipsum exposuit morti; sciebat inquam; secus non adijsset dicens; *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Quemadmodum & Pilatus *sciebat quòd per inuidiam tradidissent eum*. Augustinus *de nouo & veteri Testamento* disquirit de tempore, quo Iudas argenteos retulerit, hoc pacto. *Sed occupatis Principibus Sacerdotum ad necem Domini à mane vsque ad horam nonam; quomodo Iudas eis retulisse pretium sanguinis quod acceperat, ante Crucem Domini probatur? & dixisse illis in Templo, peccaui quòd tradiderim sanguinem; cum constet omnes Principes & Seniores ante passionem Domini non fuisse in templo? Quippe cùm in Cruce posito insultarent ei. Nec enim inde potest probari, quia ante passionem Domini relatum est; cùm sint multa, quæ ante facta probantur, & nouissima ordinantur. Sed ne fortè post horam nonam factum sit; vt videns Iudas occisum Saluatorem, & ob hoc, velum Templi scissum, terram tremuisse, saxa scissa, elementa conterrita, ipso metu correctus doluerit. Sed post horam nonam, occupati erant, vt existimo, seniores & Principes Sacerdotum ad celebrationem Paschæ. Sabbato autem secundum legem, non licet nummos portare. Ac per hoc, non est probabile apud me, quo die, immo tempore, laqueo vitam finierit Iudas*. Subdit Angelicus; O videtur Augustinus velle, quòd istud fuit post resurrectionem. Tamen dici potest, quòd etsi aliqui ad Pilatum accesserant & morti Christi vacabant; tamen aliqui in Templo manserunt; & his retulit Iudas triginta argenteos. Porro, si dum Christus ad Pilati audientiam transferebatur, non retulit Iudas argenteos, (nam vix eos acceperat, neque enim statim ac accessit ad Principes Sacerdotum, ei dati sunt; nam *constituerunt*; sed ad summum cum cohortem adsciuit, vt traderet) vrget, quare Matthæus hic interiecerit facti huius narrationem? Liceat mihi quod supra innui, dicere; quandocunque secundum historiam id fuerit, voluisse Matthæum huc adnectere, vt dum in Christum conspirantes *omnes Principes Sacerdotum & Seniores, vt eum morti traderent* audiremus, nos non lateret vnà simul extitisse, qui innocentissimo Iesu essent propitij: à fortiori equidem, quando perditissimus proditor sanguinem iustum sic damnari sufferre non potuit. Qua mirabili bonorum & malorum discrepantia planè ferimur in Ieremiæ memoriam; qui vt hostes habuit, sic etiam amanter propensos vt vidimus; suisque passionibus prælusit Christi passioni. Minùs enim quicquam deperit, Mundi etiam æstimatione, Christi innocentiæ, quamuis à Iudæorum cateruа prædamnatæ; quando Ieremias tam sanctus similem subijsse aleam sacra pagina eloquitur. Nihil tamen prohibet, vt arbitror, si dicamus, fieri potuisse vt Iudas ad custodem vel præsidem Templi accesserit, suam vociferans proditionis culpam, *proiectis in Templo argenteis*; respondisseque qui assidebant Templo; (Leuitas putat Tirinus) *quid ad nos? tu videris*. Non secus ac supra cap. 8. scribit Matthæus, *accessit ad eum Centurio*, quanquam in persona non ita; sed quatenus, vt ait Lucas, & expendit Augustinus, *misit ad eum seniores iudæorum rogans eum, vt veniret & sanaret seruum eius*. Vnde & Iudas *retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & senioribus populi*, quia istis postea reddendos, in Templo custodi proiecerat: à quo *acceptis*, dixerunt fortè custodi qui eos receperat; *non licet eos mittere in corbonam*: & deinde *consilio inito, emerunt ex illis agrum figuli &c.* Argumento autem est quàm citò retulisse hocce pretium;

G 1. ad Annib. q. 48. a. 3. 3. & de Veritate qu. 23. 8. 2.

I 2. 2. qu. 174. 1.

L D. Th. hic.

M D. Th. hic c. 10.

N p. 2. 20. 5.

O D. Th. hic.

tium; quià nec vnum insumpserat eousque argenteum. Cuius valoris essent, variant Interpretes: eruditioribus fuere sicli argentei, seu floreni Belgici, qui conficiant argenti vncias quindecim. Sed cùm siclus huiusmodi argenteus penderet quatuor drachmas, (quasi Iulios Romanos) insurgit quæstio, quia vnus, qui visitur Romæ argenteus, nō est ponderis nisi circiter duarum drachmarum. Sed forte fuere sexaginta tales, qui siclos conficiant 30. non abs re, tali numero expressi, quia æquiualerent. Subdit Tirinus cap. 26. *Franciscus Lucas, & quidam alij, per argenteos putant abusiuè designari hic minas argenti; sicut Iosephus Patriarcha Genesis 37. venditus dicitur 20. argenteis; idest 20. minis argenti, vt explicat Iosephus historicus. Et tunc summa notabiliter maior esset, nempe 750. florenorum Belgicorum, si vt oportet Atticas minas intelligamus; quarum tunc vsus frequentior erat.* Sed quod postremò dicitur, non cohæret contextui; siquidem superfuissent argentei empto etiam agro, qui tanti emptus possessusque à figulo ægrè creditur. Ager enim vel campus nec hodie tanto est in pretio. Cum tamen eo tempore, vt considerat Suarez 3. p. tom. 2. decem aurei in maiori pretio & æstimatione haberentur, quàm nunc centum. Quare autem constituerint Principes Sacerdotum proditori triginta argenteos, quos nunc proijcit in Templo; ratio esse potest, vt Iesum impij vilipenderent; Exodi enim 21. seruorum vita compensabatur ex lege triginta siclis. Ad hæc Hieronymus *Iudas, quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare.*

VERS. V. *Recessit (Iudas) & laqueo se suspendit.*

4· Non desinunt Patres indulgentiam & Iudæ præsagire, attenta immensitate diuinæ clementiæ; si ad Dominum confugisset. Diuus Asterius Serm. de pœnitentia; *equidem arbitror, Iudam proditorem, nisi sui carnifex fuisset; si ad genua accedens misericordiam deprecatus esset, veniam, quæ omni petenti conceditur, consecuturum fuisse.* Et Sanctus Leo Papa; *flexisset misericordiam, si eius omnipotentiam non negasset.* At sacer textus satis indicat non salutariter pœnituisse; non enim ait *pœnitentia motus*, sed *pœnitentia ductus.* Filius quippe inobediens Patri supra cap. 21. *pœnitentia motus abijt*, scilicet ad operandum in vinea. Et sic aliàs Lucæ 7. 10. & 15. *misericordia motus.* Moueri coactionem minimè præsefert, quam potiùs verbum *duci* concernit: seruili ergo timore captus deprehenditur Iudas, quem liberè non pœnituit. Impium est etiam à Deo dimidiam somniare veniam, vt in eo contigit; quem vtique pœnituit Christi damnationis, non verò proditionis; cùm æque sacrilegum esset & tradere & interficere. Damnati etiam Sapientiæ 5. sunt *pœnitentiam agentes*; quia displicet pœna, non culpa: 3. p. 86. 1. Deinde cur fassus non est Deum esse, prout ab ore Petri audierat supra cap. 16. *tu es Christus filius Dei viui?* sed suadente diabolo tenebrarum Principe, tenebris obruentibus peccatorum, fidei lumen credendus est amisisse. Vnde ait Hieronymus; si rectam fidem habuisset, non desperasset. Et censet habuisse Iudam pro magicis miracula Christi; alioquin non sibi suasisset, posse decipi Christum. Quod enim dixit; *peccaui, tradens sanguinem iustum*, P retorqueri potest ad hominem iustum: sicut Ieremias cap. 26. dixit; *si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis.* De infelici Iudæ exitu Petrus in Actis cap. 1. sic loquitur; *possedit agrum de mercede iniquitatis; & suspensus crepuit medius; & diffusa sunt omnia viscera eius.*

P D. Th. hic.

VERS. VI. *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.*

5· A radice hebraica *carab*, deriuatur *curban*, & *carban*, scilicet *oblatio, munus, sacrificium.* Ad latinam ergo expressionem, dictum est in *corbonam.* Et quia non videbatur eis sanguinis pretium decenter in oblationes faciendas Deo expendi, retulit Euangelista dixisse; *non licet eos mittere in corbonam*; metonymiæ tropo, pro in ærarium seu gazophylacium; vt ait Tirinus. Sed hic animaduertendum sacro ex textu clarere, excessisse impios emendo vitam hominis pretio, vt ipsimet vel inuiti fatentur; *quia pretium sanguinis est.* Inauditum enim perpetrarunt facinus, nusquam honestandum; quando lex, quæ tot eis præscripserat, in simili nihil disposuit. Neque enim vbi iusta sit causa mortis, opus est reum pretio tenere & dolo. Exleges ergo deprehenduntur, factum, de quo ceu inopinabili nihil lex sanxit, versantes. Verùm quemadmodum Christum Ioan. 15. *odio habuerunt gratis*, ita gratis effutiunt, esse & ipsius pretium inuisum Deo, & abominabile: quasi & de ipso etiam cautum esset: sicuti Deuteronomij 23. legitur; *non offeres mercedem prostibuli; nec pretium canis in domo Domini Dei tui: quicquid aliud est quod voueris: quia abominatio est vtrunque apud Dominum Deum tuum.* At nullum quantumcunque enorme malum, inordinatum est Deo: qui eorum perfidiam cogitatuum alta dispensatione arcano facit subseruire mysterio; siquidem, vt mox sequitur.

VERS. VII. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.*

Augustinus in Serm. de cœna Domini de temp. 127. *prouidentia autem Dei factum puto; vt pretium Saluatoris, non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret; non sacrilegis fit ad luxum, sed defunctis fit ad sepulcrum: vt iam exinde Christus, & viuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos pretiosa possessione suscipiat.* Canit Ecclesia Christo in Templi reconciliatione; *tu agri huius es pretium; tu quietis nostræ ager: tu de pretio & in pretio tui viuifici sanguinis, nos quiescere fecisti:* Idem Augustinus pergens ait; *ager iste, Mundus hic totus est: figulus autem, qui Mundi possit habere dominatum, ipse est, qui vascula corporis nostri fecit de limo. Istius itaque figuli ager Christi sanguine emptus est. Peregrinis inquam, qui sine domo, patria, & toto Orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur.* Ad hæc legimus Isaiæ 29. *quasi lutum contra figulum cogitet; & dicat opus factori suo*, &c. Et Ieremiæ 18. *ecce sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea, domus Israel.* Et Roman. 9. *an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Item 1. Corinth. 6. *empti estis pretio magno.* Et 1. Petri 1. *scientes, quòd non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Quare metonymicè dicas hic emi agrum, continens pro contento. Et quidem *in sepulturam peregrinorum*, prout decantant Scripturæ; *peregrinamur à Domino*; 2. Corinth. 4. psal. 38. *aduena ego sum apud te, & peregrinus; sicut omnes Patres mei.* Et Hebr. 11. *confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.* Sicut ergo ait Sanctus Leo Papa Serm. 2. de Epiphania; *sæuitia Herodis volens primordia suspecti sibi Regis extinguere, huic dispensationi nesciens seruiebat; vt dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum, indiscreta infantium cæde persequitur, annunciatum cælitus Dominatoris ortum, insignior vbique fama loqueretur*; sic dicamus eò, diuina prouidentia, Sacerdotum impiorum consilium de agro emendo figuli collimasse; vt in tali facto arcana Dei mysteria occluderentur. Neque enim perperam ager ille

ille adnominatus fuit *ager sanguinis*. Similiter non sine causa adiecit Matthæus, *vsque in hodiernum diem*, quod ex Glossa *referendum est ad tempus, quo Euangelista hoc scripsit*. Cæterum Matthæus non tam de historia, quàm de allusione alia fuit solicitus, nimirum vt indicaret, necis ab impijs Christo illatæ permansuram perpetuò, quousque decurrent sæcula, contestationem. Dic Ieremiæ 17. *peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino:* quod Eusebius lib. 10. demonstrationis c. 5. applicat Christicidio. Notatur autem ex Tirino, *vsque in hodiernum diem*; quia talis locus semel sic profanatus, non poterat alteri deinceps vsui deseruire: vnde nec anno Iubilæi redibat instar aliorum agrorum (Leuitici 25.) ad primum hæredem. Ne autem suspicari possit incredulus, gratis hoc ab Euangelista referri, commemoratur nomen illi agro impositum; nimirum *Haceldema: dam* hebraicè *sanguis* dicitur; Chaldaicè autem aut syriacè *hacel* significat *agrum*. Sanè constantissimum est eruditis, linguam, quæ Christi tempore in Iudæa vulgaris erat, non fuisse purè hebræam, sed mistam; vt sunt linguæ, Syrorum, Chaldæorum, Arabum, & aliarum multarum orientalium nationum.

VERS. IX. *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam*; &c.

7. Ieremiæ 32. versu 7. legitur de agro quodam empto; cuius profectò venditio attentis circumstantijs nullo modo ad Matthæi allegationem facere videtur. Diuus Augustinus nihilominus concinnat hanc Ieremiæ emptionem agri cum Zachariæ oraculo adiecto ab Euangelista, licèt non omnino verbis eisdem: probatque, studiosè allegatum Ieremiam, *vt non inuento testimonio de triginta argenteis, inuento tamen agro empto, admoneatur lector vtrumque conferre, & inde sensum enucleare Prophetiæ; quomodo pertineat ad hoc, quod in Domino completum est*. Censet autem item Augustinus, Matthæo reuelatum fuisse, factum quoque Ieremiæ prælusisse mysticè pretio Christi impenso in agrum: & hoc astruit, quoniam aliqua quæ Matthæus addit; vtpote ly *quem appretiauerunt a filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli; sicut constituit mihi Dominus*; nec apud Ieremiam, nec apud Zachariam reperiuntur. Arbitratur ergo, Matthæum non tam allegare, quàm colligare & exponere Prophetas ambos. Hinc & Hieronymus, de optimo genere interpretandi; *absit de pedisequo Christi, quod possit argui de falso; cui cura fuit, non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*. Potest autem rei huius quadrantissimum ferri exemplum ex Marci capite 1. vbi ait; *sicut scriptum est in Isaia Propheta; ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto; parate viam Domini, rectas facite semitas eius*. Quocirca Chrysostomus; *duas Prophetias in diuersis locis dictas à duobus Prophetis, in vnum congregans, posuit. In Isaia enim Propheta* (cap. 40.) *extat; vox clamantis in deserto: in Malachia verò*; (c. 3.) *ecce ego mitto Angelum meum. Duas ergo Prophetias posuit vt ab Isaia dictas*. Beda; *etsi non hæc verba inueniuntur in Isaia; sensus tamen illorum inuenitur in multis alijs locis; & manifestius in hoc quod subiunxit; vox clamantis in deserto. Nam quod dixit Malachias mittendum Angelum, ante faciem Domini, qui præpararet viam eius; hoc est quod dixit Isaias, vocem clamantis in deserto audiendam, quæ diceret, parate viam Domini: in vtraque autem sententia similiter paranda via Domini prædicatur*. Dicamus ergo, præscium Ieremiam passionis Christi, proinde & circumstantiarum dum iubetur à Deo emere agrum, euolasse mente ad futurum euentum; quando Christus Dominus pretio sui sanguinis, agrum præsertim mysticè comparaturus sibi erat. Et ideo dum factum hoc litteris mandaret, ad illud calamum direxisse, quod expressius Zacharias diceret. Et hoc, quia vt adnotat Tirinus in Zachariam: *quicquid per cæteros Prophetas sparsim prædictum fuit à Deo, in vno Zacharia, quasi in memoriali seu compendio reperitur*. Quod ergo palam dicit Zacharias, quis ambigat ab aliquo alio Dei Propheta tangi? vtique ab Ieremia, qui agri emptionem fecit; ceu typus Christi. Matthæus itaque Spiritus-Sancti maiori illustratione tactus, non Zachariæ sed Ieremiæ qui Zachariam præcessit, maluit meminisse. Et corroboratur quod diximus, quia ex doctrina Angelici; Prophetæ Q quandoque mouentur à Deo ad aliquid propheticè faciendum; sicut idem Ieremias cap. 13. abscondit lumbare in Euphrate. Sic ergo propheticè dicendus & agrum emisse, quod callens Matthæus exposuit, allegans Ieremiam impræsentiarum, & subiciens Zachariam, qui clarius verbis adtexuit oraculum suum facto Ieremiæ. Neque obsit quod habet Matthæus; *sicut dictum est per Ieremiam Prophetam*, quasi nequeat sustineri dixisse hoc Ieremiam, cum nihil de hoc in Ieremia legatur: quoniam, vt alias ait Augustinus tract. 44. in Ioannem, opera etiam verborum obtinent vim, *quia signa sunt*. Non absimiliter loquens Angelicus R de loco, in quo Abraham Genesis 22. fuit filium suum Isaac immolaturus, dicit; *vt locum in quo erat Templum Dei condendum; & iuxta quem Christus erat immolandus, suo opere præmonstraret*. Sic aio ipse: præmonstrasse Ieremiam, dum emit agrum, quæ Christi tempore futura erat, agri figuli emptionem. Et certè dum ait Ieremias empturus agrum illum *intellexi quod verbum Domini esset*; fit hoc, vt adnotat Angelicus, S prophetali spiritu: aliàs stultum videbatur tali tempore agrum emere. Suberat autem intelligentia reditus ad proprios agros, expletis scilicet septuaginta annis; & spem hanc promouet Dominus emptione illa agri. *At propriè* (subdit Tirinus) *sunt hæc intelligenda de Iudæis ad Christum conuersis; & à captiuitate legis veteris ad libertatem legis translatis:* cuius translationis typus erat translatio è Chaldæa in patriam. Ita Sanctus Hieronymus, Rabanus, Hugo, Sanctus Thomas, & alij. Cur ergo, dixerim ego, non allegaret Matthæus hoc in facto Ieremiam? quando nihil prohibet, eodem mystico sensu philosophari de agro figuli, hic pretio Christi sanguinis empto. Quare dum Matthæus diuino correptus spiritu prompsit; *tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem; & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt a filijs Israel*: idem videtur esse, atque si clarius exprimeret: *Ieremias illa sua emptione, totum hoc dicit*: quod deinde apertius dixit Zacharias: nam vt scimus Hebr. 1. *multifariam multisque modis loquens Deus Patribus in Prophetis*. Et reuera quodammodo innuit huiusmodi interpretationem Matthæus; quippe qui prompsit diuino suo è penu; *in agrum figuli; sicut constituit mihi Dominus*. Neque enim nisi in Ieremia constitutum legimus à Domino de agri emptione. Ex hac ergo appendice, satis deducitur, Euangelistæ fuisse intentionem legentes reuocare ad Ieremiam; cui constitutum a Domino fuit; *eme tibi agrum meum*.

Diuus Augustinus generaliori ratione concedit, 8.
etiamsi speciatim Ieremias hoc non tangeret, Ieremiæ adscribi posse; vt scilicet insinuetur: *ita omnes Prophetas vno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare. Et hoc multò amplius [illegible] quàm si omnium verba Prophetarum, vno vnius hominis ore demonstrentur. Et ideo indubitanter [illegible] debet; quæcunque per eos Spiritus-Santus dixit, &*

singula

Q 1. 2. 9. 174. 4.

R Genesis 22.

S Ieremiæ 32.

ſingula eſſe omnium, & omnia ſingulorum. Vera profectò animaduertentia: quandoquidem hoc vno intuitu videntur Zacharias Lucæ 1. & Petrus in Actis cap. 3. ſingulare vſurpaſſe; dicendo; *ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius*: &, *Deus autem quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum ſuum, ſic impleuit*. Non inquiunt *per ora*, ſed *per os*. Veruntamen adhuc remanet quæſtio; quare hoc in loco potius quàm alibi diſpoſuerit Dominus de hoc fideles erudiri? itemque cur allegatus ſit magis Ieremias, quàm alter? cum æquè poſſet referri in Iſaiam, aut in alium ex Prophetis. Sed reſponderi poteſt, id factum eſſe ad peculiarem Ieremiæ commendationem;
T 1.p.17.6. eoquòd ipſe, vt vidimus, T ſuis paſſionibus Chriſti paſſionem expreſſiſſimè præfigurauit. Inde ergo præ alijs fuit delectus. Præterquam quoad agri emptionem ſeriò præluſit.

9. Hinc minimè cogimur ad aliàs cõfugere imaginationes, vt ſcilicet incuria librariorum, & deſcribentium irrepſerit in ſacrum contextum ly *Ieremiam*. Etſi enim plerique id putarint; quia textus ſyriacus & codices nonnulli latini, *Ieremiam* non habent: *plures & antiquiores*, vt teſtatur Auguſtinus habent *Ieremiæ* nomen. Et vt ipſe acutiſſimè conſiderat; nulli fuit cauſa, cur *adderetur hoc nomen, & fieret mendoſitas*? Potius *cur tolleretur, fuit vtique cauſa*; nempe, *vt prædicta quæſtione turbata, hoc audax imperitia faceret*. Certè difficile creditu eſt, vt quis in margine ſuperficietenus falſam ſcriberet allegationem, quam non prius clarè in Ieremia comperiſſet. Cur non potius Zachariam adieciſſet? cui affinior eſt litera. Neque ſic opinantibus ſuffragatur, non conſueuiſſe Matthæum exprimere Prophetarum quos citat nomina: quoniam aliquando quidem ita eſt; atqui non ſemper. Nam cap. 4. verſ. 14. legimus; *quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam*: & ſic cap. 8. v. 17. item cap. 12. v. 17. & palam cap. 2. verſu 17. habet; *tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem; vox in Rama audita eſt*. Forte famoſiora loca non curauit expreſſiori auctoritate munire; quædam autem minus cantata vel nota, Prophetæ nuncupatione ſignauit. Quemadmodum Hebr. 2. ſcriptum eſt; *teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens; quid eſt homo,*
V Hebr. 2.l.2. *quòd memor es eius?* V in quodam loco, noto ſcilicet & manifeſto. Et cap. 4. *dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic; & requieuit Deus*; &c. in
X Hebr. 4.l.1. quodam loco, X famoſo ſcilicet. Mitto ab aliquibus gratis aſtrui Zachariam Prophetam binomium fuiſſe, & appellatum aliquando Ieremiam. Cùm, etiamſi in contextu eſſet Zacharias, non omnino eſſet euacuata difficultas; eoquòd Zacharias nihil dicit de agro. Denique dum Eccleſia non eradit à contextu ly *Ieremiam*, argumento eſt, non tam facilè admitti poſſe falsè irrepſiſſe. Diuus Hieronymus ſe expedit latiùs, aſſeuerans in quodam Ieremiæ apocrypho legiſſe, quæ ad verbum ſcripſit Matthæus. *Legi*, inquit, *nuper in quodam hebraico volumine, quod nazarenæ ſectæ mihi hebræus obtulit, Ieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum ſcripta reperi*. Sed vt ait Rugerius in ſuis opuſculis; abſit à principio fuerit apocryphus; ſed poſt adulterationem in quibuſdam, à quo factam Deus ſcit: ſicuti dicitur Machab. 2. cap. 2. de deſcriptionibus Ieremiæ; quæ ab hebræis dolo ſubductæ aut adulteratæ in apocry-
A D. Th. hic. phis iacuerunt. Hic inquit Angelicus; A ſicut Iudas refert quædam ex apocrypho in canonica ſua. Nimirum in qua legimus; *prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam Henoch*, &c. Quocirca ex
B Iudæ Epiſt. gloſſa Angelicus; B liber de quo aſſumpſit hoc teſtimonium eſt apocryphus, ab alio quodam ſub nomine Henoch compoſitus; in quo libro multa incredibilia continentur. Vnde hæc Epiſtola Iudæ, quæ de apocrypho habet teſtimonium, priſcis temporibus à pleriſque reijciebatur; ſed iam auctoritate & vetuſtate, & vſu meruit, vt inter Sanctas Scripturas computetur. Maximè quia tale teſtimonium de apocrypho ſumpſit, quod non apocryphum & dubium, ſed vera luce eſſet perſpicuum. Licet enim de apocryphis teſtimonium veritatis aſſumere. Hac de re Tirinum videas.

VERS. XXI. *Ieſus autem ſtetit ante Præſidem*; &c.

Erat Pontius Pilatus totius Iudææ pro Tiberio 10.
Gubernator; vt claret ex Lucæ 3. *anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris; procurante Pontio Pilato Iudæam*. Hoc longè ante præſciuit prænunciauitque Dauid dicens; *aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum*; &c. quia, vt confirmatur in Actis c. 4. *conuenerunt verè Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael, aduerſus Ieſum*. Adde ex Lucæ 23. conueniſſe; quia *facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die; nam antea inimici erant ad inuicem*. Porrò non eſt Matthæi propoſitio ſolùm in ſuperficie tenenda; ſed alta conſideratione penſanda, tanquàm admirabundo deſcripta calamo; ſtetiſſe ſcilicet Ieſum ante Præſidem. In primis ſtupore dignum eſt, vt qui conſtitutus erat iudex viuorum & mortuorum, ante Præſidem ſiſteretur iudicandus. Deinde ille, cui aſtat multitudo Angelorum, ſtat ante hominem? Stat de quo dictum eſt in pſal. 109. à Domino; *ſede à dextris meis*. Stat etiam ante Præſidem, vt inflexibilis innoteſcat conſtantia, qua morti obuiat; vt quemadmodum de naturæ noſtræ communione dixerat, *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, quando cœpit *pauere & tædere, prociditque in faciem ſuam*; nunc impauido corde robur Diuinitatis oſtendat: nam, vt ait Chryſoſtomus, *non mors eum vrgebat; ſed ipſe magis aduerſus ſe compellebat mortem*. Denique ex illo Apocalypſis 8. *& alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare*; quod explicatur de Christo,
C in quantum fuit paratus & affectuoſus ſe immolare in Cruce, quæ eſt Altare, in quo oblatus eſt; dicamus, ſtetiſſe ante Præſidem hac eadem amantiſſima ad moriendum propenſione: Lucæ 12. *quomodo coarctor vſque dum perficiatur*. 1. Petri 2. *tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*; C Apoc. 8.

VERS. eodem. *Dicit illi* (Præſidi) Ieſus; *tu dicis*.

Sic breuiloquio reſpondet interrogatus à Pilato, 11.
tu es Rex Iudæorum? Chriſtus hoc verbo quis eſſet conteſtatus eſt: quandoquidem Apoſtolus 1. ad Timotheum 6. ait; *præcipio tibi coram Deo, qui viuificat mortuos; & Christo Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem*. Chriſtus enim confeſſus eſt D ſe eſſe filium Dei; quod D 1. Tim. 6. l. 2.
eſt bona confeſſio fidei noſtræ. Huc aduoca pro intelligentia, quod tradit Angelicus; E nimirum quod E 1. p. 59. 1. 2.
regiam dignitatem Chriſtus habet ex hoc ipſo, quod eſt Vnigenitus Dei. Dicitur enim Lucæ 1. *dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius; & regnabit in Domo Iacob in æternum*. Cohæret autem vaticinio Dauidico approbatiua iſthæc reſponſio: nam pſ. 2. legitur; *ego autem coſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius*. Per Dauid F Chriſtus F pſal. 2. lit. a.
ipſe ſignificatur. Rex ſuper Sion, ideſt ſuper populum Iudæorum; G qui erat in Ieruſalem, cuius Arx G ibi lit. d.
eſt Sion: quæ dicitur mons ſanctus; quia prius recepit radios Solis. Verum, vt ait Auguſtinus Tract. 50. in Ioannem, *non autem Rex Chriſtus dicitur, ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos; ſed quòd mentes regat, & quòd in Regnum Cœlorum credentes ſperantes amanteſque perducat*. Ieremiæ 23. *regnabit*

gnat Rex. Sanè præuenit Sanctum idem psalmus; in quo adiectum est de quo regimine; *prædicans præceptum eius*. Veruntamen signanter primo in limine dispositum est à Deo, sic Christum interro-

H 3.p.59. 3.1. & a. 4.1. gari, & interrogationi fieri satis; H quia, vt docemur, iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem iuxta illud Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*. Vnde occluditur sensus sublimior; ac si diceret; ego qui nunc à te iudicor, dum sistor ante te quasi reus, Iudex vniuersorum constitutus sum; secundùm illud Iob 36. *causa tua quasi impij iudicata est: causam iudiciumque recipies*. Tantum autem abest, Christus Mundi regnum ambierit, vt palam relatu Ioannis cap. 18. fusiori dixerit; *regnum meum non est de hoc Mundo*: & Lucæ 12. cùm quidam de turba Christo diceret, *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*; responderit; *homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?*

I 2. 4. tit. ad 1. Igitur quamuis I esset Rex constitutus à Deo; non tamen in terris viuens terrenum regnum temporaliter administrare voluit. Et similiter iudiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad diuina transferre. Vnde Ambrosius dicit; *bene terrena declinat, qui propter diuina descenderat; nec Iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum*. Quoniam verò Isaiæ 53. ad illud, *de angustia & de iudicio sublatus est*; legunt Septuaginta sicuti Actor. 8. *in humilitate iudicium eius sublatum est*; Iesu hic humilitas emicat: nam habet Angeli-

L Opusc. 6.5. passus sub Pontio. cus; L si quæris exemplum humilitatis, respice crucifixum; qui iudicari voluit sub Pontio Pilato. Idcirco crediderim in Symbolo expressum esse, *sub Pōtio Pilato*; ad commendandam scilicet tantam humilitatem, qua nunc sistitur ante hominem iudicandus vsque ad mortem, homo-Deus.

VERS. XII. *Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & senioribus, nihil respondit*.

12. Quàm verum est Isaiæ vaticinium cap. 53. *quasi agnus coram tondente se obmutesces!* Et psalm. 37. *ego autem tanquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens; & non habens in ore suo redargutiones*. Vt quid responderet? *vbi auditus non est, non effundas sermonem*. Hieronymus; *attende autem, quòd Pilato, qui inuitus promebat sententiam, aliqua ex parte respondit; Senioribus autem & Principibus Sacerdotum respondere noluit; indignos eos suo sermone iudicans*. Sanè vt ait Chrysostomus; *in ipsum indignabantur, & peruerso iudicio agebantur contra ipsum; propter hoc nihil respondet; & si aliquando respondet, breuia quidem dicit, ne continua taciturnitate, pertinaciæ opinio de ipso accipiatur*. Fert Lucas cap. 22. antequam sisteretur Præsidi, respondisse Iudæis: *si vobis dixero, non credetis mihi; si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis*. Sic ibidem cap. 23. *interrogabat eum* (Herodes) *multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat*. Cæterùm cùm de multis accusaretur; *hunc inuenimus subuertentem Gentem nostram*, &c. vt apud Lucam, non sine causa (quod dicit Matthæus) Præses mirabatur *vehementer*. Origenes; *miratus est autem Præses constantiam eius: dignum enim ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus Christus ad criminale iudicium, tranquilla & quieta sapientia, imperturbabilis staret ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis æstimatur*. Immo omnium terribilium, maximè terribile est mors, vt dicitur in 3. Ethic. cap. 6. Sed ipse mirandum aliud detego: nimirum quia seruato iustitiæ

M 2.2.69. 4 3. & qu. 70.1. ordine, licitum est mortis condemnationem M præpedire proximo; & non modò licitum, sed debitum est. Vnde ad liberandum hominem vel ab iniusta morte, seu pœna quacunque, vel à falsa infamia vel aliquo damno, tenetur homo ad testificandum. Et si eius testimonium non requiratur, tenetur facere, quod in se est, vt veritatem denunciet alicui, qui ad hoc possit prodesse: Prouerb. 24. *erue eos, qui ducuntur ad mortem; & eos qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses*. Sicut Sanctissimus Nicolaus audiens trium iuuenum innocentum necem, præcucurrit quantocyus ad locum, in quo fuerant plectendi, & liberauit eos. Videtur ergo debuisse Christus se à calumnijs falsisque accusationibus expurgare; ne quasi diceretur se ipsum occidere; quod N est pec- N 2.2.64. 5 ad 3.
catum grauissimum. Veruntamen isthæc admiratio sublime prodit mysterium: quod nulla criminis labe, per mortem suam consummare Iesus decreuerat. *Sciens*, inquit Ioannes, *Iesus omnia quæ ventura erant*. Prænouerat Pilati culpam & facinus Iudæorum. Vnde sic *vsus est Iudæorum malitia; vt intentione facinoris*, quod ait Leo Papa in Serm. *voluntas sit impleta miserentis*. Hinc emicat propheticum illud Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*.
Etsi, quod ait Angelicus, O ad fortitudinem pertinet, quòd aliquis ab alio mortem pati non refugiat, O 2.2.64. 5.5.
propter bonum virtutis; & vt vitet peccatum: incomparabiliter decentius fuit, vt quanquam iniustissimè, sibi inferendam non refugeret Christus necem: quando vt prædixit Isaias eo cap. 23. *posuerit pro peccato animam suam, viderit semen longæuum*: ipseque contestatus est Ioannis 12. *nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et Apostolus Hebr. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Denique Petrus in 1. cap. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est; iustus pro iniustis*, &c. *Vix enim*, vt dicitur Rom. 5. *pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan, quis audeat mori?* Christus autem, cùm adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Ecce quare insolito procedendi ordine Christus Dominus, nec interrogatus responderit, nec innocentiam suam defenderit: sed potius, vt ait idem Diuus Petrus cap. 2. *tradiderit iudicanti se iniustè*; quia ex tali iudicio, *iudicium erat Mundi, & Princeps Mundi huius eyciendus erat foras*; vt ibidem Ioann. 12. Aliàs satis constabat Præsidi, nullius culpæ reitate notari Christum: de quo ipsemet fassus est: *ego nullam inuenio causam in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis: quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo*; Lucæ 23. & hîc: *innocens ego sum à sanguine iusti huius*. Sciebat enim *quòd per inuidiam tradidissent eum*. Et iam tumultuarius confusus inconstans & seductorius impiorum conuentus, importuno eo festiuitatis tempore, insanas eorum calumnias commonstrabat. Odio quippe & furore ac diabolico œstro correpti, obtinuerunt in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant. Quæ præscius in psalmo 21. canit Propheta dicens in Christi persona; *circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me*. Propterea; *tu autem Domine, ne elongaueris auxilium tuum a me; ad defensionem meam conspice. liberator meus* (psalm. 17.) *de inimicis meis iracundis*. Huc mirè facit psalmus 108. *Deus laudem meam ne tacueris; quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersùm me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Et posuerunt aduersùm me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea*; &c. allegoricè enim ex Augustino & Theodoreto; & patet ex Actis cap. 1. in Iudam proditorem & in Iudæos calumniatores compositus est.

Isaiæ

Isaiæ 3. *lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum.*

VERS. XV. *Per diem autem solemnem consueuerat Præses, populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent.*

13. Studuisse Pilatum à morte Christum eruere, multis constat. Sic firmatur Christi innocentia; tum quia Præses qui iudex erat, iustum pronunciat; tum quia nulla poterat esse suspicio peruersi iudicij, quando nec auri vis nec consuetudinis alicuius affectus Præsidis pulsauerat animum. Adeo autem manifesta fuit Pilato iniquitas, si eum damnaret; vt non suffragante æquitatis iure, ad facti seu moris remedium confugerit; dicens; *quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Iesum qui dicitur Christus?* Chrysostomus in homilia: *quasi dicat; si non vultis sicut innocentem dimittere, saltem sicut condemnatum festiuitati dimittatis. Si enim oportebat in peccatis manifestis existentem dimittere, multo magis in dubijs.* Fert Angelicus illud Ieremiæ 8. *apprehenderunt mendacium: noluerunt reuerti. At illi dixerunt, Barabbam*: siquidem vt ait sacer textus; *Principes autem Sacerdotum & seniores, persuaserunt populis, vt peterent Barabbam.* Populi, quos prius timebant Principes Sacerdotum, dicentes, *non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*, Principes ipsos timent, & persuasioni acquiescunt: sicuti, quod ait Ioannes cap. 7. quamuis *quidam dicebant, quia bonus est; nemo palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.* Hoc obijcit eis Petrus Act. 3. vt ad pœnitendum reuocet, dicens de Iesu; *quem vos tradidistis & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis; & petistis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfecistis;* &c. *pœnitemini igitur & conuertimini.* Doctrina est præsolida, nunquam licere
P 2. 2. 64. 6. 1. occidere innocentem; P itemque si sententia intolerabilem errorem contineat, non licere ministro iudici obedire: aliàs excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Nunc si placet, videamus, an fuerit intolerabilis error, Christum petere crucifigi. *Quid enim mali fecit?* adiecit Pilatus. Intolerabilis certè est error, vt populus vicem iudicis obeat; & sententiam pronunciet, quam iudex ipse non audet pronunciare. Immo contestatus fuerat; *nullam causam inuenio* (Lucæ 23.) *in homine isto ex his in quibus eum accusatis.* Accusationes fuere huiusmodi. (ibidem) *Hunc inuenimus subuertentem plebem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari; & dicentem se Christum Regem esse.* Vnde subdit Pilatus; *obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum; & ecce coram vobis interrogans nullam causam inuenio:* &c. Nihil ergo contra Iesum potuit comprobari: & ita fuerunt ficta crimina, falsi accusatores, testes mendaces: *non enim erant*, vt supra, *conuenientia testimonia, cùm multi falsi testes accessissent.* Animaduertit Chrysostomus, quoad legalia potiùs in corde Iudæos malè sensisse de Christo. Vnde Ioannis 9. *dicebant ex Pharisæis quidam* (cùm aperuit oculos cæci, nati) *non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit: sed quia*, inquit, *sciebant Pilatum, nullam curam facientem legalium, ad publicas accusationes rem ducunt.* At neque in his deliquisse notorium erat. Pulchrè siquidem ait Leo Papa in Serm. 8. de passione. *Quid eum grauari sinis, ò Pilate, de affectata potentia, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? Romanis legibus non contradixit: censum subijt, didrachma soluit: vectigalia non inhibuit; quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddenda constituit.* Et priùs; *sed formidabile fuerit nomen regium, si dominandi consilium tyrannicus prodidit apparatus; si prouisio armorum, si congregatio diuitiarum, si præsidia detecta sunt militum. Quare de terrenis calumniantur, qui cœlestia persequuntur?* Quomodo deinde contrarium Cæsari incusant, de quo ipsimet in Concilio Ioannis 11. dixerunt; *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent locum nostrum & Gentem?* Constat igitur iniustissimè & merito & ordine impios Christi necem expetiuisse; notoriumque homicidam sibi dimitti potiùs inhumaniter postulasse, vique tumultuaria obtinuisse, vt nedum moreretur sed *morte turpissima*: quo & magis eorum odia exaturarentur: quandoquidem vt notat Rabanus; *pendentes in ligno crucifixi, clauisque ad lignum pedibus manibusque confixi producta morte necabantur: & diu viuebant in cruce, non quia longior vita eligebatur; sed quia mors ipsa protendebatur; ne dolor citiùs finiretur.* Act. 13. *qui habitabant Ierusalem & Principes eius, hunc ignorantes & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, indicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.* At non tunc primò machinata est impietas innocentis necem. Sic Genesis 4. *consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Sic cap. 37. conspirantes fratres in Ioseph dixerunt; *venite, occidamus eum.* Sic Ieremiæ 26. dixit ipsemet Ieremias *ad omnes Principes & vniuersum populum; scitote, & cognoscite, quia si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis, contra vosmetipsos, & contra Ciuitatem istam, & habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hæc.* Quæ liquet in Christi figuram fuisse. Et vide qua certitudine impletur Ieremiæ vaticinium; siquidem hic respondent, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Quocirca Chrysostomus in hom. *intuere autem & hic Iudæorum multam insaniam: eorum enim impietas, & perniciosa concupiscentia non permittit eos, quæ oportet, inspicere; & sibi maledicunt dicentes; sanguis eius super nos;* &c. *quid ad filios maledictionem attrahunt?* Augustinus in quodam serm. de passione, ad hæc: *ecce quæ bona ad hæredes suos, quodam sacrilegij testimonio transmittunt: macula sanguinis se perfundunt, & posteros perimunt.* Sanctus Vincentius fert, Iudæos qui ex horum genere nascuntur, habere manum dexteram plenam sanguine capiti innixam. *Sed tamen misericors Deus eorum sententiam non firmauit; sed ex eis & eorum filijs suscepit, qui pœnitentiam egerunt: etenim & Paulus ex ipsis fuit; & multa millia eorum, qui erant Ierosolymis, crediderunt.* Quare quod assumit Angelicus; Q sanguis Q 2. 2. 108. 4. 1.
etiam Christi pœnæ reddit obnoxios successores Iudæorum, qui dixerunt, *sanguis eius super nos & super filios nostros*, intelligendum est ex responsione ibi allata; in quantùm eorum filij Patrum vestigijs inhærent: *non enim*, ait Augustinus, prout fertur in Canonicam, R *minus peccant, qui Deum blasphe-* R 1. Petri 2. de malo q. 4. a. 8. ad 9.
mant iam regnantem in Cœlis, quàm qui eum crucifixerunt adhuc mortalem in terris. Et ita Angelicus de malo; sanguis Christi obligat filios Iudæorum, in quantùm sunt imitatores paternæ malitiæ ipsam approbando.

VERS. XIX. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius;* &c.

Contestata est vxor Pilati marito, se somniasse si- 14.
bimet noxia in causa Christi: ideoque verita, ne si Pilatus se iuxta petita ingereret, quid mali & ærumnæ domui accideret, commonefacit seriò dicens, *nihil tibi & iusto illi.* Oportet vt nocte ipsa (seu potiùs diluculo, quia inquit *hodie*) qua Christus in horto captus est, aut vespere, cum iàm destinasset capiendum, Pilati vxor id præaudisset: ea enim, vt docemur, S occurrunt hominis phantasiæ in dor- S 2. 2. 95. 6.
miendo

miendo, circa quæ eius cogitatio & affectio fuit immorata in vigilando. *Pectore sopito quæ passim vota, diurno tempore voluuntur, reddit amica quies.* Dic ergo super has, quas de Christi captione acceperat similitudines, mulieris illius phantasticum discurrisse, & quæ ipsam perturbarent angerentque in somnio emersisse: indeque excitatam, ne fortè quæ in somnis viderat, euenirent, monuisse ad cautelam maritum; *nihil tibi, & iusto illi.* Quamuis enim ex præhabitis huiusmodi cogitationibus, nulla sit ratio timendi futuros euentus, quorum causa nequit esse præfata cogitationum sibimet occursantium repræsentatio; nihilominus potuit meticulosa mulier dubitare: præsertim si adfuit causa aliqua exterior spiritualis visi illius. Spiritualis autem causa T est quandoque quidem à Deo, qui ministerio Angelorum, aliqua hominibus reuelat in somnijs. Quandoque verò operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent. Et quoniam peccatum maximum erat occidi Christum, astruit hic Angelicus, esse potuisse per Angelos bonos huiusmodi somnium: quia verò ex Christi passione tantus sequebatur fructus: ideo, inquit, diabolus iam percipiens eum esse Deum, & timens per passionem potestatem amittere, sicut in mente Iudæ posuerat, vt eum traderet, sic & modò voluit impedire. Ita Rabanus; *tunc diabolus demum intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primùm per mulierem mortem intulerat; ita modò per mulierem, vult Christum de manibus Iudæorum liberare, ne per eius mortem, mortis amittat imperium.* Quocirca recolendum est, Dæmones Incarnationis mysterium, nempe Christi Diuinitatē certa & firma notitia ex Chrysostomo V non cognouisse;sed per quasdam solummodo coniecturas. Et si dicas, quas coniecturas de nouo potuerunt dæmones animaduertisse? Responderem in primis, in horto, quando *ceciderunt retrorsum*, audito *ego sum:* deinde ex admirabili tolerantia ipsius, cum sputa & alapas & opprobria contempsit: denique ex constantia heroica ante Præsidem. Vnde quia vt ait Apostolus 1. Corinth. 2. *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* idest *crucifigi suggessissent, vt dicit glossa*, de dæmonibus loquens: videtur dicendum ex aucta, quam aliàs præhabuerant suspicione, consultiùs potuisse æstimare, si quaqua via auerterent Christi necem. Videtur ergo mihi diabolus ceu stultus (Prouerb. 15. *cor stultorum dissimile*) modò voluisse mox noluisse, & è contra, Christi mortem. Ait tamen August. 9. de Ciuitate Dei cap. 21. *Christus tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit.* Hinc tamen duo emicant: primum, quod ait Osee cap. 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum:* neque enim destitit Deus Iudæos à tanto scelere dimouere. Secundum, vel in ore duorum, & Pilati & vxoris eius, Iesum iustum decantari: *innocens ego sum à sanguine iusti huius: & nihil tibi, & iusto illi.*

T ibidem & hic.

V opusc. 60. a. 1. 1. Cor. 2. l. 2. & 5. p. 44. 1, 2.

VERS. XXVI. *Tunc dimisit illis Barabbam; Iesum verò tradidit eis, vt crucifigeretur.*

15. *Iudæi*, vt ait Leo Papa Serm. 8. de passione, *diuino iure neglecto, tanquam Romanis deuoti legibus, expetierunt executorem magis sæuitiæ, quàm arbitrum causæ; & obtinuerunt in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant. Sed imprudenter Pilate timuisti, qui dereliquisti iudicium proprium, & in crimen transijsti alienum. Excessit tamen Pilati culpam facinus Iudæorum; qui illum nomine Cæsaris territum ad effectum sui sceleris impulerunt. Sed nec ipse euasit reatum.*

VERS. XXVII. *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in Prætorium, &c.*

16. Quæ sequuntur de Christi læsione & irrisione ex Augustino Matthæus *recapitulando commemorat;* *non quòd tunc factum sit, cùm eum Pilatus crucifigendum tradidisset: Ioannes enim (cap. 19.) antequam diceret, quòd eum Pilatus crucifigendum tradiderit, ista commemorauit.* Et reuera innuit Matthæus ipse huiusmodi præteritorum recapitulationem; ex quo ait, *Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur;* non dicit flagellandum: quare iam congregata fuerant super eum flagella: & *tunc* etiam *congregauerunt vniuersam cohortem, exuentes eum, &c.* Chrysostomus in homilia: *quod fiebat in Christum, vltimus terminus contumeliæ erat: nec vna particula tantùm, sed vniuersum corpus patiebatur iniurias: caput per coronam; dextera per arundinem;* (pro sceptro) *facies quia in spuebatur; genæ quia alapis cædebantur; corpus totum per flagella, & quia denudatum est, & per circumdationem chlamydis;* (pro regio paludamento, quam miles quispiam iam detritam abiecerat) *denique per fictam adorationem.* Benè meditatur Angelicus; *illusoria corona; illusoria vestis; illusoria salutatio.* Tunc dic impletum illud Thren. 3. *dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs.* Et Isaiæ 50. *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Existimo autem signanter dixisse Ioannem; *apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit;* vt indicaret ingentem percussionum numerum: quia Pilatus non eam Iudæorum legem seruabat; quæ Deuteronomij 25. præcipit; *sin autem eum, qui peccauit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari: pro mensura peccati erit & plagarum modus; ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant; ne fœdè laceratus ante oculos tuos, abeat frater tuus.* Allucinatus hic impius Caluinus ausus est negare Christum fuisse alligatum columnæ: fortè quia lex dicit *prosternent:* sed Iudæi non flagellarunt Christum; benè verò *Pilatus:* non tamen proprijs, sed lictorum manibus, intelligendum est, vt notat Hieronymus. Vnde meritò contuendum est, eum indicari morem, qui erat Romanis; damnatos scilicet ad mortem, maximè verò crucifigendos, etsi liberi essent, quasi iam viles factos & seruos flagellare, vt recentiores demonstrant. Et iam Hieronymus hanc nobis eruditionem reliquit dicens; *sciendum autem, Pilatum Romanis legibus ministrasse; quibus sancitum est, vt qui crucifigitur, priùs flagellis verberetur. Volue & reuolue*, aiebat Bernardus, *corpus Dominicum; & non inuenies in eo, nisi dolorem & cruorem.* Sanè præscierat Isaias c. 53. *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Augustinus in Serm. de passione; *ecce Dominus aptatur ad verbera, ecce iam cæditur: rumpit sanctam cutem violentia flagellorum; repetitis vicibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt.* Caput spinis septuaginta duo vulnera pertulit ex Diuo Vincentio. Sanctus Leo Papa; *quòd ergo Pilatus Iesum dehonestari ludibrijs, vexari permisit iniurijs; quòdque eum flagellis cæsum, spinis coronatum, & amictu irrisoriæ vestis indutum ostentauit; mitigandos inimicorum animos existimauit; vt exaturatis odijs, non vltra iam crederent persequendum, quem tot modis intuebantur afflictum.* Augustinus; *feruet ignominia, frigescat inuidia.* Sed vrsina rabies, tigrina sæuitia surdescit: ne scilicet, *resipiscant* (2. ad Timoth. 2.) *à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipsius voluntatem.* Et cùm *exiuit Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum* (Ioann. 19.) *& dicit eis* (Pilatus) *ecce homo: cùm vidissent eum Pontifices & ministri clamabant dicentes, crucifige, crucifige eum.* Qualis tunc esset Christi Domini vultus, legimus in Isaia eo cap. 53. vbi nobis ipsum viua hypotyposi ob oculos subijcit; *non est*, inquit, *species ei neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus; & desiderauimus eum, despectum & nouissimum virorum; virum dolorum & scientem infirmitatem:*

Rrr

tatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus: vnde nec reputauimus eum. Fas sit dicamus, idcirco in truncam eam orationem erupisse Pilatum; *ecce homo*: vel vt perpenderent admirabundi, quò miseriæ & ignominiæ redactus erat homo; vel non vltra Iesum dicerent crucifigendum; quem vix agnoscerent hominem. Tandem, ne exuerent humanitatem commonefecit, dicendo; *ecce homo*, vestræ naturæ consors, vnius vobiscum speciei, semiuiuus liuori vestro à me exhibitus: *pascitur in viuis liuor; post fata quiescit*. Quid vltra sæuire in præmortuum, nisi insanitis? At psalmus (68.) hac omnia edisserit: *quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ*. Cæterum Dominus, qui mori venerat, audita cruce imperterritus tacuit, fermè subscribens sententiæ, factus exemplar patientiæ; qua superhumana munitus tot in tormentis & sannis, nec verbo, nec motu, nec nutu, quasi quid nimis essent, indoluit. Sapient. 2. *contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius*. Et in collecta; *vt & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur*.

VERS. XXXI. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius*.

17. Pilatus ergo, vt ait Lucas, *adiudicauit fieri petitionem eorum Iesumque tradidit voluntati eorum*. Iudicis rectè iudicantis est iudicare secundùm allegata & probata; nunc peruersissima iuris extorsione condescendit Iudex inuidis iuxta petita. Auditum est aliàs damnari falsis ex testibus innocentes, deductis scilicet personata veritate criminibus: at nusquam insontem damnari, vbi assertorum facinorum nec plena nec semiplena constet probatio. Sanè pœna talionis falsò ex industria accusantibus debebatur: quemadmodum lex ipsorum sanxerat Exodi 21. *oculum*
X 2. 2. *pro oculo; dentem pro dente*, vt claret ex X commu-
69. 1. ni doctrina. Sed quod habet Chrysostomus hom. 49. de Ioannis Baptistæ nece, liceat hic similiter vsurpare: *Deus autem sustinuit; nec terræ hiatu turpissimum illud est absorptum concilium, vt Christus fulgentissimam coronam in Cœlo consequeretur: & qui postea iniuriam passuri essent, hoc exemplo corroborati æquiori animo cuncta perferrent*. Igitur ludibrijs tot non contenti, cohors illa impijssima præsto est, vt ei mortem inferat; quæ item ei sit in opprobrium: aggressique fermè tot ex tormentis exanimem exuunt illusorijs insignijs, & *induunt eum vestimentis eius*. Hoc ex facto satis elucet, quomodo languesceret sanctissima illa humanitas. Qui *miseratus nostram mortalitatem*, vt inquit Athanasius, *induit illam*, modò fit impos induere vestimenta sua: vnde ab ipsis & expoliatur & induitur. Diuus Vincentius meditatur, illam purpuram cõgelato sanguine compactam vulneribus absque maximis doloribus euelli non potuisse. Fas est etiam dicamus, idcirco denarratum id esse, vt præpeditus vinculis intelligatur. Vsque ad crucem indubitanter vinxerunt eum: veruntamen ter, non sine mysterio commemorari existimo, nempe in horto; Ioan. 18. *comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum*: item, *misit eum Annas ligatum ad Caipham*: & apud Matthæum, *vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi*; siue vt ait Marcus, *vincientes Iesum*. Triplex quippe est genus peccati, originale, mortale, veniale: peccamus ex malitia, ex passione, ex ignorantia: cogitatione, verbo & opere: Prouerb. 5. *iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. Augustinus; *& ligauerunt eum, à quo solui potius velle debuerant*. Supra c. 16. *quodcunque solueris super terram*. Voluit & hoc pati Dominus verè iniurium. Vnde canimus; *te, qui vinciri voluisti, nosque à mortis vinculis eripuisti*. Ferunt (quod supra expendimus) magnũ Alexandrum, cùm Chirurgorum consilio rogaretur, donec à vulnere ferrum extraherent, sineret ligari, respondisse; *non decet vinciri Regem*. Et 2. Regum 3. occiso Abner, quem inter militię duces Rex Dauid chariorem habuit, sic de illo effatus est. *Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner: manus tuæ non sunt ligatæ; & pedes tui non sunt compedibus aggrauati*. Sic ergo ligatum, *duxerunt eum vt crucifigerent*. Ioannes narrat quod alij tacent, *& baiulans sibi crucem* &c. Verùm dum contestantur quasi casu inuentum prætereuntem Simonem Cyrenæum, satis indicant, ab initio baiulasse. Leo Papa; *traditus itaque Dominus sæuientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, vt impleretur illud; cuius imperium super humerum eius: quia pulchra specie, triumphi sui portabat trophæum; & signum salutare adorandum regnis omnibus inferebat*. Non leuis ponderis erat lignum, longitudine quod scribitur, pedum quindecim, decem autem in transuerso. Memorat Chrysostomus illud Genesis 22. dicens; *ita & in typo factum est: Isaac etenim ligna portauit*. Bernardus: *ò inauditum spectaculum, nunquam auditum, visum aut factum! vt aliquis fur aut malefactor ad hoc compelleretur, vt suum proprium portaret patibulum, præter Saluatorem. Sed quia exinanitus erat & exhaustus, dicitur sub cruce cecidisse. Humanæ quippe infirmitatis conditio exposcebat, vt homo Christus sic tota nocte fatigatus, & cruoris effusione debilitatus sub tanto pondere deficeret. Sed si imposuerunt Cyrenæo Crucem portare post Christum, non ex misericordia moti, sed vt citiùs ad mortem perueniret*. Cùm enim fessus lento procederet gradu, Iudæi, ne fortè Pilatus sententiam reuocaret, angariauerunt Cyrenæum.

Duxerunt ergo eum, vt crucifigerent; quemadmo- 18.
dum exclamauerant, *crucifigatur*. Sed cùm lex de blasphemo Leuitici 24. esset huiusmodi; *qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo*: & paulo ante blasphemiæ notam ei inusserint dicentes, *blasphemauit; reus est mortis*: & Ioan. 19. *nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit*; sicuti supra sustulerunt (cap. 10.) *lapides, vt lapidarent eum*; & *responderunt; de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*; quæret quis meritò, cur forent de morte crucis soliciti. Expendit Diuus Vincentius in eorum persona causam; quasi dicerent: illa pœna non sufficit; (mortis) sed petimus, vt crucifigatur; & non petebant aliam mortem nisi crucifixionis, quia secundum Chrysostomum, crucifixio tanta erat confusio, vt nullus hominũ ampliùs de crucifixo verba misceret nisi in maledictionem. Et illud conqueritur Dauid; *sicut aqua effusus sum*: quia in omni liquore odor remanet in vase dempta aqua; voluerunt enim nomen eius delere, vt dicit Sanctus Thomas super dictum psal. Hucusque Vincentius. Sanè Sap. 2. legimus; *morte turpissima condemnemus eum*. Ad hæc Chrysostomus in hom. *ideo autem eum non occultè interfecerunt, quia volebant eius gloriæ detrahere. Multi enim eum admirabantur: & propter hoc studuerunt publicè, & coram omnibus eum occidere*. Subdit Vincentius; *induerunt eum vestimentis suis, vt magis esset agnoscibilis*. At, vt dicitur Sap. 2. *nescierunt* (impij) *Sacramẽta Dei, neq; mercedem sperauerunt iustitiæ; nec iudicauerunt honorem animarum sanctarũ*. Quod pressius de Christo intelligi debet; de quo Philip. 2. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Et Petrus Act. 2. *certissimè sciat ergo omnis domus Israel; quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quẽ vos*

vos crucifixistis: Hinc Angelus Marci 16. dixit mulieribus; *nolite expauescere: Iesum quæritis Nazare-*
A 3.p.25.4.3. *num crucifixum*: non dicit A lanceatum, sed *crucifixum*. Nunc, aio ipse, *sciunt* impij *reuerentiam eius*, vt Sap.2. tentarunt. Neque enim frequentius alia sub imagine, quàm Crucifixi exhibetur ei cultus; qui vt dicit Magister sentent. in 3. dist. 9. in dilectione, & sacrificij exhibitione atq; reuerentia cõsistit. (scio aliàs ex Cassiodoro apud Haymonem Hebr. 5. accipi reuerentiam & pro timore & pro summa charitate.) Et
B loc.cit. inde est, ait Sanctus Doctor B, quod crucem Christi veneramur in quacunque materia; non autem imaginem clauorum, vel quoruncunque huiusmodi. Dicamus ergo aduersus cogitationes eorum in malum; Isaiæ 53. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*: itemque ex Hebr. 12. *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*: Et Ecclesiastici 4. *est confusio adducens gloriam & gratiam*: nam vt ait Augustinus; *crux Christi, quæ erat supplicium latronum, nunc transit ad frontes Imperatorum*. Et Chrysostomus hom. 88. in Matthæum; *Reges diademata deponentes, assumunt Crucem in purpuris, in diadematibus, in armis, in mensa sacrata: vbique terrarum Crux emicat*. Ex quo Turcarum etiam Imperator, annos Christi etiam suis in epistolis memorans, *anno*, inquit, *tali, honorati Christi*. *Crux* enim *Christi vincit, crux regnat*: iuxta illud in psal. 95. perhibitum; *dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*. Vnde Theodolphus in hymno; *impleta sunt quæ concinit Dauid fideli carmine, dicens, in nationibus regnauit à ligno Deus*. Vbi Augustinus considerat non dixisse Prophetam, ab armis à diuitijs à potentia, sed *à ligno*.

VERS. XXXIII. *Et venerunt in locum, qui dicitur golgotha.*

19. Vetusta exemplaria latina, si exercitatis credimus, habent *gulgoltha*, chaldaica lingua; nam tunc hebræa mista erat Syrorum & Chaldæorum. Fortè affini magis pronunciatione *golgotha* deinde scriptum est. Radix primæua hebraica est, volubilitatem sphæricum & rotunditatem significans. Vnde *gulgoleth*, scilicet *cranium, testa capitis, caluaria*, quandoque pro toto capite capitur, quòd sphæricam habeat figuram. Et sic sequitur in textu interpretatio; *quod est caluariæ locus*. Rabanus; *golgotha syrum nomen est*: *& interpretatur Caluaria*. A cranijs ergo damnatorum, qui ibi morte plectebantur. Et quidem ex Hieronymo qui ait; *extra vrbem & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita*
C 3.p.46.10.1. *damnatorum*: C *& caluariæ, idest decollatorum sumpsere nomen*; subditque: *propterea autem ibi crucifixus est Iesus, vt vbi priùs erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij*. Exploditur autẽ illorum opinio, etsi *fauorabilis & mulcens aures populi, vt sic appellatus fuerit locus, quoniam ibi sepultus sit Adam, & ipsius conditum caput*. Qua de re quia vberiùs dixi Geneseos 5. v. 5. nunc
D loc.cit. prætereo. Adijcit Angelicus; D magis autem Iesus crucifigendus erat in loco communi damnatorum, quàm iuxta sepulchrum Adæ: vt ostenderetur, quòd crux Christi non solùm erat in remedium contra peccatum personale ipsius Adæ, sed etiam contra
E 3.p.83.1.1. peccatum totius Mundi. Quia enim Ecclesia E non erat concludenda sub finibus gentis Iudaicæ, sed erat in vniuerso Mundo fundanda, ideo passio Christi non est celebrata intra Ciuitatem Iudæorum, sed sub dio: vt sic totus Mundus se haberet ad passionem Christi vt Domus. Et ita Leo Papa in Serm. 8. *non autem in Templo, nec intra septa Ciuitatis, sed extra castra crucifixus est; vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari: & Crux Christi non Templi esset ara sed Mundi*. Ad hæc Hebr. vltimo; *quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem; horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra castra passus est*.

VERS. XXXIV. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum*; &c.

Vinum quod damnatis præstantissimum dari solebat, vt robur ad tormenta præacquirerent, insolentia militum & Iudæorum nequitia impotabile Christo fecit. Marcus dicit, *myrrhatum vinum*. *Fieri potest*, ex Augustino, *vt & fel & myrrha, vinum amarissimum redderent*. *Vel pro amaritudine fel Matthæus posuit*. Myrrha quippe F species est aromatica miræ amaritudinis; qua mortuorum corpora condiuntur. Dic nescientes indicasse illud psal. 15. *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Non abnuit tamen gustare, ne videretur indignatione corripi, simularetue non sitire, prout par erat ex itinere & afflictionibus. Sed *noluit bibere*, hoc est in copia transmittere, ne sibi malum putarent, inferre vellet, mortemque sibi potius accelerare. Denique barbaram crudelitatem eorum modestè sic increpauit. Psalmo 68. *dederunt in escam meam fel*: vbi vox hebræa *ror* & fel & amaritudinem significat. Ideo Matthæus dicit *cum felle*; Marcus, *myrrhatum vinum*. 20. F Cant. 1.

VERS. XXXV. *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius*.

Et crucifigentes eum, inquit Marcus: Lucas, *ibi crucifixerunt eum*: Ioannes, *vbi crucifixerunt eum*. 21.
Deus bone! Tam grande *spectaculum* quod dicit Lucas, quò tota Christi passio collimabat, sobriè adeo describitur? Dicito nobis Ioannes, qui proximior eras, quomodo ligno illi suspensus fuit. De clauis de malleo, seu de malleis, de ictuum turbine nihil? Certè volens hæc denarrare obriguit manus, elapsoque digitis calamo cor elanguit; nam & Psaltes à longè hæc inspiciens, *defecit*, inquit, *in salutare tuum anima mea: & oculi mei defecerunt in salutare tuum*. Deficit quippe quis à se, G & tendit in Deum. Defectus huiusmodi est ex amore & desiderio ardenti: psal. *concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*: H Augustinus in 3. Confess. *tu amor meus, in quem deficio, vt fortis sim*. Sublimiùs planè dici potest, vbi de Christi Iesu crucifixione agitur: *quis talia fando, temperet à lachrymis*? Neue *liturarum pudeat*, canebat ille, *qui viderit illas; de lachrymis factas nouerit esse meis*. Quis ambigat id euenturum fuisse, si tristium adeo circumstantiarum denarrationem euangelistæ exarandam suscepissent? Prætermittunt idcirco, postquam ad montem illum myrrhæ peruenit, quàm barbarè fuerit spoliatus. Chrysostomus; *hoc factum fuit in magnum vituperium. Consuetudo enim erat, quòd condemnatus non denudabatur, nisi vilissimus homo. Ideo vt magnam contumeliam inferrent ei, denudauerunt ipsum*. Bonauentura in meditatione vitæ Christi cap. 78. *spoliatur etiam & tunc tertia vice coram multitudine: renouantur fracturæ per pannos applicatos*. Ex Beato Alano ascendit numerus vulnerum sanctissimi corporis ad quinque millia quadringenta septuaginta quinque. Fuit autem Christus Dominus sic denudatus ex Sancto Cypriano Augustino Ruperto & alijs antitypus Noë, qui Genesis 9. *nudatus* visus est, *in tabernaculo suo, inebriatus* charitate, vt ibi exposui. Tunc impletum est illud ps. 21. *ego autem sum vermis & non homo; opprobrium hominum & abiectio plebis*. G ps. 18. lit. g. H Apoc. 2. com. 2.

Quomodo ergo fuerit sanctissimum eius corpus cruci affixum, aliunde reliquerunt nobis corde lapideis accipiendum. Non desunt plures, qui autumant, fuisse priùs Crucis lignum erectum, proinde admotis implicitisque ad ascellas diuinas funibus fuisse ad patibulum euectum. Fauere videtur opinioni huic illud Cantic. 7. *ascendam in palmam, &* 22.

I opusc. 58 21. & in Ser. S. Andreæ. L Apoc. 2. com. 1. *apprehendam fructus eius*. De cruce enim exponitur I. Sed vberiùs in Apocalypsin; ibi *de ligno vitæ*. L Hoc lignum, siue hæc arbor dicitur palma, quæ habet radicem amaram, sed fructum dulcem. Accedit phrasis Athanasij, qui sic ait; *cum omnia iam circa passionem Domini sic essent facta, venit festinans ad locum, vbi erat illi conscendenda crux*. At verosimilius ab alijs creditur collocato & extenso in terra ligno crucifixus. Sic sentit Diuus Antoninus 1. parte historiali, titulo 5. cap. 6. & addit dexteram clauo percussa & cruci affixa neruos fuisse contractos, manumque alteram non potuisse nisi violenter ad locum præforati ligni extendi: excessu doloris. Ex quo præcipuarum compactionum ossa poterant perquam facilè discerni. Et sic in psal. *dinumerauerunt omnia ossa mea*. Quod quidem indicare videtur Ecclesiæ ritus, quæ in die parasceues adorandum sic exhibet: & qui loca sancta inuisunt, ferunt aliquot passus remotè à loco vbi Crux fodienda erat, fuisse superextensum & confixum: & saltem de transuerso ligno id sentit Lipsius: & in eo nondum perforatis pedibus eleuatum: durius ac terribilius spectaculum inquit in psal. 21. Lorinus. Totum quippe gloriæ pondus à solis clauorum fixuris pependisset. Vnum Bonauentura meditatur acerbissimum; sude prius terebratas manus ac pedes. Diua Birgitta dexteram primò transfixam: alij sinistram, versus quam vergit cor, esse vulneratam: alij Christum simul manibus pedibusq; Cruci affixum à militibus quatuor, qui totidem clauis in Domini extrema adigendis occupati fuerint, quòd tot inter se Christi vestimenta partiti sint. (Ioan. 19. *milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes; vnicuique militi partem*. Et Aug. *vnde apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo Præsidi paruerunt*.) Alij tribus arbitrantur clauis id factum, pede super pedem confixo. Veruntamen etsi passim frequentiùsque ita colantur suspensi Saluatoris imagines, plaudatque Ecclesia, fortè ad recrudescentis doloris fidelium cordibus inserendam magnitudinem: verosimiliter ait Tirinus, quaternis crucifixerunt ferreis clauis, suppedaneo cui insisterent sanctissimi pedes, subiecto: vt Sanctus Iustinus Irenæus Gregorius Turonensis & alij apud Gretzerum tradunt. In cuius confirmationem, si quis lapidem (famigerato *quo vadis?*) à Domino calcatum inspexerit, animaduertet vtriusque pedis foramina in eo impressa, non eosdem obijcere angulos: argumento non ferijsse ambos eundem clauum. Deuotiores animæ teste Laspergio dixerunt, sex supra triginta malleatoris ictibus confixos pedes. Quare autem congruentissimè Christus mortem potiùs Crucis pati voluerit: (quo genere mortis nihil erat execrabilius

M 3. p. 46. 4. & formidabilius, vt ait Augustinus) M luculenter ostendit Sanctus Thomas. *Exaltato igitur* (ita Leo Papa) *dilectissimi per Crucem Christo; non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est; & erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ: sed intellectus noster gloriam Crucis Cœlo terraque radiantem puro corde suspiciat*; &c. Quæritur *vtrum Christus* N *sustinuerit omnes passiones; & vtrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus*; quæ quidem luculenter probantur. Nec obstat quòd minimus Christi dolor sufficeret ad finem humanæ salutis ob infinitam virtutem ex Persona diuina: quia *secundùm conuenientiam expediens fuit, pateretur omnia genera passionum; quia non solùm attendit quantam virtutem dolor suus haberet ex Diuinitate vnita; sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundùm humanam naturam ad tantam satisfactionem*. Dic vt plenè satisfaceret, etiam secundùm genus operis.

N 3. p. q. 46. a. 5. a 1 3. & a. 6. ad 6.

VERS. eodem; *diuiserunt vestimenta eius*.

Chrysostomus in hom. *notandum ergo, quòd non parua hæc abiectio Christi erat: quasi enim circa dehonoratum & omnium vilissimum, in Christo hoc agebant: in latronibus autem nihil tale operati sunt. Diuidere enim vestimenta, in condemnatis valdè vilibus & abiectis fit, & nihil aliud habentibus*. 23.
Sic ad literam adimpletum est quod dicitur in psal. 21. *diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Ecce quomodo Sancti Euangelistæ, intacto crucifixionis diræ modo, transeunt illico ad alia: quasi deficeret cor eorum, ferre non sustinens, vt dictum est, crudelis adeo mortis recordationem. Attamen, quia vt assumit Apostolus 1. Corinth. 5. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas*, visum est Spiritui-Sancto suggerere Matthæo & Ioanni præfatam præ alijs Psalmi allegationem de vestimentis, vbi immediatè ante de genere mortis; *foderunt manus meas & pedes meos*. Neque enim partiti essent vestimenta eius sibi, nisi prædamnatus iamque adactus in Crucem fuisset. Arguit enim de morituro in Cruce Prophetam loqui: secùs, quauis alia morte obijsset, non summæ ignominiæ, mos exuisse non legitur, vt maiori pro vilipendio exueretur: neque enim decollati aut lapidati denudabantur.

VERS. XXXVI. *Et sedentes seruabant eum*.

Cedit hæc specialis Christi crucifixi custodia; 24.
quemadmodum subditur postea versu 54. *Centurio autem & qui cum eo erant, custodientes Iesum*, in argumentum hæsitationis Iudæorum. Vt enim dicit Lucas cap. 22. *Principes Sacerdotum & Scribæ timebant plebem*. Quamuis non deessent ex turba increduli. Vnde capit. 23. item Lucæ legimus; *& stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis*. Quamuis & hi apud Lucam *percutientes pectora sua reuertebantur*. Videtur autè Matthæus dum ait; *& seruabant eum*, per quandam præoccupationem retulisse diuturnam eorum custodiam, etiam postquam ex populo plerique abierant: & ex primoribus præsertim Iudæis; qui, quod scribit Ioannes, *vt non remanerent in cruce corpora sabbato, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur*. Augustinus 4. de Trinitate, *longa morte cruciabantur cruce suspensi*. *Sedentes* si placet, dicito, quia fatigati fessique euaserant impij tortores: (sicuti Ioann. 4. *Iesus fatigatus ex itinere sedebat*) quod sanè indicat, quantùm pœnosa fuit Christi crucifixio; quæ feroces milites ita frangere potuit, vt præ lassitudine libenter sederent. Strauit ergo cruentos carnifices Christi Domini cantatissima fortitudo: nec cessit supplicijs, sed ei potius supplicia cesserunt. Ioann. 10. *nemo tollit animam meam, sed ego pono eam à me ipso*. Idcirco, non ij qui crucifixerunt eum, aggressi sunt crurum fractionem, sed alij. Quod videtur palam haberi ex Ioanne dicente; *venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent* &c. Alij ergo suffecti sunt primi militibus custodientibus Iesum; quem audientes, videntesque præmortuum, reliquerunt. De hac custodia Hieronymus vnum verbum: *diligentia militum & Sacerdotum nobis profuit, vt maior & apertior resurgentis virtus appareat*.

VERS. XXXVII. *Et imposuerunt* &c. *hic est Iesus Rex Iudæorum*.

Ad illud Lucæ 2. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*; præ alijs sensis, quibus grauidum esse potest Simeonis votum, putat Timotheus Ierosolymitanus sic quoque intelligi; *nunc absoluar, ne videam te Cruci affixum*. S. Ignatius Martyr apud D. Dionysium c. 4. de diuinis nominibus, exclamabat amanter; *Amor meus, in quo totus meus amor est, crucifixus est*. Apud Surium, Sanctus Aloi Episcopus, legebat extensis brachijs officiū Dominicæ passionis, vt crucifixo Saluatori

tori, posset saltem ex aliqua parte conformari. Apostolus 1. Cor. 2. *non enim iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Et ad Galatas 6. *mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Augustinus Serm. 14. de verbis Domini: *hanc Christianus respiciat, vt non deficiat.* Suspiciamus compuncti titulum: liceatque nobis illud ex profanis elogijs mutuare,

Causa superpositæ scripto testata coronæ
Seruator ciues indicat huius ope.

Imposuerunt ergo *super caput eius causam ipsius scriptam: hic est Iesus;* &c. Si placet, expendamus singula verba; non enim sine speciali diuina dispensatione id scriptum est. Quæ verba nimis dæmonem perhorrescere tradunt: Philipp. 2. *vt in nomine Iesu, omne genu flectatur.* Iesus sublimi epigraphe proditur. Hoc de mirabili nomine, nonnihil dictum est supra cap. 1. Vnum hic superest notare, quod & innuimus: nimirum nulli præterquam Christo Domino fuisse vnquam tale tantumque nomen donatum. Sic ait Apostolus Philipp. 2. *donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu, omne genu flectatur.* Vbi Haymo inquit; vt *Iesus scilicet vocaretur.* Et quanquam Iesus Naue, Iesus Sirach, Iesus Iosedec fuerint ita vocati: quidam putarunt, non caracteribus eisdem Christi & ipsorum nomina scripta esse: vnde vbique *Ieosuang* de illis legitur. Christus autem dictus est *Iesuang*: omissa autem vi gutturalis pronunciationis, illi dicti sunt *Ieosua*, Christus *Iesua.* Radix horum omnium est *Iasang*, nempe *saluus fuit.* Docent autem peritiores, præ alijs Petrus Galatinus in lib. de arcanis cap. 2. illorum nomine significari, *Deus saluabit*, in Christo autem quod est *Iesua* & traductione græca *Iesus*, exprimi *salutare*, seu *salutem*; atque vt dicit Angelus Caninius *de locis Scripturæ hebraicis*, testibus Scholiastis *redemptionem.* Sed hic notat contra Osiandrum Esdræ 2. & 2. Paralipom. tam Ducem, quàm summum illum Sacerdotem dictos *Iesuang* ob linguæ Syriacæ proprietatem, qua Iudæi ab exilio Assyriaco reducti loquebantur; quamuis docti scriberent *Ieosuang* vt legitur Aggæi 1. & in Zacharia. Ibi Caninius eruditè tradit nunquam hebraicè esse nomen bisyllabum; quamuis in Thalmud, quia non credunt Christum esse Saluatorem, litera *ngain* à Iudæis resecta sit; sicut & in Alcorano, sed corruptè *nghisa* bisyllabum cum litera *ngain* legunt. Fuerunt nihilominus Iesu Saluatoris in typum. Vnde & præluserunt operibus: siquidem speciatim de Iesu Naue, (quem hebræi vt ait Hieronymus, in Præfatione, *Iosue filium Nun vocant*) habemus Ecclesiastici 46. *qui fuit magnus secundùm nomen suum; maximus in salutem electorum Dei.* Neque enim perperam auxit eius nomen Moyses, vt dicitur Numeri 13. *vocauit Osee filium Nun, Iosue*, hebraicè *Iosüang*, vt ibi cap. 14. num. 6. expendimus. Sed vt interpretatio Chaldæa Genes. 49. ibi, *salutare tuum expectabo Domine* solidè intelligit: *non expecto (dixit Pater noster Iacob) salutare Gedeon filij Ioas; quæ est salus temporalis: neque salutare Samson filij Manue; quæ est salus transitoria: sed expecto redemptionem Christi filij David &c. de qua salute* (1. Petri 1.) *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ* &c. Act. 4. *In nomine Domini nostri Iesu Christi,* &c. *in hoc iste astat coram vobis sanus;* &c. *& non est in alio aliquo salus. Non enim aliud est nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Meritò ergo Matthæus, qui primus Euangelium scripsit, præ alijs expressit; *hic est Iesus Rex Iudæorum*: dicito *hic* & non alius. Ioannes cap. 5. *ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Benè psalmus; *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Et Simeon; *Nunc dimittis seruum tuum Domine; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et in hymno sic inuocamus; *memento salutis Auctor*: iuxta illud Hebræor. 2. *decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia,* &c. *Auctorem salutis eorum per passionem consummare: idest*, ait Haymo, *perficere omnium salutem per passionem Christi; qui est Auctor salutis omnium credentium.* Non poterat ergo Christus salutari hoc nomine non insigniri; cuius centies in Scriptura, præcipuè in psalmis, fit mentio. Vnde & Paulus Actor. 28. Iudæos incredulos increpans dixit; *quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei.*

Sequitur; *Rex Iudæorum.*

Nonnihil de Christi Regno dictum est supra c. 2. 26.
ad illud Sanctorum Magorum; *vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Item supra cap. 20. num. 17. & infra, & hoc in capite ad Pilati interrogationem; *tu es Rex Iudæorum?* Sed & ab ore Archangeli scimus Lucæ 2. *regnabit in Domo Iacob in æternum: & Regni eius non erit finis.* Cantantissimum quippe est in sacris litteris Christum prænunciari Regem. Regnum autem Christi consummatum est præcipuè in eius passione; 3. p. q. 35. 7. 1. Meritò ergo hic Rex dicitur. Verùm, vt dicit Augustinus; *non est Christus Rex ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque visibiliter debellandos, sed quòd mentes regat, & quòd in Regnum Cœlorum nos perducat.* Hinc toties legimus; *Euangelium Regni.* Illustratus hoc lumine Sanctus Dimas, exclamauit, *memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Et ideo Angelicus promissiones quæ id tangunt, spiritualiter monet accipi, dicens; N per N Genes.
Regnum oportet intelligi iurisdictionem catholicæ 49.
fidei, & spiritalem sedem diuini cultus, in electis Dei in æternum mansuram; quamuis non semper sit in hac terra vel illa. Hinc Hieronymus lib. 4. Comm. in Matthæum; *vt qui ante regnabat in Cœlo, per fidem credentium regnet in terris.* Et sic Augustinus; *quid est Regnum eius, nisi credentes in eum?* feratque illud Coloss. 1. *qui eripuit nos de potestate tenebrarum; & transtulit in Regnum filij dilectionis suæ.* Hinc Actor. 1. fert Lucas per dies quadraginta apparuisse Apostolis & locutum *de Regno Dei.* Et idem Augustinus 1. de consensu Euang. cap. 3. *verus Rex ad regendum nos.* Idem Angelicus, ibi, *& ecce Sedes*, O dicit; sedes scilicet Ecclesia, in qua Deus O Apoc.
sedet tanquam in ea quiescens, regnans, disponens 4. com 2.
& iudicans. Porro, vt elucescat hoc magis, assumendum, P qualiter illum dici Regem supponi- P opusc.
mus, cui summa regiminis in rebus humanis com- 20. c. 14.
mittitur. Tanto autem est regimen sublimius, quanto ad finem vlteriorem ordinatur. Semper enim inuenitur ille, ad quem pertinet vltimus finis, imperare operantibus ea, quæ ad finem vltimum ordinantur &c. Et quia finem fruitionis diuinæ non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute diuina, perducere ad illum finem, non humani erit, sed diuini regiminis. Vnde ad illum huiusmodi regimen pertinet, qui non est solùm homo sed etiam Deus. Hoc igitur est regimen ei traditum, *quod non corrumpetur* (Danielis 7.) Ieremiæ 23. *regnabit Rex & sapiens erit.* Hæc ex Diuo Thoma. Hinc liquet quare Dominus Ioannis 10. prompserit; *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*: quare inscriptum sit; *hic est Rex Iudæorum*: signanter *hic* alta dispositione: item quare in Cruce, illustratus latro sanctus de Regno introduxerit; *memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*: cui respondit de vltimo palam fine, ad quem regimen suum collimat; *hodie mecum eris in Paradiso.* Meritò

ergo inſcribitur ex Ambroſio ſuper Crucem, *quia non humani corporis, ſed diuinæ poteſtatis eſt Regnum, quod habet Chriſtus. Lego titulum Regis Iudæorum, cùm lego; Regnum meum non eſt de hoc Mundo.* Subdit Auguſtinus; *ſed Iudæorum tantùm Rex Chriſtus eſt; an etiam Gentium? immo & Gentium. Cùm enim dixiſſet;* (pſal. 2.) *ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius; ſubiecit: poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Magnum ergo volumus, intelligi in hoc titulo Sacramentum; quia ſcilicet oleaſter factus eſt particeps pinguedinis oleæ; non olea particeps facta eſt amaritudinis oleaſtri. Rex ergo Iudæorum Chriſtus, ſecundum Iudæorum circumciſionem, non carnis ſed cordis, non literæ ſed ſpiritu.* Tangit autem Auguſtinus quod habet Apoſtolus Roman. 11. & prius cap. 2. vbi ait; *non enim qui in manifeſto Iudæus eſt; ſed qui in abſcondito Iudæus eſt.* Et Tract. 17. in Ioannem; *qui ſunt intelligendi Iudæi, niſi filij Abrahæ, filij promiſſionis, qui ſunt etiam filij Dei?* Quod didicerat ex Apoſtolo Roman. 9. *non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ.* Hanc autem de Iudæis *in abſcondito*, intelligentiam, à pari aliunde accipimus de filijs Abrahæ. Et quidem ex ore Baptiſtæ ſupra cap. 3. *& ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis; quoniam potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare ſemen Abrahæ.* Et Dominus cap. 8. *dico autem vobis; quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham &c. in Regno Cælorum.* (Ecce de Regno; *Rex Iudæorum*) Et Ioann. 8. *ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et Lucæ 19. loquendo de ſalute, quam exprimit nomen Ieſu, dixit de Zachæo; *quia hodie ſalus domui huic facta eſt; eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ:* Beda; *non quia de eius ſtirpe genitus; ſed quia eius eſt fidem imitatus.* Liquet igitur quo ſenſu *Iudæorum Rex* ſit *Ieſus*; qui aliàs in Hymno decantatur; *hic ille Rex eſt Gentium, plebiſque Rex Iudaicæ.* Specialiſſimè enim regimen ipſius innoteſcit in Iudæis, *non in manifeſto, ſed in abſcondito:* qua de cauſa Apocalypſis 7. quamuis Iudas non fuerit primogenitus, de illo primordialiter dictum eſt; *ex Tribu Iuda duodecim millia ſignati.* Quorum omnium probatio adhuc maior emicat; ſi expendamus Iudæam fuiſſe terram promiſſionis, anagogico ſenſu, quò poſtremò Chriſti regimen ducit: itemque, ſi vnde deriuetur, nouerimus hocce nomen, Iuda & Iudæus, nimirum à radice *iadah*, quod eſt *laudauit*, & *confeſſus eſt.* Quò facit illud Roman. 10. *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem:* & mox; *non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci.* In quo etiam intelligitur confeſſio propriæ

Q Rom. 10. l. 2. iniquitatis Q pſal. *dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem*

R Apoc 7. in vtroque com. *peccati mei.* Et ita Apocalypſis 7. Iudas R primo ponitur, quia confeſſio peccati eſt primum ſignum ſalutis. Quoad interpretationem *Iudæ in laudem*, facit illud Apocalypſis 19. *laudem dicite Deo noſtro omnes Serui eius; & qui timetis eum puſilli & magni. Et audiui quaſi vocem tubæ magnæ, &c. quoniam regnauit Dominus Deus noſter.* Dicamus ergo pro hoc titulo cum Pſalmiſta; *Deus autem Rex noſter ante Sæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Notat Ioſephus lib. 11. antiquitatum cap. 5. hebræis à captiuitate Babyloniæ reuertentibus, tunc primò inditam fuiſſe generaliter Iudæorum appellationem. Tu dicito, opportuniùs non potuerit Saluator inſcribi *Rex Iudæorum*, quàm cùm (quod canitur in Hymno) oblata eſt *verè digna hoſtia, per quam fracta ſunt tartara, redempta plebe captiuata.*

27. Dicit Hieronymus de hoc titulo; *illi forſitan illudentes ridenteſque hoc fecerunt.* Et Theophylactus: *ſcripſerunt autem hunc titulum, quaſi vituperantes eius opinionem, qui Regem ſe ipſum faciebat; vt ſic prætereuntes miſereri non valerent, ſed magis ei improperarent.* Sed vt ſubdit Remigius; *diuinitus procuratum fuit, vt talis titulus ſuper caput eius poneretur;* &c. Et quoniam reſpondit Pilatus Iudæis cupientibus, inſtantibuſque emendari; *quod ſcripſi, ſcripſi*, exclamat Chryſoſtomus; *ò ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! nonne occulta vox quædam Pilato, intus quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto ante in Pſalmorum literis prophetatum eſt; ne corrumpas tituli inſcriptionem?* Pſalmus recolitur 58. S *in finem, ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem*, &c. S Ioa. 19. l. 6. Ex Aug. 1. de conſenſu Euang. *arcano inſtinctu Pilatus reſpondit.* Sed dum tantum ſalutis myſterium in titulo Crucis occulitur; quod ſilent Euangeliſtæ, indicatum nonnullis eſt ab Apoſtolo, fleuiſſe in Cruce Dominum; dum Hebræor. 5. dicit; *in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis.* Vbi Angelicus s per lachrymas exprimit Apoſtolus interiorem gemitum orantis: S Hebr. 5. l. 1. pſal. *& gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Hoc autem, ſubdit, non legitur in Euangelio; ſed probabile eſt, quòd ſicut ipſe lachrymatus eſt in reſurrectione Lazari, ita & in paſſione ſua. Haymo eo in loco dicit, *in diebus carnis ſuæ*, intelligi etiam tempus paſſionis. Et quod ait Apoſtolus *exauditus eſt pro ſua reuerentia*, exponit, quatenus exaudiuit eum Deus Pater, tertia die eum ſuſcitando. Veruntamen alibi T conſiderat lugendos eſſe impœnitentes: T Apoc. 11. ibi, & ab occaſu, comm. 1. & hoc ſignificaſſe luctum Domini in Cruce, vbi fleuit duritiam Iudaici populi, qui tot ſignis viſis non potuit emolliri. Et ad hunc ſenſum *exauditus eſt*, pro quibus rogandum cenſuit, & voluntate abſoluta preces fudit; vt videre eſt V in Angelico. V 3. p. 21. 4. Dic tamen fleuiſſe incredulorum peruicaciam, qui vt dicit Paulus Act. vltimo; *auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt; ne fortè videant oculis, & auribus audiant*, &c. Et 2. Corinth. 12. *& lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam;* &c. Res planè ſanguineis digna lachrymis, vbi theſaurus ſalutis ad manus cuique eſt, altèque inſcribitur *Ieſus Rex Iudæorum*, auerti quempiam ab hoc verbo ſalutis: & vbi *ſunt diuitiæ & gloria opes ſuperbæ & iuſtitia*, Prouerb. 8. ſpiritali conſumi inopia. Sapientiæ 14. legimus; *benedictum eſt lignum, per quod fit iuſtitia*; myſticè Patrum conſenſu de Chriſti Cruce. Chriſtus quippè 1. Corinth. 1. *factus eſt nobis iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Quod quidem poteſt intelligi; X 3. p. 46. 4. 3. quia conueniens fuit, X vt per iuſtitiam homo à ſeruitute Diaboli liberaretur, Chriſto ſatisfaciente pro ipſo per ſuam paſſionem. Fuit etiam hoc conueniens ad vincendam ſuperbiam Diaboli, qui eſt deſertor iuſtitiæ & amator potentiæ, vt Chriſtus Diabolum vinceret, & hominem liberaret; non per ſolam potentiam Deitatis, ſed per iuſtitiam & humilitatem paſſionis, vt Auguſtinus dicit 13. de Trinitate cap. 13. & 19. Veruntamen (prout reor vnicuique videbitur) nihil prohibet, dicatur, per lignum Crucis ſanctæ fieri iuſtitia, eo in ſenſu, quo dixit Simeon Lucæ 2. *ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum.* Licet enim venerit, *pro omnium ſalute moriturus*, vt ait Leo Papa: Ioann. 3. *non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum:* nihilominus *mundus eum non cognouit: in propria venit; & ſui eum non receperunt.* Ex quo ait Leo item Serm. 1. de Natiuitate; *Chriſtus te veritate iudicabit, qui miſericordia te redemit.* Et quoniam, vt fertur, ſic crucifixus eſt, vt facies eſſet à Ieroſolymis

mis & Iudæis euersa, Occidentem & Gentiles respectans: impletum dicito illud Isaiæ 1. *auertam oculos meos à vobis &c. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*; quod Tertullianus Cyprianus & Leo Castrius exprobrant Iudæis, Christum ad mortem deposcentibus & clamantibus; *sanguis eius super nos, & super filios nostros*. In hac ergo Iudæorum degenerum à Iudæis *in abscondito*, & Gentilium, qui euaserunt verè Israelitæ & filij Abrahæ, vicissitudine agnoscendus etiam erat *Rex*, vt claret in titulo; quia Prouerbiorum 20. *dissipat impios Rex sapiens*; quorum, incredulus ac impœnitens latro, vt dicemus, personam gerit.

28. Remanet autem quærendum, (quod supra cap. 1. num. 16. polliciti sumus) de temporali Christi Regno: an scilicet regia Dauidici Regni potestas ad ipsum deuoluta fuerit; obtinueritque vlterius vniuersale Orbis terrarum Imperium: sic vt humanitus etiam verè fuerit in Mundo *Rex Iudæorum*; & præterea *Rex Regum & Dominus dominantium*, vt dicitur Apocalypsis 17. *quoniam Agnus Dominus Dominorum est, & Rex Regum*; & cap. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Certè nonnullum Christi Regnum vel ex hoc insinuatur, quòd cùm multis fuerint in Iudæa Reges, quos percenset Matthæus cap. 1. de solo Dauid bis attexitur huiusmodi encomium; *Iesse autem genuit Dauid Regem; Dauid autem Rex genuit Salomonem*. Vbi scrutatus causam Angelicus A dicit; iste primus Rex fuit in tribu Iuda, de qua ortus est Dominus. De Regno autem super Iudam loquuntur palam Scripturæ: Isaiæ 9. *sedebit*, &c. psalm. 2. *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*: psal. 88. *semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentior: semen eius in æternum manebit. Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo*, &c. psal. 131. *iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Et hæc præiacta fuerunt 1. Regum 7. *firmabo Regnum tuum*, &c. *vsque in sempiternum*. Denique ab ore Archangeli Lucæ 1. auditum est; *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum; & Regni eius non erit finis*. Vnde & Sancti Magi quæsierunt; *vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Denique in passione, rogatus Iesus, an esset Rex Iudæorum? probauit satis. Quamuis autem non legamus, Iesum se Regem prædicando dixisse: nam Ioann. 10. *circumdederunt eum Iudæi, & dicebant ei; si tu es Christus, dic nobis palam*. Nihilominus opera quis esset demonstrabant: promissum scilicet in lege & Prophetis: *opera*, inquit, *quæ ego facio in nomine Patris mei; hæc testimonium perhibent de me*. Et prius cap. 5. *scrutamini Scripturas* &c. *& illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*; scilicet me esse Christum, subinde vnctum, & Regem. Palam tamen voluit sic ab innocentibus turbis acclamari; cùm Lucæ 19. dixerunt; *benedictus, qui venit Rex in nomine Domini*. Ex quo tandem cap. 23. *cœperunt illum accusare dicentes; (inter alia) hunc inuenimus dicentem se Christum Regem esse*. Vnde & irrisoriè induerunt eum purpura, imposuerunt capiti eius coronam spineam, in manu eius arundinem pro sceptro; & salutabant: *Aue Rex Iudæorum*. Et postquam crucifixus fuit; *si Rex Israel est, descendat de Cruce*.

A Math. 1.

29. Scimus, si hæc omnia spirituali de Regno intelligantur, expediri facilè: sed consentaneum magis videtur literæ, (cui standum est, si nullum emergat absurdum) vt Dauidis etiam temporalem occupauerit Christus sedem: quemadmodum contestatur Petrus Act. 2. in hæc verba: *Propheta igitur cum esset, (Dauid) & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius*; &c. Quare cùm sedes Dauid fuerit regia sedes, auctoritas, potestas & Regnum; sequitur satis, Christum Dominum obtinuisse illud. Hoc autem vndequaq; astruitur. Primò quia Ioseph Virginis Sponsus indubitanter soboles regia fuit; iuxta quod Lucas ait cap. 2. *ascendit autem Ioseph &c. eò quòd esset de domo & familia Dauid; vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante*. Considerandus est autem Ioseph, nedum de vero regioque stemmate, sed tanquam legitimus hæres; saltem post deletos tot de regia stirpe oriundos à furente Herode. Qui & ipsum cum alijs è nobilitate iudaica crudeli morte de medio tulisset; nisi, quæ meditari fas est præseruassent: nimirum; quia procul ab Ierosolyma Ciuitate degebat, vtique in Galilæa; quia nulla dignitate fulgens ignotus Herodi erat, aut saltem in pretio non habitus. Igitur stirpitus exscindere sobolem omnem Dauidicam conatum fuisse Herodem non sit qui ambigat; quando Messiæ nomen sic affectauit; quando hunc ad finem Templum Ierosolymitanum de nouo construere cœpit; de quo Ioannis 2. *quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*: itemque ad id libros genealogiarum iudaicarum, vt narrat Eusebius lib. 1. Hist. cap. 17., combussit. De quo supra cap. 2. ad versum 4. num 8. & 9. Quòd si legitima sic successione Iosepho fuerat Iudæorum Regnum iure adiudicandum: cur hoc ipsum ad Iesum non perueniret tanquam ad vnicum vera ex sponsa filium publica fama? *vt putabatur filius Ioseph*. Quæ sola ad hæreditatem paternam ex legum præscripto sufficit.

30. Cæterum alia via agnoscendus est Iesus Rex, *ex semine Dauid secundum carnem*, vt dicitur Roman. 1. quoniam scilicet, vt ait Epiphanius, *de radice Iesse ortus est Rex Dauid, & de tribu Regis Dauid sancta Virgo*: etiam per lineam paternam, vt diximus ad caput 1. num. 8. sic vt Pater Beatæ Mariæ B de stirpe Dauid extiterit. Quòd si Ioachim Pater Mariæ de stirpe Aaron fuit, (vt Faustus hæreticus per quasdam Scripturas apocryphas asserebat) credendum est, quòd Mater Ioachim fuerit de stirpe Dauid, vel etiam vxor eius: ita vt per aliquem modum Mariam dicamus fuisse de stirpe Dauid. En ergo ex quo solidè dicere possumus & debemus Christum Iesum iure omni Regem Iudæorum. Veruntamen quoniam dicit Leo Papa; *Christus non venerat Regnum in terra habere*: neque (quod ait D. Thomas) sæculari honore regnauit, C dixit enim (Ioann. 18.) *Regnum meum non est de hoc Mundo*; animaduertendum est, longè aliud esse iurisdictionem à proprietate bonorum particularium personarum, quæ iurisdictioni subduntur: vt patet in vniuersis Dominis atque Regibus, Imperatoribusque habentibus iurisdictionem vniuersalem in omni loco & Domo, & agro & fundo imperij sui; non tamen Domus agri aut fundi cuiuslibet proprietatem: immo neque vsum; nisi regimen vniuersale requirat in aliquo casu vti re aliqua speciali aliena. Videantur Decius in consilijs, & Baldus in cap. finali, quibus modis feu. amitt. l. *imperium*; ff. *de iurisdictione omnium Iudicum*. Et præterea aliud est habere dominium & proprietatem rerum, aliud verò vsum: adeo vt dicat textus in l. *naturaliter*, ff. *de acquir. poss. nihil commune habet proprietas cum possessione*. Quod sanè patet in feudis. Nihil ergo vetat, Christum Regem, proprietati & vsui sponte cessisse, contentum iure, quo Dauidicam sedem verè occupauit. Quo pacto supra cap. 8. dixit; *filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*. Huc non sit absonum aduocare quod habet Apostolus 2. Cor. 8. de Iesu Christo; *quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues*. Sic quippe summo magisterio credentes edocuit terrena despicere. Vnde & ingressurus

B 1 p. 11. a. 4.

C l. c. ad 5.

ſurus Ieruſalem Matthæi 21. iuxta Zachariæ vaticinium, cap. 9. *ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper* &c. non regio faſtu tumeſcens, aureis inuectus quadrigis; ſed pauper, ſeu manſuetus, qualis eſſe ſolet pauper ſpiritu, *aſcendens ſuper aſinam*, eò intrauit. Et ſic ait Ambroſius lib. 7. in Lucam; *benè terrena declinat, qui propter diuina deſcenderat*. Stat itaque verè fuiſſe adhuc in terris Regem Iudæorum: quamuis vſum vltrò reſpuerit: ſicuti Ioannis 6. *Ieſus cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, iterum fugit in montem ipſe ſolus*. Sicuti etiam (quod ait 3. p. q. 31. ar. 2.) ipſum honorificè ſuſcipientes vt Regem, dixerant, *hoſanna filio Dauid*. Et nihilominus, licèt in terris viuens terrenum Regnum temporaliter adminiſtrare noluerit, vt conceptis verbis docet D Angelicus: & nos ſuprà, Syntaxi cap. 22. num. 26. innuimus: aliquando, vt notat Antonius Perez Epiſcopus Vrgellenſis in Matthæum ſuo cap. 42. ex Matthæi 2. v. 1. num. 13. & infra, iura Regis in humanis exercuit: puta cum Ioannis 2. flagello de funiculis confecto, *omnes eiecit de Templo*; &c. Quod factum dum Doctores Theologi, & iuris vtriuſque expendunt, communiter dicunt, Chriſtum Dominum exercuiſſe tunc gladij temporalis in ſubditos poteſtatem & ſceptrū. Et idem aſtruunt in caſu mulieris adulteræ; (Ioannis 8.) eò quòd iudicando conſtituit: *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Subdens quippè; *nec ego te condemnabo*, oſtendit ſe non caruiſſe condemnandi poteſtate. Lucæ autem 12. vbi *quidam de turba ait ei; Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, dixit ei; homo, quis me conſtituit Iudicem aut diuiſorem ſupra vos?* Quod exponit, vt nuper dictum eſt, Angelicus. Sed addi liceat, declinaſſe alijs præ cauſis iudicium; quia ille quaſi arbitrum videbatur expectare eum, *qui conſtitutus erat Rex à Deo*, pſalm. 2. Et Ioann. 18. adiecit; *nunc autem Regnum meum non eſt hinc*: non dicit, *non eſt hic*, ſed *hinc*: quaſi innuere velit, eſſe tamen *hic: ego in hoc natus ſum*. Magi dixere vbi eſt, *qui natus eſt Rex Iudæorum?* Rex Franciæ non eſt natus Rex; Chriſtus autem fuit Rex in ipſa natiuitate: vt expendit Præfatione in Epiſtolas Canonicas. Vnde Aug. cap. vlt. de conſenſu Euang. *Pilatum verbis altioribus percutit*. Sed non ab hominibus acceptum ius Regni poſſidet; cui *data eſt omnis poteſtas in Cœlo & in terra*.

D 3 p. 59. a. 1.

31. Et ecce, quod apprimè ſentiendum eſt, temporaliter quoque, nedum Iudæorum ſed omnium Gentium, totiuſque Orbis Terrarum obtinuiſſe à Deo imperium. *Omnia enim* vt dicitur 1. Cor. 15. *ſubiecit pedibus eius*. Danielis 7. *aſpiciebam* &c. *& ecce cum nubibus Cœli, quaſi filius hominis veniebat*, &c. *& dedit ei poteſtatem & honorem & Regnum; & omnes populi tribus & linguæ ipſi ſeruient*. Accedit Petrus in Actis cap. 2. *certiſſimè ſciat omnis Domus Iſrael; quia Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis*: & cap. 10. *hic eſt omnium Dominus*. Cohærenter ſanè Iſaiæ, qui cap. 16. habet; *emitte Agnum Domine dominatorem terræ*: atque Ioanni in Apocalypſi; *Rex Regum & Dominum dominantium*. Et in Euang. cap. 13. *ſciens Ieſus, qui omnia dedit ei Pater in manus*. Quæ cuncta extra controuerſiam de ſpirituali Regno fateri cogimur; ſed & de temporali quàm maximè vrgent; ſi non aliunde, ſaltem eo ex capite; quia, vt non ſemel docet Angelicus, E iudiciaria poteſtas conſequitur regiam dignitatem (pſal. 9. *ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam*.) Chriſtus autem Dominus eſt, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum & mortuorum* Act. 10. Vnde ſignanter Rex perhibetur in iudicio; ſupra cap. 25. *dicet Rex his, qui à dextris erunt*; &c. & Sap. 11. *illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnaſti*. Dicendum ergo ex Pſalte; *ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, quoad Iudæam: & deinde; *dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. (Hebr. 1. *quem conſtituit hæredem vniuerſorum*) *Reges eos in virga ferrea*. Et quia in Apocalypſi epigraphe *Rex Regum & Dominus dominantium in femore* ſcribitur: & in femore, ſeu veſtimento F ſignificatur aſſumpta humanitas; claret etiam ſecundùm quod homo eſt, habere Chriſtum Mundi totius dominatum. Dicit ibi Angelicus: & per hoc oſtenditur eſſe Dominus omnium rerum vniuerſaliter; quia ſi eſt *dominantium*, eſt & Dominus rerum, quibus ij dominantur. Quamuis congruè atteſtetur ipſius Diuinitati; quandoquidem 1. Timot. 6. de Deo dicitur; *Rex Regum, & Dominus dominantium*.

E 3 p. 59. a. 1.

F Apoc. 19.

32. Præfatum Imperium vniuerſale, quod proprium ſit Chriſto Domino, alijs etiam auctoritatibus comprobatur. Roman. 14. *in hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit; vt & mortuorum & viuorum dominetur*: Apocalypſ. 3. *ego vici, & ſedi in throno Patris mei*: Philipp. 2. *vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur*, &c. Et pſalm. 71. *& dominabitur à mari vſque ad mare; & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum*. Quocirca operæ-pretium noſſe; Prophetias G aliquando dici de rebus, quæ tunc temporis erant; ſed non principaliter dicuntur de eis, ſed in quantum figura ſunt futurorum. Et ideo Spiritus-Sanctus adordinauit, quòd quando talia dicuntur, inſerantur quædam, quæ excedunt conditionem illius rei geſtæ, vt animus eleuetur ad figuratum. Sicut in Daniele multa dicuntur de Antiocho in figura Antichriſti. Vnde ibi quædam leguntur, quæ non ſunt in eo completa; implebuntur autem in Antichriſto. Sicut etiam aliqua de Regno Dauid & Salomonis leguntur, quæ non erant implenda in talium hominum Regno, ſed impleta fuere in Regno Chriſti, in cuius figura dicta ſunt. Sicut pſalm. 71. *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. qui eſt ſecundum titulum, *de Regno Dauid & Salomonis*: qui exponitur de Regno Salomonis, in quantum eſt figura Regni Chriſti: in quo omnia complenda erant: vt ly *dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum*. Et ſic in pſal. 2. H ad illud; *dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: ſecundùm hiſtoriam, inquit, poſſet exponi, quia Dauid erat conſtitutus Rex Iudæorum; & dominabatur Gentibus aliquibus, quas ſubiugauerat; in figura vniuerſalis dominij Chriſti. In hac autem intelligentia conſtans, complexus dicta in vtroque pſalmo & 2. & 71. ait: Dauid non poteſt competere I quod ſubditur, *dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, &c. cùm eius Regnum non vſque ad terminos terræ fuerit dilatatum, vt hiſtoria libri Regum declarat; neque etiam Salomoni poteſt competere; *ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies Cœli*. Vnde datur intelligi, quòd quia quædam non poſſunt congruere Dauid vel Salomoni, dicantur ſecundùm morem Scripturæ, in alterius figuram, in quo omnia compleantur. Et hoc ipſum tradit in Geneſin, L dicens; Prophetiæ ſpiritualium & æternorum habuerunt figuralem corticem carnalium & temporalium. Ideo ad quendam aditum ſpiritualium pro tempore ſuo, oportuit corticem carneum in pluribus eſſe defectiuum. Et expendit ibi contenta in pſal. 71. Chriſtus ergo per Crucis victoriam, meruit poteſtatem & dominatum ſuper Gentes; Apocalypſ. 2. *qui vicerit dabo illi poteſtatem ſuper Gentes; ſicut & ego accepi à Patre meo*; vt docemur in 3. p. q. 42. a. 1.

G Prologo pſalmorum & pſ. 22. in principio.

H pſ. 2. & Matthæi 1. ad finem.

I 4. contr. G. c. 1.

L Geneſ. 49. non admodum longè ab initio.

Ex

33. Ex quibus iterum elucet, vniuersale Christi Domini imperium, plenissimo iure, etsi non vsu eum adhuc in terris viueret, decantari. Hoc, ex instituto demonstrat Angelicus M capitibus tribus de Monarchia Christi; & quomodo assumpsit vitam abiectam & pauperem, licet esset verus Dominus Mundi. Expendit autem cap. 13. non sine diuino instinctu, vt narrant Historiæ, mandasse Cæsarem Augustum; (sub quo natus est Dominus) ne quis de Romano populo Dominum ipsum vocaret. Cæterum quamuis (vt ibi c. 15.) temporaliter esset Dominus Iesus Dominus Orbis; (dicito etiam ex ore eius Ioannis 13. *vos vocatis me, Magister, & Domine: & bene dicitis; sum enim*) directè tamen ad spiritualem vitam suum ordinauit imperium; iuxta illud Ioannis 10. *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*; & cap. 18. *Regnum meum non est de hoc Mundo*; necnon Lucæ 22. *& ego dispono vobis, vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo*. Adde, eo in sensu prædicari *semper Euangelium Regni*; & petenti latroni, responsum; *hodie mecum eris in Paradiso*. Et Matthæi 25. perhibetur Rex iustis, quibus possidendum Regnum exhibet: cùm autem eos qui erunt à sinistris alloquitur, quos à Regno secludit, Rex non dicitur: quod certè signanter fieri, necesse est: quamuis in eos etiam supremum habeat dominium, regiamque potestatem eorum Iudex. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt*: deinde, *& respondens Rex*. Sequitur; *tunc dicet & his qui à sinistris erunt*, &c. deinde, *tunc respondebit illis dicens*; &c. Denique sic disposuit, esset Crucis suæ titulus *hic est Iesus Rex Iudæorum*; vt intelligeretur secundùm Apostolum Roman. 2. *Rex Iudæorum, qui in abscondito Iudæi sunt, circumcisione cordis in spiritu, non litera*. Vnde efficitur, *vt qui seminat in spiritu*, Galat. 6. *de spiritu metat vitam æternam*: quod est possidere Regnum cum his qui à dextris; de quibus subiectum est supra cap. 25. *ibunt iusti in vitam æternam*. Quoniam verò Roman. 13. *non est potestas nisi à Deo, per quem*, Prou. 8. *Reges regnant*: Ioannis 19. *non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*: vnde Danielis 4. *dominator excelsus in Regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud*; consectarium fit, vt & Christus Dominus, qui Io. 13. *sciens, quia omnia dedit Pater in manus*, qui & prius ipsemet cap. 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*; ex quo sequenti cap. 28. clausit, *data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*, altissimo potiatur iure in omnes & in omnia, *subiecta sub pedibus eius*. Et ita quemadmodum 1. Regum 15. & 16. Saul Dei iussu expoliatur Regno, & Dauid in Regem vngitur; ita Christi Domini, qui est *Rex Regum & Dominus dominantium*, permissu vel nutu euenit, *quòd de carcere catenisque interdum, quis egrediatur ad Regnum; & alius natus in Regno inopia consumatur*; Ecclesiastes 4. Huc facit quod ait Hieronymus Matthæi 4. vbi dixit Diabolus; *hæc omnia tibi dabo, ostendens Iesu omnia Regna Mundi; & gloriam eorum: arrogans & superbus de iactantia loquitur; non enim potest omnia Regna dare, cùm sciamus plerosque sanctos viros, à Deo Reges factos*. Sicut autem docemur N dari à Deo viris iustis de bonis temporalibus, & etiam de malis, quantum eis expedit, ad perueniendum ad vitam æternam: ita dicendum est, dispensari & auferri per Christum Regna. Apocalyps. 1. *à Iesu Christo, qui est Princeps Regum terræ*: idest terrenarum potestatum, potens remouere quando voluerit, vt dicit glossa. *Quid enim*, supra cap. 16. *prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Vestigium plenariæ huiusmodi Christo datæ potestatis in Exarchatu extat Pontificio. Erudimur enim ab Angelico O Christi Vicarium habere plenitudinem potestatis: sic vt in duobus casibus amplietur eius potestas, vel ratione delicti, vel ad bonum fidei. Quod eleganter, inquit, nobis ostendit Propheta Ieremias; cui in persona Vicarij Christi dicitur; *ecce constitui te super Gentes & super Regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes*. Quod ad prouidentiam Vicarij Christi pertinet pro bono vniuersalis Ecclesiæ. Hæc ibi. Additque sequenti capite, Imperatorem percipere à summo Pontifice auream coronam, & cum pede sibi porrigi, in signum suæ subiectionis, & fidelitatis ad Romanam Ecclesiam. Huius autem plenariæ Pontificis Romani potestatis, vbi de vtilitate gregis agitur, & in ordine ad spiritualia bona æternamque salutem, praxin habes ibidem secutam cap. 10. & apud Diuum Antoninum 3. parte suæ Summæ titulo 22. cap. 5. §. 15.

M opusc. 20. lib. 3. c. 13. 14. 15.

N p. 2. 114. a. 10.

O opusc. 20. lib. 3. c. 19.

VERS. XXXVIII. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones.*

34. Inquirit ex professo Angelicus; P *Vtrum conueniens fuerit, Christum cum latronibus crucifigi*. Affirmat quatuor de causis, Isaiæ præmisso vaticinio, cap. 53. *& cum sceleratis reputatus est*. Mirum est autem, quare Lucas & Ioannes solummodo per transennam, & ex præsumptione quadam latrones cum Domino crucifixos tangant. Dicit enim Lucas, *vnus autem de his, qui pendebant latronibus*, &c. & Ioannes, *primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo*. Cur & Marcus non sic perfunctoriè factum narrat? sed quamuis id Matthæus descripserat, repetijt conceptis verbis; *& cum eo crucifigunt duos latrones vnum à dextris, & alium à sinistris*. Allegat etiam Isaiam subdens; *& impleta est Scriptura, quæ dicit; & cum iniquis reputatus est*. Varius Euangelistarum scopus est in causa; vt elucidabit Syntaxis. Interim, sicut dicit Chrysostomus, *Iudæi duos latrones vtrinque crucifixerunt, vt eorum suspicionis fieret particeps*. At ordinatione diuina ex Hieronymo, *sicut pro nobis maledictum Crucis factus est Christus; sic pro omnium salute inter noxios, quasi noxius crucifigitur*. Dicit quippe Diuus Petrus in 1. cap. 2. *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum*. Deinde vt ibidem ad 2. ideo voluit cum iniquis deputari, vt sua virtute iniquitatem destrueret. Deniq; Sanctus Leo Papa, *vt in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum facienda est discretio*: & prius Augustinus qui ait; *ipsa Crux, si attendas, Tribunal fuit*.

P 3. p. q. 46. a. 11.

VERS. XXXIX. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.*

Certè tunc impletum est illud psalm. 21. *omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs, & mouerunt caput*: quod est despicere & irridere, inquit Tirinus Ieremiæ 18. v. 16. Et vide mirandam Scripturæ Sacræ concordiam: sicut enim hic blasphemi dicunt; *confidit in Deo, liberet nunc si vult eum*; ita in prædicto psalm. *sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum*. Et Sapientiæ 2. *si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum*: & sic apud Matthæum; *dixit enim, quia filius Dei sum*. Legimus Ieremiæ 20. *factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die*. Quoniam vero, vt ait Euangelista, *similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant; alios saluos fecit &c. Si Rex Israel est; &c. dixit enim, quia filius Dei sum*: claret satis eos reuoluisse tunc animo quod perpetrauerant facinus; iuxta illud Roman. 2. *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus*. Non enim sine conscientiæ remorsu, 35.

quæ

quæ iam prætererant in causa Christi refricant. Sed ipsi, quibus dicit Stephanus Act. 7. *dura ceruice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui-Sancto resistitis;* (quod dicitur Ieremiæ 5.) *indurauerunt facies suas super petram, & noluerunt reuerti:* tametsi *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Huc facit quod docemur, Q non facilè omnino obrui iudicium rationis aut synteresin: item, plerunque à Deo peccatores, quasi secreta admonitione argui. Sed istos dicito fuisse *rebelles lumini* Iob 24. in cuius signum refractaria quadam hipothesi blasphemant: Ioannis 1. *lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Quid mirum, si mox ingruunt tenebræ. Sequitur; *idipsum & latrones improperasse Domino*; (praui maiorum exempli quanta vis!) Augustinus; *possumus intelligere Matthæum posuisse pluralem numerum pro singulari.* Vel secundùm Hieronymum; primò vterque blasphemauit; deinde visis signis vnus eorum credidit. Sed *latronem in cruce conuertere & in Paradisum inducere, non minus fuit, quàm concutere petras*; vt ait hom. 48. super Ioannem Chrysostomus.

Q de verit. q. 16. art. 3. & 2.2. q. 33. 7. ad 1.

VERS. XLV. *A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.*

36. Factas fuisse vniuersim tenebras præter inconcussam Euangelistæ contestationem; (quæ nec in humanis capax est calumniæ; siquidem stultum est opinari, si re non ita fuisset, ausos Marcum quoque & Lucam, eas comminisci) extant etiam ab extra qui suffragentur; inter quos memoratur Phlegon ex græcis historiographis libr. 14. Olympiad. sicut referunt Origenes, & Eusebius in Chronico sub Tiberio; quamuis vt animaduertit Angelicus, R non signauit circumstantiam plenilunij. Tertullianus etiam qui floruit anno Domini 203. in Apologetico cap. 21. sic habet; *eodem momento, medium orbem signante Sole, dies subducta est. Deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christum prædicatum nescierunt. Et tamen eum Mundi casum relatum in Archiuijs vestris habetis.* Non est autem verisimile, quod considerat Suarez 3. p. q. 50. a. 6. disputat. 39. sect. 1. vsum fuisse Tertullianum, cum scriberet aduersùm Gentes, historia incerta, illisque incognita. Accedit luculentum Diui Dionysij testimonium in Epistola 7. ad Polycarpum, & 10. ad Apollophanem: quas tametsi Erasmus gratis respuat, eruditorum cœtus probat & recipit. Quod magis difficultatem ingerit, est de modo; qua scilicet via Omnipotentis nutu *factæ sint tenebræ* trium horarum spatio, *super vniuersam terram.* Si ly *vniuersa terra* pro Iudææ solum tractu accipiatur (quod quidem sensit Origenes Tract. 35. in Matthæum, & post eum Erasmus) faciliùs emergitur. Sed hoc est contra communem Patrum sententiam, qui asserunt in toto Orbe fuisse, ne sacrum detorqueant textum. Neque enim si solummodo in Iudæa fuisset obtenebratio, tam amplè & sine vllo obliquo coarctante mirandum narrassent Euangelistæ. Potiùs dicendum eis fuerat super vniuersam regionem, sicuti supra cap. 14. scribit Matthæus; *miserunt in vniuersam regionem illam*: quam vocem (regionis) aliàs passim vsurpant: quando è contra Scripturis pluries ly *vniuersa terra*, indefinitè pro toto Orbe terrarum accipitur. Verùm, quia miraculosæ præsumuntur effectæ tenebræ vbi dies erat; in nostro hemisphærio toto fuisse credendæ sunt: quare *super vniuersam terram*, scilicet nostram, per eclipsin nimirum Solis.

R 3. p. q. 44. a. 2. ad. 2.

37. Si eiusmodi tenebræ consecutæ sint propter hoc, quod Sol suos radios retraxit; inquantùm diuina virtute factum est, vt Solis radij ad terram non peruenirent, fauetque Lucas dicens, *& obscuratus est Sol*; planum est, facilè potuisse in vniuersa terra tenebras fieri, ad mentem Hieronymi. Vbi propter eclipsin tantùm inuectæ sint, instant recentiores, quia sola luna non possit impedire illustrationem Solis in toto Orbe: ideoque vt vniuerso in hemisphærio nostro eas tueantur, nedum interuenisse astruunt Solis eclipsin, sed vnà simul cohibitos solis radios. Et congruentiam meditati sunt, vt Christo morienti obsequerentur prodigiosè ambo luminaria. Nisi perhiberetur Dionysij auctoritas pro eclipsi, contenti fuissent Interpretes sententia Hieronymi; sed Dionysij Epistolas tutati, indeque vniuersas tenebras etiam in Ægyptum & in Heliopolin, vbi degeret Dionysius, tunc porrectas non inficiati, cò etiam recurrunt, vt vltra eclipsin Sol retraxerit radios. Cæterùm quia si Sol radios continuit ad terram protendere, frustranea videtur lunaris ad eclipsin coniunctio; (frustra enim fit per plura, quod æque benè per pauciora fieri potest) aliud excogitari oportet rationabile effugium; ne sine causa multiplicemus prodigia, ob assertas tantùm epistolas Dionysij: vt quid enim tot coaceruari miranda in lunæ accessu, quæ expendit Angelicus? S nam retrocessit lunare corpus, totusque firmamenti cursus mutatus est. S l. e. hic & Ioann. 15. l. 6. lit. d.

Dicendum ergo in primis videtur probando recentiorum placitum, tenebrarum illarum vniuersalem quidem fuisse ingruentiam, & ex miraculosa eclipsi, & ex subtractione radiorum: sed non superuacaneam fuisse lunæ, præter naturæ cursum & ordinem, coniunctionem cum Sole; quia calumniari potuissent sapientes huius sæculi Solis obscuritatem, eam in nubes densioresque vapores ac exhalationes referendo: dum autem adhuc Solis obseruata est eclipsis, nullo modo licuit tantum dissimulare aut denegare miraculum. Quare, vt per notiora ad ignota graderemur, voluit Creator, Solis obscuritatem miraculosam extra calumniam comprobari, per hoc quòd eiusdem Solis eclipsin, vel inuiti prodigiosam cogeremur fateri. Vt signum irrefragabile de Cœlo prout expetierant Iudæi, cernerent; & terrarum Orbis deprehenderet, pependisse in Cruce naturæ Dominum: ad cuius imperium Cœli obscurarentur luminaria, quæ solus ab initio fecerat: nec quispiam vltra deceptus, Deut. 4. *fortè eleuatis oculis ad Cœlum, videns Solem & lunam & omnia astra Cœli, adoraret ea & coleret, quæ creauit Dominus Deus in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub Cœlo sunt.* Et iterum, vt tam mirabili euentu, benedicerent & laudarent Sol & luna Dominum. Et horum omnium rationem solidam accipe; quia, vt ait Angelicus, S in passione maior infirmitas circa Christi humanitatem apparuit; & ideo oportuit, vt maiora miracula ostenderentur circa principalia Mundi luminaria. Quod quidem *mirabilius fuit in eo, qui crucifixus erat, quàm eo ambulante super terram*, vt notat Chrysostomus. 38. S 3. p. 44. a. ad 3.

38. Cæterùm quia Sanctus Thomas etsi ad 2. fert secundùm quosdam interuenisse retractionem solarium radiorum, totus est in examinanda eclipsi, neque geminatum prodigium, scilicet subtracti & eclipsati luminis effert, sed diu in deliquio Solis, missa quasi altera opinione moratur: libentiùs velim ad solam eclipsin confugere; ne vrgeat quis, si aliàs præpediti sint radij, ne deorsum peruenirent, fuisse superfluam. Planè Ambrosius in Præfatione Lucæ dicit; *tenebræ per diem factæ sunt; terra obscurata est; Sol refugit.* Præterquam & Augustinus in Epistola, quæ octogesima est ad Hesychium, & 3. de Ciuitate cap. 15. defectum solummodo luminarium, seu potiùs obscurationem Solis commemorat, *non ex cano-*

canonico siderum cursu accidisse. Neque tamen nutamus ideo, quasi *super vniuersam terram* ad Solis eclipsin, nequiuerint esse tenebræ. Fateor equidem, consultis Astronomis, non posse in lunæ coniunctione sub ecliptica ad Solem, eodem tempore in toto nostro Hemisphærio tenebras fieri; quandoquidem, non vndecunque simul Solem aspici vetat lunæ interpositio; non enim omnium, vbique terrarum visualis linea rectà eodem tempore per interiectum lunare corpus ferit Solem; sed successiuè, nihil prohibet diuinitus posse contingere. Quod ergo in Iudæa factum est, vt totaliter Sol eis obumbraretur; sicut ait Lucas; *& obscuratus est Sol*, hoc ipsum in nostri Hemispherij climatibus euenisse credēdum est, nimirum varijs & diuersis terrarum Orbis aspectibus. Cum enim, vt considerat Angelicus, tunc luna distaret à Sole quasi per medietatem circuli in oppositione existens, paulatim reuersura ad orientem versus Solem, (non secus ac sine controuersia Ierusalem aut Iudææ) potuit eclipsin Solis causare cuicunque climati, suo motu mirabili, vel incipiente, & progrediente, vel excurrente, & reuertente vniuersis aspectibus se obiectam exhibens Soli. Itaque *obscuratus est Sol* simpliciter, non vtique in se, sed respectu nostri, à sexta hora vsque in horam nonam: quatenus spatio illo temporis, modò vni, modo alteri subductus est regioni. Neque enim cogit auctoritas, vt dicamus totis ijs tribus horis totaliter occultatum fuisse Solem: nam tempus tenebrarum, inquit Angelicus, fortè computatur ab instanti, quo Sol cœpit obscurari, vsque ad instans, in quo totaliter fuit repurgatus. Sicut enim non in instanti luna totum Solem occupauit, sed primò ex parte orientali; & sicuti in occidentali Solis parte incepit claritas apparere; vt ex Dionysio explicat Sanctus Doctor: sic gradatim visam vbique eclipsin tenebrasque subinde super vniuersam terram factas fuisse, rationabile est. Videlicet vt sic vniuersis vel ob ore sapientum inauditum antea audiretur miraculum: quod ineluctabile foret argumentum illius pronunciati; *aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina dissoluetur*, prout exclamasse hisce visis portentis Dionysium ferunt Historiæ. Propter-quod inquit *Christophorus Flauius in Sphæram Ioannis de sacro Boscho*, erexerunt Athenienses Altare consecratum Deo: quem illis paulo post Beatus Paulus manifestauit. Stet ergo præcipuam tenebrarum illarum causam fuisse Solis eclipsin: ex qua dictum est à Luca, *& Sol obscuratus est*: neque necessium esse, recurri ad prodigiosam radiorum solarium suspensionem, quoad alias Orbis nostri regiones; quando, bene sciuit & Diuus Thomas, consueta eclipsi Solis non totam obtenebrescere terram; & omnibus vnà simul regionibus non exhiberi: sed non propterea, vbi coaceruantur miracula, impossibile ratus est, vt eo trium horarum spatio, vniuersa terra, & non sola Iudæa, quam maxime, ab eadem eclipsis successione, hic, istic, illic in tenebris esset.

39. Vnum superest requirendum, quomodo simpliciter tenebræ dicantur fuisse: quod nobis atratum aerem significat. Difficultatis ratio est; quoniam vbi Solis occurrat eclipsis, pallescere potiùs videtur regio aeris, quàm obtenebrari instar noctis. Respondendum autem videtur, quandoque sic accidere, vt contabescat veluti lumen, quia Sol non totus lunæ obiectu intercipitur, sed tantùm ex parte: vnde remanet ex quo radios exustilet suos, quamuis non adeo coruscos, quia offuscatur nobis nonnihil. At si contingat totum deficere globum, quis ambigit densas futuras tenebras, quousque incipiat Sol purgari & reapparere? Tunc autem Sol totus opertus est: quia ad terrorem voluit Deus, & ad ingentem admirationem tenebras; vt timerent Iudæi die ac nocte, secundùm illud Deuteronomij 28. ad rem allegoricè; *& erit vita tua quasi pendens ante te; timebis nocte & die:* (tunc dicito nox erat & dies) item vt admirarentur obstupescerentque Gentiles, impleto quod allegoricè pariter vaticinatus est Amos dicens c.8. *occidet Sol in meridie*. Præterea Astronomiæ documentis didicimus, aliunde non obscurari tractum aliquem omnino ex eclipsi, quia extra illam lineam Sol de more irradiat: & reflexione quadam aeris illustrati, etsi ob ipsius insoliditatem minus perfecta, exiguum redundat lumen vbi est eclipsis. At tunc temporis, quia intendit Dominus, quod ait Leo Papa, vt *obscuratis Cœli luminaribus, vniuersa creatura impiorum se vsui denegaret*, suaderi iuuat, compescuisse Dominum concursum, ne laterali aliquo lucis subsidio Iudæa præsertim frueretur; sed prorsus iaceret in tenebris: iuxtà quod *lux in tenebris eluxerat, & tenebræ eam*, tropologicè, *non comprehenderant: per quæ enim peccat quis, per hæc & torquetur*, Sap. 11. Vnde Augustinus lib. 3. de mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 3. cap. 12. *tantùm lucem Solis media die tenebræ obscurauerunt, vt per tres illas horas defectionis, stellæ in Cœlo visæ sint*. Sicque ait Hieronymus; *videtur luminare maius retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum; aut impij blasphemantes sua luce fruerentur*. Addo Iob 24. *ipsi fuerunt rebelles lumini*: & Ioann. 3. *lux venit in Mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*; meritò super hos fiunt tenebræ; quippe qui mittendi sunt in tenebras exteriores. Præter Iudæam ergo aut præter Ierusalem, de qua aliàs Sophoniæ 1. *scrutabor Ierusalem in lucernis*, dicamus passum quidem Orbem terrarum tenebras; sed fas sit dicere, non adeo excellentes, quæ caliginem saperent. Quanquam etenim caligo etiam dicatur tenebra; solet etiam obscuriùs accipi; sicuti ibidem Sophonias dicit, *dies tenebrarum & caliginis*. Alibi itaque ob eclipsin factæ sint tenebræ; at non densiores: in Iudæa ob irreflexionem contermini cuiuscunque luminis, maiores. Quoad spatium trium horarum, in primis dici potest factum esse, ad euincendum miraculum maius: neque enim interiectus lunæ, quæ minor adeo est Sole, mouetúrque velociùs, tantùm valet durare. Deinde ait Diuus Thomas, T vt impleretur figura: nam Exodi 10. Moyses tribus horis extendit manus suas in Cœlum: & factæ sunt tenebræ tribus diebus. [T D.Th. hic.] Quoad sextam horam, cùm scilicet Sol in meridie in medio est Cœli: moriturus Dominus, qui Malachiæ 4. *Sol est iustitiæ*, tunc immo elanguescere aspectui nostro voluit Cœli iubar. Hora etiam sexta, vt hominis innueretur lapsus; nam vt notatur, V sexta hora secundùm quosdam peccauit. [V Genesis 3.] Subdat Gregorius hom. 11. in Euang. *genus humanum in Parente primo, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patiebatur*. Ideo fortè in huius signū, *factæ sunt tenebræ vsque in horam nonam*, quousque Sapientia (Sap. 10.) *eduxit Adam à delicto suo*; postquam deambulauit Dominus *in Paradiso ad auram*, Genes. 3. *post meridiem*.

VERS. XLVI. *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens; Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est Deus meus; &c.*

Vt ostenderet Christus X quòd passio illata, per violentiam eius animam non eripiebat, naturam corporalem conseruauit in sua fortitudine: vt etiam in extremis positus; *voce magna* clamaret: quod inter miracula mortis eius computatur. 40. [X 3.p.47. a.2.] Nam vt ait in hom. Chrysostomus, *homines cum moriuntur vix tenuem vocem emittere possunt*. Vnde dicitur Marci 15. *videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: verè hic homo filius Dei erat*. Intonat autem Christus psal. 21.

qui

A psal. 21. qui ipsissimis eisdem verbis exordium habet; *Deus meus Deus meus*, &c. Repetitur verò bis *Deus* A ad maiorem certitudinem: Genesis 41. *quòd autem vidisti secundò, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est:* siue B ingeminat, vt magnitudinem affectus humani designet. Notat autem, inter alios psalmos, qui de Christi passione tractant, C hunc cæteris prolixiùs id exequi. Dicito propterea in consummatione passionis suæ ipsum prælegisse, & mente totum recoluisse. Ex quo prænunciatum prophetice tantum mysterium perciperent fideles. Augustinus in psalm. 21. vt quid dixit, *Deus meus Deus meus* &c.? *nisi quodammodo intentos nos faciens, & dicens: psalmus iste de me scriptus est*. Quod quia prægnans fuit tot alijs ineffabilibus; benè dixit Origenes clamasse, ad innuendam multitudinem mysteriorum. Sciendum est autem nonnullam emergere posse dubietatem, quonam idiomate Christus hæc verba protulerit. Et augetur scrupulus, quoniam in Matthæo legimus *Eli*, *Eli*; in Marco *Elohi*, *Elohi*. Item vtrobique *sabachtàni* dereliquisti me: cum tamen hebraicè in psalmo sit *ngazabtani*. Si peritiores adeamus linguarum professores hebraicæ syræ & chaldaicæ, inuenimus *Elohi Deus meus*, syriacum esse: & quidem vsitatiùs sic chaldæis & syris in singulari, quàm hebræis, qui ferè plurali *elohim* vtuntur, non verò *Eloha* singulari, fortè quòd aliquando in malam partem accipiatur, vt notant grammatici. Quoniam igitur, non tam græca quàm latina, vt aiunt, vetusta exemplaria, habent *sabachtàni*, quod syriacè scribitur, sentiunt sic Christum clamasse, non verò hebraicè. Lingua quippe, quæ tempore Christi in Iudæa vulgaris erat, non purè hebræa, sed mista fuit; vt sunt linguæ syrorum chaldæorum arabum, & aliarum nationum orientalium. Vt ergo ab omnibus intelligi posset, sicut vernacula syrorum lingua Christus vtebatur, ita versiculum psalmi hebraici syriacè pronunciauit. *El* autem quod est *Deus* tam syris quàm hebræis familiare est. *Et* si requiras, pronunciaritne Dominus *Eli* vt in Matthæo, seu potiùs, *Elohi*, quod est syriacum, vt in Marco? Respondeo, verisimiliùs esse clamasse *Elohi Elohi*, syriacè, quemadmodum Marcus refert, nam & quæ sequuntur, syriaca sunt, *lammà sabachtàni*. Quare autem in Matthæo non legamus *Elohi*, sed *Eli*, esse potest ratio; quia *Matthæus primus in Iudæa*, vt testatur Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, *propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Euangelium Christi hebraicis literis verbisque composuit*. Vnde, vt eorum iudaicæ linguæ deferret honorem, *Eli* posuit, & iudæis & syris familiare, idem omnino valens ac *Elohi*. Marcus, qui latinè scripsit Romanis, ipsissima verba Domini, non modò sensum, vt Matthæus, descripsit. Suspicatur Angelus Caninius, *de locis Sacræ Scripturæ hebraicis* c. 11. Christum potiùs protulisse *Eli*; sed leui coniectura, quòd scilicet propiùs accedat ad nomen *Eliæ*, quem quidam tunc existimarunt vocasse; *Eliam vocat iste*. Sed vt ait Hieronymus, arbitrandum est, *milites fuisse Romanos, non intelligentes hebraici sermonis proprietatem*. Et hac imperitia laborare potuisse quis ambigat, etiam audito confusè *Elohi*, vbi tumultario concursu mussitabatur? Assueti autem audire de *Elia*, qui facilè per omnium ora volitabat ceu cantatissimus Propheta, *Elohi* pro *Elia* perceperunt: ignoranter omnino, quando sequentia verba *lamà sabachtani* minimè conati intelligere, dicebant vocatum ab eo Eliam: perspicuo argumento, eas voces non distinxisse milites præsertim exteros, linguarum ignaros.

Sequitur; *vt quid dereliquisti me?*

41. Vt obstruatur os loquentium iniqua, accuratiùs huiusmodi Domini verba expendamus. Quærit Angelicus, *an Deus Pater tradiderit Christum passioni?* D affirmat pro hac etiam causa; quia non protexit eum à passione, sed exposuit persequentibus: & hoc sonet ex Augustino quoque ly *dereliquisti*; quasi exposuisti passioni. Aliquis enim dicitur derelictus, quando non adest ei Deus, sicut adesse videtur dum protegit; siue dum petitionem patientis implet. Et ita derelictum se dicit, quantùm ad illam orationem, qua dixerat; *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*; vt exponit Augustinus *in lib. de gratia noui Testamenti*. Recole Damascenum lib. 3. cap. 15. *Diuinitatem Christi permisisse carni, agere & pati quæ propria*. Quod fuit humanitatem quodammodo derelinqui. Alij interpretantur de desertione per carentiam omnis gaudij & consolationis, qua acerba passionis pœna ac tristitia mitigaretur. Et ad hæc ferri solet illud Isaiæ 54. *ad punctum in modico dereliqui te*. Quoniam verò interrogatione Christus exclamat, exponitur etiam ad Iudæorum deplorationem; E quare voluisti, vt passioni traderer, & illi obtenebrarentur? quorum scilicet obcæcationem portenderant, quæ nuper factæ fuerant tenebræ. Origenes similiter, Gentium quoque demeritum & ingratitudinem altè doluisse Dominum, sentit. Cæterum ne graueris lector, piè amanterque sentiens de amore Iesu peregrinam suscipere loci huius exegesin. Præsupponendum est igitur, sanctissimæ Christi Domini humanitati Diuinitatem præstitisse in passione, vt nedum dolori non cederet, qui F definitur maximus dolorum: sed etiam vt non elanguesceret sensim; quod euenit patientibus cunctis. Hinc respondet Angelicus; G quòd Christus naturam corporalem in sua fortitudine conseruauit; adeo vt in extremis positus voce magna clamaret. Vnde voluntariè mortuus est; quia sicut eius voluntate natura corporalis conseruata est in suo vigore vsque ad extremum, sic etiam quando voluit subitò cessit nocumento illato. Non est autem quo immoremur ad suadendum, ex charitate ineffabilique ex dilectione morti se tradidisse Dominum Iesum; qui quamuis vel suspirio potuisset Mundum redimere, tot sibi complacuit sustinere probra tormenta mortemque crucis. Maior quippe fuit H charitas Christi patientis, quàm malitia crucifigentium. Et ita pati voluit in iuuenili ætate, I vt ex hoc magis suam dilectionem commendaret, quòd vitam suam pro nobis dedit; quando erat in perfectissimo statu. Scio qualiter charitas Christi non fuit magis L augmentata in passione, quàm ante. Nihilominus qualis, quantaque fuerit eius in nos dilectio, decuit ostenderet. Delibatur autem ipsius excessus, ex *excessu, quem*, Lucæ 9. *completurus erat in Ierusalem*: sed eo magis deprehenditur, quòd tribus horis in cruce pendere voluerit. Bernardus; *verè copiosa Christi redemptio, quia vndam sanguinis per quinque partes corporis largiter effudit, cùm vna gutta sufficeret; sed data est copia, vt magnitudine muneris, virtus innotesceret diligentis*. Et Augustinus in Sermone de passione: *ergo hæc prima causa Dominicæ passionis; quia sciri voluit, quantùm amaret hominem Deus, qui plùs amari voluit quàm timeri*. Quòd si feruentissimum Christi amorem, cùm in patibulo tantæ ignominiæ pro nobis tandiu pependit, agnoscimus; quid prohibet meditemur vi amoris eiusdem exoptasse, vt esset cruciatus maior & pœna productior? Mihi ergo suasum est dum omnia patheticè crucifixo Domino reboant, expetijsse diutiùs sanctissimum suum corpus, eousque diuinitus collato vigore robore ac fortitudine vigere, vt superabundè adhuc pateretur, nunquam satis suo amori. Dic ergo, cùm se iam destitui ceu morti proximum viribus præsentiret, in ea extremo velut conatu

Marginalia: B D.Th. hic. — C psal. 21. — D 3. p. 47. 3. & q. 50. a. 1. hic & psal. 21. — E D.Th. hic. — F 3. p. 46. 6. — G 3. p. 47. a. 1. ad 2. — H 3. p. 48. a. 2. ad 2. — I 3. p. 46. 9. ad 4. — L 3. p. 48. 1. 3.

conatu exclamasse verba, *Eli Eli lamma sabacthani.* Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: etiam plusquam prophetica certitudine, ob quam futura, tanquam præterita decantantur: vt quid vel cœpit derelinquere, vel derelicturus est me pristinus corporeæ fortitudinis vigor? Cur non vltra patiar? quando sitio adhuc tormenta, vt elucescat quàm sit copiosa redemptio. Mi dulcissime Iesu, animam in pœnis acerbissimis agis, & adhuc aues tormenta? planè; *sitio*. Quod est, cruciatus diuturniores desiderio desidero. Bernardus: *maiora sitiebat tormenta.*

42. Sic sitim accipi posse, ne reputet quis absurdum, piè deuotèque recogitet immensum in nos Christi amorem, qui quousque pro suis ouibus optimus Pastor animam poneret Lucæ 12. coarctabatur: *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsq; dum perficiatur?* Quòd si Thren. 3. prædictum est, *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs*, vbi Paschasius; *ostenditur auiditas desideriorum; quoniam omnis saturitas ex auiditate sumendi nascitur:* si ad illud Hebræorum 12. *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, dicit Haymo; *gaudium maximum fuit illi, quòd pro nobis est passus*, cur non astruamus consectariò, has quas protulit altè voces; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*, fuisse & esuriem & sitim suum prolongandi martyrium? videlicet, ne vigor ille naturæ supra naturam ei datus languentia derelinqueret membra, iam iam supplicio cessura. Fortè autem ideo sitire expressit se, quia vt ignescat amor, philtrum, quod amatorium dicunt poculum, solet hominum superstitio propinare. Hocque vt fideles ex vanis etiam erudiat. Spiritualem huiusmodi subesse sensum in ly *sitio* claret, quando ait Ioannes cap. 19. *vt consummaretur Scriptura, dixit; sitio*. Neque enim de sola corporali prædicenda siti fuit Spiritus-Sanctus solicitus psal. 68. *in siti mea potauerunt me aceto*: quasi doleat sic suo amori repensum. Quemadmodum & c. 4. dixit Samaritanæ *da mihi bibere*: & deinde discipulis; *ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*, ad spiritalem auocans intelligentiam.

43. Non itaque videatur isthæc interpretatio inane commentum; quando ex ipsamet sententia, atque ex psalmi 21. contextu talis emicat sensus; vt nimirum protractiùs superhumana gauderet corpus suum fortitudine. Quod vt deprehendatur, curiosiùs requirendum objicitur, qua ex causa, dum Patrem alloquitur, non eum Patrem vocat? In horto ter Patrem inclamat. *Pater mi, si non potest hic calix transire*, &c. immo apud Marcum geminatur, *Abba Pater*, &c. Et aliàs, (quod auget difficultatem) in cruce pluries Patrem nominat; Lucæ 23. *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Præterea si à voce Patris abstinere ea in exclamatione voluit, Deumque compellare, cum decem enumeret Dei nomina Hieronymus ad Marcellam, cur *El* delegit dicendo *Eli, Deus meus?* cur non potiùs *Ngelion* quod *Excelsus*; *Saddai*, quod *Omnipotens*; *Adonai*, quod est *Dominus?* Liceat, vt his fiat satis, dicere, propterea intonuisse *Eli Eli*, quemadmodum & præscius in psalmo Dauid; quoniam robur & fortitudinem ad alias passiones tolerandas, atque cum gaudio suscipiendas, exquirebat. Quod quidem laudabiliter inferri fas est; quia *El*, græcè *ischyros*, latinè *fortis* dicitur, à themate hebræo, *El*. Huiusmodi autem infractam corporis fortitudinem, diuino consilio, non vltra obtinuit; quo posset mori pro nobis; iuxta quod disposuerat, hora videlicet nona, eoque die æternus Pater. Cum quo stat heroicè fortitudine animi potitum vsque ad instans mortis fuisse, qui decantatus fuerat *fortis & potens in prælio*: in cuius signum non *fregerunt eius crura*. Sitiuit ergo, vt in psalmo canimus, *ad Deum, fortem viuum*, vt sicut in anima requieuerat *spiritus fortitudinis* Isaiæ 11. ita viribus corporis non tam citò destitueretur; idque in ostensionem amoris; quandoquidem Apoc. 1. *dilexit nos, & lauit nos à peccatis in sanguine suo*.

44. Interpretatio isthæc absona videatur minimè, cùm immo concors est Psalmistæ, si profundè, quæ prompsit verba examinentur. Postquam enim dixit in spiritu Messiæ ab ore; *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* adiecit; *longè à salute mea verba delictorum meorum*: & (quod obscurius est) *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte: & non ad insipientiam mihi*. Neque enim perspicuum apparet, de quo Deus exoretur non exauditurus: præsertim dum adiectum est, *Deus meus clamabo per diem*, quod perseuerantem diu clamorem sonat. Adde, mox subdi de Patribus antiquis, *ad te clamauerunt, & salui facti sunt*: & ipsemet deinde, *cùm clamarem ad eum, exaudiuit me*. Ingens enim est contrarietas, *non exaudies, & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me*. Ly etiam *& non ad insipientiam mihi*, mirandum certè aliquid portendit; quandoquidem, si, vt exponunt, accipiatur in hoc sensu; quasi dicat; *non reputabitur ad insipientiam mihi, quòd licèt non statim exaudiar, (& hoc certò præsciam) clamem tamen, & opem & solatium inclamem; quia certus sum, quòd opportuniori tempore succurres mihi, & alia nobiliori via exaudies me, scilicet resuscitando me, & per crucem ac mortem meam Mundum saluando*, vt apud Tirinum; non omnino in huiusmodi interpretatione quiescit pius lector; quippe qui videt, non tam facilè damnandum fuisse insipientiæ, quòd quanquam non exaudiretur clamaret. Etsi enim præscius, non fore vt exaudiatur, dum clamat, posset insipientiæ notari hac ex parte: attamen ex quo haberetur præscius voluntatis diuinæ, plusquam purus homo credendus fuerat; proinde insipientiæ expers. Vt quid ergo hanc exprimi præoccupationem: *& nocte, & non insipientiam mihi*. Quid sibi timet Dauid? in cuius encomium 2. Regum 14. dictum est; *sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus Rex; vt nec benedictione, nec maledictione moueatur*.

45. Ad hæc, quo magis altitonantem Dei sapientiam in psalmo propheticè, & in cruce antitypicè demiremur; ex verbis ipsius Dauid, si mentis aciem figamus, quo possimus mysteria intelligere, lumen refulget. Igitur quod ait Psaltes, *longè à salute mea, verba delictorum meorum*, eiusmodi elucescat paraphrasi. Clamo, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* hoc est; vt quid corporalis fortitudinis dono ad subeunda diutiùs eaque maiora tormenta, iam iam me destituis; si immò dispensatio carnis assumptæ secus exigeret? *verba delictorum meorum* (videlicet ex Diuo Thoma, in omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat patiendo, sibi ascribit) *longè* (supple, sunt satisfactionis gratia) *à salute mea*, siue à terminandis tam citò pœnis. Altitudine itaque prophetica instat veluti, ne Deus fortis, seu fortitudo eius eum tam festinè corporaliter derelinquat; quia peccata humani generis non patiantur sic breui tormenta expleri. Et si roges, quomodo non sit interpretatio hæc extorta? recole & secundùm Philosophum 5. Ethicorum, quòd carere malo, quoddam bonum est: & ideo consummari tormenta, suam dicit Christus salutem; quia non vltra torqueri & carere diuturnioribus pœnis, bonum quoddam est: à quo bono salutis longè edicitur esse cumulus peccatorum nostrorum; quæ immo, quòd infinitam Maiestatem offenderint, cumulari satisfactiones exigerent. Dicit autem *à salute mea*, vt vel cognato vocabulo, salutem humani generis, quam assequuti sumus suæ salutis impendio, subinnuat. Non ergo cohærent assumpta pro nobis delicta, & corporalis Saluatoris salus: longè sunt ab hac salute. *Si*

3. p. 46. 6.

Christus, inquit Chrysologus, *in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet; & si non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset ociosa susceptio*. Ex quo sibi peccata nostra adscripsit, infirmitatis suppliciorum mortisque sponté reus factus est: (psal. 68. *quæ non rapui, tunc exoluebam*,) longè ab ipsius incolumitate redemptio. Si degit incolumis, non venit Redemptor; si Redemptor adfuit, nequiuit incolumis esse: *longè à salute eius, verba delictorum suorum*; te, nostrorum. Quamuis hic non ad subeundam simpliciter passionem, sed ardore patiendi, vt fieret productior exclamet; quòd nollet tam citò, vt amoris magnitudini responderet, tormenta finiri: ideoque superhumana fortitudine derelinqui. Vel coaceruari deposcebat dolores; quos nisi fortior esset, corporis viribus, (ex quo inuocat Patrem *fortis* nomine, *Eli Eli*) sufferre non posset; cũ impos ad eos tolerandos, si gratuito derelinqueretur dono illo corporeæ fortitudinis, esset humanitas.

46. Quòd profundam attigerimus vaticinij intelligentiam, operosiùs ostendendum est: & quidem ex adiecto, *& non ad insipientiam mihi*. Videtur enim palam denegari, hoc esse insipientiæ: quasi ei obijceretur de insipientiæ nota, si diu cruciari amantissimè Deum rogasset. Si de *simpliciter*, ad *magis* libeat philosophari, audiamus appositissimè Angelicum; qui expendens quod habet Apostolus 1. Cor. 1. *verbum crucis pereuntibus stultitia est*: &, *nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum; Gentibus autem stultitiam*, sic ad rem mirè scribit; N Prædicatio crucis aliquid continet, quod secundùm humanam sapientiam impossibile videtur; puta quòd Deus moriatur; quòd Omnipotens violentorum manibus subijciatur. Continet etiã quædam, quæ prudentiæ huius Mundi contraria videntur; puta, quòd aliquis non refugiat confusiones cum possit, & alia huiusmodi. Itaque propter defectum sapientiæ, reputant impossibile hominem Deũ fieri, & mortem pati secundum humanam naturam. Propter defectum autem prudentiæ, reputant inconueniens fuisse, quòd homo sustineret crucem, *confusione contempta*, vt dicitur Hebræor. 12. Hactenus Diuus Thomas: quod paucis dixit Gregorius; *stultum quippe hominibus visum est, vt pro hominibus Auctor vitæ moreretur*. At absit, hoc inenarrabile pietatis opus insipientiam existimari. Nedum mori, sed morte turpissima mori. Qui sic blasphemant, *nescierunt Sacramenta Dei*; vt immo legitur Sap. 2. Redargui sine dubio posset ab huiusmodi Dei ignaris, a fortiori de prolixitate pœnarum; quasi esset imprudentiæ ac insipientiæ non modò se probris & flagellis exponere, sed isthæc auidius optare. Paucis occurrit Dominus dicens, *& non ad insipientiam mihi*. Quod fuerit, si figuratè accipiatur, non duntaxat denegari esse insipientiam; sed contendere altissimæ esse effectum sapientiæ, tropo scilicet, quem dicunt *litoten*, cum minus dicitur, & plus intelligitur; vel *meiosin*, qui est attenuatio orationis per modestiam: sed hic dicito propter excessum, quia sapientiæ sit portentum ineffabilis, voluntariè sic Christum se ipsum sacrificare, atque de suis cruciatibus angoribusque diutinis lætari. Elucet ex Damasceno in incarnationis mysterio sublimissima Dei sapientia, *quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem*. Decuit autem hunc fieri à nobis excursum, ne impijssimi Caluini blasphemia fidelium pulset aures: quandoquidem pudibundum non puduit euomere delitis vocibus, Christum ea in exclamatione, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? desperasse.

N 1. Cor. 1. l. 3.

47. Vnum cum Hieronymo adnotandum in psalmo illo, cuius principio vsus est Christus, superfluum videri, quod est in medio versiculi, *respice in me*. Idcirco *de optimo genere interpretandi*, ad Septuaginta Interpretum voluntatem refert; qui sic interposuerunt, *respice in me*. Nihilominus, vt inter alios considerat Antonius Nebrissensis in sua *Quinquagena*, sentiendum est implicitè subintelligendum fuisse; & propterea ab eis interiectum, *respice in me*. Vnde, inquit, *mora quædam siue silentium semper interponitur inter vocatiuum, & sequens verbum: ex quibus, respice in me poterat enunciari*. Aliàs cum pluries in psalmis, huiusmodi legatur hemistichium, *respice in me*, ad Deum, non incongruè id expressèrunt; sicuti & ps. 83. canimus; *respice in faciem Christi tui*. *Circa horam nonam* denique clamat Iesus; O vel ad insinuandam transgressionem primi hominis; siquidem Adam post meridiem peccauit: vel mortuus est aduesperascente iam die, P & recedente in tenebras; ad ostendendum, quòd per suam mortem destrueret tenebras culpæ & pœnæ. Claudat Origenes, qui postquam huc illuc deflexit ad interpretandum hanc literam, adiecit; *non autem æstimes, humano more Saluatorem ista dixisse, propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce: si enim ita acceperis, non audies magnam vocem eius; quæ ostendit, aliquid esse magnum absconditum*.

O D.Th. hic.

P 3. p. q. 53. a. 1. ad 3.

VERS. XLVIII. *Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam*, &c.

Latiùs apud Ioannem; *vas autem erat positum aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto*, &c. 48.

Lucas pariter; *illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei*. Hinc oritur difficultas; quia Marcus cum Matthæo singulariter ait, cucurrisse vnum. Veruntamen diluitur facilè, vel attento Scripturæ more sic loquentis: & ex interiori consensu plurium ad id quod facit vnus: vel quia hic plures offerebant se daturos ei acetum; quod tamen re ipsa *vnus dabat ei bibere*. Huiusmodi autem Christi potus de aceto perbellè adstipulatur proximæ clamoris Iesu interpretationi; vt scilicet ardore patiendi, humanitati robur adhuc ad sustinendũ pœnas Deus restauraret. Ad hæc Tirinus hic; *acetum*, inquit, *quod in eos vsus isthic in vase ad manum aderat, pendenti porrigunt, partim illudendi, vt ait Lucas, partim, refocillandi causa, vt vitam in tormentis diutiùs prorogare posset. Nam acetum præsertim hyssopo mixtum, deficientibus animos addit; & sanguinis è vulneribus profluuium ex parte sistit*. Non miror subinde quod ait Ioannes; *cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit; consummatum est*. Consummata impletaque ea etiam ps. 68. Scriptura; *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*. Quod quidem, vt animaduertitur, quia summa valet exsiccandi facultate, tantum abest sitim restinguat, vt longè maiorem excitet. Mihi ergo sit sensus, dixisse Dominum, breuẽ illam orationem *consummatum est*, præter alias causas; quatenus opere exhibiti illius potus, commonstratus fuerat summus ipsius ad patiendum feruor; vt quisque Apostolicam perenni mente volueret sententiam ad Gal. 2. *dilexit me & tradidit semetipsum pro me*. Non fuerit absonum ex his colligere; propterea, nec Matthæum nec Marcum retulisse, quod habet Ioannes *sitio*: quia notando exclamasse *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? quod omisit Ioannes, satis sitim eius innuerant; quod exposuimus. Lucas nec sitim, nec derelictionẽ exprimit; fortè quia moram traxisse in supplicio aliunde innotuit, & quidem siticuloso & inextinguibili ardore, cùm vt latronem lucrifaceret, diu pependit. Quæ tamen pœnarũ acerbissimarũ prolixitas, exiguũ temporis spatiolũ erat amantissimo Iesu: nõ secus ac Iacob pro Rachele seruienti septem annis Genes. 29. *videbantur pauci dies præ amoris magnitudine*. Quamuis & aliunde attẽto inenarrabili passionis prouentu & fructu, posset instar Apostolicum dictum exaggerari, 2. Cor. 4. *momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*.

VERS.

VERS. L. *Iesus autem clamans voce magna, emisit spiritum.*

49. *Domine, aut pati, aut mori*, Christi sponsa Teresia crebrò vsurpabat. Sic alterutrum in Cruce deposcit vel tacitè Dominus; idque vi excessiui infiniti sui in nos amoris: ex quo non tam amans, quàm amor vocitatur. *Iesu nostra redemptio; amor & desiderium. Amor Iesu dulcissime*, canit Ecclesia. Non illi datum est vlterius pati; quia consummatum est: datur ei mori. Amanter eliquabatur Ignatius isthæc recogitans, erumpens apud Dionysium compassiua ea in verba; *Amor meus crucifixus est*: quemadmodū & Franciscus Seraphicus & corde & ore iterabat; *Deus pro me mortuus est*. Non antea visum, nec vltra videndum spectaculum; quando *in ligno mortua vita fuit*. Clamor in Scripturis affectus magnitudinem ardoremque mentis significat; hic Diuinitatis est index. Vnde Marci 15. *videns Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait; verè hic homo filius Dei erat.* Quamuis infra Matthæus v. 55. non solum Centurionem, sed alios quoque; neque ex solo clamore; sed *viso terræ-motu & his quæ fiebant*, recolat id affirmasse. Cur Lucas confessionem hanc prætermittat; sicuti omnino Ioannes, patefiet in Syntaxi. Quid prompserit ita clamans, fert Lucas; *Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & hæc dicens expirauit.* Quis posthac mori renuat, quando, vt ait Damascenus Orat. 2. de dormitione Beatæ Mariæ, *eius filius, qui est vita ipsa, mortem non recusauit?* Beata & felix Stephani sors; qui mortem quam Saluator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Saluatori! De hoc *in primis* 1. Corinth. 15. Apostolus; *tradidi enim vobis, quod & accepi; quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas.* Isaiæ 53. *sicut ouis ad occisionem ducetur; & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. Quocirca Philippus, incipiens à Scriptura ista, euangelizauit Eunucho Iesum.* Ieremias item, vt expendit Augustinus 5. de Ciuitate Dei cap. 33. Thren. 4. reliquit vaticinium; *Christus Dominus captus est in peccatis nostris*; nam *sic breuiter ostendit & Dominum nostrum, Christum; & passum esse pro nobis.* Scripturas alias videat eruditus.

VERS. LI. *Et ecce velum Templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.*

50. Magnum quid admirationeque prædignum fuisse portentum hoc liquet: præsertim quia diuini huiusmodi operis ratio difficilè videtur posse proferri. Commemoratur Machabæorum 1. cap. 4. duo fuisse in Templo vela: quæ item post sacrorum omnium excidium reparauerunt: nam *ædificauerunt Sancta &c. & appenderunt vela.* Duplex ergo erat velum Q in Templo, sicut in Tabernaculo; quia erat velum intra *Sancta Sanctorum*; & erat velum in Sanctis. Exterius quippe Tabernaculum, quod dicebatur *Sanctum*, quodam velo R distinguebatur ab Atrio. Fuisse duo isthæc vela gratis Iansenius c. 143. in Templo negat; quamuis cum esset Tabernaculum, nequeat diffiteri; nam Hebr. 9. dicit Apostolus; *post velamentum autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* Putat autem in Templo, prioris veli locò extitisse ostia & portas Templi. Mouetur autem leui argumento; quia si fuisset velum duplex, non dicerent Euangelistæ adeo indistinctè; *& velum Templi scissum est.* Huic obiectioni respondet Suarez in 3. p. q. 50. a. 6. disput. 38. sect. 2. sæpè indefinitam locutionem æquiualere particulari; ac si dicerent; quoddam velum Templi scissum est. Neque oportuisse, magis definitè loqui, quia ad historiam nihil referebat. Veruntamen Origenes palam duo asseuerat etiam in Templo vela. Præterea Ioseph lib. 6. de bello iudaico cap. 6. id ex-

Q D. Th. hic.

R p. 2. 102. a. 4. ad 4.

pressè testatur; denarrans enim totam fabricam Templi, dicit, illam interiorem partem, ad quam soli Sacerdotes ingrediebantur, separari ab exteriori, interiecta porta deaurata, quæ fores habebat aureas, & aulæum longitudine pari; hoc est velum: quod ibi latè describit. Sic Cyrillus libr. 12. in Ioannem cap. 37. inquit: in primis enim ianuis Templi velum erat extensum, intra quod primum Tabernaculum erat. Et eandem sententiam manifestè supponit Hieronymus Epist. 150. quæst. 8. requirens, quodnam velum Templi scissum fuerit, exterius an interius? Sed iam litem dirimit auctoritas nuper allata Machabæorum, vbi pluraliter scriptum est; *appenderunt vela.*

His præiactis, momenti surgit difficultas, de cuius 51.
veli scissione sermo sit euangelicus; & ad vtramque partem Interpretum auctoritas est. Cyrillus de velo quod Sancta Sanctorum tegebat exponit; significatumque fuisse, per mortem Christi propalatam esse Sanctorum viam, ianuamque Cœli, quæ antea clausa erat, apertam. Leo Papa etiam Sermone 17. & 18. de passione consentit: *& sacrum*, inquit, *illud mysticumque secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est; vt nihil iam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis.* Et priùs, *traxisti Domine omnia ad te; quoniam scisso Templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt.* Cæterùm exterius velum scissum fuisse præter Origenem Tract. 45. in Matthæum, affirmat expressè Hieronymus loco citato. Quod item constanter tradit Angelicus S hic & alibi, vt videbimus. Quocirca; vt omnis tollatur dubietas, mysterium facti huius scrutemur necesse est. Aliquod enim certissimè arcanum latet, quando Ioannes, nec verbum hac de re facit; solicitus aliàs referre, quomodo cap. 21. *cùm tanti essent pisces, non est scissum rete.* Meditatus est Theophylactus, morem fuisse Iudæis, audita blasphemia in Deum, scindere vestes: *ita ergo*, inquit, *nunc diuinum Templum, quasi ægrè ferens mortem Christi, disrumpit vestem suam.* Ambrosius lib. 10. in Lucam habet; *velum scinditur, quo vel duorum populorum diuisio, vel mysteriorum Synagogæ profanatio declaratur. Scinditur ergo velum vetus, vt Ecclesia noua fidei suæ vela suspendat. Synagogæ velamen aufertur, vt Religionis interna mysteria, reuelato mentis cernamus obtutu.* Apertiùs Angelicus; T velum interius significabat velationem mysteriorum cœlestium, quæ nobis velabantur: aliud quod erat exterius, significabat velationem mysteriorum, quæ ad Ecclesiam pertinent: vnde istud exterius fuit scissum, alterum non: ad significandum, quòd per mortem Christi manifestabantur mysteria, quæ ad Ecclesiam pertinent: sed aliud non fuit diuisum; quia secreta cœlestia adhuc remanent velata. Sic ad illud Hebræor. 6. *vsque ad interiora velaminis*, V inquit; per *Sancta*, quæ erant in Tabernaculo, intelligit statum præsentis Ecclesiæ; sed per *Sancta Sanctorum* quæ per velum distinguebantur à *Sanctis*, intelligit statum futuræ gloriæ. De hisce velis item X sic ait; per exterius Tabernaculum, quod dicitur *Sancta*, significatur status veteris legis, vt Apostolus dicit ad Hebræos 9. & aperit causam; quia ad illud Tabernaculum semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. Per interius verò Tabernaculum, quod dicitur *Sancta Sanctorum*, significatur vel cœlestis gloria, vel etiam status spiritualis nouæ legis, qui est quædam inchoatio futuræ gloriæ. Status quippe A veteris legis occultus fuit. Hinc Apostolus; *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat*; quia fides in antiquis temporibus multis signis latens, B reuelanda erat tempore gratiæ: vnde tempore mortis Christi,

S D. Th. hic.

T D. Th. hic.

V Hebr. 6. l. 4.

X p. 2. q. 102. a. 4. ad 4.

A Hebr. 12. l. 4.

B Gal. 3. l. 8. Matthæi 13. ad finem.

velum Templi scissum est. Reuelantur quippe figuræ. Et sic Christus venit non legem soluere sed adimplere, quoad cæremonialia C figurarum velamen detegendo. Et ita circa passionem diuisum est velum, D ad ostendendum reserationem mysteriorum legis. Inde vbi Apostolus dolet de Iudæis dicens; *vsque in hodiernum diem, id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti, manet non reuelatum: (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Et huius ratio est; E quia claudunt oculos, vt non videant, quia velum Templi scissum est. Facit quod ait Leo Papa, scissum esse Templi velum; *vt figura in veritatem; prophetia in manifestationem; & lex in Euangelium verteretur: vt quod in vno Iudææ Templo obumbratis significationibus tegebatur, aperto Sacramento vniuersarum nationum deuotio celebraret.* Quocirca & Augustinus in psal. 21. *velum Templi scissum est; quia quod* (in Scripturis) *velabatur, reuelatum est.* Et ecce cur Ioannes prodigium hoc tacuit; quia si de scisso Templi velo introduxisset, cum ipse cœlestis Patriæ gloriam, prout licet homini vel balbutiendo verset, non autem ex Instituto legalia figurarum; poterat quis de genuino hærere sensu; quandoquidem, qui in terris degimus figuratumque legis perspectam intelligentiam habemus; non ita cœlestia callemus, in qua sola spe ferimur; *vsque ad interiora velaminis*, vt dicitur Hebr. 6. Quare de primo ad vltimum, quod conueniens fuit in Christi Domini morte scindi velum, extitit velum *Sancti* anteriori in parte Templi; non verò quod occultabat *Sancta Sanctorum*: quæ pars Templi eiusdem & prius Tabernaculi, in cœlestis gloriæ symbolum vt supra diximus, inaccessa inuiolabilis & inuisibilis omnibus (dempto summo Sacerdote semel in anno vt dicitur Hebr. 9. vidimusque Leuitici 16.) habebatur.

C supra c. 5.

D 3. p. 44. a. 1.

E 2. Cor. 3. l. 3.

VERSV eodem LI. *Et terra mota est; & petræ scissæ sunt.*

52. Leo Papa; *in execrationem iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiam: cùm obscuratis luminaribus Cœli, terra quoque motibus quateretur insolitis; vniuersaque creatura, impiorum se vsui denegaret.* Cœli & terræ hinc satis innotescere potuit, quem crucifixerant esse Dominum. Gregorius homil. 10. in Euangel. *Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscondit; saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Et tamen hunc quem Dominum omnia insensibilia elementa cognouerunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum esse minimè cognoscunt; & duriora saxis, scindi ad pœnitendum nolunt.* Dic ergo Cœli & terræ se ostendisse arbitrum, proinde verum Deum; iuxta quod dicit Paulus Actor. 17. *Deus, qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo sunt: hic Cœli & terræ cùm sit Dominus*, &c. Nedum autem in Iudæa fuisse terræ-motum, sed & toto reliquo Orbe aliquibus visum est, teste de Bithynia Flegonte apud Eusebium lib. 9. Historiæ cap. 6. & quoad alia loca historicis alijs apud Baronium. Plinius speciatim libr. 2. capit. 48. Terræ, inquit, maximus memoria mortalium extitit motus, Tiberij Cæsaris principatu, duodecim Vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Quocirca Augustinus tomo 3. lib. 2. cap. 3. *de mirabilibus sacræ Scripturæ* habet; *in terræ-motu Dominicæ passionis vndecim Vrbes in Thracia subuersæ sunt.* Referri autem huc etiam potest, quod legitur Aggæi 2. *adhuc vnum modicum; & ego commouebo Cœlum & terram, & mare & aridam*, Vbi Iacobus Tirinus; *per terræ generalem motum, patiente Christo etiam mare concussum constat.* Sic quoad petrarum scissionem refert Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 13. in monte Caluariæ vsque in hodiernam diem, apparere, vbi petræ scissæ sint. Et præterea traditur ab incolis loci illius; rupem illius montis, in qua tres Cruces fixæ erant, sic disiectam fuisse, vt inter Crucem Christi ac impij latronis visa sit ruptio, quasi eum à Christo etiam localiter separans. Hieronymus ex Euangelio Nazaræorum accepit, superliminare Templi, quod ingentis erat magnitudinis, per medium diuisum fuisse. Scribit Sanctus Ephrem tunc visam columbam è Templo euolare. Baroniusque anno 34. Annalium, non solum Ierosolymis, sed in alijs quoque Regionibus disruptos tunc montes; scilicet montem Aluerniæ in Hetruria, & Caietæ promontorium propè Campaniæ littus: quod dicit ex incolarum traditione constare. Dic prouidè visa esse hic illic prodigia, ne commentitia crederentur comperta Ierosolymis; quando *in omnem terram exiret sonus eorum.* Denique ait Angelicus; F *terra mota est, & petræ scissæ sunt*; ad ostendendum, quòd lapidea hominum corda per eius passionem emollirentur; & quòd totus Mundus virtute passionis eius erat in melius commutandus. Dic mutationis huius indicem fuisse terræ-motum.

F 3. p. 44. 4. ad 3.

VERS. LII. *Et monumenta aperta sunt. Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, &c.

Quemadmodum horum Sanctorum resurrectio indubitabilis est; ita de tempore, num ante Christum, siue potius post Christum resurrexerint, exoritur quæstio. Hieronymus hic sentit non surrexisse, antequam resurgeret Dominus: & adstipulatur textus; *& exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Ciuitatem & apparuerunt multis.* Hinc & Angelicus; G tamen, inquit, sciendum est, quòd etsi de resurrectione eorum in Euangelio mentio fiat ante resurrectionem Christi; tamen vt per textum patet, intelligendum est, per anticipationem esse dictum: quod frequenter historiographis accidit. Quare autem ad hunc sensum exponatur congruè Matthæus ea potissimè ratio est; quia dicit glossa, ad immortalem vitam semper in corpore victuros resurrexisse, & ascendisse corporaliter cum Christo in Cœlum. Quod probabilius videtur, inquit Diuus Thomas; quia ad hoc quod verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit, quod verè resurgerent. Nullus autem ad perennem resurrectionem potuit præcedere Christum, qui 1. Corinth. dicitur *primitiæ dormientium.* Itaque quia Apocal. 1. Christus est *primogenitus mortuorum*, laudat alibi H Angelicus, intelligi Euangelistam hic loqui per anticipationem, & eos in immortalem vitam resurrexisse: non verò sicut Lazarus, qui vt firmat Damascenus, imò iterum mortuus est; quod in secundo Apocalypsis Commentario Sanctus Thomas recolit. Secus cessisset eis resurrectio potius in tormentum iterum morituris; quod non semel I expenditur ex Remigio.

53.

G 4. sent. 43. q. 1. a. 3. q. 1. ad 3.

H 1. Cor. 15. lect. 3. opusc. 60. a. 22. Apoc. 1. comm. 1. Cant. 5. & hic.

I 3. p. 44. 3. 1. opusc. 60. a. 22. & hic.

54. Augustinus his minimè acquiescens in Epistola, quæ ordine 99. est ad Euodium, propendet magis, vt surrexerint, rursus post redditum de Christi resurrectione testimonium, morituri, mortuosque fuisse de facto. Vrget autem sua pro sententia rationibus duabus. Potior est quam deducit ex D. Petro, qui Act. 2. intendit euincere Christi resurrectionem; eoquòd psalm. 15. dicitur à Dauid; *quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid; quoniam defunctus est & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset* &c. *prouidens locutus est.*

Hinc

Hinc cùm in ipso Dauid impletum non sit, inquit; *prouidè locutus est de resurrectione Christi*. Planè summi roboris scripturam hanc, cordi fixam tenuit & Paulus, qui cap. 13. concludit Dauid vidisse corruptionem. Arguit ergo Augustinus; quia si Dauid resurrexit cum alijs, nec iterum mortuus est, *illos Petrus non conuincebat*; si corpus eius iam non erat. Neque enim in solo monumento adhuc superstite vis fieri potest; *quia posset nihilominus monumentum manere, etsi in recenti sua morte resurrexit*. Vt ergo cogerentur Iudæi de Christo vaticinium intelligi, oportuit, posse fieri ostensionem cinerum Dauid: quod frustra iactaretur ab Apostolo, quando corpus Dauid in sepulchro non fuisset post creditatam & ipsius resurrectionem repositum. Vidit Augustinus effugium; si quis quod fatetur de alijs Patribus qui resurrexerint, de Dauid negaret. Ideo subdit; *durum autem videtur, vt Dauid non fuerit in illa resurrectione iustorum, (si eis iam æterna donata est) cuius Christus ex semine, tam crebrò & tanta euidentia, tantaque honorificentia commendatur*. Secundò vrget Augustinus, dicens; *periclitabitur etiam illud, quod ad Hebræos de iustis antiquis dicitur*; (prout in Nostra legimus cap. 11.) *non receperunt repromissionem; Deo pro nobis melius aliquid prouidente; ne sine nobis consummarentur*; siquidem, *in illa resurrectionis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur*.

55. Angelicus, qui aliàs tot in locis, vt vidimus alteri
L 3.p.44. a.3.ad 2. plaudit opinioni, *in Summa* hæc habet. Q Sic ergo Augustinus sentire videtur, quòd resurrexerint iterum morituri. Ad quod etiam videtur pertinere, quod Hieronymus dicit super Matthæum, quòd sicut Lazarus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt, vt Dominum ostenderent resurgentem. Quamuis hoc in Sermone de Assumptione sub dubio relinquat. Rationes tamen Augustini multò efficaciores videntur. Hactenus Diuus Thomas. Verum profectò est, vbi cùm Iudæorum perfidia sermo erat Petri, vt ineluctabiliter arctarentur, fuisse conueniens, vt corruptio corporis Dauid posset ob oculos poni; atque adeo si resurrexerat, iterum mortem vidisse. Nihilominus, quia diffamatum iam erat, tot illinc sæculis, (idque præsumitur tanquam certissimum Iudæorum animis insedisse) Dauid, instar aliorum suo corpore incineratum; securus quasi *ex concessis*, promit Apostolus psalmi testimonium; quia quanquam euasissent his auditis curiosi de recognoscendo sepulchro eius, num vacuum esset; adhuc stabat instantia Petri; quia iam ab antiquo compertum habebatur, non fuisse Dauid corpus à communi corruptione exemptum. Aliàs dixerim, non mihi durum adeò videri, vt pro comprobanda, *ad hominem* vt dicitur, Christi resurrectione, quæ totius sanctæ fidei basis est, Dauid tunc non surrexerit; sic diuina prouidentia ordinante; cuius quidem prouidentiæ meminit ipse Petrus, dicendo; *prouidens locutus est de resurrectione Christi*; quamuis prædignus esset gratiæ huius & Dauid. Non ideo tamen par est causa, vt negemus, alios non morituros vltra, ad Christi obsequium & gloriam resurrexisse. Similiter quod ex Paulo ad Hebræos inducitur, solui potest; quia vniuersaliter, *non sine nobis consummabuntur*, expectantes vniuersalem resurrectionem pro stola corporis. Cæterùm non ex inde fit, vt ex speciali priuilegio aliqui iam ipsam habere ne-
M Hebr. 11.l.8. queant; vt sub dubietate ibi M dicit Angelicus. Claudo aperta fuisse monumenta, ad ostendendum,
N 3. p. 44.a.4.ad 3. quòd per eius mortem mortuis vita daretur; vt N item tradit.

VERS. LIV. *Centurio autem, & qui cum eo erant, &c. timuerunt valdè dicentes; verè filius Dei erat iste.*

Obscuratio Solis, motus terræ, scissio petrarum, 56.
o hæc fuerunt verum signum Diuinitatis. Respe- O Apoc. 7.3. & vidi com.1.
ctiuè excitatos ad huiusmodi confessionem, indubium sit. Centurio, vt ex Marco patet, præcipuè motus est ex clamore, *videns, quia sic clamans expirasset ait; verè hic homo filius Dei erat*. Considerat ibi de clamore valido, quem moriendo emisit, quod est supra naturam: quia in morte ita debilitatur spiritus, & coarctatur meatus, vt vix possit homo tunc loqui. Indicat autem Euangelista, quod dixerat Ioannis 10. fuisse compertum; *potestatem habeo ponendi animam meam*. Quocirca Beda; *nullus habet potestatem mittendi spiritum, nisi qui animarum conditor est*. Iuuat itaque sic nos in Centurione philosophari. Exanguis pendet hic homo, languet tres horas in Cruce, post tot acerbissimæ passionis duros cruciatus: iam ergo sensim emoritur. Paulo antè altè clamauit; (*Deus meus*, &c.) fuerit clamor ille, quasi violentus naturæ iam iam, in extremo vitæ ipsius, conatus: at nunc reuiuiscit spiritu, clamat iterum, & quidem *voce magna*: quid hoc portenti? Absque viribus & laterum robore, non potest edi clamor. Insultatum est ei nuper; *si filius Dei es, descende de Cruce*; & mox, *dixit enim quia filius Dei sum*. Desuper profectò est hoc robur: posset proinde diu viuere. Dum igitur spontè sua moritur, quidni mortis & vitæ habeat imperium? Hac tactus præuenientis gratiæ irradiatione, iuxta mensuram fidei, quam ei Deus diuisit, asseueranter pronunciat, in quo cardo totius est Religionis; *verè filius Dei erat*: quippe qui secundùm suum placitum potuit animam ponere, vt explicat Angelicus P in Ioannem. Me- P Ioa.10. l.4.
taphrastes 16. Octobris Centurionem hunc Longinum vocat; fauetque Chrysostomus; dicitque martyrio postea coronatum. Ita quoque Baronius, & alij.

VERS. LV. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè; quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei.*

Dicit Hieronymus contra Vigilantium; Q consuetudinis iudaicæ fuisse, nec ducebatur in culpam 57. Q 3. p. 28. 3. ad 2.
more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus suis ministrarent. Sic Lucæ 8. *quæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Inter mulieres istas erat etiam *Maria Mater Iacobi*, (*Iacobi* scilicet *minoris*, Marci 15. qui dicebatur frater Domini, vt expositum est supra c. 13.) Quæ Maria, vt recolitur 3. part. q. 28. a. 4. ad 6. fuit vxor Alphæi: *& Ioseph* cognomento *iustus*, vt ait Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *hunc*, inquit, aliqui existimant Iosephi (filium) ex alia vxore; vt autem mihi videtur, Mariæ, quæ dicitur soror Matris Domini, Ioannis 19. Marcus Matrem filiorum Zebedæi vocat Salomen. Notat hic
Angelicus R illorum errorem, qui putarunt *Salome* R D.Th. hic.
nomen esse viri; nam ex græco est terminatio fœminea, quæ nullo modo inuenitur in masculino. Mulieres multæ hic à Matthæo perhibentur fuisse *à longè*; & Marcus etiam; *mulieres de longè aspicientes*; & Lucas, *stabant autem omnes noti eius à longè; & mulieres*: &c. quod pugnare videtur cum Ioanne dicente; *stabat autem iuxta Crucem Iesu Mater eius; & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene*. Augustinus in 3. lib. de Consensu cap. 21. inquit; *nisi apertissimè Matthæus & Marcus Mariam Magdalenam nominassent, possemus dicere alias à longè, alias iuxta Crucem fuisse. Nunc ergo quomodo intelligitur eadem Maria Magdalene, & à longè & iuxta Crucem fuisse? nisi quia in tanto interuallo erant, vt & iuxta dici possent, quia in conspectu eius præsto aderant; & à longè in comparatione turbæ propinquius circumstantis cum Centurione & militibus*. Subdit; *possemus etiam intelli-*

gere, quòd illa, quæ simul aderant cum Matre Domini, postquam eam discipulo commendauit, abire iam cœperant, vt à densitate turbæ se eximerent; & cætera quæ facta sunt, longiùs intuerentur. Mihi non videtur dissonum referri ab Euangelistis à longè fuisse mulieres; *inter quas*, seu cum quibus, *erant Maria Iacobi & Ioseph mater, & Mater filiorum Zebedæi*: quæ cum Maria Magdalena, tanquam propinquiores & amantiores Sanctissimam Virginem comitatæ sint, vsque ad Crucem: alijs à longè remanentibus, prudenti etiam consilio, ne tot mulierum caterua stipatus esset Saluator. Planè huiusmodi factum adeo planum est, vt nec humanus potuisset nutare calamus: quod argumento subinde est, hac etiam in narratione latere mysterium.

VERS. LVII. *Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues*, &c. vsque ad versum 60.

58. Cùm posset Euangelista breuius dicere; *venit Ioseph ab Arimathæa*, pluribus rem denarrat. Et quidem ipsum vocare *hominem* videretur superfluè, nisi serinos aliorum animos vellet carpere. Ioseph iste sanctæ indolis erat cum mulieribus, de quibus Gregorius hom. 21. in Euangel. *ei quem viuentem dilexerant, etiam mortuo humanitatis studio obsequuntur*. Aliàs *diues* dicitur quis, vt Abram Genesis 13. *in possessione auri & argenti*: hic quanquam fuerit, eiusmodi non exprimitur, sed *diues* solummodo, vt potioribus in diuitijs locupletem fuisse intelligamus; non vt ille qui perhibetur vtique diues Lucæ 16. sed *qui epulabatur*, Mundo & carnis voluptatibus deditus, *quotidie splendidè*. *Beatus diues*, Ecclesiastici 31. *qui post aurum non abijt*; quippe qui sua omnia discrimini exposuit; factus manifestè Iesu discipulus; qui eousque extiterat occultus: de quo meritò possimus dicere, quod Hebræorum 11. dictum est de Moyse; *maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem*. Diues ergo erat opum temporalium, ciuis ac Senator Ierosolymitanus: sed Matthæus ipsum dicens in primis hominem diuitem, indicare intendisse credendus est, quibus afflueret diuitijs, heroicæ humanitatis, ac pietatis in Christum; ita *homo diues*. Vbi Hieronymus; *diues refertur, non de iactantia Scriptoris, quo virum nobilem atque ditissimum referat Iesu fuisse discipulum; sed vt ostendat causam, quare à Pilato corpus Christi potuerit impetrare*.

VERS. LVIII. *Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu*.

59. Iudæi impia præuentione, vt testatur Ioannes c. 19. *vt non remanerent in Cruce corpora sabbato, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur*. Erat illorum intentio, vt nihil inter Iesum & alios discerneretur; vt simul cum aliorum cadaueribus in vicinam vallem Ennon, commune damnatorum polyandrion proijceretur. At elusit incredulorum machinamenta Deus, prouidens vt Ioseph *audacter*, apud Marcum, *introiret ad Pilatum*; &c. factùmque est, quod ait Angelicus, S vt contra intentionem occidentium etiam mortuus honorificè sepeliretur. Inquit Augustinus 1. de Ciuitate Dei cap. 13. *laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus Iesu de Cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegendum sepeliendumque curarunt*. Et Chrysostomus, loco cit. Diui Thomæ, dicit, quòd *viuentibus alijs hominibus, ijs scilicet, qui egerunt strenuè, arrident propria gesta; his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium; nam ante Crucem, omnia sunt mœsta & infirma; vt autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta, vt noscas non purum hominem crucifixum*.

S 3. p. 51. a. 1. ad 1.

VERS. LIX. *Et accepto corpore Ioseph, inuoluit illud in sindone munda*.

Per hoc considerari potest paupertatis abundantia pro nobis susceptæ: T nam qui domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconditur; & nudus existens à Ioseph cooperitur. Inuolutio autem sanctissimi eius corporis pertinebat V ad solam quandam decentiam honestatis. Sindone autem munda inuoluitur, non verò auro gemmis aut serico, quia in huiusmodi sepulturæ officijs, docemur simplicibus debere nos esse contentos. Per hoc tamen significabatur, quòd ille in sindone munda inuoluit Iesum, qui mente pura eum susceperit. Nam in munda conscientia Christus quiescit. Et hinc vt Beda dicit super Marcum, Ecclesiæ mos obtinuit, vt Sacrificium Altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur; sicut corpus Domini est in sindone munda sepultum. Quocirca, X in Epistola Syluestri Papæ legitur; *consulto omnium statuimus, vt Sacrificium Altaris non in serico panno aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato: sicut corpus Christi in sindone linea & munda sepultum fuit*. Competit etiam pannus lineus propter suam munditiam, ad significandam conscientiæ puritatem: & propter multiplicem laborem quo talis pannus præparatur; ad significandam Christi passionem. Linum per multam pressuram dealbatur: caro Christi per multam pressuram ad candorem resurrectionis peruenit. Morale munditiæ huius creditur in iusto Ioseph; (Lucæ 23. *& ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus*) de quo Augustinus in Serm. 133. sic habet; *beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Maria vtero Dominum; hic corde concepit: illa Saluatori membrorum suorum secretum præstitit; hic secretum sui cordis non negauit: illa Dominum pannis inuoluit cùm natus est; hic linteis, cùm recessit: illa perunxit beatum corpus oleo; hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo sibi obsequia; conuenit & affectus*.

60.
T 3. p. 51. a. 2. ad 4.
V ibi ad 3. & hic.
X 3. p. 83. 3. ad 7. & hic.

VERS. LX. *Et posuit illud in monumento suo nouo*; &c.

61. In nouo ponitur monumento, vt Hieronymus dicit; ne post resurrectionem cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. A Potest autem & nouum sepulchrum Mariæ virginalem vterum demonstrare. Per hoc etiam datur intelligi, quòd per Christi sepulturam omnes innouamur, morte & corruptione destructa. Augustinus loco citato; *vbique beato corpori defertur; vbique virginitas. Nouus illud venter concepit; nouus tumulus conclusit*. In monumento autem exciso in petra ex Hieronymo; B ne si ex multis lapidibus ædificatum fuisset, tumuli fundamentis suffossis, ablatus furto diceretur. Vnde saxum magnum, quod appositum fuit, ostendit quòd non absque auxilio plurimorum sepulchrum potuisset reserari. Si etiam sepultus fuisset in terra, dicere poterant; suffoderunt terram, & furati sunt eum; vt meditatur Augustinus. *In passione Christi & resurrectione*, vt item ait Serm. 132. *fidei nostræ omnis summa consistit*. Quod etiam reuoluebat animo Paulus Act. 26. in hæc verba; *auxilio autem adiutus Dei, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori; nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses; si passibilis Christus; si primus ex resurrectione mortuorum*. Hinc bellè infert Origenes; *omnia, quæ sunt circa corpus Iesu, esse munda noua, & valde magna*; quandoquidem Ioseph *aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti*. Quæ alia de aromatibus & vnguentis paratis à mulieribus, de myrrha & aloe scribunt cæteri Euangelistæ, pertransit Matthæus; qui solùm refert de Maria Magdalene & de altera Maria sedentibus contra sepulchrum.

A 3. p. 51. a. 1. ad 4. & hic.
B loc. cit. & hic.

Quæ

Quæ quidam, vt ait Lucas (abeuntibus alijs) *subsecutæ sunt*; & *viderunt monumentum*, & *quemadmodum positum erat corpus eius*: intentione scilicet, post sabbatum, ad obsequium, quo ipsarum amor ardebat, corpus Iesu inungendi & recondiendi. Conueniens autem fuit, sepeliretur, quia vt docet in Opusc. 2. cap. 234. locus corporibus debetur, secundum materiam prædominantis elementi: & ideo propter substantiam materiæ subterraneum locum, qui corporibus mortuis deputari consueuit, pati maluit.

VERS. LXII. *Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum*; &c.

62. Dixit Poeta; *pascitur in viuis liuor, post fata quiescit*: at hic exardet. Seductorem, impijssimè faciunt Iesum mortuum. Et delirantes deliros arbitrantur discipulos, nedum irreligiosos & impios, vt tantam conentur falsitatem obtrudere, resurrexisse à mortuis eum, cuius furati essent corpus ad decipiendum. Nunquid populus & Iudæa omnis mox audiens crederet; nisi aliunde compertum esset ab eis perhibitum? Sed esto suadeant aliquibus de vulgo, quid inde lucri? E contra verò quo ausu id impossibile fore præsumunt, quando paulo ante Lazarum resuscitatum ab Iesu manifestè viderant? Profectò, vt dicitur Sapientiæ 2. *excæcauit illos malitia eorum*: quando etiam, cum saltem res euaserat incredulis ipsis dubia custodum testimonio, custodes eosdem pecunia corrumpere conati sunt. Hilarius ad hæc; *metus furandi corporis, & sepulchri custodia atque obsignatio, stultitiæ ac infidelitatis testimonium est: qui signare sepulchrum eius voluerunt; cuius præcepto conspexissent* (Lazarum) *de sepulchro mortuum suscitatum*. Clauditur caput hoc; *illi autem abeuntes munierunt sepulchrum. Signantes lapidem cum custodibus*: lapidem scilicet sepulchralem signant sigillo, seu Præsidis, seu suo magni Synedrij; quod sigillum apprimunt vinculis ferreis, quibus saxum illud magnum praaduolutum ostio monumenti affixerunt; vt tradunt Nicephorus & Beda. Ridere videtur Pilatus Iudæorum cautionem; *ait illis*; *habetis custodiam; ite custodite*; additque *sicut scitis*: quasi dicat eis; magnam omnem adhibete solertiam, quam sciatis excogitare: si enim facultas erit crucifixo resurgendi, in cassum impedire nitemini. Quod si ad resurgendum sit impos; vanus est timor vester de resurrectione à discipulis prædicanda: neque enim tanti momenti mirandum leui paucorum assertione somniatisque commentis extorquet vel astruit fidem.

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumseptimum.

VERS. I. *Mane autem facto consilium inierunt*, &c.

1. Quod animaduertimus in exordio Syntaxis ad caput præcedens, præ oculis in præsenti habendum est; videlicet sparsim quoties occurrit occasio, nusquam à Matthæo negligi, si quid Syntaxin redoleat, siue quoad principem scopum, siue quoad consectariò enarrata, nouit referri. Ex quo sine dubio factum est, vt plura quæ ad rem non faciunt, historiam percurrens omittat; videaturque delectu quodam, missis quæ ad ipsum minùs pertinent, delibare. Arcana quippe hac de causa, etsi exclamasse Dominum memoret, tacet ly *in manus tuas commendo spiritum meum*; & de sindone loquens, nihil de myrrha & aloe, nihilque de aromatibus dicit. Et cum factum idem versat, variè quandoque narrat, non perperam sed signanter, quòd Syntaxin concerneret, quam intendit. Solus exempli gratia describens titulum, apponit præmonstratiuum, *Hic*, quod alij prætermiserunt; *Hic est Iesus Rex Iudæorum*. Igitur quia intendit vbique Christum suis in membris suppingere, dixerim cum passionem denarrat, quæ ventura essent fidelibus, pro Christo persecutiones & mortem subituris, voluisse innuere. *Conuenerunt* quippe *mane facto*, hoc est post resurrectionem, vt omnes fideles eius *morti traderent*. Legimus mirè in Actis cap. 4. *iniecerunt in eos manus; & posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim iam vespera. Factum est autem in crastinum, vt congregarentur Principes eorum & Seniores & Scribæ in Ierusalem*. Et post quædam; *conferebant ad inuicem dicentes, quid faciemus hominibus istis? & comminantes dimiserunt eos; non inuenientes quomodo punirent eos, propter populum*. Vide quomodo mirè cohæret quod in Caput, & in membra; nam supra cap. 26. *consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent & occiderent: dicebant autem; non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*. Sic Act. 18. *Gallione Proconsule Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal*: quemadmodum & hic *tradiderunt Iesum Pontio Pilato Præsidi*. In quo prælusum est opere verbis Domini, qui fideles præmonuerat in Apostolis supra cap. 10. *& ad Præsides & ad Reges ducemini*: & Marci 13. *ante Præsides & Reges stabitis propter me*: non secus atque Dominus impræsentiarum v. 11. *stetit ante Præsidem*: fortè idcirco subticetur Pilati nomen, quasi in Præsidum futurorum typum assumptus sit. Apocalypsis 8. de Euangelij prædicatoribus sub Angelorum vocabulo, *& vidi septem Angelos stantes*, idest A non timore corruentes. De Sancta Agnete Ambrosius; *hæc inter cruentas carnificum impauida manus; stetit*; &c. Propterea bene ait Petrus in 1. cap. 4. *Christo igitur passo: & vos eadem cogitatione armamini*. A Apoc. 8. com. 1.

VERS. III. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit quòd damnatus esset*; &c.

2. Mirum semper fuerit, cur Matthæus hic interserat Iudæ iniquam pœnitudinem, & damnationem; cùm de facti huius tempore, vt diximus, incertum sit. At quod historiæ non pandit ordinem, contexit allegoriæ seriem ex nuper dictis. Stet ergo Iudas Iudæorum omnium, qui Christianos odio habent gratis, in figuram. Meritò, quia vt ait Petrus Actorum 1. *fuit Dux eorum qui comprehenderunt Iesum*. Cum fideles ad Præsides & ad Reges Gentium pertracti sunt, fabricaturi tanquam animatæ incudes, qui ipsos verberabant ad cognitionem, iuxta quod dixit Paulus Act. 18. *ex hoc ad Gentes vadam*; illi in perditionem acti sunt, facti sui ipsorum tortores, vt Iudas sui ipsius fuit carnifex, dum *abiens laqueo se suspendit*. Moraliter quippe se se interimunt; quandoquidem Act. 5. & 7. *dissecabantur cordibus*. Et vt ait Ambrosius Roman. 11. suo autem cap. 38. *cruciabantur videntes Gentes profiteri cum gaudio*. Et Haymo Rom. 11. *torquentur Iudæi de salute Gentium liuore inuidiæ*. Dicit nanque Apostolus; *salus est Gentibus, vt illos æmulentur*; idest contra eos B ex inuidia turbentur: dum vident ad Gentes eorum gloriam translatam; Rom. 10. *ego ad æmulationem* B Rom. 11. l. 1. & Rom. 10. l. 3.

tionem vos adducam, scilicet inuidiæ, qua Iudæi inuidebant Gentibus conuersis; Gal. 4. *æmulantur vos non benè*. Audi harmoniam hic Capitis & membrorum v. 18. *sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum*. Denique ait Leo Papa; *Crux Christi eadem est & credentium gloria, & non credentium pœna*. Iudam autem pro ipsis omnibus introduci firmat psalmi 68. auctoritas; quem ad literam inducit Petrus vbi supra Act. 2. in quo pluraliter imprecatio fit, quanquam nihil minus de Iuda intelligatur; quia æquè mysticè saltem n hoc sæculo, & reipsa in Inferno, eandem subeunt aleam: *fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea; & Episcopatum eius accipiat alter*. Commoratio eorum, puta Iudæ & reliquorum Iudæorum Christicidarum desoletur vastetur excidatur per Romanos; nec alijs vsibus seruiat, quàm condendis cæsorum cadaueribus, vt seruit iam ager figuli pecunia Iudæ coemptus: quod habet Tirinus. Quoniam verò emptus est ager *in sepulturam*, proinde in quietem, *peregrinorum*; quis ambigit, cessisse pretium sanguinis Christi in redemptionem Gentilium? De Gentilibus quippe ait Apostolus Ephes. 2. *qui eratis in carne, alienati à conuersatione Israel, & hospites Testamentorum. Nunc autem qui eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi*. Adnecte, *quia pretium sanguinis est*. Vel allegoriâ ex Augustino lib. 3. de Cons. Euang. cap. 7. *in sepulturam peregrinorum; tanquam ad permansionem quietis eorum, qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per baptismum*. Neque moueat hoc non intendisse
C 1.2.q. 173 a 4. Iudæos: siquidem vt docet Angelicus; c Spiritus-Sanctus quandoque mouet mentem alicuius ad aliquid faciendum, nec tamen iste intelligit quid significet; sicut milites diuidentes vestimenta Christi, non intelligebant quid significaret. Concinit quod adiecit Matthæus vocatum fuisse agrum illum, *sanguinis agrum, vsque in hodiernum diem*. Quod glossa quidem ait referendum esse ad tempus, quo Euangelista hoc scripsit: sed cùm parum temporis decurrisset; nam ferunt Matthæum scripsisse anno à morte Christi 8. quid fuit necesse, id quod indubitabile erat expendere? Porrò si vt exposuimus de consepeliendis Christo fidelibus intelligatur, nostro quoque sæculo, & in æuum mysticè vocabitur *ager ille ager sanguinis*; & ita possumus iure optimo adhuc firmare; *vsque in hodiernum diem*. Non secus ac illud Pauli 2. Cor. 3. *sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*; hodie quoque de Iudæis verissimè dicatur: tanquam vaticinia quædam fuerint futurorum. Sicut illud Rom. 11. *dedit illis Deus spiritum compunctionis; (malæ) oculos, vt non videant; & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem*: quia
D Rom. 11.d.1. D in fine Mundi videbunt & audient. Sic dixerim, vsque ad consummationem sæculi, vocabitur mysticè ager Ecclesiæ *ager sanguinis*: & sic semper dici poterit *vsq; in hodiernum diem*. Porro hic valde notandum est, à solo Matthæo referri de agro figuli: bone Deus: quid necesse fuit hoc expendi? siue figuli, siue cuiuscunque alterius esset ager ille. Sed Deus figulus noster est, vt patet Isaiæ 29. & 45. itemque Rom. 9. Hebraicè *figulus* est *iotzer* à radice *iatzar formauit, finxit*: *barà* propriè *creare* significat, ex nihilo facere: *iatzar* autem significat enti creato figuram inducere: in psal. 45. ibi, *quoniam ego sum Deus*, habet Augustinus; *ego creaui, ego recreo; ego formaui; ego reformo; ego feci; ego reficio*. En Matthæi scopum de nostra regeneratione: Galat. 6. *noua creatura; conformes*, Rom. 8. *imaginis filij sui*. *Iotzer* etiam dicitur *innouator*.

VERS. XI. *Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus; tu dicis*.

Ab ore Dei, absit sine mysterio iota vnum perperam pronunciari. Supra cap. 26. adiuranti Principi Sacerdotum *per Deum viuum, si erat Christus filius Dei? Dicit illi Iesus; tu dixisti*. Cur hic præsenti potiùs tempore Pilato respondet, *dicis*? Habet Angelicus E ex Hilario; significari, quòd confessio Christi à Iudæa est de præterito; quia facta est per Prophetas: sed loquens ad Gentilem ait; *tu dicis*; quia Gentilitas confitebatur. Ecce quomodo Matthæus nihil eorum omittit vel acu tangere, quod possit procursam à se Syntaxin de Ecclesia ex Gentibus conflandam redolere. Bellè profanus retulit præ omnibus execratione dignis, principem obtinuisse locum verbum *fuit*. 3.

E D.Th. hic.

Plautus in Amphittione.

VERS. XIX. *Misit ad eum vxor eius dicens, nihil tibi, & iusto illi*.

Mirum est de vxoris Pilati somnio, Matthæum duntaxat referre. At ex Rabano occurrimus; qui ait; *in visionibus autem & somnijs, gentilis viri vxor hoc intellexit, quod Iudæi vigilantes nec credere, nec intelligere voluerunt*. En ergo quare Matthæi fuerit, speciatim id considerare; quandoquidem præ alijs huc ipsius collimat Euangelica narratio; vt quoties fieri potest, Ecclesiam Gentium insinuet; quando vt firmat Roman. 11. Apostolus; *cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo Gentium intraret*. Accedit Angelicus dicens; F erat mulier ista gentilis; & significat Ecclesiam gentilium, quæ suscepit Christum. Hoc ipsum monet Hieronymus alio in facto; *in lauacro etiam manuum Pilati, Gentilium omnia opera purgantur; & ab impietate Iudæorum nos alieni efficimur*. Consentit vtrobique textus; nam *iustum* ambo confitentur Iesum; *nihil tibi & iusto illi*: &, *innocens ego sum à sanguine Iusti huius*. Illum vel nescij decantant iustum; de quo Isaias cap. 45. *rorate Cæli desuper, & nubes pluant Iustum; aperiatur terra & germinet Saluatorem*: & cap. 51. *prope est Iustus meus; egressus est Saluator meus*: cap. 53. *iustificabit ipse Iustus seruus meus multos*: & cap. 62. *donec egrediatur vt splendor Iustus eius; & Saluator eius, vt lampas accendatur*. Ieremias etiam cap. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum; Dominus Iustus noster*. Hoc proinde meritò improperat Iudæis Petrus Act. 3. *vos autem sanctum & Iustum negastis; & petistis virum homicidam donari vobis*: & habens præ oculis, quandonam iustus sit denuò canonizatus, præmittit; *negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti*. Sic & Stephanus cap. 7. *occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu Iusti; cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis*. Probandi ergo fuerant, si quem Deum nolebant agnoscere, pro minimo tanquam iustum dimitterent: non secus ac dicit Gregorius hom. 23. in Euang. de discipulis euntibus in Castellum Emaus; *probandi erant, si hi qui eum nedum vt Deum diligerent, saltem vt peregrinum amare potuissent*. Palam Sapientiæ 2. quid dixerint *cogitantes apud se non rectè* deprehendimus; inter quæ, *opprimamus pauperem Iustum; circumueniamus ergo Iustum*; &c. *si enim est verus filius Dei, suscipiet eum; & liberabit eum de manibus contrariorum*. 4.

F D.Th. hic.

VERS. XXVII. *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in Prætorium, &c.*

Animaduertit Augustinus ex Ioanne cap. 19. apud Pilatum prægesta fuisse: *apparet*, inquit, *Matthæum & Marcum recapitulando istud commemorasse: vnde quæ præterierant, recoluerunt*. Fortè autem ob arcanam Syntaxis intelligentiam: quatenus Matthæus expressius dicit Iesum vestimentis suis exutum; *exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*. Vbi Hieronymus; *mysticè vestimentis suis nudatur Iesus, idest Iudæis; purpura induitur*, 5.

idest

ideſt gentili Eccleſia; quæ de ſcopulis collecta eſt. Et quia poſtea legimus; *exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius*, allegoriam proſequitur dicens; *item exutus, in fine ſcandalizante; iudaica rurſum induitur plebe; cùm enim intrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus erit.* Interſerit itaque ſtudioſè de Iudæorum elongatione, quando hinc & hinc ſubinnuitur de Gentilium ſubrogatione & acceſſu. Inde.

VERS. XXXII. *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem.*

6. Parcè admodum: & quaſi raptim tangit hoc Matthæus; vberius Lucas & Marcus. Cyrenæum tamen dicit, quod ad literam parum refert, niſi ſubiaceret myſterium; quod quidem cernendum potius exhibet, quam narret hiſtoriam. Remigius ad rem; *iſte Simon, non erat Ieroſolymita ſed peregrinus & aduena, ſcilicet Cyrenæus; Cyrene enim Ciuitas eſt Libyæ. Interpretatur autem Simon, obediens; Cyrenæus, hæres. Vnde pulchrè per eum deſignatur populus Gentium, qui peregrinus erat Teſtamentorum Dei; ſed credendo factus eſt ciuis ſanctorum & domeſticus & hæres Dei.* Sic Hieronymus; *myſticè Crucem Nationes; & peregrinus obediens portat ignominiam Saluatoris.* Sic Hilarius; *fidei Gentium erat inreliquum & Crucem accipere & compati.* Sic & Leo Papa Serm. 8. de paſſione; *vt tali facto præſignaretur Gentium fides; quibus Crux Chriſti non confuſio erat futura ſed gloria.* Expendendum eſt itaque *Simonis* nomen, vt inſinuat Matthæus, reflexè notans *nomine Simonem*, quod alij non fecere. Quod quidem indicat, conſiderari obedientiam ſignanter; iuxta illud Roman. 1. *ad obediendum fidei*
G Rom. 1.l.4. *in omnibus Gentibus.* Vbi Angelicus; G quaſi diceret; ad hoc ſumus miſſi, vt faciamus homines fidei obedire. In his obedientia locum habet, quæ voluntariè facere poſſumus: his autem quæ ſunt fidei, voluntate conſentimus, non ex rationis neceſſitate, cum ſint ſupra rationem: *nullus enim credit, niſi volens*, vt dicit Auguſtinus. Infra cap. 6. *obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis*; & cap. 16. *ad obeditionem fidei in cunctis Gentibus.* Denique Act. 6. *multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Ideo dicente Marco; *& angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum*: Luca; *apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem*: Matthæus ab omni abſtinens ſingularitatis nota, ſcribit indefinitè, *inuenerunt hominem Cyrenæum*: quandoquidem, vt edocet Petrus Act. 10. *non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Facit huc illud Iſaiæ apud Apoſtolum Rom. 10. *inuentus ſum à non quærentibus*
H Rom. 10.l.3. *me; palam apparui iis*; H ſcilicet Gentilibus, *qui me non interrogabant*: ideſt qui meam doctrinam non quærebant. Certè Simon qui veniebat de villa non quærebat Ieſum: & nihilominus Ieſus ab eo inuentus eſt. Hinc Origenes; *non fortuitò autem angariatus eſt Simon; ſed ſecundùm diſpoſitionem Dei* &c. *Angaria* eſt dictio perſica, & propriè ſeruitus coacta. Chryſoſtomus in homilia; relatus ſupra in Catena cap. 5. *angariare eſt iniuſtè trahere, & ſine ratione vexare.* Hebraicè radices eſſe poſſunt ſignificati huiuſmodi, *ngauad & lacchatz*: vnde ſeruitus & oppreſſio: & magis *anas*, quod ſonat *coegit, compulit*, *angariauit*. Ex Lexicis etiam *angaria* deſcribitur, *coactio, inuoluntaria neceſſitas; quod violenter iniungitur, ſeruitus.* Mirum eſt autem Marcum quoque, qui breuiator dicitur Matthæi, vocem hanc vſurpaſſe; cum prout communis eſt opinio, latinè Euangelium ediderit. Nunquid nullum extabat Romæ verbum, quod poſſet ſatis exprimere huiuſmodi factum? Lucas, *impoſuerunt*, ait, *illi Crucem portare poſt Ieſum.* Præterea, ſi vis ipſi illata eſt, tulitque coactus Crucem, myſticus perit ſenſus de Gentium conuerſione ad fidem; quandoquidem ſcimus, I Gentiles non eſſe compellendos, I 1. 2. qu. 10. 8.
vt noſtram Religionem amplectantur. Scio euadi poſſe aurea verè Auguſtini ſententia 16. de Ciuitate Dei, quæ huiuſmodi eſt: *non ſanè omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt; ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant, etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexuerunt. Solo enim vomere terra proſcinditur; ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria; & ſoli nerui in cytharis, atque huiuſmodi vaſis muſicis aptantur ad cantum; ſed vt aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus; ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & aliqua, quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant, quæ ſignificant, & quodammodo religentur.* Sic ergo poſſemus dicere, in ea Cyrenæi coactione; (neque enim lubens tantæ ignominiæ patibulum portaſſe credendus eſt) inſitam eſſe Gentilium conuerſionem. Porrò, quia Lucas ſalebroſa hæc declinat dicens, *impoſuerunt*, non verò *angariauerunt*; & aliàs Matthæus & Marcus, maluerunt dicere *angariauerunt*, ſeu *coegerunt*, liceat ſuaderi, à Matthæo præſertim intendi, vt in trahendis infidelibus ad fidem, tantum adhibeatur & verbo & exemplo ſtudium, vt vel inuiti credere videantur. Quod eſt moraliter cogi; iuxta illud 2. ad Galatas; *quomodo cogis Gentes iudaizare?* Aliàs etiam, qui ſemel fidem ſuſceperunt, vt hæretici & apoſtatæ, ex Auguſtino & Diuo Thoma loco citato L iure compellendi L l. c.
ſunt redire ad Eccleſiam: ſicuti Lucæ 14. legimus, *compelle eos intrare.* Nam quemadmodum, vouere, eſt voluntatis; reddere, neceſſitatis: ita accipere fidem, eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam, eſt neceſſitatis. *Felix neceſſitas*, exclamat Auguſtinus Epiſt. 45. *quæ in meliora compellit.* Quoniam igitur de duobus erudiendi eramus; & de compellendis apoſtatis, & de ſuſcipiendis infidelibus, qui veniunt ad fidem: de primis intelligendus Matthæus: de ſecundis Lucas, qui dicit, *apprehenderunt Simonem quendam venientem de villa.* Quocirca Beda; *de villa Simon egrediens Crucem portat poſt Ieſum; cùm paganis ritibus derelictis, veſtigia Dominicæ paſſionis obedienter amplectitur: villa enim græcè pagos vocatur, à qua pagani nomen trahunt: & paganos appellamus eos, quos à Ciuitate Dei alienos videmus.* Marcus certè qui dicit *angariauerunt*, etiam facit eum venientem de villa; ſed exiſtimandum eſt, non tam reſpexiſſe ad myſteria, quæ Matthæus & Lucas inſinuarent, quàm hiſtoriæ fuiſſe addictum: vnde alijs longior adiecit, fuiſſe, *Patrem Alexandri & Rufi*: vt hac ex additione colligi poſſet, hiſtoriam ab ipſo verſari; non verò myſteria notari.

VERS. XXXV. *Diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes.*

Hieronymus; *veſtimenta autem Domini, eius* 7.
mandata ſunt, quibus tegitur corpus eius, ideſt Eccleſia: quæ diuidunt inter ſe milites Gentium, vt ſint quatuor ordines cum vna fide, ideſt coniugati & viduati, Præpoſiti & priuati. Auguſtinus; *quadripartita autem veſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti quadripartitam figurauit eius Eccleſiam, quatuor ſcilicet partibus in Orbe diffuſam; & in eiſdem æqualiter, ideſt concorditer diſtributam: tunica verò illa ſortiſ, omnium partium ſignificat vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur.* Athanaſius etiam; *diuiduntur in partes quatuor; eo quod pro peccatis Mundi quadrifariam diuiſi, ad exortum Occaſum, Septentrionem & Meridiem, geſtabat ille.* Hoc

ipſum

ipsum accipe ex mortis genere, quod fuit Crucis; quia hoc competit vniuersali saluationi totius Mundi: quod significat figura Crucis à medio tractu in quatuor extrema partita; vt ex 3. p. 46. 4. Ideo præ alijs supra c. 20. in Matthæo legimus, *ad crucifigendum*. Beda vlterius; *in sorte autem videtur gratia Dei commendata esse; quia cùm sors mittitur, non personæ cuiusquam vel meritis, sed occulto Dei iudicio ceditur*. Coloss. 1. *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Quoniam autem de Ecclesia specialius pro suo scopo Matthæus peragit, Prophetæ vaticinium allegat; non sic Marcus aut Lucas. Nec moueat, quod etiam Ioannes adiecerit; *vt impleretur Scriptura dicens; partiti sunt vestimenta mea sibi; & in vestem meam miserunt sortem*; quia satis indicat, præ oculis se habere tunicam, quam inconsutilem describit; *desuper contextam per totum*; diuerso palam à Matthæi fine; quem item Athanasius attigit de Christi Diuinitate; *quo*, inquit, *credere possent Iudæi, quis esset, & vnde esset, qui hæc induit: quod Verbum erat non à terra, sed è Cœlis veniens: quodque non diuisibile, sed indiuisibile Verbum est Patris*. Et ecce quadripartitæ in Orbem terrarum fidei allusione quadam factum respondere; nam quemadmodum fides post Christi mortem vbique cœpit propagari; ita par est speciatim scripsisse Matthæum, qui hoc intendebat; *postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius*: quo aduerbio temporis alij vsi non sunt Euangelistæ.

VERSVS XXXVII. *Et imposuerunt &c. Hic est Iesus Rex Iudæorum.*

8. Solus Matthæus dicit de articulo *hic*. Euangelistæ cæteri abstinent. Quis neget latere mysterium? Articulum huiusmodi non omittebat Paulus, qui Act. 9. *multo magis conualescebat & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus*. Sic & Petrus Act. 10. *Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum: (hic est omnium Dominus.)* Nunquid non signanter? Actorum 5. idem Petrus, similiter ait; *hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli*: & quasi exponens, quorsum demonstratorium articulum vsurparit subdit: *& non est in alio aliquo salus*. Non est ergo alius aliquis, qui sit *Iesus*, quod sanctum nomen salutem importat: *hic* igitur *est Iesus*, quod refert Matthæus, in idem recidit, ac si dicatur *non est alius aliquis Iesus*. Hoc nobis assumendum cum Matthæo est, ad eludendam inanem Iudæorum expectationem; qui Gentibus ad Deum conuersis renuunt sociari; *hic est Iesus*. Quem effutiunt posthac expectandum, quando *hic* & non alius *est Iesus*? Non modo autem tanquam inscriptum, hoc obijciendum est, sed vt euictum ex dictis: quod sic deducitur. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum* Act. 10. ergo *hic est Iesus*. *Nec enim aliud* (Act. 4.) *nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Assumptum facto probatur; nam vt dicit Augustinus psalm. 71. ibi, *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent; diuinis eloquijs catholica Ecclesia*, (subinde & fides) *prænunciata est, non in aliqua parte terrarum futura, sed in vniuerso Mundo fructificando & crescendo. Hoc iam non expositorem, sed contemplatorem desiderat*. Argumento autem irrefragabili, demonstratur, *hic est Iesus*; ex hac totius Orbis terrarum in Gentibus motione, idololatriæ exterminio; quod etiam cecinerunt Prophetæ, quia dicit 2. capite in Aggæo; *mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus*: cohærenter quidem ad vaticinium Iacob Genesis 49. *& ipse erit expectatio Gentium*. Cùm ergo *hic* sit *Iesus*, qui est 1. Tim. 4. *Saluator omnium hominum, maximè fidelium*, vt ex nuper mysticè acceptis in passione delibauimus; claret, hunc esse consectariò *Regem Iudæorum*. Quare Crucis *titulus* in præmissorum declarationem accipiendus est; ac si diceretur diuina dispensatione quod in hymno canitur; *hic ille Rex est Gentium, plebisque Rex iudaicæ*. Desinant ergo interrogare vt supra cap. 21. quando *commota est vniuersa Ciuitas dicens, quis est hic?* Quandoquidem modo eleuent oculos, contueri possunt dilucidantem epigraphen; *hic est Iesus Rex Iudæorum*: quemadmodum *populi* tunc *dicebant; hic est Iesus Propheta a Nazareth Galilææ*. Immo ex quo immolatus in Cruce dicitur Apoc. 17. *Agnus Dominus Dominorum, & Rex Regum*.

Mirabitur autem quispiam, cur de conuertendis ad fidem Gentibus, vel arcana intelligentia toties tactum sit? quando aliàs satis hoc antea præhabitum est. Sed quamuis rem istam fuerit Matthæus executus, commemorari ac expendi oportuit iterum, vt qua occasione subintroierint Gentes, fieret palam. 9.
Illorum quippe *delicto* (Iudæorum) *salus est Gentibus*, ait Apostolus Roman. 11. *& amissio eorum reconciliatio est Mundi*. Ingens itaque & execrandum Iudææ facinus, cum Iesum *odio habuerunt gratis; & per inuidiam tradiderunt eum*; cùm quod ait Leo Papa, *diuino iure neglecto, expetierunt Pilatum, executorem magis sæuitiæ, quàm arbitrum causæ*, abiectionis illorum extitit causa, proinde occasio, vt incunctanter ad Gentes conuerterentur Apostoli. *Obtinuerunt* ergo *in damnationem suam, quod pertinaciter exigebant*; vt idem ait Leo Papa. Quoniam igitur, *quod quærebat Israel*, (Roman. 11.) *hoc non est consecutus, electio autem consecuta est*: vtque ait Diuus Thomas M substituti sunt Gentiles in locum Iudæorum: vnde *constanter dixerunt Paulus & Barnabas, ecce conuertimur*, Act. 13. *ad Gentes*; ideo de Gentibus hic, vbi Iudæi Christum negant, multifariam introducitur. Quemadmodum & hodie, *contradicunt blasphemantes, repellunt Dei verbum & indignos se iudicant æternæ vitæ*; quod item in Actis exprimitur. Prætereuntes quippe, & impræsentiarum, *blasphemabant eum, mouentes capita sua*. Subdit Apostolus ad Romanos; *cæteri verò excæcati sunt; sicut scriptum est; dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos vt non videant; & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem*. Pulchrè ait Angelicus N tenebras considerans, quæ *factæ sunt super vniuersam terram*; clamantemque Iesum; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quare voluisti, vt passioni traderer, & illi obtenebrarentur? *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Præsertim quia adhuc, 2. Corinth. 3. *velamen positum est super cor eorum*; quando *velum Templi scissum est*, vt in Capitis expositione prælibauimus: hoc est, quando quæ cuncta in Scripturis sub literæ velamine occultabantur, reuelata sunt; & prophetia in manifestationem versa est. Sed *obtusi sunt sensus eorum*, vt supra habet Paulus. Felices ij, quibus Lucæ 24. *aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas: incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis*. Quos tamen præincrepauerat dicens; *ò stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ!*

M p. p. q. 23. a. 6.

N D. Th. hic.

VERS. XXXVIII. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones.*

Matthæus & Marcus nedum crucifixos latrones ferunt, sed addunt *cum eo*. Non sic solicitus fuit Lucas id enarrare; sed dicit; *ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris & alterum à sinistris*: quod item tradunt Matthæus & Marcus: videbaturque 10.

que ſatis: neque enim niſi *cum eo* crucifixi erant, quando *hinc & hinc* pendebant; quod ait Ioannes. Redundare credatur minimè Spiritus-Sancti calamus in Matthæo & Marco; potiùs indubitanter latere myſterium. Et quodnam? illud nempe, quod habet Apoſtolus 1. Cor. 15. *tradidi enim vobis in primis, quod & accepi; quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris.* Quod repetit Petrus in 1. c. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt:* Iterum Paulus Roman. 8. *& de peccato damnauit peccatum;* per hoc quod factus eſt hoſtia pro peccato;

O Rom. 8. l. 1.

o quæ in Sacra Scriptura dicitur peccatum: & ita ſatisfaciendo pro noſtro peccatò abſtulit peccata Mundi; Ioann. 1. *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*, 2. etiam Cor. 6. *eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus fecit peccatum.* Sic & Iſaiæ 53. *peccata multorum tulit.* Quomodo autem tulerit, & ſubinde abſtulerit à nobis peccatum, Diuus Petrus preſſius declarat in prima cap. 2. dicens; *qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Ecce ergo, quo ſenſu verè dicatur crucifixos *cum eo duos latrones: cum eo* enim, illorum reatus & culpa expiata eſt. Niſi *cum eo* crucifixi eſſent, non fieret ſatis delictis. Alia ſimilitudine comprobatur hoc idem Coloſſ. 2. *delens quod aduerſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Vbi Haymo; *peccatum, quod primus parens noſter commiſit, in quo omnes peccauimus, appellat chirographum decreti. Tunc crucifixit illud, idest occidit in ſemetipſo, quando innocens pro peccatoribus mortuus eſt.* Adſtipulatur quod ait Roman. 6. *hoc ſcientes, quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt.* Bene ergo dicitur; *& cum eo crucifixi ſunt duo latrones;*

P 1. Cor. 5. l. 2.
Q Rom. 6. l. 1.

p corruptio ſcilicet originalis peccati: & quia ſubdit ad Romanos; *vt deſtruatur corpus peccati;* hoc eſt q congeries malorum operum; ſicut ipſa congeries membrorum facit vnum corpus naturale. Quò ſpectat etiam illud Coloſſ. 3. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* In typum autem primorum parentum accipi poſſe hos latrones, ſuadetur mihi; quoniam de Adam & Heua dicit in pſal. 68. Auguſtinus; *Adam & Heua rapere voluerunt Diuinitatem; & perdiderunt felicitatem.*

R Philip. 2. l. 2.

Rapina fuit quando r voluit homo æquati Deo; Geneſis 3. *eritis ſicut dij.* Hebraicè latrones dicuntur *paritzim;* diſſipatores, nequam, latrones, impij. Lucæ 23. *ducebantur autem & alij duo nequam, cum eo.* Exponitur de Chriſto pſalm. 68. *quæ non rapui, tunc exoluebam.*

S loc. cit. & 3. p. 46. a. 4. & q. 48. a. 2. in ſed contra.

Nam s pro hac rapina venit Chriſtus ſatisfacere, quaſi reſtituens, quod Adam ſuſtulerat. Quoniam verò in Iſaia cap. 53. prædicitur; *verè languores noſtros ipſe tulit; & dolores noſtros ipſe portauit*, dum ſic pro nobis in Cruce ſatisfacit; & peccata in languoribus, & conſecutas corporis pœnas, in doloribus, factus *vir dolorum, & ſciens infirmitatem* exoluit. Ecce cur hoſce latrones *cum eo* crucifixos Matthæus commemoret; cuius nempe ſcopus regenerationem per gratiam, & peccati concernit deſtructionem. Ecce iterum cur & Marcus ſimiliter *cum eo crucifigunt* dicit, *duos latrones:* quia ſcilicet pœnarum dolorumque huius vitæ, remedia nobis per Chriſtum donata, ad remouendas mortalitatis ac infirmitatis humanæ ærumnas, euangelizans verſabat. Lucas alia via incedit; ideo nec *latrones* primùm dicit; nec *cum eo* crucifixos; ſed vt *interficerentur;* quia myſticus, quem attigimus ſenſum, quo *vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt*, ad ipſum non pertinebat. Ioannes argumenta hæc non verſat: ideo ſolùm ait; *& cum eo alios duos.*

VERS. L. *Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum.*

Niſi Lucas nobis quid exclamauerit aperiret; nimirum, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum;* ignoraremus. Quòd Ioannes non dixerit, mirum non ſit; quandoquidem, neque clamaſſe retulit. Sed cum Matthæus & Marcus, emiſſa voce magna clamaſſe commemorauerint; quid cauſæ excogitari queat, cur quod expreſſit non adiecerint; videlicet, *in manus tuas commendo ſpiritum meum?* Reor; quia vt ſingularis homo hac commendatione intonuit: ibi autem Matthæus & Marcus ſicuti & & tota Euangelij ſerie, ipſum ceù Caput regenerationis vtriuſque, & animæ & corporis conſiderarunt. Vnde quo de huiuſmodi ipſorum meta in fine operis magis erudiremur, perſonalia hic & nunc præterire. Lucas præ alijs, quà *hic homo eſt*, contemplatus Chriſtum; ipſum, vt Iudæos confundat in extremo Spiritu, Sanctum Deoque filiali amore vnitum ea in exclamatione annunciat. Matthæus & Marcus Diuinitatis in ſignum clamorem eum referunt; vt crederetur quod habet Apoſtolus 2. Cor. 13. *nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate; ſed viuit ex virtute Dei. Niſi enim eſſet verus Deus*, vt ait Leo Papa, *non afferret remedium.* Tanquam Deus quippe & animas & corpora noſtra viuificat: quod reipectiuè & Matthæus & Marcus intendunt. Hinc fit vt Centurio præ alijs dixerit, *verè filius Dei erat iſte; videns*, nimirum inter cætera, *quia ſic clamans expiraſſet.* Quocirca, eadem quæ ſupra elucidatione apud Lucam, fertur ſolummodo iuſtum eum decantaſſe; *verè hic homo iuſtus erat:* quod vnum, (etſi perfidè negent eſſe Chriſtum) Iudæorum iniuſtitiam damnat. 11.

VERS. LVIII. *Inter quas* (mulieres) *erat Maria Magdalene & Maria Iacobi & Ioſeph Mater; & Mater filiorum Zebedæi.*

Maria iſta Iacobi Mater, fuit Maria vxor Cleophæ, vt ex Ioanne cap. 19. claret; Matrem filiorum Zebedæi, Marcus vocat Salomen. Quid rogo, Matthæum mouit, vt has maluerit Matres dicere filiorum, quàm proprio vocare nomine, aut à maritis? Iam ſupra centies dictum eſt de ſpirituali filiorum generatione, quibus fœcunda eſt Eccleſia. Sanctus Beda mire in Catena ſequenti cap. dicit, mulieres Eccleſiarum eſſe in typum. Sapientia ex Angelico in 3. ſent. d. 1. in expoſ. textus, mulier dicitur non propter fragilitatem, ſed propter fœcunditatem. Sic & in præſenti. Simulac ergo Ieſus mortuus eſt profuſo in Cruce cruore, non potuit à Matthæo negligi mentio de Eccleſia, *quam* Act. 20. *acquiſiuit ſanguine ſuo.* Opportunius nunquam de liberorum ſobole myſticè in ea; quando de Eccleſia ſpeciatim Gentium, ſcimus Iſaiam cecinisse: *quia multi filij deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum.* Huius *deſertæ*, t ſcilicet Eccleſiæ Gentium, ſunt *multi filij*, ideſt plures, *quàm eius* ſcilicet Synagogæ, *quæ habet virum*, ſcilicet Moyſen: 1. Regum 2. *ſterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Appoſitè mox de Ioſeph ab Arimathæa; vt quia nomine augmentum portat, præſignaretur quod ait Apoſtolus ad Coloſſ. 1. de Euangelio; *in vniuerſo Mundo eſt, & fructificat & creſcit.* Vnde & ipſe in Britannia Euangelium fertur diſſeminaſſe. *Ab Arimathæa* quoque conſonat; ſiquidem, *excelſum* ſonat & *exaltatum*, à radice hebraica *Ram;* dicito, quia *excelſus ſuper omnes Gentes Dominus*, &c. *qui habitare facit ſterilem in Domo, Matrem filiorum lætantem*, vt in pſal. 112. Et quia vt ipſe Dominus dixerat; *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum* Ioann. 12. Ab hac exaltatione; cap. 3. *oportet exaltari filium hominis*, Eccleſia propagata eſt. Et quoniam Arimathæam dicunt fuiſſe Ramatham Samuelis Patriam 1. Regum 1. vide ad ſtuporem, qualiter Scripturæ Scriptura concinat; quando 12.

T Gal. 4. l. 8.

quando fœcunditas Ecclesiæ in præsterili Anna, sed
post Samuelem, filiorum filiarumque Matre, vtro-
bique etiam ex loco agnoscitur, *ab Arimathæa, à
Ramatha*: vt sicut ibi in figura, hic vnius præconis
ex eadem Patria inductione, clarescat propagandæ
fidei mysterium. Porrò quoniam fidei Sacramen-
tum baptisma est; id futurum simul subinnuitur;
dum Maternitati huic Ecclesiæ præponitur Magda-
lene; vtique in exemplum pœnitentiæ. Ad baptismi
quippe effectum, concurrit & pœnitentia, sicut cau-
V 3.p.69. 10 sa per accidens; V idest remouens prohibens. Et
ita perseuerantibus in peccato baptismus conferen-
X 3.p.68. 4. dus X non est. *Pœnitentiam* dixit Petrus Act. 2.
*agite; & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine
Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*.
Cur non recoleretur Magdalena, de qua Lucæ 7. di-
citur, *remittuntur ei peccata multa*?

VERS. LIX. *Et accepto corpore Ioseph inuoluit
illud in sindone munda.*

13. Ioannes habet *de aromatibus, sicut mos est Iudæis
sepelire*: & venisse Nicodemum, tulisseque *mistu-
ram myrrhæ & aloes, quasi libras centum*. Mulie-
rum aromata commemorant Marcus & Lucas. Mat-
thæus nec verbum de huiusmodi vnguentis. Pro-
fectò mirum est. Vt hæc latentia humiliter scrutari
possimus, adsit Dominus, qui linguas infantium
faciat esse disertas. Benè animaduertit Chrysosto-
mus relatus in Catena Ioannis 19. *ferunt, mulieres
pigmenta, quæ maximè corpus apta sunt quàm plu-
rimum conseruare; & non permittere citò subijci cor-
ruptioni*: & post ipsum Theophylactus; *venerunt
iuxta consuetudinem Iudæorum vngere corpus Iesu;
vt scilicet maneret odoriferum. Nam aromata vir-
tutem habent desiccatiuam, humiditatem corporis
absorbentia: vnde incorruptum corpus conseruant*.
Sed & de lacryma myrrhæ & de herba aloe, vt pote
amarissimi succi, resistẽdi vermibus & putredini vim
habere, dicit idem Chrysostomus. Scribit Ange-
A Ioa.19. l.6. licus, A attenta consecuta exinde in corporibus in-
corruptione, nondum habuisse tunc Nicodemum
veram fidem Christi de resurrectione; de quo in
psal. 15. *non dabis Sanctum tuum videre corruptio-
nem*, vt expendit Petrus Act. 2. & Paulus cap. 13.
Sic & Theophylactus de mulieribus; *neque tamen
fidem debitam adhuc habebant, sed quasi puro ho-
mini aromata & vnguenta parabant*. Sic & Chry-
sostomus de Ioseph & Nicodemo; *adhuc enim, vt
de nudo homine disponebant*. Sed Patrum horum,
in quorum sententiam credamus scripsisse & Angeli-
cum pace, dixerim, satis eos illuminatos fuisse; &
non ad indigentiam sanctissimi corporis, sed ad con-
testationem ipsius incorruptionis hæc præstitisse.
B 2.2. q. 171.a.4. Quomodocumque fuerit, scimus ex Angelico, B
quandoque Prophetæ mentem à Deo moueri ad ali-
quid faciendum; nec tamen ipse intelligit, quidnam
significet: fertque exemplum de militibus qui diui-
dentes vestimenta Christi, non intelligebant, quid
significaret. Patet igitur hac ex doctrina, vnguenta
huiusmodi, myrrham & aloen portendisse Christi
corporis incorruptionem. Hoc præhabito, vestige-
mus cur Matthæus isthæc prætererit. Sed non dif-
ficilè deprehenditur causa; quia scilicet ad Euange-
lij sui scopum, insignia huiusmodi & symbola in-
corruptionis non spectabant. Ipse quippe sibi præ-
stituit, animæ regenerationem versare, non verò re-
surrectionis nostræ tractare materiam; cuius vt do-
cemur, C ipsa Christi resurrectio causa est. Satis C 3. p. 56. 1.
per transennam hoc attigerat paulo ante, dicens,
*multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexe-
runt*: quod alij Euangelistæ non commemorant. Vt
quid exornare figuris quod palam edixerat? Sed cum
Marci ea fuerit intentio, vt immo mortalitatis no-
stræ in vitam immortalem dogma edissereret; cur
inquies de myrrha & aloe non meminit, quæ id præ-
sagirent? At quid, aio ipse, ad ænigma incorruptio-
nis diuerti, quando tota Marci series eò ex instituto
collimat? Lucas similiter è contra, non id sibi præ-
scripserat argumentum nostræ resurrectionis, post
Christi resurrectionem enucleandæ: supersedet ideo
ea tangere in myrrha & aloe, quæ corporis Iesu in-
corruptionem, indeque resurrectionem nostram
prænotarent. Vtque studiosè hæc omisisse noscan-
tur Marcus & Lucas; de aromatibus quæ mulieres
parauerant, apertè dicunt. Quarum deuotio, vel
ad morale obsequium fideles instruit; quandoqui-
dem, *si odore virtutum referti cum opinione bonorum
operum Dominum quærimus, ad monumentum pro-
fectò illius cum aromatibus venimus*: quod ait hom.
21. Gregorius. Ioannis autem speciali episodio fuit,
factum hoc enarrare; quoniam Christi Iesu Diuini-
tas, quam credentium inserit animis, vna est causa,
incorruptionis Dominici corporis, & eiusdem pro-
batæ resurrectionis; iuxta illud psal. 3. *& exurrexi,
quia Dominus suscepit me*; itemque psalm. 15. *quo-
niam à dextris est mihi, ne commouear: propter hoc
caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques
animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum
videre corruptionem*. Claudamus riuos dicendo
cum Isaia cap. 26. *confundantur zelantes populi, &
ignis hostes tuos deuoret*; dum hic, sicuti Act. 13.
*repleti Iudæi zelo, conueniunt ad Pilatum dicentes;
ne fortè veniant discipuli eius, & dicant plebi, sur-
rexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore*.
Ibi certè Isaias hominum resurrectionem exprimit;
viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: vtique
ex Christi resurrectione, sub typo manus Dei Pa-
tris; ps. 147. *emitte manum tuam de alto*: vnde præ-
misit: *Domine exaltetur manus tua, & non videant;
videant & confundantur*, vt supra, *zelantes populi*.
Huiusmodi zelum meritò describit Matthæus
iuxta ideæ suæ scopum: exinde enim etiam
in Actis, postquam *repleti zelo con-
tradicebant Iudæi his, quæ à
Paulo dicebantur, conuer-
timur* dixere Paulus
& Barnabas, *ad
Gentes*: &
quia
perhibentur ibi Iudæi *blasphemantes*, referri
potest, ad quod habet Matthæus etiam, quia
oblocuti dixerunt de Iesu; *seductor il-
le*. Iam etiam in eo cap. 13. pro-
pugnauerat ostenderatque
Petrus Christi resur-
rectionem.
(∴)

CAPVT

CAPVT XXVIII.

1 *VEspere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Marc.16. b.6.
2 Et ecce terræ motus factus est magnus. Ange- Ioa.20.c.
lus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super 17.
eum: 3 erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix. 4 Præ timore au-
tem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. 5 Respondens autem Angelus dixit
mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hìc:
6 surrexit enim, sicut dixit: venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. 7 Et citò eun-
tes, dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis,
ecce prædixi vobis. 8 Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes
nunciare discipulis eius. 9 Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt,
& tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. 10 Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, nun-
ciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. 11 Quæ cum abiissent, ecce quidam
de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta
fuerant. 12 Et congregati cum senioribus, consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus,
13 dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.
14 Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. 15 At illi
accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque
in hodiernum diem. 16 Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constitue-
rat illis Iesus. 17 Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. 18 Et accedens
Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: 19 euntes ergo Marc.16.
docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti: 20 docentes d.15.
eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad
consummationem sæculi.

VERS. I. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.*

1. A ps.21. Ioan.10. l.1. Omnes dies hebdomadæ sabbatum appellabantur; A & sic dies Dominicus nobis, dicitur prima sabbati. Tota quoque hebdomada (teste etiam Iosepho) sabbatum nuncupatur. Hinc Lucæ 18. *ieiuno bis in sabbato.* Dies sabbati etiam solemnior habebatur: & ideo ab eo omnis alius dies nominabatur. Augustinus hac de re habet; *de hora verò, qua mulieres venerint, non contemnenda exoritur quæstio.* Potissima autem ratio visæ dissonantiæ, est quod ait Marcus; *& valde mane, vna sabbatorum veniunt ad monumentum.* Hieronymus admisso diuersa reuera describi tempora, recurrit ad sedulæ visitationis officium, dum crebrò ierint & redierint, non passæ à sepulchro Domini diu abesse. Priùs ergo venerunt vespere videre sepulchrum; deinde & *valde mane*, vt ait Marcus. Sic planum fit quod ait Lucas, *valde diluculò venerunt*: & Ioannes, *Maria Magdalene venit mane.* Sicut ergo notat Gregorius homil.25. ibi, *dum ergo fleret, &c. iam monumentum vacuum viderat, iam sublatum Dominum nunciauerat, quid est quòd se iterum inclinat? iterum videre desiderat? sed amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.* Sic ad rem. Rabanus putauit eatenus dici mulieres venisse vespere ad sepulchrum, quatenus vespere aromata parauerunt, quæ minus parauerant feria sexta. Augustinus, lib.3. de consensu Euangel. cap.24. considerans ab alijs Euangelistis perhiberi de mane potiùs, cum adhuc tamen non esset clara dies, venisse has mulieres, censet, quod ait Matthæus, intelligi figura Synecdoches à parte totum; ac si dixisset, *nocte sabbati; idest nocte, quæ sequitur diem sabbati: Non verò accipi ly vespere, pro prima noctis particula; quia initium noctis non lucescit.* (dic initium noctis potiùs tenebrescere.) *Nocte ergo venerunt, quoniam extrema noctis parte; & sic diluculo.* Quamuis autem potuisset Matthæus, quemadmodum alij, clariùs sine figura hoc enarrare, dicit sic esse locutum, vt insinuaret tempus, quo eis licebat operari; à vespere scilicet, transacto sabbato. *Vsitatus*, inquit, *modus diuinæ Scripturæ est, à parte totum significare.* Et recolit de triduo mortis Christi intelligentiam consimilem. Dicito, fortè ad hanc innuendam, accessum mulierum maluisse sub hac figura describere. Ambrosius in Lucam suo cap.106. diuersas esse mulieres arbitratus est; & ideo diuerso tempore accessisse. Et cap.107. non improbat plures etiam Magdalenas, à loco vtique sic dictas. Et cap.106. inquit, vix enodabile esse, eandem esse Mariam Magdalene; siquidem Ioannes fert dixisse illi Dominum, *noli me tangere*; Matthæus autem hic occurrisse Dominum Mariæ Magdalene, & alteri Mariæ; & illas accessisse ac tenuisse pedes eius.

Hac de re idem Ambrosius; *magna*, inquit, *oritur hoc loco à plerisque dubitatio*: & deinde cauendum subdit, *ne spinosæ interpretationis in fine offendat asperitas.* Sanè non omnino hucusque cogitationum hinc inde fluctuantium sedatur mare: præsertim si requiratur causa, ex qua voluerit in Matthæo Spiritus-Sanctus tam variè factum narrari; si enim instar aliorum sanctorum Euangelistarum prælocutus fuisset, dicendo, *valde mane*, aut *valde diluculo*, euidenti descriptione forent omnia digesta, neque calumniæ occasionem arriperent impij. At scimus, quia, *qui quærit legem*, Ecclesiast.32. *replebitur ab ea; & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea.* Veruntamen, quis, nisi insaniat, poterit vnquam suspicari, in plana adeo historia, errore lapsum Matthæum? Idiotissimus quisque, quæque muliercula non deuiasset à vero, dum semel acce- 2.

pissent, quo tempore sepulchrum inuiserant. Cogimur ergo fateri, nullam omnino diaphoniam, inter sanctos Euangelistas esse posse. Quod si superficietenus videatur discordia, temperato sensu feliciter conciliari queant.

3. Igitur cur sic variè Matthæus scripserit, ad Syntaxin facit. Cæterùm non ideo quia scopo suo specialiter intenderet, potuit aut debuit ab alijs ad literam discrepare. Assumo itaque, quod habet; *vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati*, idem prorsus esse, ac quod alij dicunt, *valde mane, & valde diluculo*, seu *mane cum adhuc tenebræ essent, venisse ad monumentum*. Pro cuius arcanæ intelligentiæ assecutione, sciendum est, ex sanctæ linguæ dictionarijs, extare radicem *ngarab*, à qua inter multa deriuata, est *ngbereb*, quod est tempus post occasum Solis, vespera & crepusculum. Et quia Exodi 12. inuenitur in duali numero *ngarbaim*, colligunt eruditè duplicem fuisse vesperam. Vnde tempus à sexta diei hora; idest à meridie ad occasum, reputabatur pro vna vespera, intra quod tempus licebat occidere Pascha: sed sicut declinatio Solis vespera dicebatur; ita occultatio eiusdem sub hemisphærium, altera dicebatur vespera. Dicendum ergo in primis, cum Matthæus dicit, *vespere autem sabbati*, sine dubio non accipi de prima vespera: potiùs de secunda, postquam Sol occidit. Sed quoniam & hæc secunda vespera longè abest à mane & à diluculo, adhuc est difficultas. Cæterùm vespere in Scripturis nedum exordium dicitur occidentis Solis, sed & consequens nox ipsa tota, saltem transumptiuè. Sane, vt docet Angelicus, B in significatione nominum, aliud est quandoque *a quo* imponitur nomen ad significandum; & id *ad quod* significandum, nomen imponitur: sicut hoc nomen lapis imponitur ab eo quod lædit pedem; non tamen imponitur ad hoc significandum, quod significet lædens pedem; sed ad significandam quamdam speciem corporum; alioquin omne lædens pedem esset lapis. Simili quadam ratione philosophemur, vesperam dici ab eo quòd dies inclinata sit; Lucæ 24. *mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*: sed non esse impositum ad significandum solummodo tempus inclinatæ diei, sed totius etiam noctis decursum vsque ad mane: quod quidem satis manifestum fit, ex Genesis primo; vbi pluries legimus, *factum est vespere & mane*: nam sonat perdurare vespere, vsque ad mane: quamuis etiam vsus obtinuerit, tempus interpositum dici noctem. Quemadmodum autem apud Iudæos, dies erat dispertita in quatuor æquas partes, singulas tribus horis contentas, & putant, sortirentur nomen ab hora, qua capessebant initium; ita ab ipso vespere à quo nox incipiebat, non fuerit absonum, noctem totam venire nomine vesperæ. Et aliunde quoque probari potest; quia post Solis occubitum, præsertim in plenilunio, & antea, præest luna in Cœlo: luminare autem lunæ, fecit Deus vt præesset nocti.

B p.p. q. 13.a.2.ad 2.

Dicet fortasse quis: Cur ergo scripsit Matthæus *vespere sabbati*, potius quàm *nocte sabbati*?

4. Respondeo maluisse dicere *vespere sabbati*, quia penultima noctis pars siue vltima, quæ lucescit, attenta prima vocis *vesperæ* significatione, magis sapit vesperam, quàm noctem. Vespera quippe dicitur & crepusculum post Solis occasum; quoniam lux & tenebræ eo tempore permiscean tur; vel quòd res ipsæ imperfectè visæ, indiscretè cognoscantur. Vnde cum versus diluculum, siuè cùm extrema pars, similiter inuoluat tenebrarum & lucis commistionem, ideo fas fuit Matthæo dicere *vespere autem sabbati*: & ne crederetur loqui de vespere serotina, sed de matutina, addidit, *quæ lucescit in prima sabbati*. *Neque enim*, vt ait Augustinus, *initium noctis lucescit*: adstipulaturque meditationi meæ subdens: *non potest dici vesper lucescens in prima sabbati, nisi nomine vesperi nox ipsa intelligatur, quam lux terminat*. Et ideo satis patet conuenire Matthæum cum alijs, *valde mane, valde diluculò*, siue vt ait Ioannes, *cum adhuc tenebræ essent*. Fauet Ambrosius, qui in Lucam cap. 107. dicit de Christo *non ergo vesperascente die, sed noctis vespere resurrexit*. Et quia græcè dicitur, vt notat, *opse*, idest *serò*, subdit *serò* nedum *horam significare in occasum diei, sed cuiusque rei tarditatem*. Dic mulieres ex græco tardè venisse, scilicet versus diluculum. Hieronymus etiam Epist. 150. ad Hedibiam non improbat legendum *serò* & *serò sabbati*. Quare autem, huiusmodi periphrasi hoc enarrauerit; non verò quod alij præstiterunt, breuius & facilius, sola potest Syntaxis elucidare.

Ad literam nihilominus, sciendum, idiotismum esse hebraicæ linguæ, vt sua verba non in actu perfecto sumant, sed in fieri seu actu continuato; subinde tantum in inchoato; vt facere, idem sit quod conari, moliri, incipere aliquid facere. Hoc stante canone, nihil omnino deperit veritati, si Matthæus, qui hebraicè scripsit, *vespere* venisse dicat, *venerunt videre sepulchrum*; quatenus moliebantur post Solis occasum, matutinum suum accessum ad monumentum. Esto simile apud Tirinum in Idiotismis num. quinquagesimo sexto. Nam hebræi Deuter. 16. v. 6. dicuntur exisse de Ægypto vespere; *immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*: *inchoatiuè scilicet, quia vespere egressum apparasti, sed eadem nocte finiente, re ipsa egressus es*; vt idem Tirinus exponit; *nempe vespere immolarunt, comederuntque agnum, suaque consuasarunt, quod fuit initium egressus*. Cùm tamen vt patet Exodi 12. legamus; *vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte ait; surgite & egredimini à populo meo*; &c. Sic ergo & impræsentiarum, intelligendum est, venisse has mulieres; præsertim quia Matthæus nihil de emptis aut paratis aromatibus dicit; quod alij expresserunt: vnde subintelligendum reliquit, in eo quod ait *vespere* venisse: & complexus tempus quo se se proximè præcinxerunt ad iter, & itineris tempus, dixit, *vespere*, & adiecit *quæ lucescit*. Quod si qua hora peruenerint quæratur? dicendum, vt inquit Marcus, *orto iam Sole*. Et ita, dum lucesceret prima sabbati appropinquarunt; orto autem Sole peruenerunt: ad mentem Diui Dionysij, qui in Epistola ad Basilidem tradit *cùm adhuc tenebræ essent*, egressas domo & Ierosolymis; & orto iam Sole deuenisse. Videntur autem ignorasse mulieres munitum sepulchrum militari custodia, & publico sigillo; secus non ausæ fuissent illuc accedere. Obicem solummodo lapidis considerabant, dicentes *ad inuicem; quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti*? Feruor deuotionis, corda earum sic præoccupauerat, vt obstaculum hoc non præcogitarent. Et dum solicitè pergunt, die *aliàs* cum Chrysostomo; *religio fatigationem non sentit*. 5.

VERS. II. *Et ecce terræ-motus factus est magnus*.

Diuus Thomas; C fecit hanc diem solemnem terra præ gaudio resurrectionis exultando. Fortè, dixerim exultationis huius præconem fuisse Dominum, cum dixit; *sic erit filius hominis*, supra c. 12. *in corde terræ*. Cur enim non exultaret, quæ puluis morticinus perpetuò aliàs permansura erat; iuxta promulgatam in hominem sententiam Genes. 3. *puluis es, & in puluerem reuerteris*? *oportet* quippe (*quoniam per hominem mors, & per hominem resurre-* 6.

C Serm. 60.

surrectio mortuorum) corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem; 1. Corinth. 15. Si enim, quod ait Emissenus (fertur Lucæ 24. in Catena) *eclypsatur est Sol, mœroris & angustiæ signa promens crucifigentibus filium Dei*; quidni gaudij & iucunditatis argumenta è regione redderet terra? Quandoquidem D resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ. Cæterùm quia nedum *terræ-motus factus est*, sed item *magnus*; addat Hilarius *Inferorum trepidationem* inde dignosci. Item; Christi resurrectio E est quædam præfiguratio resurrectionis futuræ, in qua erit tremor terræ; psal. 75. *terra tremuit & quieuit, cùm exurgeret in iudicium Deus*. Rursus iustum fuit terreri custodes, fierique vt in textu, *velut mortuos*: quando non pietatis obsequio, sed crudelitatis studio custodiebant. Sic & Act. 16. cùm Paulus & Silas tenerentur, *subitò terræ-motus factus est magnus*; ita *vt mouerentur fundamenta carceris*. Huiusmodi autem terræmotum non fuisse naturæ vi, sed speciali Dei nutu indicatur satis, dum sequitur; *Angelus enim Domini descendit de Cœlo*. Tantus terræ-motus non reuoluit lapidem: quod aliàs videretur efficere potuisset; quanquam enim esset *saxum magnum*, magnus fuerat etiam terræ-motus. Esse potest ratio; quia portentum hoc alium fiebat in finem: *reuolutus* quippe *lapis*, vt ait Seuerianus, *exitiis resurrectionis assertor, quemadmodum aduolutus probauit mortem*. Accessit autem Angelus sua virtute; (cuius applicatione vel operatione consuescunt hic & illic esse) & momento præstitit, quod plurium manus & opera ægrè præstitissent. Beda; *non vt egressuro Domino ianuam pandat; sed vt egressus eius iam facti hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis clauso Virginis vtero potuit nascendo ingredi Mundum; ipse factus immortalis, clauso sepulchro potuit resurgendo exire de Mundo*. Præsumantur autem iure omni astitisse certatim ad obsequium, & adorationem Angelorum millia, quorum cum comitatu abiens, reliquum fuerit, Angelus alter descenderet de Cœlo ad isthæc patranda: *quia enim Christus Deus & homo est* (Beda) *inter acta humanitatis, semper ei Angelorum ministeria Deo debita non desunt*. Vt enim docet Augustinus de fide ad Petrum tomo 3. *etiam in sepulchro idem Deus homo factus secundùm carnem iacuit*. De quo 3. p. q. 50. a. 2. Sed ad loquendum mulieribus, vtrum vnus, vel potiùs vnus & alter Angelus præsto fuerint, videtur res dubia. Sustineri potest duos fuisse ex Augustino 3. de consensu Euangel. cap. 24. sic vt de altero scripserit Matthæus sedisse super lapidem; Marcus de altero sedente in dextris. Nihilominus magis propendet, vt vnus idemque fuerit, *sedens à dextris super lapidem reuolutum*. Et cùm dicit Marcus, *introeuntes in monumentum vidisse iuuenem sedentem à dextris*, intelliguntur intrasse in aliqua septa maceriæ, *qua communitum locum tunc fuisse credibile est; in aliquo spatio ante petram; qua excisa, locus factus fuerat sepulturæ*. Sic postea de Magdalena egressa à monumento, exponit *de illo loco, vbi erat horti spatium, ante lapidem effossum*. Monumentum ergo quasi æquiuocè dicitur, nedum sepultura, sed illud septum. Quocirca, ex Suarez in 3. p. t. 2. q. 55. a. 6. disp. 49. sect. 3. ad finem §. *vt ergo*; ex Patribus & Burchardo in descriptione terræ sanctæ 1. p. cap. 7. duplex erat spelunca, exterior quam Cyrillus *vestibulum sepulchri* appellat; & interior, in qua excisum erat sepulchrum, à pauimento tribus palmis erectum: inter quæ duo loca, erat ostium, quo sepulchrum Domini saxo clausum fuit. Sic & Angelicus F eundem esse Angelum Matthæi, & Marci tuetur.

D 3. p. 56. 2.
E D. Th. hic.
F 3. p. 55. a. 6. ad 5.

VERS. III. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, &c.*

Gregorius in homil. de passione; *in fulgure terror timoris est; in niue autem blandimentum candoris. Quia verò omnipotens Deus, & terribilis est peccatoribus, & blandus iustis; rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur; vt de ipsa sua specie terreret reprobos, & mulceret pios*: inde, *præ timore autem eius, exterriti sunt custodes*, &c. Mulieribus autem dictum est; *nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis*: ac si diceret; vos ex amore Iesum quæritis: abest præter filialem timor; quoniam *perfecta charitas* 1. Ioann. 4. *foras mittit timorem*. Ideo, *Sermone blando Angelus*, vt in Hymno, *prædixit mulieribus*, &c. 7.

VERS. VI. *Non est hic; surrexit enim sicut dixit.*

Qua noctis hora surrexerit Christus Dominus disceptat præ alijs vberrimè Suarez in 3. p. q. 53. a. 2. disput. 46. sect. 2. Angelicus in aureo opusc. G resurrexit, inquit, vel media nocte secundum Gregorium, vel diluculò secundùm alios. *In summa* sic habet; H ad secundum dicendum quòd sicut Augustinus dicit in 4. de Trinitate, Christus in diluculo resurrexit, in quo aliquid lucis apparet: exponitque Gregorium dicentem media nocte surrexisse; non quidem diuisa nocte in duas partes æquales, sed infra ipsam noctem: illud enim diluculum & pars noctis, & pars diei dici potest; propter conuenientiam, quam cum vtroque habet. Dic etiam *media nocte*, hoc est, hora ad mediam noctem spectante: neque enim punctum mediæ noctis intendit Gregorius signare. Sic deinde, I sicut supra, inquit, dictum est, Christus resurrexit circa diluculum illucescente iam die: plauditque in psalmum 29. ibi *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Satis autem id colligi potest ex Marco qui ait; *surgens autem Iesus manè prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*; qui textus vehementer vrget; quamuis nonnulli conentur robur eius infringere. Fauet etiam Ecclesia in Hymno; *Aurora lucis rutilat*; &c. Quæ nihilominus, tanquam non fide omninò constet determinatum resurrectionis Dominicæ tempus, noctem illam in Officio Sabbati sancti, magnis effert præconijs. Quomodo autem stet quod supra cap. 12. dixit Dominus de *tribus diebus & tribus noctibus*, ibi num. 40. edisseruimus. Sed est quod ex Augustino *in Quæstionibus ex nouo Testamento* Tomo 4. addamus quæst. 64. vbi post figuram Synecdoche; qua etiam Moyses Exodi 24. dicitur fuisse in monte *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; cùm tamen integrè non, quia primo die ascendit, & vltimo descendit; ad hoc recurrit; vt computet primam diem, quando in horto comprehensus est: *Qui enim scit, ad hoc comprehendi, vt feriatur, tempus illud in mortem computat*. Dic præsertim hebraico idiotismo, de quo nuper n. 5. 8.

G opusc. 1. c. 236.
H 3. p. 53. 4. 2.
I 3. p. q. 53. a. 2. ad 1.

VERS. VII. *Et citò euntes dicite discipulis eius; quia surrexit.*

Obijcit Angelicus, L videri inconueniens, resurrectionem Christi manifestatam fuisse primò mulieribus, ab ipsis nunciandam; quandoquidem 1. Corinth. 14. dicitur; *mulieres in Ecclesijs taceant*; & 1. ad Timoth. 2. *docere mulieri non permitto*. Respondet, mulieri non permitti publicè docere in Ecclesia, permitti autem ei priuatim, aliquos domestica admonitione instruere. Et ideo, sicut Ambrosius dicit super Lucam; ad eos fœmina mittitur, qui domestici sunt; non autem mittitur ad hoc quòd resurrectionis testimonium ferat ad populum. 8.

L 3. p. 55. a. 1. 3.

VERS. VIII. *Et exierunt citò de monumento*, &c.

9. Quod diximus supra ex Augustino M firmatur; quoniam monumentum Christi erat excisum in lapide; & circa ipsum erat clausura horti. Quandoque ergo monumentum vocant Euangelistæ locum vbi corpus reconditum fuit; quandoque totum illud, quod clausum erat. Dic ergo de horti septo exijsse. Mysticè significatur peccatorum conuersio; psal. 87. *sicut vulnerati dormientes in sepulchris:* N Ezechielis 37. *ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*. Ioannis 5. *venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei*. *Citò autem exierunt*, iuxta illud Ecclesiastici 5. *non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Cum timore & gaudio magno, eadem tropologia; quia virtus pœnitentiæ timore peccatorum concipitur; & expulso timore per charitatem, dolor contritionis in gaudium mutatur. *Currentes* etiam, psal. 118. *viam mandatorum cucurri*, iustè operando. Ideo autem fœminæ nunciant resurrectionem; vt quia O mulier primò nuncium mortis ad hominem detulit, primò etiam resurrectionis Christi gloriam nunciaret. Vnde Cyrillus; *fæmina, quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percipit & nunciat. Adeptum est igitur fœmineum genus & ignominiæ absolutionem, & maledictionis repudium*.

M Ioan. 20 l. 1. & hic.

N opusc. 60 c. 22. & hic.

O 3. p. 55. 1. 3.

VERS. IX. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens, auete*.

10. Sapientiæ 6. *præoccupat qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat*. Rabanus; *per hoc ostendit, se omnibus iter virtutum inchoantibus, vt ad salutem perpetuam peruenire queant, adiuuando occurrere*. *Auete* ex græco P gaudium significat: vnde paulo ante *exierunt* euntes, *cum gaudio magno*. Dic ergo perseuerantiam gaudij eis donasse. Docemur autem, Q ad amorem charitatis sequi gaudium: omnis enim amans gaudet ex coniunctione amati: & sic sequela charitatis est gaudium; iuxta illud Apostoli ad Galatas 5. *fructus autem spiritus, est charitas, gaudium*, &c. Ecce ergo in explicationem præfati gaudij magni hunc esse contextum; dum audito ly *auete*, *accesserunt*, & in signum coniunctionis ad amatum, *tenuerunt pedes eius*. Vt autem gaudium sit perfectum, R requiritur, vt res amata sufficiens sit amanti, propter suam perfectionem. Ideo quoniam, vt ait Augustinus; *si cuncta quæ fecisti mihi dederis, non sufficis seruo tuo, nisi te ipsum dederis:* & Gregorius; *cùm omnia sint facta ad quærendum Deum, nihil humanæ menti sufficit, quod non sit Deus:* ecce causam gaudij tanti aperiri, dum tanquam Deum Iesum procumbentes colunt; *tenuerunt*, inquit, *pedes eius, & adorauerunt eum:* ac si intus audissent angelicum illud monitum Apocalypsis 19. & 22. ad Ioannem, qui item ceciderat ante pedes Angeli; *Deum adora*. Benè *tunc* cùm *tenuerunt pedes eius, nolite timere*; concinat psaltes, *non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine*.

P D.Th. hic.

Q p. 1. q. 70. a. 3.

R Gal. 5. l. 6.

VERS. X. *Nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam*.

11. Apostolus Hebræorum 2. *non confunditur fratres eos vocare*; iuxta illud psal. 21. *narrabo nomen tuum fratribus meis*. Adnecte Roman. 8. *vt sit primogenitus in multis fratribus*. Et ita, S qui per generationem æternam est vnigenitus, secundùm collationem gratiæ, est primogenitus. Habet igitur Christus nos fratres; tum quia nobis similitudinem filiationis communicauit; tum quia similitudinem nostræ naturæ assumpsit; Hebræor. 2. *debuit per omnia fratribus similari*: Quærit Angelicus T *an Christus post resurrectionem habuerit verum corpus?* Et affirmat Christianum dogma; quia sicut Damascenus dicit; illud resurgere dicitur, quod cecidit. Vnde oportuit, ad hoc quòd esset vera Christi resurrectio, vt idem corpus Christi iteratò eidem animæ vniretur. Claret ergo signanter dixisse *fratribus meis*, non verò *discipulis*, sicut expresserat Angelus, vt in eadem natura humana resurrexisse deprehenderetur. Vnde Seuerianus; *vocat fratres, quos corporis sui fecit esse germanos*. Cæterùm, quia hic de ipsius agitur resurrectione; quocirca dicitur Christus Coloss. 1. *primogenitus ex mortuis*, & Apocalyps. 1. *primogenitus mortuorum*: expendi liceat, idcirco sic locutum fuisse; *nunciate fratribus meis*, vt spem nostræ resurrectionis per ipsum astrueret. Hinc ad Romanos 2. *qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra:* de quo vide Angelicum V *vtrum resurrectio Christi sit causa nostræ?* Vbi ait; Verbum Dei primò tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter vnito; & per ipsum operatur resurrectionem in omnibus alijs. Adde 1. Corinth. 15. *quoniam quidem per hominem mors; & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Et quia resurrectio mortuorum X est quasi quædam secunda generatio; supra cap. 19. *in regeneratione, cum sederit filius hominis*, &c. dicitur Christus *primogenitus ex mortuis*; idest eorum, qui sunt geniti per resurrectionem. Quare cum emergat fraternitas, vbi plures sunt geniti; intuitu secundæ huiusmodi generationis indubitanter existimem, ad nostram resurrectionem per ipsum innuendam dixisse, *nuntiate fratribus*, non verò *discipulis meis:* nam vt ait Hilarius can. 25. in Matth. *proprietates verborum contuendæ sunt, vt momenta præceptorum cœlestium consequamur*.

S Rom. 8. l. 6.

T 3. p. 54. a. 2.

V 3. p. 56. a. 1.

X Coloss. 1. l. 5.

Sequitur; *vt eant in Galilæam*.

Gregorius in homilia; *Galilæa transmigratio interpretatur. Iam quippe Redemptor noster à passione ad resurrectionem; à morte ad vitam transmigrauerat: & nos resurrectionis eius gloriam post læti videbimus, si à vitijs ad virtutum celsitudinem transmigramus*. Subscribit Beda; quoniam, *de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem transierat*. Angelicus; A ad signandum quòd ipse idem est, qui solebat conuersari in Galilæa. Item, vt à timore liberarentur, quia securiùs habitabant in Galilæa. Et quidem ex Chrysostomo qui ait; *eripiens eos à periculis, ne timor fidem impediret*. In Iudæa enim persecutiones patiebantur. Animaduertunt autem Chrysostomus Augustinus & alij Patres, non primò post resurrectionem apparuisse in Galilæa, sed in Ierusalem, vt patet Lucæ 24. quando regressi illi duo de Castello Emaus *in Ierusalem inuenerunt congregatos vndecim, dicentes, quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni:* & Ioannis 20. *cùm essent discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio. Et post dies octo*, &c. *venit Iesus ianuis clausis*, &c. Et ita Apostolus 1. Corinth. 15. *visus est Cephæ; & post hoc vndecim*. Vbi Diuus Thomas; *creditur*, B quòd inter viros primò apparuit Petro, quia erat in maxima tristitia. Vnde Angelus Marci vltimo; *ite, dicite discipulis eius & Petro*. Mirum autem est, omitti à Matthæo alias apparitiones, memorarique illam duntaxat, postquam *vndecim discipuli abierunt in Galilæam*. Quare magnum oportet sublateat mysterium. Subditur enim, *ibi eum videbitis*: & Dominus ipse; *ibi me videbunt*. 12.

A D.Th. hic & prius c. 26. & 3. p. 55. a. 3. ad 4.

B 1. Cor. 15. l. 1.

VER-

VERSV eodem XI. *Ibi me videbunt.*

13. Sic prædixerat Angelus; *ibi* (in Galilæa) *eum videbitis.* In Hymno; *quo agnito, discipuli in Galilæam properè, pergunt videre faciem desideratam Domini: Claro paschali gaudio, Sol mundo nitet radio, cùm Christum iam Apostoli visu cernunt corporeo.* Sic Magdalena Ioannis 20. *vidi Dominum, & hæc dixit mihi*: & Apostoli Thomæ dixerunt; *vidimus Dominum.* Docuit Philosophus in 1. Metaphysicæ, præeligi ipsum videre omnibus alijs sensibus; *quòd sensus hic vel maximè nos cognoscere quicquam facit, multasque differentias manifestat.*
C 3.p.55. 6.ad 4. Subdamus ex Angelico; C sensibilia communia, inter quæ est vnum & multa, idem & diuersum, maximè dijudicat visus. Satis autem indicatur videndum se ab eis polliceri in propria effigie, non verò sicut duobus discipulis euntibus Emaus. Ex
D 3.p.55. 4. quo arguitur, D habuisse discipulos mentem benè dispositam: non sic duo illi: de quibus Gregorius; *talem se exhibuit eis in corpore,* (sub alio aspectu) *qualis apud illos erat in mente.* Veruntamen, quoniam vt diximus, nostræ quoque resurrectionis præsagium in Christo suspicitur, sit ad confirmationem articuli, ly *me videbunt*; secundum quòd & Iob 19. legimus; *scio enim, quòd Redemptor meus viuit; & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Sciendum est autem, in potestate hominis glorificati esse, vt corpus eius videatur, vel non
E 3.p.54. 3 videatur; E & similiter quòd claritas eius videatur, vel non videatur: vnde potest in suo colore sine aliqua claritate videri. Et hoc modo Christus suis discipulis post resurrectionem suam apparuit. Et qui-
F 3.p.55. 6.ad 4. dem vt dicit Augustinus; F *clarificata carne Dominus resurrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere; quia non possent oculis suis talem claritatem prospicere.* Est etiam considerandum, ait ibi Angelicus, quòd post resurrectionem Dominus hoc præcipuè volebat ostendere, quòd idem ipse esset, qui mortuus fuerat: quod multùm poterat impediri, si eis sui corporis claritatem ostenderet. In
G 3.p.55. 2.3.ad 4. Galilæa ergo non clam, aut semel, aut bis, G vt in Ierusalem, sed cum multa potestate ostensionem sui fecit, præbens se eis viuentem post passionem in signis multis, vt Lucas testatur in Actis.

VERS. XI. *Quæ cùm abijssent; ecce quidam de custodibus venerunt in Ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.*

14. Mox congregati sunt cum senioribus, & conspirant cæco consilio commentum impudentissimum æquè, & imprudentissimum de commisso dominici corporis furto à discipulis. Qui priùs blasphemarant Christum seductorem; *recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam,* modò palam seducunt milites. Mirandum sanè credunt custodibus non reperiri corpus Iesu in sepulchro; & tamen nedum resurrexisse non credunt, sed nec suspicari volunt resurrectionem. Si discredunt custodibus, pergant videre, sit adhuc, vel non sit in sepulchro: si facta credunt, cur saltem non suspicantur resurrexisse? Inaudita est tanta cæcitas: peior est eorum infidelitas, quàm sit dæmonum; qui victi signorum euidentia, Iacobi 2. *credunt & contremiscunt.* Nullus profectò sanæ mentis, præsumptis veridicis custodibus, poterat non hærere suspensus, si fortè discipuli non sint furati, quod sciunt se effutire, quidnam de sepulto corpore factum sit. Sed, *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; Ioann. 1. & Iob 24. *ipsi fuerunt rebelles lumini. Malitia* autem *eorum,* vt dicitur Sapientiæ 2. *excæcauit* priùs, & hic dementauit, *eos.* Quod quidem argumento est in alijs quoque omninò excidisse eos à fide; quemadmodum non obscurè dixit Dominus, Ioann. 5. *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Quare, *si Moysen & Prophetas non audiunt,* Lucæ 24. *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*; vt in præsentia compertum sit. Scitè Chrysostomus relatus supra in Catena cap. 21. *sicut columna, si modicùm obliquata fuerit, accepto pondere ampliùs vadit in latus; sic & cor hominis, cùm peruersum fuerit; si alicuius iusti opera videat vel audiat, non confirmatur, sed magis ad inuidiam concitatur.* Attexunt autem mendacia mendacio, vt Christi resurrectionem sepeliant, suggerentes, & indicentes militibus, quæ milites ipsi, nec dixerant, nec probauerant; cum tamen ipsi duntaxat scire possent: *dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.* Remigius asserti eorum falsitatem euincit; *sed si custodes dormierunt, quomodo furtum viderunt? & si non viderunt, quomodo testes fuerunt?* Chrysostomus in homil. *Qualiter enim furarentur discipuli, homines pauperes & idiotæ, & neque apparere audentes? Quomodo non timuissent militum multitudinem? Nunquid ostium sepulchri poterant euertere? lapis enim imminebat magnus. Quid autem non sunt furati prima nocte?*

VERS. XIV. *Et si hoc auditum fuerit à Præside; nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.*

Hinc trahi potest, ægrè consensisse milites suggestioni, quæ falsitatem obtruderet, noxiosque eos faceret apud Præsidem. 15. Objiciebant fortè, nec verum nec verisimile iudicandum fore, quod inuulgarent; dormiuisse scilicet, simulque furtum, furesque obseruasse: præsertim quia incusandi videbantur vel taciti consensus, simulato somno, quando nemo illorum ad reuolutionem saxi illius magni asserebatur experrectus. Quod si quis tantisper euigilarat, cur non excitauit alios, quandoquidem luceret luna ad fures insectandos. Similia inexculti milites indubitanter voluebant animo, pauentes de mendacio conuinci, aut de inexcusabili inertia; indeque puniri. Cæterùm quia Ecclesiastes 10. *pecuniæ obediunt omnia*, acquieuerunt perfidiæ, & *fecerunt sicut erant edocti.* Difficile autem non fuerit, quod prætexebant obtinuisse, nimirum *suadebimus ei*, (Præsidi) vt neglectum adeò crassum, seu mendacium dissimularet; quandoquidem iniustum magis comprobabat & sacrilegum ipsius iudicium olfacta quomodocunque ipsius resurrectio. Quod si huiusmodi excipiamus priuatam causam, deprehenso manifestè mendacio, nequiuisset de mentitis militibus non vlcisci. Constabat autem, vt item notat Chrysostomus, ex sudario & linteaminibus, quæ in monumento remanserant, non fuisse corpus illud furto ablatum; myrrha enim & aloe glutinosa sunt, sic vt hærere faciant corpori inuoluens linum; quod egrè inde auelli potest. Proinde cum fures, præsertim vbi circumfusa est custodia, solicitissimè quod furantur rapere satagant; certissimè vt expeditius rem agerent, ne moram facerent, corpus cum linteaminibus, reuerenti adhuc decentia, asportassent. Dicamus ergo cum Propheta Isaia cap. 11. *ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum*; nam in corpus Domini resurrectione resumptum H anima suam gloriam deriuauit; & factum est corpus illud gloriosum. H 3. p. 54. 1. *Dicant nunc*, canit Ecclesia; *Iudæi, quomodo milites custodientes sepulchrum, perdiderunt Regem ad lapidis positionem: aut sepultum reddant; aut resurgentem adorent nobiscum dicentes; quòd autem viuit, viuit Deo.* Quantumcunque autem licuisset discipulis clam corpus eius surripere, nefas est cogitare, id eo fecissent studio, vt, quod horrent aures, execrandam obtruderent falsitatem; qualis est resurrexisse à mortuis cadauer, quod in

dies corruptio inuaderet. Claudamus ergo reserato sepulchro, dicamusque cum Michæa aduersum Iudæos; *ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris. Dominus lux mea est.* Quod I in persona Christi potest intelligi. Nam vnus *factus est* psal. 87. *inter mortuos liber*, L per hoc scilicet, quod per inclusionem sepulchri non potuit impediri, quin ab eo, resurgendo exiuerit. Vel quatenus M anima eius in inferno non subiacuit pœnæ, nec corpus eius corruptioni in sepulchro. Non enim puri hominis est, vt se excitet à mortuis; N sed solus Christus, qui fuit *inter mortuos liber*, hoc virtute suæ Diuinitatis fecit. Vnde Petrus Act. 2. *quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum,* (psal. 15.) *prouidebam Dominum in conspectu meo semper, &c. quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

I 3. p. q. 51. a. 1 ad 1. K psal. 87. L 3 p. q. 51. a. 1 ad 1. M opusc. 2. c. 235. N loa. 2. l. 3. lect. b.

VERS. XVI. *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, &c.*

16. Etsi det Augustinus in lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. vltimo, quandoque discipulorum nomine alios præter Apostolos accipi posse; nam discipuli plures dicti sunt, vt vidimus supra cap. 8. n. 12. Nihilominus præfixio vndecim planiori intelligentia refert Apostolorum numerum, qui vno obtruncato proditore Iuda talis euasit. Et sic Lucas c. 24. *inuenerunt*, inquit, *congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant.* Neque admitti potest, (quò quidam deflexerunt, vt tuerentur præsentem apparitionem fuisse intra dies octo à resurrectione) constasse numerum hunc vndenarium, Apostolos quosdam, quosdam discipulos, quod Thomas ante dies octo Iesum non viderit: potius enim dicendum est, abijsse; in Galilæam Apostolos post aliquot dies à primis octo. Stat quippe quasi inconcussum ipsos vndecim Apostolos ex condicto simul in Galilæam abijsse vtpotè quia mulieres, factæ per Angelum & ab ore Domini constituti huius consciæ, id Apostolis omnibus suggesserant: præsertim, quia post cœnam hoc ipsum Dominus ipse prænunciauerat dicens; *postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Deducit autem Augustinus, qui omnia isthæc diligentissimè digerit, octauam fuisse in Galilæa in monte apparitionem: quia si præcessisset, difficilè constaret, quod habet Ioannes; cùm viderunt Iesum ad mare Tiberiadis; *hoc iam tertiò manifestatus est Iesus cum resurrexisset à mortuis.* Nam vt claret, *vna sabbatorum die illo,* resurrectionis, *cum fores essent clausæ, stetit in medio eorum:* deinde *post dies octo, & Thomas,* qui abfuerat, *cum eis:* si aliàs visus fuisset, antequam ad mare Tiberiadis; iam non tertiò ad mare Tiberiadis manifestatus fuisset: sed quartò. Discipulis autem acceptis pro Apostolis videtur omnino asseuerare Ioannes Christum iam tertiò manifestatum; quod verissimè ipsius denarratio demonstrat. Neque obsistit visum fuisse à mulieribus, ab euntibus in Emaus & à Petro, seu Simone, vt Lucæ 24. contestati sunt decem; quia collectis Apostolis tunc ad mare Tiberiadis, factum est tertiò. Et has manifestationes intendit Ioannes percensere, non priuatam Petro, Amaoni & Cleophæ, ac mulieribus. Quanquam Augustinus ad vnum reuocet apparitionis tempus, quod vna eademque die contigerint, & facta Petro, & euntibus in Emaus, & toti Collegio cum fores essent clausæ.

VERS. eodem. *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem:*

17. Apud Iudæos non debuit diuulgari esse mendacium, quod studiosè confixerant; secus fraudati fuissent fine. Diuulgatum est ergo assertum discipulorum furtum: quod quanquam verosimile non esset tot visis supra de causis, nihilominus malesuada Principum Sacerdotum & Seniorum malitia, præsertim in rudi populo, potuit propagare. Eo vel maximè quòd vltra militum asseuerantiam, aderat tot Maiorum testimonium. Ex Beato Renano in Annotationibus ad librum Tertulliani *contra Iudæos*, Iudices qui damnarunt morte Iesum fuere numero Septuaginta & vnus. Ijdem autem creduntur ad facinoris consummationem hic etiam congregati. Cæterùm quod ait Seuerianus, *apud Iudæos diuulgatum est, non apud Christianos*; qui comperta fraude, firmius crediderunt Dominum resurrexisse à mortuis verè. Arctat autem Euangelista apud Iudæos diuulgationem: quia Pilatus cum suis mendacium non credidit. Extat profectò Pontij Pilati ad Tiberium Imperatorem Scriptura quæ Iudæos confutet. Meminit autem Epistolæ huiusmodi Eusebius 2. libr. Historiæ Ecclesiasticæ: cuius exemplum ab Eusebio prætermissum, in Bibliotheca Vaticana à Sixto Senensi repertum, libet describere.

Pontius Pilatus Cl. Tiberio, Neroni Imperatori salutem.

Nuper contigit; cuius rei ipse testis esse possum; Iudæos se se ipsos posterioresque suos vniuersos, per inuidiam crudeli damnatione perdidisse. Cùm enim ex Oraculorum promissis, Maiorum ipsorum auctoritate receptis hoc expectarent, vt Deus illorum per Virginem iuuenculam mitteret, qui iure Rex eorum diceretur, hunc me præsente misit in Iudæam. Is (quod omnibus notum est) cæcis visum restituebat, leprosos mundabat, resolutos neruis curabat: viderunt quoque ipsum dæmonia abegisse, atque obsessos spiritibus immundis liberasse: mortuos item ex sepulchris ipsis resuscitauit. Obediebantque ipsi ventorum turbines; siccis pedibus mare inambulabat. Fecit alia quoque permulta mirabilia; vt vulgò etiam inter Iudæos & plebem, Dei filius diceretur. Principes verò Sacerdotum æmulatione & liuore instincti aduersabantur illi; captumque illum mihi tradiderunt, ementitis sceleribus eum reum facientes: magum appellabant, atque legis eorum desertorem & contradictorem. Quibus persuasionibus seductis; ipse fidem querelis eorum adhibui, flagellatumque ipsis tradidi, vt pro arbitrio in eum animaduerterent. Crucifixerunt igitur illum, & sepulchro quo conditus erat, custodias adhibuerunt; inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant; qui tertio die ipsum à mortuis resurgentem viderunt. Nequitia autem Iudæorum magis hoc facto exarsit; numerauntque magnam pecuniarum vim ipsis militibus; quatenus discipulos ipsius noctu corpus rapuisse prædicarent. Acceperuntque hi quidem pecunias, nihil ominus tamen publicè vbique professi sunt atque testantur, se visiones Angelorum vidisse, ac Iesum illum à mortuis verè resurrexisse. Hæc autem ideo scripsi ne quis nugis aut mendacijs Iudæorum, si de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale.

En ergo quomodo diuina prouidentia factum est, vt ab alienis recipiat testimonium veritas; ne Romanum Imperium lateret quod Iudæorum perfidia tegere & occultare conabatur. Sed quod ait Rabanus; *sicut sanguinis reatus, quem sibi & posteris suis ipsi imprecabantur, graui peccatorum sarcina illos premit; ita emptio mendacij, per quod resurrectionis denegant veritatem, reatu eos constringit perpetuo. Vnde sequitur: & diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Prophetasse ergo Matthæus agnoscitur Iudæorum indefinitè cæcitatem.

VERS. XVII. *Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt.*

Absit

18. Absit suspicemur Apostolos dubitasse hac in apparitione adeò decantata; nam die resurrectionis palpauerant & viderant manus & pedes, vt Lucæ 24. Vnde Ioann. 20. postea dixerunt Thomæ qui abfuerat; *vidimus Dominum*. Fuerunt ergo alij discipuli, qui dubitauerunt. Subinde Angelicus O animaduertit, non solis vndecim, sed vniuersis discipulis & fratribus, Angelum & Saluatorem iussisse, vt abirent in Galileam: & ita ex Marco & Matthæo hic. Et de hoc (subdit) Paulus meminit dicens, (1. Cor. 15.) *deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul*. Ex quo videtur Diuus Thomas Hieronymo consentire, qui in Epist. ad Hedibiam, arbitratus est, de hac in Galilæa apparitione intelligi. Veruntamen ad Corinthios P nihil tangit de opinione Hieronymi; sed potius credit, hanc vniuersalem ad quingentos visionem fuisse ante Ascensionem: quod quidem plausibile est; vt euntem in Cœlum plurimi viderent, qui præsumendi sunt per quadraginta dies, sæpe conuenisse alicubi ad conferendum de Domino; pleniori autem numero monitos de proximo ascensu in Cœlum; quandoquidem Act. 1. *per dies quadraginta Apostolis apparuit loquens de Regno Dei*. Obiectum autem quod fieri posset, quia perhibentur discipuli centum viginti, ibidem Act. 1. *erat autem turba hominum simul ferè centum viginti*, soluit dicens, licèt illi qui erant in Ierusalem essent centum viginti, tamen in Galilæa multi erant discipuli; & fortè omnes congregati sunt simul cùm apparuit; dic, ascensurus in Cœlum. Videtur autem mihi hoc insinuari Act. item primò, vbi ait Diuus Lucas; *igitur qui conuenerant, interrogabant eum*. Remansisse verò postea ad numerum ferè centum viginti, dicito, cum Apostolis, quousque *in illis diebus exurgens Petrus in medio fratrum*, de subrogando Apostolo Iudæ sermonem habuit. Non sine causa fortè commemorat Matthæus, *quidam autem dubitauerunt*; præscius futuram fuisse aliquorum ex ipsis apostasiam; quandoquidem dicit Salmeron in 1. Ioann. cap. 2. v. 19. scripsisse Climacum, ex primis in Cœnaculo collectis prodijsse omnino quatuordecim hæresiarchas; vt fert Tirinus ex illo, Act. 1.

O 3.p.q. 55. a. 3. ad 4.
P 1.Cor. 15. l.1.

VERS. XVIII. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.*

19. Referri oportet hoc ad humanitatem; Q secundùm Augustinum & Hieronymum; quia de Diuinitate nulli est dubium, quin semper habuerit. Dicitur autem sibi omnis potestas data, ratione vnionis; R per quam factum est, vt homo esset omnipotens, sicut ratione vnionis, homo dicitur Deus. Sed cùm hanc potestatem S habuerit in ipsa conceptione, dicitur ei nunc *data*; non quasi de nouo hanc potestatem acceperit; T sed quia potestas, quam filius Dei ab æterno acceperat, in eodem, homine facto, per victoriam quam de morte habuerat, resurgendo claruit. Christus etiam per Crucis victoriam V meruit potestatem, & dominium super Gentes: vnde dicitur Apocalips. 2. *qui vicerit; dabo illi potestatem, & dominium super Gentes*. Tunc autem dicuntur res fieri X quando innotescunt; vt mos est Scripturæ: per gloriam autem resurrectionis A maximè Christi potestas innotuit, quando potuit totum Mundum conuertere. Constat autem, quòd Christus, qui ab æterno habebat Regnum Mundi vt Dei filius, executionem accepit ex resurrectione, quasi dicat; nunc sum in possessione. In *Cœlo* autem, *& in terra*; B hoc est super omnem creaturam. Cohærent huic Domini sententiæ plures in Scriptura auctoritates. Danielis 7. *& dedit ei potestatem, & honorem & Regnum. Potestas eius æterna, quæ nõ auferetur; & Regnum eius, quod non corrumpetur*. Philipp. 2. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum*. Nam & iudiciariam habet potestatem C super Angelos bonos, & malos. *Omnia enim*, vt dicitur in psalm. 8. & 1. Cor. 15. atque Hebr. 2. *subiecit sub pedibus eius*. Vnde non solùm super homines, sed super vniuersam creaturam, D Christus per suam passionem dominium promeruit, & iudiciariam potestatem. Et ly *super omnia*, non est distributio ad aliqua genera E sed absolutè *omnia*; quia generaliter ei, & vniuersaliter subiecta sunt. Nondum tamen sunt omnia ei subiecta, F quantùm ad executionem suæ potestatis: quod quidem erit in futuro; quando de omnibus voluntatem suam adimplebit: quosdam quidem saluando; quosdam verò puniendo. Et sic Danielis 7. exponitur; *dedit ei potestatem*, ad peruersorum correctionem; *& honorem & Regnum*, ad electorum promotionem. Claudo, animaduertendo non adiecisse Dominum aliquod temporis aduerbium puta, *nunc data est mihi omnis potestas*: vt præsignaret, ab æterno sibi coæuam quà Deus est: quà verò homo, à conceptione vt diximus, habuisse. Alibi ab huiusmodi aduerbijs non abstinet, vt Ioann. 12. *nunc anima mea turbata est*.

Q opusc. 20. lib. 3. 32. & 3. p. 13. a. 1.
R 3.p.13. a. 1.
S 3. sent. 14. q. 1. 4. ad 1. & 3. p. cit.
T 4. cont. G. c. 9.
V 3.p.42. a. 1. & 4. cont. G. cit. & hic.
X 3 sent. cit & 3.p. q. 13. cit.
A hic, & Ioann. 5. l. 4. ht. a.
B Matth. 11. ad finem.
C 3. p. 59. 6.
D 4. sent. 48. q. 1. a. 1.
E Hebr. 2. l. 2.
F 3.p.59. 4. ad 2.

VERS. XIX. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.*

Hic Dominus G non solùm Iudæis, sed etiam Gentilibus, sub præcepto necessitatem baptismi imposuit. Ioann. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Sed tunc nondum erat in præcepto: vnde in ijs verbis magis videtur ad futurum respicere. Ratio esse potest; quia H baptismus habet efficaciam ex passione Christi; iuxta illud Rom. 6. *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Et ad Coloss. 2. iterum, *consepulti ei in baptismo*. Et quia Christus per Crucis victoriam meruit potestatem & dominium super Gentes; ideo ante passionem noluit Gentibus prædicari suam doctrinam. Sic 3. p. 42. a. 1. Præcipitur autem hic à Domino I baptismi diuulgatio quantùm ad omnes nationes. Dic propterea dixisse, *euntes*; sicuti clariùs expressit Marcus cap. 16. *euntes in Mundum vniuersum*. Præmittit autem, *docete*, quia vt ait Hieronymus lib. 4. Comm. in Matthæum; *primum docent omnes Gentes; deinde doctas intingunt aqua: non enim potest fieri, vt corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem*. Catechismus debet præcedere baptismum 3. p. q. 71. 1. Sic praxi obseruatum legimus Actorum 8. *cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur*. Et postea Eunucho *euangelizauit Iesum, incipiens à scriptura illa* Isaiæ 53. *tanquam ouis*, &c. Instanti autem Eunucho baptizari, *dixit Philippus; si credis ex toto corde, licet*. Et sic ritus est Ecclesiæ, L vt ille qui accedit ad baptismum, interrogetur de fide; cùm dicitur; *credis in Deum Patrem?* &c. Quare caueant admodum ij quorum interest, ne Catechumeni admittantur, nisi reuera assentiant articulis fidei; si enim non rectè sentiant de baptismo, suscepturi ipsum secundùm quòd Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit, neque characterem recipiunt; vt ibidem M docet. Cauendum præterea, ne adhuc propositum persistendi in peccato retineant. Nam Sacramentum baptismi salutem N conferre non potest cum voluntate peccandi. Requiritur quippe in baptizandis generalis confessio peccatorum, quam faciunt O abrenunciando Satanæ, & omnibus pompis eius. Sic Petrus Act. 2. *pœnitentiam*,

20.
G 3.p.66. 2. 2.
H 3.p 66. 10. & 4. sent. 3. q 1. a. 5. ad 5.
I 4. sent. d. 3. q. 1. a. 5. 2.
L 3.p.68. 8. 2.
M loc. cit. ad 3.
N 3. p. 68. 4.
O ibi a 6.

tiam, inquit, *agite; & baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi*. Reuertendo autem ad quod ait, *docete*, recolendum est Domini promissum Ioann. 16. *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Quocirca
P 1. 2. q. 106. a. 4. ad 2. Angelicus, P docuit Spiritus-Sanctus Apostolos omnem veritatem, quæ pertinet ad necessitatem salutis; scilicet de credendis & agendis. Dicit autem
Q Apoc. 8. com. 2. glossa, ibi *præparauerunt se*, Q quòd Apostoli fuerunt priuilegiati, quia Spiritus-Sanctus eis ita aderat, vt non oporteret eos præmeditari. Saluator
R opusc. 2. § 1. itaque noster R discipulos ad prædicandum mittens tria iniunxit: primo quidem vt docerent fidem; *euntes docete omnes Gentes*: secundò, vt credentes imbuerent Sacramentis; *baptizantes eos*: tertiò vt credentes Sacramentis imbutos, ad obseruandum diuina mandata inducerent; *docentes eos*. Proprium autem & singulare dogma christianæ fidei, non est quòd Deus sit vnus, aut omnipotens, & si quæ alia de Deo fide tenentur, quæ etiam Iudæi & Sarraceni non diffitentur: sed singulare esse fidei christianæ, vt Trinitatem Personarum in vnitate diuinæ Essentiæ fateamur. Hæc Diuus Thomas. Ex quibus claret quàm mirè consignandos diuulget Matthæus fideles professione per baptismum eiusdem fidei; *in nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti*.

21\. Profundè autem ex verbis Domini confunduntur impijssimi hæresiarchæ Arius & Sabellius. Arius quidem, qui posuit trium Personarum esse diuersas substantias, in dignitate & duratione differentes; vt enim ait Augustinus Sem. 15. ad fratres in eremo, Tomo 10. *tres apertè pronunciat Personas; sed vnitatem ostendit dicens, in nomine; non enim dixit in nominibus. Trinitas enim diuiditur indiuisibiliter, & coniungitur diuisibiliter*. In Sabellium autem militat fortissimè interiecta vocula, copulatiua scilicet coniunctio *&*; non enim dicit *baptizantes eos in nomine Patris filij, Spiritus-Sancti*; sed *& filij & Spiritus-Sancti*. Insurgebat Sabellius ex eo Ioannis 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*, contendens exinde auferre Personarum distinctionem; astruens solùm differre nominibus.
S Ioa. 14. l. 3. At occurrit acutissime Hilarius apud Angelicum; S *si hoc ita esset, Dominus dixisset, qui videt me, videt Patrem, nulla coniunctione apposita; sed quia coniunctionem addidit, &, Patrem meum*, distinctionem ostendit. Repetamus hoc ipsum nos in præsentia. Id autem adnotauit Angelicus dicens, T in
T 4 sent. d. 3. q. 1. a. 3. ad 2. fide Trinitatis includitur fides vnitatis; & ideo in baptismo cum fide Trinitatis expressa, datur intelligi fides vnitatis: & in forma verborum per hoc quod singulariter dicitur *in nomine*, & in immersione, propter similitudinem immersionum. Non autem in fide vnitatis includitur fides Trinitatis: & ideo congruentius est vt in actu baptismi fides Trinitatis exprimatur. Quamuis autem Gentis nomen quandoque in Scripturis, ex aduerso stet ad Iudæos, qui potius Populus dicerentur, quàm Gens: & sic posset alibi accipi: nihilominus, quoniam contextus Marci exprimit; *prædicate Euangelium omni creaturæ*, debemus interpretari promiscuè, ad Iudæos & ad Gentiles Euangelij verbum missum esse. Nam Gentis nomine veniunt & Iudæi; tum ex hebræa, *Goi* seu *Gens* significet *genus, Populum, Nationem*, Sic Genesis 10. *ab his diuisæ sunt Gentes in terra post diluuium*. Et Isaiæ 40. *omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*. Sic & Iudæorum populus nomine Gentis; Ioann. 11. *expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat*. Et Pilatus Ioann. 18. dixit; *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi*. Igitur, *docete omnes Gentes, baptizantes eos*; quoniam vt dicitur 1. Cor. 12. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi siue Gentiles*. Claruit autem amborum conuersio in Actis, Iudæorum quidem cap. 3. & 4. Gentilium autem 10. & 14.

VERS. XX. *Et ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem Sæculi.*

Discipulos alloquitur Dominus V in persona 22.
aliorum fidelium; secundùm illud Marci 13. *quod* V 4. cont.
autem vobis dico, omnibus dico. Quocirca recolo G. cap. 74.
aliàs hæsitasse Petrum Lucæ 12. *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* Ecclesia ergo in ijs, qui aderant salutare suum audiebat. Neque enim permansuri erant discipuli in hoc Sæculo, vsque ad Sæculi consummationem, vt cum ipsis esset Dominus *omnibus diebus*. Cæterùm quoniam abiturus erat ab eis, & à fidelibus ascensurus in Cœlum; Lucæ 17. *venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis; & non videbitis*; item Ioann. 12. *pauperes semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis*: vnde cap. 16. *relinquo Mundum, & vado ad Patrem*; constat non intelligi permansurum nobiscum visibiliter. Planè non decebat, Christum secundùm præsentiam corporalem X semper esse nobiscum. Conueniens enim fuit X Ioa. 6. l. 6.
quòd ascenderet in Cœlum; A quia locus debet esse A 3. p. 57. 1.
proportionatus locato: Christus autem post resurrectionem, vitam immortalem & incorruptibilem inchoauit; & locus cœlestis est locus incorruptionis. Subtracta ergo sua corporali præsentia, nobiscum esse vsque ad consummationem Sæculi, multifariam potest exponi. In primis, quantùm ad præsentiam Diuinitatis B. Ex quo dum ita loquitur, B Ioa. 12. l. 2. & 3. p. cit.
dic, se Deum verum contestari. Item nobiscum C spiritualiter per gratiam. Præterea auxilium & pro- C Ioan. 9. l. 1.
tectionem D assiduè impendendo. Adhuc, quia D Apoc. 21. com. 2.
vsque *ad consummationem Sæculi*, E permansura nobiscum est vera doctrina; neque enim succedet alia Religionis obseruantia. Lex quippe noua F E Matth. 24. ibi, *sicut fulgur*, & Isaiæ 2. & hic.
duratura est vsque ad finem Mundi. Denique hac ex Domini dulcissima postremò prolata, proinde cordi eo magis infigenda sententia, agnoscitur in visibili Altaris Sacramento inuisibilis nobiscum commoratio. Sic enim pluries interpretatur hunc, lo- F p. 2. 106. 4.
cum Angelicus G. Et videtur satis hunc indicare G Danielis 8. Apoc. 22. comm. 2. 1. Cor. 11. l. 6 & 3. p 75. a. 1.
sensum, dum nedum esse nobiscum, sed *omnibus* asseuerat *diebus*; Iussit quippe Deus Exodi 29. per singulos dies iugiter offerri Agnorum duorum holocaustum. Quotidie etiam celebrando conficitur Sacramentum; H vnde & Panis no- H 3. p. 83. 2.
ster quotidianus intelligitur ab Au-
gustino. Vis amicitiæ facit ex
Philosopho 9. Ethic. c. 4.
delectabiliter conuiue-
re amico; Christi
amor, qui
cum di-
lexisset suos qui erant in Mundo, in finem dilexit
eos, facit eum & hoc ineffabili modo no-
biscum esse, *vsque ad consummatio-
nem Sæculi*; vt qui se nobis de-
dit in pretium, daturusque
est in præmium, adsit
omnibus diebus
gloriæ in
pignus.
(·:·)

SYN-

SYNTAXIS

Ad Caput Vigesimumoctauum.

VERS. I. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit &c. venit Maria Magdalene, & altera Maria.*

1. Mirum profectò, quod nemo tantisper eruditus non videat; cùm tot post resurrectionem contigerint, tam parcè à Beato Matthæo rem narrari; quando ipse, qui cæteros sanctos Euangelistas præiuit, debuisse videretur vberiùs cuncta digerere, & fideles de singulis informare. Sed vt Augustinus Serm. 44. de verbis Domini nos instruit, *quæ facta sunt corporaliter, voluit Dominus intelligi spiritualiter; vt nedum essent mira videntibus, sed vera intelligentibus.* Hinc igitur est, quòd Matthæus molem attactæ à nobis allegoriæ hucusque versans, eandem consummaturus postremo hoc in capite, exequi ea duntaxat delegerit, quæ magis ad Syntaxin & Harmoniam complendam facerent, expensis præcipuè iis, quæ ædificatam Ecclesiam renatosque in ipsa homines piè scrutantibus proderent ac comprobarent. Itaque quoniam ædificationis Ecclesiæ, 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis*, fundamentum primum A fides est: sine qua indubiè corruunt omnia; meritò introducit arcano sensu de fide. Fides inquit ad Coloss. 1. est sicut fundamentum; ex cuius firmitate, tota firmatur Ecclesiæ structura: opportunè quippe ad resurrectionis mysterium; eò quòd dicit Apostolus Roman. 10. *hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Quòd si ad animæ fidelis spirituale solatium aueat christiana deuotio assumptum sacro ex contextu deprehendere, penitiùs Matthæi verba introspiciat. Noluit enim vt cæteri, *valde diluculo*, aut *valde mane*, aut *cùm adhuc tenebræ essent* aduentantes ad sepulchrum describere mulieres; sed *vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit* inquit, *Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum:* quæ phrasis expositores fatigat. Sed cur non diceret, *quæ lucescit*, quando fidei lumen sensim exoriturum fidelibus contendebat? Hieronymus in titulo psalm. 47. *prima sabbati fecit lucem.* Cur non hoc habuerit Matthæus in mente? Et dum ait *quæ lucescit*, non autem *quæ claret*, cur non subinnuat fidem, quæ lumen subluscidum est. Huc aduoca quod ait Hieronymus lib. 1. Com. in caput 2. Matthæi; *quando tulit puerum & Matrem eius, vt in Ægyptum transeat, nocte tulit, & in tenebris, quia noctem ignorantiæ his, à quibus ipse recessit, reliquit incredulis; quando verò reuertitur in Iudæam, nec nox, nec tenebræ in Euangelio ponuntur; quia in fine Mundi Iudæi fidem suscipientes, illuminabuntur.* Augustinus in quæstionibus de nouo Testamento, quæst. 64. *vt Iudæi non credentes in perpetua nocte remanerent.* Beda lib. 4. cap. 48. in caput 11. Lucæ; *possessus à dæmone liberatur, & cæcus videt: vt expulso dæmone, credentes fidei lumen aspiciant.* Leo Papa in Serm. de passione 8. *festiuitas, quæ Iudæis conuersa est in noctem, nobis coruscet in diem.* Apostolus Roman. 13. *nox præcessit; dies autem appropinquauit.* At non contentus Euangelista sic fidei lumen insinuasse, id ipsum commemoratis mulieribus tangit, *Maria Magdalene*, inquit, *& altera Maria.* Vim ergo facit in Mariæ nomine, dum sic sobriè dicit, *& altera Maria.* Cur hanc non exprimit, vt Marcus *Mariam Iacobi*? cur non de Salome, quæ sociabatur illis, quod ait idem Marcus, & Ioanna apud Lucam? Nihil curat hic nobis innotescat, nisi, quòd nomine dictæ sint Mariæ; *& altera Maria*: non perperam, sed studiosè. Causam Epiphanius reuelet. *Mariæ nomen interpretatur illustrata.* Ex Hieronymo lib. de nominibus hebraicis, interpretatur *illuminatrix* seu *illuminans*: à Sancto Beda & aliis, *stella maris*: dic, vbi *tenebræ erant super faciem abyssi.* Et ecce vndequaque concerni lumen, & animæ illuminationem. Quocirca Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate; *ab illuminato fidei oculo, humanæ sapientiæ fumus abscedat.* Et ex Augustino lib. 4. de Trinit. cap. 6. resurrexit Christus dilùculò, *vt à Deo, qui dixit de tenebris lucem splendescere, audiremur; fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* Ephes. 4. & Petrus in 1. cap. 3. *qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Fortè autem duæ hìc sunt Mariæ, ad signandum Iudæos & Gentiles; quia, vt de duobus cæcis dicit Remigius; *de vtroque populo in se credentes Christus illuminauit.* Signanter autem notat *vespere sabbati, quæ lucescit* deinde, quia vt ait Apostolus ad Galatas 3. *custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat*; vtpote B quæ in antiquis temporibus multis signis latuit. Tempus quippe præcedens Christi incarnationem comparatur nocti Rom. 13. *nox præcessit*; quia sicut in nocte apparent vmbræ; ita etiam eo tempore eminebant legalia, quæ sunt *vmbra futurorum*, vt dicitur Coloss. 2. quod ad Romanos habet Diuus Thomas. Typum autem Ecclesiæ illuminandæ gerunt hæ duæ mulieres, iuxta illud Isaiæ 49. *dedi te in lucem Gentium*; & 2. ad Timoth. 1. *per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem*; quoniam inquit Angelicus C esse vtramque mulierem eiusdem nominis, vt per ipsas vnitas signetur Ecclesiæ. Et quia ex duobus populis Iudaico & Gentili, hæc, vt toties diximus, ædificanda erit; dic, duas commemorari venisse, tacendo de tertia.

A 1. 1. q. 4. 7. 4. Col. 1. 1. 5. — B Gal. 3. 1. 8. & Rom. 13. l. 1. — C D. Th. hic.

Rogabis, an aliunde trahi possit, esse Matthæi eloquium de fide?

2. Respondeo ita omnino; & quidem vi contextuum & literæ. In primis extat ab ore Angeli satis; qui dum mulieres, vt citò denuncient, exstimulat, *dicite*, inquit, *discipulis eius.* Et ita, *exierunt currentes nunciare discipulis.* Non memorantur Apostolorum nomine vt in Luca, nec Petrus speciatim vt apud Marcum. Tertullianus lib. de corona milit. cap. 2. *laudo fidem quæ ante credidit, quàm didicit.* Auditus inter alios, sensus est disciplinæ secundùm Philosophum. Vnde in principio Metaphysicæ, *quæcunque animalia audire sonos non possunt, non discunt: discunt autem quæcunque vnà cum memoria hunc habent sensum auditus.* Et per Apostolum Roman. 10. *fides ex auditu*: iuxta illud Isaiæ 53. *Domine, quis credidit auditui nostro*? Præterea Ioannes in sua 1. cap. 1. habet, *quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Ecce de his omnibus, hic. Nam Angelus postquam auditum fecit mulieribus *surrexit sicut dixit*; adiecit, *venite & videte*; & paulo post contrectauerunt manibus suis, cùm *accesserunt ad Iesum, & tenuerunt pedes eius.* Item in eo quod dicuntur venisse *videre*

videre sepulchrum, quamquam figura metonymiæ, quæsiuisse intelligantur Iesum, sicut mox contestatur Angelus; *scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est quæritis:* nihilominus earum innuitur fides vel fidei initium; ex quo, non Iesum videre veniunt, sed ipsius cenotaphium, & vacuum sepulchrum: quemadmodum quotidie deuotionis ergo, petunt loca sancta fideles, præaccepto resurrexisse. Et hac fortasse allusione canit Ecclesia; *dic nobis Maria, quid vidisti in via? sepulchrum Christi viuentis, & gloriam vidi resurgentis.*

3. Dices vlterius: quid fieri ad mulieres huiusmodi de resurrectione præludium, quando, iure communi non admittuntur in testes; & hoc ex defectu rationis, vt notat Angelicus; D sicut à fortiori nec pueri, nec amentes? Hinc non ad mulieres, sed ad viros dixit Iesus Act. 1. *accipietis virtutem Spiritus-Sancti in vos; & eritis mihi testes in Ierusalem*, &c. Quocirca Petrus Act. 10. *aperiens os suum dixit; hunc Deus suscitauit tertia die; & dedit, eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo; nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Quare cap. 1. cum esset in locum Iudæ subrogandus alter Apostolus, *oportet*, inquit, *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati*, &c. *testem resurrectionis eius, nobiscum fieri vnum ex istis.* Videtur autem & Apostolus 1. Cor. 15. non multi fecisse ad comprobandam Christi resurrectionem testimonium mulierum; de quibus nec verbum facit.

D 1.2.q. 70.3.

4. Peregrinam hanc ad quæstionem, quam qui excitet neminem viderim, quamque soluere, nemo communiter poterit, nisi quòd fuerint mulieres Christi amantissimæ, dignæ proinde primordiali resurrectionis notitia, ad compensandum primæ Parentis opprobrium, quæ mortem intulit; triplicem responsionem adhibeo; quæ, vt mihi visum est, satisfaciat, quæque Syntaxi Euangelicæ plurimum faueat. Primò igitur dico de fidei propagatione, nedum de resurrectionis fide hic tractari. Cur ergo non introferrentur mulieres? Magister Sentent. in 3. distinctione 1. loquens de diuina sapientia, *hæc*, inquit, *mulier est euangelica, quæ accendit lucernam; & drachmam decimam, quæ*, (Lucæ 15.) *perdita fuerat, reperit.* Vbi Angelicus; E sciendum, quòd diuina sapientia, mulier dicitur, non propter fragilitatem, sed propter fœcunditatem; Eccles. 24. *a generationibus meis implemini.* Sapientia autem in habentibus gratiam, donum est Spiritus-Sancti, F faciens rectitudinem iudicij circa res diuinas per regulas diuinas. Fides comitem habet intellectum, qui vltra assensum, qui est à fide, G importat quandam perceptionem veritatis. Consecutiuè procul dubio adest sapientia; quæ typo muliebri intelligatur hic, quandoquidem fides astruitur ad fœcunditatem. Erat autem fides, intermina propagatione, nunquam sterilis, in Mundo disseminanda; secundum illud Apostoli Coloss. 1. *in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos; sicut & in vniuerso Mundo est, & fructificat, & crescit:* & priùs Roman. 8. *fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.* En ergo cur ad mulieres sit prior nobis relata annunciatio, & hic mulieribus Christus apparuerit, atque eas fecerit sanctæ suæ fidei præcones.

E 3. sent. dist. 1. expos. t.

F 2.2.q. 45.2.1. & 3.

G 2.2.q. 8.2. & infra.

5. Respondeo secundò, prælibandum esse, quòd *fides*, de qua hic subtexitur, *non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum*, vt ait Gregorius hom. 26. in Euang. Addo ex Augustino in quodam Sermone, *vbi deficit ratio, ibi est fidei ædificatio.* Differt sanè credens à sciente, qui per certitudinem assentit H ex necessitate rationis: licèt conueniat cum sciente, I in quantùm habet firmam adhæsionem ad vnam partem. Credere debet homo ea quæ sunt fidei, L non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem diuinam. Leo Papa Serm. 7. de Natiuitate Domini; *diuina est auctoritas cui credimus; diuina est doctrina, quam sequimur. Abigatur procul terrenarum caligo rationum; & ab illuminato fidei oculo, humanæ sapientiæ fumus abscedat.* Quamuis illa sola ratio meritum fidei excludat, M quæ facit videri per scientiam id, quod credendum est; cuiusmodi est ratio demonstratiua. Cùm res igitur ita se habeat, profectò ad huiusmodi insinuandam doctrinam, symbolum pullum est æquè idoneum, ac mulierum inductio. Mulier in confesso est Philosophis minus pollet ratione; vnde supra dictum est, ob rationis defectum, ipsius non recipitur testimonium. Et vbi ait Apostolus; *mulier in silentio discat, cum omni subiectione*, elucidatur, N quia eorum, qui deficiunt ratione, proprium est addiscere. Reor autem hinc posse intelligi, mulieribus à discipulis non fuisse creditum; ad hanc insinuandam doctrinam, qualiter humana ratione non elicitur actus fidei. Et si vi rationis quis crederet, iam fides non esset, sed scientia. In dæmonibus, qui *credunt & contremiscunt.* Iacobi 3. O fides est conclusio, non argumentum. Quà deficit ratione, mulier fidem refert: quà deducit & infert vnum ex alio, exploditur. Sic Ioann. 4. *iam non propter loquelam tuam credimus* dixerunt mulieri Samaritanæ ciues illi, *qui crediderunt in Iesum propter sermonem eius.* Addo ex 2.2. fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur; sicut ait Damascenus, *fides est non inquisitus consensus.* In 4. lib. q. 4. 2. 2.

H Rom. 1.16.

I 2.2.q.1. 1.

L 2.2.q. 2.1.

M l.c. & 3.p.55.5. 1.

N 1.Tim. 2.11.

O Iacobi 2.

6. Tertiò dici potest, voluisse Dominum fidei mysterium attingi prius à mulieribus in suæ Sanctissimæ Matris præconium: quandoquidem die sabbati P remansit tota fides in ipsa Virgine. Ex quo in eius venerationem seruamus sabbatum. Meruit ergo Deipara sexui priuilegium. Nisi tandem dicamus cum Angelico Q spiritum prophetiæ & gratiæ Spiritus-Sancti non discernere inter virum & mulierem. Vnde Iudicum 5. Debbora erudiuit populum Israel, tametsi non publicè, sed instinctu Spiritus-Sancti consilia dando. Sic sanctæ istæ mulieres habentes de Christi resurrectione primitias fidei, vt diuino instinctu venerant ad sepulchrum, mittuntur *dicere discipulis quia surrexit*, non prædicare.

P Opusc. 4. 5. 11.

Q 1.Tim. 2.1.

VERS. II. *Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini*, &c.

7. Quid non descenderet Angelus de Cœlo, quando fides cœleste donum est? Ephes. 2. *gratia enim estis saluati per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Fidem namque R diuina gratia causat in nobis. Reuelationes autem diuinorum perueniunt ad homines mediantibus Angelis, vt dicit Dionysius 4. cap. Cœlestis hierarchiæ. Obijcitur ex Angelico; S fides est immediatè à Deo; ergo homo non illuminatur ab Angelo. Respondet probans fidei habitum esse à solo Deo. Cæterùm ad fidem requiri, vt credibilia proponantur credenti: & hoc quidem fit per hominem, secundùm quòd fides est ex auditu Rom. 10. sed per Angelos principaliter, per quos hominibus reuelantur diuina. Vnde Angeli operantur aliqua ad illuminationem fidei. Hæc Diuus Thomas. Quid mirum si solicitus fuerit Matthæus de Angeli describendo aspectu; *sicut fulgur:* fulgur splendor è cœlo est, quod propriè coruscat. Quoniam verò illuminatio ab Angelo, etsi crebra sit, non continua, dic non lumini comparari, sed fulguri. *Vestimenta* etiam, *quæ facta sunt alba sicut nix*, candore suo fidem referunt; vtpote cui T subesse non potest falsum. Quod vnum candori veritatis repugnat. At descendente Angelo ad fidei illuminationem, *ecce terræmotus factus est magnus.*

R 3.C.G. c.151.

S 1.p.qu. 111.2.1.

T 2.2.q. 1.3.

Paulo

Paulo ante moriente Iesu, *terra mota est*; neque dicitur *terræmotus magnus*, sicut hic. Adest Aggæus in cuius 2. capite legimus, *adhuc vnum modicum est, & ego commouebo Cœlum & terram, & mare & aridam: & mouebo omnes Gentes: & veniet desideratus cunctis Gentibus*. In hunc psalm. Iacobus Titinus quærit, quænam commotio veniente in Mundum Christo facta sit; & eleganter ac erudite vndequaque colligens Mundi commotiones, ait præteritione quadam; taceo conuulsionem & disruptionem viscerum terræ, quando anima Christi ad limbum inferos spoliatura descendit. Taceo commotionem animarum factam prædicatione & miraculis Christi & Apostolorum. Dixerim ego, quandoquidem importat motus omnis mutationem, implendum fuisse psalmi 44. titulum; *in finem, pro ijs, qui commutabuntur filijs Core, ad intellectum*; scilicet *ab infidelitate ad Christianismum*; ex Eusebio Athanasio & Cyrillo. Terræmotus ergo magnus, cum cœpit fides prædicari, factus est; *terræ*, hoc est animarum; secundum illud psalm. 142. *anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Hunc terræmotum cœpit ipse Dominus; de quo dicebant Lucæ 23. *commouet populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa, vsque huc*: sed *magnus* futurus erat; cum fidei documenta toto terrarum Orbe prædicarentur. Sanè in psalm. 95. legimus, *commoueatur a facie eius vniuersa terra*; neque sermo est de terræmotu sensibili, sed spirituali; quando sequitur; *dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit*, vtique *a ligno*; cum instar mulierum, quibus Angelus; *scio quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis*, vniuersa terra Christum in ligno pendentem acta Spiritu Dei quæsitura erat; Isaia 2. *fluent ad eum omnes Gentes*. Et iam præmittitur *annuntiate inter Gentes gloriam eius*; ibique Augustinus *terra sunt auditores*; sicut in primo versiculo *cantate Domino omnis terra*. Titulus autem psal. 59. *est pro his qui immutabuntur ipsi Dauid in doctrinam*: quod de doctrina Christi intelligit Augustinus ibi. Dic ergo ita factum esse *terræmotum magnum*. Sic & in psal. 67. *terra mota est*: *terreni*, inquit, *homines ad fidem excitati sunt*. Cur non faciat hunc ad terræmotum, quod subditur de Angelo, *& accedens reuoluit lapidem*? reuoluendus enim præsignatur cordis humani lapis; 1. Thess. 1. *conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero*. Chrysostomus hom. 34. in Matth. *maius profecto atque admirabilius est, mentem aduersariorum commutare, & animum in diuersum transferre*. Dici autem potest sedere Angelum super lapidem reuolutum; quia in eodem psalm. 59. vbi præmissum est, *commoueatur a facie eius vniuersa terra*; sequitur; *etenim correxit Orbem terræ, qui non commouebitur*. Neque enim vltra de Deo ad idola Orbis erat commouendus: nec vnquam timendum futurum posthac esse, vt christiana fides consummata & vniuersali commotione imminuetur. Quòd si libeat terræmotum hunc magnum, ingentem ac diutinam Christianæ fidei persecutionem intelligere, cum ab eius initio sæuiret Mundus, cùm strages à persecutoribus fierent, cùm longè latèque sanguis fidelium funderetur, cum in catenis in carceribus in tormentis multa dura christiani paterentur, vt in psalm. 59. eloquitur Augustinus: dic terræmotu tanto, non propterea nutaturam fuisse Ecclesiam, dum super lapidem immo sedet Angelus. Seuerianus ad hæc; *ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus*.

VERS. V. *Respondens autem Angelus dixit mulieribus, nolite timere vos. &c.*

8. Humanæ naturæ est in Angelorum apparitionibus turbari. Ambrosius super Lucam; V *perturbamur, & à nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu*. Sic V 3.p.q.10.3.1.
euenit impræsentiarum; at exitu dispari; nam custodes *facti sunt, exterriti præ timore* Angeli, *velut mortui*: mulieres autem blandè alloquitur Angelus; datque eis animos, *nolite timere vos*, signanti exceptione. Non secus ergo ac Exodi 14. *erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem*, vt ait Abulensis, respectiuè ad exercitum Ægyptiorum, & Israelitarum: sic Angelus hic formidinem incutit custodibus; mulieres confortat. Hieronymus; *illi timeant, in quibus permanet incredulitas: cæterùm vos, quia Iesum quæritis crucifixum, audite, &c.* Fuerit præsagium ad rem nostram futuri, cùm fides impauida robur ad quæque terribilia, & heroicam desursum fortitudinem acceptura erat. Bellè Ambrosius de tenella martyre Agnete; *hæc, inter cruentas carnificum impauida manus. Quanto terrore egit carnifex, vt timeretur. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset; tremere percussoris dexteram; pallere ora alieno timentis periculo: cum puella non timeret suo*. Subdit Angelus; *scio enim quòd Iesum quæritis*. Augustinus tract. 38. in Ioan. *postquam discessit Christus ab oculis hominum, inquisierunt & qui oderant, & qui amabant; illi persequendo, isti habere cupiendo. Bonum est quærere Christum; sed quomodo quæsierunt discipuli*: dic modò *mulieres*. Sed est quod notemus ab ore Angeli audiri; *scio quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis*. Quomodo enim sciebat? Quærit Diuus Thomas, X *Vtrum Angeli cognoscant cogitationes cor-* X 1.p.57.
dium? Et quanquam affirmet quando per effectum 4.
aliquem cogitationes manifestantur; negat de cogitationibus prout sunt in intellectu, & de affectionibus prout sunt in voluntate: ea enim quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota: & *ad secundum* addit, neque cognosci ab Angelis motum appetitus sensitiui, aut apprehensionem phantasticam hominis, secundùm quod mouentur a voluntate & ratione: multò minus, quod est in cogitatione vel voluntate; quia intellectus & voluntas non subiacent appetitui sensitiuo & phantasiæ; sed potest eis diuersimodè vti: 1. Cor. 2. *quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis*. Consequens ergo fit hac ex doctrina, vt dum Angelus dicit *scio*, non autem *conijcio*, (quod magis admitti posset) diuinitus id acceperit. Quòd si naturæ cogitationes nesciunt Angeli; quis dubitet non eis notas esse cœlestes, quæ ad fidem pertinent illustrationes? Huiusmodi autem fuerunt præcogitata mulierum: *Iesum* enim, *qui crucifixus est, quæritis*, adiecit Angelus. Quibus planè verbis, fidelium in eis fidem sibi agnitam declarat: non secus, ac de Paulo Act. 14. legimus, *qui intuitus eum*, (claudum) *& videns, quia fidem haberet, vt saluus fieret, dixit magna voce; surge super pedes tuos rectus*. Quærunt Iesum, qui nomen salutis est; supra cap. 1. *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Pro Deo ergo habent; siquidem vt ait Leo Papa Serm. 1. de Natiuit. *nisi esset verus Deus, non afferret remedium*: dum autem quærunt crucifixum, fatentur hominem; nam 2. Cor. 13. *crucifixus est ex infirmitate*; carnis scilicèt assumptæ. Facit huc, quod ait item Leo Papa, hom. de transfiguratione; *Vnum horum sine altero, non proderat ad salutem; cùm vtrumque sit confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera Diuinitas. Ad confirmandam ergo huius fidei saluberrimam cognitionem*, &c. Damascenus aliàs dicit, quòd *Iesus significat Deum humanatum; Christus verò è contra hominem Deificatum*: quod

fertur

A opusc. 10. a. 1. fertur A in Opusculo. Reuelauit ergo Deus Angelo earum fidem. Et hoc potest esse in causa, cur nec Angelus nec Matthæus quicquam dixerint, de intentione vngendi corpus Domini: fidem enim hic intendunt nascentem in mulieribus, & earum in personis, fidem Ecclesiæ; hoc est in Ecclesia, fidelium subinnuere. Sed quorsum se ingesserit Angelus in his, sequitur.

VERS. VI. *Non est hic; surrexit enim sicut dixit: venite & videte, vbi positus erat Dominus.*

9. Duplex est vocatio: B interior, quæ nihil aliud B Rom. 8. l. 6. est, quàm quidam instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum his, quæ sunt fidei vel virtutis: alia est vocatio exterior, quæ fit ore Prædicatoris. Vocationem interiorem instinctu quodam superiori agnoscimus; quandoquidem, *vespere sabbati Maria Magdalene & altera Maria, venerunt videre sepulchrum.* Et quoniam ad idem tendit vocatio etiam exterior; quæ in documentum interioris vocationis exponitur; en eandem ab Angelo vsurpari sententiam; *venite & videte locum, vbi positus erat Dominus*; postquam, & vos *venistis videre sepulchrum.* Nisi hoc pacto dictum dicto iungamus, cur insumeret Angelus verba, vocando, aut suadendo mulieribus, quod ipsæ per se ipsas præintenderant? Per Angelos autem significari Prædicatores C perhibet Angelicus, ibi; *septem* C Apoc. 8. *Angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se, vt tuba canerent*: Et quia pergit Ioannes dicens; *& primus Angelus tuba cecinit*, cœtum Apostolorum in eo vno intelligit. Quòd si tantillum retrogrediamur, diuini eloquij satis nunquam altitudinem demirabimur; quando secretiori scrutatione scripturarum, manifestè deprehenditur, ipsas eodem omnino incedere gradu. Prælibatum est supra, quisnam magnus terræmotus sit ille, quem Matthæus dicit. Ioannes & ipse paulo ante sic habet. *Et accepit Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud de igne Altaris, & misit in terram: & facta sunt tonitrua & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.* Non absimiliter præscius Dominus efficit, quod Matthæus denarret, euenire. *Et ecce terræmotus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de Cœlo; erat autem aspectus eius sicut fulgur*; &c. Hauriamus ab Angelico Apocalypsis interpretationem, quæ ad amussim Matthæum elucidet. Pro thuribulo aureo intelligit Apostolos: (aliàs sub nomine Angeli) quos mittit Christus *in terram*, idest ad diuersas partes terræ: *euntes in Mundum vniuersum* &c. vel *in terram*, idest ad illos, qui apti erant ferre fructum ad modum terræ; vt fuerunt Gentiles. Et *facta sunt tonitrua* comminationum, *voces* admonitionum, *fulgura* miraculorum; quæ simul illuminant & incutiunt timorem. *Et terræmotus*, idest terrenorum hominum motus magnus; (vide quàm appositè suprà hunc sensum attigimus) supple, factus est, ad prædicationem Apostolorum. Magna enim commotione concitati sunt homines ad verba eorum; quidam ad bonum, scilicet ad conuersionem; quidam ad malum, vt ad blasphemiam. Habes & in Matthæo *terræmotum magnum*; habes aspectum Angeli, *sicut fulgur*; habes *territos custodes*; mulieribus non fuisse timendum: vno verbo habes Matthæi veluti expositorem Ioannem. Et quoniam Angelus in Apocalypsi dicitur Christus Isaiæ 9. *magni consilij Angelus*; quoniam præterea Prædicatores omnes, omnesque satores fidei Apostoli, in Christo vnum fuere; 2. Cor. 13. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* minimè curauit Matthæus inhærere historiæ, etiam si fuissent duo Angeli & hic, quos commemorat cap. 20. Ioannes.

Ministerio autem Angeli refertur mulierum harum manuductio; vt in vno intelligatur, qualiter 10. Hebr. 1. *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Et quia de fide astruimus attexi textum, opportunè adest Angelus; quandoquidem D Angeli D 1. p. 111. a. 1. ad 1. operantur aliquid ad illuminationem fidei; quatenus credibilia proponantur credenti: quod principaliter fit per Angelos, per quos hominibus reuelantur diuina. Et tamen homines illuminantur ab Angelis non solum de credendis, sed etiam de agendis. Hæc Diuus Thomas. Et vide quasi specimen propositionis obiecti credibilis; dum mulieres inuitat; *venite & videte locum, vbi positus erat Dominus.* Duo autem consideranda sunt. Primum, quare Angelus, dum mulieres promouet, *venite & videte*, actum agat; nam iam ad videndum venerant. Et ad hoc respondendum est, factum id esse in confusionem futuræ Pelagianorum hæresis; qui E dicebant, quòd initium fidei est ex nobis, in quantum E 2. 2. q. 6. a. 1. scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum his, quæ sunt fidei, sed consummatio fidei est à Deo, per quem nobis propununtur ea, quæ credere debemus. Subdit Angelicus; sed hoc est falsum; quia cùm homo assentiendo his, quæ sunt fidei, eleuetur supra naturam suam, oportet, quòd hoc insit ei ex supernaturali principio interiùs mouente; quod est Deus: & ideo fides quantùm ad assentiendum, qui est principalis actus fidei, est à Deo interiùs mouente per gratiam. Ecce, aio ipse, in praxi, an à se ipsis, an diuinitus motæ sint mulieres ad fidem, elucescere. *Venite*, inquit Angelus, *& videte.* Indicat satis primam animæ nostræ motionem ad obiectum fidei, de sursum esse. Nam esse paratos homines ad credendum, est verè cordis motio; si per nos ipsos mouemur; quid à Dei nuncio nobis dicitur *venite?* Qualificat ly *venite* ab ore Angeli, quomodo, & cuius impulsu *venerant videre sepulchrum.*

Insurgit autem difficultas in eo quod ait, *videte.* 11. Si enim de fide, vt contendimus, sermo est, impropriè videtur vsurpari verbum *videte*; quia obiectum fidei F nequit esse visum; quandoquidem fides F 2. 2. q. 1. a. 4. Hebræor. 11. *est argumentum non apparentium*; & Dominus Ioannis 20. *beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Vnde meritum fidei G est ex hoc, quòd homo ex mandato Dei credit, quod non videt. G 3. p. 55. a. 5. ad 2. Non absimiliter ergo; sicuti de Diuo Apostolo Thoma ait Gregorius; *aliud vidit, & aliud credidit*; H *hominem vidit & Deum confessus est*; H 2. vcit. ad 1. *cùm dixit, Dominus meus & Deus meus.* Deinde dicendum; quòd ea quæ subsunt fidei, in generali sub communi ratione credibilis, visa dicuntur & sunt ab eo qui credit; I non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi. I ibi ad 3. Præterea, illa sola ratio meritum fidei excludit, quæ facit videre per scientiam, id quod credendum proponitur: & talis est ratio demonstratiua L. Addo rationes L 3. p. 55. a. 2. quæ faciunt pro fide, quandoque se habere ad voluntatem credentis, consequenter; cùm enim homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam: & super ea excogitat & amplectitur, si quas rationes ad hoc inuenire potest. M Et quantùm ad hoc ratio humana non minuit meritum fidei, sed signum est maioris meriti. M 2. 2. q. 2. a. 10. Cæterùm si inductiuæ sint rationes, non sunt demonstrationes; quæ in visionem intelligibilem, intellectum humanum inducere possint: sed remouent impedimenta fidei, ostendendo non esse impossibile, quod fide proponitur. Vnde per tales rationes, non diminuitur meritum fidei, nec ratio fidei. Expendamus

damus igitur, qualiter ly *videte*, ab Angelo dictum est, ad has innuendas doctrinas; vel quia videtur credibilitas; vel quia ostenditur, quod fides tradit non esse impossibile; vel quia interdum vnum videtur; & aliud creditur. Et satis attenta sententia id elicitur. Non enim dixit Angelus; *videte* resurrexisse, sed *videte locum*, vtique sine corpore, cum linteaminibus & sudario. Ex quibus ostendebatur non esse impossibilem; immo esse credibilem resurrectionem. Et aliàs consecutiuè ad fidem, hæc agebantur: iam enim prompserat & proposuerat absque audientium mulierum dissensu; *non est hic; surrexit enim*. Impossibile fuisset eum resurrexisse tunc, si tunc ibi esset; atqui inquit Angelus; *non est hic*; ergo non est impossibile, quod vobis proponitur.

12. Secundum quod considerandum innuimus, est cur Angelus nullum efficacius argumentum ediss erat, dum fidem exigit. Profectò dicit Diuus Lucas in Actis cap. 1. de Apostolis; *quibus & præbuit se ipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis*: hoc est N per quædam euidentia signa. Vnde in græco, vbi nos habemus in multis argumentis est *tecmirion*: quod est signum euidens ad probandum. Quæ item signa deducit O fuisse sufficientia. At illorum nullum, vt patet, ostensum est mulieribus. Quanquam Angelicum testimonium non defuerit. Sed nec erat euidens eum esse Angelum bonum: nam 2. Corinth. 11. *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*. Dicendum mihi videtur, quod de Magis stellam videntibus habet Leo Papa; *præter illam stellæ speciem, quæ corporeum excitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit*. Non fuere mulierum corda indisposita ad hoc, vt de facili fidem resurrectionis acciperent; quemadmodum duo illi discipuli Lucæ vltimo, quibus dixit Dominus; *ò stulti & tardi corde ad credendum*: & Marci 16. *exprobrauit incredulitatem eorum; quia his, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*. Augustinus ad rem super Ioannem, *quantum vas fidei attulerit quis ad fontem, tantum implet*. Sed non excidat quod docet Augustinus in psal. 118. ibi, *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum*; nempe, qui dicit, *inclinaui cor meum*, *dixerat*, *inclina cor meum in testimonia tua; vt intelligamus, simul hoc esse diuini muneris, & propriæ voluntatis*. Loquens de huiusmodi signis ad credendum, inquit Angelicus; P est autem perfectioris fidei, qui non requirit huiusmodi auxilia ad credendum. Vnde ad arguendum defectum fidei in quibusdam Dominus dicit Ioannis 4. *nisi signa & prodigia videritis, non creditis*: & cap. 20. *beati qui non viderunt, & crediderunt*: illi enim, qui sunt tam prompti animi, vt credant Deo etiam signis non visis, sunt beati per comparationem ad illos, qui non credunt, nisi talia videant. Si cupis autem magnam fidem mulierum in egregium fidei Ecclesiæ specimen, deprehendere; considera, quamuis dixisset Angelus; *non est hic*, minimè rogasse vbi nam esset: item citò properasse ad discipulos, vt eis hoc dicerent. Nunquid rem dubiam tam concitæ delaturæ fuerant? Probatio fidei fuit eorum locutio; *credidi propter quod locutus sum*, psal. 115. Quem recolens Paulus subdit; *& nos credimus: propter quod & loquimur*. Addit Angelicus Q illud in Actis cap. 4. *non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui*. Denique viso loco, *in quo positus erat Dominus*, nec ambigerunt, nec suspicatæ sunt furto ablatum fuisse; quod ab Iudæorum incredulitate mox commentum est; sed ratum habuere, quod dixerat Angelus. Certissimè ergo tenet fides resurrexisse. Dicit autem vbi supra Diuus Thomas; Spiritus-Sanctus est causa huius certitudinis. Siquidem, vt alibi R docet; ad assensum hominis in ea, quæ sunt fidei, causa exterius inducens, sicut miraculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem sufficiens non est. Videntium enim vnum & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credunt & quidam non credunt: & ideo oportet ponere aliam causam interiorem, quæ mouet hominem ad assentiendum his, quæ sunt fidei; quæ Deus est. Praxin doctrinæ huius habemus in Actis cap. vltimo; *quidam credebant his quæ dicebantur, quidam vero non credebant*. Sicuti cap. 17. vbi postquam dixit Paulus de Christo; *suscitans eum* (Deus) *à mortuis; cùm audissent resurrectionem mortuorum; quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum. Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt; in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier*, &c. Antea Actor. 13. *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Et ecce quomodo ab Angelo solummodo edisseritur mulieribus formale fidei obiectum: non enim fides S assentit alicui, nisi quia est à Deo reuelatum; inducitur enim homo ad credendum ea, quæ sunt fidei, quia sunt dicta à Deo; & ex auctoritate diuina. O ergo mirabile! nihil aliud promit Angelus ad astruendam fidem resurrectionis, nisi hoc breuiloquium; *surrexit, sicut dixit*. Et quia vt supra ex Damasceno in libro 4. *fides est non inquisitus consensus*; ecce ad hanc ininquisitionem innuendam, *citò eis indici*, *euntes dicite discipulis eius, quia surrexit*; & ipsæ *exierunt cito de monumento; currentes nunciare discipulis*.

N 3. p. 55. 5. — O ibi a. 6. — P 3. p. 55. a. 5. ad 3. — Q 2. Cor. 4. l. 4. — R 2. 2. q. 6. a. 1. — S 2. 2. q. 1. a. 1. & 5. & q. 2. a. 1 & q. 5. a. 3.

VERS. VIII. *Exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno*.

13. Quæ diligenter discutiamus, duo se offerunt; timor videlicet iste & gaudium. Lucas neutrum commemorat; *& regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus*. Marcus nihil de gaudio; sed solummodo de timore; *at illæ*, inquit, *exeuntes fugerunt de monumento; inuaserat enim eas tremor & pauor*. Matthæus ergo non tam historiam denarrat, quàm allegoriam subtexit, addens de gaudio. Diximus aliàs T ad Augustini sententiam, qui in titulum psalmi 59. sic habet; *solet propheticus spiritus in Psalmorum titulis recedere aliquantulum ab expressione rerum gestarum; & aliquid dicere, quod in historia non inuenitur: soletque hinc potius admonere, non propter cognoscendas res gestas, esse huiusmodi titulos inscriptos; sed propter futura præfiguranda*. Qua de re inde eruit exempla, subdens; *iam ergo incipiamus secundum rerum futurarum significationes ista discutere, & opacitatem vmbrarum in lucem verbi reuocare*. Quanquam & ad literam, non fuerit absonum postquam timuerunt, etiam gauisas fuisse: veruntamen dum legimus, *cum timore, & gaudio magno*, & copulari vtrumque videtur, cogimur altiora rimari; præsertim, quia timor est de malo, gaudium de bono; neque quo ex bono gaudeant de præsenti, quoue ex malo timeant de futuro, facilè claret. Scio secundùm Gregorium homil. 21. quòd *stola candida coopertus apparuit Angelus, quia festiuitatis nostræ gaudia nunciauit*. Scio illud psal. 29. *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, exponi, (quod sensit Basilius) quia V ad vesperam Dominicæ sepulturæ fuit tristitia, sed ad matutinum propter nuncium resurrectionis fuit lætitia. Canticorum etiam 1. *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; deinde botrus Cypri dilectus meus mihi*: ac si diceret, X sponsus meus in resurrectione sua factus est mihi botrus

T Prolo-go psal. — V ps. 29. — X Cant. 1. consueta in expos.

botrus Cypri, quando me gaudio suæ resurrectionis lætificauit. *Cypri botrus*; vbi vites nobiles esse feruntur, maximos botros procreantes. Vinum certè lætificat; post symbolum mortis, in myrrha mitæ amaritudinis, qua mortuorum corpora condiuntur. Eodem psalm. 29. *conuertisti planctum meum in gaudium mihi*. At cur ad nuncium resurrectionis, non dicuntur mox gaudere, cùm audierunt, *non est hic, surrexit*: sed *exeuntes de monumento*; tunc *cum timore & gaudio magno*? Dico igitur in ipso exitu de monumento repræsentari ipsis infusam fidem gradu maiori. Potest quippe fides
A 2. 2. q. 5. a. 4. A dici maior, & ex parte intellectus, propter maiorem certitudinem & firmitatem; & ex parte voluntatis, propter maiorem promptitudinem seu deuotionem vel confidentiam. Aucta sic secundùm participationem subiecti, vt ibi ait, fide, cur non dicerentur habere & gaudium magnum? cur non insurgeret timor? igitur *cum timore & gaudio magno*. Quod vt perspicuum fiat.

14. Sciendum est; ad fidem subsequi gaudium, etiam ex Scripturis haberi; siquidem psalm. 118. dicitur, *hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt*: & prius psal. 50. vbi de auditu, ex quo Roman. 10. *fides est*; *auditui meo dabis gaudium & lætitiam*. Cur non gaudeant corda fidelium de sui purificatione? Actor. 15. *fide*
B 2. 2. q. 7. 2. *purificans corda eorum*; de quo vide B. Cur non gaudeat anima de fidei lumine, quando ex aduerso Tobias capit. 5. dicebat, *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen Cœli non video?* Profundiùs tamen, vnde nascatur gaudium requiri
C 2. 2. q. 25. .. oportet. De bono quidem C præsenti est gaudium; de bono futuro est spes. Omnis amans gau-
D p. 1. 70. 3. det D ex coniunctione amati. Tunc autem perfectè quis gaudet de aliquo, quando ei sufficit. Mulieres gaudium habent magnum: res ergo amata eis sufficit. Bellè aiebat Augustinus ad Deum; *si omnia quæ fecisti mihi dederis, non sufficit seruo tuo, nisi te ipsum dederis*. Christum igitur verum Deum, & hominem istæ habebant, dum pergunt *cum gaudio magno*: & quomodo? fidei gratia. Dicit quippe Apostolus Ephes. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*; quia, vt docet Ange-
E 3. cont. G. c. 40. licus E fit per fidem Deus præsens affectu; cum voluntariè credens Deo assentiat. En quomodo hocce gaudium ostendit de qua hucusque diximus fidem. Et tamen gaudij huius tanti comes est timor; dico autem timorem filialem. Quærit Ange-
F 2. 2. q. 7. 1. licus, *an timor sit effectus fidei*. Et docet F esse fidem causam timoris filialis, quo quis timet separari a Deo. Audi ad Romanos 11. quàm appositè; *tu autem fide stas: noli altum sapere; sed time*. Constat exinde, quod eis dixerat Angelus, *nolite timere vos*, ad hunc non spectare filialem reuerentiæ timorem.

VERS. IX. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens, Auete.*

15. Fides meretur audire *Aue*: quemadmodum è contra interdicit in sua secunda Ioannes; *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nec Aue ei dixeritis*. Et quoniam fidei præluserunt quæcunque hactenus à Matthæo denarrata sunt, non mirum, si Dominus ipse prætacta implet: quo dogma credentium animus firmetur, quod habet Apostolus ad Ephesios 2. *Dei enim donum* est; & Hebræor. 12. *aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum*. Sed dum tam citò erant mulieres visuræ Dominum, cur Angelus, qui eas tam blandè solatus fuerat; *nolite timere vos*; quique dicebat, discipulos in Galilæa eum visuros, quod caput erat consolationum, non item adiecerit; *videbitis eum & vos*? Verùm altior sic exigebat Theologia; vt scilicet quanquam occursus Domini præscius esset, sileret. Posuere Pelagiani, vt diximus, G initium fidei esse ex nobis, consummationem verò duntaxat esse à Deo. Et ita quòd initium benefaciendi sit à nobis; H consummatio autem à Deo. Apostolus loco illo ad Ephesios exsufflat hanc hæresim, dicens; *& hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus*; & ab absurdo affert causam; aliàs posset quis gloriari; vnde ait; *vt ne quis glorietur*. Item expendendus est ad Hebræos; quia nedum *consummatorem*, sed *authorem fidei Iesum* facit. Ibi autem de prædestinatione, I vt huiusmodi veritatem demonstret, sic ait; sed contra hoc est; quod dicit Apostolus 2. Corinth. 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*. Nullum autem anterius principium inueniri potest, quàm cogitatio. En ergo, quare de Christi proxima apparitione, noluerit Deus ab Angelo vel verbum fieri, ne scilicet mulieres vel præcogitando à se ipsis quasi ex se ipsis, se ad fidem præparasse possent videri. Occurrit ergo Iesus inopinatò, largiturus ceu author & consummator eis fidem: non secus ac dicit Paulus ex Isaia ad Romanos cap. 10. *inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabant*: vbi de fide præloquitur Apostolus; & probat contextus; sequitur enim; *ad Israel autem dicit; tota die expandi manus meas ad populum non credentem*. Liquet autem ex adiecto, quandoquidem, *tunc*, quod signanter dixerim notatum esse, *accesserunt*. Hebræorum quippe 11. *accedentem ad Deum, oportet credere*: & quoniam fides etsi sublucidum, lumen tamen est, adstipulatur psalm. 33. *accedite ad eum & illuminamini*; cohærenter, quia venerunt *vespere sabbati*; sed *quæ lucescit*. Vnde Ephes. 5. *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; & 1. Thessal. 5. *vos autem fratres non estis in tenebris: omnes enim vos filij lucis estis & filij Dei; non sumus noctis, neque tenebrarum*. Ad hæc mirè Augustini sententia 2. de consensu Euangelist. *fide verè acceditur ad Christum*.

G 2. 2. q. 6. 1.
H p. p. q. 23. 5.
I p. p. cit.

16. Quoniam verò, vt docet Angelicus, L illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruemur; & per quæ ducemur ad vitam æternam: Duo autem nobis videnda proponuntur; scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos beatos facit: & mysterium humanitatis Christi; per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus, vt dicitur ad Romanos 5. (hinc etiam dic meritò dici *accesserunt*) vnde Ioannis 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: consectarium erat, facto mulierum accessu, vtrumque deprehenderetur, nimirum Diuinitatis, pariterque humanitatis confessio. *Accesserunt*, inquit, *& tenuerunt pedes eius*: (non dicit corruerunt ad pedes eius, vt 4. Regum 4. neque ceciderunt; vt 1. Corinth. 14. *cadens in faciem adorabit Deum*; & Apocalyps. 19. & 22. *cecidi vt adorarem ante pedes eius*: non dicit, osculatæ sunt pedes eius, vt consueuerat Magdalena, quæ Lucæ 7. *osculabatur pedes eius*.) Plures apud Angelicum: M humanitas, quæ infima est, intelligitur per pedes; psalm. 13. *adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*; sicut Diuinitas, quæ est supremum in Christo, intelligitur per caput: 1. Corinth. 11. *caput verò Christi Deus*. Attingunt ergo fideles mulieres humanitatis mysterium; & dic primò narrari, *vt per hominem, Deum discere incipiamus*; quod ait Hieronymus. Quid supererat, nisi vt Deum, nedum hominem confiterentur? ecce mox, *& adorauerunt eum*: quasi audissent, interiori

L 2. 2. q. 1. 8.
M Ioan. 20. l. 2. 1. Cor. 15. l. 3. & Ephes. 1. l. 8.

teriori per Angelum illuminatione, illud Apocalypſ. 19. & 22. ad Ioannem, *Deum adora*. Et quia *Deus & homo*, vt dicitur in Symbolo, *vnus eſt Chriſtus*; ſicut ait etiam de diuinis Nominibus cap. 1. Dionyſius, *ineffabiliter ſimplex Ieſus compoſitus eſt*: ecce vna indiuiſa proſtratione, *adorauerunt eum*. *Tenuerunt* autem, non amplexatæ ſunt *pedes eius*; quemadmodum loquitur Apoſtolus ad Hebræos 4. *teneamus*, inquit, *ſpei noſtræ confeſſionem*; & iterum cap. 10. *teneamus ſpei noſtræ confeſ-*

N Hebr. 4. l. 3. *ſionem indeclinabilem*; ideſt inhæreamus corde; N quia Roman. 10. *corde creditur ad iuſtitiam*. Actus

O 2. 2. q. 1. 1. quippe fidei, O qui eſt credere, habet firmam adhæſionem. Hinc pſal. 118. *adhæſi teſtimoniis tuis Domine*; & Act. 17. *quidam verò viri adhærentes ei crediderunt*. Doctrinam ſanctæ fidei, ſanctis pedibus prouolutæ ſe tenere indicant; quia Deuteronomij 33. *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*.

17. Sequitur autem, attentè conſiderandum inſuetum Domini verbum mulieribus expreſſum *Auete*; & eo accuratiùs, quo in veteri Teſtamento, nuſquam legimus, ſaltem ſub hac tranſlatione, vſurpatum.

P D. Th. hic. Exponi ſolet, vt ſonet *gaudete*. Vnde Angelicus, P gaudium inquit ſignificat. Græcus quippe in Catena Lucæ 1. *contra vocem priùs editam mulieri, dirigitur nunc ſermo ad Virginem: per gaudium mæſtitia pellitur. Vnde iucunditatem non abſurdè pronunciat Angelus Virgini dicens, Aue*. Sic in Hymno; *ſumens illud Aue, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans nomen Heuæ*. Et Auguſtinus, *Heua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit*. Græcè ſine dubio *chære*, valet imperatiui modi, *ſalue gaude aue*; à verbo *chæro*, quod eſt *gaudere valere ſaluere*. Salutantis autem eſt, cum abimus. Quoniam verò *ſalutare*, hebraicè *berech*, idem eſt ac *benedicere*: ab hoc autem themate *berech* deriuatur aliquando etiam ſignificatio pacis & fœderis; inde reor à quibuſdam interpretari, *aue, pacem*: fauetque item hymnus, *funda nos in pace, mutans nomen Heuæ*: Heua enim commutatur in *Aue*. Theologicè comprobatur, quia ex gaudio pax; iuxta illud ad Galatas 5. *charitas, gaudium, pax*. Perfectio

Q p. 2. 70. 3. gaudij Q eſt pax. Et ſi quidem ita accipitur, vt gaudium inuoluat ly *auete*, cohæret iis quæ diximus, vt eis infuderit fidei gaudium, *cum timore & gaudio magno*. Veruntamen, quoniam tranſlator alias vſus eſt verbo *gaudere*, vt ſupra cap. 5. *gaudete & exultate*; & ſimiliter, quoad pacem Ioannis 20. *& dixit eis pax vobis*: cur & hic, qui ex hebraico Matthæi exemplari tranſtulit, non reddidit; *gaudete*, ſeu *pax vobis*? Textus Syrus, *pax vobis*, habet. Si enim dixit Dominus per verbum *ſos*, aut *ſar*, traducendum erat *gaudete*, vel *lætamini*: ſi expreſſit, *ſalom lachem*, cur non & hic vt Ioannis 20. *pax vobis*? Igitur cùm maluerit transferre *Auete*, cogimur, vt aſſequamur, ſi quod latet, myſterium, quam vocem potuerit Dominus promere venari. Scimus verbum *aueo* latinè, pro eodem accipi ac *concupiſco*; & ideo (quod ſcribunt) à nimia cupiditate transferri in *gaudere*, ſeu *lætificari*: vnde ſalutantes quempiam dicamus, *aue*, ideſt *lætare*. Sed ſi res ita ſe habet latinè & græcè, cur non putemus, conſulto hebraico eloquio, id deprehendi? Sanè & hebraicè eſt verbum *iuab* per *vau*, quod ſonat, *deſiderauit, concupiuit*. Scribitur autem per *beth* verbum *auab*, ſcilicet *voluit placuit*; indeque *affectus*, & *deſiderium*. Hoc autem ipſum verbum *auab*, radix eſt dictionis *au*, quæ ſignificat *Patrem*. Et ſi peritos rogemus, qua ex cauſa: reſpondent, quia verbum iſtud inuoluat *deſiderium*, à deſiderio habendi prolem, *Pater* dicitur *Au*. Quod cùm ita ſit, quis negare auſit, tali voce & ſignificato, mulieres à Domino ſalutatas, vt à verbo *auab* traxerit *auete*, deſiderium non quodcunque, ſed de prole intendens inſinuare. Mirè admodum pro Syntaxi: cùm enim mulieres in typum Eccleſiæ acceperimus, quarum, ſeu magis cuius, egregiam explorauimus fidem; cur deſiderium Eccleſiæ de myſtica prole transfuſum, in huiuſmodi peregrina ſalutatione, non ſubinnueret Dominus? Prægnans ergo ſit Domini vox *Auete*, vt fœcunda deſiderio & effectu, quando *ipſe dixit & facta ſunt*, agnoſcatur Eccleſia: & hoc quidem recondita fidei & procreationis in fide Eccleſiæ filiorum connexione; iuxta quod habet Ioannes; *quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius*. Quod mox eluceſcet ampliùs.

VERS. X. *Nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam*; &c.

Iam ad Eccleſiæ dilatationem tranſit euangelica 18.
Matthæi ſeries. Multiplicanda quippe erat Eccleſia in fide populorum. Quod quidem, vt diximus, ſolatio fuit Chriſto Domino, in ingreſſu paſſionis ſupra cap. 26. *præcedam vos in Galilæam*.

Pſaltes in pſal. 21. in perſona Chriſti Domini, & dictis & dicendis mirè concors eſt; nominat enim fratres; *narrabo nomen tuum fratribus meis*. Paulo ante fert Matthæus iniunxiſſe Angelum mulieribus, *dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit*. Vbi ex Auguſtino apud Angelicum, R diſcipulos vocat etiam eos, qui R 1. p. 43. 3.
futuri erant diſcipuli: Saluator hic maluit fratres compellare. Quidni ad ſubinnuendum quod ſequitur in pſalmo; *in medio Eccleſiæ laudabo te*? Idem Sanctus Thomas; S *narrabo nomen tuum fratribus meis*; S pſ. 21.
ideſt Apoſtolis. Et hoc fecit poſt reſurrectionem. Sunt autem Apoſtoli fratres ſui, & per naturam aſſumptam; & per gratiam vocationis ad Apoſtolatum. Veruntamen etſi ad Apoſtolos ſpeciatim referri poſſit ly *fratribus meis*: quod repetit T ad illud T Ioa. 20. l. 3.
Ioannis 20. *vade ad fratres meos*: quibus hic c. 23. dixit; *omnes vos fratres eſtis*: nihilominus extenſiori ſignificatione cuncti fideles fratres queunt nuncupari; nam V & religione dicimus fratres. Hinc V Gal. 1. l. 5.
Gregorius in homil. *qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuit; quærendum eſt etiam, quomodo poſſit eſſe Mater*; &c. Multò magis dic eſſe nos Chriſti fratres per gratiam, quæ adoptionis eſt, & in aliquibus prædeſtinationis; iuxta quod ait Apoſtolus Roman. 8. *quos præſciuit & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Huc facit illud Matthæi 1. *genuit Iudam*, qui interpretatur *confeſſio*, (vtique fidei) *& fratres eius*. Item Act. 9. & 22. quando Ananias dixit Saulo iam præuocato ad fidem; *Saule frater*. Diſcretè autem, inuoluit fraternitate hac Gentiles, cuiuſmodi fuit Zachæus, de quo Lucæ 19. *eoquòd & ipſe ſit filius Abrahæ*: vbi Beda; *non quia de eius ſtirpe genitus, ſed quia eius eſt fidem imitatus*. Item concernuntur Iudæi, quos Hebr. 2. *non confunditur vocare fratres*; quia & Chriſtus eſt *filius Abraham*; ſupra cap. 1. de quo item gloriabantur Iudæi; ſupra cap. 3. *ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham*. Quamuis, vt ait Petrus Act. 15. *nihil diſcreuit inter nos & illos*; quia Coloſſ. 3. *non eſt in Chriſto Gentilis & Iudæus*; quandoquidem; *iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio*; Roman. 3. Vnde Paulus Act. 17. promit; *fidem præbens omnibus*.

Ex quibus, ſi lubet, dicamus, quod de mulieribus 19.
enarratur credentibus; (neque enim nunciarent concito greſſu feſtinæ ac feſtiuæ quod non crederent) de

ipſa fide intelligere, concreto fidelium pro abſtracto

fidei posito; sic pro dignitate materiæ tecto mysterio. Ad fratres quippe fide formandos peruentura erat fides citissimè; sicut aiebat Apostolus Roman. 1. *fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo*. Apostoli comparantur ex Augustino in psal. 126. sagittis; *sicut sagittæ in manu potentis; quia tanquam sagittæ peruenerunt vsque ad fines terræ*: dic abstracto vocabulo, Apostolica fides. Adnecte ex psalm. 44.

X ps. 44. *sagittæ tuæ acutæ*; X quia verbum Christi subitò totum Orbem impleuit; psalm. 147. *velociter currit sermo eius*. Hanc celeritatem peruenturæ, huc illuc, in omnem terram fidei, agnoscit Angelicus in ps. 17.

A in ps. 17. & ps. 44. *volauit super pennas ventorum*; idest A plusquam pennæ, quæ aguntur impulsu ventorum; quia in modico tempore, ante destructionem Ierusalem. Deus bone! quidnam sibi voluit Angelus vrgens adeò, vt perquam citò pergerent mulieres, nisi hoc quod diximus de fidei diffamatione, cuius basis est Christi resurrectio? *Citò euntes*, inquit, *dicite discipulis eius, quia surrexit*. Et *exierunt citò de monumento, currentes*. Mirabilia sacrarum Scripturarum inuolucra! sed quæ diuina largitate excutiantur. Benè *tenuerunt pedes eius*; nedum vt imbuerentur humiliter sacra doctrina, Deuter. 33. *& qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*; sed ne vnquam claudicaret fides; neue lassitudine vinceretur fidei prædicatio; nec vsquam sisteret perurgente charitatis ardore; sicuti aiebat Augustinus amori pedis cursum attribuens; *pes meus amor meus*. Citissimus etiam expetebatur gradus; quia euangelizandum erat, nedum *his, qui propè, sed etiam his qui longè erant*, vt dicitur Ephes. 2. Concitatissimi huius cursus Apostolicæ fidei atque doctrinæ figura fuit, quod legitur Hester 8. *missæ sunt epistolæ ex Regis nomine per veredarios, qui per omnes Prouincias discurrentes, veteres litteras nouis*

B Præfatione in Epistolas canonicas. *nuntijs præuenirent*; vt explanat Angelicus B ad rem nostram. Fusè allegoriam vide ibi. Sic 2. Paralipomenon 30. *perrexerunt cursores cum Epistolis*, &c. *prædicantes* &c. &, *pergebant cursores velociter*. Satis autem constat de allegorico cursus huius sensu, *citò, currentes*; quoniam, quod ait *ibi me videbitis*, (in Galilæa) vt notat Augustinus lib. 3. de consensu Euangelist. cap. vltimo sub finem, *etsi completum est, tamen post multa completum est: neque enim hoc solùm, aut primùm expectabatur fieri debuisse*. Adnecte *cum timore & gaudio magno*, quod ait Matthæus; 2. Cor. 7. *foris pugnæ, intus timores*: & Act. 5. *ibant Apostoli gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Quanquam subrepens timor sancta exploderetur audacia; Act. 2. *liceat audenter dicere ad vos*: animos elargiente Domino, qui nunc ait; *nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis*.

Sequitur; *vt eant in Galilæam, ibi me videbunt*.

20. Galilæam in typum Gentilitatis esse ex multis accipe. Ex Hieronymo Galilææ duæ erant; quia Salomon Galilææ Prouinciam diuisit, donans Hiram Regi Tyri vrbes viginti Galilææ; vt patet 3. Regum cap. 9. Hæ dono datæ dictæ sunt Galilæa Gentium; vt reliqua dicta est Galilæa Iudæorum; vbi Dominus, vt ait Haymo Isaiæ 9. aquas vertit in vinum. Incoluere tamen vrbes istas Galilææ Gentium Iudæi. Sed retinuit Galilæa hæc, vt diceretur Gentium, propter multas Gentes, quæ habitabant ibi; vel propter Gentium, idest Tyriorum, vicinitatem, sub quorum imperio aliquando fuerat: vnde & erroribus Gentilismi non parum infecta erat; vt notat Isaiæ 9. Iacobus Tirinus. Hic non distinguitur de qua Galilæa; ne si diceret Gentium, quod tegitur mysterium, minus pijs pateficeret: vt nonnisi tamen, si deuotè scrutemur, innotescit. A *Galab* hebraica radice, quod sonat *transmigrauit*, transmigrationem

Galilæa significat. Hinc Augustinus lib. 3. de consensu Euangel. cap. 25. *Galilæa*, inquit, *interpretatur transmigratio; & ita prophetice dictum accipiendum est, quia Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad Gentes*: & dum ait Angelus, *ibi eum videbitis*; & Dominus, *ibi me videbunt*; catenus prænuntiatum est, quatenus, *ibi eius membra inuenietis; ibi viuum corpus eius, in ijs qui vos susceperint agnoscetis*. Iungit autem, *præcedet vos in Galilæam*, innuens, *Gentes nullo modo Apostolis credituras, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet*. Subscribit C Angelicus. Non desunt transmigrationis huius aperta Prophetarum testimonia; vt illud Isaiæ vltimo; *mittam ex eis, qui saluati fuerint* (scilicet D ex Iudæis) *ad Gentes*. Satis hoc etiam monet Dominus Actor. 1. vbi postquam dixit; *& eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria*, adiecit, *& vsque ad vltimum terræ*. Isaiæ 62. *ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ. Dicite filiæ Sion; ecce Saluator tuus venit*. Quemadmodum Lucæ 24. prædixerat. *Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes: incipientibus ab Ierosolymis*. Quocirca Augustinus 18. de Ciuitate Dei cap. 50. sic habet. *Deinde secundum illam Prophetiam*, (Isaiæ 2.) *ex Sion lex prodiet, & verbum Domini de Ierusalem*, &c. *primum se ab Ierusalem diffudit Ecclesia: & cum in Iudæa atque Samaria plurimi credidissent; & in alias Gentes seminatum est, eis annunciantibus Euangelium. Verum etiam post obitum eorum*, (Apostolorum) *per posteros eorum, inter horrendas persecutiones & varios cruciatus ac funera martyrum, prædicatum est toto Orbe Euangelium: vt populi Gentium credentes*, &c. *ipsique Reges, quorum legibus vastabatur Ecclesia, subderentur*.

C 3. p. q. 42. a. 3. ad 4.

D 3. p. 42. 1.

VERS. XI. *Quæ cùm abijssent; ecce quidam de custodibus*, &c.

Ad astruendam resurrectionis Christi veritatem, de qua præhabitus sermo est, debuit de ipsius testibus introduci. Euadunt autem custodes isti omni exceptione maiores ad testificandum; siquidem nec pueri nec mulieres, nec amentes erant; item nec domestici, nec coniuncti, nec imperati, nec infames, qui deberent iure excludi: quæ capita repellendi testimonium E colligit Angelicus. Solum viderentur explodi, quia essent infideles. Veruntamen verosimile est, quemadmodum milites erant gentiles de prætorio; ita custodes istos fuisse ex Iudæis. Cur enim ad maiorem cautelam, non reliquissent Principes Sacerdotum, & ex suis ad sepulchrum? Quando ierunt comprehendere Iesum, cum Iuda fuit *turba multa*. Et planè percussit Petrus Malchum seruum Pontificis. Dicamus igitur, hos qui *venerunt, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant*, fuisse Iudæos. Vnde signanter Matthæus dixerit, *quidam de custodibus*, non dicit de militibus; quos deinde pecunia corruptos manifestat: fortè non sic fuere soliciti Principes Sacerdotum de custodibus, qui retulerant; vtpote de ipsorum gente. Quare si ab ore militum commentum sit corporis Domini fures fuisse discipulos, ex hoc ipso demerentur fidem, quia infideles. 21.

E 2. 2. 70. 3.

Quoniam verò sub historiæ velamine latet, vt hucusque deteximus, de fide in genere arcanum, consequens est & pro Syntaxi de resurrectione in refractarios quoque introduci. *Si Christus non resurrexit; inanis est prædicatio nostra; inanis est fides vestra*, 1. Cor. 15. Primæuo itaque huic dogmati necesse fuit, Matthæum insistere: sed sic sua narratione rem librare, vt vniuersaliter, fidem extra teli iactum esse, ostenderet. Hic autem proferamus 22.

opor-

F opusc. 70. q. 2. a. 1. oportet in medium Angelici doctrinam, quoad ea, quæ sunt fidei; F quæ quidem huiusmodi est. Lumen inquit fidei, quod nobis gratis infunditur, non destruit lumen naturalis cognitionis, nobis naturaliter inditum. Quamuis autem naturale lumen mentis humanæ, sit insufficiens ad manifestationem eorum, quæ per fidem manifestantur: tamen impossibile est, quod ea, quæ per fidem nobis traduntur diuinitùs, sint contraria his, quæ per naturam nobis sunt indita; oporteret enim alterum esse falsum: & cum vtrumque sit nobis à Deo; Deus esset nobis auctor falsitatis: quod est impossibile. Præterea; sicut sacra doctrina fundatur super lumen fidei; ita philosophia super lumen naturalis rationis. Vnde impossibile est, quòd ea quæ sunt philosophiæ sint contraria eis, quæ sunt fidei: sed deficiunt ab eis. Si quid autem in dictis philosophorum inueniatur contrarium fidei; hoc non est philosophiæ, sed magis philosophiæ abusus ex defectu rationis. Vnde philosophia ipsa possumus vti, ad resistendum his, quæ contra fidem dicuntur; siue ostendendo esse falsa; siue ostendendo non esse necessaria. His præacceptis, vide lector, quàm alto Dei permissu factum sit; vt quamquam congregati sint Principes sacerdotum & seniores; nihil aliud potuerint aduersus fidem resurrectionis instruere, nisi perfidiam, & abreptæ malitia obnitentis voluntatis dissensum. Quia scilicet quod est intellectus obiectum, nempe verum, non potuit cum veritate fidei pugnare. Sicut autem dicit aliàs Chrysostomus hom. 16. in Matthæum; *à veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt*: ita hinc emicat, nullum omnino efficax esse contra veritatem fidei argumentum; quando pro ea occultanda, ad copiosam duntaxat pecuniam recurritur. Signanter autem voluit Dominus, vt ipsi ex ore proprio dicerent; *& si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei*; pittaó enim hebræa vox, quæ significat *persuasit*, etiam sonat *decepit verbis blandis*, & *seduxit*; quamuis etiam, *leniuit*, *placauit*, & *adulatus est*: hæc omnia vno verbo meditantur quicumque contra fidem insurgunt. Qui *diuulgant* Iudæorum instar pro posse *verbum*; sed nunquam verbum veritatis; vt ait Psaltes *& ne auferas ab ore meo verbum veritatis*. Facit huc illud Sapientiæ dum inquiunt, *securos vos faciemus: cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia*. Verùm vt ait Apostolus Rom. 3. *quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit*. Verè & quod sequitur accinit; *linguis suis dolosè agebant; venenum aspidum sub labijs eorum*, &c. obsurdescunt enim, abnegata, quæ per auditum est fide, in morem *aspidis surdæ* psalm. 57. *& obturantis aures suas*; quia Ioannis 15. *odio habuerunt Dominum gratis*. Sed dum hi & infideles omnes *fidei malè sentiendo auersantur*; *Ecclesiæ exercent sapientiam*, vt 18. de Ciuit. cap. 81. dicit Augustinus.

VERS. XVIII. *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus*.

23. Creditur mons iste fuisse Thabor, qui mons erat Galilææ in medio campi magni, quem *Esdrelon* vocant, haud longè à Nazareth contra ortum: cuius vertex est campestris viginti stadiorum, planus ac varijs arborum generibus consitus; vt fert Lauretus in sua Sylua allegoriarum: vbi ait interpretari, *electionem*, *puritatem*, *& veniens lumen*. Dicito quia *fide*, quæ lumen est *purificat* Act. 15. *Deus corda*: & quia dicit Apostolus Rom. 11. *reliquiæ secundùm electionem gratiæ Dei, saluæ factæ sunt. Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt*. Et cæcos ac surdos, quod ad fidem attinet, eos firmat *vsque in hodiernum diem*; quod ipsum Matthæus dicit; quia in fine Mundi G videbunt & audient, vt ait Angelicus. Hieronymus ad illud Matthæi 5. *ascendit in montem*, dicit eum fuisse *Thabor vel quemlibet alium montem excelsum*. Ceterùm quia non exprimit neque circumscribit perspicuè, quisnam mons iste fuerit, prudenter intelligamus oportet, non tam intendisse Matthæum historiam enarrare, quàm reuelare mysterium. Mons, vt apud eundem Lauretum, quandoque significat eminentiam fidei; (apprimè ad rem nostram) item, Ecclesiam; (consectariò ad ea quæ hucusque præmisimus) perfectionem quoque doctrinæ: (opportunè quando mox audiendum est; *docete omnes Gentes*.) In monte ergo abierunt; signando quò abituri sint qui de fide docent; iuxta quod Isaiæ 40. prædictum fuerat; *super montem excelsum, ascende tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ierusalem*. In monte H mysticè significatur cœlestis conuersatio, & contemplatio; & I ad eminentiam vitæ conscensus; Chrysostomus; *nemo potest in valle consistere, & de Cœlo loqui*. In montem etiam ad ostendendum altitudinem Ecclesiæ, cui doctrina proponitur. Item ad congruentiam veteris legis datæ in monte.

G Rom. 11. l. 1.

H Isaiæ 40.

I Matth. 5.

Sequitur, *vbi constituerat illis Iesus*.

Refert hoc Beda ad tempus passionis; cùm dixit eis; *præcedam vos in Galilæam*. At nihil ibi de monte illis constituit. Sed constans est, non omnia, quæ dixit Iesus & fecit, scripta ab Euangelistis. 24.
Sanè in Euangelio non extat quod à Petro recolitur Act. 10. *& præcepit nobis prædicare populo & testificari; quia ipse est, qui constitutus est a Deo Iudex viuorum & mortuorum*. Sic non alibi legitur quod constanter dixerunt Iudæis contradicentibus Paulus & Barnabas; *ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus; posui te in lucem Gentium*. Potest ergo hinc trahi intelligentia, in Monte illo discipulis proficiscendum constituisse: nec vacasse passionis tempore cuncta describere. Quicumque ergo mons fuerit iste; & quandocunque constituerit hoc illis Iesus, de Ecclesia Gentium, præmissò de Galilæa, indubiè accipiendum est: *vbi constituerat* Apostolis, fas mihi interpretari sic, *Principatum*: secundum quòd in psalm. 44. prænunciatum est; *constitues eos Principes super omnem terram*. Montem pro Ecclesia stare passim in scripturis nemo iuit inficias. Videat Lauretum. Non secus de se ipso Dominus psalm. 2. *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum eius*. Et Ieremiæ 1. sub eodem verbo; *ecce constitui te hodie super Gentes & Regna; vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes; & ædifices & plantes*. Dicit Angelicus; Apostoli constituti sunt executores & dispensatores mysterij Christi. Ephes. 3. l. 1. Fauet contextus; *& videntes eum adorauerunt*; ab Ecclesia enim solummodo & in Ecclesia ritè & rectè adoratur & colitur. Quod autem adiecit Matthæus precisè adeò, *quidam vero dubitauerunt*; non tam ad præsentes discipulos aliquos, vel ad præcedentem aliquorum, vt Thomæ, dubitationem, retulisse arbitror; quàm prophetico stylo ad futura prospexisse. Facile enim nutant credentes, nisi, prout ait Augustinus *scientia nutriatur fides*: qui credit doctrina imbuatur, vt mox adnectitur.

VERS. XVIII. *Euntes ergo docete omnes Gentes*; &c.

Præmittit de potestate; *data est mihi omnis potestas*: vt etiam suam in Apostolis qualificet doctrinam; quandoquidem supra cap. 7. *erat docens eos sicut potestatem habens; & non sicut Scribæ eorum & Pha-* 25.

& Pharisæi. Sic eos Ecclesiæ Pastores facit: Ieremiæ 3. *dabo vobis Pastores iuxta cor meum: & pascent vos scientia & doctrina*. Marci 16. legimus; *prædicate Euangelium omni creaturæ*. Ex 3. p. q. 42. a. 1. ad 2. in hoc potestas diuina maximè in Christo monstrata est; quòd discipulis suis tantam virtutem contulit in docendo, vt Gentes, quæ nihil de Christo audierant, conuerterent ad fidem. Antonomasticè inquit Angelicus L Euangelium dicitur verbum fidei. Iam sequitur apud Marcum; *qui crediderit*, &c. Alibi M ad rem; vt totum quod est fidei, non humanæ potentiæ aut sapientiæ tribueretur, voluit Deus vt primitiua Apostolorum prædicatio, esset in infirmitate & simplicitate. Cùm tamen superueniens postea potentia & sæcularis sapientia ostenderet, per victoriam fidei Mundum esse Deo subiectum, & quantùm ad potentiam, & quantùm ad sapientiam. Hinc Damianus Serm. 2. in natali Virg. *Saluator noster non elegit Rhetores & Philosophos, sed simplices ac ignaros; talibusque versuta humanæ sapientiæ argumenta conuicit*. Act. 4. *videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto, quòd homines essent sine litteris & idiotæ, admirabantur*. Considera lector, quàm altè dicat Dominus; *data est mihi omnis potestas*, &c. *Euntes docete omnes Gentes*. Hæc est insignior missio, reor, toties decantata; vt agnosceretur quis esset, nempe, vt prædictum est Genesis 49. & centies in Prophetis *expectatio Gentium*. Cur non indiceretur de baptismo, quando de Ecclesiæ fundamento, quod fides est, pro coronide Syntaxis institutus est sermo? Illuminatio pertinet specialiter N ad fidem: baptismus autem est quædam fidei protestatio; vnde dicitur fidei Sacramentum: & ita ex Dionysio cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Non potuit etiam de baptismo in clausula Euangelica præteriri; vt exordio responderet peroratio: quandoquidem, *liber generationis Iesu Christi* allegoricè in regeneratione fidelium consummatur. Baptismus autem, vt pluries dictum fuit, est spiritualis regeneratio O: Titi 3. *per lauacrum regenerationis*; & Ioann. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto*. Regeneratur autem P quis per baptismum in filium Dei, Ioan. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui ex Deo nati sunt*. Attigisse tandem noueris & Augustinum scopum Matthæi; nam vt fert Hugo cap. 1. ex ipso; *in veteri Testamento agitur de generatione Cæli, & elementorum; in principio noui de generatione Christi & aliorum*. Et in psal. 127. *ipse Christus est in Christianis, quos Christianos per baptismum quotidie parit Ecclesia*. Et quæst. 59. in lib. 83. *omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus, filij ad matrem concurrere dicuntur; cùm ex ipsis filijs congregatis constet ea, quæ dicitur Mater*. Et ita vnde cœpit mirè Matthæi scopus ac Syntaxis, perficitur, & consummatur. Pulchrum quid scribit Clemens Alexandrinus 5. Strom. *apud barbaros quoque philosophos, per auditum instituere & illuminare, dicitur regenerare: &, ego genui vos in Christo, dicit alicubi præclarus Apostolus*. Ait autem Augustinus item lib. de fide & operibus; *hoc est euangelizare Christum, non tantum dicere quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ obseruanda ei, qui accedit ad compagem corporis Christi*. En quomodo conceptis verbis exprimit nostrum assumptum. *Immo verò* (pergit) *cuncta dicere quæ sunt credenda de Christo; non solùm cuius sit filius; vnde secundùm Diuinitatem; vnde secundùm carnem genitus: quæ propassus, & quare: quæ sit virtus resurrectionis eius; quod donum Spiritus promiserit dederitque fidelibus: sed etiam qualia membra, quibus sit caput quærat, instituat, diligat, liberet; atque ad æternam vitam honoremque perducat*. Resonant ergo & baptismus & doctrina Matthæi scopum, quandoquidem per baptismum Sacramentum fidei, fiunt Christi membra fideles: & per doctrinam fidei regenerantur. Quid non sigillo clauderet Dominus?

L Ephes. 1.l.5.
M opusc. 70 q. 2. a. 3. ad 5.
N 3. p. 66. 1.
O 3. p. 65. 1. & q. 69. 4.
P Tit. 3. l. 1.

VERS. eodem. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*.

Hebræor. 13. *Iesus Christus heri & hodie; ipse & in sæcula*. *Heri* scilicet in tempore primitiuorum Apostolorum; Q *hodie*, in tempore isto; *ipse & in sæcula*; iuxta quod hic ait; *ecce ego* &c. Plaudit Isaias cap. 53. *videbit semen longæuum*; vsque ad finem sæculi filios sibi generari: & Haymo; *idest verbum Euangelij in cordibus fidelium: quod æternum est; quia alia lex non succedet*. Quoniam lex noua duratura est R vsque ad Sæculi consummationem. Apocal. 14. *vidi alterum Angelum*, &c. *habentem Euangelium æternum*. *Non ergo* inquit Augustinus (in psal. 67. ibi, *venient Legati ex Ægypto*) *de solis Israelitis, vnde Apostoli electi sunt; sed etiam de cæteris Gentibus, futuros prædicatores Christianæ pacis, hoc modo mysticè prophetatum est*. *Nobiscum* autem, nobis per gratiam. Sed sicut spiritus naturalis R non peruenit ad membrum, quod non habet connexionem ad caput; ita Spiritus-Sanctus non peruenit ad hominem, qui non est Capiti Christo iunctus; 1. Ioann. 3. *in hoc scimus quòd ipse manet in nobis, quia de spiritu suo ipse dedit nobis*. Quam benè ergo ait Leo Papa; *qui ascendit in Cœlum, non deserit adoptatos*. Augustinus in psal. 148. *Nunquid membra longè sunt à Capite? si essent longè & diuisa essent, non diceret; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem Sæculi*. Quod mirè exordio Syntaxis correspondet. Quòd si diuinissimi Sacramenti sit allusio; *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem Sæculi*, etiam summopere Syntaxis illustrata refulget; contestante Angelico, S Sacramentum esse Ecclesiasticæ vnionis, continens illum, in quo tota Ecclesia vnitur & consolidatur, scilicet Christum. Attende autem lector miram dictorum hoc in capite colligationem: de fide siquidem, de baptismate, atque de sanctissima Eucharistia excursum est. Meritò quia fides T fundamentum est spiritualis vitæ. (Rom. 1. *iustus autem ex fide viuit*) Ad vitam autem spiritualem regeneramur. At fides non sufficit: nam si quis hodie V sanctificaretur in vtero, necesse esset, eum baptizari; vt per susceptionem caracteris alijs membris Christi conformaretur. Ad hoc enim datur baptismus, vt aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius; Gal. 3. *quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Habet ergo qui credit & præiustificatus est in desiderio baptismum. Vnde alibi dicit, X ante baptismum Cornelius, & alij similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi; & desiderium baptismi implicitè vel explicitè. Superest autem sciendum, qualiter sicut qui fidem habet, necesse est habere in voto baptismum; sic baptizatus A non saluaretur, nisi haberet item in voto Eucharistiam. Ratio est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam. Et ideo ex hoc ipso quòd pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt; sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam; Ecclesiasticæ autem vnitati B aggregantur homines per Eucharistiæ Sacramentum. Præterea Eucharistia est Sacramentum passionis Christi, prout homo C perficitur in vnione ad Christum passum. Sublimissimo ergo eloquio claudit Dominus; *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem Sæculi*. Exclamemus cum Augustino: *ò signum vnitatis, ò vinculum charitatis!* quandoquidem,

26.
Q Hebr. 13 l. 1.
R p. 2. 107. 4.
R Rom. 8. l. 1.
S 4. Sent. 45. q. 2. a. 3.
T 3. p. 73. 3. ad 3.
V 3. p. 68. 1.
X 3. p. 69. 2. 4. ad 2.
A 3. p. 73. 3.
B 3. p. 73. 4.
C 3. p. 73. 3.

(&

(& Syntaxin complet) Christus Caput est præcipuè
D 3.p.8. 3. illorum, D qui nedum actu vniuntur sibi per fidem, sed per charitatem. Eucharistia autem E di-
E 3.p.73. 3.ad 3. citur Sacramentum charitatis.

Sed regeneramur nedum per gratiam; verùm & ad
27. gloriam; vnde Roman. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, F iuxta illud Galat. 4. *illa autem, quæ sursum est Ierusalem Mater nostra:*
F 1.p. 33. 3. generamur enim
G Galat. 4.l.8. G in præsenti Ecclesia militante, vt perueniamus ad triumphantem. Nunquid qui nobiscum se pollicetur *vsque ad consummationem Sæculi*, nobiscum consummato Sæculo non erit? absit: Augustinus Serm. 174. de tempore; *ascendit nec recessit à nobis: cum illo ibi iam sumus; quamuis nondum in corpore factum sit. Nam propter vnitatem, qua Caput nostrum est, & nos corpus eius, cùm ascendit in Cœlum, nos ab illo non separamur.* Tract. 26. in Ioan. *quartum idest glorificatio nunc in spe est, in re autem futurum est.* Ephes. 2. *conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Ioann. 14. *iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum*; Augustinus Serm. illo 174. *Christus ascendit in Cœlum, ascendat cum illo & cor nostrum*; 1. Thessal. 4. *& sic semper cum Domino erimus*; cùm Hebr. 12. accedemus *ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in Cœlis.* Quo certè collimat pro suo scopo Matthæi calamus de regeneratione euangelizans: siquidem *regenerauit nos in spem viuam*, 1. Petri 1. *per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in Cœlis.* Huc spectare etiam videtur, quod suprà dictum toties est, *præcedet vos in Galilæam*, quæ transmigratio; Act. 1. *viri Galilæi quid statis aspicientes in Cœlum?* Et ideo fortasse Dominus vt æternæ illius mansionis perenne gaudium subinnueret, quando *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*; præmisit ly
H Apoc. 8.Comm. 2. *ecce*, quod ex Angelico H nota est gaudij, & propinquitatis. *Appropinquauit* quippe *Regnum Cœlorum.* Eia ergo cum Apostolo, *cupiamus dissolui & esse cum Christo. Non abhoreat quis nostrum à compage membrorum*, quod monet tract. illo 26. in Ioann. Augustinus: *non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori; viuat Deo de Deo. Nunc laboret in terra, vt postea regnet in Cœlo.* Et in psalm. 127. *hærentes corpori Christi, & effecti membra Christi, ambulemus vias Domini, & timeamus Dominum timore casto, timore permanente in sæculum sæculi.* De hoc timore plura Angelicus, I qui ipsum asseuerat I 2. 2. q. 19. præsertim a. 2.& 11.
filialem. Quoniam ergo & in via & in Patria regeneramur in filios Dei, *conformes imaginis filij sui*, vt dicitur Roman. 8. hanc præcipue intendens Matthæus astruere nostram regenerationem, quemadmodum exorsus est; *Liber generationis Iesu Christi*, etiam vt Caput est Ecclesiæ, hoc est suorum fidelium: ita in regenerationis Sacramento, quod est baptismus, peractam allegoriam profundissimè terminat & absoluit; vt quod per totam Euangelij sui seriem arcana continuatione prosecutus fuerat, ex sigillo quo claudebatur subindicaret. *Benedictus*, iterum, *Deus*, (1. Petri 1.) *& Pater Domini nostri Iesu Christi; qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem* (Rom. 8. *si autem filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi;*) *incorruptibilem & incontaminatam, & immarcescibilem.* Sumus quippe, vt deinde promit, *renati non ex semine corruptibili per verbum Dei viui:* quod ex Angelico intelligi quoque potest de verbo sacramentali, quo perficitur Sacramentum: Baptismi; vtique, *in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti*; cui dum trisagion incessabili voce proclamat triplex Hierarchia: cum ijs suas admitti voces, per Iesum Christum, qui eam *acquisiuit sanguine suo*, estque cum ipsa *vsque ad consummationem Sæculi*, deprecatur Ecclesia; vt Deum, quem Trinum & Vnum ab exordio suæ creationis adorant Angeli, collaudent benedicant exaltent & glorificent in Sæcula Sæculorum homines. Inter quos omnium minimus, quæ cuncta hic aut alibi dixerim, velim ex corde, *quo creditur ad iustitiam*, Hieronymi ad Damasum syncera confessione fidei consignare; *Hæc est fides, Papa Beatissime*, (Innocenti) *quam in catholica didicimus Ecclesia. In qua, si minùs peritè, aut parum cautè, fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur: quicunque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Amen.

Soli Deo honor & gloria.

Digitized by Google